

IN OMNES
DIVI PAVLI
 APOSTOLI
EPISTOLAS
 COMMENTARIORVM
 TOMVS POSTERIOR.

Authore D. GVILIELMO ESTIO S. Theologiæ Doct. &
 in Academia Duacena primario professore, eiusdem
 Vniuersitatis Cancellario.

ACCESSERVNT EIVSDEM AVTHORIS IN
 QVINQVE EPISTOLAS CATHOLICAS COMMENTARIA.

NECNON D. M. N. BARTHOLOMÆI PETRI S. THEOL.
 DOCTORIS AC PROFESSORIS PRIMARI, IN PARTEM PRIMÆ,
 ac secundam & tertiam Joannis clarissima elucidationes.


Cum Indice rerum de stabilitum locupletissimo.



DVACI,

Ex Officina Typographica BALTAZARIS BELLERI,
 Typographi iurati, sub Circino aureo.
 ANNO M. DC. XVI.

Cum gratia & privilegio ad decennium.





S E R E N I S S I M O,
RELIGIOSISS. ATQVE CLEMENTISS.
ARCHIDVCI
A L B E R T O,
BELGARVM
PRINCIPI.



COMMENTARIORVM quos in omnes
sacras Apostoli Pauli epistolas, longa
& magna cura, nec minore scientia,
SERENISSIME ARCHIDVX, elaboravit
piæ mem. GVILIELMVS ESTIVS, vir in-
ter tuos subditos præclarus, Tomum
priorem abhinc sesquianno, V. Celsi-
tudini, vt parerat, dicatum euulgauimus. Videri possemus
tardiores in publicando posteriore; nisi in eundem rede-
gissimus epistolarum sacrarum ab alijs quoque Apostolis,
Petro, Ioanne, Iacobo, Iuda editarum, quæ Catholicæ dici
solent, enarrationem: vt eiusdem authoris, ita eiusdem om-
ninò præstantiæ, & reconditæ doctrinæ. Hoc enim fatius
visum est, quàm vt ei enarrationi proprium volumen dare-
mus equo tenuius futurum.

Alterum igitur hunc Commentariorum Tomum, ea
quam diximus accessione locupletatum, nunc ad C. V.
mittimus; haudquaquam dubitantes qua vultus sereni-
tate prior ille fuit ab ea exceptus, eadem istum exce-

ptum iri. Quam fiduciam nobis facit, non solum operis ipsius, doctissimi certe, excellentia; & illa, rebus varijs auctori parta nominis celebritas, longè maxima; viro nimirum raræ pietatis, vitæ integerrimæ, V. Duacensis Academiae Cancellario ac Theologo primario & profundissimo: sed etiam V. Celsitudinis mos ille perpetuus & consuetudo, qua suorum obsequia, velut pater filiorum officia, solet æstimare & amare. Quam Celsitudinem V. vnâ cum Serenissima Domina Principe, Hispaniarum Infante, vt Deus Belgio vestro, omnibusque nobis, imò ipsi Ecclesiæ, quàm diutissimè tueatur incolumes & florentes; desiderium atque comprecatio est omnium nostrum.

Ex Vniuers. V. Duacensi, die 16. Ianuarij, 1616.

V. C.

HVMILIS SVBDITVS ET CLIENS,

*BARTHOLOMÆVS PETRVS,
S. Theol. Doctor, & in eadem
V. Vniuers. Professor.*

B. P.

B. P.

CANDIDO LECTORI.



HABES hic, Lector, Tomum alterum Commentariorum incomparabilis viri GVILIELMI ESTII, Theologi doctissimi, in epistolas Pauli Apostoli reliquas, qua illam Galatis scriptam ordine sequuntur: sed auctum adiunctione Expositionis epistolarum sacrarum quas alij Apostoli scripserunt. Cuius Tomi lectionem priusquam aggrediaris; tribus aut quatuor de rebus videris admonendus, qua huic cum priore sunt communes.

Primum est illud, ne mireris quod in toto hoc Commentario Author subinde meminit suorum in Paulinas epistolas PROLEGOMENORVM: qua tamen neque in priore neque in hoc Tomo vsquam comparent. Designauerat quidem ille, & in schedas distribuerat PROLEGOMENORVM viginti capita: sed paulatim, per opportunitates, singulis capitibus erat subiuncturus qua cuiq; essent propria. Quod cum ipse ante obitum vix inchoauerit, ac penè omnia illa viginti capita sint reperta nuda, nulla declaratione illustrata, nulla probatione munita: non potuimus tibi, Lector, illa Prolegomena dare. Sed neque illa huius Commentarij loca, quibus illorum mentionem facit, nos rescare omnia potuimus: quoniam priusquam vita defungeretur, iam perducta erat impressio ad caput vsque tertium posterioris scriptæ Corinthijs.

Alterum, fuisse nonnullos quibus displiceret quod hic author saepe in Commentario citans B. Thomam Aquinatem, non addit epitheton Sancti, vel Beati. Verùm hi considerare debebant quod ipse S. Thomas cum veteres Ecclesia doctores citat, vix vsquam is addit eiusmodi titulum: sed nudè allegat Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Hilarium, Chrysostomum: intelligens nimirum, hæc ipsa eorum nomina secum ferre pondus authoritatis & dignitatis, & quandam reuerentiam. Quod idem apud hunc commentatorem nostrum faciebat nudum etiam nomen B. Thomæ. Memini certè, in familiari colloquio illum nobis dixisse aliquando, sese existimare non esse vnum aliquem expositorem Apostoli Pauli, neque Græcum neque Latinum, qui toto expositionis filo, totoq; decursu, superet B. Thomam.

ã 3

Tertium,

Tertium, fuisse nonnullos quibus displiceret quod tam frequenter in hoc Commentario citatur Erasmus. Sed hi considerare debent quod Erasmi versio, multis locis iuuat catholicam doctrinam aduersus placita sectariorum, & eorum indoctas aut prauas versiones. Considerent etiam quod plurimis in locis hic noster Erasmus corrigit, ubi isti boni nihil corrigendum putarent.

Quartum, fuisse nonnullos qui viderentur nescio quid in hoc authore desiderare, eo quod literalis duntaxat esset, ut illi loquebantur. Hi admonendi sunt, ne istud suum sinistrum & parum sanum iudicium tam leuiter apud homines intelligentes prodant. Quid enim? An Allegorijs, Tropologijs, Anagogicis sensibus locum esse volunt in Apostolicarum epistolarum enarratione? Vale Lector: defuncto pie precare; doctrina eius auidè utere; mores probatissimos indefessus imitare.

PROTESTATIO AVTHORIS IN EIVS
SCHEDIS REPERTA, ET IPSIVS
verbis hinc posita.

PROTESTATUR Author quod omnia velit esse submissa iudicio Ecclesie catholice, & eius summo in terris Pastori ac Iudici, Rom. Pontifici: velitque pro non dicto haberi, si quid malè dictum. Quod nolit vlli persone aut familie detractum; cupiens Christianam cum omnibus Catholicis benevolentiam, & quantum possibile est, amicitiam colere & conseruare. Item declarat se vbique sequutum sensum Ecclesie, quantum eum percipere potuit ex collatione Scripturarum inter se, tum eiusdem Apostoli tum aliorum scriptorum sacrorum; item ex collatione cum fonte Græco & melioribus exemplaribus Latinis: Item ex traditione Ecclesie nota per Concilia, & doctrinam SS. Patrum veterum, ac præcipuorum, præsertim Augustini, qui Pauli fuit studiosissimus, & eiusdem gratie, quam Paulus in omnibus epistolis prædicat, Doctor eximius. Declarat præterea, sese conatum esse verum sensum nudis & claris verbis explicare: nec Commentarium extendisse in exhortationes populares; verum id reliquisse ijs qui scribunt homilias ad populum.

APPRO-

APPROBATIONES.

Commentarium hunc celeberrimi Doctoris Domini GUILIELMI ESTII pie mem. in B. Pauli epistolam ad Ephesios, reliquasque omnes sequentes; Commentarium item in Catholicas epistolas Apostolorum, Iacobi vnam, Petri duas, Iudee vnam, Ioannis primam; diligentissime perlectum dignum impressione censuimus, ut summo labore, industria, ac doctrina collectum atque cocinatum, ideoque plurimam lucem allaturum ad germanam earum epistolarum intelligentiam; nihilque habentem fidei Catholice, aut bonis moribus repugnans, sed tam his quam illi egregie profuturum. Datum Duaci 16. Augusti, 1615.

BARTHOLOMÆVS PETRVS
S. Theol. Doctor, & in Uniuersitate
Duacensi Professor.

Commentaria Eximij D. M. N. Bartholomæi Petri S. Theol. Professoris Primarij in Academia Duacensi, in 2. & 3. S. Ioannis epistolas, & quintum caput primæ eiusdem Ioannis epistolæ, quæ morte præuentus non potuit D. ESTIUS dictæ Academiae Doctor celeberrimus absolueret, doctissima sunt, & pari stylo ac doctrina composita, adeoque censo prælo esse dignissima, & Lectoribus utilissima, Duaci die 22. Decemb. 1615.


IACOBVS POLLET S. Theol.
Doctor, & Regius ordinariusque
Professor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantie, &c. Serenissimi Belgarum principes, Diplomate suo sanxerunt, ne quis Commentaria in omnes D. Pauli epistolas, auctore D. GUILIELMO ESTIO S. Theologie Doctore, & Professore primario in Academia Duacena, præter BALTAZARIS BELLERI voluntatem, vilo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum in has inferioris Germanie ditones importet, venalemve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & alia graui poena multabitur, ut latius patet in literis datis Bruxellæ, IX. Maij, M. DC. XIV.

Signat.

I. LE COMTE.



I N E P I S T O L A M
BEATI PAULI
A P O S T O L I
A D E P H E S I O S
C O M M E N T A R I V S.
ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



PHESVM Asiæ minoris metropolim, fuisse ciuitatem idololatriæ & magicis artibus deditam, testatur Hieronymus in proœmio commentariorum huius epistolæ. Quæ res etiam ex ijs quæ Lucas narrat Act. 19 de magna Diana Ephesiorum, deq; templo eius apud Ephesum toto orbe celeberrimo; nec non de multis eorum qui fuerant curiosa sectati, ibidem Pauli prædicatione conuersis; manifestè intelligitur. In ea ciuitate Paulus supra biennium commoratus, Christum prædicauit, ita vt omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque gentiles, vt ait Lucas; donec commota aduersus ipsum seditione à Demetrio argentario, inde discessit in Macedoniam. Vniuersum autem tempus quo mansit Ephesi, triënum fuisse scribit Hieronymus; idq; Paulus ipse significat Act. 20 in ea oratione quam ad presbyteros siue episcopos Ephesinæ ecclesiæ Miletum ad se vocatos, habuit; *Vigilate, inquit; memoria retinentes quoniam per triënum nocte & die non cessauimus cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* Abiens autem in Macedoniam apostolus Timotheum Ephesi reliquerat (sicut ad eum scribit 1 Tim. 1) *vt denunciaret quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis:* quod sine dubio contra falsos è Iudæis Christianos dictum est; qui non solum legem volebant cum euangelio à credentibus suscipi, quod omnibus Iudaizantibus erat commune; sed & de suo multa fabulosa, inutilia & à puritate euangelij aliena tradebant; atque huiusmodi peruersis doctrinis ad se fideles qui in Asia erant pertrahere nitebantur, & à Paulo, quem sibi sentiebant aduersarium, & cuius gloriæ inuidebant, abducere. De talibus

scribit in 2 Tim. 1 (simul enim illa cum hac ad Ephesios missa est, aut certe non multo post) *Scis hoc, quod auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt;* (scilicet Iudæi) *ex quibus est Phigellus & Hermogenes.* Hoc itaque tempus iam venerat, de quo ipse in oratione cuius supra memini, præmonuerat Ephesios, dicens: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobisipsis exsurgent viri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se.* Porro qui ex gentibus erant fideles Asiani, doctrinam à Paulo acceptam firmiter retinebant. Ad eos igitur hanc scribit epistolam; ita collaudans eorum fidem & dilectionem, vt tamen plenius eos instituat de præcipuis fidei mysterijs olim absconditis, velut de redemptione & iustificatione nostra per mortem Christi, de vocatione gentium, de prædestinatione gratuita, de glorificatione Christi & corporis eius quod est ecclesia: & hæc quidem ferè vsque ad quartum caput, à quo deinceps ad moralem doctrinam accedens, præscribit formam quandam exactam vitæ Christianæ, in qua viros, vxores, parentes, liberos, dominos, seruos, officij quosq; sui diligenter admonet; & ad extremum, omnes tanquam in Christi militiam ascriptos, aduersus impugnationes demonum, armis instruit spiritualibus. Quod autem ad eos peculiariter qui ex gentibus crediderant, hæc scribatur epistola; manifestè inter alia declarat illud cap. 2, *Memores estote, quod aliquando vos eratis gentes in carne, & quæ sequuntur.* Rursus illud cap. 3: *Ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus.* Quàm verò fideliter in apostolica doctrina, etiam post apostoli decessum, perstiterint Ephesij; qui scire volet, legat Ignatij martyris epistolam quam itidem ad Ephesios scripsit, in qua fidem & constantiam eorum, & zelum quo hereticos auersabantur, mirificè commendat. Ceterum existimât nonnulli hanc epistolam scribi potissimum contra Simonem magum eiusq; familiam, & Gnostico- rum scholam inde exortam; de quibus apud Epiphanium multa lib. 1 contra hæreses. Quæ sententia cum superioribus non pugnat; erant enim Simonis discipuli plerique Iudæi, sub nomine scientiæ quã venditabant, non solum fabulosa ac portentosa quedam de Deo, angelis & mundo; sed & turpia quædam docentes: contra quod genus, Petrus secundam, & Iudas suam scripsit epistolam; & ipse Paulus præter hanc etiam alias, vt ad Coloss. ad Titum, & vtramque ad Timoth. Quomodo autem contra Simonianos stylum in hac epistola dirigat apostolus, id suis locis indicabitur à nobis in commentario. Illud admonemus, huic epistolæ peculiare esse præsertim primis capitibus, quod implexus & inuolutus sit sermo, sensusq; habeat obscuros & explicatu difficiles, ipso etiam Hieronymo teste; quod quidem ob magnitudinem & sublimitatem rerum quæ tractantur, accidisse, credendum est. Scripta est epistola Romæ ex vinculis; quorum ter meminit cap. 3, & iterum cap. ultimo; missa per Tychicum Diaconum, cuius in fine mentio est: Id quod tam argumentum Latinum huic epistolæ præfixum, quàm Græca subnotatio confirmat. Et quia per eundem Tychicum missa est epistola secunda ad Timotheum, cuius ultimo capite dicitur, *Tychicum misi Ephesum;* satis colli-

gitur,

gitur, quod supra dixi, duas has epistolas simul missas fuisse; quod & Theodoretus non obscure significat. Quocirca non assentimur Hieronymo commentanti super epistolam ad Philemonem; dum scribit, vno eodemq; tempore per Onesimum missas fuisse quatuor epistolas, ad Ephesios, ad Philipenses, ad Colossenses & ad Philemonem. Nam hæ tres posteriores Timotheum Paulo in prima salutatione coniungunt: Erat ergo Timotheus Romæ cū Paulo, quando illæ epistolæ scribebatur. Itaq; fieri non potuit vt cum eâ mitterentur quæ ad Timotheum eodẽ tempore absentem scripta est. Hæc de argumento epistolæ sufficiant.

S V M M A R I V M.

Agit gratias Deo de æterna prædestinatione qua proposuit instaurare omnia in Christo, peculiariter autem de Ephesiorum in Christum fide; quem docet esse constitutum caput super omnem Ecclesiam.

C A P V T I.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI PER VOLVNTATEM DEI. Id est, voluntate & iussu Dei, non meis meritis ad apostolatam Iesu Christi vocatus & assumptus. Idem prorsus titulus 2 epist. ad Cor. nec non epistolæ ad Col. & 2 ad Tim. In prima verò ad Tim. epistola pro voluntate scrip sit imperium.

OMNIBVS SANCTIS QVI SVNT EPHESI. Omnibus, in Græco non est,

ET FIDELIBVS IN CHRISTO IESV. Eisdem dicit sanctos, & in Christo fideles; licet diuersa ratione: fideles in Christo, propter fidem qua in Christum credunt; sanctos autè, quia mundos à peccatis, vt pote sanctificatos in Christo. sicut dicitur in 1 Cor. 1. Porro qua ratione fideles omnes vocentur sancti, diximus ad initium epistolæ ad Romanos.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Subaudi, multiplicetur. Eadem salutationis forma quæ in omnibus epistolis præcedentibus ac plerisque sequentibus.

BENEDICTVS DEVS ET PATER DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, Expositum hoc est in 2 Cor. 1. Vtitur autem iisdem verbis Petrus in exordio prioris suæ epistolæ.

QVI BENEDIXIT NOS IN OMNI BENEDICTIONE SPIRITV. Nos quidem Deum benedicimus, quum eum pro beneficijs laudamus; ille verò nos benedicit, quum nos beneficijs afficit. Nam Dei benedicere, benefacere est. Proponit apostolus hoc exordio Dei beneficentiam erga omnes electos, eo ordine vt primum in genere de electis loquatur, deinde speciatim ad Iudæos, mox ad gentiles, ac nominatim ad ipsos Ephesios descendat. Sensus est: Laudetur & prædicetur à nobis Deus noster, idè quæ Christi Domini nostri pater, quod

multa & præclara dona spiritualia nobis contulerit. *Spiritualia*, id est ad vitã spirituale pertinentia, cuiusmodi cõsequenter ab apostolo enumerantur. Itaque *benedictionẽ spirituales*, velut nouo testamento propriã, opponit benedictioni terrenæ, quam promittebat veteri testamẽtu. Illud in omni cõtinet Hebraismũ, nam in præpositio redundat, & omne perfectionem magis quàm vniuersitatẽ significat. Quod vtrumque familiare est Hebræis.

IN CAELSTIBVS. Quinquies in hac epistola legitur in caelstibus, nec vsquã alibi. Nam & infra hoc capite dicitur: *Et constituens ad dexterã suã in caelstibus.* & c. 2, *Consedere fecit in caelstibus.* & c. 3, *vt innotescat principibus & potestatibus in caelstibus.* & c. 6, *contra spiritualia nequicia in caelstibus.* Ac nomẽ quidẽ illud, *caelstia* in his omnibus significat loca quæ supra nos sunt; sed non eadem est in omnibus verificatio, sicut per singula videndũ. Quod verò Theophylacti interpres modò vertit, in *supercaelstibus*, modò in *caelstibus*; quodq; Erasmus modò in *caelstibus*, modò *inter caelstes*; cum in eo quod Græcè scripsit Paulus *en tōis enragvtois* nulla sit diuersitas: absque ratione factũ ab illis. Libenter autem in hac epistola celorũ ac caelstium meminit apostolus; sicut & angelorum & principatũ & potestariũ, & virtutum & dominationum; eo quod de angelis, de quæ naturis caelstibus multa fabulosa & sanæ doctrinæ contraria traderentur à Simone mago eiusq; discipulis; & hæc præcipuè, Mundum ab angelis factum esse, non à filio Dei; eosdemque angelos, non autè Christum, esse mediatores, per quos necessariò purgãdi sint homines priusquam ad Deum perueniant. Cõtra quos errores apostolus, tam in hac epistola quàm in ea quam ad Col. scripsit, diligenter inculcat eminentiam Christi supra angelos; docens Christum esse ante omnia; & per eum omnia cõdita in caelis & in terra, etiã ipsos angelos. Item, Christum esse caput omnium, etiam angelorum; ac per eum reconciliari caelstia terrenis; denique religionem angelorum quam Simoniani introducebãt, quã nimirũ angeli relicto capite Christo colebantur, apertè damnans. De quibus suo loco dicendum erit. Hic sanè, quod ait, in *caelstibus*, connectendum videtur cū eo quod proximè

præcedit; & hunc sensum habere: Qua benedictione spirituali prouehimur ad cælestia, ubi caput nostrum Christus ad dexteram Dei constitutus est; sicut infra dicitur.

IN CHRISTO. Græci codices plerique legunt *Christo* sine præpositione. Verum Complutensis editio præpositionem addit. Pro qua lectione faciunt veteres interpretes tam Græci quam Latini, qui omnes partem hanc exponunt, tanquam dictum esset *in Christo*; ne quidem Ambrosiano excepto; nam et si textus eius ut nunc legitur, præpositione careat, commentarius tamen studiosè exprimit. Sensus autem expeditus est, *in Christo*, id est, per Christum nobis à Deo conferri quicquid habemus donorum spiritualium.

SICUT ELEGIT NOS IN IPSO ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM. Id est, secundum quod elegit nos per ipsum Christum, antequam mundus fieret, hoc est, ab æterno. q. d. effectus electioni respondet; præstat nobis Deus in tempore beneficia per Christum, quæ per eum se nobis daturum ab æterno decreuit. Illud *ante mundi constitutionem* Erasmus verit, *antequam iacerentur fundamenta mundi*; nimirum explicans vim Græcæ dictionis *καταβολῆς*, quasi dicas, in imo collocationem, fundationem. De qua vide plura apud Hieronymum; qui etiam ex hac parte subtiliter probat mundum ex nihilo conditum esse, non autem ex præiacente materia, quæ fundamenti loco esset, quemadmodum voluerunt antiqui hæretici. Sciendum autem hac phrasi *ante mundi constitutionem*, qua & alibi scriptura vitur, ut Ioan. 17 & 1 Pet. 1, significari æternitatem, eo quod ante mundum conditum nihil fuerit nisi quod æternum est. vnde euidenter ostendi videtur, ante mundi creationem quæ Gen. 1 describitur, angelicam naturam non extitisse. Porro alibi factum aliquid dicitur, à constitutione vel origine mundi, id est, à mundo condito, ut Matth. 13 & 25, Lucæ 11, Heb. 9, Apoc. 13 & 17. Quibus omnibus locis eadem est vox Græca *καταβολῆς*. Quæ etiam legitur Heb. 11, ubi noster vertit *conceptionem*. Cuius versionis eo loco rationem reddituri sumus. Iam ex eo quod ait *elegit nos in ipso*, bene probatur ipsam electionem seu prædestinationem nostram ac totius ecclesiæ esse per Christi meritum; licet id aliqui negent, & Caietanus particulam *in ipso* conetur aliò torquere: Sed refellitur per sententiam mox sequentem, qua idem sub nomine prædestinationis repetitur. Indigna sunt lectu quæ hîc pro suo nouo dogmate arrogatè inculcat Catharinus de duplici ordine saluandorum, contra sacras scripturas.

VT ESSEMVVS SANCTI ET IMMACVLATI IN CONSPECTV EIVS. Exponit effectum ad quem à Deo electi sumus, non totum quidem illum, sed quem consequimur in hac vita. Vbi notandum, non dicere apostolum, Deus elegit nos, quia etamus sancti; aut, quia in

eius præscientia futuri eramus sancti; sed *vt essemus sancti*: ne quis vel cum Origene putet animas antequam in corpora mitterentur, aliquid egisse in alia vita, propter quod eligerentur; vel cum Pelagio sentiat homines ex meritis eorum præuisis eligi à Deo. Annotarunt hoc Hieronymus & Primasius in commentarijs, & Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. 17, 18 & 19, atque alibi. *Sanctos* vocat apostolus mundos à peccatis, ut iam supra diximus: *Immaculatos* verò, Græcè *irreprehensibiles*, eos dicit qui sine crimine viuunt. Itaque *sancti* sumus per remissionem peccatorum, mentisque renouationem; *irreprehensibiles* per obseruationem mandatorum; quæ sunt duæ partes iusticiæ nostræ. Aliter quidè Hieronymus distinguit, sed hæc nostra distinctio conformior est phrasi Paulinæ & textui Græco, Græcorumque commentarijs. Addit autem apostolus *in conspectu eius*, significare volens de vera sanctitate & integritate vitæ se loqui; qualis iudicio Dei omnia cernentis probetur. Multi enim coram hominibus sancti sunt & immaculati, nõ coram Deo; siue per hypocritism; siue quod Dei iusticiam ignorent. Si quæras quomodo sancti & immaculati sumus, qui sine peccatis non viuimus: breuiter respondeo, secundum modum iusticiæ qui habetur in hac vita, sanctos & immaculatos dici, more scripturæ, eos, qui peccatorum accepta remissione sic deinceps ambulant in lege Domini, ut à grauioribus peccatis quæ mortalia dicuntur, abstineant. Arbitrantur nonnulli, Paulum dicentem nos à Deo electos ut in eius conspectu sancti simus & immaculati; voluisse notare familiam Simonis. q. d. Elegit nos Deus, non ut omne libidinis ac lasciuia genus studiosè confectemur, sicut docebat Simon; sed ut vitam agamus ab omni contaminatione puram & integram. *Non enim vocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem*, 1 Theff. 4. Hinc & in epistola ad Col. 1, similibus verbis vitur, in quibus: *Exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso*.

IN CHARITATE. Hanc particulam alij aliò referunt. Ambrosianus commentarius annectit ijs quæ proximè præcedunt; hunc faciens sensum: ut coram Deo sancti simus & immaculati, idque per charitatem qua Deum diligentes sanctam reddamus conuersationem nostram. Oecumenius refert ad verbum *elegit*; charitatem intelligens Dei erga nos. Similiter Thomas. At verò Chrysostomus, Theodoretus & Theophylactus adiungunt ei quod sequitur: *Qui prædestinavit* &c. Nam eius loco Græcè participium est præteriti temporis, pro quo Hieronymus & Ambrosianus legunt, *prædestinans*; ut proinde nulla sit in Græco sermonis incommoditas, quæ apparet in Latino si particula, *in charitate* sequentibus iungatur. Et hoc modo sensus est: Qui per charitatem qua nos dile-

xit, prædestinavit nos in adoptionem, &c. Hæc tertia expositio, quam etiam adducit Hieronymus secundo loco, magnam probabilitatem habet; cum scriptura passim beneficium prædestinationis & salutis nostræ ascribat charitati Dei patris erga genus humanum; ut Ioa. 3, *Sic Deus dilexit mundum* &c. Item Rom. 5 & 8. Et iterum hac epistola cap. 2, *Deus*, inquit, *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo*. Ratio quidem hæc etiam quadrat in secundam expositionem; sed illi non nihil obstat hyperbaton, quod per hanc Græcorum interpretationem facile euitatur.

5 QUI PRÆDESTINAVIT NOS IN ADOPTIONEM FILIORVM, PER IESVM CHRISTVM, IN IPSVM. vel *in sese*; est enim pronomen reciprocum, ex apostoli mente referendum ad illam partem, *in adoptionem filiorum*, quo declarat cuius filiorum; scilicet ipsius Dei prædestinantis: ut sensus sit; Qui æterno consilio & decreto prædestinavit nos per meritum Iesu Christi filij sui naturalis, ad illam eximiam dignitatem qua essemus ipsius filij adoptiui. Sic & Ioannes in euangelio: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. & 1 ep. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & simus*. Ex quibus etiam locis satis apparet, de ea adoptione quam in hac vita per gratiam consequimur, apostolum loqui; tametsi Thomas malit accipere de adoptione perfecta, quæ est futura vitæ; de qua Rom. 8 dicit idem apostolus, *nos ingemiscere adoptionem filiorum Dei expectantes*. Fortasse rectius ut vtramque adoptionem, tam perfectam quam imperfectam, generali nomine complexum fuisse apostolum intelligamus: est enim vna eademque adoptionis gratia, quæ nunc inchoatur ac proficit, & in futuro perficitur. Porro quomodo differant, & quem ordinem inter se habeant, electio, dilectio, & prædestinatio Dei, quæ tria hîc ab apostolo nominata sunt; requirat studiosus apud S. Thomam 1 qu. 23, art. 4. ubi rem istam eruditè explicat.

SECUNDVM PROPOSITVM VOLVNTATIS SVÆ. *Propositum*, Græcè *ἐνδοξίαν*, pro qua Hieronymus & Ambrosianus *placitum* legunt. Sed admonet Hieronymus rectius verti *beneficium*. Est autem Græca vox sacris literis peculiaris, atq; eodem Hieronymo teste primū à LXX interpretibus excogitata, qua significatum vocis Hebraicæ *Rafon* exprimerent. Et quamuis interpres noster hoc loco *propositum* verterit; alibi tamen ferè vertit *beneficium*, ut & paulò inferius hoc cap. Interdum autem eius loco, *bonam voluntatem* habet vulgata editio. Dicit ergo apostolus, Deum nos prædestinasse sibi in filios adoptiuos, non vllis meritis nostris prouocatum, sed ex mero beneficium suæ voluntatis. Nam, ut annotat Thomas, causa prædestinationis nostræ est purus amor ac voluntas Dei; non autem ali-

quid ex parte voluntatis nostræ præuisum à Deo: licet inter effectus prædestinationis ordo sit, secundum quem vnus ad alterum, ut gratia ad gloriam, tanquam meritum ad mercedem ac præmium, referatur. Sed ipsius gratiæ, quæ est primus effectus prædestinationis, non potest, inquit, aliqua ratio assignari ex parte hominis, quod sit ratio prædestinationis; hoc enim esset ponere quod principium boni operis sit in homine ex seipso, & non per gratiam; quod est hæresis Pelagiana, quæ dicit principium boni operis esse ex parte nostra. Sic ille.

6 IN LAVDEM GLORIÆ GRATIÆ SVÆ. Id est, in laudem & gloriam gratiæ suæ. Hæc enim alibi copulatiuè coniungit, ut Philip. 1, *in gloriam & laudem Dei*. & Petrus 1 ep. 1, *ut probatio fidei vestra inueniatur in laudem & gloriam & honorem*. & Ioannes Apoc. 19, *Laud & gloria & virtus Deo nostro*. Quod ergo hîc dicit ac teritiò repetit, laudem gloriæ, vel laudem gloriosam; Hebraismus est Igitur apostolus, sicut parte præcedenti causam assignauit efficientem nostræ prædestinationis, scilicet simplicem ac solam Dei voluntatem; ita nunc finale causam aperit, quæ est glorificatio diuine bonitatis. q. d. Qui prædestinavit nos ad tantam dignitatē, idq; eo fine ut ipse lauderetur & glorificetur in tanto beneficii gratia nobis collato; lauderetur, in quâ, & glorificetur non tantum à nobis tam ingenti beneficio affectis, verum etiam ab angelis canentibus gloriam in excelsis Deo. Cur autem non dixit *in laudem* iusticiæ suæ, sed tantum gratiæ? Respondet Thomas, quia iusticia ibi locum habet, ubi debitum inuenitur aut redditur; quod autem quis prædestinatur ad vitam æternam, non est debitum, ut dictum est, sed gratia purè gratis data.

IN QVA GRATIFICAVIT NOS IN DILECTO FILIO SVO. Græci, *filio suo* non addunt; tantum legunt *in dilecto*; quod Græcè non est *ἀγαπητός*. nomen verbale ut alibi, etiam filio Dei attributum, velut Deo patre dicente, *Hic est filius meus dilectus*; sed participium *ἀγαπηθείς*. Hieronymus quoque, quod in Latinis codicibus habetur, *in dilecto filio suo* negat scriptum esse ab apostolo, sed simpliciter *in dilecto*. Quare & verisimile est Hieronymum in sua vulgatæ versionis emendatione, partem illam *filio suo* è textu remouisse. Nam & Primasius tantum legit, *in dilecto*; admonens subaudiendum, *filio suo*. Sic legit & Sedulius. Porro Syrus interpres *per dilectum suum* vertit, nomine filij omisso. Ac sanè emphasim habet vocabulum *dilecti* singulariter positum; quemadmodum diligenter explicat idem Hieronymus, non tam ut significetur is qui ab omnibus sine exceptione diligitur, quod Hieronymus, & post eum Sedulius volunt: sed ille quem pater diligit & dilexit ab æterno, non propter alium aliumquem, sed propter ipsum, utpote filium suum naturalem, in quo perfecta est similitudo patris. Notandum etiam, pro Latino verbo *gratificauit*,

ificavit Græcè verbum esse, à quo participiū *gratificata*; quod Latinus interpres in salutatione angeli ad B. Virginem, dixit *gratia plena*: ut etiam hoc loco quædam excellentia gratiæ diuinæ in omnes electos diffusæ commendetur. Sensus: Per quod gratiæ beneficium nos sibi vehementer charos & acceptos reddidit; propter meritum eius quem ut filium suum naturalem singulariter dilexit. Locus hic contra sectarios notandus pro gratia & iusticia inhærente.

7 IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM PER SANGVINEM EIVS; Id est, per quem dilectum redempti sumus è captiuitate peccati, mortis ac diaboli; dato nobis in cruce precio sanguinis ipsius. Nam Græca vox propriè redemptionem significat qua captiuus, soluto pro capite eius precio, liberatur. Hoc autem precium nostrum apostolus declarat esse sanguinem dilecti, id est, filij Dei.

REMISSIONEM PECCATORVM. Hæc particula exponit quod dixerat *redemptionem*, eique apposituè coordinanda est; q. d. Habemus redemptionem quæ est remissio peccatorum. Per hoc enim quod peccata nobis remittuntur, redimimur a seruitute peccati; & consequenter à seruitute mortis ac diaboli, quibus per peccatum eramus obnoxij. Græcè quidem est *delictorum*, non *peccatorum*; sed his duobus vocabulis scriptura promiscuè passim vtitur.

SECUNDVM DIVITIAS GRATIÆ EIVS. Id est, non per merita nostra bona, quæ nulla erant, sed per abundantem gratiam eius; scilicet, *habemus redemptionem* &c. Hoc modo pronomen *eius* refert Christum, de quo præcessit *per sanguinem eius*. Verùm potest hæc pars per hyperbaton referri ad eum de quo dixit, *quod prædestinavit & gratificavit nos in dilecto*, ut verba media, (*in quo habemus redemptionem* &c.) parenthesim faciant, & cum Ambrosiano, Henteno & Erasmo legamus *gratia sua*, non *eius*; cum Græca possint vtroque modo verti. Ita sensus erit, Hæc fecit nobis Deus *iuxta diuitias gratiæ suæ*, id est, pro copiosa & profusa erga nos beneficentia sua. Hæc Græcorum est expositio, certè consentanea ijs quæ sequuntur.

8 QVÆ SVPER ABVNDAVIT IN NOBIS. Græcè *quam abundare* siue *exuberare fecit in nos*, pro quo alij verterunt, *de qua vbertim nobis impertiuit*. Græcum verbum etsi plerumque absolutum sit; ab ipso tamen apostolo etiam alibi transituè sumitur, ut 2 Cor. 9, *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vos*.

IN OMNISAPIENTIA ET PRVDENTIA. Dubium est vtrum nostram intelligi velit sapientiam & prudentiam, an Dei. De nostra quidam Ambrosianum secuti interpretantur, hoc pacto: quam gratiam copiosè in nos apostolos ac primos fideles effudit, vnà cum præclaris sapientiæ & prudentiæ donis. ut nimirum ad dona gratiæ credentibus collatæ per-

tinere etiam intelligantur varia charismata, de quibus 1 Cor. 12, inter quæ sermo sapientiæ & sermo scientiæ primo loco nominabantur; quasi prudentiam hîc vocet quam illic scientiam. Et c. 3 huius, meminit prudentiæ sibi tãquam apostolo competentis. & ad Coloss. c. 1 de ipsorum sapientia & intellectu spiritali loquitur. Ita ut hic sensus videatur probabilior. Alij putant apostolum hîc loqui *de sapientia & prudentia Dei*; quemadmodum & id quod supra dixit, *in charitate*, ostendimus de charitate Dei dictum esse. Sic autem intellectam hanc partem alij quidem connectunt cum eo quod præcedit, hoc sensu; Quam gratiam nobis elargitus est, mira sapientiæ & prudentiæ vsus in ea re. q. d. sapientissimè & prudentissimè id fecit. Alij verò referunt ad verba sequentia,

9 VI NOTVM FACERET NOBIS SACRAMENTVM VOLVNTATIS SVÆ. Pro quo Hieronymus legit, *Notum nobis faciens mysterium voluntatis suæ*. Nam in Græco participium est, sed quo præteritum tempus significetur; proinde commodius ita veritas, *Notificato seu patefacto nobis arcano voluntatis suæ*. Quæ pars coniuncta superiori, sensum hunc faciet: Deus summa sapientia & prudentia sua notum fecit nobis arcanum suæ voluntatis; id est, Elucer in huius mysterij reuelatione admirabilis Dei sapientia & prudentia. Quod quàm verum sit, satis idem apostolus declarat 1 Cor. 1 & 2. Postremam hanc distinctionem & sensum suggerunt Græcorum commentarij. Hieronymus vtramque distinctionem adfert, variosque sensus indicat; sed nihil certi definit. Potest autem inter sapientiam & prudentiam, ut ad Deum referuntur, ita distingui, quòd sapientia sit qua disponit ac præordinat, prudentia verò qua exsequitur. Cæterum Caietanus *sapientiam & prudentiam* non ad totum quod sequitur referendum putat, sed ad particulam, *sacramentum voluntatis suæ*, ut sensus & ordo sit: Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, quod mysterium est in omni sapientia & prudentia, id est, sapientissimè & prudentissimè dispositum à Deo. Qui sensus bonus est, sed constructio violenta. Nobis apparet re diligenter expenta, quod primo loco dictum est, magis esse ex mente apostoli. Vult enim apostolus primùm declarare quanta gratia in apostolos & alios ex Iudæis credentes effusa sit; ut deinde transeat ad commemorationem eiusdem beneficij gentibus præstiti, ac nominatim Ephesijs; quibus & à Deo similiter spiritum sapientiæ precatur in sequentibus. Inde enim colligitur, *sapientiam & prudentiam* etiam hoc loco ad homines referendam esse; & nomine duorum charismatum cætera comprehendere; eodemque pertinere quod sequitur, *Ut notum faceret nobis* &c. id est, reuelato nobis Iudæis sacramento suæ voluntatis. Nam & Ephesijs spiritu reuelationis huiusmodi infra exoptat à Deo,

videlicet

videlicet cupiens illos primis credentibus, omninò similes effici. Sensus hic admodum conuenit cum ijs quæ 3 cap. dicuntur. Eundem videre est apud Thomam doctè explicatum; nisi quòd ille de solis apostolis hunc locum interpretetur. Vocat autem apostolus consilium redemptionis ac salutis humanæ, sacramentum voluntatis diuinæ, id est, arcanam Dei voluntatem: quia paucissimis hominibus ante promulgatum euangelium, & quidem imperfectè, cognitum hoc mysterium fuerat; simul ut nomine *voluntatis Dei*, prorsus gratuitum insinuet esse beneficium, vtpote à sola Dei voluntate profectum.

SECUNDVM BENEPLACITVM EIVS; potius *sumum*, ut legit Hieronymus. Refertur enim ad eandem personam Dei patris; & sensus est, Deum huius tanti mysterij noticiam apostolis alijsque fidelibus Iudæis tribuisse, non propter illorum merita, sed quia sic ipsi placuit. Vbi nota, *beneplacitum* nunc ab interprete dici, quod paulò antè verterat *propositum*. Codex tamen Laudensis hîc habet *bonum placitum*.

QVOD PROPOSUIT IN EO IN DISPENSATIONE PLENITVDINIS TEMPORVM. Græca & Syra, consentiente Ambrosiano & Latinis quibusdam mss. legunt *in dispensationem*. Relatiuum quod, non sacramentum respicit, sed *beneplacitum*, ut ex Græco manifestum est; ita tamen ut *beneplacitum* pro re obiecta sumatur. Rursum illud *in eo* licet plerique referant ad dilectum, id est, filium; ex Græco tamen, ut nunc legitur, vertendum *seipso*; ut sensus sit: quod beneplacitum, id est, quam rem benigna ac liberali voluntate proposuit & constituit apud se, secretamque tenuit, vsque ad dispensationem plenitudinis temporum, id est, donec completa essent tempora quæ ad dispensationem siue executionè illius beneplaciti ac propositi, fuerat ab ipso præfinita.

10 INSTAVRARE OMNIA IN CHRISTO, QVÆ IN CÆLIS ET QVÆ IN TERRA SVNT, IN IPSO. Queritur quomodo instaurantur in Christo quæ in cælis sunt; hoc enim non nisi de angelis accipi posse videtur; atqui boni angeli cum lapsi non sint, instauratione non egent; mali verò post lapsum sine vlla spe instaurationis addicti sunt æternæ damnationi. Respondet Augustinus ench. 62 per Christum instaurari ea quæ in cælis sunt, quando id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. quam Theologi vocare solent instaurationem ruinæ angelicæ, quæ fit ex hominibus electis. Porro Hieronymus pro *instaurare*, legit *recapitulare*, quemadmodum legit & Irenæus, seu potius ex Græco reddidit eius interpres, lib. 3 aduersus hæreses cap. 18. Atque id propriè significat verbum Græcum *ἀνακεφαλαιώσω*; à quo etiam deducitur verbale nomen *anacephalæosis*, id est, recapitulatio, rhetoribus vsitata, quæ Hieronymus recordationem vocat, qua scilicet in summam colligit orator multa

quæ priùs dixit. Hieronymus igitur ad hunc modum exponit: Deum in Christo, tanquam in scopo ad quæ omnia referuntur, recapitulare, colligere, implere, non solum omnes historias in terra gestas, quas scripturæ commemorant, sed etiã quæ in cælestibus ante mundum conditum, etsi nobis sint occultæ. Verùm hic commentarius sapit Origenianum aliquid: Proinde longè probabilior est Græcorum interpretum expositio, quæ & Irenæi esse videtur; qui, seruata proprietate Græci verbi, sic locum hunc interpretantur. Quibus temporibus completis, Deus in Christo recapitularet vtraque, cælestia & terrestria; hoc est ad Christum, tanquam ad vnum caput, reuocaret angelos & homines; seu clarius, Christum constitueret angelorum & hominum caput. Id enim fecit quando constituit eum caput totius ecclesiæ quæ ex angelis & hominibus constat. Huic sensui congruit, quod in fine capituli dicitur: *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam*; cum paulò antè varios angelorum ordines enumerasset, supra quos Christum dixerat constitutum. Quoniam autem quæ vni capiti subijciuntur, connexionem & pacem inter se habent, velut vnius corporis membra; propter hoc Col. 1 dicit apostolus *Deum pacificasse per Christum quæ in terris & quæ in cælis sunt*. Obiter notandum, ex eo quòd Hieronymus mirari se dicit, cur in Latinis codicibus pro *recapitulare* scriptum sit *instaurare*; atque ex alijs eiusmodi locis quæ apud eundem auctorem occurrunt; satis euinci (quod & aliàs non semel admonuimus) versionem noui testamēti quam nos in manibus habemus, non eã esse, qualis ab Hieronymo vel edita fuit vel emendata. Quod demum addit apostolus, *in ipso*, id est, per ipsum, scilicet Christum, pleonasmus est Hebræis familiaris, inculcandi vim habens, quale illud psalmi, *Aaron quem elegit ipsum*.

11 IN QVO ETIAM NOS SORTE VOCATI SVMVS. Nos in Græco non exprimitur, nec Hieronymo legitur, & totum illud, *sorte vocati sumus*, vni verbo Græco respondet, quasi dicas, *sortiti sumus*, passiuè, pro quo Ambrosianus legit, *sorte constituti sumus*. Loquitur autem adhuc apostolus in persona eorum, qui sunt ex Iudæis; & sensus est: Per quæ Christum nos ijdè, scilicet Iudæi, sortem adepti sumus. id est, Per quem fors nobis obuēnit; intellige vocationis, adoptionis filiorum, hereditatis, aut quid simile. Conuenit autem maximè ut hereditatis fors intelligatur, de qua Hieronymus & Oecumenius exponunt; solet enim antiquitus sorte diuidi hereditas; vnde & à sorte nomen habet apud Græcos, & fortis nomine quandoque significatur in scripturis. Ipsum quoque Græcum verbum quo Paulus vsus est, apud 70 interpretes Isaia 17 actiuo genere legitur pro eo quod est hereditatem dare. Visum est autem apostolo diuinam electionem seu vocationem fortitionis vocabulo designare, non quòd temerè & absque ratione Deus alios præ alijs eligat aut

vocet, de quo mox sequitur, quod operatur omnia secundum consilium voluntatis suae; sed quia in ipsis electis nulla est causa cur eligantur praeter alios. Itaque sorte electi sunt & vocati, si ipsorum qualitas & merita considerentur; iudicio autem electi, si Dei sapientia cogitetur, quae nihil facit temere. Hanc rationem reddit Augustinus conc. 2 super psalmum 30 & alibi; nec non Thomas in commentario. Similis est locus Col. 1, *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*. Ne autem audita mentione interis, suspicetur quis casum aut fortunam interuenire in hominum electione, ideo subiungit,

PRÆDESTINATI SECUNDUM PROPOSITUM EIVS QUI OPERATUR OMNIA SECUNDUM CONSILIUM VOLUNTATIS SUAE. Id est, ad beneficia superius commemorata praedestinati ex proposito certoque decreto eius, qui non solum haec gratiae beneficia, sed simpliciter omnia quaecumque sunt, vi sua operatur, secundum deliberatam suam voluntatem. Propositum hoc loco non est *εὐδοκία* ut supra, sed *ἡθέλησις*; sicut & Rom. 8, *ipsi qui secundum propositum vocati sunt sancti*: qui locus a Pelagio peruersè tractatus, ex hoc loco vindicandus est, quemadmodum illic admonuimus. Porro verbum Graecum *ἐνεργῶν*, quo hic utitur, operationem significat efficacem. Itaque sentit apostolus Deum efficaciter operari salutem & totam iustificationem nostram, sicut vniuersa operatur, nimirum causalitate physica seu proprie dicta; quod imprudenter a quibusdam alioqui doctis negatur. Ex quo praeterea consequens est, non ex meritis, sed mera Dei voluntate nos praedestinari. Id quod etiam hoc loco dicitur S. Thomas annotat. Consilium autem Deo tribuit apostolus, non quo significet discursum rationis esse in Deo; sed quatenus ipsa ratio rerum agenda rum consilium dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis; uti declarat idem doctor, p. q. 22, art. 1.

VT SIMVS IN LAUDEM GLORIAE EIVS NOS QUI ANTE SPERAVIMVS IN CHRISTO. Significatur electionis seu praedestinationis causa finalis, scilicet laus & gloria Dei. Sensus est: Ad tanta bona praedestinati sumus a Deo, ut ipse in nobis laudetur & glorificetur, tanquam in opere suo, in quo insigniter reluceat eius bonitas & sapientia; in nobis, in qua, qui prius sperauimus in Christo, id est Iudaeis; adhuc enim ex horum persona loquitur. Dicitur autem Iudaei prius in Christo sperasse; vel prius quam Christus veniret, erant enim ante Christi aduentum in populo Iudaico multi Christum expectantes, quales Simeon iustus, Anna prophetissa; & ante hos reges & prophetae cupientes videre & audire ea quae Christi discipulis videre & audire contigit. Lucae 10: Vel prius quam gentiles in Christo sperarent, id est salutem a Christo expectarent. Qui posterior sensus apostolico scopo magis conuenit, quemadmodum ex sequentibus patebit. Hieronymus in commentario duos a superioribus diuersos adfert sensus; sed quorum

prior ad Origenis damnata dogmata rejiciendus sit; Alter vero, nimium longè quaesitus atque a praesenti instituto alienus.

13 IN QVO ET VOS CVM AVDISSETIS VERBUM VERITATIS, EVANGELIUM SALVTIS VESTRAE. Transit a Iudaeis ad gentiles, vocatione & fide posteriores, inter quos erant Ephesij. Hos igitur alloquens, commemorat diuinam etiam erga illos beneficentiam. Supplendum autem ex praecedenti sententia verbum, hoc modo: In quo Christo, vos etiam sperastis, non quidem olim, ut nos; eratis enim sine lege & prophetia; sed nuper sperare coepistis, cum ex nobis Christi ministris audissetis verbum veritatis, quod idem est euangelium salutis vestrae. Verbum apostolicae praedicationis vocat *verbum veritatis*; quia non nisi veritatem continebat, eaque diuinitus reuelata: vocat etiam *euangelium salutis*, quia bonum annuntiabat ac promittebat, non qualecunque, sed omnibus exoptatum, salutem scilicet ac felicitatem aeternam. Graeci codices eius non nihil hic variant in pronominiibus, ut videre est in annotationibus Erasmi, quae res etiam Caietanum fefellit; meliores tamen astipulantes Graecorum veterum commentarijs, nostram lectionem confirmant. Porro Hieronymus nihil hic supplet, sed redundare aliquid putat, nempe particulam *in quo* positam secundo loco. Verum sensus quem dedimus, planior est, & cum eo quod praecedit optime cohaerens; tamen sententiam Hieronymi non rejicimus, imò paulò post probabilem ostendimus.

IN QVO ET CREDENTES SIGNATI ESTIS SPIRITU PROMISSIONIS SANCTO. Signati, Graecè *obsignati*. Verbum dictum a sigillo, quo tabulae pactorum seu promissorum robur ac firmitatem accipiunt. Sensus est: Item per quem, scilicet Christum, postquam euangelio credidistis, obsignati estis Spiritu sancto, velut promissionis sigillo; id est, Spiritum sanctum accepistis, quae certa nota est, certumque testimonium vos esse filios Dei, ad quos promissa spectet hereditas. Sed quaeritur quomodo Spiritum sanctum acceperant. Nonnulli referunt hoc ad gratiam iustificationis exerentem se per bona opera apud Ephesios, ut conueniat hic locus cum illo Ro. 8, *Ipsè enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*. Sed verisimilius est apostolum loqui de charismatum Spiritus S. effusione super Ephesios; cuiusmodi erant dona linguarum, prophetiae, sanitarum, &c. Sic enim alium locum huic persimilem, qui est 2 Cor. 1, illic ostendimus intelligendum esse: Sic & Galatas ex virtutibus, id est, miraculis, apud eos factis, ostendit accepisse Spiritum sanctum, Gal. 3. Nec obstat quod istiusmodi charismata non sint certa signa gratiae adoptionis: nam etsi non quoad singulos in quibus apparebant, quoad ecclesiam tamen in qua vigeant, certa erant argumenta quibus Spiritus sanctus restituebatur illius ecclesiae membra filios esse promissionis. Vitari tamen poterit haec difficultas, si cum nonnullis alijs *spiritum promissionis* interpretemur spiritum promissum

credentibus,

credentibus, & ex promissione datum. Exstat enim ea promissio apud Ioëlem prophetam cap. 2, & a Petro apostolo Act. 2 allegatur. Porro si cui placet cum Hieronymo particulam *in quo*, velut redundantem, in sensu reddendo praetermitti; totam sententiam construat hoc modo: In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, eique credidissetis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto. quod enim interpretes vertit *credentes*, in Graeco praeteriti temporis est participium aequè ut illud *cum audissetis*, ideoque similiter vertendum; nisi quod defendi potest interpretis beneficio ampliationis logicis notæ. Sanè pro Hieronymo facit illud, *in quo*, bis superius positum pro eo quod est, *per quem*; ut consentaneum sit etiam hoc tertio & quarto loco similiter accipi; quod quidem fiet iuxta constructionem modò datam, qua utrumque *in quo*, tanquam vnum esset, refertur ad verbum *signati estis*; hoc sensu, Per quem Christum obsignati estis, &c.

14 QUI EST PIGNUS HEREDITATIS NOSTRAE. Pro pignore Graecè est *ἀρραβών*, *arrhabo*; & hoc modo potius vertendum censet Hieronymus, annuente Thoma. differt enim pignus ab arrhabone, quam vltatius arrham Latini vocant; quod arrhabo datur in emptione vel sponione, quo firma sit obligatio: pignus vero pro mutuata pecunia traditur, ut cum illa reddita fuerit, pignus recipiatur. Malè cõten dit hoc loco Faber Stapulensis relatiuum *qui* referre Christum, non spiritum, eo quod articulus relatiuus in Graeco masculini sit generis, spiritus autem neutri: rectè enim Caietanus obseruat relatiuum aliquando concordare non cum antecedente dictione, sed cum ea quae sequitur; id quod Graecis perquam familiare est. Cum ergo dicitio sequens arrhabo Graecè masculina sit, atque in suu genus praecedentem articulum trahat; nihil impedit differentia generis quo minus idem articulus Spiritum sanctum referat, consentiente etiam Graeco Oecumenio. Et quidem eò referri oportere, prorsus exigit locus ille similis, 2 Cor. 1, qui sic habet: *Qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Ipsum igitur Spiritum sanctum apostolus vocat & sigillum promissionis quo obsignati sumus; & pignus siue arrham hereditatis nostrae, id est, qua nobis confirmetur hereditas promissa, quae est vita aeterna. Hoc autem, sicut & illud, de Spiritu sancto dicitur ratione charismatum eius, quae tribuit credentibus: quae cum magna sint & multiplicia; cogitandum relinquatur quam excellens futura sit hereditas, in cuius arrham haec interim ecclesiae donantur; ut meritò exclamet Hieronymus, *Si arrhabo tantus, quanta erit possessio?* Querens cur hoc pignus siue arrha non reddat nos omnino certos ac securos adipiscendae hereditatis promissae; quippe cum ad hoc detur, ut confirmetur promissio. Nam eo argumento vtuntur inter alia, qui fidem specialem statuunt.

Primum respondeo, nec de ipso pignore accepto, id est, Spiritu sancto, quantum quidem ad donum charitatis attinet, quèq; fidelium esse planè certum. *Nihil, inquit, mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, 1 Cor. 4. Deinde, arrham ab eo cui datur, custodiri debere; tunc representandam, quando res promissa accipienda est; quod nisi fecerit, ius accipiendi amittet: quemadmodum & fit in sponionibus humanis. Quare nisi Spiritum sanctum pro pignore acceptum, quae seruauerit usque in finem excidet hereditate promissa. Non enim promittitur hereditas, nisi ei qui vicerit & custodierit usque in finem opera filij Dei; quae eadem sunt dona Spiritus sancti. Apoc. 2.

IN REDEMPTIONEM ACQUISITIONIS. Vetus editio tempore Hieronymi habebat *adoptionis*, quod corrigit Hieronymus docens ex Graeco legendum, *acquisitionis* seu possessionis; tamen si neutra voce vim Graeci vocabuli satis exprimi fateatur. *acquisitionis* etiam apud Ambrosianum legitur. Non malè autem Erasmus rem clarius exprimere volens utrumque coniunxit, *in redemptionem acquisita possessionis*: Sic enim & Petrus 1 ep. 2, Christi fideles vocat *populum acquisitionis*, id est, populum acquisitum a Christo in possessionem: Porro *redemptionem acquisitionis* alij intelligunt eam quae continuè agitur in hoc saeculo; alij referunt ad saeculi consummationem. Priores hanc partem construunt cum verbo *signati estis*; & huc faciunt sensum: In quo Christo, signati estis Spiritu sancto, varijs eius donis acceptis; per quod exercetur & paulatim completur redemptio populi, quem sibi Christus precio sanguinis sui (sicut dictum est supra) comparauit, acquisiuit & suum fecit. Nam redemptio quidem illa, quoad precij solutionem, semel facta est in cruce; fit autem & completur quotidie, dum possessio semel empta paulatim in singulis vendicatur. Posteriores vero proximè praecedentibus annectunt, hoc sensu: Qui spiritus est nobis arrha hereditatis, hoc est, vitae aeternae; idque in redemptionem acquisitionis, hoc est, quousque veniat tempus perfectae redemptionis ecclesiae, quam sanguine suo acquisiuit: nempe saeculo hoc finito, quando plenam adituri sumus hereditatem. Dico, *perfectam redemptionem*, sic ut nihil remaneat seruitutis, nec peccati, nec miseriae, morte ipsa penitus absumpta. Hic sensus & planior est & probabilior. Explicat enim arrhabonis officium, quod est, ad rei promissae possessionem perducere. Et fauet locus similis Rom. 8, ubi dicitur nos *primitias spiritus habentes, adoptionem filiorum expectare, redemptionem corporis nostri*.

IN LAUDEM GLORIAE IPSIVS; vel Christi, vel Spiritus sancti, vel Dei patris. Ad omnia enim haec referri potest *autis, ipsius*. Et quidem ad patrem bis antè relatum est; sed hic magis apparet ad Christum redemptorem referri oportere; nam tota hac postrema periodo Dei patris non est facta mentio.

Sensus

15 Sensus autem manifestus est ex superioribus.

PROPTEREA ET EGO AUDIENS FIDEM VESTRAM, QUAE EST IN DOMINO IESU, ET DILECTIONEM IN OMNES SANCTOS: Sensus: Cū igitur ex ijs quae dixi constet etiam ad vos pertinere beneficium electionis & vocationis diuinæ; idcirco & ego vester apostolus, audita fide vestra in Christo, & dilectione in omnes sanctos; id est, cū audissem fidem vestram quā me praedicante in Christum credidistis, integram esse, nec corruptam per falsos magistros, nec turbatam per mea vincula; cumque etiam audiuissem quanta dilectionis opera exerceatis erga omnes fideles:

16 NON CESSO GRATIAS AGENS PRO VOBIS. Id est, quā frequentissimè, & ut ita dicam, incessanter & continuè Deo gratias ago pro vobis. Gracissimum retinuit interpres, pro eo quod Latine diceret, non cesso gratias agere. Porro non ageret gratias apostolus pro fide & dilectione Ephesiorum, nisi vtrumque sciret eius esse donum cui gratias agit.

MEMORIAM VESTRI FACIENS IN ORATIONIBUS MEIS. Sicut gratias agit pro datis beneficijs, ita precatur pro ijs quae adhuc deerant, obtinendis. Quod procul dubio etiam est diuinæ gratiae certissimum argumentum respectu omnium eorū quae orando petuntur.

17 UT DEVS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI PATER GLORIAE. Ita cōnectitur cū superiori, in orationibus meis, quibus peto ut Deus, &c. Quod veteres tam Graeci quā Latini sic intelligunt: ut Deus Christi hominis, qui idē est pater gloriae, id est, author totius glorificationis. Neoterici verò quidam per hyperbaton verba transponūt hoc modo; Ut Deus gloriae qui est Domini nostri Iesu Christi pater; Deū gloriae phrasi Hebraea interpretantes Deū gloriosum. Placet haec constructio, quatenus ista coniungit, Domini nostri Iesu Christi pater. Id enim congruit stylo Pauli apostoli, qui multis locis Deum, Christi patrē appellat. Verūm ut Deus ad genitium distantem gloria referatur, incōsuetum & nimis violentū est hyperbatū. Vnde rectius fortasse, plana constructione sic exponetur: Ut Deus qui est Domini nostri Iesu Christi pater gloriosus, idēque gloriam suam filio communicans; secundum illud Philip. 2, quia Christus in gloria est Dei patris.

DET VOBIS SPIRITUM SAPIENTIAE ET REVELATIONIS IN AGNITIONE EIVS; vel sus potius, ut ad patrem referatur. Hoc enim postulat omnino sequens oratio, qua ad Christū transit tanquam diuersum, dum quibusdam interpositis, ait; Quā operatus est in Christo, &c. Porro coniunctio & expositiue sumitur: Est enim sensus; Ut Deus, nostrorum charismatū etiam vos Ephesios participes faciat, largiens & adaugens vobis sapientiā, qua ipsum, eiusque mysteria quae ratione humana percipi nequeunt, sed sola discuntur reuelatione diuina, cognoscatis. Hanc sapientiā vocat spiritum sapientiae & reuelationis, quia Spiritus sancti donum est.

18 ILLUMINATOS OCVLOS CORDIS VESTRI.

Gracē mentis vestrae. Quidam huic parti cōnectunt illud praecedens, in agnitione eius; hoc sensu: Det vobis oculos mentis illuminatos in vera cognitione sui. Nobis probabilius est hanc partem commate diuisam à superiore, ad sequentia respicere hoc modo. Det, inquam, vobis habere oculos intellectus vestri illuminatos, ad hoc,

UT SCIATIS QUAE SIT SPES VOCATIONIS EIVS. Id est, ut magis etiam ac magis cognoscatis quae & quanta sint bona ad quae ipse vos vocat, & quae vos iubet sperare. Spes enim pro re speranda more Hebraeo posita est, ut & alibi interdum. Vnde sequitur,

ET QUAE DIVITIAE GLORIAE HEREDITATIS EIVS IN SANCTIS. Id est, & quā opulenta, splendida, magnifica sit gloria caelestis, quae est hereditas sanctis, hoc est, fidelibus in Christo sanctificatis, tanquam filijs adoptionis ab ipso promissa.

19 ET QUAE SIT SUPEREMINENS MAGNITUDO VIRTUTIS EIVS IN NOS QUI CREDIMVS. Chrysostrōmus & Theophylactus hanc partē exponunt de virtute seu potētia Dei, quā vtitur in vocandis infidelibus ad fidem, & conuertendis ab omni viciōrum genere, quibus antē dediti erant, ad vitā verē Christianam; ad quam rem vtiq̄ potēti gratia opus est. Verū si contextū apostoli consideremus, magis apparebit eum loqui de futuri saeculi bonis, quae adhuc speranda restāt; id est, de beata resurrectione & gloria caelesti. Introducit enim resurrectionem & gloriam Christi, ut doceat nos sperare, quod eadem virtute Dei similiter resuscitādi sumus ad vitam immortalem & gloriosam. Id autem prosequitur sequenti capite, illis verbis; Deus autem qui diues est in misericordia, &c. Atque haec expositio est Ambrosiani commentarij, nec non Aquinatis & Caietani; quam & Oecumenius secūdo loco probat & explicat. Itaque sensus est: Item ut cognoscatis excellentem magnitudinem potentiae Dei, quam ostendet erga nos qui credimus euangelio, scilicet resuscitando nos ad vitam & gloriam, sicut Christum resuscitauit. Hoc enim est quod iam sequitur,

20 SECUNDVM OPERATIONEM POTENTIAE VIRTUTIS EIVS; QUAM OPERATVS EST IN CHRISTO. Graeca significant efficacem Dei operationem. Et sensus est: Quam virtutem erga nos declarabit efficaci operatione potentissimae virtutis seu fortitudinis suae; quam & in Christo efficaciter exercuit, q. d. Non minus erit potens Deus in resuscitando & glorificando nobis, atque fuit in Christo.

SVSCITANS ILLVM A MORTVIVS. Id est, cū suscitauit eum à morte ad vitam immortalem. participium enim Graecū praeteriti temporis est. Quum dicit apostolus, quod Deus suscitauit illum; non negat Christum à seipso resuscitatum esse, qui dixerat Iudaeis, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; Et alibi: Potestatem habeo ponendi animā

meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, Io. 2 & 10; sed de Christo secundū naturā assumptā Paulus loquitur; Ipse verò Christus in verbis ex euangelista citatis insinuatē voluit eam naturam quā habet cū Patre cōmunem.

ET CŌSTITVENS AD DEXTERAM SVAM IN CAELSTIBVS. Graecē, & cōstituit in dextera sua in caelestibus. Constituit, id est, collocavit, sedere fecit, ut legit Hieronymus; quomodo etiā interpres noster eandē vocem reddidit sequenti capite. Dicitur autē Christus à Deo patre collocatus siue sedere iussus ad dexteram ipsius in locis caelestibus: quia (prout hāc phrasim etiā illud Ro. 8 qui est ad dexteram Dei exposuimus) corporaliter & secundū humanā naturā eleuatus in caelū, qui est locus beatorū ac sedes Dei; proximā illic à Deo patre dignitatem, authoritatem & gloriam, quius possidet proximā dico, quatenus homo est; nam in quantum Deus, ab aeterno omnia habet eadem cum patre. Loquitur autem apostolus de Christo homine; sicut & Symbolū apostolicū & scripturā, quoties testantur Christū sedere ad dexterā patris. Hoc enim ei tribuūt post ascensionē, quando in caelum receptus, quietā supremā felicitatis ac dignitatis, qua omni creatura superior est, possessionē accepit. Vnde & patres passim ac disertè docent, humanā naturam in Christo collocatam esse ad dexteram Dei; ac nominatim in huius loci cōmentario Theophylactus & Theodoretus. Nec verò sic ad dexterā patris sedere Christus dicitur, quasi à patre collocatus honoratori loco; quod nefas est opinari; aut quod (ut quidā volunt) antiquitus dextera fuerit minus honorata quā sinistra, quod nō putamus absolute verū; sed haec sessio debet intelligi per quandam analogiam è rebus humanis, vbi rex in excelso ac medio throno residēs, eum cui primū post se honorē deferri vult, sedere iubet ad dexteram solij sui; & cui secundū, ad sinistram. Quae ratione & Salomon rex matrem ad dexteram suam sedere fecit; Reg. 2. Quāuis autem ista sessio dignitas Christo homini cōpetat potissimum propter vnionem hypostaticā, maximè post ascensionem eius manifestatam; hac tamen vnione circumscripta etiā ei competet, ut ex declaratione iam dicta patet. Hac de re plura vide si placet; in cap. i epist. ad Hebr. Porro, ne existimetur Christus quomocūque collocatus in caelestibus, quoniā in caelis mansiones multae sunt; simul ut explicetur illa Christi sessio ad dexterā patris; idē subiūgit,

21 SVpra OMNEM PRINCIPATVM ET POTESTATEM ET VIRTVTEM ET DOMINATIONEM. Nomina sunt ordinū angelicorum Deo ministrantium in caelestibus. Qui quomodo inter se & ab alijs ordinibus vel dignitate naturae & gloriae, vel officijs differāt, exquiritur à Theologis in 2 sent. dist. 9. Sed an inuenerint, affirmare non audeo; cū Hieronymus putet nec ipsum Paulū, ut in graui corpusculo constitutum; omnia caelestium ministeriorum vocabula enumerare valuisse, quāuis in caelum ra-

prus audierit verba quae nō licet homini loqui. Certè Hilarius, Augustinus & Bernardus ingenuè profitentur, horū proprietates & discrimina se ignorare; negantque ab homine cognosci posse in hac vita. Obseruant Graeci non dixisse apostolū deus, id est, supra, sed vnigenitus, id est, longè supra; ad significandam eminentem excellentiam Christi hominis supra omnem creaturam, quantumuis sublimem & excellentem. Iam nec improbabile est quod à nonnullis annatur, apostolum hac partē respicere poetas & Theologos Graecorum, qui de caelestibus indoctè ac temerè multa fabulabantur; praecipuè verò scholā Simōnis magi, quae principatus ac potestates & alia huiusmodi nomina angelorū tanquam mūdi principum, pro magna sapientia, cum fastu & auditorum admiratione inculcabat; ut referunt Irenaeus & Epiphanius. Contrā, docet apostolus veram esse sapientiā, si sciamus Christum hominem, dominum ac saluatorem nostrum, summa potestate accepta à Deo regnare supra omnem altitudinem etiam caelestium potestatum; quibuscunque tandem censeantur nominibus. Vnde & addit;

ET OMNE NOMEN QVOD NOMINATVR, NON SOLVM IN HOC SAECVLO, SED ETIAM IN FVTVRO. Nomen, ponitur pro re vel persona quae ratione potestatis aut dignitatis, cū fama nominari potest. Vult enim dicere apostolus Christū à patre euectum & collocatum supra omne quod in creaturis habet aut habere potest nominis celebritatē, idēque sine exceptione, siue in hoc saeculo, quod est hominum mortalium; siue in futuro, quod est angelorū immortalium. Vocatur autem futurū, non quod iā non existat, sed quia nobis futurum est, ait Primasius, nobis, inquam, qui per resurrectionē expectamus aequalitatem angelorum. Porro supra haec omnia Christus constitutus dicitur, nō modò situ corporis, verūm etiam ac multo magis super excellentiā potestatis. Eò namque pertinet quod sequitur.

22 ET OMNIA SVBIECIT SVB PEDIBVS EIVS. Graecē, sub pedes eius. Respicit apostolus ad versiculum psalmi octauī, qui mysticè cōpetit in Christū, ut certius liquet ex epist. ad Heb. 2, vbi disertè de Christo exponitur. Quod dicit omnia, praecipuè complectitur omnem intellectualem creaturam, tam angelicam quā humanam, cōprehensis etiam dæmonibus & hominibus impijs ac reprobis: ex consequenti verò etiā creaturā omnē intellectus expertē; quoniā haec tota propter intellectualem facta est. Quod autem ait, sub pedibus eius, perfectam significat subiectionem; sed quae aliter respectu bonorum angelorum & hominum, aliter respectu malorū accipi debeat; quē admodum id accuratè exposuimus in 1 ep. Cor. 15, vbi eadem haec verba habentur. Ex quo etiam loco, sicut & ex Heb. 2 perspicuum est non ita dictum esse, omnia subiecit sub pedibus eius, quasi id iam sit completum; Nunc enim, inquit, necdum videmus omnia subiecta ei;

Vide loca ad dist. 9. 2. Sentent.

sed à propheta quidem id scriptum esse propheticè, de re multo post futura; Paulum verò suis verbis id ipsum referre velut rem quæ iam impleti cœperit; & paulatim impleatur, perfectè autem implenda sit in sæculi consummatione; sic tamen, ut iam data sit Christo perfecta & suprema potestas, per quam omnia tandem sibi subiecturus sit. Quod quidem totum de Christo homine intelligendum: Christus enim ut Deus unà cum patre semper omnia subiecta habet. Sciendum est autem hac parte plus aliquid apostolum dixisse, quàm superiore; non solum quia sententiam fecit vniuersaliorem, dicendo *omnia*, verum etiam, ut à Græcis annotatum est, quod Christum declarat omnium esse dominum, utpote cuius pedibus subiecta sunt omnia, cum in verbis præcedentibus honore quidem & dignitate prælatum cæteris significauerit, non tamen dominandi potestate.

ET IPSVM DEDIT CAPVT SVpra OMNEM ECCLESIAM. Græcè, *super omnia, ecclesie*; ut ecclesie datiuus sit casus, atque hoc ordine proferenda sit sententia; *Et ipsum dedit ecclesie caput super omnia*. Suffragantur huic lectioni Hieronymus, Anselmus & Sviriacæ versio; nec non mss. quædam Latina. Annuat & Primasij textus ex parte; sic enim habet: *Et ipsum dabit caput omni ecclesie*. Græci suam lectionem variè exponunt, ut apud Theophylactum & Oecumenium videre est; sed maxime probabilis hic sensus: *Et ipsum qui est super omnia, dedit ecclesie caput*; id est, eum qui superior est omnibus & omnium dominus, sicut iam antè dictum est, peculiariter esse voluit ecclesie caput. Vbi non tantum significatur excellentia Christi; verum etiam magnitudo beneficii in ecclesiam collati à Deo, quod illi dederit ac præfecerit caput eminentissimum, scilicet illud quod potestatem ac dominium habet super omnia. Nostra lectio sensum habet planiorem; *Et ipsum fecit esse caput supra totam ecclesiam*. Dicitur autem Christus ecclesie caput, non ea solum ratione, quia regit ecclesiam, eamque sibi subiectam habet; hoc enim modo omnium caput est, quia omnia subiecta sunt sub pedibus eius: sed ex analogia capitis in corpore naturali, quemadmodum doctè Thomas explicat. Sicut enim caput non solum præest corpori, verum etiam influit ac diffundit in membra virtutem operandi; & cum illis eiusdem est nature: sic & homo Christus, non solum præest toti ecclesie, sed etiam influit in eam, occulto quodam modo, gratiæ suæ dona; & denique humanam cum ea naturam participat. Ex quo manifestum est Christum non per omnia sic esse caput angelorum, quomodo est caput ecclesie; de qua hic sermo est. Nam licet angelis præsit; non tamen eiusdem cum illis est nature participes. Quamquam ob priorem rationem apostolus Col. 2 Christum caput vocat etiam omnis principatus & potestatis; sed ob defectum al-

terius rationis nusquam legitur angelos esse membra Christi; sicut id multis locis scriptura de fidelibus hominibus testatur. Quidam illud *supra omnem ecclesiam*, distributiue exponunt; tam supra eam quæ regnat in cælis, angelos & beatas animas complectens, quam supra eam quæ militat in terris. Sed hoc præter mentem apostoli; qui sicut nusquam angelos vocat membra Christi, ita nec eos agnoscit corpus Christi. Hoc autem apostolus omni ecclesie de qua nunc loquitur, tribuit. Sequitur enim:

23 QVÆ EST CORPVS IPSIVS. Ecclesia tota vocatur corpus Christi, ut capitis, quia instar corporis naturalis varietate membrorum distincta, à Christo sibi per naturam humanam vnito, regitur & influxum accipit suarum operationum. Quo fit ut singuli fideles boni ac mali, quamdiu ecclesie adhærescunt, non solum membra dicantur ecclesie tamquam corporis; verum etiam membra Christi tanquam capitis. Quemadmodum enim, ut in commentario scribit Hieronymus, caput plurima sibi habet membra subiecta, è quibus sunt nonnulla viciosa & debilia; ita & Dominus noster Iesus Christus, cum sit ecclesie caput, habet membra, eos omnes qui in ecclesia congregantur, tam sanctos quàm peccatores. Hoc obseruandum propter nonnullos qui non audet fateri malos fideles esse membra Christi. Quod tamen haud obscure etiã alibi significat apostolus; ut I Cor. 6, cum ait; *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*; &c. Vide quæ ibi commentati sumus.

PLENITVDO EIVS, QVI OMNIA IN OMNIBVS ADIMPLETVR. Locus & per se difficilis, & propter ambiguitatē quæ in tribus est Græcis vocabulis; pro quibus ab interprete posita sunt *plenitudo, omnia, adimpletur*. Horum enim primum, & secundum, in Græco possunt & nominandi & accusandi casu accipi. Tertium autem, participium medium est ut vel actiue vel passiuè possit intelligi, qui implet, aut qui impletur. Nam significationem actiuam eius verbi, licet Hieronymus rejicere videatur; non esse tamen inusitatam Græcis authoribus ex Platone & Xenophonte doceri potest. Sanè Græci interpretes Theophylactus & Oecumenius secundum utramque significationem locum hunc exponunt. Actiue quidem, hoc modo: *Quæ eadem ecclesia est plenitudo & complementum eius*, sicut corpus est complementum capitis, membra illi suppeditans: *Eius, inquam, Christi, qui omnia in omnibus adimplet*, vel ut homo, quatenus influxu suo totum ecclesie corpus perficit, alias alijs membris operationes & officia distribuens; vel ut Deus, quatenus omnia quæ sunt, spiritu suo replens, conseruat & regit. Passiuè autem, subintellecta præpositione *κατὰ* more Attico, ad hunc modum: *Quæ ecclesia tanquam corpus sui capitis, complementum est eius*, scilicet Christi, qui secundum omnia, seu quoad omnia, in omnibus sui corporis membris adimpletur. Nisi

enim

enim esset hic quidem, pes eius; ille verò, manus; alius autem, aliud membrum; & hæc omnia proprijs officijs distincta: non perficeretur Christus secundum rationem capitis, quia non haberet integrum & consummatum corpus. Huius sensus etiã meminit Hieronymus, tametsi is mauiit hæc partem in Deum patrem interpretari; quod & Theodoretus facit. Vtriusque argumentum est ex eo quod I Cor. 15 simili sermone de Deo patre dicitur, *ut sit Deus omnia in omnibus*. Secundum hos igitur sensus est: *Eandem ecclesiam quæ Christi corpus est, esse plenitudinē eius scilicet Dei patris*; qui hic quidem secundum inchoationem, perfectè autē in futuro sæculo, *est omnia in omnibus*; ut sicut ipse in se perfectissimus est, ita & in electis suis perficitur complemento virtutum, quæ tunc omnes in omnibus absque villo defectu futurae sunt. Sed an hic sensus cõgruat verbis epistolæ ad Corinth. merito dubitatur; proinde ut alias expositiones quæ adhuc adferri possent, prætermittam, maximè placet quod secundo loco dictum est.

S V M M A R I V M.

Docet nos natura ira filios gratia Christi per fidem saluari; & gentes quæ erant sine spe salutis, factas esse participes promissionum Dei, per Christum, qui ex ambobus populis fecit unum; in quo, tanquam angulari lapide, superadificantur.

CAPVT II.

ET VOS, CVM ESSETIS MORTVI DELICTIS ET PECCATIS VESTRIS. In Græco, *vestris* non legitur. Est autem oratio perpetua cū superioribus; vbi cū dixisset quid in Christo Deus operatus sit, hic iam, continuato sermone, declarat quid in nobis qui membra Christi sumus, per gratiam suam operetur. Pronomen *vos*, Græcè *υμεις*, quarti casus est; cui demum, post logum hyperbaton, pronomine repetito, sed in primâ personam mutato, redditur suum verbum à quo regatur, imò verba; *conuincant & conuersificiant, & confedere fecit*. Et quidem in quibusdam codicibus mss. atque in textu Pelagij verbum *conuincant* huc translatum est, & *vos conuincant*, &c. Cæterum huius tanti hyperbati causa non tam in scribendi imperitiam, quàm in vchementiâ spiritus apostolici referenda est; quo cõpulsus est multa interponere, priusquam ad exprimendū verbū à quo pendebat initium periodi, perueniret. Id quod etiã magnis oratoribus contingit. Porro cū apostolus alibi vocabulis delicti & peccati promiscuè utatur, hic tamen quia utrumque posuit, discernere ea videtur. Testatur autem Hieronymus, Græcum *κατὰ τὰ ἁμαρτία*, quo delictum significatur; propriè verbū esse scripturariū. Idem inter delicta & peccata putat hoc interesse; quod delicta quasi initia peccatorū

sint, cum cogitatio tacita subrepat, nobis quidē aliqua ex parte cõnientibus, necdum tamen impellens ad ruinam. Peccata verò, dum cogitatio peruenit ad opus. Intellige quoad consensum. Augustinus questione 20 super Leuit. ita distinguit, ut peccatum sit perpetratio mali; delictum, desertio boni. Postea verò; *Potest*, inquit, *etiam videri illud esse delictum, quod imprudenter (id est ignoranter) illud peccatum, quod ab sciente committitur*. Atque hoc discrimen deinde probat ex psalmis 18 & 68. nec nou ex illis apostoli verbis Gal. 6. *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto*. Quod cum ita sit, verisimile est etiam apostolum hoc loco discrimen huiusmodi spectasse. Nam certè Hieronymi distinctio non cõuenit; non solum quia dicit apostolus *mortui delictis*, de quo mox agemus; sed quoniam, ut sequentia probant, de peccatis loquitur pleno consensu perpetratis; cuiusmodi ferè erant omnia infidelium peccata. Iam quaeritur qui dicantur apostolo *mortui delictis & peccatis*. Neque enim sic accipi posse videtur hæc phrasîs, quemadmodum in illa sententia Roman. 6, *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuamus in illo*? cum res magis hic exigat contrarium sensum, Proinde quidam siquæponunt, cum essetis morte digni propter peccata. Alij verò plerique tam Latini quàm Græci hoc modo; Cùm essetis spiritu mortui in delictis & peccatis, siue per delicta & peccata; nimirum ut causam formalem mortis vestræ spiritualis. Peccatum enim mors est animæ. Quam expositionem confirmari putant ex altero loco qui huic simillimus est Col. 2, *Et vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuincant cum illo*. Nam & hoc loco nomina *delictis, & peccatis*, accipiunt ablatiuo casu, non datiuo: tametsi quæ in Græco respondent, datiuus casus sint. Græci quippe datiuo pro ablatiuo, quo penitus carent, ad causam significandam vtuntur, non addita præpositione *in*; nisi vbi Hebraismus retinetur. Nam quod habetur Col. 2 *in delictis*, Græcè cum præpositione legitur. Veruntamen sciendū est hoc loco Græca sic habere, *κατὰ ἁμαρτίας ὑμῶν νεκροί*. Similiter infra post hyperbatum, *κατὰ ἁμαρτίας ὑμῶν νεκροί*. Qui sermo præsens tempus significare videri queat, ut Latina sic vertas: *Et vos cum sitis mortui*; vel potius, *Et vos qui estis mortui*. Sic enim paulò inferius, *ὁ Θεὸς ἀποστολὴν ἔδωκεν ἐν ἐλέει, Deus qui dicitur est in misericordia*. Proinde sensum arbitrari licet hunc esse; Et vos qui iam estis mortui peccatis & delictis vestris, id est, non amplius ijs viuentes, nihilque cõmerciij cum illis amplius habentes (hoc enim est apostolo, peccatis mortuos esse) *conuincant Christo* &c, ut infra versu 5. Significatur autem ordo nature inter hæc duo, peccato mortuum esse, & Christo conuincantur; Estque allusio ad baptismi caritatem, in qua prius esse immergi, id est, mysticè, mori peccato; postertus emergere, id est, ad vitam iusticiæ exurgere; quem-

B

admodum

admodum philosophatur apostolus Rom. 6. Ita que nihil verat istam phrasim, *mortuum esse peccatis*, hinc accipi, quemadmodum illic, ubi dicitur, *Qui mortui sumus peccato* &c. Quin potius hic locus ex ijs quæ loco memorato ad Romanos à Paulo differuntur, exponendus & illustrandus videtur; speciatim ex illa sententia versus 11, *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse* (νεκρὸς μὲν εἶναι) *peccato, viuētes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*. Sēsum hunc, etsi verbis obscurioribus, tradit Caietanus: qui licet probabilitatem habeat ex his quæ allata sunt; tamen non facilē à communi Græcorum & Latinorum expositione prius data, recedendum est. Nam quod in duobus huius capitis locis, reperitur participium præsentis temporis *viuētes*, id nihil vrget. Extēditur enim ad tempus præteritum, propter verbum principale propositionis, quod illius temporis est. sicut cum dicitur in euangelio, *Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto*. Nec enim iacebat in lecto tunc quum hoc scripsit euangelista, sed tūc quando offerebatur Domino. Ita & his locis, non est necesse accipi istos uisus mortuos peccatis tunc quādo ista scripsit apostolus (quod hæc Caietani expositio præsupponit) sed tūc quādo eos Deus per Christū uiuificauit, & Christo cōresuscitauit. Ideoque non est necesse hæc loca accipi ad eum modū quo illa quæ sunt ad Rom. c. 6, v. 11. Nā communi huius loci expositioni quadrat quod legitur ad Coloss. cap. 2, v. 13. & probè cohæret quod sequitur;

IN QUIBUS ALIQUANDO AMBVLASTIS SECUNDVM SÆCVLVM MVNDI HVIVS. Ac si dicat; Mortuos peccatis & delictis, in quibus aliquando uixistis. Hoc enim est, *in quibus aliquando ambulastis*, conuersati estis, uitā uestrā præteritam egistis, id quæ, *secundū præsens sæculū*, hoc est, tantū seclantes huius sæculi bona, scilicet tēporalia & carnalia, nec ullam habētes curā, imò nec noticiā bonorū futuri sæculi. Quod utrumque; nominat *sæculum & mundum*, cū sufficeret alterū dixisse: Nā in scriptura noui testamenti, passim pro eodē sumuntur hæc duo. Itaque; pleonasmus est Hebræis uisus, qualis infra c. 6, *In potentia uirtutis eius*. Item, *mundi huius*, scilicet qui *totus in maligno positus est*, Io. 5. Sequitur enim de maligno,

SECUNDVM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HVIVS. Id est, secundū instinctum, suggestionē, uoluntatē diaboli, qui est princeps potestati aëris huius caliginosi, nobis proximi: hoc enim est quod infra c. vlt. dicit, *tenebrarū harum*; & iterū, *in celestibus*. Qui sensus eo loco plenius explicabitur. Sciendū tamē in Græco nō addi demonstratiuū *huius*; ideo fortasse quod scriptura nusquā de alio aëre loquatur, quā de eo in quo nos uersamur. Græcæ lectio-ni cōsonat Hieronymi textus. Potestati, Græcè ἐξουσίαν, ad personā referimus; sic enim & superiori cap. in enumeratione ordinū angelicorū sumebatur, & rursus vlt. cap. nec nō Col. 1 & 2. id quæ; nunc singulari numero, nūc plurali

expressum. Quocirca non placet quod Erasmus paraphrastice vertit; *iuxta principem cui potestas est aëris*. An autem, & qua ratione demones in aërem & inferiorem hunc mundum potestatem habeant; alibi disputandum.

SPIRITVS, QUI NUNC OPERATUR IN FILIIS DIFFIDENTIÆ. Spiritus genituum est: Græcè, τὸ πνεῦμα. Quod nonnulli appositiuē iungūt cū dictione aëris hoc sensu: Qui aër est spiritus; siquidē in scriptura uenti spiritus uocatur, à spirādo. Sed repugnat quod sequitur: *Qui nunc operatur in filiis diffidentiae*. Hoc enim in aëre nullo modo cōpetit, sed in demones, qui & cap. ultimo uocatur *spiritualia nequicia in celestibus*. Alij proinde posteriore genitiuū regi putāt à priori, *spiritus ab aëris*; ut aër spiritus seu spiritū dicatur, quod in eo degāt spiritus maligni; quomodo uocatur terra barbarorū, in qua barbari degūt, & celū beatorum, in quo beati. Sanè probabilius existimo (quod indicat B. Tho.) genitiuū *spiritus* ad eandē dictionem regentē oportere referri, ad quā genitiuus *potestatis*; ut tam in posteriori genitiuo quā in priore sit heterosis numeri, & posterior pars sit prioris expositio; uidelicet hoc modo: *Secundum principem potestatum aërearū*, id est, *principē spiritū malignorū, qui nūc operantur in filiis diffidentiae*; hoc est, efficares sunt (Græcè ἐνεργεῖτες) magnum habent successum suarū tentationū ac suggestionum ad omne peccatorū genus in hominibus incredulis, qui fidei cōtumaciter resistūt, nec persuasionē eius admittunt. Hos enim Hebræa phrasī uocat *filios diffidentiae*, ἀπιστίας, quā interpret Ro. 11 & alibi vertit incredulitatē; cū Græca uox sonet imperuasiuilitatē. Cyprianus legit, *in filiis contumacibus*. Addit autē apostolus tēporis aduerbiū *nunc*; uel ad designandū tempus huius sæculi, uel potius, quia ante prædicationē euangelij, locū non habebat huiusmodi incredulitas seu cōtumacia; Domino dicente Io. 15, *Si nō uenissē & locutus fuissē eis; peccatum non haberent*. Cæterū cautē legendus hoc loco cōmentarius Caietani, qui ex occasione præsentis loci malè intellecti, nescio qua temeritate & doctrinæ inconstantia, recedens ab eo quod olim super summā Theologicā S. Thomæ docuerat, quod quæ; ut ita dicam, tora ecclesia tenet, ita scribit: *Crediderim ego demones esse spiritus aëreos; & id consonare ueræ philosophiæ rationi; ut quemadmodum inuenitur uentium sine sensu; & sensuum sine secundū locum motu; & intellectuum sine secundum locum motu: ita inueniatur secundum locum motuum sine sensu; quod est ponere huiusmodi aëreos spiritus, constantes ex intellectu & secundum locum motu. Et est sermo*, inquit, *de motu progressiuo absque sensu*. Et sententiam suam explicans subiungit: *Verum appellatione aëris non intelligo elementum aëris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum, corpus simplex ac incorruptibile, natum moueri localiter ab anima, ad omnes differentias positionis, absque repugnantia aliqua ex natura corporis; sicut*

corpus

corpus aëste natum est moueri circulariter in ea uelocitate quā à sua anima mouetur, absque aliqua repugnantia, ut Peripatetici tradunt. Hæc ille. Quæ nobis hinc ascriptis sufficit; nam refutat uerò philosopho & Theologo non est difficile.

3 IN QUIBUS ET NOS OMNES ALIQUANDO CONVERSATI SUMVS IN DESIDERIIS CARNIS NOSTRÆ. In quibus, uerbi potest, inter quos, quemadmodum habet Ambrosianus, id quæ; secutus est in sua uersione Erasmus. Hoc modo sensus est, *Inter quos filios diffidentiae nos omnes aliquando fuimus conuersati*, nepe quotquot etiam ex Iudæis ad Christi fidē cōuersi sumus. q. d. Nos etiam aliquādo ex illorum numero fuimus. Verū non apparet filios diffidentiae iuxta superiorem expositionē tam latè parere, ut dici possit in eorū numero omnes aliquādo fuisse; pauci enim fidelium ante cōuersionem resisterāt euangelio contumaciter. Itaque; longè probabilius est, eo sensu nunc dicere apostolum, *In quibus aliquando conuersati sumus*, quo paulò antè dixerat: *In quibus aliquando ambulastis*, scilicet *in delictis & peccatis*; cuius explicatio est quod sequitur, *in desiderijs carnis nostræ*. Neque argumentū Ioānis Gaignei, quod huic expositioni opponit, sumptū ex genere, mouere nos debet: quia *in oīs* refertur per syllepsin ad utrumque simul, *in oīs desiderijs carnis nostræ, & in oīs delictis*. Tale igitur est quod apostolus dicit: *Quū dico uos in peccatis aliquādo ambulastis*; nō excludo me aut meæ gentis homines: nā & nos omnes tā Iudæi quā Græci priusquā ueniremus ad Christū, in delictis & peccatis uitā egimus, sequētes desideria carnis, id est, prauæ cōcupiscētiæ nostræ. Sic Ro. 3 cōcludit Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse; iuxta quod scriptum est: *Omnes declinauerūt*: & Titī 3, *Eramus*, inquit, *aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs &c.* eodē pertinet adhuc quod sequitur,

FACIENTES VOLUNTATEM CARNIS ET COGITATIONVM. Græcè *uoluntates* plurali numero; id quod in nonnullis etiā Latinis mss. reperitur. Atque ita legunt Hieronymus & Primasius; quorū ille eam lectionem etiam in cōmentario inculcat. *Uoluntates* autē intellige cupiditates ac desideria. Pro genitiuo *cogitationum*, Græcè διαλογισμῶν, idem Hieronymus legit *mentium*, tamen si fatetur in Latinis codicibus haberi *cogitationum*, atqui textus Ambrosianus habet, *conscientiarum eius*, scilicet carnis. Sed hoc Græcæ scripturæ nō est consentaneū. Est autē idem in Græco uocabulum, quod in cantico Virginis, *Dispersit superbos mente cordis sui*; quod alij clarij uertunt, *cogitatione cordis eorum*. Distinguunt autē Hieronymus & Græci inter uoluntates carnis, & mentium, quod carnis uoluntates dicantur quæ incitant ad carnalia peccata, gulam, ebrietatē, impudicitiam &c. *Mentium autē uoluntates* quæ pariunt peccata spiritualia; ut inuidiam, superbiam, uindictam, hæreses & alia huiusmodi. Sensus hunc

facilē etiam nostra lectio recipit, si cū S. Thoma uoluntates cogitationum distinguamus contra uoluntates carnis; ut nimirum illæ, cogitationes intelligantur, quæ nō ex sensibus carnis ortum habēt, sed solū ex ipso appetitu intellectiuo; cuiusmodi est cogitatio honoris, aut excellentiæ consequēdæ, & aliorum quæ supra dicta sunt.

ET ERAMVS NATVRA FILII IRÆ SICVT ET CÆTERI. Illud *naturā* quidā uerterūt *prosum*, siue *omniū*, quæ admodum affirmat Hieronymus. Cæterū Theophylactus & Oecumenius uolunt idē esse quod uerè ac germanè. Cæterū Augustinus alij; Latini eum secuti, naturā intelligunt natiuitatē, uel quod eodē redit, naturā ipsam non qualis in primō homine cōdita est, sed qualis per eius transgressiōne facta à singulis nascendo accipitur. Vnde & hunc apostoli locū uolunt unū esse ex præcipuis quibus doceatur omnē hominem nasci in peccato originali. Augustini loca sunt, Ser. 14 de uerbis apostoli, lib. 1 retract. cap. 10 & 15, & passim contra Pelagium. Sic & Prosper lib. 1 de uocatione gentiū cap. 18, & Fulgērius de fide ad Petrum cap. 26, & Beda in collectaneis super hanc epistolā, ubi ex Augustino complura testimonia depromit. Sed & Hieronymus in cōmentario sensum hūc latè profertur. Nec uerò alius intellectus magis cōgruit. Primum, quia in Græco non est uocabulum quod propriè filios significet, tāquam filij iræ dicantur homines irriterantes, id est, iram Dei prouocantes; sicut paulò antè dicti sunt filij diffidentiae, id est, homines increduli: sed Græcè est *πνεῦμα*, quæ uox natiuitatem seu partum expressius importat. Deinde, quia Græci textus hic est ordo: *Et eramvs filij naturā iræ*, q. d. filij (quod ad naturam attinet) iræ, id est, filij naturales iræ; ut filios naturā opponat apostolus ijs qui filij dicuntur adoptione, quales sunt homines post natiuitatem. Adde, quod apostolus hæc scribit in persona Iudæorum, quorum plerique iactabant se esse semē sanctum, utpote filios Abraham, sicut habemus Matth. 3 & Io. 8. Gentiles uerò quod ex parentibus idololatriis essent progeniti, tanquam ex natiuitate peccatores & immundos aspernabantur. Vnde & illi cæco, quasi gentili, maledicebant; dicentes, *In peccatis natus es totus*. Io. 9, utique reputantes sese non esse natos in peccatis. Igitur ad huiusmodi factum reprimendum, aptissimè dicit in eorum persona apostolus; *Eramvs naturā filij iræ, sicut & cæteri*. ubi suppleendum ex superiori parte, signum uniuersale omnes; ut sensus sit, Et nos Iudæi, perinde ut cæteri homines quos præ nobis contemnere solemus ob generis nostri sanctitatem, omnes eramvs aliquando iræ diuinæ obnoxij, & quidem ex ipsa natiuitatis originē, qua naturam à parentibus accepimus. Iram hanc diuinam ita explicat Augustinus, tractatu 44 in Ioannem, *Si filij iræ, ergo filij uindictæ, filij pœna, filij gehenna*. Porro quoniam iusta est

ira Dei; manifestè iam consequens est ex hoc loco, omnes homines in peccato nasci. non enim irascitur Deus nisi peccato.

4 DEVS AUTEM QUI DIVES EST IN MISERICORDIA. Orationem huc usque suspensam colligere iam incipit, ac paulò post absoluit. Itaque Hieronymus coniunctionem *autem* existimat redundare. Deum apostolus *diuitem in misericordia* vocat, quia thesaurus bonitatis ac misericordiae eius inexhaustus est, etiam quoad effectum: nunquam enim obliuiscitur misereri. Potest autè etiam sic verti ex Græco, *Deus autem cum dives esset in misericordia*; vt clarius significetur causa beneficij præstiti, non ex parte nostra, sed Dei; sicut apertius significatur in eo quod sequitur,

PROPTER NIMIAM CHARITATEM SVAM QVA DILEXIT NOS; *Nimiam* Græcè *multam*. Et sic legunt Hieronymus & Ambrosianus. Porò Dei charitas, per se immensa, vocatur in scripturis magna aut multa; propter magnitudinem vel multitudinem beneficiorum quæ ab illa immensitate charitatis Dei in nos prosuunt: præcipuè verò Dei charitas erga nos in eo commendatur, quòd sicut Ro. 5 docet apostolus, cum peccatores & inimici essemus, nos sibi per mortem filij sui reconciliauerit. Idem docet verbis hinc sequentibus;

5 ET CVM ESSEMVVS MORTVI PECCATIS. Græcè, *delictis*. Quod quia hinc solum ponitur; accipiendum non vt à peccatis distinguitur, quemadmodum supra, sed generali significatione. Coniunctio *&* non est superflua, vt cupiam videri potest: Nam, secundum eos qui mortuos peccatis interpretantur de morte animæ per peccata, vult apostolus commendare misericordiam Dei dupliciter; & ex parte ipsius Dei multum nos diligentis, & ex parte nostra, qui iacebamus mortui & sepulti in peccatis. Iuxta sensum verò superius versu I à nobis ex Caietano allatum, *&*, pro *inquam*, positum est. Repetit enim, post hyperbaton, id quod illic dicere cœperat: ac si dicat; Nos, inquam, mortuos ià peccatis per baptismum. Hæret vtrius intellectui id quod sequitur:

CONVIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO. Græcè tantum est, *conuiuificauit Christo*. Nam pronome *nos* paulò antè expressum est. Multa verò Latina exemplaria legunt absque præpositione; *conuiuificauit nos Christo*. quibus & volunt Hieronymus ac Primasius. Et Hieronymus quidem clarè sic exponit, *uiuificauit nos cum Christo*. Sic etiam legitur Col. 2, *conuiuificauit cum illo*, nempe Christo: vt sensus sit; *vnà cum Christo viuere fecit*. Quod intellige de vita iusticiæ, quæ nobis peccato mortuis datur in baptismo; quæque per Christum ex morte rediuuum fuit quodammodo repræsentata. Hoc enim est in typo ac mysterio cõiuuificari Christo (quæadmodum id luculentè declarat apostolus Ro. 6) *vt quomodo Christus surrexit à mortuis; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Nam, inquit, *si mortui sumus*

cum Christo; credimus quia simul etiam viuemus cum Christo. Ac rursus ex èplo mortis & resurrectionis Christi proposito; *Ita & vos, existimate vos mortuos quidem esse peccato; viuentes autem Deo in Christo Iesu*. Nonnulli partè hæc de vita gloriæ quæ in spe iam habemus, exponunt. sed de vita iusticiæ sensus potior est: què & locus exigit huic similis, Col. 2, eudemque confirmat quod sequitur.

(CVIVS GRATIA ESTIS SALVATI) *Quis* in Græco non additur, nec est apud Hieronymum; eoque magis hæc sententia parenthetica est; quam vt ait Theophylactus ex affectu in medium apostolus protulit; demiratus ineffabile donum Dei. Sed de hoc plura paulò inferius, vbi plenior habetur eadem sententia. Cur autem dixit, *estis saluati, non sumus*; cum cætera in prima persona loqueretur: Caietanus rationem dat ex eo quod Rom. 13 Paulus docet Christum fuisse ministrum circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum; quasi per hoc gentium salus magis gratuita sit quam Iudæorù; vt pote non promissa. Verum quia paulò post apostolus suam sententiam ita explicat, vt sit omnibus qui saluantur, communis: idcirco potius hæc repentina personæ mutatio tribuenda videtur affectui ipsius apostoli erga Ephesios, quibus, vt discipulis suis, singulariter commendatum esse voluit beneficium gratiæ Dei.

6 ET CONRESVSCITAVIT, ET CONSEDERE FECIT IN CAELSTIBVS IN CHRISTO IESV. Id est, vnà cum Christo nos resuscitauit; & simul cum eo sedere fecit in caelstibus locis; idque per Christum Iesum. Est enim notandū quod præter extremam particulam, *in Christo Iesu*, datius Christo hinc repetendus est ex membro superiori; sic, *Et conresuscitauit Christo, & consedere fecit Christo*. Cæterum hæc conresuscitatio, & confessio nostra cum Christo, bifariam exponitur: aut de resuscitatione & sessione spiritali, quam consequimur in hac vita; vt sensus sit, Sicut Christum resuscitauit à morte ad vitam, & collocauit in caelstibus: ita & nos à morte peccati reuocauit ad vitam iusticiæ, & fecit vt conuersatio nostra in caelis sit, Philip. 3. Aut de resurrectione corporum, & habitatione caelstiquam in consummatione sæculi expectamus. Ita sensus est, Deum nos vnà cum Christo qui iam resurrexit à mortuis & sedet ad dexteram patris; resuscitasse ad vitam illam immortalem, & in caelo collocasse; quia datā nobis arrhā hereditatis, id est, Spiritu sancto, certissimam spem fecit aliquando futurum vt in vtroque Christi consortes simus, tanquam membra capitis. Qui sensus præterquam quod illā sententiā apostoli confirmatur ad Rom. 8. *Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra*; etiam opportunior videtur ad explicationem eius quod superiori capite dixit; *Et quæ*

fit

fit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus, secundum operationem potentie virtutis eius, quam operatus est in Christo &c. Quod enim ibi dixit, *virtutis eius in nos*; hinc iam tandem explicat. Vtramque expositionem legere est apud Hieronymum. Sunt autem qui vtrumque sensum coniungunt; quod non videbitur improbabile, si considerentur diuersa apostoli loca, quibus in allegoria mortis ac resurrectionis Christi, modò huc modò illuc respicit, vt Ro. 6 & 8. & Col. 2 & 3. Obiter obserua non dixisse apostolum, *& consedere fecit ad dexteram suam*, sicut supra superiori capite de Christo dixerat; sed tantummodo *consedere fecit in caelstibus*. Sedere enim ad dexteram patris Christo propriū est, nec cuiquam alteri communicatur: tametsi in throno Christi dicantur sessuri qui vicerint. Apoc. 4. in fine.

7 VT OSTENDERET IN SÆCVLIS SVPERVENIENTIBVS ABVNDANTES DIVITIAS GRATIÆ SVÆ. Quidā hoc de sæculis vitæ futuræ interpretatur, vbi perfectissimè declarabitur & cognoscetur magnitudo gratiæ Dei in electos; sed magis est ex mente apostoli vt de sæculis vitæ presentis intelligatur. comparat enim huius sæculi tempora futura & præsentia cum præteritis; quoad manifestationem mysteriorum Christi, & ostensionem gratiæ eius; sicut & facit capite sequenti; vbi loquens de mysterio Christi, quod, inquit, *alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis apostolis eius*. & Col. 1, *Mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus*. Sensus igitur est: Deum ea quæ dicta sunt, præstitisse ac præstare, vt his extremis ac venturis temporibus manifestaret hominibus abundantes, Græcè *supereminentes*, Aug. contra Faustum lib. 11 cap. 8, *superabundantes diuitias gratiæ suæ*, id est, excellentem & exuberantem beneficentiam suam; vtque ea manifestata ipse glorificetur; hic enim est finis omnium operum Dei.

IN BONITATE SVPER NOS IN CHRISTO IESV. Græcè *in benignitate*, quomodo & Augustinus legit lib. 11 contra Faustum cap. 8. Declarat apostolus quo opere Deus voluerit ostendere supereminentes diuitias gratiæ suæ, nimirum opere bonitatis seu benignitatis suæ nobis impenso per Christum. Quo breuiter comprehenditur vniuersa iustificatio, redemptio, & salus nostra, quæ tota & omni parte est à Deo per Christum. Hanc gratiam plenius explicant sequentia verba;

8 GRATIA ENIM ESTIS SALVATI, PER FIDEM. Id est, tota salus vestra ab initio vsque ad finem est ex beneficentia Dei; quam gratis omnino impendit. Addit autem, *per fidem*, intellige Christi; quia fides qua in Christum creditur, huius salutis initium est & fundamentum, & per eam tota reli-

qua salus impetratur; idque ex ordinatione diuina, qua constitutum est neminem saluum fieri, nisi primò omnium credat in Christum, & ea fide, per modum cuiusdam meriti, salutem assequatur. Quod non ita accipiendum est quasi Deus ante omnia fidem à nobis exigit, vt per eam nobis incipiat gratiæ suæ munera conferre; sicque gratiam fides præueniat; quemadmodum quidam malè apostolum intellexerunt, existimantes fidem non esse ponendam inter beneficia gratiæ Christi, propterea quod gratiā saluemur per fidem: quæ doctrina prorsus erronea est. Sed mens apostoli est, totam salutem nostram, citra exceptionem, esse ex gratia: & eandem salutem haberi per fidem, sed cum exceptione ipsius fidei; quæ salutis initium est, & per se ipsam haberi non potest. Quomodo dictum est à poëta, Tegit omnia cælum; & vt aptius exemplum proferam, quomodo dicitur artifex aliquis totam domum ædificasse super bono fundamento. Hoc enim postremum addendo nõ negatur ipsum fundamentum ab eodem artifice ædificatum esse; neque rursus significatur ipsum quoque fundamentum super fundamento collocatum esse; sed, reliquas ædificij partes super illo esse constructas. Denique peruerfæ illi intelligentiæ Paulus ipse cõtinuò obuiat. Nam ne quis dicat, *si per fidem; quomodo gratiā?* subiungit;

ET HOC NON EX VOBIS. Id est, hoc quod dixi, *per fidem* non ita volo accipi, quasi ipsam fidem à gratia excipiam; nam *& hoc ipsum*, scilicet credere, *non est ex vobis*, hoc est ex viribus naturæ seu liberi vestri arbitrij; quippe cum circa ea versetur, quæ rationem naturalem excedunt, & inter ea bonā sit, quibus ad salutem homines ordinantur. Itaque, credere, nostrum est quidem, quatenus actus est partim intellectus nostri, partim liberæ nostræ voluntatis; sed non est ex nobis.

DEI ENIM DONVM EST. In Græco tantum legitur, *Dei donum*: sed sensum explere voluit interpres. Hic loquus vnus est eorum ex quibus patres docent fidem esse Dei donum, nominatim Augustinus, sub initium lib. de dono perseuerantiæ. epistola 107 ad Vitalem. & alibi. Prosper lib. 1 de vocatione gentium cap. 23, & in epistola ad Rufinum, & Arausicanum concilium secundum, canone vltimo. Quam doctrinam non tantum de habitu fidei sed etiam de actu accipiendam esse, certissimè constar, cum ex verbis patrum, inter quos Anselmus fidem non partim, sed purè Dei donū nominat, & ex canone ià citato, quo dicitur quòd credere in Deum nemo possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenierit; tum ex ipsis scripturis, quæ ferè de actu fidei loquuntur; vt Io. 6, *Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille*. & Philip. 1, *Vobis donatū est pro Christo, non solum vt in eum credatis &c.* Quocirca Græcorū hoc loco cõmentarij,

qui non satis plenè de dono fidei loqui videntur, cautè legendi sunt ac benignè exponendi; vt qui cõtra Manichæum pro lib. arbit. diligentius, quàm contra Pelagium postea exortum, pro gratia Dei vigilauerint.

9 NON EX OPERIBVS. Pars hæc respicit præcedentem, *gratiã estis saluati per fidem*. Inde enim sequitur istud, *nõ ex operibus*. Quomodo & Ro. 11 ratiocinatur apostolus, *Si gratia: iam nõ ex operibus; alioqui gratia iã non est gratia*. Itaque verba media (*& hoc non ex vobis, Dei enim donum est*) quæ de fide dicta sunt, rectè in ple-riusque codicibus parenthesi clauduntur; tam-etsi nonnulli interpretes etiam illa non de sola fide, sed de vniuersa salute nõstra exposuerint. Verùm contextui potiùs congruit expositio superius dicta; maximè propter duas voculas *& hoc*; quæ alioqui viderentur redundare, ac plano sensui obstrepere. Quod ait: *Non ex operibus*, ad totam salutem siue saluationem nostram, fide etiam comprehensa, referendum est: Quæ tota non ex vllis operibus est, id est, non ex meritis, sed tantum ex gratia; scilicet ad eum sensum quo, secundum scripturas, ecclesia docet homines non prædestinari ex meritis, sed ex solo Dei beneplacito. Proinde nõ est necesse interpretari hanc partem de operibus quæ quis habeat ex seipso, vel quæ fidem præcedunt; absolutè enim sententia vera est, salutem nostram non esse ex operibus. nam si qua sint bona opera; ea sub salute nostra, quæ tota est ex gratia, comprehenduntur. Non igitur negat apostolus vitam æternam ex operum merito iustis prouenire, quod hæretici negant; sed ipsa etiam opera quibus vitam æternam merentur, gratiæ refert accepta, dum totam nostram salutem gratiæ ascribit: id quæ sequentia manifestè declarant. Vtitur autem apostolus præteriti temporis verbo *saluati estis*; tum quia iam inchoata per iustificationem erat illorum salus, tum quia certa spe perficienda expectabatur. Vnde dicit Rom. 8, *spe salui facti sumus*.

VT NE QVIS GLORIETVR. in seipso, in viribus naturæ ac liberi arbitrii; sed, inquit Thomas, *vt tota gloria in Deum referatur*; iuxta illud psalmi, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Hic enim finis spectatur ab apostolo. q. d. Hæc vobis scribo & inculco, ne quis in se gloriatur. Non enim sensus est, vt quidam volunt, Ideo non ex operibus saluare voluit vos Deus, sed ex fide; ne si operibus vsus esset ad communicandam vobis salutem, sicut vsus est fide; gloriaremini in operibus tanquam merito vestræ salutis. Non est, inquam, hic sensus. Nam & ipsa fides opus quoddam est: de quo proinde gloriari quis potest, sed in Deo. Et, si Deo visum fuisset ex operibus sine fide saluare hominem, sicut imaginantur potuisse; tum de operibus gloriari posset homo, non tamen nisi in Deo, qui dedisset opera. Sic enim etiam illa opera sub beneficio iustificationis comprehenderentur, sicut ea de quibus sequitur;

10 IPSIVS ENIM SVMVS FACTVRA, CREATI IN CHRISTO IESV IN OPERIBVS BONIS. Occupatio est secundum Chrysostomum. Ne enim dicendo, *non ex operibus*, videretur opera bona exclusisse; docet quem locum illa habeant in negotio salutis ac iustificationis nostræ: nimirum ea non causam esse gratiæ, sed effectum; & proinde nõ saluari nos ex operibus, sed opera partem esse salutis quæ tota ex gratia est. *Factura*, Græcè *ποίησις*, pro quo legit Ambrosianus, *figmentum*; Alijs placet *creatura*. Quomodo & Syriaca dictio nobis reddita est. Vocat autem nos apostolus facturam, figmentum, creaturam Dei, non quatenus homines sumus, id enim hîc non agitur; sed quatenus Christiani, nempe quoad vniuersum iustificationis ac salutis nostræ negotiũ; vt patet ex parte sequenti, *Creati in Christo Iesu in operibus bonis*, &c. priorem partem ita explicat Thomas: *Ipsius, inquit, factura sumus*, quia quicquid boni nos habemus, non est ex nobis ipsis, sed ex Deo faciente; secundum illud psalmi 99, *Ipsè fecit nos, & non ipsi nos*. Quem psalmi versiculum Augustinus quoque sermone 11 de verbis apostoli, & enchirid. 31 in eundem sensum adducit. Similiter, *creati dicimur in Christo Iesu in operibus bonis*; non ad opera bona, vt vertit Erasmus, quasi causa finalis significetur; sed, *in operibus bonis*, tanquam effectus Dei creatis. Sensus enim est: creati à Deo per meritũ Iesu Christi quantum ad opera bona; quia scilicet ipsa bona opera fiunt in nobis à Deo: iuxta illud Isaie 26, *Omnia opera nostra operatus es nobis*. Nec verò per hoc subtrahuntur opera nostra bona libero arbitrio; quemadmodum docent hæretici: sed quicquid boni libero arbitrio agimus, totum Deo auctori, factori, creatori tribuitur, vt ne quis gloriatur. Vnde Augustinus in explanatione psalmi 144 tractans hunc apostoli locum; *Quid ergo? inquit, Nos bene non operamur? Imo operamur; sed quomodo? Ipso in nobis & per nos operante; ipsius enim sumus figmentum &c.* Et infra, *Merita tuamquam iustes; quia & ipsa tua merita Dei dona sunt*. Videatur idem Augustinus lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 8 & sequentibus. Non ergo propterea dicitur à Deo creati in operibus bonis, quod sicut mundus ad sui creationem nihil operatus est; ita nec nos ad bona opera quicquam cooperemur: sed quia tam verè, propriè & efficaciter Deus in nobis opera bona producit, nihil quod ex nobis sit præquirens; quàm verè, propriè & efficaciter mundum ex nihilo præduxit.

QVÆ PRÆPARAVIT DEVS VT IN ILLIS AMBULEMVS. Refert opera nostra bona ad efficaciam diuinæ prædestinationis, quam vocat præparationem; sicut & Dominus Math. 25, *possidete paratum*, id est, prædestinatum, *vobis regnum à constitutione mundi*. nam prædestinatio non aliud est, inquit Thomas Augustinum secutus, quàm præparatio beneficiorum Dei; inter quæ computantur &

ipsa

ipsa bona opera. Dicitur autem Deus nobis illa præparasse, in quantum disposuit se nobis ea daturum. Sed ne quis existimet bona opera sic nobis à Deo præparari, vt ipsi per liberum arbitrium nihil agamus; idcirco addidit, *vt in illis ambulemus*, id est, vt nos ea per liber. arbit. exerceamus. hoc ipsum enim agit in nobis gratia Dei, dicente Domino per prophetam: *Faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini*. Ezech. 36. Porro totus hic locus, continens egregiam gratiæ Dei commendationem, sicut hæresim Pelagianam quæ gratiam aut negabat, aut ex meritis quærebat, penitus destruit: ita & nostri quoque temporis hæreticorum dogmata quædam elidit. Si enim sumus factura Dei, quoad iustificationem; igitur faciente Deo verè iusti sumus, & non tantum imputatiuè. Et, si creati sumus in operibus bonis quæ Deus præparauit; igitur falsum est, omnia, etiam iustificationum, opera esse peccata. Neque enim bona opera peccata sunt; neque peccata nobis Deus præparauit. Denique, si nos in illis ambulamus; igitur verè nostra sunt, à voluntate & libero arbitrio profecta.

11 PROPTER QVOD MEMORES ESTOTE QVOD ALIQVANDO VOS ERATIS GENTES IN CARNE, QVI DICEBAMINI PRÆPUTIVM AB EA QVÆ DICITVR CIRCVMCISIO IN CARNE MANVFACTA, QVI ERATIS ILLO IN TEMPORE SINE CHRISTO. Totus hic locus in Latinis codicibus tam impressis quàm mss. variè legitur. Facile est autem veram lectionem deprehendere tum ex Græcis exemplaribus, tum ex Latinis castigationibus, & veterum commentarijs. Græca ad verbum sic habent. *Propterea mementote, quod vos aliquando gentes in carne, dicti præputium, à dicta circumcissione in carne manufacta, quod eratis in tempore illo sine Christo*. Igitur verbum *eratis* priori loco redundat: neque illud Hieronymus & Primasius agnoscunt, & in nonnullis abest mss. nec apparet Ambrosianum legisse. Quod autem in quibusdam codicibus pro eo legitur, *qui eratis*, cuius lectionis etiam Thomas meminit in commentario, rectè se habet; est enim explicatio Græcæ lectionis. Posteriori autem loco, vbi nostri codices habent *qui eratis*; legendum, *quod eratis*, vt habent multa mss. vel *quia eratis*, vt habet Primasius; vel *quoniam eratis*, vt legitur apud Hieronymum & Ambrosianum; hæc enim tria idem valent. Iam pro verbo *dicebamini* in alijs est *dicimini*, quomodo mox idem noster interpres vertit in præsentem, nam participium Græcum temporis est præsentis, licet interdum, vbi res postulat, per verbum præteriti imperfecti sit interpretandum. Veram igitur lectionem huius loci putamus eam esse, quam nobis exhibet editio Clementina, quæ sic habet: *Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumcissio in carne manufacta, quia*

eratis illo in tempore sine Christo. Quibus verbis ac sequentibus, reuocat apostolus Ephesios ad considerationem pristini sui status; vt eius comparatione intelligant & agnoscant magnitudinem gratiæ præsentis per Christum sibi præstitæ: tãquam breuiter eis dicat, Semper meminisse debetis & quid aliquando fueritis, & quid nunc facti sitis. Agit hoc apostolus toto capite reliquo; vt proinde illud *mementores estote*, ad omnia quæ sequuntur vsque ad finem capitis, referendum videatur. Porro verborum apostoli hæc est explicatio. Quoniam ad tantam gratiam, sicut iam exposui, sine vllis meritis vestris vocati estis: idcirco memores estote, & gratis animis recolite, quod vos aliquando, qui estis, siue eratis gentes in carne, id est, secundum carnalem generationem gentiles, vt prope ex gentilibus progeniti; qui quæ carne incircumcissi sitis non sine contemptu vocamini siue vocabamini præputium, id quæ à Iudæis qui vocantur aut vocabantur circumcissio, nimirum ob circumcissionem manibus factam, quam gestant in carne: quod inquam, vos illo tempore eratis sine Christo, id est, sine noticia Christi redemptoris, quem Iudæi expectabant. Non dicit ergo apostolus, *Mementores estote* vos aliquando fuisse gentes in carne &c, sed vos qui eratis gentes in carne, qui quæ dicebamini præputium, fuisse tunc sine Christo. Non enim reuera graue erat aut probrosum esse gentes secundum carnem, & vocari præputium; sed esse sine Christo, & quæ sequuntur; quemadmodum hîc à Græcis annotatum est. Obseruandum quoque illud *quod aliquando suspendi per verba sequentia, gentes in carne &c*, ac demum ad absoluendam sententiam reperi vbi dicitur *quia*, vel *quod, in illo tempore*. Quam rem nos in sensu reddendo expressimus. Erit autem oratio clarior si media verba parenthesi claudantur, & post eam, quadam iteratione legatur, *quod, inquam, eratis illo in tempore sine Christo*.

12 ALIENATI A CONVERSATIONE ISRAEL. Græcè *abalienati à politia Israelis*. *πολιτεια* Erasmus & Theophylacti interpres vertunt *republicam*. Verùm Græca vox, etsi republicam significet, non raro tamen accipitur pro vitæ ratione & instituto, quod noster interpres nomine *conuersationis* designare voluit. in qua significatione *πολιτεια* vsurpauit Basiliius lib. de vita solitaria, item Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Chrysostomus. De quo vide etiam Budæum in commentarijs linguæ Græcæ. Sensus igitur est, *Abalienati, id est, prorsus alieni ab instituto vitæ, ratione populi Israelitici*; non modò quoad ceremonias religionis, verùm etiam quoad ipsam religionem, ac Dei cultum: nam illi verum Deum colebant, quem vos ignorantes, idola colebatis.

ET HOSPITES TESTAMENTORVM, PROMISSIONIS SPERM NON HABENTES. Huius partis varia est distinctio. Nam genitium

promissionis. Hieronymus & Græci interpretes ad præcedentia referunt; Ambrosianus ad sequentia. Sic enim distinctè legit, *Et hospites testamentorum, & promissionis eorum spem non habentes*. Eadem est distinctio apud Primasium & alios Latinos, tam veteres quam recentiores. Quæ & nobis magis probatur; tum quia promissio satis in nomine testamenti continetur; tum quia apostolus etiam alibi testamenta scripsit absolute, ut Rom. 9. postea subiungens promissa; tum denique quod genitius *promissionis* cum vocabulo sequente, secundum scripturam, melius cohereat. Nam testamenta promissionis nusquam legimus; spem autem & expectationem promissionis legimus Act. 1 & 2 Petri 3. nec dubium quin spes Theologica sit rerum promissarum; & promissio pro re promissa, in scripturis sæpissimè ponatur. Dicit ergo, Ephesios fuisse *hospites*, siue, ut legit Hieronymus, peregrinos *testamentorum*, id est, extraneos à pactis quæ Deus pepigit cum Israëlítico populo; quæ quidem multa erant, sed illa præcipua quæ promissiones noui testamenti continebant. Hoc declarans, addit, *promissionis spem non habentes*, id est, bona quæ Deus illi populo promisit, minimè sperantes; utpote quibus illorum nulla facta esset promissio. quas autem promissiones potissimum expendat apostolus, satis docent epistolæ ad Rom. & ad Galatas.

ET SINE DEO IN HOC MUNDO. Græcè, & *abset in mundo*. nam & quædam Latina mss. pronomen non addunt, ut nec Hieronymus, nec Syriaci editio. Atheos hinc vocat apostolus, non qui nullum esse Deum credunt, quales etiam apud ethnicos infames erant ac detestabiles; sed qui verum Deum ignorant. tales enim licet multos colant Deos; reuera sine Deo sunt in mundo, id est, sine Dei noticia & cultu; cum non sit aliud Deus & verus Deus.

13 NVNC AVTEM IN CHRISTO IESU, VOS QUI ALIQVANDO ERATIS LONGE, FACTI ESTIS PROPE, IN SANGVINE CHRISTI. vel, ut Ambrosianus legit, *per sanguinem Christi*. Memores estote, inquit apostolus, quod, cum vos, ut iam dixi, tam longinqui atque remoti fueritis à Deo ac religione populoque eius; ut quibus cum illis nihil esset commune: nunc per Christum Iesum facti estis propinqui; utpote adducti ad Dei noticiam, & populo eius in vnum corpus ecclesiæ, coniuncti; idque per sanguinem Christi, id est, per meritum passionis eius. Quod ergo dicit, *in sanguine Christi*, repetitio est & declaratio eius quod dixerat *in Christo Iesu*. Quidam sic ordinant & exponunt, Vos in Christo Iesu, id est, vos Christiani: sed Græco textui parum conuenienter.

14 IPSE ENIM EST PAX NOSTRA. Christum metonymicè vocat *pax nostram*, id est, pacificatorem; non idèd solum quod reconciliauerit nos Deo, sed (quod hinc apostolus præ-

cipuè considerat) quia duos populos, Iudæorum & gentium, antea inter se nullo diffidentes, in vnum populum redegit, vnamque ecclesiam fecit. Hoc autem sequitur priorem illam reconciliationem, quæ cum Deo est. Hunc sensum explicant sequentia,

QUI FECIT VTRAQUE VNUM. Id est, ex duobus populis vnum fecit, nimirum iuxta prophetiam Ezechielis 37. qua sub nomine duorum regnorum Iuda & Ephraim hanc Iudæorum cum gentibus vnionem prænunciat, dicens: *Et faciam eos in gentem vnã; & rex vnus erit omnibus imperans; & non erunt ultra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna; & pastor vnus erit omnium eorum.* Quod ipsum & Christus Io. 10 facturum se promisit, illis verbis; *Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet vnum ovile & vnus pastor.*

ET MEDIUM PARIETEM MACERIE SOLVENS, INIMICITIAS, IN CARNE SVA; LEGEM MANDATORVM DECRETIS EVACVANS. Multi codices habent *inimicitiam* numero singulari, quemadmodum & Hieronymus legit, Græco & Syriaco textu suffragante; nec Græcè est *decretis*, sed *in decretis*, siue ut est apud Hieronymum Græca voce retenta *in dogmatibus*. Pro quo rursus commentarius Ambrosio inscriptus, & ipse Ambrosius lib. 2 de Abraham cap. 6 sine præpositione legunt *editis*. Sciendum quoque participia *soluens* & *evacuans* in Græco temporis esse præteriti; sicut & illud præcedens, quod interpres resoluit in verbum *qui fecit*. Quod si & in participio *soluens*, factum fuisset; plus lucis haberet oratio, *qui fecit & qui soluit*. Cæterum *edita*, seu *decreta*, seu *dogmata*, hoc loco tam Græci quam Latini commentatores, magno cõsensu, interpretantur præcepta noui testamenti, quæ sunt de fide, charitate & moribus, quæ nimirum Christus in euangelio tradidit. Vnde & Siria cus interpres vertit *in præceptis suis*. Hanc expositionem, valde probabilem faciunt alia loca apostoli, quibus docet nos per Christi legem veteri legi mortuos esse: ut Ro. 7, *Mortificati estis legi per corpus Christi*. & Gal. 2, *Ego per legem legi mortuus sum*. Quod etiam pertinet quod Rom. 3 *gloriationem* quæ erat in lege factorum, exclusam esse dicit per legem fidei; hæc autem est lex gratiæ, non nuda continens agendorum præcepta, sed etiam, & maximè, amplissima tam gratiæ quam gloriæ promissa; quæ vtrique noui testamenti sunt propria. At verò nonnulli recentiores, ut Faber, Erasmus & Caietanus, malunt illud quod in Græco legitur, *in decretis*, connectere cum eo quod præcedit *legem mandatorum*, & ita exponere, *legem mandatorum in decretis sitam*; id est, legem Moyfi qua parte comprehendebat multitudinem decretorum seu præceptorum ceremonialium. Mouet illos auctores præpositio *in*, quæ sensum huiusmodi videatur postulare. Sed mirum est, eos non animad-

uertisse

uertisse proprietatè Hebraici sermonis, quopassim ablatiuum instrumenti, &, in genere causæ efficientis exprimunt præfixa præpositione *in*, ut Lucè 22, *Domine num percussimus in gladio?* Sensus igitur est: *Et qui medium parietem maceria*, vel ut Theophylacti vertit interpres, obturationis, id est, septum medium quo obstruebatur accessus vnus ad alterum, nempe *inimicitiam*, hoc est inimicitie causam, *solvit ac diruit in carne sua*; hoc est, per passionem & crucem quam in carne sua sustinuit. Soluit, inquam, *euacuata & abrogata lege Moisaica constante innumerabilibus præceptis; idque per euangelica decreta sine præcepta quæ ipse in locum Moisaica legis substituit*. Pro hac expositione illius particulæ *decretis*, facit etiam locus Col. 2, vbi dicitur *Christus deleuisse quod aduersus nos erat chirographum decretis* (sic enim & ibi legitur in Græco) id est per decreta. quomodo locum illum antiqui interpretes exponunt. Quapropter Erasmi temeritatem qua suam coniecturam scripturæ miscuit, ita veritas: *legem mandatorum in decretis sitam*, meritò reprehendunt Adamus Sasboldus in commentario, & Barth. Medina 1 2. q. 107, art. 2. Ac sanè mirum est, doctissimum virum Hentenium tantum Erasmo tribuisse, ut hanc eius versionem in transferendis Oecumenij commentarijs sequendam sibi putauerit; cū satis appareat eam esse ab Oecumenij mente, sicut & Chrysostomi, quem ille sequitur, alienam: Queritur quis apostolo sit medius paries maceriæ quo gentiles à Iudæis diuidebantur; vtrumne *inimicitia*, an *lex mandatorum*; hæc enim duo nominat. Respondeo, secundum datam expositionem ac mentem apostoli legem mandatorum esse *inimicitiam*, id est, causam inimicitie ac disensionis; ac proinde nihil diuersum dici, siue *inimicitiam*, siue legem mandatorum interpretemur parietem medium. Sunt autem qui medium parietem duplicent; alterum statuentes ex parte Iudæorum, scilicet legem; alterum ex parte gentium, scilicet idololatriam: tam enim idololatria gentium offendebar Iudæos, quam legis iugum gentiles, ne coirent in vnum populum. Verū hæc imaginatio gemini parietis, Aquinate teste, præter intentionem est apostoli; qui vnus tantum meminit, nempe legis mandatorum, quæ Iudæos à gentilibus etiam ab idololatria conuersis, ita diuidebat, ut illa stante non posset ex vtroque populo vnum ecclesiæ corpus constitui.

15 VT DVOS CONDAT IN SEMETIPSO IN VNUM NOVVM HOMINEM, FACIENS PACEM. *Condat*, Græcè *creat*; ne quis *condat* pro abscondat, dictum existimet. Idcirco, inquit, mediū parietem soluit, id est, legem euacuauit, ut duos homines in semetipso, velut centro quodam ad quod ex diuersis partibus lineæ concurrunt, aut velut in capite à quo diuersa membra corporis vnitatem accipiunt, conderet seu crearet in vnum nouum hominem: id est, non ut ex Iudæo gentilem, aut ex genti-

li Iudæum faceret; sed vt ex vtroque componeret vnum nouum hominem, faciens inter eos pacem, dissidij causam sublata. De duobus populis apostolus quasi de duobus hominibus loquitur, veluti conflatis in vnum nouum hominem, volens significare quod ita fiat vnus populus ex duobus, ut Christo, qui est nouus Adam, incorporati, sint etiam ipsi nouus homo: Christus quidem, in quem nihil ex veteri Adam transijt, perfectissimè nouus homo; membra autem eius, in tantum nouus homo, in quantum ex verustate in qua nati sunt, per Christum nouum Adam reformantur. Sicut enim vetustas, corruptionis & vicij significationem habet; ita nouitas, integritatis & virtutis. Maluit autem apostolus dicere *in vnum hominem*, quam *in vnum populum*; quia etiam in vno populo sunt hominum inter se dissidia, quod in vno eodemque homine non contingit.

16 ET RECONCILIET AMBOS IN VNO CORPORE DEO, PER CRUCEM, INTERFICIENS INIMICITIAS IN SEMETIPSO. Rursus hinc *inimicitiam* singulari numero legunt Græca, Syriaci, Hieronymus, & cum his Primasius ac multi Latini codices mss. Illud autem *in semetipso*, Græcè *en autem in ipso*, vel ad Christum, vel ad corpus, vel ad crucem, quæ Græcè *crucis* masculino genere dicitur, referri potest. Ad crucem si referatur, vertendum erit *in ipsa* vel *in ea*; & hoc pacto legit & legit vult Hieronymus. Syri quoque ad crucem referunt. At præter Hieronymum Latini omnes *in semetipso* legunt, & de Christo exponunt; ut hic sermo, *interficiens inimicitiam in semetipso*, contineat cum illo superiori, *soluens inimicitiam in carne sua*. Secundum hos igitur sensus est: *Et ut ambos homines vnum corpus effectos reconciliaret Deo per crucem*, id est, restitueret in gratiam & amicitiam Dei patris sui, per meritum suæ passionis, videlicet percipit & extinguit *in semetipso*, hoc est, in carne sua siue per carnem suam passioni expositam, etiam illa inimicitia, quæ ex peccato erat inter Deum & homines. Nec tamen minus commodus aut multum diuersus esset sensus, si *in ea*, id est, in cruce, legeretur: quin potius eodem recideret. per crucem enim, hoc est, per passionem suam quam in cruce pertulit, Christus nos Deo reconcilians; vtrique per eandem crucem interemit inimicitiam qua separati eramus à Deo.

17 ET VENIENS EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS QUI LONGE FVISTIS, ET PACEM IIS QUI PROPE. Græcè, *pacem vobis qui longè; & ijs qui prope*. Id interpres, suppleto verbum, & repetendo *pacem*, dilucidius reddere voluit; cum nec in Ambrosiano textu verbum exprimat. Sensus; Et cum venisset in mundum per incarnationem, etiam verbo seu doctrinā annunciauit pacem futuram, vobis, qui longè eratis à Deo, sicut supra dictum est, id est, gentilibus; & ijs qui prope erant, id est Iudæis Deo propinquis per eius noticiam &

legem

legem ab eo acceptam, qua in Dei cultu continebantur. *Pacem* intellige reconciliationem cum Deo; & consensum mutuū inter ipsos, scilicet Iudæos & gentiles. Vtriusque enim pacis in præcedentibus meminit apostolus; & utramque Christus euangelizauit etiam ijs qui longè erant; non quidem prædicando gentilibus euangelium (quantum ad hoc enim circumcisionis tantum minister fuit Rom. 15) sed annunciando tam gentiles quā Iudæos per fidem ipsius Deo reconciliandos, & utrumque populum in vnam ecclesiam congregandum. Priorem pacem annunciauit etiam gentilibus eo sensu quem dedi; quando dixit, multos ab oriente & occidente venturos & recubituros cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. Matth. 8. & quando dixit prædicandum esse euangelium regni in vniuerso orbe. Matth. 24. & quando occasione gentiliū qui videre eum cupiebant, dixit; *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12. Denique, quando post resurrectionem præcepit apostolis *docere omnes gentes.* Matth. vltimo, seu *predicare euangelium omni creatura.* Marci vltimo, vel *predicare in ipsius nomine penitentiam & remissionem peccatorum* (quæ est reconciliatio cum Deo) *in omnes gentes.* Lucæ vltimo. Posteriorem autem pacem annunciauit vtrisque, quando loquens de ouibus ex gentilitate adducendis, dixit: *Et fiet vnum ouile & vnus pastor.* Ioan. 10. & quando dixit, *Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli.* Matth. 21. Porro alij interpretantur Christum ijs qui longè erant euangelizasse, non in sua persona, sed per apostolos, quibus vt euangelizarent præcepit. Sic Ambrosianus & glossa interlinealis, eaque secuti Thomas, Liranus, & Caietanus. Quem sensum etsi non improbamus; illud tan è quod prius dixi, quodque ab Anselmo bene explicatum reperio, probabilius apparet. Postremo, non est prætereundum quod Hieronymus admonet, apostolum hîc vsum esse verbis Isaiæ prophetæ tanquam suis, quibus ille pacem hanc vtriusque populi prænuñciauit. Sic enim apud Isaiam legitur cap. 57, *Creauit fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè est, & qui prope; dicit Dominus.*

18

19 **QUONIAM PER IPSVM HABEMVS ACCESSVM AMBO IN VNO SPIRITU AD PATREM.** Exponit modum reconciliationis; *Quoniam*, inquit, *per ipsum* tanquam mediatorem & pacificatorem nostrum, *ambo*, scilicet vos qui longè fuistis, & nos qui prope, *habemus aditum ad patrem*; vt recepti ab eo in gratiam & profilijs agniti, *clamemus orantes, Abba, pater*; & dicere audeamus, *Pater noster qui es in cælis*; idque *in vno Spiritu sancto*, qui non solum spiritus est pacis & concordie qua inter nos vnitimur, verum etiam spiritus adoptionis filiorum, qua Deo vt patri coniungimur. Græca dictio *πνευματικῶν* quam interpretes accessum vel aditum vertunt, proprie significat

adductionem suæ introductionem. est enim allusio ad n. oies principum, ad quos aditus non patet, nisi per aliquem illis amicum & familiarem quis introducat.

20 **ERGO IAM NON ESTIS HOSPITES ET ADVENÆ.** Græcè, *Igitur non amplius estis peregrini & accolæ.* Hieronymus quoque *peregrinos & accolæ* legit. Ambrosianus ordine commutato, *aduenas & peregrinos.* Neque enim Græcum vocabulum quod interpret vertit *hospites*, videtur aliter accipiendum hoc loco quam superius, vbi dictum est, *hospitibus testamētorum.* Concludit apostolus ex præcedentibus, gentiles & in his Ephesios, iam non esse quod olim, scilicet peregrinos siue extraneos à promissis, populo, ciuitate, ac domo Dei; neque accolæ (subaudi ex eo quod sequitur, *sanctorum*) quod alij vertunt *incolæ*; id est, iuxta vel inter ciues domicilium habentes, sed ita vt ad eorum numerum non pertineant. Hoc modo peregrinum & incolam coniunxit Cicero lib. 1 offic. vbi peregrini atque incolæ officium esse dicit, nihil præter suum negocium agere, nihil de alieno inquirere, minimeque esse in aliena rep. curiosum. & hanc Græcæ vocis significationem esse constat. Non ergo videntur apostoli mentem explicare qui partem hanc, & *aduenas*, putant additam propter gentiles profelytos, qui per circumcisionem transibant in temp. & legem Iudæorum; præsertim cum tales pauci essent, ijdemque nullo pariete medio diuisi à Iudæis. Sed accolæ fuisse dicit gentiles, quatenus multi ex illis morabantur inter Iudæos, ac vicissim Iudæi inter illos; non tamen iisdem legibus aut moribus aut religione vtentes.

SED ESTIS CIVES SANCTORVM ET DOMESTICI DEI. *Ciues*, Græcè *concines*; tamen bene vertit interpret, & quidem melius quam Erasmus ac cæteri, qui transtulerunt *concines*. Siquidem Latine ciuis ad ciuem refertur, sicut popularis ad popularem, aut frater ad fratrem; *concines* autem non est Latinum; vt nec *confrater*. *Sanctos* plerique intelligunt cælestis patriæ ciues; siue angelos, siue patriarchas & prophetas, vt locus hic similis sit illi Heb. 12, *Accessistis ad ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum.* Quibus verbis vtique significatur accessus & coniunctio cum ecclesia, quæ triumphat in cælis. Verum contextus magis exigit, vt sancti in genere intelligantur quicunque per baptismum mundati sunt à peccatis; vt sunt omnes fideles; qui passim in omnibus epistolis Paulinis sancti vocantur. vult enim docere apostolus gentiles suscepto Christi euangelio iam non esse peregrinos & alienos à ciuitate ac domo Dei, in qua Iudæi fideles erant; sed esse eorum ciues, id est, in eandem cum illis ciuitatem ascriptos; ac Dei domesticos, id est, vnâ cum illis pertinentes ad domum, cuius pater familias est Deus. Hunc

sensum

sensum tradunt Ambrosianus & Anselmus. Quod verò ex epistola ad Heb. adferbatur, non est huic loco simile; nam illic ad Iudæos est sermo, qui à sensu carnali reuocandi erant ad spem bonorum cælestium: Hic verò agitur de coniunctione gentiliū cum Iudæis in vnum collegium fidelium, vt Thomas loquitur; id est, in vnam ecclesiam, quæ est ciuitas sanctorum, & domus Dei. Quæ autem ratione & ciuitas & domus vocetur ecclesia; docet idem Thomas explicat.

20

SUPERÆDIFICATI SUPER FUNDAMENTVM APOSTOLORVM ET PROPHETARVM; Siue vt ciues sanctorum, siue vt domestici Dei. nam & ciuitas & domus super fundamento extruitur. Non potest hoc loco per fundamentum apostolorum & prophetarum, ipse Christus intelligi, de quo 1 Cor. 3, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Verbis enim sequentibus Christum vocat summum angularem lapidem, tanquam ab hoc fundamento diuersum. Igitur fundamentum apostolorum & prophetarum intransiuit exponendum; id est, fundamentum quod sunt apostoli & prophetæ. Vnde & Apoc. 21. duodecim apostoli vocantur duodecim fundamenta cælestis Ierusalem. Nec pugnant hæ scripturæ cum illa ad Cor. quæ negat aliud à Christo fundamentum poni posse; nam, vt eo loco declarauimus, aliter Christus, aliter apostoli, & prophetæ fundamentum vocantur. Ille, primum fundamentum; isti, secundarium. Christus enim fundamentum est ecclesiæ, quatenus per eius fidem in fundamento collocatam solidatur & sustentatur vniuersum ecclesiæ ædificium. Quod quidem soli Christo competit, quia non est in alio aliquo salus. nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat salus fieri. Act. 4. Apostoli verò & prophetæ sunt fundamenta, vel, vt hîc dicitur fundamentum, eiusdem ecclesiæ, per suū ministeriū, quatenus doctrinam salutis quæ in solo Christo est, diuinitus acceptam hominibus annunciarunt; prophetæ quidem, obscurius; apostoli autem, manifestius ac plenius. A quorum numero minime remouemus apostolum Paulum, vt qui & ipse Christum vidit iam immortalem, 1 Cor. 9 & 15, & per eius reuelationem euangelium suum accepit & didicit, Gal. 1. Porro, quamuis apostoli & prophetæ multi fuerint; non tamen hîc dicuntur plurali numero fundamenta, sicut in Apoc. sed fundamentum, quasi vnum; vt per hoc consensus & concordia doctrinæ apostolicæ cum ea quam olim tradiderant prophetæ, significaretur. Quod enim nonnulli prophetas hîc intelligunt noui testamenti, quales fuere de quibus Act. 13 & 1 Cor. 12 & 14, sumpto fortassis argumento ex eo quod prophetæ post apostolos nominantur; præsertim cum & in hac ipsa epistola cap. 3 & 4 legamus eodem ordine apostolos & prophetas, vbi sanè prophetas noui testa-

menti, saltem quarto capite constat intelligi: Illud, inquam, prorsus improbabile est. nam super huiusmodi prophetarum doctrinam fundatam esse ecclesiam, nusquam legitur: quin potius saltem prophetæ, iuxta regulam apostolicæ & propheticæ doctrinæ ab ecclesia diiudicanda erant; secundum illud 1 Cor. 14, *Propheta duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent.* Quod profecto de apostolis à Christo missis, qui hîc cum prophetis iunguntur, non diceretur. Quare dubium non est, veteris testamenti prophetas, vt potè prænuñcios eiusdem euangelij quod apostoli prædicauerunt, hîc intelligi; nimirum eos de quibus Paulus Ro. 1, *Vocatus apostolus, inquit, segregatus in euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis.* & de quibus Petrus 2 ep. 1, *Habetis firmiorem propheticum sermone, cui benefactis attendentes.* Nominantur autem apostoli ante prophetas; non temporis, sed dignitatis habita ratione, eaque multiplici: Primum, quia apostoli Christum præsentem ac docentem viderunt & audierunt; quod prophetis etsi desiderantibus non fuit concessum, Domino dicente ad suos apostolos: *Multis prophetis & iustis cupierunt videre que videtis, & non viderunt; & audire que auditis, & non audierunt;* Matth. 13. Deinde, quia apostoli dona gratiæ maiora quam prophetæ acceperunt; adeo vt B. Thomas lectione 3 super caput primum huius epistolæ, reprehendat eorum temeritatem (*vt non dicam, inquit, errorem*) qui præsumunt aliquos sanctos post Christum & virginem matrem, comparare cum apostolis, in gratia & gloria. Denique, quod ad rem præsentem maxime facit, quia apostoli sunt fundamenta ecclesiæ propinquiora; vt qui non tantum doctrinam veræ fidei, qua fundaretur ecclesia, post se reliquerunt, sicut prophetæ; sed & sua prædicatione multitudines ex Iudæis & gentibus conuertendo, fundarunt & ædificauerunt ecclesiam secundum statum noui testamenti. Hinc est quod ab illis, tanquam eiusmodi fundatoribus & plantatoribus, ecclesia in simbolo fidei vocatur apostolica; non item à prophetis, prophetica. Veruntamen sicut solus Christus est primum fundamentum ecclesiæ, ita soli apostoli & prophetæ, ratione doctrinæ traditæ ac fide tenendæ, agnoscuntur ab ecclesia vt fundamentum eius secundarium. Vnde consequens est, fidem Christianam & catholicam, etsi per alios ecclesiæ prælatos & doctores explicari possit ac debeat; augeri tamen omnino non posse, sicut nec minui.

IPSO SUMMO ANGULARI LAPIDE CHRISTO IESU. Græcè, *existente summo angulari* (scilicet lapide) *ipso Iesu Christo*; vt pronomen *ipso* adiungatur ad Iesum Christum. Sensus est; Ita superædificati estis super apostolos & prophetas tanquam fundamentum, vt tamen summus siue extremus angularis lapis qui illi ipsi fundamento firmitatem præstat, sit ipse Christus, & non alias. Summus angularis la-

pis,

pis, quem Græci vno vocabulo nuncupant *ἀπογωνισμῶν* (quasi dicas sumamangularem) is dicitur qui in extremo angulo fundamenti positus duos parietes ex diverso venientes coniungit & continet. Itaque per huius nominis metaphoram, non solum significat apostolus Christum esse præcipuum fundamentum totius ecclesiæ; verum etiam, in illo velut in angulari lapide coniungi duos populos, Iudaicum & gentilem; eosque sic coniunctos confurgere in vnum ædificium ecclesiæ. Respicit autem haud dubie apostolus ad illud psalmi 117. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quem locum & Christus ipse citat Matth. 21, & Petrus 1 ep. 2.

21 IN QVO OMNIS ÆDIFICATIO CONSTRUCTA, CRESCIT IN TEMPLVM SANCTVM IN DOMINO. *Cōstructa*, Græcè participiū est presentis temporis; significat autem id quod congruenter & aptè certaque ratione construitur aut coagmentatur. Hieronymus legit, *compaginata*; Ambrosianus *compacta*; quomodo & noster vertit infra cap. 4. Sensus est: Super quo summangulari lapide totum ædificium congruenter apteque constructum, id est, dū super eo construitur, *creciscit* & in altum confurgit, ita vt fiat *templum sanctum in Domino*; id est, domus Deo sanctificata, quæq; omnem sanctitatem habeat ex Christi Domini merito. Vel, *creciscit in Domino*; quia omnis eius profectus est ex Christo. Minus rectè vertunt Erasmus & Hentenius, *In quo quacunque structura coagmentatur, ea creciscit in templum sanctum in Domino.* Non tantum enim dicere vult apostolus, omnem structuram quæcunque superstruitur Christo lapidi angulari crescere in templum sanctum; sed, totam ecclesiæ structuram super illo lapide ritè cōstrui & componi; atque ita, totam & vniuersam crescere in templum sanctum. Nam omne, pro toto, perfecto, vniuerso; frequens est in sacris literis. Atque hoc modo non solum à nostro interprete, verum etiam ab Erasmo & alijs exponitur infra cap. 4, vbi hæc sententia diuersis verbis & sub alia metaphora, repetitur. *Ex quo*, inquit, *totum corpus compactum* &c. pro eo quod Græcè est, *omne corpus*. Constructur autem hoc ædificium, fide, spe, & charitate; atque earundem virtutum profectu creciscit; quemadmodum loco memorato aperte significatur, nominatim de charitate. At dices, Si totum ædificium ecclesiæ construitur & creciscit charitate; mali igitur, qui charitatem non habent, ad ædificium Ecclesiæ non pertinent. Respondeo, totum non complecti omnes omnino qui quocumque modo sint partes ecclesiæ; sed eos tantum, qui plenè participant rationem partium huiusmodi; vt pote professioni suæ ac nomini respondentes. tales autem soli sunt boni, cum enim omnes qui in ecclesia sunt, vitam Christianam profitantur, aut professi sunt; soli boni eam præstant. Responsonem hanc confirmat & exi-

git locus iam citatus cap. 4 huius epistolæ. 22 IN QVO ET VOS COÆDIFICAMINI IN HABITACVLVM DEI IN SPIRITV SANCTO. Hoc est, super quo lapide angulari, tanquam diuersos parietes coniungente, etiam vos Ephesij qui gentiles estis, vnà cum fidelibus qui ex Iudæis sunt, ædificamini, ipsaque ædificatione efficiamini habitaculum Dei, id est, templū, in quo Deus habiter, id quod per operationem Spiritus sancti, Græcè quidem tantum legitur *in spiritu*; cōsentientibus Latinis Hieronymo, Ambrosiano, & Primasio; sed per spiritum non alius quam Spiritus sanctus est intelligendus; sicut & paulo in fontibus; vbi dicit *mysterium Christi reuelatum esse apostolis eius & prophetis in spiritu*. Illud obiter notandum est, hanc toto cap. imò passim tota epistola inculcationem Christi, dum toties repetit, *Ipse Christo, In Christo, In quo*; esse eorum Simonis magi scholam, de qua in argumento epistolæ dictum est.

SUMMARIVM.

Mysterium vocationis gentium proficitur sibi diuinitus reuelatum, eiusque prædicationem sibi conceditam: & propter eam se in vinculis teneri. Rogat Deum vt Ephesios corroboret in fide, charitate, & rerum diuinarum scientia.

CAPVT III.

23 **H**VIUS REI GRATIA EGO PAVLVS VINCTVS CHRISTI IESV PRO VOBIS GENTIBVS. Hoc capite vsque ad eum locum propter quod peto &c. commemorat apostolus & commendat ministerium sibi demandatum à Deo ad prædicandū gentibus euangelium Christi. Est autem oratio Pauli vel imperfecta, vt suppleendum aliquid sit, vel hyperbato suspensa, nam verbū quod reddatur illi nomini, *ego Paulus vinculus*, nusquam apparet. Igitur quidam vt Erasmus, Caietanus & Gaignanus perficiunt orationem addito verbo *sum*, vt hic possit esse, sensus. *Huius rei gratia*, scilicet vt vos coædificemini in habitaculum Dei, *ego Paulus sum vinculus Christi Iesu* pro vobis gentibus: sed huic supplemento quod alioqui maximè in promptu erat, resistit articulus præpositus vocabulo *vinculus* in Græco; vt pote trahens suum nomē in partem subiecti: Sic enim sonat ac si Latine diceretur, *Ego Paulus ille vinculus* &c. Commentarius Ambrosianus videtur ita supplere: *Ego Paulus vinculus Iesu Christi legatione fungor pro vobis gentibus.* Sumptū hoc est ex vltimo capite huius epistolæ, *pro qua*, inquit, *legatione fungor in catena*. Hieronymus hanc partem refert ad illam post paululum sequentem *secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum*, & solocismum esse putat in verbis Pauli, quasi dixisset: *Ego Paulus vinculus Christi Iesu, notum mihi factum est sacramen-*

tum;

tum, pro eo quod diceret: *Ego Paulus cognoui sacramentum; vel, mihi Paulo notum factum est sacramentum.* Sed obstat huic constructioni vocula *quoniam* interposita; nisi quis eā redundare dicat. Oecumenius hoc exordium suspendit vsque ad illā partē v. 8. *Mihi onaniam sanctorū minimo data est gratia hæc* &c. cōmutationem autē recti in obliquū excusat exēplis etiam summorum oratorū, Thucydidis & Demosthenis. At verò alij lōgius adhuc hyperbarō faciunt, nimirum vsque ad illa verba, v. 14. *Huius rei gratiā flecto genua*, illic enim videtur apostolus resumere sententiam & absoluerē quam hīc imperfectam reliquerat, dum alia interim, diuino spiritu suggerente, tanquam per parenthesis dicenda occurrerant. Ita Theodoretus & quidam recentiores, quod quidem & nobis præ cæteris placeat. Ac, ne quis miretur, non minus longum hyperbaton est in 1 Cor. 7, vbi cum dixisset, *Nam cæteris ego dico, non Dominus*, multis alijs interpositis, tandem repetit intermissum sermonem, cum dicit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo* &c. Sensus igitur verborum apostoli est: *Huius rei gratiā*, quia videlicet estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati &c, ego Paulus incarceratus & vincus pro nomine Iesu Christi, & quidem vestri causa, eo quod euangelium Christi vobis gentibus annunciauerim; *Flecto genua mea.* *Vinctus*, Græcè *δεσμι* nomen est, non participium, q. d. captiuus Iesu Christi.

24 **S**I TAMEN AVDISTIS DISPENSATIONEM GRATIÆ DEI QVÆ DATA EST MIHI IN VOBIS. Græcè *in vos*, Ambrosiano suffragante. Quia dixerat *pro vobis gentibus*, occasionem inde capit digrediendi ad commemorationem apostolatus sui inter gentes, & reuelationis sibi diuinitus factæ de mysterio Christi gentibus annunciando. Nec illud si tamen, vel vt in Græco *εἴγε*, si quidem dubitantis est, sed potius affirmantis; neque enim ignorare quod hīc dicitur, poterant Ephesij, quibus Paulus ipse euangelium plusquam biennio prædicauerat. Pro dispensatione Græcis est *ἀνομιλία*; qua voce etiam proprie significetur prudens dispensatio rei domesticæ; solēt tamen extendi ad quamcunque legitimam & ordinatam administrationem; qualis imprimis est gratiæ Dei. Iam illud *quæ data est*, ad gratiam, non ad dispensationem referendum esse, Græca manifestè docent. Itaque sensus est: Si tamen audistis vos Ephesij (sicut audistis vos constat) quemadmodum dispensatione ac prouidentia diuina mihi concreditum sit apostolicum munus euangelij vobis gentilibus annunciandi. Munus hoc *gratiam Dei* vocat, quia gratiō collatum ei fuerat à Deo; quod & alibi inculcat, & hīc paulo post repetit.

25 **Q**VONIAM SECVNDVM REVELATIONEM NOTVM MIHI FACTVM EST SACRAMENTVM. Explicat dispensationem gratiæ Dei

quam dixerat. In Græco sic legitur; *quod secundum reuelationem notum fecit mihi mysterium*, ex proximo subaudi, *Deus*. Sensus enim est: nempe quod per reuelationem mihi Deus patefecit mysterium, siue arcanum. Quodnam fuerit hoc arcanum aperit in sequentibus, ibi maximè, *gentes esse coheredes* &c. *Reuelationem* autem intelligit eandem quam refert Gal. 1, vbi de euangelio suo loquens, *neque enim*, inquit, *ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Videtur autem reuelatio fuisse potissimum de tribus. Primum, de mysterio redemptionis ac iustificationis hominum per Christum. Secundum, de vocatione gentium; ac tertium cum mandato coniunctum, scilicet de ipsius Pauli legatione ad gentes. De secundo & tertio peculiariter agitur hoc loco; nam primum mysterium toti doctrinæ apostolicæ commune est.

26 **S**ICVT SVPRÀ SCRIPSI IN BREVI. Græcè, *sicut ante scripsi in modico*. Noster quoque interpretes Act 26 vertit in *modico*. Id hoc loco exponunt plerique, breuiter & paucis verbis. Nam supra fecit mentionem vocationis gentilium: non enim ad reuelationem mysterij factam apostolo, referendum est hoc quod dicit *sicut supra scripsi*, cum de ea nihil prorsus supra dictum sit, sed ad ipsum mysterium reuelatum, de quo egerat in superioribus. Verum, quia non breuiter, sed pluribus in vtroque capite præcedente de eo mysterio egit; idcirco & aliter exponit Oecumenius illud *sicut ante scripsi in modico*, id est, sicut scripsi paulo antè, videlicet in fine capitis superioris. Ibi enim clarissimè locutus est de gentibus in vnam Christi ecclesiam colligendis. Quæ expositio conferenda est cum illis verbis Act. 26, *in modico suades me Christianum fieri*. Quæ à quibusdam sic exponuntur, *Parum abest quin persuadeas* &c. propemodum persuades. Ab alijs sic: Aliquantulum commouisti me sermone tuo vt Christianus fiam. Quod autem nonnulli præsentem locum intelligunt de alia quapiam epistola prius ad Ephesios scripta, merito rejicit Theodoretus.

27 **P**ROVT POTESTIS LEGENTES INTELLIGERE PRVDENTIAM MEAM IN MYSTERIO CHRISTI. *Prudentiam*, Græcè, *σοφειαν*, intellectum, siue intelligentiam: pro quo Hieronymus legit *sensum*, & interpretatur sapientiam, nimirum secundum rem subiectam. Sic enim alibi de ea apostolus: *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, 1 Cor. 2. Dupliciter autem hæc pars exponitur vno modo: Prout potestis exijs quæ supra scripsi, perfectis, intelligere, ac percipere quam scientiam habeam de mysterio Christi, quod dico per reuelationem me didicisse. Aliter; Scripsi vobis non secundum rei magnitudinem, sed iuxta quod potestis legentes capere intelligentiam meam, id est, id quod ego intelligo & capio, de mysterio

C Christi

Christi. Hec Græcorum expositio est, pro qua non nihil facit particula Græca *αὐτῶν* ad quod, vel *iuxta quod*; cuius loco nos legimus, *pro*; tamen possit & ad priorem sensum, qui simplicior est, facile accommodari.

5 QVOD ALIIS GENERATIONIBVS NON EST AGNITVM FILIIS HOMINVM. Græcè, *Quod in alijs generationibus non fuit notificatum filijs hominum*. Ambrosianus legit hoc modo; *Quod in alijs sæculis non fuit notum filijs hominum*. Et rectè, *sæculis*, pro quo alij vertunt, *ætatibus*; non enim de alijs nationibus, sed de alijs temporibus loquitur apostolus; & per *generationes*, sæcula, vel ætates solet significari in scripturis, nemo vel mediocriter in ijs versatus ignorat. Igitur sensus est: Quod mysterium alijs retro sæculis non fuit notum factum hominibus. Laborant hinc commentatores vt explicent quomodo verum sit, mysterium hoc vocationis gentium (nam de eo sermonem esse, liquet ex sequentibus) non fuisse olim notum hominibus: quandoquidem nec illum latuit, cui dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; nec cæteros prophetas, à quibus multipliciter prænunciatum fuit hoc mysterium. Hieronymus, & alij quidam vrgent, quod dicitur: *filijs hominum*; & dicunt sanctos patriarchas & prophetas quibus illud mysterium reuelatum fuit, consuetudine scripturæ, magis filios Dei, quàm filios hominum vocari. Verùm hoc pacto non consistet discrimen; cum eadem ratione, nec illi quibus tandem reuelatum esse dicitur mysterium, id est, apostoli, & prophetæ noui testamenti, numerandi sint inter filios hominum. Adde quod hæc de filijs hominum, violenta est & coacta interpretatio. Quod cum Hieronymus ipse animaduertat: aliam querit explicandæ difficultatis viam. Et quidem, in eo fermè omnes conueniunt quod dicant veteres illos aliquid ignorasse in hoc mysterio vocationis gentium, quod apostolis reuelatum sit. Non enim simpliciter negat Paulus olim filijs hominum fuisse cognitum hoc mysterium, sed cetera comparatione; *Sicut*, inquit, *nunc reuelatum est sanctis apostolis eius*, &c. Proinde relinquitur querendum quomodo vel qua parte mysterium hoc non fuerit antiquis cognitum, sicut apostolis reuelatum & cognitum fuit. Hinc autem variæ existunt sententiæ. Ambrosianus existimat latuisse prophetas antiquos, quod sine obseruatione legis Mosaicæ gentes futuræ essent gratiæ Dei participes. Alij putant eos nesciuisse, quod gentiles futuri essent, eodem prorsus loco cum Iudæis, quantum ad consortium gratiæ Dei. Sic Primasius & Græcorum nonnulli, ponderantes illud quod dicit apostolus, *Gentes esse cohæredes*, &c. scilicet ex æquo. Sed hi duo commentarij ex ipsis prophetis refelluntur. Prior quidem ex Ieremia & alijs qui de veteris legis abrogatione prophetauerunt; po-

sterior autem, ex illis, quorum testimonijs Paulus Rom. 10 probat non esse distinctionem Iudæi & Græci. Rursus alij dicunt antiquis non fuisse cognitum hoc mysterium corporaliter, id est, ipsarum rerum exhibitione; quomodo cæptum est agnosci, quando gentes cæperunt apostolorum prædicatione conuerti ad fidem. Ita Hieronymus & Chrysostomus cum alijs nonnullis. Alij verò negant olim fuisse palam & publicè cognitum, quomodo cognoscitur tempore noui testamenti. Verùm nec hi commentarij soliditatem habent; non enim dicit apostolus, *Sicut nunc per experientiam & publicè cognoscitur à fidelibus*; sed, *sicut nunc reuelatum est sanctis apostolis*. Restat igitur eorum sententia, quantum mihi videtur cæteris anteponenda, qui dicunt antiquos non ita clarè, plenè, & perfectè mysterium hoc vocationis gentium cognouisse, sicut per reuelationem cognitum est apostolis Christi; vt pote, quibus multæ, singulares ac determinatæ circumstantiæ huius mysterij, partim à Christo cum ipsis adhuc conuersante, partim à Spiritu sancto post Christi ascensionem in cælum, reuelatæ sunt, quas vel obscurè tantum, & sub velamine cognouerant olim prophetæ, vel omninò non cognouerant. Vnde Petrus de illis dicit 1 ep. 1. *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi*. Apostolis autem factas fuisse reuelationes de particularibus illius mysterij circumstantijs, quo ad modum, tempus, locum, personas &c. probant exempla Petri & Pauli & Philippi diaconi in Act. 8. 10. 13. 16. 18 & 23. Hoc modo difficultatem expedit B. Thomas in commentario, & 1. q. 57 ar. 5 ad 3. Item Caietanus, alijque recentiores, hinc sensum colligentes ex eo quod sequitur,

SICVTI NUNC REVELATVM EST SANCTIS APOSTOLIS EIVS ET PROPHETIS IN SPIRITV. Id est, eo modo quo nunc idem Christi mysterium per Spiritum sanctum reuelatum est sanctis apostolis eius & prophetis qui sunt in ecclesia. Manifestè enim hinc loquitur de prophetis noui testamenti, de quibus, & capite sequenti, & in prima ad Cor. epistola, quales Agabus, & alij qui nominantur Act. 13. Verisimile est autem hos prophetas non solum nouas accepisse reuelationes ad hoc Christi mysterium pertinentes, verùm etiam, in exponendis scripturis antiquorum prophetarum, instructos fuisse à spiritu diuino, vt ea clarius explicarent, quæ ab illis dicta vel etiam intellecta fuerant obscurius. Iam sequitur mysterium.

6 GENTES ESSE COHÆREDES, ET CONCORPORALES ET COMPARTICIPES PROMISSIONIS EIVS IN CHRISTO IESV PER EVANGELIUM. *Cohæredes*, id est, vnà cum Iudæis eiusdem hereditatis cælestis consortes, tanquam Dei filios; Et *concorporales*, id est, eiusdem corporis membra sub vno capite Christo. Et *complices promissionis*,

hoc est,

hoc est, promissæ benedictionis eius, scilicet Dei, vel Spiritus sancti; idque in Christo, id est, per meritum Christi; & per euangelium gentibus annunciandum, id est, per euangelij prædicationem in omnes gentes. Porro benedictionem promissam intellige, de qua dictum est ad Abraham, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Quæ quidem benedictio comprehendit omnia bona noui testamenti, breuiter significata nomine gratiæ & gloriæ.

7 CUIVS FACTVS SVM MINISTER SECVDVM DONVM GRATIÆ DEI. Redit ad commemorationem apostolatus sui, quoungebatur inter gentes. Cuius, inquit, euangelij gentibus annunciandi factus sum ego minister & præco; non meis meritis, sed ex liberali & gratuito dono Dei, qui me indignum ad tantam dignitatem assumpsit.

QVÆ DATA EST MIHI SECVDVM OPERATIONEM VIRTVTIS EIVS. Græcè, *Quod datum est mihi*. Refertur enim participiū Græcū ad donū, tamen sēsus eodè recidit, hoc enim est quod dicit; *Quod gratuitū donū apostolici muneris ita mihi concessum est à Deo, vt etiam, ad eiusdè doni administrationē, efficax sit in me diuinæ virtutis operatio*. Nam huiusmodi operationem significat Græca vox *ἐνεργεῖα*. Quæ quidem à Deo sibi adfuisse in euangelio gentibus prædicando, etiā alibi testatur. *Qui*, inquit, *operatus est Petro in apostolatu circumcissionis, operatus est & mihi inter gentes*. Gal. 2. Intelligit autem efficaciam operationis diuinæ non solum quoad interiore mētium cōuersionem eorum quibus prædicabat, de qua Dominus ait in euangelio. *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ*. Mat. 3. Verùm etiam quoad miracula pro cōfirmatione euangelij foris exhibita; iuxta illud quod de apostolis dicitur Marc. vlt. *Prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis*. De qua cooperatione diuina sibi facta præclare loquitur Paulus ad Ro. 15.

8 MIHI OMNIUM SANCTORVM MINIMO DATA EST GRATIA HÆC. Repetitio est eius quod dixerat, *Quæ data est mihi*; sed cum incremento rhetorico, tam ex parte pronominis, *mihi*, quàm ex parte gratiæ sibi datæ. Vtrūque enim exaggerat; alterum hinc, alterum subsequenter verbis. Nec querenda est cōiunctio qua connectitur hæc periodus cum superiori: quasi enim sic dicit: *At mihi*, inquam, *omnium sanctorum minimo*, &c. Vt autem intelligatur quanto cum affectu humilitatis, ac sui depressione, dictum hoc sit à Paulo; conferatur hic locus cum illo 1. Cor. 15, vbi vocat se minimum apostolorum; & ex collatione æstimari poterit, quantum post illam ad Corinthios scriptam epistolam, postq; tam multos interea labores pro Christo susceptos, in humilitate profecerit. Nam illic se postponit omnibus apostolis; hinc verò omnibus sanctis, id est, Christianis. Et illic quidem se minimum vocat, Græcè *ἐλάχιστος*; hinc autem, vt ita dicā, minimissimum. Nam in Græco comparati-

uus est ex superlatiue formatus, *ἐλάχιστος*, ac si dicas, *mibi infirmiori omnium sanctorum*. Similia extant apud alios multos maximæ sanctitatis electos Dei; inter quos B. Ignatius in epist. ad Smyrneses; Omnes saluto: & non sum dignus esse vltimus eorum. Sed secundū Dei voluntatem dignus effectus sum; non ex mea prouidentia, sed ex gratia Dei. Iam quo sensu minimum, siue vt legit Hieronymus, infimum omnium sanctorum seipsum vocet apostolus, idque non mendaciter (neque enim in mendacio consistit humilitas) sed veraciter; discimus ex eodem loco ad Cor. vbi rationem hanc eius quod dixerat se minimum apostolorum, subiungit, *Quoniam*, inquit, *persecutus sum ecclesiam Dei*. Nam ea ratio quadrat etiā in hunc locum, vt propterea se dicat omnium sanctorum minimum, quia si cōsiderentur eius merita fidè præcedentia, causam nō habebat se præferendi cuiquā Christiano, sed omnibus postponedi; quia nimirū persecutus fuerat ecclesiam Dei, quod nullus alius Christianus tāto animo & studio fecerat. Eadè ratione se vocat primū inter peccatores 1 Tim. 1. Sic autem de se loquitur apostolus, tum vt ex cōparatione suæ indignitatis, magnitudinem diuini erga se beneficij commendat, tum vt seipsum, ad tantam excellētiā gratiæ, de qua hinc differit, vocatum, muniat aduersus temptationem superbæ. Iam verò cum huiusmodi sermo veritate nitatur, vt ex dictis patet; illud etiam manifestum est, apostolum hinc non incurrere in vicium quod morales philosophi ironiā vocāt, dum quis dicit de seipso minora quā animo sentiat. De quo Thomas 2. 2. q. 113. Queritur autē an similiter vnusquisque Christianus de se loqui ac sentire debeat, se minimum esse omnium sanctorū, vel etiam omnium hominū. Respondeo debere; non quidem ea ratione qua hoc dixit apostolus, scilicet ex cōsideratione pristini status; sed eo sensu quo Dominus in euangelio præcipit vniciuicque, dicens: *Vade recumbe in nonissimo loco*. Luc. 14. & quod dictum est à Paulo Philip. 2. *In humilitate superiores sibi inuicem arbutantes*; cuius præcepti sensus explicabitur suo loco. Porro quod ait: *Data est gratia hæc*; munus apostolicum gratuito sibi collatum intelligit, de quo sequitur.

IN GENTIBVS EVANGELIZARE INVESTIGABILES DIVITIAS CHRISTI. *Inuestigabiles* dixit interpres negatiuè, nō vestigabiles, sicut Ro. 11. pro quo Hieronymus, *inuestigabiles*, Ambrosianus autem, *incomprehensibiles*. Sic enim, & quidem explicatius, legit, *Vt in gentibus euangelizem, incomprehensibiles diuitias Christi, & illuminem* &c. Per *inuestigabiles* siue *incomprehensibiles diuitias Christi*, significat immensitatem beneficiorum Christi, id est, eorum quæ per Christi meritum abundantissimè, velut ex infinito thesauro, nobis à Deo conferuntur. Alij interpretantur inuestigabiles, eo quod superent omnem naturalem inquisitionem.

9 ET ILLUMINARE OMNES. Quamuis

Christo propriè & principaliter competat illuminare homines, iuxta illud Ioan. 1. *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem*; qui & de seipso prædicat, *Ego sum lux mundi*; Ioan. 8. at tamen participatione ac ministerio etiã apostoli, sicut lux mundi vocatur à Domino Mar. 5. sic & illuminare dicuntur hoc loco. Vnde & Dionysius, cælestè & ecclesiasticã describens hierarchiã, docet tam angelos quàm homines ecclesiæ ministros, alios purgare, alios illuminare, alios perficere. Notanda sunt hæc cõtra hæreticos, qui quoties aliquid tale sanctis tribuitur, Christi interpretantur iniuriam. Quare nec placet improba cura Erasmi, qui vertere maluit, *Et in lucem proferam omnibus*; quiq; in annotationibus suis ita scribit; neque Paulus illuminat homines, sed in lucè profert, & perspicuū facit omnibus, quod antea recõditu erat: Nõ placet, in quã; quia Paulus disertè affirmat se illuminare omnes, vsus eodè verbo Græco quo Ioannes euangelista scribens de Christo: *Qui illuminat omnè hominè*. Quare negãdū hoc de Paulo nõ erat; nec in textu quidquam mutandū; sed in cõmentario exponendum. Verè enim Paulus illuminat, non quomodo Christus, fidem operando in cordibus hominum; sed vt dictum est, externo ministerio prædicationis euangelicæ. Dicit autem *omnes*, quia sic iussus erat euangelium gentibus prædicare, vt nullū genus hominum, nec vllū omninò hominè, ab euãgelio repelleret.

QUA SIT DISPENSATIO SACRAMENTI ABSCONDITI A SÆCVLIS IN DEO. Pro dispensatione Erasmi *communione* vertit, secutus codicè Græcū mendosum, vt arbitror, in quo legebatur *κοινωνία*, pro *ἀνομιὰ*, nã codices emendatiores, & interpretes omnes tam Græci quã Latini *ἀνομιὰν*, dispensationē, legunt; quã & supra nominavit, dicens: *Si tamen audistis dispensationē gratiæ Dei &c.* Atq; ex hoc loco videtur sumptū quod Theologi veteres Christi incarnationē passim vocant œconomiam, ac sub eo nomine cõprehendunt quæcūq; in carne assũpta gessit aut passus est Christus; quòd nimirū ea omnia pertineant ad sapientissimã procurationē salutis humanæ, quæ per Christū est. Vnde Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanū, de Apollinari loquens, qui Christo adimebat animam rationale, quæ est altera pars humanæ naturæ; dicit eū dimidiatã Christi introduxisse œconomiam. Porrò sensus apostoli est: Vt omnibus manifestem quomodo visum fuerit Deo in hoc tẽpore exsequi mysteriū suæ arcanū illud admirabile, quod apud ipsum à sæculis, id est, toto superiori tempore, erat absconditum, hoc est, ei soli notum. Quod intellige quoad noticiam particularium circumstantiarum; quomodo supra interpretari sumus illud; *Quod alijs generationibus nõ est agnatum filiis hominum*.

QUI OMNIA CREAVIT. *Omnia*; nulla re prorsus excepta, quæ vel sit, vel fuerit in rerū natura. Hoc adiectum putant propter scholã Simonis magi, quæ docebat mundū corporeū

factum esse ab angelis. Græci codices hñc addunt, *Per Iesum Christū*. Quod si referatur ad particulam proximè præcedentem, intelligi debet de Christo, vt Deo, ac Dei filio; sicut illud in euãgelio: *Omnia per ipsum facta sunt*. Ita de Christo loquitur apostolus Col. 1. *Quonia in ipso condita sunt vniversa &c.* Si quis autem, propter expressa nomina, *Iesum Christū*, magis putet significari meritum passionis Christi, vt ferè in similibus; poterit referre ad illa verba, *Quæ sit dispensatio sacramenti*; nam illius mysterij executio fit per meritum Christi hominis.

VT INNOTESCAT PRINCIPIBVS ET POTESTATIBVS IN CÆLESTIBVS, PER ECCLESIAM, MULTIFORMIS SAPIENTIA DEI. Græcè, *Ut innotescat nunc principibus & potestatibus &c.* nec secus legit Hieronymus. Cum his, in vocabulo, *principibus*, cõsentiant Latina quædam manuscripta, quibus & Clementina suffragatur editio; Vox etiã Syriaca principatus, non principes significat. Certè apostolus & hñc & alibi nomina huiusmodi recensens, semper *ἀρχαί*, id est, principatus, scribit, vt 1 & vlt. cap. huius epistolæ, Rom. 8. Col. 1 & 2. Principatus autem & potestates esse nomina ordinum angelicorum, & sub ijs ceteros angelorū ordines cõprehedi; ex aliorum locorū collatione facillè patet. Sed queritur, boni an mali intelligantur hoc loco. nã hæc nomina principatus & potestates etiam malis spiritibus aliquando tribui, cõstat ex vltimo cap. præsentis epistolæ, & ex Col. 2. nec non ex 1 Cor. 15. Itaque cõmentarius Ambrosio inscriptus etiã hñc locum de malis exponit. Didicerūt enim & illi per experientiam mysteria sapientiæ Dei, de quibus hic sermo, tunc quando completa sunt: quemadmodum satis declarat euangelica & apostolica historia. Verùm quod in eodem cõmentario additur, ideo malignis spiritibus hanc Dei sapientiam innotescere, vt exemplo ecclesiæ per Christum saluat, etiam ipsi ab errore resiliant, & assensum tyrannidis diaboli deferant; id nullo modo recipiendum est; vtpote Catholicæ doctrinæ contrarium, atque in Origene damnatum. Hieronymus quoque cõmentarium de malis angelis absolute rejicit. Porrò de bonis cū Hieronymo locum hunc interpretantur alij penè omnes rã Latini quã Græci, nisi quòd Chrysostomus ad vtrosque referre videtur. Similis est apud apostolum locus 1 Tim. 3. vbi de hoc eodem mysterio verba faciens, dicit ipsum angelis apparuisse, id est, innotuisse. Sed & illum locum, etsi cõmuniter de bonis angelis intellectū; author memorati cõmentarij de angelis errore imbutis, id est, malis interpretatur. Neque ex loci circumstantia certò colligi potest præcisè de bonis intelligendum esse; sed pro his manifestior locus est in prima epistola Petri 1. vbi de mysterijs per apostolos annunciatis, dicit; *In qua desiderant angeli prospicere*, id est, quorum mysteriorum cognitione, angeli mirificè delectantur, cū desiderio, quo adhuc amplius, & plenius ea cognoscere cupiant.

Quod

Quod sanè ad malos angelos, qui ob illa cognita dolent & cruciantur, referri nullo modo potest. Igitur & hunc locum de solis bonis accipi consentaneum est; tameri generale cõmentarium vtrosque comprehendentem non omninò rejicimus; non obstante eo quod additur, *in cælestibus*, nam & malos esse in cælestibus, ex vltimo cap. huius epistolæ manifestum est. Querendum quomodo multiformis sapientia Dei bonis angelis innotuerit demū tẽpore apostolorū, cū dubitari nõ possit angelos omnia cognouisse quæcūq; de mysterio Christi fuerūt antiquis patribus reuelata, & quidè eo tẽpore quo reuelabatur; Nam vt docet Dionysius l. cælestis hierar. c. 4 & 7, & August. l. 7 de ciuit. cap. 32. non aliter quàm per angelos diuina mysteria hominibus innotescūt. Vnde nõ cõsistit eorū opinio qui simpliciter affirmat incarnationis Christi mysteriū angelos in vniuersū latuisse, donec reipsa cõpleretur; vt nec eorū qui dicūt angelos ignorasse mysterium gloriæ gētium, de qua supra *gentes esse coheredes &c.* quæ videtur esse sententia Græcorū. At ea facillè refellitur ratione iã dicta, quia memorata mysteria prophetis reuelata fuerunt, vtique nõ nisi per angelos. Alij respondent, angelis superioribus hæc mysteria cognita fuisse, quatenus per eos erant hominibus reuelanda; inferioribus autem prorsus incognita. Ita sentiūt Haimo scribès in hunc locū, & Petrus Lombardus l. 2 sent. dist. 11. Sed hæc responsio textui repugnare videtur. Nõ enim dicit apostolus, vt innotescat angelis & archangelis; sed, *principibus & potestatibus*, qui sunt ordines superiores. Quod & à Græcis tractatoribus obseruatū est: Qui quidè Pauli verba sic accipiunt, vt nec superiores angeli mysteriū vocationis gentiū cognouerint, priuquã inciperet impleri; & huius suæ sententiæ authorè citant Gregoriū Nyssenum h. 8 interpretationis Cantiorū, sed hoc iam improbatū est. Dicèdū igitur omnes angelos ab initio quo beati facti sunt, cognouisse mysteriū incarnationis Christi, quoad eius substantiã; ac deinde progressu tẽporis accepisse cognitionē multorū mysteriorum ad Christū & ecclesiã pertinentiū (nominatim eius quod de gentiū vocatione) prout ea per ipsorū ministerium innotescere debebant hominibus. Quod profectò de quibusdam angelis negari nõ potest, scilicet ijs per quos reuelationes fiebāt; licet & de cæteris omnibus valde probabile sit. Nõ enim homines, quãuis prophætæ, mysteriorum scientia superabant angelos. At verò quoad particulares rationes & circumstantias, multa de mysterijs Christi & ecclesiæ nescierunt angeli tam superiores quàm inferiores, donec ea rebus ipsis iam compleri inciperent. Quemadmodum & supra de prophetis veteris testamenti, diximus multas mysteriorum circumstantias apostolis postea cognitâs, eos latuisse. Hæc sententia est B. Thomæ in huius loci cõmentario, quam & plenius explicat in summa p. 1. q. 57. ar. 5. de qua nos

etiã pluribus egimus in 2 sent. dist. 11. Atq; hæc sententiã, antea ab Hieronymo indicatã, plariq; posteriores sequuntur. Restat exponendū quomodo dicat apostolus sapientiam Dei angelis innotescere *per ecclesiã*. Hinc enim opinati sunt quidã angelos ab hominibus qui in ecclesiã sūt, id est, ab apostolis edoctos fuisse quãdã mysteria, vt hoc pacto apostoli non tantū hominū, sed etiã angelorū, doctores ac magistri fuerint. Sed hoc bene refellit Thomas in cõmentario & p. 1. q. 117. ar. 2. Itè Caietanus & alij. Nõnulli illud, *per ecclesiã*, iungunt sequentibus, hoc sensu, vt multiformis Dei sapientia per ecclesiã sparsã vel declarata, innotescat principibus &c. Verùm huic cõstructioni obstat articuli collocatio in Græco, dicendum enim fuisset, *ἡ δὲ τῆς ἐκκλησίας πολυμορφία*, Quare non aliò quàm ad verbum, *innotescat*, referri posse videtur particula, *per ecclesiã*; non vt significetur Dei sapientiam angelis innotescere per ecclesiã docentem, sed per ea quæ in ecclesiã gerūtur, siue per executionem mysteriorū in ecclesiã. Tota igitur apostoli sententia sensum hunc habet; Mihi data est hæc gratia prædicandi & manifestandi omnibus dispensationē sacramenti absconditi in Deo; vnde fit vt etiã principibus ac potestatibus, cælestibusq; ordinibus angelicis, quorum habitatio est in locis cælestibus, nota fiat illa multiplex ac varia Dei sapientia quoad arcana mysteria Christi & ecclesiæ per eam disposita; Fiat (inquam) nota per ecclesiã; dum in ea quotidie cõplentur tot & tanta, tamque multiplicia diuinæ sapientiæ opera, prius in Dei mente recõdita. Particulam, *per*; consecutiue, non causaliter exponimus, Thomam secuti; nõ enim prædicationis apostolicæ finis est vt angelis innotescant mysteria, sed hoc bonum inter alia ex illa prædicatione cõsequitur. Liqueet etiã quo sensu *Dei sapientia*, quæ in se vna est & simplicissima, vocetur *multiformis*, Græcè, multivaria; nimirum propter operum, siue effectuum eius multiplicē varietatem; in quibus illa relucens, quodammodo multiplex & varia apparet.

SECUNDVM PRÆFINITIONEM SÆCVLORVM QUAM FECIT IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Græcè, *secundum propositum sæculorum*; sicq; Hieronymus & Ambrosianus legunt. Sensus est, Innotescere & aperiri mysteria suis temporibus quibus implentur; idq; secundum propositū Dei, quo ab æterno cõstituit, ac præfiniuit in Christo, certa sæcula seu tempora quibus illa mysteria exsequerentur. Dicitur autem hæc sæcula *præfiniuisse in Christo*, quia sicut tota salus nostra per Christum est, ita & tota salutis dispositio, quantum ad loca, tempora, modum, ordinem, &c. Sciendum est autem textum quo Hieronymus vtitur sic habere, *Secundum propositum sæculorum, quam fecit in Christo*. Iuxta quam versionem, relatiuum, *quam*, non potest ad *propositum* referri, genere repugnante, sed vel ad *ecclesiã*, vel ad *sapientiam*, referri

C 3

debet.

debet. Atque hoc posterius eligit Hieronymus; qui existimat significari quod multiformis sapientia Dei, non illa increata, sed quam Deus fecit, id est, creauit in Christo homine, innotescat angelis. At alijs plarisque magis placet ut relatiuum Græcum referatur ad *θεος θεων*, sensu iam dato; ut potius uertendum fuerit, secundum propositum saculorum quod fecit in Christo. noster interpretæ cū uertit *Secundum præfinitionem saculorum, quam fecit*; ambiguitatem Græcæ lectionis cōsultō retinuit, ut liberam expositori electionem trium sensuum quos enumerat Hieronymus, relinqueret. Quod si Paulus scripsisset, *quæ fecit in Christo*, nempe sæcula; quomodo Chrylostomum legisse Theophylactus affirmat: vnus & expeditus esset sensus, quo similiter de Christo dictum est ad Heb. i. *Per quem fecit & sæcula.*

12 IN QVO HABEMVS FIDUCIAM ET ACCESSVM IN CONFIDENTIA PER FIDEM EIVS. Id est, per quem Christum nos fideles habemus audaciam accedendi, seu liberum ac intrepidum accessum (Græcè, *περσπρωγην*, admissionem) ad Deum, cum fiducia impetrandi, quam fides in nobis parit. Parit autem fides Christi fiduciam impetrandi; quia per fidem cognoscimus Christum nobis à Patre datum ut mediatorum ac propiciatorem nostrum: Quæ res fiduciam diuinæ propiciationis in nobis excitat. Ex hoc loco sequitur fidem & fiduciam non idem esse, quod uolunt hæretici; sed hanc ex illa oriri. Nonnulli fiduciam priori loco interpretantur libertatem & audaciam prædicandi euangelij apud quoscunque, nam Græca dictio *παρρησία*, libertatem loquendi significat, quam interpres modo fiduciam, modo constantiam uertit, ut Act. 4, & huius epistolæ ultimo capite. Quibus locis sermo est de euangelio liberè atque intrepidè prædicando apud homines. Verùm huic loco magis congruit illa loquendi libertas, qua Deum sine trepidatione ac metu seruii, orantes alloquimur, confisi meritis intercessoris Christi filij eius; facitque hic sensus ad perstringendos Simonianos, qui per angelos tanquam mediatores purgari nos oportere dicebant, officium quod soli Christo cōpetit in illos transferentes, sicut expressius indicatur in epistola ad Col. 2. Quæres, cur non in eandem reprehensionem incidant catholici, dum sanctos inuocant: Respondeo catholicos nequaquam alijs sanctis tribuere, quod Christo proprium est; sicut Simoniani faciebant: sed sanctos inuocando tantum adhibent eos ut comprecatores, quorum orationes, perinde ut nostræ, non ualeant, nisi per Christum, qui solus per seipsum gratus est Deo. Sic Paulus aliorum fidelium pro se orationes passim flagitat, absq; iniuria Christi mediatoris. Id autem faciendum nobis est, tum ne quis uultu Dei indignus, non cum fiducia, sed cum impudentia accedat, tum ut per orantium multitudinem & meri-

ta, crescat nobis apud Deum impetrandi per Christum fiducia.

13 PROPTER QVOD PETO NE DEFICIATIS IN TRIBVLATIONIBVS MEIS PRO VOBIS. Cū igitur, inquit, ad tantam dignitatem uocati sitis, eiusque consequendæ fiduciam habeatis per Christum: rogo vos ne animo deficiatis propter afflictiones meas & vincula quæ patior uestri causa, scilicet ut, pro munere mihi delegato, vos gentiles adducam ad participationem tætorum bonorum in Christo. Hieronymus annotat infinitiuum Græcum *μη ἐκκλινεῖν*, non deficere, posse etiam reddi uerbo primæ personæ, *ne deficiam in tribulationibus meis*. Quod etsi ita sit, & Hieronymus etiam de prima persona exponat: ipsa tamen sententia, ac loci contextus sicut Hieronymus fatetur, secundam personam magis exigit; quomodo & Græci omnes interpretantur.

14 QVÆ EST GLORIA VESTRA. Id est, quæ tribulationes cedunt in gloriam uestram; tantum abest ut vinculorum meorum uos pudeat. Afflictiones & vincula Pauli erant gloria eorum pro quibus patiebatur: quia inde apparebat quanti Deus eos faceret, qui non modò filium suum, sed & apostolos eius pro salute illorum pateretur affligi. Huc usq; hyperbaton. Nunc redit ad absolueudam sententiam quam initio capitis suspensam reliquerat.

14 HVIVS REI GRATIA FLECTO GENVA MEA AD PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Huius, inquam, rei gratia, quia scilicet *estis cines sanctorum & domestici Dei*, &c. Rursum, *quia coheredes estis & concorporales & conparticipes promissionum*; ego Paulus uinctus Iesu Christi pro uobis genuib; flecto genua mea ad patrem, id est, humiliter oro Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, nam genuflexio humilitatem significat orantis. Quid autem oret, paulò post dicit.

15 EX QVO OMNIS PATERNITAS IN CÆLIS ET IN TERRA NOMINATVR. Multi codices habent, *calo*, sed, *calis*, germana lectio est, quæ & Clementina probat editio. Porro Græca vox *πατρία*, quæ interpres uertit *paternitatem*, significat familiam seu cognationem eorum, qui ab vno patre, ceu piincipe generis, orti sunt. *Parentelam* quidam dicere malunt. Id ipsum autè etiam uocabulo *paternitatis* apud Latinos significari, satis indicat Hieronymus in commentario, & libro contra Heluidium. Vulgata versio pro Græca dictione aliquando familiam, aliquando patriam reponit: ut psal 21 & 95 & alibi; sed eadem semper significatione quam dixi. Illud, *Ex quo*; licet ad Christum referri possit: multo tamen conuenientius (quod omnes interpretes faciunt) ad patrem refertur; ut sensus sit; Ex quo patre omnis familia siue angelorum in cælis, siue hominum in terra, quantūcunque ea magna sit ac celebris, existit, & originem accipit; Ad quem, ut patrem & caput, omnes familiæ, etiam nominatissimæ reuocandæ sunt. Di-

ctum

ctum hoc contra scholam Simonis, qui plura principia, uelut plures Deos introducebat. ubi vicissim cauendus error Valentini, qui, teste Hieronymo, sæculorum suorum parabolas atque coniugia ex hoc uel maximè loco, confirmanda putauit. Non enim *familias in cælis* carnaliter intelligere debemus, ut ex coniugijs ortas; sed metaphoricè pro certis ordinibus seu classibus, in quas uelut illustres familias, angeli pulcherrimo ordine distributi sunt; quorum tamen omnium princeps & pater est Deus. Sequitur nunc quid oret patrem.

16 VT DET VOBIS SECUNDVM DIVITIAS GLORIÆ SVÆ. Id est, secundum immensam largitatem ac bonitatem suam in qua glorificatur. Nonnulli *gloriam* interpretantur gratiam, parum solidè.

VIRTUTEM CORROBORARI PER SPIRITVM EIVS IN INTERIORI HOMINE. Veram lectionem arbitror casibus commutatis, *Virtute corroborari per spiritum eius in interiorum hominem*. Sic enim habent Clementina biblia, suffragantibus manuscriptis & Græco textu, à quo nec Latini Hieronymus & Ambrosianus dissentiant. Primasius quoque, *virtute*, legit ablatiuo casu. Sensus autem est, Oro det vobis ut virtute seu fortitudine ab eo accepta corroboremini aduersus omnes tentationes, per spiritum ipsius, ad profectum interioris hominis; scilicet, eius qui dum exterior homo corrumpitur; renouandus est de die in diem, 2 Cor. 4. Est enim interior homo, quemadmodum eo loco declaratum est, mēs hominis uel ipse homo, secundum mentem, & eas potentias quæ sunt animæ rationali propriæ.

17 CHRISTVM HABITARE PER FIDEM IN CORDIBVS VESTRIS. Item oro det vobis, inquit, ut Christus habitet per fidem in cordibus uestris, id est, ut Christus internum hominem uestrum inhabitet, & in eo maneat, ut sitis habitaculum ac templum Christi; idq; per fidem qua in eum creditis. non quòd fides sine cæteris uirtutibus sufficiat hominem constituere templum Dei; sed quia fides fundamentum est cæterarum, & professionem habet totius iusticiæ. Per fidem ergo sic demum Christus in nobis habitat, si fundamentò structura, & professioni opera respōdeant; hoc autem præstat charitas de qua sequitur.

IN CHARITATE RADICATI ET FVNDATI. Ut oratio constet, supplendum aliquid, hoc aut simili modo; *Ut sitis in charitate radicati & fundati*, id est, Det etiam uobis ut in charitate sitis benè firmati, ut charitas uestra firma sit & constans. Quæ firmitas, radicationis & foundationis nomine per tropum significatur. Theophylactus hanc partem cum ea quæ proximè annectit, ita connectit, Christum habitare per fidem in cordibus uestris; quod assequemini, si in charitate radicati sitis & fundati. Alij per hyperbaton particulam, *ut*, quæ continuo sequitur huc transfe-

tunt; *ut in charitate radicati & fundati possitis comprehendere &c.* Sic Caietanus; eandemque constructionem, post alias, adfert Oecumenius. Quin & ipsum textum apostoli, legit ad hunc modum Ambrosianus. Sed quod primum posui, simplicius est ac probabilius.

18 VT POSSITIS COMPREHENDERE CVM OMNIBVS SANCTIS. Hoc inquit, etiam oro, det uobis, ut possitis, siue quòd Græca uox sonat, ualeatis animo comprehendere & assequi, maximè quo ad affectum, id est, seriò perpendere, ac dignè æstimare cum cæteris omnibus fidelibus, seu Christianis, hos enim ubique sanctos uocat.

QVÆ SIT LATITVDO ET LONGITVDO ET SVBLIMITAS ET PROFVNDVM. Duo postrema commutant ordinem in Græco, nec non apud Hieronymum; *Et profunditas & altitudo*. Videtur autem apostolus his uerbis significare mysteriorum Christi magnitudinem sub typo quodam quatuor extensionum corporalium ac sensibilibus; quas easdem sed contrario ordine enumeratas, Deo tributas legitimus Iob 11, his uerbis; *Excelsior calo est, profundior inferno, longior terra, latior mari*. Quod est vno uerbo dicere, Immenus est & infinitus; ad quem locum Thomas arbitratu apostolum hic alluisse. Breuiter ergo sensus hic reddi potest; Ut possitis comprehendere quæ sit, & quanta eius mysterij quod uobis prædicati, magnitudo, dignitas, maiestas. Atque ita ferè Græci commentatores. Cæterum existimandum est apostolum, sicut alibi mysteriū baptismi, mortis, sepulturæ, ac resurrectionis Christi tractat allegoricè, ut Ro. 6, Col. 2 & 3, ita hoc loco innuere uoluisse quandam allegoriam fundatam in figura crucis dominicæ; cuius longitudo consideratur in ligno erecto à terra sursum usque ad lignum transuersum, latitudo in ipso ligno transuerso, sublimitas, siue altitudo in ea parte quæ ligno transuerso supereminet, & cui affixa erat tabella causam crucifixionis Domini indicans; Profundum denique in ea parte ligni quæ infixæ terræ uideri non poterat. Porro iuxta mysterium, longitudo temporum est, latitudo locorum, altitudo gloriæ, profunditas discretionis. Comprehendit ergo longitudinem crucis, qui didicit ab initio mundi usque ad finem neminem iustificari aut saluari nisi per crucem & passionem Christi. Comprehendit eius latitudinem, qui cogitat ecclesiam toto orbe diffusam processisse ex latere Christi in cruce mortui; uelut Euam ædificatam ex latere uiri dormientis. Comprehendit eius altitudinem, qui secum reputat, quanta sit cælestis gloriæ sublimitas & excellentia, ad quam nos prouehit humilitas crucis Christi. Denique comprehendit eius profundum, qui considerans arcanum diuinæ electionis ac discretionis hominum è massa communi, & signum Tau paucorum frontibus inscriptum; cum apostolo exclamat: *O profunditas diuitiarum sapientie & scientie Dei; quam incomprehen-*

Rom. II.

C 4

sibilia

sibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius! Hanc crucis allegoriam paulò aliter explicat Augustinus in epistola 112 de videndo Deo cap. 14. Ego, inquit, haec verba apostoli sic intelligere soleo. In latitudine, bona opera charitatis; In longitudine, perseverantiam in bonis usque in finem; In altitudine, spem caelestium premiorum; In profundo, inscrutabilia iudicia Dei, unde ista gratia in homines venit: Et hunc intellectum coaptare etiam sacramento crucis, &c. quæ latius ibi profecit; ac similia tradit epistola 110, cap. 26 & 36. De doctrina Christiana lib. 2, cap. 41. & super Ioannem tract. 118. Augustini interpretationem sequuntur Anselmus & Thomas in commentarijs, licet tam apud hos auctores quam apud Hieronymum, Oecumenium, Caietanum, & alios, alijs adhuc modis non improbandis huius loci mysterium explicatum inueniatur.

19 SCIRE ETIAM SUPEREMINENTEM SCIENTIÆ CHARITATEM CHRISTI: Scientiæ genitius est in Græco; unde alij tollendæ causa ambiguitatis vertere malunt cognitionis. Nihil tamen obstat, quo minus vocabulum genitui casus in Græco, per datium reddatur in Latino, seruata nimirum vtriusque lingue proprietate: quomodo genitius per datium redditur Iaco. 2. Superexultat misericordia iudicio, secundum citationem veterum. Hoc modo sensus est: Et ut possitis scire, id est, animo completi, ac pro dignitate aestimare charitatem Christi, qua nos dilexit; eamque supereminentem scientiæ, id est, excedentem noticiam nostram, ac maiorem quam ut penitus a nobis intelligi possit. Ita paulò inferius dicitur Deum posse omnia facere supra quam intelligimus. Et Philip. 4. Pax Christi qua exsuperat omnem sensum: Hæc Græcorum expositio est, eademque facilis & perspicua, ut non sit opus aliorum duriores ac minus probabiles interpretationes huc adferre. Videri autem potest apostolus respicere ad Gnosticos, qui hoc superbo nomine se nuncupauerunt à scientia quam sibi peculiariter vendicabant. Virtutem enim vocabulo γνῶσις, unde γνῶσις. At qui longè maius est scire charitatem Christi; ut pote, quæ vniuersam Gnosticorum, omniumque philosophorum scientiam excedit; quia mysterium charitatis Christi, qua semetipsum pro nobis tradidit, in cor hominis cuiusquam non ascendit; sicut in genere de huiusmodi mysterijs sapientiæ Christianæ testatur apostolus 1 Cor. 2.

VT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITUDINEM DEI. Cohæret cum proximè dictis. Refertur autem ad omnia simul sumpta; quæ iam dixit se pro Ephesijs Deum orare, per illam enim fiet ut impleantur &c. Sensus est: Ut omnium donorum Dei perfectione repleamini; ut omnibus Dei donis abundetis. Hoc accipiendum iuxta modum & profectum huius vitæ; quomodo dicit ad Cor. 1 ep. 1. In omnibus diuites facti estis in illo; in omni verbo, & in omni scientia, ita ut nihil vobis desit in vlla

gratia. Nam & initio huius epistolæ dixit; Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo.

20 EI AUTEM QUI POTENS EST OMNIA FACERE SUPERABUNDANTER QUAM PETIMVS, AVT INTELLIGIMVS. Concludit superiorem sermonem hac coronide, glorificationis Dei. In Græco est, Super omnia facere superabundanter. Similiter Hieronymus, nisi quod comparatiuè legat, abundantius, quomodo & Græca veritè possunt. Sensus est: Ei qui potens est, superabundanter & cumularet facere vltra omnia quæ petimus, aut mente concipimus.

SECUNDVM VIRTUTEM QUÆ OPERATUR IN NOBIS. Græcè, secundum potentiam operatam in nobis, id est, quam Deus operatur in nobis. Itaque, operatur, in nostra versione passiuum est. Refertur autem hæc pars ad verbum facere; & significatur virtus seu potentia quæ in nobis est effectus potentiae diuinæ, & per quam ipsi etiam agimus.

21 IPSI GLORIA IN ECCLESIA ET IN CHRISTO IESU, IN OMNES GENERATIONES SÆCVLI SÆCVLORVM; AMEN. Explet sententiam, Et qui potens est &c. Ipsi, inquam, sit gloria in ecclesia, id est, ipsum glorificet vniuersa ecclesia tantis beneficijs ab eo affecta; idque per Christum Iesum; & in omnes ætates omnium sæculorum vsque in æternum. Coniunctio &, licet in Græcis non addatur, Latini tamen veteres eam legunt; quanquam ad sensum non est necessaria.

SVM MARIVM.

Hortatur Ephesios ad unitatem spiritus in vinculo pacis. Ostendit varia esse dona Spiritus sancti collata ad edificationem ecclesie. Monet ut relictis gentilium vitijs, induant novum hominem; & deponant mendacium, iram, furium, aliq; peccata.

CAPVT IV.

OBSECO ITAQUE VOS EGO VINCTVS IN DOMINO. Ab hoc loco vsque ad finem epistolæ doctrina moralis est; ita tamè ut hoc capite paulò post initium, ex occasione; quædam valde vitia interponantur de unitate fidelium, de quæ donis à Christo in ecclesie membra, ad eius utilitatem, distributis. Græcum verbum quod interpret vertit, Obsecro, significat etiã, hortari. Vndeque significatio conuenit huic loco. Quod dicitur in Domino, refertur potest ad verbum, obsecro, siue exhortor, hoc sensu; Obsecro vos per Dominum Christum, sicut dicit ad Rom. 15: Si enim alibi accipitur obsecrare, in Domino, ut 1 Thess. 4; & 2 Thess. 3. Verum magis apparet referendum esse ad proximum nomen, vinctus; ut eo sensu vocet se Paulus vinctum in Domino, quo superiori capite, & in

alijs

alijs epistolis vocat se vinctum Iesu Christi, id est, captiuum & vinculis constrictum propter euangelium Christi Domini quod prædica- bar. Meminit autem vinculorum suorum ad excitandum affectum, quo sit efficacior exhortatio.

VT DIGNE AMBULETIS VOCATIONE QUÆ VOCATI ESTIS. Verti etiam potest, ad quam vocati estis. Sensus; Ut vitam & actiones vestras instituatis, ita ut dignum est vestra vocatione. q. d. Cum tanta sit excellentia vocationis vestræ, quanta declarata est in præcedentibus: ideo cum obsecratione vos exhortor, ut mores & studia vocationi vestræ conformetis; id est, ut sancta sit, & impolluta conuersatio vestra. Id enim explicat post medium capituli. Hic interim subiungit quid coniunctum esse velit sanctæ conuersationi, qua quis sic ut vocatione sua dignum est, ambulat. Estque locus hic similis alijs, in quibus spirituales ac firmiores admonet, ut infirmos sustineant, ut Rom. 14. & 15. & Gal. 6.

2 CVM OMNI HUMILITATE ET MANSVETVDINE. Sensus plenior, si suppleas, Idq; cum omni, id est, multa, humilitate & mansuetudine; qua nimirum erga proximos humiliter & mansuetè se gerat homo spiritualis: humiliter quidem, ut propriæ vilitatis ac fragilitatis sibi conscius nemini se anteponat, ac neminem iudicet; mansuetè verò, ne facile aliorum infirmitatibus offendatur, & ad indignationem prouocetur. Est enim mansuetudo iracundiæ contraria; sicut humilitas, superbiæ. nam humilitatem hoc loco virtutis esse vocabulum, non conditionis, ex Græco perspicuum est.

CVM PATIENTIA SVPTORTANTES INVICEM IN CHARITATE. Græcè, cum longanimitate sustinentes &c. id est, cum lenitate animi, si quid in aliorum moribus asperum aut viciosum est, tolerant per charitatem. Nam aliorum infirma tolerare, ac dissimulare, propriè ad virtutem μακροθυμίας pertinet; charitas autem qua proximum diligimus, imperat actus huiusmodi; iuxta illud quod in laudibus charitatis primum ponitur 1 Cor. 13. Charitas patiens est, Græcè, longanimis est; ut hoc loco.

3 SOLICITI SERVARE VNITATEM SPIRITVS IN VINCULO PACIS. Soliciti, Græcè, studentes; & ita legit Augustinus lib. 2 contra literas Petil. cap. 78. cum eiusdem lib. c. 69 legisset sollicitè agentes. Ambrosianus verò, pro quo interpret noster vertit solliciti seruire, eodem seruatō sensu, legit sollicitè seruantes. Sensus enim est; Studiosè ac sollicitè operam dantes, ut seruetis unitatem spiritus, id est, animorum inter vos coniunctionem, in vinculo, seu Græcè, colligatione, pacis; id est, pace velut vinculo quodam animos vestros in vnum colligante. Pax enim; iusticiæ filia quæ ab Augustino definitur, tranquillitas modi, spei & ordinis, vnitatem & concordiam animorum parit. Vide S. Aug. de ciuit. lib. 19. c. 13. Spiritum intelligimus humanum, id est,

animos hominum inter se consentientium, secuti commentarium S. Thomæ, & Ambrosiani; non autem, ut Græci, Spiritum sanctum: quia quod mox sequitur, Vnus spiritus, de spiritu humano conuenientius accipi putamus. Hieronymus vtrumque proponit intellectum; sed ita ut de humano spiritu probabiliorem faciat, ex aliarum scripturarum collatione:

4 VNVM CORPVS ET VNVS SPIRITVS. Subauditur à communi sensu, existentes; vel, ut suis vnum corpus & vnus spiritus. vel hoc modo, ut cum suis vnum corpus; suis etiam vnus spiritus. Erant Ephesij fideles vnum corpus, propter externam, visibilem, & ordinatam coniunctionem, quam in ecclesia sua habebant, tanquam membra in corpore. Sic Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo. Vult autem ut perinde sint vnus spiritus; id est, animo, ac spiritu inter se consentientes, tanquam essent vnus spiritus. Loquitur enim de vnitæte ecclesie, tanquam vnius hominis, constantis corpore & spiritu; rogatque ut sicut vnum corpus ecclesie constituebant externa professione; sic & animis coniuncti sint & vniti. Sic ergo vult Ephesios esse vnum spiritum, quomodo dixit 1 Cor. 6. Qui adheret Domino, vnus spiritus est. & quomodo de primis fidelibus scriptum est, Act. 4, quod multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.

SICVT VOCATI ESTIS IN VNA SPE VOCATIONIS VESTRÆ. Quidam manuscripti codices interposita coniunctione legunt, Sicut & vocati estis. Quæ quidem Græcorum lectio est, & ipsius Hieronymi. Subtilius autem obseruandum est, apostolum ad vnitatem spiritus seruandam Ephesios hortari, à septemplici vnitæte, quæ illis iam aderat. Primò, quia erant vnum corpus, ut iam dictum est. Secundò, ab vna spe vocationis, ut hic dicitur. Tertio, quia vnus erat omnium Dominus. Quarto, quia vna fides. Quintò, quia vnum baptisma. Sextò, quia vnus omnium Deus. Septimò, quia vnus omnium pater. Quod ergo hic dicit, tale est; Hortor vos ut sitis vnus spiritus; sicut & ad vnam spem gloriæ caelestis vocati estis. q. d. Meritò exigitur à vobis vnitætas spiritus, qui ad eundem finem æternæ felicitatis sperando tenditis. Spes enim pro re promissa ac sperata consueto more scripturæ ponitur.

5 VNVS DOMINVS. Christum hominem intelligit; qui vnus ac solus iure redemptionis Dominus noster est. Ideoque hoc nomine passim eum Paulus vocat. De quo etiam 1 Cor. 8 dixit: Vnus Dominus Iesus Christus. Petrus quoque sic de eo loquitur Act. 2. Certissime sciat omnis domus Israël, quia Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis. Quod de Christo secundum assumptam naturam certum est intelligi. Iam, si vnus omnium fidelium Dominus, à quo redempti sunt: iustum est ut in vnitæte spiritus illi seruiant.

VNA

VNA FIDES; Scilicet obiecti ratione, quatenus vnum & idem omnes credunt. Atque hoc modo vnam esse fidem non modo Christianorum inter se, verum etiam antiquorum qui Christum venturum expectabant, & nostram, qui eum venisse credimus; recte tradunt Theologi cum magistro sententiarum lib. 3. dist. 23. Quod si vna est omnium fides; debet & vnus esse spiritus. Turpe est enim, eadem credentes, animis & studijs esse diuisos.

VNUM BAPTISMA. Argumentum est ab vnitatem sacramentorum, velut signorum quorundam visibilium, quibus inter se fideles in vnam religionem colligantur; inter quæ primum est baptisma. Sic alibi ab vnitatem sacramenti eucharistiæ, quod inter sacramenta sanctissimum est, argumentatur, cum ait: *Quonia vnus panis, vnus corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*, 1 Cor. 10. Cyprianus & post eum Donatistæ sic locum hunc acceperunt, quasi significetur in sola ecclesia verum baptisma conferri; & proinde quod ab hæreticis extra ecclesiam confertur, verum baptisma non esse. Contra catholici quidam hinc statui putant, baptisma sacramentum sic esse vnum, vt à quocunque & vbiunque colatum fuerit, repeti non debeat. Verum, sicut Donatistæ perperam ex hac scriptura petierunt erroris sui patrocinium (non enim aliud baptisma confert hæreticus, formam ecclesiæ seruans, aliud catholicus; sed vterque vnum & idem baptisma Christi:) sic quod catholici tradunt de baptismo non repetendo, licet verissimum sit, non tamen in hoc apostoli loco fundatum videretur. Sicut enim vnum baptisma dicit, sic & vnam fidem; quæ tamen & amitti potest, & amissa recuperari. Sic quoque de eucharistia loquens, *vnum panem* dixit; quem tamen iidem fideles frequenter accipiunt. Vnum igitur baptisma est ex mente apostoli, quia sicut eadem credunt omnes fideles, ita & iidem vtuntur sacramentis, velut externis fidei symbolis; & vt Thomas loquitur, ecclesiæ insignibus; ac nominatim baptismo, quod propria ac peculiari ratione fidei sacramentum à patribus appellatur. Hanc baptismatis vnitatem significauit 1 Cor. 1. dicens: *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* q. d. minimè; cum ecclesia præter vnum baptisma Christi, quod omnibus Christianis commune est, nullum aliud agnoscat. Vnde Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 27 vnum baptisma interpretatur, quia baptisma Christi est, non hominis. nam si hominis esset baptisma, tot essent baptismata, quot sunt baptizantes.

VNVS DEVS ET PATER OMNIUM. Scilicet vestrum; Hæc pars dupliciter suadet Ephesijs & omnibus fidelibus seruandam vnitatem spiritus: & quia vnus est omnium Deus; & quia vnus est omnium pater. Idem Deus exigit cultores vnanimis; Idem pater, filios fraterno amore coniunctos. Vtitur hac duplici

ratione etiam propheta Malachias apud Iudæos; cum ait, cap. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum?*

QUI EST SVPER OMNES, ET PER OMNIA, ET IN OMNIBVS NOBIS. Græcè in multis codicibus *vobis*. Hieronymus tantum, *In omnibus*, legit non addito pronomine. Commentarius Ambrosiani nostræ lectioni subscribit, vt & Græca Complut. cum quibusdam alijs. *Omnes & omnia* genitiui sunt in Græco, πάντων, communes masculino & neutro generi. Hinc quatuor emergunt diuersæ Latinæ versiones. Prima, quæ nostræ est interpretis, *super omnes, & per omnia*. Secunda, *super omnia & per omnes*; quomodo legit & exponit Ambrosianus. Tertia, *super omnes & per omnes*; Quæ lectio apud Hieronymum est, atque à Fabro & Caietano probatur. Quarta, *super omnia & per omnia*; quomodo vertit Erasmus. Quam verò lectionem ex his omnibus, poscant Græcorum commentarij, non potest ex ijs certò colligi; tamen satis appareat eos stare pro tertia; maximè quòd illud extremum, *in omnibus vobis*, masculinum genus secum adferat, à quo priora membra genere discrepare, non est à quoquam illorum annotatum. Nec sanè quadrabat, aliud genus in prioribus intelligi, quàm in postremo; quum sit sermo còtinuus. Quin & circumstantia loci masculinum genus expetere videtur, idque relatum ad ipsos Ephesios; tanquam eis diceret, *Vnus Deus & pater est omnium vestrum, qui est super omnes vos & per omnes vos, & in omnibus vobis*. Quod ita breuissimè Theodoretus exponit, *super omnes*, dominio; *per omnes*, prouidentia; *in omnibus*, iustificatione. Cæteræ tres lectiones generaliore exigunt commentarium; quo nimirum *omnes*, personarum; & *omnia*, rerum vniuersitatem comprehendat. Vbi denique notandum cum Hieronymo & Aquinate, tres præpositiones, quibus hinc vtitur apostolus, sigillarim ad tres in Deo personas, per appropriationem, referri posse: vt *super omnes*, vel *super omnia*, patri congruat, qui est auctor omnium, & vt Thomas loquitur, fontale principium diuinitatis; *per omnes* vel *per omnia*, filio, per quem omnia facta sunt, quique est *sapientia attingens à sine vsque ad finem fortiter*. Sap. 8. *In omnibus* autem, Spiritui sancto, cuius habitaculum ac templum sunt fideles, quique repleuit orbem terrarum, Sap. 1.

VNICVIQUE AVTEM NOSTRVM DATA EST GRATIA SECNDVM MENSVRAM DONATIONIS CHRISTI. Hoc quoque pertinet ad commendandam vnitatem spiritus inter fideles. Vnicuique nostrum, inquit, gratiam aliquam habenti, data est ea gratia à Deo, non pro ratione dignitatis aut meritorum cuiusque, sed prout Christo placuit vnicuique liberaliter enlargiri. Non est igitur vt quis insoleat aduersus alterum quod plus aliquid

habeat;

habeat: totum enim quod habet donum est, non pro meritis datum, sed secundum mensuram, quam ei gratuito ad mensuram est donator Christus. Sermo est de gratia, quam Theologi vocant gratis datam; vt patet ex consequentibus,

PROPTER QVOD DICIT. Id est, ad significandam gratuitam hanc donationem Christi, dicit propheta Dauid psal. 67.

ASCENDENS IN ALTVM CAPTIVAM DVXIT CAPTIVITATEM. Græcum participium ἀναβὰς tempus præteritum significat; ideoque videri posset Latine reddendum hoc aut simili modo, Cum ascendisset in altum. Quodque sequitur, *captiuam duxit captiuitatem*, Græcè est, *captiuam captiuitatem*; quomodo legit Augustinus serm. 43 de verbis Domini. Porro captiuare captiuitatem Hebræa phrasus est, pro eo quòd Latine dicitur, capere, seu ducere captiuos. Sic enim Hieronymus vertit Deut. 21 & alibi. Quod autem in tertia persona citat apostolus, apud psalmistam in secunda dicitur, *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*; Quia in re nulla discrepantia est, cum sit alterum ex altero consequens. Iam quod ad intelligentiam versiculi attinet, qui literalem sensum psalmorum curiosius scrutantur, volunt totum psalmum esse epinicion quoddam pro victoria de Syris habita, qua multi ex illis captiu ducti fuerint à populo Dauid; Quæ victoria describitur 2 Reg. 8. Alij ad alias referunt victorias veteris populi. Quamuis autem huiusmodi sensus non sit contemnendus: dubitare tamen non debemus, quin verus sensus versiculi ab apostolo citati, sit ille, quem Spiritu sanctus hoc loco per apostolum ostendit; siue literalis sit, siue mysticus. Quidam sic exponunt, Postquam ascendit Christus in altum, id est, postquam eleuatus est in crucem, captiuos cepit, ac sibi proprios fecit omnes quos redemit. Iuxta illud quod de se Dominus ait: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, Ioan. 12. *Hoc autem dicebat*, inquit euangelista, *significans, quia morte esset moriturus*. Sed hunc sensum, etsi pium, non esse præsentis loci, manifestum est, cum ex eo quod apostolus dicit, Christum, priusquam ascenderet in altum, descendisse in inferiores partes terræ; tum quia disertè versiculum interpretatur de ea ascensione, qua Dominus ascendit supra omnes cælos. Alij proinde sensum hunc reddunt; Christus cum ascenderet in cælum, vnà secum adduxit, & in cælum subiecit inferni spolia, id est, animas iustorum, quæ prius apud inferos velut captivæ tenebantur. Rursus alij per *captiuitatem* intelligunt Satanam, & mala per eum inuicta, peccatum, mortem, maledictionem; Hæc enim Theophylactus, captiuitatem exponens, enumerat. Neque his commentarijs obstat ordo temporis, quem inter ascensionem & captiuitatem statuat apostolus, qui

Græcè scripsit; Nam non necessariò ita reddenda Græca, *Postquam ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem*, scilicet, vt prius sit ascendisse, quàm captiuos ducere: sed participium ἀναβὰς potest reddi per præteritum imperfectum. Qui sensus probè consistit; quoniam iustorum animæ simul cum Christo ascendente subuectæ sunt in cælum. Satanàs autem captus est & alligatus non propriè per ascensionem Christi, sed per crucem qua præcesserat: ideoque horum commentariorum posterior non rectè habet. Alij mentem apostoli sic explicant; Christus postquam gloriosus in altitudinem cælorum ascendit; multos homines ex omni gète cepit captiuos; idque per apostolos suos, quos fecit hominū piscatores, & quorum principi dixerat; *Ex hoc iam eris homines capiens*, Luc. 5. captiuos, in quâ cepit, scilicet captiuitate; quando tyrannide diaboli liberatos sic illos sibi subiecit, ac in potestate redegit, vt non modò sancta liberate per charitatem ipsi seruirent, sed & filios ac fratres suos eos faceret, atque in spem hereditatis assumeret. Hunc sensum suggerunt Thomas in commentario, & Iansenius in mystica paraphrasi psal. 67.

DEDIT DONA HOMINIBVS. In psalmo tam secundum veritatem Hebraicam, quàm iuxta versionem LXX legitur, *accepisti dona in hominibus*. Quæritur ergo quomodo citatio Paulina congruat cum eo quod in psalmo scriptum est, cum accipere & dare non modò diuersa sint, sed etiam oppositionem habeant inter se. Responder Augustinus psalmi versiculū enarrans, apostolum secundum hoc locutū esse, quod Deus filius cum patre fecit, mittens hominibus Spiritū sanctū, qui spiritus est patris & filij; psalmistam verò, secundum illud quod idem Christus in corpore suo, quod est ecclesia, intelligitur; sic enim & ipsum in hominibus, tanquā mēbris suis, dona accepisse. Verū sensus hic in litera fundamentū non videtur habere. Alijs itaque magis placet Hieronymi responsio, dicens, quod in psalmo Christus dicitur accepisse, non dedisse, quia nondum factum hoc erat, sed futurum promittebatur: Hic autem dedisse dicitur, quia iam per omnes ecclesias toto orbe fundatas dona sua distribuerat. Videtur Hieronymus, vt breuiter dicam, hunc sensum indicare, Accepit dona danda seu distribuenda hominibus. q. d. accepit dona in homines; sicut dicimus, ducem accepisse stipendia in milites, vtique distribuenda. Certe Petrus vtrumque explicat Actor. 2. quomodo de Christo, fermè in eandem cum Paulo sententiam, ita loquitur; *Dextera Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à patre, effudit hunc quem vos videtis, & auditis*. Vbi *promissionem Spiritus sancti*, ipsum Spiritum sanctum promissum, intelligit, hoc est, eius dona, quæ Christus à patre accepta effudit in homines. Constat hanc expositionem alia scripturæ loca

in quibus

in quibus accipere, videtur idem valere quod dare, dum videlicet accipitur quippiam ut detur, vel ut Exod. 25. *Loquere filiis Israël ut tollant mihi primitias*, Heb. *accipiant*; id est, dent. & 3 Reg. 17, *Da mihi paululum aquæ*, Heb. *cape*. Christus igitur accepit dona in hominibus, non tam quod dona, de quibus hoc loco, susceperit in seipso, quamvis alioqui plenus omni gratia; quam quod potestatem largiendi dona in homines acceperit. Accipit autem, non solum à Deo, ut homo; verum etiam à patre, ut filius. Est & alia responsio, quam latè explicat Iansenius in annotationibus psalmi Dauidici, ut ideo dicatur apostolus mutasse verbū accepisse in dedisse, quod significare voluerit Deum non accipere dona in hominibus, nisi sua prius illis det: imò non aliud accipere, quam hoc ipsum quod dat; ut proinde Deum accipere, non sit diuersum existimandum ab eo, quod est, Deum dare. Sensus hic pius & catholicus est; sed is quem secundo loco adduximus, magis mihi videtur germanus. Tropus sermonis mutuatus videtur à principibus, qui dum regno inaugurantur, pro laetis auspicijs pecuniam spargunt in populum.

9 QVOD AVTEM ASCENDIT, QUID EST, NISI QVIA ET DESCENDIT PRIMVM IN INFERIORES PARTES TERRÆ? Philosophatur apostolus in verbo, *ascendit*. Græcè enim est *ἦλθεν ἀπὸ τῆς γῆς*. Illud autem *ascendit*, quid est, &c. Porro quas dicat inferiores partes terræ, discrepant interpretes. Alij terram ipsam intelligunt, ad quam descendit Christus per incarnationem; ut sensus sit, Christum è cælo descendisse in infimam mundi partem quæ est terra. Solum hunc Thomas non rejicit, Caietanus etiam amplectitur, & cum eo Catharinus & Arias. Pro his facere videtur consequentia quam apostolus indicat, huiusmodi; Christus ascendit in cælum, ergo prius descendit in inferiores partes terræ. Quæ consequentia promptior est, si terram absolūtè intelligas, quam si quid aliud; nam ascensio Christi è terra in cælum intelligitur. Alij de sepulchro exponunt, iuxta illud quod Dominus de se dicit Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre cæti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, id est in sepulchro, secundum probabilem expositionem. Porro Hieronymus, Ambrosianus, & plerique alij tam Græci quam Latini, infernum intelligunt, ad quem Christus secundum animam descendit, ut sanctorum animas, inquit Hieronymus, quæ ibi tenebantur incluse, secum ad cælos victor abduceret. Qui sensus, etsi non certus, probabilitatem tamen præ cæteris habet. Primum, ex ipsa phrasi qua utitur apostolus; nam *inferiores partes*, id est, infima, *terræ*, nihil aptius quam quod nos infernum dicimus, significant: ut in psalmo 62. *Introbunt in inferiora terræ*: Deinde, quia descensus Christi ad inferos paulò antè præcesserat ipsius in

cælos ascensionem: tum ex loco Ecclesiastici 24. ubi sapientia diuina sic loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Quæ verba, descensionis Christi ad inferos cōtinent illustrè prophetiam. Deniq; ex eo quod hîc sequitur, *ut impleret omnia*, de cuius intellectu paulò post agemus. Hoc igitur est, quod dicit apostolus; illud quod de Christo dictum est, *ascendit*, quid aliud nobis insinuat, ac tacitè intelligendum relinquit, quam quod idem ipse prius descendit in terram, vsque ad infimas eius partes? Sed notandum, sequelam argumenti ab apostolo indicati, pertinere tantum ad descensum Christi in terram; neque enim Christus in cælum ascendere potuisset eleuatione humanæ naturæ, quam de terra acceperat; nisi prius, assumptione humanæ naturæ, in terram descenderet; Quæ quidem consequentia supponit in Christo naturam diuinam, qua cum patre, etiam ante incarnationem in cælis erat. Cæterum apostolus dicere voluit, *inferiores partes terræ*, ad maiorem expressionem humilitatis Christi, qua non contentus, è cælo in terram descendisse, etiam infima terræ loca, consolandi suos causa subire voluit; simul ut plenius ostenderet id quod statim subiungit, Christum implese omnia. Vtrum autem vsque ad inferos damnatorum penetrauerit, idque ex scriptura probari possit; pender ex vero sensu verborum Petri 1 ep. 3 & 4. ubi dicit *Christum etiam mortuis qui in carcere erant euangelium prædicasse*. Quod quidem arbitramur de ijs, qui pœnis purgatorijs tenebantur, potius esse intelligendum; ut proinde ad purgatorij locum, non autem vsque ad infernum gehennæ, Christi descensum extendere nos oporteat.

10 QVI DESCENDIT, IPSE EST ET QVI ASCENDIT SVPER OMNES CÆLOS. Vtrumque verbum præteriti temporis est, sicut & in parte præcedenti; quod ex Græco liquet. Significatur autem hîc meritum humilitatis Christi. q. d. Qui tam profundè descendit, ut non potuerit profundius (neque enim decebat aut ad œconomiam assumptæ carnis pertinebat, ut ad infernum damnatorum descenderet) idem ipse, merito tanta humilitatis ac demissionis sui, quam utique in voluntate sua habuit, antequam daret effectui; tam altè ascendit, ut non potuerit altius; ascendit enim super omnes cælos. Locus notandus contra Caluinum qui negat Christum quicquam sibi meruisse. Nec minùs contra veteres hæreticos Ebionem & Photinum, qui negabant Christum ante Mariam fuisse. Itemque contra eos qui duos filios (ut ait Hieronymus, Nestorianos quasi digito præmonstrans) infano errore constringunt, filium videlicet Dei, & filium hominis: cum hîc apertissimè dicatur, quod idem ipse sit ascendens atque descendens. Hæc eadem à Græcis commentatoribus, contra vtramque hæresim, pari dili-

gentia

gentia sunt annotata. Restat explicandum quo sensu dicatur *Christus ascendisse super omnes cælos*. Et quidem rectè post Hieronymum docet Thomas, non solum significari quod ascenderit super omnes cælos corporales, sed etiam super omnem creaturam spirituales; secundum id quod supra capit. 1. legitur à patre constitutus *supra omnem principatum & potestatem* &c. Sicut enim dignitate, sic & loco superior est omnibus Christus homo. Verum idem Thomas 3 q. 57. artic. 4. sic intelligit Christum ascendisse super omnes cælos corporeos, ut nulla pars cæli sit eo superior, sed extra totam continentiam cælestium corporum corpus Christi locatum sit. Hanc Thomæ sententiam defendunt eius commentatores, Caietanus & Medina. Rursusque Caietanus in hunc locum scribens, Quamvis (inquit) supra omnes cælos non sit vacuum neque plenum; est tamen ibi Christus homo, qui non eget vacuo aut pleno continente. Proferunt autem præter locum præsentem etiam alias scripturas, Hæb. 4. *Qui penetravit cælos*. & 7. *Excelsior cælis factus*. Et in psalmis, *Elevata est magnificentia tua super cælos*. Item, *Psallite Domino qui ascendit super cælum cæli ad Orientem*. Quas voces ecclesia in diuino officio refert ad Christum. Cui etiam canit in hæc verba; *Qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti*. Sed profectò, tam recepta est apud omnes fideles, omniumque animis impressa sententia, Christum corporaliter esse in cælo, non autem extra aut supra cælum; ut periclitetur explodi, qui contrarium dixerit. Didicerunt enim ex simbolo fidei Christum ascendisse in cælum; nec aliud interrogati de Christo, ubi nunc sit secundum corpus, responderunt, quam eum in cælo esse, & in altari. Unde & Christi ascensionem in cælum non supra cælum, celebrat ecclesia; & de eo canit ex psalmis: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius, Dominus in cælo parauit sedem suam*. Et ut de nouo testamento scripturas profetam, Marci ult. & Actor. 1. legitur assumptus in cælum. Et Petrus de eo Act. 3. *Quem oportet cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium*. Et Paulus Philip. 3. *Nostri conuersatio in cælis est; unde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum*. Et Heb. 8. *Qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis*. De eodem sic Augustinus sub finem epistolæ 57 ad Dardanum, Christum, inquit & vbiq; totum præsentem esse ne dubites, tanquam Deum; & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum. Et lib. de fide & simbolo cap. 6. Christum in cælo esse credendum est. Et ferm. 43. de verbis Domini, Christum in altum, id est, in cælum, ascendisse dicit, quia nihil altius cælo. Gregorij quoque verba sunt

hom. 9 super euangelia, Caro nostra per redemptorem nostrum in cælo collocata est. His accedunt rationes. Nam extra cælum esse, nullius est dignitatis; & si supra extimum cælum esset Christus esset extra regnum suum. Non enim regnat extra cælos. Atqui planè condecet ut rex in regno suo resideat. Item quamvis Christus descenderit in inferiores partes terræ; non tamen vsque ad centrum mundi descendit: Sicut ergo descendit vsque ad eum locum inferiorem ad quem descendere eum conueniebat: ita ascendit vsque ad supremum locum corpori eius glorioso congruentem; qui non extra vniuersum corporeum, sed in aliqua eius parte ponendus est. Sic enim institutum est hoc vniuersum à Deo, ut extra ipsum nihil esset. Ac sanè desinet esse vniuersum, si extra ipsum Christus homo vel quippiam aliud ponatur. Quod, puto, considerans Hieronymus in commentario, sententiam quæ facit Christum omnes cælorum sphaeras transcendisse, atque in summo cæli fornice, quam nostri circumferentiam vocant, constituisse, proponit quidem, sed non probat. Eandem Liranus simpliciter improbat ac rejicit. Quin ipse Thomas scribens in 3. distinct. 22. quæst. 3. art. 3. quæsto primo, scribit, non dici Christum ascendisse super omnes cælos, quasi sit extra cælum empyreum, sed quia in altissimam partem cæli empyrei ascendit, utpote exaltatus vsque ad supremum locorum corporalium. Igitur ex ipsius Thomæ sententia priori, quam veriore putamus, *super omnes cælos ascendisse Christus* dicitur, quia cælos omnes penetravit ascendendo vsque ad summum cælum, eiusque supremam partem; quomodo pontifex Aaronicus penetrabat singulis annis vsque ad intima sanctorum, sed non ultra progrediebatur. Huc enim alludit apostolus Heb. 4. cum dicit nos *habere pontificem magnum qui penetravit cælos, Iesum filium Dei*. Quoniam autem locus dignitati responderet; ex consequenti intelligitur, quod est in aliorum commentarijs, Christum hominem ascendisse super omnem altitudinem cælestium virtutum, velut accepta possessione regni ac dominij, quod secundum assumptam naturam habet super omnem creaturam.

VT IMPLERET OMNIA. De se scripta, ut quidam exponunt. Alij omnia hominum genera spiritualibus donis implenda significari putant. Alij verò ad omnia loca referunt; idque probabilius. Nam de locis sermo præcessit. Itaque videtur hic esse sensus; Ita denique factum, ut idem ipse Christus homo potentia dominationis suæ repleat omnia; terram, inferos, cælum; postquam omnia ea loca ipse adiuit. Loquitur enim apostolus de Christo, quasi de rege qui totius regni sui possessionem capit, non singula quæque loca regni per seipsum accedendo, sed principalia

D tantum:

tantum: Quod quum fecerit; dominatum habet in omnia regni loca, & vbique rex agnoscitur.

ET IPSE DEDIT QUOSDAM QUIDEM APOSTOLOS. Verba præcedentia ab eo principio, *Quod autem ascendit*, quidam notis parentheticis includunt, quo hæc pars cum illa superiori, *Dedit dona hominibus*, continetur; hinc enim iam incipit apostolus illa dona recensere. Quanquam & sine parenthesi sermo bene coheret; ut sensus sit: Et idem ipse, tanquam rex inauguratus regno suo, iamque potestate implens omnia; liberaliter in homines sparsit, ac distribuit dona sua. Nam alios quidem dedit ecclesiæ, id est, posuit in ecclesiâ, *apostolos*. Sic enim loquitur 1 Cor. 12. vbi similis est donorum seu charismatum enumeratio. Cum autem illic dicatur Deus posuisse in ecclesiâ, primum quidem apostolos &c. Hic autem Christus dicatur eosdem dedisse; non obscura significatio est Christum esse Deum. Qui verò per apostolos intelligantur, in eiusdem epistolæ ad Cor. commentario satis explicatum est; Nec enim assentiendum Ambrosiano, qui præter morem scripturæ apostolos interpretatur episcopos. Sed quæres, cum apostoli à Christo electi & ordinati fuerint, non modò ante ipsius in cælos ascensionem, verum etiam ante passionem & mortem; quomodo verum est quod Paulus scribit, Christum postquam in altum ascendit, dedisse dona hominibus apostolos? Nam quomodo post illud tempus dederit prophetas, quæstionem non habet; si intelligamus de quibus prophetis hic loquatur apostolus; id quod statim explicabitur. Fortè aliquis respondendum putabit Paulum loqui de apostolis post Christi ascensionem excitatis, qualis ipse imprimis, tum Barnabas, Silas, Iudas, quorum in actis fit mentio, & alij nonnulli. Sed non est ad eos arctandus apostoli sermo, nec vllò modo excludendi sunt qui in apostolis primi fuerunt, & Christum in carne viderunt. Dicendum ergo, Christum postquam ascendit in cælum dedisse apostolos, non eos eligendo, quod fecerat ante passionem; nec præcipiendo ut euangelium prædicarent per omnes gentes, quod fecit antequam in cælum abiret: sed per Spiritum sanctum, quem post ascensionem suam misit, docendo eos, & alijs gratiæ muneribus apostolatui necessarijs cumulando; insuper eos impellendo ad opus apostolicum, cui iam antè destinati erant, exsequendum: Hoc enim est, quod hic vocat, *dare apostolos*. Quod quidem Christus facere cœpit à die pentecostes.

QUOSDAM AVTEM PROPHETAS. Noui testamenti prophetas intelligit; de quibus in capite præcedenti dixit; *Sicuti nunc reuelatum est sanctis apostolis eius & prophetis*. Sed plura de hoc prophetarum genere diximus ad 1 Cor. 11. 12. & 14.

ALIOS VERO EVANGELISTAS. Id est,

eos qui singulari dono prædicandi euangelij præditi erant; quales in Actis apostolorum Stephanus & Philippus diaconi; quorum posterior etiam *euangelista* appellatur Act. 21. Nam quibus, & quo successu prædicauerit euangelium, luculentè docet eiusdem libri historia cap. 8. quales etiam Apollo Alexandrinus, & secundum Chrysostomum Priscilla & Aquila. Minus rectè per *euangelistas* Ambrosianus diaconos, Oecumenius eos qui scripserunt euangelium intelligunt: tamen contingat, ut in Stephano & Philippo, eundem esse euangelistam & diaconum; nec dubitandum sit eos qui euangelia conscripserunt, fuisse etiam euangelistas officio prædicandi; de quo Paulus ad Timot. 2. ep. 4. *Operi fac euangelista*.

ALIOS AVTEM PASTORES ET DOCTORES. Idem Ambrosianus *pastores* interpretatur lectores; *Doctores* autem seu magistros intelligi vult exorcistas, aut certè eos qui literis & lectionibus pueros solebant imbueri. Sed vtrumque absurdè, licet ille conetur rationem aliquam suæ interpretationis reddere. Vera & indubitata explicatio est quam alij ferè omnes tradunt, *pastores* esse, quorum officium est pascere, id est, regere, populum Dei; quales præcipuè sunt episcopi, quos Act. 20 Paulus admonet huiusmodi verbis: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisistis sanguine suo*. *Doctores* autem, qui gratiam habent docendi populum Dei, ea quæ sunt Christianæ religionis. Obserua, non dicere Paulum alios pastores, alios doctores, sed *alios pastores & doctores*. Cuius ratio est, quia quicumque pastores sunt, isdem esse debent & doctores; cum primum ac potissimum munus pastoris sit, populum pascere verbo Dei. Quocirca nemo, quamuis sanctus sit, inquit Hieronymus, pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere quos pascit. In eandem sententiam locum hunc apostoli tractant Augustinus epistola 59. & Gregorius homil. 19 super Ezechiel. Sic idem apostolus 1 Tim. 3. vult episcopum esse doctorem: Quod plenius explicans ad Tit. 1. sic ait: *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere*. Nec enim sufficit episcopum ita doctum esse, ut rudes instruere possit in fide Christiana, sed exacta quædam in eo doctrina requiritur, ut & solidum cibum pro uentrioribus præbeat, & aduersarios sanè fidei potenter redarguere valeat. Hinc est quod Timotheum, quamuis iam episcopum, & in sacris literis ab infantia institutum, adhuc hortatur apostolus *ut attendat lectioni* 1 Timoth. 4. & 2 Timoth. 3. Dixi, præcipuè significari episcopos nomine pastorum; Nam generaliter huc etiam parochi pertinent qui sub episcopis, tanquam eorum opitulatores, animatum curam

gerunt.

gerunt. quod Theophylactus innuit, dum scribit per *pastores* intelligi posse presbyteros & episcopos. Nam & presbyteros curam animarum habentes, pro ratione ac modo sui officij *doctores* esse oportet; magis, minùsve, iuxta conditionem plebis sibi commissæ. Certò enim parochi debent ea tradere quæ à multitudine capi possunt, & quæ omnibus sunt necessaria. Non est autem necesse omnes eos esse prophetas, id est, qui sublimiora ac secretiora queant tradere. Vide quæ diximus ad illud 1 Corinth. 14. *aut in prophetia, aut in doctrina*, v. 6. Sed quæres sintne aliqui in ecclesiâ doctores, non pastores. Certè tales agnoscit ipsa ecclesiâ, quando in Litanijs distinguit; *Omnes sancti pontifices, orate pro nobis. Omnes sancti doctores orate pro nobis*. Tales fuere Clemens Alexandrinus, Pantæus, Origenes, Beda, Bernardus, Aquinas & alij multi doctores non episcopi neque parochi. Nam & de huiusmodi canit ecclesiâ, *O doctor optime*. Adde, quod etiam ex illis qui fuerunt episcopi, seu pastores, multi fuere doctores eorum, quorum non erant pastores; ut Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, & alij permulti, qui multos fideles scriptis suis doctissimis docuerunt, & adhuc docent, ad quos pastorale eorum munus non extendebatur.

Obiter animaduerte cum Caietano, diuersitatem membrorum quæ hic enumerantur ab apostolo, formaliter intelligendam esse: Non enim ita Christus quosdam dedit apostolos, ut non ijdem ipsi fuerint & propheta, & euangelista, & pastores, atque doctores; sed officia ac dona distincta sunt, licet in easdem personas vel omnia, ut in apostolos, vel aliqua concurrant.

Argumentatur ex hoc apostoli loco sectarius contra primatum Romani pontificis, inquiens; Hic non audimus Papam; qui sanè prætermitti non debuit, si prima est eius dignitas inter gradus ecclesiæ. Respondeo, nec audimus episcopos, presbyteros, diaconos. Neque enim Paulus instituit hic recensere gradus hierarchicos ecclesiæ; sed adferre in medium aliquot charismata Spiritus sancti, data à Christo ad doctrinam & gubernationem ecclesiæ. De illis enim præmiserat: *Dedit dona hominibus*. Nam eiusmodi quoque enumerantur 1 Cor. 12. Quanquam Papa sub nomine *pastorum ac doctorum* comprehenditur; Est enim summus ecclesiæ pastor & doctor. Pertinet etiam ad apostolos, primo loco nominatos; quatenus vsque hodie munus apostolicum exercet Romanus pontifex, dum ad infideles mittit euangelij præcones, & nouas apud eos fundat ecclesias.

12

AD CONSUMMATIONEM SANCTORVM, IN OPVS MINISTERII, IN AEDIFICATIONEM CORPORIS CHRISTI. Docet cuius rei gratia dona fidelibus data sint; scilicet non ad priuatum commodum, sed ad publicam vti-

litatem; ut hæc consideratio reprimat fastum eorum qui donis quibusdam præditi, alios præ se contemnebant. Pro *consummatione*, Hieronymus legit *instructionem*; In commentario autem vtrumque coniunxit, dicens, *ad perfectionem, instructionemq; sanctorum*. Erasmus vertit, *ad instaurationem*. Verti etiam potest, *ad compositionem*. Hæc enim omnia significat Græca dictio, *κατασκευασθησιν*, deducta à verbo quod habetur Gal. 6. vbi nos legimus, *huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Sed pro nostra versione, quæ eadem est apud Ambrosianum, faciunt Græcorum scholia, & contextus apostoli; Quam proinde & Erasmus in annotationibus maxime probat, & in paraphrasi securus est. Dicit ergo Paulus, Christum dedisse apostolos, & cæteros quos enumerauit, ut quisque eorum diligenter incumbat in opus, sui ministerij, ad aedificationem, id est, spiritualement profectum, corporis Christi; quod est ecclesiâ; idque totum ad hunc finem, ut vniuersa sanctorum, hoc est, fidelium societas, perfecta, consummata, omnibusque partibus absoluta, reddatur. Hoc ordine constituenda esse apostoli verba, probat ordo rerum. Nam primum est opus ministerij, cuius effectus aedificatio; quam denique sequitur aedificij consummatio. Quo facit etiam præpositio *omnes*, primo tantum membro apposita, quæ seruit causæ finali significandæ.

13

DONEC OCCURRAMVS OMNES IN VNITATEM FIDEI, ET AGNITIONIS FILII DEI, IN VIRVM PERFECTVM, IN MENSVRAM ÆTATIS PLENITVDINIS CHRISTI, Explicat perfectionem ad quam ordinantur prædicta ministeria. Quod dicit, *occurramus*, alij non malè vertunt, *perueniamus*; nam verbum Græcum etiam alibi pro eo quod est, peruenire ponitur; ut Act. 16 & 18. quemadmodum & ab Oecumenio annotatum est. Quæritur autem quando fiat occursum iste, siue peruentio, cuius hic meminit Paulus; vtrum in hoc sæculo, an in futuro. Latini ferè de futuro sæculo interpretantur; in eo tamen diuersi, quod nonnulli verba illa, *in virum perfectum, in mensuram ætatis* &c. referunt ad resurrectionem corporum; Alij verò ad perfectionem spiritualement, quam tunc habituri sumus. Secundum priores sensus est; Donec omnes electi per vnitatem fidei & cognitionis Christi filij Dei, tandem in resurrectione consequamur virilem perfectionem, quoad ætatem & robur corporale, dotisque gloriosas illi corporis perfectioni respondentes; videlicet prouehendi ad mensuram plenæ ac perfectæ ætatis Christi, tanquam exemplaris nostri; Cuius quidem corpus prouectum fuit, vsque ad ætatem plenam virilem nempe triginta trium annorum, in qua & resurrexit. Ex hoc loco sic intellecto, probat omnes electos in ætate & statura virili resurrecturos; non ta-

men (vt quidam voluerunt) omnes in sexu virili; quia quod hic dicitur, *in virum perfectum*, non ad sexum referendum dicunt, sed solum ad ætatem & robur, quæ sunt vtrique sexui communia. Pluribus hunc sensum prosequitur Anselmus ex Augustino lib. 22 de ciuit. c. 15 & sequentibus. Eundem adfert & Thomas priori loco. Hieronymus quoque in epitaphio Paulæ cap. 12 hac scriptura vitur, vt doceat omnes in ætate perfecta resurrecturos. Porro secundum posteriores, sensus est: Omnes electos per vnitatem fidei & agnitionis filij Dei tandem *enafuros in virum perfectum & mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quia in futuro sæculo totum corpus ecclesiæ, quod est corpus Christi mysticum, ad exemplum veri corporis Christi, omni ex parte perfectum erit; vt iam nec membrum vllum desit, nec vlla perfectio amplius in eo desideretur. At verò Græci interpretes locum hunc, perinde vt ea quæ præcedunt & sequuntur, intelligunt de eo quod agitur in præteriti sæculo: vt hic sit sensus; Christus tam varios (vt dictum est) ministros instituit in ecclesia, *ad consummationem sanctorum, in edificationem corporis sui*, eosque tantisper laboraturos, donec omnes ad vitam destinati, alij post alios, durante hoc sæculo, perducamur & perueniamus in vnã eandemque fidem, & veram cognitionem Christi filij Dei; cum eo profectu, vt euadamus in virum perfectum; id est, vt virile robur & constantiam in fide & cognitione Christi assequamur, tanquam *mensuram plene & perfectæ ætatis Christi* in corpore suo mystico: vt in vocabulo *vir*, etiam sexus intelligatur, sed spiritualiter. Sensum hunc, præter Græcos Chrysostomum, Theophylactum & Oecumenium, tradit etiam Hieronymus in commentario, item Ambrosianus, Haimo & Sasboldus, Denique Thomas posteriori loco, dicens posse verba hæc intelligi de fructu vltimo præsentis vitæ, in qua, suo modo perficitur corpus Christi mysticum, spirituali perfectione, ad similitudinem corporis Christi veri. Sed & Augustinus lib. 22 de ciuit. Dei post explicatum priorem sensum, tandem cap. 18 hunc quoque adducit, magisque probat. Certè, ipsa apostoli verba, sicut ostendimus in 4 sent. dist. 44. prorsus exigunt huiusmodi intellectum. Nam *occurrere, seu peruenire in unitatem fidei*, non est futuri sæculi, in quo, fide cessante, *videbimus faciem ad faciem*. 1 Corint. 13. sed præsentis; in quo *per fidem ambulamus, & non per speciem*. 2 Corint. 5. Quod autem alij exponunt, *in unitatem fidei*, id est, per vnitatem, coactum est, & præter usum Græcæ præpositionis. Optime verò quadrat huic intellectui quod sequitur.

14

VT IAM NON SIMVS PARVULI, FLUCTUANTES, ET CIRCUNFERAMVR OMNI VENTO DOCTRINÆ. Id est, vt non amplius, puerorum more, quibus imperfectum &

instabile iudicium est, fluctuamus, id est, inconstantes simus, in diuersas opinionum partes iactati & circumacti quouis vento doctrina; vt potè nescientes diiudicare quæ doctrina vera sit, quæ falsa, sed tantum probabilitate quadam & apparentia velut flatu quodam, modò in hanc sententiam, modò in illam leuiter impulsii. Hoc, inquam, ne nobis contingat, præstatur illorum ministerio, quos Christus ecclesiæ dedit apostolos, prophetas &c. Metaphora sumpta à nauigantibus; qui si rectore careant, temerè feruntur quocumque ventus impulerit.

IN NEQVITIA HOMINVM, IN ASTVTIA AD CIRCUNVENTIONEM ERRORIS. Pro nequitia, Hieronymus, *fallaciam* legit, Augustinus, *illusionem*. Græcè est, *κίβητις*, qua voce, vt annotant Græci commentatores propriè significatur ludus alexæ, vel tesserarum; in quo qui potest, collusorem circumuenit, & fallit calculorum transpositione; inde transfertur ad fallaciam in genere significandam. Cohæret autem sententiæ præcedentibus, hoc modo: Vt non amplius iactemur & circumagmur quouis vento doctrinæ per fallaciam hominum, siue philosophorum, siue Iudaizantium, siue hæreticorum, perque versutiam eorum, qua nos adoriuntur, atque in errorem inducunt. Huic sensui conuenit quod Augustinus pro circunventionem, legit *machinationem*; hoc enim propiùs exprimit vim Græcæ dictionis, *μεθοδεύειν*.

15 VERITATEM AVTEM FACIENTES IN CHARITATE CRESCAMVS IN ILLO PER OMNIA, QUI EST CAPVT CHRISTVS. Particula, *In charitate*, quibusdam videtur iungenda cum sequenti verbo, *crescamus*; sicut eandem in extremo periodi huius repetitã, construendam putant cū illo, *augmētum corporis facit. Autem*, aduersatiuè positum est, q. d. *Sed vt veritatem facientes &c.* Item pro duobus vocabulis, *veritatem facientes*, in Græco vnum & simplex est participiũ, quod Erasmus vertit, *veritatem sectantes*; Hentenius, *veritatem seruantes*; Theophylacti interpret, modò, *veritatem loquentes*; modò, *veritati studentes*. Sensus apostoli est: Quin potius vt veram Christi doctrinã, quam apostoli, pastores, & doctores ecclesiæ prædicat, amplexi, per omnia membra, in charitate crescamus, & augeamur *in ipsum* (sic enim Græcè est) scilicet Christum, qui est caput totius corporis. Hoc est, vt huiusmodi incrementis proficientes, tandem respondeamus capiti nostro, cuius membra sumus, id est, Christo, qui omnino perfectus est. Illud, *per omnia*, Græci interpretantur, per omnia nostra, vitam nimirum & doctrinam, sed vt membra subintelligantur, sicut nos exposuimus; inuitat quod sequitur.

16 EX QVO TOTVM CORPVS COMPACTVM ET CONNEXVM. Augustinus conuerso ordine legit, *connexum & compactum*; idque Græco textui conuenientius. Est autem priori loco idem verbum, quod sub finem

capitis

capitis tertij vertit interpres, cõstructa, de cuius significatione ibi diximus.

PER OMNEM VNCTVRAM SVBMINISTRATIONIS. Hæc pars ordinanda cum præcedentibus, vt patet ex loco simili Col. 2. qui sic habet: *Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei*. Quod autem ibi *nexus*; & hic, *vncturam* reddidit interpres, alij *commissuram* vertere malunt.

SECVDVM OPERATIONEM, Græcè *ἐνέργειαν*.

IN MENSVRAM VNVSQVVSQVE MEMBRI. Græcè *In mensura vnusquisque partis*. Augustinus quoque & Ambrosianus legunt, *partis*. At in Græco minima differentia est inter *μέλος* & *μέγος*; membri, & partis; nec admodum refert vtrum legatur, nisi quòd metaphoræ apostolicæ magis congruit nostræ lectio, quæ eadem est Hieronymi & Theophylacti.

AVGMENTVM CORPVS FACIT IN EDIFICATIONEM SVI IN CHARITATE. Hebraismus est in eo quod dicit corpus facere *augmentum corporis*, id est, sui ipsius; quod nisi obseruetur, absurdus videbitur sermo. Porro tota sententiæ quæ non paruam habet obscuritatem, cum loco iam citato Col. 2. conferenda est: Videtur autem sic commodè explicari: Ex quo, scilicet Christo capite,

18 dependens totum corpus (quod nos sumus) per connexionem omnium inter se membrorum, ex quibus constituitur, aptè compositum & coagmentatum; per efficacem eiusdem capitis operationem, pro mensura ac ratione cuiusque membri augetur, edificatur & proficit in charitate, id est, per charitatem. Quod postremum addidit, sicut & paulò ante, simili sensu; quia corpus hoc mysticum ac spirituale propriè non edificatur nec proficit, nisi per charitatem; cum sine ea nihil sint cætera 1 Cor. 13. Sentit ergo apostolus, sicut in corpore naturali atque organico; caput influens in membra, non eandem omnibus operationes communicat; sed alias alijs; & his quidem plures, illis autem pauciores; pro natura vnusquisque: sic & in ecclesiâ, Christum, qui caput eius est, non eandem nec æqualia charismata membris omnibus infundere; sed singulis distribuere prout locus cuiusque quem in corpore habet, postulat. Et hac ratione totum ecclesiæ corpus crescere; dum membra varijs donis instructa, in communem vtilitatem ea conferunt: quod non fit nisi per charitatem. Loquitur autem non de omnibus omnino membris; ne quis hinc colligat omnia ecclesiæ membra charitatem habere, & per hoc nullos esse malos in ecclesiâ, quod hæretici volunt: sed tantum de ijs quæ digna sunt nomine membrorum, hoc est, de membris vitis; & spiritu Christi capitis animatis; quemadmodum & loquebatur cap. 2. vbi similis habetur sententiæ.

17 HOC IGVTVR DICO ET TESTIFICOR IN DOMINO. Pro *testificor*, Hieronymus & Ambrosianus legunt *confessor*. Redit apostolus ad inchoatam, & hucusque intermissam exhortationem qua dixerat initio capitis, *Obsecro vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis*. Id enim quasi repetens, nunc explicat, ac latius prosequitur. Sensus: Hoc igitur est, quod dicere ceperam, quod & obsecror vos per Christum Dominum, quem volo huius exhortationis meæ esse testem;

VT IAM NON AMBULETIS SICVT ET GENTES AMBVLANT IN VANITATE SENSVS SVI. Græcè *mentis suæ*. Sic & Ambrosianus legit; eodemque modo paulò post ipse noster interpres Græcam vocem transtulit. Non rectè igitur quidam *sensum* interpretantur sensualitatem. Rectius sanè Thomas *sensum* exponit vim apprehensiuam, per quam iudicamus singularia. Qui sensus, inquit, vanus est, quando deuians à recta regula, finem debitum non assequitur. Dicit ergo apostolus, Obsecro vos ne post hac viuatis & conuersemini quomodo gentes, vel vt in Græco est *reliquæ gentes*, id est, gentiles adhuc alieni à Christo, viuunt & conuersantur; nimirum sequentes iudicium mentis suæ prauum & erroneum: de quibus Sap. 13. *Vanæ sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*.

18 TENEBRIS OBSCVRATVM HABENTES INTELLECTVM. Græcè tantum est, *obtenebrati intellectu*, quod interpres velut paraphrasi explicuit. Significantur autem tenebræ erroris & ignorantie, quamuis enim multa cognouissent gentiles philosophi, non solum de natura & moribus, verum etiam de Deo: tamen propter superbiam & ingratitude suam à Deo derelicti, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; denique stulti facti sunt, & in reprobū sensum traditi, sicut dicitur Rom. 1.

ALIENATA VITA DEI. Huius particule tres expositiones adfert Thomas; quarum tertia ceteris probabilior à *vita Dei*, id est, à vita quæ secundum Deum est, & quam Dei leges præscribunt. Ea autem est vita sancta, & immaculata. Potest etiam auctore Caeterano, intelligi tota vita spiritalis, quæ in hoc sæculo per fidem & iusticiam inchoatur, & in futura beatitudine perficitur, quæ tota peculiariter vita Dei est, quatenus à Deo per gratiam datur. Hanc vitã gentiles profus ignorabant.

PER IGNORANTIAM QVÆ EST IN ILLIS PROPTER CÆCITATEM CORDIS IPSORVM. Ex Græco vtrobique vertendum erat, *propter*; quomodo etiam legunt Hieronymus & Ambrosianus. Itaq; sensus est, gentiles à vita Dei alienatos fuisse, propter ignorantiam veritatis quã laborarunt, & propter cæcitatem, vel vt in Græco est, *propter excacationem*, cordis ipsorum; id est, propter ignorantie tenebras, in quas merito suorum peccatorum incidere permisi sunt. Est enim posterior pars declaratio prioris; nisi quòd in posteriori parte, non sola

D 3

igno-

ignorantia veri, sed & errorum tenebræ quas apostolus Rom. 1. exponit, possint intelligi. Confer quæ diximus in commentario ad Roman. 11. ibi, Cæteri verò excæcati sunt. & Cæcitas ex parte contigit in Israël.

19 QVI DESPERANTES SEMETIPSOS TRADIDERUNT IMPVDICITIAE, IN OPERATIONEM IMMUNDICIAE OMNIS IN AVARITIAM. VOX Græca pro qua nos habemus, *desperantes*, teste Hieronymo longè aliud significat; nimirum eos qui postquam peccauerint non dolent; vt verti possit, *indolentes*. Eadem significationem explicant Græcorum commentarij; secundùm quos sensus est: Qui postea quàm eò peruenerunt, vt dolere desinerent, velut sensu mali carentes; sese pronos ac præcipites dederunt in omne genus impudicitia & immundicia quolibet modo exercenda. Dolor autem intelligitur quem animus patitur ex turpitudine admissi peccati; & quo stimulante, solet à peccando postea retrahi. Conuenit hic sensus cum ijs quæ de philosophis scribit apostolus Rom. 1. Verùm quia Latini veteres constanter legunt, *desperantes*; suspicari licet cum Erasmo (quod & innuit Hieronymus) interpretem Latinum in Græco pro ἀπληροῦτες legisse ἀπληροῦτες, duarum literarum mutatione. Quod verbum etiam apud Lucam est ca. 6. *Mittite nihil inde sperantes*. Hoc modo, sensus perspicuus est; Qui spe futurorum bonorum, quæ nos Christiani credimus & expectamus, destituti, vt pote animarum immortalitatem, & corporum resurrectionem non credentes; totos sese tradiderunt præsentis vitæ voluptatibus, etiam turpissimis. Quomodo differant impudicitia & immundicia, quæ ab apostolo sæpe coniunguntur, dictum est ad 2 Cor. 12. Porro quod additur, *in auariciam* Græcè est, *in auaricia*; quam lectionem in alijs codicibus haberi glossa interlinealis admonet; Eandem reperiri in duobus peruerstis codicibus manuscriptis; sicque etiam legunt Hieronymus & Thomas. Neque hic auaricia, Græcè, ἀσβεστία, significat pecuniarum cupiditatem; sed in genere vitium quod quis eo quod habet, non contentus, semper amplius expetit, nec modum nec terminum ponens cupiditati, in quacunque tandem re id accidat, siue in pecunijs, siue in honoribus, siue in voluptatibus corporis; Hic autem sermo est de auaricia turpium voluptatum; vt sensus sit, ipso etiam Thoma exponente, *in auaricia*, id est, ardentem & insatiabiliter. iuxta illud 2 Pet. 2. *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti; pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaricia habentes*, vel vt Græcè, *auaricijs*; plural. numero. Sensus hunc habet Theodoretus, & latè explicat Hieronymus, collatione alterius loci, qui est Thess. 4. De eadem plura capite proximo. Vide etiam quæ dicta sunt ad 1 Cor. 5.

20 VOS AUTEM NON ITA DIDICISTIS CHRISTVM. Ac si dicat, Talia non docet euangelium Christi; sed schola Simonis & Gnosti-

corum, qui hac parte cum gentilibus conueniunt. Ad hos enim videtur apostolus ex obliquo respicere; Simonianos, dico, & eorum varios discipulos ac successores, inter quos & Gnostici fuerunt, quos extremis verbis prioris ad Timotheum satis designauit apostolus. Vide Epih. hæresi 25. 26. 27.

21 SI TAMEN ILLVM AVDISTIS ET IN IPSO EDOCTI ESTIS. Si tamen, Græcè, *siquidem*. Non enim dubitans hoc dicit apostolus, sed magis rem confirmans, vt post Chrysostomum annotat Theophylactus. Nam & alias interdum vim confirmandi habet coniunctio, *si*, vt 2 Thess. 1. *Si tamen iustum est apud Deum retribuere* &c. Quamquam rectè monet Oecumenius, posse etiam modo dubitantis accipi; quo terreatur Ephesios. Non ita, inquit, Christum didicistis; si tamen illum vobis annunciatum audistis, eiusque doctrinam percipistis; scilicet ad eum modum qui sequitur,

SICVT EST VERITAS IN IESV. Id est, ita vt, sicut in Christo Iesu nulla est ignorantia, nullus error, nihil iniustum, sed pura veritas & iusticia: sic & vos, Christi doctrina imbuti, reiectis tenebris ignorantie, veritatem & iusticiam Christi sectemini.

22 DEPONERE VOS SECUNDVM PRISTINAM CONVERSATIONEM VETEREM HOMINEM. In multis codicibus legebatur, *Deponite*, modo imperatiuo; sed ex melioribus infinitiuum, *deponere*, nobis restituit editio Sixtina. Sic enim & Græca habent & Syriaca: sic etiam legunt Hieronymus, & Primasius; nec dissonat Ambrosianus, qui infinitiuum resoluit, vt deponatis. Igitur hæc pars pendet à superioribus, & infinitiuum regitur à verbo, *Edocti estis*; vt sensus sit: Si tamen per Christum docti fuistis deponere atque exuere veterem hominem, qui intelligitur in pristina, seu priori (vt in Græco est) conuersatione, nempe ea qua vivebatis, priusquam crederetis in Christum. Est enim vetus homo, aut vetustas & corruptio peccati in homine ex veteri Adam contracta, aut potius ipse homo, quatenus huiusmodi vetustate affectus est; quemadmodum hanc apostoli phrasim exposuimus ad illud Rom. 6. *Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est*; & consentit locus ad Coloss. 3. Atque hunc intellectum explicat quod sequitur,

QVI CORRVPITVR SECUNDVM DESIDERIA ERRORIS. Id est, qui in vetustate & corruptela proficit, obsequendo prauis ac turpibus desiderijs; quod fit ex mentis errore ac cæcitate, quæ admodum supra dictum est. His enim verbis explicat apostolus in quo consistat illa vetustas qua veterem hominem dixerat.

23 RENOVAMINI AUTEM SPIRITV MENTIS VESTRÆ; Rursum infinitiuus in Græco, *renouari*; dependens adhuc à verbo, *Edocti estis*, & ex aduerso respondens verbo, *deponere*, hoc modo; *Siquidem edocti estis, deponere veterem hominem, & renouari spiritu mentis vestræ.*

Vbi

Vbi Spiritum sanctum nonnulli intelligunt, minus rectè: nam Spiritui sancto non conuenit renouari; sed spiritui ac menti nostræ. Multò rectius Augustinus lib. 14 de Trinit. cap. 16. ita scribens: Quod ait spiritum mentis vestræ, non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis: sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est; spiritum mentis dicere voluit eum spiritum quæ mens vocatur. Hæcille; quem alij plerique sequuntur; vt proinde sensus sit, *Spiritu mentis vestræ* id est, secundum mentem, secundum interiorem hominem; de quo 2 Cor. 4 sic ait: *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.*

24 ET INDVITE NOVVM HOMINEM. Hic quoque Græcis infinitiuus est, *induere*, referendus ad idem verbum, *Edocti estis*. Quem verò dicat nouum hominem, exponit,

QVI SECUNDVM DEVM CREATVS EST IN IUSTICIA ET SANCTITATE VERITATIS. Quidam nouum hominem, Christum intelligunt; sicut veterem hominem, ipsum Adā. Christo enim homini maxime competit, secundum Deum creatum esse in iusticia & sanctitate veritatis, id est, vera iusticia & sanctitate; vnde Rom. 13. & Gal. 3. Christum induere dicimus. Alij nouum hominem significari putant, primum hominem Adam, qualis à Deo creatus est, nimirum rectus & integer. Verùm consideranti phrasim apostolicam, & alia loca quæ sunt Rom. 6. & Col. 3. cum isto conferenti, magis apparet nouum hominem ab apostolo dici vnumquemque hominem quatenus renouatus est per gratiam Dei. Quæ renouatio hic & alibi, nomine creationis intelligitur. Exponit igitur apostolus nouum hominem, qui per regenerationem creatus est secundum Deum, id est, diuinæ legi conformatus; creatus inquam in vera iusticia, quo ad proximos; & in vera sanctitate, seu mundicia, quo ad seipsum. Quæ duo coniunguntur etiam in canticò Zachariæ Luc. 1. *Ut seruiamus illi in sanctitate & iusticia coram ipso*. Vnde apparet veram iusticiam & sanctitatem vocari quæ coram Deo sit talis. Sic autem dicit, nouum hominem creatum in iusticia & sanctitate; sicut supra c. 2. dixerat nos creatos in operibus bonis; quia nimirum in his gratuitis Dei donis ipsa noua creatio consistit. Obseruandus totus hic locus & alij similes, contra sectarios, qui non aliam in nobis iusticiam agnoscunt, quàm externam & imputatiuam. Hic enim audimus renouationem mentis, nouum hominem, iusticiam & sanctitatem veritatis; quæ intelligi nullo modo possunt in eo cui iusticia tantum imputatur.

25 PROPTER QVOD, DEPONENTES MENDACIVM, LOQVIMINI VERITATEM VNVSQVISQVE CVM PROXIMO SVO. Duo dixerat iusticiam & sanctitatem. Et quia sanctitatis, id est, mundicia, præcepta iam superius dederat; transit nunc ad alterum membrum, ac iusti-

cia præcepta quibus erga proximum quisque ordinetur, deinceps tradit: ad priora tamen paulò post rediturus. Sensus est; Quoniam ergo sic edocti estis: deposito & abiecto mendacio, loquimini quisque quod verum est cum proximo suo. Vtitur verbo deponendi, quia dixerat veterem hominem deponendum esse; ad quem utique pertinet omne mendacium. Hortatur autem ad loquendum cum proximo veritatem, verbis prophetis, quæ habentur Zach. 8. Proximi nomine omnem hominem intelligi constat ex Christi doctrina Luc. 10. Quod & doctè explicat Hieronymus tam in Zachariæ, quàm huius loci commentario.

QVONTIAM SVMVS INVICEM MEMBRA. Vt hæc ratio quadret; suppleendum aliquid videtur hoc modo: Loquimini quisque veritatem cum proximo suo, præsertim Christiano; quia nos Christiani sumus inuicem membra sub capite Christo. Nimis autem absurdum est, si membra eiusdem corporis (mentiendo ac fallendo) se inuicem lædant; cum nihil tale contingat in corpore naturali, nisi per insaniam. Quamquam & infideles membra sunt, spe ac desiderio nostro.

26 IRASCIMINI ET NOLITE PECCARE. Non præcipit vt irascamur; sed hypotheticus, sermo est, quo per imperatiuum vt solent Hebræi, quale illud Ecclesiastici 30. *Lacta filium, & pauentem te faciet: Lude cum illo, & contristabit te*. Id est, si lactaueris eum, si luseris cum eo. Proinde sensus apostolici præcepti est: Si contingat irasci, caute ne in opus ira erumpat, id est, Ne facite quod ira suggerit, ne finite eâ progredi vsque ad iniuriam. Loquitur enim de ira qua quis præter ordinem iusticiæ mouetur ad vindictam: cum alioqui ira sit affectus medius, etiam in sacris literis; nam alioqui non toties in illis per metaphoram Deo tribueretur. Sumit hoc præceptum apostolus ex psalmo 4. in quo iuxta versionem LXX. totidem verbis habetur, *οργίζεσθ & μὴ ἀμαρτάνετε, Irascimini & ne peccate*. Cæterum in Hebræo textu, pro, *Irascimini*, legitur *Rigsoi*, quod alij vertunt pauete, alij contremiscite, alij commouemini. Verùm Hieronymus non solum ex Græco, sed etiam ex Hebræo, vertit *irascimini*. Verbum enim Hebræum non tantum significat contremiscere, verum etiam irasci, maxime apud Syros & Chaldæos, quorum verba & significationes, Genebrardo teste, sæpe usurpant David Salomon, Job. & reliqui Hebræorum poætæ. Sunt autem hæc affinia, tremere, fremere, commoueri, irasci. Quæ omnia, sicut in lexicis suis Hebrææ linguæ docti ostendunt, Hebræa voce significantur. Quamquam, vt idem Genebrardus annotat, in psalmo bene etiam congruit hic sensus; Contremiscite, supple, Dominum, vt ne peccetis. q. d. Timor Domini vos à peccato retrahat.

SOL NON OCCIDAT SVPER IRACVNDIAM VESTRAM. Figuratus est sermo, quo prohibetur diuturnitas iræ. q. d. Iræ com-

motam abrumpe quamprimum, & opprimite, ne si diutius daret, in actum vindictæ exeat, aut in odium vertatur. Ratio schematis est, quia solis occasus apud Iudæos initiū erat diei: Quare si quem irascentem nox occuparet, is iram retinebat vsque in alterum diem. Porro qui solem Christum interpretatur, defleunt à proprio ac literalis sensu huius loci. Pro cuius explicatione licebit videre B. Aug. conc. 2 in psal. 30.

27 **NOLITE LOCVM DARE DIABOLO.** Hæc pars in Græco copulatiuè coniungitur præcedenti; quod exprimit textus quo Hieronymus & Ambrosianus vsi sunt; sic enim legunt, *Neque locum detis diabolo*; Significat apostolus eum qui sinit iram diutius apud se morari, dare locum diabolo; parit enim ira referuata odium aut vindictæ consensum, per quem diabolus iam incipit in homine dominari. Potest hoc accommodari ad omnem delectationem accomodam, id est, eam, cui animus immoratur: talis enim delectatio periculum habet consensus; consensus autem mortem generat in materia mortali. Cæterū Erasmus pro *diabolo, calumniatorem* vertit; existimans hoc apostolum dicere: Fræne iram, ne præbeatis ansam calumniandi infidelibus, dum videmini vindictæ cupidi. Verum idem author in paraphrasi communem omnium interpretationem, quam dedimus, sequitur; quæ sine dubio melior est. Potest tamen iste locus sic intelligi; Nolite locum dare diabolo, tanquam accusatori. Semper enim quærit de quo nos apud Deum possit accusare; & locum faciunt accusationi eius quicumque peccatum mortale committunt: veræ accusationi nimirum, quum ipse & calumniosè pios accuset. Vnde Apoc. 12. nominatur *accusator fratrum*.

28 **QVI FVRABATUR, IAM NON FVRETUR.** Græcè *non amplius furetur*. Furari generaliter positum videtur, pro fraudare, subtrahere, & quocumque titulo iniuste auferre vel decinere alienum. Quomodo etiam accipitur in decalogo, *Non furtum facies*. Et hoc modo etiã apud Pindarum κλεπτείν vsurpatum legitur. Neque verò restitutionem hæc tacet apostolus; Continetur enim in eo quod dicit, *iam non furetur*. Nam qui non restituit cum possit; is adhuc in furto, id est, alienæ rei voluntaria detentione, perseverat.

MAGIS AVTEM LABORET OPERANDO MANIBVS SVIS QVOD BONVM EST. Græcè, *operans bonum manibus*. Opus manuum posuit pro omni opere utili ad victum parandum; vtex specie genus intelligatur. Addit autem, *quod bonum est*; vt artes victum quærendi inhonestas excludat.

VT HABEAT VNDE TRIBVAT NECESSITATEM PATIENTI. q. d. Operetur manibus non solum vt pellat ocium, quia multam maliciam docuit ociositas, Ecclesiastici 33. nec solum vt ablata restituat, aut vt sibi necessaria comparet, ne cogatur adhuc furari; sed etiam

ob hoc vt habeat quod largiatur indigentibus. Valde enim Deo grata est ex proprio labore elemosyna. Simul obserua cum Theophylacto, hæc innui quandam actionem penitentia pro furto commisso; tum in eo quod dicitur, *laboret*, nam labore corpus affligitur; tum quia ei qui aliena abstulit, iniungitur vt sua tribuat.

29 **OMNIS SERMO MALVS EX ORE VESTRO NON PROCDAT.** Græcè *οὐδὲς*, id est, putris, corruptus, spurcus, aut quomodocumque viciosus. Idem vocabulum apud Matthæum & Lucam, vbi de arbore mala loquuntur. Generatim ergo hæc linguæ peccata prohibentur.

SED SI QVIS BONVS AD EDIFICATIONEM FIDEI. Græcè, *Ad edificationem utilitatis* siue *necessitatis*, siue *opportunitatis*. Quo postremo modo Hieronymus se vertisse significat, his verbis: Pro eo quod nos posuimus *ad edificationem opportunitatis*, in Latinis codicibus, propter euphoniã mutauit interpres, & posuit, *ad edificationem fidei*. Castigationem Hieronymi nonnulla adhuc vetusta exemplaria manuscripta referunt; quidam vtrumque coniungunt, *ad edificationem fidei opportunitatis*. Syriaca versio, sic habet; *Sed is qui decorus & utilis ad edificationem*; tanquam sit hypallage in verbis apostoli, ad edificationem utilitatis, id est, ad vsum edificationis. Quod & Fabio placuit vsque ad eò, vt verterit ad edificationis utilitatem. Nobis hic sensus esse videtur: Sed si quis bonus est sermo, procedat ex ore vestro, non temerè tamen, sed ad promouendam utilitatem & salutem proximorum. vel (iuxta vulgatam versionem) ad promouendam fidem & doctrinam Christi. Monet igitur apostolus, sermonem etiam per se bonum, oportune proferendum esse; ne nostro vicio vertatur in malum. Concordat illud Sapientis: *Sermo oportunus, optimus*. Prou. 15.

VT DET GRATIAM AUDIENTIBVS. Sermo dat gratiam audientibus, quando Deus homine, atque ipsius sermone vitur ad largiendam audientibus suam gratiam. Quod fit, quoties auditor ex sermone edificatur, vel in fide, vel in moribus Christianis. Iam si rectè dicit apostolus quod sermo loquentis dat gratiam audientibus; absurdum profecto videri non debet, si dicantur sacramenta à Christo instituta conferre gratiam suscipientibus, vti docet ecclesia catholica.

30 **ET NOLITE CONTRISTARE SPIRITVM SANCTVM DEI.** Improperia locutio est; Constat enim Spiritum sanctum Dei, qui & ipse Deus est, propriè contristari non posse. Potest autem trifariam exponi; vno modo, ne quid facite propter quod Spiritus sanctus à vobis recedat, velut offensus, & contristatus. Ac breuiter, Nolite offendere Spiritum sanctum. Qui enim peccat, offendit, & quantum in ipso est, contristat Spiritum sanctum. Alio modo, congruentius ad ea quæ præcesserunt: Nolite per obscœna, vel qualitercun-

que

17 que scandalosa verba Spiritum sanctum è cordibus audientium expellere. Noli tu, quisquis es, verbo tuo proximum perdere, pro quo Christus mortuus est. sicut de cibo dicit Rom. 14. Tertia expositio est apud Thomam qua Spiritus sanctus intelligitur contristari, quando contristantur homines pij, in quibus est Spiritus sanctus; quomodo Deus interdum dicitur aliquid velle, quod ipso inspirante pij homines volunt. Hoc modo sensus est: Nolite dicere aut facere quippiam, per quod meritò pij & sancti homines contristentur. Iuxta illud; *Quis scandalizatur, & ego non vror?* 2 Corinth. 11.

IN QVO SIGNATI ESTIS IN DIE REDEMPTIONIS. Græcè & Syriacè, *in diem*. Quam lectionem in multis etiam Latinis manuscriptis repertam, editio Clementina restituit. Qui legunt, *in die*, referunt ad tempus baptismi, per quem redemptio Christi nobis applicatur. Et quia solet olim adultis baptizatis statim eodem die, si præsens esset episcopus, conferri sacramentum consignationis, sicut & factum legimus à Paulo Act. 19. putant hunc esse sensum; Quo Spiritu sancto per sacramentum ob signati estis, (hoc enim in Græco verbum est) eo tempore, quo per baptismum estis peccati seruitute redempti. Cæterum, iuxta veriore lectionem sensus est; Quo Spiritu sancto ob signati estis; id est, quem velut impressum vobis sigillum accepistis, seruandum vsque in diem redemptionis, id est, resurrectionis, & retributionis; vt tunc per illud agnoscamin; & redemptionis fiat participes; De hac redemptione loquitur Dominus Luc. 21. *Leuate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.* & apostolus Rom. 8. *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Vtroque sensu respicit hic locus ad sacramentum confirmationis, quod & signaculum, siue sigillum, Græcè *σφραγίς*, à patribus appellatur. Deterret igitur apostolus à contristando Spiritu sancto, magnitudine peccati, velut sacrilegij cuiusdam, quod est violare sacratissimum sigillum; cum etiam profana sigilla temerare non liceat. Confer cap. 1. v. 13, 14. & 2 Cor. 1. v. 22.

31 **OMNIS AMARITVDO, ET IRA, ET INDIGNATIO, ET CLAMOR, ET BLASPHEMIA, TOLLATVR A VOBIS; CVM OMNI MALICIA.** *Amaritudo*, siue amarulentia definiti potest animi dolor in inuidiam aut malevolentiam exacerbati. Pro *ira & indignatione*, Græcè est *θυμὸς καὶ ὀργή*, Latine, furor & ira; quomodo habet textus Hieronymi, quemadmodum & ex Græco legimus in psal. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Quæ duò tamèn idem Hieronymus ita distinguit, vt furor sit ira incipiens, & feruescens in animo indignatio; Ira verò, quæ furore restincto desiderat ultionem, & eum quem nocuisse putat, vult ledere. Quare, etiam secundum Græcam lectionem, grauius aliquid est

ira quam furor, seu tumor, vt moderatori vocabulo vertunt Erasmus & Henrenius. *Clamor* est in quem erumpunt homines irati, vt est racha in euangelio. *Blasphemia*, Latine maledicentia est; vt cum fratri dicitur, *fatue*. Neque enim blasphemia nomen eam solum comprehendit iniuriam; qua Deo maledicuntur; quamuis vt ait Augustinus lib. de moribus Man. cap. 11. vulgo blasphemia sic accipi solet. Cuius dat rationem, quia blasphemia dicitur, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Nam de hominibus dubitari potest; Deus autem sine controuersia bonus est. Addit apostolus generaliter, *cum omni malicia*, nempe ea qua proximus læditur; quia longum erat enumerare singula peccata quæ sinit in proximos committi. Repetuntur hæc ferè eadem in epist. ad Col. 3. Qui locus proinde cum isto conferendus est.

32 **ESTOTE AVTEM INVICEM BENIGNI.** Id est, comes, suaves. Sic enim potius verti posse Græcam vocem censet Hieronymus, vt opponatur amarulentia, quam inter vicia à nobis tollenda primam apostolus nominauerat. Alioqui benignitas propriè ad dandum pertinet.

MISERICORDES. Græca vox sonat, quasi dicas, *bonorum viscerum*, id est, boni affectus; nam viscera, pro affectibus, in sacris literis frequens est. Itaque potest hac voce omnis affectus benignitatis erga proximum, intelligi; qualis præcipuè est affectus misericordia, qua iuxta eiusdem scripturæ phrasim viscera hominis super alienis malis ita commouentur, vt ea velit, ac studeat remouere.

DONANTES INVICEM; SICVT ET DEVS IN CHRISTO DONAVIT VOBIS. *Donantes & donauit*, etiam in Græco vocabula sunt generalia, quamuis donationem siue largitionem significancia. Vnde & Hieronymi textus habet *donantes vobismetipsis*. (Sic enim verti etiam potest) tanquam significetur, vt ille exponit, eum qui benefacit alteri, ipso bono opere in seipsum esse beneficium. Quocirca & Erasmus retinere volens generalem hanc verbi Græci significationem, vertit, largientes & largitus est. Verum specialiter pertinere præceptum apostoli ad condonationem iniuriarum, satis aliunde potest intelligi. Nam in secunda ad Cor. 2. repetit aliquoties donandi verbum, pro eo quod est condonare & ignoscere. Et cap. 12. *Donate mihi*, inquit, *hanc iniuriam*, id est, condonate. Lucas quoque cap. 7 sui euangelij, sic loquitur: *Non habentibus illis unde redderent, donauit vtrisque*. Et iterum, *Astimo, quia is, cui plus donauit*. Denique ipsum apostolum habemus sua ipsius verba exponentem. Quod enim hæc ambigüe dictum videri poterat, clarioribus verbis expressit ad Col. 3. dicens: *Donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam; sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos*. Liqueo ergo sensum hunc esse quem communiter omnes tradunt tam Græci quam Latini; & cum his tan-

dem

demiple etiam Hieronymus; Condonantes iniuriam & offensas, sicut & Deus per Christi filij sui meritum, vobis condonauit omnia vestra delicta. Sic enim idem apostolus loquitur Col. 2. *Donans vobis omnia delicta*. Ad hanc plenam offensionem condonationem, exemplo patris caelestis faciendam, etiam hortatur & impellit nos euangelica parabola de seruo ingrato & immiserico corde; quem Dominus iratus tradidit tortoribus quoad vsque redderet vniuersum debitum, quod ei iam ante remiserat. Ibi enim subiungitur haec terribilis comminatio; *Sic & pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Matth. 18.

SUMMARIUM.

Hortatur ad imitationem Dei: auocat ab operibus tenebrarum, & prouocat ad opera lucis. Exemplo Christi & Ecclesia admonet mulieres viris subiectas esse; viros autem, ut uxores suas diligant.

CAPVT V.

ESTOTE ERGO IMITATORES DEI, SICVT FILII CHARISSIMI. Graece, *dilecti*: Quod ait, *ergo*, respicit ad capitis praecedentis illud postremum, *Sicut & Deus in Christo donauit vobis*. q. d. Cum accepta remissione peccatorum facti sitis Dei filij, Deoque dilecti; debetis Deum patrem vestrum imitari, vt sicut ille vobis in Christo peccata condonauit, ita & vos iniuriam offensas condonetis.

ET AMBULATE IN DILECTIONE. Id est, sicut estis a Deo dilecti; sic & vos exercete opera mutuae dilectionis. Confirmat eandem exhortationem exemplo Christi, dum subiicit,

SICVT ET CHRISTVS DILEXIT NOS; Non tantum vt Deus, dilectione communi cum patre; sed etiam vt homo, charitate creata & infusa; cuius magnitudinem declarat quod sequitur,

ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS OBLATIONEM ET HOSTIAM DEO, IN ODOREM SVAVITATIS. Non omnis oblatio etiam hostia est; ideo non satis habuit dicere, *oblationem*, sed addidit, *& hostiam*. Qua voce sacrificium significatur, nec quaecumque, sed animalis oblato. Phrasia illa metaphorica, *In odorem suauitatis*, vel vt Graeca vox sonat, *bona fragrantia* (sic enim & Hieronymus legit, in praefatione commentarij in Zachariam) sumpta est ex veteri testamento, vbi de legalibus ac fumosis sacrificijs saepissime dicitur, ea acceptari a Deo *in odorem suauitatis*, id est, instar rei suauiter olentis. Igitur sensus est; Dilixit nos, adeo vt sponte semetipsum tradiderit pro redemptione nostri, seque obtulerit hostiam Deo acceptissimam, quando in cruce

mortem pro nobis subiit. Non exprimit apostolus, sed cogitandum relinquit, nos etiam vbi res postulat, debere Christi exemplo tradere nosmetipsos in mortem pro fratribus. Quod quidem expressit Ioannes 1 ep. 3. dicens: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*.

FORNICATIO AUTEM ET OMNIS IMMUNDICIA, AVT AVARICIA, NEC NOMINETVR IN VOBIS. Redit ad praecipua sanctitatis. *Fornicatio* complectitur omnem sexuum commixtionem extra coniugium. *Immundicia* ad ceteras pertinet libidines seu pollutiones quae contra naturam sunt, & ad generationem ordinari non possunt, vt bene Thomas exponit. De quo genere, Hieronymus contra Cynicos philosophos aliosque nonnullos saeculi sapientes, grauius & Christiane scribentem in commentario, videat lector castimoniam studiosus. *Auaricia* nomen quid Paulo significet, vbi eam annumerat immundiciae peccatis, iam ad capitis 4. v. 19. dictum est ex Hieronymo. Qui & hoc loco repetit, apostolum non de ea loqui avaricia quae studet coaceruandae pecuniae; sed qua quis insatiabilis, & inexpletus per omnia turpitudinum genera, lasciuiaeque, discurrit. Si quis autem, inquit, arbitratur avariciam non hoc sensu accipiendam; reddat causam cur apostolus inter impudicitiae peccata mediam avariciam extraordinarie posuerit. Porro Thomas, cum prius vulgaram expositionem adduxisset, qua per avariciam, immoderatus amor pecuniae intelligitur, postea subiungit, intelligi posse eam luxuriae speciem quae iusticiae opponitur, id est, adulterium; quod est iniustus vsus vxoris alienae; sicut avaricia est iniustus vsus pecuniae. Verum hic sensus ad locum superioris capitis minus potest accommodari. Sed & hoc loco, sub generali nomine fornicationis, adulterium, sicut alibi, facile comprehenditur. Iam quod dicit apostolus, *nec nominetur in vobis*, siue, *inter vos*; ita intellige; Tam alienos esse vos volo ab his vicij, vt si fieri potest, ne quidem audiantur aliquando nominari ex ore vestro; ne forte (quod procliuus est in huiusmodi peccatis) ex ipso auditu concepta cogitatio carnis commoueat ad concupiscendum. Tale est quod alibi praecipit: *Fugite fornicationem*, 1 Cor. 6. Et hinc quoque sumitur argumentum, ad idem genus peccatorum avariciam, quam dixit, pertinere: quemadmodum & ex eo quod sequitur,

SICVT DECET SANCTOS. Sancti professione sunt omnes Christiani, sancti (inquam) vera sanctitate; quae est mundicia Deo oblata: qua generaliter quidem a peccatis, per eorum remissionem; specialiter autem, a fordibus carnalium peccatorum puri sunt & mundi.

AVT TURPITUDO, AVT STULTILOQUIVM, AVT SCURRILITAS. Subaudi ex parte praecedenti, *nec nominetur inter vos*; longè absit a vobis. *Turpido*, siue obscenitas secundum

S. Tho-

S. Thomam consistit in tactibus, amplexibus, & oculis libidinosis. Potest tamen hoc loco ad verba pertinere turpido, vt ad Coloss. 3. turpiloquium. *Stultiloquium* teste Hieronymo pertinet ad fatuas & ineptas fabulas, praesertim eas in quibus sit aliquid obscenitatis. Pro scurrilitate Graecis est *εὐχελεσία*, Quae vox proprie vrbanitatem seu comitatem significat, quam philosophus 4. Eth. 8 in bonam partem accipit, & virtutem facit mediam inter duo vicia, scurrilitatem & rusticitatem. Non est autem putandum apostolum hanc *εὐχελεσίαν* damnare voluisse, licet ita sentire Chrysostomus videatur in parte moralis sui commentarij: cum iuxta ipsum Chrysostomum vrbanitate vsus sit Paulus quando dixit: *Utinam & abscondantur qui vos conturbant*, Gal. 5. Sed eam vocem pro scurrilitate apostolus posuit, quod plerumque qui vrbanitatem affectant, a medio virtutis aberrant, ad scurrilitatem declinant. Qua in significatione etiam Pindarus poeta Graecam vocem vsurpasse legitur. Itaque rectè noster interpretes *scurrilitatem* vertit, quam nos, inquit Hieronymus, iocularitatem alio verbo possumus appellare. Ea est, quum in iocis, & facetijs modus exceditur, praesertim admiscendo turpia. Et haec omnia Thomas affirmat esse mortalia peccata, in quantum ad mortalia ordinantur; vt saepe contingit in huiusmodi. Confer Caiet. in 2 sec. q. 148 ad fin.

QVAE AD REM NON PERTINET. Rectius in nonnullis codicibus plurali numero, *pertinent*; suffragantibus Hieronymo & Ambrosiano. Graecè & Syriacè, *qua non conueniunt*; id est, quae omnia dedecent Christianos, & sanctum eorum nomen dehonstant. Refertur enim ad tria praedicta, turpitudinem, stultiloquium, & scurrilitatem.

SED MAGIS GRATIARVM ACTIO. Scilicet nominetur, audiatur, sonet ex ore vestro. Id est, loco facetiarum & scurrilium iocorum quibus homines carnales in congressibus & conuiuijs suis oblectare se solent; vos, semper memores beneficiorum Dei, potius ea loquimini quae sonant gratiarum actionem, & talibus colloquijs vos oblectate. Sic enim & infra monet vt *canentes & psallentes Domino, gratias agant semper pro omnibus*. Hieronymus existimat Graeco nomine *εὐχαεσία*, propter consequentiam apostolici contextus, hoc loco conuenientius intelligi eam virtutem, qua grati, hoc est gratiosi apud homines appellantur. Nam vt stultiloquium & scurrilium non decet esse Christianum; ita decet sermonem eius sale esse conditum, vt gratiam apud audientes habeat. Confirmat hunc sensum ex eo quod apud Hebraeos, gratiosus, & gratias agens, vno vocabulo dicitur, id quod ex maternal lingua putat imitatum apostolum etiam in Graeco sermone, vt eucharistiam, quae proprie gratiarum actionem significat, pro gratiositate posuerit. Quae Hieronymi coniectura non est profus improbanda: quando-

quidem & Graeci authores *εὐχαεσιον* vocant eum, qui iucundus, gratiosus, & amabilis est. Atque eius rei exemplum, secundum LXX. profert idem Hieronymus ex Prou. 11. cap. vbi nos legimus, *Mulier gratiosa inueniet gloriam*. Contendit enim, & aliorum interpretum collatione probat legendum in Graeco, *εὐχαεσιον*, pro eo quod in exemplaribus legitur *εὐχρησιον*. Sed haec non ita commemoramus, vt propterea priorem sensum, qui & pius, & percommodus est, ac primò obuius, putemus possidendum esse: licet hic posterior etiam Caietano & Stapulensi magis ardeat. Certè vocabulum hoc *εὐχαεσία*, nec apud apostolum nec vsquam alibi in tota scriptura reperitur in alia significatione quam gratiarum actionis.

HOC ENIM SCITOTE INTELLIGENTES. Graecè est, *Hoc enim estis, vellestote cognoscetes*. Ac magis placet modus praecipitius, Verba enim sunt denunciantis malum, quod cauere debeant: sicut 1 Cor. 6. vbi similiter denunciatus ait: *Nolite errare, neque fornicari &c.* Et Gal. 5. *Qua praedico vobis, iacet praedixi*. Iam verò idem est, *Estote intelligentes, & scitote*, quod solum legit Hieronymus. Vnde conijcere licet, remoto verbo, *Scitote*, duas diuersas interpretationes conflatas in vnam. *Scitote, intelligentes*. Tamen non rejicio quod Erasmus annotat, quosdam codices non esse, sed esse legere; id est, *scitote*; quemadmodum & apud Oecumenium legisse videtur interpretes eius: dum vertit, *Scitote cognoscetes*. Nam & Heb. 12. v. 17. pro *scitote* Graecè scriptum est, *scitote*. Sed quia hoc in sacris codicibus rarissimum est, ac ferè semper pro *scitote*, Graeca habent *γινώσκετε*: idcirco verisimilius arbitror quod prius dixi.

QVOD OMNIS FORNICATOR, AVT IMMUNDVS, AVT AVARVS, QVOD EST IDOLORVM SERVITVS. Graecè & Syriacè, *Qui est idololatra*, id est, idolorum cultor ac seruus. Hieronymus legit, *quod est idolis seruiens*. Videri potest in Latinis iam olim mutatam fuisse lectionem occasione loci Col. 3. vbi de avaricia dicitur, *Quae est simulacrorum seruitus*. Quanquam nostra lectio facile sic accipitur, vt relatiuum, *quod*, non ad *avarum*, sed ad vicium eo nomine significatum, id est, avaritiam, referatur. Illud maioris quaestio est, quem hic avarum dicat apostolus; & quo sensu avarum, idololatram; & avariciam, idololatriam nomet. Eadem quaestio est de loco iam citato ad Col. 3. Et quidem plerique omnes avarum intelligunt vsitato more eum qui per fas & nefas studet opibus acquirendis: Et hunc idololatram dici, quia vnam eandemque rem colunt avarus & idololatra: scilicet aurum, & argentum, alter in simulacris, alter in nummis. Vnde Theophylactus opinatur Paulum ad Dauidem alludere. Quod enim ille dicit psal. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum*; hoc Paulus ad avaros transfertens, inuertit, tanquam diceret, *Argentum & aurum sunt avarorum simulacra, idola,*

Dij

Dij. quod tamen non ita intelligendum quasi avarus proprie sit idololatra; Non enim aurum aut pecuniam proprie colit pro Deo: sed talis recte dicitur quadam similitudine; quia sicut paganus idolum veneratur ut Deum, ita avarus nummos quasi rem sacram ac diuinam diligenter asseruat, reuerenter habet, forma delectatur, vsu consumere non audet, ijsque, secundum poetam, tanquam parcere sacro cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis. Vnde & Ioannes Cassianus lib. 7. inst. mon. ca. 7. de auaritia. Cernis, inquit, ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, ut etiam idolorum vel simulacrorum seruitus apostoli voce pronuncietur: eo quod figura Dei & imagine prætermissa, quæ deuotè seruiens Deo, immaculatam in semetipso debuit custodire, hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit & tueri. Quanquam fortasse rectius cum S. Thoma dixerimus, idcirco auariciam vocari cultum idolorum; quia sicut paganus in idolo, sic avarus in idoli materia, quæ est aurum & argentum, suam fiduciam collocat, eiusque gratia omnia facit. Qua ratione & Dominus in euangelio Matth. 6. homines auaros dicit seruire mammonæ, id est, diuitijs. At verò S. Hieronymus, licet hanc etiam expositionem, quam vulgatam esse fatetur, adferat: ipse tamen, sibi constans, eandem hic auariciam significari putat, de qua iam semel & iterum superius apostolum exposuit. Nec arbitratur sibi obitare quod avarus hinc appelletur idolorum seruus: Nam sicut passim apud prophetas idololatria fornicatio vocatur; ita vicissim, inquit, fornicatio per idololatriam potest intelligi. Rationem huius appellationis explicat alij, ut Sasboldus in commentario, & Galenus noster catechesi 82. nempe quod Simoniani (quos ab apostolo notatos existimant) infandas libidines ita exercebant, ut eas referrent in Dei honorem, & tanquam sacrificium acceptissimum offerret Patri vniuersorum. Talia namque de Gnosticis, è schola Simonis exortis, scribit Epiphanius hæresi 26. Vide etiam Theodoretum lib. 1. hæreticarum fabularum cap. 2. Hunc igitur execrabilem cultum, existimant ab apostolo vocari idololatriam.

NON HABET HEREDITATEM IN REGNO CHRISTI ET DEI. *Habet*, pro *habebit*. Nam alibi loquitur in futuro, *Non hereditabunt regnum Dei*, 1 Cor. 6. & Gal. 5. vel certe, in præfenti, *non habet hereditatem*, id est, ius hereditatis aliquando percipiendæ: Quod ius habetur in hac vita per gratiam adoptionis. Vnde intelligitur vicia iam dicta, gratiam qua quis heres est regni cælestis, excludere, proindeque gehennæ obnoxium facere. Sed quaeritur, an hoc extendendum sit ad cætera paulò ante memorata; turpitudinem, stultiloquium, & scurrilitatem. Thomas extendere videtur; facit enim ea mortalia, ut supra indicauimus: At Hieronymus eodem suo com-

mentario sic extenuat, ut in ijs locum non habeat ista apostoli denunciatio. Probabile est quod dicit Caietanus, apostolum hæc tria non repetiuisse, eo quod secundum genus suum non sint peccata mortalia. Quod sequitur, *in regno Christi & Dei*; non ita dictum quasi Christus non sit Deus, aut aliud sit regnum Christi, aliud Dei; sed vnum idemque regnum cæleste significauit; quod Dei est, ut regis naturalis; Christi autem hominis, ut regis à Deo constituti; psal. 2. & hac ratione Deo subiecti, iuxta doctrinam apostoli 1 Cor. 15.

6 NEMO VOS SEDUCAT IN ANIBVS VERBIS. Id est, Ne finire vos decipi quorundam vanis & fallacibus sermonibus, quasi hoc quod dixi, non ita se habeat. *Inania verba* vocat quibus veritas non subest; id est, falsa. Vnde mendaces, vani vocantur.

PROPTER HÆC ENIM VENIT IRA DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ. Particula, *propter hæc*, non est referenda ad illud postremum, *in anibus verbis*; nam genus non conuenit in Græco, sed ad vicia prius enumerata, fornicationem, immundiciam & auariciam. Idque clarum est ex simili loco Col. 3. *Propter quæ venit ira Dei* &c. cum proximè recensuisset membra mortificanda, fornicationem, immundiciam &c. Verbum, *venit*, tam hinc quàm ad Col. præsentis temporis est, ἐρχεται. Vnde Erasmus, nimia licentia vsus, utrobique vertit, venire solet. Neque enim sensum apostoli affecutus est: nam verbum illud Græcum non significat veniendi consuetudinem; sed præsentem veniendi actum cum quadam adsignificatione futuri, ut 1 Ioan. 2. Antichristus venit. Hinc illud aliquoties in euangelio ὁ ἐρχόμενος, qui venturus est. Respicit igitur apostolus ad futurum Dei iudicium in impios; ut sit sensus, Propter hæc & huiusmodi peccata superuenturam esse iram, id est, vindictam Dei, in eos qui talia committunt. sicut dicit 2 Thess. 1. *In flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas*, &c. Estque notandum, apostolum aduersus vaniloquos & seductores munire volentem Ephesios, grauem illam denunciationem hinc repetere, cum exaggeratione pœnæ. q. d. Qui talia facit, non solum excludetur ab hereditate regni cælestis, verum etiam incurret in pœnas grauissimas, quæ pro talibus peccatis ab irato Deo expectandæ sunt. Porro quod interpret hoc loco transtulit, *In filios diffidentiae*, id ad Col. 3, vbi eadem verba ab apostolo repetuntur, vertit, *super filios incredulitatis*; cum in Græco utrobique sit ἀπίστους. Qua voce significatur vicium contumacis ac præfati animi, non admittentis suasionem rationabilem. Hieronymus vocat *insuasibilitatem*; Cyprianus epistola 64 quæ ad Epictetum legit, *In filios contumacia*; Alij hinc vertunt, *In filios inobedientes*. Sunt enim iidem illi de quibus ad Thess. *Qui non obediunt euangelio*. Vocantur autem filij insuasibilitatis aut

incredulitatis Hebræa phrasi, id est, homines imperuasibiles & increduli. Sic alibi, *filij iniquitatis*, & hoc capite paulò infra, *filij lucis*.

7 NOLITE ERGO EFFICI PARTICIPES EORVM. Scilicet filiorum diffidentiae. Hieronymus *comparticipes legit*, ut est in Græco. Sensus est. Proinde caute, ne sitis confortes & socij eorum in peccatis supra dictis: id est, nolite similia facere, ne vos vnà cum illis inuoluet ira Dei.

8 ERATIS ENIM ALIQUANDO TENEBRÆ: NUNC AVTEM LVX IN DOMINO. *Tenebras* fuisse eos dicit propter ignorantiam Dei & rerum agendarum, quæ tanta in eis fuerat, ut lapidem pro Deo colerent; & illa paulò ante enumerata, non putarent esse peccata. De talibus capite superiori: *Tenebris obscuratum habentes intellectum*; & quæ sequitur. Nunc autem lucem in Domino eisdem esse affirmat, quia per Christum ab illis tenebris purgati, fide & iusticia lucebant. Notandus & hic locus, aduersus imputatores, pro iusticia inhærente. Nam quomodo lux, in quibus verum iusticiæ lumen non inest? Id verò tale esset, ac si quis ætrem tenebrosam, imputatione vocet lucidum.

9 VT FILII LVCIS AMBULATE. Sensus exhortationis est. Recolite quid fueritis, & quid nunc sitis; fuisse aliquando tenebræ, perinde vt illi diffidentia filij: nunc autem estis lux in Domino. Igitur ostendite moribus & conuersatione vos esse filios lucis, id est, vos ad lucem pertinere. Quæ lux est gratia; in fide & sanctitate consistens, & bonis operibus declaratur, iuxta id quod sequitur,

10 FRVCTVS ENIM LVCIS EST IN OMNI BONITATE, ET IUSTICIA, ET VERITATE. Hoc est, fructus quem profert lux gratiæ situs est in omni genere virtutum ac bonorum operum; siue pertineant ad beneficentiam proximis impendendam, siue ad iusticiam erga proximos seruandam. *Veritas* ad vtrumque præcedens videtur referendum, id est, ad bonitatem & iusticiam; quod vtriusque generis opera oporteat esse vera, recta, sincera, quæque Dei iudicio probentur: Nam sensu non dissimili cap. 4. nominauit iusticiam & sanctitatem veritatis. Græci codices habent, *Fructus enim spiritus est* &c. sed refragantibus omnibus Latinis. At nec Hieronymus Græcæ lectionis meminit: nec dubium quin Latina contextui magis quadret, quia de luce sermo erat, non de spiritu; fierique potest vt Græcis anam mutandi textum dederit alius locus similis qui est Gal. 5. *Fructus autem spiritus est caritas* &c.

10 PROBANTES QVID SIT BENEPLACITVM DEO. Græcè *Domino*. Pars hæc ordinanda cum illa superiore, vt *filij lucis ambulate*; nam quod sequitur, *fructus enim lucis* &c. parenthesi claudendum. *Probantes*, inquit, hoc est in morem prudentissimi trapezitæ, qui sculptum numisma (Hieronymi verba sunt) non

solùm oculo; sed & pondere & tinnitu probat, sollicitè explorantes quæ sint opera Deo placita; vt ea sola faciatis. Sic Rom. 12. *vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*.

11 ET NOLITE COMMVNICARE OPERIBVS INFRVCTVOSIS TENEBRARVM. Fructui lucis opponit opera tenebrarum, sicut ad Galat. 5. Fructui spiritus, opera carnis. Et quo manifestior sit antithesis; addit, *infructuosus*. *Opera tenebrarum* appellat quæ ex ignorantia Dei, & veræ iusticiæ procedunt: cuiusmodi quædam superius enumerauit. Eadem *infructuosa vocat*, non solum quod fructum vite non pariant operatibus. sed quia fructus illorum mors est; Rom. 6. minùs enim dicens, plus vult intelligi. Communicat autè huiusmodi operibus, qui ea facientibus confortem se præbet, similia faciendo.

MAGIS AVTEM REDARGVITE. Græcè, *Magis autem & arguite*, quemadmodum & Hieronymus habet. Sed & noster interpret paulò post vertit, *arguuntur*, verbo simplici. Ceterum Ambrosianus legit, & *obiurgare*; & infra, *obiurgantur*. Coniunctionem (&) habent etiam manuscripta quædam Latina. Verbum, *arguite*, dupliciter accipi potest: Arguit enim & qui reprehendit ac reuincit; & qui prodit ac manifestat. Aut igitur sensus est; Nec vobis satis sit similia non facere, nisi & dum ab alijs fiunt, reprehendatis, ac doceatis non esse faciendæ: Quem commentarium postulant verba nostri textus, & Ambrosiani; *redarguite, obiurgate*: Aut hic sensus est; Quin potius vos, quia lux estis, illa tenebrarum opera, lumine operum vestrorum prodite, detegite, manifestate, vt omnibus appareat illorum turpitudine. Nam contraria iuxta se posita magis elucescunt. Vtrumque sensum adfert Oecumenius; sed hunc posterioriorem magis exigit metaphora lucis, in qua hæcenus versatur apostolus; quam & mox explicat.

12 QUÆ ENIM IN OCCVLTQ FIVNT AB IPSIS, TVRPE EST ET DICERE. Hoc quamuis ad filios diffidentia, de quibus ante locutus fuerat, id est, ad infideles, referri possit, de quibus & capite superiori tale quid dixerat; Alij tamen probabilius existimant hinc notari familiam Simonis Magi, quæ erat infandarum libidinum magistra. Ac sanè eò refert hunc locum Epiphanius, de Simonis & sectatorum eius heretibus differens. Possunt autem & illi sub filijs diffidentia seu contumacia comprehendendi.

13 OMNIA AVTEM QUÆ ARGVNTVR, A LVGINE MANIFESTANTVR. *Lux*, & *lumen*, eadem est vox in Græco, ne quis frustra in discernendo labore, Illud, *à lumine*, medium inter duo verba, potest cum vtrolibet construi: sed conuenientiùs cum sequenti; vt sensus sit: Dixi, vos, qui estis filij lucis, arguere debere opera tenebrarum; Sic enim habet rei natura, vt quæcunque tenebrosa arguuntur, id est, produntur,

ea manifestentur à lumine. Nam argui, seu prodi, non aliud est quam in lucem profertur.

OMNE ENIM QVOD MANIFESTATVR LVMEN EST. Græcum participium φανερόμενον, cum sit medium, potest etiam actiue exponi, *Omne quod manifestat*; aut vt Syrus interpres transtulit, *Omne quod reuelat, lux est*. Nam certè passiuæ acceptio obscuritatem habet, & lumine indiget. Eam plerique quidem sic exponunt, *Omne quod manifestatur*, id est, peccatum, dum à lumine proditur ac redarguitur; *sit lux*, id est, in iusticiam conuertitur per pœnitentiam: Et proinde debetis omni studio opera tenebrarum arguere, vt qui ea faciunt; relictis tenebris ad lucem veniant, & lux fiant. Quem sensum in paraphrasi diligenter prosequitur Erasmus. Sed, vt taceam quam absurdè sonet peccatum, quod manifestatur, esse lucem; quæro, quomodo secundum hunc sensum vniuersaliter dicat apostolus, *Omne quod manifestatur lumen est?* cum plurimi hoc modo manifestati, maneant in tenebris; & lumen quo manifestantur, oderint, dicente euangelista, *Lux in tenebris luget, & tenebræ eam non comprehenderunt*, Ioan. 1. Et ipso Domino attestante, *Lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*, Ioan. 3. Quocirca multò probabilior est actiua participij acceptio; quam & Caietanus amplectitur, quamque consequentia textus apostolici prorsus exigere videtur. Præcepit enim Ephesijs, vt tanquam filij lucis ambularent, & opera tenebrarum arguerent; quandoquidem, inquit, omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur: Et hoc probat, quia omne manifestans lumen est, id est, nulla res potest manifestare & in apertum proferre aliquid obscurum, nisi sit lux, aut lucis particeps. Quod quidem veritatem habet vniuersalem, tam de luce spiritali, quam corporali. Ad quem intellectum potest & nostri interpretis versio aptari; si sic intelligatur, *Omne id quod per se ac primò manifestatur, lux est; vt proinde nihil aliud queat manifestari nisi beneficio lucis*. Porro verisimile est apostolum, euphoniæ gratia, potius φανερόμενον, quam φανερόν dicere voluisse. Ac fortè minùs in vsu est hoc participium neutrum, eò quòd coincidat cum infinitiuo.

14 PROPTER QVOD DICIT; SVRGE QVI DORMIS. Græcè *Expergiscere qui dormis*.

ET EXVRGE A MORTVIS, ET ILLVMINABIT TE CHRISTVS. Codex Landësis pro (te) habet tibi. Græcè, *Et illucescet tibi Christus*, quemadmodum & S. Ambrosius legit lib. 3. de Spiritu sancto cap. vltimo. Pro quo Hieronymus in commentario vertit, *Orietur tibi*. Commentator autem Ambrosiaster legit, *Et continget te Christus*. Sic & Augustinus in enarratione psalmi 3. Cuius lectionis etià Hieronymus meminit; Sed quisquis ita vertit, nò legit in Græco *ἡ ἀνάστασις*, vt nunc omnes codices habent, & quomodo Græci commentatores legerunt; sed *ἐπιείκεια*, vt obseruat idem Hieronymus. Quod autem ab eo narratur de quodam qui testimonium hoc exposuerit tanquam dictum à Christo pœdente in cruce, ad Adà sub ea sepultum, qui sanguine redemptoris contactus vitã receperit; id nec ipse Hieronymus probat, & alibi velut fabulosum rejicit ac refellit, vt in cõmentario super Matth. 27. Quamquã idẽ Hieron. epist. 17. admittit Adamum illic fuisse sepultum, vbi Christus fuit postea crucifixus. quod idem à multis veteribus traditum est, quos refert Baron. anno Christi 34. sect. 112. Quæritur vbi scriptum sit hoc testimonium à Paulo citatum. Existimat Hieronymus nusquam in sacris literis extare, sed vel sumptum ex apocrypho quopiam, sicut alibi etiã ex poetis ethnicis versiculos vsurpat apostolus; vel ipsum Spiritu sancto plenum, more prophetarum dicentium, *Hæc dicit Dominus*; repente in verba, quæ Christus in se loquebatur, erupisse. q. d. Hæc Christus, siue Spiritus sanctus per me loquitur; *Surge qui dormis, &c.* Verum hæc, inquit Thomas, non est consuetudo Pauli. Quocirca putat referendum esse ad locum Isai. 60. vbi propheta mysticam Hierusalem, id est ecclesiam, sic alloquitur. *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus*. Hanc Aquinatis sententiam pluribus verbis probabilem reddit Caietanus, eamque multi alij sequuntur; ac meritò. Videtur enim apostolus agens de tenebris peccatorum & lumine gratiæ, verba propheta generaliter ad Hierusalem dicta, in quibus luminis ac tenebrarum fit mentio; mutatis & additis quibusdam, per accommodationem, assumere pro exhortatione peccatoris, vt è somno ac morte, quæ tenebrarum sunt, exurgens, à Christo illuminari mereatur. Vt sensus sit, Huc facit illud, quod scriptura dicit: Tu qui detineris somno peccatorum, expergiscere; & qui mortuus es in peccatis, resurge à morte: & Christus, qui est verum lumen, per gratiam suam super te orietur, teque illuminabit. Quibus verbis excitatur quidem liberum arbitrium peccatoris, vt à peccatis resurgat: verum certè (ait Thomas) hoc ipsum habet liberum arbitrium à gratia præueniente; sicut & postea meritorie operari, à gratia subsequente. Vel vt idem doctor ait 1. 2. quæst. 109. art. 7. ad 1. hanc scripturam explicans: Cum homo per liberum arbitrium à Deo motum, surgere conatur à peccato, recipit lumen gratiæ iustificantis. Igitur hæc illuminatio quæ peccatori surgenti à peccatis promittitur; ad gratiam pertinet, vel iustificantem, vel subsequentem.

15 VIDETE ITAQVE FRATRES, QVOMODO

CAVTE

CAVTE AMBULETIS. *Frates*, non est in Græco; & pio canitè, Græcè est, *diligenter, accuratè*; quod in re præsentis fermè idem est quod cautè & circumspectè. Vos, inquit, qui estis filij lucis, ideoque errare, quasi in tenebris, non debetis; *videte*, id est, vtimini luce vestra ad videndum quomodo benè & circumspectè conuerserimini, maximè cum ijs qui foris sunt, id est, infidelibus; hoc enim expressit Col. 4.

NON QVASI INSIPIENTES, SED VT SAPIENTES. Explicatio est eius quod dixit, *caute*. Nam insipientes incautè & imprudenter ambulant; sapientes, cautè, & prudenter.

16 REDIMENTES TEMPVS; QVONIAM DIES MALI SVNT. *Tempus*, Græcè *καιρὸν*, quod propriè temporis occasionem, siue opportunitatem significat. Et ita verterunt Erasmus, & Theophylacti interpres. Sed sciendum, apostolo plerumque idem esse *καιρὸν* quod *χρόνον*, vt rectè Salboldus annotauit: Atque isto modo tam Græci quam Latini interpretes, tempus intelligunt hoc loco; sensum huiusmodi reddentes: *Quoniam dies mali sunt*, id est, quia tempus huius vitæ plenum est tentationibus & laqueis peccatorum, iuxta illud, *Tentatio est vita hominis super terram*, Iob 7, secundum LXX. Idcirco vos adhortor vt redimatis tempus, id est, vt quouis precio tempus hoc salutare faciatis vobis liberum ad feruendum Deo. Potius patimini bonorum temporalium dispendia, quam vt ea cum aliquo salutis aut euangelij dispendio velitis retinere. Potest etiam sic rectè accipi, *Dies mali sunt*, hoc est, Viget aduersum Christianos persecutio: ideo tempus redimite, id est, potius aliquid rerum vestrarum dispendium patimini, quam vt aduersarijs relinquatur occasio persequendi fidem Christi. Confer cum loco Coloss. 4. v. 5. Parent huic apostoli præcepto, non solum qui relictis omnibus Christum sequuntur; verum etiam qui cum res postulat, amittere aliquid de suo malunt, quam ius suum prosequendo, temporis & tranquillitatis quam in Deo habent, iacturam facere. Alibi tempus redimere dicuntur qui moras trahunt ad euadendum, vt Dan. 2. rege dicente ad Chaldæos; *Certe noui quòd tempus redimitis*. Gregorius quoque lib. 5. mor. cap. 28. tempus redimere nos dicit, quado antea vitam quam lasciuendo perdidimus, stendo reparamus. Sed hæc significationes non conueniunt præsentis loco, vt nec alteri illi qui est Col. 4. vbi idem hoc præceptum repetitur. Porro *dies malos* vocat apostolus non à temporis vicio, sed hominum qui in tempore viuunt. Interdum verò mali dicuntur dies, propter afflictionem & miseriam, quæ hominibus in tempore accidit. Sic enim Iacob patriarcha Gen. 47. dies vitæ suæ malos appellauit.

17 PROPTEREA NOLITE FIERI IMPRUDENTES. Alij vertunt, *Ne sitis im-*

prudentes. Vtrumque recipiunt Græca.

SED INTELLIGENTES QVÆ SIT VOLVNTAS DEI. Græcè, *Sed intelligentes voluntatem Domini*. Sensus apostoli est: Cum dies mali sint, & omnia peccandi periculis plena; ne sitis imprudentes, & incauti in conuersatione vestra; ne tempus benè agendi vobis effluat; sed dare operam, vt intelligatis quid Deus à vobis velit fieri; & sicut supra dictum est, *probate diligenter quid sit beneplacium Deo*.

18 ET NOLITE INEBRIARI VINO IN QVO EST LVXVRIA. Hic quoque apostolus, vt aliquoties supra, ad scripturam respicit; partim Prou. 23. vbi pro eo quod nos ex Hebræo legimus, *Ne intuearis vinum*; LXX. verterunt, sicut hic in Græco habetur, *Ne inebriemini vino*: partim Proverb. 20. vbi secundum eisdem LXX, potius quam secundum Hebraicam veritatem, legitur; *Luxuriosa res vinum*. Quam verò apostolus ebrietatem, & quos ebriosos intelligat, alibi diximus, Neque enim hoc vicium restringit vsque ad deliquium rationis. Illud, *in quo*, vel ad vinum referri potest, vt conueniat cum memorata sententia Sapientis; vel ad totum istud, *inebriari vino*. Quo quidem posteriori modo, dictum apostoli non habet ambiguitatem. Sed et si (quod magis apparet) ad vinum referatur; nulla continetur hic iniuria creaturæ Dei. Non enim in vino luxuria esse dicitur, vt in causa eius vicij propriè effectiua; sed agente dumtaxat per modum occasionis; quæ tantum improprie, & vt ita dicam, abusiue, causa vocari potest: vt in vino luxuria esse dicatur, eo quòd ex vino largiter hausto corpus ita solet affici, vt tentante concupiscentia, facile prouocetur ad luxuriam. Nec dissimilis locutio Daniel. 13. *Species decepit te*. Quod tamen ne malè intelligeretur, continuo additum est, *Et concupiscentia subuertit cor tuum*. Sic Ecclesiastici 19. *Vinum & mulieres apostatate faciunt sapientes*. Simile & illud quòd ecclesia canit in festo sanctæ crucis, *fructus arboris seduxit nos*. Ita & medici sine reprehensione loquuntur; Hæc herba Bilem prouocat: illa Venerem ciet. Vide etiam quæ diximus ad illud 1 Cor. 8. *Scientia inflat*. *Luxuria*, Græcè *ἀσώτια*, non ad sola peccata libidinis pertinet; sed ad vniuersum genus intemperantiæ, lasciuia, & prodigalitatis extenditur: quemadmodum & *ἀσώτων*, qua voce vsi sunt LXX in Proverbij, generaliter dicitur de prodigo, lasciuo, & intemperante. Hoc generali modo luxuriam, hic accipiunt Hieronymus & Græci; tanquam sensus sit, ex vino immoderatè sumpto homines velut impelli ad quoduis genus intemperantiæ ac temeritatis. Alij verò non malè putat ab apostolo peculiariter significatã esse luxuriam, quæ in libidine venerea consistit. Ad hanc enim incitari homines vino

potos, experientia testis est. Vnde illud verissimè ab Hieronymo dictum, Venter mero æstuans faciliè despumat in libidinem. Facit quoque sensus hic ad taxandos Simonianos, qui, vt inter alia refert Epiphanius, solent peregrinis fratribus conuiuia extruere, & mero calefactis, prætextu fraternæ charitatis, vxores suas communes facere.

SED IMPLEMINI SPIRITV. Oponit hoc ei quod dixit, *inebriari vino*. q. d. Nolite repleri vino vnde ebrietas & luxuria; sed potius implemini Spiritu sancto, id est, gratia & læticia spirituali, atque in vniuersum bonis spiritualibus. Querit hinc Thomas post Chrysostomum, an Spiritus sanctus sit in nostra potestate. Ad quod breuiter respondetur, non esse, nisi quatenus per Dei gratiam liberè exercemus opera bona, quæ sunt Spiritus sancti dona, & per quæ Spiritu sancto magis magisque replemur: vt explicat Chrysostomus. Nam ipsum secundum se Spiritum sanctum, qui Deus est, & Dominus omnium, in nostra potestate esse, nullo modo fatendum est.

19 LOQUENTES VOBISMETIPSIS IN PSALMIS ET HYMNIS, ET CANTICIS SPIRITUALIBVS. In præpositio non additur in Græco; quemadmodum nec Col. 3. vbi hæc ferè eadem repetuntur. *Psalmus & hymnus* Græca vocabula sunt; quamuis apud auctores profanos *psalmus* in genere cantionem significet, præsertim eam quæ fit cytharæ pulsu; *hymnus* verò, Deorum laudibus accommodari soleat: in sacris tamen literis, vtriusque non nisi sacrum argumentum est; vt *psalmi* sint sacræ cantiones, in genere; quales omnes psalmi Dauidici: *Hymni* verò, qui propriè Dei laudes continent. *Cantici* nomen prorsus generale est; ideoque addidit, *spiritualibus*. Hoc enim ad solum proximum vocabulum referendum est, non ad duo priora: quia, vt dictum est, *psalmus & hymnus* consuetudine scripturæ tantum in sacris & spiritualibus intelliguntur. Iam quod ait, *Loquentes vobismetipsis*, Quidam sic exponunt, meditantes intra vos ipsos, interna, ac tacita locutione. Sed illi Græcam phrasim non considerant, qua significatur allocutio mutua; quemadmodum annotauimus ad illud capitis præcedentis, *donantes inuicem*. Præcipit igitur Ephesijs Paulus vt impleantur Spiritu sancto; idque futurum docet, si pro lasciuis & amatorijs cantionibus quas in suis symposijs cantare solent ebriosi, recitent & canant inter se mutuo, psalmos, & hymnos & cantica spiritualia. Videtur autem significari modus alternatim cantandi; qui vsque hodie per vniuersam ecclesiam frequentatur. Simul obserua veterem Christianorum morem, quo psalmos & hymnos cantabant, non solum in conuentibus ecclesiæ, ve-

rum etiam in domibus priuatis, alijsque in locis. Sic Paulus & Silas in carcere constituti Deum hymnis laudabant, ita vt ab alijs captiuus audirentur, Actorum 16.

CANTANTES ET PSALLENTES IN CORDIBVS VESTRIS DOMINO. Græcè, *In corde vestro*; quemadmodum & Coloss. 3. per quod expressius insinuat cantantium vnitas & consensus, iuxta illud Actorum 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*. Sentit autem apostolus, non summis labris tantum, aut ad mulcendas aures cantandum & psallendum esse Deo, si Spiritu sancto repleri volumus; sed ex intimo cordis affectu. Audiant hæc, inquit Hieronymus, illi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum. Et iterum: Sic cantet seruus Christi, vt non vox cantentis, sed verba placeant quæ leguntur; vt spiritus malus, qui erat in Saule, eijciatur ex his qui similiter ab eo possidentur. Addo (quod intendit apostolus) & vt ipsi qui cantant sancto Spiritu repleantur.

20 GRATIAS AGENTES SEMPER PRO OMNIBVS, IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, DEO ET PATRI. Semper, idem quod alibi dicit, *sine intermissione*, id est, quam frequentissimè, & quauis occasione, quemadmodum & semper orandum esse Christus docet Lucæ 18. Quod ait, *pro omnibus*; dubium, rebus an hominibus. Caietanus ad homines refert: Theophylactus de vtriusque exponit. Verum multo rectius alij prætiq; ad res, non ad personas, referunt. Non enim vult apostolus vt Deo gratias agamus pro omnibus hominibus, sunt enim quamplurimi, adhuc infideles, & nondum gratiæ Christi participes, pro quibus ecclesia orare didicit, non gratias agere. Dicitur quidem 1 Tim. 2. *pro omnibus hominibus*, sed hoc refertur magis ad orationes, quam ad gratiarum actiones; vt patet ex verbis sequentibus, *Vt quietam & tranquillam* &c. Nam gratiarum actiones pro fidelibus propriè fiebant. Iubemur autem gratias agere pro omnibus rebus, vtiq; bonis, quæcunque nobis accidunt, aut quæcunque à nobis habentur, seu prosperæ sint, siue aduersæ: Maximè verò pro bonis ad pietatem & salutem nostram pertinentibus. Quamquam electis omnia Deus in salutem facit prouenire. Sic alibi de rebus æquè generali sententia præcipit, *In omnibus gratias agite*, 1 Thessal. 5. Quod si pro omnibus bonis agendæ sunt Deo gratiæ; certa consequentia est, omne bonum nostrum, quod sumus, quod habemus, quod agimus, quod patimur, esse à Deo. Nam & aduersa quæ Deus electis suis cooperatur in bonum, hic

comprehendi, disertè monent interpretes Græci, & Latini; nominatim Hieronymus, cuius inter alia lectu digna quæ scribit, hæc sunt verba. *Christianorum virtus est etiam in his quæ aduersa putantur, gratias referre creatori*. Et infra; *Sed iuxta apostolum hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis, atque miserijs, Deo gratias referantur; Et semper dicamus; Benedictus Deus: Minora me scio sustinere, quam mereor. Hac ad mea peccata, parua sunt. Nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est*, &c. Porro Chrysostomus ad ipsam etiam gehennam extendit apostoli sententiam, quatenus gehennæ metu velut fræno retrahuntur homines à peccatis. Quod sequitur, *In nomine Domini nostri Iesu Christi*, significat gratias pro omnibus bonis agendas Deo per Christum, vt pote, cuius nomine, respectu, ac merito nobis omnia proueniunt; idque, vel absolute, vt est omne bonum pietatis; vel in quantum ordinantur ad nostram salutem, et si secundum se indifferentia; inter quæ sunt aduersitates & miserie, & mors ipsa. Quo sensu, verissimum est, quod Oecumenius ascribit pro ratione huius particulæ; nam per Christi nomen omnia nobis contingunt. Pulchrè verò Theophylactus ex hac generali sententia apostoli, colligit ac docet, ipsam quoque nostram gratiarum actionem inter ea bona, quæ per Christum habemus, & pro quibus agendæ sunt Deo gratiæ, numerandam esse. Ex quibus liquet grauitè falli quosdam qui nomen suum ponunt inter Theologos, qui fidem aut aliud quodcunque bonum nostrum salutare subtrahunt merito Christi. Iam quod dicit apostolus, *Deo & Patri*, sic accipiendum, quomodo dixit 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi*. Vt vocabulum patris, non ad filios adoptiuos referatur, sed ad filium naturalem, quem proximè nominauerat. Ideo autem solum patris expressit personam, quia pater omnium bonorum est author sine autore, & principium sine principio.

21 SVBIECTI INVICEM IN TIMORE CHRISTI. Diuertit ad informationem disciplinæ domesticæ, quam & profequitur fermè vsque ad medium sequentis capitis. Pendet verò sententia adhuc ab illo verbo, *Implemini spiritu*. Non est autem sensus omnes omnibus subiectos esse debere, quomodo Caietanus videtur intellexisse, sed alios alios (hoc enim significat Græca vox ἀλλήλοις) id est, inferiores superioribus; quemadmodum patet ex præceptis particularibus quæ subiungit. Monet igitur vt subditi obedientiam quam debent, præstent superioribus; idque in timore Christi, hoc est, cum timore, qui conuenit Christianis; quorum est non ad oculum obedire, sed ex animo & propter Deum; sicut infra præcipitur seruis. Prætiq; Græci codices

legunt, *In timore Dei*, id est, vt Theophylactus exponit, Dei timorem præ oculis habentes, & non solum spectantes temporale commodum. Oecumenij commentarius nostræ fauet lectioni; quæ eadem est apud omnes Latinos, & in Græcis Complutensibus.

22 MVLIERES VIRIS SVIS SVBDITÆ SINT, SICVT DOMINO. Græcè, *proprijs viris subdita estote*. tamen Hieron. negat in Græcis codicibus omnino verbum haberi hoc loco, vt pote ex præcedenti parte reperendum, vbi dictum est, *subiecti inuicem*. Quod addit, *sicut Domino*, non hunc habet sensum, tanquam dominis, non enim viri ius habent dominorum in vxores velut ancillas; licet Sara virum suum Abraham, honoris causa, dominum vocasse legatur Genes. 28. sed, *sicut Domino*, Christo, id est, in viris suis considerantes Christum Dominum, qui est caput & sponsus ecclesiæ. Qui sensus explicatur in sequentibus.

23 QVONIAM VIR CAPVT EST MVLIERIS, SICVT CHRISTVS CAPVT EST ECCLESIAE. Similitudo est in generali ratione capitis analogici; id est, superioris ac præfecti. Sicut enim Christus præest ecclesiæ suæ, eamque gubernat ac protegit, ad ipsius ecclesiæ utilitatem; ita maritus vxori suæ præesse debet, eamque regere ad bonum eius, ac totius familiaris. Vnde sequitur,

IPSE SALVATOR CORPORIS EIVS. Græcè, *Et ipse est saluator corporis*. Nam pronomen, *eius*, additum non habet non solum Græcus textus, sed nec Syriacus. Hieronymus quoque, & multa manus scripta Latina non agnoscunt. Græci de marito sententiam exponunt; hoc modo: Idemque vir salutem dat corpori, hoc est, vxori, cuius ipse est caput. nam capitis est, salutem totius corporis procurare. Ideo iustum est, vt sicut corpus capiti subiectum est, ita & vxor viro. Sed hoc multò magis in Christum comperit; de quo Latini interpretantur. Christus enim qui caput est ecclesiæ; idem & saluator eius est, tanquam corporis sui; quia deriuans in eam omne genus bonorum spiritualium, certissimè & efficacissimè eam ad salutem æternam perducit. Per hoc autem insinuat, extra ecclesiam frustra sperari salutem: quemadmodum olim extra arcam. Est enim cum exclusionem intelligendum, quod dicitur Christus saluator sui corporis. Non enim caput facit influere vitam & salutem in corpus alienum; sed tantum in suum, cuius est caput. De vocabulo *saluatoris*, pro quo neoterici quidam seruatores malunt; dicemus aliquid, cum exponenda nobis erunt illa verba Philip. 3. *Vnde etiam saluatorem expectamus*.

24 SED SICVT ECCLESIA SVBIECTA EST CHRISTO; ITA ET MVLIERES VIRIS SVIS; IN OMNIBVS. Subaudi, subiectæ sint. Vocula sed, vim habet subsumptionis; quasi diceret,

Atqui ecclesia subiecta est Christo, velut corpus capiti: sic igitur & mulieres viris suis subiectae esse debent. Quod addit, *in omnibus*, ad utrumque membrum videtur referendum. Nam ecclesia quidem Christo subiecta est in omnibus sine exceptione: mulieres autem viris suis subditae esse debent in omnibus ad quae viri potestas, siue superioritas sese extendit. Ea autem sunt quaecunque ad gubernationem domesticam pertinent. Sed dicit aliquis: Multi in ecclesia mali sunt, non Christi, sed diaboli voluntatem facientes; quomodo igitur absolute dicitur ecclesiam Christo subiectam esse in omnibus? Respondeo id absolute de ecclesia verificari, quod ei competit secundum partes praecipuas, magisque proprias, id est, eas quae eundem cum capite spiritum participant. Huiusmodi autem sunt soli boni. Qua ratione etiam sancta vocatur ecclesia in symbolo fidei.

25 VIRI DILIGITE VXORES VESTRAS; SICUT ET CHRISTVS DILEXIT ECCLESIAM: Vicissim viros admonet officij erga vxores; scilicet vt benignos erga eas sese exhibeant, amorem ostendant, studeantque carum saluti, nec vllis immundicijs eas polluant, aut pollui sinant. Huc enim spectare videtur comparatio subiuncta de Christo, ecclesiam suam sanctificantem, atque mundantem. Sic etiam Thessalonicenses admonet vt vasa sua possideant in sanctificatione & honore 1 ep. 4. Iam quod ait, *Sicut & Christum dilexit &c.* non aequalitatem dilectionis exigit, sed imitationem. Respicere enim viri debent in Christum ecclesiae sponsum, tanquam exemplar, quod in amandis vxoribus imitentur.

ET SEIPSVM TRADIDIT PRO EA. Id est, adeo dilexit eam, vt semetipsum pro ea daret in mortem; ad hoc nimirum quod sequitur,

26 VT ILLAM SANCTIFICARET. Id est, mundam Deo redderet ab omni impuritate peccati. Cuius sanctificationis etiam modum subiungit,

MYNDANS LAVACRO AQVAE IN VERBO VITAE. Quod in multis codicibus addebatur, *eam, mundans eam*, merito Romani correctores omittendum censuerunt; Iam enim expressum erat, *vt illam, &c.*, eam, nec Graeca hic agnoscunt. Porro genitiuus, *vita*, nec in Graecis est, nec apud Latinos veteres, nec in antiquioribus manuscriptis apud nos reperitis. Catechismus quoque Romanus hunc locum citans, vbi de baptismi fructibus agit, non addit, *vita*. Cum autem per lauacrum aquae omnes vno consensu baptismi sacramentum intelligant: quaeritur de quo *verbo* loquatur apostolus. Et quidem Chrysostomus, ac caeteri Graeci, Latinique posteriores referunt ad verba mystica baptizantis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Augustinus autem tract. 80 in Ioan. potius videtur intelligere verbum doctrinae euangelicae, quatenus fide suscipitur. De hoc enim verbo, non autem, vt quidam volunt, de verbo sacramenti, Au-

gustinum loqui, apparet tum ex euangelij loco quem tractat, *Iam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis*; tum ex alijs quae citat testimonijs; vno Pauli Rom. 10. *Hoc est verbum fidei quod predicamus; quoniam si confessus fueris, &c.* ac duobus Petri, altero Act. 15. *Fide purificans corda eorum*; & altero 1 ep. 3. *Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum*. Quae omnia de verbo fidei, eiusve confessione loquuntur. Haec denique *verbi* acceptio valde consentanea est consuetudini scripturae; quae formulam verborum sacramenti, nusquam legitur verbum appellasse, sed passim eo nomine, etiam solitarie posito, sicut hic ponitur, euangelij doctrinam significat: vt patet ex Actis, & epistolis apostolicis. Imo & effectum baptismi, scilicet regenerationem, mundationem, salutem, perinde vt Paulus hoc loco, etiam alij apostoli tribuunt verbo fidei: vt Petrus in verbis iam citatis, & eiusdem epistolae ca. 1. cum ait: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vini & permanentis in aeternum*. Quod mox exponens subiungit: *Hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis*. Et Iacobus cap. 1. *Genuit nos, inquit, verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturae eius*. His adde, quod si Paulus verbum sacramentale voluisset intelligi: potius hoc modo dixisset, *Mundans eam lauacro aquae & verbo*, id est, per aquam & verba simul cum loratione prolata. Cum Augustino sentiunt Hieronymus, Primasius & Sedulius, in commentarijs; & inter neotericos, Catharinus, alijque nonnulli. Est autem obseruandum, quod, cum scriptura alibi diuersis locis nunc sacramentum, nunc fidei tribuat mundationem, & regenerationem nostram; hoc loco vtrique simul eam ascribit, *lauacro & verbo*, id est, sacramentum simul & fidei. Quod nota contra haereticos, qui ita fidem extollunt, vt sacramenta deprimant; solam signi ac sigilli rationem eis concedentes. Sensus igitur apostoli est: Tradidit semetipsum Christus pro ecclesia, vt eam ex immunda mundam, sanctamque redderet; dum videlicet aquae baptismi per verbum euangelij creditum ac fide susceptum, mundat eam a peccatis. Iuxta hunc sensum plenior est apostoli sermo, quam si verbum sacramenti intelligeretur. Quod vtrique in lauacro aquae quatenus est Christi sacramentum, comprehenditur. Si quaeras quomodo Christus ecclesiam mundet lauacro aquae; Breuiter respondeo, velut instrumento virtutis diuinae, id est, signo efficaci ex ipsius Christi institutione & promissione. Qua de re accuratior est disputatio in 4 sentent. distinct. 1.

27 VT EXHIBERET IPSE SIBI GLORIOSAM ECCLESIAM, NON HABENTEM MACVLAM, AVT RUGAM, AVT ALIQVID HVIVSMODI; SED VT SIT SANCTA ET IMMACVLATA. Ipse, Graecè, ipsam, quomodo & in Latinis nonnullis legitur. Secundum quam lectionem

ita distinguitur sententia, vt post, *gloriosam*, hypostygmè ponatur, hoc modo: *Vt exhiberet eam sibi gloriosam*; neque ecclesiam non habentem maculam &c. Quo etiam facit articulus dictioni, *ecclesiam*, praefixus in Graeco. Quamquam & Latinorum lectio simili modo distinguenda videtur. Quaeritur autem quando Christus ecclesiam sibi talem exhibeat, qualis hic describitur, scilicet gloriosam, & macula rugaque carentem, denique sanctam & immaculatam, siue, vt in Graeco est, irreprehensibilem. Graecorum commentarij totum hoc referunt ad tempus vitae praesentis, in quo Christus ecclesiam suam ab omnibus peccatorum maculis baptismi sacramento mundatam, sibi exhibet pulchram, & omni genere virtutum exornatam. Eodem referunt glossa tam ordinaria, quam interlinealis; Item Liranus & Caietanus, & ante hos Ambrosius lib. 1 in Luc. ad illud cap. 1. *Erant autem iusti ante Deum*; Et lib. 4 in caput Luc. 4. vbi dicit, ecclesiam per baptismum esse virginem immaculatam, & sine ruga; Nec secus hunc locum intellexisse videtur Gregorius lib. 2 mor. cap. 29. Quo pertinet & illud Nicolai pp. 1 ad consulta Bulg. cap. vlt. Sancta Romana ecclesia semper sine macula fuit, & sine ruga. Pro hoc intellectu potest adferri, quod apostolus per lauacrum aquae testatur ecclesiam mundari; vtrique in hoc saeculo; Quodque credimus ecclesiam non modo triumphantem, verum etiam hanc militantem, esse sanctam. Sciendum est autem ex hoc loco Pelagianos quaesuisse patrociniū sui dogmatis, quo docebat, hominem posse viuere sine peccatis, idque a multis etiam praestari. Contra quos disputans Augustinus ita eis respondet, vt doceat apostoli verba non ad ecclesiam, qualis nunc est, sed qualis in consummatione saeculi, ac beata resurrectione futura est, pertinere. Tunc enim & gloriosa erit, & prorsus omni ex parte sancta & immaculata. Agit id ex professo toto sermone de perfect. iust. Alia eiusdem loca sunt lib. 1 retr. cap. 7. lib. 1. de nupt. & conc. cap. 34. lib. 4. con. 2 ep. Pel. cap. 7. & lib. de peccato originali, cap. 40. Eadem expositio est apud Hieronymum lib. 3 dialogi contra Pelagianos, nec non apud Primasium & Thomam in commentarijs; licet hic etiam priorem sensum adducat. Augustini sententiam probabilem reddit alius apostoli locus 2 Cor. 11. *Despondi vos, inquit, vni viro virginem castam exhibere Christo*. Vbi manifestè tempus virginis desponsatae, vt praeteritum, distinguit a tempore eiusdem Christo exhibendae, tanquam adhuc futuro. Sic enim & hoc loco tempora distinguere videtur, q. d. Nunc mundat, vt aliquando gloriosam & immaculatam exhibeat. Nam & vtrouique idem in Graeco verbum est, *exhibere*. Igitur in hoc saeculo mundatur & sanctificatur ecclesia per baptismum & fidem; sed non perficitur haec eius mundatio & sanctificatio, vt gloriosa, perfecte sancta, &

prorsus immaculata dici possit, donec finiatur hoc saeculum. Quo finito, Christus ecclesiam sponsam suam (haec enim est constructio verborum apostoli) totam macula, ruga, & omni deformitate carentem, adeo vt sit omni ex parte sancta, & irreprehensibilis, ipse sibi exhibebit, adducet, sicut gloriosam, id est, pulchritudine & gloria refulgentem, tam in corpore quam in anima; copulaturus eam sibi vinculo ac foedere nuptiarum insolubili. De quibus futuri saeculi nuptijs, inter Christum & ecclesiam celebrandis, loquitur ipse Christus in parabola decem virginum Matth. 25. Loquitur & Ioannes in Apoc. 19. dicens: *Quia venerunt nuptia agni; & vxor eius preparauit se. Qui & de gloria sponse subiungit: Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido &c.* Haec omnia sententiam Augustini plurimum confirmant: & per haec liquidè euanescent obiectio Pelagianorum. Tametsi nec prior commentarius illis fauet. Dicitur enim ecclesia praesentis saeculi non solum sancta, verum etiam immaculata; non quod omni prorsus macula careat, sed quod in praestantioribus suis membris nullam habeat eiusmodi maculam, a qua simpliciter quis appellari possit maculatus. Tales enim solae sunt maculae mortalium peccatorum. Et idem iudicium de ruga, & si quid huiusmodi. Vt autem in verbis apostoli *macula & ruga* distinguantur; potest in macula intelligi deformitas operis, & in ruga duplicitas intentionis. Sic enim Anselmus, & Thomas post Augustinum distinguunt. In eo autem quod additur, *aut aliquid huiusmodi*, possunt intelligi reliquiae peccatorum; vt prauae inclinationes, & motus inuoluntarij, & multiplices ignorantiae: quae omnia cessabunt in ecclesia glorificata. Dicuntur autem haec, a similitudine mulierum quae propter maculas, & rugas displicere solent viris suis; ideoque, vt ait Hieronymus, omni studio agunt, vt quod foedare videtur, abstergant, & exhibeant maritis corporum venustatem.

28 ITA ET VIRI DEBENT DILIGERE VXORES SVAS, VT CORPORA SVA. Digressus nonnihil apostolus ad mysterium, nunc ad institutum reuertitur. Nec est in Graeco coniunctio, & sed absolute legitur; *Sic debent viri diligere suas vxores, vt sua corpora*: vt illud, *Sic*, referatur ad sequentem particulam, *vt sua corpora*. Iuxta nostram verò lectionem, quam habent etiam veteres Latini, sermo refertur ad praecedentia; q. d. Quemadmodum igitur Christus ecclesiam suam vt corpus suum dilexit; ita & viri debent vxores suas diligere, tanquam corpora sua: hoc est, exemplo Christi ea quae salutaria sunt, illis prouidere, sicut caput prouidet corpori. Vel, nouo argumento hic vtitur apostolus ad suum propositum, nempe quod quia prima mulier ex primo viro est; vxor est quodammodo pars mariti. Et hic sensus non male quadrat sequentibus.

QVI SVAM VXOREM DILIGIT, SEIPSVM

DILIGIT. Efficax hortatio est ad diligendam uxorem, à sui ipsius dilectione, Qui enim diligit uxorem suam, corpus suum diligit; & proinde seipsum; in quantum caput & corpus vnum quid constituunt. Exhortationem confirmat sequentibus verbis.

29 NEMO ENIM VNQVAM CARNEM SVAM ODIO HABVIT, SED NVTRIT ET FOVET EAM. Sententia absolute vera. Sicut enim nemo potest seipsum simpliciter odio habere; ita nec corpus aut carnem suam, quæ aliquid ipsius est. At sicut seipsum quis odisse potest secundum quid, scilicet, vt peccatorem, miserum, imbecillum; ita & carnem suam multi oderunt, vt viciosam, morbidam, spiritui rebellē. Quidam etiam occidunt, non odio carnis, nec odio sui; sed odio miseriarum, quas sic se putant effugere. Quomodo mater interdum occidit filium, non odio filij (quanquam id etiam fieri potest) sed vt se ab onere egestatis vel ab ignominia liberet; aut vt eius morte se vlciscatur de eo quem odit; vt olim Progne & Medea; aut vt ipsum filium morti acerbiori eripiat; sicut illæ de quibus Ieremias, Threnorum 4. *Manus mulierum misericordiam coxerunt filios suos.* Potest & sic intelligi; nemo sanæ mentis carnem suam odio habet, neque extinguere eam vult; sed nutrit & fouet quoad vsque potest. Hoc enim nobis omnibus dicitur lex naturæ; contra quam obnitebantur infani Manichæi; docētes corpus odio habendum, quod ortum haberet à malo principio. Secundum priorem sensum latè & doctè partem hanc explicat Thomas in commentario. Caterum rectè vnusquisque nutrit & fouet carnem suam, si carnis curam non faciat in desiderijs; quod vetat Apostolus Ro. 13. sed curam impendat sustentationi eius necessariam quatenus seruiat spiritui. Atque hoc modo viri vxores suas diligere debent;

SICVT ET CHRISTVS ECCLESIAM: Scilicet vt carnem suam nutrit ac fouet, omnia suppeditando quæ ad eius salutem pertineant. Quomodo autem Ecclesia sit caro Christi, consequenter ostendit,

30 QVIA MEMBRA SVMVS CORPORISEIVS, DE CARNE EIVS ET DE OSSIBVS EIVS. Græca habent præpositionē, *ex*; sed eadem significatio est. Vnde Hieronymus in sua versione Genes. 2. (ad quæ locum respicit Apostolus) vtræque præpositionem scripsit. *Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea.* Quomodo nos simus membra corporis Christi, manifestum est, quia quotquot fideles sumus, membra sumus Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum. Sed quomodo simus de carne eius & de ossibus eius, non perinde liquet, potius enim è contrario dicendum videbatur Christum esse de carne nostra & de ossibus nostris; quia nostram assumpsit naturam, & sicut dicitur Heb. 2. *ideo quia pueri communicauerunt carni & sanguini, etiam ipse communicauit eisdem, ac semen Abrahæ apprehendit.* Propter hanc difficultatem, quidam, inter quos Am-

brofianus, totum hoc spiritualiter, vt ille loquitur, intelligunt, quasi non aliud significetur, quam habitudo capitis analogici ad membra, & vicissim membrorum ad caput. Quæ quidem membra, secundum eandem analogiam, esse dicantur ex carne & ossibus sui capitis, quia ex eo dependent. Caietanus refert apostoli verba ad formationem Ecclesiæ ex carne Christi & ossibus eius in cruce; in qua nimirum Christus secundum humanam naturam carne & ossibus constantem, patiens ac moriens Ecclesiam viuificauit. Porro secundum alios, probat apostolus Ecclesiam esse carnem Christi, quia Christus est caput Ecclesiæ tanquam corporis sui; cuius nos membra sumus, non quomodo cūque secundum analogiam, sed ita, vt simus de carne eius, scilicet Christi, & de ossibus eius, in quantum sumus eiusdem cum illo naturæ humanæ participes. Nec tamen ille potius de carne & ossibus nostris, propter assumptam ex nostro genere naturam humanam; sed nos de carne & ossibus eius, quia in hac natura ipse caput est, nos membra. Hic sensus planus est, & perspicuus, eumque tradunt Hieronymus & Aquinas; & his vetustior Irenæus, qui lib. 5. contra hæreses, citatis huius loci verbis, Non (inquit) de spirituali aliquo & inuisibili homine dixit hæc apostolus; *Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet*: Sed de ea dispositione, quæ est secundum hominem, qui ex carnibus & neruis, & ossibus consistit, qui de calice, qui est sanguis Christi, nutritur; & pane, qui est corpus eius, augetur. Hæc ille aliquantò post initium libri 5.

31 PROPTER HOC RELINQVET HOMO PATREM ET MATREM SVAM, ET ADHÆREBIT VXORI SVÆ, ET ERVNT DVO IN CARNE VNA. Græcè quidem est, *ἀνὴρ τὸν υἱὸν*: sed Hieronymus in commentario monet hoc dictum esse ab apostolo, pro *ἐκκεν μήτρᾱ*, quod apud LXX legitur Genes. 2. Prosequitur apostolus id quod v. 28 ex Genesi indicauerat, secundum posteriorem illius expositionem; deinde verbatim recitauerat v. præcedenti, quæ ibi cap. 2. huc pertinentia leguntur; pauculis, quæ media sunt, omisissis. Et quia de Christo & ecclesia loqui ceperat; insinuare vult etiam hæc verba quæ dicta sunt ad literam de viro & vxore; ad Christum & ecclesiam mysticè pertinere. Plerique putant esse verba Adæ, cuius erant præcedentia, *Hoc nunc os &c.* Alij, scriptoris, id est, Moyse verba esse volunt, ex eo quod Adam dixerat, inferentis insolubilem esse nexum matrimonij inter virum & feminam; idque significasse videtur Dominus apud Matt. ca. 19. referens ista ad Deum, siue quod idem est, ad scripturam. Sic enim habet: *Qui fecit ab initio, masculinum, & feminam fecit eos: Et dixit, Propter hoc &c.* Sed sensum dicamus. Propter hoc, inquit, id est, quia mulier formata est ex ossibus, & carne viri; relinquet vir patrem suum, & matrem quoad cohabitationem & conuersationem domesticam; Et ad-

hærebit

hærebit vxori suæ, Græcè, *agglutinabitur ad uxorem suam*, id est, firmissimo vinculo vxori suæ coniungetur; *Eruntque duo in carne vna*, vel vt Græcè & Hebraicè, *in carnem vnam*; hoc est, duo erunt velut vna caro, vnum corpus, vnus homo: carnis enim nomine totum hominem Moyse significasse videtur ex vsu linguæ Hebraicæ; tamen cum respectu ad copulam carnalem, qua coniuges quodammodo fiunt vna caro. Nam de commixtione carnali sententiam hanc intellexerunt summi pontifices Benedictus & Gregorius, apud Gratianum 27. q. 2. ca. Lex, & ca. Sunt. Item Alexander III. ca. Verum, de conuersione coniugatorum. Et Innocentius III. ca. Ad apostolicam, ibidem. Nec secus commentatores huius loci. Vt autem & hoc obiter admonemus, in Hebræo quidem non exprimitur numeralis vocula, *duo*, tantum enim ibi legitur: *Et erunt in carnem vnam* (quod nonnulli male retulerunt ad corruptelas Hebraici textus); sed ex circumstantijs manifestum est satis intelligi. Qua de re egit vir eruditus Franciscus Lucas in suo Tract. de vsu paraphræos Chaldaicæ. Porro quod verba iam recitata etiam ad Christum & ecclesiam pertineant, docet apostolus, dum proximè ait,

32 SACRAMENTVM HOC MAGNVM EST; EGO AVTEM DICO IN CHRISTO, ET IN ECCLESIA. Græcè, *In Christum, & in ecclesiam*. quomodo & veteres quidam Latini legunt, nominatim Tertullianus, lib. de anima c. 11 & 21. & lib. 5. contra Marcionem cap. 18. Et Augustinus in psal. 138. Beda etiam citante in commentario. Pro *sacramentum*, Græcè *mysterium* est; atque ita legit Ambrosianus. Itaque sensus apostoli est: Sacramentum seu mysterium præcedentibus verbis significatū, magnum est. Arctissima illa coniunctio viri & mulieris, de qua dictum est, *Relinquet homo patrem & matrem &c.* magnæ alicuius sacræ & arcanæ rei signum est. *Ego autem dico*, id est, mysterium hoc explico, & intelligendum doceo de Christo & ecclesia. Per hoc enim quod homo relictis parentibus adhæret vxori, & cum ea vna caro efficitur: mysticè significatur filium Dei è sinu patris; & quasi patre relicto; matre etiam, id est, synagoga (vel cælesti Hierusalem) derelicta, in terras descendisse; & per assumptam carnem humanam ecclesiæ, quæ ex hominibus constat, coniunctum esse, vnumque cum ea corpus effectum; & per hoc indissolubili amoris vinculo conglutinatum. *Matrem*, synagogam interpretatur Prosper sententia 328 ex Augustino: Hieronymus autem in commentario, cælestem Hierusalem. Quam quidem, sicut & patrem, Christus reliquisse dicitur, non quod absens ab illis esse cepit; sed figurato sermone, & quadam similitudine nostri; quia apud nos, quæ alibi esse incipiunt, priorem locum relinquunt. Ex hac apostoli sententia manifestum est, coniugium non solum duorum primorum hominum, sed etiam, ac ple-

niori ratione, posterorum (nam primi homines non habuere parentes, quos relinquerent) esse sacramentum, id est, signum magnæ cuiusdam rei sacræ. Sed neque dubitandum est quin iuxta Catholicæ ecclesiæ definitionem, matrimonium sit vnum ex sacramentis nouæ legis, quæ signa sunt eius gratiæ, quam significant, efficacia. An autem hoc ipsum ex præsentiloco apostoli, doceri possit, quaeritur. Certè Caietano non videtur: At neque veteres hanc efficaciam probant ex isto loco, sed magis eam solent statuere ex factis Christi, qui nuptijs in Cana Galilææ benedixit, vti que benedictione spirituali. Quod etsi scriptura non expresserit; in concilio tamen Ephesino, tanquam traditione acceptum, & apud multos patres legitur. Atque hæc sententia nobis etiam probatur; & quam reuera probabilis sit, latè ostendimus scripto in 4. dist. 26. Quod enim ad hunc locum attinet, sententia apostoli, qua dicit, *Sacramentum hoc magnum est*, veritatem habuit ab initio quo dictum est, *propter hoc relinquet homo &c.* Nec tamen ab eo tempore cepit matrimonium esse sacramentum efficax gratiæ; sed tale demum est à Christo nouæ legis auctore, institutum.

33 VERVM TAMEN ET VOS SINGVLI, VNVSQVVSQVE VXOREM SVAM, SICVT SE IPSVM DILIGAT. Græcè, *sic diligit, sicut seipsum*. Sensus est: Quod de Christo secundum mysterium dico; id secundum literam ad vos coniugatos pertinet. Itaque sicut Christus ecclesiam diligit, vt corpus suum; ita & vos singuli, quisque suam uxorem sic diligit tanquam seipsum, id est, velut eam cum qua est vna caro & vnus homo. Nō iubetur equalitas dilectionis erga se & uxorem; quia nec Christus equaliter se & ecclesiam diligit: sed hoc repetit apostolus, quod supra dixit, viros debere vxores suas diligere tanquam corpora sua; quodque is, qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Vide S. Thom. 2. sec. quæst. 26. artic. 11. ad 2 & 4.

VXOR AVTEM TIMEAT VIRVM SVVM. Græcè, *Uxor autem vt timeat virum*. Sic quoque multa manuscripta Latina, suffragante etiam Hieronymo. Præceptum hoc non excludit amorem vxoris erga virum, sed timorem amoris vult esse coniunctum. q. d. Præcipio vt vxor non tantum diligit virum suum, verum etiam timeat, & reuereatur vt superiorem & caput suum, cui debet subiectionem, caueatque ne eum offendat. Nam vt mulieres viros suos ament, alibi præcipit, Tit. 2.

S. P. M.

SUMMARIUM.

Docet filios & parentes, seruos & dominos, quomodo erga se reciprocè debeant sese gerere. Deinde describit armaturam militis Christiani aduersus spiritus nequam. Rogat pro se orari. Tychicum ad ipsos mittens, dona salutaria ijs precatur.

CAPVT VI.

FILII, OBEDITE PARENTIBVS VESTRIS IN DOMINO. Ab officio coniugum, transit ad mutua officia filiorum, & parentum; deinde seruorum & dominorum. Illud, in Domino, quidam construunt cum eo quod proximè præcedit, parentibus vestris, vt parentes in Domino dicantur, qui Christiani sunt. Sed hoc modo videretur significari, quod parentibus non Christianis, non sit obediendum; Quod est alienum ab apostolica doctrina. Quare rectius ordinatur cum verbo, obedite; vt, obedire in Domino, sit obedientiam præstare, quatenus Christi Domini lex & doctrina permittit. Nam si quid præcipitur legi Christianæ contrarium, omnino tenendum illud Petri Act. 5. Magis oportet obedire Deo, quam hominibus.

HOC ENIM IUSTVM EST, vt à quibus vitam accepimus, obedientiam ijs reddamus.

HONORA PATREM TVVM, ET MATREM TVAM. Repetit præceptum de honorandis parentibus ex veteri lege, Exo. 20. & Deut. 5. quod lex illa Christianos obliget, quoad moralia, quæ decalogo comprehenduntur; quibus contineat præcepta legis naturalis. Honor est testimonium varij modis ac signis perhibetur, pro varietate personarum, quas honoramus. Tria sunt autem per quæ specialiter honorandi sint parentes: reuerentia, quæ eis debetur, vt maioribus; obedientia, vt instructo-ribus; & rerum necessariorum liberalis suppeditatio, vt ijs à quibus & nati & educati sumus. Atque hoc postremum verisimile est apostolum præcipuè hinc spectare; cum iam ante de obedientia locutus fuerit, ad quam reuerentia facillè reducitur. Nam & Christus Matth. 15. & Marc. 7. de sustentatione parentibus debita præceptum hoc interpretatur. Et notum est, etiam alibi honorem in subministratone victus intelligi, vt 1 Tim. 5. Viduas honora qua verè viduæ sunt. Et iterum: Qui benè præsent præbyteri, duplici honore digni habeantur.

QUOD EST MANDATVM PRIMVM IN PROMISSIONE. Non primum absolutè, Est enim hoc præceptum numero quartum in decalogo; sed primum in promissione, seu cum promissione; id est, primum cui adiuncta sit expressa, & specialis promissio. Sic Hieronymus & Græci. Proinde impertinens est huic loco an præceptum hoc sit primum in secunda tabula. De qua re disputant Theologi in 3. sent. dist. 37.

3 VT BENE SIT TIBI, ET SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM. Verba sunt promissionis; quæ Deut. 5 leguntur hoc ordine ex Hebræo; vt longo viuas tempore, & benè sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Sed apostolus ordinem & verba quæ apud LXX. tam in Exodo, quàm in Deuteronomio leguntur, secutus est. Quidam hanc partem ita coniungunt, cum illa superiori; *Honora patrem tuum & matrem*, vt verba media, *Quod est mandatum primum in promissione*, parentesi claudant, propterea quod hæc promissio, in verbis decalogi, proximè sit adiuncta præcepto. Verùm alijs magis placet, vt continuè & absque parentesi apostoli verba legantur; in hunc modum, *Quod mandatum in promissione primum est*, hac nimirum quæ sequitur, *vt bene sit tibi &c.* hoc est, vt feliciter, ac diu viuas super terram. Hæc autem promissio, terrena fuit, ad veterem populum pertinens, vt liquet ex verbis vtroque loco iam citato subiunctis, *Quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, vel, vt in Hebræo, *dat tibi*. Habet autem hæc promissio longæuitatis magnam ex ratione congruentiam. Est enim cõgruum, & iustum, vt qui eos honorat à quibus vitam temporalem accepit, illi vitam temporalis prorogetur. Neque verò ab huiusmodi promissione Christiani alieni sunt: Quamuis enim multi parentibus obsequentes, eosque honorantes, citò rapiantur ex hac vita; non tamen hac promissione fraudari eos existimandum est, quia melius aliquid recipiunt ab eo, qui nouit, quid cuique electorum, secundum ordinem prouidentie suæ, expediat. Nam bona temporalia Christianis non absolutè promittuntur, sed quatenus ad spiritualia conducunt. Sed & in bonis temporalibus quæ veteri populo promissa fuerunt, spiritualia, & æterna bona nobis promissa, figurabantur; vt in terra Chanaan, possessio regni cælestis; & in longæuitate vitæ, felix æternitas. Ita ferè docent Hieronymus & Thomas in huius loci commentario. Notandum obiter, voculam, *vt*, non tam finalem causam seruati præcepti, designare, quàm euentum, & bonum quoddam consequens; quod honoranti promittitur. q. d. legislator: Honora parentes; ita fiet vt benè sit tibi, & sis longæuus. tamen si nihil vetat hoc consequens bonum, esse finem secundarium obseruationis præcepti; velut in similibus.

4 ET VOS PATRES NOLITE AD IRACUNDIAM PROVOCARE FILIOS VESTROS. Vicissim à patribus exigat ne nimia seueritate, ac duris imperijs, exacerbent animos filiorum. Rationem præcepti adiecit apostolus, Col. 3. *Ne pusillo animo fiant*; id est, ne per impatientiam despondeant animum, & iugum obedientie prorsus abijciant, aut etiam religio-

nem

nem deserant. Potest hoc præceptum accommodari etiam ad principes & præfectos seculares; qui monendi sunt ne suos subditos iniquis legibus & duris exactionibus prouocent ad animorum acerbitates: Vnde seditiones & rebelliones consequi solent. Item ad præfectos ecclesiasticos; ne plus iusto iubeant subiectis sibi fidelibus. Ad eos enim accommodat Gregorius p. 3. curæ past. admon. 5.

5 SED EDUCATE ILLOS IN DISCIPLINA ET CORREPTIONE DOMINI. Pro disciplina, Græcè est, *παιδεία*; & pro correptione *υπερθεσία*. Vtraque Græca vox anceps est ad institutionem, eruditionem, admonitionem; & ad castigationem, correptionem, siue obiurgationem. Quæ ambiguitas etiam est in Latino nomine *disciplina*, præsertim apud ecclesiasticos scriptores, & sacræ scripturæ interpretes. Priorem significationem mauult Hieronymus, eamque attenderunt in suis commentarijs Chrysostomus & Theophylactus, docentes ex hoc loco parentes etiam de scripturis debere instituire liberos suos. Alijs magis probatur posterior significatio, præsertim vocabuli prioris, nec immeritò. nam in scripturis frequentissimè, ac ferè semper, sic accipitur, etiam apud LXX. pro quo nos assiduè habemus vocabulum *disciplina*. Præcipit ergo patribus apostolus, vt filios suos educent, non durè & asperè tractando, si quando peccent; sed adhibendo castigationem, & obiurgationem moderatam & salutarem. Hanc enim vocat *disciplinam*, & *correptionem Domini*; id est, Christianæ fidei ac doctrinæ consentaneam.

5 SERVI OBEDITE DOMINIS CARNALIBVS. Græcè *Dominis secundum carnem*, id est, quibus secundum corpus ac temporalia ministeria obnoxij estis, & seruitutem debetis.

6 CVM TIMORE ET TREMORE. Id est, cum magna sollicitudine. Sic enim & alibi vtitur hac phrasi; vt 1 Cor. 2. & 2 Cor. 7. & Phil. 2. Vnde non rectè quidam hinc annotauit, apostolum præcipere seruis, nõ solum vt timeant iussa dominorum suorum, sed vt etiam ad ipsorum imperia tremant. Non aliud enim apostolus, quàm sollicitam, & liberalem exigit seruitutem.

7 IN SIMPLICITATE CORDIS VESTRI; SICVT CHRISTO: Id est, recto & simplici corde; tanquam seruatis Christo, qui omnia videt, etiam occulta cordis. vel potius, *sicut Christo*; id est, in dominis vestris quibus seruitis, Christum Dominum, per illos quodammodo representatum, præ oculis habentes; vt ea consideratio vos moueat ad bene & ex animo dominis vestris seruiendum. Ita enim supra dixit, *Mulieres viris suis subdite sint sicut Domino*, cap. 5. v. 22.

8 NON AD OCVLVM SERVIENTES, QVASI HOMINIBVS PLACENTES. In Græco composita vocabula sunt, quæ Latine similiter reddi nequeunt. Prior pars verti potest, *Non secundum ocularem seruitutem*. Sensum bene reddi-

dit interpret; nisi quod illud, *hominibus placentes*, clariùs verti potuit, *hominibus placere studentes*, quomodo nonnulli verterunt. Ad oculum seruire dicuntur, quibus satis est in conspectu & presentia dominorum facere officium. Atque his tantum studium est hominibus placere, qui occulta cordis & ab oculis remota, non vident.

9 SED VT SERVI CHRISTI FACIENTES VOLVNTATEM DEI EX ANIMO. Hoc est, Sed; quemadmodum decet seruos Christi, sincerè & ex animo facite ea quæ Deus præcipit. Nam voluntas præcepti intelligitur non ea quam vocant beneplaciti: Est autem præceptum Dei vt serui dominis suis obediant.

7 CVM BONA VOLVNTATE SERVIENTES, SICVT DOMINO, ET NON HOMINIBVS. Pro bona voluntate, Græcè composita dictio est, *εὐβουλία*, id est, *beneuolentia*; pro qua *beneuolentiam* legit Ambrosianus, *fidelitatem* Hieronymus; admonens tamen etiam beneuolentiam Græca voce significari. Et quidem rectè; nam pro fidelitate vix legitur. Proinde sensus est: Non coactè, sed libenter, ac propensa erga dominos vestros, voluntate, ijs seruite; perinde quasi Christo Domino seruiretis, & non hominibus. In eo quod ait, *sicut Domino & non hominibus*, tacitè significat Christum esse Deum, & non hominem tantum; sicut ad Gal. 1. cum ait: *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum*. Porro totus hic locus ostendit, præcepta hominum legitima potestate præditorum, vt parentum, dominorum, principum, magistratum, subditos obligare in conscientia; ijsque parendum, vt Dei præceptis; ideo nimirum quod illorum omnis potestas à Deo sit, sicut dicitur Rom. 13. Notandum in Græcis codicibus multis non addi aduerbium, *sicut*; Verùm sensus haud dubiè clarior est, si legatur, *sicut Domino*, &c. faciūtque nobiscum omnes Latini interpretes tam veteres quàm recentiores; & nonnulli codices Græci, inter quos Complutensis. Et ad Coloss. 3. v. 23. etiam Græci libri sine varietate addunt.

8 SCIENTES QVONIAM VNVSQVISQVE QVODCVNQVE FECERIT BONVM, HOC RECIPIET A DOMINO, SIVE SERVVS, SIVE LIBER. Hoc est, cum didiceritis ac scire debeatis quod vnusquisque, tam seruus quàm liber, pro omni bono, quod fecerit, recepturus sit mercedem ab omnium iudice Christo Domino. Id intelligendum, sicut alia similes sententiæ; de bono quodcunque fecerit quis ob finem quem monstrat fides Christiana; eodemque permanente. Nam boni operis per peccatum mortificati merces perit.

9 ET VOS DOMINI EADEM FACITE ILLIS. Græcè, *erga illos*, nempe seruos vestros secundum carnem, *Eadem* autem dicit non opere aut officio; sed modo & proportione. Nam mutua seruorum ac dominorum officia diuersa

sunt.

sunt. Itaque sensus est: Sicut oportet seruos ex animo & liberaliter seruire dominis suis; ita vos domini, vicissim ne tractate seruos vestros seruiliter, sed humaniter ac benignè vos erga illos gerite.

REMITTENTES MINAS. Id est, Sed etsi offendant interdum, vt punitione digni sint, remittite pœnas quas comminati estis. Pœna seruorum erant flagra, carcer, pistrinum &c. ad quas remittendas, Leo pontifex identidem hortatur dominos, in sermonibus de passione Domini. Plerique interpretantur *remittentes minas*, id est, ne sitis minabundi in seruos. Verùm, id non est propriè minas remittere. Quocirca prior sensus, quem & Caietanus tradit, magis placet.

SCIENTES QVIA ET ILLORVM ET VESTER DOMINVS EST IN CÆLIS. Græca multa sic habent, *Scientes quod & vester ipsorum*, siue ad verbum, *vestrum ipsorum Dominus est in celis*. Quæ lectio non prorsus eundem facit sensum cum nostra versione, sicut existimat Caietanus; qui supplet coniunctionem *vester & ipsorum*; sed de solis dominis loquitur; & conuenit cū eo quod Ecclesiastes dicit ca. 5. *Quia excelsio excelsior est alius*, &c. Iuxta quæ lectione (quæ congruit cum Coloss. 4. v. 1.) sensus est: Scientes quod etiã vos ipsi, quamuis domini, habeatis dominum superiorem in cælis, Christum scilicet, à quo estis iudicandi. Sicut ergo vos ab illo domino vestro misericordiam expectatis & remissionem peccatorum; ita & vos seruis vestris pœnas comminatas remittite; secundum illud ipsius Domini præceptū, *dimittite, & dimittetur vobis*, Lucæ 6. Ad hunc modum etiam Hieronymus exponit, tamen si textus eius consentiat cum vulgata versione. Quæ quidem etiam cōmodum habet sensum, huiusmodi: Scientes quod cōmunem Dominum ac iudicem habetis vos & illi. Nam qui agnoscit & cogitat se habere communem dominum cum alio, licet inferiore; clementius vtique cum eo agit, nec seuerè pœnas exigit. Cum vulgata consentiunt quidam Codices Græci, & inter eos Complutensis.

ET PERSONARVM ACCEPTIO NON EST APVD EVM, nempe Dominū Christum. q. d. Iudex ille non personas respicit, sed merita: non ideo quenquam absoluet quia dominus fuit; aut puniet quia seruus; sed opera cuiusq; expendet. hoc est, quod iam dixit, *unumquemq; recepturum à Domino quodcumque fecerit, siue seruus sit, siue liber*.

DE CÆTERO, FRATRES, CONFORTAMINI IN DOMINO, ET IN POTENTIA VIRTUTIS EIVS. Græcè *fratres mei*. Postquam sigillatim instruxit eos ex quibus, velut partibus, familiæ constans; nunc, epistolâ clausurus, iterum redit ad generalem doctrinam, qua omnes in vniuersum fideles, tãquam Christi milites, hortatur ad pugnam viriliter aduersus diabolū; suggerens eis arma ad eiusmodi militiã oportuna & necessaria. Quod superest, inquit, fratres mei, curam adhibete vt ad

pugnandum fortes sitis in Domino, id est, per Christum; & in potentia virtutis eius, id est, per potentiam ac fortitudinem eius, siue quã ille suppeditat, seu potius, quã ille vos adiuuat; hæc autem est potentia & virtus diuina. Quæ duo non est necesse distinguere: nam pleonasmus est, emphasim habens.

INDVITE VOS ARMATURAM DEI. Pro *armatura*, Græcè est *πνευμαλια*, quæ significat totam siue integram armaturam, hoc est, quicquid ad militem armandum in pugnam, pertinet, tum ad defendendum se, tum ad hostem feriendum. Eadem vox infra repetitur. Hieronymus vtrobique legit, *omnia arma Dei*. Ambrosianus priori loco *arma Dei*, posteriori, *uniuersitatem armorum*. Vocat autem hanc apostolus armaturam Dei, quia per hæc arma tanquam manu Dei fabricata, pugnamus; imò Deus ipse in nobis pugnat.

VT POSSITIS STARE ADVERSUS INSTIDIAS DIABOLI. Id est, vt possitis in fide & rectitudine vitæ Christianæ, persistere aduersus insidiosos assultus & machinationes diaboli; quas scilicet ille vobis struit per ministros suos; hereticos, philosophos, Iudæos, ac ceteros impios. Quod interpres hoc loco vertit, *insidias*; cap. 4. verterat, *circūventionem*; Hieronymus & Ambrosianus, *versutias* legit.

QVONIAM NON EST NOBIS COLLVCTATIO ADVERSUS CARNEM ET SANGVINEM. Græcè, *lucta aduersus sanguinem & carnem*. Hieronymus quoque *sanguinem*, *carni* præponit. Quanquam mutatus ordo sensum non variet.

SED ADVERSUS PRINCIPES ET POTESTATES. Græcè, *sed aduersus principatus; aduersus potestates*. Atque ita Hieronymus. quod paulò significantius dicitur.

ADVERSUS MVNDI RECTORES TENEBRARVM HARVM. In Græco vna composita dictio est, *νεφελος ἄστρου*, vt si dicas mundipotentis; quomodo Deum confitemur *παντοκράτορα*, id est, omnipotentem: putatque Hieronymus ab apostolo compositum esse vocabulum, vt quod alibi nusquam legatur.

CONTRA SPIRITVALIA NEQVITIÆ IN CÆLESTIBVS. Apostolus præpositionem non mutat. Habet enim emphasim difficilis pugnae, præpositio *πρὸς*, id est, *aduersus*, quinque repetita; sicut & legitur apud Hieronymum. Porro tota hac sententia ab eo loco, *quoniam non est nobis colluctatio &c.* explicat apostolus id quod dixerat, *aduersus insidias diaboli*, vbi statim occurrit quaestio, Si non est nobis lucta contra carnem & sanguinem; quomodo alibi dicat, Galat. 5. *Spiritus concupiscere aduersus carnem*, laudatque eos qui *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Vnde est & illud vulgatum: *Sunt tria quæ tentant hominem, mundus, caro, demon*. Aduersus quæ omnia vtique nobis omnibus pugandum est. Quidam respondent, supplendam hoc loco particulam, *tantum*; vt sensus sit, non tantum aduersus carnem & sanguinem

nem

nem nobis luctandum esse, verum etiam aduersus principatus & potestates; &c. Sic Caietanus post Aquinatem; & ante eos Bernardus sermone vltimo de omnibus sanctis. Alij sic apostolum exponunt: Non tam cōtra carnem & sanguinem instituta nobis est pugna, quã contra potestates aduersarias, quæ per carnem & sanguinem nos infestant. Hunc quoque sensum adfert Thomas ex Hieronymi commentarijs. At idem Hieronymus etiam hunc indicat sensum; Pugna quæ nobis est cum potestatibus aduersarijs, id est, dæmonibus, adeo grauis est & periculosa, vt ea quæ contra carnem & sanguinem suscipitur, cum hæc collata, facilis ac nullius momenti videatur: tantæ sunt dæmonum vires; tamque variæ fraudes & machinationes. Hunc sensum etiã Prudentius in Hamartigenia aliquot versibus expressit, quos infra citabimus. Verum, vt aliã præteream, omnes hi commentarij in eo videntur deficere, quod carnem & sanguinem interpretantur vel carnalem concupiscentiã, vel membra corporis in quibus huiusmodi concupiscentiæ sedes est. Quæ tamen significatione *caro & sanguis* in scripturis non accipiuntur; sed tantum *caro*, solitariè posita. Nam *carnis & sanguinis* nomine significari solet in scripturis homo mortalis & corruptibilis; vt Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, 1 Cor. 15. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*. Gal. 1. *Continuo non acquieuit carni & sanguini*, & Heb. 2. *Quia pueri: omniuenerunt carni & sanguini; & ipse*; scilicet Christus, *communicauit eisdem*. Rectius igitur Theophylactus & Heruas atque alij recentiores hunc sensum reddunt: Non est nobis lucta cum hominibus qui mortales sunt & infirmi; bellum nobis non est cum hostibus corporeis, vt arma corporea hic requirenda sint; sed cum hostibus incorporeis & immortalibus, ijque valde potentibus, id est, dæmonibus; ad quod proinde pugnae genus, opus est armis spiritualibus. hanc enim vt dictum est, vocat armaturam Dei. Sed etsi homines mali bonos oppugnant; non tamen ea oppugnatio reputanda est vt corporalis, sed vt spiritualis; quia per illos tantquam instructa, diabolus electos Dei spiritualiter oppugnat. Vnde & illa soluitur quaestio; Cum non à dæmonibus solum, sed etiam à mundo & carne oppugnemur; quare solos spirituales hostes, hoc est, dæmones, in hac epistola nominauerit apostolus. Ideo nempe, quia diabolus non solum per se suosque ministros angelos apostatas, tentat homines; verum etiam per mundum & carnem, quibus velut instrumentis & auxilijs vitur, vt homines suæ potestati subijciat. Ita docet Augustinus, hoc etiam loco allegato, in sermone 8 de verbis Domini: *Non est, inquit, nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus homines, quos videtis sentire in nos. Vasa sunt, alius vitur: Organa sunt, alius tangit. Immisit se, inquit, diabolus*

in cor Iudæ vt traderet Dominum, Ioan. 13. Sic ille. Et quidem hac ratione, omnis peccati tentatio in diabolū à patribus refertur solet; sicut ostendimus in 2 sent. dist. 21. Vnde autem apostolus, dæmones nominibus ordinum angelicorum, è quibus ceciderunt, dicens, *aduersus principatus & potestates*, quem admodum & fecit Rom. 8; & 1 Cor. 15. videlicet sub paucis nominibus, ceteros ordines comprehendens. Sed idcirco speciatim *principatus & potestates*, ac memoratis locis etiam *virtutes seu fortitudines* nominauit; quod dæmonibus propter hominis transgressionem, per quam factus est obnoxius diabolo, multa adhuc potestas in his inferioribus relicta & permilla sit. Eo namque pertinet quod sequitur,

ADVERSUS MVNDI RECTORES TENEBRARVM HARVM; Vel, vt in Græco est, *tenebrarum sæculi huius*. Augustinus quidem sermone 8 de verbis Domini, & in enarratione psalmi 54. atque alibi (quo longius, vt opinor, ab hæresi Manichæorū secederet) *mundum* interpretatus est amatores huius mundi; *tenebras* autem eos qui, sicut apostolus loquitur superius cap. 4. *tenebris obscuratum habent intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam & cecitatem cordis sui*; de quibus dixit cap. 5. *Eratis aliquando tenebrae*. Etenim horum omnium principem esse diabolū, nemini dubium est. Atque hunc commentarium alij plerique secuti sunt: à quo nec Græci multum recedunt, dum mundum & tenebras interpretantur mundanas & tenebrosas actiones, id est, mala opera; quorum auctores ac duces sunt dæmones. Quem sensum etiam commentator Ambro. tradit. At verò si conferatur hic locus cum eo qui est cap. 2. huius eiusdem epistolæ, vbi diabolū vocat *principem potestatis aeris huius*; sanè videbitur alius sensus probabilior, ac magis germanus: quo nimirum dæmones sub principe diabolo mundi-rectores appellentur, eo quod, cum per naturam & ab initio suæ creationis principes & gubernatores essent totius mundi corporei, eaque potestate mox ob culpam superbiæ priuati sint; postea tamen iterum, idque in pœnam hominis transgressoris, vt dictum est, potestatem acceperint, (tamen diuino arbitrio limitatam) in mundum hunc inferiorem; siue ad tentandum homines, siue ad notendum eis per creaturas humanas visibus seruientes. Ad quod significandum, additur, *tenebrarum harum*; vt hæc pars sit expositio, *mundi*, qua declaretur cuius mundi rectores vocet dæmones; ne putentur significari rectores seu principes totius vniuersitatis rerum corporearum, quæ generalius nomine mundi solet intelligi. Igitur dæmones vocat mundi rectores, scilicet tenebrarum huius sæculi, hoc est, mundi huius caliginosi. Sic enim vocatur turbulenti hic mundus inferior, comparatione superioris, qui perpetua semper & purissima luce resulget. Vocatur

tur autem non hic solum, sed etiam ab apostolo Petro 2. ep. c. 2. v. 4. in Græca lectione. & à Iudæ apostolo, suæ epist. v. 7. Quin & à Cicerone lib. 1. Tuscul. q. hic aer inferior, nebulosum & caliginosum caelum appellatur. Nobiscum sentit Prudentius poeta Theologus, in Hamartigenia. Cuius versus quibus hunc apostoli locum reddit, quia luculenti sunt, ascribo.

*Non mentē suamēbra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellōve laceſcit:
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieq;
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aer.
Scilicet hoc medium, calum inter & infima terra
Quod patet, ac vacuo nubes suspendit hiatus,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.
His colluctamur praeonibus, ut sacra nobis
Oris apostolici testis sententia prodit.*

Hæc Prudentius.

Facit hic commentarius ad illustrandum etiam alia scripturæ loca; velut Io. 12. 14 & 16. ubi diabolus à Christo vocatur princeps huius mundi; propterea quod, ut ait Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 14. merito suæ peruersitatis rebus istis terrenis prepositus sit; id est, quod potestas eius ad res istas terrenas redacta sit & coarctata. Nam alioqui non merito maliciæ eius, sed transgressionis humanæ, data est illi huiusmodi potestas. 1. Corinth. 2. dæmones vocantur principes huius sæculi. Itē 2. Cor. 4. diabolus vocatur Deus huius sæculi. & Lucæ 4. ubi diabolus, etiam mēdax & pater mēdaciæ, non tamen omnino mendaciter secundū Ambrosiū, dicit ea omnia quæ Christo monstrabat, sibi tradita esse. Quæ quidē scripturæ testimonia de mūdo isto inferiori, quatenus hoc sæculo durante subseruit vltibus hominum, intellecta, nihil habet difficultatis.

Quod postremum sequitur, *contra spiritualia nequicia in caelestibus*; sic intellige; Contra spirituales nequicias, siue contra spiritus nequam, versantes in hoc aere. Nam & in euangelio dæmones vocantur spiritus nequam. Græca vox quæ interpretatur nequiciam vertit, maliciam cum versutia coniunctam significat, vitium dæmonibus vltatissimum. Ascribitur autem naturæ nomen, *spiritualia*; ad insinuandum quod dæmonum tantò maior est malicia, quāto natura nobilior; quemadmodum Thomas bene explicat. Per *caelestia* verò, propinquum nobis aërem hoc loco intelligi, rectè probat Hieronymus ex altero huius epistolæ loco, cap. 2. ubi principem potestatis aeris huius legimus. Idem eodem modo probat Basil. in homil. quod Deus non est author malorum. Et hæc, inquit Hieronym. omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum & terram medius diuidens, inane appellatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus. Notum quoque est, *calum* pro aere in scripturis frequentissimè sumi; vnde volucres cæli, pluuia cæli &c. Nam quod Græci,

Caietano suffragante, docent *in caelestibus*, idem valere quod pro caelestibus, seu propter caelestia; quasi significetur hanc colluctationem nobis esse contra dæmones, non pro rebus terrenis, sed pro regno cælorum; pia quidem expositio est, at non germana. Neque sanè huiusmodi interpretationem Græca prepositio admittit. Et cum in hac epistola sæpius legatur illud, *in caelestibus*, sicut in primo capite annotauimus; nusquam tamen ita accipitur ut Græci hic volunt. Dicitur est autem Hebræa phrasi, *spiritualia nequicia in caelestibus*, id est, Spiritus nequam qui versantur in isto cælo aëreo: sicut dictum est, *Gloria in excelsis Deo*; id est, gloria Deo qui est in excelsis.

13 PROPTEREA ACCIPITE ARMATURAM DEI. Repetitio est superioris exhortationis. Quoniam, inquit, tanta est hostium nostrorum cum quibus pugnandum est, potentia atque malicia; propterea assumite armaturam Dei quam vobis hic subministro, eaque vos induite.

VT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO. Diem malum intelligit diem periculosum, id est, tempus tentationis, præsertim eius quæ mouetur ab hostibus fidei. Sic psal. 40. *In die mala liberabit eum Dominus*; id est, periculo eum eripiet. & supra in hac epistola. *Redimetes tempus, quoniam dies mali sunt*. Non potest intelligi dies extremi iudicii, quod yellè videtur Hieronymus; nam ille dies iustis non erit malus, sed exoptatus, iuxta illud quod de tempore appropinquantis iudicii dicit Dominus: *Lenate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*, Lucæ 21. Sed neque tunc resistendi tempus erit, quia nec pugnandi; resistit enim qui patitur aduersarium. Repetit ergo diuersis verbis quod ante dixerat: *ut possitis stare aduersus insidias diaboli*. Eodem pertinet quod sequitur,

ET IN OMNIBUS PERFECTI STARE. Græcè ad verbum est, *Et omnia perfecti stare*; vel, ut habet Hieronymi textus, *Et vniuersa operati stare*. Nam Græcum participium, ut & verbum ipsum, potest actiue & passiuè sumi; quemadmodum ex Græcis scriptoribus facile est ostēdere. Significationem actiuam reddunt suis commentarijs Græci interpretes & Hieronymus. Sed & Cyprianus epistola 6 lib. 4. aliàs ep. 56 citat ad hunc modum: *Ut cum omnia perfecteritis stetis*. In eundem sensum vertit Erasmus, *Et omnibus operatis stare*. Nonnulli etiam codices mss. sic habent; *Et omnibus perfectis stare*, id est, cum omnia perfecteritis. Secundum hos igitur sensus apostoli est: Et ut posteaquam omnia quæ boni militis sunt, perfecteritis; stare & subsistere possitis, ne parta semel victoria vobis effluat è manibus. Hoc enim posteriori modo Græci exponunt, sed sensu satis coarctato. Hentenius autem vertens Oecumenium, & Theophylacti interpretes, reddunt, *Et omnibus deuictis stare*. Hanc enim versionem authores ipsorum postulant. Sed non videtur rectus

commentari-

commentarius: quoniam istud *deuictis*, ad personas pertinet; Apostolus autem dicit *ἀπαντα, omnia*. Ceterum nostram lectionem habent Ambrosianus, Primasius, Haimo: Denique vno Hieronymo excepto, Latini omnes; cui & Syrus interpres fauet, dum ita vertit, *Et postquam preparati fueritis in omni re, consistatis*. Nec verò obstat quod in Græco legitur *omnia, non in omnibus*: nam ex consuetudine Græcæ linguæ in talibus subauditur prepositio *κατά*: quemadmodum in illo versiculo psalmi 38, *vniuersa vanitas homo viuens*, id est, per omnia vanitas est &c. Ita hoc loco, *omnia perfecti*, id est, per omnia & in omnibus perfecti; quemadmodum etiam Faber & Siboldus interpretati sunt. Proinde sensus est: Et ut omni armatura sufficienter instructi ac preparati, stare possitis in pugna contra hostes, & non cadatis aut loco cedere cogamini. Hic sensus optimè quadrat scopo apostoli; & responderet ei quod iam supra dixerat, *ut possitis stare aduersus insidias diaboli*.

14 STATE ERGO SVCCINCTI LUMBOS VESTROS IN VERITATE. Vniuersam armaturam militis Christiani partibus exponit, incipiens à cingulo seu baltheo militari. Igitur, inquit, state in prelio circumcincti lumbos vestros spirituales, veritate, tanquam baltheo. Per *veritatem* intelligi videtur fides ac sinceritas in verbis & promissis. quomodo veritas in scripturis frequenter sumitur; ut allusio sit ad illud quod de Christo cecinit Isaias c. 11. *Et erit iusticia cingulum lumborum eius; & fides cinctorium renum eius*. vbi pro *fide*, LXX translulerunt *veritatem*.

ET INDUTI LORICAM IUSTICIÆ. Id est; iusticia sit vobis pro lorica seu thorace militari. Ut autem *iusticiam* à veritate distinguamus; intelligi potest iusticia in operibus, sicut veritas in dictis. sic enim in citato propheta testimonio videntur distinguui. Similis metaphora est 1. Thess. 5. *Induti lorica fidei & charitatis*. & Isaiæ 59. *Indutus est iusticia, ut lorica*. Legitur & Sap. 5 de Deo iudice, *Induet pro thorace iusticiam*. sed ibi iusticia peccatorum vindex intelligitur; quæ significatio non conuenit huic loco.

15 ET CALCEATI PEDES IN PREPARATIONE NEME EVANGELII PACIS. Græcè, *in preparatione*. Sicque Hieronymus & Ambrosianus legunt; & codex Laudensis, ac Biblia Sixtina. Subauditur autem, *euangelij pacis*, annunciandi; aut quid simile. Sensus est: Et pedes sint calceis spiritualibus muniti; ut parati sitis ad perferendum euangelium pacis ad infideles. Euangelium Christi, vocat *euangelium pacis*; quia pacem & reconciliationem cum Deo adfert hominibus. Alludit autem apostolus ad locum Isa. 52. quem & citat Rom. 10. *Quia speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*. Per calceos ergo, studium euangelij propagandi videtur significari.

16 IN OMNIBUS SVMENTES SCVTVM FIDEI. In omnibus, etiam verti potest, *super omnia*;

quemadmodum legit Ambrosianus & Hieronymus. Atque ita verterunt Erasmus & Hentenius. Iuxta nostram versionem sensus est: In omnibus prædictis, scilicet veritate, iusticia & præparatione euangelij, pro scuto assumite fidem Christianam. Hac enim indigent omnia illa ut illa permancant. Ita Theophylactus. Alij referunt ad tentationes; ut sensus sit: In omni tentatione scutum fidei opponite aduersarijs. Si legamus, *super omnia*; sensus erit, Ante omnia ac præcipuè scutum fidei sumendum esse ac manu tenendum in hac pugna. Sensem hunc probabilem facit similis locus Coloss. 3, vbi post enumeratas aliquot virtutes subiungit, *Super omnia autem hac, charitatem habete*. Nam & ibi Græcè est sicut hoc loco, *Ἰνὶ πάντων*. Cur autem super omnia necessarium sit scutum fidei, sequitur;

IN QVO POSSITIS OMNIA TELA NEQUIS-SIMI IGNEA EXTINGVERE. Tela, Græcè, *βέλη, iacula*: quemadmodum & Hieronymus legit. *Igneæ*, Græcè participium est *ignita*. Sicque legunt Hieronymus & Ambrosianus. Apud eosdem pro superlatiuo *nequissimi*, positius est, *maligni*, sicut in Græco. Noster interpretatur superlatiuum maluit; ut vitaret amphiboliam; quæ futura erāt, si vertisset, *omnia tela nequam ignea*. Quam tamen non euitauit, quando Matth. 13 sic vertit; *Et zizania filij sunt nequam*. Est enim istud *nequam* vtrique genitiuus, Quamquam & aliàs in similibus superlatiuum amat interpretare loco positiuum qui in Græco legitur. Vnde toties apud eum legimus *carissimum*, & *dilectissimum*, pro *dilecto*. Subinde verò *pejissimum*, *optimum*, *maximum*, pro *malo*, *bono*, *magno*. Loca annotauimus ad illud Rom. 11. *Carissimi propter patres*. Porro nequissimus, siue nequam, siue malignus, haud dubiè diabolus intelligitur hoc loco; quemadmodum & Matth. 13. verbis iam citatis; atque etiam in oratione Dominica, qua dicimus, *Sed libera nos à malo*. Diabolus enim κατ' ἐξοχὴν πονηρός, id est, malus idemque versutus; passim in scripturis appellatur. Sensus apostoli est: Quo scuto fidei excipere, repellere & extinguere possitis omnia ignita iacula variarum tentationum à diabolo immissa; quibus ille corda hominum incendit; inflammataque ad peccandum. Rectè vim istam extinguendi ignita aduersarij tela, fidei tribuit apostolus; nihil enim efficacius ad superandas diaboli, carnis & mundi tentationes; quàm si quis fidem suam diligenter exerceat; ac frequenter ante mentis oculos ponat bona nobis in futurum promissa, quæ nec oculus vidit &c. Quod qui seriuo facit, facile contemnit omnia præsentia seu bona seu mala, per quæ tentator diabolus blanditur aut terret. Hoc modo sancti per fidem fecerunt ea quæ multa & magna commemorantur in epistola Hebr. 11. Porro simile illud Petri, 1 ep. 5, *Cui resistite fortes in fide*, q. d. fide tanquam scuto repellite ad-

F 2

uersarium

uersarium vestrum diabolus.

ET GALEAM SALVTIS ASSVMITE. Græcè, *Et galeam salutaris, accipite*. Quoniam autem ipse Christus alibi vocatur salutare, vt in cantico Simeonis, *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*; hic nonnulli, inter quos Caietanus, galeam hanc Christum interpretatur; qui est salutare nostrum; qui que merito pro defensione capitis assumitur, quia *omnis viri caput Christus est*, 1 Cor. 11. Verum alij probabilius ex ipso apostolo petunt huius partis interpretationem; dicit enim 1 Theff. 5, *Induti galeam spem salutis*. Quocirca per galeam salutis seu salutis, spes futurorum bonorum videtur accipienda. Quæ, qua ratione caput nostrum, à quo principium est actionum, id est, intentionum nostrarum, aduersus ictus diaboli muniat & conferuet, ex ijs quæ proximè de fide dicta sunt, satis intelligitur; Nam illic fides intelligitur spe comitata.

ET GLADIUM SPIRITVS QVOD EST VERBUM DEI. Hactenus arma defensiuæ militi Christiano suppeditauit apostolus; nunc gladium porrigit quo hostem percutere possit; *gladium, inquam, spiritus, quod est verbum Dei*. Ambiguum est in Græco, num ad *gladium* referri debeat, an ad *spiritum*, vocula relatiua neutri generis *quod*; mutuatur enim genus suum à nomine postposito, *πνεύμα*. S. Basilius lib. 5 contra Ennonium cap. 11 refert ad, *spiritum*, probans ex hoc loco non solum filium, sed & Spiritum S. esse verbum Dei, illum partis, hunc filij. Verum communis interpretum consensus ad *gladium*, seu potius ad totum istud complexum, *gladium spiritus*, refert; idque conuenientius. Vt sensus sit: Et gladium S. Spiritus, id est, à Spiritu S. subministratum accipite, ac manu tenete; quem gladium interpretor verbum Dei. vbi apostolus per verbum Dei non præcisè intelligit scripturam sacram (ne quis hinc peruersè colligat omnibus Christi militibus necessariam esse sacræ scripturæ lectionem) sed, more scripturæ, ea quæ sunt diuinitus ad salutem nostram reuelata; quæ potissimum symbolo apostolico continentur: quatenus, inquam, ea creduntur à nobis. Itaque censet apostolus ad debellandas aduersarias potestates, & expugnandas mundi cupiditates, accipiendum esse gladium spirituale verbi Dei, quod fide tenemus. Eo namque certissime persuasi quæ præmia bonos, quæ supplicia malos, in futuro sæculo maneant, in pugna fortes efficitur. Quod quidem potentius fiet, si exemplo Christi, etiam ex ipsis sacris literis sententias aduersus tentatorem proferre nouerimus ac dicere; *Scriptum est*. Quidam huc allegant illud Hebr. 4, *Vinus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. Sed ille locus, vt ex consequentibus patet, de verbo increato, id est, Filio Dei, debet intelligi.

PER OMNEM ORATIONEM ET OBSECRATIONEM ORANTES: OMNI TEMPORIBUS IN SPI-

RITV. Postquam armis spiritualibus instruit Ephesios; docet nunc à quo fortitudinem & felicem pugnae euentum expectare & petere debeant; nimirum à Deo per assiduas orationes. Sensus est: Et hæc facite, multis orationibus & obsecrationibus Deum assidue precantes, vt vos pugnantibus adiuuet, & victores faciat; idque non solum voce, sed, quod præcipuum est ac per se necessarium, in spiritu, hoc est, cum deuoto cordis affectu. Sic enim 1 Cor. 14 accipitur, *spiritum orare*, & *spiritum psallere*. Quid apostolo sit, *semper, omni tempore, sine intermissione orare*, diximus Ro. 1. & alibi. Est enim orare quàm frequentissimè; nec alio sensu dictum est à Christo Salvatore Lucæ 18, *oportet semper orare*. *Obsecratio* ab *oratione* differt vt species à genere; significat enim orationem cum obsecratione per aliquid sacrum: tametsi discrimen hoc in Græca dictione minus appareat, vt potius videatur apostolus inculcatione vsus ad vehemenciam exhortationis, quàm discrimen aliquod istarum vocum attendisse. Nam & alibi ferè indifferenter has voces vsurpat. De quibus rursus vide nostrum Commentarium Philip. 4. v. 6. & 1 Timoth. 2. v. 1. Repetitur eadem dicitio in sententia proximè sequenti: ac pro ea Hieronymus & Ambro. modò precem, modò obsecrationem legunt.

ET IN IPSO VIGILANTES IN OMNI INSTANTIA ET OBSECRATIONE. Græcè, *& in ipso hoc*; vel mollius, *in hoc ipsum*. Sic enim paulò post eadem Græca vertit ipse interpret, *quem misi ad vos in hoc ipsum*. Consonat Ambrosiana lectio. Sensus autem est: Et ad hoc ipsum, vt assidue Deum oratis in spiritu, vigilantes magna cum instantia, sedulitate, & vt Ambrosianus legit, perseuerantia. Opus est enim vigilia ad assidue orandū, iuxta illud Christi Matt. 26, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*. Vigilare autem non potest, qui cibo potuque repletus est: Vnde ex consequenti sobrietatem sub nomine vigiliae, comprehendit & commendat scriptura.

PRO OMNIBVS SANCTIS ET PRO ME. Referendum hoc vel ad participium *orantes*, vel potius ad proximum nomen, *obsecratione*. *Sanctos*, intelligit fideles; humilitatis autem est, quòd se post alios nominet, vt Theophylactus obseruat.

VT DETUR MIHI SERMO IN APERTIONE ORIS MEI. Declarat quid pro se orari velit, vt, inquit, dum os meum aperio, causa euangelij, detur mihi sermo; prout sequitur.

CVM FIDVCIÀ NOTVM FACERE MYSTERIVM EVANGELII. Id est, quo liberè, confidenter & intrepide annunciem, notumque faciam hominibus euangelium Christi; quod est mysterium olim absconditum, maximè quoad vocationem gentium, sicut dixit cap. 3. Pro *fiducia*, Græcè est *παρρησία*, quæ vox ingeniam libertatem agendi vel loquendi significat; Vnde Ambrosianus legit *cum libertate*.

Particulam

Particulam hanc *cum fiducia* seu *libertate*, quidam præcedentibus iungunt, facientes huiusmodi sensum, vt detur mihi sermo quo os meum aperiam confidenter & liberè. Verum aptius coherere videtur cum sequentibus, sensu iam explicato.

20 PRO QVO LEGATIONE FVNGOR IN CATENA. Potest etiam verti *super quo*, vt materia legationis significetur; quæ est ipsum euangelium. *Pro quo*, causam finalem significat: Cuius, inquit, euangelij gratia fungor hac apostolica legatione; sed in vinculis propter eandem legationem iam constitutus; ideoque mihi vestris precibus opus est. Hoc nimirum pro se fieri postulat, quod pro Petro in vincula coniecto & periclitante, ecclesiam Ierosolymitanam fecisse testatur Lucas Act. 12. illis verbis: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Simul insinuat, ius gentium quod legatos vult haberi illesos, in se, summi principis legato, eoque salutifero, violatum esse. Docet hic quoque locus è vinculis scriptam esse hanc epistolam.

ITA VT IN IPSO AVDEAM, PROVT OPORTET ME LOQVI. Ita non additur in Græco, nec apud Ambrosianum. Est autem hæc pars ordinanda cum illa superiori, *cum fiducia notum facere mysterium euangelij*; & sensus est: *Ut in eo*, scilicet euangelio publicando promunere meæ legationis, audacter & liberè agam; siue, vt habet Ambrosianus textus, exerta libertate vtar; loquens sicut oportet me loqui. Sentit apostolus diuini muneris esse, ideoque à Deo petendum, vt quis prout oportet, verbum Dei loquatur. Vnde & Esther Deum orasse legitur, vt tribueret sermonem compositum in ore ipsius cap. 14.

21 VT AVTEM ET VOS SCIATIS QVÆ CIRCA ME SVNT. Id est, quæ ad me pertinent, quomodo res meæ habeant, vt alij vertunt;

QVID AGAM; In carcere constitutus,

OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICVS, CARISSIMVS FRATER, ET FIDELIS MINISTER IN DOMINO. *Minister*, Græcè *διάκονος*, & quia addit *in Domino*, id est, in his quæ ad Christum Dominum pertinent; non malè hinc colligitur, Tychicum sacra ordinatione diaconum fuisse, sicut habet breuè argumentum vulgo præfixum huic epistolæ.


22 QVEM MISI AD VOS IN HOC IPSVM, VT COGNOSCATIS QVÆ CIRCA NOS SVNT. Id est, quis rerum nostrarum sit status,

ET CONSOLETVR CORDA VESTRA. ne animis deficiatis ob tribulationes meas, quas pro vobis & pro euangelio patior; quemadmodum dixit cap. 3. Pro *consoletur* verti etiam

potest *exhortetur*. Ex hoc officio consolandi siue exhortandi, rectè coniecturam accipit Caietanus, Tychicum fuisse spirituale ministrum ecclesie. Notandum autem verba hæc ab eo loco, *vt autem & vos sciatis*, omnia penè eadem haberi sub finem epistolæ ad Col. Ex quo satis apparet hanc epistolam eodem loco & tempore cum illa scriptam simulque missam fuisse; quemadmodum bene colligit Hieronymus.

23 PAX FRATRIEVS, ET CHARITAS, CVM FIDE, A DEO PATRE ET DOMINO IESV CHRISTO. Subaudi *sit*, vel *augeatur ac multiplicetur*. Claudis epistolam imprecatione præcipuorum bonorum ac donorum Dei; quorum tranquilla possessio *pax* est. *Charitas cum fide*; Charitas sit fidei coniuncta, fidem informans & ad operationem excitans. Multi enim fidem habent, sed non cum ea charitatem. Quanquam alijs *charitas cum fide*, perinde valet ac si dixisset, *charitas & fides*. Vnde ex hoc loco probat Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 17 fidem esse donum Dei per Christum. Quod ait, *à Deo patre*, intellige vt auctore & largitore; & *à Domino Iesu Christo*, vt mediatore, qui per crucem suam hæc omnia bona nobis promeruit. Loquitur enim de Christo secundum assumptam naturam. Quod autem dicit *fratribus*, & *non vobis*, innuit se cupere hanc epistolam etiam alijs per Asiam Christianis communicari.

24 GRATIA CVM OMNIBVS QVI DILIGVNT DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM IN INCORRUPTIONE. AMEN. *Gratia* complectitur omne genus beneficentiæ diuinæ pertinens ad salutem vitæ æternæ. Eam precatur omnibus diligentibus Christum *in incorruptione*; id est, purè & sanctè, cum vitæ castimonia, & absque corruptelis libidinum. Hoc enim adiecisse videtur propter discipulos Simonis magi; qui cum execrandas turpitudines exercerent, tamen Christum se diligere profitebantur. Itaque modum ostendit apostolus, sine quo Christus non verè diligitur. Et hunc sensum probabilem reddit, quòd & alibi, libidines corruptionis nomine significantur, vt 1 Cor. 3, *Si quis templum Dei corrupterit, corruptet illum Deus*. sic enim in Græco est. Item 2 Petri 1, *Fugientes eius quæ in mundo est concupiscentia corruptionem*. & in epistola Iudæ, *Quæcunque autem naturaliter norunt, in his corrumpuntur*. Quæ quidem duæ epistolæ Petri & Iudæ aduersus eiusdem Simonis scholam conscriptæ sunt. Hypographe Græcorum codicum huic epistolæ subiuncta sic habet: *Scripta è Roma ad Ephesios per Tychicum*.



IN EPISTOLAM
BEATI PAULI
 APOSTOLI
 AD PHILIPPENSES
 COMMENTARIUS.

ARGUMENTVM EPISTOLÆ.



PHILIPPENSES, quorum ciuitas à Philippo Macedoniae rege conditore suo, nomen accepit; Macedones esse, & ex ea prouincia primos apostoli Pauli ministerio fuisse vocatos & conuersos ad fidem Christi; idque non sine manifesta significatione voluntatis diuinæ; docet Actuum apostolicorum liber cap. 16. Cùm ergo Paulus Romam profectus ibidem in vinculis teneretur; ea re audita Philippenses, quo in apostolum suum erant affectu, per Epaphroditum miserunt ad eum subsidium pecuniarium, quo se in carcere sustentaret; sicut & antè fecerant Thessalonicae agenti. Quod vtrumque Paulus ipse, sub finem huius epistolæ, commemorat. Ad eos igitur è vinculis, quorum disertè ac præclarè meminit 1. capite, post primam defensionem suam, secundo quo Romam venerat anno, per eundem Epaphroditum hanc mittit epistolam; quæ multam omnino laudem & commendationem Philippensium continet. Et quidem statim initio laudat eorum fidem, & ad profectum ac perseverantiam exhortatur. Deinde eos consolatur commemoratione fructus euangelici, qui ex vinculis ipsius prouenerat, affirmans se pro Christo & viuere & mori paratum; simul & ipsos animans ad passionum tolerantiam. Mox ad concordiam hortatur, & Christi humilitate ad imitandum eis proposita; ad studium excitat sanctæ conuersationis, spem faciens sui aduentus, præmissis interim Epaphrodito. Tertio capite monet ut vitent pseudapostolos Iudaizantes; in quos spiritu Dei accensus, ita inuehitur, ut eos canes, malos operarios, & inimicos crucis Christi vocet, quorum Deus venter sit &c. docetque non ex lege, sed ex fide Christi veram esse iusticiam. Postremò traditis quibusdam bene viuendi præ-

ceptis

ceptis, gratias agit pro ipsorum erga se munificentia. Sanè, quod ad dogmata attinet, conuenire videtur argumentum huius epistolæ cum ijs quæ ad Rom. & ad Gal. scriptæ sunt. Agitur enim in his omnibus, aduersus eos qui in lege Mosæ gloriabantur, obseruationem eius ad salutem esse necessariam dicentes. licet nonnulli ea quæ cap. 3 huius epistolæ contra falsos doctores dicuntur, detorqueant ad Simonianos hereticos; præter apostoli mentem; ut suo loco videbimus. Hieronymus in commentario epistolæ ad Philemonem, affirmat & ostendere se putat, hanc epistolam eodem tempore scriptam esse, quo scriptæ sunt ad Ephesios, ad Coloss. & ad Philemonem epistolæ. Certè esse scriptam ex priore captiuitate, liquet ex cap. 1. v. 25. & ex c. 2. v. 24. Ex eodem 2. cap. vbi dicit, *Spero autem me Timotheum cito missurum ad vos*; constat non esse missam cum aliqua ad Timotheum epistola. Nam Timotheus cum ipso erat.

SUMMARIUM.

Gratias agit Deo pro fide Philippensium, declarans suam erga eos affectionem. Offendit etiam vincula sua facere ad profectum euangelij. Etsi verò cum Christo esse cupiat; se tamen permansurum in carne, ad ipsorum utilitatem; quos deinde exhortatur ad patientiam in certamine pro Christo.

CAPVT VI.

PAULVS ET TIMOTHEVS SERVI IESV CHRISTI. Timotheum in fronte epistolæ sibi coniungit, velut præcipuum atque integerrimum apostolatus sui cooperarium; de quo cap. 2 scribit se neminem habere tam vniuersum, qui sincera affectione pro Philippensibus sollicitus esset. Iam enim Timotheus à Paulo accessurus, & festinare iussus, ut est in secunda ad eum epistola cap. 4, Romam venerat. Iungit autem eum sibi socium, non scribendæ epistolæ, sed salutationis dumtaxat. Quod moneo; ne quis hæc à duobus dictatam epistolam suspiciatur. Nam epistolæ, quod in alijs scriptis; epistolis ascribit, hæc omisit, vel ideo secundum Græcos, quòd apostolicam auctoritatem in hac epistola non prætendat, utpote nihil hæc ex potestate statuens; vel potius, secundum Caietanum, quia Timotheum sibi collegam assumens, uti voluit epitheto quod esset vtrique commune. Hac enim eadem ratione in vtraque ad Thess. epistola, titulum apostoli prætermisit. Seruos igitur Iesu Christi se & Timotheum vocat, non tam quòd empti ac redempti à Christo essent precio sanguinis eius, quæ ratio est omnibus Christianis communis; quàm quòd in publico ministerio prædicandi euangelij, Christo Domino subseruirent.

OMNIBVS SANCTIS IN CHRISTO IESV, QUI SUNT PHILIPPIS. Sanctos vocat fideles; quorum congregatio sancta est; licet non singuli sancti, id est, à peccatis mundi: Quod ad-

dit, *in Christo Iesu*, declaratio est eius quod præcedit, q. d. sanctis Christianis. Non est enim vera sanctitas nisi Christianorum. Vel in Christo Iesu, id est, per Christum Iesum, cuius merito omnis sanctitas datur hominibus.

CVM EPISCOPIS ET DIACONIBVS, rectius, *Diaconis*. Hæc Græca variant. In quibusdam enim exemplaribus legitur ut nos habemus, *cum episcopis*, in alijs verò vna composita dictione *συνεπισκοπῆς κοεπισκοπῆς*. Quo posteriori modo legerunt Chrysostomus & Theophylactus; nec non Oecumenius, ut ex eius commentario apparet, licet interpret eius verterit, *cum episcopis*. Ut sensus sit: Paulum & Timotheum, velut episcopos, scribere omnibus sanctis coepiscopis & diaconis Philippensium. Quomodo Petrus à diuerso presbyteros compellans 1 ep. 5 se vocat eorum compresbyterum, seu conseniorum, ut nostra versio habet; Græcè *συνπρεσβυτέρῳ*. Igitur secundum istos authores hæc epistola non ad omnes fideles qui Philippis erant scribitur, sed ad solos in ecclesiastico munere constitutos, episcopos scilicet & diaconos; quos iidem clericos appellant. Id autem factum existimant, propterea quòd non vniuersa Philippensium ecclesia, sed clerus eorum, literas & munera ad Paulum per Epaphroditum episcopum suum misisset. Verum ab hac sententia manifestè recedit Theodoretus Græcus, docens non ad solos eos qui præerant, sed simul ad omnes Philippenses, missam esse hanc epistolam; Idque satis res ipsa loquitur. Nam laudes, exhortationes, consolationes, doctrina, præcepta quæ in hac epistola leguntur; communia sunt omnibus. Sed & liberalitas Philippensium erga Paulum non solius cleri erat, sed totius ecclesiæ. Quocirca vulgata lectio, quæ & in Græcis codicibus obtinuit, tanquàm verior retinenda est. Habet tamen hæc lectio difficultatem, eaque duplicem. Vna est: Quomodo non præter decorum agat apostolus, dum ita scribit: *omnibus sanctis, cum episcopis & diaconis*; quandoquidem & ciuilitatis ra-

Iusta ratio mihi persuadet ut ita de vobis sententiam & confidam. Vel. Iustas habeo rationes cur vos reputeo inter electos; de quibus certus sum quod Deus in eis perficiet quod cepit. Ratio sequitur.

EO QUOD HABEAM VOS IN CORDE, ET IN VINCLIS MEIS, ET IN DEFENSIONE ET CONFIRMATIONE EVANGELII, SOCIOS GAUDII MEI OMNES VOS ESSE. Græca non habent *gaudij*, sed *gratiae*. Quod etiā liquet ex Græcorū commentarijs. Atqui Latini interpretes tam vulgatus quā alij quibus vsi sunt cōmentator Ambro. Pelagius, Primasius, & Sedulius, *gaudij*, non *gratia* vertentes, *χαρῆς* non *χαρῆς* in Græco legerunt, quæ duæ voces ita affines sunt, ut facillē alteram pro altera quis legat aut scribar. Illud autem, *habere vos in corde*, referri debet ad sequētis polysynthetici singula membra, quemadmodū ex Græco patet; ut clariū ita reddi possit sententia; Eō quōd & in vinculis meis, & in defensione & cōfirmatione euangelij, habeā vos in corde; vos, inquā, omnes qui estis socij seu cōparticipes gratiæ meæ. vel, ut habet textus Ambr. Eō quōd habeā vos in corde, tam in vinculis meis, quā in defensione & confirmatione euangelij, quoniā omnes mihi participes gaudij estis. *Habere in corde*, est gerere in animo seu memoria, velut rem carā & dilectā. Sic 2 Cor. 3, *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris*. & cap. 7, *In cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum. Defensionem*, Græcè *ἀπολογία*, intelligit suam; ut volunt Chrysostrōmus & Theophylactus, id est, eam qua apud Neronem pro se causā dixit; de qua 2 Timoth. 4, *In prima mea defensione nemo mihi adfuit*. Addit autem, *et confirmatione euangelij*; vel quōd etiam in vinculis euangelij docendi & confirmandi occasiones non negligeret; vel potius, quōd necessariō coniuncta essent defensio sui, & confirmatio euangelij; Non enim defendere causā suā poterat aduersus obiecta crimina; nisi pro euangelio (propter quod vincus erat) loqueretur. Id quod etiam ex Actis liquet cap. 24. 25 & 26. Si quis autem *defensionem* referre velit ad genitium euangelij; sensus nihilominus cōmodus erit. eiusdem enim erat & defendere euangelium aduersus falsas criminationes, & idipsum probabilibus argumentis confirmare; fauetq; huic intellectui quod paulo infra dicit, *In defensionem euangelij positus sum*. Significat ergo apostolus sibi, in omnibus quæ pateretur & ageret causā euāgelij. Philippenses, tanquam carissimos, animo obuoluit; ut qui gratiæ ipsius consortes essent & socij; vel, quatenus similia patiebantur, sicut in fine huius capituli dicitur; vel, quia Paulo necessaria subministrando, participes meritorum eius efficiebantur; iuxta illud Matth. 10, *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*. Gratiam autem passiones suas vocat; quia pati pro Christo magna gratia est, de qua Philippensibus hoc ipso capite congra-

tulans, ait: *Vobis donatum est non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*. Secundū Latinos autem *gaudium* vocat easdem passiones, id est, gaudij materiam. *Libant enim apostoli gaudentes a conspectu concilij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati*, Act. 5. Porro notandum, in hac postrema parte vim inesse probationis, qua docet sibi iustum esse ut ita sentiat de Philippensibus sicut antē dixerat.

TESTIS ENIM MIHI EST DEVS. *Mihi*, Græcè *μὲν* meus. Vt ut iisdem verbis Rom. 1. Vide quæ illic à nobis annotata.

QUOMODO CUPIAM OMNES VOS IN VISCERIBUS IESU CHRISTI. Confirmat iuramento suum erga Philippenses affectum, de quo dixerat: *eo quod habeam vos in corde* &c. Illud enim, *quomodo*, sermonem intendit q. d. Deum testor, quod vehementissimè vos desiderem, & amore complectar. non carnali, sed Christiano, quo nimirū vobis in Christo optimè volo. Per *viscera* metaphoricè significari intimū affectum amoris aut misericordiæ, notū est ex alijs scripturis. *Desiderium* autem pro amore amicitiae posuit; quia quisquis hoc modo amat, bonum desiderat aut vult ei quæ amat. Hinc infra cap. 4 vocat eos *carissimos* & *desideratissimos*.

ET HOC ORO UT CHARITAS VESTRA MAGIS ABUNDET IN SCIENTIA ET IN OMNI SENSU; Græcè *plenius*, adhuc *magis* & *magis*. Verbū oro, Græcè *προσευχόμενος* ad Deum refertur. *Sensum* autem, pro recto iudicio mētis, id est, prudentia, posuit. Et hoc, inquit, Deum oro, ut charitas vestra, quam benefaciendo declaratis, adhuc magis ac magis exuberet per bona opera; idque secundū scientiam Christianam, & cum exacto dictamine rectæ rationis; ne si temerè & sine delectu vos officiosos & largos præbeatis etiam erga pseudapostolos, qui vos seducere nituntur; benignitas vestra degeneret in vicium, & charitas esse desinat.

UT PROBETIS POTIORA. Ambrosianus, *ut probetis quæ sunt utilia*: Græcè, *πρὸς ὠφελίαν*. Quod tamen interpret bene vertit, *potiora*; Nam potiora dicuntur quæ præstant alijs. Pertinet autem ad rectum mentis iudicium, in actionibus probare, hoc est, eligere & amplecti meliora. Itaque particula *ut* expletiva est; sicut & in eō quod sequitur.

UT SITIS SINCERI ET SINE OFFENSA IN DIEM CHRISTI. *Sine offensa*, Græcè vna composita dictio est *ἀνεπιβουλή*, pro qua legit Ambrosianus, *inoffensi*. Sumitur autem Græca vox actiue & passiue, ut vel eum significet qui non offendit, vel qui non offenditur; tamen Paulo magis vñrata est actiua significatio, ut Actorum 24. *Studeo sine offenculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines, semper*. & 1 Cor. 10. *Sine offensione estote Iudæis & gentibus*. Quæ significatio huic etiam loco quadrat. Sensus enim est;

Ut sitis

Ut sitis sinceri, id est, sinceram & rectam habentes intentionem coram Deo, in bonis vestris operibus; & coram hominibus tales, ut nemini sitis offenculo; & hoc totum perseveranter. vsque in diem aduentus Christi Domini. Græci paulò aliter: Nam sinceritatem intelligunt in doctrina, atque hunc faciunt sensum: Ut sitis sinceri absque permixtione pravi dogmatis, quo, prætextu charitatis possitis infici; sitis etiam sine offenculo quoad proximos, ut quamuis tē fortè non lædat familiaritas hominis hæretici, vitandus tamen tibi sit, ne frater scandalizetur.

REPLETI FRUCTU IUSTITIÆ PER IESUM CHRISTUM. Græcè, *repleti fructibus iustitiæ, qui sunt per Iesum Christum*. Quanquam Græca variant. Alij enim codices habent, ut dixi, numero plurali; *Repleti fructibus iustitiæ qui sunt*, &c. ut sensus sit: pleni bonis operibus, quæ non habentur nisi per Christum, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere*, 10. 15. Rectè enim bona opera *fructus iustitiæ* vocantur: fructus quidem, quia delectationem pariter & salutem adferunt operantibus; iustitiæ verò, tanquam arboris à qua procedunt. In alijs autem codicibus habetur: *Repleti fructu iustitiæ qui est per* &c. Ita legunt & verterunt Faber & Erasmus. Ita quoque legit Oecumenius. Imò verisimile est ad hunc modum legisse Chrysostrōmū & Theophylactum, tamen commentarijs eorum textus insertus est, qui pluralem numerum habeat. Non enim de pluribus iustitiæ fructibus loquuntur, sed de vno, qui est elemosyna; quæ etiam in euangelio iustitiæ vocatur Matth. 6. Fructum ergo iustitiæ vocat apostolus actualem iustitiam, quæ in bonis operibus consistit. Itaque diuersæ hæc lectiones in eundem sensum concurrunt.

IN GLORIAM ET LAudem DEI. Refertur ad illud; *repleti fructu iustitiæ*. q. d. Volo vos abundare bonis operibus, non ut vos glorificemini, aut ego in vobis: sed ut per ea laudemur & glorificetur Deus. secundū illud Saluatoris Matth. 5, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in calis est*.

SCIRE AUTEM VOS VOLO FRATRES, QUIA QUÆ CIRCA ME SVNT, MAGIS AD PROPECTVM VENERVNT EVANGELII. Pro ea qua circa me sunt, Ambrosianus legit, quæ mihi acciderūt. Ita quoque verterunt Erasmus & Hentenius. Apparet autē turbatos fuisse Philippenses ob vincula Pauli, meruēt ne per ea cursus euangelij sisteretur. Consolans igitur eos, dicit; Volo vos scire quod ea quæ circa me geruntur, quæq; mihi acciderūt, id est, captivitas & vincula mea, ad eō officium euāgelio, ut potius cesserint ad illius profectum.

ITA UT VINCLVA MEA MANIFESTA FERENT IN CHRISTO, IN OMNI PRÆTORIO. Græcè, *manifesta in Christo fierent in toto præ-*

torio. Modum exponit quo vincula ipsius euāgelium promouerint. Videtur autem hic esse sensus: Ita ut in toto prætorio, id est, per totam aulam Cæsaris manifestum factū sit in Christi causa vincum esse. Quæ res non solum effecit ut rumor euangelij Christi ad omnes aulicos perueniret; verum etiam occasionem illis obtulit inquirendi quod & quale esset hoc euangelium. Apostolus aulam Cæsaris, Latino vocabulo vsus, prætorij vocat; quia vulgo sic vocabatur etiam à Græcis. Vnde & apud Marthæum, Marcum & Ioannem legitur prætorium Pilati; & apud Lucam in Actis prætorium Herodis. c. 23 in fine.

ET IN CÆTERIS OMNIBVS. Græcè sine præpositione, & *cæteris omnibus*; ut ad personas referendum videatur. q. d. non solum aulicis qui in prætorio versantur, sed passim omnibus per totam urbem vincula mea in Christo innotuerunt;

UT PLVRES E FRATRIBVS IN DOMINO. Græcè, *Et plures*: Latinis etiam quibusdam consentientibus, & in his textu Clementino.

CONFIDENTES VINCLIS MEIS ABUNDANTIVS AVERENT SINE TIMORE VERBUM DEI LOQVI. Genitium Dei non additur in Græco. Sensus est: Et ut multi fratrum in Domino, id est, Christianorum, sumpta ex vinculis meis fiducia, magis etiam quam antè, fuerint ausi intrepidè loqui verbum, id est, euangelium annunciare. Christianos vocat *fratres in Domino*, ad discrimen Iudeorum, qui Paulo fratres erant secundū carnem; tamen Græci particulam, *in Domino*, iungere malunt cum verbo subsequenti, *confidentes*. Sed quomodo vincula Pauli fiduciam excitaerunt fratribus qua redderentur audentiores ad prædicandum Christum? Nempe, quia videbant Pauli captivitatē & vincula cedere ad profectum euangelij; sicut supra dixit. Ex hoc enim successu magis animabantur ad loquendum verbum euangelij.

QVIDAM QUIDEM ET PROPTER INVIDIAM ET CONTENTIONEM. Partitio est. Quæuis enim omnes de quibus loquitur, fiducia ex Pauli vinculis sumpta, magis quam antè Christum prædicarent, non tamen eodem affectu ad id faciendum mouebantur. Erant enim nonnulli qui videntes Pauli in euangelio successum, etiam in ea urbe quæ caput erat mundi; gloriæ eius inuidebant, & euangelij Romani inuēcti laudem ad se transferre cupiebant. Itaque Christum prædicabant, non studio salutis hominum, sed per invidiam & contentionem aduersus Paulum; per invidiam quidem, resistentes gloriæ Pauli; per contentionem verò, quæ suam quærebant gloriā, volentes præ illo excellere. Hos autem verisimile est Iudæos fuisse. Caietanus contentionem refert ad disparitatem doctrinæ: putat enim hos, vna cum Christo, mea legalia seruanda prædicasse; idque contentionem quadam contra Paulum, qui legem docebat abolitam.

Sed

Sed improbabilis est hic commentarius; Non enim apostolus, quod infra dicit, gaudens fuisset, si qui pernicioſa & adulterina dogmata tradentes, Christum prædicarent, euangelium eius inuertentes, sicut loquitur Gal. 1. Quos eisdem, etiam huius epistolæ c. 3. vocat inimicos crucis Christi. Quare hi de quibus nunc agit, nec cum illis sunt comparandi aduersus quos agit in secunda epistola ad Cor. dicens eos adulterare uerbum Dei cap. 2 & 4. & appellas operarios subdolos ac Satana ministros cap. 11. Vtique propter doctrinæ corruptelam. Sanè & Aug. præfat. in psal. 115. istos nihil præter regulam fidei annuñciasse, intelligit.

16 QUIDAM AVTEM ET PROPTER BONAM VOLUNTATEM CHRISTVM PRÆDICANT. Id est, ex beneuolentia qua desiderant hominum salutem. Nam Græca vox εὐδοκία, quam interpres variè vertit, ut annotauimus ad illud Ephes. 1. secundum propositum voluntatis suæ; significat benignam ac propensam uoluntatem, qua quis alicui bene cupiat.

QUIDAM EX CHARITATE. Partitionem superiorem repetit, & repetendo explicat. Vbi notandum in Græcis codicibus eodem ordine membra repeti, quo supra posita sunt, hoc uidelicet modo: Quidam quidem ex contentione Christum annuñciant, non sincere &c. Quidam autem ex charitate, sciētes &c. tamen nostrum ordinē cōspicere est etiam in Ambrosiano textu. Quidam, inquit, ex charitate; quā scilicet proximè uocauerat bonam uoluntatē. Idem est enim charitas & bona uoluntas, quæ admodum Augustinus docet compluribus locis.

SCIENTES QUONIAM IN DEFENSIONEM EVANGELII POSITVS SVM. Defensionem, Græcè rursus ἀπολογία. Et sensus est: Sciētes quod positus sum in uinculis, ut reddam rationem euangelij à me prædicati. q. d. cum sciant me propter Christum & euangelij eius in uinculis teneri; ideoq; liberè per urbem euangelij prædicare non posse: ex charitate, qua quærūt hominum salutē, supplet hoc meū impedimētum sua prædicatione. Græci sic exponūt. Sciētes quod euangelij ratio mihi reddenda sit apud Deū, à quo positus sum, id est, missus euangelij prædicare. Pro hoc cōmentario, similis allegatur locus 2 Tim. 1. Per euangelij, in quo positus sum ego prædicator & apostolus & magister gentium. Verū mihi longè diuersum in Græco uocabulum est, quo decretum seu mandatum in scripturis solet significari. Quate priorem expositionem quæ Latinorum est; germaniorem putamus.

QUIDAM AVTEM EX CONTENTIONE CHRISTVM ANNUNCIANT, NON SINCERE. Explicat alterum membrum. Alij uerò, inquit, ex contentione Christum prædicant, gloriæ suæ studentes, meque deprimere conantes; non autem ex pura & recta intentione. Augustinus lib. 22 contra Faustum cap. 48. & lib. 2 contra epistolā Parmeniani cap. 11. & præfat. in psal. 115. Item tract. 30. in Ioan. pro non sin-

cerè, legit, non castè, quod idem ualeat. Est enim Græcè ἀγνός dictio diuersa ab illa superiori ut scis sincerè. Author Ambrosiani textus uertit, non simpliciter; sed is legisse uideatur ἀπλῶς in Græco; tamen in eundem sensum redit utraque lectio. Nam eadem est intentio simplex & pura. Quod ergo dicit, non sincere, non ad doctrinam pertinet, sed ad animum: Nam ut superius diximus, hi de quibus agit apostolus, ueram de Christo doctrinam prædicabant, ut de ea re merito gauderet apostolus; sed id faciebant intentione ac studio non recto. Quod declaratur sequentibus uerbis.

EXISTIMANTES PRESSURAM SE SVSCITARE VINCVLIS MEIS. Suscitare, Græcè ἐπιφέρει, quod est, inferre aut superaddere. Priori modo, illud, uinculis meis, figuratè dixit, pro eo quod diceret, mihi uincto; Existimantes, inquit, se mihi uincto pressuram siue afflictionem inferre. Posteriori modo, sine tropo intelligi potest: Existimantes se uinculis meis (quæ una afflictio est) aliam superaddere afflictionem, & (ut ita dicam) uincula mea noua afflictione aggrauare. Quæritur autem de qua pressura loquatur apostolus, Multi tam Græci quàm Latini eam intelligunt, quam persecutor Christianæ religionis inferret. Vt sensus sit: putantes ac sperantes se, prædicando Christum, & euangelium eius inculcandò, Cæsarem aduersum me amplius exacerbaturus, à quo propter Christum & eius euangelium, teneor in uinculis: aut certè, grauius odium Iudæorum infidelium, qui sunt accusatores mei, aduersum me concitatos. Alij uerò pressuram intelligunt dolorem quem Paulus esset habiturus ex aliorum euangelizantium gloria; & mentem apostoli explicant hoc modo: Quidam Christum prædicant contentione quadam & æmulatione atque inuidia aduersum me; uidelicet gloriæ meæ, quam ex euangelij prædicatione permagnam consecutus sum, inuidentes. Itaque me nunc uinculis astricto, & à munere prædicandi euangelij impedito; illi gloriam euangelij propagati hæc præferunt in urbe, mihi eripere, & ad se transferre nituntur. Cumque me sibi similem, hoc est, gloriæ cupidum, arbitrentur; existimant se pressuram addere uinculis meis; id est, supra afflictionem carceris & captiuitatis huius, etiam hoc malum & hanc pressuram superinducere; quod splendore gloriæ suæ quam ex euangelio quærunt, me uiant, & dolorem ac tormentum animo meo adferant, uelut qui gloriæ ipsorum inuideam. Quia tamen in re uehementer falluntur, quum ego contra (sicut infra dicit) ex animo gaudeam, quocumque modo Christus annuñciatur; dummodo fructus euangelij ad quamplurimos perueniat. Hic sensus ualde cōgruit ingenio æmulorum Pauli, de quibus & hic & in 2 ad Corinth. c. 2 & 4 loquitur. Nam gloriæ studio certabant aduersus eum. Prior sensus minus placet, quod non sit uerisimile

fratres

fratres istos (sic enim supra uocantur) id est, Christianos, sed tamen Pauli æmulos, illa sua prædicatione necem eius spectasse; tum quia sic Pauli gloriam non extinxissent, sed magis auxissent; erat enim & habebatur apud fideles gloriosum pro euangelio pati ac mori; tum quia prædicando euangelium; non potuissent aggrauare uincula Pauli quoad mortis periculum, nisi cum suorum periculo. Nam utique prædicando Christum primū aduersus semetipsos concitassent furorem persequentium. Verū illi, hoc periculo contempto gloriæ studebant: Itaque non ex odio sed ex inuidia cum Paulo contendebant, superare eum gloria cupientes.

18 QUID ENIM? Id est, Quid meæ refert? quid mihi curæ est? q. d. Non discutio; non multum moror quo illi animo Christum prædicent; dum tamen Christus uerè prædicetur. Negligeat enim Paulus illud malum propter hoc bonum, de quo sequitur;

DVM OMNI MODO, SIVE PER OCCASIONEM, SIVE PER VERITATEM, CHRISTVS ANNUNCIETVR. Græcè, Ἀτιμῶν ὀμνῶν (uel potius quouis modo) siue occasione, siue ueritate Christus annuñciatur. Pro occasione Græcè est ὁρῶντος, quæ proprie prætextum significat, licet sæpe pro occasione sumatur. Quod etiam conuenit huic loco. Sentit enim apostolus, per illos fratres de quibus superius locutus est, saltem diuulgari & crescere euangelium Christi; quocumque modo, animo & studio illi Christum prædicent; siue per occasionem, id est, aliud spectantes, ad quod eis huiusmodi prædicatione conducatur, nempe gloriam suam, Paulique depressionem, siue per ueritatem, id est, uerè ac sincerè hoc agentes, scilicet ut Christus annuñciatur, & non aliò detorquentes intentionem: Veritas ergo non opponitur falsæ doctrinæ, quasi apostolus significet non sibi esse curæ, uerane an falsa & hæretica sub Christi nomine docerentur. Quem sensum quorundam stolidorum bene refellit Theophylactus; sed opponitur præ intentioni, de qua superius dixerat, non sincere. tamen corruptam intentionem facile, si detur occasio, consequatur etiam doctrinæ corruptela. Quod tamen hic factum fuisse, non est existimandum; maxime propter id quod sequitur;

20 ET IN HOC GAUDEO, SED ET GAUDEBO. In hac; scilicet quòd Christus annuñciatur. Non enim gaudebat apostolus de peruersa quorundam prædicantium intentione; sed de ipsa prædicatione, quatenus nimirum per eam euangelij negocium promouebatur. Est autem idem iudicium de mercenarijs in ecclesia pastoribus; id est, ijs qui officium pascendi & prædicandi referunt non ad salutem ouium sibi commissarum, sed ad cōmoda sua terrena. Nam & illorum labor est populo Dei fructuosus, mul-

toque satius est uel mercenarium habere pastorem, quàm nullum. Quare & de Christo ab illis prædicato gaudendum est. Idque pulcrè docet Augustinus duobus locis supra citatis contra Faustum & contra epistolam Parmeniani, adducta etiam similitudine de coniugio, ex quo proles consequitur, quocumque tandem intentione coniuges sibi misceantur. Item de agricultura; cuius fructum non impedit agricolarum malicia. Ex quibus liquet quàm saluum sit quod in suis prolegomenis scripsit Ioannes Brentius, eum qui spiritu Christi caret, cum fructu uerbum Dei prædicare non posse. Quod si esset; non Christus Iudam cum cæteris apostolis ad prædicandum misisset: nec Paulus alibi diceret, Ne forte cum alijs prædicauero, i se reprobus efficiar 1 Cor. 9. Addit autem apostolus, sed & gaudebo, pro quo legit Ambrosianus, quin etiam & gaudebo; ut ostendat non inane, sed solidum ac iustum esse hoc gaudium, quod sibi uelit esse perpetuum; uel quo significet ex eare sibi adhuc accessuram noui gaudij materiam, iuxta rationem subiunctam.

19 SCIO ENIM QVIA HOC MIHI PROVENIET AD SALVTEM. q. d. Illi Christum prædicant, existimantes per hoc se pressuram suscitare uinculis meis: At multò secus eueniet. Scio namque quod hoc, scilicet, ab illis prædicari Christum, mihi cedit ad salutem; siue me liberari contingat è uinculis, siue non. Ad salutem, inquam, hoc est, ad bonum meum spirituale in futuro sæculo atque etiam præsentem. Nam ea res augetur gloriæ meam, quā illi obscurare conantur. Hunc sensum exigunt sequentia. Scire autem se dicit non per reuelationem, sed certitudine bonæ spei, quemadmodum infra declarat.

PER VESTRAM ORATIONEM, ET SVBMINISTRATIONEM SPIRITVS IESV CHRISTI. Tacitè se commendat precibus Philippensium. q. d. Scio hoc mihi profuturum ad salutem per uestras ad Deum orationes, quas proinde pro me fieri peto, ut Iesus Christus spiritum suum mihi subministraret, qui faciat mihi illud ad salutem prouenire. Coniungit apostolus orationes hominum cum subministratione spiritus Christi, id est, auxilio Dei; & quidem orationes priorum loco nominat, non ut rem digniorem, sed quia per eas hoc posterius obtinetur, licet & illæ non aliunde quàm à præueniente Dei gratia proficiantur.

20 SECVDVM EXPECTATIONEM ET SPEM MEAM. Pendet hæc pars adhuc ab illa superiore, quæ dixerat hoc sibi prouenturum ad salutem, nimirum, inquit, secundum expectationem & spem meam; id est, prout expecto & spero. Vox Græca ἀποκατάστασις, quam interpres expectationem uertit non qualemcumque expectationem significat, sed intentam ac uehementem. Qua uoce etiam in epistola ad Rom. c. 8, usus est, ubi Latine

G

legi-

legitur, *Nam expectatio creature* &c. Atque illam significationem de qua illic plura, ponderant etiam hoc loco Græci interpretes.

21 **QVIA IN NVLLO CONFVNDAR.** Potest hæc pars cum præcedenti ita connecti, *Secundum spem meam qua spero quod in nullo confundar.* Verum rectius secundum proprietatem Hebræi sermonis illud *quia* sic accipitur, ut sit explicantis & fortius affirmantis; tanquam dicat apostolus: Ita spero; & certè nulla ex parte *confundar*, id est, pudeam ab expectatione & spe mea, sed integrè & plenè consequar rem speratam; nempe eam de qua sequitur.

SED IN OMNI FIDV CIA, SICVT SEMPER, ET NVNC MAGNIFICABITVR CHRISTVS IN CORPORE MEO, SIVE PER VITAM, SIVE PER MORTEM. Pro *fiducia* Græcè est *παρρησία* vox apostolo frequens, quam interpretes Ambro. hoc loco vertit *exertam fiduciam*, alibi *libertatem*. Significat autem agendi, loquendive ingenuam & imperterritam libertatem. Quod ait: *sicut semper, & nunc*, Hebraismus est, quo recitetur *ita* quod respondeat adverbio *sicut*. Cui simile est illud orationis Dominicæ, *Sicut in celo & in terra*. Sensus apostoli est: Sed dum tota fiducia, id est, liberè & intrepidè versor in euangelio propagando; sicut semper ex quo factus sum apostolus, ita & nunc, me vinculis alligato, glorificabitur Christus in corpore meo, seu vivere contingat seu mori. Nam si supervixero; corpus meum, sicut antè, impendam obsequio Christi: si verò mortem inferat persecutor; corpus meum exhibebo hostiam Christo. Veronis autem modo proveniet mihi salus, & gloria, etiam apud homines. Quòd autem per mortem sit Christum magnificaturus in corpore suo velut hostia quædã; intelligi potest ex alijs locis. Nam sequenti capite dicit; *Sed est immolator supra sacrificium* &c. & 2 Timoth. 4 *Ego enim iam de labor.* Theophy. illud in *omni fiducia*, refert ad verbum *magnificabitur*, quod non est reiiciendum. Obiter notandum illam partem, *sicut semper & nunc*, posse & ad id quod præcedit, & ad sequentia refert; Sed convenientiùs ordinatur cum sequentibus, iuxta sensum iam datum.

21 **MIHI ENIM VIVERE, CHRISTVS EST; ET MORI, LVCRVM.** Ostendit, seu vitam seu mortem suam sibi cessuram ad salutem. Nam, inquit, mea vita Christus est; id est, vitam meam Christo & euangelio consecraui: Et mors lucrum mihi est, id est, mortem pro lucro deputo; per eam enim consequar ut sim cum Christo; sicut infra dicit. Quod maximè verum, si mortem intelligas pro Christo illatam, de qua Paulus loquitur: tam est generaliter omnibus iustis mori lucrum est; quæadmodum docet Ambrosius lib. de bono mortis; licet eam non statim omnes cõsequantur, ut qui purgandum aliquid secum auferunt.

Id quod in morali doctrina sui commentarij in hunc locum, disertè docet Chrysostomus; affirmans inter alia sancitum esse ab apostolis, ut in celebratione mysteriorum memoria fiat defunctorum.

22 **QVOD SI VIVERE IN CARNE, HIC MIHI FRVCTVS OPERIS EST; ET QVID ELIGAM IGNORO.** Græcè *hoc mihi fructus* &c. nonnullis etiam Latinis suffragantibus. Bisariam distinguitur & exponitur hæc sententia. Vno modo; Quod si contingat adhuc permanere in vita hac mortali; ea res cedit mihi ad fructum operis seu laboris quem adhuc euangelij causa subiturus sum. q. d. Si supervixero; multos adhuc opere prædicationis sum lucrifecturus Christo. Deinde sequitur nova sententia, *Et quid eligam ignoro.* Hanc distinctionem amplectitur Erasmus in sua versione, supplendo verbum, *contingat*. Eandem sequitur Caeteranus, sed diuerso sensu, quem apud ipsum videre est. Alio modo: Quod si permanere in vita hac mortali, mihi cessurum sit ad fructum operis, dum labore prædicationis multos adduco ad Christum: & quid eligam ignoro, Id est, adeo præfens meum commodum quod ex morte expecto, non præfero saluti proximorum; ut etiam dubitem vtrum è duobus eligam, vivere an mori. Hic sensus ferè omnium est interpretum, etiam Græcorum. Quæres, Quomodo Paulus ignorare se dicit vtrum eligat; & quomodo coarctatur è duobus; ut statim subiicit: & tamen continuò post, affirmat alterum esse multò melius, scilicet esse cum Christo, quàm vivere hinc in terris absentem à Christo? Nam vbi scitur vnum esse multò melius altero, non est in eligendo difficultas aut perplexitas. Responsio. Sciebat apostolus vnum per se esse multò melius. Quis enim nesciat quod sit melius esse cum Christo, quàm vivere hinc in terris absentem à Christo? Sed hoc illo melius esse poterat cõsideratum secundum circumstantias; nimirum ratione permagna utilitatis, quam vita Pauli in carne mortali, esset adhuc allatura ecclesiæ Christi; cum interim lucrum vitæ cælestis ei integrum maneret, percipiendum suo tempore. Hæc igitur erat apostolo iusta ratio dubitandi.

23 **COARCTOR AVTEM E DVOBVS.** Græcè *Coarctor enim è duobus.* Ambrosianus legit, *ex his duobus*; exprimens vim articuli Græci. Agitur enim de duobus iam nominatis, vita & morte. Sensus est: Distine orac trahor in diuersa; hinc desiderio Christi, illinc amore fratrum quibus vita mea in carne adhuc est necessaria. Sensus hinc explicant sequentia. Cæterum de recta distinctione huius loci, vide Augustinũ lib. 3 de doctrina Christiana cap. 2, quem nos sequimur.

DESIDERIVM HABENS DISSOLVI ET ESSE CVM CHRISTO. Græca plenius ita reddas, *Desiderium*

habens

habens ad hoc ut dissoluatur & sim cum Christo. Non dicit mori, sed *dissolui*; ut significet mortem hominis non esse interitum animæ, sed partium permanentium, id est, corporis & animæ dissolutionem ac separationem; quæ tamen per se non erat Paulo expetenda, sed propter illud consequens, *esse cum Christo*, ad quod sine morte media veniri nõ poterat. Ex hoc loco clarè ostenditur animas sanctorum ex hac vita sine peccato migrantium, statim post mortem esse cum Christo; & sicut Apocal. 20 dicitur regnare cum Christo. Quod observandum imprimis contra Anabaptistarum errorem, qui animas vsque ad resurrectionem corporum, dicunt sopore quodam pressas, nec in bonis esse, nec in malis. Nam si Paulus non statim erat futurus cum Christo, sed denique post resurrectionem; cessabat igitur causa propter quam desiderabat statim dissolui, & non diutius in carne permanere. Vnde Cyprianus in sermone de mortalitate huc alludens ait: *Ut cito ad Christum venire contingat, optemus.* Quoniam verò hoc quod apostolus dicit, *esse cum Christo*, significat beatitudinem nostram, scilicet esse in bonis Christi, atque eorum esse participem; quorum principium est Deum videre; vnde & post resurrectionem id ipsum nobis promittitur, 1 Thess. 4, ijs verbis, *Et sic semper cum Domino erimus.* Hinc rectè ac solidè, etiam ex hoc loco probatur animas sanctorum, ante generalem resurrectionem frui beata Dei visione. Et quidem eodem modo locum hunc intellexerunt, non solum Latini patres, verum etiam Græci Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius in commentarijs. Quod notandum propter alia quædam loca apud eosdem auctores, quæ lectori parum attento diuersum videntur sonare. Est autem hic apostoli locus conferendus cum illo qui est 2 Cor. 5, vbi dicit: *Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse ad Dominum.* Est enim utriusque loci eadem sententia. Cæterum quod hic dicit Apostolus, *Desiderium habes dissolui, & esse cum Christo*; quomodo non pugnet cum eo quod dixit 2 Cor. 5. *Nolumus expoliari*; facile iudicabit lector, si cogitet illic apostolum loqui iuxta desiderium naturale; hinc autem ex voluntate rationali, qua petebat esse cum Christo, quod sine dissolutione sui non posse fieri sciebat.

MVLTO MAGIS MELIVS. Augustinus loco paulò antè citato, addit enim, *Multò enim magis optimum.* putatque quosdam interpretes particulam enim studio abstulisse, ut textum apostoli suo sensui accommodarèt. Qua quidem in re minimè fallitur: cum ea particula & in Græcis quibusdam Roberto conspectis, & in Latinis bonis codicibus, veluti Laudensi illo reperitur expresse posita. Qua significatur hinc subijci causam desiderij iam dicti. Non

tamen apostolus simpliciter dicit, *multò melius*, sed *multò magis melius*; videlicet comparativum duplicans, ut vehementè excessu significaret. q. d. multò longè quæ melius; aut, infinitis paribus melius, quàm permanere in carne; ut hoc illius respectu ne desiderandum quidem sit. Vnde sequitur,

24 **PERMANERE AVTEM IN CARNE, NECESSARIVM PROPTER VOS.** In Græco comparativus est, *magis necessarium*. Comparandi particulam, *magis*, addunt etiam Latina mss. bene correctæ. Porro nõ dicit apostolus, *permanere in carne* minus bonum est, ac proinde minus desiderabile; sed, quasi nec bonum sit nec desiderabile, dicit, *necessarium propter vos*, id est, propter vestra & aliorum fidelium salutem. Nam ut rectè monet August. vbi supra, sentit apostolus è duobus se coarctari, quorum alterum desideret, alterum verò necessarium iudicet, non tamen desideret.

25 **ET HOC CONFIDENS SCIO.** Græcè *persuasus scio*, tamen rectè vertit interpretes, *Confidens scio*.

QVIA MANEBO ET PERMANEBO OMNIBVS VOBIS. Græcè, *permanebo cum omnibus vobis*, ne quis dativum utilitatis interpretetur. Est enim sensus: Quod propter vos necessarium esse dixi, id etiam futurum sperate; Nam omnino mihi persuadeo, confido & scio me mansurum adhuc in vita, & cum omnibus vobis permanens, id est, non ad horam, sed multo ad huc tempore apud vos mansurum;

AD PROPECTVM VESTRYM, ET GAVDIVM FIDEI. Id est, ut promoveam salutem vestram; & ut afficiã vos gaudio ex fide profecto, hoc est gaudio spiritali, quod proprium est Christianorum. His & superioribus verbis præsentia suã promittit Philippensibus. Quod idè apertius facit in eo quod sequitur,

26 **VT GRATVLATIO VESTRA ADVNDET IN CHRISTO IESV, IN ME, PER MEVM ADVENTVM ITERVM AD VOS.** Significat aliud bonum ex sua liberatione consecuturum. Pro *gratulatione* Græcè est *gloriatio*. Videri potest hic sensus: Ut cum liberatus & vobis restitutus fuero, possitis affatim de me apostolo vestro gloriari, vobisque gratulari; sed hoc in Christo Iesu, id est, ita ut totam hanc gloriandi & gratulandi materiam cum gratiarum actione Christo acceptam feratis. Verum aliter Græci, qui *gloriationem vestram* passivè intelligunt, id est, de vobis; & hunc faciunt sensum, Ut ego de vobis abundantius glorier in Christo, postquam ad vos reuersus fuero, ac videro quantum in Christo profeceritis. Sensus hunc probabilem facit locus 1 Cor. 15. *Per gloriam vestram, fratres*, id est, per gloriationem meam de vobis; quem admodum ibi expositum est. Adde quòd hic sensus modestior est, quo non illos de se, sed se de illis dicit gloriaturum. Circa hunc locum duæ quæstiones occurrunt. Vna, quomodo Paulus hæc quæ scribit de sua liberatione & reditu ad Philippenses, scire se dicat,

legitur, *Nam expectatio creaturae* &c. Atque illam significationem de qua illic plura, ponderant etiam hoc loco Græci interpretes.

22 **QVIA IN NVLLO CONFVNDAR.** Potest hæc pars cum præcedenti ita connecti, *Secundum spem meam qua spero quod in nullo confundar.* Verum rectius secundum proprietatem Hebræi sermonis illud *quia* sic accipitur, ut sit explicantis & fortius affirmantis; tanquam dicat apostolus: Ita spero; & certe nulla ex parte confundar, id est, pudeam ab expectatione & spe mea, sed integrè & plenè consequar rem speratam; nempe eam de qua sequitur.

SED IN OMNI FIDV CIA, SICVT SEMPER, ET NVNC MAGNIFICABITVR CHRISTVS IN CORPORE MEO, SIVE PER VITAM, SIVE PER MORTEM. Pro *fiducia* Græcè est *παρρησία* vox apostolo frequens, quam interpretatur Ambrosius hoc loco *veritatem fiduciam*, alibi *libertatem*. Significat autem agendi, loquendique ingenuam & imperterritam libertatem. Quod ait: *sicut semper, & nunc*, Hebraismus est, quo reticetur ita quod respondeat adverbio *sicut*. Cui simile est illud orationis Dominicæ, *Sicut in celo & in terra*. Sensus apostoli est: Sed dum tota fiducia, id est, liberè & intrepidè versor in euangelio propagando; sicut semper ex quo factus sum apostolus, ita & nunc, me vinculis alligato, glorificabitur Christus in corpore meo, seu vivere contingat seu mori. Nam si supervixero; corpus meum, sicut antè, impendam obsequio Christi: si verò mortem inferat persecutor; corpus meum exhibebo hostiam Christo. Vtriusque autem modo proveniet mihi salus, & gloria, etiam apud homines. Quod autem per mortem sit Christum magnificaturus in corpore suo velut hostia quædã; intelligi potest ex alijs locis. Nam sequenti capite dicit: *Sed est immolator supra sacrificium* &c. & 2 Timoth. 4 *Ego enim iam delibor*. Theophyl. illud *in omni fiducia*, refert ad verbum *magnificabitur*. quod non est reiiciendum. Obiter notandum illam partem, *sicut semper & nunc*, posse & ad id quod præcedit, & ad sequentia referri; Sed convenientius ordinatur cum sequentibus, iuxta sensum iam datum.

21 **MIHI ENIM VIVERE, CHRISTVS EST; ET MORI, LVCRVM.** Ostendit, seu vitam seu mortem suam sibi cessuram ad salutem. Nam, inquit, mea vita Christus est; id est, vitam meam Christo & euangelio consecraui: Et mors lucrum mihi est, id est, mortem pro lucro deputo; per eam enim consequar ut sim cum Christo; sicut infra dicit. Quod maximè verum, si mortem intelligas pro Christo illatam, de qua Paulus loquitur: tamen generaliter omnibus illis est transitus ad vitam; quæ admodum docet Ambrosius lib. de bono mortis; licet eam non statim omnes consequantur, ut qui purgandum aliquid secum auferunt.

Id quod in morali doctrina sui commentarij in hunc locum, disertè docet Chrysostomus; affirmans inter alia sancitum esse ab apostolis, ut in celebratione mysteriorum memoria fiat defunctorum.

22 **QVOD SI VIVERE IN CARNE, HIC MIHI FRVCTVS OPERIS EST; ET QVID ELIGAM IGNORO.** Græcè *hoc mihi fructus* &c. nonnullis etiam Latinis suffragantibus. Bifariam distinguitur & exponitur hæc sententia. Vno modo; Quod si contingat adhuc permanere in vita hac mortali; ea res cedet mihi ad fructum operis seu laboris quem adhuc euangelij causa subiturus sum. q. d. Si supervixero; multos adhuc opere prædicationis sum lucrifecturus Christo. Deinde sequitur nova sententia, *Et quid eligam ignoro*. Hanc distinctionem amplectitur Erasmus in sua versione, supplendò verbum, *contingat*. Eandem sequitur Caietanus, sed diuerso sensu, quem apud ipsum videre est. Alio modo: Quod si permanere in vita hac mortali, mihi cessurum sit ad fructum operis, dum labore prædicationis multos adduco ad Christum: & quid eligam ignoro, Id est, adeo præfens meum commodum quod ex morte expecto, non præfero salutem proximorum; ut etiam dubitem vtrum è duobus eligam, vivere an mori. Hic sensus ferè omnium est interpretum, etiam Græcorum. Quæres, Quomodo Paulus ignorare se dicit vtrum eligat; & quomodo coarctatur è duobus; ut statim subiicit: & tamen continuò post, affirmat alterum esse multò melius, scilicet esse cum Christo, quàm vivere hinc in terris absentem à Christo? Nam ubi scitur vnum esse multò melius altero, non est in eligendo difficultas aut perplexitas. Responsio. Sciebat apostolus vnum per se esse multò melius. Quis enim nesciat quod sit melius esse cum Christo, quàm vivere hinc in terris absentem à Christo? Sed hoc illo melius esse poterat consideratum secundum circumstantias; nimirum ratione permagnæ utilitatis, quam vita Pauli in carne mortali, esset adhuc allatura ecclesie Christi; cum interim lucrum vitæ cælestis ei integrum maneret, percipiendum suo tempore. Hæc igitur erat apostolo iusta ratio dubitandi.

23 **COARCTOR AVTEM E DVOBVS.** Græcè *Coarctor enim è duobus*. Ambrosianus legit, *ex his duobus*; exprimens vim articuli Græci. Agitur enim de duobus iam nominatis, vita & morte. Sensus est: Distineor actrahor in diuersa; hinc desiderio Christi, illinc amore fratrum quibus vita mea in carne adhuc est necessaria. Sensem huc explicant sequentia. Cæterum de recta distinctione huius loci, vide Augustinū lib. 3 de doctrina Christiana cap. 2, quem nos sequimur.

DESIDERIVM HABENS DISSOLVI ET ESSE CVM CHRISTO. Græca plenius ita reddas, *Desiderium*

habens

habens ad hoc ut dissoluatur & sim cum Christo. Non dicit mori, sed *dissolui*; ut significet mortem hominis non esse interitum animæ, sed partium permanentium, id est, corporis & animæ dissolutionem ac separationem; quæ tamen per se non erat Paulo experenda, sed propter illud consequens, *esse cum Christo*, ad quod sine morte media venire non poterat. Ex hoc loco clarè ostenditur animas sanctorum ex hac vita sine peccato migrantium, statim post mortem esse cum Christo; & sicut Apocal. 20 dicitur regnare cum Christo. Quod observandum imprimis contra Anabaptistarum errorem, qui animas vsque ad resurrectionem corporum, dicunt sopore quodam pressas, nec in bonis esse, nec in malis. Nam si Paulus non statim erat futurus cum Christo, sed denique post resurrectionem; cessabat igitur causa propter quam desiderabat statim dissolui, & non diutius in carne permanere. Vnde Cyrianus in sermone de mortalitate huc alludens ait: *Ve cito ad Christum venire contingat, optemus*. Quoniam verò hoc quod apostolus dicit, *esse cum Christo*, significat beatitudinem nostram, scilicet esse in bonis Christi, atque eorum esse participem; quorum principium est Deum videre; vnde & post resurrectionem id ipsum nobis promittitur, 1 Theff. 4, ijs verbis, *Et sic semper cum Domino erimus*: Hinc rectè ac solidè, etiam ex hoc loco probatur animas sanctorum, ante generalem resurrectionem frui beata Dei visione. Et quidem eomodo locum hunc intellexerunt, non solum Latini patres, verum etiam Græci Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius in commentarijs. Quod notandum propter alia quædam loca apud eosdem auctores, quæ lectori parum attento diuersum videntur sonare. Est autem hic apostoli locus conferendus cum illo qui est 2 Cor. 5, ubi dicit: *Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse ad Dominum*. Est enim vtriusque loci eadem sententia. Cæterum quod hic dicit Apostolus, *Desiderium habes dissolui, & esse cum Christo*; quomodo non pugnet cum eo quod dicit 2 Cor. 5. *Nolumus expoliari*: facile iudicabit lector, si cogitet illic apostolum loqui iuxta desiderium naturale; hic autem ex voluntate rationali, qua petebat esse cum Christo, quod sine dissolutione sui non posse fieri sciebat.

MULTO MAGIS MELIVS. Augustinus loco paulò antè citato, addit enim, *Multo enim magis optimum*. putatque quosdam interpretes particulam enim studio abstulisse, ut textum apostoli suo sensui accommodaret. Qua quidem in re minimè fallitur: cum ea particula & in Græcis quibusdam Roberto conspectis, & in Latinis bonis codicibus, veluti Laudensibus reperitur expresse posita. Qua significatur hic subijci causam desiderij iam dicti. Non

tamen apostolus impliciter dicit, *multo melius*, sed *multo magis melius*; videlicet comparativum duplicans, ut vehementè excessu significaret. q. d. multò longè quæ melius, aut, infinitis partibus melius, quàm permanere in carne; ut hoc illius respectu ne desiderandum quidem sit. Vnde sequitur,

24 **PERMANERE AVTEM IN CARNE, NECESSARIUM PROPTER VOS.** In Græco comparativus est, *magis necessarium*. Comparandi particulam, *magis*. addunt etiam Latina mss. bene correctæ. Porro non dicit apostolus, *permanere in carne* minus bonum est, ac proinde minus desiderabile; sed, quasi nec bonum sit nec desiderabile, dicit, *necessarium propter vos*, id est, propter vestram & aliorum fidelium salutem. Nam ut rectè monet August. ubi supra, sentit apostolus è duobus se coarctari, quorum alterum desideret, alterum verò necessarium iudicet, non tamen desideret.

25 **ET HOC CONFIDENS SCIO.** Græcè *perfuasus scio*, tametsi rectè vertitur interpretis, *Confidens scio*.

QVIA MANEBO ET PERMANEBO OMNIBVS VOBIS. Græcè, *permanebo cum omnibus vobis*, ne quis dativum utilitatis interpretetur. Est enim sensus: Quod propter vos necessarium esse dixi, id etiam futurum sperate; Nam omnino mihi persuadeo, confido & scio me mansurum adhuc in vita, & cum omnibus vobis mansurum, id est, non ad horam, sed multo ad huc tempore apud vos mansurum;

AD PROPECTVM VESTRVM, ET GAVDIVM FIDEI. Id est, ut promoveam salutem vestram; & ut afficiam vos gaudio ex fide profecto, hoc est gaudio spirituali, quod proprium est Christianorum. His & superioribus verbis præsentiam suam promittit Philippensibus. Quod idè apertius facit in eo quod sequitur.

26 **VT GRATVLATIO VESTRA ABVNDET IN CHRISTO IESV, IN ME, PER MEVM ADVENTVM ITERVM AD VOS.** Significat aliud bonum ex sua liberatione consecuturum. Pro *gratulatione* Græcè est *gloriatio*. Videri potest hic sensus: Ut cum liberatus & vobis restitutus fuero, possitis affatim de me apostolo vestro gloriarì, vobisque gratulari; sed hoc in Christo Iesu, id est, ita ut totam hanc gloriantiam & gratulandi materiam cum gratiarum actione Christo acceptam feratis. Verum aliter Græci, qui *gloriationem vestram* passivè intelligunt. id est, de vobis; & hunc faciunt sensum, Ut ego de vobis abundantius glorier in Christo, postquam ad vos reuertus fuero, ac videro quantum in Christo profeceritis. Sensem hunc probabilem facit locus 1 Cor. 15. *Per gloriam vestram, si ares*, id est, per gloriationem meam de vobis; quem admodum ibi expositum est. Adde quòd hic sensus modestior est, quo non illos de se, sed de illis dicit gloriaturum. Circa hunc locum duæ quæstiones occurrunt. Vna, quomodo Paulus hæc quæ scribit de sua liberatione & reditu ad Philippenses, scire se dicat;

virtum ex reuelatione, sicut alia multa sibi euentura sciebat, Deo sibi vel alijs prophetis reuelante, quemadmodum testatur Actorum liber: An verò ex humana, sed valde probabili coniectura, quæ moralem certitudinem faceret. Sanè magis apparet hoc posterius, ex eo quod in superioribus tanquam dubius loquatur, dicens, *sine per vitam siue per mortem.* Et rursus, *quid eligam ignoro.* quam quidem dubitationem tollere debuisset reuelatio. Quin & capite sequenti subdubitare potest videri cum ait: *Sed essi immolor.* Quare quod hinc dicit, *confidens scio quia manebo &c.* & iterum sequenti capite, *confido in domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito:* de ea quam dixi coniecturali scientia ac fiducia est accipiendum. Vox Græca quæ utrobique vtitur, generalis est, ad persuasionem infallibilem, & probabilem; quod & supra annotauimus ad illud: *Confidens hoc ipsum quia qui capit &c.* Altera quæstio, An id quod dicto modo scire se dicit, impletum fuerit. Ita quidem sentit Chrysoströmus. Vnde & colligit hanc epistolam scriptam esse è prioribus vinculis, Nam ex posterioribus non fuit liberatus apostolus. In eadem sententia est Oecumenius Caterum Theophylactus dubitat, & incertum esse dicit. Alij quidam impletum simpliciter negant, existimantes se satis comperit habere quod ex posterioribus vinculis, adeoque post secundam ad Timoth. hæc scripta sit epistola. Sed, quod in argumento huius epistolæ attigimus, videtur dubitari non posse, eam esse scriptam ex priore captiuitate. Vide Baron. anno Christi 60. § 1. Facile autem potuisse apostolum ea captiuitate liberatum redire in Orientem intra octo illos annos qui priori & posteriori captiuitatibus intercesserunt, est videre apud eundem, Anno Christi 61. § 1. & 2. Sed tunc videat lector quomodo, hæc si ita sint, consentiant cum his quæ leguntur Act. 20, v. 25. Confer quæ dicimus infra, ad c. 2. v. 24 Summa est, Non videri apostolum ex priore captiuitate liberatum, re ipsa in Græciâ rediisse, tametsi id sperauerat.

27

TANTVM DIGNE EVANGELIO CHRISTI CONVERSAMINI. Trãsit ad exhortationem. De me, inquit, ne sitis solliciti: Tantum hoc curate ut vos sicut dignum est euangelio Christi, conuertemini; id est, ut vita vestra euangelio respondeat, ut euangelium ex vestra conuersione honoretur.

VT SIVE CVM VENERËT VIDERË VOS SIVE ABSENS, id est, siue vobis præsens sim, siue absens à vobis,

AUDIAM DE VOBIS. Græcè *audiam ea quæ de vobis,* vel *circa vos,* Id est, audiam de rebus vestris; scilicet ea quæ sequuntur,

QVIA STATIS IN VNO SPIRITU, VNANIMES COLLABORANTES FIDEI EVANGELII. *Unanimis,* Græcè *vnâ animâ;* sicut dixerat uno spiritu. nec liquet vtrum præcedentibus an sequentibus adiungenda sit hæc particula, Theophylactus præcedentibus an-

nectit. Sed quia id durius fit nulla coniectio ne media; idcirco magis videtur ad sequentia referendum, Hoc sensu: Ut de vobis audiam quod perseveretis in vno spiritu, id est, concordēs; maxime in doctrina: quodque sitis vno animo & studio *collaborantes,* Græcè *concertantes,* id est, vna nobiscum certantes; vel, secundum Theophylactum, vos mutuò adiuuantes, in certamine pro fide euangelij. Iuxta hanc expositionem, inter spiritum & animam distinguere non est necesse; tametsi non incommode potest spiritus ad intellectum, anima seu animus ad voluntatem referri.

ET IN NVLLO TERREAMINI AB ADVERSARIIS, siue infidelibus, Christi fidem aperte persequentibus; siue Iudaizantibus hæreticis, veritatem fidei corrumpere nitentibus. Incertum est enim vtrius significet; nisi quod sequentia priorem glossam magis exigunt. Terrorem autem seu pauorem intelligit, efficacem, quo nimirum animi constantia labefactatur.

QVÆ ILLI EST CAUSA PERDITIONIS, VOBIS AVTEM SALVTIS. Ambrosianus, *Quæ est illis occasio interitus,* vel secundum quosdam codices *ostentatio.* Nā Græca vox *ostēsionē* significat. Et hoc modo Græci interpretes eam vocem intellexerunt. Sed quia ostendere pro eo quod est facere, exhibere, inferre, in scripturis sæpissime accipitur; Vnde illud *Quis ostendit nobis bona.* psal. 4. & Alexander et alius *multa mala mihi ostendit.* 2 Timoth. 4: hinc etiam potuit pro causa vel occasione sumi. Sensus igitur est: Quod vobis aduersantur, quod vos persequuntur propter fidem euangelij; id argumentum est & indicium æternæ perditionis ipsorum & vestræ salutis, vel, secundum nostram versionem, Id illis causa est perditionis, meritoria; vobis autem occasio salutis. *Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.*

ET HOC A DEO, nempe quod patiamini pro Christo. Hoc enim continebatur in proxima parte, *vobis autē salutis;* vobis, in quâ, persecutionē pro Christo patietibus. Cōfirmat & explicant hunc sensum verba sequentia

29 QVIA VOBIS DONATVM EST PRO CHRISTO, NON SOLVM VT IN EVM CREDATIS; SED VT ETIAM PRO ILLO PATIAMINI; Quod noster interpres vertit *ὡς περ χριστῶ pro Christo,* Oecumenius interpretatur *à Christo;* Ansel. & Caietanus *per Christum;* videlicet ordinantes hanc particulam cum verbo, *donatum est.* Ut sensus sit, à Christo, vel per meritum Christi, donatum esse non solum vt &c. Verum nimis aliena est, ac præter usum, ista præpositionis interpretatio. Sed & articulus *ne* præfixus repugnat huiusmodi constructioni. Quare multò rectius alij hyperbaton hinc agnoscunt, particulam, *pro Christo,* referentes ad extremum verbum, *patiamini;* vt illud, *non solum vt in eum credatis,* parēthesis quādā specie

habeat

habeat: quasi plano sermone dicat apostolus, *Et hoc ipsum quod pro Christo patiamini, à Deo est: Siquidem à Deo vobis donatum est, non solum vt credatis in Christum, verum etiam vt pro Christo patiamini.* Vel breuius, hoc ordine: *Vobis donatum est pro Christo pati, & non solum in eum credere.* Manifestè contra Pelagium ostendit hic locus, fidem, qua in Christum creditur; & patientiam, quæ pro Christo tolerantur aduersa; Dei dona esse. Ac de fide quidem id ex hoc loco probat Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14, & lib. de dono perseverantiæ cap. 2. & alibi: Pelagius verò suo dogmati consentanea scribere volens in huius loci expositione, Commentarium facit hæreticum.

30

IDEM CERTAMEN HABENTES, QVALE ET VIDISTIS IN ME, ET NVNC AUDISTIS DE ME. Eodem, inquit, in certamine mecum constituti; similia passi qualia me patientem & vidistis, quum apud vos essem; & nunc longè positi, auditis. Nam Philippis, apostolum Paulum vnâ cum Sila. commota aduersus ipsos seditione, virgis caesum & in carcerem missum, dureque tractatum fuisse, testatur Actorum liber, cap. 16. Ac meminit eiusdem rei ipse apostolus 1 Thess. 2. Dicens autem, *Et nunc auditis de me,* de Romanis vinculis loquitur. Porro *certamen* appellat patientiam aduersorum; qui qui patitur, certat & pugnat, ne per impatientiam superetur. Ex hoc loco apparet Philippenses, post Pauli discessum, Euangelij causa fuisse vexatos & afflictos ab aduersarijs; licet id alibi scriptum non reperitur.

SUMMARIUM.

AD MUTUAM CONCORDIAM EOS HORTATUR; ITÆ, EXEMPTO CHRISTI, AD HUMILITATEM & OBEDIENTIAM. Admonet vt cum timore salutem suam operentur. Timotheum promittit se ad eos missurum: Epaphroditum nunc mittit & commendat.

CAPVT II.

31 SI QVÆ ERGÒ CONSOLATIO IN CHRISTO. Rursus à laude sermonem transfert ad exhortationem. Est autem oratio vehemens ac mirè pathetica. Pro consolatione, exhortationem legit Ambrosianus: Sequitur enim *solatium* in proximo membro. Sanè quidem vtrumque Græca vox significat: Verum magis huic loco conuenit quod noster interpres vertit; vt sit sensus: Si vultis mihi victo & afflicto aliquam adferre consolationem in Christo, id est, in negotio Christi, cuius ego sum apostolus;

SI QVOD SOLATIUM CHARITATIS. Id est, Si quod solatium ex charitate profectum à vobis expectari potest;

SI QVÆ SOCIETAS SPIRITVS. Pro

societate, Græcè *communio* est; pro qua *participationem* legit Ambrosianus. Sensus: Si habetis mecum aliquam spiritus communicationem; si mecum estis vnus spiritus per cōsensum & charitatem. *Spiritus* intelligit humanum, de quo paulò antè, *In vno spiritu, vna anima,* & Ephes. 4. *Vnū corpus & vnus spiritus.*

SI QVÆ VISCERA MISERATIONIS. Græcè & Syriacè, *Si qua viscera ac miserationes;* vt posterior dictio sit prioris expositio. Consentit multi codices Latini mss. & concordantiæ, astipulante etiam Ambrosiano. Si quid, inquit, viscerum, id est, misericordiæ, in vobis est; Si vultis aliquam erga me misericordiam ostendere.

2 IMplete GAVDIUM MEVM. Id est, facite vnde gaudium meum quod ex præclaris vestræ conuersationis inijs iam dudum concepti, de quo & supra locutus sum, impleatur ac perficiatur. Quis autem ab eis exigat, pro sui gaudij completō; declarat subiectis vitæ christianæ præceptis. Quorum primum est de concordia animotum.

VT IDEM SAPIATIS. Ut expletivè sumitur, q. d. Implebitis gaudium meum si idem sapiatis &c. *Idem sapere* apostolo est esse cōsentientes & similiter affectos, seu voluntate siue intellectu; vt eadem velint, eademque creant. Hoc enim perfectæ concordie est.

EANDEM CHARITATEM HABENTES. *Eandem charitatem* Græci interpretantur parenthinc inde; vt qui multum amatur, non remittit, sed pari mensura redamet. Nonnulli si exponunt: eandem quam cepistis exercere charitatem retinentes. At simplicior & contextui maxime cōgruus sensus est: *Eandem,* id est, mutuam erga vos inuicem, charitatem habentes ac retinentes; velut concordie matrem.

VNANIMES, IDIPSUM SENTIENTES. Posterius, interpretatio prioris est. *Unanimis* enim sunt, qui vnum idemque sentiunt. Neque hinc aliquid diuersum dicitur ab eo quod iam dixit, *vt idem sapiatis;* est enim idem utrobique verbum in Græco: Sed inculcatio est eiusdem rei; nisi quod expressior est concordie significatio in vocabulo, *unum,* quod hoc loco Paulus scripsit; quam in vocabulo, *idem* vel *idipsum,* quod superius.

3 NIHIL PER CONTENTIONEM, NEQVE PER INANEM GLORIAM; Supple, *facite,* vel, *fiat à vobis.* Pro *contentione,* textus Ambrosianus habet *irritationes,* Eadem est vox in Græco, quam noster interpres 2 Cor. 2. *diffensiones;* & Gal. 5. *rixas,* vertit. Significat autem contentionem, id est, eam verborum pugnam & concertationem quæ non veritatis aut iusticiæ, sed gloriæ studio suscipitur. Vnde rectè Theophylactus annotat, apostolum continuò subiungere matrem huius, *inanem gloriam.* Ex hac enim, inquit, illa nascitur.

SED IN HUMILITATE SUPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES. In non est in Græco. *sibi* pro se ablatiuo, quæ exigit cōparatiuus superiores.

Sensus est: Sed per humilitatem alius aliū arbitretur, existimet, iudicet esse se superiorem, praestantiorē, meliorem. Non enim sermo est de praestantia graduum & honorum; sed probitatis ac virtutum. Et, cum humilitas in mendacio non consistat; intelligendum est quod quisque debeat non simulatē praeferre huiusmodi iudicium, sed verē & ex animo sic arbitrari, quantumcunque in virtutibus profecerit, aut profecisse se putet. Exempli gratia. Qui donum habet virginitatis, is alium matrimonii; copulatum existimet se meliorem. Quod ut ex animo faciat; cogitet se fortē ab illo alijs pluribus ac potioribus donis superari, velut patientiā, mansuetudinis, pietatis, atque ipsius humilitatis; denique eius quae omnium virtutum forma est, charitatis. Quae quidem cogitatio quia non absolutum habet iudicium, sed partim suspensum, partim negatiuum; quo dicitur, Fortē ille melior me est; Non me illi praefero, quia nec occulta cordis mei video: vacua est ab omni errore. Atque hoc ipsum est quod Christus in euangelio sub parabola praecipit vnicuique dicens: *Vade recumbe in nouissimo loco.* Luca 14. Id est, infra omnes te humilia omnibus te inferiorem reputa; nempe sensum iam explicato. Sic autem explicat Augustinus lib. 83. q. 71, ubi citatis apostoli verbis ait: *Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus sed nos existimare fingamus, sed vere existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.* Hac ille. Confule eundem lib. de sancta Virginitate cap. 43 & sequentibus. Et Gregorium homil. 10. in Ezechiel. & homil. 7 super euangelia & B. Thomam in commentario; Item 2. sec. q. 161. art. 3. Vide etiam q. 60. art. 4. Sed quaeres, quid si videam alium manifestē grauius peccare, ipsi mihi nihil mali conscius? Respondeo quod & illum te meliorem reputare debeas, eo iudicij modo quem superius exposui; maximē quia potest in corde tuo latere vicium superbiae quo reuera sis illo deterior. deinde, quia fortē ille te melior est secundum praedestinationem diuinam, quae nobis est occultissima. Vide de hac re pulcherrima documenta apud Thomam Kempensem lib. 1. de imitatione Christi cap. 3 & 7. & lib. 2, cap. 2. Potest nihilominus ista apostoli sententia rectē sic intelligi, ut dū dicit, superiores, accipiamus eos quibus debemus subseruire, eorum salutem studendo, & quibus nos libenter velimus submittere, quatenus Dei honor vel illorum salus exigat. Huic sensui quadrat quod sequitur, Non quae sua sunt &c. Quadrat exemplum Christi, quod deinde subiicit.

4 NON QUAE SVA SVNT SINGVLI CONSIDERANTES, SED EA QUAE ALIORVM. Interpretes sensum expressit magis quam verba. Nam Graeca sic habent: *Non sua quisque spectate, sed & quae aliorum, quisque.* coniunctio-

nem & omisit interpretes velut redundantem. Nam 1. Cor. 10. idem hoc praecipuum sine coniunctione legitur, in Graeco; *Nemo suum querat, sed quod alterius, quisque.* Quo loco etiam de seipso dicit; *Non querens quod mihi utile est, sed quod multis.* Et rursus hoc capite generatim: *Omnes quae sua sunt querunt, non quae sunt Iesu Christi.* Sed & inter encomia charitatis, 1 Cor. 13. posuit, *non querere quae sua sunt.* Ex quibus satis apparet, hoc quod toties apud apostolum legitur; *querere quod suum est,* absolute tanquam malum ac viciosum reprehendi; & proinde sententiam huius loci non esse suppleendam hoc modo, *Non tantum quae sua sunt singuli spectantes, verum etiam quae aliorum,* sed non habita ratione coniunctionis (siquidem & alibi interdum redundat) absque huiusmodi supplemento particulae exclusivae, interpretandum esse. Quamquam & sic accipi potest coniunctio, ut vim habeat intensiuam; quasi dicas, *quin potius ea quae sunt aliorum.* Graeca vox quam interpretes vertit, *considerantes,* significat spectare & praecipue oculis habere, velut scopum; quod alibi dicitur querere. Breuiter, sensus est: Nemo studeat priuatis commodis, sed omnium salutem. Nemo communi utilitati rem priuam anteponat.

5 HOC ENIM SENTITE IN VOBIS, QVOD ET IN CHRISTO IESV. *sentite* Graecè *sentiat* aut *sentiatur.* Est enim verbum medium. Priori modo si interpretaris, subauditur *quisque* ex superiori sententia; *quisque vestrum* hoc *sentiat.* Posteriori modo completus est sermo, *Hoc sentiat in vobis,* id est, hoc ipsi in vobis sentite. Est autē verbum idem cum eo quod paulò ante verterat modò *sapere,* modò *sentire.* Locus hic exhortatorius est ab exemplo Christi, quem imitandum proponit, tam in eo quod praeeperat de humilitate erga omnes seruanda, quam de salute proximorum anteponenda priuatis commodis. Vtrumque enim Christus praestitit, modo quodam excellentissimo qui in filium Dei, competere poterat. Igitur sensus est: Is affectus sit in vobis erga vos inuicem, qui & in Christo fuit, erga nos; ipsum imitamini. Sic Ro. 15. *Etenim Christus non sibi placuit,* & 2 Cor. 8. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.*

6 QVI CVM IN FORMA DEI ESSET; NON RAPINAM ARBITRATVS EST ESSE SE AEQVALEM DEO. *Esset* poterat verti, *sit;* nam Graecè est participium presentis temporis. Sensus est: Qui cum esset ac sit in natura Dei, id est, cum esset ac sit verus Deus; non existimauit aequalitatem Dei sibi esse rapinam, hoc est, rem alienam & ex rapto usurpatam, ut propter hoc tantopere semet humiliauerit, velut agnoscens usurpasse se aliquid non suum, quod humiliando se deponere voluerit. q. d. Non haec est causa humilitatis Christi; quippe qui non usurpauit, sed verē Deus esset. Vbi latenter taxatur diaboli & hominis superbia, qui diuinitatem appetendo, quodammodo

eam ra-

eam rapuerunt; & propter hoc humiliati sunt vel inuiri. *Formam* accipi pro natura, non autem, ut Erasmus vult, pro specie seu figura & habitu externo; bene probat in suo commentario Chrysostomus; Cui & ceteri tam Latini quam Graeci consentiunt. Nam quod Cyprianus ab Erasmo allegatur ita locum hunc citare lib. 2 contra Iudaeos cap. 13; *Qui cum in figura Dei esset;* interpretis est, non Cypriani citantis dumtaxat quod in Latino codice reperit, non autem exponentis. Nec dubium est improbandam esse eam versionem; quam nec Erasmus nec quisquam alius ausus est imitari. Naturam autem *forma* nomine intelligi, patet etiam ex eo quod mox aduersariue sequitur de forma serui, quemadmodum ibi ostendetur. Facit ergo dupliciter hic locus ad asserendam diuinitatem Christi: & in eo quod contra Arianos, veram ac proprie dictam formam, id est, naturam Dei Christo tribuit; & quia docet eum esse Deo patri aequalem.

7 SED SEMETIPSVM EXINANIUIT. q. d. non alienum deposuit, sed semetipsum, qui verus erat Deus, ad imum vsque deiecit, ac diuinitatem quodammodo exiit. Vide Augustinum lib. 2 contra Maximinum Arianorum episcopum cap. 5. Per quod autem Christus semetipsum exinaniuerit, sequentia declarant;

FORMAM SERVI ACCIPIENS; Id est, per hoc quod *formam serui* suscepit, naturam videlicet humanam, quae utique respectu Dei totius creaturae Domini, seruilis est. Neque enim *formam serui* considerat apostolus in eo quod naturam immortalitatis ac miseris obnoxiam Christum suscepit; nam & in talia natura alij domini sunt; alij serui; sed in eo quod ipse, Deo equalis, & per naturam rerum omnium Dominus, factus est homo, qui qualiscumque sit per naturam seruus est. Vnde & Christus propter assumptam naturam sapientissime seruus vocatur in sacris literis: ut Isaiā 42 *Ecce seruus meus, suscipiam eum.* Quod de Christo dictum ostendit Matthaeus cap. 12 sui euangelij. Item Ezechielis 34 *Et suscitabo super eas pastorem unum, seruum meum Dauid.* Zachar. 3 *Eccē ego adducam seruum meum, orientē.* Et passim in psalmis. Quale est & illud quod de Christo iam immortalis & glorioso dictum est, Act. 4 *Conuenerunt aduersus sanctum puerum tuum Iesum.* Nam *pueri* nomine seruum intelligi; vel ex eodem ipso capite liquet ubi dicitur: *Per os patris nostri Dauid pueri tui.* De hac re vide Thomam 3 p. q. 20 ar. 1 & 2.

IN SIMILITVDINEM HOMINVM FACTVS. In Graeco datus est casus, ablatiuo numero reddendus, *In similitudine.* Quidam sic interpretantur, fuit similis alijs hominibus; non autem vnus ex illis, quia non fuit homo purus, nec peccator. Ita ferē Graeci. Secundum alios, sensus est, Christum factum esse hominibus similem, quia factus est verus homo: sicut aequalis est Deo, quia ve-

rus est Deus. Prior intellectus fit probabilis ex alijs locis, in quibus est similis phrasim, nominatim ex eo quod dicitur Ro. 8. *filii Dei missi in similitudinem carnis peccati.* Non enim erat in eo caro peccati; sed tantum similitudo carnis peccati. Sic homo factus dicitur ad similitudinem Dei; minimē Deus factus. Ac sanē similitudo semper ad aliud refertur. Per vtrumque tamen sensum occurritur errori Marcionitarum & Manichaeorum, qui hoc apostoli loco abutebantur ut Christum non verē, sed apparenter tantum, assumpto corpore phantastico, incarnatum fuisse docerent. Quae doctrina vniuersum incarnationis & redemptionis Christi mysterium euacuat.

ET HABITV INVENTVS VT HOMO. Latini quidam *habuum* interpretantur indumentum; ut sensus sit, Christum indutum humana carne versatum fuisse inter homines. Sic Augustinus intellexit lib. 83 q. 71 & 73. Quam sententiam etiam Thomas in commentario refert secundo loco; eandemque simpliciter approbat, 3 p. q. 2 ar. 6 ad 1. Non tamen significant hi doctores humanam naturam Christo accidentaliter aduenisse, sicut vestimentum aduenit homini; & proinde Christum non esse hominem substantialiter; quae fuit erronea quorundam opinio, concepta ex his apostoli verbis male intellectis; quam quidem Thomas in commentario bene refellit: Sed sentiunt filium Dei absque vlla sui mutatione factum esse hominem, sicut qui vestem induit nulla re mutatur siue substantiam eius spectes, siue accidentia absoluta. Quod etsi verē & Catholicè dicatur; non tamen ille est apostoli sensus hoc loco. Nam pro *habuum* Graecè est *σχημα*, id est, *figura* Commentator Ambro. nec non verus Ambrosius lib. 2 de fide cap. 4, & lib. 3 cap. 5. Itemque de initiandis, cap. 4. *speciem* legunt, eodem sensu. Dicit ergo apostolus Christum *habitu* inuentum ut hominem; quia secundum figuram & speciem exteriorē oculis hominum expositam, *inuentus est ut homo,* id est, agnitus est verus homo. Non enim significat Christum tantummodo specie & imagine externa, non autem veritate naturae similem hominibus fuisse; sed ita similem, ut verus esset homo. Sicut enim nihil tam ouo simile est quam ouum; ita nihil tam simile est homini quam homo. Igitur particula *ut,* veritatis est nota, non nudae similitudinis. Quod & Theophylactus annotauit, adducens locum similem ubi Ioannes de Christo dicit, *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti a patre;* cum verē esset unigenitus: sicut ibidem dicit, *Unigenitus qui est in sinu patris ipse enarrauit.* Porro veritatem humanae naturae in Christo probare euidenter possunt quae subiungit apostolus de morte eius.

8 HVMILIAVIT SEMETIPSVM, FACTVS OBEDIENS VSQVE AD MORTEM. Non solum, inquit, cum Deus esset naturam assump-

lit humanam; verum etiam in ea se vehementer humiliavit atque deiecit, utpote factus obediens patri usque ad perfectionem mortis. Loquitur autem de morte violenta & ab impijs hominibus inferenda; qualem Deus, pro salute generis humani, voluit filium suum pati. Nam in morte naturali, quam subire aliquando necesse est, non sic elucet obedientia. Meminit autem obedientiae apostolus; quia, sicut superbia est subijci nolle; ita humilitatis, obedire. Porro, quamvis omnes humanae Christi actiones ex obedientia processerint, iuxta illud quod ipse ait Io. 6, *quia descendis de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* peculiariter tamen obedientiam eius commendat apostolus in morte subeunda; tum quia actus ille fortitudinis omnium difficillimus est, tum quia per mortem executus est Christus opus nostrae redemptionis. Intellegitur autem obedientia, qua voluntatem suam humanam perfectè conformavit aeterno decreto Patris. Quae conformatio voluntatis, erat obedientia; vel formaliter ac proprie, vel, ut alijs videretur eminenter. Idque significatur omnibus illis scripturae locis, quae docent Christum venisse ut faceret voluntatem patris sui.

MORTEM AUTEM CRUCIS. Id est, mortem supplicio crucis inferendam. quod quidem supplicium non modo gravissimè cruciabat, (Vnde & cruciari à cruce deductum est) verum etiam quam maximè probrosum erat & infame; perinde ut hodie patibuli supplicium. Vnde dicebant apud Sapientem ad uersarij eius: *Morte turpissima condemnemus eum.* Sap. 2. Vide quae diximus ad 2. Cor. 5. in fine. Et quae Baron. in Notis ad Martyrol. die 7. Apr.

9 PROPTER QVOD ET DEVS EXALTAUIT ILLVM. Deinceps ostendit meritum humilitatis Christi; ut similiter futuræ exaltationis spe Philipenses ad humilitatem excitet. Sensus est: cuius tantæ humilitatis & obedientiae merito vicissim Deus exaltauit, vel ut expressius ex Græco habet textus Ambrosianus, *super exaltauit eum*, id est, in summam extulit sublimitatem. nam præter gloriam resurrectionis, *donauit illi nomen* &c.; prout sequitur. Hic locus docet apertissimè Christum per passionem & crucem suam non nobis tantum, sed & sibi meruisse. Quod dum negat Calvinus; contra sensum & interpretationem omnium patrum vim facit huic scripturae, dicens illam particulam, *propter quod*, non causam sed consequentiam & ordinem rei gestae significare; quasi sensus sit: Post tantam eius deiectionem & obedientiam, Deus illum exaltauit. Sed ut dixi, violenta prorsus est hæc interpretatio; nec eam Græca dictio, *διό*, vlllo modo recipit. Ac sanè frustra sudat in hoc loco nobis eripiendo Calvinus, cum sint & alia scripturae complures, quae meritum istud clarissimè doceant. ut Apo. 5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem,*

&c. Heb. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Isaie 53, *Pro eo quod laborauit anima eius; videbitur & saturabitur.* Et alia loca passim in psalmis. Verum prolixior huius doctrinae probatio pertinet ad 3 sent. dist. 18.

ET DONAVIT ILLI NOMEN QVOD EST SVPER OMNE NOMEN. Nemo existimet apostolum loqui de nomine Christi proprio, quod est Iesus; nam illud nomen multo ante exaltationem & impositum ei fuit, & ab hominibus agnitum; idemque multis alijs commune. Sed *nomen* intelligit, Dei, aut filij Dei; de quo archangelus ab B. Mariam, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* & de quo Isaie 7 & Matth. 1. *Vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Et ad Hebr. 1. *Quanto differentius præ illis nomen hereditauit.* Hoc enim est nomen quod infinitè superat omne aliud nomen. Vnde est apud Græcos epithetò Dei, *ὑπερωϋνον*, id est, quo nihil excelsius nominari potest. Dicitur autem Deus hoc nomen ei donasse, quando rem nominis fecit innocescere; scilicet post eius resurrectionem & ascensionem in cælum. Tunc enim cæpit ab hominibus agnosci verus Dei filius, verusque Deus; & ut talis honorari ac glorificari. Hæc Græcorum expositio est. Alij per *nomen quod est super omne nomen*, intelligunt famam, gloriam ac celebritatem nominis excellentiorè gloriâ cuiuscumque alterius. Sed eodem recidit hic intellectus: Nam illa gloria est fama diuinitatis eius. Rursus autem ex hoc loco monstratur Christum esse Deum, patri æqualem: nam si minor esset patre, ut volebant Arianj; non haberet nomen quod est super omne nomen.

10 VT IN NOMINE IESV OMNE GENV FLECTATVR. *Vt non casualiter accipitur, sed expletiuè, Ita ut in nomine Iesu &c. nomen* hoc loco pro re seu persona positum videtur. *Genus flectio* metonymicè subiectionem & humiliationem sui significat. Itaque sensus est; Adeo ut omnes quicumque vsquam sunt, cognoscentes hominem illum qui Iesus vocatur, esse Dei filium ac verum Deum; sese illi tanquam Deo & omnium Domino, submittant, eumque adorent. Vnde in huius rei protestationem quandam, veteri more Christianorum, soli nomini Iesu, quando nominatur reuerentia fit; teste S. Vincentio de Valentia, serm. 2, dom. 18 post Trinitatis.

CÆLESTIVM, TERRESTRIVM ET INFERNORVM. *Cælestes*, sunt angeli & animæ beatæ: *Terrestres*, homines in terris agentes. Sed quos *infernos*, siue ut Græcè est subterraneos vocet, non perinde liquet. Sunt enim nonnulli, inter quos Innocentius tertius serm. 1. de omnibus sanctis, qui putent significari animas quæ in infernis locis purgantur; quas utique constat in nomine Iesu cum omni humilitate geau flectere. Probabilem hunc commentarium facere conantur

ex Apo. 5 vbi dicitur: *Et omnem creaturam qua in caelo est, & super terram, & sub terra, omnes audiu dicentes: Sedenti in throno, & agno, benedictio & honor & gloria &c.* Non enim alij sub terra videntur esse qui benedicant & glorificent Deū & Agnū, quam animæ quæ sunt in purgatorio. Nā demones nō benedicunt sed maledicunt; nō glorificant, sed blasphemant. Cæteri verò damnati, aut blasphemant, aut cerè non diligunt Deum ut glorificare & benedicere possint, cum sint ab eo auerfi. Nec audiendus Origenes, qui putauit aliquando futurum ut demones omnemque damnati per salutarem poenitentiam correcti, Christo subijciantur; quam eius sententiam ecclesia damnauit. Atqui communis expositio pene omnium interpretum est, per *inferos* quidem significari demones cæterosque damnatos, quorum supplicij locus infernus est; sed subiectionem, genuflexionis nomine significatam, intelligi generaliter; qua nimirum quis alicui subijcitur, siue libenter ac spontaneè, quomodo cælites omnes in nomine Iesu tota mentium humilitate genu flectunt; siue coactè, quatenus ita subiectus est ut resistere nō possit. Qui modus demonibus, & in vniuersum damnatis, competit. Huic seculi fauet imprimis eundem apostoli locus Ro. 14, vbi cum dixisset, *Omnes habemus ante tribunal Christi*; id probat, quia scriptum est apud Isaïam, *Vino ego dico Dominus quoniam flectetur mihi omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Cum enim mali quoque sistendi sint ante tribunal Christi; consequens est ad eos quoque pertinere testimonium prophetæ. Igitur & mali flectent genu & confitebuntur Deo. Et quidem hoc loco ad eadem prophetæ verba respexisse apostolum, plusquam probabile efficitur, ex eo quod sequitur: *Et omnis lingua confiteatur &c.* Sed & alibi scriptura malis ac Dei inimicis huiusmodi coactam & extortam submissionem, imò & benedictionem & confessionem ascribit. Submissionem quidem, ut psal. 109 *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quem versiculum apostolus 1 Cor. 15. citat ut doceat omnia fore Christo subiecta. Item psal. 71 *Inimici eius terram lingent*; id est, in potestatem eius redacti, ore in terram depresso adorabunt eum vel inuiti. Confessionem verò seu benedictionem; ut in eo quod Dominus Matth. 23 & Luca 13 dixit ad Scribas & Phariseos. *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc enim non modo Græci commentatores, verum etiam Augustinus lib. 2. de consensu euangelistarum cap. 75 dictum accipiunt de aduentu Christi ad iudicium; quando omnes omnino, volentes, nolentes, Deū ac Dominū eū agnoscent. Quod ipsum repetit Christus stans in concilio sacerdotū & seniorum, dicens eis: *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli.* Matth. 26. *Videbi-*

11 *is*, inquit, hoc est, cognoueritis vel inuiti me sedentem à dextris virtutis Dei; id est, in summa gloria præ omnibus creaturis collocatum. Tale etiam est quod in prophetis toties legitur: *Et cognoscent quia ego sum Dominus.* Denique illud Iacobi apostoli, cap. 2. *Demones credunt & contremiscunt.* Nec verò diuersum habere sensum videtur id quod superius ex Apo. 5 allatum est; Nam omnis quidem creatura dictura est: *Sedenti in throno, & agno, benedictio & honor &c.*, sed aliter hoc dicit creatura quæ in caelo est, aliter quæ sub terra; sicut iam explicatum est. Quod autem Theodoretus infernos siue eos qui sub terris sunt, interpretatur homines mortuos; non videtur rem assecutus. Nam hoc pacto iidem erunt in numero cælestium & infernorum; videlicet sancti cum Christo regnantes. nisi respondeat, cælestes intelligi solos angelos. Verum absurdum est, animas beatas & angelis in caelo sociatas, cum infernis potius quam cum cælestibus censere. Si quis autem infernorum nomine comprehendi dicat etiam eos qui in purgatorio sunt; nihil superioribus aduersum dixerit. Non enim solos damnatos hac parte dicimus significari. Porro quamvis hæc Christi exaltatio quam memorat apostolus, etiam autè eius passionem quoddam inuitiū habuerit (nam & angeli Christo nato, tanquam Deo filio, gloriam cecinerunt; & magi multique præterea homines eum adhuc mortalem adorauerunt; & demones imperio eius cessauerunt, ac filij Dei confessi sunt); posteaquam tamen à morte resurrexit & in celum ascenderit, mirabiliter aucta est eius gloria, per ecclesiam vbique diffusam. Nec modò per ecclesiam, verum etiam apud eos qui vel ecclesiam non sunt ingressi, vel eam per hæresin aut schisma deseruerunt. Vnde Augustinus in enarratione psal. 103 ad illud, *Vt exhiberet facies eius in oleo*: *Quoniam*, inquit, *excellens in Christo gratia apparuit; totus orbis eum diligit. Qui cum contemptus hic esset; adoratur modò ab omni gente; quoniam ipse est regnum, & ipse dominabitur gentium. Tanta est enim eius gratia, ut multi qui in eum non credunt, laudent eum; & propterea dicant nolle se in eum credere, quia nemo potest implere quæ iubet. Amatur tamen ab omnibus, predicatur ab omnibus, quia excellenter vinctus.* Hæc ille. Certè etiam hæretici & schismatici in nomine Iesu genu flectunt, & eius magisterio gloriantur. Quin & Mahometani ex Alcorani sui doctrina, Iesum Mariæ filium in magna habent veneratione. Soli Iudæi, qui sic in mundo sunt, ut nusquam sint; ei maledicunt. Quamvis ergo Christi gloria toto orbe sit dilatata; quia tamen adhuc non desunt qui eum blasphemant, qui verò agnoscent & venerantur, non omnes quantus est agnoscent, nec omnes ei subiecti sunt; & quia demones quoque cum adhuc in membris suis persequantur; ut propter hæc apostolus Heb. 2 dicat, *Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei*; utique non

prius hæc apostolica scriptura perfecte complebitur, quam in iudicio extremo ac deinceps. quemadmodum idem apostolus luculentè docet 1 Cor. 15. Atque eadem ratio est de eo quod sequitur.

11 ET OMNIS LINGVA CONFITEATUR, QVIA DOMINVS IESVS CHRISTVS IN GLORIA EST DEI PATRIS. Hæc confessio, sicut iam ostendimus, partim spontanea est, partim ab inuitis & maleuolis extorta. Nam *omnis lingua*, intelligitur iuxta distributionem præcedentem, *caelestium, terrestrium, & infernorum*. Verba, prout reddita sunt à nostro interprete, sensum hunc volunt, Et omnes confiteantur Dominum Iesum Christum esse in gloria Dei Patris, id est, habere gloriã eandem cum patre, vt pote quem agnoscant verum Deum patri æqualem. Quod nimirum ipse futurum prædixit Io. 5, *ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem*. Sed sciendum in Græco verbum est non exprimi. Sic autem ibi legitur, *quod Dominus Iesus Christus, in gloria Dei patris, vel ad gloriam*. Proinde Græci, quos & Caietanus sequitur, sic ordinant & exponunt; Et omnes confiteantur Iesum Christum esse Dominum: quæ quidem eius dignitas & dignitatis agnitio cedit ad gloriam Dei patris; quia gloria patris est exaltatio filij; sicut contra, deiectio filij patris ignominia est. Quod verò Erasmus, illud, *in gloriam Dei patris*, teterrè posse putat ad verbum *confiteatur*, hoc sensu, & omnis lingua confiteatur ad gloriam Dei patris, quod Christus est Dominus; non consistit cum mente apostoli, generaliter loquentis. Mali enim non confitentur ad gloriam Dei, sed soli boni: Significatur autem quod omnes Iesum Christum confitebuntur *Dominum*, non cum aliqua limitatione, sed absolutè, id est, Dominum totius creaturæ, tam secundum humanam naturam, quam secundum diuinam.

12 ITAQUE CHARISSIMI MEI, SICVT SEMPER OBEDISTIS Postquam interposuit exemplum obedientiæ Christi & exaltationis eius; redit ad exhortationem; admonens Philippenses vt, sicut antea semper ex quo fideles esse cœperant, exemplo Christi obedientes se præstiterant Dei præceptis ab apostolo traditis; ita faciant deinceps, si gloriæ Christi participes fieri velint.

NON VT IN PRÆSENTIA MEI TANTVM, SED MVLTQ MAGIS NVNC IN ABSENTIA MEA. Partem hanc quidam referunt ad verbum præcedens, *obedistis*, q. d. apostolus, sicut semper obedistis non tantum quum præsens essem apud vos, verum etiam ac multo magis nunc quum absens sum à vobis, ita moneo vt quod hæcenus facitis, facere pergatis. Verum rectius alij partem illam præcedentem (*sicut semper obedistis*) à sequentibus separant & parenthesi claudunt; Hæc verò quæ sequuntur, referunt ad subsequens verbum, *operamini*.

CVM MOTV ET TREMORE SALVTEM VESTRAM OPERAMINI: Tota sententia cõstitui potest & exponi hoc modo: Itaq; fratres mei dilecti (sicut semper obedistis, id est, quod hæcenus fecistis) operamini salutem vestram cum metu & timore; non tantum sicut me præsentem fecistis aut facere soletis, sed nunc multo magis me absente: Sic enim vos ostenditis id facere ex animo, propter Deum, & non seruiliter, quasi nobis placere studentes. *Cum metu & timore salutem suam operari*, est magna cum sollicitudine exercere opera salutis aternæ efficaciam: Phrasis illa, *cum metu & timore*, satis à nobis explicata est in commentarijs 1 Cor. 2. & 2 Cor. 7. & Ephes. 6. Respicit autem apostolus ad versiculum psalmi 2 *Servite Domino in timore, & exultate ei cum timore*. Quæ quidem tam prophetica quam apostolica exhortatio, destruit inanem salutis certitudinem & securitatem, quæ perniciosè sibi blandiuntur hæretici. Nam vbi timor & tremor exigitur; securitas esse nõ potest. Ostendit etiam præsens locus opera quæ per gratiam Dei fideles exercent, ad ipsam salutem promerendam valere: hoc enim est quod dicit: *Salutem vestram operamini*.

13 DEVS EST ENIM QVI OPERATUR IN VOBIS VELLE ET PERFICERE PRO BONA VOLVNTATE. *Perficere* Græcè ἐπεργάζεσθαι *operari*, nimirum idem verbum cum eo quod priori loco dixit, *qui operatur*. Atque ita legit passim Augustinus; nominatim lib. de gratia Christi, docens eam Græcis codicibus esse consentaneam lectionem. Igitur, *perficere*, non dicitur respectu operis alicuius præcedentis cui perfectio desit; sed respectu eius quod est *velle*; vt perficere sit facere seu exsequi quod volebas; non cedere tentationi, ad exsequendum quod volueris. Multi enim habent velle, qui per infirmitatem non habent facere; vt Petrus quando dixit; *Non te negabo*. Porro locum hunc prauè quondam interpretati sunt Origenes, Pelagius & Vitalis Carthagenensis. Quorum primus lib. 3 periarch. cap. 1 docet Deum in nobis operari velle & perficere, & in vniuersum mouere & agere, generali dumtaxat ratione, atque indeterminate ad bonum vel malum: Nostrium autem esse dicit bene aut malè velle & facere. Pelagius verò in suo commentario ita scribit: *Velle operatur Deus, suadendo & premia pollicendo*. Eiusdem ab Augustino lib. de gratia Christi cap. 10 hæc ex alio loco verba referuntur, *Operatur in nobis Deus velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum vos terrenis cupiditatibus deditos & minorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futura gloria magnitudine & premiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione sapientia in desiderium Dei stupentem suscitât voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est*. Post quæ Pelagij verba, *Quid manifestus*, inquit Augustinus, *nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque*

doctrinam

doctrinam? & quæ sequuntur. Porro Vitalis Carthag. ad quem scripsit Augustinus epistolam numero 107 à Pelagij sensu non recedens, dicebat Deum per legem suam & per scripturas operari in nobis vt velimus, dum legi aut scripturis ab eo datis ipsi nostra voluntate consentimus. Quod dum non facimus; operationem Dei in nobis nos irritam reddere. Iam & illa quorundam interpretatio prorsus est repudianda, qua conditionem supplet hoc pacto; Deus operatur in vobis velle, si velitis. Stultè enim & ridiculè quippiam exigitur vt conditio sui ipsius: velut si dicas, Deus facit me viuere, si viuam. Eiusdem generis est quod quidam sic interpretati sunt apostolum: Deus quantum in ipso est, operatur in vobis, vt velitis & operemini. Nam & hunc sensum à memorato Vitali redditum, Augustinus reprehendit: ac meritò. Non enim operatio gratiæ Dei ab humana voluntatis assensu depèdet; sed eū facit, cum sit per se efficax. His igitur expositionibus reiectis atque damnatis; sensum apostoli verum & Catholicum esse dicimus eum què ipsa verba liquidò præ se ferunt, quemquæ Augustinus, Thomas aliq; patres tam Græci quam Latini suis in scriptis & cõmentarijs expresserunt; scilicet, *Deum in hominibus efficaciter per gratiam suam operari hoc quod est velle bonum saluare*, & hoc quod est id ipsum exsequi, Dico, *efficaciter*; tum quia omnis operatio Dei efficax est, tum quia postulat hoc Græcum apostoli participium, ὁ ἐπεργάζων, id est, efficaciter agens. Vnde manifestus est hic locus & irrefragabilis contra Pelagianos, pro efficaci gratiæ Dei; quemadmodum id quod præcedit, *salutem vestram operamini*, palam facit contra Lutheranos pro libero hominis arbitrio. Vnde B. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 13 citatis huius loci verbis: *Nos ergo volumus*, inquit; *sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur; sed Deus in nobis operatur & operari*. Ex dictis patet quid sentiendum sit de horum verborum apostolicorum interpretamento; quod quidam neotericus pro nouitia quorundam doctrina strenuè laborans, ijs audacter affingit; sic inquit, *Deus operatur velle & perficere*, per sanctas inspirationes, illuminationes, affectiones, ostendendo bonum, ad illud alliciendo & trahendo, absque tamen vlla impressione quæ voluntatem prædeterminet. Less. de auxilijs, c. 4. Queritur autem quomodo per hæc verba confirmet apostolus exhortationem præcedentem; Non enim consequens videtur, si Deus in nobis operatur velle & perficere, nos debere cum metu & timore salutem nostram operari; sed magis cum securitate & absque metu; cum Deum operantem nulla vis impedire possit. Respondeo, secundum Chrysostomum & eius sequaces consequentiã sermone esse talem; Ne terreamini quia dixi, *cum metu & timore*: Deus enim vobis in omni bona actione adiu-

tor est, operans in vobis & velle & perficere. Alij sic connectunt: Dum id facitis quod moneo; id est, dum salutem vestram sollicitè operamini; ne propter hoc vobis placeatis: Dei enim donum est operatis in vobis & velle & perficere. Quod si consulamus locum psalmi, ad quem diximus apostolum parte præcedenti respexisse; occurret alia ratio consequentiæ: Cum enim dixisset psalmista, *Servite Domino in timore &c.* subiunxit, *Nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, scilicet Domini gratiam subtrahente. Sic ergo Paulus, Hortor, inquit, vt cum metu & timore vestram salutem operemini; quia nec velle nec operari consistit in vestris viribus, sed Deus est qui per suam gratiam vtrumque in vobis operatur. Ideo vobis est timendum ne gratiam siue operationem hanc suam subtrahat. Hęc Caietani connexio est, eademque valde probabilis. Nam cum metu & sollicitudine versari solemus in eo quod ab aliena gratia dependet, ne fortè eam socordia vel ingratitude nostra amittamus. Et quidem hoc pacto causalem istam apostoli explicat Augustinus multis locis, vt concione 4 enarrationis in psalmum 103, & rursum in enarratione psalmi 142 & 149, & sermone 94 de tempore. Itemque lib. de natura & gratia cap. 27, & epistola 208. Nec non Leo pontifex serm. 8 de epiphania Domini. Leonis hæc sunt verba: *Dicente discipulis Domino, sine nihil potestis facere; dubium non est, hominem bonam agentem à Deo habere & effectum operis; & initium voluntatis. Vnde & apostolus copiosissimus fidelium cohortator; Cum timore, inquit, & timore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari, pro voluntate. Et hæc sancti causa est: tremendi atque metuendi, ne ipsi operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ; & remaneant in infirmitate natura. Sic ille. Restat extrema particula, *pro bona voluntate*, quam nonnulli intelligunt voluntatem hominis, quasi sensus sit, Deus operatur in vobis velle & perficere, pro bona vestra voluntate, id est, prout viderit bonum animi vestri propositum, bonamque voluntatem. Hoc sensu videtur Erasmus, quando vertit, *pro bono animi proposito*. Nam & in paraphrasi bonam voluntatem exponit ipsorum Philippensium. Verum multo rectius ac germanius, iuxta patrum tam Græcorum quam Latinorum interpretationem, intelligas *bonam voluntatem Dei*, id est, diuinum beneplacitum & propositum, vt alibi vocatur; secundum quod Deus elegisse nos dicitur, quodque Græcè vocatur ἐυδοκία. Nam secundum idem propositum, id est, bonam voluntatem suam, ipse in nobis omne bonum operatur. De hoc Dei proposito mentio est ad Ephes. i. semel & iterum. Et quidem vox Græca, licet interdum in scriptura de hominis voluntate dicatur, vt capite superiori, *Quidam autem & propter bonam voluntatem Christum predicant*: plerumque tamen*

tamen, & ferè semper, ad Dei voluntatem refertur in psalmis & alibi; adeo ut Hieronymus scribens in epistolam ad Ephes. testetur eam dictionem à Lxx fuisse primum excogitatam, ad Dei beneplacitum significandum. Sensus igitur est, Deum, non propter vllum meritum nostrum, sed pro suo beneplacito & gratuita voluntate bona erga nos, operari in nobis velle & perficere: ne quis gratiam hanc operantis Dei sibi ex meritis suis prouenire existimet. Græci paulò aliter hanc partem exponunt, moti præpositione *ὕπερ*, quæ genituo iuncta, fini seu intentioni seruire solet. velut Io. 11 *Infirmus hac non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Faciunt igitur hunc sensum: Ut compleatur in vobis beneplacitum ac bona voluntas ipsius. At, meo iudicio, rectius poterit, etiam præpositionis retenta proprietate, sic intelligi; *Pro bona voluntate sua erga nos declaranda.* ut simile sit ei quod apud Ioannem dixit Saluator, *pro gloria Dei.* Atque hic sensus nihilo minus quam sensus Latinorum, excludit meritum nostrum respectu gratiæ.

14 OMNIA AVTEM FACITE SINE MVRMURATIONIBVS ET HÆSITATIONIBVS. Prosequitur exhortationem qua dixerat: *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam.* Eodem enim hæc pertinent. Pro *hæsitationibus* Græcè est *διαλογισμῶν*, id est, *disceptationibus.* Sic enim eam vocem interpret vertit, 1 Tim. 2 *Sine ira & disceptatione.* Hortatur ergo Philippenses, ut quæ agenda sunt agant, nec obmurmurando superioribus, nec disceptando de ijs quæ præcipiuntur.

15 VT SITIS SINE QUERELA. Græcè *ὡς ἄνθρωποι ἄκατοι*, pro quo Ambrosianus, *irreprehensibiles*, id est, tales de quibus nemo possit conqueri.

ET SIMPLICES, id est, integri, sinceri, innoxij. Eadem vox Græca est apud Matth. 10 *Estote simplices sicut columba.*

FILII DEI SINE REPREHENSIONE. Græcè *ἁγιοὶ ἄκατοι*, pro quo Ambrosianus *immaculati.* Hæc pars commate distinguenda est à præcedenti, ac separatim legenda; secus quam multi Latini faciunt, continuè legentes hoc modo, *& simplices filij Dei,* cum in Græco genus diuersum omnino postulet eam quam dixi distinctionem. Pro qua etiam facit Ambrosiana lectio, quæ similitudinis aduerbium interponit, hoc modo: *Sicut filij Dei immaculati.* Quæ quidem additio etiam in Pelagij textu legitur, & apostoli sententiam illustrat; quasi dicat, ut sitis sine querela & simplices, quemadmodum decet veros Dei filios, id est, ex Dei imitatione vitam ducentes inculpata, & in quos non cadat reprehensio. Ita enim fiet ut in vobis tanquam filijs glorificetur pater vester cælestis.

IN MEDIO NATIONIS PRÆ

ET PERVERSÆ. Græcè *ἐν μέσσοις γενεῶν ἐκτροχιασμένη* (sive ut Augustinus legit in psalmum 146 *tortuosa & perversa sive distorta.* Nam in Græco participium est. Hebraicum idioma *ἐν μέσσοις*, &c, Latinus sermo sic explicat, Inter homines prauos atque peruersos. Referenda est hæc pars ad illud, *ὡς ἄνθρωποι* &c. Sentit enim apostolus, eò magis Philippenses integros & inculpato in sua conuersatione esse debere, quòd agerent inter malos, qui pro animi sui prauitate etiam bene facta criminarentur.

16 INTER QVOS LVCETIS SIVT LVMINARIA IN MVNDO. Pro *lucetis*, verti etiam potest, *lucete*, quomodo Cyprianus legit in epistola ad Rogatianum presbyterum, necnon Pelagius in suo commentario. Atque eo modo vertit Erasmus. Quin & Theophylactus proficitur imperatium sibi magis placere. Verùm nihil incommodi habet nostra lectio: Nam apostolus ex eo ipso quod Philippenses per fidem & bonam conuersationem lucebant inter infideles, sicut luminaria cælestia lucent in mundo; materiam accipit exhortationis, ne quid agant reprehensione dignum, quo splendorem suum obscurent. Ex hoc loco & alijs similibus, intelligitur quomodo vera sanctitas rectè numeretur inter notas Ecclesiæ nimirum quatenus per bona & sancta opera, quasi splendore ac lumine suo, foras se prodat, & conspiciendam præbet oculis hominum etiam infidelium, ut dicere cogantur, *quod verè Deus est in nobis.* 1 Cor. 14. Ita Christus in euangelio: *Sic, inquit, luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Matth. 5.

16 VERBUM VITÆ CONTINENTES. Id est, lumen viuificæ fidei vobis prædicatæ, in vobis habentes, conseruantes ac retinentes. Non enim placet quod Erasmus vertit, *sustinentes*, id est, sursum tenentes. Nam Græcum verbum significat quidem aliquando sustinere, sed acceptum pro eo quod est morari, aut moram facere. Quæ significatio præsentis loco non quadrat. Notandum est autem participium *continentes*, posse etiam referri ad luminaria, quæ Græcè masculino genere *φωστῆρες* dicuntur. & ita sensus erit: Inter quos lucetis tanquam luminaria quædam mundi, continentia lumen fidei. Hoc sensu, aduerbium *sicut* non similitudinem, sed rei veritatem designat; quemadmodum supra, *habitu inuentus ut homo.* Quanquam prior constructio omnium fere interpretum est.

AD GLORIAM MEAM IN DIE CHRISTI. Græcè *ἐν δόξῃ μου ἐν ἡμέρῃ τοῦ Χριστοῦ.* Ambrosianus quoque, *in diem Christi.*

QVIA NON IN VACVVM CVCVRRI

NEQVE

NEQVE IN VACVVM LABORAVI. Sensus apostoli est: adeo ut gloriari de vobis possim in illud tempus quo ad iudicium venturus est Christus, me non frustra aut in vanum cum tanta diligentia laborasse in prædicando vobis euangelio; utpote qui per meam prædicationem egregiè profeceritis ac lumina quædam mundi facti sitis.

17 SED ET SI IMMOLOR SVPRÆ SACRIFICIVM ET OBSERVIVM FIDEI VESTRÆ. Græcè, *super sacrificio & ministerio fidei vestræ.* Nam & Ambrosianus *ministerium* legit, & ita ut dixi, vertit Theophylacti interpret. Significatur autem ministerium sacrum, quale est sacrificantis; Græcè *λεητοργία*; quam tamen Latini patres non infrequenter obsequium vocant: Vnde illud in Missa: *Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitutis mee.*

GAUDEO ET CONGRATVOR OMNIBVS VOBIS. Græcè *Gaudeo & congaudeo*; tamen si congaudere non aliud est quam congratulari. In exponendo hoc loco, opus est subtili intelligentia: inducit enim apostolus duo sacrificia, non quidem vnum à se offerendum, & alterum à Philippensibus, ut vult Caietanus, qui locum apostoli magis obscurat quam explicat: sed vnum quidem sui ipsius, tanquam offerentis; Philippensium autem, tanquam oblatorum, quoniam nimirum ipse Deo ministras offerebat fidem Philippensium, sive Philippenses ipsos in Christum credentes. Alterum verò, quo ipse insuper immolandus esset per mortem, instar sacrificij cuiusdam Deo grati. Sic intelligant Theophylactus & Oecumenius, itemque Anselmus & Thomas. Ac sanè compellit nos ad hunc intellectum similis eiusdem apostoli locus Rom. 15, ubi sic loquitur, *Ut sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu sancto.* Hic enim ministrum, Græcè *λεητοργόν*, se vocat, illius oblationis qua gentes à se conuersas ad fidem, Christo offerebat. Est igitur huius loci sensus: Quin etiam si me contingat immolari Deo per mortem à persecutore pro Christo inferendam, posteaquam vos ac fidem vestram, velut hostiam, Deo ministrans atque sacrificans, prius obtulerò; non id me contristat, sed magis gaudeo spe tanti boni mei. *cupio enim dissolui, & esse cum Christo*, eique offerri in sacrificium; & vobis congaudeo qui & ipsi per fidem effici mini sacrificium Deo acceptum.

18 IDIVM AVTEM ET VOS GAUDETE ET CONGRATVAMINI MIHI. Græcè *congaudete mihi.* Sensus: Volo autem, ut & vos vicissim ob id ipsum quod dixi, gaudeatis, mihi que congratulemini: gaudeatis, inquam, de bono vestro quod iam habetis; mihi verò congaudeatis, de bono meo quod expecto. Verba sunt consolantis eos, ne de ipsius morte, si contingat, tristantur, sed potius gaudeant. Quod autem Erasmus vertit, *gau-*

deis & congaudeis, indicatiuo modo; quamuis id Græca permittant, non tamen sensum habet huic loco congruentem. Vnde & in paraphrasi ab eo recedit, communem sequens interpretationem.

19 SPERO AVTEM IN DOMINO IESV, TIMOTHEVM ME CITO MITTERE AD VOS. Hoc quoque ad consolandos Philippenses pertinet. Spero, inquit, per Dominum Iesum me breui missurum ad vos Timotheum; ob id nimirum ut rerum nostrarum ac profectus euangelici certiores vos faciat. Quod vti que cedit ad gaudium & consolationem vestram.

VT ET EGO BONO ANIMO SIM, COGNITIS QVÆ CIRCA VOS SVNT. Rursus bonum suum coniungit bono Philippensium. q. d. Sicut misso ad vos Timotheo cognoscetis res nostras; ita vicissim ego vestrarum rerum statum, ex eo ad me reuerfo cognoscam; & ijs cognitis exhilarabor eroque animo fidentiore in aduersis quæ patior. Priorem causam mittendi Timothei, quod per se manifesta esset, subicit apostolus, solam posteriorem contentus exposuisse. Supponit autem Timotheum bona ac læta de Philippensibus renunciatum; utpote ex animo sollicitum quo res Philippensium bene se habeant. Vnde sequitur;

20 NEMINEM ENIM HABEO TAM VNANIMEM. Vocula *tam* in Græco non additur, nec eam legit Augustinus locum hunc citans lib. 2 contra literas Petilian cap. 76. Quod autem interpret dixit *unanimum*, Græcè est *ἰσὺλον*; id est, eum qui æqualis sit animi. Qua voce aut is significatur qui idem cum alio sentit eademque vult; ut sit veræ & perfectæ amicitie notio, (erat enim Timotheus Paulo amicissimus): aut potius, qui pari animo quippiam agit. ut sensus sit; Neminem alium habeo qui pari mecum animo & studio curet ea quæ sunt Iesu Christi. Huic sensui Græcorum commentarij respondent.

QVI SINCERA AFFECTIONE PRO VOBIS SOLICITVS SIT. Græcè, *Qui germanè ea quæ circa vos sunt,* id est, res vestras, *curabit.* Nam & Augustinus *germanè* legit in epistola 137. Quanquam interpret vnā vocem in duas resoluens bene sententiam reddidit. Conuenit hic locus cum eo quod apostolus eundem Timotheum in prima epistola ad eum scripta capit. 1 secundum Græcam lectionem *germanum filium* vocat. Quæ quidem Timothei magna laus est. Porro quoniam in Græco futurum est indicatiui modi, *curabit*, quod cum verbis proximè præcedentibus durius cohæret, adeo ut interpretes omnes subiunctiuum vertant; videri potest hæc pars annectenda illi superiori, *Spero autem*, &c, hoc modo: Spero me Timotheum citò missurum ad vos; qui cum venerit, sincerè ea quæ ad vos pertinent curabit:

H

vt verba

ut verba quæ intercedunt, paræthesi claudantur. Huiusmodi enim hyperbata Paulo non sunt infrequentia.

21 OMNES ENIM QUÆ SVA SVNT QUÆRVNT, NON QUÆ SVNT IESV CHRISTI. Codex Laudensis minore incommodo, & propius Græco, ita legit; *Omnes enim sua quarunt, non quæ sunt Iesu Christi*. Dat rationē cur dixerit, *Qui sincera affectione* &c. simulque declarat in quo sinceritas illa, quam in Timotheo commendat, sita sit; videlicet in eo, non sua querere, sed quæ Iesu Christi. Quarunt autem sua, non quæ Iesu Christi; qui priuata commoda præponunt gloriæ Christi, etiam in eo quod Christi negocium agere videntur. Nam de Christianis, & euangelij ministris, apostolo scimō est. Putat Caietanus non esse mortale peccatum genere suo, id quod hic apostolus reprehendit; sed esse studium imperfectorum, id est, eorum qui non student, ut ait, ad quærendum augmenta meritorum in alijs, sed satis habent manere in proprijs. Theophylactus autem post Chrysostomum, ad eos refert, qui securitatem & quietem suam nimium amantes, refugiunt pericula & molestias subire pro Christo. Quod etsi magis accedat ad mentem Pauli; verisimile tamen est sensum eius generaliore esse, quomodo nos exposuimus Aquinate suffragante; ut pateat etiam ad eos qui vel lucrum vel gloriam, vel aliud quoduis suum commodum quærunt, ac plus æquo ad hæc intenti sunt. Sic enim alibi generaliter apostolus vitur hac phrasi, *querere quæ sua sunt*, I Cor. 10 & 13, & superius in hoc ipso capite. Verum siue mortale sit huiusmodi peccatum, siue veniale, (quod quidem in vnoquoque actu, ex subiecta materia & circumstantijs dijudicandum erit) non sentit apostolus omnes qui tunc erant, fideles aut euangelij ministros, vno Timotheo excepto tales esse. Non enim Epaphroditus, quem in consequentibus admodum collaudat; & illi quos superiori capite dixit ex charitate & bona voluntate Christum prædicare, ponendi erant in eorum numero qui sua quærerent non quæ Iesu Christi. Sed *omnes*, dixit, pro eo quod Latine dicimus, plerique omnes, id est, plurimi, valde multi. Quam signi vniuersalis acceptionem scripturis vitarant esse docent Hieronymus in commentario epistolæ ad Ephesios 1 sub finem; & Augustinus lib. de vnitæ ecclesiæ cap. 12.

22 EXPERIMENTVM AVTEM EIVS COGNOSCITE. Id est, experimento discite, probate qualis sit cum apud vos erit, & videbitis me non vanè eum commédasse. Potest etiam verti, *cognoscitis*, indicatio modo. Atque hoc Erasmus & Valla magis probant: Consonat & textus Ambrosianus, qui sic habet, *probationem autē eius nostris*. Græci quoque in eam sententiam interpretantur. Ac sanè magis congruit ea lectio cum verbis sequentibus,

QUIA SICVT PATRI FILIVS; MECVM SERVAVIT IN EVANGELIO. Græcè in euangelium, consonantibus nonnullis mss. Latinis. Et quod nos habemus, *sicut patri filius*, verti commodius ex Græco potuit, *sicut cum patre filius*, astipulante etiam Ambrosiano. Sensus igitur est: Vos ipsi experimento didicistis ac meminisse potestis, quomodo is, scilicet Timotheus, vna mecum, velut filius cum patre, seruauerit ac totum se contulerit ad euangelij negocium promouendum. Nam Timotheum Paulo socium fuisse in prædicando Philippenlibus euangelio Christi, satis ex historia Act. 16 colligitur. Qua ratione etiam Timothei nomen in fronte huius epistolæ sibi adiunxit apostolus.

23 HUNC IGITVR SPERO ME MITTERE AD VOS. Græca non addunt, *ad vos*, neque textus Ambrosianus agnoscit; tamen additum sensum adiuvat.

MOX VT VIDERO QUÆ CIRCA ME SVNT. Particula, *mox*, vltimo loco habetur in Græco: sed tamen referendam esse ad verbum *mittendi*, monstrant etiam Græcorum commentarij; ut sensus sit: Hunc igitur spero me ad vos missurum, statim vt videro qualem sint exitum habituræ res meæ, negocia mea, vincula mea. Nonnulli sic exponunt, *Mox vt prouidero seu constituerō de rebus meis*. Atqui magis placet prior interpretatio; quæ etiam Græcorum est: Neque enim apostolo qui in vinculis tenebatur, integrum erat de rebus suis externis disponere.

24 CONFIDO AVTEM IN DOMINO, QUONIAM ET IPSE VENIAM AD VOS CITO. Rufus interpres de suo addidit, *ad vos*. Hic quæri possit, an hoc quod apostolus dicit, *Confido me ipsum quoque breui vëturum ad vos; impletū fuerit*. Sed de ea questione quid nobis probabilius videatur, diximus ad illud capitis superioris, *Et hoc confidēs scio quia manebō*, &c. scilicet implerem non fuisse.

25 NECESSARIVM AVTEM EXISTIMAVI; scilicet ad consolationem vestram, interdum Timothei ad vos profectio differtur.

EPAPHRODITVM FRATREM ET COOPERATOREM ET COMMILITONEM MEVM, VESTRVM AVTEM APOSTOLVM, ET MINISTRVM NECESSITATIS MEÆ, MITTERE AD VOS. Id est, præmittere ante Timothei aduentū. Multis epithetis Epaphroditum honorat, ex quibus eius erga Philippenses & ipsum Paulum laudabilis affectus & studium, cōprobatur. *Fraterem* vocat, tanquam fraterna charitate, ob ipsius merita, à se dilectū; aut certè *fratrem*, id est, socium operis euangelici. Quod euidentius significatur vocabulo sequenti, *cooperatore*, quem Erasmus collegam vertit. Porro metaphoricè *commilitonem* vocat, ob eandem causam; simul vt significet opus euangelicæ prædicationis in quo versabatur, plenu esse periculis; quorum particeps fuerat Epaphroditus; quæadmodum infra declarat. Dicit autem, *vestrum apostolum*, nō quod primus

apud

apud Philippenfes iecisset fundamenta fidei Christianæ; quod propriè apostolorum est; Id enim Paulum & Silam apud eos fecisse testatur Actorum historia; sed, secundum aliquos, apostolum eorum vocat honoris causâ, significatione nominis extensa, quod apostolis fidem apud illos fundantibus aliqua ex parte collaborasset. Aut secundum alios, eo quod episcopus esset Philippensium, atque eos qui initio huius epistolæ vocantur episcopi, hoc est, presbyteros, sibi subiectos haberet. Ita namque sentit Theodoretus, suamque sententiam pluribus exponit ad initium epistolæ. Nec ab eo Thomas dissentit. Alij verò, Philippensium *apostolum*, id est, legatum dicunt, quod ab eorum ecclesiâ missus esset ad Paulum, pecuniam subsidij nomine ad eum perlaturus. Siquidem apostoli nomen communicebatur etiam illis qui ab ecclesijs, ob publica negocia, velut legati quoquam mittebantur; vt ad collectas deferendas, aut quid simile Vnde est illud 2 Cor. 8, *Apostoli ecclesiarum, gloria Christi*. Hæc interpretatio est apud Theophylactum, Oecumeniū & Caietanum, conuenitque cum ea id quod sequitur, *Et ministrum necessitatis meæ*, id est, per quem publico nomine mihi necessaria subministratis. Nam Græca voce *λετῆρῶν*, significari publici muneris exsecutorē, Chrysostomus & Theodoretus annotarunt.

26 QUONIAM QUIDEM OMNES VOS DESIDERABAT, Id est, vestri reuivendi desiderio tenebatur.

ET MOESTVS ERAT. Græcum verbum significat grauem animi mœrorem, vt cum quis penè exanimatur ac præ dolore deficit. Ambrosianus legit, *Impatienter, sollicitus erat*,

27 PROPTEREA QUOD AVDIERATIS ILLVM INFIRMATVM. Ex Græcis apparet hanc partem ad duo membra præcedentia referendam esse, vt sensus sit: Epaphroditum idcirco mœstum fuisse, ac reditum suum ad Philippenfes maturare voluisse, quod non dubitaret eos, intellecta sua infirmitate, vehementer fuisse contristatos. His verbis tacitè commendat insignem Epaphroditum erga Philippenfes suos amorem; utpote ex quo tam mœstitudo quàm desiderium hoc proficiscebatur.

28 NAM ET INFIRMATVS EST VSQVE AD MORTEM: Id est, ita vt esset morti vicinus. Id quod expressius Græca significat, quæ habet, *prope mortem*; sicut & Ambrosianus legit.

SED DEVS MISERATVS EST EIVS; scilicet eripiens eum periculo, & sanitati restituens. Quod quidem beneficium *miserericordiam* vocatur, quatenus est misericordie cuiusdam temotio.

29 NON SOLVM AVTEM EIVS, VERVM ETIAM ET MEI, NE TRISTICIAM SVPER TRISTICIAM HABEREM. Id est, ne dolorem quem patiebar ob infirmitatem eius, exciperet nouus dolor, idemque acerbior, ex eius

morte. Non enim significat vtrâque tristitiam simul futuram, sed grauiorem successuram leuiori. Hæc Græcorum expositio est. Latini verò ad hunc ferè modum interpretantur: Ne carceri ac cæteris aduersis quæ patior, etiam hoc malum, scilicet mors tanti viri, mihi ad augmentum tristitiæ, accederet. Tristabatur enim apostolus de huiusmodi malis naturaliter, ac moderatè secundum rectam rationem; quomodo & Christum Dominum instante passione contristarum legimus. Nec huic tristitiæ gaudium repugnat; cum possit quis de eadem re, secundum diuersas rationes, simul gaudere & contristari. Hic quæret aliquis, cur apostolus per gratiam curationum, quæ præter alia Spiritus sancti charismata, dotatus erat; quique etiam mortuos suscitare poterat, Epaphroditum à morbo non liberauerit. Respondeo cum Ambrosiano, quia sciebat illud donum sibi concessum, non sui vel Epaphroditum causa; vt nec Timothei, cui medicum consilium aduersus infirmitatē stomachi suggestit; sed ad vtilitatem publicā ecclesiæ, præsertim propter infidelēs conuertēdos. Sed nec vtebantur, nec vti poterant eo dono apostoli, cæteri que fideles, nisi quando sentiebant instinctum aliquem diuinum ad vitandum; præterquam eo tempore, quo à Christo mitrebat̄ur ad prædicandum, cum expresso præcepto sanandi infirmos quoscunque sibi oblatos. Tunc enim illud Christi præceptum erat loco diuini instinctus. Item, non sanabant domesticos; ne suspicio infidelibus oriretur tem ex composito agi: sed ab alijs oblatos, externos & ignotos; ne qua suspicione obscuraretur diuinum miraculum. Veruntamen quod ad Epaphroditum attinet; omnino existimandum est precibus apostoli pro ipso orantis, fuisse liberatum periculo ac sanitati redditum.

28 FESTINANTIVS ERGO MISI ILLVM, VT VISO EO ITERVM GAUDEATIS. *Festinantijs*, Græcè *σπερδαμοπερος, studiosus*; apud Ambrosianum, *sollicitus*. Sed hoc ipsum Græci interpretes exponunt, sine mora, & cum omni festinatione.

ET EGO SINE TRISTICIA SIM. In Græco comparatiuus est *ἀλυπτός*, qui Latine vno vocabulo reddi non potest. Ambrosianus legit, *Et ego meliore animo sim*. Recentiores ita vertunt, *Et ego minus habeam tristitiæ*; vel, magis vacem mœrore seu dolore. Significat apostolus sibi molestū fuisse, quod aberat ab eis Epaphroditus, atque hac parte doloris se leuadum per eius reditum. Annotant Græci, apostolū non absolute dixisse sine tristitia, sed vsū comparatiuo; vt innueret animum suū nunquam prorsus esse mœrore vacuum. Vnde dicebat Ro. 9, *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo*.

29 EXCIPITE ITAQVE ILLVM CVM OMNI GAUDIO, IN DOMINO. Illud, *in Domino*, referendum ad verbum, *excipite*; vt sit sensus: Excipite illum affectu Christiano, idque magno cum gaudio. Patet hoc ex ordine verborum

in Græco, *Excipite igitur eum in Domino cum omni gaudio*. Atque ita legit etiam Ambrosianus.

ET EIVSMODI CVM HONORE HABETOTE. Græcè, *Et tales honorabiles habete*. Id est, Nō eum solum, sed & alios ei similes, habete in precio, ac debito honore afficite, etiam in suppediandis stipendijs; iuxta illud 1 Timot 5, *Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur*.

30 QVONIAM PROPTER OPVS CHRISTI VSQVE AD MORTEM ACCESSIT. *Opus Christi* vocat opus factum pro Christi nomine, & ad promouendum eius euangelium. Secundum Græcos sensus est: *Quia dum mihi ministrat propter Christum in vincula coniecto, & (vt alibi se vocat) vincō Christi Iesu; periculo mortis se exposuit*. Etenim periculosum erat familiariter accedere & secretius colloqui cū eo cui Nero imperator infensus erat. Caietanus & alij nonnulli referunt ad illud quod superius dixerat, Epaphroditum infirmatum fuisse vsque ad mortem; vt sensus sit: Tam diligens fuit circa meum ministerium, vt suam valetudinem neglexerit, eoque in grauem infirmitatem inciderit.

TRADENS ANIMAM SVAM. Græcè, *Malè, consulens animam*, id est, non habita ratione vitæ; vitam suam negligens. Id quod propius expressit textus Ambrosianus, qui habet, *tradens in interitum animam suam*. Hæc pars ad virtutem sensum supradictum accommodari potest.

VT IMPLERET ID QVOD EX VOBIS DEERAT ERGA MEVM OBSERVIVM. Hoc est, vt quoniam vos longè abestis, & proinde mihi apostolo vestro non potestis sicut cuperetis obsequiū seu ministerium præsentis exhibere; ipse legatus vester hūc defectū suppleret, mihi pro vobis ministrans. Hic rursus, pro obsequio, Græcè est *εὐσχημία*. Qua voce significari ministeriū publico nomine debitum, docet Græcorū cōmentarij; eoq; Paulum vsum fuisse, vt Philippenses reuocaret à fastu & animi tumore; ac ne sibi placerent, velut qui magnum aliquid & indebitum Paulo præstitissent.

SVMMARIVM.

O Stendit se gloriari quidem posse in carne; sed qua fuerant ei lucra, propter Christum arbitrari detrimenta, vt assequatur iusticiam qua ex fide est. Hortatur ad perfectionem & sui imitationē. Deinde in Iudaizantes acriter inuehitur, vt ab eorum doctrina vigilantius sibi caueant Philippenses.

CAPVT III.

TOTO fermè hoc capite agit apostolus aduersus falsos magistros, grauerque in eos inuehitur, ac diligentissimè Philippenses admonet vt ab eorū doctrina sibi caueant. Sed quæritur qui-

nam ij sint. Nam ab apostolo non videntur perspicuè designari. Recens quidam scriptor indubitatò affirmat illos significari hereticos, qui Christum verè crucifixum esse negabant, dicentes imaginem solum eius, ea visam esse pati, quæ à Iudæis inferebantur; Christum verò se subtraxisse. Cuius quidem hæresis authorem fuisse Simonem magum, Irenæus & Epiphanius prædiderunt. Id verò probat ex eo quòd eos Paulus infra vocat *inimicos crucis Christi*, id est, vt ille interpretatur, veritatem crucifixionis ac mortis Christi negantes, & in figmentum conuertentes. At qui omnium huius loci interpretum tam veterum quàm recentiorum sententia est, apostolum hūc agere contra Iudæos pseudopostolos, qui legem Mosaicam Christianis seruandam esse docebant; quæ Iudaizantium hæresis est. Aduersus quos & in epistolis ad Roman. ad Galat. ad Hebr. & alibi, stylum dirigit. In hos enim ea competunt; quæ hūc aduersarijs tribuit apostolus; scilicet in carne, & circumcissione, & in claritate generis gloriari; & eam quæ ex lege est iusticiam statuere. Quocirca ijdem, et si non verbis, re ipsa tamen & doctrine consequentia, monstrabant, se inimicos crucis Christi: quia *si ex lege iusticia*, quemadmodum illi docebant; Ergo *gratis Christus mortuus est, & euacuatum est scandalum crucis*. Galat. 2 & 5. Simonianos autem intelligi non posse vel ex eo liquet, quòd in ipsum Simonem minimè cadant ea quæ diximus. Nam Simon non Iudæus erat, sed Samaritanus, id est, genere profus ignobilis, & à prosapia patriarcharum alienus, atque ex eo populo qui Iudæis adèò despectui erat, vt cum eo nec communicandum dicerent, Ioan. 4. & probri loco nomen Samaritani Christo obijcerent, Ioan. 8. At nec de Simone legitur quòd iusticiam ex lege quesierit: quin potius de eo scribit Irenæus libr. 1 capit. 20, & Theodoretus libr. 1 fab hæ. cap. 2, quòd docuerit homines per gratiam saluari sine bonis operibus. Porro valde congruit quòd de gloria generis hūc dicitur, cum loco 2 Cor. 11, vbi commemorat pseudopostolos iactantes quòd Hebræi essent, quòd Israëlita, quòd semen Abraham. Constat ergo non de Simonianis, sed de Iudæis, ijdemque Iudaizantibus; de quibus alibi toties, etiam hūc apostolum agere, atque aduersus eorum perniciosam doctrinam Philippenses instruere ac præmunire.

DE CÆTERO, FRATRES MEI, GAUDETE IN DOMINO. Consolatione concludit superiora, vt ad nouum transeat argumentum. Quòd reliquum est, inquit, fratres mei, volo vos abiecto mœtore, quem siue ex vinculis meis, siue ex periculo Epaphroditum, siue ex afflictionibus vestris concepistis; gaudere in Domino Christo, id est, eo gaudio quòd & quale Christianos decet.

EADEM

EADEM VOBIS SCRIBERE, MIHI QUIDEM NON PIGRVM, VOBIS AVTEM NECESSARIVM. Græcè non est *necessarium*, sed *ἀσφαλές*, id est, *tutum*, siue *securum*. Sensus est: Ea vobis scribere quæ præsens dixi & inculcaui; vel, eadem scribere vobis quæ scripsi alijs, vt Romanis, Galatis; me sanè non piger: imò quo magis sitis extra periculum, omnino mihi faciendum cenfeo.

2 VIDETE CANES. Iudæi præ contemptu gentiles canes vocabant. Vnde Dominus Matth. 15 ex opinione Iudæorum sic loquitur. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Meritò igitur apostolus vicissim Iudæos, tametsi diuersa ratione, canes appellat, iuxta illud eiusdem Saluatoris Matth. 7, *Nolite sanctum dare canibus*. *Canes* erant Iudæi, quia verbo Dei à veris apostolis prædicato, passim ablatrabant; & prædicatores eius mordebant, lacerabant & persequebantur ad mortem. Item *canes* erant Iudaizantes isti, id est, homines impudentes & improbi, qui ventris causa apud omnes sese ingerebant; & Moysen suum omnibus venditabant; *mare & aridam circumuehentes, vt facerent vnum profelytum*, Matth. 23. Vtramque rationem tradunt Græci interpretes. *Videte* autem, id est, caute. Nam & in euangelio sic aliquoties accipitur videre. Et Ambrosius libro ad virginem deuotam ita legit hunc locum; *Vitæ canes, &c.*

VIDETE MALOS OPERARIOS. Quos eodem 2 Cor. 11 vocat *operarios subdolos*. Erant ergo mali operarij; tum quia in opere suo non Christi Domini, sed suam spectabant utilitatem, utpote ventri suo non Christo seruietes, sicut dicitur Rom. 16. de quibus & infra, *quorum Deus venter est*: tum maxime, quia videbantur quidem operari in prædicatione euangelij, propter quod & ministros Christi se iactabant, vt habetur in eodem ad Cor. loco; sed reuera Christi euangelium sua doctrina perueriebant, sicut de eis dicitur Gal. 1.

VIDETE CONCISIONEM. Iudæi vocabantur circumcisio, quemadmodum patet ex epistola ad Rom. 2, & alibi; atque eo nomine ipsi gloriabantur: Hic verò non dignatur eos apostolus nomine circumcissionis, tanquam ea appellatione indignos, sed per contemptum, quadam cum paronomasia, vocat eos *concisionem*. Circumciditur enim id à quo superfluum aliquid resecatur, conciditur autem quod in partes minutas scinditur. Et circumcisio quidem arte fit, ad rem purgandam & expoliendam: concisio verò, temerè & cum destructione rei. Erant igitur apostolo Iudaizantes illi, concisio; & non circumcisio: hoc est, concisi, & non circumcisi; quia circumcissionis necessitatem prædicantes, crucem Christi euacuabant, & per hoc non ad salutem, sed ad perniciem, eis sua circumcisio, velut concisio quædam, proficie-

bat. Vnde de eis infra dicitur, *Quorum finis interitus*.

3 NOS ENIM SVMVS CIRCVMCISIO. Sensus est: Illi iactant carnalem circumcissionem, nec agnoscunt eius vsum & significationem; nos autem sumus vera circumcisio, quatenus scilicet in nobis spiritualis significatio circumcissionis impletur. Sic idem apostolus Rom. 2, *Non qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est; & circumcisio cordis in spiritu, non litera*. Quòd autem dixit nos, deinceps explicat quorum in persona dixerit:

QVI SPIRITV SERVIMVS DEO. In Græco hic est ordo: *Qui spiritu Deo seruiamus*. Sed interpres verbum *seruiamus* in medio posuit, vt sensus quem intendit, esset magis obuius. Potest autem ex Græco verti; *Qui spiritu Deo seruiamus*, & ita legendum contendit Ambrosius lib. 2 de Spiritu sancto capit. 6, dicens Latinos codices partim variare, partim falsatos esse, non tamen exprimens eorum lectionis varietatem. Itaque significari vult hoc loco, Spiritum sanctum esse Deū, cui seruiendum sit, ea nimirum seruitute & cultu qui soli Deo debetur. Nam in Græco verbum est *λατρεύειν*, quòd & Matth. 4. *Et illi soli seruietis*. Et Rom. 1. *Seruietunt creatura potius quàm creatori*. Nec aliter ferè in scripturis vsurpatur, quàm ad designandum eum cultum quem sibi soli Deus vendicatur. Ambrosium ea in re sequitur Sedulius. Porro Græca quædam vt Complutensia cum paucis alijs; pro datiuo *θεῷ*, legunt genitiuum *θεοῦ*, *Dei*. Cuius etiam lectionis Faber & Erasmus in suis annotationibus meminerunt. Et Faber quidem vertendum putat, *spiritu Dei*: Quòd & Caietanus sequitur. Sed ea versio, quamuis huic quam diximus, Græcæ lectioni non repugnet; sensum tamen minus commodum exhibet. Vnde ex hac lectione potius vertendum esset, *Spiritu Dei seruiamus*: Quomodo legit Augustinus libro 1 de Trinitate capit. 6, & sermone 15 de verbis apostoli capit. 3, probans itidem ex hac scriptura Spiritum sanctum esse Deum, eadem ratione qua Ambrosius. Testatur idem Augustinus hanc Græcam lectionem haberi in pluribus, ac penè omnibus exemplaribus; ac viciosum existimat quòd in nonnullis, vt ait, Latinis, inuenitur, *spiritu Deo*. Quòd sanè mirum est; cum ex commentarijs Græcorum constet eos legisse *Deo*, non *Dei*; & datiuum *πνεύματι* sic accepisse, vt modum significet, quem Latini reddunt per ablatiuum *spiritu*, id est, spiritualiter; quemadmodum illi disertè exponunt. Quæritur autem de quo spiritu Paulus loquatur. Non dubium quin de Spiritu sancto si legamus, *spiritu Dei*, quòd vult Augustinus, aut *spiritu Deo*, quòd Ambrosius. At si cum vulgato interprete sententiam Græcorum

commentarijs, legamus, *spiritu Deo*; dubium esse potest. Sunt enim qui sic quoque Spiritum sanctum putent intelligi. Nam, ut patet ex sequentibus, spiritum carni opponit apostolus; Quod dum facit, Spiritum sanctum intelligere solet, sicut ostendimus ad illud Gal. 5, *Caro concupiscit aduersus spiritum*, &c. Sed & Ro. 2 commendans circumcisionem cordis quæ in spiritu est non litera, non alium intelligit spiritum, quam illum ipsum quem litera opponit 2 Cor. 3, ubi sine dubio de Spiritu sancto sermo est. Igitur iuxta horum sententiam spiritu seruire Deo, est Deum colere per gratiam Spiritus sancti. At verò Græci de spiritu hominis interpretantur, id est, de animo seu mente, quem interiori hominem alibi vocat, ut Rom. 7 & 2 Cor. 4, ut spiritu seruire Deo, sit ei seruire ex animo, & secundum hominem interiorem; id est, cultu interno: quod est spiritualiter seruire. Cui opponitur carne seruire Deo, id est, carnalem seu corporalem tantum exhibere Deo seruituræ, quæ est secundum hominem exteriorem & ea quæ foris aguntur; cuiusmodi erat cultus Iudaicus. Hæc Græcorum interpretatio mihi probabilior est. Non enim spiritus hic opponitur carni, prout caro accipitur pro concupiscentia carnali, sed ut substantiam significat, id est, corpus hominis, resque corporeas & externas. Nec dissimilis acceptio est vtriusque in illa Christi sententia: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*.

ET GLORIAMVR IN CHRISTO IESV, tanquam authore salutis nostræ. q. d. Omne bonum veræ virtutis ac pietatis, & quicquid est in quo Christianus, ut talis, rectè gloriatur, Christi meritis acceptum referimus: quia non est in quoquam alio salus. Act. 4.

ET NON IN CARNE FIDUCIAM HABENTES: In Græco quidem est participium *temerè confisi*, pro quo dixit interpret, *fiduciam habentes*; sed sicut duo præcedentia participia resoluerat per verba, *qui seruimus & gloriamur*, ita consequenter & istud resoluendum erat per verbum *confidimus*; aut *fiduciam habemus*, ut legit Ambrosianus. Nec obstat huius vocabuli præteritum tempus in Græco. Nam significationem habet præsentis. *In carne confidunt*, qui in rebus carnalibus sibi placent, tanquam per eas sint Deo commendatioris, ac cæteris hominibus meliores. Huiusmodi res erant quas deinde apostolus enumerat; ut esse circumcisum, Israelitam, Pharisæum; denique secundum iusticiam quæ in lege est, conuersatum esse sine querela. Nam & hoc adiunxit. Ex quo intelligitur non solum illa priora, sed & ipsam iusticiam quæ ex lege est, carnalem esse.

QUANQUAM EGO HABEAM CONFIDENTIAM ET IN CARNE. Ita legendum ex castigatione Romana, videlicet coniunctione & suo loco reddita: cum prius in multis legeretur, *Quoniam & ego habeam confidentiam in carne*. Sed vera lectio, ex antiquis mss. re-

stituta, non solum est in Græcis & Syris codicibus, verum etiam extat apud Ambrosianum & Primasium in commentarijs, & apud Augustinum sermone supra citato. Nec secus legit Aquinas, ut ex eius commentario colligitur. Sciendum præterea, loco verbi *habeam* Græcè legi participium *ἔχων, habens*, quod tamen addito verbo substantiuo, *sim habens*, idem valet. Igitur sensus est: Non ideo reijcio confidentiam quæ in carne est, quod mihi hæc in parte gloriandi materia desit; solent enim homines ea contemnere in alijs quæ ipsi accipiunt aut non habent. At ego, inquit, habeo quod in alijs contemno; ac possem si vellem, perinde ut illi, in carne gloriari & confidere: quo magis certè mihi ea contemnti credendum est. Ut si quis nobilis nobilitatem generis contemnendam doceat, ut rem vanam, facilius ei creditur. Obseruandum est in Græco apostolum non dicere, *Quoniam ego confidam & in carne*; sicut dixerat, *& non in carne confidimus*: esset enim in verbis repugnantia: Sed, mutato sermone, dicit *se habere confidentiam*, id est, confidentiæ materiam, qua posset æquè ut alij, vel etiam magis, in carne confidere; secundum id quod sequitur.

SI QVIS ALIUS VIDETVR CONFIDERE IN CARNE, EGO MAGIS. De Iudaizantibus loquitur. Et sensus est: Si quisquam eorum videtur merito confidere in carne, eo quod habeat huiusmodi fiduciæ materiam; ego vel maximè materiam huiusmodi confidentiæ habeo. Non enim supplendum est, *ego magis confido*; sed *ego magis* habeo confidentiam in carne; idque iuxta sensum supra dictum. Augustinus legit: *Si quis alius putat se habere fiduciam*; Nam & ita verti potest verbum Græcum *δοξεί*, sicque interdum vertit noster interpret, ut 2 Cor. 7, *Puto quod & ego spiritum Dei habeam*. Iacobi 1, *Si quis putat se religiosum esse*. Atque ea interpretatio bene congruit huic loco. Sed quæres quomodo dicat apostolus, *Ego magis*; cum essent vtique inter Iudæos quidam eo nobiliores secundum carnem; ut qui ex tribu Iuda, & ex genere regio, aut ex tribu aut ex genere sacerdotali. Responso est, apostolum id non dicere propter singula quæ mox enumerat, sed propter omnia simul. In illis enim, opinione Iudæorum, excellerebat zelus legis: qua in re Paulus cæteros superauerat. Item quæret aliquis, cum hic locus persimilis sit ei qui est 2 Cor. 11, ubi dicit apostolus, *Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor*. Et rursum, *In quo quis audeat, audeo & ego. Hebraei sunt, & ego, &c.* Cur ibi gloriatur secundum carnem; hic autem negat se in carne confidere. Respondeo, rationem esse, quia gloriari secundum carnem licitum est dum vrget iusta necessitas; ac confidere in carne, semper malum est. Id quod facile intelligitur ex vtriusque loci explicatione.

CIRCUMCISVS OCTAVO DIE. Supplenda dictio causalis, *utpote*, aut quid simile. Probat enim illud, *ego magis*. Græcè est, *Circum-*

cisio octauo diei. Quod ea phrasi dicit qua supra, *Nos enim sumus circumcisio*; & qua alibi, Iudæos circumcisionem, gentes autem præputium vocat. Ambrosianus & Augustinus in ablatiuo legunt, *circumcisio octauo diei*; quod fortassis interpretis qui ita vertit, pro recto casu, legerit datiuum in Græco. Nam vtriusque casus literæ sunt eadem. Addens autem apostolus, *octauo die*, significare voluit se non esse profelytum, id est, aduenam populi Dei; ut præter alios obseruauit Augustinus. Nam profelyti, ex gentilitate ad Iudaismum adducti, ætate adulta circumcidebantur. Sed ne saltem ex parentibus profelytis natus videretur, & ab ijs octauo die circumcisus; addit,

EX GENERE ISRAEL, scilicet oriundus æquè ut illi. Sic 2 Corinth. 11, *Israelita sum; & ego*. Malè Erasmus, & eum secuti Caietanus & Sasboldus, suspicantur *Israel* esse nominatiuum, tanquam sensus sit: *Genere Israel, id est, Israelita*; quomodo dixit se circumcisioem, id est, circumcisum: nusquam enim *Israel* pro vno quopiam Israelita ponitur, sed collectiuum nomen est, significans populum ex Israele genitum. Estigitur *Israel* genitiuus, sicut & *Beniamin*, in eo quod sequitur:

DE TRIBU BENIAMIN. In Græco subauditur ex præpositio ex parte præcedenti. De tribu Benjamin iam secundo se nuncupat: Prius enim id fecit in epistola ad Roman. 11. Quippe non parua gloria erat Beniamitam esse; fuit enim hæc tribus ex præcipuis: Nam & prima regem habuit in illo populo, Saul nomine. Quod idem & Paulo nomen fuerat: Sic enim cælitus ei dictum est: *Saul, Saul, quid persequeris?* ut habetur in Græco, Act. 9. Et, quod amplius eam tribum commendabat; neque postea, tempore schismatis, à regno Iuda recessit, neque religionem mutauit, sicut decem tribus fecerant; sed tam regie tribui quam sacerdotali mansit perpetuo coniuncta. Rationem hæc attendit Augustinus, cui præterea accedit quod in sorte tribus Benjamin sita erat Ierosolyma, & ædificatum templum.

HEBRÆVS EX HEBRÆIS. Quibusdam videtur apostolum hac parte significare genus suum non fuisse permixtum aliquando cum alienigenis, id est, gentilibus: quomodo permixtum erat genus Samaritanorum, sed ortum se tantum ex Hebræis parentibus atque maioribus. Huic sententiæ Caietanus accedit. At Græci putant apostolum eò respicere quod multi Iudæorum per varias orbis regiones dispersi Hebraicæ linguæ peritiam amiserant, peregrinis linguis assueti, qui proinde inter Hebræos merito censeri non debuerint; Paulum verò & parentes eius nil tale passos, sed characterem gentis, id est, linguam incorruptam retinuisse; ut hoc sit *Hebræum esse ex*

Hebræis. Quæ sententia probabilior est, imò verà omnino, secundum ea quæ diximus ad illud 2 Corinth. 11, *Hebræi sum, & ego*. Cum enim Paulus non ipse solum Phariseus fuerit, sed & Phariseo patre natus, quemadmodum ipse testatur Act. 23. cura fuit parenti eius, quamuis in Cilicia moranti, ut tam linguâ patriâ quam lege & sectâ filium à primis annis imbueret. Perro quod in huius loci commentario scribit titularis Ambrosius, Hebræos ab Abraham patriarcha dictos vnius literæ mutatione, tanquam Abræos; & hanc generis originem Paulum significare voluisse: rectè Thomas in suo commentario refellit eo argumento, quoniam & ipse Abraham cognominatus fuit Hebræus Genes. 14. Existimat autem Thomas, Augustinum in retractationibus libr. 2 capit. 16 secutus, Hebræos esse nuncupatos ab Heber, qui sexta generatione Abraham præcedit, Genes. 11. quod nimirum, facta diuisione linguarum, in sola eius familia prima lingua remanserit: qui proinde & linguæ & posteritati suæ nomen dederit. At verò aliorum sententia est, *Hebræum* dici quasi transitorem; eoque cognomine appellatum Abraham ab incolis terræ Chanaan, propterea quod transito flumine Euphrate illuc commigrasset; velut si dicas transfluuialem. Quæ quidem sententia verior est; ut pluribus ostendemus in argumento epistolæ ad Hebræos.

SECUNDVM LEGEM PHARISÆVS. Nunc ad ea vēhit quæ propriæ sunt electionis, id est, eoque plus habere videntur commendationis. Nam quatuor superiora, natiuitatis sunt, aut alieni operis. *Secundum legem*, se dicit *Pharisæum* fuisse, non quod lex aliquid præcipiat de Pharisæis, sed quod cum duæ essent celebres in populo sectæ, legem Moisaicam profitentes, Pharisæorum & Sadducæorum; eam quæ sanior & præstantior erat, id est, Pharisæorum sectam atque institutum fuerit amplexus. Habebatur enim hoc vitæ genus apud Iudæos cum primis honestum & laudabile, neque ex professione quicquam mali continebat. Vnde Dominus ait Matth. 23, *Super cathedram Moysi sederunt scribae & Pharisæi: Quæcunque dixerint vobis seruate & facite*. Non vtique de Sadducæis id dicturus. Repetit autem hoc ipsum de se Paulus, eoque nomine se defendit Act. 23, dicens: *Ego Pharisæus sum, filium Pharisæorum*, aut ut in Græco, *filium Pharisæi*. & 26, *Secundum certissimam sectam nostræ religionis visum Pharisæum*.

SECUNDVM EMULATIONEM PERSEQUENS ECCLESIAM DEI. Genitiuum *Dei* Græca non habent, nec agnoscit Augustinus, additum suspicor ex Galat. 1. Tantus, inquit, in me fuit zelus & studium legis, ac paternarum traditionum; ut quicquid eis aduersarium videretur, impatienter ferrem,

ipsamque ad eum Christi ecclesiam tanquam apostaticam legis, persequeretur, per hoc existimans obsequium me præstare Deo.

SECUNDUM IUSTICIAM QUÆ IN LEGE EST, CONVERSATUS SINE QUERELA. Græcè, *factus irreprehensibilis*. Augustinus legit, *qua fuerim sine querela*. Postremo loco reseruat apostolus quod præcipuum erat, scilicet exactam legis obseruationem, quatenus illo in statu obseruari potuit. Sensus est: Denique quod ad iusticiam attinet, quæ in lege & per legem habetur; ita conuersatus sum coram hominibus, ut nemo de me queri possit, aut obijcere, quod legem vlla parte fuerim transgressus. *Iusticiam qua in lege est*, paulo post vocat *iusticiam ex lege*, quomodo etiã hoc loco legit Ambrosianus; id est, iusticiam ex sola legis cognitione partam. quæ cuiusmodi sit iusticia, mox explicabitur. An autem simili sensu dixerit apostolus Act. 23. *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum*; & 2 Tim. 1. *Gratias ago Deo cui seruo à progenitoribus in conscientia pura*; suis locis expendendum est. Certè constat, illud non esse simile quod scriptum est de parentibus Ioannis Baptistæ Lucæ 1. *Ei autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela*. Hæc enim vera iusticia fuit.

SED QUÆ MIHI FVERUNT LVCRÀ, HÆC ARBITRATVS SVM PROPTER CHRISTVM DETRIMENTA. Græcè *detrimētum* numero singulari. Totum hunc locum Chrysostronus alijque Græci, contra Marcionitas veteris legis calumniatores, ita tractant ut ea quæ apostolus dicit sibi fuisse lucra, verè talia fuisse intelligant; reputari autem ab eodem damna, detrimenta, stercora, non absolute, sed solum comparatione Christi & donorum eius. Quod quidem contra veteres hæreticos sanè rectèque dicitur; *Lex enim sancta; & mandatum sanctum, & iustum & bonum*. Rom. 7. Et *lex pedagogus Iudæorum fuit in Christo*, Gal. 3. Nec potuit non esse bona, lex à Deo data: siue decalogum spectes, siue ceremonias lege præscriptas. Verùm si Pauli scopus & verba penitius inspiciantur: non de ipsa lege loquitur, sed de iusticia quæ in lege est; hoc enim ultimum & præcipuum commemorauerat. *Secundum iusticiam qua in lege est conuersatus sine querela*. Et hoc ipsum postea repudiat, dicens: *Ut inueniar in illo non habens meam iusticiam qua ex lege est, sed illa qua ex fide est Christi* &c. Hanc igitur iusticiam, & cetera superiora quatenus huc referebantur, apostolus postquam à lege transiit ad Christum, reputauit ut detrimenta & stercora. Sic intelligit & exponit hunc locum Augustinus, in sermone superius citato cap. 5 & sequentibus. Videantur & hæc eius loca; lib. 3. contra 2 epistolas Pelagianorum cap. 2 & 7. lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 12. Item lib. de gratia Christi c. 13. & epistola 106. Censet autem apostolus iusticiam quæ ex lege est, damnosam &

reiectionem fuisse, tum quia non erat vera, sed falsa iusticia; Nam *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, Rom. 3 & Gal. 2. Tum quia opera sic facta quomodo fiebant à Iudæis *Dei iusticiam ignorantibus & suam querentibus statuere*; ne moraliter quidem bona erant; sed simpliciter mala, propter viciosam circumstantiam. Est igitur apostoli sensus: Sed quæ tunc mea & aliorum opinione erant utilia tanquam veræ iusticiæ opera, & pro quibus præmium à Deo expectabam; ea propter Christum, id est, ut Christum lucrificarem, (sic enim postea seipsum exponit) damni & detrimenti loco duxi; quia à vera iusticia quæ non est nisi per Christum, magis me alienarunt; nec potui particeps esse iusticiæ Christi, nisi sic de illis sentirem.

VERVM TAMEN EXISTIMO OMNIA DETRIMENTVM ESSE PROPTER EMINENTEM SCIENTIAM IESV CHRISTI DOMINI MEI. Græcè, *Veruntamen etiam*, aut, *Quin etiã, existimo*. Similiter Augustinus & Ambrosianus legunt. Nec ociosa est particula *&* vel *etiam*. Seruit enim incremento orationis Rhetorico. Nam sensus est: Plus aliquid dicam, Non solum enim vitam quam in Iudaismo duxi, reputavi detrimentum propter Christum; verùm semel omnia quæ tunc magnificabam: ut genus, sectam, legisperitiam quam Gamaliel doctore accepi, & quicquid ad Christum me non promouet, arbitror esse detrimentum; hoc est, non solum inutile, sed etiam damnosum & noxium: idque *propter eminentem scientiam* siue (ut est in Græco & apud Ambrosianum) *propter eminentiam scientiæ*, id est, ut assequar excellentiam cognitionis Christi & beneficiorum eius. Ita enim ipse apostolus paulo post exponit, *Ad cognoscendum illum*, &c. Sub cognitione, more scripturæ comprehendit perceptionem & fructum rerum cognitarum; simulque significat se huiusmodi cognitionem nondum plenè consecutum esse, sed adhuc in ea proficere. Id quod infra docet expressius. Addit autem, *Domini mei*, ut ardentem animi sui affectum erga redemptorem suum declaret.

PROPTER QUVM OMNIA DETRIMENTVM FECI. Quod interpres vertit *detrimētum feci*, in Græco vnum verbum est passiuum, quod significat mutari, damno affici, detrimentum pati. Quapropter Hentenius & alij nonnulli sic vertunt, *Propter quem omnium feci iacturam*. Quin & Ambrosius in psal. 118. sermone 8 sic legit: *Propter quem omnia detrimentum passus sum*. Nec ab eo sensu nostra lectio aliena est: nam sicut *facere iacturam*, sic & *detrimētum facere*, passiuam habere potest significationem; ut sensus esse queat, etiam nostra lectione retenta: Propter quem Dominum meum, passus sum detrimentum omnium, exui me omnibus, omnia proieci quæ prius magna & pretiosa reputabam. Nō hoc erat absolute detrimentum pati; sed iuxta rerum æstimationem quam habuerat in Iudaismo.

Et

ET ARBITROR VT STERCORA. Græca maiorem adhuc contemptum sonant, & *arbitror esse stercora*. Consonat Augustini & Ambrosiani lectio. Nonnulli Græcam vocem *σκύβαλα* quisquiliis interpretati sunt. Atque ita legit Hieronymus lib. 2 dial. contra Pelagianos cap. 3. Alij vertunt *relictamenta*, quod ferè idem valet. Et quidem huiusmodi interpretationem exigunt Græcorum commentarij, ne videlicet æquo contemptibilius de lege loqui videatur apostolus. Sed iam supra dictum est, non hæc in contemptum legis sed iusticiæ quæ ex lege est, ab apostolo dici. Constat Græco vocabulo stercora quoque significari; quemadmodum & Erasmus vertit & legunt omnes Latini veteres; tamen & ad alias rerum sordes & purgamenta, nonnunquam ea vox extendatur. Hieronymus commentans in Habacuc 2, aliū quendam huius loci sensum adfert: *Apostolus*, inquit, *doctrina veteris errorem dicit se reputasse in σκύβαλα, id est, in stercora; Non quod lex vetus, ut Manichæi arbitrantur, ad comparationem euangelij σκύβαλα computetur; quod impium est dicere, cum vnus Dei vtrumque sit testamentum: Sed quod doctrina Pharisæorum, & præcepta hominum, & δευτερονομίης Iudæorum, stercora dicantur ab apostolo*. Sic ille; quem sequitur ac nominatim citat in suo collectaneo Sedulius. Verùm nec ista germana est explicatio. Nam traditionum Iudaicarum seu Pharisæarum in superioribus nulla facta est mentio. Quocirca retinenda nobis est via quam Augustino duce ingressi sumus, exponentes apostolum de iusticia legali; quæ, etiam sine præceptis ac traditionibus illis humanis à Christo in euangelio damnatis Matth. 15 detrimentum est & stercora: detrimentum quidem, quia nocet; stercora verò, quia foetet, & habentem commaculat. Nec verò quicquam mirabitur legalem iusticiam ab apostolo vocari stercora; si cogitet eandem à propheta vocari *immundiciam*, & comparari cum panno mulieris menstruate. Sic enim in persona carnalium Iudæorum, iusticiam ex lege querentium, loquitur Isaias cap. 64, *Et facti sumus ut immundi, omnes nos; & quasi pannus menstruata, vniuersa iusticia nostra*. Quod pertinet etiam illud à Domino dictum aduersus iusticiam Pharisæorum, Lucæ 16. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum*. Ratio verò perspicua est; quia fiebant ab illis ea opera legis, non solum non ex fide Christi, sine qua nihil valent ad salutem; sed & cum opinione quod per ea ex sola legis cognitione profecta, possent Deum sibi promereri. Putabant enim legem solum sibi-ipsis ad veram iusticiam sufficere. Quæ persuasio cum sit falsa, noxia & perniciofa; coinquinabat omnia opera tali animo atque opinione facta. Et quamuis qui sic instituti erant, manum ab opere per legem vetito cohiberent, timore pænæ quam lex minabatur repressi; vo-

luntate tamen transgressores erant. Vnde Augustinus in sermone saepe citato cap. 6. *Qui timore pænæ non concupiscit, puto quia concupiscit*. Nec solum voluntate; sed & opere, per legem decalogi non expressè prohibito; quasi ideo contra legem non esset. Vnde Dominus suis dicebat, *Nisi abundauerit iusticia vestra plus quam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum celorum*, Matt. 5. Fateatur hæc & docet ipse apostolus de se & ceteris sub lege constitutis, Ephes. 2, *In quibus*, inquit, *& nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum*. Et plenius ad Tit. 3, *Erasmus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malicia & inuidia agentes, odibiles, odientes inimicis*. Ex quibus omnibus satis apparet, quam merito iusticiam quæ ex lege est, detrimentum & stercora reputauerit apostolus: finem autem & fructum huiusmodi reputationis, subiungit;

VT CHRISTVM LVCRIFICIAM. Id est, ut bonorum eius particeps efficiar. Habetur hæc participatio primùm quidem per fidem & noticiam Christi, veramque iusticiam; deinde per consortium resurrectionis & gloriæ eius.

ET INVENIAR IN ILLO NON HABENS MEAM IUSTICIAM QUÆ EX LEGE EST, SED ILLAM QUÆ EX FIDE EST CHRISTI. Græcè, *per fidem*: quomodo legunt etiam Augustinus & Ambrosianus. Quod autem ait, *inueniar* Hebraismus est, qualis Galat. 2. *Inuenti sumus & ipsi peccatores*, ut talis inueniri quis dicatur, qualis existit secundum veritatem. Itaque sensus est: *Et, ut sim in illo*, scilicet Christo, sicuti palme in vite; *non habens meam iusticiam*, id est, quæ mihi à me ipso sit, eam nimirum quæ ex sola legis noticia habetur, quæ quidem non vera sed falsa iusticia est; *sed illam qua est ex fide, vel per fidem, qua in Christum creditur*. Hæc enim sola vera iusticia est. Dicitur autem esse ex fide qua in Christum creditur: tum quia per hanc fidem cognoscitur eam non aliunde quam ex merito passionis Christi haberi posse; tum quia fides illam impetrat, imò & initium eius est, adeò ut & ipsa non nisi per Christum habeatur. His ferè modis explicat eam phrasim apostoli Augustinus sermone memorato, & lib. de prædestinatione sanctorum cap. 7, & epistola 106. Notandum autem particulam, *in illo*, posse transferri ad illud posterius, *sed illam qua ex fide est Christi*; idque per hyperbaton simile ei quod est in fine primi capituli, *quia vobis donatum est pro Christo* &c. Et ita sensus est: *Et ut inueniar non habens meam iusticiam qua ex lege est, sed in illo*, id est, per illum, *habens iusticiam*, videlicet eam quæ est ex fide Christi.

QUÆ EX DEO EST IUSTICIA IN FIDE

Verti

Verti etiam potest, *super fidem*, quemadmodum dicitur Ephes. 2. *Superadificati super fundamentum apostolorum*, &c. Est enim eadem præpositio *in*. Sensus est: Iusticiam, inquam, quæ à Deo auctore est, & fundatur in fide; quia fides huius iusticiæ fundamentum est, eo sensu quem modò explicuimus. Hic obserua secundum apostoli doctrinam vtrumque tenendum esse, quòd & à Deo iusticia nostra sit, & quòd per Christum: à Deo, vt auctore seu causa efficiente; per Christum verò, vt promerentem; quorum neutrum agnoscebant Iudaizantes. Putabant enim proprias naturæ vires vnâ cum legis adminiculo, velut commonitorio quodam, ipsis sufficere ad iusticiam. Vnde dicebant audita lege: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus*. Exodi 24. Christum verò, tantummodo velut insignem doctorem & exemplar iusticiæ cælitus ad se missum, suscipiebant. Porro alia parte peccant nostri temporis hæretici; dum putant apostolum dicentem, *non habens meam iusticiam quæ ex lege est* &c. tollere omnem iusticiam inhærentem, qua formaliter homo iustus sit, & quæ in legis obseruatione consistat; atque eam solam statuere, quæ in Christo inhærens, creditibus in Christum imputetur. Quod ab apostoli mente quàm sit alienum, vel vnum illud ostendit quod ait, *factores legis iustificari*, Ro. 2. Conferendus est autem præsens locus cum eo qui est Ro. 9 & 10. vbi similiter & eodem sensu de duplici iusticia differit; altera nostra, quæ sit ex lege; altera Dei, quæ ex fide. Non enim nostram vocat iusticiam, quæ in nobis est, sed quæ à nobis; sicut & Dei iusticiam, quæ à Deo est, non quæ in Deo, & qua Deus ipse iustus sit. Quod dum aduersarij nolunt intelligere, in absurdissimos errores prolapsi sunt.

AD COGNOSCENDVM ILLVM, ET VIRTUTEM RESURRECTIONIS EIVS, ET SOCIETATEM PASSIONVM ILLIVS. *Societate*, Græcè *communione* seu *communicationem*. Et ita legunt Augustinus & Ambrosianus. Hæc pars tota secundum Græcorum expositionem dependet ab eo quod proximè præcessit, *in fide*, vt sensus sit: Iusticiam esse ex fide qua cognoscitur Christus, & virtus resurrectionis eius, & communio passionum eius. Eandem ferè constructionem Latini plerique sequuntur. At tamen nil verat, imò valde probabile est, hæc partem alius esse referendam, vt simul cum præcedentibus dependeat ab eo quod dixerat *se omnia detrimentum fecisse & arbitrari vt stercora*. Docet enim, & pluribus verbis inculcat apostolus, rationem & fructum deserti à se atque contempti Iudaismi: quodque breuiter & obscure dixerat, *propter eminentem scientiam Iesu Christi*, nunc partibus quibusdam explicat, vt sit sensus: Et vt cognoscam illum, nempe quis & quâto sit, utpote Deus & homo, & cætera quæ ad vtramque eius naturam pertinent. Item vt cognoscam virtu-

tem seu potentiam resurrectionis & gloriæ eius, nempe quòd ea sit exemplaris causa nostræ resurrectionis & gloriæ, quia nos ad eius similitudinem reformandi sumus. q. d. Pharisæi semper habet resurrectionem in ore, sed non intelligunt hoc mysterium quòd Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis. Denique, vt cognoscam communicationem passionum eius: sine qua merita passionum eius nobis ad iusticiam & salutem communicantur, id quod Iudaizantes non intelligebant; siue qua ego Paulus per afflictiones & aduersa quæ propter amorem Christi patior, communico passionibus eius, vt & gloriæ eius particeps efficiar; iuxta illud 1 Petri 4, *Communicantes Christi passionibus gaudeat; vt & in reuelatione eius gaudeatis exultantes*. Hunc posteriori sensum Græci tradunt, eique bene congruit quod sequitur,

CONFIGVRATVS MORTI EIVS. Negligit apostolus syntaxim grammaticam, vt interdum alibi. Græcum verbum, conformare potius significat quàm configurare, tamen si interpret hæc vsurpet pro eodem. Augustinus legit *conformatus*. Sed scito, Græcum participium præsentis esse temporis, cui non est Latinum quod respondeat. Vnde interpretes alij circumloquuntur. Ambrosianus, *Conformans me morti eius*. Erasmus & Hentenius, *Dum conformis fio morti eius*. Hæret sententia cum extrema parte superiori, ad hunc modum explicanda, Et vt cognoscam communicationem passionum eius, in quam venio, & quæ mihi contingit, dâ per passiones & mortis pericula quæ pro nomine eius sustineo (sicut alibi dicit *se quotidie mori*, 1 Cor. 15.) conformis efficior morti eius.

SI QVO MODO OCCVRAM AD RESURRECTIONEM QUÆ EST EX MORTVIVS. Græcè *ad resurrectionem mortuorum*. Sic etiam Augustinus legit. Sensus est: Compatior & commorior Christo, vt si quo modo possim, perueniã ad beatâ resurrectionem mortuorum quam iusti expectât. Obseruat Theophylactus hoc loco non esse *ἀνάστασις*, quo nomine solet in scripturis resurrectio significari, sed *ἐξανάστασις*, id est, exsurrectionem; qua nimirum ita quippiam resurgit, vt in altum feratur. Hac igitur voce putat propriè significatam esse resurrectionem iustorum, qui quum resurgent, momento leuabuntur in æra ad Dominum, cæteris in terra manentibus. Idem docet scribès in Io. 6 & Heb. 11. Quod verò apostolus, velut dubitâs, dicit, *si quo modo*; non solum insinuat difficultatem perueniendi ad illam beatitudinem; secundum illud 1 Petri 4, *Iustus vix saluabitur*; verum etiam securitatem & certitudinem consequendæ salutis excludit; vt disertè annotarunt post Chrysostomum Theophylactus & Oecumenius, adducentes ad eandem rem alia duo loca ex 1 Cor. 9 & 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. &c. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Hæc ostendunt, apostolum quâdo ea scripsit, non-

dum habuisse diuinitus reuelationem suæ salutis. Quòd si Paulus post tot labores Christi nomine susceptos, & post tanta diuini erga se amoris indicia, nondum securus erat; falluntur ergo, imò seipso fallunt miserimè, quotquot hodie. certam sibi ipsis salutem, velut ex verbo Dei promittunt.

NON QVOD IAM ACCEPERIM, AVT IAM PERFECTVS SIM. Hanc partem alij aliò referunt. Quidam ad hæc proxima, *Si quo modo occurram* &c. q. d. non ideo mentionem facio præmij quòd iam perfectionem viæ sim affectus. Theophylactus eodem refert, sed diuerso sensu; vt propterea dicat apostolus se ambigüe locutum, *Si quo modo occurram*, quia nondum erat consummatus. At Oecumenius existimat apostolum respicere ad illud, *Configuratus morti eius*. Per hoc enim videri poterat, magnum aliquid & perfectum tibi ascriptisse: quod proinde hac sententia temperatè voluerit. Porro Chrysostomus & Ambro hoc dictum à Paulo interpretantur non propter aliquod verbum præcedens; sed propter Philippenses, vt audientes apostolum tam humiliter de semetipso loqui, discerent & ipsi modestè de se sentire. Potest nihilominus ad illa superiora referri, quibus exposuerat fructum quem ex abiecto Iudaismo consequabatur; vt sensus sit: Hæc non commemorauit, quòd iam totum fructum qui in hac vita haberi potest, acceperim, vel vt Ambrosianus legit, *apprehenderim*, aut quòd iam perfectus sim viæ & cognitione, ita vt ad capiendum præmium nihil mihi desit, nec vltra proficere debeam.

SEQVOR AVTEM, SI COMPREHENDAM. *Seqvor*; Græcè, *Persequor*. Sic enim ipse interpret paulò post vertit eandem vocem. significat autem insequi cum extremo conatu assequendi & apprehedendi. Iam illud, *si comprehendam*, in multis codicibus ita legitur, *Si quo modo comprehendam*. Quæ lectio etiam apud veteres Augustinum & Ambrosiū reperitur; eamque Clementina confirmat editio. Quâquam è diuerso nostram, quæ Louanienis est, apud Primasium, Pelagium & Sedulium reperio. Verisimile est additiciam esse particulam, *quo modo*, huc insertam ex eo quod supra dictum est, *Si quo modo occurram*. Nam in Græco nil ei respondet, nisi cõiunctio copulatiua, *Si & comprehendam*; quæ coniunctio subinde ociosa est apud apostolum, & ab interprete omittitur. Notandum autem, in his apostoli verbis & sequentibus, esse continuam quandam metaphoram, sumptam ab ijs qui cursu certant in stadio. Sensus igitur est: Nondum affectus sum perfectione, vt mihi iam quiescendum sit, sed adhuc curro, contendendo, persequor, vt illam, si queam, apprehendam. Nò loquitur de præmio vitæ æternæ quod infra vocat brauiū superne vocationis, sed de perfectione cognitionis & vitæ, ad quam in hoc sæculo, post quâto libet profectum, semper adhuc aspirandū est. Nâ de præmio beatitudinis nò diceret quod sequitur, *Ego me non arbi-*

tror comprehendisse: cum id nullam haberet dubitationem.

IN QVO ET COMPREHENSVS SVM A CHRISTO IESV. Hæc pars dupliciter exponitur. A Græcis quidè hoc modo: Sicut aliquâdo procul aberrans & fugiens à Christo, cõprehensus sum ab eo, per gratiã eius præuenientè: ita nunc vicissim hanc præsto diligentia, vt totis viribus eum insequar, & nitâr apprehendere virtutū perfectione. Latini verò sensum hunc reddunt; Curro, & persequor, vt cõprehendâ, ac talis efficiar, qualis vt fierè, comprehensus sum, id est, electus ac prædestinatus à Christo; hoc est, vt pertingam ad iusticiæ perfectione. Vtrumque sensum adfert Oecumenius. Priori modo particula, *In quo*, Græcè *ἐν ᾧ*, causâ aut similitudinem denotat; posteriori idem valet, ac si dicas, *ad quod*. Eadem est autem particula Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*; vbi & de eius acceptione nonnulla diximus. Conferatur hic locus cum eo qui est 1 Cor. 13. *Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Nam & illa sententia duplicem recipit expositionem, & vtramque probabilem, sicut ibi declaratum est. Sed cum hoc loco durius sit, *comprehensus* interpretari electum, seu prædestinatum; videtur prior expositio preferenda.

FRATRES, EGO ME NON ARBITROR COMPREHENDISSE. Ad Philippenses sermonem conuertit, vt eos suo exemplo humilitatis admoneat. In Græco plenius legitur, *Fratres, ego me ipsum nondum arbitror apprehendisse*. Pro *nondum*. Ambrosianus legit, *non adhuc*, quod æquiuale. Sensus est: Ego, quamuis tot pro Christo laboribus, ac periculis perfructus, adeo vt dicere possim me plus omnibus laborasse; nondum tamen arbitror me affectum esse perfectionem, quam habere debeo. Multa adhuc video mihi deesse; Nolite in me falli, plus me ipse noui quàm vos; inquit Augustinus sermone supradicto.

VNUM AVTEM. Subaudi, ago; id est, in vnam rem totus sum intentus, tamen si Augustinus serm. 1 de diuersis, cap. 6. construit cum verbo, *sequor*, quod infra habetur. Sed hoc minus probabile. *Vnum autem* illud exponit apostolus sequentibus verbis;

QVÆ QVIDEM RETRO SVNT OBLIVISCENS AD EA VERO QUÆ SVNT PRIORA EXTENDENS ME IPSVM. Persistit in metaphora currentis in stadio; qui negligens ea quæ sunt à tergo, totum se protendit ad anteriora, sic vt pedibus adhuc currentibus, iam corpore promineat ad scopum. Hanc enim significationem Græci participij *ἐπιτελειώμενος*, q. d. *adextensus*, in præsentis; diligenter explicant interpretes Græci; nec eius vim affectus est Erasmus, dum vertit, *enitens*. Sed quænam intelligit apostolus per ea quæ retro sunt? vtrū opera legis, de quibus superius dixit se ea reputare vt detrimentum & stercora? an potius opera sua præterita ex fide facta, sed imperfectiora comparatione eius perfectionis, ad quâ toto cursu se tendere dicit? Omnino hæc po-

steriora intelligenda sunt; nam illa priora, erant extra cursum hominis Christiani, imò contra cursum. Et hoc modo Augustinus, Ambrosianus, Chrysostomus, eiusque sequaces apostolum intellexerunt. Obliquatur autem operum preteritorum, quamuis iustorum, non quòd ea contemnat, sed quòd ijs non còtentus, semper ad maiora & perfectiora nititur.

14 AD DESTINATVM PERSEQVOR. Græcè est, κατὰ σκοπὸν, id est, secundum scopum, ut vertit Theophylacti interpres. Sed quia scopus Græca dictio est, tametsi Latinis vitata; maluit interpres noster Latine dicere, ad destinatum: pro quo Hentenius transtulit, iuxta præfixum signum; Nam scopus significat signum sagittantibus propositum. Potest etiam verti, secundum intentionem; quomodo legit Augustinus utroque sermone iam allegato, & in enarratione psalmi 38. Verum hæc lectio non perinde quadrat metaphoræ, in qua apostolus versatur. Opponit autem hoc quod est, ad scopum seu destinatum persequi, ei quod est, in incertum currere. Quod à se remouet I Cor. 9, dicens: Ego sic curro, non quasi in incertum.

AD BRAVIUM SVPERNÆ VOCATIONIS DEI IN CHRISTO IESV. Βραβεῖον, Græca vox est, qua proprie significatur præmium certatibus propositum; de quo ibidem apostolus: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Augustinus & Ambrosianus legunt, ad palmam. Atque hoc modo vertere malunt recentiores. Sed iam totam apostoli sententiam elucidemus. Ego, inquit, ea quæ sunt à tergo relinquens, ad ea verò quæ sunt à fronte, me ipsum extendens, oculis semper in scopum defixis, cursu contendo ad palmam, seu præmium regni cælestis, ad quod a Deo vocati sumus per Christi fidem, & merita. Quæritur an apostolus per scopum & brauium rem eandem voluerit significare. Ita quidem sentiunt plerique còmentatores, tam Græci, quàm Latini: Verùm diuersæ præpositiones in Græco, κατὰ & ἕως, non parum resistunt huic intellectui. Qui enim dicit, iuxta scopum contendo ad palmam; ipso loquendi modo, videtur aliud atque aliud ijs nominibus significare. Accedit quod in certamine corporali, vnde similitudo petitur, aliud est scopus, aliud præmium, seu palma, seu corona. Quare secundum ea quæ superius dicta sunt, apparet per scopum seu destinatum, intelligi perfectionem illam de qua dicebat, Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim; Et rursus, Ego me non arbitror comprehendisse: Per brauium verò seu palmam, significari præmium supernæ beatitudinis, ad quod obtinendum currere se dicit, habendo oculos semper intentos in scopum perfectionis propositæ.

15 QVICVNQVE ERGO PERFECTI SVMVS, HOC SENTIAMVS. Hieronymus lib. I dialogi contra Pelagianos ca. 5 testatur exemplaria variasse, ut in alijs legeretur, sapimus, in alijs sapiamus, id est, sentiamus. Verum hæc poste-

rior lectio hodie, ni fallor, omnium est codicum, etiam Græcorum; eademque procul dubio Paulinæ menti congruentior. Nā ea quæ de se humiliter dixit apostolus, nunc conuertit ad Philippensium instructionem, atque adhortationem: Perfectos dicere videtur, quos alibi spirituales, & firmiores, & perfectos vocat; id est, sapientiæ sublimioris capaces, & percipientes ea quæ sunt spiritus Dei, & eos qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Quibus ab eodem apostolo opponuntur infirmi, carnales, animales, & paruuli, quibus lacte opus est. Loca sunt Rom. 14 & 15. I Cor. 2 & 3. 2 Cor. vlt. Gal. 6, & Heb. 5. Proinde sensus est: Quotquot igitur perfecti sumus, id est, intelligentia rerum diuinarum cæteris præstamus, vel ipsa, vel nostra, aut aliorum opinione; hoc sentiamus quod ego de me ipso iam professus sum, scilicet, nos nondum apprehendisse, aut perfectos esse, sed adhuc multa nobis deesse; id eoque nos, eorum quæ retro sunt, oblitos, semper ad anteriora debere extendi. Ex hoc commentario liquet apostolum non esse sibi contrarium, dum paulò ante negauit se perfectum, hinc verò inter perfectos se annumerat: Non enim, ut existimat Hieronymus, super Hab. I diuersas personas induens hæc dicit apostolus; quasi prius in persona incipientium locutus fuerit, hinc autem loquatur in persona perfectorum, quorum vnus ipse erat. At neque sufficit dicere, quòd superius à se remouerit perfectionem patriæ, nunc verò viæ perfectionem sibi cum alijs ascribat; Ostensum enim est etiam verba superiora de perfectione viatoris accipienda esse: Sed illic se perfectum negat, quòd adhuc multa sibi deesse intelligeret, quorum accessio, etiam in hac vita per còtinuum profectum expectari poterat; hinc verò se perfectis annumerat, id est, spiritualibus, qui comparatione eorum qui in via & cognitione Dei minus profecerant, merito perfecti dici poterant, licet adhuc, etiam in hac vita, amplius perficiendi, donec ad terminum pertingerent. Hæc conciliatio apud Ambrosianum est, eademque Græcorum commentarijs còsentanea; quos & sequitur Caietanus, addēs, ex hoc textu clarè haberi quòd non solum incipientes & proficientes, sed & perfecti quicunque, in hac vita nunquam perueniunt ad terminum meriti; sed semper possunt amplius mereri. Nec ab his Augustinus, quòd ad rem ipsam attinet, dissentit: Quamuis enim priori loco perfectionem patriæ putet intelligi; vult tamen apostoli mentem esse, quòd nemo tam sit perfectus viator, quin ad maiorem perfectionem, etiam in hac vita consequendam semper anniti debeat. Ita docet serm. 15 de verb. ap. c. vlt. lib. 2 de peccatorum meritis cap. 7 & 13. lib. 3 contra 2 ep. Pelag. cap. 7. de perfectione iusticiæ cap. 8. de gratia & libero arbitrio cap. 1 & 25. Tract. 98 in Ioann. & in enarratione psalmi 89. Porro si perfecti sic uti dictum est, de se

sentire

sentire debent, imo qui reuera perfecti sunt, ita sentiunt; utique intelligendum relinquatur, multo magis ab imperfectis id requiri; quales erant, de quibus iam sequitur,

ET SI QUID ALITER SAPITIS, Vel sentitis, est enim idè verbū in Græco, quòd prius;

ET HOC VOBIS DEVS REVELAVIT. Legendum, reuelabit. Sic enim non modò Græci & Syri codices ac multi Latini vetusti, habent; verum etiam legunt & exponunt Augustinus, Primasus, Sedulius, Thomas, Liranus, ac cæteri expositores Latini; suffragante etiam editione Clementina. Nec secus legit ac interpretatur Ambrosianus, ut malè ab Erasmo annotatum est. Occasio mutandi futuri temporis in præteritum, fuit, quòd reuelatio videretur referenda ad verbum, sapitis, quòd est præsentis temporis, cui proinde non videbatur respondere posse reuelatio futura, sed præterita. Atqui non eò referenda est, sed ad id quòd proximè dixerat; ut sensus sit; Et si qui vestrum aliter sentiunt de ea re, de qua iam egi, nimirum arbitantes se iam apprehendisse perfectionem, ut proficere ultra non debeant: equidem confido Deum vobis qui tales estis, etiam hoc quòd sentendum dixi, reuelaturum per internam inspirationem, atque doctrinam. Obiter significat Dei donum esse, quòd quis rectè sapit & imperfectionem suam agnoscit: Hunc sensum Augustinus, & plerique interpretes tradunt. Quanquam Liranus alium sensum subiungit, quem putat magis literalem, Si quid aliter sapitis, id est, inquit, si quid aliud pertinens ad cultum Dei & ad perfectionis statum vos cognoscere contigerit; scire debetis id non prouenire ex intelligentia vestra, sed ex reuelatione diuina. Verum aliter sapere, pro eo, quòd est adhuc aliud, & amplius aliquid sapere; contorta videretur expositio. Nam istud aliter, passim habet significationem eius, quòd est diuersum, imò contrarium; etiam apud apostolum, vt I. Tim. 1. Vt denunciare quibusdam ne aliter docerent, & ca. 6. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, &c.

16 VERVM TAMEN AD QVOD PERVENIMVS; VT IDEM SAPIAMVS, IN EADEM PERMANEAMVS REGVLA. Græca ad verbum sic habent: Veruntamen ad quod peruenimus, eadem incedere regulam, idem sentire. Quos infinituos Theophylacti interpres, & alij quidam non malè per imperatiuos reddunt; incedite, sentite. Nam similiter ad Ro. 12. dixit: Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Aut certè, suppleendum erit verbum, hortor, moneo, ut sit sensus: Interim quantum ad id quòd de rebus diuinis iam assecuti sumus; hortor vos omnes, eadem regula doctrinæ & fidei incedere, eandem regulam tenere; & idè sapere, id est, concordēs esse. Ratio exhortationis est, quia qui permanet in eo quòd accepit, cum amore pacis & fraternitatis; meretur amplius illustrari; ut, etiāsi quid aliter sapiat, diuina reuelatione corrigatur. Porro de

regula & còtentu in doctrina fidei, Paulū loqui, probabile sit, tum ex superioribus, vbi de doctrina contra Iudaizantes egi; tum quia etiā alibi, de fide loquens, regulam nominat; vt Gal. vlt. Quicunque hanc regulam secuti fuerint &c.

17 IMITATORES MEI ESTOTE, FRATRES. Transiit ad morum informationem; monetque Philippenses, quos imitari debeant, & quos vitare. Vbi imprimis seipsum, tanquam illorum apostolus, & magister, idemque optimè sibi conscius, & profectus sui non ignarus, imitandum eis proponit; Deinde & alios eiusdè secum conuersationis. Quò magis autè pseudapostolorum doctrinam reddat illis odiosā; breuiter etiam motes eorum ex aduerso delineat; ostendēs eos non minus vita, quam doctrina prauos & corruptos esse; & proinde vtroque nomine vitandos. In Græco non est, imitatores sed cōmμιμηται, Cōmμιμηται. Pro quo Augustinus legit, Cooperatores, in tractatu de cultura agri Domini, cap. 1. tametsi min⁹ benè. Sēsus enim est: Estote mei imitatores vna cū alijs qui me imitantur. Sicut alios videtis esse studiosos mei imitandi; ita & vos facite. Hos alios indicat parte sequenti.

ET OBSERVATE EOS QUI ITA AMBVLANT, SICVT HABETIS FORMAM NOSTRAM. Nostram, Græcè, τοῦτον, quòd & in nonnullis legitur Latinis tam excusis, quam manuscriptis. Dictum est autem appositivè, sicut habetis formam nos, id est, nos vt formam & exemplar; Græcè, ὁμοίωτον. Est itaque sensus; Et observate, sive (vt Ambrosianus legit, alijque vertunt) considerate eos, qui vitam suam instituunt ad exemplar, quòd ego vobis præbui, quòdque à me accepistis; & eos imitamini. Hæc enim observatio est ad imitandum; sicut illa ad fugiendum, de qua Ro. 16. Rogo vos, inquit, fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offencula faciunt, &c. Ac de talibus iam sequitur,

18 MULTI ENIM AMBVLANT, QVOS SÆPE DICEBAM VOBIS, NUNC AVTEM, ET FLENS DICO. Sensus est: Ideo tam sollicitè moneo quos imitemini, quia multi sunt nequaquam vobis imitandi, quantumuis Christi nomine sese venditent, & crucem Christi prædicent; de quibus sæpe coram vos commonefeci, nunc autem absens, rursus non sine lachrymis, commonefacio. Flētem se introducit, vt commendet amorem suum erga Philippenses, quorum periculum metuebat. Verbum, ambulat, pendet adhuc, & modum desiderat, qui infra explicabitur.

INIMICOS CRVCIS CHRISTI. Regitur à verbo, dicebam, & dico: Designat enim eos à doctrina. Nam qui iusticiam prædicabant ex lege quærendam; vt bene Thomas annotat, quamuis in Christum crucifixum credere se dicerent, ex consequenti tamen hostes crucis Christi, se declarabant, quia sicut alibi dicit apostolus, Si per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est. Gal. 2. fin. Hæc autè præsentis loci verè esse intelligentiam, sub

I

initium

initium huius capituli satis monstratum est, ut ne quis suspicetur apostolum loqui de quibusdam, qui Christum verè crucifixum esse negabant. Græci, inimicos crucis Christi interpretantur eos qui voluptates & luxum huius vite sectantes, crucem Christi videntur odisse; ut pote, quæ non ad delicias, sed ad labores, & austeritatem vitæ nos inuitet. Verùm si crucis inimici sunt qui molliter ac delicias viuunt, rectam de Christo fidem tenentes; quanto magis illi, qui doctrina sua crucem Christi euacuant!

19 **QUORVM FINIS, INTERITVS.** Id est, qui ad extremum interibunt ac perdentur. Loquitur autem de æterna perditione; in quam necessariò incidunt, qui Christi crucem omnìs salutis & gratiæ fontem prauitate doctrinæ suæ persequuntur.

QUORVM DEVS VENTER EST. Hic iam explet id quod dixerat, *ambulant*, quod huc usque mansit suspensum. Et sensus est: Non ambulant sicut nos, sed longè aliter. Nam ventrem habent pro Deo: non quidem propriè ventrem Deum suum reputantes; ac nec eo sensu, quòd in ventre fiduciam collocent, sicut hominis avari Deus est pecunia, quatenus sperat & confidit in pecuniæ thesauris: sed quia causâ ventris omnia faciunt; id est, finem constituunt in delicijs cibi & potus; ut proinde *uenericola* meritò dici possint, iuxta illud apostoli de iisdem, Ro. 16. *Huiusmodi inquit, Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo vètri.* Hoc autè quæ aptè quadret in carnalibus Iudæos, explicatū vide apud Theodoretū.

ET GLORIA, IN CONFUSIONE IPSORVM. Id est, in dedecore, ignominia, turpitudine, pudore ipsorum. Hęc enim significat vox Græca ἀσχύνω. Ambrosianus legit, *in pudendis ipsorum.* Quæ lectio etiam apud verum Ambrosium est libr. 1. de Cain & Abel ca. 5. & apud Augustinū serm. 15. de verbis apost. cap. 1. & fragmento vltimo ca. 4. Hi referunt ad circuncisionem, in qua maximè gloriabantur Iudæi; quasi sensus apostoli sit: Et quorum gloriatio est in eo membro, quòd pudendum est, & abscondendum. Iactant enim illius membri circuncisionem: cum è diuerso gloria nostra sit in cruce, quam portamus in frontibus. Meminerunt huius expositionis Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius; sed omnes eam rejiciunt, nec immeritò; quia Græca vox, et si per tropum ad eam significationem trahi possit, nusquam tamen sic usurpata legitur. Adde quòd de moribus Iudæorum, non de doctrina, nunc agit apostolus; sicut & parte præcedenti, & sequenti. Quare cum Græcis hunc sensum reddimus: Et qui gloriantur in ijs quorum ipsos oportet bar pudere, id est, in flagitijs, & malè factis; iuxta illud Prou. 2. *Qui latantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quòd quidem extremæ maliciæ signum est.

QUI TERRENA SAPIVNT. Verbum Græ-

cum, quòd interpretes vertit, *sapere*, tamen propriè pertinet ad intellectum; sapere tamen ad affectum refertur. Atque eò sanè referendum est hoc loco; sicut & ad Col. 3. vbi dicitur, *Qua sursum sunt, sapite, non qua super terram.* Igitur *terrena sapiunt* quorum omne studiū, & intètio vel solūm, vel præcipuè versatur circa bona terrena. Id quòd carnaliū Iudæorum motibus erat vnitissimum.

20 **NOSTRA AVTÈM CONVERSATIO IN CÆLIS EST.** Græcè, *nostra enim*; ut hęc sit connexio, Nos autem non sic; *nām nostra cōuersatio in cælis est.* Vel, Meritò vos inuito, & ad nostri imitationē inuitati verbis superioribus. Nostra enim &c. Dicit, *nostra*, in sua persona simul & imitatorum sui. Pro *conuersatione* Græcè est, πολιτεύμα, quæ vox significat conuersationem ciuilem, id est, ciuium inter se: tanquam dicat apostolus, Ciuitas nostra, in qua ut ciues conuersamur, in cælis est; Itaque nos non terrena sapimus, sed caelestia, hoc enim est conuersationem habere in cælis, caelestia sapere, quærere, meditari. Locus similis Heb. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquiturimus.*

VNDÈ ETIAM SALVATOREM EXPECTAMVS DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Græcè, *Ex quo & Salvatorem expectamus Dominum Iesum Christum.* Caietanus illud, *Ex quo* referri posse negat ad cælos, numero repugnante; Refert autem ad totum hoc, quòd est conuersari in cælis; quasi sensus sit, Nos per conuersationem caelestem expectare Salvatorem &c. Verùm alij omnes tam Græci quàm Latini, ad cælum, vel cælos referunt, vbi Christum corporaliter esse credimus, & vnde eum ut Salvatorem expectamus; Idque multo rectius. Sic enim & ad Col. 3. ait: *Qua sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Sensus igitur est: Ex quo cælo, vel, ex quibus cælis, etiam expectamus venturum Christum Dominum, Salvatorem, ac remuneratorem nostrum; nimirum, ut plenam nobis salutem, præmiumque referat: iuxta ea quæ sequuntur de corporis nostri reformatione. Ceterum Caietano facile responderetur, apostolum more suo neglexisse constructionem grammaticam; & eo magis, quòd Græcum vocabulum indifferenter utroque numero solet usurpari in scripturis. Tamen etiam sic exponi potest; *Ex quo loco*: quòd eòdem recidit. Hic monendus es lector, *Saluatoris* vocabulum literatis plerisque non placere, & imprimis Erasmo; qui in vertendo nouo testamento, quoties Græca vox σωτήρ occurrit, aut *seruatorem* pro ea reddit, aut periphrasi quadam vitur, dicens, *eum qui dat salutem*; Quòd & alij quidam imitati sunt. Negant enim *Saluatorem* Latine dici: quòd nec Cicero, nec omnino quisquam eorum qui Latinitatis auctores habentur, eo vocabulo vsus legitur. Quibus ex aduerso nos dicimus: Si dictio, *Saluator*, non recipitur in ea, de qua agimus, si-

gnifi-

gnificatione, ut σωτήρα nobis referat, nullam prorsus aliam existare apud Latinos; quæ id præstet. Testatur hoc ipse Cicero actione 4. in Verrem his verbis: Itaque eum non solum patronum istius insulæ, sed & Sorera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est: ita magnum; ut Latine vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. Hęc ille. Ex quibus etiam discere magnū quiddam esse; quòd *Soteris* nomine significatur; ut pro eo, *seruatoris* vocabulum sufficere non possit. Quare quòd in omnibus sit disciplinis, ut qui eas tradunt, propria quædam vocabula ad artem accommodata sibi fabricent, vbi consueta non suppetunt; id utique religio Christiana tanto potiori iure sibi vendicat, quanto sunt eius mysteria à sensu humano remotiora. Iam si dandum erat vocabulum Latinum Græco respondens, & vim eius explens, quoniam σωτήρ is dicitur, auctore Cicero, qui salutem dedit: quid procliuus, aut cōuenientius, quàm ut à salute saluator diceretur? Rectè igitur Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 10. dicit hoc verbum linguam Latinam antea quidem non habuisse, sed habere potuisse; sicut habuit quando voluit. Hoc ille. Etenim ipso vsu factum est iuris ecclesiastici. Vnde & Hieronymus fuit istos criticos nihil veritus, eo vitur frequentissimè in sua versione bibliorum. In qua, seruatorem nusquam leges; nisi Prou. 24, vbi sic habet *Seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* Sed ibi, seruatorem dixit, pro eo qui custodit aut obseruat; non pro eo qui dat salutem, ut patet ex Hebræo. Quocirca refugere vocabulū quòd tota retro antiquitas patrum Latinorum in perpetuo vsu habuit; quid est aliud, quàm plus omnibus illis sapere velle? Adde, quòd analogia deriuationis ita defendit ista, Saluus, saluo, saluator: sicut hæc, Seruus, seruo, seruator. Quòd si voces ipsas lubet expendere; *seruator* is dicitur, qui seruat quòd perituum erat. Vnde serui olim dicti, id est, in bello seruati, cum potuissent occidi. *Saluator* autem, qui saluum facit; & ut Cicero loquitur, qui dat salutem; utique ei, qui saluus non erat. Hoc autem Christus fecit, non in vno homine; sed in vniuerso genere humano; nec temporariam salutem dando, sed æternam. Proinde longè plus ei tribuit qui *saluatorem* vocat, quàm qui *seruatorem*. Idem sensu de verbo, *saluare*, à quo *saluator* deducitur: quòd æquè refugit vbiq; Erasmus, atque eius loco, ex Græco verbo σώζειν, reddit seruare, salutem dare, saluum facere. Verùm Hieronymus in vertendo scripturam sacram, idemque ac ceteri patres Latini in enarrando, vulgatissimè vtuntur; ac seruandi vocabulū in hac significatione penè ignorant. Apud vnum Ambrosium lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 6. lego recitata Pe-

tri apostoli verba ex 2. ep. 1. ad hunc modum: *Sic enim abundantius ministrabitur introitus in æternum imperium Dei & Domini nostri seruatoris Iesu Christi.* Verùm hoc non Ambrosij est, sed interpretis, quisquis is fuit, cuius versione pro tēpore vsus est Ambrosius. Nec quisquā doctus probauerit, *seruatorem* dici Latine, quem Græci σωτήρα dicunt. Ita verò probamus in hac significatione verbum *saluare*; ut hæc, salutem dare, & saluum facere, quæ etiam apud vulgatum interpretem leguntur; haudquam refugiamus. Sed de ea re satis: Obiter obserua, Paulum hac parte non nihil mutare personam. Sicut enim aliquando loquitur in eorum persona, qui viui reperientur in aduentu Domini, ut i. Thess. 4: ita hic, cum ait; *Vnde & Salvatorem expectamus*; eos repræsentat qui in hac vita constituti; Christum de cælo venientem ad iudicium, verisimiliter expectare poterunt. Quòd certè in Pauli tempora non competebat; secundum ea quæ ipse scribit in 2 ad Thess. 2. Qui verò iam mortui sunt, ij non de cælo Christum expectant, sed eorum animæ in cælum receptæ, cum Christo regnant. quamuis & ipsi, in die iudicij animabus ad corpora reuertis, Christo de cælo venienti ituri sint obuam in aerea. i. Thess. 4.

21 **QUI REFORMABIT CORPVS HVMLI-TATIS NOSTRÆ CONFIGVRATVM CORPORI CLARITATIS SVÆ.** Docet quòd, & quantum bonum aduentu suo Dominus iustis omnibus sit allaturus; scilicet gloriam corporum. Græca sic habent: *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut fiat conforme corpori gloriae suæ.* Atque ita fermè legunt tam commentatōr Ambrosij titulo, quàm verus Ambrosius lib. 5. de fide cap. 7. Sensus: Qui transmutabit corpus nostrum humile, vile, miseris & corruptioni obnoxium; ut sit tale, quale est corpus ipsius gloriosum. Hanc mutationem significat apostolus verbo μετασχηματισει, *transfigurabit*; non quòd aliam figuram habitura sint sanctorum corpora, quam nunc habeant; quæ fuit quorundam hæresis dicentium nos resurrecturos in globosis corporibus, qualia sunt solis, & stellarum; sed quia formæ seu qualitates erunt longè diuersæ. Ad hanc enim significationem facilè extēditur σχημα Græcū. Vnde apud Matthæū & Marcū hoc mutationis genus, *transformatio* vocatur: licet in nostra versione *transfigurandi* vocabulū ibi legatur. Matth. 17. Marci 9: in pine.

SECVDVM OPERATIONEM, QVA ETIAM POSSIT SVBICERE SIBI OMNIA. Pro *operatione*, Græcè est ἐνεργεια, quæ significat efficaciam, siue operationem efficacem. Item coniunctionis vocula *Etiam*, in Græco, non verbum *possit*, sed verbum *subicere*, proximè præcedit & determinat; quòd & videre est in textu Ambrosiano, & apud S. Ambrosium loco

initium huius capitis satis monstratum est, ut ne quis suspicetur apostolum loqui de quibusdam, qui Christum verè crucifixum esse negabant. Græci, inimicos crucis Christi interpretantur eos qui voluptates & luxum huius vitæ sectantes, crucem Christi videntur odisse; ut pote, quæ non ad delicias, sed ad labores, & austeritatem vitæ nos inuitet. Verùm si crucis inimici sunt qui molliter ac delicias viuunt, rectam de Christo fidem tenentes; quanto magis illi, qui doctrina sua crucem Christi euacuant!

19 **QUORVM FINIS, INTERITVS.** Id est, qui ad extremum interibunt ac perdentur. Loquitur autem de æterna perditione; in quam necessariò incidunt, qui Christi crucem omnis salutis & gratiæ fontem prauitate doctrinæ suæ persequuntur.

QUORVM DEVS VENTER EST. Hic iam explet id quod dixerat, *ambulant*, quod huc vsquè mansit suspensum. Et sensus est: Non ambulant sicut nos, sed longè aliter. Nam ventrem habent pro Deo: non quidem propriè ventrem Deum suum reputantes; ac nec eo sensu, quòd in ventre fiduciam collocent, sicut hominis avari Deus est pecunia, quatenus sperat & confidit in pecuniæ thesauris: sed quia causâ ventris omnia faciunt; id est, finem constituunt in delicijs cibi & potus; ut proinde *uenericola* meritò dici possint, iuxta illud apostoli de iisdem, Ro. 16. *Huiusmodi inquit, Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo vètri.* Hoc autè quâ aptè quadret in carnalibus Iudeos, explicatū vide apud Theodoretū.

ET GLORIA, IN CONFUSIONE IPSORVM. Id est, in dedecore, ignominia, turpitudine, pudore ipsorum. Hęc enim significat vox Græca *αἰσχρῶν*. Ambrosianus legit, *in pudendis ipsorum.* Quæ lectio etiam apud verum Ambrosium est libr. 1. de Cain & Abel ca. 5. & apud Augustinū serm. 15. de verbis apost. cap. 1. & fragmento vltimo ca. 4. Hi referunt ad circuncisionem, in qua maximè gloriabantur Iudæi; quasi sensus apostoli sit: Et quorum gloriatio est in eo membro, quod pudendum est, & abscondendum. Iactant enim illius membri circuncisionem: cum è diuerso gloria nostra sit in cruce, quam portamus in frontibus. Meminerunt huius expositionis Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius; sed omnes eam rejiciunt, nec immeritò; quia Græca vox, etsi per tropum ad eam significationem trahi possit, nusquam tamen sic vsurpara legitur. Adde quòd de moribus Iudæizantium, non de doctrina, nunc agit apostolus; sicut & parte præcedenti, & sequenti. Quare cum Græcis hunc sensum reddimus: Et qui gloriantur in ijs quorum ipsos oportebat pudere, id est, in flagitijs, & malè factis; iuxta illud Pro. 2. *Qui latantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quod quidem extremæ maliciæ signum est.

QUI TERRENA SAPIVNT. Verbum Græ-

cum, quod interpret vertit, *sapere*, tamen propriè pertinet ad intellectum; sapè tamē ad affectum refertur. Atque eò sanè referendum est hoc loco; sicut & ad Col. 3. vbi dicitur, *Qua sursum sunt, sapite; non qua super terram.* Igitur *terrena sapiunt* quorum omne studiū, & intètio vel solūm, vel præcipuè versatur circa bona terrena. Id quod carnaliū Iudæorum moribus erat vltimissimum.

20 **NOSTRA AVTEM CONVERSATIO IN CALIS EST.** Græcè, *nostra enim*; ut hęc sit connexio, Nos autem non sic; *nāq; nostra cōuersatio in calis est.* Vel, Meritò vos inuito, & ad nostri imitationē inuitati verbis superioribus. Nostra enim &c. Dicit, *nostra*, in sua persona simul & imitatorum sui. Pro *cōuersatione* Græcè est, *πολιτεύμα*, quæ vox significat conuersationem civilem, id est, ciuium inter se: tanquam dicat apostolus, Ciuitas nostra, in qua ut ciues conuersamur, in calis est; Itaque nos non terrena sapimus, sed caelestia. hoc enim est conuersationem habere in cælis, caelestia sapere, quærere, meditari. Locus similis Heb. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquiturimus.*

VNDÈ ETIAM SALVATOREM EXPECTAMVS DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Græcè, *Ex quo & Salvatorem expectamus Dominum Iesum Christum.* Caietanus illud, *Ex quo* referri posse negat ad cælos, numero repugnante; Refert autem ad totum hoc, quod est conuersari in calis; quasi sensus sit, Nos per conuersationem caelestem expectare Salvatorem &c. Verùm alij omnes tam Græci quàm Latini, ad cælum, vel cælos referunt, vbi Christum corporaliter esse credimus, & vnde eum ut Salvatorem expectamus; Idque multo rectius. Sic enim & ad Col. 3. ait: *Qua sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Sensus igitur est: Ex quo cælo, vel, ex quibus cælis, etiam expectamus venturum Christum Dominum, Salvatorem, ac remuneratorem nostrum; nimirum, ut plenam nobis salutem, præmiumque referat: iuxta ea quæ sequuntur de corporis nostri reformatione. Ceterum Caietano facilè responderetur, apostolum more suo neglexisse constructionem grammaticam; & eo magis, quòd Græcum vocabulum indifferenter vtroque numero solet vsurpari in scripturis. Tamen etiam sic exponi potest; *Ex quo loco*: quod eòdem recidit. Hic monendus es lector, *Saluatoris* vocabulum literatis plerisque non placere, & imprimis Erasmo; qui in vertendo nouo testamento, quoties Græca vox *σωτήρ* occurrit, aut *seruatorem* pro ea reddit, aut periphrasi quadam vitur, dicens, *eum qui dat salutem*; Quod & alij quidam imitati sunt. Negant enim *Saluatorem* Latine dici: quòd nec Cicero, nec omnino quisquam eorum qui Latinitatis auctores habent, eo vocabulo vsus legatur. Quibus ex aduerso nos dicimus: Si dictio, *Saluator*, non recipitur in ea, de qua agimus, si-

gnifi-

gnificatione, ut *σωτήρ* nobis referat, nullam prorsus aliam existare apud Latinos, quæ id præter. Testatur hoc ipse Cicero actione 4. in Verrem his verbis: Itaque eum non solūm patronum istius insulæ, sed & Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum; ut Latine vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. Hęc ille. Ex quibus etiam discere magnum quiddam esse; quod *Sotēris* nomine significatur; ut pro eo, *seruatoris* vocabulum sufficere non possit. Quare quod in omnibus sit disciplinis; ut qui eas tradunt, propria quædam vocabula ad artem accommodata sibi fabricent, vbi consuetæ non suppetunt; id vtiq; religio Christiana tantò potiori iure sibi vendicat, quanto sunt eius mysteria à sensu humano remotiora. Iam si dandum erat vocabulum Latinum Græco respondens, & vim eius explens, quoniam *σωτήρ* is dicitur, auctore Cicero, qui salutem dedit: quid procliuus, aut cōuenientius, quàm ut à salute saluator diceretur? Rectè igitur Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 10. dicit hoc verbum linguam Latinam antea quidem non habuisse, sed habere potuisse; sicut habuit quando voluit. Hoc ille. Etenim ipso vsu factum est iuris ecclesiastici. Vnde & Hieronymus fuit istos criticos nihil veritus eo vitur frequentissimè in sua versione bibliorum. In qua, seruatorem nusquam leges; nisi Pro. 24, vbi sic habet *Seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* Sed ibi, seruatorem dixit, pro eo qui custodit aut obseruat; non pro eo qui dat salutem; ut patet ex Hebræo. Quocirca refugere vocabulū quod tota retro antiquitas patrum Latinorum in perpetuo vsu habuit; quid est aliud; quàm plus omnibus illis sapere velle? Adde, quòd analogia deriuationis ita defendit ista, *Saluus, saluo, saluator*: sicut hæc, *Seruus, seruo, seruator*. Quòd si voces ipsas lubet expendere; *seruator* is dicitur, qui seruat quod peritūrum erat. Vnde serui olim dicti; id est, in bello seruati, cum potuissent occidi. *Saluator* autem, qui saluum facit; & ut Cicero loquitur, qui dat salutem; vtiq; ei, qui saluus non erat. Hoc autem Christus fecit, non in vno homine; sed in vniuerso genere humano; nec temporariam salutem dando; sed æternam. Proinde longè plus ei tribuit qui *saluatorem* vocat, quàm qui *seruatorem*. Idem sensu de verbo, *saluare*, à quo *saluator* deducitur: quod æquè refugit vbiq; Erasmus, atque eius loco, ex Græco verbo *σώζειν*, reddit seruare, salutem dare, saluum facere. Verùm Hieronymus in vertendo scripturam sacram, idemque ac ceteri patres Latini in enarrando, vulgatissimè viuunt; ac seruandi vocabulū in hac significatione penè ignorant. Apud vnum Ambrosium lib. 3. de fide ad Grarianum cap. 6. lego recitata Pe-

tri apostoli verba ex 2. ep. 1. ad hunc modum: *Sic enim abundantius ministrabitur introitus in æternum imperium Dei & Domini nostri conseruatoris Iesu Christi.* Verùm hoc non Ambrosij est, sed interpretis, quisquis is fuit, cuius versione pro tēpore vsus est Ambrosius. Nec quisquā doctus probauerit, *conseruatorem* dici Latine, quem Græci *σωτήρ* dicunt. Ita verò probamus in hac significatione verbum *saluare*; ut hæc, salutem dare, & saluum facere, quæ etiam apud vulgatum interpretem leguntur, haudquam refugiamus. Sed de ea re satis. Obiter obserua, Paulum hac parte non nihil mutare personam. Sicut enim aliquando loquitur in eorum persona, qui viui reperiuntur in aduentu Domini, ut i. Thess. 4: ita hic, cum ait; *Vnde & Salvatorem expectamus*; eos representat qui in hac vita constituti; Christum de cælo venientem ad iudicium, verisimiliter expectare poterunt. Quod certè in Pauli tempora non competebat; secundum ea quæ ipse scribit in 2 ad Thess. 2. Qui verò iam mortui sunt, ij non de cælo Christum expectant, sed eorum animæ in cælum receptæ, cum Christo regnant. quamuis & ipsi, in die iudicij animabus ad corpora reuerfis, Christo de cælo venienti ituri sint obuiam in aerea. i. Thess. 4.

21 **QUI REFORMABIT CORPVS HVMLI-TATIS NOSTRÆ CONFIGVRATVM CORPORI CLARITATIS SVÆ.** Docet quod, & quantum bonum aduentu suo Dominus iustis omnibus sit allaturus; scilicet gloriam corporum. Græca sic habent: *Qui transfigurabit corpus humiliatis nostræ, ut fiat conforme corpori gloriae suæ.* Atque ita fermè legunt tam commentator Ambrosij titulo, quàm verus Ambrosius lib. 5. de fide cap. 7. Sensus: Qui transmutabit corpus nostrum humile, vile, miseris & corruptioni obnoxium; ut sit tale, quale est corpus ipsius gloriosum. Hanc mutationem significat apostolus verbo *μετασχηματισεῖ*, *transfigurabit*; non quod aliam figuram habitura sint sanctorum corpora, quam nunc habeant; quæ fuit quorundam hæresis dicentium nos resurrecturos in globosis corporibus, qualia sunt solis, & stellarum; sed quia formæ seu qualitates erunt longè diuersæ. Ad hanc enim significationem facilè extèditur *σχῆμα* Græcū. Vnde apud Matthæū & Marcū hoc mutationis genus, *transformatio* vocatur: licet in nostra versione *transfigurandi* vocabulū ibi legatur. Matth. 17. Marci 9. in pñe.

SECVDVM OPERATIONEM, QVA ETIAM POSSIT SVBICERE SIBI OMNIA. Pro *operatione*, Græcè est *ἐνεργεια*, quæ significat efficaciam, siue operationem efficacem. Item coniunctionis vocula *Etiam*, in Græco, non verbum *possit*, sed verbum *subicere*, proximè præcedit & determinat; quod & videre est in textu Ambrosiano, & apud S. Ambrosium loco

iam citato, & in quibusdam vetustis codicibus nostris, nominatim Laudensi. Sensus igitur est, Christum illud facturum per eam virtutis suae efficaciam, qua potest etiam subicere sibi ipsi (*εαυτῷ*) vniuersam creaturam; imò qua id ipsum aliquando facturum est. Nam omnia tandem ei subijcienda esse docent scripturae, Psalm. 8. 1. Cor. 15. & Heb. 2. Quod quidem quò sensu accipiendum sit, ex iisdem locis petatur. Id verò consideratione dignum est, apostolum hinc Filio tribuere, quod aliàs Patri. Hic enim scribit Filium posse sibi ipsi subicere omnia: cum alibi dicat Patrem filio omnia subiecturum. Ex quo, contra Arianos ostendit Ambrosius loco memorato eandem Patris & Filij potentiam, proindeque eandem essentiam ac diuinitatem esse. Rectè quoque Graeci monent, in apostoli verbis argumentationem huiusmodi contineri; Christus efficaciter potest omnia sibi subicere, (nam id re ipsa facturum est secundum scripturas iam citatas): ergo potest conformare corpora nostra mortalia corpori suo glorioso, Idq; a deo facturum est, quia facturum se promisit.

S V M M A R I V M.

Hortatur ut gaudeant in Domino, & assidue cogitent ea qua sunt pietatis. Laudat eos quod necessitati suae subuenerant, idque facit ipsorum potissimum causa. Postremo bene ipsi precatur.

C A P V T I V.

ITAQVE FRATRES MEI CHARISSIMI ET DESIDERATISSIMI. Prosequitur exhortationem cum amica & honorabili allocutione, laudem eorum continente. Graecè, *dilecti & desiderati*: quae tamen in Graeco nomina verbalia sunt, non participia, q. d. amabiles & desiderabiles; id est, quos merito amet, quorumque praesentia frui desideret. Sic enim dixit cap. 1. *Testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.*

GAUDIUM MEVM, ET CORONA MEA. Vocat eos *gaudium suum*, quia de eorum fidei constantia gaudebat; quanquam hoc gaudium adhuc augeri vult. per eorum profectum: *Implete*, inquit; *gaudium meum*. ca. 2. *Coronam autem suam*, eos vocat, quod essent vel ornamentum capitis eius, de quo gloria-ri posset; vel potius, quia pro labore praedicationis euangelicae, qua eos ad Christum adduxerat, coronam à Deo expectabat; de qua 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die*. Similis locus est 1. Thess. 2. in fine.

SIC STATE IN DOMINO, CARISSIMI. Hoc est, Quod paulò antè admonui, ut sitis unanimis in fide Christi; in eo perseuerate.

Aut, secundum Graecos, sicut haecenus immoti & firmi statis in fide; sic deinceps persistite ob spem gloriae à Christo expectandae. Repetit autem, *carissimi*, siue *dilecti*, quo magis exprimat amoris sui erga eos affectum.

2. EVCHODIAM ROGO ET SYNTYCHEM DEPRECOR, ID IPSVM, SAPERE IN DOMINO. Legendum, *Euodiam*. Sic enim non solum habent Graeci & Syri codices, verum etiam legunt veteres Latini expositores suffragantibus item manuscriptis exemplaribus nonnullis & editione Clemantina. Porro in Graeco, eiusdem verbi repetitio est, *Euodiam obsecro, & Syntychem obsecro*; vel, *Euodiam hortor, & Syntychem hortor*. Apparet autem has duas feminas apud Philippenses fuisse primarias ecclesiae cooperatrices, inter quas aliquid dissidij coortum fuerit. Eas rogat, & hortatur *ut idem sapiant*, siue sentiant, *in Domino*; id est, ut concordēs sint in charitate Christi. *Idem sapere* pro eo quod est, concordēs esse, iam supra legimus cap. 2. & 3. & alibi.

3. ETIAM ROGO ET TE GERMANE COMPAR. *Etiam*, Graecè *καί*, Latinis quoque receptum affirmandi aduerbium est, non coniunctio copulans. Proinde alij clariùs vertunt, *Sanè rogo & te compar germane*. Est autem hic verbum à superiore diuersum, *ερωτάω*, quod tantum *rogo*, significat. Iam pro eo quod Latina versio habet, *germane compar*, vel, recto ordine, *compar germane*, Graecè est *συνυχε γυναικί*; quod ad verbum sonare videtur prima fronte, *coiunx germane*, vel feminino genere, *coiunx germana*. Nam Graeci vocatiui licet terminationem habeant masculinam, tamen etiam femininum genus admittunt: sicut Erasmus probat in annotationibus. Hinc igitur orta celebris quaestio de vxore Pauli. Quod enim vxorem habuerit, eamque adhuc eo tempore viuentem, quo hanc scripsit epistolam, ex isto potissimum loco, ubi eam alloqui videtur, colligunt quidam neoterici; adeò ut Faber Stapulensis ausus fuerit vertere, *ingenua coniux*; Quam etiam versionem suam latè mordicusque defendit in commentario. Erasmus quoque, licet in annotationibus ambiguitè disputet de hac re; vertere tamen non dubitauit, feminino genere, *compar germana*. Quod & approbat in paraphrasi, Paulum ita loquentem faciens, *Quia & te rogo vera, germanaque coniunx*. Eadem interpretatio Caietano, & Catharino placuit. Quorum rationes, seu coniecturas apud ipsos videre est; Neque enim magni sunt momenti: ut nec illae quas Erasmus & Faber pro hac sententia adferunt. Quod enim ad Graecum textum attinet; neutrum vocabulum propriè femininum est, sed alterum quidem commune, alterum verò masculinum; quod licet Attico more pro feminino possit vsurpari, non tamen verisimile est à Paulo factum id esse, ut qui imperitus erat sermone, nec

Atti-

Atticismis utebatur. Certè ad tollendam sermonis ambiguitatem potius dixisset *γυναικί* quam *γυναικί*, si mulierem se alloqui significare voluisset: quomodo Aristoteles Atheniensis philosophus etiam extra amphiboliam lib. 9. historiae animalium ca. 32. dixit *γυναικί γυναικί*, id est *γυναικί*, significare volens vxorem germanam & legitimam. Vnde non ineptè (quod putat Erasimus) commentariū de vxore Theophylactus refellit, cum dicit apostolum, si suam vxorem intelligi voluisset, debuisset dicere genere feminino *γυναικί σὺ γυναικί*. Pariter autè, quāuis non eadè ratione, commentarium illum reprobant Chrysostomus, Théodoretus & Oecumenius; stultum esse dicentes in his verbis suspicari carnale coniugium Pauli. Quin & catena Geneuensis, etsi ex haereticis authoribus constat, versionem tamen femininam, vna cum expositione de vxore Pauli, rejicit, & contrarias ratiunculas dissoluit. His adde quod multi veterum disertè negant Paulum vxorem habuisse, ut Tertullianus li. 1. ad vxorem cap. 3. & in libro de monogamia ca. 3. & 8. Hilarius in psalm. 117. Epiphanius haeresi 58. quae est Valerianorum. Ambrosius in exhortatione ad virgines. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & in epistola 22. quae est ad Eustochium de custodia virginum. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio ca. 4. lib. de bono coniug. ca. 10. lib. 1. de adult. con. cap. 4. & de opere mon. cap. 4. Nec quisquam patrum inuenitur diuersum sensisse, vno excepto Clemente Alexandrino, qui lib. 3. Stromatum circa medium, cum ex hoc loco, tum ex illo 1. Cor. 9. ubi scriptum est, *Nunquid non habemus potestatem vxorem mulierem circūducendi*, &c. probare se putat Paulum vxorem fuisse, tamen continentem. Quam eiusdem authoris sententiam referunt quidam Eusebius lib. 3. histor. eccl. cap. 24. & Nicephorus lib. 2. cap. 44. & ante eos tacito nomine authoris Origenes, exponens illud Ro. 1. *Paulus seruus Iesu Christi*; Sed ita referunt ut tamen non approbent: Verum vnus Clementis presbyteri, (cuius opera à Gelasio pontifice censentur inter apocrypha) priuata opinio ceterorum omnium patrum constanti assertioni praepondere non potest. Nam quod ad locum attinet epistola 1. ad Cor. 9. de eo plenè respondimus in eius epistola expositione. Et quidem Paulum vitam egisse caelibem ex eiusdem epistola cap. 7. luculentè monstrauimus, ubi ait: *Volo omnes homines esse, sicut me ipsum*. Et rursum: *Dico non nuptis & viduis bonum esse illis, si sic permaneant sicut & ego*. Nec verò, quisquā adeò vecors est, ut dicat post illud tempus (scriptae sunt enim epistolae ad Corinthios multo ante epistolam ad Philipp.) Paulum accepisse vxorem: nam id non solum indignum est, de eo cogitare, tào apostolo, iamque aetate prouecto ac senescente:

verum etiam pugnasset cum ipso exhortatione ad Cor. facta, in qua suum illis proposuerat exemplum ad continentiam perpetuam. Opponitur quidem & Ignatii martyris autoritas, in cuius epistola ad Philadelphios habeatur Petrum & Paulū, & reliquos apostolos coniugatos fuisse, excepto Ioanne. Sed inane esse hoc argumentum probant vetusta exemplaria ex diuersis, ac diuersarū regionum bibliothecis deprōpra; quae Pauli nomen non habent ascriptū; quae admodum ostendunt Turrianus lib. 1. contra Magedeburgē ca. 2. & in defensione cōstit. apostolicarū Clemētis ad li. 6. ca. 18. Pamelius in Tertul. de monog. scholio 13. Bellar. lib. 1. de clericis ca. 20. & Baronius to. 1. annalium, ad annum Christi 57. Cuius etiam rei certū argumentū (ut alias omittā cōiecturas, quas bonas & solidas adfert Baronius) sumitur ex eo quod loquitur Ignatius de apostolis, qui cū Christo fuerant conuersati; qualis vtrique Paulus non fuit. Porro citat huc Catharinus etiā testimonium ex reuelationibus Brigitae, quod non vult temerè sperni. Sed abique temeritate ei respondetur ecclesiam eas reuelationes ignorare. Iam quod ad praesentē apostoli locū attinet, ratio non permittit eum de Pauli vxore intelligi. Primum, quia minimè decebat ut in epistola, quam ad totā ecclesiam Philippensium dabat, hac vteretur apostropha, qua ita singulariter vxorem suam compellat. Deinde, si id voluisset: certè non appellasset eam vxorem, seu coniugem, sed fororem, scilicet ad insinuandum quod inter ipsos, ut omnes fatentur, iam cessaret carnale commercium. Denique, etsi coniugē adhuc superstitem habuisset; non eam secum traduxisset in Graeciam aut Macedoniam; praesertim cum alibi neget se fororem mulierē circumducere. nec ratio erat cur illam Philippis sineret morari, in qua vrbe non diu versatus fuerat; sed potius eā reliquisset Hierosolymis, aut in sua, vel eius patria, aptud agnatos Christianos; ut rectè ratiocinatur Oecumenius. Igitur ut ad declarationem verborum textus reuertamur, pro eius intellectu sciendum est apostolum passim in epistolis suis uti metaphoricis locutionibus; quod notius est, quā ut probatione egeat. Hinc autè est, quod suos in euāgelio adiutores translaticijs vocibus varie nominet; ac sapissime quidem cooperarios, Graecè *συνεργούς*, ducta metaphora ab operis agrarijs, aut fabrilibus. Vnde cum dixisset. 1. Cor. 3. *Dei sumus cooperarij*, explicās latentem metaphoram, subiunxit *Dei agricultura estis. Dei aedificatio estis*. Vbi & mox seipsum architectum vocat. Interdum verò metaphoram à militia sumens, commilitones eos appellat. Ac ne longius abeamus, vtriusque exemplum hāc ipsa epistola subministrat; Nam Epaphrōditum cap. 2. cooperarium simul & commilitonem suum vocat. Et rursum in hoc capite, Clementis & ceterorum *συνεργών* suorum meminit. In-

terdū quoque de his vt synathletis loquitur, id est, certaminis socijs quale est pugilum, aut disco, luctāue certantium. Atque huius exemplum habemus hoc ipso capite. Quod enim ait, *Quæ mecum laborauerunt in euangelio*; eam quam dixi, in Græco significationem habet, vt infra explicabitur. Ad eundem igitur modum, hoc loco quædam insignem suam adiutorem vocat *γυναικῶν τῶν ζυγῶν*, id est, germanum ac sincerum coniugalem; sumpta nimirum metaphora à iumentis, præsertim bōbus, in aratro trahendo vel alio opere coniunctis ac combinatis. Huiusmodi enim par proprie significatur Græco vocabulo *ζυγῶν*; quod Latini *iugum* vocant. Vnde illud euangelicum, *Iuga bouum erunt quinque*, Luc. 14. Hæc autem metaphora benè congruit cum eo quod ad Cor. dixerat, *Dei agricultura estis*; nam in agricultura præcipuus labor esse solet bouum coniugatorum seu coniugaliū; vt interdum vocantur etiam à Latinis authoribus. Quocirca Macarius Ægyptius monachus, scribit Lxx discipulos quos Christus misit binos ad prædicandum, missos fuisse *ζυγῶν*, id est, coniugales, tanquam paria iumentorum sub vno iugo laborantium. Neque enim Græca vox proprie significat eos quos Latine coniuges vocamus, id est, maritum & uxorem; sed generatim eos qui socij sunt eiusdem operis, velut idem iugum trahentes. In qua significatione etiam profani authores Græci vocabulum hoc usurparunt vt Aristophanes, Plato & alij. An autem Græca vox aliquando dicatur de marito & uxore, nondum compertum habeo. Est verdè huic metaphora bouum coniugatorum admodum affinis & illa bouum triturantium; qua idem apostolus vitur, non semel, cum illud ex lege; *Non alligabis os boni trituranti*, interpretatur de prædicatore euangelico 1 Cor. 9. & 1 Tim. 5. Porro quod Latini quidam, vt Primasius & author commentarij apud Hieronymum, eosque secuti Litanus, & Carthusianus, existimant, Germanum esse proprium nomen viri; falli in eo videtur. Nam Græca dictio *γυναικῶν*, appellatiua est; qua & alibi vitur apostolus: vt in salutatione ad Tim. 1. & ad Tit. vocans eos germanos ac sinceros filios. Oecumenius putat dici posse alterum vocabulum *ζυγῶν* esse proprium nomen; sed neque id probabile. Si quæras, quem hominem voluerit apostolus designare: Respondet Theophylactus, aut fratrem, aut maritum alterius prædicatarum mulierum; aut forè custodem illum carceris à Paulo conuersum Act. 16. Alij, vnum ex episcopis vel diaconis, quos salutat initio epistolæ. Verum nihil certi. Quisquis autem fuerit, multum ab apostolo honoratur, dum eum vocat *germanum*, hoc est, sincerum adiutorem, ac laboris socium. Quo nomine iam supra ca. 2 suum Timotheum laudauerat, dicens se neminem alium habere, qui tam ger-

manè atque sincerè (sic enim in Græco est,) pro Philip pensibus sollicitus esset. Illum igitur virum, tacito eius nomine, compellās; rogat vt faciat quod sequitur.

ADIVVA ILLAS QUÆ MECUM LABORAVERT IN EVANGELIO. Duas feminas intelligit, quas modo nominavit. Illæ, inquit, versantur in opere ad vilitatem ecclesiæ pertinate: Hoc opus & tu cum ijs capeffe, easque adiuua. Tale quid enim significat Græcum verbum *συνλαβῆναι*. Quamquam etiam verti potest, *suscipe eas*; quomodo vertit interpret Theophylacti; vt sensus sit: Suscipe earum infirmitatem, easque inter se reconcilia. Sic enim Theodoretus exponit. Quod autem sequitur: *Quæ mecum laborauerunt in euangelio*; tale est ac si diceret, Nam profecto dignæ sunt hac mea commendatione, quia cum apud vos essem, *me cum laborauerunt*, siue vt in Græco est, *de certaminibus*, euangelij causa, significatur autem certamen quale est athletarum, id est, vehemens ac laboriosum; Vnde non incommodè vertit noster interpret, *laborauerunt*. Sic de Prisca & Aquila dicit Ro. ultimo, quod *pro ipso cervicem suam supposuerant*. Non enim mulieres in euangelio collaborasse Paulo putanda sunt, quasi ipsæ euangelium simul cum eo prædicauerint; sed quia propter euangelij negocium promouendum, ac defendendum, labores & pericula subierant. Hic obseruanda est in Græcis verbis ex præpositione *σύν* compositis, quædam allusio; q. d. apostolus, Adiuua eas, quæ me adiuuerunt in certamine; vel, Suscipe eas, quæ me susceperunt officio suo vsque ad periculum.

CVM CLEMENTE ET CÆTERIS ADIUTORIBVS MEIS; Græcè, *cooperarijs meis*. Non est sensus, Laborauerunt mecum, atque etiam laborauerunt cum Clemente & adiutoribus meis. Sic enim in Græco, idem casus datiuus retinendus fuisset, quod non est factum; sed sensus est, eas mulieres vnâ cum Clemente cæterisque Pauli cooperarijs, Paulo socias & adiutrices fuisse laboris, ac certaminis in euangelio. Hinc colligitur, etiam Clementem Philippis adfuisse Paulo, quando propter euangelium periclitatus est, vt scribitur Act. 16. Non enim apparet de quo alio certamine possit hic locus accipi. Porro Clementem hunc Hieronymus in lib. de scriptoribus ecclesiasticis, & Primasius in commentario eum intelligunt, qui post Petrum Romanæ ecclesiæ præsedir. Quibus & ipsa ecclesiæ consentit, dum locum hunc inter missarum solemnia recitat in festo eiusdem beati Clementis.

QUORVM NOMINA SVNT IN LIBRO VITÆ. Hoc est, de quibus benè, & merito cōfido, propter piam operam quam euangelio præstant, quod eorum nomina scripta sint in libro vitæ. ne quis hinc suspiceretur (quod non est verisimile) Paulo reuelatam fuisse diuinitus illorum prædestinationem.

Etenim

Etenim per librum vitæ tam hoc loco, quam Apo. 20. metaphoricè significatur notitia Dei, qua firmiter in mente retinet eos quos ad vitam prædestinavit æternam. Nominis rationem doctè explicat Thomas in commentario, & l. q. 24. a. 1. Adiecit autem apostolus hanc partem, ne quia solum Clementem & duas mulieres nominauerat, cæteri cooperarij eius offenderentur quod nominati non essent. q. d. quorum multo felicitius alibi scripta nomina, quam si hîc ascriberentur; Scripta sunt enim in libro vitæ.

GAUDETE IN DOMINÒ SEMPER: ITERVM DICO GAUDETE. Verbum Græcum *χαίρετε*, significat etiam, *Valete*; atque eo modo Faber transtulit parum memor apostolicæ consuetudinis, qua passim in epistolis suis gaudium spirituale commendat, atque ad illud fideles hortatur; vt Rom. 12. *Spe gaudentes*. 2. Cor. 6. *quasi stristes, semper autem gaudentes*. & c. 13. *De cætero, fratres, gaudeate*. & 1 Theff. 5. *Semper gaudeate*. Quin & in hac epistola capite superiori dixerat; *De cætero fratres mei gaudeate in Domino*, Hoc ipsum igitur, atque eodem sensu nunc iterum inculcat. Nam quia Philippenses in magnis propter euangelium versabantur afflictionibus; apostolus non contentus semel eos excitasse ad gaudendum in Domino, eandem exhortationem hîc ante finem epistolæ repetit, atque congeminat, vtens eleganti schemate, quod epanalepsin vocat. Dicit autem, *Semper gaudeate*: sicut alibi præcipit semper & sine intermissione orare; & sicut ipse initio huius epistolæ, nec non Ro. 1. Eph. 1. Col. 1. & initio vniusquæ epistolæ ad Theff. dicit se pro ijs ad quos scribit, Deo semper gratias agere, eorumque memoriam apud Deum sepe habere. Sensus igitur est: Quam frequentissimè excitare ac renouate in vobis gaudium spirituale recolentes animo ineffabile beneficium vocationis vestræ, qua vocati estis per fidem in spem vitæ & gloriæ æternæ. Hæc enim omnibus pijs iustissima gaudendi causa est, maximumque solatium, etiam in medijs periculis & pressuris, tametsi & de eo ipso gaudendum erat Philippensibus, quod, vt habetur cap. 1. *donatum illis esset, non solum credere in Christum, sed etiam pro eo pati*: quem admodum & de apostolis scriptum est Act. 5. *quod ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habitu erant pro nomine Iesu contumeliam pati*. Quod spectat & illud Iacobi apostoli præceptum, *Omne gaudium existimate, cum in tentationes*, id est, tribulationes, *varias incidieritis*.

MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBVS HOMINIBVS. Pro modestia Græcè est, *τὸ ἐπιεικὲς*, adiectiuum neutrum substantiui loco positum; quomodo Græcè dicitur *τὸ ἠσέπρον*, quod Latini decorum vocant. Significat autem *τὸ ἐπιεικὲς* vel *ἐπιεικεία* eam vitæ, ac morum compositionem, qua quis um alijs hominibus, omni iusticia, æquita-

te, modestia, facilitate conuersatur, quam & Ambrosianus rationabilem conuersationem exponit. Idem nomen eodem significato est apud apostolum Tit. 3. v. 2. & alibi. Hanc autem virtutem (si tamen vna virtus est, & non potius multarum complexio) exigit apostolus à fidelibus agentibus inter infideles, vt per hanc eorum conuersationem benè vbique audiat nomen Christianum. Vnde & Petrus 1. ep. 2 ait: *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*. Nonnulli modestiam interpretantur animi moderationem, qua etiam dura quæque patienter ac moderatè feruntur; quia, inquitur, agitur hoc loco de tribulationibus. Atqui hic intellectus non videtur explere vim Græci vocabuli, neque perinde conuenire cum eo quod dicit; *nota sit omnibus hominibus*: quod quidem in priorem acceptionem optime quadrat. Hîc igitur alijs verbis monet Philippenses, quod iam ante monuerat ca. 2. *vt sitis sine querela, & simplices, filij Dei sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*.

DOMINVS PROPE EST. Iterum consolatur. Afflictiones, inquit, huius vitæ non diu durabunt: Cito veniet tempus retributionis à Domino: Quapropter iubeo vos omnes bono & læto esse animo. Alij sic exponunt; *prope est Dominus*; id est, paratus ad succurrendum vobis in omni necessitate, si tamè eum inuocaueritis, iuxta illud psal. 144. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum*. At magis verisimile est apostolum de iudicio loqui; & suo more per *Dominum*, Christum intelligere; de quo etiam paulo antè dixerat eum de cælis adfuturum remuneratorem piorum. Et quamuis de extremo iudicio loquatur sicut alibi sæpe; verificatur tamen sententia per iudicium particulare quod fit in morte cuiusque; quia talis quisque iudicabitur in vniuersali iudicio, qualis in morte repertus & iudicatus fuerit. Vide Hebr. 10. v. 25.

NIHIL SOLICITI SITIS; SED IN OMNI ORATIONE ET OBSECRATIONE CVM GRATIARVM ACTIONE, PETITIONES VESTRÆ INNOTESCANT APVD DEVM. Illud: *In omni* videtur prima facie iungendum, *cum oratione & obsecratione*; Et id vult textus Ambrosianus, qui sic habet, *Sed per omnem orationem & precem*. Verum Græca manifestè reclamat; Est enim *πᾶσι* neutri generis, cum sequentia substantiua sint feminini: proinde Græci interpretentur subaudiunt *πᾶσι*, In omni re seu negotio. Opponit enim apostolus quod dicit, *in omni*, ei quod dixerat; *Nihil*: Quare vtrumque de re accipiendum est. Illud etiam obseruandum, quod cum supra monuisset Philippenses; quid eorum vellent innotescere omnibus hominibus; non iniucundo sche-

mate nunc subijcit quid velit innotescere Deo. Sensus itaque est: De nulla re quæ vobis aut desit, aut contingat, anxie sitis solliciti, quasi diffidentes paternæ providentiæ Dei; sed quacumque re opus habueritis, & in quacumque occurrente necessitate, recurrite ad Deum orando, & obsecrando, ut tribuat id quod petitis; simul & gratias agendo de acceptis. Quod enim ait: *Innotescant apud Deum*, improprius est sermo, qui secundum Aquinatem sic explicari potest, Fundite deuotas & feruentes ad Deum preces, quæ dignæ sint exaudiri, & quæ probeantur Deo. Dicitur enim Deus scire ea quæ probat; nescire, quæ improbat. Qua de re vide etiam Augustinum ep. 112. ad Probam de orando Deo. Porro *petitiones* aut sunt desideria animo concepta; quæ quodammodo notificantur Deo, quando oratione explicantur; Oratio namque est sanctorum desideriorum ad Deum elocutio: Aut sunt ipsa postulata, id est, res quæ oratione & obsecratione petuntur. Inter *orationem* autem & *obsecrationem* quid sit discriminis, haud planè constat, si de Græcis vocibus agatur. Dicitur est aliquid ea de re super Ephel. 6. sed amplius dicitur ad 1 Tim. 2. ubi eadem vocabula leguntur ordine commutato. Addit autem apostolus: *cum gratiarum actione*, nam, ut ait Chrysostomus, quomodo petet quis futura, qui de præteritis gratiam non habet?

ET PAX DEI, QUÆ EXSUPERAT OMNEM SENSUM. Græcè, *νοῦν*, id est, *mentem*, ut legit Ambrosianus, sine intellectum, ut legit Augustinus Ench. 63. & in epistola 121.

CUSTODIAT CORDA VESTRA, ET INTELLIGENTIAS VESTRAS IN CHRISTO IESU. Græcè & Syriacè, *custodiat*, quemadmodum apparet etiam Ambrosianum legisse: tamen ex commentarijs Chrysostomi, Theodoretii & Theophylacti profus appareat in eorum codicibus scriptum fuisse, *custodiat*. Dicunt enim apostolum hinc precari Philippenfibus pacem. Atque eo modo vertit etiam Stapulensis. *Pacem Dei*, interpretantur Græci reconciliationem, quam Deus cum hominibus fecit; De qua apostolus multa ad Eph. 2. Hæc pax, secundum eosdem auctores, *omnem intellectum superat*, quia omnem opinionem & expectationem humanam excedit, quod Deus pro inimicis sibi reconciliandis, filium suum dederit in mortem. Quod verò sequitur. *Custodiat corda vestra*, &c. quia minus commodè ad pacem, id est, reconciliationem refertur; ideo supposito mutato ad Deum referunt, hoc sensu: Qui nos tam incogitabili & insperato beneficio sibi reconciliauit, idem ipse custodiat vos & muniat, ne quid mali velitis aut cogitetis. Cæterum Augustinus hunc apostoli locum tractans Ench. 62. & 63. duos alios sensus adfert, vnum quo pax Dei intelligatur ea qua, secundum eundem apostolum Eph. 1. & Col. 1. cælestia cum terrestribus, id est, angeli cum hominibus pacificantur; Et hanc pacem excellere dicit om-

nem intellectum humanum, non tamen angelicum, id est, eorum, qui semper vident faciem patris. Alterum verò sensum, quem priori præfert, ut pax Dei sit illa qua de Deo beata est intellectualis creatura. Quæ quidem pax, ut ait, non humanum tantummodo, sed omnem creaturam excedit intellectum, quia à solo Deo comprehenditur. Verum & huic utriusque interpretationi, præsertim posteriori, parum aptè cohæret particula sequens, *Custodiat corda vestra* &c. quæ omnino videtur ad præsens sæculum referenda esse. Quocirca alij *pacem Dei* interpretantur tranquillitatem animi, quam homo habet in Deo per reconciliationem, & præceptorum eius obseruationem; ita ut pulso foras timore, liberâ & quietâ conscientia Deo seruiat, cum læta & suauitate expectatione felicitatis æternæ. Hæc enim pax Dei est, quantam assequi potest homo in hac vita; eademque superat omnem intellectum nostrum, quia quantum bonum sit illa pax, dum hic viuimus, mente comprehendere non possumus. Congruit hic sensus cum superioribus præceptis, quibus iussit eos semper in Domino gaudere, nihilque sollicitos esse, sed omnia per orationes à Deo expectare. Nam ex his oritur & constat pax illa. Optat igitur apostolus ut *ea pax custodiat ipsorum corda & intelligentias per Christum*: corda quidem, id est, affectus seu voluntates, ne à bono declinent; *intelligentias* autem, id est, cogitationes mentis, ne deuiant à vero. Sic enim exponit Thomas. Quod si legamus assertiuè, *custodiat*; hic erit sensus non minus commodus: Si feceritis, quæ dixi, tum futurum est, ut pax Dei superans omnem intellectum, custodiat; tueatur, ac muniat instar valli cuiusdam, aut præsidij (tale quid enim significat Græcum verbum *φρουρησει*) corda & intelligentias vestras per Iesum Christum. Sanè lectionem hanc probabiliorē reddit id quod paulo post similiter assertiuè dicitur: *Et Deus pacis erit vobiscum*.

DE CÆTERO FRATRES, QUÆCUNQUE SUNT VERA. Priusquam epistolâ claudat, generale subijcit præceptum, multa summatim complectens ad mores, & sanctam conuersationem pertinentia. Quod reliquum est, inquit, fratres, quæcunque sunt vera, scilicet, cogitare. Quod verbum habetur in fine totius sententiæ. Dicens autem, *quæcunque vera*; mendacium & hypocrisim excludi vult ab actionibus eorum.

QUÆCUNQUE PVDICA. Græcè *σεμνα*, Quæ vox significat grauitatem, seueritatem, & honestatem morum. Vnde alij vertunt, quæcunque honesta. Excludit igitur apostolus hac parte, omnem motum leuitatem, & lasciuiam. Anselmus rosianus legit, *quæcunque magnifico*.

QUÆCUNQUE IUSTA. Vetat ne cui faciant iniuriam; significat enim eam iusticiam, quæ est specialis virtus.

QUÆCUNQUE SANCTA. Græcè, *ἀγία*, id est,

id est, pura, siue casta; ut hac parte prohibeatur carnalia peccata, velut impudicitia, ingluuius, ebrietas. Annotant enim Chrysostomus & Theophylactus hoc dictum contra eos, quorum Deus venter est. Noster interpres in Græco legisse videtur *ἀγία*, id est, sancta; quomodo etiam Ambrosianus legit. Quod tamen eundem potest habere sentum; *sanctum* enim dicitur, quod est incontaminatum.

QUÆCUNQUE AMABILIA, id est, talia per quæ sitis amabiles hominibus, Nihil sit in moribus asperum, quod offendat eos cum quibus conuersamini.

QUÆCUNQUE BONÆ FAMÆ. Vult ut ea agant, quæ bonam famam & existimationem pariant apud homines; Ab ijs autem, quæ famam lædere possent, caueant. Interest enim diuini honoris, ut Christianum nomen bene audiat; sicut supra dictum est ad illud, *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*.

SI QVA VIRTUS. Græcè *ἀρετή*. Quæ vox, est philosophis, alijsque scriptoribus sæcularibus notissima, nusquam tamen in scriptura noui testamenti legitur, præterquam hoc loco, & 1 Pet. 2. ubi dicitur, *ut virtutes annuntietis* &c. Legitur etiam in lib. Sap. 5. & 8. Significatum eius generale est vicio oppositum. Præcipit igitur apostolus, ut pro ratione temporum ac rerum, in omni genere virtutum se exercent, ac nihil agant virtuti contrarium.

SI QVA LAUS DISCIPLINÆ. Græcè & Syriacè tantum est, *Et si qua laus*; id est, ea facite quæ laudem apud homines mereantur, non quæ reprehensionem. Non vult ut laudem humanam appetant; sed ut ea quæ laude digna sunt, faciant, quatenus per hoc Deus glorificatur, iuxta id quod Christus ipse præcipit dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in calis est* Matth. 5. Particulam *disciplina*, nonnulli etiam Latini codices manuscripti non agnoscunt; & videntur Ambrosianus & Pelagius non legisse, quia non exponunt. Item Primasius & Sedulius non habent; sed laudem interpretantur, alter tolerantia, alter bonæ conuersationis, nulla disciplina facta mentione. Quanquam sic intelligi potest, laus disciplina, id est, disciplina morum laudabilis; uti post Thomam Liranus exponit.

HÆC COGITATE. Absoluit sententiam; præcipiens ut omnia quæ iam dixit, assidue cogitent, ac meditentur, atque in ijs se exercent, diligenter cauentes, ne ab ea regula deflectant. Huiusmodi enim *cogitationem* significat apostolus; Et hoc modo *cogitare*, seu *meditari*, frequens est in veteri scriptura. Vnde psalmista beatum prædicat eum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.

QUÆ ET DIDICISTIS, ET ACCEPISTIS, ET VIDISTIS IN ME:

Duo priora verba ad doctrinam pertinent, reliqua duo ad exemplum. Vbi rursus seipsum imitandum eis proponit; quod non poterant pseudopostoli, utpote moribus admodum corrupti, quemadmodum ex capite præcedenti liquet. Itaque tacite etiam hic illorum improbam vitam perstringit. Quod ultimo loco dicit, *in me*, ad singula verba aptandum est; hoc modo: Quæ & didicistis à me, & accepistis à me, hoc est, quæ ego vos docui, ac vobis agenda tradidi; Quæ & audistis de me absente, & vidistis in me præsentem. q. d. hæc à vobis exigo, quæ & docui vos, & tam absens quam præsens opere, atque exemplo monstraui.

HÆC AGITE; Repetitio est, Hæc, inquam, agite, Græcè est, *πράσσετε*, à quo praxis. Exponit enim quod dixerat, *hæc cogitate*, ut ostendat non nudam cogitationem se exigere, sed eam quæ cum actione, seu praxi sit coniuncta.

ET DEVS PACIS ERIT VOBISCVM, Sensus: Quæ si feceritis, Deus author pacis erit vobiscum per insigne illud & incomprehensibile donum eiusdem pacis, de qua paulo antè. Id est, eam pacem Deus vobis cumulabit.

GAUISVS SVM AVTEM IN DOMINO VEHEMENTER, QUONIAM TANDEM ALIQUANDO REFLOREVISTIS PRO ME SENTIRE. Transit ad gratiarum actionem: ubi primum laudat Philippenfium erga se benignitatem, sed ita tamen, ut tacitam expoſtulationem admisceat, dum significat eos aliquamdiu à submittendo subsidio cessasse. Quod tamen rursus ita facit ciuilitate, ut culpam officij ab ijs dilati, statim excuset per incommoditatem temporis. Illud, *tandem aliquando*, Græcè est, iam aliquando, vel iam tandem: ne valde longam temporis moram significatam quis existimet. Porro Græcum verbum quod interpres transtulit, *refloruistis*, proprie significat reuiescere, iterum germinare, ac pullulare. Vnde alij vertunt, *reuoluistis*. Est itaque sensus; magnopere gaudius sum in Domino, id est, magno affectus sum gaudio spirituali & Christiano (nam huius gaudij causa apostolo erat fructus Philippenfium, ut infra declaratur) quod iam tandem, vel post ariditatem aut post hyemem, reuiescentes, iterum incepistis pro me solliciti esse, meique curam habere; quemadmodum probat missum à vobis subsidium per Epaphroditum. Nam eò respicere apostolum patet ex sequentibus.

SICUT ET SENTIEBATIS. Græcè, *in quo & sentiebatis*, siue *soliciti eratis*. quod est alij aliter interpretentur; putamus tamen præferendum id quod nostra versio habet; ut intelligatur similitudo significata per illud, *in quo*. Sic enim ostendebamus rectè expoſiti illam partem capitis superioris, *In quo & comprehensus sum*. Non est autem sensus, *Sicut olim sentiebatis*, aut *sicut soletis*

pro me, id est, mei curam habere; quem admodum nonnulli exponunt: Nam huic sensui non respondet particula sequens; sed correctio quædam est eius quod dixerat, *tandem aliquando resoruisistis* &c. q. d. Non hoc dico, quasi pristinum erga me affectum ad tempus intermisisse vos putem; aut mei fueritis aliquando oblitæ: Imo verò tunc etiam *pro me sentiebatis*, id est, animum gerebatis pro me sollicitum; nec deerat largiendi voluntas, sed oportunitas. hoc enim est quod sequitur.

OCCUPATI AUTEM ERATIS, Id est, oportunitatem non habebatis. Nam verbum Græcum significat oportunitate destitui, commodum tempus non habere. Hoc autem quia contingere solet per occupationes; idcirco noster interpretis vertisse videtur, *Occupati eratis*; quod & apud Ambrosianum legitur. Chrysostomus & Theophylactus hanc importunitatem temporis intelligunt in eo quod Philippenses ipsi non abundabant; Non enim oportunitas est dare, cum non habeas: Sed rectius est, ut cum Theodoro, Oecumenio, & alijs, intelligamus defectum oportunitatis in genere; velut cum non est in promptu, qui munus perferat. Iam ex data explicatione collige, non ideo dicere apostolum Philippenses in solitudine ipsius resoruisse, aut vigorem recepisse, quod interim aridi fuissent ac mortui, quantum ad studium Pauli; sed quod huiusmodi studij atque affectus in animo litens, non se tunc exeruerit. Est enim metaphora sumpta ab arboribus, quæ cum per hyemem mortuæ videantur, eo quod vis earum vitæ contracta lateat, vere rursus flores ac frondes emittere incipiunt.

NON QUASI PROPTER PENURIAM DICO. Græcè, *non quia secundum penuriam dico*. Sensus; non quod hæc dicam respectu penuriæ; id est, respiciens ad penuriam quam patior, quasi meum commodum hinc spectem. Alij *κατὰ* pro *διὰ* positum volunt; *Secundum penuriam*, id est, *propter penuriam*: Verum sensus utriusque idem est. Non negat apostolus se penuriam pati, ut quidam intelligunt; sed negat se ea quæ dixit, *Gavisus sum* &c. propterea dixisse, ut indigentia suæ consulere. q. d. Non tam gaudeo propter me, cuius indigentiam subleuastis; quam propter charitatem vestram, quam hoc opere ostendistis.

EGO ENIM DIDICI IN QUIBUS SVM, SVFFICIENS ESSE. Hoc est, ego didici contentus esse ijs quæ habeo; tanquam illa mihi sufficiant. hanc enim significationem habet Græca vox *ἀρτιότης*. Dicens autem *didici*, significat hanc rem esse disciplinæ & exercitationis, quod quis viuat paucis ac necessarijs contentus; atque huius rei habitum longo vsu se affectum. Id quod diligentius à Græcis annotatum est. Nisi magis placeat apostolum his verbis significare hoc

sibi per divinam gratiam esse concessum quod contentus sit presentibus. Sic enim *discendi* verbum in sacris literis sæpe ponitur, & ei respondens vocabulum *docendi* Deo tributum. Confer sequentia hoc loco.

SCIO ET HUMILIARI, SCIO ET ABUNDARE. Erasmus vertit, *Noni & humilis esse, noni & excellere*. Eum multi neoterici sequuntur; putant enim non satis constare antithesin inter hæc duo verba, nisi posterius accipiatur, ut in genere præcellentiam significet, sicut humilitas de electionem. Verum non aduertunt, apostolum Hebræum, & phrasibus Hebraicis magis quam Græcis assuetum, dixisse *humiliari*, pro eo quod est, tenuiter agere, & rerum ad vitam necessarium angustiam pati. Sic enim Hebraicum *Cada*, id est, humiliari, frequenter accipitur in sacris literis. Et ita hic accipi verbum Græcum, argumento est, quod pro eo paulo post substituit, *penuriam pati*, rursus ei opponens idem Græcum verbum *ἐπιπορεύειν* id est, *abundare*, quemadmodum & ipse Erasmus eo loco vertendum non dubitavit. Est igitur huius loci sensus, etiam secundum Græcos interpretes: Vtramque fortunam, tenuitatis & abundantia, noni moderate ferre; scio quomodo me gerere debeam dum premor inopia, & rursus quomodo dum copia suppetit. *Sciētiam* intellige cum affectu & vsu coniunctam; nam ita demum cõsurgit habitus virtutis.

UBIQUE ET IN OMNIBUS INSTITVTVS SVM. Græcè, *In omni & in omnibus*; quemadmodum & Ambrosianus legit. Theophylactus, & Oecumenius ita distinguunt; *In omni*, re; vel, *in omni*, tempore; & *in omnibus*, quæ intercurrunt; id est, quocumque casu occurrente. Quæ distinctio an sit ex mente apostoli, equidem dubito; Certè sensum eius bene & Latine protulit noster interpret, dum vertit, *Ubique & in omnibus*. Sentit enim apostolus se ita institutum ut quicquid acciderit siue prosperum siue aduersum, possit presentis conditione prudenter vii secundum rectam rationem, Deique legem. Dicit autem *institutus sum*, siue *imbutus*, ut est apud Ambrosianum; ut insinuet, id quod mox clarius exprimet, hanc ratione vitæ, velut sacrum mysterium, se diuinitus edoctum esse. Est enim Græco verbum à quo mysteria dicuntur.

ET SATIARI, ET ESURIRE, ET ABUNDARE, ET PENURIAM PATI. Hos infinitivos quidam suspendunt à verbo, *Scio*, quod præcessit; atque illud medium (*ubique & in omnibus institutus sum*) parenthesi claudunt: Verum nihil opus est huiusmodi hyperbato; nam optimè referuntur isti infinitiui ad proximum verbum *institutus sum*; & continent enumerationem seu partitionem quandam eius quod in summa dixerat, *Ubique, & in omnibus*. Sic, inquit, institutus sum ut, pro rerum occasione, & saturari possim, & esurire, atque omnino vel abundare, vel indigere. Latius enim patent hæc duo posteriora, ut

pote

pote pertinentia etiam ad vestitum, & cætera, quibus præter victum opus est. Porro sicut *abundare* nouit, non qui res superfluas ad luxum expendit, sed qui moderate & secundum Deum illis vitur, ea quæ superflua sunt, distribuens egenis: ita *saturari* nouit, non qui gulam explet ac ventrem cibo potuque distendit; sed qui ita saturatur ut metas sobrietatis ac temperantia non excedat.

13 OMNIA POSSVM IN BO QUI ME CONFORTAT. Græcè, *In confortante*, seu corroborante *me Christo*; vel, sicut Ambrosianus legit, *In eo qui me confortat Christus* Quoniam dixerat apostolus, *didici*, ne existimetur hæc, quæ de se commemorauit, ad solum exercitium & studium voluntatis suæ referre; tum ne videatur arrogantius locutus: totum illud Christo refert acceptum. Sensus est: Omnia iam enumerata, & alia quæcumque perferenda mihi sunt, possum & præsto per eum, qui mihi ad hæc omnia, vires subministrat, quique omnia hæc in me operatur; scilicet per Christum. q. d. Non meum opus est, inquit Theophylactus, sed eius qui robur dedit, Christi. Considerat hic apostolus in Christo, non ut alibi sæpe, rationem causæ meritoria, sed operantis atque efficientis; Quam rationem cum Deo Patre habet communem: ut hinc intelligas, secundum Græcam lectionem, Christum eiusdem esse potentia cum Deo, & proinde verum Deum.

14 VERVTAMEN BENE FECISTIS COMMVNICANTES TRIBVLATIONI MEÆ. Græcè, participium præteriti temporis est; hoc modo resoluendum, *quod communicaueritis tribulationi siue afflictioni meæ*. Sic enim alij dilucidius verterunt: quæquam bene noster. Illud enim participium *communicantes*, ampliatur ad rebus præteritum, vi verbi principalis. Ne putarent Philippenses se rem superuacaneam aut parum gratam fecisse, quod Paulo pecuniam misissent, ut qui scribat se non propter penuriam suam gavisum de eorum dono, propterea quod nosset contentus esse presentibus, possetque omnia pati: huic falsæ suspitioni nunc occurrit, rursus eos laudans, eorumque erga se beneficentiam commendans; tanquam diceret, *Esti sciam abundare & penuriam pati, & in omnibus institutus sum; vere tamen laboraui rerum penuria in hoc carcere: proinde vos bene fecistis, quod mihi afflicto & egenti res vestras communes feceritis, id est, de facultatibus vestris mihi tribueritis*. Hoc enim, secundum vsu scripturæ factæ; significari vocabulo *communicandi*, ex alijs locis facile monstrari potest, velut ad Ro: 12. 2. Cor. 8. & Gal. 6. Atque eo modo locum hunc intellexerunt Augustinus à Beda citatus & in Glossam ordinariam relatus, Anselmus, Liranus, Caietanus, & glossa interlinealis. Quin & apostolus ipse paulo post hoc modo communicationem accipit cum ait, *Nulla mihi ecclesia communicauit*. Quocirca minus germanum arbitra-

mur eorum commentarium, qui sic exponit; Quamuis ego non egerem; tamen bene vobis consuluisis mittendo subsidium. Id enim vobis profuit; quia per hoc participes facti estis tribulationis meæ, id est, præmij, quod mihi repositum est apud Deum pro afflictionibus quas patior. Qui tamen sensus, cum sit Chrysostomi, & aliorum Græcorum, satis ostendit ex illorum sententia (quod hodie sectarij negant) posse alicis aliorum meritis apud Deum adiuuari, dum per charitatis opera reddunt se eorum participes; iuxta illud: *Qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet*, Matth. 10. Cæterum ex eo quod apostolus dicit, *bene fecistis*, manifestè retunditur eorum hæresis qui omnia fidelium, etiam iustificatorum opera, dicunt esse peccata. Nunquam enim apostolus de eo quod sciret esse peccatum, diceret, *bene fecistis*.

15 SCITIS AUTEM ET VOS PHILIPPENSES, QUOD IN PRINCIPIO EVANGELII, Scilicet à me vobis prædicati, de quo Acto. 16.

QUANDO PROPECTVS SVM A MACEDONIA. Græcè *quando exiui à Macedonia*, id est, quando Macedoniam in qua vos estis, reliqui, & trāsui in Achaia. Loquitur de primo suo discessu à Macedonia de quo Act. 17. & 18. Dicit enim, *in principio euangelij*, nam postea adhuc eum fuisse in Macedonia constat ex Act. 20. Igitur quæ hic dicit, tantum ad illud tempus sunt referenda.

NULLA MIHI ECCLESIA COMMVNICAVIT IN RATIONE DATI ET ACCEPTI, NISI VOS SOLI Græcè, *In rationem donationis & acceptionis*, pro quo textus Ambrosianus habet, *In ratione dandi & accipiendi*; tamen hæc quo ad sensum non differunt. Videtur hac parte apostolus se excusare de eo quod circa initium prædicationis aliquoties à Philippensibus accepit; eam adferens causam, quod alia ecclesiæ nihil contulissent. Vnde hæc excusatio rursus laudem Philippensium continet non exiguam, cum tacita aliorum vituperatione. Vos ipsi inquit, notis, & testari potestis, quod quando primùm apud vos euangelium prædicauit; postquam à Macedonia discessissem, nulla ecclesia mihi quicquam tribuit quod referre possem in rationes meas, præterquam vos soli. Dicit autem, *in ratione dati & accepti*, alludens scilicet ad rationes pecuniarias, quarum duæ sunt partes, expensorum & acceptorum, quæ mutua compensatione æquari debeant; ut per hoc insinuet iure se recipere posse sustentationem vitæ ab ijs, quibus ministerium verbi impendebat: iuxta id quod alibi dicit; *Sinos vobis spiritualia seminauimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus*; 1. Cor. 9. Ex hoc loco apparet apostolum in 2. Cor. 11. dicentem, *Quod mihi deerat suppleverunt fratres; qui venerunt à Macedonia*; de Philippensibus intelligere. Satis etiam apparet Philippenses sponte dedisse. Paulus enim à nemine exigebat. Quod

si fecisset;

si fecisset, ut iure facere poterat; profecto alia ecclesia non tam erga eum inhumanę fuissent, ut petenti iustum ac necessarium stipendium denegarent. Verum ipse non solum non exegit sed etiam ab ecclesijs Achaia accipere noluit, idque ob rationem explicatam in vtraque epistola ad Cor. locis iam citatis. Est igitur in his verbis maxima commendatio Philippenſium, sicut & in sequentibus.

16 **QUIA ET THESSALONICAM SEMEL ET BIS IN VSVM MIHI MISISTIS.** Græcè est, *In Thessalonica*, Quod Ambrosianum textum seu uti neoterici interpretes ita suppleant, *In Thessalonica cum essem.* Sensus enim est, Nam & cum essem Thessalonica, semel & iterum mihi misistis, quæ in vsus meos erant necessaria; id est, quibus opus habebam. Græcum verbum significat publicam & honorificam missionem. Quæret aliquis, cur ipsi Thessalonicenses non dabant, utique Philippenſibus opulentiores? Erat enim Thessalonica metropolis Macedonia. Respondet Thomas Paulum ab illis accipere noluisse, sicut nec à Corinthijs: Ab his quidem, propter eorum auaritiam, ne offenderentur; ab illis verò, quia erant ocio dediti, quibus proinde voluit apostolus exemplum dare laborando manibus; quemadmodum ipse testatur 1. Theſſ. 2. & 4. & 2. Theſſ. 3. Colligit idem doctor ex hoc loco Papam ex iusta causa posse ab vna ecclesia accipere in subsidium aliarum. Quam rem æquè probat alter locus 2. Cor. 11. *Alias ecclesias expoliasti, accipiens stipendium ad ministerium vestrum, &c.*

17 **NON QUIA QUÆRO DATVM.** Græcè, *Νόμα*, id est, donum seu munus; ut est apud Ambrosianum. Sensus est; Non hæc commemo, tanquam requirens ut adhuc similia mihi præsteris, ut munus aliquod mittatis. Aut, non hæc dico, quod ea quæ dantur, ante oculos habeam & amem. Loquitur enim in genere.

SED REQUIRO FRUCTVM ABVNDANTEM IN RATIONE VESTRA. Græcè & Syriacè, *In rationem vestram.* Sic & Ambrosianus habet, & nonnulla Latina manuscripta. Sensus est: Sed requiro fructum accrescentem rationibus vestris. Si quid à vobis accipio; vestrum est lucrum & commodum, vester fructus ex hoc augetur, merito vobis referendus in rationes acceptorum. Rursus enim alludit ad rationes pecuniarias de quibus supra; Sentit autem de fructu & lucro spirituali, quod sibi comparant apud Deum, qui necessaria ministris euangelij liberaliter suppeditant.

18 **HABEO AVTEM OMNIA, ET ABVNDO.** Græcè, non est *ἔχω*, habeo; sed *ἀπέχω*, quod inter alia significat recipere ex aliquo, vel ut censum ex agro, aut mercedem ex labore. Et quamuis verbum sit presentis temporis; significatio tamen explicatur per præteritum, recepi: q. d. *receptum habeo.* Sic enim ex eodem

verbo Græco noster interpretis veritatem Matth. 6. *receperunt mercedem suam*; Estque idem verbum apud Lxx Num. 32. *recepimus possessiones nostras.* R. Et è igitur auctor versionis Ambrosianæ hoc loco tranſtulit, *Recepi tamen omnia*: Quod & Erasmus atque alij imitati sunt. Itaque apostolus utens eiusmodi verbo, rursus innuere voluit non esse gratuitum, sed debitum, id quod datur ratione ministerij sacri. Quod & à Græcis annotatum est. Sensus autem est; Quamuis donum non requiro, magisque vestrum fructum specto quam commodum meum; recepi tamen omnia quæ misistis, adeo largè, ut nunc abundem. Hoc addit, non quod munus Philippenſium mediocritatem exceſſerit; sed ut gratum a nimum ostendat, utique intelligamus facillè abundare eum qui re modica ac tenui contentus est.

REPLETVS SVM, ACCEPTIS AB EPAPHRODITO QVÆ MISISTIS. Ablatiuus, *acceptis*, non regitur à verbo *repletus sum*, quod prima facie videri potest; sed absolute ponitur. Quod patet ex Græcis, quæ sic clariùs veritè possunt, *Repletus sum*, posteaquam accepi ab Epaphrodito quæ à vobis missa seu donata sunt; id est, munera seu dona vestra; ut veritè Theophylacti interpretis. Hæc plenitudo significat sufficientiam rerum necessariorum. Nam quod ad animum Pauli attinet, etiam in penuria sufficiens erat, sicut ipse de se superius dixit.

ODOREM SVAVITATIS, HOSTIAM ACCEPTAM, PLACENTEM DEO. Hi accusatiui in Græco non reguntur à verbo, *misistis*, quod ibi non habetur, sed à participio *ἀεὶ ἀμωρος*; & appositivè iunguntur cum illo, *munera vestra.* Vocat autem apostolus munera Philippenſium ad se missa, *odorem suavitatis*, vel, ut alij propius è Græco vertunt, *odorem bonæ fragrantia*, phraſi Hebraica; id est, odorem suavissimum seu fragrantissimum; quod instar huiusmodi odoris, aut sibi, aut potius Deo grata essent. Alludit ad id quod apud Moylen passim de sacrificijs legitur, ea *Deo accepta esse in odorem suavitatis.* Vocat eadem munera; *hostiam acceptam, placentem Deo*; vel, ut in Græco, *beneplacitam Deo*: non quod propriam habeant rationem sacrificij Deo oblatis; sed quod Deo accepta, placitaque essent, perinde atque si sacrificium ad eius honorem oblatum fuisset. Etenim omne bonum opus factum eo fine, ut sancta societate Deo inhæteatur, tanquam summo ac beatifico bono; generali ratione sacrificij legitur, teste Augustino lib. 10. de ciuit. ca. 6. Quo in genere scriptura numerat imprimis opera beneficentiæ erga proximos. Vnde est illud Heb. 13. *Beneficentia & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus.* Nec obstat quod apostolus non oblationem munerum, sed ipsa munera memoratis epithetis exornat dicens; *Quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam &c.* Sic enim vocantur, non secundum se considerata sed

relata ad

relata ad animum seu voluntatem, à qua 20 proficiscebantur. Hinc verò rursus euidenter patet, non omnia iustificatorum opera esse peccata, quod volunt hæretici. Neque enim peccatum esse potest hostia accepta, placentique Deo.

19 **DEVS AVTEM MEVS IMPLEAT OMNE DESIDERIVM VESTRVM.** Græca nunc habent, *Replebit omnem indigentiam, siue necessitatem vestram*; quasi dicat apostolus, Vos me replestis, mittendo largum subsidium: ego vicissim precor Deum meum, ut indigentiam vestram repleat, id est, ea quibus opus habetis, vsque ad sufficientiam suppleat. Quamuis enim in Græcis plerisque codicibus sit futurum indicatiuum, *replebit*; Græci tamen interpretes exponunt quasi dictum sit, repleat, imprecatorio modo. Monet autem Chrysostomus pro *ἁγία*, necessitate, quosdam codices habere *χαρῶν*, id est, gratiam; nonnullos *χαρῶν*, id est, gaudium; tamen veriore putat lectionem quam primò diximus. Sed cur dixit apostolus, *Deus meus*, & non, *Deus noster*; sicut mox inferius ait: *Deo & Patri nostro*? Ideo nimirum, quia loquebatur de compensando beneficio erga se præstito; quasi diceret, Et si ego qui pauper sum, simile beneficium referre nequeam; tamen Deus meus, quem colo, facillè id potest, cum sit ditissimus. Hoc enim est, quod sequitur,

SECUNDVM DIVITIAS SVAS. Id est, Ea quibus indigeris, suppeditet vobis sufficienter abundeque, pro sua opulentia.

IN GLORIA, IN CHRISTO IESV. Quia locutus fuerat de compensatione temporali, dicendo, *repleat omnem indigentiam vestram*: idcirco mox cogitationem eorum à temporalibus transfert ad æterna & cælestia; cum addit, *In gloria &c.* q. d. Ita precor vobis à Deo rerum huius vitæ sufficientiam, ut ea vobis cedat ad gloriam vitæ æternæ per Christum: iuxta id quod orat ecclesia; *Sic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.* Similem transitum à corporalibus ad spiritualia facit apostolus 2. Corinth. 9. *Potens est, inquit, Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus, semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum &c.* Ac rursus: *Qui autem ministrat semen seminanti; & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum; & auget incrementa frugum iusticie vestra, ut in omnibus locupletati abundetis.* Potest etiam illud, *In gloria*, construi cum particula proximè præcedente, ad hunc modum, *Prouit diues est gloria largiter retribuenda per Christum.* Sic enim dicitur Hebræa phraſi, diues in gloria, id est, diues gloria; quomodo Genes. 13. secundum textum Hebraicum, legitur Abraham fuisse diues in pecore, & in argento, & in auro; id est, diues talium rerum.

DEO AVTEM ET PATRI NOSTRO GLORIA IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN. Concludit epistolam glorificatione Dei; quæ tamen ad proxima referri potest, eò spectans, ut ne quid sibi gloriæ de bono opere ascribant Philippenſes; ut sensus sit, secundum Thomam; De his omnibus bonis quæ præstitistis & quæ speratis; glorificetur Deus, pater noster, in omnem æternitatem. Deum patrem suum atque ipsorum vocat, ratione adoptionis; nam de gloria consequenda sermo erat; cum alioqui Deus sit omnium pater ratione creationis. Utroque autem modo patrem esse, toti Trinitati commune est. Addit, *Amen*, illud solemne; quo precationem confirmet: q. d. Vehementer opto & precor ut fiat quod dico.

SALVATE OMNEM SANCTVM, IN CHRISTO IESV. Ex more salutationes annectit. Ordo est, Salutate in Christo Iesu omnem sanctum, id est, salutate meis verbis omnes fideles qui apud vos sunt, imprecando illis ea bona, quorum Christus nobis auctor est. Fideles ab apostolo *sancti* vocantur; quia membra sunt ecclesiæ sanctæ, nec aliter de vnoquoque eorum opinari debemus, quam quod sanctus sit, nisi fortè aliud constet.

21 **SALVTANT VOS QVI MECVM SVNT, FRATRES.** Id est, qui circa me sunt: ut qui mihi vincto ministrant, qui me visitant, qui mecum hic in euangelio laborant. Ac ne angusta videatur hæc saluatio; subiungit,

SALVTANT VOS OMNES SANCTI, scilicet qui Romæ sunt, id est, omnis Romana ecclesia:

MAXIME AVTEM QVI DE CÆSARIS DOMO SVNT. *Domo*, id est, familia, Græcè *οἶκος*, *Cæsarem*, Romanum intelligit; nec alium quam Neronem, sub cuius potestate victus erat. Quod enim apud Dorotheum in synopsi legitur, *Cæsare*, cuius hic meminit Paulus unum fuisse è septuaginta Christi discipulis, id risu potius, quam confutatione dignum merito censet Cardinalis Baronius totius annalium ecclesiasticorum. Quid autem in vniuersum de catalogo septuaginta discipulorum, quem ea synopsis recenset, existimandum sit; dixi in expositione epistolæ ad Romanos. vlt. ad ver. 5. Adicit igitur apostolus hanc salutationis partem, ut Philippenſes, dum audiunt euangelium vsque in aulam & familiam Neronis penetrasse, atque ex eius domesticis aliquos factos esse Christianos; gaudio & consolatione affecti, magis in fide confirmantur, ac maiori cum fiducia etiam ipsi divulgent euangelium. Porro qui fuerint hi Cæsaris familiares à Paulo conuersi, quaeritur à nonnullis: Et sunt qui Senecam philosophum Stoicum, Neronis præceptorem, itemque nepotem eius ex fratre, Lucanum poetam, designari putent, ut qui ambo paulo post illud tempus


K

fuerint

fuerint à Nerone sublati. Sed hæc opinio parum probabilis est: neque enim hi Neronis erant domestici tempore captiuitatis Pauli, sed aut senatores, aut alio magistratu fungentes in vrbe Romana; nec ob religionem interfecti; sed quòd haberentur conscij coniurationis Pisonianæ. Et quidem Lucanum fuisse Christianum, nullus est author qui referat; Senecam verò Hieronymus prouocatus epistolis quæ circumferuntur eius ad Paulum, & Pauli ad ipsum, ponit quidè in catalogo scriptorum ecclesiasticorum: Sed cum iam satis exploratum habeatur apud eruditos, epistolas illas falsas & supposititias esse; cūque (teste Augustino lib. 6 de ciuit. cap. 11.) Seneca de Christianis expressè nusquam in scriptis suis meminerit; imò verò de ijs sub nomine Iu-

dæorum videatur etiam sinistrè loqui; nulla ratio est vt apostolum hoc loco ad Senecam respexisse putemus. Sanè verisimilius est, inter hos, quos apostolus significat, fuisse Euellium & Torperem, quos Neronis familiares fuisse, & martyrio sub eo coronatos, testatur Romanum martyrologium die 11 & 17 Maij.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM SPIRITV VESTRO; Græcè & Syriacè, *cum omnibus vobis*. AMEN. Consecta est apostoli clausula, qua omnes suas signat epistolas. Sensus est: Deus per Christum det vobis, & multiplicet beneficia gratiæ suæ. Post finem epistolæ, sequitur in Græcis codicibus hypographe, significans, vnde & per quem missa. *Scripta est à Roma per Epaphroditum.*



IN EPISTOLAM

BEATI PAULI

APOSTOLI

AD COLOSSENSIS

COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



COLOSSENSIS in ea fuerunt Asiæ minoris parte, quæ magna Phrygia vocabatur. Ciuitas eorum Colossæ ab Hierapoli, & Laodicæa, quarum in hac epistola mētio fit, haud procul distita. Quod obseruandum, propter nonnullos qui contra auctoritatem Græcorum interpretum, Colossas eadem cum Rhodo faciunt; quam eo nomine appellatam putant ob nobilem illum Colossum, qui numeratur inter septem mundi miracula. Sed, vt ita sit quòd Rhodij aliquando dicti fuerint Colossenses, vti Suidas asserere videtur; attamen eos ab his ad quos ista mittitur epistola, diuersos esse, ex ijs quæ diximus planè liquet. Scribit autem ad Colossenses Paulus, non quod ijs euangelium prædicasset (siquidem eos ne viderat quidem, vt colligitur ex cap. 2.) sed quòd tanquam gentium apostolus & sollicitudinem ge-

rens

rens omnium ecclesiarum (quam sibi tribuit 2 Cor. 11.) huic quoque parti ecclesiæ à falsis magistris periclitanti, pro officio succurrendum putarit. Instituti autem erant in fide Christi per Epaphram apostolorum discipulum, quemadmodum de eo testatur cap. 1. Nam Archippus, cuius vltimo capite mentionem facit, non apostolus eorum, sed episcopus aut presbyter fuisse videtur. Et hæc quidem cōmunis est sententia commentatorum tam Latinorum quàm Græcorum, Colossenses ipsum Paulum prædicantem non audiuisse. Dissentit autem vnus Theodoretus, qui locum allegatum cap. 2 contendit aliter intelligendum esse; de qua re videbitur cum ad eius loci expositionem peruentum erit. Adducit ille pro se quod legitur Act. 18, Paulū ex ordinē perambulasse Galaticam regionē, & Phrygiam, in qua vtique sunt Colossenses, vt dictum est; sed argumentum hoc non est certum. Erant enim multæ alię ciuitates illius regionis, quas recenset Plinius lib. 6 naturalis historiæ cap. 32. quarum aliquas perambulasse potuit Paulus, Colossensibus omissis. Atqui vicissim contra Theodoretum facit, quod Paulus in tota epistola nusquam significat se Colossensibus euangelium prædicasse, aut eorum apostolum esse; quin potius paulò post exordium epistolæ, vbi locus erat id commemorandi, non se, sed Epaphram nominat, vt euangelij primum ac præcipuum apud eos ministrum. *Sicut, inquit, didicistis ab Epaphra carissimo conseruo nostro, &c.* Et in epistola ad Philemonem Colossensem, *Spero per orationes vestras donari me vobis*. Non enim ait, *restitu*, sicut Heb. vlt. sed *donari*; quasi apud eos nunquam fuisset. Cæterum occasio scribendi Colossensibus Paulo fuit, quod post acceptum euangelium, à quibusdā, quorum studium erat sinceritatem apostolicę doctrinæ corrumpere (Simonianos fuisse, credibile est) persuasi essent, accessum se habere ad Deū non per Filium, sed per angelos; vt per quos antiquitus omnia gesta legamus. Filium autem Dei maiorem esse, quàm vt eo mediatore atque intercessore ac deprecatore vti nobis liceat. Accedebant obseruationes ac superstitiones tam Iudaicæ, quàm Græcę, siue ab ijsdem authoribus introductę, siue ab alijs acceptæ; philosophis scilicet, ac Iudeis, sed ab euangelio, quod semel receperant, prorsus dissentaneæ. Primum igitur ac præcipue docet apostolus non nisi per Christum Dei filium, per quē omnia condita sunt, nos instaurari, ac reconciliari cum Deo; & proinde religioni angelorum, qua nimirum Christi mediatoris officium ad angelos transferatur, non esse auscultandum. Iudaicas autem, aut philosophicas obseruationes cum euangelio minimè miscendas esse; neque eas ad sanctificationem nostram quicquam habere momenti. Atque hæc agit 1 & 2 capp. Reliqua pars epistolæ fermè vsque ad finem in tradendis vitę Christianæ præceptis consumitur. Confer que diximus in argum. epist. ad Ephesios. Scripta est hæc epistola non Ephesi, vt habet vulgare argumentum quod est in Latinis codicibus; sed Romæ, vt habent Græcorum subscriptiones. Nam vinculorum suorum sub finem epistolæ ter meminit; Romæ autem, non Ephesi Paulum vinctum fuisse, legimus. Adde quod missa est per Ty-

chicum & Onesimum; quem posteriorem Romę in vinculis Christo genuerat, vt habet epistola ad Philemonem. In quam ad Philemonem epistolam scribens Hieronymus, affirmat Romę ẽ vinculis, vnã cum hac epistola, missas fuisse eas, quę datę sunt ad Ephesios & ad Philipenses, & ad Philemonem. Quę vtique omnes ẽ primis vinculis datę sunt.

SUMMARIUM.

Gratias agit Deo de Colossensium fide, simul orans vt eiusdem complementum accipiant. Christi predicat excellentiam & primatum supra omnia, qui ecclesiam Patri reconciliauit. Se declarat eius ministrum ad fidei mysterium patefaciendum gentibus.

CAPVT I.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI PER VOLVNTATEM DEI. Addit, per voluntatem Dei, quod & in alijs quibusdam epistolis facit, vt ostendat se verum esse Christi apostolum; qui non semetipsum ad apostolatam ingesserit, sicut pseudapostoli, sed Deo volente ac iubente munus illud suscepit.

ET TIMOTHEVS FRATER. Hunc eundem sibi adiunxit in fronte epistolarum ad Philipenses, & ad Philemonem, quę putantur simul missę cum hac epistola.

EIS QVI SVNT COLOSSIS, SANCTIS ET FIDELIBVS FRATRIBVS, IN CHRISTO IESV. Id est, ecclesię Colossensium. Gręca non addunt, Iesu. Per sanctos, & fideles, & fratres in Christo, ijdem significantur, etsi rationes nominum diuersę sunt. Quę res alibi satis explicata est.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Confecta hæc est apostoli Pauli salutatio, qua gratiam & pacem Colossensibus precatur a Deo, vt authore omnis boni, & a Iesu Christo, vt eiusdem diuinę potestatis consortem; qui & Dominus noster factus sit iure redemptionis, quam in assumpta carne operatus est. Gratia complectitur omne genus beneficiorum Dei quę ad salutem spectant vitę æternę. Pax significat eiusmodi beneficiorum, atque bonorum tranquillam possessionem. Quod ait, *Patre nostro*, primam in diuinis personam proprię designare videtur; nam aliās, in hac formula salutationis non addit, *nostro*, sed absolute dicit, *a Deo Patre*, vt in epistolis ad Galatas, & ad Titum, & in vtraque ad Timotheum. Hic tamen, & in alijs penę omnibus, addere voluit *nostro*, vt in ipso statim exordio epistolarum insinuarer admirabilem quandam fidelium dignitatem, qui eundem haberent patrem cum naturali filio Dei. Notandum, apud Chryostomum, & Theophy-

lactum non addi hanc partem, *Et Domino Iesu Christo*; Atque eius a Paulo ommissę rationem ab illis adferri. Theodoretus quoque & Oecumenius non exponunt: Quamquam hodierni codices Gręci perinde vt Latini additum habent:

GRATIAS AGIMVS DEO ET PATRI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, SEMPER PRO VOBIS ORANTES. A gratiarum actione epistolę exorditur more suo. Illud, *semper pro vobis*, indifferēter referri potest, vel ad verbum præcedens, *gratias agimus*, vel ad participium sequens, *orantes*; tamen si probabilius ad id quod præcedit, referatur. Quod probari potest ex similibus verbis epistolę ad Ephesios, quę pariter cum hac epistola missa est, in qua i. ca. sic loquitur: *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis*. Sentit igitur apostolus se & Timotheum semper in orationibus suis, id est, quum orant, gratias agere Deo pro beneficijs in Colossentes collatis, de quibus sequitur,

AVDIENTES FIDEM VESTRAM IN CHRISTO IESV. Gręcum participium præteriti temporis est, quod ita resolu potest, *Quoniam audiuimus*, vt vertit Erasmus; vel, *postquam audiuimus*, aut, *quum audissemus*, quod maluit Faber & Hentenius. Planius est & ad vtrumque patens, quod habet textus Ambrosianus, *Audita fide vestra in Christo Iesu*, id est, fide, qua creditis in Christum, vel quam habetis de vniuerso Christi mysterio. Hinc sequitur, fidem esse donum Dei; nam gratiarum actio, gratię testificatio est. Hinc etiam colligitur Paulum per semetipsum non prædicasse Colossensibus euangelium; vt qui de fide eorum tanquam audita, id est, ex relatu cognita, loquatur.

ET DILECTIONEM QVAM HABETIS IN SANCTOS OMNES. Alij *charitatem* vertunt, quod idem valet: nam dilectio, & charitas eodem Gręco vocabulo *ἀγάπη* significantur. Cæterum interpres explendę sententię causa addidit, *quam habetis*, quod in Gręco non exprimitur, sed articulo *τιν* concipitur. Sensus; Et audita charitate vestra quam exercetis erga quoscunque fideles. Ex quo sensus patet, cur non dixerit in omnes homines, cum alioqui charitas Christianorum protendi debeat etiam vsque ad inimicos, & infideles; Non enim loquitur apostolus de solo dilectionis affectu, qui facile pertingit ad omnes; sed de effectu & opere, maxime quoad subuentionem

necessitatis

necessitatis atque inopię proximorum. Quam in re, cum non possit Christianus beneficium præstare omnibus; primo loco facere id debet erga fideles; iuxta illud Gal. 6. *Operemur bonum ad omnes, maxime autē ad domesticos fidei*. Et Ro. 12. *Necessitatibus sanctorū cōmunicantes*.

PROPTER SPEM QVÆ REPOSITA EST VOBIS IN CÆLIS. Fidei & charitati tertiam, spem, ad complementum adiungit: Et sensus est; Quam charitatem in omnes sanctos exercetis propter futura ac sperata præmia, quę reposita vobis sunt apud Deum in regno cælorum. Hoc si rectē dictum est ab apostolo: malē igitur negat hæreticus propter spem vitę æternę bona opera exercenda esse.

QVAM AVDISTIS IN VERBO VERITATIS EVANGELII. *Audistis*, Gręcē *ἤκουσατε*, antē *audistis*, vt & legit Ambrosianus. De qua spe, inquit, audistis iam antē per prædicationem verissimi euangelij. Meritō tribuitur euangelio veritas, quia in eo siue scripto, siue dicto, cum Dei verbum sit, nihil subesse potest falsitatis.

QVOD PERVENIT AD VOS. Nonnulli vertunt, *Quod præsens est apud vos*. Gręcum participium significat vtrumque; Sed & Gręci interpretes, Chryostomus, & Theophylactus in suis commentarijs vtrumque significatum coniungere videntur. Scribunt enim in hunc modum, *Metaphoricē dixit, peruenit*; tanquam de re animata. Non enim aduenit ad vos & recessit a vobis; sed mansit ac præsens est, & dominatur apud vos. Sic illi, mentem apostoli plenissimē explicantes.

SICVT ET IN VNIVERSO MVNDO EST, ET FRVCTIFICAT ET CRESCIT. Gręca sic habent: *Sicut & in vniuerso mundo, & est fructificans & crescens*. Similiter Ambrosianus; nisi quod accusandi casu legit, *in vniuersum mundum*, vt ex præcedenti parte subaudiatur, *peruenit*. Quę tamen constructio minus conuenit Gręcæ lectioni, secundū quam hic sensus esse videtur: Quemadmodum & in toto mundo non solum prædicatum est, & receptū, verum etiam fructum adfert, & latius propagatur. *Fructum* intellige bonorum operum, quibus Deus glorificatur; aut *fructum salutis animarum*, quod eodem recidit. Quidam Gręci codices non addūt, *Et crescens*; Quos Erasmus in sua versione secutus est. Sed Chryostomū ac cæteros interpretes Gręcos illud legisse, manifestum est ex eorum commentarijs: sicut habent Complutensia & alia quędam exemplaria. Quod autem dicit, *In vniuerso mundo*, hyperbole quędam est; quam alijs verbis infra repetit, dicens: *Quod prædicatum est in vniuersa creatura quę sub celo est*. Significat enim in quamplurimis orbis terrę regionibus euangelium annunciatum esse. Loquitur autem hoc modo vt Colossensium animos magis in fide cōfirmet, ex eo quod tam felicem successum habeat euangelium.

SICVT IN VOBIS. Gręca & Ambrosianus, *Sicut & in vobis*; subaudi, fructificat & crescit.

Hac laude extimulat eos ad maiore profectū. Ex ea die quę audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate. q. d. Non nuper in vobis fructificare & crescere cœpit euangelium, sed a primo die quo per eius prædicationē audiistis & cognovistis veram doctrinam de gratia, hoc est, de gratuita beneficentia Dei, qua saluare constituit genus humanū. Veruntamen intelligi vult in eo præcipuē, quod beneficiū salutis & iusticię non cōtingat nobis, nisi per Christū: Et hanc veritatē opponit falsę doctrine eorū, qui vel per angelos, vel per legis cæremonias, aut Gręcas obseruationes, purgationem promittebant.

SICVT DIDICISTIS AB EPAPHRA CARISSIMO CONSERVO NOSTRO. Calculo suo confirmat apostolus doctrinā, quam ab Epaphra ciue suo & magistro didicerant, vocans eum *carissimum*, siue vt in Gręco, dilectum, *conseruum suum*, quod vsq̄ secum, ac pari consensu eidē Domino Christo in euangelij prædicatione seruiret. Ob eandem causam alibi Timotheum conseruū suum agnoscit, dicens: *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi*, Philip. 1. Hoc loco nituntur qui putant Epaphram primum Colossensibus Christū prædicasse: tamen si argumentum non sit vsque adeo certum, propter copulatiuam cōiunctionem additam in Gręco, *Sicut & didicistis*. Certe Paulū apud eos non prædicasse, totus hic locus arguit: Solum enim commemorat apostolus audita, nihil profus inueniens de suo apud illos ministerio, quod alioqui locus postulabat. Mirum autem cur Epaphræ mentionem faciens, non addat, *Et concipit meo*, sicut loquitur in epistola ad Philemonem pariter missa; Non parum enim hoc faceret ad laudem Epaphræ, quem hic instituit commendare. nisi fortē ideo hoc reticere voluit in hac epistola, ne Colossenses intellecta pressura & periculo sui doctoris, consternarentur, animumque deijcerent.

QVI EST FIDELIS PRO VOBIS MINISTER CHRISTI IESV. Id est, qui est fidus ac sincerus Christi minister, in procuranda salute vestra. Laudat eum a fidelitate ministerij euangelici; vt ne a doctrina, quam ab eō didicerant, per novos magistros abduci se patiantur.

QVI ETIAM MANIFESTAVIT NOBIS DILECTIONEM VESTRAM IN SPIRITU. Id est, qui etiam verbis exposuit & declarauit nobis, scilicet Paulo & Timotheo quanta sit dilectio vestra spiritualis quam habetis non solum erga nos, verum etiam erga omnes sanctos; vt superius dixit. *Dilectionem in spiritu*, id est, spiritualement, opponit dilectioni carnali, qualem inter Simonianos fuisse tradit Epiphanius.

IDEO ET NOS EX QVÆ DIE AVDIMVS, scilicet, hæc bona de vobis, vt fidem, dilectionem &c.

NON CESSAVIMVS PRO VOBIS ORANTES ET POSTVLANTES. Gręcam phrasim retinuit in-

terpres, cum Latine dicendum esset, *Non cessamus pro vobis orare & postulare*, seu petere; id est, incessanter pro vobis oramus. Quod dicit eo sensu, quo alibi monet semper orandum esse. Non dubium autem quin apostolus auditis ijs quæ Epaphras narrauerat, gratias egerit Deo, sicut initio dixit; sed hinc orationis potius meminit, quoniam etsi esset materia gratiarum actionis, intelligebat tamen non parum adhuc illis deesse, quod precibus à Deo petere oporteret. Vnde sequitur,

VT IMPLEAMINI AGNITIONE VOLUNTATIS EIVS. Quidam codices habent *agnitione* in accusatio, idque conformiter cum Græco; quo modo & ad Eph. 1 legitur, *Qui omnia in omnibus impletur*. Ex qua collatione, apparet more Græcorum subaudiendam esse præpositionem *κατά* id est, secundum; ut sensus sit, Non cessamus Deum orare pro vobis, ut impleamini secundum agnitionem voluntatis eius; id est, ut Deus suppleat in vobis usque ad complementum & perfectionem, id quod adhuc vobis deest, quantum attinet ad cognitionem voluntatis eius, seu Dei seu Christi. Nam vtrumque præcesserat. Videtur autem loqui de voluntate, id est, decreto, ac beneplacito Dei circa reconciliationem & salutem generis humani, quam in solo Christo mediatore ac redemptore constituit. Hac enim parte doctrinæ, quæ præcipua est, tentati erant à falsis doctoribus. Atque eo sensu voluntatem Dei tribus locis nominat in c. 1 ad Ephes. cuius epistolæ simile est argumentum cum materia huius, quantum ad doctrinam. Alij de voluntate Dei quæ consistit in præceptis, apostolum exponant, cuius agnitione implentur, qui perfectè & practicè cognoscunt ea quæ Deus à nobis vult fieri.

IN OMNI SAPIENTIA ET INTELLECTU SPIRITUALI. Pro *intellectu*, alij vertunt, *prudentia*; tamen Græcum vocabulum huius loci, *σοφία*, magis intellectum sine intelligentiam sonat; sed ita, ut ad prudentiam referri possit. Videtur enim apostolus hoc nomine significare voluisse dijudicationem ex intelligentia manantem, in qua prudentia consistit. Differunt igitur *sapientia & intellectus*, siue prudentia; quod ad illam pertineat vniuersalis mysteriorum speculatio; ad hanc verò, mysteriorum cognitorum ad actiones applicatio. *Spiritualem* autem utramque vocat, ut à carnali sapientia & prudentia, quam vel sæcularis philosophia, vel schola Simonis ostentabat, eam separet; *Spiritualem*, inquam, id est, à Spiritu sancto profectam. Sensus apostoli est: Ut impleamini noticia voluntatis diuinæ; idque per omnem, id est, perfectam quandam sapientiam & prudentiam spirituales. Non enim absque his donis impleri quis potest illa noticia, prout superius explicata est.

VT AMBULETIS DIGNÉ DEO, PER OMNIA PLACENTES. Falluntur qui, *Deo*, datum esse volunt, qui regatur à participio, pla-

centes; nam Græca sic habent ad verbum, *Ambulare vos digné Domino in omnem placentiam*, pro quo Ambrosianus, *ad omne placitum*. Et alioqui nota est apostolica phras, *digné Deo, vel sanctis, vel euangelio Christi quippiam agere*; hoc est, sic ut dignum est Deo &c. Rom. 16. Philip. 1. 1 Theff. 2. & 3 Ioan. Sensus igitur est; Ut viuatis & conuersimini digné Domino Christo, id est, sicut decet Christi fideles ac discipulos; ita ut ipsi per omnia placeatis. Nam Christiani hominis vnicum studium esse debet, ut Christo Domino suo placeat, suasque actiones ei prober. Vnde apostolus Gal. 1. *An quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*. Etenim serui est placere Domino suo per omnia.

IN OMNI OPERE BONO FRUCTIFICANTES. Id est, Fructum omnis generis bonorum operum ferentes, nullum bonum opus quod temporis ac rerum ratio postulet prætermittentes. Sic enim per omnia placebitis Domino. *Opera bona fructus* vocat, quia sicut fructus terræ temporariam hanc vitam conseruant; ita bonorum operum fructus pariunt nobis æternam vitam; iuxta illud Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, si nem verò, vitam æternam*.

ET CRESCENTES IN SCIENTIA DEI. Græcè, *In agnitionem Dei*. Ita legit & Ambrosianus. Crescit in agnitione, siue scientia Dei, qui in diuinorum mysteriorum noticia quotidie proficit.

IN OMNI VIRTUTE CONFORTATI. Erasmus & Hentenius, ut seruent vocum affinitatem, quæ in Græco est; ita vertunt, *Omni robore corroborati*. tamen participium Græcum non præteriti temporis est, sed præsentis; quasi dicas, *In omni valentia valescentes*. Respondet enim præcedentibus participijs, *fructificantes & crescentes*; & sequenti, *gratias agentes*.

SECUNDVM POTENTIAM CLARITATIS EIVS. Rectius, *gloria eius*. *Virtus & potentia* idem hinc significant; nisi quod *virtus* ad Colossenses referatur, *potentia* ad Deum; ut virtus illorum intelligatur esse potentia diuinæ effectus. Nam sensus est; Item precor vobis, ut contra tentationes & impugnationes aduersariorum, magna virtute corroboremini, iuxta potentiam gloriosam illius, scilicet Dei. Nominat *potentiam gloriæ*, phrasè Hebraica, id est, gloriosam & illustrem potentiam; quia potentia Dei relucet & glorificatur in fortitudine & patientia Christianorum; velut causa in effectum. Locus similis est ad Eph. 3. *Ut det vobis secundum diuicias gloriæ suæ virtute corroborari &c.*

IN OMNI PATIENTIA ET LONGANIMITATE. Græcè, *Ad omnem patientiam & longanimitatem*. Rursus enim significatur effectus potentia Dei in hominibus, ut qui valeat eis suppeditare perfectam & omnimodam patientiam ac longanimitatem. Inter quæ duo,

Græci

Græci ita distinguunt, quod patientia sit ad eos qui foris sunt, quos nec vlisci facile sit; longanimitas siue lenitas, ad eos qui inter nos versantur, & quos vlisci possemus.

12

CVM GAUDIO GRATIAS AGENTES DEO ET PATRI. Plures codices manuscripti, ijque præstantissimi, suffragante editione Clementina, & versione Syriaca, textuque Ambrosiano, legunt, *Deo Patri*, sine coniunctione media; Nonnulli tantum habent, *Patri*. quæ lectio Græcorum codicum est ferè omnium; tamen Chrysostomus è diuerso non *Patri*, legit, sed, *Deo*. Gratiarum actionem vult apostolus coniunctam esse cum gaudio; quia quanto plus gaudemus de bonis acceptis, tanto plura ea facimus, tantoque maior est ac Deo acceptior actio gratiarum, quam propter illa referimus. Huc usque enumeratio est eorum quæ per suas orationes apostolus contendit impetrare Colossensibus, nimirum ab eo loco; *Non cessamus pro vobis orantes & postulantes*, &c. Vnde constat hæc omnia, in quibus etiam est ipsa gratiarum actio, Dei dona esse, nec aliunde quam ab eius gratia expectanda: cum nemini dubium esse possit, quin oratio sit gratiæ restitio. Chrysostomus quidem & Theophylactus hæc partem ad apostolum referunt de se loquentem, ut hæc sit orationis constructio, Non cessamus pro vobis orare Deum, ut ea præstet quæ iam dicta sunt; Item non cessamus pro vobis gratias agere propter ea quæ iam præstitit. Verum simplicius est, ut absque hyperbaro pars ista cum proximis connectatur, & proinde referatur ad Colossenses; ad quos utique pertinent participia quæ ordine præcesserunt. Iam deinceps exponit, simulque ingressum facit ad præcipuam doctrinam huius epistolæ, quæ est de beneficio Dei per Christum.

QUI DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SANCTORVM IN LVMINE. Græcè secundum quosdam, *qui idoneos nos fecit*. Est enim idem in Græco verbum quod 2 Cor. 3. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti*. Sicut tamen illic melius redditur, *idoneos quæ dignos*; ita hoc loco, melius *dignos quàm idoneos*. Nam utroque modo vox Græca suis locis aptè redditur, ut ostendimus 1 Cor. 15. v. 9. & 2 Cor. 3. v. 5. & 6. Significatur autem dignitas collata; non dignitas inuenta aut præuisa. Non enim sentit apostolus nos, antequam in partem sortis sanctorum assumeremur, quoquo modo dignos fuisse eo beneficio; sed sensus est: Qui dignatus est nos assumere in partem hereditatis electorum, & sanctorum suorum. Id est, qui nobis dignitate & excellentiâ illam contulit, ut essemus iater sanctos & electos eius, scilicet participes eiusdem cum illis hereditatis cælestis. Nam hereditas nomine *sortis* in scripturis significari solet. Contulit autem omnino gratis, ac nullo nostro merito; Quod & ipsum nomine *sortis* intelligitur, quæ meritum non attendit; quæ admodum plenus id à nobis

explicatum est ad illud Eph. 1. *In quo etiam nos sorte vocati sumus*. Quæ res etiam hoc loco diligenter à Chrysostomo, & Theophylacto declaratur. *Sortem* vocat, inquit, ut ostendat quod sicuti fors non est humanæ industriæ, neque conatus, sed fortunæ potius videtur; ita nos non ex nostris meritis regno donamur, aut digni iudicamur, id est, ad regnum eligimur, sed diuinæ totum est gratiæ. Quod addit apostolus, *in lumine*; sensum hunc videtur habere, Per lumen veritatis ac fidei quo nos illuminavit. Quod ipsum tamen etiam ad gratiam electionis pertinet. Potest & sic intelligi, *In parte sortis*, iue hereditatis sanctorum, quæ est in lumine: quia secundum Ioannem 1 ep. 1. *Deus lux est, & tenebre in eo non sunt ullæ*; & qui cum Deo societatem habent, in luce ambulare dicuntur. Hæc luminis expositione probabilè facit id quod sequitur de tenebris illi oppositis,

13

QUI ERIPUIT NOS DE POTESTATE TENEBRARVM. Id est, è potestate diaboli, sicut exponit Augustinus epistola 107. nam & apud Luc. 22. in eo quod ait Dominus: *Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, nihil aptius per *potestatem tenebrarum* intelligi videtur, quæ potestas diaboli, quo impellente Iudæi mittebant manus in Christum. Vocatur autè *diabolus tenebra*, quia per peccatum totus factus est tenebrosus, utpote totus à Deo, qui vera lux est, auersus. Possent tenebrarum nomine etiâ homines infideles intelligi, velut Eph. 5. *Eratis aliquando tenebrae*; possent etiam intelligi errores & peccata hominum; Sed istæ acceptiones huic loco minus congruunt.

ET TRANSTVLIT IN REGNUM FILII DILECTIONIS SVÆ. Vel *charitatis suæ*, ut legit Augustinus lib. 15 de Trinit. c. 19. Qui etiam hinc colligit Deum Patrem in scripturis aliquando vocari charitatem; quia filius non est nisi patris. Sed magis apparet apostolum vsum Hebraismo, quo genatiuus vice epitheti ponitur, ut sensus sit: Qui transtulit nos in regnum filij sui dilecti. Sic enim loquitur Eph. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo*; quamuis illic in Græco non est ad dictum, *filio suo*. Sic & Pater voce cælitus missa: *Ecce est filius meus dilectus*. Huius filij regnum: apostolus ecclesiam intelligit. Hæc enim & corpus est & regnum Christi, & domus Dei. Transferuntur ergo homines in hoc regnum, quando erepti de potestate diaboli, inseruntur, atque incorporantur ecclesie Christi. Quod quomodo fiat, explicat parte sequenti,

14

IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM, REMISSIONEM PECCATORVM. Nonnulli codices interposita coniunctione legunt, *Et remissionem peccatorum*. Sed plures & meliores coniunctionem non agnoscunt. Græca verò cõplura, quibus annuit biblia Clementina, plenius legunt hoc modo: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*. Vbi notandum verba posteriora continere priorum expositionem, Nam quod ait, *per sanguinem eius*, exponit illud, *In quo*; Quod verò addit, *remissionem peccatorum*, exponit,

K 4

redem-

redemptionem; Dicit ergo apostolus nos in filio, siue per filium habere redemptionem; quia per sanguinem eius, velut precium Patri oblatum, hoc est, per passionem eius & mortem redempti sumus à seruitute peccati, mortis, & diaboli; quam totam redemptionem remissio peccatorum complectitur. Ceterum meritò dubitatur an illud, *per sanguinem eius*, quod neque apud Ambrosianum legitur, neque apud alios interpretes Latinos, seu veteres, seu recentiores, neque apud ipsum Chrysostomum, aut sequacem eius Theophylactum; sed nec in nostris est manuscriptis; ad textum pertineat. Videri enim potest huc ascriptum ex cap. 1 ad Eph. vbi totidem verbis legitur, *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.*

15 **QUI EST IMAGO DEI INVISIBILIS.** Consequenter ab excellentia personæ redimentis, beneficium redemptionis commendat, ostendens quis & quantus sit Christus. Vocat eum *imaginem Dei invisibilis* (nam *inuisibilis* genitui casus est, vt liquet ex Græco) non quòd in diuinâ natura sit inferior Patri, sicut depicta hominis imago aliquid minus est ipso homine; & sicut homo qui est imago Dei, longè minor est Deo; què admodum peruersè locum hunc intellexerunt Ariani: sed de imagine loquitur omnino perfecta & absoluta. Est igitur filius imago Dei, quia perfectissima Dei similitudo est, ab eo expressa, per generationem qua ex illo natus est. Ex quo certè consequens est ipsum quoque Deum esse. neque enim perfecta Dei similitudo, seu representatio potest esse in eo quod non habeat eandem cum Deo naturam. Plura de hoc Christi attributo diximus ad 2 Cor. 4. vbi similiter Christum Dei imaginem appellat. Porro Deum vocat *inuisibilem*: vel, vt ait Thomas, quòd ad videndam eius essentiam nullus intellectus creatus naturaliter attingere possit: vel, quòd inuisibilis sit hominibus in hac vita. Quâ rationem velle videtur Paulus, de eo dicens: *Què nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* 1 Tim. 6. Adiecit autè hoc epithetum; quo insinuet ad Deum videndum non aliam nobis patere viam, quam per Christum, qui Dei imago est.

PRIMOGENITVS OMNIS CREATURÆ. Non eo sensu quo volebant Ariani, quòd inter omnes creaturas primò sit genitus, tanquàm & ipse sit creatura; Sicut enim non *primogenitum*, sed *primocreatum* dicere debuisset apostolus: sed iuxta communem interpretum expositionem, quòd ante omnem creaturam genitus sit; vt potè ab æterno, & per hoc, omni creatura præstantior, atque in vniuersam creaturam principatum habens. Hunc sensum confirmat quòd apud Ecclesiasticum ca. 24 idem Dei filius sub nomine Sapientiæ vocat se *primogenitum ante omnem creaturam*. Confirmant etiâ ea quæ hoc loco sequuntur, cum dicit omnia per ipsum creata esse; & ipsum esse omnibus anteriorem. Igitur si quæras secundum vtram naturam filius dicatur primogenitus, superio-

rem, an inferiorem: Respondeo, secundum superiorem, sed impropria ad creaturam comparatione, nimirum sensu iam explicato. Nam si propriè loquendum sit, Christus non primogenitus est patris, sed vnigenitus; vt testantur symbola fidei, quia nec alius ante vel post eum ex patre natus est, nec alius nasci potuit. Matris autem suæ, etsi vnicus, propriè tamen etiâ primogenitus vocatur, Matth. 1. & Luca 2. quia sic ante eum nullus ex eadem matre natus est, vt tamen post eum nasci alius potuerit, si naturam spectes maternam. Quod et go B. Ambrosius lib. 1 de fide cap. 6 dicens de filio Dei secundum naturam quam habet ex patre, dicit eum primogenitum, quia nemo ante ipsum; vnigenitum, quia nemo post ipsum: nonnullam improprietatem habet. Vt enim propriè quis primogenitus dicatur, non satis est, si nemo ante eum genitus sit, sed requiritur, vt post eum aliqui nasci potuerint. Porro quidam expositores primogenitum omnis creaturæ Christum interpretantur secundum naturam humanam: vel quòd secundum eam sit omnibus alijs creaturis excellentior, quomodo primogenitus ceteris filijs anteponi solet; vel, eo sensu quo idem ipse Rom. 8 vocatur *primogenitus in multis fratribus*, scilicet per gratiam vniõnis, in quantum est homo Deus; quemadmodum illic expositum est. Sic enim Fulgentius resp. 3 contra Arianos exponit hunc locum, creaturam intelligens eorum qui per adoptionem filij Dei sunt, eoque nomine fratres vnigeniti. Verùm hæ expositiones coactæ & parum germanæ videntur; cum ex ijs quæ proximè sequuntur, satis constet, quomodo de Christo & creatura apostolus loquatur: scilicet de Christo secundum naturam quam habet ex patre; de creatura verò, prorsus vniuersè. Ac sanè Christum vt Dei filium non esse creaturam, aperte docet id quod sequitur.

16 **QUONIAM IN IPSO CONDITA SVNT VNI-
VERSA, IN CÆLIS, ET IN TERRA.** Græcè expressius, *quæ in cælis & quæ super terram.* Condita, Græcè, *creata*; scilicet idem verbum quod infra repetit. Christum esse primogenitum omnis creaturæ, & proinde omni creatura priorem, ostendit apostolus ex eo quia sic ex Deo natus est, vt per eum Deus omnia creauerit, tam cælestia quam terrestria; iuxta illud: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ex qua scriptura cum optimè colligatur Dei filium non esse factum, quia ipse per seipsum fieri non potuit, quemadmodum colligit Augustinus tractatu 1 in Ioannem: pari rationis e uidentia colligitur idipsum tum ex hoc loco, tum ex eo quod paulò post sequitur; *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt*; nempe eum conditum & creatum non esse; quia per seipsum condi seu creati non potuit. Et hinc quidem non dicit cælum & terram in ipso creata esse; sed ea quæ in cælo & in terra sunt: quia stylum obliquè dirigit contra Simonianos, qui spirituales creaturas,

vt an-

vt angelos cælestes, sub peregrinis nominibus, quas videre est apud Irenæum & Epiphaniū, supra quam fas est, extollebant. Vnde & de ijs apostolus mox specialiter loquitur. Nā quòd ipsum cælum & terram non excludat à generalitate eorum quæ per filium creata sunt; liquet ex sequentibus, vbi sine restrictione dicit *omnia per ipsum creata esse.*

VISIBILIA ET INVISIBILIA. Id est, corporea, & incorporea. Quicquid enim corporeū est, aliquo modo visibile est oculis corporeis: At substantiæ corporis experte nullo corpore sensu percipi possunt. Hoc rursus contra Simonem; cuius doctrina erat, inuisibilia quidem, id est, angelos ab Ennæa, quam vocabat, creatos esse; deinde ab angelis mundum corporeum, ipsosque homines: vt refert Epiphanius in Simone, Manandro, & Basilide. Porro ex dictis facile intelligitur aliter Deum, aliter creaturas quasdam inuisibiles appellari.

SIVE THRONI, SIVE DOMINATIONES, SIVE PRINCIPATVS, SIVE POTESTATES. Inuisibilium ordines aliquot enumerat, quod & fecit Eph. 1. *Throni*, Græcum vocabulū est, significans sedes non quascunque, sed honorarias, quale est folium Regis, aut tribunal iudicis. Qua autem ratione hæ nomina certis angelorum ordinibus attribuantur, commentatores antiqui ferè dissimulant: ac sanè res est difficilis explicatu. De qua tamen consulantur Dionysius in cælesti hierarchia, & Gregorius in homilia 34 super euangelia, nec non sententiarij scriptores in 2 dist. 9. A quibus etiam petendum est, vtrum eum inter se ordinem habeant angelorum classes, quo hinc enumerantur; vt vult Gregorius: an quo recensentur ad Eph. quod placet Dionysio. Existimat idem Gregorius in expositione Ezechielis homilia 8. apostolus Paulum hos cælestium agminum ordines, quos describit, tunc vidisse, quando raptus fuit in tertium cælum. 2 Cor. 12.

OMNIA PER IPSVM ET IN IPSO CREATA SVNT. Hic iam omnia simul comprehendit; ne quis vllam fingat exceptionem. Græcè non est, *in ipso*, sed, *in ipsum*, siue, *ad ipsum*. Et alioqui superuacanea foret eiusdem repetitio; iam enim dictum est, & ex apostolica phrasi constat, *in ipso*; idem esse, quòd *per ipsum*. Sed & Græci admonent apostolum hinc exponere quòd supra dixit, *in ipso*. Itaque, *per ipsum* omnia creata sunt tanquam per principium à principio; *In ipsum* verò omnia creata dicuntur, vel quòd eadem creata ab ipso conferuentur, vt Græci exponunt; vel potius, quia propter ipsum creata sunt, & ad ipsum, vt finem omnia referuntur. Id enim præpositio Græca magis significat.

17 **ET IPSE EST ANTE OMNES;** Vel, *ante omnia*, vt omnes neoterici vertunt, quemadmodum etiam habet editio Syriaca. Etenim genitius Græcus ad vtrumque genus communis est. Ac sanè neutrumque genus congruit,

tum quia vniuersalius, personas etiam omnes complectens, tum quia *πάρτα*, *omnia*, neutro genere iam bis dixit, ac tertio mox repetit. Atque in eum sensum Græci exponunt. Qui etiam obseruant non dicere apostolum, *Et ipse factus est ante omnia*; sed, *ipse est ante omnia*. Quod, inquit, Deo maxime proprium est, ita & Christus in euangelio Ioan. 3. *Antequam Abruham fieret*, inquit, *ego sum*; non ait, *Ego factus sum*. Ceterum, *ante omnia*, intelligit durationis ordine; Ex quo tamen consequens est, vt etiam dignitate omnia antecedar.

ET OMNIA IN IPSO CONSTANT. Hoc est, omnia per eum consistunt, & conseruantur. Quod & ipsum Deo proprium est, non minus quam per ipsum omnia creata esse; nam conseruatio non aliud est quam creatio quædam continuata. Hactenus ea quæ ad superiorem Christi naturam pertinent exposuit: nunc vero deinceps ad explicandum redemptionis nostræ mysterium propius accedens, humanæ eius naturæ dignitatem profequitur,

18 **ET IPSE EST CAPVT CORPORIS ECCLESIAE.** Hoc ad Eph. 1 ita dixit: *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Sensus igitur est: Et idem ipse est caput ecclesiæ, tanquam corporis sui; vti que secundum naturam humanam. Christum enim, vt homo, præest ecclesiæ, eamque mouet, ac regit, vt corpus suum connaturale, varia gratiarum genera per suæ passionis meritum in eam deriuans. De qua capitis ratione plenius egimus ad locum memoratum epistolæ ad Eph.

QUI EST PRINCIPIVM, PRIMOGENITVS EX MORTVIVS. Christum dici *principium* nonnulli putant, quòd sit omnium rerum efficiens causa. Quòd solum in Apoc. aliquoties principium vocatur ad declarandam eius diuinitatem. Sed, quia de Christo vt homine, nunc loquitur apostolus; rectius illi, qui Christum interpretantur, principium respectu ecclesiæ; cuius & caput modò dicebatur; caput enim totius corporis principatum obtinet. Porro Græci totam partem hanc indiuise legunt; *principium & primogenitum* pariter referentes ad particulam, *ex mortuis*. Pro qua continua lectione facit quòd in Græco nullus interponitur articulus; quòd & Erasmus obseruauit. *Principium* autem per primitias exponunt; vt sensus sit: Qui Christus est primitiæ resurrectionis, vt qui primus, & ante alios à morte resurrexerit. *Principium* enim, & *primitia* in Græco tantum differunt, vt simplex & compositum; ἀρχή & ἀπαρχή. Respicunt autem illi ad alterum Pauli locum 1 Corinthi. 15. vbi Christum vocat *primitias dormientium*; velut primitiuum fructum à terra, in quam moriendo ceciderat, exortum. Idè verò hic & Apoc. 1 vocatur *primogenitus ex mortuis*, siue vt in Apoc. vertit interpres, *primogenitus mortuorum*; ea ratione, qua resurrectionem mortuorum Dominus in euangelio regenerationem vocat, Matth. 19.

Sic enim

Si enim resurrectio, regeneratio est: igitur qui primus à morte surrexit, primogenitus est mortuorum. Surrexit autem primus omnium Christus, non solum tempore, verum etiam dignitate & causalitate. De quibus singulis diximus in commentatio loci ad Cor. iam citati.

VT SIT IN OMNIBVS IPSE PRIMATVM TENENS. *Ut, cōsecutiue sumitur, q. d. Ex quibus efficitur, Christū in omnibus quę circa ipsum cōsiderantur, primas tenere. Nā quod ad generationē eius æternam attinet, per eā primogenitus est totius creaturæ: Quod verò ad humanam eius attinet naturam, in qua mortuus est, & surrexit; secundum eam primogenitus est omnium mortuorum, qui beata donabuntur immortalitate.*

19 QVIA IN IPSO COMPLACUIT OMNEM PLENITVDINEM INHABITARE. Pergit ostendere Christi hominis excellentiā. Supplēdum est autē, *Deo, aut Patri; Quod textus Ambrosianus expressit, nec non Erasmus in sua versione. Sensus: Nam & cōplacitum est Patri, vt in Christo fixam haberet sedem omnis gratia ad plenum vsque. Dicendo, complacuit, id est, benigna Patris voluntas fuit, (hoc enim Græco verbo significatur); meritum excludit: Non enim meruit Christus illam gratiæ plenitudinem, sed ex solo Patris beneplacito eam ab initio accepit. In eo autem quod ait, omnem plenitudinem, intelligi voluit, nihil gratiæ, nullamque eius perfectionem, quæ Christo, vt capiti ecclesiæ, congruat, ipsi deesse. Denique, verbo inhabitandi, permanentiam & perpetuitatē eiusdem gratiæ in Christo significauit. Non dubium autem quin ad hoc data Christo fuerit illa gratiæ plenitudo, vt ex eo, tanquam capite, omnia membra gratiam pro suo quodque modo, haurirent: iuxta illud Ioan. 1, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Vnde iam sequitur de reconciliationis & iustificationis nostræ mysterio,*

20 ET PER EVM RECONCILIARE OMNIA IN IPSVM. *Eum, ad Christum referunt; ipsum, ad Patrem: tamen si pronomini in Græco nulla sit variatio, possitque de Christo vtrumque rectius intelligi; vt sensus sit: Et complacuit Patri per Christum omnia in ipsum, vel ad ipsum, tanquam commune caput, reconciliare. Per Christum, inquam, non per angelos; quos, vt reconciliatores, in locum Christi Simon introducebat: quandoquidem & illi beneficium hoc reconciliationis per Christum factę suo modo participant; & sub eo quod dixit, omnia, comprehendantur. Quod patet ex sequentibus.*

PACIFICANS PER SANGVINEM CRVCIS EIVS. Græca pluraque rursus hęc addunt, per ipsum,

SIVE QVÆ IN TERRIS, SIVE QVÆ IN CÆLIS SYNT. Græcē, *Sine qua super terram, sine qua in cælis.* Huic etiam loco simile quid habemus Eph. 1, vbi sic legitur: *Instaurare omnia in Christo, que in cælis & que in terra sunt, in ipso.* Ex quo loco, apparet hanc partem, sine

qua in terris &c. referendam ad verbum reconciliare; & explicationem esse dictionis omnia. Quod significare volens sua versione Hentenius, media verba (pace facta per sanguinem crucis eius) parenthesi includit. tamen etsi nihil vetet etiam ad participium pacificans, hanc partem referri. Græci quidem participium hoc Filio attribuunt, vt secundum eorum interpretationem vertendum sit, *pacificans per sanguinem crucis sue, per seipsum.* Sed hoc modo orationis structura non cohæret: Optimè autem Patri tribuitur; de quo præcesserat verbum, *complacuit*, quod in Græco verbum est appositum, *ἐὐδόκησεν, benignè voluit*; quemadmodum ex multis scripturæ locis potest doceri. Per ea que in terris, & in cælis sunt, tam hęc quàm ad Ephes. intelliguntur homines & angeli. Vbi statim quæstio occurrit quomodo per Christum angeli reconciliati sint, quos constat partim non peccasse, partim verò peccasse irreconciliabiles. Ac rursus, quomodo pacificati sint angeli per sanguinem crucis Christi; non enim pro angelis mortuus est Christus, ait Augustinus enchirid. 61. Sed respondemus cum eodem Augustino, ideo etiam pro angelis fieri, quicquid hominum per Christi mortem redimitur, & liberatur à malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, post inimicitias, quas inter homines & sanctos angelos peccata fecerunt: vt hac ratione verum sit, per Christum cælestia cum terrestribus pacificari. Non enim dicit apostolus per Christum cælestia Deo reconciliari, aut cum Deo pacificari; sed cælestia & terrestria, id est, homines & angelos inter se: quod fit, dum per Christum tollitur oblatulum peccati, quod homines ab angelis dirimebat. Hęc responsio est Augustini ench. 61. 62. & 63. & potest illustrari simili scripturæ loco, qui est Ephes. 2. v. 16. nam & ibi de duorum inter se reconciliatione loquitur. Totus igitur huius loci sensus est; Deus pater voluit per Christum omnia, nimirum cælestia, atque terrestria, id est, angelos & homines inter se reconciliare, vniendo eos tanquam vnum corpus in Christo, vt capite; pace inter eos composita per sanguinem eius in cruce effusum, quo peccatum, quod erat inimicitia causa, deletum est. Hic locus sic explicatus, planè congruit cum eo qui est ad Ephes. 1. quemadmodum illic videre est. Nec aliam pacem arbitror intelligi in eo quod Luc. 19 turbæ diuino spiritu incitata, Christo acclamabant dicentes: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini; pax in cælo, & gloria in excelsis.*

21 ET VOS CVM ESSETIS ALIQVANDO ALIENATI ET INIMICI SENSU IN OPERIBVS MALIS. Quod in genere de Christi pacificatoris officio ac beneficio dixit, nunc speciatim ad Colossenses accommodat, iisque impensum docet. Græca vox *δραβία*, quam interpres

sensum

22 sensum vertit, magis significat cogitationem, mentem, consilium, velut in Cântico Virginis; *Dispersit superbos mente cordis sui*; id est, cogitatione & consilio cordis eorum. Porro Ambrosianus in commentario, & Hieronymus in epistola aduersus Ioannem Hierosolymitanum cap. 9, sensum siue consilium ad Deum referunt: Nam alter legit, *inimici consiliorum eius*; alter, *inimici sensus eius*. Verum Græca, vt & nostra Latina, relatiuum, *eius*, non habent: & multò rectius ipsorum Colossensium mens seu cogitatio accipitur. Pronomen *vos* accusandi casum habet in Græco, *Vos olim alienatos & inimicos mente*; Regitur autem à verbo, *reconciliauit*, quod sequitur,

NVNC AVTEM RECONCILIAUIT IN CORPore CARNIS EIVS PER MORTEM. Coniunctio, *autem*, redundare viderur, nisi per *tamen*, aut *sanè* exponatur, quod alij faciunt. Quodq; nos habemus, *carnis eius*, potius vertendum erat, *carnis sue*; quemadmodum legit Hieronymus in loco paulò antè citato. nam de Christo hæc dicuntur. Est enim hic sensus: Et vos Colossenses, qui quòdam eratis à Deo alienati per eius ignorantiam, imò & Deo contrarij, videlicet exercentes cum eo inimicitias, mente, cogitatione, ac studio, per opera mala, quibus toti addicti eratis; Vos, inquam, nunc idem Christus Dominus, illi, scilicet Deo patri, reconciliauit; non angelis ad hoc missis, sed per semetipsum, vt pote, per suum ipsum corpus infirmum & mortale quod susceperat; dico, per mortem in eo corpore toleratam. *Caro* significationem habet infirmitatis & mortalitatis, ea phrasi, qua dictum est 1 Cor. 15, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et Heb 5, *Qui in diebus carnis sue*, id est, dum ageret in corpore mortali.

EXHIBERE VOS SANCTOS ET IMMACULATOS ET IRREPREHENSIBILES CORAM IPSO. Erasmus Ambrosianum textum secutus, vertere maluit, *In conspectu suo*; Sed rectius noster interpres, *coram ipso*, id est, in conspectu eius, nempe Dei patris. Id enim magis sensus postulat, vt exhiberet, inquit, ac susteret vos Deo patri suo sanctos & irreprehensibiles, atque inculpato; nimirum mundatos à peccatis per baptismum, quo meritum passionis eius applicatur. Nam in hac vita fit quod hęc dicitur, licet non perfecte; sicut & illud Eph. 1, *Ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate.* Et eiusdem epistolæ cap. 5, *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata.* Sunt enim hæc loca mutua collatione illustranda; per quæ docetur veram atque internam iusticiam à Christo nobis conferri; quæ verè sanctos & immaculatos coram Deo nos constituat. Quod aduersus hæreticos est obseruandum, qui iusticiam huiusmodi profus negant.

23 SI TAMEN PERMANÉTIS IN FIDE FVNDATI ET STABILES. Non vult dicere apostolus Christum non exhibere eos sanctos & irreprehensibiles, nisi permaneant in fide &c. sed nihil eis profuturum quòd Christus eos per lauacrum aquæ sanctos & mundos Patri exhibuerit, nisi permaneant. q. d. Idque non frustra; sed ad æternam salutem vestram: dummodo *permaneatis in fide fundati & stabiles*, id est, pro fundamento fidem stabiliter retineatis; nec auscultetis ad noua dogmata Simonis, aut Iudaizantium. Similis intellectus conditionatæ locutionis est Heb. 3. *Quæ domus sumus nos; si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem, firmam retineamus.* Et iterum, *Participes enim Christi effecti sumus; si tamen inuicem substantia eius, vsque ad finem, firmam retineamus.*

ET IMMOBILES A SPE EVANGELII, QVOD AVDISTIS: Id est, Neque patiamini vos dimoueri à spe bonorum cælestium, quæ promittit euangelium quod audiistis ac didicistis ab Epaphra fideli ministro Christi, sicut supra dictum est. Dimouetur autem ab hac spe, qui non permanet in fide euangelij promittentis. Facit hic locus aduersus hæreticos, qui negant fidem aut iusticiam semel habitam amitti posse.

QVOD PRÆDICATVM EST IN VNIVERSA CREATVRA QVÆ SVB CÆLO EST. *Creaturam*, intellige humanam. Quod expressit Petrus dicens 1. ep. 2. *Subiecti estote omni humana creatura, propter Deum.* Vel, accommoda generalitate, *creaturam*, prædicationis ac doctrinæ euangelicæ capacem; sic enim præceptum fuerat apostolis à Christo, Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuersum, predicare euangelium omni creatura.* Id quod Matthæus ultimo capite ita dixit: *Euntes docete omnes gentes.* Igitur euangelium prædicari in vniuersa creatura, siue vt Erasmus vertit, apud vniuersam creaturam, *quæ sub cælo est*; non aliud est, quàm ipsum prædicari omnium gentium hominibus, hoc est, per omnes gentes, aut per vniuersum mundum. Quomodo autem iam tunc, quando hæc scribebantur, prædicatum fuerit euangelium per vniuersum mundum; cum ad multas remotissimas, & incognitas gentes, etiam multis post sæculis non perueniret: exposuimus in commentario epistolæ Rom. ad illa verba cap. 10. *Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Quia nimirum in plurimas quaquaversum nationes illo iam tempore disseminatum erat; atque ad plures etiam rumor eius peruaserat; etsi, nondum ad omnes absolutè. Sic enim explicanda est hyperbole sermonis huius, *In vniuersa creatura quæ sub cælo est.* Qua item figura Lucas dixit Act. 2. *Hierosolymis habitasse Iudeos viros religiosos ex omni natione quæ sub cælo est.* Loquitur autem ad hunc modum apostolus, ne Colossenses de mu-

tanda

minem reddamus, & Deo sistamus perfecte instructum in his quæ ad fidem & cognitionem Christi pertinent. Quanquam etiam extendi hoc potest ad vitam moremque Christianos; propter illud quod dixit: *Corripientes omnem hominem*. Porro quod dicit ac tertio repetit, *omnem hominem*; tale est ac si diceret, *Quævis hominè prout possimus; neminè volentes à fructu euangelij, quod prædicamus, esse exceptum.*

IN QVO ET LABORO CERTANDO. Græcè, *ad quod & laboro certans*; Id est, in quem finem, vel ad quod præstandum, etiam enitor; multumque laboro, cum difficultate & periculo decertans. Id enim significat Græcè participium *ἀγωνίζομαι*. Hic iam de se singulariter Paulus loquitur; cum supra communiter locutus fuerit in persona apostolorum: Intelligit enim laborem quendam sibi proprium, de quo 1. Tim. 2. *Secundum curam celum meum in quo laboro usque ad vincula.* Nam ex vinculis hæc scribit.

SECUNDVM OPERATIONEM EIUS QVAM OPERATUR IN ME IN VIRTUTE. Græcè ad verbum, *secundum operationem siue efficaciam eius operatam in me in virtute*. Consonat Ambrosiana lectio, *Quæ operatur*. Sed obserua participium, *operatam*, aut verbum, *operatur*, passiuè accipiendum esse; quali dicas quæ agitur, aut exercetur ab eo, scilicet Christo: vt proinde noster interpret passiuam locutionem conuertens in actiuam; mutato casu relatiui; sensum transtulit. Idem enim est; Quæ operatur à Christo, & quam Christus operatur. De hoc verbo passiuè accepto, & Græco et respondente pluribus egimus ad illud Gal. 3. *Sed des quæ per dei actionem operatur*. Vbi inter alia exempla huiusmodi acceptionis è scripturis adducta, etiam hunc locum annotauimus. Breviter ergo sensus est; Decertans secundum efficaciam ac potentem operationem, seu motionem Christi in me. Nam illud, *In virtute*, idem est quod potenter. Tamen Ambrosianus & Primasius *virtutem* signorum seu miraculorum intelligant, quæ prædicationem apostolicam comitabatur; iuxta illud Marc. ultimo, *Prædicauerunt ubique; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*. Horum expositioni fauet locus Rom. 15. vbi de efficaciam suæ prædicationis agens apostolus, subiungit: *In virtute signorum & prodigiorum in virtute Spiritus sancti*. Vtrius autem modo particula, *In virtute*, exponas; sentit apostolus tam laborem suum, atque certamen, quam successum eius esse à Christo in se operante. Quod ad commendationem gratiæ Christi pertinere, etiam Græci tractatores admonendum putarunt.

S V M M A R I V M.

Admonet Colossenses vt sibi caueant ab imposturis pseudapostolorum; ostendens Christum in cruce, deo peccato, de Diabolo triumphasse. Aduert eos ab observationibus legalibus & à falsa angelorum religione, ac à superstitione ciborum.

CAPVT II.

VOLO ENIM VOS SCIRE QVALEM SOLICITVDINEM HABEAM PRO VOBIS. Græcè, *Quantum certamen habeam de vobis*, id est, sustineam pro vobis. Respicit enim ad hoc quod proxime dixit, *In quo & laboro certando*; Redditque rationem cur laborum suorum ac certaminis meminerit, nimirum vt sciant Paulum, etsi nunquam ijs visum, tamen etiam pro ijs talia patis vtque inde consolationem ac fidei confirmationem accipiant.

ET PRO IIS QUI SVNT LAODICIÆ, Vobis Colossensibus vicini. Eadem est hæc Laodicæa cum illa quæ vna est Asiæ ciuitatum ad quas Apocalypsim suam mittere iubetur Ioannes, Apo. 1. Vnde intelligitur intignem fuisse ecclesiam.

ET QVICVNQVE NON VIDERVNT FACIEM MEAM IN CARNE. Id est, faciem carnis, seu corporis huius mortalis. Addit enim, *In carne*, per quamdam *ταπεινωσιν*, vt intelligant pluris faciendam esse præsentiam spiritus quam carnis. Ex hoc loco plerique colligunt Paulum Colossis ac Laodicæa, non fuisse. Quod nobis quoque probabilis videri iam supra diximus, tum in argumento huius epistolæ, tum ad illud 1. ca. *Sicut didicistis ab Epaphrodito, seruo nostro*. Porro Theodoretus existimat ex his verbis contrarium colligi. Tractans enim epistolæ argumentum, vult istius loci hunc esse sensum, Non solum vestri; sed eorum etiam qui me non viderunt, maximam curam gerò. Verum istam expositionem Theodoro non concedimus; Quin potius apparet apostoli verba sensum exigere huiusmodi, Volo vos scire quantum laboris sustineam pro vobis & pro Laodicensibus, & pro cæteris qui me non viderunt. Significat enim apostolus se non minorem Colossensium & cæterorum, à quibus nunquàm visus fuerat, curam saluti habere, quam eorum quibus præsens Christum prædicauerat.

VT CONSOLENTVR CORDA IPSORVM. *Consolentur*, passiuè, id est, consolationem accipiant; quemadmodum Erasmus vertit Ambrosianum textum imitatus. *Ipsorum* refertur ad tria membra præcedentia, scilicet ad Colossenses, & Laodicenses, & cæteros qui Paulum non viderant. Quorum omnium magna consolatio erat, quod pro ipsis etiam non visis tantam illi curam gereret.

INSTRVCTI IN CHARITATE. Græcè, *Instructum*, seu potius, *constructorum in charitate*. Itaque non Paulus, sed interpret Grammaticæ leges hic neglexit. Ac rectius se habet Ambrosiana versio; *Cum fuerint instructi in charitate*. Verbum Græcum etsi interdum instruere significet, vt 1. Cor. 2. *Quis cognouit sensum Domini, qui instruat eum?* hoc tamen loco magis congruit alterum, ac frequentius eius significatum, cõstruere, cõpingere, coagmẽtare. Sic enim accipitur Eph. 4. *Ex quo totum corpus compactum, & conexum per omnem iuncturam*

subministrationis, augmentum corporis facit in edificationem sui, in charitate. Itè in hoc capite, longè inferius, vbi ferme eadè verba habetur: Id ipsū autè hic breuissimè dicit, *constructorum in charitate*. Proinde sèlus est, Cum instar partium vnus ædificij, seu mēbrorū vnus corporis, apte cõiuncti fuerint & cohererint inter se per charitatē, velut quoddā vinculū vnionis. Est hæc tacita adhortatio ad charitatē mutuā.

ET IN OMNES DIVITIAS PLENITVDINIS INTELLECTVS. *Plenitudinis*, in Græco, nō est *πληρωματος*, vt capite superiori, *In ipso complacuit omnem plenitudinē inhabitare*, sed *πληροφωγίας* quam multi interpretantur plenā ac certam persuasionem. Vnde locū hunc Erasmus & Hentenius ita verterunt, *Et in omnem opulentiam certe persuasionis intelligentia*; Alij sic, *certō persuasā intelligentia*. Verum nos de significatione Græci vocabuli latè egimus exponentes illud Ro. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet*: Neque enim *πληροφωγία* per se plus significat quàm plenitudinis appotationē, id est, vno verbo, impletionem, vel expletionem, vt verit noster interpretes Heb. 6. quemadmodū *ἀποφωγία* munerum oblationem significat. Nec malè hoc loco & iterum 1. Thess. 1. plenitudinem idem noster interpretatus est: quod etiam apud Ambrosianum commentatorem vtrouque legitur, vt *plenitudo intellectus* non aliud sit quàm plena siue completa intelligentia; nec opus sit huc accedere persuasionis vocabulum. Porro supplendum aliquid, vt sèlus reddatur: hoc modo, Et cum fuerint introducti in omnes diuitias, id est, largissimā copiam plenæ intelligentiæ. Amplificatio rhetorica est, ac pene hyperbolica, pro eo quod simpliciter diceret, Et cum fuerint plenè edocti; scilicet de mysterio, vt sequitur;

IN AGNITIONEM MYSTERII DEI PATRIS, ET CHRISTI IESV. Pars hæc appositivè legèda est; explicat enim partem præcedentem ostendens de qua scientia fuerit ibi sermo: q. d. In cognitionē, in quā, eius mysterij, quod est de Deo &c. Variat autè hic codices: Correctio Romana habet quod posuimus; Cui consonat versio Syriaca, cum Græcis nonnullis. Complures codices sine coniunctione legunt, Dei Patris Christi Iesu, id est, Dei, qui est pater Iesu Christi. Eundem sensum habet aliorum quorundam codicum lectio, Dei & Patris Christi Iesu. Alij denique coniunctionē gemināt, Dei, & patris, & Christi Iesu: vt *Dei mysterium* dicatur, quod est de Deo ac diuinis attributis; *Patris*, quod ad personas spectat diuinis, quarum prima est Patris; *Christi Iesu*, quod est de tota Christi redemptoris œconomia. Postremā hæc lectionem exhibent hodierni codices Græci; Verum primam & tertiam probabiliorē faciunt multa similia loca in epistolis apostolicis. Summa tamen serè eadè est, intelligi præcipua religionis capita, symbolo fidei comprehensa, quæ partim de Deo sunt, diuinisque personis, partim incarnationis Filij Dei, nostræque redemptionis arcanum continent.

IN QVO SVNT OMNES THESAURI SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ ABSCONDITI. *In quo*, scilicet, Christo. Sed quaeritur vtrum de Christo vt Deo an vt homine dicat hoc apostolus; id est, vtrum diuinam an humanam Christi scientiam commendat, Respõdeo tam Græcorum quàm Latinorum interpretum cõmunem expositionem esse de scientia diuina, quæ in Christo est, vt Dei verbo; quemadmodū & Ambrosius exponit lib. 5. de fide ad Gratianum ca. 8. nec secus sentire Aquinatè, Caetanum, aliosque recentiores: licet etiã ad humanam Christi scientiam accomodari possit hic locus; Quod facit Liranus & alij nonnulli, idque per quandam consequentiam, quatenus ex increata sapientia in animã Christi, cui hypostaticè vnitur, influit sapientiæ creatæ plenitudo & perfectio, sed finita tamen; cum alioqui mens apostoli sit eam scientiæ magnitudinem & perfectionem Christo attribuere, cui nihil accedere possit, quæque profus inexhausta & infinita sit; quæ profectò non alia est quàm diuina. Atque cõspectò id quod aliquantò post, velur huius rationem indicans, dicit: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Id ipsum confirmatur ex alio loco simili, Ro. 11. vbi nominat diuitias sapientiæ & scientiæ Dei; increatam vtrique sapientiam & scientiam volens significare. Quocirca disputatio de humana Christi scientia, de qua terminis eius, cum sit creatæ & proinde finita; non est præsentis loci. Pulchrè verò Chrysostomus & eum secutus Theophylactus, apostoli verba expendunt. Quom dicit, *thesauros*, inquit, copiam ac multitudinem ostendit; quod addit, *omnes*, nihil omnino esse quod ignoret; quod autem subiungit, *absconditi*, seu reconditi, ipsum solum omnia scire declarat. Solum dico, si cum creaturis conferatur, vt benè explicat Oecumenius; non si ad personas diuinis, quarum triū vna est scientia. *Sapientiam* verò & *scientiam*, rectè Thomas ita distinguit, quod illa, sit rerum diuinarum; hæc, creaturæ cognitio. Cur autè ista de Christo commemoret Paulus, sequens sententia docet;

HOC AVTEM DICO, VT NEMO VOS DECIPIAT IN SVBLIMITATE SERMONVM. Hic iam propius accedit ad scopum epistolæ. Munus autem Colossenses aduersus duas sectas, seu familias, à quibus eorum fidei simplicitas tentabatur: Alteram Simonis magi, alteram Iudaizantium. Ac de his quidem inferius; Ad Simonianos verò qui humanæ philosophiæ placitis imbuti erant, & à Christo ad angelorū religionem homines auocabat; pertinet quod hic dicitur, & alia quæ sequuntur. Græcum verbum *παρὰλογίζηται*, quod interpretes vertit; *decipiat*, è scholis acceptum est atque etiã Latinè à dialecticis vsurpatum, paralogizare, id est, falsā ratiocinatione decipere; pro quo Ambrosianus legit, *circumueniat*; quemadmodum & Augustinus in epistola 59. q. 7. Nec Græcè est, *sublimitate sermonum*, quod legitur 1. Cor. 2. sed nomen compositum *πειθανολογία*,

quod significat sermonis probabilitatē, siue persuasibilitatem; id est, sermonem aptū & cōpositū ad persuadendum. Augustinus loco iā dicto legit, *In verisimili sermone*: Textus autem Ambrosianus habet, *In sublimitate sermonis*; ut nonnulla suspicio sit etiā nostrum interpretem ita vertisse, sed, ob affinitatē vocabuli, ex altero loco, qui est ad Cor. fuisse mutationē factā, ut scriberetur, *In sublimitate*. Sensus igitur est, Hoc autē quod dixi de excellētia sciētiā Christi, propterea dico, ne allecti specioso nomine sciētiā, quam quidā promittunt, sinatis vos circūueniri probabilibus, sed falsis argutijs humanarū ratiūcularū. Cū enim in Christo, quē fide recepistis, sint omnes thesauri sapientiā & sciētiā reconditi; & ab eo tanquā capite, expectetis, quisque secūdū modum suum repleti: non est quod extra eum, ad humanas sciētiās incertas, vanas, & fallaces aspiretis. Sic & Timotheū hortatur 1. ep. 6. *ut denitet oppositiones falsi nominis sciētiā, quam quidam, inquit, promittentes circa fidem exciderunt.*

NAM ET SI CORPORE ABSENS SVM, SED SPIRITV VOBISCVM SVM. Rursus suam erga eos sollicitudinē declarat, ne à falsis magistris decipiatur. Pro corpore, Græcè est, *carne*, quam opponit spiritui. Dicit autē spiritus se cum illis esse, nō propter realem spiritus præsentiam, neque quod spiritu prophetico videret quē apud illos ageretur, quamvis sic interpretetur Ambrosianus, dicens apostolum id non minus potuisse, quam potuit Elizei spiritus videre fraudē Giezei pueri sui absētis: sed quod mentis eius cogitatio & cura circa illos versaretur; quē admodum & 1. Co. 5. dicit: *Ego quidē absēs corpore, præsens autem spiritu; iam iudicavi ut præsens &c.*

GAVDENS ET VIDENS ORDINEM VESTRVM. Id est, gaudens, dum video, vel quia video ordinē vestrum; ut, &, causaliter sumatur, quod in scripturis non est infrequens. Videbat autē in spiritu ex ijs quæ retulerat ad eū Epaphras; De quo ca. 1. sic ait: *Qui etiā manifestavit nobis dilectionē vestrā in spiritu*. Ab hoc ergo & ordinē eorum didicerat. Ordinem autem intelligit bonū & congruentē. Vnde Græci cōmētarij τὰ εὖ interpretantur ἐν τάξει, id est, bonā ordinationē. Et rectē; nam ordo incōpositus, non ordo sed cōsilio est. Obserua autē, apostolum cum in Colossēsisibus alia plura laudare posset; præcipuē tamen ordinem de quo gauderet, commendare voluisse: Est enim ordo commune bonum, cōsistēs in debita collocatione, seu dispositione partiū, respectu totius; Cui contrariatur quicquid vsquam inordinatē agitur, id est, omne peccatum; adeo ut Tullius dicat in Paradoxis, Quicquid peccatur, perturbatōne ordinis peccari. Quantum verō pro hoc bono in ecclesijs constituendo & conservando, sollicitus fuerit Paulus; passim epistolæ eius probat; ut 1. Cor. 11. vbi cū quēdā ordinasset, adhuc alia promittit dicens, *Cetera cum venērō disponam.* & ca. 14. vbi multis ordinatis, ita cōcludit: *Omnia honestē & secundum ordinē fiant in vobis.* Sed & in epistolis ad Timo-

theum & Titū scriptis, multa disponit ad ordinē ecclesię pertinētiā; Idēque Thessalonicēsisibus præcipit 2. ep. 3. *ut subtrahant se ab omni fratre ambulante inordinatē.* Idipsū animaduertere est in epistolis Sancti Ignatii, in quibus diligenter monet fideles ut episcopos suos, presbyteros, diaconos agnoscat; ijsq; se subijciat & obediāt per omnia. Hæc notāda, cōtra hæreticos, inimicos ordinis & hierarchiē antiquitus in ecclesia constitutā.

ET FIRMAMENTVM EIVS QVÆ IN CHRISTO EST FIDEI VESTRÆ. Hoc est, Et vidēs firmitatē, soliditatem, constantiā, fidei vestræ in Christum (sic enim est Græcè); id est, qua in Christū credidistis. Quō spectet hæc laus Colossensium, quam præmisit, ostendūt sequētia.

SICVT ERGO ACCEPISTIS IESVM CHRISTVM DOMINVM, IN IPSO AMBVLATE. Hortatur ad perseverantiam doctrinæ semel acceptæ. Sēsus est: Quemadmodū ergo fide recepistis Iesum Christū, ut dominū, & ut caput, ac mediatorem vestrum; ita pergit eum retinere. Nemo vobis pro Christo angelos obrudat mediatores. Christus enim via est qua itur ad patrē, non angeli: nam ipse dixit: *Ego sum via*. In ipso igitur, ut in via, *ambulate*; ipse sit fundamentū totius conversationis vestræ. Hic Græcorum, auctore Chrysostomo, commentarius est. Quomodo autem hæc contra sanctorum angelorum inuocationē nō faciant, inferius explicabitur.

RADICATI ET SUPERÆDIFICATI IN IPSO. Duplex metaphora est; altera à plātis benè radicatis, altera à domo benè fundata. Significat ergo Christū esse radicē in qua vult eos firmiter esse radicatos; & fūdamētū super quo vult eos firmiter esse ædificatos: ne ab eo auelli ac dimoueri se patiātur vllō sermonis artificio.

ET CONFIRMATI FIDE. Idē nūc repetit sine tropo. Græcè, *In fide*, scilicet Christi. Quæ eadem lectio est apud Primasium & Pelagium.

SICVT ET DIDICISTIS. Græcè *sicut edocui estis*; Ambrosiano astipulatē. Docti autem ab Epaphra; quemadmodum initio dixit. Hoc autē subinde inculcat, ut sciāt à doctrina fidei semel tradita; sibi nullo pacto esse recedendum.

ABVNDANTES IN ILLO IN GRATIARVM ACTIONE. Græcè & Syriacè, *In illa*, scilicet fide; Consentiant manuscripta quædam Latina & textus Ambrosianus. Refertur autē hæc pars vnā cum participijs præcedentibus, ad verbū, *ambulate*; & sensus est: Non solum volo vos esse confirmatos in fide; verum etiam in ea proficere, & proficendo abundare per pleniorē mysteriorum Christi cognitionem; idque cum gratiarum actione erga Deum, ut auctorem huius totius boni.

VIDETE NE QVIS VOS DECIPIAT PER PHILOSOPHIAM ET INANEM FALLACIAM. Repetit admonitionem qua dixerat, *Nemo vos decipiat*; & pluribus explicat quod vno verbo attigerat dicens, *In sublimitate vel subtilitate sermonum*. Græca sonant ad hunc modū: *Videte ne quis sit qui vos depradetur per philosophiā & inanem deceptionem*. Et quidem verbum

deprade-

depradetur, hoc loco legerunt Cyprianus lib. de bono patientiæ, Hieronymus in commentarijs super Osee prophetam & super epistolam ad Gal. Ambrosianus in textu, & verus Ambrosius lib. 1. de fide ca. 3. Græca vox propriè significat *prædā abigere*. Itaque in eo verbo metaphora est à prædonibus supra, qui dū vi rapere pecudes nequeunt; fraude eas abigunt: Sic enim pseudapostoli & hæretici, dum apertè suam doctrinam proferre non audent; per insidias quasdam & artificia verborum eam mentibus auditorum instillant. Quod dicit apostolus, *per philosophiam*; non ira accipiendum quasi philosophiam, quæ est sciētia rerum diuinarum & humanarum naturali lumine rationis acquisita, damnet ut noxiam, aut reijciat ut inutilem: sed vel contra eos agit qui philosophia re per se bona abutebantur, ex veris principijs malè concludentes, dum de ijs quæ sunt fidei Christianæ, & captum humanæ rationis excedunt, iudicant secundum causas naturales, sibi que naturaliter cognitæ; nec mentem attollunt ad eum qui naturam instituit, eamque mutare potest; Et hunc sensum explicat Ambrosianus; Vel potius, nomine philosophiæ intelligit, non quod vox illa significat & promittit, sed illam rerum doctrinam, quam adferebāt qui apud gentiles philosophi dicebantur. Nā reuera nulla fuit apud Ethnicos philosophorum secta vacans crassis erroribus; præsertim de Deo rebusque diuinis ac de summo hominis bono. Verum huiusmodi sectarum aliæ alijs deteriores erant; quæ tamen omnes philosophiam profitebātur. Inter eas tempore apostolorum, & ijs locis in quibus apostoli verfabantur, erant qui sæcularem philosophiam cum religione Iudæorum miscētes, multa de Deo, ac Dei filio, de angelis, mundo & eius creatione, de que purgatione hominum; partim à Platonicis accepta, partim ex proprio cerebro adinuenta, falsa & vana tradebant hominibus. Ex quo genere fuit Simon magus, à quo Simoniani; & qui postea Gnosticos superbo nomine seipsos appellarunt. Hanc philosophiam apostolus reprobatur & fugiendam docet, ut corruptelam sinceritatis fidei Christianæ. De huiusmodi philosophia accipiendum, quod in Arianos scripsit Ambrosius lib. 1. de fide ca. 5, *Nonne ex philosophiā omnē impietatis sua traxerūt colore?* Addit autem apostolus, *Et inanem fallaciam*; explicandi causa. Cum enim, ut annotant Græci, philosophiæ nomen graue ac venerandū haberetur; adiunxit notationē philosophiæ de qua loquebatur: Quam vocat *inanem fallaciam*, seu *deceptionē*, quod multa tradat inania & falsa, per quæ homines creduli decipiātur.

SECVDVM TRADITIONEM HOMINVM. Non refertur ad verbum, *decipiat*, siue *depradetur*; sed ad *philosophiam*; idque per supplementum, hoc modo: *Quæ est secundum traditionem*, aut, *ex traditione hominum*. Vocat autem *traditionem hominum*, non quicquid est

extra verbum Dei scriptum, ut voluit hæretici; nam alioqui suas ipsius traditiones damnet apostolus, de quibus ait 1. Cor. 11. *Laudo vos, quod sicis tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* & 2. Thess. 2. *Tenetis traditiones quas didicistis*: Sed præcepta, instituta, & doctrinas ab hominibus corruptis ac sine Deo auctore traditas; quales erant traditiones scribarum & Phariseorum; de quibus Domino allegante apud Matth. 15. & Marc. 7. iam olim dictum fuerat per Isaiam cap. 29. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Id verò transferre velle ad traditiones ecclesię, quæ regitur à Spiritu sancto; in ipsum Spiritum sanctum blasphemia est. Respicit autem apostolus ad dogmata philosophica scholæ Simonianæ, de quibus supra.

SECVDVM ELEMENTA MVNDI. Quidam, propter hoc quod additur, *mundi*, putant apostolū loqui de quatuor simplicibus corporibus, ex quibus inferior hic mundus constat. quæ nobis vltimatissimo nomine elementa (corporum scilicet, ut Philippus loquitur) vocantur; quasi doctrinam quam de illis philosophi tradunt, vituperet. Græci per *elementa mundi*, solem & lunam cælestiaque corpora intelligunt, quæ sunt totius mundi elementa; & ex quibus sunt temporum obseruationes. Hoc autem alij extendunt ad vniuersam astrologiā, maximè qua parte tenent prædicere euentus & casus fortuitos. Verum si hic locus conferatur cum eo qui est ad Gal. 4. vbi modò *elementa mundi*, modò, *elementa infirma & egena* nominantur: nec non cum eo quod dicitur Heb. 5. *qua sint elementa exordij sermonum Dei* (neque enim vsquam alibi elementorum meminit): satis intelligitur, apostolo non aliud esse *elementa* in genere, quam initia seu rudimenta doctrinæ alienius; siue diuinæ siue humanæ; & seu veræ seu falsæ quemadmodum id plenius ostendimus in commentario epistolæ ad Gal. ad locū allegatū. Hoc igitur loco, per *elementa mundi* significari videntur sæcularis ac mundanæ philosophiæ rudimenta; cuiusmodi à Platonicis ac Simonianis tradebantur. Si quis tamen existimet profus eadem esse apostolo, *elementa mundi*, hoc loco; & ad Gal. vbi secūdum exigentiam rei de qua agebatur, *elementa mundi* interpretati sumus, corporalia signa, carnalesque ceremonias legis Mosaicæ: dicere poterit apostolum hinc loqui mixtim contra philosophos & Iudaizantes; ut eiusdem sententię verba partim hos; partim illos designent; idque propterea fortasse, quod vtriusque erroris iisdem essent magistri. Nam & Samaritani, ex quibus Simō, Iudaicam profitebantur religionem; cuius ceremonia præcipua erat *circuncisio manufacta*, De qua paulo post apostolus loquitur. Iuxta hanc interpretationem; quam non reijcimus; consequenter dicendum erit ex quatuor membris quæ hic in vituperio ponuntur duo priora, *philosophiam*, & *inanem fall-*

laciā, contra Simonianos esse posita: reliqua verò duo, *secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi*, contra Iudaizantes. Atque ex alijs scripturæ locis, quæ supra citauimus, facile colligi de qua traditione hominum hæc sit sermo; scilicet de Iudaica ac Pharisæica traditione. Sic quoque separanda erunt duo posteriora membra, à duobus prioribus; ad hunc modum; Cauete ne quis vos deprederetur per philosophiam, & inanem fallaciā: Item, ne quis id faciat secundum, (id est, per) traditiones hominum, & elementa mundi. Fauet huic intellectui quod legitur infra, v. 20. & 22. Hæc prolixius, vt in re obscura & ambigua, dicta sint. Tum sequitur,

ET NON SECUNDUM CHRISTUM, Supple & quæ non est secundum Christum. id est, secundum doctrinam de Christo vobis traditam; sed magis contra Christum, eiusque doctrinam. Est enim figura, qua minus dicitur, & plus intelligitur. Certè palam contra Christum erat, Mediatoris officio Christum priuare, & eius in locum angelos substituere. Erat etiam contra Christum, ex lege & ceremonijs Iudaicis iusticiam querere.

9 QVIA IN IP SO INHABITAT OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS CORPORALITER. Ratio est totius admonitionis præcedentis ab illo loco, *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam* &c. Poterat autem apostolus pro ratione repetere id quod supra dixerat; *In Christo esse omnes thesuros sapientia & scientia absconditos*; atque inde monere Colossenses ne incitati sciendi cupiditate, sinerent se inescari à philosophis multam scientiam promittentibus; cum in Christo scientiarum opulentissimo omnia habeant re aut expectatione: Sed maluit dicte rationis fundamentum pro ratione adferre, & per hoc plenius satisfacere. Est igitur fundamentum, seu ratio rationis, hæc, *quia in Christo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis*, Græcè θεότητος, *deitatis*; id est, plena, tota ac perfecta deitas, Hoc autem pluribus modis intelligi potest quos insinuat nobis Augustinus sub finem epistolæ 57. ad Dardanum. Vno modo, vt corpus vmbrae opponatur; & sensus sit, Deum in Christo non vmbrales inhabitare, quomodo in templo manufacto quondam habitabat, id est, præfigurantibus signis; sed *corporaliter*, hoc est, tanquam in ipsa re per illud templum significata. Qui sensus nonnullā accipit probabilitatem ex eo quod infra dicitur; *Qua sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi*. Alio modo, vt corpus opponatur animæ, quasi dicat apostolus: In ipso perfecta deitas inhabitat non solum quoad animam eius, verum etiam quoad corpus, quod ex virgine sumpsit; Vtrumque enim deitas sibi coniunxit in hypostasim verbi. Hinc ipse suum corpus appellat templum Dei Io. 2. dicens ad Iudæos: *Soluite templum hoc*. Tertio modo, vt inhabitatio corporalis

opponatur inhabitationi quæ est per gratiam & energiam suæ inoperationem; quomodo in omnibus iustis Deus habitat, sed in ijs maxime per quos etiam mira operatur; sicut habitauit in sanctis prophetis & apostolis. Ita sensus est: In ipso plena deitas inhabitat, non solummodo per gratiam, & mirabilium operum efficientiam; Sed *corporaliter*, id est, per vniōem ipsius diuinitatis, cum corporea substantia seu carne humana, in persona verbi. iuxta illud, *Verbum caro factum est*. Hic sensus plenior est, magisque facit ad id probandum quod apostolus intendit; Ac per eum destruitur hæresis Nestorij, qui dixit deitatem in Christo habitare tantum velut in templo, per energiam gratiæ & miraculorum: non autem essentialiter. Tradunt hunc tertium sensum plerique commentatores. Tradit eundem Leo pontifex serm. 15. de passione Domini, sic inquit: Cum incorporea sit substantia Dei; quomodo corporaliter in Christo habitat; nisi quia caro nostri generis, facta est caro deitatis? Sic ille. Idcirco tamen, non dixit apostolus carnaliter, sed corporaliter; quia caro mortalitatem & corruptionem importare solet; sicut in superioribus dictum est; Christus autem scribente hæc Apostolo, iam immortalis erat. Porro Cyrillus lib. 2. de recta fide; quem in suis commentarijs Theophylactus & Oecumenius allegat, sentit quidem hæc significari vniōem deitatis cum natura humana; sed in interpretatione non nihil diuersa. Nam illud, *corporaliter*, ita exponit; *sicut anima in corpore*. Quæ expositio congruit cum eo quod in symbolo Athanasij dicitur: *sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus*. Rectè verò dixit apostolus, *inhabitat*, ad significandum, vniōem illam diuinitatis cum carne permanentem & perpetuam esse. Quod enim hoc modo Deus assumpsit, nunquam dimittit. Iam ex hac apostoli sententia sic explicata, promptum est inferre, quod apostolus colligendum relinquit: Ergo Christus est plenus omni scientia, vt pote, per naturam Deus.

10 ET ESTIS IN ILLO REPLETI. Hoc est, secundum Græcorum expositionem; Et vos in illo, tanquam capite, repleti estis diuinitate; quatenus scilicet dignitas capitis redudat in corpus. Sensus hunc probant, quia continuo subiungitur, Christum esse caput. Alij sic exponunt, Et vos per illum repleti estis scientia, alijsque donis salutaribus, idemque amplius etiam implendi: secundum illud Io. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Qui sanè intellectus scopo apostoli magis conuenit. Nam ex eo quod in Christo est plenitudo diuinitatis, & proinde plenitudo scientiæ; docere vult, etiam fideles, qui sunt eius mēbra, ab eo tanquam capite suo accipere & expectare debere, vnumquemque pro sua mensura, scientiæ plenitudinem; iuxta id quod iam supra dixerat, v. 2. *Et in omnes diuitias plenitudinis intellectus*; ideoque causam non habe-

re, cur

re, cur seclentur inanem, curiosam & noxiam philosophorum scientiam.

QVI EST CAPVT OMNIS PRINCIPATVS ET POTESTATIS. Hoc alijs & pluribus verbis dixit Eph. 1. *Constituens eum in caelestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur* &c. Eodem pertinent quæ dixit c. 1. huius, v. 16. & seqq. Sensus autem est. Qui non solum vestrum est caput, dona sua vobis communicans; verum etiam caput est omnium ordinum angelicorum, quantacunque sint potestate præditi. Nam sub his duobus quos nominat, ceteros omnes ordines vult comprehendere. Hanc autem partem studiosè adiecit, vt auocaret à cultu angelorum quem Simon tradebat. q. d. Ego Christum mediatorum vobis propono, qui longè superat angelos; quia & caput eorum est. Hinc inferunt nonnulli Christum esse caput etiam demonum. Nam & demones alibi vocantur principatus, potestates, virtutes. vt Ro. 8. 1. Cor. 15. & Ephel. 6. At consentaneum videtur hoc loco principatus & potestates tantum de bonis intelligi; sicut & in eo quod ex Eph. 1. iam citauimus. Non enim ad dignitatem Christi declarandam pertinebat, quod supra demones esset exaltatus, quorum nulla est apud Deū dignitas; sed quod supra omnes angelos bonos, qui in caelis semper vident faciem patris. Hinc ergo non aliud habetur quam Christum esse caput bonorum angelorum. Quamquam nec illorum, eo modo quo caput est ecclesiæ ex hominibus collectæ. Nam discrimen aliquod esse satis insinuat locus memoratus Eph. 1. vbi Christus supra angelos quidem constituitur, non tamen angelorum, sed ecclesiæ caput vocatur, peculiari scilicet ratione. Nam ita caput est ecclesiæ, vt ipsa vicissim sit & dicatur corpus illius; nec non singuli fideles membra eius, & membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius; vt dicitur Eph. 5. id est, eiusdem naturæ cum capite. Quod in angelos neutiquam quadrat; quos nec vsquam legimus vocari corpus aut membra Christi. Caput autem bonorum angelorum Christus vocatur, in quantum est rex eorum, vt B. Thomas explicat, id est, quatenus sic eos regit vt ipsorum bonum procurat. Hoc enim est regis officium respectu populi, & capitis respectu corporis. Ex quo satis iam liquet Christum neque caput, neque regem demonum conuenienter dici posse; vt pote, quibus vititur tantum propter bonum aliorum scilicet electorum.

11 IN QVO ET CIRCUNCISI ESTIS CIRCUNCISIONE NON MANU FACTA, Id est, ea quæ fit sine manibus. In Græco vna composita dictio est ἀχειροποίητος, quasi dicas, im-manufactæ;

IN EXSPOLIATIONE CORPORIS CARNIS. Græcè, *corporis peccatorum carnis*. Quam lectionem testatur Augustinus epistola 59. q. 7. suo tempore extitisse in quibusdam etiam

Latinis exemplaribus. Syri legunt, *in exspoliatione peccatorum carnis*; omiſſa dictione *corporis*, quæ tamen in omnibus Græcis & Latinis habetur.

IN CIRCUNCISIONE CHRISTI. Malè quidam præponunt aduersatiuam particulā, *sed*; repugnantibus omnibus probatis exemplaribus. Occasio qua id fecerint mox intelligitur. Etenim apostolum hoc loco agere contra Iudaizantes, manifestum est; & in eo tractatores consentiunt: Verum multi Latinarum pericopen hanc, *In exspoliatione corporis carnis*, de carnali Iudæorum circuncisione, quæ manuebat, prout verba nostræ versionis sonare videntur, interpretati sunt. Vnde & parti sequenti, *In circuncisione Christi*, quoniam aliter non videbatur coherere, vocabulam, *sed*, præfixerunt. Aduersatiuè enim se habent circuncisio carnalis, & circuncisio Christi, qualis hæc intelligitur. Itaque sensum hunc fecerunt; In quo Christo etiam circuncisus estis, non illa circuncisione quæ fit manibus, & quæ consistit in ablatione corporeæ pelliculæ carnis; sed spiritali circuncisione quæ fit per Christum. At sensum hunc Græca scriptura non admittit: tum quia pro, *non manufacta*, Græcis vnum est nomen infinitum, vt iam diximus, vt proinde negatio in eo inclusa vim suam ad sequentia non exferat, tum propter genitiuum (*peccatorum*) inter *corporis & carnis* interpositum; qui cogit intelligi spirituales circuncisio-em; Ac tertio, quia pro *exspoliatione*, vocabulum est, quod significat actum exuendi, Theophylacti interpretis *exutionem* vertit; Quæ vox nimis incommodè refertur ad externam illam circuncisionem, qua præputium carnis amputabatur. Vnde secundum Græcam lectionem, & omnium Græcorum interpretationem, hunc reddere sensum oportet: Per quem Christum etiam circuncisus estis non illa externa & carnali, sed interna ac spiritali circuncisione, quæ fit sine manibus; & quæ non vna pellicula demittitur, sed corpus peccatorum carnis, id est, totus verus homo. deponitur, atque exiit: quæ est circuncisio Christi propria, non Moysi. Igitur, *corpus peccatorum carnis* quod hac Christi circuncisione exiit dicit apostolus, idem est cum *veteri homine*; quem & alibi vocat *corpus peccati*. Sic enim habet Rom. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato*. Ex quibus etiam verbis intelligitur, quatenus in hac vita corpus illud peccati vel destruat vel exuatur; nempe non ita vt peccatum omnino iam non sit, sed vt ei non amplius seruiatur; quod fit dum prauis eius desiderijs non consentitur; iuxta illud quod ibidem sequitur: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentijs eius*. Vocatur autem *vetus homo corpus peccati*; quia constat veluti mēbris suis; quæ hæc pluraliter vocantur *peccata carnis*; & sub nomine *membra*, ex parte enumerantur capite se-

L 4

quentis

quenti; cum dicitur; *Mortificate membra vestra qua sunt super terram* &c. Nec ideo carnis, quod versentur in delectatione carnis & sensu cuiusmodi proprie solent appellari carnis peccata: sed *carnis*, id est, carnalis concupiscentiae, quam spiritui opponit apostolus Gal. 5. dicens, *Caro concupiscit aduersus spiritum*. Vbi & inter opera carnis quaedam recedat quae corporis delectatione non perficiuntur. Sunt ergo eadem apostolo peccata carnis & opera carnis, id est, ea omnia de quibus illic dicit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*.

12 CONSEPVLTUM EI IN BAPTISMO. Declarat ubi, & quando fiat circumcisio de qua locutus est. q. d. Circumcisi estis illa Christi circumcisioe quando simul cum eo sepulti estis in baptismo, id est, tunc quando baptizati estis. Docet hic locus circumcisioem Christianam, quae utique consistit in renouatione hominis, & peccatorum remissione, fieri in baptismo, imo & per baptismum; quomodo vertunt recte hunc locum Erasmus & Hentenius. Nam ipse apostolus sic loquitur Ro. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*. Tametsi sensus eodem recidit: Etenim significatur fideles, dum baptizantur, ea ipsa baptismi ceremonia Christo cosepeliri, quatenus immersio quae fit in baptismo, ita sepulturam Christi representat, ut simul efficiat in nobis, id quod sepultura Christi significabat; nimirum veteris hominis nostri mortem & sepulturam. Verum quia non solum immersio quae fit in baptismo, representationem habet sepulturae Christi; sed etiam emersio, speciem praebet resurrectionis eius: ideo subiungit,

IN QVO ET RESURREXISTIS. Graece, rursus compositum verbum est, *conurrexistis*, id est, simul surrexistis, ut legit Ambrosianus. Sensus est; In quo vel per quem baptismum, etiam simul cum Christo surrexistis; id est, nouam vitam adepti estis: ut sicut ille surrexit a mortuis, ad nouam vitam corporis; ita vos resuscitati a morte peccati, & noui homines facti, deinceps in nouitate vitae ambuletis. Hoc enim modo pluribusque verbis rem istam explicat apostolus, loco iam citato ad Rom. 6.

PER FIDEM OPERATIONIS DEI QUI SVSCITAVIT ILLVM A MORTVVS. Resurrectionem nostram spiritualem qua a morte peccati ad nouitatem vitae surreximus, ita baptismi sacramento attribuit, ut etiam fidei tribuedam meminerit; sicut Eph. 5. *mundationem ecclesiae simul vtrique ascribit*, cum ait: *mundans eam lauacro aquae in verbo*. Sensus est; Per fidem qua credidistis efficacem, & potentem operationem Dei, qua Christum a morte suscitauit; hoc est, per fidem resurrectionis eius diuina virtute factae. Quae fides etsi non sola sufficiat, eam tamen peculiariter nominat apostolus, per congruentiam quandam; quia nimirum de resurrectione

tam nostra quam Christi loquebatur. Alias expositiones huius partis, quas refert Sasboldus; ut coactiones minusque probabiles, omitterimus. Nam loqui apostolum de potente operatione Dei suscitatis Christum a mortuis, ostendit similis locus Ephes. 1. *secundum operationem potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis*. Porro quae iam dicta sunt ab eo loco, *In quo & circumcisi estis* &c. eo spectant ut doceatur circumcisioem carnalem; quam exigebant Iudaizantes, iam per Christum commutatam esse in spiritualem circumcisioem; qua non solum a peccatis purgati, verum etiam in nouam vitam restituti sumus. Quod pertinet id quod sequitur,

13 ET VOS CVM MORTVI ESSETIS IN DELICTIS ET PRAPVTIO CARNIS VESTRAE, CONVIVIFICAVIT CVM ILLO; Locus hic ut bene intelligatur, conferendus est cum eo qui est ad Eph. 2. ut pote ei planè similis. Vulgata apud enarratores, vtriusque loci expositio talis est: Deus vos cum antea fuissetis spiritualiter mortui per delicta, seu peccata vestra in quibus vivebatis, & per praputium carnis vestrae, id est, per concupiscentiam, & opera carnis praputium significata (haec enim omnia sunt mors quaedam animae): nunc, vna cum Christo resurgente, reuocauit ad vitam spiritualem. Veruntamen nonnulli qui huc vtriusque locum coferunt existimant cum alio priore, qui est Ro. 6. vbi *mortuos peccato* vocat eos, qui peccato amplius nec seruiunt, nec comunicant; quomodo mortui non comunicant, nec conuersantur cum viventibus: credunt alium esse sensum apostoli tam ad Eph. 2, quam hoc loco; sensum, inquam, huiusmodi: Et vos iam mortuos peccatis, id est, cum peccatis nihil amplius habeatis commune, ut pote, Christo commortuos & consepultos in baptismo, sicut iam dictum est; insuper etiam vna cum illo viuificauit, id est, vobis nouam dedit vitam iustitiae & honorum operum. Hoc enim est quod dicit Ro. 6. *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato; viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro*. Verum cur iste sensus non quadret huic loco, obstat praepositio (in) quae hoc loco tam in Graecis quam in Latinis codicibus constanter legitur. Quo fit ut retinenda sit vulgata interpretum expositio. Quae eadem adhibenda est illi sententiae quae est ad Ephes. 2. in principio: quum sit planè eadem, ut supra dictum est, ut patet insipienti. Alium sensum esse dandum his quae leguntur ad Rom. 6. res ipsa loquitur consideranti, quae illic sunt a versu 2. vsque ad 11. vbi etiam ostendimus hanc esse phrasim apostolo familiarem, qua dicit aliquem mortuum esse ei, cum quo nihil habeat commune. Sic ait Ro. 7. *Mortificati estis legi*. Et Gal. 2. *Per legem, legi mortuus sum*. Tale est & illud Gal. ultimo, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Sic ex aduerso dicuntur *viuerie Deo* Ro. 6. & Gal. 2. qui Deo seruiunt,

& ope-

& operum cum eo communionem habent. Iam in eo quod dicit, *Praputium carnis vestrae*; notanda metonymia, qua signum pro re signata ponitur. Nam praputium quod circumcisioe tollebat, signum erat peccati cum quo nascimur, & operum carnis, quae ex eo sequuntur; sicut ipsa circumcisio signum erat spiritualis circumcisioe, qua per Christum a peccatis mundamur. Huius ergo circumcisioe nostrae significandae gratia voluit apostolus, contra Iudaizantes, ipsius etiam praputij significationem exprimere.

DONANS VOBIS OMNIA DELICTA. Graece nobis; quemadmodum & Ambrosianus legit. Consonant & sequentia. *nos, & nobis*. Sed aequè fauent Latinae lectioni praecedentia, *vos, & vestrae*. Cur autem in sequentibus mutet personam, infra dicemus. *Donare* pro condonare dixit interpret, ex Graeci verbi imitatione. *Omnia delicta*, siue peccata; intellige tam actualia quam originale. Quod enim Calvinus hoc loco scribit scholasticorum esse opinionem, quod meritum Christi se tantum extendat ad condonationem originalium peccatorum; calumnia est haeretico digna. Videri autem potest ex his apostoli verbis, *Conuiuificauit vos, donans* &c. viuificari hominem quodam modo etiam ipsa remissione peccatorum; quatenus scilicet per eam soluitur & aboletur vinculum mortis aeternae.

14 DELENS QVOD ADVERSVS NOS ERAT CHIROGRAPHVM DECRETI QVOD ERAT CONTRARIVM NOBIS. Graece & Syriace, *Decretis*, ut sit ablatiuus instrumenti. Quam lectionem exhibent etiam Latina quaedam manuscripta. Atque ad eam accedunt Ambrosianus in textu, & Augustinus epistola 59. q. 7. dum legunt, *in decretis*. Lectio Ambrosiana est, *Deleto quod aduersum nos erat chirographo, in decretis*. Videri potest adiectam, in praepositionem ex loco Eph. 3. *Legem mandatorum decretis euacuans*; vbi Graece est, *in decretis*. Porro variant hoc loco interpretes, praesertim Latini; dum quaerunt, quod decretum, vel quae decreta dicat apostolus: Item quod Chirographum nobis aduersum, siue contrarium. Verum nihil praesentius, quam ut ex loco iam citato Eph. 2. qui huic persimilis est totum hoc exponatur. Ostensum est autem illic, *legem* intelligi veterem a Moyse latam; *Decreta* vero, noui testamenti praepcepta cum promissionibus a Christo tradita, & in locum Moisaicae legis substituta. Vocatur autem ea lex ab apostolo hic *chirographum nobis contrarium*; sumpta metaphora ab ijs qui debent per chirographum, id est, scriptam sua manu debiti confessionem, neque tamen soluendo sunt. Quales erant Iudaei, qui audita lege dixerant Moyse, *Omnia quae locutus est Dominus faciemus, & erimus obediens*. Exo. 24. qui item suscepta circumcisioe debitores se fecerant vniuersae legis faciendae; Gal. 5. Nec verò simplex erat illa obligatio: sed sub

pena maledictionis & mortis, in eodem ipso chirographo, id est, lege, expressa. Loquitur autem nunc apostolus in persona Iudaeorum vtens pronomine primae personae; *Quod aduersum nos erat, quod erat nobis contrarium*; cum antea in secunda persona locutus fuisset. Lex igitur, instar chirographi Iudaeos accusabat, mortisque reos arguebat; quia iustificare non poterat. Vnde & legislatio Moyse *ministratio mortis & damnationis* ab eodem apostolo vocatur. 2. Cor. 3. Hoc chirographum Christus deleuit decretis, siue edictis suis, id est, per legem suam euangelicam; veluti rex quispiam edicto publico abolet omnia sibi debitorum chirographa. Vult enim docere apostolus legem veterem per Christum abolitam esse, totamque eius obligationem cessare, introducta lege Christi: Idque contra Iudaizantes, qui Colossenses legi subijcere conabantur. Hunc sensum praecipue à Graecis interpretibus probatum, confirmat illatio paulò post subiuncta, *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu* &c. Quare qui chirographum nobis contrarium interpretatur legem homini datam in paradiso, aut mortis aeternae obligationem, quam omnes peccando, quasi scribendo, incurrimus; illi sensum huius loci ultra mentem apostoli extendunt. Fallitur etiam Caietanus, dum persistens in commentario quem dederat Eph. 2. vocabulum, *decretis*, refert ad legem veterem; quasi sensus sit, Christum deleuisse chirographum scriptum in fauorem decretorum veteris legis aduersus nos. Quem commentarium satis eodem illo loco refutauimus. Probabilior foret commentarius si per decreta haec intelligeretur praesertim ceremonialia praepcepta legis veteris, quibus illa lex erat quasi contraria gentilibus, propter ipsorum grauitatem & multitudinem eos à Iudaismo absterrens; Imo & ipsi Iudaei per easdem causas importabilis, ut apostolus Petrus ait, Act. 15. Et hic commentarius posset probabilitatem accipere ex huius c. v. 20. vbi dicitur, *quid adhuc dogmatizimini*, seu decernimini, ut est Graece. q. d. quid adhuc decretis oneramini? tanquam ad haec decreta respiciatur. Sed facile potest responderi, intelligi alia atque alia dogmata seu decreta vel edicta: hic, Christi, illic, Iudaica; quae per Christi decreta euacuantur. Vnum hoc adijcio, praeter mutationem personae secundae in primam in verbis apostoli, de qua iam diximus; etiam aliam latentem personae mutationem in ijs obseruandam esse, qua nimirum tacite transit ad Christum, cum prius de Deo patre loqueretur. Quod enim dixit; *Qui suscitauit illum a mortuis*, ad Deum Patrem pertinet; quemadmodum & id quod sequitur, *Et vos conuiuificauit cum illo*: Istud autem, *Donans vobis omnia delicta*, potest & ad Patrem & ad Christum referri; Quod verò deinde subiungitur, *Delens quod aduersum nos erat chirographum* &c. omnino referendum videtur ad Christum, sicut & ca-

tera

tera quæ sequuntur. Id quod etiam probat locus ille Eph. 2. *Legem mandatorum decretis euacuans*; ubi manifestè de Christo sermo est. Tamen si dissentit hoc loco Caietanus; qui contextum apostolicum vrgens, vult totam sententiam ad Deum Patrem, non ad Christum, referri.

ET IPSVM TVLIT DE MEDIO, AFFIGENS ILLVD CRVCI. *Affigens* in Græco præteriti temporis est participium, q. d. *cum affixisset*. Non igitur significatur Christus prius è medio tulisse chirographum nobis contrarium, & postea cruci illud affixisse: sed, ea ratione sustulisse è medio, quia illud, velut è manibus accusatoris extortum, cruci affixerit atque dissuperit. Itaque sensus est, Christum sustulisse chirographum mortis, id est, legem Mosaicam, per suam mortem quam in cruce sustinuit. Sic ad Eph. 2. dicitur *per crucem suam interfecisse inimicitiam quam inter duos populos lex Mosaiica faciebat*; ipsa nimirum lege sublata. Est autem totus hic sermo apostoli figuratus ac mirè grandis, vt pote magnitudini materiæ congruens. Vnde adhuc sequitur,

ET EXSPOLIANS PRINCIPATVS ET POTESTATES TRADVXIT CONFIDENTER, PALAM TRIVMPHANS ILLOS IN SEMETIPSO. *Et exspolians principatus*, Græcè sine conjunctione, ἀπεκδυσόμενος τὰς ἀρχάς, id est, *exuens* vel *cum exuisset principatus* &c. S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 2. participium videtur accepisse absolute, vt accusatiui *principatus* & *potestates* tantum referantur ad sequens verbum *traduxit*. Legit enim & exponit, *exuens se carnem*; videlicet addita dictione *carnem*, quam vt vestem Christus semetipsum exuisse per mortem significetur. Verum ad significandam Christi victoriam & triumphum quem egit de potestatibus aduersarijs, multo magis conuenit accusatiuos medios ad vtrūque referri, id est, tam ad participium præcedens quam ad verbum subsequens, vt patebit ex declaratione sententiæ. Pro verbo traduxit in Græco est ἐδεδυμάρισεν, id est, *ostentauit*. Atque ita legit commentator Ambrosianus. Apud Augustinum verò passim legitur *exemplauit*, voce parum Latina, sed qua Græcæ vocis significatum propius exprimitur. Loca sunt lib. 4. de Trinitate cap. 13, lib. de agone Christiano cap. 2. lib. 16. contra Faustum cap. 24 & in epistola 59. Pro duobus aduersarijs, *confidenter, palam*, Græcè est ἐν παρρησίᾳ, id est, *palam*, vt habet Commentarius Ambrosianus; aut *liberè*, vt vertit interpret Origenis homil. 8. super librum Iosue; aut *fiducialiter*, vt legit Augustinus; Sic enim & noster interpret alibi vertit. Suspicio autem duo vocabula quæ nos habemus, ex diuersis translationibus accepta esse. Quocirca qui ea diuidunt, vt prius referatur ad præcedens verbum, *traduxit*, posterius ad proximum *triumphans*; recedunt ab originali scriptura, quæ vnica habet dictionem; quam

ferè commentatores, & quidem rectè, ad præcedens verbum referunt. Iam in eo quod sequitur, *triumphans illos*, Græcam phrasim retinuit interpret, pro eo quod diceret triumphans de illis, scilicet de hostibus deuictis atque subiectis. Phrasim autem diuersa ab ea qua dixit idem apostolus 2. Cor. 2. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu*, id est, triumphare nos facit. De qua satis egimus suo loco. Denique illud, *in semetipso*, idem est quod per semetipsum, id est, suis ipsius viribus. Potest autem verti, *in ipsa*, siue, *per ipsam* scilicet crucem, quæ Græcis est masculini generis. Atque ita Theophylactus & Occumenius exponunt. Caietanus autem qui totum hunc locum refert ad Deum Patrem, contumiter censet non, *in semetipso*, vertendum fuisse, sed, *in ipso*, siue, *per ipsum*, scilicet Christum. Et quidem ita legit & exponit commentator Ambro. licet textus commentario insertus diuersa verba habeat, ista nimirum: *triumphans de illis per seipsum*. Atqui commentarius arguit eum legisse, *Detriumphans illos in ipso*; quod exponit, *triumphans de illis per ipsum*, scilicet Christum. Nam & in expositione epistolæ ad Rom. cap. 8, locum hunc citat ijdem verbis. Huiusmodi discrepantiam textus à commentario, quam fecit vel inscitia vel impudentia scribarum, sæpe aliàs obseruauimus, non sine molestia; tum in hoc Ambrosiano pseudepigrapho, tum in alijs enarratoribus scripturæ sacre. Porro cur minus placeat apostoli verba ad Deum patrem referri, iam ante dixi. Igitur nostræ versionis sensus est: Et principatus seu potestates aduersarias, hoc est, demones, exutos ac spoliatos imperio quod habebant in homines, (iuxta id quod Christus paulò ante passionem prædixerat: *Nunc princeps huius mundi ejcietur foras* Io. 14.) palam ostentauit omnibusque spectandos exhibuit in triumpho quem de ijs egit, victoriã per semetipsum suisque viribus ac sanguine partã, velut fortior ille euangelicus, qui fortem armatum superveniens vicit atque exspoliavit, Lucæ 11. Schema sermonis apostolici sumptum à victoribus, qui præcipuos ac potentiores captiuos in triumpho, cum ostentatione, ducere solent. quibus autem demones deuictos ac spoliatos ostentauit Christus, nisi beatis angelis, & iustis hominibus, qui virtutem crucis eius per fidem cognouerunt? Sed ea ostentatio perfectissimè cõtinget in die iudicij extremi, quando corã toto mudo, demonum malicia simul & imbecillitas, à Christo victore, cum maxima eorum ignominia, declarabitur. Hac parte Simopiani perstringuntur: tum in eo quod dicitur, *principatus & potestates*, tum per illud, *in semetipso*. Hæc enim significant Christum angelis esse virtute maiorem, nec illorum opus habere auxilio ad exsequendum reconciliationis humanæ negocium.

16 NEMO ERGO VOS IVDICET IN CIBO AVT IN POTV. Iam ostenderat apostolus sub

nomi-

nomine chirographi deleti ac lacerari, legem Mosaicam sublatam esse per Christum: Ex eò nunc infert & concludit contra Iudaizantes, *Nemo igitur, inquit, vos Colossenses ob cibum aut potum iudicet* quasi culpæ reos; nemo propter hæc religionem vobis iniiciat, tanquã de lege violata, qua certa ciborũ genera prohibentur. Nam de legalibus hîc apostolum loqui nullum est dubiũ. Sequitur enim mox de neomenia & sabbathis. Quare qui locum hunc proferunt ad reprehensionem discriminis ciborum, quod edomandæ carnis aut concupiscentiæ causã Christi fideles obseruant; verbo Dei nequiter abutuntur. Dicit aliquis, Si de legalibus agit apostolus: Vnde hîc potus mentio, cum in lege nullus potus vt immundus inueniatur prohibitus? Respondeo, scribas & pharisæos legalibus à Deo per Moysen institutis, multas alias obseruationes ab ipsis adinuentas, quo admodum religiosi & sancti haberentur, adiunxisse; quales erant lotiones illæ frequentes manuum ac totius corporis, aliarumque rerum de quibus Marci 7. Verisimile igitur est, ex horum traditione etiam genera quædam potus interdita fuisse. Quamquam dici potest cum Caietano potus secundum legem fuisse immundum, si fortè biberetur ex vase carente operculo. Nã huiusmodi vas immundum esse, lex statuit Numerorum 19. Videat lector Hebr. 9. vbi dicitur, *Solummodo in cibis & in potibus, & cæter.* & ibi Ribera.

AVT IN PARTE DIEI FESTI, AVT NEOMENIÆ, AVT SABBATORVM. Nemo vos, inquit, iudicet ob festum aliquod Iudaicum, aut neomeniæ, hoc est calendarum seu nouilunij diem, aut sabbata, non obseruata. *Diem festum* vt à *neomenia* & *sabbato* distinguatur, interpretari possumus eum qui non sæpius in anno recurrit, sicut neomenia & sabbatum, sed semel tantum, vt pascha, pentecoste, scenopegia &c. Cur autem dicat, *in parte diei festi*, & non in die festo, rationem hanc adferunt, quod Iudaizantes non exactã festorum obseruationem à Colossensibus exigerent; quando nec ipsi legis ceremonias per omnia seruarent, iuxta illud Gal. 6. *Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt*; Res enim erat propemodum impossibilis; teste Petro apostolo Act. 15. Sed satis illis erat, si cum circumcissione reliquam legem facerent à gentilibus saltem ex parte obseruari; vt sic eos ad ritum suum Iudaicum se traduxisse, gloriari possent. Caietanus autem sic exponit; *In partitione festi à non festo, tam in diebus quam in mensibus & sabbatis*. Alij sic, *In parte*, id est in negotio; q. d. in obseruatione dierũ festorum. Simile illud est 2. Cor. 9. *Ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte*.

17 QVÆ SVNT VMBRA FVTVRORVM; id est, quæ sunt obscuræ significationes rerum futurarum. Nam tota lex ceremonialis typica erat & prophetica; non clarè, sicut quædam prophetarũ verba, sed obscurè futura prænuiciã.

CORPVS AVTEM CHRISTI. Sesus; Corpus autem cuius illa sunt vmbra, Christi est: hoc est, Veritas illorum signorum in Christo adimpletur; Illius vmbre corpus est Christus. Videtur enim transitiva locutio posita pro intransitiva. Cum ergo corpus, id est, Christus iam aduenerit; stultum est vmbrae iam retinere velle. Hæc enim est vis argumentationis apostolicæ, quæ in his verbis later.

18 NEMO VOS SEDVCAT VOLENS IN HUMILITATE, ET RELIGIONE ANGELO- RVM. Duo dixerat: *Christum delensisse chirographum* &c. & *Christum exspoliasse principatus* &c. Ex priori intulit contra Iudaizantes: *Nemo ergo vos iudicet in cibo* &c. Ex posteriori nunc concludit contra Simonianos; docetque inanem & fallacem eorum philosophiã, quæ magna parte in superstitiosa religione angelorum consistebat, cauendam esse. Græcũ verbum καταβραβεύετω, pro quo vertit interpret, *seducat*, deriuatum est & compositum ἀπὸ τοῦ βραβεύειν, id est, præmio. Non significat autem, vt Valla putauit, ad præmium euocare; sed præmium intercipere, à præmio impedire. Vnde rectè Erasmus & eum secutus Hentenius vtrerũt, *Ne quis vobis palmam intuerat*. Ea significatio manifestè colligitur ex Græcorum commentarijs; & ex ijs quæ scribit Hieronymus ad Algasiañ quæstionẽ 10, vbi hoc Græcum verbum docet ex ijs esse vocabulis, quibus iuxta morem vrbis ac prouinciæ suæ familiaris vsus est apostolus. Exponit autem tunc dici, quando quis in certamine positiũ, iniquitate agonothetæ vel insidijs magistrorum βραβεύειν & palmam sibi debitam perdit. Igitur vel ex hoc vocabulo quo vsus est Paulus doceri potest aduersus hereticos vitã eternã (de hac enim palma sedit apostolus) nõ solum vt donũ gratuitum expectãdum nobis esse, verum etiã vt præmium ac mercedẽ per Christũ nobis propositã, ac promerendã. Participium *volens*, etsi prima fronte referendũ videatur ad verbum, *seducat*, vt sensus sit, nemo volens, id est, studio ac de industria vos decipiat, ac præmium eripiat; quod & vult Erasmus in sua versione, dum pro eo reddit, *datã operã*: rectius tamen alij, præcipuè Græci, referunt ad id, quod sequitur, *in humilitate & religione*; vt hic, sensus sit, *volens in humilitate*, id est, affectans humilitatem; & *volens in religione angelorum*, id est, affectans religionem angelorum. Nam etiam posteriori parti applicandũ esse participium, ex iplo apostolo discimus, qui paulo post composito vocabulo scribit ἐλεοθρηκεῖν, id est, voluntariam seu affectatam religionem; quam etiam interpret vertit *superstitionem*. Quæ enim ibi componit apostolus in vnam dictionem, phrasi Græcis vsitata; hîc duabus effert dictionibus, licet non sine obscuritate, & præter vsum Græci sermonis; vt propterea locus hic non immeritò ex ijs esse videatur in quibus locum habeat illud apostoli, *est imperitius sermone, sed non scientia* 2. Cor. 11.

Nisi

Nisi Hebraismus sit: qualis ibi, *Nō est mihi voluntas in vobis*. Malach. i. Cæterum compositio illa vobis θέλο vel ἐθέλο, cum alijs, apud Græcos non vsum modò, sed & elegantiam habet; vt norunt qui in Græcis authoribus sūt versari. Nam & Epiphanius, in hæresi Dositheorum, ἐθέλοσσοφον dixit, pro eo qui sapientiam affectat: Et de pharisæis agens tribuit eis ἐθέλοσσοφον τριωσσοφον tricomposito vocabulo, id est, superuacaneam religionem sponte assumptam, siue affectatam. Neque eam vim Græcæ compositionis Augustinus ignorauit; qui in epistola dudum citata ad Paulinum, vbi totum hunc apostoli locum pertractat, dicit etiã in Latino populari sermone vlitatum esse; vt exempli gratia, qui diuitem affectat, dicatur thelo diues; & qui sapientem, thelo sapiens; & cætera eiusmodi. Igitur, inquit, & hic thelo humilis dicitur volens videri humilis, affectans humilitatem. Breuiter ergo sensus apostoli est: *Cauete ne quis vobis expectatum præmium auertat per affectatam humilitatem & religionem angelorum*. Proferri solet hic locus ab hereticis contra sanctorum cum Christo regnantium inuocationem, inter quos vtique sunt angeli: Nam huiusmodi inuocatio, religio quædam esse videtur. Vt huic obiectioni respondeatur, videndum quanam tempore Pauli fuerint, contra quos hæc dicta intelligi possint. Hieronymus quæstione 10. ad Algasiam (quem Anselmus sequitur) contra Iudæos dicta putat, qui non solum tunc, verum etiam antiquitus à tempore prophetarum dediti fuerint cultui astrorum cæli, simul & angelorum. Sed *angelos* exponit refugas seu malignos spiritus. Huic sensui nõ nulla probabilitas accedit ex Clemente Alexandrino, qui lib. 6 Stromatum ita scribit: *Neque colite Deum vt Iudæi; qui soli se Deum nosse putantes, nesciunt se adorare angelos & archangelos, mensam & Lunam, &c.* Iuxta hunc commentarium, facile respondetur hæreticis apostolum agere de cultu dæmonum, nõ bonorum angelorum. Verum quia nulla tradit historia Iudæos post reditum ex captiuitate Babylonica relapsos fuisse ad cultum falsorū Deorum; vnde nec à Christo, nec ab apostolis, nec à Stephano in Actis de ea re leguntur reprehensi: propterea non admodum probabilis est hic Hieronymi commentarius. Idcirco & Anselmus alium adfert sensum, vt illi dicantur seducere homines in humilitate & religione angelorum, qui specie religionis ac sanctitatis, tanquam essent angeli seu nunciij Dei sese hominibus insinuant, eosque decipiunt. Ita quoque exponunt glossa interlinealis, Liranus & Caietanus: Sed coactam esse hanc expositionem facile est animaduertere. Sunt quibus non improbable videatur apostolum respicere ad peruersum dogma Cerinthi, qui cum de Christo adeo humiliter sentiret, vt nihil in eo diuinitatis agnosceret, sed nudum hominem fuisse diceret; angelos longè supra eum extollebat, vt pote mundi ac

naturæ opifices; quorum etiam vnus (per quem lex data fuisset) Deus esset Hebræorū. Hæc enim atque huiusmodi de eo referunt Irenæus, Epiphanius & Theodoretus de hæresibus differentes, nec non Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos capit. 48. Videre licet Baron. Anno Christi 60. §. 18. & seq. Porro Chrysostomus & sequaces eius existimant apostolum agere contra quosdam hæreticos docentes non per Christum, sed per angelos accedendum esse ad patrem. Indignum enim esse maiestate vnigeniti filij Dei, vt is fieret hominum peccatorum apud patrem intercessor ac deprecator; sicut in regno terreno rem se indignam facere putaretur filius regis, si vilem aliquem homuncionem capitis reum ad patrem duceret reconciliaturus. Itaque Christi loco angelos quibus id magis congrueret, nostros ad Deum mediatores constitutos esse. Atque hanc esse volunt doctrinam affectatæ & peruersæ humilitatis & religionis angelorum, quam hic damnat apostolus: humilitatis quidem, dum Christum maiorem esse dicunt, quam qui sese ad officium mediatoris paruitati nostræ præstandum, inclinæ; religionis autem angelorum, dum id officium angelis deferunt. Ita verò docuisse Simonem magum, qui per id tempus multos habebat discipulos, arbitrantur Sasboldus & alij nonnulli, ex ijs quæ tradunt Epiphanius ac cæteri qui de Simonis hæresi scripserunt. Inter quæ illud est, eum offerre docuisse per mediatores angelos, quos hauserat ex philosophia Platonis. Hæc Græcorū sententia eatenus nobis probatur, quatenus ab hæreticis quibusdam, siue illi Simoniani fuerint, siue Cerinthiani, siue alij, cultum quendam angelorum fuisse introductum affirmat; perinde quasi angeli essent vel creatores mundi, vel nostri ad Deum mediatores, nostrique reconciliatores. Horum sententia valde probabitur, si legatur Tertull. De præscrip. c. 33. in fine: & c. 46. in princ. & vtroque loco Annotatio Pamelij. Verum qua parte dicunt id factum, ex humilitate erga maiestatem Christi, velut longè excellentioris quam cui mediatoris officium competeret; id nullo modo conuenit cum scopo apostoli, cuius studium est in hac epistola, & ea quam scripsit ad Ephesios, Christi dignitatem extollere supra angelos; vt ex multis vtriusque epistolæ locis liquet. Hinc enim satis apparet eos contra quos apostolus agit, minuisse Christi dignitatem etiam infra angelos. Vnde & in epistola quam ad Hebræos scripsit, studiosè id agit vt ostendat Christum angelis esse maiorem. cap. 1 & 2. quoniam Iudæi carnales suum Messiam faciebant angelis minorem. Quocirca dicendum videtur, apostolum hic agere contra quosdam qui ex ethnica philosophia, quæ de genijs, dæmonibus, ac minoribus dijs inaniter multa contemplabatur, cultum eorum introducere conati fuerint, sub nomine angelorum; docentes nos mediantibus angelis purgari oportere.

Nam

Nam & hoc Platonici quidam docuerunt. Id verò erat Christi officium ad angelos transferre, non ea ratione quòd Christum diceret maiorem quam qui se huc demitteret, sed quòd angelos propter excellentem eorū naturam etiam supra Christum honorarent. Igitur horum affectata & peruersa humilitas in eo erat quòd cultu quodam religionis, submitterent se ijs quibus & quomodo non deberet, scilicet angelis. Nam religio propriè accipitur, qua nimirum alicui naturæ tanquam diuinæ cultus & ceremonia adfertur. Sic enim Tullius citante. b. Thoma 2. sec. q. 81. art. 1. religionem definit. Ex quibus iam liquet hunc apostoli locum nihil prorsus facere cōtra venerationem & inuocationem Sanctorum in ecclesia Dei frequentatam. Non enim cultus diuinus eis exhibetur, neque loco Christi mediatores constituuntur; sed ad Christum, qui vnus est mediator Dei & hominum, intercessores ex parte nostra adhibentur. Hoc autem rectè fieri ipse etiam apostolus exemplo suo nos docet; qui cum alibi, tum in hac eadem epistola cap. vltimo, Colossenses requirit apud Deum intercessores, *Orantes*, inquit, *simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis &c.* Quibus sanè verbis nec Christum mediatorem exclusit, nec alios à Christo mediatores quæsiuit, tales scilicet, qui proprio suo merito (quod solius Christi est) Deum redderet hominibus placatum.

Ad id verò quod ex cominatio Theodoretus solet ab aduersarijs adferri, in quo dicitur hoc viciū cultus angelorum diu mansisse in partibus Phrygiæ & Pisidiæ; & propter hoc Synodum Laodicæ habitam, quæ est Phrygiæ metropolis ac Colossensium vicinæ lege prohibuisse ne precarentur angelos: Et quidem ad suam vsque ætatem extitisse apud illos & eorum finitimos, oratoria S. Michaelis: breuiter respondemus, Theodoretum mentem ex canone Laodiceo 35. ad quem sine dubio respicit, explicandam esse. Sic autem habet: *Non oportet Christianos derelicta ecclesia abire, & ad angelos, idololatria abominanda congregationes facere. Quicumque autem inuentus fuerit occulte huic idololatria vacans, anathema sit; quoniam relinquens Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola.* Loquitur ergo tam Theodoretus quam Laodicæna synodus de cultu quo diuinus honos angelis, per idololatriam, more gentilium, exhibebatur. Quod autem in eius rei argumentum Theodoretus assumit, adhuc illis in locis extare S. Michaelis oratoria: nequaquam sentit huiusmodi oratoria esse reliquias cultus idololatriæ angelis aliquando exhibitæ, quæ proinde sunt abolenda; Nam illa à Christianis, more Christiano, & ad vsum Christianum, extructa erant; Quod & oratorij nomen satis declarat: Sed profectò non aliud vult, quam illis in partibus cultum angelorum illicitum prudentiâ episcoporum paulatim in eum qui licitus sit, & qualis exhibetur

sanctis, in eorum oratorijs commutatum fuisse.

QVÆ NON VIDIT AMBVLANS. Ambrosianus sine negatione legit, *In his quæ videt extollens se*. Meminit & Augustinus ad Paulinum omittæ negationis, sed minus probat; ac meritò, cum Græca omnia, atque etiam Latina quæ nunc extant, negationem habeant. *Ambulans*, Græcè est ἐμβατεύων, pro quo Augustinus legit, *incautus*; Ambrosianus quid habeat, iam dictum est. Hieronymus significari putat eum qui tumens ambulat, mentisque superbiam gestu corporis præfert. Id secutus Erasmus vertit, *In ijs quæ non vidit, factuosus incedens*; id est, cum saltu & supercilio de ijs quæ non vidit differens, perinde atque si vidisset. Cæterum Budeus in commentarijs linguæ Græcæ benè probat ex Græcis authoribus, ἐμβατεύων idè esse quod pedè in aliquid ponere, immiscere se alicui rei, inire possessionem. Atque ita non erit vertendum, *in ijs*, sed, *in ea quæ non vidit, inuitens pedem, ingerens sese*; hoc est, sequens somnia sua, quæ sunt de rebus nunquam visis, & quæ nusquam existunt. Qui sensus optimè quadrat in Simonianos, ac similes hæreticos; qui, vt admirationi essent, arcana quædam & stupèda tradebant de cælis & angelis, quorum nullam poterant adferre rationem, tantum affirmabant ac si vidissent.

FRUSTRA INFLATVS SENSU CARNIS SVÆ. Græcè, *à mente carnis suæ*. Consonant Ambrosianus & Augustinus, nisi quòd præpositionem omittunt, vt ad sensum non necessariam. Cum, inquit, falsa sit scientia quam iactat; frustra inflatur, id est, in superbiam erigitur, à corde seu cogitatione sua carnali. Ideo frustra, secundum mentem apostoli, quis vanè & sine causa; quomodo frustra quia inflatur de falsa nobilitate. hanc enim significationem aduerbij, *frustra*, obseruare est in sacris literis, vt Exo. 20. & Deut. 5. vbi pro eodem ponuntur, *frustra*, & *in vanum* nomen Dei assumere. & Job 2. *Vt affigerem eum frustra*, id est, immeritò. Quæret aliquis quomodo nunc inflatum dicat, cui modò tribuebat humilitatem; Facilis est responsio, non humilitatem simpliciter, sed affectatam humilitatè, quæ vtique falsa est, illic intelligi.

ET NON TENENS CAPUT, id est, non obtinens caput, non in hærens capiti, quod est Christus; sed per falsam angelorum religionem ab eo alienus. Latenter indicat Christum etiam angelorum esse caput, vt quibus capite relicto non sit cultus exhibendus.

EX QUOTOTVM CORPVS, PER NEXVS ET CONIUNCTIONES SVBMINISTRATVM ET CÖSTRUCTVM, CRESCIT IN AVGMENTVM DEI. Græcè, *Ex quototum corpus per cōmissuras & colligationes, seu connexiones, subministratum & compactum, augetur augmentum Dei*; vel *augmento Dei*. Est enim hæc phrasis, qualis illa, viuit vitam, seruit seruitutem. Porro locus hic planè similis est illi

M

Eph.

Ephes. 4. *Ex quo totum corpus compactum & connexum &c. & proinde ex eius collatione interpretandus, in hunc modum: Ex quo, nimirum Christo capite, dependens atque influxum accipiens uniuersum corpus, quod est ecclesia, per aptas connexiones membrorum constitutum & compactum, crescit secundum Deum, id est, augmento diuino ac spirituali. Nominat autem augmentum Dei, ad discrimen augmenti naturalis, quale competit corpori naturali & organico, à quo sumpta est huius loci metaphora. Quum autem dicit, totum corpus crescere; tacite significat omnia membra proportionem quadam augeri, idque per charitatem. Quod expressius ad Ephes. ita scriptum est, In mensuram uniuersusque membri augmentum corporis facit in edificationem sui in charitate. Iam sicut per charitatem totum corpus augetur; ita & charitate membra inter se connectuntur. Nam ut dicitur capite sequenti, charitas est vinculum perfectionis. Cur autem non sit conueniens si totum Christi corpus crescit in augmentum Dei, atque in charitate; malos qui huius augmenti non sunt participes, & charitatem non habent, in corpore Christi, hoc est, in ecclesia non esse; dictum à nobis est in eiusdem loci ad Ephes. commentario.*

20

SI ERGO MORTVI ESTIS CVM CHRISTO AB ELEMENTIS HVIVS MVNDI. Pro nomen huius redundat secundum codices Græcos & Syriacos & nonnullos Latinos, quibus & Hieronymus fauet in epistola ad Algasiam. Nam & supra absolutè dictum est, *elementa mundi*; sicut & Gal. 4. Quamquam mundum non alium intelligit apostolus quam hunc quem oculis corporeis videmus. Quæ verò dicat *elementa mundi*, potest ex superioribus intelligi. Cum enim nunc redeat ad dehortationem Iudaismi; satis apparet eum respicere ad ceremonias legis Mosaicæ; quod & Hieronymus affirmat. Vocantur autem *elementa mundi*, quia rudimenta religionis erant, sed mundana, crassa & carnalia, utpote carnali populo conuenientia. Porro, *mortui ab elementis*, eodem Hieronymo teste, idem est quod *mortui elementis*, quomodo Ro. 6, qui baptizati sunt, *mortui peccatis* dicuntur. Quod igitur apostolus dicit, tale est; Quandoquidem commortui estis Christo per baptismum, ita ut sicut ille secundum carnem mortuus est, sic & vos non solum peccatis, verum etiam elementis mundi, id est, quibuscunque carnalibus initiamentis, quales sunt ceremoniæ Iudaicæ, mortui sitis; hoc est, cum illis nihil amplius habeatis commune: cum hoc, inquam, ita sit:

QVADADHVC TANQVAM VIVENTES IN MVNDO DECERNITIS? Græcè *Quid tanquam viventes in mundo decernimini?* tamen Græcum *λογισαίτε* cum sit medium, possit

etiam actiue sumi; quomodo nobiscum legunt Ambrosianus, Hieronymus, Augustinus. At Græci omnes passiuè exponunt, etiam cum exclusione sensus actiui; Idque sanè conuenientius: Non enim Colossenses decernebant, id est, iuxta significationem Græci vocabuli dogmata statuere, sed accipiebant ab alijs. Itaque sensus est: Quid quasi essetis adhuc obnoxij elementis mundi, more puerorum rudimentariorum dogmatizamini; id est, edicta seu decreta patimini; finitis vobis edici ac præcipi; vel ut Erasmus vertit, *decreta tenemini*; aut decretis oneramini. Nam dogma, decretum edictum ac præceptum significat, ut Luca 2. Act. 16. & alibi. De quibus verò decretis seu præceptis loquatur, consequenter ostendit; adhuc enim pender oratio,

21 NE TETIGERITIS, NEQUE GUSTAVERITIS, NEQUE CONTRACTAVERITIS. Hæc verba in Græco singularis numeri sunt; referuntur autem ab apostolo per mimesim, tanquam verba pseudapostolorum, edicentium: *Ne tangas*, exempli gratia, morticinum, neque vestimentum mulieris menstruaræ, aut scabellum in quo sederit. *ne gustes*, carnem suillam aut lepotoenam, aut de pisce, qui squamas & pinnulas non habeat. *ne contractes*, emendo aut vendendo quicquã taliu.

22 QVÆ SVNT OMNIA IN INTERITVM IPSO VSV. Hanc partem Augustinus & alij nonnulli de decretis iam dictis, & similibus, exponunt; hoc sensu: Quod totum genus præceptorum ducit ad interitum & mortem æternam eos qui illis utuntur, eaque observant. Erat enim lex mortifera omnino eam ut necessariam observantibus. Verum Hieronymus & Græci referunt ad aliquid subintellectum, nempe ad cibos, de quibus non gustandis erant præcepta; Qui quidem in interitum sunt ipso usu hinc abusus, ut in Græco est; id est, usu percunt; quia in ventrem vadunt & in secessum mittuntur: ut indignum sit salutem hominis ex illis suspendere, ac de his multiplicare præcepta, quod Iudaizantes faciebant. Abusum pro usu consumptiuo etiam Latine dicunt Iureconsulti, de quo locus est apud Ciceronem in Topicis. Non debet (ait ibi Tullius) ea mulier cui vir bonorum suorum usufructum legavit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis; putare id ad se pertinere. Vfus enim, non abusus, legatus est. Ea sunt inter se contraria. In quem locum sic Boethius; Vt mur his, quæ nobis utentibus permanent: his verò abutimur, quæ nobis utentibus pereunt. Vide etiam in Pand. lib. 7. tit. 5. l. 5.

SECUNDVM PRÆCEPTA ET DOCTRINAS HOMINVM. Non viderit hoc referendum ad proximè præcedentia, Neque enim commodè potest; sed per hyperbaton cum parte remotiori construendum, hoc modo: *Quid adhuc tanquam viventes in mundo decernimini, seu dogmatizamini, secundum præcepta*

& doctrina

& doctrinas hominum, id est, cur finitis vobis regi præceptis & doctrinis humanis, cuiusmodi sunt, *Ne tetigeritis &c.* Sed quæres, Cum hic sit sermo de legalibus à Deo institutis; quomodo ea vocat apostolus præcepta & doctrinas hominum? Nam vtrique constat ex euangelio Matt. 15 & Marci 7. *doctrinas & mandata hominum*, de quibus Isaias prophetauerat (quod etiam respicere viderit apostolus) in malam partem accipi; sicut & traditiones hominum; scilicet pro ijs quæ ab hominibus humano sensu ac spiritu essent excogitata ac tradita. Quo etiam sensu accipiendum quod Christus interrogat de baptismo Ioannis, num è celo esset an ex hominibus. Matth. 21. quodque Gamaliel in concilio dixit. Act. 5 de Christi euangelio: *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur*. Hoc argumento moti quidam, inter quos Caietanus, totum hunc locum exponunt de superstitionis præceptionibus gentilis philosophiæ, aut scholæ Simonianæ. Sed refellitur hæc expositio; Nam illa præcepta, *Ne tetigeritis, neque gustaueritis*, Iudaica erant, quippe eodem pertinentia, quod illud quod antea dixerat; *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu &c.* quod haud dubiè de Iudaicis observationibus dictum est. Alij proinde respondent, instituta legis Mosaicæ cum tantum usque ad correctionis tempus fuerint imposita, ad prænuiciandum Christum veterum; completo eo tempore, & per hoc usu & officio significandi sublato, iam non ad legem Dei (non enim amplius obligant) sed ad hominum doctrinas ac præcepta pertinere, eorum qui illa doceant adhuc observanda. Sic Chrylostomus & Theophylactus, quos & alij recentiores sequuntur. Habet tamen & hic sensus difficultatem: Nam ea quæ ipso Deo authore instituta sunt, quamvis iam abrogata; ad hominum doctrinas & præcepta relegare, nimis absurdum videretur. Neque scriptura aut patres de ijs usquã sic loqui videntur. Sed aptè respondere potest, Non ipsa quæ Deus olim instituerat, vocantur doctrinæ aut præcepta hominum, ne tunc quidem postquam Deo authore iam sunt abrogata: sed illa hominum placita aut præcepta quibus iubent quempiam ijs parere tanquam Dei iussui, postquam abrogata sunt. Quæ responsio etsi sufficiat: tamen iidem Græci interpretes aliam huius loci suggerunt expositionem. Quoniam enim Scribæ & Pharisei legem non puram, ut à Deo per Moysen accepta erat, populo tradebant, sed eam humanis suis institutis, quas *δευτερωσεις* posterius eorum appellarent, aut aggrauabant aut etiam corrumpabant; sicut ostendit Dominus Matth. 15 & 23: idcirco legem Mosaicam, non simpliciter, sed institutis illis Pharisaicis commixtam atque corruptam, vocasse videri apostolū præcepta & doctrinas hominum. Nam quod ad huiusmodi instituta respiciat, etiam ex superioribus probabile aliquomodo fit; vbi non

solum de cibo, sed & de potu vetito mentionem fecit; & non contentus dixisse, *Ne tetigeritis*, addidit, *ne contractaueritis*; quod quia à priori diuersum est, ad alia quædam, quorum contactus non ipsa legè, sed hominum traditione fuerat prohibitus, referendum videtur. De quo genere traditionum plura qui vult, Hieronymum legat in epistola ad Algasiam. Porro liquet ex dictis quam ineptè locum hunc hæretici producant aduersus leges & constitutiones ecclesiasticas, tanquam & illæ sint præcepta & doctrinæ hominum quas hinc damnat apostolus. Iam enim ostensum est eo nomine significari non quicquid ab hominibus præcipitur aut docetur, sed præcepta & doctrinas ab humano spiritu profectas, quatenus scilicet humanus spiritus contra diuinum distinguitur, & à seipso non à Deo mouetur, nec vlla autoritate diuina nititur. Tales erant constitutiones Pharisaicæ à Christo Domino reprehensæ; non autem illæ quas apostoli & eorum successores ad ecclesiæ utilitatem condiderunt potestate à Christo accepta; de qua Luca 10. *Qui vos audit, me audit*. Et quales fuere de quibus Act. 16 scriptum est, Paulum & Silam cum pertransirent ciuitates, tradidisse eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis & senioribus.

23

QVÆ SVNT RATIONEM QVIDEM HABENTIA SAPIENTIÆ IN SVPERSTITIONE ET HVMLITATE. Particulam quidem superfluam esse putat Hieronymus, quod nulla alia coniunctio, quæ ei respondeat, sequatur, Idque Paulo accidere ut in alijs pleurisque locis per imperitiam artis grammaticæ. Alij non redundare, sed deesse aliquid existimant, suppletes nimirum coniunctionem quæ respondeat voculæ quidem, hoc modo, *Quæ rationem quidem habent sapientiæ, sed in superstitione &c.* Nos quid quo loco suppleendum videatur, infra indicabimus. Pro ratione Græcè est *λογος*, quam Hieronymus imaginem exponit, tanquam sensus sit: Quæ hominum præcepta & doctrinæ speciem quandam & imaginem habent sapientiæ apud imperitos. Vnde & doctores eorum; inquit, σοφοί, id est, sapientes vocantur; & siquando certis diebus traditiones suas exponunt, discipulis suis solent dicere, *εὐσοφοὶ δευτερωσῶσιν*, id est, sapientes docent traditiones. At verò sunt qui neque λόγον usquam apud scriptores Græcos significare speciem seu apparentiam rei fallacem: Proinde λόγον, *verbum* seu *nomen* interpretari malunt hoc sensu: *Quæ nomen habent sapientiæ*, id est, quæ nomine sapientiæ ab imperitis hominibus honorantur. Erasmus utramque expositionem miscere videtur; dum sic vertit. *Quæ verbotenus quidem habent speciem sapientiæ.* Certè ex commentarijs Græcorum non liquet vtro modo λόγον intellexerint. Nam & interpretes eorum variant. Nec desunt loca apud authores, vbi λόγος speciem significet in

M 2

genere;

genere, seu veram seu falsam. Quare & hoc loco rectè sic accipitur; licet verificatio fiat pro specie & imagine falsa. Quod significat se videtur apostolus per adiunctam particulam *quidem*, quæ vim habeat extenuandi. q. d. Habent quidem illa præcepta speciem sapientiæ, sed non veritatem. Sic enim completè loquitur 2 Tim. 3 *Habentes speciem quidem pietatis, veritatem autem eius abnegantes.* tamen eo loco Græcè non est λόγον sed μόρφωσιν. Denique sententia sic exponi potest secundum Augustinum & Thomam; *Quæ habent rationem sapientiæ, non veræ, sed eius quæ sita est in superstitione & humilitate;* quæ falsa est sapientia. Pro superstitione Græcè non est *θεοδιδασκαλία* quæ propriè superstitionem significat, & habetur Acto. 17. v. 22. & c. 25. v. 19. sed *εθελουθησικα*, id est voluntaria & affectata religio; cum quis fingit sibi cultum ex cerebro suo, volens videri religiosus: Græca vox composita est ex illis duabus, quas paulo antè disiunxerat; *volens, & religio-ne.* Sicut autem ibi diximus, participium *volens*, non solum ad *humilitatem*, verum etiam ad *religionem* referri oportere; ita hîc vicissim compositio vocabuli *εθελουθησικα*, transmittenda est etiam ad *humilitatem*; quasi dictum esset, *εθελουθησικα φροσυνη* cum alioqui utraque dictio Græca, nudè sumpta, tam in bonam partem quam in malam possit accipi; imò verò *ταπεινωφροσυνη* virtutis vocabulum sit. Igitur sensus apostoli est: eam de qua loquitur sapientiam aut illa præcepta (nam utriusque referri potest sententia) consistere in affectata & conficta religione seu cultu, & in affectata fictaque humilitate; quæ affectatæ religioni coniuncta est.

ET NON AD PARCENDVM CORPORI. Græcè *καὶ ἀφειδίξασαματος* ac si dicas, *Et imparcentia corporis.* Pro quo legit Amb. libro de Noe & arca cap. 25. *non in indulgentia corporis.* At huius titulo commentarius, ad *vexationem corporis.* Cuius lectionis etiam Augustinus meminit. Erasmus autem vertit, *lesionem corporis.* Porro codex quidam pervetustus monasterij Laudensis Insulæ Flandrorum vicini, sic legit voculis transpositis: *Et ad non parcendum corpori.* Quæ lectio planior est ad sensum: fauetque textus Syriacus: *Et quod non indulgent corpori.* Sensus igitur est, illam consistere insuper in præpostera & insolita quadam abstinentia & afflictione corporis. Hoc enim est corpori non parcere. Taxat autem Iudæas ac Pharisæas abstinentias; ex quibus, ut ait Hieronymus, debilitates interdum & morbi contrahebantur. Nam Pharisæos immodico studio corporis affligendi, siue per inedia[m] siue per alias quasdam observationes ab ipsis excogitatas specie religionis, addictos fuisse; copiosus testis est Epiphanius in hæresi Pharisæorum. Quò

spectat illud Pharisæi cuiusdam apud Lucam 18, *Ieiuno bis in sabbatho.*

NON IN HONORE ALIQUO AD SATVRITATEM CARNIS. Aduersariè ponitur hæc pars: *Non autem in honore aliquo &c.* Respondet enim particulæ *μεν* supràpositæ. *honorem* intelligit sustentationem corpori debitam, tanquam Dei templo; sicut sustentatio parentibus, presbyteris, viduis impendenda, vocatur honor in scripturis. *Carnis* autem *saturitatem* siue expletionem, intelligit eam cibi potusque sufficientiam, quæ corpori necessaria est ut seruiat spiritui, suasque sine impedimento exerceat actiones. Sentit igitur apostolus sapientiam illam aut præcepta talia esse, per quæ corpori debitus honor, pertinens ad expletionem, id est, iustam refectio-nem carnis, subtrahatur; dum videlicet immoderatis & stultè excogitatis abstinentijs corpus exhauritur; contra illud: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam* Ephes. 5. Unde & discipulo suo præcipit. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* 1 Timoth. 5. Eodem recidet intelligentia, si negatio repetatur in altero membro ad hunc modum: *Non ad saturitatem carnis.* Tum enim sensus erit, illa hominum præcepta non facere *ad saturitatem carnis*, quin potius necessaria saturitate; de qua psal-mographus, *Edent pauperes & saturabuntur*, carnem defraudare; ut hîc sit figura quæ minus dicitur quam intelligatur; quale illud est apud prophetam, *fecerunt quæ non præcepi eis*, id est, fecerunt omnia præceptis meis contraria. Sed fortè queret aliquis, quomodo quæ hîc de Iudaizantium immodica abstinentia dicuntur, consentiant cum eo quod de iisdem alibi dicit apostolus, *Quorum Deus venter est* Phil 3, & *Huiusmodi Christo non seruiunt sed suo ventri*, Roman. 16. Respondeo, non de omnibus Iudaizantibus agere hoc loco Apostolum, sed de ijs potissimum, qui erant sectæ Pharisæicæ; in quos ea quæ hîc dicuntur competere iam ex Epiphanio ostendimus. Nam alios quosdã, qui se pro apostolis Christi venditabant (erant autem pseudapostoli) ventri & gulæ deditos fuisse, satis probant loca iam citata; quemadmodum & illud contra eosdem dictum 2 Corinth. 11 *Si quis deuorat, si quis accipit.*

Porro nostræ ætatis hæretici ex eodem hoc apostoli loco, ubi dicitur, *Non ad parcendum corpori &c.* vehementer oppugnant ecclesiastica ieiunia, carniisque & aliorum quorundam eduliorum abstinentiam, præsertim monasticam, qua corpus maceratur & affligitur; quasi hoc sit non parcere corpori, sed honorem ei suum detrahere, & carni saturitatem denegare. Qui-

bus ref-

bus respondendum est, contra Iudaizantium, ut dictum est, abstinentias & ieiunia hîc agere apostolum: quæ quidem multiplici nomine viciosa erant; utpote non solum immoderata, quod iam diximus, verum etiam cum superstitione coniuncta. putabant enim ea per se Deo placere, non relata ad carnis castigationem & puniendâ peccata; quippe *qui in se considerent tanquam iusti, & aspernentur ceteros*, nec se peccatores coram Deo agnoscerent, sed iusticias suas commemorarent; ut habemus Lucæ 18. Adde quod ex illis ipsis ieiunijs opinione sanctitatis aucupabantur apud vulgus, *exterminantes facies suas ut apparerent hominibus ieiunantes* Matth. 6. Atque hæc erat affectata & ficta religio, quam noster interpret superstitionem vocat. Ab his vicijs aliena sunt ieiunia ecclesiastica, quantum quidem ad ecclesiæ intentionem attinet. Nam immoderatas abstinentias & afflictiones corporis semper improbauit ecclesiæ. Quo fit ut tam multos ratione ætatis, sexus, agritudinis, laboris, à ieiunijs excusatos habeat, nolens ieiunio cuiusquam valetudinem vexari. Moderatas autem afflictiones exigit, docerque referendas esse ad reprimendam carnis lasciuiam, & euehendum spiritum in Deum, atque ad punitionem peccatorum; idque absque vlla externa ostentatione. Quæ igitur impudentia est, ea quæ contra Pharisæica ieiunia tot modis viciosa ab apostolo dicta sunt; ad calumniam abstinentiæ ecclesiasticæ detorquere? quando & Christus Dominus, ubi Pharisæorum ieiunia traducit; nostra statuit, dicens; *Tu autem cum ieiunas &c.* Et apostoli per ieiunium orationi coniunctum meruerunt à Deo exaudiri Act. 13. Quod autem nonnulli Catholici scriptores locum hunc in ipsos etiam aduersarios retorquere conantes, ea verba, *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, &c.* vsque ad finem capituli, in diuersum omnino sensum interpretantur; tanquam velit apostolus abstinentiæ præcepta; quibus malè vtebantur Iudæi, apud nos Christianos habere rationem veræ sapientiæ in *εθελουθησικα*, id est, spontanea religione, per quam significari dicunt opera supererogationis, quæ præceptis adduntur consilia; Item in sancta corporis afflictione; qua nimirum honoratur & sanctificatur corpus, dum ei non parcitur, id est, indulgetur, sed per abstinentiam spiritui seruire cogitur; denique ea præcepta valere ad, id est, contra saturitatem carnis, quomodo 1 Cor. 15. dicit apostolus se pugnasse ab bestiis, id est, contra hæc, inquam, interpretatio, quòd & noua sit, & nimium violenta, & à scopo apostoli aliena, nobis probari minime potest. Sanè ut cætera præteream docere non poterunt *εθελουθησικα* vsquam accipi in bono. Sed nec locus ad Cor. quicquam

pro ijs facit. Nam ibi in Græco non est præpositio *προς* quæ hîc habetur, nec vlla alia, sed verbum compositum, quod significat cum bestiis pugnare. Glossa quidem interlinealis *superstitionem* interpretatur religionem, sed addit, *quæ supra modum est;* totamque apostoli sententiam manifestè ut ceteri interpretes, de viciosa religione & abstinentia exponit.

S V M M A R I V M.

Hortatur querere caelestia; membra terrena mortificare; exuere veterem hominem; & induere nonum, charitatem & pacem colere. Maritos, uxores; filios, parentes, seruos, Dominos, sui admonet officij.

CAPVT III.

IGITUR SI CONSVREXISTIS CVM CHRISTO, QUÆ SVRSVM SVNT QUÆRITE. Constituro fundamento doctrinæ fidei contra pseudologos; nunc more suo Christianæ vitæ præcepta superstruit. Tamen capitis huius initium potest generaliter accipi velut transitus quidam ab ijs quæ dicta sunt ad ea quæ dicere instituit. Vbi & aliam latentiorum connexionem sermonis apostolici licet obseruare. Dixerat enim Colossenses simul cum Christo per baptismum sepultos esse & resurrexisse; Dixerat eos mortuos prius delictis; conuiuificatos deinde cum Christo: Deinde ex utroque membro sumit exhortationis aut doctrinæ materiam; ex priori quidem, quando dixit: *Si ergo mortui estis cum Christo &c.* Hîc autem, ex posteriori; cum ait, *Igiur si consvrexisstis &c.* Itaque sensus est: Quoniam per baptismum non solum commortui estis Christo, verum etiam vnâ cum eo resurrexistis in nouam vitam: facite ea quæ nouæ vitæ, per Christi resurrectionem adumbratæ, conueniunt; *querite quæ sursum sunt*, id est, cogitationes ac studia vestra conferte ad res supernas, caelestes ac diuinas. Id enim est *querere*, phrasi scripturæ; velut ibi: *Querite primum regnum Dei & iusticiam eius* Matthæi 6.

VBI CHRISTVS EST IN DEXTERA DEI SEDENS. Vbi, scilicet in supernis & caelestibus. q. d. Sicut Christus ad nouam vitam resuscitatus, residet in caelis ad dexteram Dei patris; ita & vos per Christum ad nouam vitam resuscitati; debetis ei ut capiti vestro conformari; caelestibus ac diuinis rebus studendo. Quò sensu Christus ad dexteram Dei sedere dicitur, & secundum quam naturam hoc ei competat; explicatum à nobis est in commentario Ro. 8 & Ephes. 1.

2 QVÆ SVRSVM SVNT SAPITE; vel *curate*, ut verterunt Erasmus & Hentenius. Nam Græcè est *φρονεῖτε*, quod utroque modo verti potest. Est autem eiusdem præcepti inculcatio: Nam *caelestia sapere* aut *curare*, non aliud est quam *caelestia querere*, iuxta datam expositionem.

NON QVÆ SVPER TERRAM. Partem hanc arripiunt Sacramentarij ad oppugnandam realem sacramentum corporis Christi in Eucharistia sacramento. Nam, inquit, si querere iubemur quæ sursum sunt, non quæ super terram; ergo & Christus in cælo nobis querendus est & adorandus, non super altare. Quibus facile ex hoc eodem loco respondetur, & quam futile sit hoc argumentum ostenditur. Nam quæ super terram esse dicantur, ipse apostolus paulo post exponit dicens: *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam &c.* Deinde, ex opposito colligi id potest; Si enim ea quæ sursum sunt querere & sapere apostolo dicuntur, non qui caelestium corporum naturas, motus, affectiones scrutantur, quod faciunt astronomi; sed qui, ut dictum est, rebus caelestibus, hoc est, diuinis intenti sunt: igitur ea quæ super terram, siue ut alij interpretati sunt, terrestria, querunt, non qui querunt aut colunt aliquid in terris existens, sed quorum animus rerum terrenarum cura & cogitatione tenetur, siue res illæ sint *elementa mundi*, de quibus supra (Nam ad ea apostolum adhuc respicere, Græci non improbabiler existimant) siue terrena vicia, quæ inferius enumerantur; seu potius utraque simul, sub generali notione qua terrenum intelligitur, quod crassum, canale, viciosum est. Certe quando Christus in terris agebat, querendus & adorandus erat; quod & mater eius, & magi, & discipuli eius, & multi alij fecerunt: Quis verò tam insanius qui dicat illos id faciendo non quæ sursum sunt, sed quæ super terram, contra apostoli præceptum quæsiuisse aut sapuisse? Sed dices. Addit apostolus, *Ubi Christus est in dextra Dei sedens*; ergo locum ipsum caelestem vult intelligi. Respondeo, per se loqui apostolum de cogitatione ac studio rerum quibus homo euehitur ad supernam gloriam: per accidens autem, quia Christus Dominus secundum humanitatem in cælis est, ad dextram Dei sedens, etiam ad locum respexisse. Verum non inde efficiunt aduersarij, Christum in altari, & in terra, non esse querendum aut adorandum; nisi Dei potentiam coarctent, ut non possit in pluribus locis idem corpus statuere. Similis est apostoli sermo Phil. 3, ubi cum de quibusdam dixisset, *qui terrena sapiunt*; subiunxit, *Nostra autem conuersatio in cælis est: Unde & Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.*

3 MORTVI ENIM ESTIS. Referendum hoc ad partem proximam, *non quæ super terram*, q. d. Merito vos adhortor non sapere terrena; quia illis iam mortui estis per baptismum, sicut Christus in cruce mortuus est vitæ huic terrenæ ac mortali.

ET VITA VESTRA EST ABSCONDITA CVM CHRISTO IN DEO. Sensus. Non solum mortui estis cum Christo; sed & vivitis cum eo, nimirum vita spiritali ac celesti, ad quam à morte resurrexistis: licet hæc vita vestra adhuc abscondita sit ab oculis & sensu huius mundi; sicut & vita Christi qua vivit & regnat in cælis; utraque, inquam, abscondita in Deo, id est, apud Deum.

4 CVM CHRISTVS APPARVERIT VITA VESTRA; TUNC ET VOS APPAREBITIS CVM IPSO IN GLORIA. Multi codices habent, *Cum enim Christus*: Sed Græca nobiscum faciunt, ut & biblia Clementina. Nec verò satis hic quadrat rationalis coniunctio, cum potius sit aduersatiuus sermo. Nunc quidem, ait, vita vestra cum Christo abscondita est; sed quando ille toti mundo manifestabitur, veniens gloriosus ad iudicium, ille, inquam, qui est *vita vestra*, vel, ut est in plerisque Græcis codd. *vita nostra*, id est, vitæ vestræ, seu nostræ causa, non solum meritoria, sed etiam exemplaris; *tunc & vos*, perfectam & immortalem vitam assecuti, simul cum eo manifestabimini, magna cum gloria. Tunc enim etiam impij quibus in hoc saeculo fueritis despectui, cogentur agnoscere & prædicare salutem vestram, vel inuiti dicentes: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum*, & cetera quæ ex impiorum persona leguntur Sap. 5. Hæc dicit apostolus animans Colossenses, & viam sternens ad exhortationem moralem quæ sequitur.

5 MORTIFICATE ERGO MEMBRA VESTRA QVÆ SVNT SVPER TERRAM. Hoc est, membra vestra terrena. *Membra*, intelligit eius corporis, quod superiori capite appellauit *corpus peccatorum carnis*; & Ro. 6 *corpus peccati*; quodque ibidem, & alibi passim vocat *vetus hominem*, de quo & hic paulo infra dicit, *exspoliante vos veterem hominem cum actibus suis*. Sicut enim homo siue corpus hominis varijs constat membris; ita vetus homo, seu corpus peccati, coagmentatur ex varijs peccatorum generibus, velut membris & partibus diuersis, cuiusmodi mox enumerantur. *Terræna* autem vocantur hæc membra, quia velut in terram deprimunt hominem, & à Deo elongant. Ceterum exhortatio apostoli talis est. Quoniam, inquit, cum Christo mortui estis veteri vitæ, & in nouam resurrexistis, cum spe vitæ & gloriæ caelestis; summopere curandum vobis est ne vetus ac terrenus homo reuiuiscat: Sed etsi in quibusdam membris suis reuiuiscere inci-

piat,

piat, confestim ea mortificate, non solum ea non amplius perpetrando, verum etiam exurgentes eorum motus ac desideria, velut paruulos Babylonis, ipso statim in limine elidendo atque necando. Non enim perfecte & quantum exigit lex Dei mortificantur membra peccati, si non ipsa etiam peccatorum desideria, licet inuoluntaria, quantum in nobis est, extingamus. Nam apostolum non sentire quod ipsis peccatis quæ hic recensentur, adhuc inuoluti essent Colossenses; liquet ex sequentibus, ubi dicit, *In quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis.*

FORNICATIONEM, IMMUNDITIAM, LIBIDINEM. Inter hæc tria discrimen est, secundum Græcarum vocum significationem, quod fornicatio comprehendat omnem concubitum maris & feminae non coniugalem; immundicia pertineat ad peccata carnis, quæ sunt contra naturam; Libido, Græcè *πάθος* quam alij molliciem, alij morbum transferunt, eam denotet obscenitatem à qua dicebantur *παθικοί* qui turpia patiebantur. Qui vertentur *passionem*, ut Theophylacti interpret; aut *perurbationem*, ut legit Augustinus lib. de continentia cap. 13. mentem apostoli non satis expresserunt.

CONCUPISCENTIAM MALAM. Videtur ea significari concupiscentia, quæ specialiter penultimo decalogi præcepto prohibetur; id est, concupiscentia rei Venereæ: Hæc enim aptè iungitur superioribus. Ab ea verò diuersa est de qua dicit 1. Cor. 10. *Ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt*. Porro dum addit *malam* vult intelligi quandam esse bonam concupiscentiam, qualis utique est qua spiritus concupiscit aduersus carnem Gal. 5. tamen concupiscentiæ nomen nudè positum plerumque malè sonet in scripturis.

ET AVARICIAM, QVÆ EST SIMVLACRORVM SERVITVS. *Auaticiam* ferè omnes intelligunt secundum vulgarem illius vocis acceptionem. Quæ auaricia quo sensu vocetur idololatria, id est, idolorum cultus, exposuimus ad illud Eph. 5. *Aut auarus, quod est idolorum seruitus*. Verum, si rectè Hieronymus in eius loci commentario contendit, *πλεονεξία*, id est, auariciam, illic ab apostolo transferri ad significandum insatiabilem cupiditatem turpium voluptatum, quemadmodum eo loco declaratum est; sanè etiam hic eiusmodi auariciam intelligi oportebit: est enim, ut sæpe monuimus, huius epistolæ fermè idem argumentum; & in utraque sententiarum magna similitudo. Quibus adde, quod etiam hic auaricia, perinde ut illic annumeratur peccatis impudiciæ. Quare quo sensu sic accepta auaricia in epistola ad Ephes. appellata est idolorum cultus; iti-

dem, cum Saboldo, fatebimur etiam hoc loco sic eam appellari; nimirum ut ibi diximus, ob eam causam, quod Simoniani, contra quos vtraque scribitur epistola, nefarias suas libidines exercerent velut cultum quendam, ut ipsi impiè docebant; Deo gratissimum.

6 PROPTER QVÆ VENIT IRA DEI SVPER FILIOS INCREDULITATIS. Hæc quoque verba eadem habentur Ephes. 5. Rectius interpret hoc loco dixit, *filios incredulitatis*, quam illic, *filios dissidentia*; quamvis Græca vox quæ utroque loco est, proprie significet, *insuasibilitatem*, vii legit Hieronymus, id est, vicium animi contumaciter respuentis rationabilem suasionem veritatis. Reliqua ad explicationem huius sententiæ pertinentia perantur ex commentatio epistolæ ad Eph. Sensus autem est: Propter quæ peccata, hominibus euangelicæ prædicationi non acquiescentibus imminet ac superuentura est grauis à Deo vindicta; scilicet in die iudicij. Docet apertissimè hic locus non ob solam infidelitatem, ut quidam volunt hæretici, sed etiam propter alia peccata reddi homines obnoxios æternæ damnationi.

7 IN QVIBVS ET VOS AMBULASTIS ALIQUANDO, CVM VIVERETIS IN ILLIS. *In quibus*, ad personas refert Erasmus. Verit enim, *inter quos*, nempe filios incredulos. *In illis*, ad actiones, id est, ad vicia superius enumerata. At in Græco eadem ubique præpositio est: Proinde rectius ad actiones utrumque retuleris, iuxta morem scripturæ sacræ in qua assidue legimus, *ambulare in via, lege, præceptis Domini; in innocentia, in veritate, in lumine, in tenebris, in carne, in prauitate cordis sui, &c.* Atque euidentius id ostenditur ex epistola ad Ephes. in qua rursus eadem hæc verba habes, capite 2. *Et vos*, inquit, *cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis*: iam nec patitur res ipsa particulam, *in quibus*, ad filios incredulitatis referri; id est, ad eos qui contumaciter euangelio resisterant: Nam in horum numero Colossenses non fuerant, ut qui audito euangelio statim acquieuerant; sicut de ijs apostolus testatur capite primo. Denique quid velit Paulus dicens, *In quibus & vos ambulastis*, planè significat Petrus simili sententia 1 epistolæ 4. *His qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, violentijs, comestationibus & cæc.* Neque tamen idcirco dum addit apostolus, *cum viueretis in illis*, idem prorsus repetit; Non enim idem omnino est viuere quod ambulare, sed differunt velut habitus & actus. Vnde & dicit ad Galatas 5. *Si uiuimus spiritu, spiritum & ambulemus*. Igitur

M 4

viuere

viuere in peccatis, est peccatorem esse; ambulare in peccatis, est actus peccatorum exercere.

8 NUNC AUTEM DEPONITE ET VOS OMNIA. Non solum, inquit, volo vos mortificare illa grauiora peccata quæ commemorauimus, & in quibus amplius nec uiuatis nec ambulatis; verum etiam nunc deponere & abijcere à vobis omnia reliqua, scilicet minora, quæ fortè adhuc inter vos vigent, cuiusmodi sunt quæ sequuntur;

IRAM, INDIGNATIONEM, MALICIAM, BLASPHEMIAM. Eadem hæc omnia leguntur Ephes. 4. sub finem, ubi & singula sunt à nobis exposita. Sed notandum, illic contrario ordine iram & indignationem poni secundum Græcos codices; ut proinde ex ordine collocationis iudicari non possit vtrum vicium sit altero grauius: tamen iram esse grauiorem eo loco ex Hieronymi testimonio, comprobauimus. *Blasphemia* maledicentiam significat, magisque ad eam respicit apostolus quæ fit in homines, quam quæ in Deum. Nam Dei blasphemia grauius peccatis annumeranda est.

TURPEM SERMONEM. Græcè composita dictione, *turpiloquium*, id est, verborum obscenitatem. Simile Ephes. 5. sub initium.

DE ORE VESTRO. Hoc non ad omnia præcedentia referendum; sed ad duo proxima, *blasphemiam* & *turpiloquium*, quæ sunt oris peccata; quale & id de quo sequitur,

9 NOLITE MENTIRI INVICEM. Id est, *alius ad alium*, ut Græca sonant; vel *alius aduersus alium*, ut vertit Erasmus; tamen si simpliciter ita veritas: *Ne mentiamini alijs alijs*. Hoc autem apostolus ad Ephes. 4. pluribus ita extulit: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra*. Generaliter autem sub nomine *mendacij*, prohibetur omnis fraus & deceptio.

EXPOLIANTE VOS VETEREM HOMINEM CUM ACTIBUS SVIS, ET INDVENTES NOVVM. PRO, *expoliantes vos*, Græcè est *exuti*; & pro *induentes, induiti*; videlicet participia præteritum tempus significantia, quæ sic reddit Erasmus, *Postquam exuistis & induistis*. Hætenus qui exuistis & induistis. Refertur autem hæc pars ad totam admonitionem præcedentem; ab eo loco, *Nunc autem deponite* & ut huiusmodi sit sensus: Ad hæc omnia deponenda vos exhortor, utpote qui per baptismum iam dudum exueritis veterem hominem & indueritis novum; Vnde si quid in vobis restat veteris hominis, id adhuc curate abijcere. Quanquam potest hic esse noua periodus, quæ sit velut collectio præcedentium in vnam generalem exhortationem; ut participia pro verbis posita intelligantur, aut subaudiendum sit verbum sub-

stantium modi præceptiui; *estote, aut sitis exuti, induiti*. Sic enim alibi participijs vtitur apostolus Rom. 12. *Odiens malum, adhaerens bono*; & multa quæ sequuntur. Atque in eum sensum accepit auctor translationis quæ apud Ambrosianum est; vertit enim participia per verba, *exuite & induite*. Ita sensus apostoli erit: Et in vniuersum moneo, ut sitis exuti veterem hominem cum actibus suis; & induiti novum hominem, similiter cum actibus suis; hoc enim supplendum relinquitur ex priori membro. Conferendus autem hic locus cum eo qui est Ephes. 4. Nam & illos monet apostolus quemadmodum edoceri sint deponere secundum pristinam conuersationem veterem hominem, & induere novum qui secundum Deum creatus sit &c. Vbi diximus, *veterem hominem* ab apostolo vocari corruptionem peccati ex veteri Adam contracti; aut certè ipsum hominem quatenus huiusmodi corruptionem ac vetustatem in se habet: *Novum autem hominem*, aut nouitatem vitæ, aut potius hominem quatenus per gratiam renouatus est. *Actus veteris hominis* sunt peccata; *Novi*, bona opera. Porro *vetus homo cum actibus suis exuitur, ac novus induitur*, primùm quidem in baptismo quod est *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti* Tit. 3. Deinde quotidiano profectu nouitatis. Nam veterem hominem exuere totum ut nihil restet vetustatis, non est huius vitæ. Paulatim ergo vetus homo exuitur; nouo proficiente. Habet enim nouus homo gradus quosdam suos, & ut Augustinus loquitur, quasdam non annis sed profectibus distinctas spirituales ætates. Quas quidem ille septem numero recenset in libro de vera relig. cap. 26. Ad quem locum, ne in ijs referendis prolixior sim, lectorem studiosum remitto. Differit idem doctor de veteri & nouo homine lib. 4. de Trinitate cap. 3. & lib. 24. contra Faustum Manichæum cap. 1 & 2, ubi etiam habes quomodo Manichæus ille veterem & novum hominem peruersè secundum suam hæresim intellexerit. Dixi, potius hominem ipsum ea phrasi apostolica significari; quia quæ apostolus tam ad Ephes. quam hoc loco tribuit nouo ac veteri homini, magis in personam competunt quam in qualitatem; cuiusmodi maximè est quod hic sequitur,

10 EVM QUI RENOVATUR IN AGNITIONEM, SECUNDVM IMAGINEM EIVS QUI CREAVIT ILLVM. Expositio est noui hominis; ut sensus sit: Eum dico hominem, qui renouatur ad agnitionem, id est, ad cognoscendum mysteria reuelata, & sapiendum ea quæ Dei sunt; renouatur, inquam, secundum imaginem Dei creatoris sui: ut sicut in creatione sua

factus

factus est ad imaginem & similitudinem Dei per naturam suam rationalem; ita nunc ad Dei imaginem reformetur per gratiam. Est enim homo dupliciter imago Dei; per naturam, & per gratiam. Imago naturæ consistit in intellectu & voluntate: Imago gratiæ, in sanctitate & iusticia, sicut exponit apostolus Ephes. 4. dicens: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia & sanctitate veritatis*. Obseruanda phrasi scripturæ qua dicitur homo creatus aut renouatus ut ipse sit imago Dei; sic enim scripturam Gene. 1. interpretatur apostolus I Corinth. 11. quando virum vocat imaginem Dei.

11 VBI NON EST GENTILIS ET IVDÆVS; CIRCVMCISIO ET PRÆPUTIVM. Id est, In quo renouationis negotio, nullum est discrimen gentilis & Iudæi, circumcisi & præputiati. q. d. non refertur ex qua natione, & ex qua religione quis veniat, per Christi gratiam renouandus. Nam in Græco, nec non apud Ambrosianum, pro *gentili* legitur *Græcus*; Sub quo tamen & aliarum nationum homines à Iudæis diuersos intelligi conuenit, præcipuè Romanos; quos vtrique comprehendit Rom. 1. & 2. dicens *Iudæum primùm & Græcum*. Religionis verò rituumque diuersitatem significant circumcisio & præputium. Nec temere est, quod apostolus transponit ordinem, ut Iudæum gentili, sub diuersis vocabulis, modò postponat, modò præponat: Id enim fecisse videtur, ad indifferentiam de qua loquitur, insinuandam. Locus est similis ad Gal. 3.

BARBARVS ET SCYTHA, SERVVS ET LIBER. Hæc in Græco sine coniunctione leguntur, *Barbarus, Scytha, seruus, liber*. Quia dixerat, *Græcus & Iudæus*; ne videretur aliquam nationem prætermisisse, subiunxit *Barbarus & Scytha*. Barbaros enim sui nominis communionem Græci non dignabantur. Vnde & apostolus Rom. 1. distinguens dicit, *Græcis ac Barbaris debitor sum*. Qui & vnde dicti Barbari, exposuimus ad 1. Corinth. 14. v. 11. Inter Barbaros autem eminebant Scythæ, populi Septemtrionales; ut præ illis cæteri non viderentur Barbari. Sentit ergo apostolus etiam quàm maximè Barbarus quis sit, quales erant Scythæ; non ideo minus eum renouationis capacem esse. Denique, nec conditionis haberi rationem; propter quod & seruum priori loco nominat.

SED OMNIA ET IN OMNIBVS CHRISTVS. *Omnia*, intellige quæ sunt noui hominis; ut iusticia, sanctitas & cætera quæ mox enumerantur. *Hæc omnia*, inquit, *Christus est; & quidem in omnibus*; id est, in omni hominum genere sine discrimine. Dicitur *Christus ea omnia esse*, casualiter & per meritum sue passionis. Quo sensu I. Cor. 1. de eo dicitur, *Qui factus*

est nobis sapientia à Deo, & iusticia & sanctificatio & redemptio.

12 INDVITE VOS ERGO SICVT ELECTI DEI, SANCTI ET DILECTI, VISCERA MISERICORDIÆ. Superius recensuit adus seu membra veteris hominis, admonens ea mortificanda ac deponenda esse; Nunc actus seu membra noui hominis quibus induit Colossenses, enumerare aggreditur. Hoc enim, post generalem de induendo nouo homine præceptionem, desiderabatur. Sensus est: Igitur sicut decet homines à Deo electos, & sanctos, & eos quos ab aeterno Deus dilexit (vñs est enim Paulus participio præteriti temporis) *induiti sitis viscera misericordiae seu miserationum*, ut est in Græco; id est, assumite misericordiae affectum erga proximos, opera misericordiae ex animo exercete. Nam viscera phrasi Hebræa significant intimos affectus.

BENIGNITATEM, HUMILITATEM, MODESTIAM, PATIENTIAM. Pro benignitate alij *comitatem* reddunt; cum benignitas si proprie sumatur, ad liberalitatem potius pertineat, quam non significat vox Græca, sed comitatem & humanitatem, quæ morum asperitati opponitur. Tale quid etiam monuimus ad illud Ephes. 4. in fine. *Estote inuicem benigni*. Pro humilitate quoque, Erasmus mavult *modestiam*, sed vim Græci vocabuli quam habet in sacris litteris & ex vñs Christianorum, Latina vox *modestia* non assequitur. Proinde retinendum omnino est vocabulum Christianis vñsissimum, *humilitas*; sed multò studiosius retinenda est res eo vocabulo significata. Pro *modestia*, & *patientia*, Græcè est *mansuetudo & longanimitas* seu lenitas, quemadmodum & Ambrosianus legit.

13 SVPPORTANTES INVICEM. Id est, alij aliorum infirmitates sufferentes, iuxta illud: *Alter alterius oera portate* Gal. 6. Hoc enim officium est mansueti & lenis animi.

ET DONANTES VOBIS METIPSY, SI QVIS ADVERSVS ALIQUVM HABET QVERELAM. Rectius ad Ephes. 4. vertit, *donantes inuicem*, cum in Græco præfusus idem legatur. Rectissime verò Ambrosianus hoc quidem loco, *condonantes alijs alijs*. Nam sensus est: Si quis ab aliquo læsus est, ut iustam aduersus eum habeat causam querelæ; condonet offensam, remittat iniuriam.

SICVT ET DOMINVS DONAVIT VOBIS, ITA ET VOS. Græcè, *Sicut & Christus condonavit* &c. pro quo ad Ephes. 4. sic habetur: *Sicut & Deus in Christo donavit vobis*. Inde repetitæ partis huius explicationem. Insinuatur autem Christum esse Deum, cum in eadem re apostolus modò Deum, modò Christum nominet.

SVPER

14

SVPER OMNIA AVTEM HÆC, CHARITATEM HABETE. Græca & Syra, quibus & Ambrosianus suffragatur, non addunt, *habete*. Vt neque Aug. De gr. & lib. arbitr. c. 17. Regitur enim accusatiuus, *charitate*, perinde vt superiores quinque, *viscera misericordie, benignitatem* &c. à verbo, *induite*. Quam constructionem etiam apud Aquinatem videre est; vt sensus sit: induite charitatem, qua inuicem diligatis, tanquam vos ipsos. Nam de charitate proximorum loqui apostolum, satis ex eadem ad Ephes. epistola colligitur, vbi sub initium capitis sic dicit: *Et ambulatis in dilectione, sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis*. Dicit autem, *super omnia*, vel quia charitas omnium virtutum finis est; Nam *finis precepti charitas* 1 Timoth. 1, vel quia virtutum omnium forma & perfectio, vt sine qua cætera nihil profunt, imò quæ cæteras omnes secum trahat; quemadmodum luculentè docet apostolus 1 Cor. 13: vel denique, quia per eam continetur vnitas totius corporis ecclesie. Quam postremam rationem comprobare videtur id quod sequitur.

QVOD EST VINCVLVM PERFECTI-
NIS. Charitatem vocat *vinculum perfectionis*, Hebræa phrasi; vel quia vinculum est perfectum, quo homines inter se colligantur; cum alia vincula societatum humanarum aut imperfecta sint, aut etiam noxia: vel, vt alijs placet, quia vinculum est perficiens, id est, perfectè vnians fideles inter se. facit enim charitas vt omnes vnanimiter studeant mutuis commodis, bonoque publico. Qua in re consistit corporis integritas & perfectio, dum scilicet *in idipsum pro inuicem sollicita sunt membra* 1 Corinthio. 12.

15

ET PAX CHRISTI EXVLTET IN
CORDIBVS VESTRIS. *Christi*, Græcè *Dei*, consentiente Ambrosiano. Porro Græcum verbum pro quo noster interpret vertit, *exultet*, à brauiio seu premio deriuatum est. Significat autem hæc duo, præmium obtinere, & præmium adiudicare seu distribuere: Vnde duplex secundum Græcam lectionem, oritur sensus huius loci: Prior; Si quid inter vos incidat dissensionis aut controuersie; non affectus animis vestris dominetur, velut auaricia, ambitio, vindicandi cupiditas, sed *pax Christi seu Dei*, id est, verà & Christiana pax, quæ Deum habet authorem, obtineat palmam atque præualeat in cordibus vestris. q. d. ante omnia studete paci conseruandæ; potius cedite iuri vestro, quam vt Christianæ pacis aliquod detrimentum patiamini. Posterior sensus: Si qua lis inciderit; eam arbitretur ac diiudicet, præmiumque decernat, non ira, non superbia, non alius affectus malus; sed amor & studium pacis Christianæ. Sensus hunc Græci tradunt; & ad eum modum Græca vox accipi videtur, Sap. 10. v-

bi nos legimus. *Et certamen forte dedit illi vt vinceret*, id est, victoriam certaminis ei adiudicauit. Verumtamen prior sensus magis congruit cum eo quod præcessit, *Super omnia charitatem*. Eidemque sensui coaptari potest verbum nostræ versionis, *exultet*: Nam exultare victoris est.

IN QVA ET VOCATI ESTIS IN VNO
CORPORE. Græcè *in quam* vel *ad quam*. Et sensus est: Ad quam pacem Christianam, etiam vocati estis; vt pote facti membra vnus corporis quod est ecclesia: vt proinde quam maximè pacem colere debeatis. æquum est enim vt vocationi suæ quisque respondeat. Simile illud, 1 Cor. 7. *In pace vocauit nos Deus*.

ET GRATI ESTOTE. Erasmus in annotationibus vult hunc esse sensum. Estote comes & benigni erga omnes, propensi ad bene merendum de omnibus; ea ratione fiet vt pax inter vos consistat. At quamuis ea quoque Græci vocabuli significatio sit; altera tamen vltior, quam noster interpret attendit, vt sensus sit: Magni beneficii mentionem feci quando dixi, *In quam & vocati estis in vno corpore*: Illius beneficii vobis præstiti volo vos perpetuò memores esse cum gratiarum actione; cuius quidem gratitudinis magna pars erit, si pacem ad quam vocati estis, inter vos studiosè conseruaueritis. Hic sensus omnium ferè est interpretum, ipsiusque Erasmi in paraphrasi. Et confirmatur ex epistola ad Ephes. quos similiter, ac pluribus verbis ad gratiarum actionem exhortatur cap. 5. Quanquam illi simile hinc reddit apost. v. 17.

16

VERBUM CHRISTI HABETE
IN VOBIS ABVNDANTER, IN OMNI
SAPIENTIA. *Habete*, Græcè est *inhabite*. *Abundanter*, Græcè *πλεως*, id est, opulentè, vocabulum apostolo frequentatum. Proinde sensus est: Fides seu doctrina Christi fixam in vobis sedem habeat, vosque faciat locupletes & abundantes omni sapientia; hoc est, perfecta rerum diuinarum cognitione, quanta nimirum in hac vita sperari potest. Addit autem, *in omni sapientia*; propter falsos doctores, tradentes ea quæ dumtaxat rationem quandam habebant sapientie, non veritatem, de quibus capite superiori. Ceterum, pro hac parte, in epistola ad Ephes. 5 dixit, *implemini spiritu*; quemadmodum & pro eo quod illic sequitur, *Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus*, &c. hinc dicit ea que sequuntur.

DOCENTES ET COMMONENTES VOS
METIPSOS PSALMIS, HYMNIS, ET CANTICIS
SPIRITVALIBVS. More suo negligit apostolus syntaxim grammaticam, nisi hæc enunciatur per subauditionem verbi substantiu: cum alioqui pronomen *vobis* quod præcessit, exigat casus respondentes. *docentibus & commonentibus*. Est enim sensus: Et ita qui-

dem,

dem, vt vos inuicem, id est alij alios, doceatis & commoneatis siue exhortemini, canendo *psalmos, hymnos, & cantica spiritualia*. Significationem & differentiam horum trium exposuimus in commentario epistolæ ad Ephes. c. 5. v. 19.

IN GRATIA CANTANTES IN CORDIBVS
VESTRIS DEO. Græcè, *in corde vestro, Dominos*, quemadmodum & ad Ephes. Quo etiam loco pars ista satis à nobis explicata est: excepto eo quod hinc addit, *in gratia*; Quod videri potest idem esse cum eo quod illic subnecebat, *Gratias agentes semper pro omnibus vobis* &c: vt sit Hebraismus, ita interpretandus, *cum gratiarum actione*; tanquam velit apostolus cantica spiritualia semper cum gratiarum actione debere esse coniuncta. Verum quia paulo inferius subiungitur peculiare præceptum gratias agendi Deo, simile illi quod est ad Ephes. ideo fortè satius erit cum Chrystomo & alijs, partem hanc, *in gratia* sic exponere, per gratiam à Spiritu sancto donatam; vt ostendatur, inquit Oecumenius, hæc quæ præcipit sine gratia Dei impleri non posse. Nec refert vtrum præcedentibus aut sequentibus hæc particula iungatur, id quod Chrystomus ambigit; Nam vtrouis modo sententia constabit. Porro Theophylactus & alium adfert sensum minimè recijendum, *In gratia*, hoc est, cum gratia & voluptate spirituali, scilicet eorum qui audiunt. Vt enim profana cantica carnalem excitant oblectationem; ita sanè conuenit vt spiritualia & sacra canentia gratiam habeant, id est, oblectationem patiant, spirituale. Congruit cum hoc sensu id quod sequenti capite dicitur, *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*.

17

OMNE QVODCVNQVE FACITIS IN
VERBO AVT IN OPERE, OMNIA IN NO-
MINE DOMINI IESV CHRISTI. Multi co-
dices addunt, *facite*: sed in Græco non habetur, vt nec in emendationibus Latinis, ac nominatim ijs quæ sunt Romanæ correctionis. Supplendum tamen relinquitur ex præcedenti verbo, *facitis*. Præceptum hoc apostoli generale est; sed cuius intellectus non modicum habet difficultatis, de qua diximus in explanatione duorum locorum similium; quorum alter est 1. Cor. 10, *Sine manducatis*, inquit, *sine bibitis, sine aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Alter eiusdem epistolæ capite vltimo. *Omnia vestra in charitate fiant*. Imprimis quod illis locis admonuimus, hinc repetendum nobis est, eos non parum aberrare à mente apostoli qui sententias huiusmodi non præcepti sed consilij tantummodo vim habere existimant. Quibus rursus assentitur Caietanus hoc loco, dum dicit non semper interuenire peccatum si secus fiat, sed solum meriti perditionem. At huiusmodi intellectum etiam Aquinas apertè reijcit

in commentario. Sed dices, si præceptum est; cur non ex eo sequitur infideles in omni opere peccare, vt pote non facientes quod hinc de omni opere præcipitur, vt fiat in nomine Domini Iesu? Neque enim dici potest homines Christum profusè ignorantes aliquid in eius nomine facere, ne quidem implicite. Sic enim omnes infideles implicitam habent fidem Christi; quod absurdissimè dicitur. Ad hanc objectionem quæ Caietanum etiam mouit in diuersam partem; clara responsio est: infideles quibus de Christo nihil fuit annunciatum, hoc præcepto non includi aut teneri; quemadmodum nec vllò præcepto tenentur ad fidem Christi mediatoris, priusquam eis annuncietur. Verum de fidelibus restat quaestio, cur stante hoc præcepto non peccent in omni opere quod non faciunt in nomine Christi; etiam si cætera omnia adsint ad operis moralis bonitatem necessaria. Breuiter responderetur cum S. Thoma non esse necessarium neque ab apostolo præceptum, vt omnia fidelium opera actu fiant in gloriam Dei, atque in nomine Christi; sed sufficere vt saltem habitu sic fiant; Habitu inquam, id est, virtute seu virtuali intentione quomodo vocabulum *habitu* iuxta mentem S. Thomæ, exposuimus in commentario 1 Cor. 10. Quod si nec habituali, id est, virtuali, intentione fiant in nomine Christi; certè quantumuis speciosa sint opera, non videntur effugere posse reprehensionem, ex eo quod cõtra præceptum hoc apostolicum imò diuinum, fiant. Neque enim hinc aliud præcipit Apostolus quam quod diuini iuris est, imò & naturalis; fide præsupposita. Nam sensus apostolicus est, Christianum omnia Christianè agere debere, hoc est, in omnibus actionibus suis saltem habitualiter, vt dictum est, tendere in Deum creditum & speratum, idque per meritum Christi fide apprehensum. Hoc enim est quod ait: *omnia in nomine Domini Iesu Christi*. Ratio autem sententie est, quia cum finis ille supernaturalis per eiusmodi medium sit homini Christiano propositus; debent omnes eius actiones intentione saltem virtuali, illuc, per idem medium dirigi. Hoc autem loco peculiariter expressit apostolus ipsum medium dicens, *in nomine Christi*; quod in hac epistola contra eos ageret (sicut annotauit Chrystomus & Theophylactus) qui pro Christo angelos seruatores ac mediatores introducebant. A sensu iam dato non arbitror esse diuersum quem apostoli verbis subiicit S. Ambrosius libro tertio de virginibus ita scribens: *Omnia ergo dicta nostra, facta, referimus ad Christum; qui vitam fecit ex morte, lucem creauit ex tenebris*. Sic ille. Nam & Augustinus ad hunc modum loquitur, enarrans psalmum 54. *Intentio dirigatur in finem,*

diri-

dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? quia quicquid agimus ad illum referimus. Vide nostra in 2. d. 26. de dilectione Dei super omnia; & de implendis Dei mandatis modo supernaturali.

GRATIAS AGENTES DEO ET PATRI PER IPSVM. Plenius hæc pars posita est in epistola ad Ephes. 5, sic enim ibi legitur, *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri*. Igitur quod hic dicit, *gratias agentes*, intelligitur non quomodocunque, sed *semper pro omnibus*; & quod hic dicit *per ipsum*, exponitur per illud, *in nomine domini nostri Iesu Christi*. Ratio perspicua est, quia per Christi meritum omnia nobis dona salutaria à Deo Patre proueniunt.

MVLIERES SVBDITÆ ESTOTE VIRIS, SICVT OPORTET IN DOMINO. Quemadmodum in epistola ad Ephes. ita & hic, atque eodem ordine, à generalibus præceptis ad specialia descendit; ea nimirum quæ ad familiam rectè constituendam spectant. Græca sic exactius alij verterunt: *uxores subdita estote proprijs viris, sicut conuenit in Domino*. Nec temerè, *proprijs*, additum est, sicut & ad Ephesios: Per hoc enim auocare voluit mulierum cogitationem à viris alienis. Particulam, *in Domino*, multi construunt cum proximo verbo *oportet*, aut *conuenit*; vt sensus sit: sicut postulat Christi doctrina, aut sicut decet Christianas mulieres. At rectius Græci referunt ad illud remotius *subdita estote*, vt sensus sit: Uxores viris vestris subditæ sitis in Domino; id est, iuxta Christi legem & doctrinam, & quatenus ea permittit. Nam huiusmodi subiectio conuenit, decet, ornat ipsas mulieres. Constructionem hanc & expositionem confirmat alterum apostoli præceptum Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino*.

VIRI DILIGITE VXORES. Nonnulli codices addunt, *vestras*, quod in Græco non habetur; Nam ex præcepto præcedenti suppleendum relinquitur, *proprias*. Viri dilectionem præcipit erga uxores, vt nouerint ijs præesse, easque regere, non imperiosè, sed cum dulcedine charitatis, qua temperetur ac lenius illis reddatur onus potestatis virilis.

ET NOLITE AMARI ESSE AD ILLAS. Id est, ne sitis amarulenti, morosi, difficiles aduersus eas; sed commodos, ac faciles vos eis præbere. Notant Græci amarulentiam oriri solere inter personas amatas, cum dissidere ceperint. Præcepta hæc mutui officij coniugum, multò fufius in ep. ad Eph. tradit & commendat apostolus ex analogia Christi & ecclesiæ.

FILII OBEDITE PARENTIBVS PER OMNIA. Græcè *secundum omnia*, id est, in omnibus, videlicet ijs ad quæ præcipienda parentum potestas se extendit. qualia sunt quæ ad disciplinam morum, curam-

que domesticam spectant; vt exponit Thomas 2. sec. q. 104. ar. 5. ad 1. Neque enim præcipere potest pater filio vt uxorem ducat aut non ducat, vt monasticè profiteatur, & quicquid his simile, ad totius vitæ statum pertinens. Hæc enim sunt extra terminos iuris paterni. Quare commentarius eiusdem doctoris in hunc locum, exponentis omnia scilicet quæ non sunt contra Deum, quod alij dicunt licita & honesta; non est sufficiens.

HOC ENIM PLACITVM EST IN DOMINO. In multis libris Græcis sine præpositione, *Hoc enim est beneplacitum Domino*. Ambrosianus *Hoc enim placet Deo*. Sed & codices quidam Latini mss. præpositionem omittunt: Atque eo modo planior est sermo, quo præceptum suum commendat apostolus; quia præceptum Domini est, & si fiat, Domino placitum acceptum est. Cæterum eius loco ad Ephes. dixit, *Hoc enim iustum est*.

PATRES NOLITE AD INDIGNATIONEM PROVOCARE FILIOS VESTROS. *Ad indignationem*; vel vt Ambrosianus legit, *ad iram*; interpretis additio est, cum Græca vox in genere significet *provocare*. Sed tamen prouocationem ad iram intelligi, docet sententia prorsus similis Ephes. 6. vbi loco huius verbi aliud est quod significat iritare, id est, ad iram prouocare. Prohibetur autem nimia parentum seueritas quæ filios exasperet, & ad desperationem adigat. Vnde sequitur,

VT NON PVSSILLO ANIMO FIANI. Id est, ne animum despondeant, ne animo deijciantur; atque ita resiliant ab officio, vel etiam à fide Christi suscepta.

SERVI OBEDITE PER OMNIA DOMINIS CARNALIBVS. Græcè, *ijs qui secundum carnem domini sunt*; id est, secundum corpus, q. d. non secundum spiritum. Hac enim ratione, vos simul & illi communem habetis Dominum, Christum. Idem præceptum est Ephes. 6, nisi quod hic additur, *per omnia*. Quod quo modo sit accipiendum, paulò antè diximus. Intelliguntur enim omnia quæ pertinent (vt ait Thomas, loco supra citato) ad ius dominatiuæ potestatis; id est, ad quæcunque ius domini quod in seruum habet, extenditur.

NON AD OCVLVM SERVIENTES, QVASI HOMINEVS PLACENTES. Hæc totidem verbis scripta sunt ad Eph. vt non sit opus sensum hic repetere. Tantùm moneo, Græca huius loci Latine sic propius exprimi posse: *Non ad oculum obsequijs exhibitis, velut qui hominibus placere studeatis*.

SED IN SIMPLICITATE CORDIS. Id est, recto & simplici corde, sine simulatione. Duplicat enim cor hypocrita, dum alius vult videri quàm esse: Quod vtique facit qui ad oculum seruit. Referenda est hæc pars ad præcedens verbum, *obedite*, sicut & in epistola ad Eph. non autè ad id quod sequitur,

TIMENTES DEVM. Hoc licet ad superiorum doctrinam pertineat; scorsim tamen pronuntiandum est, q. d. apostolus, Hæc inquam facite, Dei timorem qui videt abscondita cordis, ante oculos habentes. Eodem pertinent sequentia,

23 QVODCVNQVE FACITIS, EX ANIMO OPERAMINI; SICVT DOMINO ET NON HOMINEVS. Id est, omne ministerium & obsequium quod impenditis dominis vestris, facite non ad oculum aut coactè, sed libenter promptoque ac liberali animo; perinde atque si Christo Domino, & non hominibus, ministraretis.

24 SCIENTES QVOD A DOMINO ACCIPIETIS RETRIBUTIONEM HÆREDITATIS. Dixi, inquit, *sicut Domino, & non hominibus*; quia tamen fortè nulla aut exigua merces ab hominibus quibus seruitis expectanda vobis sit, multò minus hæreditas; quam homines non dant nisi filijs: certi tamen esse debetis quod à Christo Domino mercedem eximiam sitis recepturi, ipsam scilicet hæreditatem filiorum. q. d. Ille vos, pro seruitute quam reputabit sibi impentiam, ex seruis filios Dei faciet, & ad communionem hæreditatis filiorum admitet. Pro retributione, Græcè est, *ἀνταπόδοσις*. Quæ vox manifestè facit pro meritis operum. significat enim redditionem, seu compensationem eius quod datum est. Vbi tamen semper meminisse oportet, Deum, bona opera remunerantem, nihil aliud quàm sua dona coronare. Porro sententia hæc ad Ephesios ita legitur: *Scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino; siue seruus, siue liber*.

DOMINO CHRISTO SERVITE. Græcè & Syriacè, *Nam Domino Christo seruitis*. Fauet & textus Ambrosianus, in quo locus iste sic habet: *Certi quod à Domino recipietis retributionem, hæreditatis Domini Christi, cui seruitis*. Secundum nostram lectionem sensus est; Cum igitur à Christo sitis recepturi mercedem bonæ seruitutis: ita seruite dominis vestris carnalibus, tanquam Christo Domino. Græca lectio sensum exhibet planiorem; Ne miremini, inquit, me dicere quod cum seruiatis hominibus, mercedem sitis recepturi à Domino; nam si bene seruitis, Christo Domino seruitis. Omne enim bonum opus, obsequium est & seruitus Dei. Hunc sensum etiam Thomas adfert, vtique ex authore aliquo Græco.

25 QVI ENIM INIURIAM FACIT, RECIPIT ID QVOD INIQVE GESSIT. Vocula, *enim*, ex præcedenti parte videtur huc translata. Nam Græcè est: *Qui autem iniuste facit &c.* Sensus est: Non solum bonæ seruitutis mercedem à Domino recipietis; verùm etiam illatæ vobis iniuriæ ab iniustis dominis, haud manebunt inultæ Qui-

cunque enim iniuria quemcunque affecerit, quantumuis magnus & potens ille sit; reteret id quod iniuste egit, id est, pœnam recipiet iniusticiæ suæ debitam. Græci locum hunc ad seruos referunt iniuriam facientes dominis suis. Similiter Ambrosianus. Verùm nostram expositionem, quæ eadem est Anselmi, Aquinatis & Caietani, veriorum arguit ipse contextus; ac præcipuè sententia proximè sequens, quam & in epistola ad Ephes. dominis proponit,

ET NON EST PERSONARVM ACCEPTIO APVD DEVM. In Græco & Syriaco non additur, *apud Deum*; satis tamen ex alijs locis, ac præsertim ad Ephesios 6 intelligitur suppleendum esse. Significat apostolus Deum iudicem, apud quem non est personarum respectus, sed ponderatio meritorum; non patitur dominis, si quid iniuste egerint aduersus seruos. Sed quid est quod apostolus tam hoc loco quàm ad Ephesios prolixius immoratur seruis instituendis; cum cæteris tam breuiter præcipiat? Ea ratio videretur quam expressit in 1 Timoth. 6, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur, scilicet per seruorum proteruiam & inobedientiam. Erant enim qui malè intelligentes libertatem quam CHRISTVS attulit mundo, dicerent neminem Christianum cuiquam mortalium seruire debere. Quæ hæresis iam ante apud Iudæos orta fuerat; quibusdam eorum dicentibus, se esse populum Dei, & proinde à tributo & seruitute liberum esse. Igitur aduersus huiusmodi prauam opinionem, qua Christi nomen non parum infamabatur, seruos Christianos diligenter instruit apostolus.

S V M M A R I V M.

H Ortatur eos vt instent orationi, ac simul pro se orent. Item vt circumspicere intergentes versentur. Commendat Tychicum & Onesimum. Denique salutacionibus claudiu epistolam.

C A P V T I V.

DOMINI QVOD IVSTVM EST ET ÆQVVM, SERVIS PRÆSTATE. Hanc partem, quæ dominorum admonitionem continet, Thomas in commentario, & is qui Ambrosianum commentarium in capita distinxit, præcedenti capiti adiungunt; huius capitis initium facientes ab eo loco, *Orationi instate &c.* Idque profectò rectius. Nam ea quæ dominis hic præcipiuntur, connexionem argumenti habent cum superioribus, vt liquet. Pro æquo, Græca habent *æqualitatem*, Erasmus, *æqualitatem*, vertit. Igitur monet apostolus dominos, vt non solum præbeant seruis id quod eis iure debetur, veluti victum &

vestitum ac cetera necessaria, quæ si subtrahantur, iniuste cum ijs agitur; quemadmodum & si crudeliter tractentur: (Nam secundum leges, Domino seruire in seruum non licet, vt annotat Thomas) verum etiam vt æquos & humanos se eis exhibeant; nec omne debitum seruituris ad amissim exigat, nec omne eorum delictum rigidè puniant; sed sicut ad Ephes. scribit, minas renitiant. Denique beatum Iob imitentur qui de se ita loquitur capite 31, *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea; cùm disceptarem aduersum me, &c.*

SCIENTES QUOD ET VOS DOMINVM HABETIS IN CÆLO. Scilicet Iesum Christum. Nam cogitatio Domini superioris cohibet inferiorem Dominum, ne quid durius agat in seruum; sicut explicatum est plenius ad Ephes. 6. vbi penè eadem sunt verba.

ORATIONI INSTATE, VIGILANTES IN EA IN GRATIARVM ACTIONE. A specialibus præceptis redit ad quædam generalia, quæ scilicet ad omnes pertineant; quale imprimis est, quod de oratione præcipit. Cuius sensus est: Assidue & perseveranter Deum precamini; nec tedium aut fœcordia vobis orantibus obrepat. Id autem facite cum gratiarum actione pro omnibus beneficijs à Deo acceptis. Est enim gratiarum actio pars orationis præcipua. Præceptum hoc etiam Ephesij datum est, et si verbis paululum diuersis.

ORANTES SIMVL ET PRO NOBIS. De seipso plurali numero loquitur, modestiæ causa. Nam quod suam tantum personam velit intelligi, docent illa sequentia, *vinctus sum, manifestem &c.* Sanè ad Ephes. 6. vbi eadem rogat, singulariter dicit; *pro me, vt detur mihi sermo &c.* Quomodo autem hic locus & similes valeant contra hæreticos pro inuocatione sanctorum, alibi dicitur oportunius.

VT DEVS APERIAT NOBIS OSTIUM SERMONIS AD LOQUENDVM MYSTERIUM CHRISTI. Non dicit, vt aperiat nobis ostium carceris, sed *ostium sermonis*, inquit Caietanus: Secundum quem sensus est: Vt faciat me aperire os meum (per quod tanquam per ostium, vt ait Thomas, sermo à corde foras exit) ad proferendum mysterium salutis humanæ per Christum. Sic Dauid precatur: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Alij malunt hunc esse sensum, vt Deus submoueat impedimenta sermonis, ac suggerat oportunitatem loquendi mysterium Christi. Tali enim modo accipitur ea phrasia I Corinth. 16. & 2 Corinth. 2. nec non Act. 14. Ita legimus in Hebræo, Osee 2. *Ostium spei*, pro apertura spei.

PROPTER QUOD ETIAM VINCTVS SVM. Relatiuum quod aut ad *mysterium Christi* refertur, aut ad totum complexum illud, quod est, loqui mysterium Christi. Nam Græcè,

loco eius, *propter quod*, est aduerbium ad; & ad vtrumvis commodè sit relatio. Constat ex hoc loco epistolam hanc è carcere scriptam esse.

VT MANIFESTEM ILLVD ITA VT OPORRET ME LOQVI. Pars hæc ordinanda est consequenter cum eo quod dixit, *ad loquendum mysterium Christi*. Estque sensus: Vt loquar mysterium Christi, non quomodocunque, sed vt manifestè illud eloquar, sicut oportet me loqui, id est, aptè & conuenienter ad persuadendum. Vtitur autem vocabulo manifestandi, quia de mysterio, id est, de re occulta hominibus prodendâ, loquitur. Hæc conferenda sunt cum loco Ephes. 6. vbi similis est prorsus verborum sententia.

IN SAPIENTIA AMBULATE AD EOS QUI FORIS SVNT. Eos qui foris sunt, infideles intelligit, qui in ecclesiæ familiam nondum sunt recepti; de quibus I Corinth. 5. *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* Cum his monet sapienter esse conuersandum, id est, prudenter & circumspectè; ne aut ex eorum moribus vicium contrahant, aut eos facto aliquo scandalizent, atque ab euangelio auertant, vel etiam occasionem dent euangelij persequendi. *Sapientiam* pro prudentia politam Theophylactus quoque interpretatus est.

TEMPVS REDIMENTES. Quid sit redimere tempus, expositum est ad Ephes. 5. vbi cum ratione subiuncta dicebatur, *redimentes tempus, quia dies mali sunt.* Cum infidelibus, inquit, cautè conuersamini, ita vt redimendæ vexationis atque euitandæ persecutionis causa, quò tempus habeatis liberum ad seruiendum Deo, patiamini, si opus sit, etiam dispendium aliquod rerum temporalium.

SERMO VESTER SEMPER IN GRATIA SALE SIT CONDITVS. Eodem pertinet hoc præceptum, scilicet vt prudenter ambulent erga eos qui foris sunt. Sal optimum & vtilissimum est ciborum condimentum, si moderatè adhibeatur: transfertur autem ad sapientiam significandam, vt pote qua nihil est hominibus vtilius in vita. Monet igitur apostolus hac metaphorica sententia Colossenses, vt sermo quem habent cum proximis, maximè cum infidelibus, semper sit resperus sale sapientiæ, id est, cum gratia, id est, cum grata iucunditate. Sic enim futurum vt audientes afficiat, atque ædificet. Vnde est illud poetæ moralis: *Omne tulit punctum qui miscuit vile dulci.*

VT SCIATIS QUOMODO OPORTEAT VOS VNICVIQVE RESPONDERE. Hoc ad gratiam sermonis pertinet, nosse loqui & respondere vnicuique quemadmodum oportet & conuenit, vt sermone afficiatur. Nam pro diuersis hominum moribus, studijs, inclinationibus, aliter atque aliter

cum

cum ijs loquendum est; quod pulchrè docet Gregorius in libro de cura pastoralis.

7 QVÆ CIRCA ME SVNT OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICVS CHARISSIMVS FRATER; nimirum is per quem mitto hanc epistolam. Eadem hæc scribit in fine epistolæ ad Ephes. vt inde liqueat vtramque epistolam eodem tempore scriptam & missam fuisse. Quanquam id satis etiam arguit doctrinæ & sententiarum similitudo.

ET FIDELIS MINISTER, ET CONSERVVS IN DOMINO. In Domino, referendum ad vtrumque membrum; Nam priori adiungitur in epistola ad Ephes. Tychicum vocat *fidelem ministrum in Domino*, quòd sacro officio diaconie fideliter fungeretur. Eundem vocat *conservum*, supple suum, in Domino, quòd in rebus ad euangelium Christi pertinētibus vnà cum Paulo laborasset.

8 QVEM MISI AD VOS AD HOC IPSVM VT COGNOSCAT QVÆ CIRCA VOS SVNT. Id est, vt cognoscat quomodo res vestræ se habeant, mihiq; renunciet. Erat enim Paulus pro Colossensibus sollicitus, propter Iudaizantes & Simonianos sinceritati fidei eorum insidiantes. In epistola ad Ephesios contrario modo dicitur, *vt cognoscatis quæ circa nos sunt.* Ex quo suspicari quispiam posset, etiam hoc loco sic esse legendum: verum illud postea hic dicitur alijs verbis.

ET CONSOLETVR CORDA VESTRA; referendo quæ circa me sunt. Potuit etiam verti, *Et exhortetur corda vestra*, sicut eodem ad Ephes. loco annotauimus.

9 CVM ONESIMO CARISSIMO ET FIDELI FRATRE, QUI EX VOBIS EST. Id est, qui est Colossensis. Pars hæc referenda non ad id quod proximè præcessit (parum enim idoneus adhuc erat Onesimus ad consolandum vel exhortandum Colossenses, vt pote ex seruo fugitio recens Christianus; quemadmodum ex epistola ad Philemonem eodem tempore missa, patet) sed ad illud remotius, *quem misi ad vos*: Dicit enim, se mittere ad eos vnà cum Tychico, Onesimum; quem vocat *fidelem & dilectum fratrem*, seu Christianum, vt hac commendatione tegat culpam eius priorem. Per hunc Onesimum scribit Paulus ad ipsum etiam Philemonem: vnde colligitur, tres epistolas simul fuisse missas; ad Ephesios, ad Colossenses, & ad Philemonem. Qua de re plura alibi.

10 OMNIA QVÆ HIC AGVNTVR, NOTA FACIENT VOBIS. Scilicet ij quos dixi Tychicus & Onesimus. Intelligit omnia ad ipsum ceterosque fideles, & omnino ad euangelij successum pertinentia. Verbum, *aguntur*, interpretis est, ad explendam sententiam necessariò adiectum: Nam Græcè tantum est, *τὰ ἄλλα*.

SALVTAT VOS ARISTARCHVS CAPTIVVS MEVS. Hic erat Macedo Thessa-

lonicensis, comes Pauli, cum eo aduersa quædam passus in Asia, cum quo etiam captiuo ab Hierosolymis Romam vsque sponte profectus est. Hæc enim de eo commemorat alter Pauli comes Lucas Actor. 19. 20. & 27. Eiusdem mentionem facit apostolus in epistola ad Philemonem; vbi tamen captiuitatis eius haud meminit, quia non opus erat, cum ex hac epistola Philemon (vt pote Colossensis) id intelligere posset.

ET MARCVS CONSOBRINVS BARNABÆ. Hic Actor. 12. vocatur Ioannes cognomento Marcus. cuius rursus sub nomine Ioannis mentio fit Actor. 13. Denique propter ipsum natam fuisse quandam dissensionem inter Paulum & Barnabam narratur Actor. 15. Idem autem est cum eo quem inter adiutores suos, perinde vt hoc loco, recenset apostolus in epistola ad Philemonem, & de quo in 2 Timoth. 4. scribit, *Marcum assume, & adduc tecum; est enim mihi vtilis in ministerio.* Nam post illam offensionem de qua Actor. 15. reconciliatum Pauli fuisse, & in amicitiam ab eo receptum nemini dubium esse debet. De quo etiam refertur in Martyrologio Romano ad 27 Septembris, quòd tandem Bibli in Phœnicia sit ordinatus episcopus, ac Deo probatus fuerit. Diuersum autem fuisse à Marco euangelista, quem Petrus apostolus 1 ep. 5. filium suum vocat, licet nonnulli secus opinentur, satis exactè probat Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum Christi 45. Addit autem de hoc apostolus, quòd sit consobrinus Barnabæ, vel vt eum à cognatione commendet, vt voluit Græci, magno enim in precio erat Barnabas; vel vt à Marco euangelista distinguat.

DE QVO ACCEPISTIS MANDATA. id est, literas commendatitias seu testimoniales. Huiusmodi enim olim solent tradi fidelibus, præsertim clericis, profecturis ad aliam quampiam ecclesiam, ab ea in qua commoratus fuisset; more ab apostolis primùm introducto: de quo multa in antiquis canonibus. Quæ quidem literæ vocabantur *Formate* apud Latinos. Loquitur autem de Marco apostolus non de Barnaba, qui vir tantus erat tantique nominis apud omnes fideles, vt commendatitijs ad eos literis non egeret; Marcus autem indigebat, propterea quod dudum, vt dictum est, in Pauli offensionem incurrisset. Caietanus Barnabam vult intelligi, propterea quòd Marcus inter confutantes numeretur. Verum nihil obstat quò minus tunc Colossenses salutauerit, paulò post ad eos forsitan profecturus; tantum enim dicitur, *Si venerit &c.* Sed & illud minimè probabile quòd Anselmus & Thomas cum nonnullis alijs, *mandata* interpretantur data Colossensibus à Paulo, ne Marcum reciperent; tanquam ea nunc apostolus reuocet mandato contrario, propter Marci

N 2

resipit-

resipiscantiam, erat enim id alienum prorsus ab humanitate Pauli, ut propter offensam illam veterem, eamque non adeo grauem, talia de Marco daret mandata. Si quaras, a quo mandata acceperant Colossenses: Dicendum arbitror, ab ecclesia Romana, nam si ab ipso Paulo; dixisset, de quo dedi vobis mandata. Hæ autem literæ iam Colossensibus præmissæ erant, in Marci gratiam.

SI VENERIT AD VOS, EXCIPITE ILLVM. Id est, hospitalitatis officium illi impendite, humaniter eum tractate. Hæc pars ita potest accipi, ut ea exprimat species mandati; quasi dicat apostolus, *De quo accepistis mandatum* in hæc verba, aut certe in hunc sensum: *Si venerit ad vos, excipite illum*. Est enim hoc velut exemplar formatarum, de quibus supra. Atque in eum sensum partem hanc accepit author versionis Ambrosianæ, dum ita transtulit: *De quo accepistis mandatum, ut si venerit ad vos, excipiatis illum*. Meminerunt huius intelligentiæ etiam Chrysostomus & Theophylactus. Repetit autem apostolus ipsa verba, more Hebræis familiari; qui solent ipsamet verba, aut dicenda præscribere, aut dicta repetere, ut Matth. 26. *Dicite ei, Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis*. Tale etiam est quod infra dicitur hoc eodem capite, *Dicite Archippo, Vide ministerium, &c.*

ET IESVS QVI DICITVR IUSTVS: Supple ex superioribus, *salutat vos*. Nomen Iesu multis erat commune, ut patet ex historia Iosephi. Hic igitur, seu distinctionis causa, siue etiam ob id ne proprium nomen Saluatoris alijs communicatum vilesceret, a fidelibus vocabatur Iustus; ut eo velut proprio nomine agnosceretur. Legimus quoque Actor. 1 de Ioseph quem cum Matthia apostoli statuerunt fortes daturi, quod cognominatus sit Iustus; utique ab isto diuersus, quemadmodum & ille Titus Iustus de quo Actor. 18. Nam is gentilis erat. Sciendum autem omnibus his locis in Græco non haberi Græcum vocabulum *δικαιος*, sed Latinum *Iustus*, quod nimirum abierat in agnomen, etiam Græcè loquentibus usurpatum; Cuiusmodi & alia Romana vocabula legimus apud euangelistas, ut sudarium, prætorium, custodia.

QVI SVNT EX CIRCVMCISIONE. Id est, Iudæi. Tres supra nominatos intelligit; Aristarchum, Marcum & Iesum; non autem solos duos posteriores, ut putat Anselmus. Quamuis enim Aristarchus esset patria Thessalonicensis, gente tamen erat Iudæus; erat enim Iudaica gens toto orbe dispersa.

HI SOLI SVNT ADIVTORES MEI IN REGNO DEI. Græcè, *Hi soli cooperarij ad regnum Dei*. Primasius quoque pronomen, *mei*, omittit, ut probabile sit ab intérprete non

fuisse scriptum, nam & satis intelligitur ex eo quod subiungitur,

QVI MIHI FVERVNT SOLATIO. Græca vox *παρηγορία* eam consolationem significat quæ fit amica & suavi colloquutione; tametsi potest extendi ad quamuis consolationem in genere. Porro quod dicit, *Hi soli*, quidam restringunt ad Iudæos; quod non est necesse: Nam sensus hic esse videtur, Hos solos habeo cooperarios ad promovendum regnum Dei quod est ecclesia Christi; Tales, inquam, qui mihi in carcere constituto solatium attulerint. Vbi tacitè conqueritur de paucitate cooperatorum qui in eo munere sincere versarentur; ut hæc sententia congruat cum eiusdem apostoli querela Philip. 1 de paucis fratribus sincere Christum annunciantibus. Contendunt ex hoc loco sectarij Petrum eo tempore quo Paulus hæc scripserat Romæ non fuisse. quod etsi concedi eis possit; (Neque enim Catholici docent Petrum 25 annis omnino continuis ac sine ulla interruptione Romæ moratum fuisse; ut quem omnium ecclesiarum sollicitudo sæpe aliò vocaret) non tamen ex his verbis sequitur. Loquitur enim de subsidiarijs adiutoribus; quales erant tres supra nominati: Petrus autem non subsidiarius erat Paulo in prædicatione verbi, sed coapostolus, idemque totius ecclesiæ pastor. Adde quod iste sermo: *Hi soli*, non est ita rigide accipiendus ut absolutè excludat omnes alios; sed benigno sensu; Hi ferè soli sunt adiutores &c. Nam certè plures quam tres illos Romæ Christum cum sinceritate annunciasse, satis potest colligi ex epistolis ad Rom. & Philipp. At neque Lucas & Timotheus qui tunc Romæ erant (nam Lucam paulò post nominat inter salutes & charissimum vocat; Timotheum verò sibi collegam assumit in salutatione qua epistolam orditur) vllaratione possunt excludi à numero cooperantium, à quibus solatium ac ministerium Paulus acciperet. Quibus adiunge Epaphram de quo iam sequitur:

SALVAT VOS EPAPHRAS, QVI EX VOBIS EST, SERVVS CHRISTI IESV. Huius Epaphræ præclare meminit etiam sub initium epistolæ. Ex eo autem quod dicit, *qui ex vobis est*, intelligitur eum Colossensem fuisse. *Servum* autem *Christi* vocat, propter munus euangelicæ prædicationis, quod obierat apud Colossenses; Qua etiam ratione suum cõseruum eum appellavit cap. 1, quemadmodum ibi dictum est. In epistola ad Philemonem vocat eum concaptivum suum; quod cur in hac epistola taceat, causam reddere conati sumus in expositione primi capituli.

SEMPER SOLICITVS PRO VOBIS IN ORATIONIBVS. *Solicitus*, Græcè *ἀγωνίζου*, id est, certans, enixè & sollicitè laborans. Commendat Epaphram Colossensibus à sollicitudine & labore quem pro illis subibat, simul assidue pro ijs Deum orans.

Id enim

Id enim sibi vult Hebraismus, *in orationibus*, id est cum orationibus, quibus nimirum hoc petebat quod sequitur,

VT STETIS PERFECTI ET PLENI IN OMNI VOLVNTATE DEI. *Pleni*; Græcè participium, *impleti*; pro quo Ambrosianus legit, *abundè expleti*. Sensus est: Ut perfectè studeatis implere voluntatem Dei, atque in eo studio perseveretis. *Voluntatem Dei* intelligit quæ in præceptis consistit.

13 TESTIMONIUM ENIM ILLI PERHIBEO, QVOD HABET MVLTVM LABOREM PRO VOBIS. In Græco non est, *laborem*, sed *ζήλον*, id est, studium cum æmulatione; quale est vel sponsi vel paranympsi pro sponsa. Per quod innuit Paulus, Epaphram Colossensium apostolum esse, eamque ecclesiam velut sponsam Christo comparasse; & idcirco pro ea custodienda, ornanda, perficienda vehementer æmulari. Tale suum studium erga Corinthios ipse Paulus ostendit quando ad eos scribit, *Æmulor vos Dei æmulatione; despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. 2 Cor. 11.

ET PRO IIS QVI SVNT LAODICIÆ, ET QVI HIRAPOLI. Erant hæc ciuitates Colossis vicinæ; propter quod etiam pro illis laborem ac studium Epaphras impendebat. Forsitan autem & participes fuerant euangelij per ipsum prædicati.

14 SALVAT VOS LVCAS MEDICVS, CARISSIMVS. *Carissimus*, determinat Lucam non medicum. q. d. Lucas medicus, idemque nobis carissimus. Sunt qui in dubium reuocent, num de Luca euangelista loquatur apostolus; hunc enim dicunt notiorum fuisse quam ut artis nomine eum designaret. Ac saltem, inquit, eum coadiutorem suum, aut fidelem comitem vocasset: Verum, ut vetus & communis, ita probatissima sententia est, quam & Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, & Paulinus in epigr. tradit, Lucam euangelistam medicum fuisse; & eum ipsum, cuius hic mentio est. Neque enim alium Lucam Paulo familiarem vlla prodit historia. Artis autem honestissimæ nomine eum designat; ob eam ferè causam, quod arte sua medica insignem operam fidelibus præstaret. Quod verò tacuit hoc loco adiutorem; id disertè expressit ad Philemonem scribens: *Demas & Lucas adiutores mei*. Non enim putauit apostolus rem satis notam vbique inculcandam esse. Vbi & illud obseruandum est, apostolum assidue Lucam cum Dema nominare; tam hoc loco, & ad Philemonem, quam etiam in secunda ad Tim. epistola, ubi capite 4 sic ait: *Demas me reliquit, Lucas est mecum solus*. Quis ergo dixerit alium atque alium esse Lucam cum eodem Dema nominatum? Nam ad Philemonem, & ad Timotheum, de Luca euangelista sentire apostolum; nemo hæcenus dubitauit. Denique cum constet ex Actis

apostolorum Lucam euangelistam cum Paulo peruenisse Romam, ibidemque cum eo captiuo perseverasse; quæ ratio est, Lucam, cuius tanquam secum agentis mentionem facit apostolus in epistola à Romano carcere scripta; ob id solum quia medicum eum vocat, ab euangelista facere diuersum? Hæc satis, ad probandum inanem prorsus ac temerariam esse dubitationem, quam de Luca mouent hoc loco nouatores, Erasmus secuti.

ET DEMAS. Multorum opinio est, hunc ad tempus dumtaxat Pauli adiutorem fuisse; postea verò sæculi amore captum ita Paulum deseruisse, ut amplius ad eum non fuerit reuersus. Sic enim intelligunt illud 2 Timoth. 4, *Demas me reliquit, diligens hoc seculum*. Atqui Cardinalis Baronius contra existimat eum, Paulo ad tempus derelicto, postea Romam ad ipsum rediisse, atque in vinculis constituto rursus ministrasse. Censet enim author ille, secundam ad Timotheum epistolam priorem esse ijs quæ ad Colossenses & ad Philemonem scriptæ sunt. Quod & nobis valde probabile est, ob rationes ab ipso allatas, tomo 1 Annalium Eccles. ad annum Domini 59. Sed hæc de re nobis sermo recurret, ubi ad dictum usque locum Pauli peruenierimus.

15 SALVATE FRATRES QVI SVNT LAODICIÆ. Hoc monet ad confouendam Christianam amicitiam inter fideles vrbium vicinarum.

ET NYMPHAM ET QVÆ IN DOMO EIVS EST, ECCLESIAM. Nympha, seu potius Nymphas, non mulieris, ut Ambrosianus & Anselmus alijque Latini opinantur, sed viri nomen est, qualia Thomas, Lucas, & 1 Corinth. 1 & vltimo, Stephanas. Quod, cum ex tono circumflexo posterioris syllabæ in Græco, tum certius ex pronomine masculini generis *αὐτῆς* comprobatur. De eo Græcorum scholia sic habent: Magni nominis hic vir fuit, qui domum suam fecerit ecclesiam. Porro familia Christiana vocatur ab apostolo *ecclesia*; propterea quod sit fidelium multitudo, non qualiscunque, sed sic ordinata, ut in ea alius præsit, alij subiecti sint; idque etiam aliquo modo in his quæ ad religionem & salutem animarum spectant. Nam in vnaquaque domo is qui præsit, siue paterfamilias siue dominus, siue alia ratione præfectus, curam gerere debet salutis æternæ suorum subditorum, atque eos admonendo, docendo, hortando, corripiendo, ecclesiasticum & quodammodo episcopale implere officium, ut loquitur Augustinus tract. 51 in Io. Similis locus Rom. 16. v. 4. & 1 Cor. 16. v. 19. & ad Philemonem.

16 ET CVM LECTA FVERIT APVD VOS EPISTOLA, HÆC QUAM AD VOS SCRIBO,

FACITE VT ET IN LAODICENSIVM EC-

CLERIA LEGATVR. Ideo communem vtrifque vult esse epistolam, quia vtrifque ratio communis. Verisimile est enim Laodicenses, ob viciniam loci, ab iisdem doctrinæ Christianæ corruptoribus tentatos fuisse, à quibus Colossenses; nimirum à Iudaizantibus & Simonianis. Nec immeritò Laodicensium singularem curam habet apostolus, etsi ab ijs non visus; erat enim Laodicea metropolis Phrygiæ; & ecclesia Laodicensium vna ex præcipuis, vtpote à Ioanne apostolo annumerata inter septem celebriores Asiæ ecclesias.

ET EAM QUÆ LAODICENSIVM EST VOS LEGATIS. Horum verborum occasione abusus quispiam concinnauit atque euulgauit epistolam quandam velut à Paulo scriptam ad Laodicenses. Eam videre est apud Anselmum huic epistolæ subiunctam, & apud Sixtum Senensem lib. 2. bibliothecæ sanctæ; nec non apud Stapulensem, qui eam suo commentario inserit, affirmans se quatuor locis eam reperisse, putatque non ab simile vero, quòd Paulus eam scripserit. De hac re Hieronymus in catalogo. Legunt quidam, inquit, & ad Laodicenses epistolam: sed ab omnibus exploditur. Meminit eiusdem Theodoretus, ac simpliciter eam confictam esse pronunciat. Denique de ea sic legitur in septima synodo, tomo 5. Epistolam ad Laodicenses apostolo ascriptam, patres nostri tanquam alienam, reprobauerunt. Quanquam nobis haud omnino constet istos omnes de ea loqui epistolam quæ nunc circumfertur: Nam ratio dubitandi est ex Philastro, qui in libro de hæresibus cap. 90 dicit epistolam ad Laodicenses scriptam, idcirco publicè non legi in ecclesijs, quòd in ea nonnulli malè sentientes quædam sua admiscuerint. Id autem verum non videtur de ea quæ nunc in manibus est; vt quæ breuissima sit, ac nihil habeat adulterinæ doctrinæ. Veruntamen siue hæc eadem sit cum illa cuius veteres meminerunt, siue diuersa; saltem hoc dubium apud doctos esse non potest, quin supposititia sit, & aliena à spiritu & more scribendi Paulino. Nullum enim habet certum argumentum: tantum continet quasdam exhortationes & præcepta temerè ac sine ordine congesta, omnia ferè decerpta ex alijs epistolis, præsertim ex ea quæ ad Philipp. Deinde, qui conuenit vt apostolus tam breuiter ad totam aliquam ecclesiam scriberet? Est enim hæc epistola multò breuior etiam ea quæ ad Philemonem scripta est. Iam nec exordium illud grande, petiit ex epistola ad Galatas, *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum*, villo modo responderet cum reliquo corpore epistolæ; & tamen impostor, quisquis fuit, vt apparere faceret esset eam ipsam de qua Paulus hinc loquitur, ita scribit in fine: Hanc

facite legi Colossensibus; & eam quæ est Colossensium, vobis. Sciendum præterea est Marcionem antiquum hæreticum, occasione præsentis loci, epistolæ ad Ephesios scriptæ titulum mutasse, inscribendo eam ad Laodicenos; tanquam ea non ad illos sed ad hos scripta esset, quemadmodum referunt Tertullian. lib. 5. contra Marcionem cap. 11 & 17, & Epiphani. hæresi 42. Sed falsitatem hæretici prodit Ignatius martyr, qui ad Ephesios scribens, citat quædam verba tanquam à Paulo ad eos scripta, *Unum corpus & vnus spiritus* &c. quæ vtiq; habentur in epistola ad Ephesios 4. Porro nonnulli commentatores, persuasi ex hoc loco Paulum verè aliquam ad Laodicenses epistolam scripsisse, dicunt eam intercidisse, sicut & aliam quandam ad Corinthios scriptam. Hoc modo sentiunt Anselmus, Aquinas, Caietanus, quibus annumerandus videtur B. Gregorius, qui lib. Moral. vltimo, capite 15 ita scribit: Paulus apostolus quamuis epistolas quindecim scripserit, sancta tamen ecclesia non amplius quàm quatuordecim tenet: &c. vbi videtur decimam quintam intelligere eam quæ est ad Laodicenses. Fefellit autem hos omnes ambiguitas verborum huius loci, prout Latine leguntur: Quod enim dicitur, *eam quæ Laodicensium est*, intelligi potest Laodicensium, vel ad quos, vel à quibus epistola scripta sit aut missa. Et quidem priori modo Latini ferè intellexerunt; Sed hanc ambiguitatem planè dissoluit Græca lectio, quæ sic habet: *Et eam quæ ex Laodicea est, vt & vos legatis*. Ex quo liquet apostolum loqui de epistola ex Laodicea scripta. Caterum quamam ea sit, & à quo scripta, adhuc quaeritur. Theophylactus putat esse epistolam priorem ad Timoth. Nam ea apud Græcos subscriptionem habet quòd missa sit ex Laodicea. Sed hoc refellitur; primùm, quia Paulus qui Laodicea nunquam fuerat, vt supra ex secundo capite huius epistolæ ostendimus, non potuerat ex ea vrbe vllam scripsisse epistolam. Quòd si demus eum Laodicea fuisse, velut opinatur Theodoretus; haud tamen verisimile est vt epistolam ante complures annos, non ad plebem, sed ad episcopum scriptam, eiusque propriè munus explicantem, voluerit in toto conuentu Colossensium legi. Proinde probabilior nobis est eorum sententia, qui putant hinc agi de epistola ab ipsis Laodicensibus scripta ad Paulum, quæ contineret magnam testificationem fidei & charitatis eorum; ideoque Paulum voluisse vt eam legerent Colossenses, illorum scilicet exemplo prouocandi atque excitandi ad maiorem fidei & charitatis profectum. Ita sentiunt Chrysostomus, Theodoretus, Photius, Oecumenius. Iuxta hanc sententiam, non malè vertit interpret noster, *eam quæ Laodi-*

ensium

ensium est: Nam vsu loquendi epistola dicitur esse eius à quo scripta est, vt Ciceronis, Plinij; non item eius ad quem scripta est.

17

ET DICITE ARCHIPPO: VIDE MINISTERIVM QVOD ACCEPISTI IN DOMINO, VT ILLVD IMPLEAS. Hunc Archippum, cuius & initio epistolæ ad Philemonem mentio est, episcopum Colossensium fuisse putat Ambrosianus, vt qui post Epaphram acceperit regendam eorum ecclesiam. Idem sentit Thomas in commentario, vocans prælatum eorum: ac manifestius in 2. 2. q. 32. art. 4 ad 2. vbi episcopum vocat. At Primasius tantum diaconi functum officio apud Colossenses arbitratur. Neutrùm verisimile: Neque enim ratio apparet cur Epaphras eorum episcopus esse desierit; neque diaconus absentiam episcopi suo ministerio supplere poterat. Quare probabile est, eius ecclesiæ presbyterum fuisse, qui absente episcopo eam verbo & sacramentis pasceret: vt sensus sit; Dicite Archippo vestra


ecclesiæ presbytero, vt ministerium sibi ab Epaphra discedente iniunctum in his quæ Domini sunt, probè ac diligenter exsequatur. Certè apostolus in epist. ad Philemonem, vocat eum commilitonem suum.


18

SALVTATIO MEA MANV PAVLI. Eadem verba sunt in fine prioris epistolæ ad Corinthios. Inde repetit expositio-nem.

MEMORES ESTOTE VINCVLORVM MEORVM. Hic iam terribè vinculo-rum suorum meminit hoc capite; Vnde clarum est in carcere scriptam esse hanc epistolam. Quod autem rogat vt *vinculo-rum suorum memores* sint, non sui causa facit, quasi subsidium tacitè postulans; sed vt confirmetur in fide, pro qua viderent ipsum tanta pati.

GRATIA VOBISCVM. AMEN. Quam gratiam intelligat, alibi satis explicatum. Græci codices hinc subscribunt, *Scripta è Roma per Tichicum & Onesimum*.





IN PRIMAM EPISTOLAM

BEATI PAULI

APOSTOLI

AD THESSALONICENSES

COMMENTARIUS.

ARGUMENTVM EPISTOLÆ.



THESALONICENSIVM ciuitas Macedonię metropolis fuit, apud quos Paulus posteaquam Philippis digressus esset, euangelium Christi non sine fructu prædicauit; etsi Iudæis infano studio contranitentibus; quemadmodum refertur Act. 17. Hos igitur recenter conuersos, quod inter domesticas persecutiones in accepta fide constantes permansissent, missa ad eos epistola collaudat, & Deo gratias agit; interim suę personę commendationem admiscens, ut qui non solum pure atque sincerè Christum ijs annunciaffet, verum etiam ne eos grauaret, à sumptu accipiendo abstinuisset. Quod cur commemoret, ex secunda epistola certius intelligitur. Et hæc quidem agit primo, secundo & tertio capitibus. Mox subiungit præcepta vitæ Christianæ; ut coniugio castè utantur, & libidinum corruptelas fugiant, utq; ocium vitent, & res alienas non appetant. Deinde, ab immoderata tristitia qua mortuos lugebant quasi qui omnino periissent, eos reuocat, & certissima spe resurrectionis consolatur; cuius & modum describit. Postremo capite, ex eo quod tempus resurrectionis ac iudicij diuini incertum sit atque incognitum, admonet vigilandum esse, sanctisq; operibus incumbendum, ne iudicij dies imparatos opprimat. Quo loco addit & alia quędam præcepta, breuia quidem sed utilitate præcipua. Hanc epistolam inter omnes Paulinas tempore primam esse censet eius commentator Anselmi titulo, cui Baro. anno Christi 52. §. 22. alijsq; docti facillè suffragantur. Constat enim scriptam esse non multò postquam ad fidem conuersi essent Thessalonicenses. Nam quod in vulgari argumento Latinorum codicum scribitur missa per Onesimum, scilicet eum quem Paulus Romę Christo genuit in vinculis; prorsus nequit consistere cum ijs quę

dicuntur

dicuntur in hac epistola de Timotheo ex Athenis ad Thessalonicenses missio. Cum enim Paulus Athenas peruenisset, atque illuc ad se Timotheum è Beroa Macedonię accersiuisset, ut habetur Act. 17. sollicitus ac metuens Thessalonicensibus, ne propter afflictiones, quas post ipsius discessum ab aduersarijs fidei patiebantur, animo commouerentur; rursus ad eos Athenis adhuc agens, Timotheum misit, ut eos in fide confirmaret, atque in tribulationibus consolaretur; quemadmodum ipse cap. 3 huius epistolę testatur. Porro Timotheus non Athenas, ubi Paulus non diu moratus fuit, sed Corinthum è Thessalonica ad eum redijt vnà cum Sila, sicut Actorum liber narrat cap. 18. At qui statim post aduentum Timothei à Thessalonicensibus reuersi, scriptam esse hanc epistolam, ex eodem cap. 3 manifestum est. Ex quibus planè colligitur, & primò omnium scriptam esse (nulla enim inuenitur epistolarum Pauli scripta ante id tempus) & è Corintho missam; non autem ex Athenis, ut habet Gręcorum codicum hypographe, tametsi cum ea sentiunt Athanasius in synopsi, & Theodoretus in præfatione epistolarum Pauli, alijsque nonnulli. Falsum etiam illud, quod missa sit per Timotheum, ut in editione Syriaca ascribitur. Nam Timotheus vnus eorum est à quibus epistola mittitur, uti liquet ex eius initio quod sic habet.

SVMMARIVM.

Congratulatur fidei & patientiæ Thessalonicensium; in qua ita profecerant ut alijs exemplum præberent, & ab ijs in alias regiones sermo Dei diuulgaretur.

CAPVT I.

PAULVS ET SILVANVS ET TIMOTHEVS ECCLESIAE THESSALONICENSIVM. subaudi, scribunt aut mittunt hanc epistolam. Cur Paulus in vtraque ad Thessalonicenses epistola non se apostolum nominet, ut ferè in alijs omnibus, alijs aliam adferunt rationem. Sed ea verior apparet, quam Caietanus tradit, Paulum in his duabus epistolis nudum absque epitheto nomen suum posuisse propter reuerentiam Siluani, ne supra eum se extollere videretur, si peculiarem præ illo titulum vsurparet. Est enim hic Siluanus idem cum Sila, qui post discessum Barnabæ, assumptus à Paulo ut socius euangelicę prædicationis ac veluti coapostolus, etiam apud Thessalonicenses vnà cum ipso Christum annunciauerat, & commune periculum expertus fuerat: quod quidem Acta apostolorum legenti dubium esse non potest. Eiusdem Silæ sub nomine Siluani meminit apostolus 2 Cor. 1. Adiungitur autem Paulo & Siluano Timotheus, tum quia sicut ex Actis colligi potest, comes illis fuerat prædicationis ad Thessalonicenses, & laborum particeps; tum maxime quod postea à Paulo missus in fide eos confirmasset.

IN DEO PATRE ET DOMINO IESU CHRISTO. Cohæret cum præcedentibus, iuxta Gręcorum commentarios, hoc modo; Quæ ecclesia est in Deo patre &c. Dicitur autem esse in Deo patre, tamquam efficiente & gubernante principio. In Christo, ut salutis eius, per meritum suę passionis, authore. Alij suppleunt hoc modo: Ecclesię Thessalonicensium congregatę in Deo patre &c. Ceterum Ambrosianus hæc verba videtur iungere cum sequenti parte, dum ita scribit; Dei patris & Domini Iesu Christi gratiam & pacem his exoptat. sed id facit præter mentem apostoli; quemadmodum liquet ex secundę epistolę principio.

GRATIA VOBIS ET PAX; videlicet multiplicetur. Gratia, sermone apostolico significat beneficium Dei gratuitum ad salutem pertinens; ut est fides, iusticia, eiusque partes & incrementa. Pax autem est eiusmodi bonorum quieta possessio. Græcus textus annectit hæc verba; à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, quę tamen à nullo Gręcorum interpretum exposita reperio; ut verisimile sit additionem hæc à scribis factam ex alijs epistolis; in quibus ferè omnibus ea verba exprimentur.

GRATIAS AGIMVS DEO SEMPER PRO OMNIBVS VOBIS. Id est, pro beneficijs in vos omnes collatis; qualia nimirum postea enumerat, ut fidem, charitatem, sustinentiam. Vnde patet hæc omnia esse Dei dona; huius enim rei testificatio est gratiarum actio.

MEMORIAM VESTRI FACIENTES IN

ORA-

ORATIONIBVS NOSTRIS. Id est, quorū oramus, etiam pro vobis orantes. Non enim a gratiarum actione separanda est oratio; cum in hac vita semper restet adhuc quod petatur, ut firmitas & augmentum fidei, caritatumque virtutum, atque in ijs perseverantia.

3 SINE INTERMISSIONE MEMORES OPERIS FIDEI VESTRÆ. Illud, *sine intermissione*, in Græco adverbium est, ἀδιαλείτως, *indefinenter*; quod etsi cum parte superiori coniunxerit is qui capita in numeros distinxit, atque eam distinctionem multi Latinorum interpretum suo commentario comprobant; aptius tamen Græci verbis sequentibus adiungunt, quod manifestè facit etiā codex Laudensis manus. Nā quod dixerat, *semper*, etiam ad orationem referri voluit. Neque verò satis commodè adverbium indefinenter in fine sententiæ collocatur. Itaque sensus est: Semper Deo gratias agimus pro vobis; semperque pro vobis oramus; utpote qui temper & indefinenter sumus memores operis fidei vestræ &c. Dicitur autem, more scripturæ, *semper & indefinenter* id fieri, quod assidue & frequentissimè fit. Ita rursus loquitur ultimo capite huius epistolæ, *Semper gaudete; sine intermissione orate*. Porro Erasmus hunc locum ita vertit, *Indefinenter memores vestri propter opus fidei, sed coacta & affectata videtur hæc versio, quamvis & Hentenius eam secutus sit*. Rectius alij in hunc modum, *Indefinenter memoria recolentes vestrum opus fidei*. Nam pro vobis memores Græcum ὑμῶν, etsi tam ad opus, quam ad fidem referri possit; ordo tamen verborum in Græco, magis exigit ut ad opus referatur, hoc sensu: Memores vestri operis ex fide profecti: Id opus Græci interpretantur firmitatem & constantiam in periculis, quam suscepto euangelio Thessalonicenses ostenderant, uti docet Actorum historia cap. 17. Exponit autem apostolus his & sequentibus verbis materiam gratiarum actionis de qua prius fuerat locutus: sunt enim hæc bona Thessalonicensium, de quibus gratias agebat Deo.

ET LABORIS ET CHARITATIS. Græcè sine media coniunctione, & laboris charitatis. Verisimile est imperitia scribarum Paulum non intelligentium, alterum &, irrepsisse in nostros codices, quasi duo diuersa commendauerit, laborem & charitatem; cum ita dicat *laborem charitatis*, quomodo dixerat *opus fidei*, & quomodo consequenter dicit *sustinentiam spei*. Laborem charitatis intellige laborem ex charitate susceptum: Legitur enim in Actis, laborasse Thessalonicenses. ut tumultum a Iudæis aduersus Paulum suscitatum sedarent, ipsumque periculo eriperent.

ET SUSTINENTIAE SPEI DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Tres virtutes mysticas Thessalonicensibus attribuit; fidem, charitatem & spem; quibus singulis propria quedam adaptat: fidei, opus; charitati, laborem; & spei, sustinentiam seu patientiam. Nam si-

des ex operibus ostenditur; charitas laborem reddit leuem ac facilem; & spes patientiam gignit. *Quod enim speramus, per patientiam expectamus* Rom. 8. Huius igitur partis sensus est: Item memoria repetentes patientiam vestram, qua propter spem aduentus Christi Domini, multa aduersa toleratis.

ANTE DEVM ET PATREM NOSTRVM. Id est, coram Deo qui idem est pater noster per spiritum adoptionis. Refertur autem hæc pars ad vocabulum, *memores*. Significat enim se eorum quæ recensuit meminisse coram Deo, scilicet cum gratiarum actione.

4 SCIENTES FRATRES DILECTI A DEO, ELECTIONEM VESTRAM. *Scientes*, id est, cum cognouerimus; vel, ut habet editio Syriaca, *siquidem nouimus*. Falluntur enim qui hoc referunt ad Thessalonicenses, quasi dicere voluerit apostolus, cum sciatis fratres &c. & proinde rationem grammatices in transitu ad secundam personam, ut putant, neglexerit. Pendet enim adhuc pars ista a verbo, *gratias agimus*; ac totum dicitur in persona Pauli & collegarum quos in exordio epistolæ nominauit. Porro illud, a Deo, tripliciter ordinari potest: aut cum participio, *scientes*, hoc modo: scientes a Deo, id est, ex Dei reuelatione, vestram electionem. aut cum vocabulo, *dilecti*; quæ constructio sensum habet liquidum, aut cum accusatiuo *electionem*, ut sit sensus: scientes vos a Deo electos esse. Prima constructio coarctior est; Tertia, quam cum Græcis plerique sequuntur, sensum facit bonum & obuium; sed ei aonnihil resistit Græcus articulus τῶν, collocatus post illud, a Deo, cum iuxta hunc sensum præponi debuisset. Quare media constructio, quæ nihil incommodi habet, quamque secutus est B. Thomas, nobis quoque probatur præ alijs, vel ob id quod *dilecti* in Græco non est nomen verbale, ut passim a libi, sed participium; cui aptissime coheret dereterminatio, a Deo; & idem planè fit 2 Thessal. 2. v. 12. continetque ea pars, *dilecti a Deo*, causam sequentis, *electionem vestram*, q. d. Scientes vos esse electos ad vitam æternam, non propter opera vestra bona quæ iam commemorauimus, sed ex mera & gratuita Dei erga vos dilectione; a qua, velut fonte etiam ipsa bona merita vestra profluunt. *Sciebat* autem Paulus electionem Thessalonicensium; quia apud eos talia viderat initia fidei, spei & charitatis, tantamque in aduersis constantiam; ut omnino confideret, nec dubitaret, quin multi eorum essent electi, Deo nimirum opus suum in eis perficiente. erat enim hæc apostoli scientia non absolutæ certitudinis, sed magnæ probabilitatis & fiducia, ex optimis initijs conceptæ. Sic enim loquitur ad Philip. 1. *Confidēs hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu*.

5 QVIA EVANGELIUM NOSTRVM NON FVIT AD VOS IN SERMONE TANTVM, SED ET IN VIRTUTE ET IN SPIRITU SANCTO. Et priori loco multi Latini codices omittunt:

sed

sed exhibent alij non minus probati, inter quos Clementinus, suffragantibus Græcis: Item textus commentatoris Ambrosij Primasij, Aquinatis, Rickelij, Caietani. Confirmat apostolus quod dixerat, *Scientes electionem vestram*: Quod enim hic commemorat, magnum erat argumentum electionis eorum. Per euangelium, intelligit euangelij prædicationem. Potest autem illa pars, *in virtute & in Spiritu sancto*, dupliciter intelligi. Vno modo, de signis ac miraculis quibus sermo prædicantis confirmabatur; quomodo dicit Roman. 15. *In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti*. & 1 Cor. 2. *In ostensione spiritus & virtutis*. & Gal. 2. *Qui tribuit vobis spiritum, operatur virtutes in vobis*. Miracula enim sunt opera virtutis seu potentie Dei: Spiritus sanctus autem peculiariter intelligitur in ijs donis quæ charismata vocantur; ut sunt dona linguarum, prophetie, curationum &c. Atque huc referri potest quod sub fine epistolæ dicitur: *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere*. Alter intellectus est de efficacia verbi in cordibus audientium, per fidem virtute Spiritus sancti ijs infusam. Priori modo, sensus est: Quia non tantum verbo tenus euangelium vobis prædicauimus: verum etiam miracula & Spiritus sancti charismata illud consecuta sunt; iuxta illud quod de apostolis dicitur Marci ultimo, *Prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis*. & Heb. 2. *Ab ijs qui audierunt, in nos confirmata est salus, contestante Deo signis & portentis & varijs virtutibus & Spiritus sancti distributionibus*. Posteriori modo; Non tantum ego prædicaui vobis, sed & vos credidistis operante in vobis Spiritu sancto. Et quidem, iuxta priorem sensum, *euangelium dicitur esse in sermone tantum*, ratione prædicantis; quando sermonem miraculis non confirmat. Iuxta posteriorem, ratione audientis; quando sermonem auditum fide non suscipit. Verum prior sensus, quem & Græci tradunt, huic loco magis germanus est. Id enim probant aliæ scripturæ similes, quas iam citauimus. Est autem & alius modus, quo euangelium est in sermone tantum ex parte prædicantis, dum videlicet id quod sermone prædicat, opere non præstat. In virtute autem erit eius sermo, si opere & conuersatione demonstrat ac rata faciat ea quæ verbo docet; ne audiat illud: *Qui alium doces, reipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris &c.* Rom. 2.

ET IN PLENITVDINE MVLTÆ. Pro, *plenitudine*, Græcè est πληροφουλία. De qua voce pluribus egimus, quum explicarem illa loca Roman. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet*. & Coloss. 2. *In omnibus diuitiis plenitudinis intellectus*. Rectè igitur vertit noster interpret, *in plenitudine*; ac minus rectè Lonicerus, Erasmus, & alij nonnulli, *in certitudine*, vel, *per certitudinem*, id est, certam persuasio-

nem; quod propriè vox illa non significat: licet illa *plenitudo* possit hoc loco ad persuasionem referri. Nam quod quidam *plenitudinem* hic interpretatur multitudinem eorum qui crediderant, non admodum probabile glossema mihi videtur. Magis placet hunc esse sensum: Thessalonicensibus, Paulo prædicante, abundè suppeditata fuisse adminicula doctrinæ euangelicæ suadendæ, utpote non solum miraculis ac manifestis Spiritus sancti donis verbo fidem astruentibus; verum etiam ipso apostolo ex sua parte nihil omitente eorum quæ ad persuadendum euangelium facere viderentur: ut plenè apud eos officio satisfecisse non dubitaretur. Ad hunc sensum planè inuitat quod sequitur,

SICVT SCITIS QVALES FVERIMVS IN VOBIS PROPTER VOS. Ac si dicat: Nam & ipsi mihi testes estis, quomodo fuerimus inter vos conuersati vestræ salutis causa. Quibus verbis tacitè innuit id quod postea clarè exponit cap. 2. & sequentis epistolæ cap. 3, nempe, manibus suis se laborasse apud Thessalonicenses, ne eos sumptu grauariet. nam & hoc non parum valebat ad pleniorum euangelij persuasionem. Vnde 1 Corinth. 9. cum de potestate viuendi ex euangelio loqueretur, subiungit: *Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinimus, ne quod offendiculum demus euangelio Christi*. & Actor. 20. ad presbyteros Asianæ ecclesiæ, *Ipsi sciatis, inquit, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos*. Cum ergo dicit, *quales fuerimus &c.* significare vult humilitatem conuersationis suæ tantam, ut, immemor iuris ac potestatis suæ, cum labore & fatigatione manibus operaretur; scilicet ut a gratuito doctore commendabilius redderetur euangelium.

6 ET VOS IMITATORES NOSTRI FACTI ESTIS ET DOMINI. Redit ad laudem Thessalonicensium, id agens ut laudata virtus crescat. *Et vos*, inquit, non solum credidistis euangelio, quod vobis prædicaui; verum etiam facti estis imitatores mei, apostoli vestri; imò, quod amplius est, *etiam Christi Domini*. Hoc addit ne arrogantius dixisse videretur, *nostri*. Sic 1 Cor. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Sed qua in re Thessalonicenses dicat sui & Christi imitatores factos, declarat parte sequenti;

EXCIPIENTES VERBUM IN TRIBVLATIONE MVLTÆ, CVM GAVDIO SPIRITVS SANCTI. In eo, inquit, imitatores, quod sicut Christus Dominus & nos eius apostoli, propter euangelium a nobis prædicatum, multa mala ab infidelibus Iudæis passi sumus; ita & vos, propter euangelij verbum a vobis fide susceptum, multam a vestris ciuibus afflictionem passi estis: Quæ tamen non obstante suscepistis euangelium, non quo-

modo-

modicumque, sed cum gaudio Spiritus-san-
cti, id est, cum gaudio spirituali; quod in
vobis excitavit amor Christi & spes gloriae
promissae; iuxta illud, *Spe gaudentes*, Rom.
12. Quid & à quibus euangelij causa passi
fuerint Thessalonicenses, docet Actorum
historia cap. 17. quod & infra capite 2 huius
epistolae clarioribus verbis apostolus repe-
tit, inquiens, *quia eadem passi estis & vos à
contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudaeis, qui
& Dominum occiderunt, & nos persequuntur.*
Ecce, quomodo Thessalonicenses imitatores
Domini & apostolorum.

7 **ITA UT FACTI SITIS FORMA OMNI-
BUS CREDITIBUS IN MACEDONIA ET
IN ACHAEA.** *Forma*, id est, exemplum,
quomodo legit Ambrosianus. Sensus est:
Adeo ut fueritis exemplo omnibus qui per
Macedoniam & Achaeam crediderunt in
Christum. Quamuis enim quidam illorum
ante eos credidissent, ut Philippenses; pote-
rant tamen omnes ab ijs accipere exempla
constantis & alacris fidei, promptique animi
ad pericula pro fide subeunda. Cum Mace-
donia Achaeam nominat, ut regionem vici-
nam; in qua erant Athenae, & Corinthus, ex
qua hanc scribit epistolam.

8 **A VOBIS ENIM DIFFAMATUS EST SER-
MO DOMINI, Diffamatus**, id est, divulga-
tus; cum aliqui diffamare apud Latinos
ferè in sinistram partem accipiatur. Cate-
rùm Græca vox significantior est, & ad am-
plificandam sententiam aptior: significat
enim *personare*, id est, longè lateque sonare;
ut sensus sit: Nam à vobis, velut si-
gno dato, quaquaversum personavit sermo
Christi Domini, id est, verbum euan-
gelicum; ut mirum non sit quod dico,
vos factos esse formam omnibus creden-
tibus.

10 **NON SOLVM IN MACEDONIA ET
ACHAEA, quas modò nominavi; In Mace-
donia**, inquam, in qua vos estis; & *in Achaea*,
in qua ego sum;

**SED IN OMNI LOCO FIDES VESTRA
QUAE EST AD DEVM, PROfecta est.**
Græcè & Syriacè, *Sed & in omni loco fides
vestra qua ad Deum est, exiuit.* Coniunctio-
nem addunt etiam nonnulla Latina, qui-
bus accedit editio Clement. nec non Am-
brosianus; qui sic legit, *Sed & in omnem
locum &c.* Nec tamen apostolus scripsit, *in
omnem locum*, quod Grammatica lex vide-
batur exigere, sed, *in omni loco*; propter id
quod precesserat, *in Macedonia & Achaea.*
Sensus: Verum etiam in omnem locum fides
vestra, qua ad Deum conuersi estis (id e-
nim paulò post exprimit) emanauit, proces-
sit, peruenit; id est, rumore perlata est. Quod
dicit, *in omni loco*, vel, *in omnem locum*; hy-
perbole est, quasi diceret, latissimè innotuit,
ad plurima loca divulgata est.

**ITA UT NON SIT NOBIS NECESSÉ
QUICQUAM LOQVI.** Id est, ut nobis

non sit opus apud alios exponere ac referre
quantum apud vos fructum fecerit semen
verbi Dei; iam enim fama sermonem nostrum
percurrit. Vnde sequitur,

9 **IPSI ENIM DE NOBIS ANNUNCIANT,
QVALEM INTROITVM HABVERIMVS AD
VOS.** Nam, inquit, illi quibus eramus lo-
cuturi de vobis, (id enim subauditur) prio-
res de vobis loquuntur, nosque præue-
niunt; annunciantes qualem ingressum ad
vos habuerimus, videlicet haudquaquam
inanem, ut dicitur initio sequentis capi-
tis, sed cum multo fructu fidei vestrae
coniunctum, iuxta id quod exponendo
sequitur,

**ET QVOMODO CONVERSI ESTIS AD
DEVM A SIMVLACRIS.** Id est, quanto stu-
dio & promptitudine, per nostram prædica-
tionem, conuersi sitis à cultu simulacrorum
ad Deum colendum. Docet hic locus, æ-
què atque innumera alia scripturae testi-
monia, gentiles verè simulacra, quæ Græ-
cè vocantur idola, pro Dijs coluisse;
quod in odium sacratum imaginum, quas
Christiani veneramus, impudenter negant
hæretici.

SERVIRE DEO VIVO ET VERO. Græcis-
mus hoc modo reddendus. *Ita ut seruiretis
Deo viventi* (sic enim Græcè est) & *vero.*
quod Erasmus & alij quidam minus rectè
vertunt, *veraci.* Dixit enim apostolus, *vi-
uo seu viventi* ad differentiam simulacro-
rum, quæ non viuunt, cum sint lignea,
lapidea &c. Dixit autem, *vero*, ad diffe-
rentiam eorum qui viuunt quidem aut vi-
xerunt aliquando, sed falso nomine dij vo-
cantur, ut pote diuinitatis nihil habentes;
quales erant demones, & qui ex hominibus
in Deos relati. Porro, seruitus hæc ea intelli-
gitur quæ soli debetur Deo.

**ET EXPECTARE FILIUM EIVS DE CÆ-
LIS, QVEM SVSCITAVIT EX MORTVIVS, IESV-
VM.** Id est, & ut filium eius Iesum, quem
à morte suscitavit, spe certa expectaretis
de cælo venturum, scilicet fidei vestrae re-
muneratorem; qui vos ad eandem secum
gloriam assumeret. veluti plenius explicatur
infra cap. 4. Videri potest apostolus hoc di-
cere sub eorum persona qui viui reperientur
in terris, quando filius Dei ad iudicium ve-
niet; Nam sancti cum Christo regnantes
non eum de cælis expectabunt, sed venien-
tem comitabuntur iuxta illud, *Ecce Domi-
nus veniet, & omnes sancti eius cum eo.* Sed quia
necesse est animas beatas corpora sua quæ
in terris sunt, prius resumere, quam ip-
sum iudicium fiat; hac ratione potest intelli-
gi quod dicuntur Thessalonicenses & om-
nes sancti expectare filium Dei de cælis: om-
nes enim de terra resurgent, Christo iudici
obuiam ituri.

QVI ERIPVIT NOS AB IRA VENTVRA.
Græcè participium præsentis temporis, *eri-
piemem*, id est, qui eripit, uti textus habet

Ambro-

Ambrosianus. Et sensus est: Qui nos liberat à
pœna damnationis æternæ, quæ superventu-
ra est impijs & infidelibus. de qua clarius ac
terribilius loquitur in secunda ad Thessalo.
cap. 1. Ea pœna vocatur *ira*, per metonymi-
am, qua vel causa pro effectu, vel signum
pro re significata ponitur; cū alioqui propriè
ira in Deum non cadat. *Eripit autem nos*, id
est, electos suos, Christus ab æterna damna-
tione etiam nunc in præsentem, quatenus eos
per beneficium redemptionis suæ, durante
hoc sæculo, eripit è potestate diaboli.
Quamquam Theophylactus eam liberatio-
nem non malè refert ad ipsum tempus Chri-
sti iudicis venientis; Idem enim iudex malos
perdet, & bonos à perditione eripiet, imò &
præmijs afficiet. Hunc sensum facilè admit-
tit Græca lectio, præsertim si participium ita
exponas, *Eripientem*, id est, qui eripiat. Quã-
uis autem pro *ventura*, sit in Græco partici-
pium præsentis temporis *ἐρχομαι*; rectissime
tamen per futurum vertitur. Nam ut aliàs
admonui, verbum *ἐρχομαι* ita passim vsurpa-
tur in sacris literis ut futurum tempus res-
piciat.

S V M M A R I V M.

Commemorat quàm sincerè euangelium ip-
sis predicauerit, nolens interim illis esse oner-
osus, & sanctè apud eos conuersatus: commen-
dat eorum obedientiam, ad suscipiendum; &
constantiam, ad retinendum euangelium.

C A P V T II.

NAM IPSI SCITIS, FRATRES, IN-
TROITVM NOSTRVM AD VOS,
QVIA NON INANIS EVIT. Quo
sensu dicat introitum suum ad
Thessalonicenses non inanem fuisse; variant
interpretes; Nam Chrysostomus & Theo-
phylactus ita intelligunt, Non fuit leuis
aut vulgaris, sed difficilis ac periculorum
plenus. Oecumenius ad hunc modum:
Non fabulæ, non mendacia, non nugæ
fuerunt nostræ prædicationes. Alij verò sic
exponunt: Non fuit inanis, id est, fructu
vacuus, sed valde fructuosus. Qui sensus
optimè responderet superioribus; q. d. Sed quid
opus ut vobis referam quid alij loquantur de
meo ad vos accessu, quam prosperum suc-
cessum habuerit; cum ipsimet probè scia-
tis, quòd non inanis fuerit, sed fructu re-
dundans fidei ac patientiæ vestra? Sic &
alibi inane apud apostolum accipitur. ut 1
Cor. 15, *Inanis est ergo prædicatione nostra; ina-
nis est & fides vestra.* & ibidem, *labor vester
non est inanis in Domino.* Et in hac rursus e-
pistola capite sequenti, *Ne fortè inanis fiat
labor noster.* His enim locis inane dicitur,
quod vtilitate, fructu, mercede caret. Sed

qui id hoc loco aliter exponunt, ea ratio-
ne moti videntur, quòd verba subsequen-
tia non sonent fructum aut successum a-
postolicæ prædicationis, sed ipsius apostoli
pericula & doctrinae eius sinceritatem. Ve-
rùm hoc eos fallit, quòd existiment aposto-
lum verbis proximè sequentibus explicare
quomodo introitus eius ad Thessalonicen-
ses non fuerit inanis; prius enim adfert &
commemorat media quædam præclara, ceu
causas, quibus vii solet Deus ad fructum
efficiendum apud eos quibus euangelium
prædicatur. Ea sunt afflictiones & persecu-
tiones eius qui prædicat, doctrinae & do-
ctoris integritas, studium gloriae Dei, non
autem sui ipsius; amor salutis eorum quibus
verbum annunciat, & cautela ne sumptu
grauentur aut offendantur; denique labo-
ris assiduitas in prædicando, exhortando,
consolando. Post hæc omnia; resumit &
explicat quòd dixerat, introitum suum ad
Thessalonicenses non inanem fuisse sci-
licet ibi: *Idco & nos gratias agimus Deo.*

2 **SED ANTE PASSI ET CONTVMELIIS
AFFECTI, SICVT SCITIS, IN PHILIPPIS.**
Hæc Paulus de se & Sila commemorat; qui,
cum prædicassent Philippensibus euan-
gelium, occasione Pythonissæ à se curata,
grauem persecutionis impetum passi sunt,
& publicè virgis cæsi (id enim est quòd di-
cit, *contumelijs affecti*) ac postea in carce-
rem coniecti; quemadmodum refertur
Act. 16.

**FIDVCIAM HABVIMVS IN DEO
NOSTRO LOQVI AD VOS EVAN-
GELIVM DEI, IN MVLTIS SOLICI-
TVDINE.** Græcè *in multo agone*, id est,
certamine. Quòd autem vertit interpre-
s, *fiduciam habuimus*, in Græco est vnum ver-
bum apostolo frequens, quòd significat au-
dacter & intrepidè agere quippiam. Am-
brosianus sicut alibi, ita & hic circumloquitur
hoc modo: *Exserta libertate ausi sumus.* Sen-
sus est: Sed cum paulo antè Philippis graui-
ter exagitati & contumeliosè tractati esse-
mus; tamen, in Deo nostro confisi, sumi-
mus audaciam vobis quoque prædicandi
ipsum euangelium, quamuis cum multo
certamine, id est, labore ac difficultate,
propter aduersarios qui tumultum populi
contra nos concitabant. Quin potius ea res
animum & fiduciam nobis adauxit, quòd
sciremus ita Deo visum esse, ut euangelium
eius absque præiis huiusmodi periculis &
persecutionibus non fructificet. De hoc
certamine consule historiam Act. 17. Por-
rò rationem fiduciae atque ex ea boni
successus continent ea quæ sequuntur.

3 **EXHORTATIO ENIM NOSTRA
NON DE ERRORE NEQVE DE
IMMVNDICIA, NEQVE IN DO-
LO.** Pro, *de*, Græcè est, *ex*, ut non
tam materia exhortationis quàm ani-
mus & ingenium exhortantis significetur,

O

quem-

quemadmodum significatur vltima parte, neque in dolo, quamuis ex consequenti intelligatur etiam materia exhortationis seu doctrinae. Consonat Græcis Ambrosianus qui ita legit: *Nam exhortatio nostra non ex fallacia neque ex immundicia* &c. Vbi rectè pro, errore, fallacia legitur, quam, *imposturam* vertit Erasmus; quia Græca dictio *πλάσι* significat errorem vt est decipientis & fallere volentis. Vnde Græcis impostores *πλάσι* vocantur. Sensus: meritò cum libertate & fiducia quam in Deo nostro habebamus, prædicauimus vobis, tanquam nobis optimè conscijs; quia doctrina nostra non est fallax, non sumus impostores, non docemus errores, quemadmodum philosophi gentiles, neque ex impuro ac libidinoso pectore doctrina nostra procedit, aut immundum ac turpe aliquid tradit, velut illa Simonis magi; Nec denique cum dolo & astu coniuncta fuit prædicatio nostra, quasi in tradendo euangelio non Christi gloriam neque salutem vestram, sed lucrum & gloriam nostram spectaremus; quemadmodum Iudæi pseudapostoli. Nam eiusmodi, inquit de ijs 2 Cor. 11. *sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.*

SED SICVT PROBATI SUMVS A DEO, VT CREDERETVR NOBIS EVANGELIUM, ITA LOQVIMVR. Id est; Sed sicut habitus fuimus à Deo fideles, integri & sinceri, quibus vt ministris suis committeret euangelium prædicandum; ita cum omni fide, sinceritate & integritate illud prædicamus. Simile est illud 1. Tim. 1 *Quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio.* De hac integritate doctrinae ac ministerij sui multa in 2. ad Cor. atque imprius illud capitis secundi: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Vnde & hic sequitur;

NON QVASI HOMINIBVS PLACENTES, SED DEO, QUI PROBAT CORDA NOSTRA. Explicatio est sinceritatis animi, Non, inquit, loquimur velut hominibus placere studentes, & per hoc eorum affectibus & cupiditatibus doctrinam nostram accommodantes, vt pseudapostoli faciunt; sed Deo cupientes placere, cuius in euangelio prædicando ministri sumus, & quem fallere non possumus, vt pote cordium nostrorum inspectorem & exploratorem. Sic ad Gal. 1 *An quero hominibus placere? si adhuc hominibus placere, Christi seruus non essem.*

NEQVE ENIMALIQVANDO FVIMVS IN SERMONE ADVLATIONIS, SICVT SCITIS. Pergit suam & collegarum suorum in euangelio tradendo sinceritatem declarare: Nunquam, inquit, studium nobis fuit vobis assentari; non fuimus vobis locuti placencia, sed vtilia; quemadmodum ipsi notis ac testari potestis.

NEQVE IN OCCASIONE AVARICIA: DEVS TESTIS EST. *Occasionem auaricia* vocat occasionem ad auari-

ciam explendam, siue ad ea consequenda circa quæ versatur auaricia. Sensus est: Sub occasione euangelij ac titulo Christi non quæsiui lucrū meū priuarum; atque huius rei Deum testem inuoco. est enim iuramentū; *Deus testis est.* Non hic dicit vt in priori parte, *sicut scitis*, quia quod non esset ijs assentatus, ipsi Thessalonicenses testari poterant: quod autem priuata commoda non spectasset, cum ea res sit intentionis animi, non perinde hominibus notum esse poterat; Idcirco Deum adhibet testem.

6 NEC QUÆRENTES AB HOMINIBVS GLORIAM, NEQVE A VOBIS, NEQVE AB ALIIS. Primo loco est præpositio *ē* in Græco *ex hominibus*; vt hic videatur esse sensus: Nec fuimus aliquando quærentes gloriam quæ ex hominibus est; id est, expetentes gloriam humanam, neque à vobis, neque ab alijs quibuscunque. Obliquè notat vicia pseudapostolorum, & carnalium verbi Dei ministrorum; quæ sunt hominibus placere & assentari, quæstū ex euangelio venari, gloriam suam quærere.

7 CVM POSSEMVS VOBIS ONERI ESSE, VT CHRISTI APOSTOLI. *Vobis* in Græco & Syriaco non est; Legunt autem hoc modo Græca *potentes*, id est, cum possemus, in onere esse velut Christi apostoli. Nonnulla etiam mss. pronomen non habent. Nostra lectio postulat hunc sensum: *Cum possemus*, id est, potestatem & ius haberemus onerandi vos sumptu sustentationis nostræ, sicut habent apostoli Christi; quibus scilicet dedit illam potestatem, quando ordinauit ijs qui euangelium annunciant de euangelio viuere, vt refert 1 Cor. 9. Vnde & ibidem ait: *Non sum apostolus? nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi, sicut & ceteri apostoli?* &c. Hic sensus est Latinorum; fauentque & hæc eiusdem apostoli loca 2 Cor. 11 *cum essem apud vos & egerem, nulli onerosus fui.* & rursum: *In omnibus sine onere me vobis seruari & seruo.* & cap. 12 *Ego ipse non grauavi vos.* & iterum, *Non ero grauis vobis.* Quæ omnia procul dubio dicta sunt de grauamine sustentandi prædicatoris euangelici. Quod pertinet etiam illud quod in hoc capite paulo post sequitur, *Nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.* Quod & repetit in secunda epistola ca. 3. Obserua quoque iuxta datam expositionē Paulū dissimulare se esse apostolū Christi; Nō enim dicit, *sicut ceteri apostoli Christi*, quemadmodum dixit ad Cor. seipsum & Barnabam in nomine apostolorum volens comprehendere; sed, *sicut apostoli Christi*; quasi ipse ex eorum numero non esset. Vnde & ob hanc fortasse causam in capite epistolæ non se apostolū nominauit; nōdum enim necessitas auctoritatis suæ tuēdæ ipsū eō cōpulerat. Quāquā hoc quod dicit, *vt Christi apostoli*; potest accipi dictū non per similitudinē, sed per veritatem, hoc scēlu; vt pote qui sumus Christi apostoli. Porro Græci suā lectionē malūt hoc modo exponere (quomodo vertūt etiā Erasmus

& Hentenius) *Cum possemus in auctoritate esse tanquam Christi apostoli.* Consonat Ambrosianus textus, qui sic habet: *Cum possemus apud vos in honore esse vt Christi apostoli.* Non quod Græca vox propriè honorem vel auctoritatem significet; sed quia viris honore & auctoritate præstantibus, grauitas metaphoricè solet ascribi. Sequitur hanc interpretationem Caietanus; & pro ea facit contextus orationis apostolicæ: *Non quærentes ab hominibus gloriam, etsi possemus esse in auctoritate & honore.* Nam secundum priorem sensum pars hæc cum superiori non videtur coherere. Veruntamen cum dictio Græca nusquam alibi, ne metaphoricè quidem reperiatur auctoritatē significare, cumque toties alibi apud apostolum hæc voces, onus & onerare seu grauare referatur ad grauamen sustentationis; fit vt prior sensus, quem & Græci ita proferunt vt non reiciant, videatur præferendus. Nec verò incommodum habet cum præcedentibus connexionem; potest enim referri ad illud quod dixerat, *neque in occasione auaricia*; q. d. adeo non vertimus euangelium in occasionem auariciæ, vt nec vitæ necessaria à vobis acceperimus, cum alioqui iure apostolico possemus vobis oneri esse.

SED FACTI SUMVS PARVULI IN MEDIO VESTRVM. Variant hęc Græci codices, occasione affinitatis dictionum *ἡμῶν* & *ἡμῶν*; quarū prior in paucioribus est Græcis, & paruulos significat; posterior in cōpluribus, & significat lenes, mites, placidos. Hæc apud Chryostomum est, illa apud Oecumenium, vtramque Theophylactus attingit. Syrus interpres vertit, *humiles.* Latina quoque mss. *lenes* legunt, & Erasmus, *placidos*, vertit. Atqui vocabulū *ἡμῶν*, id est, paruuli, multò est vsitatius in sacris literis. Quod verò ad sensum attinet, non admodum refert, vtrum legatur; cum in euangelio paruuli nobis in exemplum humilitatis ac lenitatis à Christo proponantur. Potest igitur hic reddi sensus: Cùm apud vos essemus; nec opes nec gloriam quæsiuimus, sed fuimus inter vos paruuli, id est, humiliter ac submissè nos gerentes; itē que lenes ac placidi; nec auctoritatē præferentes, nec allegates potestatem.

TANQVAM SINVTRIX FOVEAT FILIOS SVOS. Id est, more matris prolem nutriens; quæ paruulo fit paruula, dum se ei quodammodo coæquat, eiusque moribus assimilat, blandiens non imperans. Ita nos, inquit, vt vestram promoueremus salutem, per omnia nos vobis accommodauimus, neque ius nostrum neque imperium videntes; sed contrà potius, nos totos vobis effundentes. Sic enim comparationem explicat ipse apostolus verbis sequentibus.

ITA DESIDERANTES VOS, CVPIDE VOLEBAMVS TRADERE VOBIS NON SOLVM EVANGELIUM DEI, SED ETIAM ANIMAS NOSTRAS. *cupidè* non est in Græco, sed ab interprete additum explendi sensus gratia; potestque referri vel ad participium præce-

dens, vel ad verbum subsequens. Quod posterior magis apparet. Nam pro eo quod est cupidè velle, textus Ambrosianus habet, *cupere*, & Græca vox passim in scripturis significationem habet animi propensi, ac præcipui cuiusdam affectus. Sensus est: Ad eum modum nos amantissimè affecti erga vos, ex animo cupiebamus vobis non solum imperitare doctrinam euangelicam, verum etiam vitam nostram impendere. De vocabulo Græco quod interpres noster vertit, *desiderantes*, consule Theophylactum qui diuersum verbum vnâ literâ mutatâ, legendum putat, eiusque significationem exponit.

9 QVONIAM CARISSIMI NOBIS FACTI ESTIS. Græcè, *propterea quod dilecti nobis facti estis.* q. d. id volebamus, non quod à vobis quicquam speraremus præmij, sed quia vos ex animo diligebamus. hoc autem confirmat sequentibus verbis,

MEMORES ENIM ESTIS FRATRES LABORIS NOSTRI ET FATIGATIONIS. Intelligit opus manuum, quod cum labore & fatigatione exercebat, victus quærendi causa, ne Thessalonicenses sumptu grauaret, quod sanè maximi erga eos amoris indicium erat.

NOCTE ET DIE OPERANTES, NE QVEM VESTRVM GRAVAREMVS; PRÆDICAVIMVS IN VOBIS EVANGELIUM DEI. In Græco melius coheret oratio, *Nocte enim & die operantes* &c. nec est, *in vobis*; sed *eis vobis ad vos*, id est, erga vos; tamen Erasmus vertit, *apud vos*, minus rectè. Nam sensus est: vobis ac pro vestra salute prædicauimus euangelium Dei; nihil tamen à vobis accipientes, ne quem vestrum grauaremus, sed opere manuum nos transigentes. Quod autem dicit, *nocte & die*, assiduitatem operandi significat, quemadmodum alibi sepe ea phrasis accipitur in scriptura, in qua etiam nox plerumque ante diem nominatur, propterea quod in mundi creatione nox diem præcesserit. Vnde & Hebræi diem naturalem à nocte incipiunt. Quamuis autem apostolus à Thessalonicensibus nihil acciperet, sed apud eos manibus operaretur; accipiebat tamen agens Thessalonicæ ea quæ mittebantur à Philippensibus; sicut ipse testatur Philip. 4 dicens: *quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.* Id autem hic non commemorat, ne Thessalonicenses pudore grauaret. Nam sicut ea res pertinebat ad laudem Philippensium, ita vergebat non nihil in vituperium Thessalonicensium.

10 VOSTESTES ESTIS ET DEVS. Id est, vof ipsos huius rei quam dicturus sum, testes appello; Imò & Deum aduoco testem. Iuramentum est hac posteriori parte.

QVAM SANCTE ET IVSTE ET SINE QVERELA VOBIS QUI CREDIDISTIS FVIMVS. Pro quo legit Ambrosianus, *Vobiscum qui creditis conuersari sumus.* Græcè *πιστευουσιν.* Quamquam id etiam ad præteritum extenditur, propter verbum, *fuimus*, à quo dependet. Quod ait *sanctè*, ad mundiciem

vita' atque doctrinae pertinet; quod *in* *ste*, iniurijs & exactionibus opponit; quod addit, *sine querela*, Græcè inculpate, irreprehensibiliter, significat etiam infirmorum of- fendicula se diligenter vitasse.

SICVT SCITIS QUALITER VNVMQVE- QVE VESTRVM. Non sine causa iam toties repetit scire Thessalonicenses vera esse quæ dicit; nullum enim certius testimonium quam eorum experientia quibuscum lo- quimur.

SICVT PATER FILIOS SVOS, Paulò ante comparauit se nutrici seu matri fouenti filios suos; nunc se comparat patri, filios suos instituenti.

DEPRECANTES VOS ET CONSOLANTES, TESTIFICATI SVMVS. In Græco sententia est imperfecta, *Obsecrantes* siue *exhortantes* vos & *consolantes* & *testificantes* siue *conferentes*. Noster interpres vt absolutam redderet orationem, vltimum participium abiecta cõ- iunctione mutauit in verbum, *testificati sumus*. Potest & aliter suppleri sententia, si verbum, *fuius*, superius positum, repeta- mus, ad hunc modum: Qualiter vnumquæ- que vestrum, veluti pater filios suos, fuius obsecrantes vos &c. Vbi & pleonasmus est in vocabulo *vos*, cum sufficeret dixisse, *vnumquemque vestrum*. Est autem hic sensus: Prout nostis, quemadmodum vnumquem- que vestrum perinde vt pater filios suos, cum precibus exhortati fuimus ad fidei perse- uerantiam, & consolati super afflictione pro- pter euangelium exurgente: denique cõtesta- ti sumus de eo quod sequitur;

VT AMBVLARETI DIGNE DEO. Id est, vt conuersaremini sicut decet cultores ac seruos Dei. Doctrinam hanc sanctæ conuersationis repetit ac pluribus tradit cap. 4.

QVI VOCAVIT VOS IN SVVM REGNVM ET GLORIAM. *vocauit* per fidem & bap- tismum. Nam efficax intelligitur vocatio, qua facti fideles incorporati fuerant ecclesiæ, quæ est regnum Dei; & futuræ gloriæ pignus ac- ceperant Spiritum sanctum. *Gloria* mentio- nem adiungit, vt eos inter afflictiones ani- met, & spe præmij corroboret ad perseueran- tiam conuersationis Deo dignæ.

IDEO ET NOS GRATIAS AGIMVS DEO SINE INTERMISSIONE. Græcè, *indefinenter*, id est, assidue. Quod initio capituli dixerat, *introitum suum ad Thessalonicenses non inanem fuisse*; id nunc, post multa de suo erga eos of- ficio interposita, declarat, gratias agens Deo pro beneficio tam boni successus.

QVONIAM CVM ACCEPISSE- TIS A NOBIS VERBUM AVDITVS DEI. In Græco hic est ordo: *Quod cum accepistis verbum auditus a nobis, Dei*, id est, verbum Dei quod audieratis a nobis, quod nos vobis prædicauimus. *verbum Dei* vocat euangelij doctrinam ab ipso Deo traditam, siue ea scripto mandata sit, siue non. Cum enim hæc sit epistola Pauli omnium pri-

ma; nondum vtique literis consignauerat ver- bum quod prædicabat. Notandum id con- tra hæreticos, nullum Dei verbum præter id quod scriptum est, agnoscetes.

ACCEPISTIS ILLVD NOM VT VERBUM HOMINVM, SED (SICVT EST VERE) VER- BVM DEI. *Accepistis*, in Græco aliud est verbum à præcedenti, & significat, *susccepistis*; quæadmodum vertit interpres Ambrosianus. Quâuis autè in Græco nō addatur vocula *vt*; omnino tamen subaudienda est; Nā & Am- brosius eam legit, atque etiam in altero membro repetit, *vt verbum Dei*. Breuiter, sensus est: Credidistis ei, tanquam verbo Dei. quicumque enim euangelio credūt sicut oportet, id est, fide Christiana; suscipiūt ver- bum Dei quale reuera est, nempe vt verbum Dei, id est, vt verbum quod Deus ipse lo- cutus est: qui cum sit prima veritas; nec fal- li potest, nec fallere. Qui autem non ita cre- dunt; accipiunt vt verbum hominum, id est, vt dubium, aut vt probabile tantum, aut vt humana solum ratione vel autoritate firma- tum; quomodo recipiuntur placita philoso- phorum; in quibus non est certissima veri- tas, quia omnis homo mendax. Vnde Dauid dicebat ad Saul: *Quare audis verba hominum, loquentium, Dauid querit malum aduersum te?* 1 Reg. 24. Hic locus docet proprium obiectū fidei esse verbum Dei, seu veritatem primā hominibus loquentem. ostendit quoque, fidem, id est, assensum quo suscipitur verbum Dei, esse opus gratiæ diuinæ; id enim mani- feste conuincit gratiarum actio.

QVI OPERATUR IN VOBIS QVI CREDI- DISTIS. Græcè, *Qui operatur in vobis credē- tibus*. Quod tamen ad præteritum referri po- test; vt rectè noster interpres verterit, *qui cre- didistis*; quomodo legit etiam Ambrosianus. Apud quem tamen non est, *qui operatur*, sed *quod operatur*; quomodo legit & Aug. de præ- dest. sanct. c. 19. vt relatiuum respiciat ver- bum Dei, non Deum; cum Græca relatio ambigua sit. Rectius autem, *quod operatur*; idque significatione passiuæ: Nam in Græco verbum est, *ἐνεργεῖται*, quod nunquam acti- uè sumitur. Itaque sensus est: Quod verbum agitur, exercetur, incitatur (nimirum agente Deo) in vobis qui credidistis; id est, qui illud velut semen quoddam fructiferum fide susce- pistis; agitur autem ad omne genus piarum actionum. Loquitur apostolus, vt sæpe alibi, de verbo credito, id est, de fide ipsa; Nā *fides per charitatē operatur*. Gal. 5 In cuius etiā loci cõmētatio, vim Græci verbi lati⁹ exposuimus.

VOS ENIM IMITATORES FACTI ESTIS, FRATRES, ECCLESiarVM DEI QVÆ SVNT IN IVDÆA, IN CHRISTO IESV. Ex hoc, inquit, liquet verbum Dei operatum esse in vobis, quia facti estis imitatores ecclesiarū Dei Christianarū quæ in Iudæa sūt. addidit e- nim, *in Christo Iesu*, ne quis Iudæorū synago- gas hinc suspicetur. Nā de ecclesijs loquitur Iu- dæorū qui erāt primitiæ credentiū; ac præcipue

de ecclesia

de ecclesia Ierosolymitana, quemadmodum patet ex sequentibus.

QVIA EADEM PASSI ESTIS ET VOS A CONTRIBVLIVS VESTRIS, SICVT ET IPSI IVDÆIS. Græcè est, *à proprijs contri- bulibus*. Intelligit autem non tam eiusdem tribus homines, quam eiusdem gentis aut ciuitatis. In qua generali significatione etiam Terentius vti est. vocabulo *tribulis*. Vnde Ambrosianus legit, *conciubus*. Com- memorat autem apostolus in quo facti fue- rint Thessalonicenses Iudæarum Dei eccle- siarum imitatores, scilicet in eo quod à suis ciuibus, propter verbum Dei talia passi fuissent, qualia illi à Iudæis. De Iudæorum ecclesijs, quam grauem ab infidelibus Iu- dæis persecutionem passa fuerint, abundè testatur Lucas in Actis; eodemque pertinet quod apostolus ad Heb. scribit cap. 10 *Re- memoramini pristinos dies; in quibus illuminati, magnum certamen sustinistis*, & quæ sequun- tur. De Thessalonicensibus autem quod non solum à Iudæis verum etiam à conciubus suis grauitè infestati fuerint, significat locus ille Act. 17. *Zelantes autem Iudæi; assumentesq; de vulgo viros quosdam malos, & iurba facta concitauerunt ciuitatem* &c. Nam eò respicit ap- postolus.

QVI ET DOMINVM OCCIDERVNT IESVM ET PROPHETAS. Græcè, *& proprios prophetas*. Similiter Ambrosianus. Quæ lectio vehemē- tior est, magisque facit ad exaggerandam Iu- dæorum persecutorum maliciam. Continet autem hæc digressio consolationem Thessa- lonicensium, apud quos, vt ex loco Act. pro- ximè citato liquet, Iudæi fuerant authores & incentores persecutionis aduersus eos. com- motæ. q. d. apostolus. Quid mirum, si vos persecuti sint Iudæi; quādo & Christum Do- minum occiderunt, nec à proprijs & dome- sticis suis prophetis manus impias abstinue- runt. Quin potius consolamini vos, & gratu- lamini vobis, ob societatem passionum Chri- sti & prophetarum eius. Occiderunt autem Christum Iudæi, non suis manibus ei mortem inferendo, (id enim iussu Pilati prædis, mili- tes eius gentiles fecerunt) sed, quod deterius est, ex odio atque inuidia tradendo, accusan- do & postulando ad mortem. Vnde ait ipse ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, maius pecca- tum habet Iō. 9.* Occiderunt ergo voluntate, & impulsu suo, licet manibus alienis. Vnde & Petrus ad illos Act. 3 *autorem vite inter- fecistis*. & Stephanus Act. 7 *Cuius vos nunc prodire et homicida fuistis*. Iesum vocat ap- postolus Dominum, vt alibi; ratione redem- ptionis qua nō sibi vt seruos vendicat. quan- quam & verè dicitur quod *Deum* occiderunt; propter cõmunionē idiomatum vtriusque in Christo natura. Non quidē verisimile est Iu- dæos quos Paulus infellos sibi & ecclesiæ sen- tiebat, fuisse ex ijs ipsis qui Christum postula- uerant ad necem; fluxerant enim iam à morte Christi septemdecim anni plus minus; sed e-

rant eiusdem gentis, & in facinus illorum hi expressè consentiebant, dicentes bene & iu- ste factum esse. *Prophetas autem occidisse* dicū- tur, quia patres ac maiores eorum, à quorum moribus & ingenio non recedebant, illos oc- ciderant; ipsi quoque patrum suorum socij in sanguine prophetarum futuri, si in diebus eo- rum fuissent. Argumento est quod Christum & apostolos, eadem quæ propheta prædicā- tes, occiderint, patrum suorum mensuram implentes, vt dicitur Matth. 23. Erat ergo cõ- sensus & cõmunio sceleris atque maliciæ inter ipsos & patres eorum.

ET NOS PERSECVTI SVNT; Christi apo- stolos ac ministros,

ET DEO NON PLACENT. Imò magnope- re displicent atque exosi sunt, grauissimè ab eo puniendi; tantum abest vt Deo placeant, & obsequium ei præstent, sicut ipsi arbitran- tur. Est igitur hypote, qua minus dicitur quam significatur.

ET OMNIBVS HOMINIBVS ADVERSAN- TVR; siue quia seditiosum erat hominum ge- nus, quodque ceteras gentes præ se contem- neret; siue quia salutis generis humani, per in- uidiā & maliciam, obstabant, velut cõm- munes orbis terrarum hostes: iuxta id quod sequitur,

PROHIBENTES NOS GENTIBVS LOQVI VT SALVÆ FIANT. Id est, impediētes nos quantum in ipsis est, ne gentibus annuncie- mus euangelium salutis. Ea res clara est ex Actis apostolorum.

VT IMPLĒANT PECCATA SVA SEMPER. *Vt* consecutiua particula est, non causalis. Græcè *eis tō ἀναπληρώσαι* &c. q. d. Atque ita, dum peccare non desinunt, semper peccata peccatis accumulānt, donec tandem implēant eorum mensuram vsque ad sum- mum; quando iam non aliud eis restabit quam terribile iudicium Dei.

PRÆVENIT ENIM IRA DEI SVPER IL- LOS VSQVE IN FINEM. Græcè, *Præuenit autem super eos ira in finem*. Quanquam etiam verti potest, *Præuenit*, vt habet Syriaca trans- latio. Quod verbum & in Latinis quibus- dam legitur; tamen plurimum & anti- quiorum codicum lectio est, *Præuenit*; quam etiam exhibent & exponunt Am- brosius, Anselmus, Hamo & alij qui- dam Latinorum: Estque hoc magis pro- prium & vsitatum Græci verbi significa- tum. Atque eo modo etiam infra accipi- pitur capite 4 huius epistolæ, vbi nos ha- bemus, *Non præueniemus eos qui dor- mierunt*. Multi quoque Latini codices, cum Græcis & Syris autem, non, enim, le- gunt; annuente Ambrosiano textu, qui ha- bet, *sed præuenit*. Sensus igitur est: Cum post hanc vitam sit tempus iræ & vindictæ diuinæ super malos (Vnde canit ecclesia, *Dies iræ dies illa*), in istos tamen, vt in alios quosdam egre- giè malos, ira Dei etiā in hac vita exercetur, & tempus suum quodammodo præuenit; dum

iusto Dei iudicio, propter præcedentia peccata, subinde in alia atque alia grauiora cadere permittuntur: præuenit, inquam, non aliquando cessatura; sed permanens super eos usque in finem, id est, ad extremum usque. Quæ phrasi in scripturis significatur æternitas. Vt psal. 9, bis in eodem versu, *Non in finem obliuio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem.* Hic ergo significatur Iudeorum, tanquam à Deo reprobatorum, iusta derelictio in peccatis; & futura damnatio; quemadmodum & in 2 epistola cap. 2 eorum qui Antichristum sunt recepturi. Loquitur autem apostolus de Iudæis qui illo erant tempore, nec de omnibus ijs; nam & ipse Iudæus erat, & paulo antè laudauerat ecclesias Christianas quæ erant ex Iudæis; sed de populo seu multitudine quæ Christum non recepit; iuxta illud Io. 1 *In propria venit & sui eum non receperunt;* & de cuius infidelitate atque abiectioe latius agit Ro. 9. Quare etiam locus præfens referri possit etiam ad futuras generationes illius populi; non tamen ex eo consequens crit falsum esse quod idem apostolus Ro. 11. docet, quodque ab omnibus ferè patribus traditum est, Israël crediturum & saluum futurum, postquam plenitudo gentium intrauerit. Nam illud, *usque in finem*, non exponimus de consummatione sæculi, quasi ad illud usque tempus ira Dei permanens sit super Iudæos; sed de permanentia iræ diuinæ usque in æternum, super multitudine eorum qui ex illo populo sunt à Deo reprobat.

17 NOS AUTEM FRATRES, DESOLATI A VOBIS AD TEMPVS HORÆ, ASPECTV NON CORDE. Ostendit se inuitum virgine perfectione ab eis discessisse; de quo vide Act. 17. *Desolati*, Græcè *orbati*, vel *exorbati*, ἀπορφωιδέντες, quomodo filius patre, aut pater filijs orbatur. Respicit enim ad id quod supra de se dixit, *sicut pater filios suos.* Nos autem, inquit, ò fratres, orbati vobis tanquam carissimis pignoribus, ad breue tempus, id est, per hanc exigui temporis absentiam; idque dumtaxat aspectu, non corde; vel, vt in Græco & apud Ambrosianum, *facie, non corde;* Nam in corde vos semper circumferimus:

ABVNDANTIVS PESTINAVIMVS FACIEM VESTRAM VIDERE CVM MVLTVO DESIDERIO. Id est, vehementi studio egimus atque operam dedimus cum magno vestri desiderio, vt quàm citissimè faciem vestram videremus; id est, vobis, etiam corpore, præsentès effemus. erat enim apostoli præsentia corporalis, ad eos in fide nuper suscepta confirmandos, non parum necessaria.

18 QVONIAM VOLVIMVS VENIRE AD VOS, EGO QVIDEM PAVLVVS ET SEMEL ET ITERVM. Quoniam, Græcè *Propterea* vel *quapropter*, vt habet Ambrosianus. Quapropter, inquit, eò desiderio impulsus, *voluimus*, id est, omnino statueramus venire ad vos, ac nominatim ego Paulus, qui de meo desiderio ac voluntate certius quam de aliorum testa-

ri possum; atque id voluimus semel & iterum, adornantes professionem. Iuxta hanc expositionem, solum illud, *ego quidem Paulus*, parenthesi claudendum est. Alij etiam id quod sequitur, *& semel & iterum*, ad solum Paulum referunt; quod non est necesse. Græcè legitur, *& semel & bis*, sed bene vertit interpres.

SED IMPEDVIT NOS SATANAS. Id est, aduersarius, nimirum diabolus, qui in scripturis per antonomasiam Satanas appellatur. Alibi dicitur impeditus seu prohibitus à Deo, vt Act. 16, *Detati sunt*, inquit Lucas, à Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Et rursum, *Tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* prohibebantur enim occulta Dei suggestione, ne ea loca adirent ad prædicandum euangelium. Hic verò dicit se impeditum à Satana; quia mali homines instigante Satana progressum euangelij impediebant; vel insidias apostolo struètes in via, vel turbas aduersus eum passim in ciuitatibus suscitantes, vel alia quæcumque obstacula studiosè ac maliciosè obijcientes.

19 QVÆ EST ENIM NOSTRA SPES, AVT GAVDIVM, AVT CORONA GLORIÆ? Sensus est: Non abs re tantopere vos amo ac desidero, utpote qui sitis spes nostra, id est, spei nostræ materia; quia pro fructu quem apud vos feci, præmium à Domino accepturum me spero. Et *gaudium nostrum*, quia de vestra salute, quam per me Deus operatur, mirificè gaudebo in aduentu Christi, quando mihi dicturus est: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Et *corona gloriæ*, vel vt in Græco, *gloriationis*, quia pro labore prædicationis, qua vos ad Christum adduxi, coronam ab eo quum venerit, expecto, de qua propter vos gloriabor. Totam hanc partem referimus ad futurum tempus aduentus Christi; nam id postulat interrogatio subiuncta.

NONNE VOS ANTE DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM ESTIS, IN ADVENTV EIVS? Id est, nonne vos estis spes nostra & gaudium nostrum & corona gloriæ coram Domino nostro Iesu Christo quum aduenerit redditurus unicuique secundum opera sua? Græcè legitur, *An non & vos.* Idque sic virgine Græci interpretes, quasi velit innuere apostolus, Thessalonicenses quidem, sed non solos esse spem eius & gaudium & coronam; vt qui præter hos tam multos alios ad salutem adduxerit. Verùm simplicius est si dicamus voculam & redundare, aut dumtaxat intendendæ orationi seruire; quod non infrequens est apud apostolum. Ita cap. 4 *Sicut & gentes quæ &c.* & iterum, *sicut & ceteri qui spem non habent*, & cap. 5, *non dormiamus sicut & ceteri.* Id animaduertens interpres noster aliquando eam omittit.

20 VOS ENIM ESTIS GLORIA NOSTRA ET GAVDIVM. Assertio est eius quod dux in-

2 riones querebant, q. d. *Certe vos estis gloria nostra & gaudium coram Domino in aduentu eius.* nempe iuxta sensum iam explicatum. Hic quidem in Græco est *gloria non gloriationis*, sed sensus eòdem ferè recidit; estque huiusmodi, Per vos ero gloriosus & illustris in regno Christi, vt meritò de vobis gloriari possim. Quæres, quomodo Thessalonicenses vocet *coronam gloriationis suæ, & gloriam suam;* cum alibi dicat: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi?* Respondemus, hanc ipsam apostoli gloriationem quam ex Thessalonicensibus sibi promittit, non in alia re fundari quàm in cruce Domini, quæ est fons omnis gratiæ & gloriæ. Iam, si rectè Paulus homines inferiores se, atque à se institutos, vocat spem, gaudium, coronam & gloriam suam: sanè frustra Catholicos calumniantur hæretici, quod beatissimam Dei matrem ipsam aut similibus nominibus saluent, vocantes eam vitam & spem suam; *vitam*, quòd per eam viuant, quatenus illa vitam mundo peperit; *spem* verò propter eius intercessionem, qua opem & salutem nobis à Filio impetret.

S V M M A R I V M.

Indicat se plurimum consolationis accepisse ex fide & charitate ipsorum, qua ex Timotheo ad eos misso cognouerat. Item, sese magno teneri desiderio inuisendi eos, optans vt in bono magis magisq; confirmetur.

CAPVT III.

3 P ROPTER QVOD NON SVSTINENTES AMPLIVS PLACVIT NOBIS REMANERE ATHENIS SOLIS. Latinus Interpres syntaxim grammaticam neglexit, cum alioqui Græca oratio probè conflet, quam Ambrosianus ita reddit: *Idcirco iam non amplius tolerantis, optimum duximus, vt Athenis soli relinquere mur.* Et sensus est: Cum igitur desiderium vestri non ferrem diutius, nec tamen aditus ad vos daretur, visum fuit aduentum & præsentiam meam per alium mihi coniunctissimum, ac velut alterum me, suppleri; sic vt ego solus, tam fideli ac necessario comite destitutus, relinquerer ac remanerem Athenis. Neque enim Græca vox *residere* significat; vt Erasmius vertit; sed *relinqui*: Quo verbo apostolus, ad exprimendum affectum innuere voluit desolationem suam quam passus sit ob absentiam Timothei ad Thessalonicenses missi. Hic iam satis apparet apostolum de se solo pluraliter loqui. Nam Timotheum ipse sermo sequens excludit; Silam quoque siue Siluanum eodem tempore in Macedoniam fuisse profectum colligitur ex Act. 18. vbi legitur, vnà cum Timotheo ad Paulum Corinthi agentem è Macedonia fuisse reuersus.

2 ET MISIMVS TIMOTHEVM FRATREM NOSTRVM; vt per eum meam præsentiam vobis exhiberem. *fratrem suum* vocat, quòd eum, vt sincerum operis euangelici socium, fraterno amore diligeret; quem etiam hoc nomine commendat Philip. 2.

ET MINISTRVM DEI IN EVANGELIO CHRISTI. Græca sic habent, *Et ministrum Dei & cooperarium nostrum in euangelio Christi.* Hæc partim ad commendationem Timothei dicuntur, vt intelligant Thessalonicenses qualem virum ad ipsos Paulus pro se miserit; partim ad significandum quàm necessarium euangelij cooperarium passus fuerit ipsorum causa à se abesse. Hanc Timothei missionem Lucas Act. 17 vbi commemorat ea quæ Paulus Athenis egit, omnino tacuit: Quod non mirum, cum & alia multa Pauli acta constet esse ab eo prætermissa. Cur autem miserit ad eos Timotheum, exponit verbis sequentibus.

AD CONFIRMANDOS VOS ET EXHORTANDOS PRO FIDE VESTRA. Græcè, *de fide vestra*, vel, vt quidam Græcorum codices habent, *nostra*; tamen *vestra* rectius, suffragantibus item tractatoribus Græcis. Nam & paulò post ait, *Misi ad cognoscendam fidem vestram.* Sensus est: vt vos in fide confirmaret, & exhortaretur ad perseverantiam, siue, vt consolaretur vos super negotio fidei vestræ, ne quis propter aduersitates, quibus euangelium passim exagitur, despondeat animum. Nam verbum Græcum παρακαλῆσαι commune est ad exhortari, & consolari; atque etiam ad deprecari, quod hoc loco legit Ambrosianus.

3 VT NEMO MOVEATVR IN TRIBVLATIONIBVS ISTIS. Id est, vt ne quisquam vestrum turbetur, terreatur, commoueat ob afflictiones istas & pressuras, quas & vidistis coram, & postea audistis, me pati propter euangelium. Græca vox *ταπεινωθῆναι* propriè quaterere significat; sed hic ad animum transfertur. Porro de suis afflictionibus apostolum loqui, sequentia docent:

IPSI ENIM SCITIS, QVOD IN HOC POSITI SVMVS. q. d. Nouum vobis videri non debet quòd hæc patiar; neque enim ignoratis me in hoc ipsum delectum ac prædestinatum esse à Deo, vt passionibus meis quas euangelij causa sustineo, Christi nomen illustrem. Respicit ad illud quod de ipso Dominus dixerat ad Ananiam: *Vas electiois est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israël.* Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati Act. 9. Quidam istud: *quod in hoc positi sumus*, exponunt generaliter de omnibus Christi fidelibus: Nam generales ipsius apostoli sententiæ sunt, *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* Act. 14. &, *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur* 2 Tim. 3. Verùm specialiter apostolum loqui de seip-

so, probabilius est; idque etiam exigit, subsequens probatio;

NAM ET CUM APUD VOS ESSEMV, PRADICEBAMVS VOBIS PASSVROS TRIBVLATIONES. Singulariter intellige, Pradicebam vobis fore vt euangelij causa pateret afflictiones, persecutiones, pericula. Pradicebat autem, vel noua reuelatione diuinitus accepta, vel de ea re certus ex veteri oraculo ad Ananiam facto.

SICVT ET FACTVM EST, ET SCITIS. Loquitur de tumultu aduersum se concitato, quum esset Thessalonice; quanquam & ad alias persecutiones, quas post suum inde discessum passus fuerat, extendi potest sententia. Quod enim ait, *Et scitis*, intelligi potest, partim experientia, partim fama & relatu aliorum

PROPTEREA ET EGO AMPLIUS NON SVSTINENS, MISI AD COGNOSCENDAM FIDEM VESTRAM. Quod supra dixerat vtens numero plurali, nunc repetit in singulari, quo magis erga eos paternam animi sui sollicitudinem declarat. Hec igitur, inquit, causa est. ob quam ego vobis desiderium non diutius ferens, miser mad vos Timotheum, vt cognoscerem quemadmodum se haberet fides vestra; num firma esset & constans, at aliqua parte labefactata. Id enim significant verba sequentia,

NE FORTE TENTAVERIT VOS IS QUI TENTAT. *Ne forte*, Græcè, *ne quo modo*. quæ & Ambrosiani lectio est. Idem pro participio Græco, quod noster interpretis in verbum resoluit, *is qui tentat*; legit, *ille tentator*. quod & in nostra versione eiusdem participij loco legitur Matth. 3. *Et accedens tentator*. Voluit enim tam apostolus quam euangelista eo vocabulo, velut diaboli epitheto, significare non actum aliquem transeuntem, sed perpetuam voluntatem ac studium tentandi, id est, ad malum sollicitandi homines; adeo vt glossa interlinealis ab Aquinate probata, subscribente etiam Caicrano, dicat illud esse diaboli officium. quod tamen improprie dictum intellige: sicut idem Aquinas explicat, 1. p. q. 114. ar. 2. Nam proprie quidem, officium est quod quisque facere debet; ac proinde locum non habet nisi in bonis. Sed officium diaboli dicitur homines tentare, quatenus illud tanquam officium suum studiosissime exercet. Est autem sensus huius partis ita supplendus, Vt pote qui metum, ne quo pacto tentator ille, scilicet diabolus, occasione mearum afflictionum vos tentauerit, ac tentatione impulerit ad aliquem fidei defectum.

ET INANIS FIAT LABOR NOSTER. Sensus: Atque ita, labor quem vobis instituendis infumsi, reddatur irritus & infructuosus. quoniam enim apostolo salua manerent premia sui laboris, ipso dicente 1. Cor. 3, *Vnquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; inanis tamen erat idem labor futurus

ex parte eorum quibus pradicaerat, si nihil apud eos fructum stabilem fecisset. Ex hoc loco, vt ex multis alijs, apertissime docemur posse hominem fidelem & iustificatum a fide & charitate excidere; & opera bona per subsequens peccatum ita mortificari, vt premio ipsis alioqui debito frustrentur.

6 NVNC AVTEM VENIENTE TIMOTHEO AD NOS A VOBIS, ET ANNUNCIANTE NOBIS FIDEM ET CHARITATEM VESTRAM; Participia præteritæ temporis sunt in Græco, quæ & Ambrosianus textus per verba eiusdem temporis expressit. Verum, inquit, cum nuper admodum redisset a vobis ad nos Timotheus, & annunciaisset, quod in Græco est, *euangelizasset*, id est bonum nuncium retulisset fidei & charitatis vestræ perseverantis & inconculsæ. Hic Timothei reditus ad Paulum Corinthi agentem fuisse videtur cuius meminit Lucas Act. 18 dicens: *Cum venisset autem de Macedonia Silas & Timotheus*. Nec mirum nullam hic Silæ fieri mentionem: quamuis enim vnâ redirent a Macedonia Silas & Timotheus: non tamen ex eadem Macedonia parte, neque ex eadem legatione.

ET QUIA MEMORIAM NOSTRI BONAM HABETIS SEMPER, Id est, cumque nunciaisset vos retinere bonam & honorificam nostri memoriam, eamque iugem ac perpetuam. *Audite hic discipuli*, inquit, Theophylactus in hunc locum scribens, *Et discite, preceptorum vestrorum mentionem semper facere cum laude; vobis ipsis namque, id proderit, non illis*.

DESIDERANTES NOS VIDERE; SICVT NOS QVOQUE VOS: Per hoc significat se ab illis, vt præceptorem a discipulis, redamari; quod vt sibi gratissimum commemorat.

7 IDEO CONSOLATI SVMVS, FRATRES, IN VOBIS, IN OMNI NECESSITATE ET TRIBVLATIONE NOSTRA; PER FIDEM VESTRAM; Propter hæc, inquit, a Timotheo nunciata, consolationem accepi in vobis, siue per vos, id est, per fidem vestram, super omni afflictione & periculis in quibus versor. q. d. Nihil istorum malorum graue duco, postquam cognoui fidem vestram, de qua metuebam, esse in tuto. *Necessitatem* vocat apostolus non indigentiam, vt quidam interpretantur, sed, Hebræa phrasi, pressuras & pericula. Vnde est illud psalmi 24. *De necessitatibus meis erue me*.

8 QVONIAM NVNC VIVIMVS, SI VOS STATIS IN DOMINO. Tale est quod dicit, Nam etsi versor in quotidianis mortibus, propter insidias & pericula quæ me circumstant (*quotidie enim morior*, ait 1. Cor. 15) tamen horum omnium oblitus, viuere mihi videor & saluus esse, si res vestræ saluæ sunt, si vos in fide Christi Domini constantes permanetis. Significatio est ingentis gaudij, quod ex ijs quæ Timotheus nunciauerat, percepit.

9 QVAM ENIM GRATIARVM ACTIONEM POSSVMVS DEO RETRIBVERE PRO VOBIS. Græcè, *de vobis*. Similiter Ambrosianus: Et

sensus est; quas enim gratias referre Deo possumus de vobis, qui perstitistis in fide; q. d. nullas satis dignas ac tanto beneficio pares. Vt autem ostendat bonum illud de quo gratias agit, ad se quoque pertinere; continua oratione subiungit,

IN OMNI GAUDIO QVO GAudemVS PROPTER VOS ANTE DEVM NOSTRVM. Clarior est Ambrosiani lectio: *Super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram Deo nostro*. Omne gaudium, more Hebræo vocat gaudium imensum & perfectum; quemadmodum & Iacobus apostolus dicens: *Omne gaudium existimate fratres mei*, &c. Iacobi 1. Addens autem, *ante Deum nostrum*, id est, in conspectu Dei nostri; significat hoc gaudium suum non esse mundanum aut carnale, sed spirituale ac Deo probatum; vt pote de bono spirituali conceptum. Inuit autem his verbis apostolus, & suum gaudium & illorum fidem atque constantiam, esse donum ac beneficium Dei. Nam gratiarum actio non est nisi de beneficijs acceptis.

10 NOCTE AC DIE ABVNDANTIUS ORANTES, VT VIDEAMVS FACIEM VESTRAM. *Abundantius*, Græcè ad verbum, *super abundantius*, q. d. super quam abundanter. Ambrosianus legit, *abundantissime*. Erasmus vertit, *supra modum*. Itaque significatur oratio vehementer intensa; sicut ea parte, *nocte ac die*, multum extensa & continua. Cur autem tantopere precibus a Deo contendant vt faciem illorum videat, id est, corpore ipsis presens sit; declarat id quod sequitur,

ET COMPLEAMVS EA QVÆ DESVNT FIDEI VESTRÆ: Ambrosianus, *Et suppleamus*: quod verbum magis respondet Græco *καταπληξω*; cuius hæc sunt significata, componere seu coagmentare, instaurare, reficere, resarcire. Vtitur eo Matthæus capite 4, *reficiens vicia sua*. Et apostolus Gal. 6. *Huiusmodi instruite siue instaurate in spiritu lenitatis*; quemadmodum ibi expositum est. Alibi significat aptare aut perficere. vt Luca 6. Rom. 9. 1. Cor. 1. & Heb. 10. Potest igitur complementum de quo hic est sermo, variè exponi. Complect enim siue supplet ea quæ desunt fidei cuiuspiam, qui eum plenius instruit in ijs quæ sunt religionis Christianæ, docens ea quæ nondum audiuit; vt cum quis imperfectè catechizatus est. Hoc modo complementum fidei acceperunt Apollis Alexandrinus, & Ephesij quidam tantum scientes baptismum Iohannis, & an Spiritus sanctus esset, ignorantes. Act. 18 & 19. Complect etiam fidem; qui consolatione & exhortatione sua id agit vt quis firmus & constans sit in fide, pro quo complemento rogabant apostoli, quando dicebant: *Domine, adauge nobis fidem* Luca 17. Tertio complet fidem alicuius, qui perfectius, eum instruit in fide; non quidem alios a prioribus articulos aut alia fidei my-

steria tradens, sed eadem diligentius explicans, & rationibus illustrans, atque contra infideles confirmans. Primus & tertius modus complementi, potissimum hic significari videntur. Vnde, & infra de resurrectione mortuorum plenius eos instruit; & in 2 epistola de die iudicij errorem remouet, ac docet quænam tempus illud præcedere debeant. Modus secundus, huc pertinere non videtur; iam enim Timotheus illud officium suppleuerat, missus nimirum, vt supra dictum est, ad exhortandos eos & confirmandos in fide.

11 IPSE AVTEM DEVS ET PATER NOSTER. Id est, Deus qui idem est pater noster, ea nimirum ratione qua nos sibi in filios adoptauit,

ET DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS DIRIGAT VIAM NOSTRAM AD VOS. Verba sunt optantis cum prece ut prosperum iter ad eos habeat, ea facturus quæ dixit. An autem exauditus fuerit, haud omnino constat; tamen verisimile est exauditus fuisse, ex ijs quæ narrantur Act. 20 de secunda profectioe Pauli in Macedonia.

12 VOS AVTEM DOMINVS MULTIPLICET ET ABVNDARE FACIAT CHARITATEM IN INVICEM ET IN OMNES. Alterum adiungit votum seu prece, eamque magis necessariam, qua eis optat a Deo charitatis augmentum & plenitudinem. Ambrosianus legit, *charitate in invicem*, casu ablatiuo. Quæ lectio consonat cum Græcis; vt probabile sit nostrum etiam interpretem ita vertisse. Quod enim quidam codices addito pronomine habent, *charitatem vestram in invicem*, longius ab originali textu recedit; & in antiquioribus mss. non reperitur. *multiplacet* autem dixit interpretis pro eo quod est, *abundare faciat*; atque huius significatum adhuc auget verbum sequens: vt sensus apostoli sit: Precor vt vos Christus Dominus abundare & exuberare faciat mutua inter vos charitate; nec solum inter vos, sed erga omnes homines, etiam infideles & vestræ salutis inimicos.

QVEMADMODVM ET NOS IN VOBIS, Græcè, *in vos*; Estque ea lectio in codice Laud. Est enim eadem præpositio *eis*, quæ proximè. Partem hanc quidam concludunt sub eadem prece, quasi sit sensus; Quemadmodum & nos abundare faciat charitate erga vos: Sed cum nos in Græco nominatiui casus sit non accusatiui; rectius est vt cum Græcis commentatoribus exponamus in hunc sensum, quemadmodum ego charitate abundo erga vos omnes, vt qui etiam mori paratus sum pro vestra salute. Cõuenit hæc expositio cum alijs locis, in quibus apostolus se proponit imitandum illis ad quos scribit; dicens, *Imitatores mei estote & cæt.*

13 AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA SINE QVERELA IN SANCTITATE. Cõtinuatio est bonæ prece, qua dixerat; *Vos autem Dominus multiplacet &c.* Nam illud,

quemadmodum & nos in vobis, parentheticè interpositum est. pro duabus vocibus, sine querela, in Græco nomen est compositum, quod verti potest irreprehensibilia, vt ad corda referatur; quomodo legit Ambrosianus, & vertit Erasmus. Potest etiam verti, irreprehensibiles, vt quodam hyperbato referatur ad pronomen, vos autem &c. Quod amplexus est Hentenius Oecumenij interpret. Quæ sanè constructio, etsi durior, non tamen aliena à consuetudine sermonis Paulini. Adde, quod vsu scripturæ corda non vocantur irreprehensibilia, aut sine querela, sed homines; quatenus ita viuunt externa conuersatione cum alijs, vt non dent locum reprehensionis aut querelæ. Proinde videtur apostoli sententia sic explicanda: Dominus vos abundare faciat charitate, ita vt per eam confirmet corda vestra in omni bono; vos, inquam, reddendo irreprehensibiles atque sine offensione viuentes quoad externam conuersationem; idque cum sanctimonia, id est, puritate & mundicia priuata animi & corporis. De qua sanctimonia latius agit ac præcipit cap. sequenti.

ANTE DEVM ET PATREM NOSTRVM. Ambrosianus, coram Deo & Patre nostro; id est, vt tales sitis in conspectu Dei patris nostri, quem nihil latet; & non solum in oculis hominum, qui tantum vident ea quæ foris apparent. Periphrasis est verè sanctitatis.

IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Id est, vtque tales inueniamini in aduentu Christi iudicis, recepturi ab eo gloriosam mercedem cum omnibus sanctis eius. Vel sic intellige, in aduentu Christi Domini venturi.

CVM OMNIBVS SANCTIS SVIS. Iuxta illud Zach. 14 Veniet Dominus Deus mens, omnesque sancti cum eo. Vel potius hoc modo; Vt in aduentu Christi tales sitis & inueniamini cum omnibus sanctis eius, id est, cum omnibus per ipsum sanctificatis; quibus tunc ab eo dicitur: Venite benedicti patris mei &c. Hic locus contra nostræ ætatis hæreticos liquidò monstrat veram iusticiam & sanctitatem, & quæ Dei iudicium sustinere possit, haberi in hac vita; semper tamen augendam & perficiendam, nec vnquam omnino perfectam, quamdiu hinc viuunt.

AMEN. Id est, fiat: tametsi Græci codices hoc non addunt.

S Y M M A R I V M.

Hortatur eos ad mundiciam & sanctitatem vitæ; ad laborem, quo vitam transgunt. Consolatur eos super morientibus; quos resurrecturos docet; simul resurrectionis modum exponens.

C A P V T III.

DE CÆTERO FRATRES ROGAVVS VOS ET OBSECRAMVS IN DOMINO IESV. Hactenus fidem & constantiã Thessalonicensium commendavit apostolus: nunc deinceps ad profectum hortatur vitæ Christianæ. Quod reliquum est, inquit, rogamus vos & obsecramus vel (vt verti potest ex Græco) exhortamur, per Dominum Iesum, quod enim ait, In Domino Iesu, forma quædam obtestationis esse videtur.

VT QUEMADMODVM ACCEPISTIS A NOBIS, QUOMODO OPORTEAT VOS AMBVLARE ET PLACERE DEO. Ut, hoc loco redundat, nec est in Græco; nam postea exprimitur, vt abundetis. Sensus est: Sicut à nobis didicistis, quemadmodum conuersari vos oporteat, & quibus actionibus Deo placere, Deumque promereri:

SICVT ET AMBVLATIS. Multi codices legunt, sic & ambuletis; quanquam præstantiores id habent quod prius diximus. At in Græco & Syriaco textu, & apud Græcos interpretes, nihil est quod huic parti respondeat; vt profus appareat à quopiam adiectam esse in fauorem Thessalonicensium, ne viderentur nihil adhuc præstitisse eorum quæ hinc ab apostolo præcipiuntur. qua ratione in capite sequenti dicit, edificate alterutrum sicut & facitis: Verum id hoc loco opus non erat; continetur enim in eo quod sequitur.

VT ABVNDETIS MAGIS. Dependet hoc à verbis, rogamus & obsecramus. Et sensus est: Vt in eo quod dixi, magis magisque proficiatis. exigens profectum, utique iam cepisse agnoscat.

SCITIS ENIM QUÆ PRÆCEPTA DEDERIM VOBIS PER DOMINVM IESVM. Græcè & Syriacè, dederimus, numero multitudinis, quemadmodum & habent Latina quædam mss. Hactenus enim de se pluraliter loquitur apostolus; partim quod Sila & Timotheum initio nominatos comprehendat, partim humilitatis causa, ne singulari suæ personæ quicquam arrogare videatur. Probat autem hæc pars illam præcedentem, quemadmodum accepistis à nobis; q. d. accepisse vos à nobis dico; Nam ipsi scitis ac meministis quæ præcepta benè sanctèque viuendi nos vobis quum istic essemus, tradiderimus; non vt nostra, sed vt Christi Domini præcepta. hanc enim vim habet quod ait, per Dominum Iesum; iuxta id quod alibi dicit, præcipio non ego, sed Dominus. 1 Cor. 7. Et quidem ipsius Christi præcepta significari, planum est ex sequentibus.

HÆC EST ENIM VOLVNTAS DEI SANCTIFICATIO VESTRA. Voluntatem intelligit eam quæ in præceptis consistit, quam Theologi voluntatem signi vocant. Nā præceptū Dei est, vt sancti simus. Sanctificationem

nonnulli interpretantur actiuam, qua nimirum fideles seipfos sanctificant, abstinentes ab omni immundicia; prout sequitur. Alij passiuam intelligunt, secundum id quod dicitur 1 Cor. 7 Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem &c. At magis verisimile est, Hebræa phrasi sanctificationem positam esse pro sanctitate; quomodo Græci exponunt: sicut iustificatio sepe pro iusticia sumitur in scripturis. vt Lucæ 1, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, id est, iusticijs à Domino præceptis. Certè sanctificationem pro sanctimonia accipi, manifestū est in eo quod paulo post sequitur, in sanctificatione & honore. Atqui sanctimonia siue sanctitas, in genere, puritatem & mundiciam significat eam quæ hominem Deo commendat: sed hic apostolus respicit ad mundiciam peccatis impudicitæ contrariam; veluti probat explicatio subiuncta,

VT ABSTINEATIS VOS A FORNICATIONE. Nomine fornicationis scriptura accipit omnem concubitum viri & mulieris extra coniugium; vt etiam adulterium & incestum comprehendat. Vnde Matth. 5 Qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, id est adulterij, & 1 Cor. 5 auditur inter vos fornicatio; cum de incestu loqueretur.

VT SCIAT VNVSQUISQUE VESTRVM VAS SVVM POSSIDERE IN SANCTIFICATIONE ET HONORE. Pergit explicare sanctificationis præceptum. Vasis sui nomine, plerique proprium corpus intelligunt; sic enim accipitur 1 Reg. 21 & fuerunt vasa puerorum sancta. Alij verò nonnulli, cum quibus sentit Thomas in commentario, & ante eum Augustinus lib. 1 de nupt. & conc. cap. 8, & lib. 4. contra Iul. cap. 10. propriam uxorem seu corpus vxoris eo nomine significari putant. Pro quibus facit locus huic similis 1. Pet. 3 quasi infirmiori vasculo muliebri imperitantes honorem. Simile & illud Prouerb. 5 secundum Lxx bibe aquas de vasis tuis. Quamquam ibi Græcè non est κρανος sed ἀγγειον. Re benè expensã videtur vtrumuis dictorum rectè intelligi; Nam pro eo quod hic dicit vas suum; alibi dicit corpus suum aut corpora sua. vt Ro. 1 corpora sua afficere dicuntur contumelia: sicut hic contra, possidere in honore. Et omnis fornicator dicitur peccare in corpus suum. 1 Cor. 6. & Rom. 12 Exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam. & 1 Cor. 12 honorem circumdamus membris nostris inhonestis. Multum etiam viget locus 1 Reg. 21. Nec facit admodum in contrarium locus Petri; quia nō dicit vasculo suo, sed vasculo muliebri. Accedit quod hic sequitur, Non in passione desiderij; quod non ita commodè videtur quibusdam posse referri ad concubitum cum vxore; sed magis pertinet ad alias libidines infandas & innaturales: sicut Rom. 1. & Ephes. 4. Huc etiam facit illud 2. Cor. 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Corpus

enim est vas & instrumentum animæ. Liranus quoque & glossa interlinealis de proprio corpore exponunt. Meminerunt posterioris illius expositionis etiam Theodoretus & Oecumenius; sed eam reiiciunt hac ratione, quia non solum, inquit, ijs qui uxores habent, præcipit apostolus, verum etiam innuptis & viduis. Sed hæc ratio non conuincit: sepe enim in scripturis particularia præcepta dantur, ex quibus generalia debent intelligi. Proinde sensus etiam esse videtur; Item vt nouerit vnusquisque vestrum propria sua vxore vt cum sanctitate & honore, id est, castè & honestè. Nam & natura nos monet honorem adhibere inhonestis, ipso apostolo teste 1 Cor. 12 Quæ putamus, inquit, ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorum circumdamus; & quæ inhonestæ sunt nostra, abundantiorum honestatem habent &c. significat enim id nos facere impulsu quodam naturæ. Annotant Græci apostolum dicere, vt sciat, ad insinuandum quod castitas & continentia opus habeant exercitio & disciplina. Cæterum in eo quod ait, possidere, id est, vti tanquam re sua, significatum est virum iure coniugij habere potestatem corporis vxoris suæ: quod & vicissim æquè de muliere, respectu viri, fatendum est; quemadmodum apertè docet idem apostolus 1 Cor. 7 dicens, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Porro quid sit quod dicit, in sanctificatione & honore, consequenter declarat ex opposito,

NON IN PASSIONE DESIDERII. Erasmus vertendum putauit, non cum affectu concupiscentiæ. Sed reuera nomen passionis hoc loco significantius est, idemque etiam Latinis authoribus vsurpatum in ea significatione quam hic apostolus attendit, quemadmodum & admonimus ad eum locum Ro. 1 tradidit eas in passiones ignorantie; Latine etiam, & significanter, pro passione, morbus verti poterat: quomodo locum hunc legit Augustinus lib. 1. de nupt. & conc. cap. 8. Non in morbo desiderij. Siue autem morbum siue passionem legas; significare voluit apostolus motum libidinis adeo vehementem atque effrænem, vt erumpat in actus quibus dignitas conjugalis dehonestetur: cuiusmodi quidem actus mortalia peccata sunt in coniugibus. Qui verò conjuges à talibus abstinent, neque tamen solius generationis causa commiscantur, sed voluptatem in eo opere quærunt; intra limites conjugalis castitatis se interim cohibentes; nisi grauior accedat circumstantia, non plus quam ventraliter peccant; iuxta doctrinam apostoli 1, Cor. 7 dicentis, reuertimini in idipsum, propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium. Qui proinde, iuxta mentem eiusdem apostoli, vas suum adhuc possidet in sanctificatione & honore; licet minus perfectè quàm si

folius causa generationis conuenirent.

SICUT ET GENTES QUAE IGNORANT DEVM. Græcè, *quæ non nouerunt Deum*, nam ipsum non nosse Deum, homini ratione uentri peccatum est. Significat autem Dei ignorantiam fuisse causam cur gentiles sese in omne genus turpium voluptatum immergerent. Nam ignorantia Dei tollit timorem Dei, qui vindex est talium peccatorum, uti statim post dicitur. Similis est locus Ephes. 4 ubi de gentibus loquens alienatis à vita Dei per ignorantiam & cæcitatem cordis ipsorum; ita subiungit, *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationem immundiciae omnis in auaricia.*

ET NE QVIS SUPERGREDIATUR, NEQUE CIRCUMVENIAT IN NEGOCIO FRATREM SVVM. Partem hanc Ambrosianus, Anselmus, Aquinas & alij plerique Latini interpretes intelligunt de fraude & iniuria quæ fit in mercimonijs alijsue contractibus; id quod Erasmi quoque versio sonat, quæ sic habet: *Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrem suum.* Verum Hieronymus in commentario epistolæ ad Ephes. exponens illud modò citatam cap. 4, *in operationem immundiciae omnis in auaricia*, docet hunc locum, perinde ut illum, agere de auaricia turpium voluptatum. Nam pro eo quod Latine redditum est, *circumueniat*, aut, ut legit Hieronymus, *circumscribat*, in Græco uerbum est *πλεονεκτην*, à quo *πλεονεξία*, id est, auaricia; quo uocabulo usus est ad Ephes. apostolus, & cuius ibi significationem explicuimus. Itaque secundum Hieronymum sensus est: Ne quis terminos sui coniugij transgrediens, alienum torum inuadat ac uolet, atque ita amplius quam fas sit appetendo, proximum suum in huiusmodi negotio fraudet, iniuriaque afficiat. Quæ descriptio est adulterij. Nam & uerbum Græcum, quod supergredi, siue transgredi, siue transcendere significat, apud prime quadrat huic significatione: proprium enim adulterorum est (quod & Latinum nomen importat) ad alteram, id est, alienam uxorem transire. Porro *negocium*, Græcè *πράγμα*, quod generalem habet significationem, uerè recundè dicit apostolus pro concubitu. Quod insinuat articulus præfixus, *ἐν τῷ πράγματι*, tanquam referendum sit ad rem seu negocium aliquod certum; uidelicet de quo iam dixerat, *ut abstineatis uos à fornicatione.* cuiusmodi usum huius uocabuli obseruare est etiã apud Clementem Romanum (si tamen is auctor) lib. 3 constitutionum apostolicarum cap. 2, ubi inter ecclesiæ uiduas cooptari prohibentur adulescentes uidue; ne, excusado se ferre non posse feruore gratis, aliquando iterum nubentes in negotio sint; id est, in illicito concubitu versetur. Id quod clarius explicant uerba ibidè sequentia; Subueniendum uero & opitulandum est illis; ne, excusando se derelinqui, turpi negotio implicentur. Porro sensum præsentis loci quem attulimus ex Hieronymo tradunt omnes Græ-

ci tractatores; quibus subscribit Caietanus & alij quidam recentiores; denique & Erasmus in paraphrasi. Nec aliò referri partem hanc patitur paulo post subiuncta ratio totius exhortationis, cum ait: *Non enim uocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem.* Dicit autem, *fratrem suum*, id est, Christianum, à parte totum intelligens, hoc est quæuis proximum. Non enim ita fratris prohibet iniuriã ut extranei permittat, sed fratrem nominat, quia de eo magis erat metuendum.

QUONIAM VINDEXT EST DOMINVS DE HIS OMNIBVS. Dominum more suo Christum dicere uidetur, de cuius aduentu ad iudicium, eos commonefecit in fine capitis præcedentis. q. d. Christus Dominus, quem iudicem omnes expectamus, horum omnium quæ dixi, vindex adueniet; secus quam gentes existimant, quæ Deum iudicem ignorantes, talia sine timore perpetrant.

SICUT PRÆDIXIMVS VOBIS ET TESTIFICATI SVMVS. Græcè & Syriacè, *Sicut & prædiximus &c.* Consonat Ambrosiana versio, cum nostris quibusdam mss. Sensus. Sicut iam antè quum apud uos essemus, contestando ac denunciando uobis diximus; ut fieri solet in re graui. Nam alioqui gentiles huiusmodi libidinis peccata ferè pro nihilo ducebant.

NON ENIM VOCAVIT NOS DEVS IN IMMUNDICIAM, SED IN SANCTIFICATIONEM. Græca uolunt ablatiuos, *in immundicia, in sanctificatione*; Sed ita ut utraque præpositio (sunt enim in Græco diuersæ præpositiones, *ἐν* & *ἐν*) seruiat causæ significandæ: quam & Græca scholia explicant, & Erasmus sua versione exprellit hoc modo; *Non enim uocauit nos Deus in immundicia causa, sed ad sanctificationem.* hoc est, non uocauit nos Deus ad cultum & religionem suam, non fecit nos Christianos, ea lege atque eo fine ut uiueremus in immundicia, ac turpibus voluptatibus operam daremus; sed ut ab impuritate uitæ prioris emundati, sanctimoniam studeremus. Nam pro *sanctificatione sanctimoniam* hic legit Ambrosianus. Adhibet ergo apostolus argumentum ductum à causa finali uocationis ad Christianismum.

ITAQUE QUI HÆC SPERNIT, NON HOMINEM SPERNIT, SED DEVM. Græca & quædam Latina non addunt, *hæc*; quod tamè splendæ sententiæ gratia rectè à Latino interprete potuit addi. Loquitur enim apostolus de præceptis iam datis, & respicit ad ea quæ dixit sub initium exhortationis; *Scitis quæ præcepta dederim uobis per Dominum Iesum.* & iterum, *Hæc est enim uoluntas Dei,* &c. Quibus utique uerbis significauit se proponere Dei præcepta; quoniam & Christus Deus est. Igitur qui spernit ac rejicit illa præcepta, non tam spernit hominem Dei ministrum, à quo proponuntur, quam ipsam Deum à quo data sunt. At nihilominus etiã ille non hominem spernit sed Deum, qui recusat obedire legibus ac mandatis ab

humana legitima potestate profectis; siue ea potestas sit ecclesiastica, siue politica. *Non est enim uia huiusmodi potestatis nisi à Deo; proinde qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistit, ipsi sibi damnationem acquirunt,* apostolo teste Rom. 13. Vnde & Dominus ad discipulos suos: *Qui uos audit, me audit; & qui uos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Lucæ 10. *Qui ecclesiam non audierit; sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Matt. 18. Tale est & illud Moyli ad populum aduersum se murmurantem; *Non contra nos est murmur uestrum, sed contra Dominum* Exodi 16. Et quamuis apostolus hoc loco respiciat, ut dixi, ad præcepta diuina quæ proposuerat; sententia tamen generalis est, eademque, ex ipsius etiam apostoli mente, patens ad apostolica præcepta; qualia Timotheo, Tito, Corinthijs dedit. Ob hæc enim forrasse causam indefinitè locutus est, *Itaque qui spernit, non addito pronomine.*

QUI ETIAM DEDIT SPIRITVM SVVM SANCTVM IN NOBIS. Iuxta hanc nostram lectionem, pars ista pertinere uidetur ad commendandum hominis præcipientis auctoritatem; q. d. Qui spernit ea quæ nos apostoli præcipimus; non nos homines spernit, sed Deum, qui per Spiritum sanctum, quem nobis impertiuit, nos fecit uerbi sui ministros, ac potestatem dedit præcipiendi. Sunt enim hæc Spiritus sancti dona. Congruit cum hoc sensu quod ait 1 Cor. 7. *Puto quod & ego Spiritum Dei habeam.* At in Græco sic legitur, *qui dat, uel secundum alios codices, qui dedit Spiritum sanctum suum in uos.* & codex Latinus Laudensis habet, *in uobis.* Hoc est, iuxta Græcorum expositionem, qui per Spiritum suum, quæ uobis dedit in baptismo, uos sanctificauit, & in uobis habitat. Quapropter iniuria eius qui memorata Dei præcepta spernit, polluens se per immundiciã; peculiariter etiam redundat in Spiritum sanctum, quæ peccado expellit & contumelia afficit. Ad eundem modum Caietanus exponit. Nonnulli quidè Græci codices pronomen habent primæ personæ, *in nos*; atque ita legisse uidetur interpretes quidam Græci: sensum tamen eundem reddunt, quem ceteri. Nam & paulo antè sub prima persona Thessalonicenses comprehendit apostolus, dicens: *Non enim uocauit nos Deus in immundiciam.* Ambrosianus quoque, licet legat uti nos habemus (excepta uocula etiã); intellectu tamen cum Græcis conuenit.

DE CHARITATE ATEM FRATERNITATIS NON NECESSE HABEMVS SCRIBERE VOBIS. Huc usque sanctificationis præcepta: Sequitur nunc exhortatio de charitate fraterna, quam Paulus una composita dictione *φιλανθρωπίας* nominat, id est, amorem fraternum. Sic enim mutuum Christianorum inter ipsos amorem apostoli uocabat: estque idem uocabulum Rom. 12 & Heb. 13. Quo utroque loco Latine legitur, ut hic, *charitas fraternitatis.* Nec in Græco est, *non necesse habemus*; sed, *non necesse habetis scribere uobis*, id est, ut scri-

bam uobis. Igitur sensus est: De charitate fraterna, qua nimirum uos inuicem Christiani diligatis, non admodum opus habetis, ut hac epistola uos admoneam. Tacite significat, eos omnino opus habuisse admonitione superiorum, quæ erat de sanctimoniam seu mundicia uitæ: difficile enim erat homines gentiles immundiciæ peccatis assuetos, à talibus subito reuocare. Vnde præcepta eius generis ferè per singulas epistolas inculcat apostolus.

IPSI ENIM VOS A DEO DIDICISTIS, UT DILIGATIS INVICEM. In Græco nomen est compositum, *θεοδιδασκτοι*, id est, à Deo docti uel edocti, ut legit Ambrosianus, siue *diminutus docti*, ut uertit Erasmus, pro quo apud Io. 6. etiam in Græco duæ uoces leguntur ex Isa. 54. secundum LXX. *διδασκτοι θεο*, id est, *docibiles Dei*, ut uulgatus interpret reddidit; uel melius, *docti a Domino*, ut Hieronymus in Isaia. Probat apostolus id quod dixit, nempe Thessalonicenses opus non habere ut ab ipso de charitate fraterna admoneantur, utpote præoccupatos à Deo doctore & magistro, à quo iam edocti erant se inuicem diligere. qui enim doctus est à Deo, ad eandem rem non indiget hominis magisterio. Similis planè consequentia est Heb. 8 ex Ierem. 31. *Non docebit unusquisque proximum suum, dicens, Cognosce Dominum; quoniam omnes scient me,* scilicet à me docti. Nam præcedit, *dabo leges meas in mente eorum.* Simile & illud 1 Ioan. 2, *Non necesse habetis ut aliquis doceat uos: sed sicut unctio eius docet uos de omnibus.* hoc est (quod ibidem superior dicit) *uos unctio nem habetis à sancto, & uos scitis omnia.* Sed quia bifariam accipi potest, doctum esse à Deo, uel solummodo secundum intellectum, quomodo docti sunt qui sciunt & non faciunt; uel etiam secundum affectum, quomodo docti sunt omnes & soli qui faciunt quod faciendum nouerunt: de posteriori modo sine dubio præsens locus, ut & alter apud Ieremiam, accipiendus est, non de priori; quomodo Pelagius accipit in huius loci commentario, referens hanc doctrinam ad mandatum dilectionis à Christo generatim omnibus datum. Nam qui hoc tantum modo doctus est à Deo, adhuc opus habet admonitione humana qua excitetur & urgeatur ut faciat quod facere didicit. Et prior quidem modus filiorum est ueteris testamenti; posterior autem filiorum noui testamenti, ad quos pertinet illa promissio prophetica à Christo apud Ioannem allegata, *Ponam uniuersos filios uos doctos à Domino* Isa. 54. quam promissionem & in se cupiebat impleri, qui dicebat ad Dominum, *Docce me facere uoluntatem tuam*, psal. 142. Eiusdem *θεοδιδασκτος* egregia laus est in alio psalmo, *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Vide Augustinum lib. de gratia Christi cap. 13 & 14. & super illud psal. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam*

doce me. Denique quos intelligat apostolus doctos à Deo, declarant sequentia eius verba,

10 ETENIM ILLUD FACITIS IN OMNES FRATRES IN VNIVERSA MACEDONIA. Clarius ita veritas ex Græco; *Etenim factis hæc erga omnes fratres qui sunt per universam Macedoniam.* id est, passim erga eos exercetis opera dilectionis, largiendo ac beneficiendo. Ex quo non solum probat eos diligere fratres, cum iuxta Gregorium probatio dilectionis exhibitio sit operis; verum etiam ostendit eos à Deo doctos esse ut id facerent iuxta sensum supradictum. nam ad eam doctrinam pertinet ipsum velle & facere, quod Deus in eo quem sic docet, efficaciter operatur. Quocirca non est audiendus Ioan. Cassianus, qui lib. 10. institut. mon. cap. 7. excutiens hunc apostoli locum vult maius aliquid esse hoc posterius illo priori, quasi sint qui didicerint à Deo diligere inuicem, nec tamen id præstant; qui verò præstant, aliquid suum adijciant beneficio doctrinæ à Deo acceptæ. Verum id rejiciendum ad errores illius authoris hæresi Pelagianæ affines, de quibus à B. Prospero notatus est. Certè Christus ipse Ioan. 6 sensum eiusmodi manifestè destruit, ubi cum ex propheta citasset illud: *Et erunt omnes docibiles Dei*; exponendo subiunxit: *Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Id est, omnes docti à Deo, veniunt ad me per fidem & charitatem; quod est facere. Est igitur in his duobus reciproca consequentia, Doctus est à Deo, ergo facit; & contrà, Facit, ergo doctus est à Deo. Hæc enim est apostoli hoc loco; illa, Domini in euangelio.

ROGAMVS AVTEM VOS FRATRES VT ABVNDETIS MAGIS. Id est, ut in hac fraterna charitate quam à Deo didicistis, eodem doctore studeatis proficere. Id admonet, ne quia laudauit eos, existiment sibi in eo genere iam nihil deesse. Quod interpret nunc vertit, *rogamus*; idem verbum initio capituli vertit, *obsecramus*; nec malè quadrat vtrique loco verbum, *hortamur*, quod hîc est apud Ambrosianum.

11 ET OPERAM DETIS, VT QUIETI SITIS. Superius commendauit Thessalonicensium charitatem ac beneficentiam in fratres: hæc eorum liberalitate quidam pauperiores abutentes, ocio & inertia vacabant; discurrentes per domos, & inhiantes mensis diuitum, atque in res alienas curiosi, adeò ut hoc nomine etiam apud infideles malè audirent. Igitur huiusmodi vicia apostolus & hoc loco, & acrius in secunda epistola cap. 3 castigat. Græcum verbum pro quo nos habemus, *operam detis*, significat eniti, quomodo legit Ambrosianus; id est, magno conatu quippiam agere; translatum à more hominum ambitionis, qui summo studio & animi contentione nituntur ad honores. Hortatur ergo apostolus sedulo dent operam, ut quieti sint, id est, placidè & sine tumultu agant, aliorum quietem

non turbent, alienis officijs & negocijs non se misceant, sed propria curent. Id enim est quod sequitur;

ET VT VESTRVM NEGOCIVM AGATIS. Græcè, *Et agatis res proprias.* Vult vnumquèque suæ vocationi & operi intendere, non alienis rebus sese ingerere. Prohibet ergo duo vicia plerumque coniuncta, ociositatem & curiositatem. Eodè pertinet quæ sequuntur.

ET OPEREMINI MANIBVS VESTRIS. Græcè *proprijis manibus vestris.* Qui sermo videtur emphasim habere. Quum autem nominat *opus manuum*; ex specie genus vult intelligi: maximè quia ad populum scribit, in quo plurimorum est ea quæ manibus fiunt opera exercere; sub quibus omne opus seruilè intelligitur. Nam in secunda epistola ubi vehementius hanc rem veget, non addit, *manibus*. Obijcere solent huiusmodi scripturas aduersarij monachis mendicantibus, velut cogendis ad opus manuum; cum nec ipsi, qui hæc obijciunt, manibus operentur. Neque enim omnibus omnino præcipitur ut operentur manibus, aut mechanicum aliquid exercent; sed ijs qui egent; ac sublimioribus functionibus non sunt addicti. Atqui religiosi mendicantes student & vacant prædicationi verbi Dei, alijsque id genus actionibus, quibus salus populi Christiani promouetur: cūque ratione huius ministerij possent à populo exigere vitæ stipendia, iuxta id quod Christus ordinauit, ut qui euangeliū annunciant de euangelio viuunt; huic tamen potestati renunciantes, rogare malunt & mendicare, neque cogentes quenquam ad tribuendum, neque ius obtinentes. Quod vtrique magnæ perfectionis est. qui nec ipsi tamen opus manuum ubi tempus suppetit, ac res postulat, ad exemplum Pauli apostoli, subterfugunt aut prætermittunt, quo minus grauetur ijs quibus ad salutem subseruiunt.

SICVT PRÆCEPIMVS VOBIS; quum apud vos effemus. iam tum enim cœperat hæc vicia in eis obseruare.

ET VT HONESTE AMBULETIS AD EOS QUI FORIS SVNT. Coniunctionem & Græca non addunt, ut nec Ambrosianus. Etenim secundum Græcam lectionem pars hæc non pendet à verbo, *rogamus*, sine *hortamur*, ad quod superiora referuntur, quasi sensus sit, *rogamus etiam vt honestè ambuletis &c.* sed præcedentium causam quandam finalem significat hoc sensu: Ad ea quæ dixi studiosè faciendâ, vos cum obsecratione cohortor, vt ijs obseruatis decenter atque honestè vos geratis erga eos qui non sunt Christiani, sed adhuc à Christi fide & vestra societate alieni; apud quos mendicare, aut propter inopiam impudentius agere, scandalosum sit ac vestræ professioni dedecorosum.

ET NVLLIVS ALIQVID DESIDERETIS. Rerum alienarum concupiscentia viciosa est, etiamsi res illa per iniusticiam non queratur:

Vetatur enim hoc concupiscentiæ vicium postremo decalogi præcepto, *Non concupisces rem proximi tui.* contra quod peccauit Achab volens emere iusto precio suamque facere vineam Naboth, Reg. 21. Tale igitur alienæ rei desiderium hîc ab apostolo notari putant plerique Latinorum; de quo & scriptum sit Prouerb. 21. *desideria occidunt pigrum.* Agit enim apostolus de hominibus ociosis, qui cū propria negocia negligant, animus eorum semper versatur in rebus alienis aut scrutandis aut concupiscentis. Verum Græca alium sensum postulant. Sic enim habent, *Et nullo opus habeatis.* id est, nulla re indigeatis; q. d. apostolus, & vt quisque de suo habeat vnde viuat, nec ocio suo fratribus oneri sit, & infidelibus scandalo. Ex quo tamen sensu, etiam id consequitur quod nostra lectio sonat, vt per suâ inertiam egentem, inordinatè atque inhonestè res alienas appetant.

12 NOLVMVS AVTEM VOS IGNORARE FRATRES DE DORMIENTIBVS. Græcè, *de ijs qui dormierunt*; quemadmodum & noster interpret paulò post vertit semel & iterum: pro quo rectè Erasmus & alij, *obdormierunt*, id est, somno sopiti sunt. Vide quæ diximus ad illud 1 Cor. 15. *Quidam autem dormierunt.* Non dubium quidem quum Thessalonicenses, inter alia religionis Christianæ mysteria, fuerint etiam de resurrectione mortuorum, deq; aduentu Christi iudicis, coram, ab apostolo diligenter instituti; nam huius aduentus tanquã ab illis crediti & expectati iam bis meminit superius, scilicet in fine primi & tertij capituli. Verum, quia nondum hæc fides satis eorum animis erat infixâ; fiebat vt pro veteri consuetudine, quasi adhuc gentiles essent, spem resurrectionis non habentes, mortuos suos immoderatius lugerent. hoc igitur vicium in eis nunc corrigit apostolus; ac statim ipso vocabulo, quo mortuos vocat *dormientes*, resurrectionis ingerit cogitationem. q. d. Mors ob quam caros vestros velut extinctos & amissos lugetis, tantum somnus quidam est, à quo sint ad vitam excitandi. Ita passim scriptura de mortuis loquitur, bonis ac malis, idque in testimonium futuræ resurrectionis. Argumento est, quod de brutis animalibus nusquam ita loquatur, sed de solis hominibus; nimirum significans homines morte non penitus, vt bestias, extinguunt; sed, vt in ijs qui dormiunt, animas interim viuere, corpora verò è somno mortis aliquando euigilatura. Vnde est quod à primis ecclesiæ temporibus loca deputata sepulturæ mortuorum cœmeteria, id est, dormitoria, fuerint appellata.

VT NON CONTRISTEMINI, SICVT ET CÆTERI QUI SPERM NON HABENT. Illud (&) quoad sensum redundat. Nò dum dicit quod nolit eos ignorare, id est, quid velit eos scire de dormientibus; sed prius causam interponit propter quam de illis docendi sint. Ea est, vt de mortuis suis non doleant sicut gentiles,

qui destituti lumine fidei, spem resurrectionis ac vitæ post mortem secururæ nullam habent. Non igitur prohibet apostolus ne contristentur super mortibus amicorum; sed ne more infidelium contristentur. Nam vt ait B. Augustinus serm. 32. de verbis apostoli (quem totum in sua collectanea huius loci transcripsit Venerabilis Beda) *De mortuis ijs qui diliguntur, est quedam tristitia quodammodo naturalis: mortem quippe horret non opinio sed natura.* & infra, *Permittantur itaque pia corda de carorum suorum moribus contristari, dolore sanabili; & consolabiles lacrymas fundant, conditione mortali; quas citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles quando moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora transire.* Sic ille. Certè & Paulus ipse tristitiam super tristitiâ habiturus erat de morte Epaphroditij; vt ipse testatur ad Philip. 2. sed non vt ijs qui spem non habent.

13 SI ENIM CREDIMVS, QVOD IESVS MORTVVS EST ET RESVRREXIT. Hic iam incipit dicere quid scire eos velit; non tamè quasi nouum aliquid & prorsus ijs inauditum docens, sed eadem quæ docuerat repetens & explicans. Coniunctio *si* non dubitans est, sed præsupponens. adfert enim quod dicit, pro firmissimo fundamento certissimoque argumento eius quod sequitur,

ITA ET DEVS EOS QUI DORMIERVNT PER IESVM ADDVCET CVM EO. Illud, *per Iesum*, non liquet quò referatur, vtrum ad præcedens verbum, an ad subsequens, hoc est, an sensus sit, *qui dormierunt per Iesum*, id est, qui mortui sunt in fide Christi Iesu; An verò sit sensus huiusmodi, *per Iesum*, id est, per meritum Christi Iesu, *adducet eos.* Vtriusque constructionis Græci interpretes meminerunt; sed prior magis esse videtur ex mente apostoli. sic enim nominat hoc loco *dormientes per Christum*, quomodo 1 Cor. 15. ubi de eadem re multò fufius agit, *dormientes in Christo*, nominauit, Cyprianus quoque in sermone de mortalitate, locum hunc citans legit, qui dormierunt in Iesu. Addit autem apostolus, *per Iesum*, vt de sola fidelium ac piorum resurrectione se loqui significet; quæadmodum & de ea sola differit in prima ad Cor. Hæc enim pertinebat ad consolationem fidelium. Quod igitur apostolus dicit, eiusmodi est: Quandoquidè creditus ac certissimè tenemus Iesum Christum mortuum esse atque à morte resurrectisse: sanè nec dubitare debemus futurum, vt Deus eos qui in Christo mortui sunt, vnà cū eo rediuuos adducat sistatq; in ipsius aduentu. Nã oportet mēbra capitij suo cōformari, eoq; adduci vbi caput est. Simili ratiocinatione vtritur ad Corinthios, dum ex Christi resurrectione nostrā probat futuram resurrectionem, ea scilicet ratione quod Christi resurrectio sit nostræ resurrectionis exemplar & forma, quodque Christus resurrecterit vt primitiæ dormientium. Huius probationis vim plenius expositam require in commentario loci memorati ad Corinth.

14

HOC ENIM VOBIS DICIMVS IN VERBO DOMINI. Modum resurrectionis descripturus fidem conciliat, affirmans se non suum sed Domini verbum proferre in medium. Et sensus est: Hoc quod dicturus sum, annuncio vobis tanquam verbum Domini, id est, tanquam doctrinam à Christo Domino acceptam. Nam apostolus euangelium suum, in quo & mortuorum resurrectio continetur, non ab homine, sed à Christo Iesu per reuelationem acceperat, Gal. 1.

QVIA NOS QVI VIVIMVS, QVI RESIDVI SVMVS IN ADVENTV DOMINI NON PRAEVENIEMVS EOS QVI DORMIERVNT. Græca habent, *in aduentum Domini*, quibus applaudunt mss. Latina, suffragante etiam editione Clementina. Accedunt item Ambrosianus & Primasius; quorum prior sic legit, *Qui subreli-cti sumus in aduentum Domini*. Qua lectione constituta; dubitatur vtrum illa pars, *in aduentum Domini*, cum præcedentibus cohæreat, an cum sequentibus. Verum plerique omnes rectè præcedentibus adiungunt. Sensus enim est: Hoc vobis dico, quod nos qui viuetes erimus ac relictæ siue superstites vsque in aduentum Christi Domini; non solum non glorificabimur & regnabimus cum Christo sine illis qui iam obdormierunt, sed nec eos ad Christi occursum præueniemus. Loquitur apostolus in prima persona, dicens: *Nos qui viuimus, qui residui sumus &c.* non velut dubius aut incertus, vt nonnulli suspicati sunt, an fortè se viuo futurus esset Domini aduentus; nam huiusmodi opinionè instantis diei Domini, natâ ex suis verbis, disertè in secunda epistola rejicit, docens quænam & quanta sint quæ illud diem adhuc præcedere debeant: Sed ita loquitur, partim quidem vt Thessalonicensium animos in expectationem aduentus Domini teneat erectos atque suspensos, quo diem illud quasi breui venturum semper habeant præ oculis, semperque ad eum parati sint, id enim admonet eos mox capite sequenti; partim verò, quod personam induat electorum qui in aduentu Dominico residui siue superstites erunt, id est, viui reperientur: nolens explicare num iisdem illi, an alij futuri sint ab ijs qui tunc viuebant.

15

QVONIAM IPSE DOMINVS IN IVSSV ET IN VOCE ARCHANGELI ET IN TUBA DEI DESCENDET DE CAELO. Describit aduentum Domini magnificum & gloriosum à circumstantijs quibusdam, quæ potentiam & maiestatem venientis commendent. *Descendet*, inquit, *de celo ipse Dominus Iesus*; non per nuncium aut vicarium, quomodo Deus per angelum, etsi maximo terrore immisso, dedit legem in monte Sina; sed in sua persona, atque in suo corpore cum quo ascendit in caelum. Sic enim de eo angeli testantur Act. 1, *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum. Descendet autem in iussu*; quod Erasmus vertit *cum hortatu*: Nam Græca vox *κελεύσας*

apud authores profanos significat exhortationem, qua nauæ seu milites se mutuo cum clamore vel cantu solent incitare ad rem strenuè gerendam. In qua significatione etiam Hieronymus eo vocabulo vsus est in vertendo Ieremia cap. 25. 48. & 51. Hoc si placeat; intelligi poterit clamor ille de quo apud Mattheum 23 in parabola decem virginum, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. Verum Græci interpretes vocem hanc acceperunt secundum primam & propriam eius significationem, qua procul dubio iussu, mandatum, imperium significat; intelligunt autem imperium ipsius Domini, quo repenti iubebit omnes ministros suos præsto esse & comites ad suum descensum. Alij referunt ad illam vocem de qua Io. 5 dicitur, quod *omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij hominis*, scilicet Christi, ipsos à morte ad vitam reuocantis. Vox enim Christi hominis de caelo descendens ita erit instrumentum excitationis omnium mortuorum, sicut eiusdem vox in terra agentis instrumentum fuit resuscitandi Lazari, quando clamauit, *Lazare veni foras*. Item descendet, *in voce Archangeli*, id est, archangelo Michaële velut præcone Dominici aduentus, clarissimum sonitum quaquaversum edente. Nomine *archangeli* significatur omnium angelorum princeps; hunc autem non alium esse quàm Michaëlem, tum ex epistola Iudæ, tum ex Apoc. Iohannis cap. 12. manifestè patet. Eundem verò toti ecclesiæ custodem à Deo præfectum esse, iusta ratione creditur; vt qui tempore etiam veteris testamenti dux ac princeps populi Dei fuerit; quemadmodum ex Daniele capite 10 & 12. & aliunde potest doceri. Iam quod addit, *in tuba Dei*, quam 1 Cor. 15 vocat *tubam nouissimam*, videtur esse eiusdem emphatica repetitio, vt non aliud sit *tuba Dei*, quàm *vox archangelus*; quæ per metaphoram hoc nomine vocetur à claritate & magnitudine soni, penetraturi (vt ita dicam) vsque ad aures mortuorum dormientium in sepulchris. Cum enim diuinæ virtutis sit mortuos excitare; merito vox illa qua id fiet, *tuba Dei* nominatur. Huius tubæ ac vocis meminit etiã Dominus apud Matth. 24, cum de suo ipsius aduentu ita loquitur: *Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis &c.*

ET MORTVI QVI IN CHRISTO SVNT, RESURGENT PRIMI. Nimirum continuè ad vocem archangeli & ad sonitum tubæ. Sic enim & in loco allegato Matthæi significatur, tuba & voce magna sonante resuscitandos electos, vt deinde ministerio angelorum congregentur in vnum locum. Sic & apostolus 1 Cor. 15 cū dixisset tubam caturam; mox adiecit, *& mortui resurgent incorrupti*. Mortuos autem qui in Christo sunt, siue, vt est in Græco, *mortuos in Christo*, nunc vocat, quos paulò antè, *dormientes per Iesum*, id est, mortuos in fide & societate Christi; quos eisdem Matthæus

electos

16

electos vocat. Etenim, vt iam supra dictum est, de sola iustorum siue electorum resurrectione agit apostolus hoc loco. Porro quod nos habemus, *resurgent primi*, Græcè est, *primum*; quomodo & S. Aug. legit, *De ciuit. lib. 20. c. 20*. Quem verò ordinem insinuet ea dictio, sequentia docebunt.

DEINDE NOS QVI VIVIMVS, QVI RELINQVIMVR. In Græco sunt eadem voces, quæ supra, *qui viuimus, qui residui sumus*. Vbi etiam expositum est qua ratione loquatur apostolus in prima persona. Non est autem hîc suppleendum, *resurgemus*, quasi dicere velit, illi primi resurgent, deinde nos resurgemus; sed orationem perficit pars sequens,

SIMVL RAPIEMVR CVM ILLIS IN NUBIBVS OBVIAM CHRISTO IN AERA. Græcè, *simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera*. Circa hunc locum multa quærentur, breuiter à nobis expedienda. Primum, cum dicat apostolus 1 Cor. 15. in momento & in ictu oculi futuram omnium resurrectionem; aut, secundum Græcos codices, omnium immutationem; quomodo hîc dicit aliquos resurrecturos primos, scilicet eos qui præmortui fuerint in Christo. Nam inde consequens videtur, cæteros, id est, eos qui viui reperientur, posterius resurrecturos, & proinde etiam posterius immutandos. Respondeo id ex hoc loco non esse consequens, nam ordo temporis significatus his vocabulis, *primum & deinde*, non est inter resurrectionem aut immutationem horum & illorum; sed inter resurrectionem aliorum, & raptum omnium. Id quod verba ipsa planè significant, *primum*, inquit, *mortui qui in Christo sunt, resurgent; deinde nos una cum illis rapiemur in aera*, quem ordinem etiam B. Thomas in commentario declarat. Relinquit autem apostolus intelligendum id quod ad Corinthios scribens exprimit, nempe eos qui superstites erunt, eodem momento ad beatam immortalitatem immutandos, quo mortui ad eam resurgent. Sed hinc iam oritur secunda quæstio, Num igitur superstites illi sine morte media transmigrandi sint & transituri ad statum incorruptionis? Nam neque mortis neque resurrectionis eorum hîc vlla fit mentio. De hac quæstione, Græcorum sententia est affirmatiua, quam & Caietanus sequitur; atque ea sanè tam ex hoc loco quàm ex 1 Corinth. 15, & 2 Corinth. 5. multum accipit probabilitatis. Origenes sanè lib. 2. contra Celsum, intelligit viuos & immutandos diuersos ab ijs qui resuscitabuntur. Et Epiphanius 64. tractans hunc locum, ait, *Qui rapitur, nondum mortuus est. & hinc docet quod in resurrectione erunt eadem corpora quæ nunc: quia sicut rapti & non mortui habebunt eadem corpora; sic mortui & resuscitati, erunt enim vtrique in eodem statu felicitatis*. Augustinus quoque ad Dulcitium quæst. 3. ait, *Ipsa verba apostoli hoc loco clamare videntur quod non morientur hi, de*

quibus dicit, *Deinde nos qui viuimus &c.* Videatur & vener. Beda hîc. Sed quoniam etiã in contrarium multa & magna sunt argumenta, partim ex varijs scripturæ testimonijs, quæ mortem omnibus communem faciunt, partim ex ratione petita, quæ Latinis patres plerosque in diuersam sententiam adduxerunt; ideo diximus in commentario vtriusque epistolæ ad Cor. quid ad memorata apostoli loca responderi possit. Cuius responsonis summa est, Eos qui viui reperientur in aduentu Domini, morituros quidem, nò tamen censendos in eorum numero, quos apostolus ad Corinthios, & hoc loco, *dormientes* vocat. Dicuntur enim apostolo *dormientes*, quos Christus Ioan. 5. vocat *eos qui in monumentis sunt*; qui & Dan. 12. dicuntur *dormire in terra puluere*; vt nimirum ea voce significetur somnus seu quies aliquanti temporis; qualis est mortuorum in sepulchris, non autem eorum, qui morientes, paulò post reuiuiscunt potius quàm resurgunt. Nam resurgere more scripturæ dicuntur qui è sepulchris surgunt, atque à somno mortis excitantur. Tali igitur modo non resurgent qui viui tunc reperientur; quia beatam illorum immutationem somnus mortis, & sepulturæ quies, non præcedet, sed tantum modica quædam ac breuissima dormitatio. Pleniorem huius difficultatis explicationem petat qui volet ex commentarijs nostris in 4. dist. 43. Vide etiã quæ dicimus ad huius epistolæ cap. 5. v. 3. ad fin. Tertio, de iisdem illis quæritur, si morituri sunt; quando morituri, quando item reuicturi. Quidam dicunt id futurum in raptu, quo in sublime ferentur obviam Christo. putant enim totam eorum immutationem qua vitam accipient immortalem, in ipso raptu perficiendam. Ita sentiunt Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 20. & Ambrosianus in huius loci commentario. Horum opinionem refert Magister sent. lib. 4. dist. 43. nihil tamen ipse desinens. Neque enim satis consistere videtur ea opinio cum apostolo 1 Cor. 15. dicente, secundum Latinorum quidem lectionem, quod omnes simul resurgent; secundum Græcam verò, quod omnes simul immutabuntur; videlicet in momento & ictu oculi. Quorum neutrum secundum dictam opinionem futurum esset, non ergo in raptu aliqui morientur aut reuiuiscunt. Adde, quod raptus ille fiet non solum post mortuorum resurrectionem, verum etiam post iudicis sententiam, dicentis, *Venite benedicti &c.* Prius enim est vt venire iubeantur, deinde vt veniant, quod erit per raptum in sublime. Quocirca longè verisimilius est, eos qui viui reperientur, morituros esse, dum adhuc in terra erunt; & quidem per ignem conflagrationis, qui secundum scripturas præcedet ante faciem, id est, conspectum & aduentum iudicis; resuscitandos autem & immutandos simul cū cæteris antea mortuis; quemadmodum ostendimus in 4. dist. 47. Quæres, quomodo

P 3

ergo

ergo dicit apostolus, *qui uiuimus rapiemur?* Respondeo non dicere apostolum, Qui uiuimus, rapiemur adhuc uiuentes: sed sensus est, Qui uiui reperiemur quando incipient apparere signa Dominici aduentus; postea, audita iudicis sententia nos ad se uocantis, rapiemur vnà cum ceteris electis in eius occursum; sed morte ac suscitacione inter illam vitam & hunc raptum media. Quarta quæstio est de ipso raptu; Nam quomodo rapiemur illi quorum corporibus inerit uirtus agilitatis, qua se ipsa possint ad nutum animæ in omnem partem facillimè mouere; cum raptus motum significet violentum? Respondeo, motum quo sancti ferentur in sublime obuiam Christo, raptum uocari, non ob violentiam, quæ ibi nulla futura est; sed uel propter celeritatē, quomodo dicit poeta, *Quò nunc se proripit ille?* qua ratione etiam de Christo intelligi potest illud Apoc. 12, *Et raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius*, id est, celerimè sublatus; nam & quæ celeriter fiunt, raptim fieri dicuntur: uel quia motus ille, quamuis non contra naturam futurus sit, utpote procedens ab interna uirtute seu dote agilitatis; erit tamen supra naturam; quemadmodum & ipsa dos futura est supernaturalis: uel denique raptus idcirco uocatur, quia non ita fiet ab interna uirtute, quæ etiam magnum momentum adferat externum illud obiectum, quodammodo trahens & rapiens ad se beatos, ipse nimirum Christus, ad quem in sublimi conspicuū & gloriosum, tanquam ad caput suum, omnia membra, uelut ab ipso attracta, sese quam celerimè mouebunt. nam ab obiecto trahi & rapti quippiam, notum est; ut ouem à ramo uiridi sibi ostenso, puerum à pomo, filium à matre conspecta, ac vicissim matrem à filio; quæ tamen omnia mouentur etiam ab interna quadam & insita uirtute. Postremò quæritur, quomodo dicat apostolus nos in nubibus obuiam ituros Christo, cum post sui innoationem nulla mixta corpora (homine excepto) ne quidem imperfecta, cuiusmodi sunt nubes, habiturus sit mundus. Eadem quæstio est ex tribus euangelistis Matthæo, Marco & Luca, testantibus Christum in nubibus uenturum ad iudicium. Quidam per nubes intelligunt ipsa beatorum gloriola corpora; sed minus rectè, nam ut aliquo modo possit ea expositio præsentis loco accommodari; minime tamen congruit ei sententiæ quam ex euangelij allegauimus. Adde quod ita dicuntur hoc loco sancti in nubibus obuiam ituri Christo; sicut Act. 1 de Christo in cælum ascendente dicitur: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, ubi nubem interpretari ipsum corpus Christi res ipsa non patitur. Alij nullum incommodum putant si dicantur uerè nubes, per Dei prouidentiam, ad momentum illic adfuturæ, in ministerium electorum; scilicet ut eos statim suscipiant & abscondant à conspectu reproborum: sicut uera fuit nubes quæ Christum suscepit ac submouit ab oculis mor-

talium. Nam omnia propter electos. Tertio, dici potest per *nubes* in his omnibus locis intelligi constitutionem quandam aëris densam & splendidam, nubi candidæ similem, quæ id officij præstitura sit ut & Christum uenientem comiteretur, & sanctos ei occurrentes subuehat, atque impiorum oculis subducat. Sic enim & locum Actor. 1. intelligi nihil prohibet.

ET SIC SEMPER CVM DOMINO ERIMVS. Id est, omnes simul, illo raptu aggregati Christo Domino in excelsis aëre, atque inde in cælum vnà cum eo subuecti, perpetua eius præsentia futuri sumus, semperque cum eo regnaturi, ac bonorum humanitatis eius, tanquam membra capiti sociata, participes futuri: quorum quidem bonorum maximum est uidere Deum facie ad faciem. Hæc quippe complectitur illa loquutio, *Esse cum Domino*. Hinc uerò consequens non est animas sanctorum ante diem extremi iudicij non uisuras essentiam Dei, ut perpetam docent hæretici; quos satis redarguunt alia apostoli loca, 2 Cor. 5. & Philip. 1. & illud Christi ad latronem, *hodie mecum eris in paradiso*. Luca 2. Non enim de animabus loquitur nunc apostolus, sed de hominibus; qui profectò non antè cum Christo futuri sunt, quam à morte reuixerint ad vitam immortalem. Cæterum ex hoc loco manifestè duo refelluntur errores; Origenis & Chiliastarum. nam si semper cum Christo futuri sumus: non magis nostra, quod uoluit Origenes, quam Christi felicitas aliquando finem habebit. Et, si statim à resurrectione Christo occuremus in cælum, semper cum eo mansuri; falluntur Chiliastæ, qui regnum mille annorum post resurrectionem nobis in terra promittunt, quo demum finito cum Christo regnaturi simus in cælis.

ITAQUE CONSOLAMINI INVICEM IN VERBIS ISTIS. Conclusio est, qua monet ut huiusmodi sermonibus de Christi aduentu & piorum resurrectione, regni que perpetua cum Christo societate futura, sese mutuo consolentur, ac dolorem leniant eorum qui caros suos lugent amissos. Quamquam illud, *in uerbis istis*, iuxta phrasim Hebræam qua *uermum* pro re sæpenumero accipitur, sic exponi potest, Itaque uos inuicem consolamini in ijs rebus quas iam dixi; nimirum earum commemoratione mutuam fidem & spem excitandò.

S V M M A R I V M.

Docet diem Domini esse incertum; monens unumquemque ut uigilet, & uersetur in operibus lucis. Commendat eos qui præsumunt, aliaque pietatis præcepta tradit.

CAPVT V.

DE TEMPORIBVS AVTEM ET MOMENTIS, FRATRES, NON INDIGETIS UT SCRIBAMVS VOBIS. Reprimat humanam curiositatem quæ non contenta rebus scitu necessarijs; ad inutilia & supervacanea cognoscenda, aut certè ad ea quorum cognitio mortalibus est denegata, desiderium extendit. Qui enim didicerunt Christum in fine sæculi uenturum ad iudicium, & mortuos omnes resurrecturos; moueri solent ad quærendum ulterius, post quantum temporis spacium ea sint futura. Qualem inordinatam sciendi cupiditatem etiã Christus in discipulis suis cohibuit Act. 1. dicens, *Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate*. Ad quæ Domini uerba uideri potest hic apostolus respexisse. *Momenta* dixit interpres utroque loco, quod Græcè est *καίρις*: Erasinus utrobique vertit, *articulos temporum*. nam inter *καίριον* & *καίρον* hoc interest, quod *καίριον* absolutè significet tempus certamque temporis mensuram, ut sæculum, annum, diem, horam: *καίρις* uerò tempus opportunum, aut constitutum rei cupiam agenda. Tale igitur est quod apostolus dicit: Necessarium uobis erat ut ad confirmandam fidem & spem uestram, & ad lugentium consolationem, scriberem de futuro Christi aduentu, & de mortuorum resurrectione: ut autem uobis significem tempora temporumque articulos & momenta quibus ea sint implenda, non opus habetis, nec attinet ea scribere; imò nec scribi à me possunt, quia Dominus ea latere uoluit, adeò ut dicat diem illum & horam nec angelis cognita esse.

IPSI ENIM DILIGENTER SCITIS, QVIA DIES DOMINI, SICVT FVR IN NOCTE, ITA VENIET. *Diligenter*, ex Græco rectius alij uertunt, *exacte, planè, ueniet*, Græcè *ἐπιχειμα*, præsentis temporis uerbum; sed passim pro futuro solitum usurpari. Cuius loco diuersum futuri temporis uerbum est apud Petrum in 2 epistola capite 3. cū alioqui dicit hoc ipsum quod Paulus: *Ueniet dies Domini, ut fur in nocte*. Sic enim ibi in Græco legitur. Hinc etiã liquet, *ἐπιχειμα* non tantum referri ad id quod sit breui uenturum, quodque iam sit in prociectu ut ueniat: nam dies extremi iudicij à temporibus apostolicis utique longè aberat; & adhuc ignotamus quam sit nobis uicinus. Itaque sensus est: Nam ipsi uos, à me dudum edocti, planè nostis quod dies ille Dominici

aduentus ita superueniet orbi inexpectatus, sicut fur nocte superuenit hominibus securè dormientibus. Non sentit apostolus aduentum Domini futurum in nocte: nam & hoc incertum est, nocte an die, mane an uespere, uenturus sit Dominus; sed docet, more nocturni futuri diem illum futurum hominibus omninò improuisum. Quæres, quomodo igitur Christus in euangelio signa quædam, illius diei prognostica, commoustrer, dicens: *Erunt signa in sole & luna & stellis &c.* Luc. 21. Respondeo, Ea signa præcessura quidem aliquantulum ipsum *Domini aduentum*; non tamen præcessura *diem Domini*: nam tempus illorum signorum sub die Domini comprehenditur. erit enim *dies Domini*, totum illud tempus signorum præcedentium, & Domini uenientis. Quod tamen tempus uerissimiliter non multorum erit dierum; sed paucorum aut forsitan unius diei tantum: Non enim Deo difficile erit ea omnia aliquot horarum spacio peragere.

CVM ENIM DIXERINT, PAX ET SECVRITAS; TVNC REPENTINVS EIS SUPERVENIET INTERITVS. Omnibus quidem dies ille ueniet ut fur nocturnus, quia ab omnibus ignorabitur, sed solos malos opprimet imparatos; unde & ijs solis interitum adferet. Nam boni, quamuis diem aduentus Domini ignorent, ad eum tamen semper parati sunt & præmuniti. Hic autem apostolus de malis loquitur, præsertim infidelibus & piorum persecutoribus. Qui cum sibi videbuntur alta pace frui, & putabunt omnia esse tuta (id enim Græca vox significat, *ἀσφάλεια*, quam noster interpretatur *securitatem*); Ambrosianus, *firmitatem* reddit) tunc repentinus interitus eis imminet. Quod enim nos habemus, *superueniet*, Græcè est, *ἐπιχειμα*, instat, imminet, quo præsentis temporis uerbo significantius exprimitur proximum & certum exitum.

SICVT DOLOR IN VTERO HABENTI. Ambrosianus, *quemadmodum dolor partus, prægnantis*: Nam Græca vox *ὠδίν* proprie dolorem parturientium significat: ut sit sensus, sic illis repenti superuenturum interitum, sicut mulierem grauidam ex improuiso, dum aliud agit, occupant dolores partus. aptissima est & scripturis frequentata hæc comparatio.

ET NON EFFUGIENT. In Græco modus est potentialis cum duplici negatione; *καὶ ἂν μὴ ἐκφυγῶσιν*, q. d. nec ulla ratione poterunt effugere malum imminens, sed certissimè ab eo comprehendentur. Caietanus hunc impiorum interitum interpretatur non in morte sed in termino uia; Nam, inquit, ex tunc reddentur obstinati in sua malicia, tanquam in ea mortui. Sentit enim, malos qui in aduentu Domini superstites reperientur, aequè ut bonos, sine morte media commutandos in statum perpetuum meritis eorum respondentem. Sed quia communior est ac probabilior opinio omnes esse morituros: rectius quoque interitum hunc de quo apostolus, id est, æternam damnatio-

nem, impijs in morte superventuram, atque in resurrectione complendam esse dicitur. Mortem autem repentē, sed non sine grauiſſimo cruciatu, eis inferet ignis conflagratorius qui faciem Christi iudicis aduenientis antecedit. Annotant quidam, apostolum addidisse, *Et non effugient*, ut ostenderet comparationem mulieris in partu dolentis non per omnia conuenire: Nam dolor eius statim a partu mutatur in gaudium propter natam sibi prolem. At impiorum interitus semper durabit. Verum arbitror apostolum non id velle, Nō effugient interitum semel ab eo occupati; sed, Non effugient sic ut in eum non incidant.

4 VOS AUTEM FRATRES NON ESTIS IN TENEBRIS: Doctrinam præcedentem conuertit in locum moralem, quo Thessalonicenses admonet suæ vocationis, ut secundum eam viuentes non imparati deprehendantur in die Domini. *Vos autem*, inquit, *fratres, non estis in tenebris*, id est, Vos cum sitis illuminati per fidem viam, non iam estis in nocte tenebrarum, id est, infidelitatis ac cæterorum viciorum,

VT VOS DIES ILLA TANQVAM FUR COMPREHENDAT. Id est, ut dies illa Domini vos operibus tenebrarum deditos ac somno ignorantie & negligentie consopitos, velut fur nocturnus, inueniat & comprehendat. Quamuis enim, ut dixi, & probari potest ex Apoc. 15. dies Domini sicut fur in nocte venturus sit omnibus, quatenus omnes omnino latebit; non tamen omnes sicut fur comprehendet, hoc est, opprimet ac perdet; sed eos solos quos somno ac tenebris occupatos inueniet, id est, malos. Iam quod de die aduentus Dominici commonet; id consequenter de die mortis & exitus singulorum, quo iudicium agitur particulare, vult intelligi. Nam talis quisque exhibebitur in vniuersali iudicio, qualis in morte fuerit inuentus: & sicut diem Domini venturum scimus, quando venturus sit, ignoramus; ita & diem mortis nostræ. Quare eadem est exhortatio de huius atque de illius diei expectatione; quemadmodum pluribus verbis docet Augustinus ep. 80 ad Helychium.

5 OMNES ENIM VOS FILII LUCIS ESTIS, ET FILII DIEI. Particulam, *enim*, quæ & in Syriaca versione legitur, Græca non addunt; tamen sensus causalis est; continet enim hæc pars probationem eius quod dixit, *Non estis in tenebris*; quia nimirum, *omnes vos*, inquit, *estis filij lucis atq; diei*, id est, fide illuminati, & ad opera lucis ac diei (quæ sunt opera fidei, cæterarumq; virtutum) exercenda per Christi gratiam vocati. Metaphora lucis ac tenebrarum, item diei ac noctis, pro fide & infidelitate, virtutibus ac vicij, & vtriusque generis operibus; Christo & apostolis eius familiaris fuit: quod liquet etiam ex Petri & Ioannis epistolis. *filios autem lucis & diei* vocat, Hebræa phrasi, quod additi sunt operibus lucis

ac diei. Sic Ephes. 5. *Ut filij lucis ambulate*. Dicit autem, *omnes vos*; non quod sciret omnes fideles qui erant Thessalonicæ, nemine excepto, iustos esse, (soli quippe iusti sunt filij lucis & diei): sed quia de singulis eam habebat fiduciam quod iusti essent. Aut dixit, *omnes vos*, non distributiue, sed collectiue, significare volens ipsam congregationem: quæ sancta erat; etsi non singuli, sancti. Qua ratione passim eos ad quos scribit, sanctorum appellatione honorat.

NON SVMVS NOCTIS NEQVE TENEBRARVM, scilicet filij, id est, noctis ac tenebrarum opera sectantes: iuxta metaphoram de qua modò diximus. Mutat personam apostolus, ut innuat, id quod dicit omnium esse Christianorum. Ambrosianus tamen & Syrus interpretes secundam personam retinent. Et quidem Syriaca versio sic habet: *Non autem estis filij noctis neque filij tenebrarum*.

6 IGITUR NON DORMIAMVS, SICVT ET CÆTERI; SED VIGILEMVS ET SOBRII SIMVS. Persistit in metaphora diei ac noctis; atque ex ea materiam sumit exhortationis. Quoniam, inquit, non noctis sed diei filij sumus: igitur ne dormiamus, quasi in nocte; id est, ne corripiat nos obliuio iudicij Domini, & somnus peccatorum, uti cæteris contingit, nimirum infidelibus, qui sunt noctis filij; sed vigilemus, & sobrii simus, quasi in die; hoc est, semper sumus in expectatione iudicij venturi, quod est vigilare; semperque iustis ac temperatis actionibus intenti, quod est sobrios esse. Similis exhortatio est ex allegoria noctis ac diei, Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit: Abijciamus ergo opera tenebrarum &c.*

7 QVI ENIM DORMIUNT, NOCTE DORMIUNT; ET QVI EBRII SVNT, NOCTE EBRII SVNT. Græcè & Syriacè, *qui inebriantur, nocte inebriantur*. Ambrosianus, *Et qui inebriantur, nocte sunt ebrj*. Sensus: Experientia notum est homines nocte dormire, & nocte inebriari; id est, ad somnum & ebrietates plerumque noctem eligere, velut tempus commodum. sciunt enim quàm malè congruunt diei, huiusmodi actiones. Nos igitur qui diei filij sumus, ab ijs actionibus quæ per somnum & ebrietatem significantur, abstinemus, & faciamus id quod sequitur.

8 NOS AUTEM QVI DIEI SVMVS, SOBRII SIMVS. Id est, Nos Christiani *qui sumus filij diei* (id enim rursus hic exprimit interpret Syrus) ijs actionibus incumbamus, quæ per sobrietatem significantur; quale est omne genus honestarum & piarum actionum. Quorum fontes aperit sequentibus verbis.

INDVTI LORICAM FIDEI ET CHARITATIS, ET GALEAM SPM SALVTIS. Innuat filijs lucis non solum vigilandum, sed etiam pugnandum esse; dum eis arma suppeditat quibus se contra aduersarium defendant. Ea sunt *fides & charitas*, pro *lorica*; & *spes* pro *galea*. Conferendus hic locus cum eo qui est Eph. 6

vbi

vbi Christiani militis armaturam plenius describit, ac verbis paulum diuersis, tamen in sensu nulla repugnantia est. Quam enim hic appellat *loricam fidei & charitatis*; illic, *loricam iusticia* nominat, eo quod iusticia Christiana non alia sit quàm fides charitati coniuncta & per eam operata. Quam quidem, lorica seu thoracem vocat; quia sicut thorax militaris vitalia membra protegit, ita fides charitate exercita, vitam animæ custodit. *Iustus enim ex fide vivit*. Cur autem eandem fidem, in epistola ad Ephesios scuto comparet; in illius loci commentario dictum est. Eius porò quod sequitur, *Et galeam spem salutis*; videri potest hæc esse constructio, *Et galeam salutis, spem*; ut genitiuus, *salutis*, ad *galeam* referatur. Sic enim habetur Ephes. 6. *Et galeam salutis assumite*. Item Isa. 59. *Et galea salutis in capite eius*. Sensus est: Et pro galea salutari spem induit; spem, inquam, cælestium bonorum, qua caput nostrum, id est, principium, & intentio operum nostrorum in Deum erecta persistat. Ex his tamen quæ sunt v. seq. cõmunis & obuia constructio defendi potest. In sensu nil mutatur.

9 QVONIAM NON POSVIT NOS DEVS IN IRAM, SED IN ACQUISITIONEM SALVTIS. Confirmat quod dixit spem pro galea assumendam esse. Nam, inquit, Deus non posuit, constituit, ordinavit nos ad iram seu vindictam, id est, non prædestinavit nos ad æternam damnationem; sed ad æternam salutem efficaciter acquirendam. Hebræa phrasi dicuntur *positi* in hoc aut illud, id est, destinati. Sic cap. 3 huius epistolæ, *in hoc positi sumus*. *Ira* quoque pro vindicta seu punitione, Hebraismus est. Fallitur autem Erasmus, dum a verbis apostoli recedens ita vertit; *Non constituit nos Deus ut iram concitemus, sed ut salutem consequamur*. Plus enim est quod dicit apostolus, nempe, nos non esse reprobos à Deo, sed electos. Sunt autem verba bonæ spei ac fiducia, quibus Thessalonicensium animos excitat, ut per bona opera contendant eò ad quod electi sunt, peruenire. Rectè verò Caietanus ex eo quod apostolus negat Deum nos posuisse in iram; cõsequens esse docet, reprobos à Deo positos in iram; idq; iuxta doctrinam eiusdem apostoli fusè traditam in epistola Rom. Positi sunt enim, inquit, ad suscipiendam diuinam iusticiam vindicatiuam, in æternum.

PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Refertur potest hæc clausula vel ad verbum *posuit*, vel ad proximam partem, *in acquisitionem salutis*. Et illo quidem modo, sensus est: Deus per Christum nos prædestinavit ad salutem. Hoc autem modo sensus erit: Deus prædestinavit nos ad salutem per Christi merita nobis acquirendam. Vterque sensus bonus est; sed prior magis esse videretur Paulinæ mentis: Nam à Deo per Christum nos electos esse, sermo est apostolo frequens. Eph. 1. & alibi.

10 QVI MORTVVS EST PRO NOBIS. Hoc quoque dicit in persona electorum. Etenim

quamuis sanguis & mors Christi sufficiens sit precium pro redemptione totius humani generis; effectus tamen atque proprietates redemptionis & salutis, penes solos electos est, Domino dicente: *Ego animam meam pono pro omnibus meis*. Ioan. 10. & Ioan. 17. *Non pro mundo rogō*. Mortuus est autem pro nobis; ne nos maneremus in morte, sed ut in æternum viueremus. Hoc enim sequitur,

VT SIVE VIGILEMVS, SIVE DORMIAMVS, SIMVL CVM ILLO VIVAMVS. Triplicis somni meminit in superioribus. Primus, erat somnus mortis, de quo dixerat: *Nolo vos ignorare de dormientibus*. Secundus, peccati; de quo paulò antè dixit. *Igitur non dormiamus sicut & cæteri*. Tertius, naturæ, de quo subiunxit: *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt*. Huic autem triplici somno, triplex vigilia respondet, vitæ, iusticiæ & naturæ. Constat autem hoc loco non intelligi somnum secundi generis; & proinde nec vigiliam ei oppositam. Sed vtrum de tertio, an verò de primo genere somni & vigiliæ loquatur, querendum est. De tertio sensus est huiusmodi; Christum pro nobis mortuum esse, ut siue corpore vigilemus, siue dormiamus; id est, in omnibus quæ agimus aut patimur in hac vita; simul cum ipso viuamus: ut sicut illius vita iusticia est, ita nos illi, iuste viuendo, conformemur. Hæc Caietani est expositio. Verum alij ferè omnes tam Græci quàm Latini de primo genere interpretantur, eo sensu quem dilucidè tradit Ambrosianus. Idcirco, inquit, mortuus est pro nobis Dominus Iesus & resurrexit; ut siue vigilemus, hoc est, viuamus; siue dormiamus, id est, mortui simus, vnà cum illo æternam vitam fruamur. Hic sensus omninò probabilis est, respicit enim apostolus, ut idem author submonet, ad doctrinam suam superiorem, qua dixit fideles, in aduentu Domini, tam mortuos quàm viuentes, obuiam ituros Domino, & sic semper cum eo futuros; id quod proprie est viuere cum Christo, secundum phrasim scripturæ, quam vitam significauit etiam nomine salutis in parte præcedenti. Nam alioqui, durante mortali hac vita, magis in Christo, quàm cum Christo viuere dicimur. Denique confirmat hunc intellectum quòd exhortatiunculam qua doctrinam de beatâ resurrectione supra traditam concluderat, nunc repetit dicens:

11 PROPTER QVOD CONSOLAMINI INVICEM, scilicet per ea quæ de resurrectione mortuorum & vita perpetua cum Christo ducenda, iam ex me audiistis. Minus placet quod alij vertunt, *exhortamini vos mutuo*. Nam, ut dixi, repetitio est eius quod semel dixit, *Itaque consolamini inuicem in verbis istis*.

ET ÆDIFICATE ALTERVTRVM, id est, mutuam salutem promouete pijs sermonibus, quibus ad spem beatæ resurrectionis & vitæ æternæ, fratrum animi excitentur.

SICVT ET FACITIS. Hoc addit quo gratior sit exhortatio laudi permixta.

ROGA-

12 ROGAMVS AVTEM VOS FRATRES, VT NOVERITIS EOS QUI LABORANT INTER VOS. Subiicit nunc alia quædam præcepta ad institutionem vitæ Christianæ spectantia. Ac primo loco commendat honorem debitum ecclesiæ præfectis ac ministris. *Rogamus*, inquit, vos, fratres, ut noveritis siue agnoscat, id est, rationem ac respectum habeatis eorum qui laborant inter vos, docendo, & Christi sacramenta ministrando, & cætera quæ salutis vestræ sunt, procurando. *Nouisse* pro eo quod est approbare frequentissimum est in sacris literis. Verum agnitio præsentis loci potissimum consistit in obedientia, reuerentia, & rerum ad vitam necessariorum prompta ac liberali subministratio. Quæ omnia vno honoris vocabulo alibi significantur.

ET PRÆSENT VOBIS IN DOMINO. Id est, in his quæ ad Christi Domini religionem spectant. Distincta est hæc pars à præcedenti, quia non omnes qui in ecclesia laborant, etiã præsent aut regimen habent aliorum.

ET MOMENT VOS, nempe de ijs quæ agere aut fugere debeatis. Hic comprehenduntur etiam exhortationes & correptiones; sunt enim eiusdem generis cum admonitione. Et quamvis huiusmodi actiones etiam priuatorum sint hominum, præcipue tamen, atque ex officij ratione pertinent ad præfectos. Addit autem hanc partem apostolus, eo quod admonitiones & correptiones solent esse graues & odiosæ peccantibus: q. d. eo nomine propensius amandi & honorandi vobis sunt præpositi vestri, quod ita sincerè faciant officium, vt nec gratiã cuiusquam nec offensione moueantur, quo minus ea quæ salutaria cuique sunt, impendant.

13 VT HABEATIS ILLOS ABUNDANTIVS IN CHARITATE PROPTER OPVS ILLORVM. Græca sic ad verbũ, & ducere illos super exabundanti, in charitate, &c. Pedit autẽ adhuc sententia, à verbo, *rogamus*; & sensus est: Itẽ rogamus vt æstimetis eos summopere, vt habeatis eos in magno precio; propter opus excellentissimum in quo versantur, quod est procuratio salutis vestræ; idque faciatis non metu aut simulatione, sed in charitate siue per charitatẽ, qua tales iustum est diligere. Priorẽ partem Ambrosianus legit hoc modo: *Vt illis summum honorem habeatis*; honorem autem interpretatur illũ de quo 1 Tim. 5. *Qui bene præsent præbent, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina*. Sed quaeret aliquis, an prælati non facientibus ea quæ sui sunt officij, debeat a fidelibus honor, siue qui in obedientia & reuerentia consistit, siue qui in subministratio bonorum temporalium. Negant enim id hæretici, tam hodierni, quam vetustiores; Inter quos Ioãnes VVicleff dicebat, parochianos posse prælati suis, propter eorũ peccata, ad libitũ suum auferre decimas. Probat autẽ ex apostolo, qui hoc loco & ad Tim. eos demũ vult agnosci & honorari, & in precio haberi, qui laborant, qui admo-

uent, qui bene præsent. Vnde & hic expressẽ dicit, *propter opus illorum*. Respondemus, apostolũ nusquã docere quod præfecti malè fungentes officio, non sint honorandi, sed magis contrariũ innuere, dũ principes etiam infideles & impios, quales fuerit Claudius & Nero, vult agnosci & honore affici. Ro. 13. Tit. 3. Nã & Petrus apostolus, 1 ep. 2 præcipit seruis vt *subditi sint dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*. Quãquam non dubium est, (id quod apostoli verba tam ad Tim. quã hoc loco significant) magis & abundantius honorandos esse eos qui bene præsent, quã qui malè. Dum tamen hos in officio tolerat ecclesiã; fideli populo nõ licet subtrahere vel obedientiam vel sustentationem iure decretam, quales sunt decimæ. Quapropter memorata VVicleffi verba meritò damnata sunt in concilio Constantiensi sub articulo 18. Nec valet hæreticorum argumentatio, Mali prælati indigni sunt honore: ergo non sunt honorandi. nihil magis quã si sic argumenteris, Mali homines indigni sunt amore: ergo non sunt amandi. nam debitum honoris & amoris nõ est ex dignitate illorum, sed ex statu & conditione; quia præfecti, quia proximi.

PACEM HABETE CVM EIS. Variant hic Græci codices. nam alij legunt *et aduersus, in eis*: alij verò, nominatim qui de Complutensibus expressi, reciprocè, *et aduersus, in vobis ipsis*, id est, inter vos. Sic & Oecumenius, Græcè; & commentator Ambrosianus, Latinè. Vtriusque lectionis meminit Theophylactus. Noster interpretis priori modo legisse videtur, vt sit sensus: Pacem habete ac retinete cum ijs qui vobis præsent, caute sedulo nequa occasione diffidium inter vos & illos excitetur. Nisi enim pax constet inter plebem & pastorem; fructus in plebe ex pastoris ministerio sperari non poterit. Cæterum posterior lectio, secundum quam admonet Thessalonicenses vt inter se mutuo pacem habeant foueantque, magis germana videtur; tum quia nouum præceptum est nulla coniunctione cum præcedentibus coherens, tum quia prioris lectionis sensus in superioribus satis includitur, velut minus in maiori, vt ne dicam quod nec Græcè nec Hebraicè proprietatis est ita loqui, *pacem habete in eis*, id est, cum eis. Potius id verendum esset, *inter illos*; sed sensus haud conuenit. Itaque videtur apostolus, ad finem epistolæ accedens, ita Thessalonicensibus commendasse pacem mutuam; dicendo, *pacem habete inter vos*; sicut Corinthiis sub finem secundæ epistolæ, dicendo absolute, *pacem habete*. Nam & quod illic continuo addit, *et Deus pacis erit vobiscum*; hic, quibusdam interpositis, subiungit, ita dicens: *Deus pacis sanctificet vos &c.*

14 ROGAMVS AVTEM VOS FRATRES. Hic, itã alloquitur eos qui præsent, & partes quædam eorum officij attingit. Nam ad præfectos hæc dici, (licet quæ dicuntur, suo quodam modo præstari possint ac debeant etiam a pri-

uatis) tam Latini quã Græci interpretes annotant. *Rogamus*, *et aduersus*, verti potest, obsecramus, exhortamur.

CORRIPITE INQUIETOS. Græcè, *admonete inordinatos*. Est enim idem verbum quod paulò superius, *et monete vos*: tamen admonitio huius loci non sine correptione fieri debet. Et ipse Erasmus *correctionem* vertit, Ephes. 6. *Inordinatos* autem siue incõpositos, intelligit aut in genere eos qui pacem & tranquillitatem publicam turbant malis ac dissolutis moribus; quod genus hominum nusquã deest; aut speciatim eos quos præcedenti capite notauit, inquietos & ociosos, & laborem fugientes, atque alienarum rerum curiosos. Contra quos aperius adhuc & seuerius agit sub finem secundæ epistolæ, vbi eadem vox Græca semel & iterum legitur. Vocantur autẽ *inordinati*, quod nec suum seruent locum & ordinem, agẽtes ea quæ sui sunt officij; & aliorum ordinem in quietudine & curiositate sua perturbent. metaphora sumpta à militibus sparsis & inconditis, qui que (vt ait Cicero) nõ sunt in numeros coacti.

CONSOLAMINI PVSILLANIMES. *Pusillanimitas* est cui animus ad magna deficit. tales consolatione erigendi sunt, ne in aduersis animum despondeant, ne grauiori tentatione pulsati victoriam desperent. Ita Paulus illi Corinthio ob incestum excommunicato, iamque pœnitenti & afflictio, *ne abundantiori tristitia absorbeat*, vult adhiberi consolationis remedium 2 Cor. 2.

SUSCIPITE INFIRMOS. Ambrosianus legit, *opitulamini infirmis*. Alij vertunt, *subleuate infirmos*. Alij *sustinete*. Sic & interpretes Syrus, *Sustinete onus debiliũ*. Græcum verbum duo videtur complecti; tolerantiam & auxilium: quæ satis aptè significantur Latino verbo, *suscipite*. Vult igitur apostolus eos qui fide sunt infirmi, qui que in via Dei facile scandalizantur, tolerando foueri & confirmari. Sic alibi præcipit, *Infirmum in fide suscipite, non in disceptationibus cogitationum*. Et iterum, *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere*. Roman. 14. & 15.

PATIENTES ESTOTE AD OMNES. Græcè *Longanimos*, id est, Lenes & mansueti estote erga omnes, non solum infirmos, & pusillanimes; verum etiam erga inquietos. Virtus cum omnibus, tum ijs qui præsent in primis necessaria: omnibus quidem, iuxta illud fidelibus in genere præscriptum, Tit. 3. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines: peculiariter autem episcopis & præfectis, iuxta id quod Timotheo præcipit apostolus 2. ep. 2. Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.*

15 VIDETE NE QVIS MALVM PRO MALO ALICVI REDDAT. Præfectos admonet, vt nõ solũ ipsi se non vindicent de iniurijs acceptis, verum etiam pro officio caueant ne qui sint

inter fideles vindictæ cupidi, qui malum pro malo rependant. Prohibetur enim appetitus vindictæ; qua malum proximi quaeritur, non ordo iustitiæ, qua malũ commissum à legitima potestate punitur, vt fiat compensatio.

SED SEMPER QVOD BONVM EST, SECTAMINI INVICEM, ET IN OMNES. Græcè *persequimini, et ad inuicem et ad omnes*. Verbũ idem quod 1 Cor. 14. *Sectamini charitatem*; quo significatur adens studium ad re quampiam. Itaque sensus est: Quin potius, *semper*, id est, omni occasione, quã maxime studete omnibus benefacere, nõ solum fratribus, verum etiam infidelibus & persecutoribus vestris. Præceptum verè Christianum, idque omnibus comune; qualia sunt & quæ ita sequuntur.

16 SEMPER GAUDETE, gaudio spirituali; hoc enim inter aduersitates & pressuras singulare leuamẽ est, ijs præsertim qui patiuntur pro Christo. Sensus & rationem huius præcepti plenius exposuimus ad illud Philip. 4. *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.*

17 SINE INTERMISSIONE ORATE. Idem est cum illo Lucæ 18. *Oportet semper orare*. Quod quomodo sit intelligendum quaeritur, cum humanæ conditionis infirmitas non ferat perpetuam & nunquam intermissam orationem. Vnde qui hoc propriè, sicuti verba sonant, intellexerunt, putantes id præcipi vt alijs negocijs omissis, incessabiliter oremus; inter hæreticos numerantur sub nomine Euchitarum, apud Epiphanium hæresi vltima; & apud Augustinum hæresi 57. Neque tamen sufficit hoc præceptum exponere de virtuali perpetuitate orationis, aut desiderio vitæ æternæ virtuali; quomodo nonnulli illud exponunt. Nam qui actu rarissime oraret, etiãsi virtualem orandi affectum ac vitæ æternæ desiderium interim retineret; nõ satisfaceret huic præcepto, quod actum procul dubio requirit. Augustinus, loco memorato, præcipi putat vt nullo die intermittantur certa orandi tempora. quem secutus in cõmentario B. Thomas, ait, Ille semper orat qui statutas horas non intermittit. Et adducit locum similem ex 2 Reg. 9. vbi David ait ad Miphiboseth; *Tu comedes panem in mensa mea semper*, id est, quotidie statutis horis. Verum simplicius est vt dicamus in vocabulo *semper* esse quandam hyperbolen; vt sensus præcepti sit, multum & frequenter orandum esse: quemadmodum & illud Ephes. 6, *orantes omni tempore*, à nobis expositum est. Vbi Theophylactus, Non stas tantummodo horis, sed omni tempore vult orandum. Nam si quis frequenter orer, non tamen id faciat certis ac statutis temporibus, vt cui tempora ad orandum constituta non sunt; is vtique, ad sensum præcepti, *semper, et omni tempore, ac sine intermissione Deum orare* dicetur. Sic apostolus alibi se sine intermissione memoriam facere dicit eorum ad quos scribit: vt Ro. 1. 2 Tim. 1. Ad huc modum apostoli præceptum exponit Athanasius ita de Antonio scribens: *Orabat frequenter,*

quippe qui didicerat quod oporteret sine intermissione Dominum orare. Nec secus Ambrosius qui lib. 1 de Abel & Cain cap. 9 Christi præceptum sic explicat; Impensè & frequenter monuit orandum; non ut fastidiosa continetur oratio, sed ut assidua frequenter effundatur. Porro manifesta præcepti ratio est, quia semper & in omnibus opus habemus auxilio Dei; quod proinde nobis quàm frequentissimè implorandum est.

18 IN OMNIBUS GRATIAS AGITE. In omnibus, intellige bonis, id est, ijs quæ vobis bona sunt. Nam de peccatis vel nostris vel alienis impium esset Deo gratias agere. Cæterum in ijs quæ mala pœnæ vocantur, eatenus agenda gratiæ, quatenus & illa nobis bona sunt & salutaria. Sic enim amplectenda sunt loco diuini beneficii. Vnde præceptum hoc Græci atque Latini interpretes ita exponunt: In omnibus, tam aduersis quàm prosperis, Deo gratias agite. Sed quia præcipua bona nostra sunt ea quibus Deo placemus, id est, virtutes, & earum actus; idcirco vel maximè de ijs omnibus, ex apostoli præcepto, gratiæ sunt agenda; prout eundem hunc locum explicat Ambrosianus commentator. Hinc ergo, certissimo argumento, colligitur, Deum omnis boni in nobis auctorem esse. nam gratias agere Deo pro bonis quæ te non putas ab eo accepisse; non esset Deo gratias agere, sed Deum irridere, ait S. Aug. Simile præceptum est ac similiter à nobis expositum, Ephel. 5. *Gratias agentes semper pro omnibus.* Estque hoc hominis verè Christiani, in omnibus Deo gratias agere.

HÆC EST ENIM VOLUNTAS DEI IN CHRISTO IESU, IN OMNIBUS VOBIS. Græca & Syra sine vniuersali signo legunt, ad vos, siue, erga vos. Ambrosianus quoque signum non addit. Quidam causalem hanc pericopen referunt ad id solum quod proximè præcessit: hoc sensu; Moneo ut in omnibus gratias agatis; quia Dei voluntas est, Deoque vehementer acceptum ut grati sitis erga ipsum à quo tam innumera beneficia accepistis. Verum nihil prohibet, imò conuenientius est, ut referatur hæc pars etiam ad cætera præcepta præcedentia: q. d. apostolus, Hæc nō mea, sed Dei præcepta sunt; nam Dei voluntas est, Christo docente tradita, ut vos hæc faciatis. Voluntatem igitur intellexit præceptiuam; quam & superiori capite, dicens, *hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.*

19 SPIRITUM NOLITE EXTINGUERE. Rursus quædam præcepta subiicit, quæ magis ad ecclesiæ præfectos specialiter, quàm ad vniuersam plebem, pertineant. Quod præcipit de spiritu non extinguendo, Augustinus epistola 23 ad Bonifacium sic intelligit: Spiritum sanctum ne extinguat, quantum in vobis est. Nam ille exstingui non potest; sed extinctores eius meritò dicuntur, qui sic agunt, ut extinctum velint. Adducit autem locum similem ex epistola Cypriani de lapsis, vbi di-

cit infantes ad idola à parentibus attractos, amisisse quod in baptismo acceperant. *Amiserunt*, inquit Augustinus, quantum attinebat ad scelus parentum: cum gratia baptismi paruulis nihil peccantibus non posset auferri. Chrysostomus autem & alij plerique, per Spiritum sanctum metonymicè charismata eius accipiunt, id est, ea Spiritus sancti dona quæ dantur ad aliorum vtilitatem; cuiusmodi multa ab apostolo enumerantur 1. Cor. 12. Qui commentarius haud dubiè congruit cum ijs quæ sequuntur. Respicit autem apostolus præcipuè ad ea dona quorum vsus erat in conuentibus fidelium; ut sensus sit: Nolite prohibere quo minus quisque proferat in medium id quod à Spiritu sancto accepit; siue ut linguis loquatur, siue ut eas interpretetur; siue ut annunciet occulta mysteria, siue ut scripturas exponat. hæc enim prohibere, esset Spiritum sanctum in donis suis extinguere. Sed & illi Spiritum sanctum extinguunt, qui miracula, quæ etiam hodie sancti Spiritus operatione multis in locis fiunt; obsecrare conantur; aut, quod peius est, ea dæmonum prestigijs ascribunt, quæ sicut olim scribarum & pharisæorum calumnia fuit aduersus Christum; ita nunc est hæreticorum aduersus ecclesiam Christi: Porro non sentit apostolus permittendum esse omnibus inspirationem aliquam habentibus, indiscretè & confusè loqui in ecclesia; sed ut hæc agantur ordinatè ex eorum iudicio qui præsent: quemadmodum ipse latè præcipit 1. Cor. 14. ita tandem concludens; *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.*

20 PROPHETIAS NOLITE SPERNERE. Prophetias in genere vocat sermones, quibus ex inspiratione diuina proferebantur occulta quædam; siue ea essent res futuræ, siue scripturarum sensus, siue alia quæcunque latentia mysteria. Sic enim generaliter accipi donum prophetiæ apud apostolum, ostendimus ad illud 1. Cor. 14. *Magis autem ut prophetetis.* Igitur huiusmodi sermones si à fratribus in medium adferantur, non vult in vniuersum contemni & abijci, ne spiritus exstinguatur. Aduersus hoc præceptum peccant & illi, qui reuelationes priuatas, quibuscunque hominibus factæ legantur, toto genere spernunt, atque reijciunt. Etenim hæc omnia prudenter examinanda sunt, ut sciatur quid tenendum, quid reijciendum. Vnde sequitur,

21 OMNIA PROBATE, QUOD BONVM EST TENETE. Hoc est, Omnia quæ dicuntur à fratribus tanquam prophetantibus, diligenter expendite, discutite, & dijudicate, qualia sint: & quicquid inuenieritis bonum, sanæque doctrinæ consentaneum, id retinete. Hac apostoli sententia dupliciter abutuntur hæretici; & quo ad res, & quo ad personas. Volunt enim omnia sacrosanctæ fidei dogmata reuocari ad examen, etiam ea

quæ

quæ iam olim ab ecclesia definita sunt. Item volunt omnes fideles esse earum controuersiarum iudices; ad quos nimirum probandi, id est, examinandi, ac dijudicandi, munus pertineat. Vtrumque certè absurdissimum, nec aliò tendens, quàm ut in doctrina fidei nihil inquam certi sit, dum omnia omnium examini & iudicio semper relinquuntur. Nec villo modo tantæ absurditati fauet hoc apostoli præceptum, *Omnia probate*; Non enim de omnibus omnino hoc dicit, sed de ijs quæ noua proferebantur à fratribus, & probata nondum erant. hæc enim dijudicari oportebat, secundum id quod idem apostolus præcipit Corinthijs, dicens: *Propheta duo aut tres dicant; & ceteri dijudicent*, 1. Cor. 14. Ea verò quæ ab ipso, ceterisque apostolis tradita erant ecclesijs, non dijudicari vult sed teneri; ut in secunda ad eosdem Thessalonicenses epistola ca. 2. *Tenete*, inquit, *traditiones quas didicistis*, & 1. Cor. 11. *Laudo vos quod sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Porro quæ dijudicanda & probanda adhuc occurrerant, ea non ab omnibus probari præcipit, sed à præfectis; ad quos id officij spectabat. Iam enim dictum est, hæc præcepta, quorum istud tertium est, ut & superiora nonnulla, potissimum ad eos qui præsent, dirigi. Sicut enim in apostolicis literis, alia dominis, maritis, parentibus; alia seruis, vxoribus, filijs præcipiuntur; sic alia præfectis, alia plebi fidelium. Quod qui non obseruat; necesse est ut omnium officia confundat. Si quis tamen hoc præceptum, quo iubemur omnia probare, malit intelligere de probatione, seu iudicio discretionis, quemadmodum & illud paulo antè citatum, *Ceteri dijudicent*; ei non admodum refragabimur, modò fateatur etiam hoc iudicium non omnium esse, sed paucorum; ut pote, eorum qui, ut apostolus loquitur Heb. 5. *pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali*; quique præditi sūt dono discretionis spirituum; de quo 1. Cor. 12. Denique, qui spirituales sunt, non animales, nam *animalis homo non percipit ea quæ sūt spiritus Dei; spiritualis autem iudicat omnia.* 1. Cor. 2. Dummodo etiam fateatur huiusmodi iudiciū submitti oportere iudicio eius qui publicam habet eius rei auctoritatem; quales in ecclesia sunt episcopi, atque imprimis Romanus pontifex. Quare si quis cōtendat omnibus fidelibus dictum ut omnia probent; id profectò non aliter ijs competet, quàm quatenus sciunt audiendā sibi esse vocē sui pastoris, & manendum in eo quod acceperunt ab initio, & tenendum quod tenet ecclesia: atque ex his principijs iudicant de vnoquoque dogmate proposito. Si quid autē nouum ac dubium exoritur, non præsumunt priuato examinare iudicio, sed ad pastores & prælatos ecclesiæ examinandū ac iudicandū remittunt. Cōferatur hic locus cū eo quod præcipit Ioānes 1. ep. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Sunt enim præcepta

similia, ac similiter intelligenda. Ex quo quidem intellectu iā id etiam liquet, quàm ineptè eiusmodi scripturæ loca detorqueant hæretici ad perniciosam illam licentiā; qua volūt omnium librorum lectionē omnibus esse permissam. Nam libri quos vt hæreticos, aut aliqui noxios, ecclesia damnauit; non amplius probandi, id est examinandi, sunt, sed fugiendi. Qui verò probandi adhuc restant; non ab omnibus sunt probandi, sed ab ijs quibus id munus ex ordinaria aut delegata potestate competit. Dissertimus eo de argumento tribus orationibus panegyricis.

22 AB OMNI SPECIE MALA ABSTINETE VOS. Potest etiā verti in genitiuo, *Ab omni specie mali*; quomodo reddidit Oecumenij interpres, & alij nonnulli. Præceptum generale est, quomonet, ne quid agat, quod malū, id est, peccati, speciē præ se ferat, etiam si per se malū non sit. Hoc autē præceptum est cauendi scandalij; quo nimirum proximo occasio peccandi præbetur. Neque necesse est hanc partē interpretari (quod quidā faciunt) ut connexionē habeat cum ijs quæ proximè præcedunt; Nā potius videtur apostolus referre memoriā eius quod præcepit capite superiori, *ut honestè ambulēt ad eos qui foris sunt.* Maxima enim cura erat apostolis, ne quid committerent fideles, per quod religio Christiana apud infideles malè audiret.

23 IPSE AUTEM DEVS PACIS SANCTIFICET VOS PER OMNIA. Clausurus epistolam precatur eis à Deo pacem, & sanctitatē; pacē quidem, tacitè in eo quod dicit, *Deus pacis*, scilicet author: sanctitatē verò, id est, vitæ puritatem, expressè, cum ait, *Sanctificet vos per omnia.* Cum enim vtrumque præcepisset in superioribus; alterum hoc capite, *pacem habete*; alterum capite præcedenti, *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra*: Nunc vtrumque eis exoptat à Deo; nempe ut ostendat nō posse à nobis impleri Dei præcepta, nisi Deus ipse dederit. Porro quod nos ter interpres vertit, *per omnia*. Græcè est, *ὁλοτελής*, quasi dicas, totaliter atque omni parte perfectos, pro quo textus Ambrosianus habet, *per omnia perfectos*; quemadmodum & legit Hieronymus hunc locum citans in epistola 150 ad Hedibiam q. 12. Plerique vno simplici vocabulo vertunt, *Sanctificet vos totos*: Significatur enim totum quoddam in partes distribuendum; quæ distributio sequitur,

VT INTEGER SPIRITVS VESTER, ET ANIMA, ET CORPVS, SINE QUERELA IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SERVETVR. Græcè, *Et integer vester spiritus &c.* Illud autem, *sine querela*, pro quo Græcè est, *irreprehensibiliter*, ab Erasmo sic explicatè redditur, *ita ut in nullo possitis culpari.* In aduentu, dixit pro in aduentum. Vide comment. ad illud 1. Cor. 1. *In die aduentus &c.* Cum autē manifestè distinguat apostolus hæc tria, spiritū, animā, & corpus; nō tamen inter omnes conuenit quod sit inter spiritū & animam

discr-

discrimen. Quia de re videre est Theophylactum & alios, ac nominatim Hier. q. 11. ad Hedib. ubi hunc locum tractat. Maxime probabile est ut per spiritum intelligatur rationalis pars animæ; per animam verò, pars eiusdem sensitiva, qua communicamus cum brutis animantibus. Sic enim ea rectè distinguuntur etiam in Cantico trium puerorum, ubi dicitur: *Benedicite spiritus & anima iustorum Domino.* In quem locum vide Annot. nostras, & Comm. ad 1. Cor. 5. Vtrum autem ea duo re ipsa, an verò, quod magis receptum est, sola ratione distinguantur, philosophi disputant. Confer B. Thom. hinc, & in c. 4. ad Hebr. Igitur huius loci sensus est eiusmodi; Precor ut Deus pacis vos totos, ac per omnia sanctificet, id est, spiritu, anima, & corpore mundos constituat; utque integrè & omni ex parte hæc omnia non modò coram Deo immaculata, verum etiam coram hominibus irreprehensa sentiantur, & seruata inueniantur in aduentu Domini, quando reddet unicuique secundum opera sua. Idcirco autem apostolus ita studiosè partes hominis reuèret; ne quis existimaret satis esse, si corporis iudicium conseruetur; cum imprimis necessarium sit tam superiorem animæ partem quam inferiorem, id est, mentem, voluntatem, sensus ipsos internos, atque externos ab omni sordè peccati puros custodiri. Credibile est, dum nominat *corpus*, iterum tacitè hortari ad castitatem seruandam.

24 FIDELIS EST QUI VOCAVIT VOS; QUI ETIAM FACIET. Id est, Deus qui vocavit vos in societatem filij sui, sicut dicitur. 1. Cor. 1. vocavit inquam, per euangelium, donando fidem & iusticiam; verax & fidelis est in promissis, qui proinde etiam faciet ut immaculati inueniamini in aduentu Domini. Hoc est, Idem ipse dabit perseverantiam; hanc enim omnibus electis promissit; In quorum numero vos esse confido. Similis est locus 1. Cor. 1.



Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus, per quem vocati estis &c.

25 FRATRES ORATE PRO NOBIS. Quid cupiat orationibus fratrum sibi impetrari, declarat in secunda epistola dicens: *Orate pro nobis, ut sermo Descurrat, & clarificetur &c.* Pono si rectè, & citra Christi mediatoris iniuriam Paulus petit à Thessalonicensibus ut pro se oret: igitur mera calumnia est hæreticorum, dicentium Catholicos iniuriam facere Christo, dum sanctos cum eo regnantes inuocant totidem verbis, *Orate pro nobis.*

26 SALUTE FRATRUM OMNES IN OSCULO SANCTO. Similis saluatio in epistola ad Rom. & vtraque ad Corinthios. Inde sensus repetatur.

27 ADIVRO VOS PER DOMINUM UT LEGATUR EPISTOLA HÆC OMNIBVS SANCTIS FRATRIBVS. Scilicet ijs qui apud vos sunt. Fit hæc adiuratio ad solos præfectos; quos tacito sanctè obtestatur ut curent legi epistolam omnibus fidelibus; tanquam in re valde necessaria: scilicet propter quosdam fratres inordinatè viuentes; de quibus plura in secunda epistola: quos omnino volebat conscios esse eorum, quæ scribebat, ut corrigerentur. Hæc autem adiuratio, non aliud est, quam sacra maximeque seria obtestatio, qua nimirum assumpto Christi nomine, à præfectis postulat ut epistolam omnibus fratribus legendam curent.

28 GRATIA DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI VOBISCV. AMEN. Concludit epistolam consueta valedicendi forma, qua Christi gratiam ijs precatur; eo nomine comprehendens omne genus beneficiorum quæ nobis à Deo per Christum donantur. Græci codices hanc addunt subscriptionem, Ad Thessalonicenses prima scripta ex Athenis. Verum de ea re satis dictum in argumento epistolæ.



IN SECUNDAM EPISTOLAM

BEATI PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



SECUNDA ad Thessalonicenses epistolæ scribendæ plures causæ fuerunt. Cum enim reuiscere eos Paulus statuisset, atque eius rei speram fecisset, in priori epistola ca. 3. dicens se Deum orare ut rursus videat faciem eorum, & compleat ea quæ defunt ipsorum fidei: varijs tamen negocijs, ac fortè etiam periculis impeditus & prohibitus, ad eos non redijt. Quare per epistolam id nunc facit, quod præsens facturus fuerat. Primum igitur animos eorum confirmat in aduersis quæ pro Christi nomine tolerabant; ostendens, quanta & ipsos gloria, & aduersarios vindicta, secutura sit; Idq; agit primo capite. Deinde, quoniam in superiori epistola, de resurrectione mortuorum & aduentu Christi ita locutus videbatur, quasi breui futura essent, dicēs in prima persona, *Nos qui vivimus, qui residui sumus &c.* admonēs quoque Thessalonicenses ut ad illum diem vigilarent, ne eos ex improviso opprimeret: turbati hinc erant, suspicantes diem Domini iam instare. Quam opinionem insuper augebant rumores temerè sparsi de eadem re. Hunc igitur errorem corrigit secundo capite, docens non prius Christum aduenturum, quam apparuerit Antichristus, illius aduentu destruendus. Postremò, cum intellexisset nondum emendatos esse eos, quos in epistola priori notauerat ut ociosos & inquietos; nunc eosdem acrius & pluribus verbis castigat, excommunicandos denunciando ni resipiscant. Hanc epistolam, inter Paulinas ordine temporis secundam esse, ut pote proximè scriptam post priorem ad Thessalonicenses; rectè censent eruditi: De loco minus inter eos conuenit. Athenis scriptam significat hypographe Græcorum codicum; Sed hoc ex ijs quæ in argumento prioris epistolæ diximus, facile refellitur. Nam si priorem scripsit postquam A-

thenis discesserat, quò postea non est reuersus; certè non potuit posteriori in ea vrbe scripsisse. Qui verò Romæ scriptam tradunt, vt Athanasius in Synopsi, & Oecumenius in commentario; nimirum distrahunt eam à priori; cum ex connexionione argumenti, & ipsdem personis in fronte epistolæ nominatis, satis constet hanc post illam breui temporis interuallo scriptam esse. Quare verisimilius putamus cum Cardinale Baronio hanc quoque, sicut priorem, è Corintho, vbi Paulus teste Luca Act. 18. fessiquanno resedit, missam fuisse. Per quos autem missa fuerit, incertum est. Argumenta quidem Latina Titum Diaconum, & Onesimum acolytum nominant; verum si scripta est epistola priusquam Paulus Romam veniret, vbi in vinculis Onesimum Christo genuit; nulla ratio est, cur per eum missa dicatur.

S V M M A R I V M.

Deo gratias agit pro fide & constantia Thessalonicensium: addens eos merito patientia accepturos premium, persecutores autem penas daturus, in aduentu Domini.

CAPVT I.

PAVLVS, ET SILVANVS, ET TIMOTHEVS ECCLESIAE THESSALONICENSIVM IN DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Eadem planè epigrapha cum ea quam posuit in priori epistola; nisi quod hic dicat: *In Deo Patre nostro.* cum illic absolutè dixerit, *In Deo Patre.* Nunc enim addens, *nostro,* significat Deum qui Christi pater est, vt filij naturalis, etiam nostrum esse patrem vt filiorum adoptionis; per hoc innuere volens dignitatem vocationis nostræ, qua vocati sumus in societatem, & fraternitatem filij Dei

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. De hac imprecatione quæ Paulo omnino familiaris est, satis dictum in præcedentibus epistolis, in quibus ferme omnibus habetur.

GRATIAS AGERE DEBEMVS SEMPER DEO PRO VOBIS, FRATRES; Dum agnoscit debitum gratiarum actionis; ostendit ea bona quæ consequenter enumerat, illius esse beneficia, cui gratias deberi profiteretur. Aduerbium, *semper,* non verbum, *debemus,* sed *gratias agere,* determinat; id quod ex alijs epistolis satis liquet. *Gratias agimus* (inquit, in I Thess. 1) *Deo semper pro omnibus vobis.* Et sanè plus est debere semper gratias agere, quam semper debere gratias agere; Plus, inquam, est debere perpetuam gratiarum actionem, quam perpetuò eam debere. Cæterum quo sensu semper agenda sint Deo gratiæ; dictum est alibi. *Semper,* id est, assidue, quàm frequentissimè.

ITA VT DIGNVM EST. Nò est sensus, pro dignitate benefactoris aut pro magnitudine beneficiorum, quasi his ex equo respondere debeat nostra gratiarum actio, quod est impossibile; sed est sensus; vt par est, vt postulat à nobis ratio iustitiæ erga Deum. Explicat enim quod dixerat, *Debemus.* Ex hoc loco sumptum videtur quod sacerdos ad altare canit: *Gratias agamus Domino Deo nostro;* Quodque ei respondetur; *Dignum & iustum est;* & quod ille vicissim & cum repetitione, respondet, dicens: *Verè dignum & iustum est, nos tibi semper & ubique gratias agere.*

QVONIAM SVPERCRESCIT FIDES VESTRA. Id est, quod fides vestra vehementer augetur, quod in fide plurimum proficitis. Augmentum seu profectum intelligit secundum intensiorem ac feruorem; cuius indicium erat quod persecutionibus fidei causa commotis non cederent, vt commemorat in sequentibus.

ET ABVNDAT CHARITAS VNIVSCVIVSQUE VESTRVM IN INVICEM. Græci & Syri addito signo vniuersali, legunt *Vniuscuiusque omnium vestrum.* Eadem lectio est textus Ambrosiani, & quorundam codicum Latinorum. Sensus est: Et quod vestrum omnium charitas cuiusque in alterum exuberat; nimirum declarata quotidianis & frequentibus beneficijs, quæ vobis mutuò impenditis. Obseruandum quod cum in priori epistola fidè & charitatem Thessalonicensium laudasset; nunc prædicat vtriusque incrementa, sed ita vt totum vtrobique Deo referat acceptum per gratiarum actionem. Quod idem nobis esse faciendū in omni bono opere quod facimus, benè & Christianè admonet Theoph.

ITA VT ET NOS IPSI IN VOBIS GLORIAMVR IN ECCLESIIIS DEI. Hoc est, vt nos ipsi de vobis gloriemur apud alias ecclesias Dei; vestro exemplo cohortantes ceteros; idque nò solum cõmemoratione vestræ fidei, & charitatis crescentis in dies; verum etiam

patientia

patientia fide subnixæ; de qua sequitur,

PRO PATIENTIA VESTRA, ET FIDE IN OMNIBVS PERSECVTIONIBVS VESTRIS, ET TRIBVLATIONIBVS. Materiam gloriationis significat. Ita vt gloriemur, inquit, de tolerantia & fide vestra, quam monstratis patienter & fortiter ferendo persecutiones & afflictiones euangelij causa vobis illatas. Patientia fidem adiungit, eoquod fide Christi, ac spe futurorum bonorum, ad ferendas persecutiones animati fuerant Thessalonicenses. Quam fidei efficaciam ad ferenda fortiter quæque aduersa, multis sanctorum exemplis latè comprobatur idem apostolus Heb. 11.

QVAS SVSTINETIS, IN EXEMPLVM IUSTI IVDICII DEI. Græcè sine præpositione legitur hoc modo: *Quas sustinetis, exemplum* (seu potius, iudicium, documentum) *iusti iudicij Dei.* Nam Græca vox *εὐδερμια* propriè significat ostensionem. Nec liquet in Græco textu, siue nominatiui casus, & appositivè referatur ad personas; an verò casus accusatiui, vt referatur ad tribulationes. Nam & ipsi Thessalonicenses aduersa sustinentes, intelligi possunt esse exemplum iusti iudicij Dei; & nihilominus ipsæ aduersitates quas sustinebant, rectè eiusmodi exemplum intelliguntur. Priori modo constituit à fronte verbi *sustinetis,* posteriori, cum relatiuo, *quas* appositivè iungitur. Vtrumque recipit etiam nostra versio. Nam quod dicit *In exemplum,* perinde est, atque si diceretur, velut exemplum; hoc autè tã ad personas quàm ad passiones referri potest. Cum nostra lectione cõsentit Ambrosianus, nec nò editio Syriaca, quæ legit, *Ad ostensionem.* Porro alij post verbū, *sustinetis,* punctū faciunt; deinde quod sequitur, separatim legunt, *Exemplum* seu documentū *iusti iudicij Dei;* quasi dicat apostolus, Ea res quam dixi, certum est argumentum & indicium iusti iudicij Dei. Atque hæc distinctio Gregoriorum est. Omnis tamen hæc varietas facile ad vnum eundemque sensum aptari potest. Sed iam queritur quid sentiat apostolus cum dicit, ea quæ Thessalonicenses patiebantur, aut ipsos talia patientes, esse exemplum, ostensionem, probationem iusti iudicij Dei. Græci quidem mentem apostoli sic explicat. *Quas afflictiones sustinetis, vt demonstratur iustum Dei iudicium.* Quando enim vos afflictos coronat, illos autem qui vos afflixerint, punit; iusticia eius apparet. Ita Theophylactus. Huic expositioni respondere videtur ea quæ continuò sequuntur de remuneratione bonorum, & punitione malorum. Verum obstat quòd illa Dei iusticia qua in futuro sæculo coronabit eos, qui hic iniuste fuerint afflicti; & punit eos qui afflixerunt: nullo modo demonstrari videtur hominibus ex eo quod Thessalonicenses ab aduersarijs affligebantur. Nã ex oppressione bonorum, & prosperitate malorum in hoc sæculo, magis teteri solent homines ad negandam Dei iusticiam & prouid-

dentiam erga genus humanum, vt patet ex psalm. 72. Jerem. 12. Habac. 1. & alijs scripturæ locis. Quocirca alij, verba apostoli simpliciter vt sonant; accipientes, in hunc sensum ea interpretantur: Quod vos, qui cultores Dei estis, sustinetis persecutiones, & tribulationes; argumentum est iusti iudicij Dei, quod aliquando exercebit in impios. Nam qui bonis non parcat in hoc sæculo; cogitandum utique relinquit qua seueritate malos plectet in futuro iudicio. Sensem hunc perspicuè tradunt Anselmus, Thomas & glossa ordinaria. velut pro commentario adducentes locum persimile ex apostolo Petro, qui in epistola prima ca. 4. cum de Christianorum persecutionibus ageret, ita subicit: *Quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis scius coram, qui non credunt Dei euangelio? et si iustus vix saluabitur; impius & peccator vbi parebunt?* In hanc sententiã etiã Augustinus locū præsentem accepit libro expositionis inchoatæ super epistolam ad Rom. tractans illud ca. 1. *Gratia vobis & pax,* vbi tum ex hoc loco, tum ex alijs scripturæ testimonijs & exemplis (inter quæ refert etiã memorata verba B. Petri) latè docet iusticiæ diuinæ tantã esse constantiã, vt cum pœna spiritualis & sempiterna pœnitenti fuerit relaxata; pressuræ tamè, cruciatibusque corporales, quibus etiam martyres exercitatos nouimus, postremò etiam mors ipsa quam peccando meruit nostra natura, nulli relaxetur. Quod enim, inquit, etiam iusti homines & pij, tamè exsoluunt ista supplicia; de iusto Dei iudicio venite credendum est. Quin & Beda in commentario, recitatis vtriusque apostoli verbis, ex alio quodam Augustini loco (qui est lib. 22. contra Faustum ca. 2.) ita subiungit: Hinc etiam intelligitur, quomodo non parcatur impijs; tanquam sarmentis præcisus ad combustionem; quando iustis non parcitur propter perficiendam purgationem. Eundem Augustinum vide lib. 13. de ciuit. ca. 5. & 6. & in explanatione psalm. 118. super illud: *Omnes via tua veritas.* Item Prosperus ad eundem psalmi versiculum, & sententia 148. His adde quod iustum Dei iudicium in scripturis fermè non aliter accipitur quàm pro iudicio puniente peccata siue iustorum, siue iniustorum. Præterea, non parum ædificat hic intellectus, quo admonentur iusti in afflictione positi, ne putent se immeritò pati, sed humiliter, & veraciter agnoscant, in eo quod iniuste ab hominibus patiuntur, se iuste pro peccatis suis à Deo castigari; iuxta illud Heb. 12: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Denique sensui huic probè quadrant sequentia apostoli verba, vt mox apparebit. Interim notandum, ex hoc loco fide intellecto manifestè reselli hæresim Caluini ac ceterorum nostri temporis sectariorum, qua communiter docent esse contra diuinæ iusticiæ rationem, vt post remissionem pœnæ

atēna, remaneat adhuc luen da pœna temporalis; quasi non posset Deus remissa pœna principali, iustē referuare aliquid ab eo qui peccauit, soluendum; præsertim si cessurum sit in ipsius soluentis vtilitatem & salutem; quemadmodum de Thessalonicensibus ostendunt verba quæ sequuntur,

VT DIGNI HABEAMINI REGNO DEI. Potest etiam verti, *Ut digni sitis*; aut, *ut digni redamini regno Dei*. Quas, inquit, afflictiones in argumentum iusti iudicij Dei sustinetis, eo fine & fructu, vt per eas repurgati, atque mūdati, tanquam aurum in camino probationis, efficiamini digni regno Dei, in quod nihil intrat, quod non omni ex parte purum & mundum sit. Nam cælestis illius ciuitatis omnes lapides sunt velut aurum mundum Apo. 21. Monstrat hic locus contra hæreticos vitam æternam, quæ in regno Dei intelligitur, non ita gratiæ Dei tribuendam esse, vt non etiam dignitati & meritis hominum à gratia Dei profectis, retribuatur. Non sentit autem apostolus iustos non prius esse dignos regno Dei, quam perfectè mundati fuerint ab omni vicio ac debito pœnæ; sed quo magis purgantur, eò magis effici dignos, neque prius in regnum admittendos, quam plenè, perfectèque purgati fuerint.

PRO QVO ET PATIMINI. Sensus duplex occurrit. Vnus est, Pro quo regno Dei consequendo tanta patimini. vt significetur præmium quod spectant ij qui patiuntur. Alter sensus: Propter quod Dei regnum à vobis creditum & speratum, impij vos affligunt. vt significetur causa quæ mouet impios ad persequendum pios. Ideo namque eos persequuntur, quia credunt in Christum, expectantes ab eo cælestis regni societatem. Ita fideles dicuntur pro Christo pati, & propter iusticiam Matth. 5. & alibi. Vterque sensus probabilis est.

SIT AMEN ISTVM EST APVD DEVM RETRIBUERE TRIBVLATIONEM IIS QUI VOS TRIBVLANT. Respicit ad illud quod dixit: *Ut digni habeamini regno Dei*. Quod ait: *Si tamen*; non dubitantis est, sed affirmantis; Nam Græcum *εἴτε* pro *εἴτε*, id est, siquidem, quandoquidem, esse positum annotant Græci. Ambrosianus quoque legit, *siquidem*; Atque ita aliam literam habere Thomas admonet. Quanquam nihil prohibet particulam, *εἴτε*, *Sitamen*; consueta significatione accipi, sed ita vt ex schemate sermonis vehementior existat affirmatio, dum quasi existimandum relinquitur id de quo nefas sit dubitare; quemadmodum etiam à Græcis annotatum est. Talis terminus est Domini apud Mal. 1. *Si pater ego sum; ubi est honor meus? & si Dominus ego sum; ubi est timor meus?* Significat ergo apostolus, vel maximè iustum esse apud Deum; & proinde ab eius iusticia expectandum, vt afflictiones & supplicia retribuatur ijs qui pios affligunt. Verum id non statim sed suo tempore; iuxta

responsum sanctis animabus datum in Apoc. cap. 6.

7 ET VOBIS QUI TRIBVLAMINI, REQUIEM NOBISCVM. *Requiem*, Græcè *ἀνεσις* remissionem, relaxationem, scilicet à pressuris huius mundi; quam Ioannes vocat *requiem à laboribus*. Apo. 14. Addit autem, *nobiscum*, id est, cum apostolis Christi & ministris euangelij; vt eo magis animer Thessalonicenses ad ferenda fortiter aduersa pro Christo, tanquam certissimè futuros remunerationis socios cum sanctis apostolis, cum quibus fuerint participes afflictionis. Vbi rursum docemur requiem futuræ vitæ pro opere patientiæ reddi fidelibus ex iusticia. Non tamen hinc sequitur, parem esse iusticiam retribuentis vitam æternam pro bonis operibus, & supplicium æternum pro malis: quia tantum in generali ratione iusti coniungit apostolus hæc duo; cum in specie multum differant. Malis enim operibus ex rei natura debetur æternum supplicium; Bonis autem vita æterna, solummodo ex positua Dei ordinatione. Nam Deus benefaciendo creaturæ, non fit ei debitor, nisi quatenus ipse liberaliter constituit ac promisit præmium se daturum pro bono opere, quod dedit.

IN REVELATIONE DOMINI IESU DE CÆLO CVM ANGELIS VIRTUTIS EIVS. Sensus est, ea quæ dicta sunt, tunc futura, quando Dominus noster Iesus, qui nunc ab hominū aspectu remotus est, reuelabitur de cælo, id est, palam, omnibusque conspicuus apparebit, de cælo veniens cum angelis, virtutis seu potentia suæ ministris, videlicet per eos separaturus malos à bonis, & suam executurus aduersus malos sententiam, vt habetur Matth. 13, & 24; & alibi. Tempus igitur significat, quo & bonis requies, & malis supplicium retribuendum sit. Loquitur autem de retributione vniuersali, & perfecta; quædo non animæ solè, sed homines anima & corpore constantes recipient à Christo iudice plenam operum suorum mercedem. Vnde nihil facit hic locus pro ijs qui beatitudinem sanctarum animarum, quæ in Dei visione consistit, differri volunt vsque ad diem extremi iudicij. Nam ea ratione sequeretur, nec requiem ijs tribuendam ante illud tempus; Hanc enim nominat apostolus. Sequeretur etiam, animas impiorum ante idem iudicij tempus non cruciari apud inferos; Similiter enim de malorum pœnis & bonorum præmijs apostolus loquitur.

8 IN FLAMMA IGNI S. Græcè, *In igne flamme*; quemadmodum legit Ambrosianus: tã etfi Theophylactus legisse videtur vti nos habemus, *In flamma ignis*. Sensus est, Christum venturum cum igne flammeo, id est, vrente simul & lucète; vt & horrorem primo statim aspectu omnibus impijs inferat; & cōtractu eosdem cruciabiliter vrat. Sermo est de igne conflagrationis, vt vocari solet, antecessuro Domini aduentum, atque iudicium;

cuius & alibi frequens est mentio, vt psal. 49. & 96. Isa. 66. Dan. 7. Ioel. 2. 1. Cor. 3. ac præcipuè 2. Pet. 3. De huius ignis vsu, varijsque effectibus, cuiusmodi sunt, præcedere iudicem, innouare mundum, purgare bonos, cruciare malos; accuratè egimus ad dist. 47. lib. 4. Sent. & in commentariò 1. Cor. 3. Hoc autè loco meminit eius apostolus peculiariter, tanquam ministri, quo diuina iusticia malos puniet; De qua punitione ià sequitur DANTIS VINDICTAM IIS QUI NON NOVERUNT DEVM. Participium, *Dantis*, non ad genitiuum *ignis*, aut *flamma*, quod prima facie apparet, sed ad *Domini Iesu*, referendum est, vt ex Græco patet. Itaque sensus est, Christum Dominum de cælo venturum qui per ignem illum flammeum infligat vltionem, omnibus ijs qui Deum non nouerunt, etiam quibus Christus non est prædicatus. Nam & in illis ignorantia Dei peccatum est, & non solum pœna peccati, quia Dei noticia legis est natura; à qua nemo ratione vrens excusatur, vt docetur Sap. 13. Quò etiam pertinet Psalmus ille Dauidicus; *Celi enarrant gloriam Dei* &c. Vnde passim in scripturis ira Dei denunciatur aduersus eos qui Deum ignorant. *Effunde iram tuam*, inquit Dauid, *in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt*. Psal. 78. Vide Augustinum lib. 2. quæst. euangel. q. 46. vbi tractans illud, *Scitbam quia homo austerus es, motus ubi non seminasti*; docet, eos qui Deum ignorant, idcirco inexcusabiles esse, quòd ex rebus creatis peruenire possint in noticiam creatoris, quòdque prædicatores eorum sint cælum & terra. Similia docet lib. 10. confess. ca. 6. & lib. de gratia & lib. arb. ca. 3. ex quo loco Beda suum huius loci commentarium desumpsit.

ET QUI NON OBEDIUNT EVANGELIO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Id est, qui non credunt Christi euangelio sibi prædicato. Quæ fides obedientiæ nomine sæpe significatur in epistolis Paulinis, eo quòd nemo credat inysterijs à Deo reuelatis, nisi spontanea voluntatis inclinatione captiuè intellectum suum in obsequium Christi; quòd ad humilitatem, & obedientiam pertinet. Et quidem hi qui euangelio audito non credunt, grauius peccant, ac proinde etiam grauius punientur, quàm qui non audito Christi euangelio Deum ignorant; quemadmodum Augustinus docet loco supra citato; de gratia & lib. arb. Qui verò credunt quidem euangelio, sed non viuunt vt credunt; cum ijs qui non obediunt euangelio censentur in pœnis, quia fidem factis negant.

9 QUI PŒNAS DABUNT IN INTERITV ÆTERNAS. Græcè, *Qui pœnam luent, interitum æternum*. Ambrosianus autè legit, *Qui pœnas soluent in interitum æternum*. Secundū Græcā lectionē apposito est, quæ significatur omnes supradictos luituros pœnam non qualemcūque, sed eam quæ sit interitus æternus. Sed

quæres, si interitus; quomodo æternus? Quòd enim interit, æternū esse non potest. Respondeo sic interitum dici æternum, sicut mortē eternam; non qua illi quibus accidit, esse desinant, sed qua semper & in æternum sint miseri. Igitur & hic locus contra Origenistas ostendit pœnas impiorum æternas fore.

A FACIE DOMINI, ET A GLORIA VIRTUTIS EIVS. Græcè, *fortitudinis eius*. Significatur causa punitionis impiorum ex parte Christi iudicis; & sensus est, Christum Dominum venturum ad iudicium ea forma, gloria, maiestate, & ostensione fortitudinis ac potentia, vt sola eius præsentia & conspectus (quam vocat faciem Domini) & potentia gloriosa, ac palam mūdo manifestata, sufficiat ad perdendum impios. Si enim demones præsentiam Christi versantis in terris non sustinebāt; quanto minus præsentia eius cum tantamaiestate venientis ad iudicium, impij sustinere poterunt? Hæc de pœnis impiorum commemorare voluit apostolus, ad consolationē piorum; ad quam non solum pertinebat vt scirent quibus ipsi præmijs essent afficiendi, verum etiam quanta suos aduersarios vltio esset cōsecutura, iuxta illud psalmi; *Labitur iustus cum viderit vindictā*. Psal. 57.

10 CVM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTISSVIS. Respicit sermonē ad gloriā electorum, quæ tēpore nō separabitur à vindicta impiorum. Simul explicat quòd proximè dixerat, *à gloria virtutis eius*. Ea quæ dixi, inquit, tunc futura sunt cum venerit Dominus vt glorificetur, id est, gloriosus appareat, *in sanctis suis*. Quòd nimirum fiet dum eos ad gloriæ suæ similitudinem euehet, & membra capiti, hoc est, sibi ipsi, reddet conformia. Nā gloria capitis est sanitas & pulchritudo totius corporis, præsertim si fuerit à capite deriuata.

ET ADMIRABILIS FIERI IN OMNIBVS QUI CREDIDERVNT. Græcè ad verbum, *Et mirificari in omnibus credentibus*, id est, ijs qui nunc credunt. Nam in Domini aduentu fidei locus non erit, quando res prius credita, præfens exhibebitur. Intelligitur autè credentes cum affectu, & operatione consentanea ijs quæ credunt. Nam eosdem hinc vocat credentes, quos prius sanctos. Sensus est: Et vt appareat admirandus in fidelibus suis, dum eos, olim abiectos & miseros, vsque ad miraculum claros & beatos efficiet. Metaphora quædam est in verbo, *mirificari*, siue *admirabilis fieri*; Nō enim propriè quisquā tunc mirabitur, quia causa non latebit; sed *mirificandus* dicitur Dominus, propter excellentiam gloriæ, qua sanctos suos donabit; quomodo solent homines admirari artificem propter operis præstantiam. vnde & de impijs iustorum gloriam conspicietur dicitur Sap. 5. quòd *mirabuntur in subitatione in sperata salutis*.

QUIA CREDITVM EST TESTIMONIVM NOSTRVM SVPER VOS IN DIE ILLO. Ambrosianus ita legit, *Quia fidem habuit testimonium nostrum* &c. Alij clariùs ita red-

dunt, *Quia fides habita est testimonio nostro inter vos, vel apud vos, in die illo.* Nam Græca præpositio ἐπι accusatiuo iuncta, sic etiam rectè exponitur. Porro nonnulli particulam hanc extremam, *in die illo*, referunt non ad ea quæ proximè præcedunt; sed ad verba superiora, *glorificari, & admirabilis fieri*, ut id quod sequitur (*quia creditum est testimonium nostrum super vos*) parenthesi intercipiatur. Quod tamen haud putamus necessarium, neque consonum menti apostoli: qui quod generaliter de sanctis dixerat, nunc ad Thessalonicenses accomodat, ut connexio sermonis & sensus sit huiusmodi: In omnibus sanctis & credentibus; etiam vobis; quia testimonium nostrum, id est, prædicatio nostra, fide suscepta est à vobis, cum spe retributionis in illo die percipiendæ; vel, à vobis, respicientibus ad illum diem, scilicet aduentus Domini, de quo dixi, *Cum venerit* &c. Doctrinam euangelicam *testimonium* vocat, quia hæc erus euangelij prædicator, non sui capitis inuenta, sed visu, vel auditu diuinitus accepta, tanquam testis fidelis, tradere ac docere debet. Vnde Christus apostolos testes suos esse præcipit Luc. ult. & Act. 1. & de ijs dicitur quod *magna virtute reddebant testimonium resurrectionis Christi.* Act. 4.

II IN QVO ETIAM ORAMVS SEMPER PRO VOBIS. Græcè, *In quod vel ad quod*, neque enim potest ad diem referri, quia genus discrepat; sed referendum ad ea quæ dixit de gloria sanctorum, in quibus etiam Thessalonicenses comprehendit; ut sensus sit; Ad quam rem, scilicet, ut etiam in vobis Christus, cum venerit glorificetur, & admirabilis fiat; nos Deum affiduè pro vobis oramus, id petentes quod sequitur,

VT DIGNETVR VOS VOCATIONE SVA DEVS NOSTER. In Græco non additur, *sua*, sed articulus est, cuius vim alij reddentes, ita vertunt, *Ut vos dignos habeat ista vocatione Deus noster*, tamen sensus eodem recidit; nam non alia quàm Dei vocatio intelligitur. Sed quæ vocatio? Non enim intelligi potest vocatio ad fidem; iam enim fideles erant Thessalonicenses, & proinde ad fidem vocati, non quomodocunque, sed efficaciter. Sūt qui vocationem intelligant eam qua Christus electos suos vocaturus est illis verbis: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum* &c. Quod ut non malè dicatur, tamen probabilius est significari vocationem ad fidem, sanctæque conuersationis perseverantiam, quæ in termino huius vitæ completur. Quæ quidem est efficax vocatio ad regnum & gloriam sanctorum, de qua in præcedentibus locutus est, & de qua dicitur in Apo. 19. *Beati qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt.* Ex hoc loco doceri potest eos qui vocati sunt ad fidem, non statim certos esse de vocatione ad gloriam; quemadmodum interpretes Græci rectè declarant exemplo quinque virginum fatuarum; & eius,

qui cōiuiuium erat ingressus sine veste nuptiali. Matth. 22. & 25. Illud quoque sciendū vocationem hanc non eandem esse cum electione; sed potius effectum electionis; Quos enim ab æterno Deus elegit ad gloriā, eis in tempore dat sanctæ fidei perseverantiam; in qua consistere diximus huius loci vocationem. Non tamen hinc colligas homines per opera dignos effici hac vocatione, quoniam dicit: *Ut dignetur vos vocatione* &c. Nam perseverantia non cadit sub meritum; Sed dicitur Deus dignari nos vocatione sua, quia per gratiam suam nos vocat, licet alioqui indignos, seu non promeritos perseverantiam. Significatio enim est liberalitatis in dante, non dignitatis in accipiente. Quomodo dicere solemus, Ille vir tantus me dignatus est mensa, aut colloquio. Porro sensum prædictum, à plerisque traditum, confirmant etiam sequentia,

ET IMPLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS. Voluntatem Græcè ἐὸνδουλῶν, pro qua noster interpretes, nunc *bonam voluntatem*, nunc *beneplacitum*, nunc *propositum* vertit. De qua voce plenius egimus ad illud Eph. 1. *Secundum propositum voluntatis sue.* Nam vitur ea passim apostolus ad significandum æternum Dei propositum erga eos quos vult ad salutem perducere; quam vno vocabulo dicimus electionem seu prædestinationem. Itaque sensus est, Et ut compleat æternum beneplacitum bonitatis suæ, qua vos elegit ad consortium gloriæ Christi. Cōpletur illud in hac vitā maximè per donum perseverantia. Loquitur autem apostolus ex bona fiducia de Thessalonicensibus, ut electis à Deo.

ET OPVS FIDEI IN VIRTUTE, Subaudi, *impleat.* Sensus autem est: Et ut in vobis perficiat, & ad finem perducatur *opus fidei*, id est, patientiam in aduersis, per quam maximè fidei virtus relucet, & de qua sermo fuit in superioribus; Idque faciat *in virtute* seu potentia, id est, potenter. Nam potentia gratiæ Dei maximè perspicitur in tolerandis aduersis pro Christi nomine. De hoc opere fidei Iacobus apostolus ita scribit ca. 1. suæ epistolæ: *Scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habeat.*

12 VT CLARIFICETVR NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI IN VOBIS. *Clarificetur*, Græcè, *glorificetur*, quomodo paulo antè vertit interpretes; ut qui hæc duo pro iisdem soleat habere. Declarat apostolus causam finalem tam orationis suæ quàm eorū quæ petit oratione. hæc, inquit, peto vobis à Deo præstari, ut in vobis & per vos Christus Dominus noster laudetur & glorificetur etiam in hoc sæculo. Nam fides, amor, & constantia servorum omnia pro domino suo tolerantium, ut dicere possint, *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?*

Stia? magna profectò gloria Domini est. Ita locum hunc explicat Theophylactus. Sed plenior erit commentarius, si addas, ideo maximè in Christi gloriam redundare Thessalonicensium virtutes, quòd earum ipse Christus sit author.

ET VOS IN ILLO. Finem secundarium adiungit, qui est, ut ipsi vicissim glorificentur in Christo, id est, per Christum; idque, siue in hoc sæculo, siue (iuxta aliorum expositionem) in futuro. Nam sicut servorum virtus, gloria Domini est; ita è diverso, dignitas & excellentia Domini servos efficit gloriosos, præsertim Christianos, quibus non in alio quàm in Christo gloriari, concessum est.

SECUNDVM GRATIAM DEI NOSTRI, ET DOMINI IESV CHRISTI. Duo bona Thessalonicensium dixerat, alterum, quod in eis Christus clarificandus esset; Alterum, quod ipsi in Christo: Vbi, ne quid sibiipsis tribuant; extrema hac parte totum refert ad gratiam, id est, gratuitam beneficentiam Dei, tanquam largitoris; & Christi Domini, velut hoc nobis promeriti.

SUMMARIUM.

Docet non prius Christum venturum ad iudicium, quàm reuelatus fuerit homo peccati: quem, postquam signis mendacibus multos seduxerit, Dominus interficiet. Hortatur ut persistant in traditionibus acceptis.

CAPVT II.

ROGAMVS AVTEM VOS FRATRES PER ADVENTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Aggreditur principalem huius epistolæ materiam, de qua diximus in argumento. Suborta enim erat Thessalonicensibus opinio; partim ex verbis quibusdam epistolæ prioris, partim ex alijs causis hinc indicatis; diem aduentus Domini breui adfuturum: Quæ res animos illorum metu, ac terrore non parum turbauerat. Hanc igitur eorum opinionem corrigit. Incipit autem ab obtestatione; quam sumit ex re præsentis de qua & locutus iam erat, & adhuc locuturus. Quamvis enim Græca sic verti possint, *De aduentu Domini nostri* &c, plus tamen habet efficaciæ forma obtestationis *per aduentum Domini*, scilicet eum ipsum quem verebantur, ut terribilem. Totus autem hic locus refertur à S. Aug. De ciuit. Dei lib. 20. c. 19.

ET NOSTRÆ CONGREGATIONIS IN IPSVM. Ambiguitas est in Græco. Iuxta nostram versionem hinc reperenda esset dictio, *aduentum*, à quo reguntur genitui, *nostra congregatio*; Sed sine dubio incommodus est

hic terminus, *per aduentum nostra congregatio*. Quocirca melius alij per accusatiuum sic vertunt, *Et nostram congregationem*; vel, *nostræ aggregationem seu collectionem*, in ipsum; ut ab eadem præpositione *in* regantur aduentus & congregatio. *Et nostræ congregationem in ipsum*, legit Hier. epist. 152. Est enim hæc altera pars obtestationis, qua nimirum Thessalonicenses obsecrat per eam aggregationem, qua tum ipsi, tum cæteri electi, Christo veniente colligentur ad ipsum, ut ad caput suum; de qua dixit in superiori epistola, *Simul rapiemur obviam Christo*; Et de qua ipse Christus Luc. 17. *Ubiunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquila.* Nam ad eam Domini sententiam hinc alluisse Paulus videtur. Obsecrat autem non solum per aduentum Domini, verum etiam per fidelium ad eum congregationem in aduentu futuram, velut per rem summis votis exoptatam. Huic interpretationi consonat etiam Syriaca versio.

2 VT NON CITO MOVEAMINI A VESTRO SENSU. Græcè, *à mente*, siue *intellectu*; nec additur pronomen. Alij pro *mente*, *sententiam*, vertunt. Sed hæc ferè eadem sunt: Nam sensus est: Ne citò dimoveamini à sententia seu doctrina, quam à nobis acceptam mente tenetis, scilicet de tempore aduentus Domini. Respicit enim apostolus ad ea quæ præsens docuerat Thessalonicenses, de quibus ait infra: *Num retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?* Est autem & hinc subaudiendum, quod in fine periodi exprimit, *quasi infset dies Domini*: non autem supplendum, quod Erasmus supplet in paraphrasi, *si profertur aduentus Domini*; quasi sensus sit, Si videatis aduentum Domini in longum differri, ne propterea fluctuetis animo hæsitantes num vera sint quæ de aduentu Domini & glorificatione vestra futura, à nobis accepistis. Huiusmodi quidè admonitionem videre est apud B. Petrum 2. ep. 3. aduersus eos qui dicebant: *Ubi est promissio aut aduentus eius?* &c. Verum huic loco, ubi sermo est ad eos qui contrario errore laborabāt putantes vicinum esse diem Domini; non quadrat ea admonitio.

NEQVE TERREAMINI. Græcè, *turbemini*, siue ut Ambrosianus legit, *conturbemini*. Sed hæc turbatio ex terrore erat, quem causabat opinio appropinquantis iudicij. Igitur hic locus docet cogitationem futuri iudicij etiam pijs, incutere terrorem; non ob aliud sanè quàm, quia nemo scit, qualis ibi iudicabitur, cum ipse etiam apostolus de se dicat: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum* 1. Cor. 4. Vnde iudicium illud extremum, ut tremendum ac terrore plenum nobis passim in scripturis proponitur.

NEQVE PER SPIRITVM. Subaudi, *quasi diuinum & propheticum*; Nam ut in superiori epistola monuit cap. 5. Spiritus quidem non extingendus, neque prophetiæ spernendæ;

sed omnia probanda. Vnde & Ioannes apostolus precipit 1. Io. 4. *ne omni spiritui credamus, sed ut probemus spiritus, si ex Deo sint.* Hinc apparet quosdam spiritu mendacij deceptos, annunciasse Thessalonicensibus instantem Domini aduentum. Quod verisimilius est quam quod alij dicunt, impostores quosdam studio confuasse prophetiam. Supponit enim apostolus spiritum; veluti mox sermonem & epistolam: Sed exigit discretionem, quis spiritus, cuius sermo, cuius epistola.

NE QVE PER SERMONEM. Intellige, quasi à nobis profectum; Dicit enim sub finem capituli, *Tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Vbi sermonem intelligit suum; sicut epistolam. Quod ergo in parte sequenti additur, *tanquam per nos*, etiam huc referendum est: Erant enim qui mentiebantur se ex ore Pauli audiuisse quod instaret dies Domini.

NE QVE PER EPISTOLAM TANQVAM PER NOS MISSAM. In Græco & Syriaco non additur, *missam*; sed interpretes id adiecit explendæ sententiæ causa; pro quo alij, *scriptam*, addunt. Verùm hæc additiones nimium restringere videntur mentem apostoli; cum nihil obstat quod minus hæc particula, *tanquam per nos*, etiam ad sermonem, referatur, ut dictum est. Quod ut commodè fieri possit, Erasmus & Hentenius ita vertunt, *tanquam nobis auctoribus.* Potest & hoc modo: *tanquam à nobis profecta.* Ex hoc loco patet, fuisse nonnullos qui etiam epistolam proferrent velut iussu, aut nomine Pauli scriptam, ex qua probarent commentum suum de instante die Domini. Atque hinc discimus, quam vetus sit impudentia, libris aut epistolis suppositicij ascribendi magnorum auctorum nomina; ut proinde plusquam necessarium sit in ecclesia iudicium, quo discernantur libri sacri ab apocryphis, ac genuini ab adulterinis. Quod quidem iudicium certum ac definitum non aliunde petendum est quam ab ijs qui præsent ecclesiæ Catholicæ, quæ columna & firmamentum est veritatis.

QVASI INSTET DIES DOMINI. Græcè, *Dies Christi*; tamen Theophylactus & Syrus interpretes, *Domini* legunt. Non sine causa apostolus tam sollicitè studet opinionem instantis diei Domini, fidelium mentibus eximere; ne videlicet hac opinione delusi, putarent vanam & fabulosam esse promissionem aduentus Domini, & suæ glorificationis; & per hoc à fide Christiana recederent; quemadmodum Augustinus docet epistola 80. ad Hefychium.

NE QVIS VOS SEDUCAT VILLO MODO. *Seducat*, Græcè *decipiat*. Non contentus aliquot modos deceptionis remouisse, scilicet per spiritum, per sermonem, per epistolam; tunc simul omnes excludit, dicens, *Ne quis villo modo vos decipiat*, scilicet persuadendo Christum statim esse venturum. Vocat hanc apostolus *deceptionem*, non propter simpli-

cem falsitatem, sed quia fidelibus valde periculofus, ut iam declaratum est, futurus erat hic error. Ex quo intelligitur, quam malè mereantur de religione Christiana, qui coniecturas nescio quas secuti, certum aliquod tempus venturi iudicij audent designare.

QVONIAM NISI VENERIT DISCESSIO PRIMVM. Sententiam hanc apostolus, dum multis additis protrahit; suspensam & imperfectam reliquit: Quæ tamen facillè suppletur, hoc modo, *Quoniam non veniet dies Domini, nisi primam venerit discessio* &c. Diem Domini nondum instare, ex eo docet, quod quedam res non parui temporis aut momenti, quæ nondum acciderunt, præcedere illum debeant. Porro totus hic locus propheticus est; ut proinde mirum non sit si obscuritatem & difficultatem habeat, quæ commentatores exerceat; præsertim cum ea prædicantur, quæ nec hodie sunt impleta, nisi tantum aliqua ex parte; quemadmodum infra docebitur. Pro *discessione*, Græcè est, *ἀποστασία*, quæ vox *defectionem* significat; ut cum quis deficit ac recedit ab eo cui subiectionem & obedientiam debebat. Atque ita legit Ambrosianus. Nam quod Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei ca. 19. legit, *Nisi venerit refuga primum*, quod Græcè diceretur *ἀποστασία*, in nullis, quod sciam, inuenitur Græcis codicibus; tamen illius lectionis in Latinis exemplaribus reperta, etiam Sedulius meminere. Queritur ergo quam *ἀποστασίαν* seu *defectionem* hinc dicat apostolus. Græci interpretes eo nomine significati putant ipsum hominem, de quo consequenter loquitur, id est, Antichristum, velut auctorem, ducem, & principem defectio- nis cuiusdam vniuersalis hominum à Christo. Verùm alij probabilius non personam, sed rem ipsam intelligunt, iuxta propriam vocabuli significationem; Et quidem eam rem quæ personam, de qua deinceps agitur, præcedat. Id enim velle videtur apostolus illo aduerbio, *primum*. Discessionem igitur multi interpretantur eam, qua omnes gentes Romanorum imperio subiectæ ab eo recedant; Apostolum autem dicunt id exprimere noluisse, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat æternum fore suum imperium. Ita Hieronymus epistola 151. ad Algisiam q. 11. & Ambrosianus in commentario; Quos utraque glossa tam ordinaria quam interlinealis, & alij non pauci, sequuntur, inter quos etiam Caeteranum numero. Sed alijs non placet hæc interpretatio: primum, quoniam uti testatur Thomas & Liranus, & res ipsa probat, iam olim à Romano imperio gentes quotquot ei subiectæ erant, descuerunt; solumque pene nomen imperij Romani hodie reliquum habemus; nec tamen venit Antichristus, quem venturum statim post apostasiam apostolus significat. Deinde quia non ita terreno regno spirituale suum regnum, id est, ecclesiam, Christus alligauit, ut illo florente ipsa floreret; & illo deficiente, defi-

ceret,

ceret, aut in angustias redigeretur. Nā Romani imperatores florente adhuc imperio, Christi ecclesiā vel maximè persecuti sunt; nec solum ethnici, verum etiā nonnulli Christianā fidem professi, atque in hæresim, vel schisma prolapsi; nec Græci modò, verum etiam Latini. Quæ res ex historijs notissima est. Adde, quod à prophetis prænnunciata est ecclesia non in vno regno futura, sed diffundenda per omnes gentes, & per omnia regna terrarum, ut psal. 71. *Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei.* Isa. 60. *Gens & regnum quod non seruiert tibi, peribit.* Denique, nomen apostasie in sacris literis magis sonat defectionem spirituales, qualis est à fide & religione, quam politicam, qualis ab imperio terreno; quæ etiam sine peccato contingere potest. Vnde 1. Tim. 4. vbi dicitur, quod *in nouissimis temporibus discedent quidam à fide*; rursus est Græcū verbū à quo deriuatur *ἀποστασία*. Rectius itaque, & sacris scripturis cōuenientius scire videntur, qui apostasiam hæc interpretantur defectionē à fide Catholica, eamque vniuersalē; qua nimirum, non tantum personæ, quamuis multæ (quod prioribus sæculis sæpe accidit,) sed etiā regna & prouinciæ omnes, aut pene omnes recedēt ab ecclesia Catholica, & ab obedientia eius quæ suum in terris vicariū, suæque ecclesiæ pastorem Christus cōstituit, hoc est, successoris B. Petri Apostoli, Romani pontificis Ita discessio hæc intellexerunt Anselmus & Aquinas in commentarijs. Quibus accedit Dominicus Soto in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. Nec dissentit Liranus. Quāuis enim videatur distinguere inter recessum ab obedientia Romanæ ecclesiæ, quomodo Græci ab ea in dudum recesserūt, & inter recessum à fide Catholica; malitque posterioris modi recessum intelligere: res tamen eodem recidit. Quicunque enim ab obedientia Romanæ ecclesiæ recesserunt, ijdem aut statim etiā Catholicā fidē deseruerūt, aut certè non diu in ea permanserunt; uti de ipsis Græcis schismaticis manifestū est. Cōfirmat hanc expositionē autoritas B. Thomæ Cantuariensis martyris, qui in epistola quadā ad episcopos Angliæ, sic loquitur: Stabit ecclesia, etsi sæpius concussa, in ea fortitudine & firmitate, in quā fundata est, donec veniat generale dissidiū, donec filius ille perditionis surgat. Vbi, *generale dissidiū* intelligit haud dubiè generalem, quam diximus ab ecclesia Catholica defectionē. His consonāt ipsius Christi verba in euangelio dicētis, Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidē in terra?* Quasi dicat vix inuenturum, propter præcedentem apostasiam. Porro quod nostri temporis hæretici, primo auctore Lutero, defectionē intelligi volūt eam quæ receditur à vero Dei cultu, & à fide promissionū Christi; & eā defectionem dicūt ante mille annos & ultra fieri cęptam, & deinceps auctam, & confirmatam in ecclesia per eius prælatos: id velut ab hæretico spiritu profectum, & in ecclesiam Christi ipsam vehementer

iniuriosum & blasphemum, atque à filijs desertoribus & apostatis, ad palliandum crimen impiæ suæ defectionis excogitatum, prorsus execramur. Imo verò illi ipsi, qui hæc excogitant, & quicunque cum illis generale hanc ab ecclesia Catholica, & ab obedientia capitis eius Romani Pontificis, apostasiam promouent, ut hodie insigniter facit Iacobus rex Angliæ; viam haud dubiè sternunt Antichristo. Proinde, si quæras an ea discessio, quam interpretati sumus, completa sit, an adhuc complenda: Respondeo, satis experientia notū esse, quod magna parte, non tamè omnino, completa sit; & proinde nondum venisse, sed adhuc venturum esse eum de quo sequitur,

ET REVELATVS FVERIT HOMO PECCATI, FILIVS PERDITIONIS. Hæc Antichristi epitheta sunt. *Homo peccati* dicitur Hebræa phrasi, homo insigniter malus, ac scelerosus; & in quo, ut ait Hieronymus ad Algisiam, fons omnium peccatorum est. Aut iteo vocatur *homo peccati*, quia sicut patet ex sequentibus, superbia mater omnis peccati, in eo tanta erit, ut extollat se supra omne quod dicitur Deus, seque tanquam Deum ostentet, & coli faciat. B. Thomas interpretatur quod erit omnium hominum pessimus, ut Christus omnium optimus. Idem *Filius perditionis* dicitur, id est, homo perditione dignissimus, & æternæ perditioni destinatus, quasi ex perditione tanquam matre genitus; scilicet ea locutione qua quidam in scriptura vocatur filij mortis. Sic & Iudam proditorem Christus filiū perditionis appellauit. Io. 17. Aptissimè verò apostolus prius dixit, hominem peccati; deinde, filium perditionis: quia peccatū perditionis est causa. Vnde & in sequentibus prius describit peccatū eius, deinde perditionē. Ex hoc autè quod *hominē peccati* vocat; eorum opinio refellitur qui putauerunt Antichristum non hominem fore; sed diabolum, aut demōnem in assumpto corpore. Qui verò eum imaginantur futurū diabolum incarnatum, id est, simul angelum & hominem; quomodo Christus idem est Deus & homo, multò absurdius sentiūt: tum quia id sine ingēri miraculo fieri non posset, quod hinc non est agnoscendū; tum verò, quia nec omnino fieri potest ut diuersæ naturæ in vno supposito creato coniungantur; propterea quod ad suppositandum, ut loquuntur, plures naturas, requiratur virtus infinita, cuius capax non est suppositum creatum. Erit igitur Antichristus homo, non diabolus, sed diaboli præcipuum organum; ut pote *cuius aduentus erit*, ut infra dicitur, *secundum operationem Sathanae* &c. Sed hinc altera existit hæreticorum blasphemia, dicentium, hunc hominē peccati, filiūque perditionis ab apostolo prædictum, ac descriptū, esse Romanum Pontificē. Quam impietate, Antichristi præcuratoribus dignam, quum multis, solidisque rationibus refutauerimus in commentario super 4.

Sent.

Sent. dist. 47. nunc satis erit ostendisse quam ab illo cōmento sint aliena, quāmq̃ repugnantia quæ hīc de Antichristo scribuntur. Atque illud imprimis, quod eum apostolus describit velut vnā ac singulārē personā, vocans eum hominem peccati, & filium perditionis. Nam in Græco his nominibus præponuntur articuli, certum aliquod indiuiduum designantes; vt demonstratiuē vertere potuerit interpretes, *ille homo peccati, ille filius perditionis*, quemadmodum paulo post vertit, *Ille iniquus*. Nam & Erasmus vtroque loco pronomen demonstratiuū addendum putauit. Atqui pontifices Romani, quibus Antichristi nomē hæretici impingunt, non vnā constituant personam singularem, sed multi sunt homines, alij alijs in eadem dignitate iam olim succedentes. Accedit huic argumento, quod ait, *Et reuelatus fuerit, & infra; Tunc reuelabitur ille iniquus*. Sensus enim est, Antichristum, statim vt exortus fuerit, ea faciens, quæ mox de eo cōmemorantur, per eadem illa pijs omnibus fore manifestū; quomodo & Christi aduentus, quia manifestus erit, ab eodem apostolo reuelatio vocatur, capite superiori & alibi. At Romani Pontifices totis mille ac ferè quingentis annis ecclesiam Christi rexerūt, priusquam Antichristi contumeliā audirent, vel ab vllō hæreticorū. Primus enim Martinus Lutherus hoc nomine Christi vicarium appellare ausus est; nec prius quā fuisset propter hæresim ab eo excommunicatus, ac diabolo traditus: vt non ab alio quā diabolo magistro didicerit ita loqui; quemadmodum Iudæi à patre diabolo didicerāt quod Christo dicebant: *Samaritanus es tu, & demoniū habes* Io. 8.

4 QVI ADVERSATVR. Græcè participiū est ἀντιχριστῶνος, quod & nominaliter accipi solet pro contrario, siue aduersario; Vnde Erasmus & Hentenius verterunt, *Qui est aduersarius*. Quāquam verti etiam potest, *Ille aduersarius*; propter articulum præfixum; vt & hac parte significetur Antichristum fore certum quempiam hominem. Hieronymus hunc locum sic exponit: *Qui aduersatur Christo; & ideo vocatur Antichristus*. Alij partem hanc referunt ad id quod sequitur, id est, ad *omne quod dicitur Deus* &c. vt sensus sit, eum ex instituto futurum hostem & aduersarium Dei, & quodāmodo bellum ei indicturum. Quid verò magis alienum à Romano pontifice, qui cultum vnus veri Dei ex professo, atque omni studio propugnat & promouet; licet hæretici suo more calumniosè, atque impudenter, falsum cultum vocitent.

ET EXTOLLITVR SVPRĀ OMNE QVOD DICITVR DEVS. Plurique Græci codices masculino genere legunt, *supra siue aduersus omnem qui dicitur Deus*. Sic enim I. Cor. 8. *Sunt qui dicuntur Dij*. Sed hæc varietas nihil ad sensum.

ET QVOD COLITVR, In Græco nomē est θεῶν, quod alij, *numen*, verterunt; tametsi Græcæ vocis significatio generalior est; exten-

ditur enim ad omnia quæ solēt homines cultu religionis, seu vero seu falso, venerari; vt sūt aræ, delubra, statuæ, simulacra. Nam Act. 17. vbi nos legimus Paulum dicentem; *Præteritis & videns simulacra vestra, inueni & aram* &c. pro *simulacra* Græcè est εἰδωλῶνα, quod Erasmus vertit *culturas*; alij, *cultus*. Quæ versiones congruunt cum eo quod hīc reddidit noster interpretes, *quod colitur*. Est igitur huius loci sensus, iuxta communem Patrum expositionem; Qui sese efferet supra omnem vero aut falso nomine Deum, atque euertet omnem cultum seu verum seu falsum; vt, quemadmodum sequentia docent, ipse solus colatur. Huius rei quandam imaginem habemus in rege Nabuchodonosor, qui iussit omnes Deos terræ exterminari, vt ipse solus diceretur Deus. Iudith. 3. Figuram autem expressam Antichristi gessit hac in re Antiochus Illustris; de quo prædicitur Dan. 11. quod *elentur & magnificabitur aduersus omnem Deum; quodq̃, aduersus Deum Deorum loquetur magnifica; nec quemquam Deorum curabit; quia aduersum vniuersa consurget*. Iam nec horum quicquam, nisi per summam impudentiam affingi potest Romano Pontifici. Nec digna sunt refutatione quæ quidam non minùs impiè quā calumniosè & scurriliter de Romano Pontifice fabulantur, vt hunc locum aduersus eum detorqueant.

ITA VT IN TEMPO DEI SEDEAT. Græcè. *Ita vt in templum Dei, tanquam Deus, sedeat*. tametsi non omnes Græci codices hoc loco addunt, *tanquam Deus*; quod nec in Syriaco legitur. Porro lectionis G. æcæ. *in templū Dei*, meminit etiam Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 19. atque illi quendam intellectum accommodat, sed improbabilem. Nam Latini omnes interpretes per ablatiuum reddunt in templo; cum & Græci sermonis proprietates diligenter expendat id exigat.

OSTENDENS SE TANQVAM SIT DEVS. Græcè, *Ostendens seipsum quod sit Deus*, id est, *seipsum esse Deum*; vt alij vertunt. Pro *ostendens*, Ambrosianus & Augustinus legunt, *ostentans*; nonnulli vertunt, *pro se ferens*. Dubium hīc est, de quo Dei templo loquatur apostolus. Quidam templum Hierosolymitanū intelligunt. Quāuis enim destructum sit illud quod erat tempore Pauli; aliud tamen eius loco aliquando reedificandum dicūt, siue à Iudæis, siue ab ipso Antichristo, vt ipse in eo colatur. Verū si Antichristus sibi tāquā Deo cōstruet templum: nō illud apostolus *templū Dei* vocaret; nihilo magis quā templū Iouis aut Dianæ eo nomine dignaretur. Caietanus putat non aliquod determinatū templum significari, sed sensum esse, quod in quocunque templo Deo dicato sessurus sit Antichristus tanquam illud sibi dicatum esset. At verò Hieronymus, in epistola dudum citata, verius arbitratur apostolum per templum Dei ecclesiam significasse. Quam interpretationē post glossam interlinealem etiam Thomas re-

cipit,

cipit, nec Augustinus rejicit. Chrysostomus quoque de Theodoretus & ceteri Græci de ecclesijs Dei (pluraliter enim loquuntur) apostolum exponunt; quod in idem recidit. Nam ecclesia Dei ex multis particularibus constat ecclesijs. Hic sensus probabilitatem accipit ex eo quod, sicut tempore Machabæorum, vt habetur I Mach. 1. in templo Dei quod erat Hierosolymis, stetit abominandum idolum desolationis, de quo prophetauerat Daniel cap. 9; Et sicut posteriori tempore statua Cælaris, teste Hieronymo super Matth. 24. in eodem templo, velut secunda abominatio collocata fuit: ita & in ecclesia Dei (cuius insignem typum prætulit templum illud Hierosolymitanum) videatur sessurus homo peccati; quem abominaciones illæ priores præfigurauerunt. Sed quæritur, quomodo sessurus sit in ecclesia Christi Antichristus; qui, vt Christi aduersarius, ita Christianorum futurus est grauissimus persecutor. Et quidem hæretici iactant facilem esse intellectum de Romano pontifice, quem constat in templo Dei, quod est ecclesia, sedere ac præsidere. Verū cætera quæ addit apostolus, minime quadrant. Nam in ecclesia sedere quocunque modo, etiam cum potestate; quā plurimis est commune. Sic enim omnes episcopi in ea sedent, ac sederunt. Etenim id habet vetustissima loquendi consuetudo, tam apud Græcos quā Latinos scriptores, vt episcopi sedere in ecclesijs suis dicantur, pro eo quod est, cathedratica potestate eis præsidere. Sed Antichristo est proprium, quod in templo Dei, tanquam Deus, sedeat, & seipsum vt Deum ostendat. Id autem Romano pontifici competere, qui Christi vicarium se profiteretur, quiq̃ seruum Dei ac seruorum eius se nominat, & præstat, omnium ecclesiarum sollicitudinem gerens; tantum abest; vt Deum haberi se velit, aut aliquid diuinum vsurpet: id, inquam, nemo, nisi odio Satânico excæcatus, dixerit. Sedebit itaque in templo Dei Antichristus, ostentaturus se pro Deo; quia viribus ac potentia ecclesiam Dei intradet, eiusque loca occupabit; & vt ait Thomas; multi de ecclesia eum recipient; intellige, per hæresim & schisma prius separati. Occupatis autem ecclesiarum templis, alijsque locis: per eam superbiam, de qua dictum est quod extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, faciet se in iisdem locis, eliminato veri Dei cultu, tanquam Deum coli; præsertim accedente signorum & prodigiorum exhibitione, de quibus infra, per quæ Deum sese imperitis probabit. Et hoc pacto verificatur etiam Caietani expositio, qua dicebat Antichristum sessurum passim in templis Deo dicatis. Quod spectare videretur etiam Græcorum commentarius: nam per ecclesias, vsu fidelium, oratoria seu templa significantur.

5 NVM RETINETIS QVOD CVM ADHVC

ESSEM APVD VOS, HÆC DICEBAM VOBIS? Græcè, *An non meministis quod &c.* Sic & Ambrosianus. Est autem hæc tacita obiurgatio; quasi dicat, Cum hæc vobis præsens dixerim; non debetis commoueri rumoribus aliquorum dicentium inflare diem Domini. Vel hinc liquet, ait Theophylactus, quod haud pauca Paulus mysteria tradiderit, quæ literis non sint mandata. Nam eadem quæ hīc de apostasia & Antichristo scribit, coram apud Thessalonicenses clarius ac plenius tradiderat; ne hæc quidem scripturus, nisi occasio compulisset. Plus autem sermone quā scripto de hac re tradidisse apostolum liquet ex eo quod sequitur,

6 ET NVNC QVOD DETINEAT SCITIS, VT REVELETVR IN SVO TEMPORE. Sensus est: Nostis ex ijs quæ dixi vobis, quid obstat, quidue sit in mora, cur nunc ille homo peccati non manifestetur, sed tandem suo, id est, congruenti, ac diuinitus præstituto tempore venturus sit ac manifestandus. Nouerant utique Thessalonicenses, quibus dixerat Paulus; At nos nescimus, sed coniecturis vtimur; Nam quidam nō κατέχον, id quod detinet, de gratia Spiritus sancti dictum putant quantum ad charismata. Quod bene refellit Theophylactus, quia iam olim charismata cessant; nec tamen venit Antichristus. Veteres plarique commentatores tam Græci, quā Latini, quibus & Hieronymus assentitur in epistola ad Algasiam, Romanum imperium existimant significari, mentemque apostoli esse, quod non prius quā illud deletum fuerit, reuelandum sit Antichristus, vt qui non sit habiturus facultatem agendi quæ velit aduersus ecclesiam, nisi imperio Romano prius dissoluto. Id verò Paulum aperte dicere noluisse, ne calumniam pateretur, quasi Romano imperio, quod æternum fore sperabatur, malè optaret, quemadmodum iam superius dictum est. Ita quidem illi qui stante Romano imperio scripserunt: Sed hanc opinionem ipsa iam dudum experientia redargui monstrauimus eodem loco. Nec verò probatur Augustino; quāuis eam, vt ipse vocat, suspicionem commemoret. Sunt alij qui dilationis causam interpretentur, quod prius oporteat euangelium prædicari in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus; Et tunc, inquit Dominus, veniet consummatio. Matthæi 24. Verū quid opus erat apostolo hanc causam reticere; & non potius aperte declarare; cum & res auditu grata sit, & nihil periculi contineat? Proinde, si quid in re tam obscura dicendum est, videretur apostolus σκοπεύων, de qua supra locutus est, significare velle; quæ quoniam res admodum tristis est, & odiosa, non erat hīc nominatim repetenda. Scitis, inquit, partim ex antedictis, quod remoretur aduentum illius hominis peccati:

R

Non

Non enim reuelabitur, nisi prius apostasia, seu discessio venerit. Nam non solum oportet apostasia precedere diem Domini, verum etiam aduentum Antichristi: hic enim ordo supra significatus est, quemadmodum illic annotauimus; Idemque congruens est, quia per *ἀποστασίαν*, id est, generalem illam regnorum & populorum ab ecclesia Catholica defectionem, via preparabitur Antichristo; sicut hodie paulatim magnis, pro dolor, incrementis, fieri videmus. Potest hæc sententia facile colligi ex ijs quæ scribit Augustinus loco supra citato: Quin & cum verbis apostoli consequentibus bene conuenit, vti mox videbimus. Quod si tamen nec istud placet; lubens cum Augustino fatebor me, quid apostolus dicat, ignorare. Quò tandem etiam B. Thomas delabitur; addens rem non esse multum necessariam ad sciendum.

NAM MYSTERIUM IAM OPERATUR INIQUITATIS. Quamuis, inquit, homo peccati nondum venerit, sed suo tempore sit reuelandus; iam nunc tamen mysterium operatur iniquitatis. Hoc multi sic intelligunt, quasi dictum de homine peccati, id est, Antichristo, scilicet eum iam operari mysterium iniquitatis. Atque hinc colligunt hæretici Antichristum iam tunc apostolorum temporibus fuisse, etsi nondum reuelatum. Non enim, inquit, operari poterat mysterium iniquitatis (hoc est, secundum eorum expositionem, furum & clanculum moliri oppressionem ecclesie, quod aperte facturus est suo tempore) nisi iam tum existeret. Ex quo sanè colligendum nobis relinquunt grande mysterium impietatis, Petrum apostolum fuisse Antichristum. Si enim, vti contendunt, Romanus pontifex Antichristus est; extitit autem Antichristus apostolorum tempore; nec alius tunc Romanus Pontifex fuit, nisi B. Petrus: igitur Petrus erat Antichristus. Sed mysterium hoc adeò blasphemum est & impium, vti ipsi qui conceperunt, palam proferre non audeant. At Catholici commentatores non pauci, Hieronymus imprimis, locum hunc de Nerone interpretantur; sed sensu non nihil variant. Nam alij *mysterium* accipiunt accusatiuo casu, vt sensus sit, hominem illum peccati, id est, Antichristum, etsi nondum venerit, iam tamen in alio sibi multum simili, tãquam in figura ac præcurfore suo, videlicet in Nerone mysterium iniquitatis operari, hoc est, ea mala atque peccata agere iam ex parte, persequendo fideles, & diuinos honores appetendo, quæ potentiùs, ac plenius ipse per se atque in propria persona facturus est Antichristus. Secundum alios, *mysterium*, nominatiui casus est, & sensus verborum huiusmodi, Nam mysterium iniquitatis, id est, Nero (quem mysterium iniquitatis ab apostolo vocari dicunt, eo quòd sit typus Antichristi) iam talia quædam operatur, qualia facturus est ipse Antichristus. Ita ferè Chryostomus, & eius sequaces. Augustinus verò cum hanc

de Nerone interpretationem loco sæpe citato retulisset; consequenter adiecit quid alij quidam, ex hac occasione, de eodem Nerone fuerint opinati. Vnde nonnulli, inquit, ipsum resurrecturum, & futurum Antichristum suspicantur; Alij verò, nec eum occisum putant, sed subtractura potius, vt putaretur occisus; & viuum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus; donec suo tempore reueleretur & restituatur in regnũ. Sed multũ mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio. Hæc ille. Et tamen istarum opinionum ab Augustino reprehensarum posterior apud Sulpitium legitur lib. 2. historie sacræ. Qui & in secundo dialogo sub finem, vel eandem, vel similem omnino sententiam, B. Martino Turonensi ascribit, aut certè affingit. Nam dialogus ille inter apocrypha relatus est à Gelasio papa sub titulo Posthumiani & Galli, qui in eo sunt interlocutores. Cæterum vniuersus hic de Nerone commentarius, quamuis hos aliosque auctores habeat, euertitur obseruatione temporis, quo Paulus hanc epistolam scripsit; quemadmodum subtiliter animaduersum est à Cardinale Baronio, ad annum Domini 70. & facile colligi potest ex ijs quæ nos in argumento vtriusque epistolæ diximus. Non enim sub Nerone principe scripta est hæc epistola, vt de illo dictum intelligi possit, *mysterium iam operatur iniquitatis*; sed ante eius imperium annis circiter tribus, Claudio adhuc regnante. Quanquam, nec primis imperij sui annis Nero ita se gessit, vt de eo verificari posset hæc apostoli sententia. Quocirca dimisso hoc commentario, scire imprimis oportet verbum, *operatur*, Græcè *ἐνεργεῖται*, passiuè exponendum esse sicut hæc verba, *deprecatur, & recordatur*. psal. 134. *In seruis suis deprecabitur*, id est exorabitur. Ezechi. 18. *Omnes iniusticia eius non recordabuntur*, id est, non erunt in memoria. Simile in alijs verbis quæ deponentia vocantur, videbit lector, psal. 77. sub finem. Eccl. 24. 3. Matth. 7. 2. 1. Cor. 12. 26. Heb. 13. 16. Sunt autem ista, Lamentatur, Admirabitur, Remetietur, Glorietur pro glorificatur, Promeretur. & plura facile suppedirabunt Grammatici diligentiores. Ennius dixit domum dominari, passiuè; referete Tullio. Ipse Tullius passiuè dicit, opinatis bonis, & opinatis malis, in Tuscul. Sic autè & verbum *operatur*, & Græcũ ei respondens, accipiendũ esse, latius ostēdimus ad illud Gal. 5. *Fides qua per charitatē operatur*, vbi inter alia exēpla huius acceptionis è Paulinis epistolis allata, etiã præsentem locum adducebamus, vt hinc non sit opus ad id præbandũ immorari. Tantũ addo, doctos quosdã Pauli interpretes (Fabrũ & Baium) huius expositionis meminisse: quẽdã etiã vertisse, *agitur*, aut, *peragitur*. Sed & Victorinũ martyre in cõmentario super Apocalypsum ita citare hunc locũ; *Arcañũ malicia iam oritur*; Quod similiter passiuã habet significationem, quasi dicat, iam nunc

incipit

incipit agi. Et B. Hieronymus in proœmio dialogi aduersus Pelag. ita hunc locum citat, vt verbum hoc passiuè accipi debeat. Hoc igitur constituto: quæritur, quodnam apostolus vocet *mysterium iniquitatis*; & quomodo illud (passiuè) operetur, id est, agatur. Respondeo, *mysterium iniquitatis* intelligi iniquitatem arcanã, & latètem, quæ aliquando fit in publicũ proferenda, & palam grassatura; nimirum per eum quem paulò post vocat *illum iniquum*. Agebatur autem hoc mysteriũ iam tum, apostolorum tempore, per illius iniqui præcursores, hominum seductores hæreticos: vt sensus Pauli sit, Etsi nondum venerit Antichristus in persona; iam tamen adest in emissarijs ac præcursoribus suis: Nam iniquitas eius, de qua locutus sum, nunc occultè, velut in mysterio, agitur, & exercetur per hæreticos. Ea iniquitas est Christum, & regnum eius totis viribus oppugnare; atque, ad imitationem diaboli diuinitatem illius ad se rapere. Cui negotio subseruiunt omnium sæculorum hæretici, dum, prætenso Christi nomine, Christum & ecclesiam eius oppugnant, Antichristo ad manifestariam eius impietatem viam sternunt. Fautent huic interpretationi Theodoretus & Gaignæus; sed eam maximè confirmat Ioannis apostoli doctrina de Antichristo, & eius prænuncijs hæreticis; quos etiam nomine cum suo principe communi, Antichristos vocat, id est, Christi aduersarios. *Filioli*, inquit cap. 3. suæ 1. epistolæ, *nonissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit; nunc Antichristi multi facti sunt.* Et cap. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus; de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Quo vtroque loco clarè significatur id quod Paulus hinc dixit obscurius, scilicet Antichristum venturum quidem, ac reuelandum suo tempore, sicut edocti erant fideles; sed iam tum eum adfuisse in suis præcursoribus, per quos agebatur mysterium iniquitatis eius, olim in ipsius persona palam manifestandæ. Quòd pertinet etiam illud eiusdem Ioannis apostoli, *Quoniam multi pseudoprophete, & multi seductores, exierunt in mundum.* 1. ep. 4. Et in secunda epistola: quasi cum Paulo dicat, Hi sunt per quos nunc agitur iniquitatis mysterium.

TANTVM VT QUI TENET NUNC, TENENT, DONEC DE MEDIO FIAT. Pars hæc nihilo minus habet obscuritatis, quàm præcedentes. Græca sic ad verbum, *Tantum tenens (aut detinens) modò, donec è medio fiat.* *Detinens*, id est, qui detinet, participium masculinum; cuius neutrum habuimus paulò antè, *Et nunc quid detineat*, Cæterum interpretes noster sententiam Pauli, velut imperfectam, suppleuit repetito eodem verbo, *teneat*; Quod & Erasmus fecit, ita vertens, *Tantum qui tenet in præsentia, teneat, donec è medio tollatur.* Alij supplere malunt, *tenebit*. Alia versio sic habet, *Tantum qui nunc obstat, obstat, vs-*

que dum è medio sublatus fuerit; Atqui Græci commentatores non videtur huiusmodi supplementum desiderasse. Vnde nec interpretes Theophylacti & Occumenij illud addēdum in sua versione putauerunt. Quanquam ferè in eundem sensum Græci cum Latinis concurrant, quatenus vtrique Romanũ imperiũ existimant significari. Nã Græci sic intelligunt; Solum est qui detinet modò, id est, qui nunc remoratur, atque impedimento est, scilicet Romanus imperator cum suo imperio, donec tollatur è medio. Quãdiu enim, inquit, stabit Romanum imperiũ, velut ala protegens ecclesiam, non facile quisquã tãtas habebit vires, vt eam vastet: Illo autem dissoluto, tanquam sublato impedimento, veniet qui & hominum, & Dei imperiũ sibi vendicet. Eodem recidit recetiorum quorundã expositio, Tantum qui nunc detinet, detinebit; aut qui nunc obstat, obstat, donec &c. Qui verò cum interprete nostro legere malunt, *teneat & teneat*; hunc faciunt sensum. Tantum qui modò tenet Romanum imperiũ, teneat illud; quasi dictum sit, inquit Augustinus, Tãtum qui modò imperat, imperet, donec de medio tollatur. Paulò aliter Hieronymus, Tantum vt Romanum imperium, quod nunc vniuersas gentes tenet, recedat, & de medio fiat. Ex quo etiam apparet Hieronymum non reperuisse verbum, *teneat*, Nam, *teneat*, per, recedat, exponi non potest. At verò rationes quibus paulò antè ostēdimus, illam partem, *Nisi venerit discessio primum*, non rectè intelligi de defectione futura à Romano imperio; valent æquè ad improbandũ similem huius loci cõmentarium, quẽ tradunt auctores memorati; nisi quod Augustinus nihil asseueratè dicat. Quibus accedit, quòd illa phras, de medio fieri, pro eo quod est, è medio tolli, perdi, aboleri, nusquam alibi reperitur; Sed Hebræis, *è medio*, significat separationẽ alicuius aut aliquorum ab alijs. vt Matth. 13. *Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* Et 2. Cor. 6. *Exite de medio eorum & separamini.* Nam & illud quod dicitur 1. Cor. 5. *Vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit*, non interitum, sed separationem significat. Porro verbum *κατέχευ*, etsi paulò superiùs vsurpatum sit pro detinere, seu remorari; alibi tamen, ac frequentius eidem apostolo significat, tenere, seu retinere quippiam; vt in priori ad Thessal. epistola cap. 5. *Quod bonum est, tenere.* Item 1. Corinth. 11. & 15. *præcepta, doctrinam tenere.* Quocirca præsens locus ad hunc modum poterit explicari; Mysterium iniquitatis nunc agitur, erupturum aliquãdo in apertam apostasiam; Interim verò dum agitur, quicumque tenet Christum, & veram eius religionem, firmiter retineat, donec de medio ecclesie fiat apostasia, de qua supra locutus sum, id est, magna illa defectio, qua regna & populi ab ecclesia recedent. Hic sensus optimè congruit cum ijs quæ de apostasia superiùs dicta sunt.

R. 2

Quin

Quin & Augustinus satis probare videtur huiusmodi sensum, addens pro explicatione, quod sicut nunc multi hæretici exeunt de medio ecclesiæ, iuxta illud Ioannis 1. ep. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*; ita tandem omnes inde exibunt (generali nimirum discessione) qui non ad Christum, sed ad Antichristum pertinebunt. Hanc expositionem inter alias refert B. Thomas; Simpliciter autem approbant Anselmus, Liranus, & Gaignæus.

8 ET TUNC REVELABITUR ILLE INIQUVS. Postquam, inquit, è medio ecclesiæ facta fuerit apostasia, tunc statim iniquus ille, id est, Antichristus, veniet, atque in apertum se proferet, videlicet princeps futurus & caput omnium impiorum, maximè eorum qui ab ecclesia defectionem fecerint. Eum apostolus καὶ ἐξοχὴν iniquum vocat, Græcè τὸν ἀνομῶν, quasi fontem iniquitatis, ut Hieronymus interpretatur, quia nimirum author erit omnibus à Deo atque à lege eius recedendi; Nam Græca vox, hominem significat ex legem, id est, eum qui nulla legum reuerentia tenetur, qui ius & fas omne diuinum atque humanum conculcat. Sunt igitur illius iniqui præcursores, nostri temporis hæretici; qui potestatem omnem legislatiuam ecclesiæ adimunt, nec vllas humanas admittunt leges in conscientia obligantes.

QUEM DOMINVS IESVS INTERFICIET SPIRITV ORIS SVI. *Interficiet*, Græcè, *consummet, conficiet*; Et sensus est, Dominum Iesum in aduentu suo perditurum illum iniquum solo maiestatis imperio; cuius iussisse, fecisse est, inquit Hieronymus. Respicit autem apostolus ad locum Isa. 11. vbi de Christo dicitur: *Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impiam.* De eiusdem Antichristi interitu ita Daniel vaticinatur cap. 8. *Contra principem principum consurget; & sine manu conteretur.* Hæ scripturæ significant modo quodam stupendo & insolito, sine ministerio hominum, tollendum è medio Antichristum; videlicet sola, secundum Isaiam & Paulum, interueniente iussione Christi hominis. Dico *Christi hominis*; nam de Christo secundum naturam assumptam vterque loquitur. Sunt qui spiritum oris Christi, & apud Isaiam, spiritum labiorum eius, interpretentur Spiritum sanctum; Atque ex huiusmodi scripturis probant Spiritum sanctum à Filio procedere, ut Anselmus in libro de processione Spiritus sancti cap. 7. Equidem priorem sensum magis germanum cenſeo; quamvis in vtroque sermone possit intelligi quædam allusio ad Spiritum sanctum è verbo Patris procedentem.

ET DESTRVET ILLUSTRATIONE ADVENTVS SVI. Græcè, *& abolebit apparitione aduentus sui*, siue ut Ambrosianus & Augustinus legunt, *presentia sua*. nam sicut aduentu solis fugantur tenebræ; sic iniquum

illum exhibitione præsentia sua Dominus destruet, atque delebit. Hanc enim comparationem adfert Hieronymus. Ex hoc loco videri potest Antichristum victurum & regnaturum, ac seducturum mortales, vsque dum Christus ad iudicium veniat; vtpote in aduentu demum eius destruendum. Atqui multorum opinio est, inter Antichristi mortem, Domini aduentum, spacium aliquod temporis fore medium, quo pace aliquantula fruatur ecclesia; vti semper solet post graues persecutiones; idque significatum Apo. 8. per silentium illud quod factum dicitur in celo quasi media hora. Deinde, si demum in aduentu Domini perimendus est Antichristus: quando conuertentur Iudæi quos Antichristus seduxerit: nam conuertendos eos, postquam horrendum illius interitum conspexerint, multorum opinio est. Sed responderi potest, Aduentum Domini extensè & secundum quandam latitudinem esse intelligendum, ut sub eo cõprehendatur etiã aduentus, & prædicatio præcursorum eius, & alia signa venturi Domini prænuincia; sicut sub priuo aduentu Christi, comprehenditur aduentus præcursoris eius Ioannis Baptistæ, ita ut Christo adhuc latente præcursor dicat: *Appropinquauit regnum calorum*, Matth. 3. quia nimirum iam in proximo manifestandum erat per Christi prædicationem & miracula. Sic igitur & secundus Christi aduentus, secundum scripturam, non in atomo accipiendus est, sed quædam etiam anteriora, rãquam præcurrentia signa, comprehendit: quomodo rex venire dicitur in ciuitatem, dum adhuc longiusculè abest, illis modò ingredientibus qui regem solent præire, quotque ille continuo subsequitur. Huc facit comparatio quam Græci interpretes adhibent, ita Antichristum aduentu Christi consumendum, quemadmodum ab igne procul apparente, priusquam admoueat, minuta animalcula consumuntur & torpescunt. Alij sic apostolum intelligunt; *Quem iniquum Dominus Iesus*, priusquam veniat ad iudicium, *interficiet spiritu oris sui*; cæterum in ipso suo aduentu destruet omnes eius reliquias. Nam post interfectum Antichristum, sequaces eius duraturos vsque ad apparitionem aduenientis Christi, Caietanus haud improbabiler opinatur. Quod igitur ad tempus attinet conuersionis Iudæorum, dicendum est, viuentem adhuc Antichristo, prædicantibus Enoch, & Elia, multos eorum abiecto errore credituros in Christum; reliquos verò quos Antichristus seduxerit, illo terribiler interfecto, redituros ad mentem, ac sese fratribus Iudæis in vnitatem fidei Christianæ sociaturos.

9 EVM, CUIVS EST ADVENTVS SECVNDVM OPERATIONEM SATANÆ. Redit ad descriptionem Antichristi. Qui, inquit, adueniet instrumentum diaboli futurus, per quod ille efficaciter operetur, & vim suam exerat. Illud

enim, lucis causa additum est à nostro interprete.

IM OMNI VIRTUTE ET SIGNIS ET PRODIGIIS MENDACIBVS. Græcum genitiuum *mendacij*, quem & Ambrosianus legit, rectè noster interpres, auribus Latinis seruiens, vertit in adiectiuum, *mendacibus*; Idque ad tria præcedentia referendum est, nèpe ad *virtutes*, signa, prodigia. Et sensus est, Antichristum operatione Satanae facturum omne genus mendacium miraculorum; Vocantur autem *mendacia* iuxta Augustinum & interpretes huius loci, vel quia fallaciter, & illusorie, non autem verè fient; vtea quæ superant facultatem naturæ creatæ, qualia sunt mortuos suscitare, cæcis visum reddere, surdis auditum &c. Vel quia ad mendacium, id est, errorem, homines inducent, etiamsi quædam eorum veraciter fiant; vtpote creaturæ facultatem non excedentia; cuiusmodi sunt, ventos & tempestates excitare, ignem celo deducere, quosdam languidos subito sanare &c. Fient enim hæc ab Antichristo, vti dictum est, operante Satana; qui cum per scientiam in sua creatione acceptam, & longissima experientia auctam, totius rerum naturæ sit callentissimus; multa potest efficere variarum causarum commistione, quæ hominibus ita miranda sint, ut ea à veris miraculis haud facilè discernant. Aut denique mendacia vocat Antichristi signa; quia siue verè fiant, siue fallaciter, & per illusionem; omnia tamen in genere miraculorum (qualia se facere iactabit) falsa erunt & mendacia. Constat enim nullum verum miraculum (quomodo de miraculis scripturæ, & Theologi loquuntur) à quocumque fieri posse pro confirmatione erroris; cum Deus, cuius solius virtute vera miracula, tanquam testimonia quædam publica, proferuntur; testis falsitatis esse non possit. Terrius hic sensus valde probabilis est. Cum enim nomine *signorum & prodigiorum* in sacris literis sæpe vera miracula significantur, quæ diuinitus ad hoc instituta sunt, ut per ea veritatis doctrinæ salutaris confirmetur, & velut sigillis quibusdam celestibus obſignetur: ne quis ea suspicaretur aliquando communicari posse vel Antichristo, vel eius præcursoribus pseudoprophetis, propterea quod & illi similia quædam sint facturi; præmonere nos voluit apostolus, addendo, *mendacibus*; id est, falsis, non quidem in genere rerum, sed in genere signorum, id est, miraculorum. Iam ex hoc etiam apostoli loco planè refellitur hæreticorum blasphemiam de pontifice Romano. Nulla enim historia prodit Romanum pontificem exercuisse falsa miracula, aut ad ea patranda vsum fuisse opera diaboli. Veris quidem miraculis aliqui eorum claruerunt: sed hoc illis cum Christo Domino, & apostolis eius omnibus commune est. Atque ex ijs argumentum sumitur & sanctitatis eorum & veritatis doctrinæ. Hæretici

Antipapistæ locum hunc referunt ad omnia miracula, quæ in ecclesia, cui Papa præſidet, fiunt: quæ omnia calumniantur vt imposturas diabolicas. Quæ vtique est blasphemiam in Spiritum sanctum; qualis eorum qui de Christo dicebant *quod in principe demoniorum eijceret demonia*. Vt non debeamus mirari si tam pauci ex hæreticis talibus, veniant ad veram pœnitentiam. Firmum enim est verbum Domini, quod *blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur neque in hoc seculo; neque in futuro*. Matth. 12. Porro quid discriminis sit inter virtutes, signa, & prodigia, explicatum est alibi, Rom. 15. 1. Cor. 12. Hebr. 2.

10 ET IN OMNI SEDVCTIONE INIQUITATIS IIS QUI PEREVNT. Græcè, *In percutiibus*. Sensus est, Antichristum non solum per signa mendacia, verum etiam alijs innumeris artibus, ac modis, velut blandicijs, donis, promissis deceptorum reprobos, & inducturum ad iniquitatem. Nam *seductionem iniquitatis*, siue, vt Ambrosianus & Græca legunt, *fallaciam, seu deceptionem iniusticia*, dixit apostolus, pro deceptione ducente ad iniusticiã, sicut viã salutis scriptura vocat eã quæ ducit ad salutem. Reprobos autem appellat percutentes, nominaliter potius quam participialiter; quomodo rex impiorum angelus abyssi vocatur Apollyon, id est, perdens, siue exterminans. Apoc. 9. *Pereutes*, inquit, vocat, id est, destinatos ad perditionem, etiam in hac vita inchoandã; ea ratione, qua electi è cõtrario salui fieri dicuntur in hac vita, nimirum secundum inchoationem, vt Tit. 3. *Secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Adiecit autem hanc particulam *ijs qui pereunt*, pro consolatione piorum, vt scirent Antichristi potentia & fraudes nihil valituras aduersus electos; quorũ numero, per bonam fiduciã adiungere se debeant. Nã & Dominus Matth. 24. electos à deceptione Antichristi, & ministrorum eius, excepit, ijs verbis: *Dabit signa magna, & prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, planè significans id fieri non posse.

EO QVOD CHARITATEM VERITATIS NON RECEPERVNT, VT SALVI FIERENT. Græca pleniùs expressit Erasmus, *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent*. Nam sensus est, reprobos illos seducendos ab Antichristo, iusticia Dei permittentis id exigente, propterea quod veritatem à Christo annunciatam, quam amare & amplecti debebant, non receperunt, vt ea per fidem suscepta, salui fierent.

IDEO MITTET ILLIS DEVS OPERATIONEM ERRORIS, VT CREDANT MENDACIO. Explicatio est rationis præcedentis, Quoniam, inquit, veritatem recipere noluerunt; ideo mittet illis Deus operationem, Græcè *ἐνέγκειαν*, erroris, illusionis, imposturæ: hoc est, mitter hominem, qui diabolo efficaciter in se operante, (sicut antea dictum est) dece-

pturus eos sit, & in errorem ducturus. *Mittet* autem, non quod auctoritatem aut mandatū fallendi homines ei daturus sit; sed quia aduentus eius, quatenus ad puniendum peccata hominū ordinatus, erit à Deo. Nullum enim malū patiūtur homines, quod Deus non immitat. Iā nec in eo quod additur, *ut credat mendacio*, vel, vt Ambrosianus Græco textui conformiter legit, *In hoc, ut credat mendacio*, significatur Deus mendaciū, aut mendacij fidē intendere; sed vel consecutiua particula est, vt, hoc sensu; Ita fiet vt credant mendacio, id est, falsæ doctrinæ; vel significatur intētio Dei puniētis per id quod non tantum pœna est, verum etiam peccatum. Quid enim apud Deum iustius, quā vt qui veritatem suscipere noluerunt, in errorem incidant, & falsitati credant? Vnde discimus quædam ita esse peccata, vt etiam præcedentium pœnæ sint peccatorum. Quod cum apostolus Rom. 1 de gentiliū philosophorum peccatis ostenderit; hoc loco de Iudæis futurum asserit. Nam Iudæos, vel solos, vel præcipuè designari per eos qui charitatem veritatis non receperunt, quibus proinde missurus sit Deus operationem erroris, vt credant mendacio, disertè docent Hieronymus ad Algasiam, & Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus in commentarijs huius loci. Idque probant ex simili prædictione Christi, qua ad Iudæos dixit Io. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*; scilicet Antichristum. Et sanè de iisdem omninò loqui Paulum apparet, de quibus in priori epistola ca. 2. dixerat, *peruenisse iram Dei super illos usque in finem*. Quod quidem de Iudæis dictum fuisse non dubium est. Hinc ergo non solum ostenditur Iudæos Antichristum recepturos, id quod multis Patrum testimonijs celebratum est; verum consequenter etiam vanissimæ falsitatis arguitur hæreticorum figmentum, Romanum pontificem esse Antichristum. Nam Iudæi Christianam religionem vñ cum Romano pontifice, qui in ea præsidet, pessimè oderunt; tantum abest vt illum pro Messia aut principe recipiant, ac pro Deo colant. Nec iuuat aduersarios responsio, qua dicunt apostolum loqui de ijs qui posterioribus sæculis veritatem non sint recepturi: Non enim de futuro loquitur, sed de præterito, *Non receperunt*; quomodo Ioannes ca. 1 sui euangelij: *In propria venit, & sui eum non receperunt*. Quod æquè de Iudæis intelligi certum est. Dicuntur autem Iudæi, qui Christum venientem non receperunt, Antichristum recepturi, non iisdem ipsi, sed eorum posteri, in quos hæreditaria quadam successione, continuatā patrum infidelitas, Deo deferente, descendit.

II VT IUDICENTUR OMNES QUI NON CREDIDERUNT VERITATI, SED CONSENSERVNT INIQUITATI. Græcè, *Sed consenserunt*, siue *complacuerunt*, siue *complacuit eis fuit in iniusticia*, id est, approbauerunt, amplexi sunt iniu-

sticiam. Quod Theophylacti interpres vertit, Sed oblectati sunt iniusticiā. Pars ista generalis est hunc habens sensum; Ita denique fiet vt quicumque *veritati* sibi prædicatæ fidem habere noluerunt, & per eam iustificati, sed potius elegerunt acquiescere falsitati, & quæ eam sequitur, iniusticiæ; *iudicentur* à Deo, id est, condemnentur, & puniantur, ea scilicet pœna, de qua superiori capite. *Qui omnes dabunt in interitum æternas à facie Domini, &c. Iudicium*, pro condemnatione ac punitione frequens est in sacris literis. Vnde illud Io. 3. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum; sed ut saluetur mundus per ipsum*. & quod sequitur, *Qui credit in eum, non iudicatur*. Potest autem causaliter accipi id quod ait, *Et iudicentur*; Nam missio Antichristi, & iusta desertio eorum qui veritatem non receperunt, vt mendacio credant, ordinantur ad bonum iusticiæ diuinæ in punitione impiorum declarandā, tanquam ad finem; quemadmodum bene Caietanus annotat. Porro cum ea quæ de homine peccati & filio perditionis dicta sunt, nemo dubitet ad Antichristum pertinere; nec quisquam nisi hæretico spiritu impulsus, ea ad Romanum pontificem referat: à nonnullis tamen, etiam Catholicis, in dubium reuocatur, vt rōm homo ille ab apostolo descriptus iam venerit, an adhuc venturus sit. Quidam enim Mahometum Arabem pseudopphetam, qui maximam orbis Christiani partem Christo detractam in suam legem attraxit, Antichristum fuisse putant, ratiunculis quibusdam moti, quas breuitatis causa prætermittimus. Verum absque dubitatione responderetur, hominem illum peccati nondum esse reuelatum. Primò, quia nondum per omnes gentes prædicatum est euangelium. Secundò, quia nondum completa est discessio, de qua apostolus. Tertio, quia nondum apparuerunt Enoch & Elias. Quarto, quia nondum experti sunt Christiani grauissimam illam persecutionem de qua per Antichristum commouenda scripturæ loquuntur. Quintò, quia nullus Christi aduersarius hætenus apparuit in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus. Hæc autē omnia vel ante aduentum Antichristi, vel eius tempore, ac per eum, fieri oportere perspicuum est ex scripturis. Sextò, quia non obscure significat apostolus, paulò post quā Antichristus fuerit reuelatus, Christum Dominum venturum ad iudicium. Postremò, quia si iam dudum Antichristus venisset, nequaquam id ecclesiam Christi lateret: tum quia eius aduentum apostolus vocat reuelationem, siue manifestationem, tum quod prophetica scriptura solet ipis rerum prædictarum euentibus elacscere, præsertim si res ille sint præcipuæ, magnique momenti, qualis est aduentus Antichristi. Sed de hac re plenius actum à nobis, in 4. dist. 47.

12 NOS AUTEM DEBEMUS GRATIAS AGERE DEO SEMPER PRO VOBIS, FRATRES

DILECTI A DEO. Post declarationem eorum quæ Christi aduentum erant præcessura, quæ quidem tristia erant & horrenda audita; nūc ad ea redit, quibus Thessalonicensium animos in fiduciam erigat; à reprobis ad Antichristū pertinentibus, & cum ipso perituris, eos discernens, quod *dilecti sint a Deo* & electi. Nam dilectos à Deo, siue vt Græcè est, à Domino, vocat, propter id quod sequitur, & propter quod Deo gratias agere se dicit pro illis; tacitè significans multo magis eos pro semetipsis gratias agere Deo debere, & gratias agendo, Deum totius boni authorem agnoscere.

13 QVOD ELEGERIT VOS PRIMITIAS IN SALVTEM. Circa textum duo notanda sunt; Prius est, viciòse quosdam Latinos codices & interpretes loco pronominis, *vos*, legere, *nos*, in prima persona; quippe non solum repugnantibus in vniuersum Græcis ac Syris exemplaribus, adeoque Clementina editione, verum etiam sensu reclamante. Cum enim dixisset, *Pro vobis gratias agere Deo debemus*, idque explicare vellet; vtique consequens erat, vt commemorationem beneficii in Thessalonicenses collati subiungeret, dicēdo, *Quod elegerit vos Deus* &c. Alterum est, pro vocabulo, *primitias*, in Græco legi *ἀπαρχὴς*, ab initio, vel vt Ambrosianus habet, *à principio*; Cui lectioni Syrus etiam interpres astipulatur. Id verò Caietanus exponit de initio euangelicæ prædicationis; Alij, *ab initio* volunt idem esse quod ab æterno, sicut apud Ioannem 1. ep. 1. *Quod fuit ab initio* &c. Porro non dubiū quin noster interpres in Græco legerit *ἀπαρχὴς* vna dictione, id est, *primitias*; Quod etiamnum in Græcis nonnullis haberi testatur Gaignæus. Lectio sanè probabilis; nam & alibi sic apostolus loquitur, vt eos qui ex aliqua regione primi ad fidem conuersi sunt, eius regionis primitias vocet, tanquam fructus primogenios Deo oblatos. vt Rom. 16. Epænetum primitium Asiæ. & 1. Cor. 16. Stephanam & Fortunatum primitias Achaie. nam vtrobique Græcè est *ἀπαρχὴς*. Sic igitur, Thessalonicenses simpliciter vocat primitias à Deo electas, siue assumptas, siue separatas, ad salutem; eo quod primi fermè inter gentiles fidem receperunt. Certè ad eos primos apostolus suas scripsit epistolas. Est autem allusio ad separationem primitiuorum, quæ secundum legem Mosaicam fiebat. Exodi 35. Num. 15. & alibi. Atque hunc sensum reddunt Latinorum commentarij. Vtrouis autem modo scripserit apostolus, in eo tamen quod ait, *Dilecti à Deo, quod elegerit vos*; significare voluit electionis nostri causam non esse merita nostra, sed bonitatem Dei qua nos prior dilexit.

14 IN SANCTIFICATIONE SPIRITVS ET FIDE VERITATIS. Significantur effectus electionis diuinæ, ordinati ad salutem; quasi dicat, Elegit aut assumpsit vos Deus in salutem, medijs ad eam concessis, nimirum, *sanctificatione spiritus, & fide veritatis*. *Sanctificationem spiritus*, vocat, vel tanquam causam, vt intelliga-

tur Spiritus-sanctus, cui velut auctori sanctificatio nostra solet appropriari; vel tanquam subiecti, vt spiritus accipiatur humanus, id est, anima, in qua sanctitatis donum principaliter residet. Hanc posteriorem expositionem probabilem facit illud prioris epistolæ ca. 5. *Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester* &c. Nec non illud Petri Act. 15. *Fide purificans corda eorum*; Vnde & hinc adiungitur *fides veritatis*, scilicet euangelicæ, tanquam illius sanctificationis causa; vt intelligerent se sanctificatos ac iustificatos non per sua opera, sed per fidem. Veruntamen prior expositio multorum est; & ad eam inuitat locus 1. Pet. 1. huic satis similis, qui sic habet: *Electis secundū præscientiam Dei Patris in sanctificatione spiritus* &c. Vbi Spiritum-sanctum penè omnes intelligunt, ipsius loci circumstantiā persuasi, quemadmodum illic videbitur.

15 IN QVAM ET VOCAVIT VOS PER EVANGELIUM NOSTRUM. Multi codices tam manuscripti quā impressi legunt: *Ad quod & vocavit vos* &c. consentaneè cum Græcis, nisi quod in his non inuenitur coniunctio, &, quam nec Ambrosianus agnoscit. Syriaca versio sic habet. Ad hæc enim vocavit vos. Illud igitur, *ad quod*, complectitur vtrumque, scilicet sanctificationem spiritus, & fidem veritatis; vt sensus sit, Thessalonicenses ad fidem & ad sanctitatem à Deo vocatos esse per ministerium Pauli, prædicantis eis euangelium. Vocationem autem intelligit efficacem, quæ est electionis effectus.

IN ACQUISITIONEM GLORIÆ DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Ne sibi laudis aliquid vendicare videretur, quia dixerat, *per euangelium nostrum*; idcirco totum nunc refert in gloriam Christi; simul insinuans nec Thessalonicenses habere quod de fide sua glorientur in seipsis; cum & illa ad gloriam Dei, vt auctoris, referenda sit; quemadmodū hinc disertè post Chrysostomum Theophylactus annotat. Iuxta quos sensus est, Deum ea quæ commemorata sunt, fecisse vt gloriam Christo Domino nostro acquireret & cummlaret; vt pote per cuius meritum ea omnia præstitisset. Est & alius sensus, haudquaquam improbandus, Deum vocasse Thessalonicenses per euangelium Pauli in acquisitionem gloriosam Christi Domini, hoc est, vt eius essent gloriosa possessio, sanguine ipsius acquisita. Nam acquirere & possidere vocabula sunt vicinæ significationis, præsertim secundum Hebraicæ linguæ proprietatem. Ecclesiam autem ex gentibus collectam, esse possessionem atque hæreditatem Christi præclaram & gloriosam, testantur scripturæ. psal. 1. & 15. & isa. 49. & alibi.

14 ITAQUE FRATRES STATE, Id est, persistite firmi, & constantes in fide & vocatione vestra, qua vos Deus per gratiam suam dignatus est;

ET TENETE TRADITIONES QVAS DIDICISTIS. Græcè, *quas docti estis*, id est, quas

ego vos docui. Quo verbo obiter suum commendat officium:

SIVE PER SERMONEM, SIVE PER EPISTOLAM NOSTRAM. Partitio est traditionum. Porro *traditiones* vocat doctrinas & instituta religionis Christianæ; siue ea pertineant ad fidem, siue ad externum cultum religionis; ut sunt ceremoniæ. nã de hoc secundo genere dixerat apostolus 1 Cor. 11. *Cetera cum venero disponam.* & cap. 14. *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.* Hic verò traditiones diuidit in scriptas, & solo sermone traditas, quas Græci vocant *ἀγγραφάς*, id est, nō scriptas. Quæ quidem non illæ dicuntur, quæ nūquā reperiuntur scriptæ; sed quæ non exstant in scripturis factis, qualis ab apostolis acceptas successores eorū nobis velut per manus tradiderunt; tãmeti inter hos non decissent qui & illas scripto manderet. Hic locus aperitissimè docet non omnia quæ vel credere, vel agere diuinitus iubemur, quæve ab apostolis instituta sunt, esse sacris literis comprehensa, quod volūt hæretici; sed quædam in traditione nō scripta contineri, ita ut ab initio nascētis ecclesiæ Christiana religio duplici velut iure fuerit gubernata, scripto, & nō scripto; tanquã legibus & consuetudine: Quod cuique bene instituta reipublicæ cōmune est. Vnde Chrysostomus in præsentem locum; Hinc perspicuum est, inquit; apostolos in omnia tradidisse per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; & ea quoque esse fide digna. Quãobrem ecclesiæ quoque traditione fide dignam esse censuimus. Traditio est, nihil quæras amplius. Hæc ille; quæ eorū ferè verbis à Theophylacto repetita sunt. De traditionibus non scriptis, & earum pari cum scriptis autoritate, consulantur veteres, Irenæus lib. 3. contra hæreses ca. 3. & 4. Tertullianus lib. de corona mil. ca. 3. Basilus ad Amphilochem de Spiritu sancto ca. 29. Epiphanius hæresi 61. & Augustinus epistola 118. ad Ianuariū. Quorū atque aliorum Parrum sententijs in hærens synodus Tridentina, sess. 4. cap. 1. declarat veritatem & disciplinam ecclesiæ contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab apostolis acceptæ; aut ab ipsis apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt: atque earum contemptores anathemati subiecit. Fruolium est autè quod ad præsentem locum aduersarij respondent, apostolum ea quæ sermone tradidit, postea scripto consignasse in alijs epistolis; ac proinde nihil esse sermone traditum, quod non sit scriptum: quasi videlicet consulto egerint apostoli, ut si quod diuino dogmatū vna eorū epistola non haberet, id in alia, vel alijs insererent; aut quod vnus eorū prætermisisset, alius suppleret, ne quid omnino nō scriptum remaneret: cum res ipsa clamat, eos nō ex composito dogmata Christianæ religionis in scriptum redigisse, ut quibus non scribendi, sed prædicandi euangelij negotium à Christo commissum esset; sed pro natis occasionibus, quæ-

dam mandasse literis ad absentes datis, quæ profectò scripturi non erant, si vel præsentibus fuissent ijs ad quos scribebant, vel occasio defuisset. Nisi enim (exempli gratia) Timotheus absens à Paulo fuisset; non haberemus huius ad illum duas epistolas tam multiplici ac necessaria doctrina, quæ alibi non habetur, referas. Et, ut de re præsentem loquamur, nisi Thessalonicenses falsa persuasione instantis diei Domini fuissent turbati: nihil utique de discessione & homine peccati, ante diem Domini veteris, scriptum ab apostolo fuisset. Videtur autè apostolus hæc de traditionibus retinendis admonitionem subtexere, quod viderentur Thessalonicenses acceptarū traditionū nō satis esse memores, *Num retinetis*, inquit paulò superius, *quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebã vobis?* Monet igitur in vniuersum ut traditiones quas ab ipso, vel præsentem per sermonem, vel absente per epistolam didicerant, memoria, fide, obseruatione firmiter retineant. Loquitur autem de epistola sua priore.

IPSE AUTEM DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, ET DEVS, ET PATER NOSTER. Doctrinã & exhortationem præcedentē voto concludit, quo pteatur illis à Deo consolatione, & cōfirmatione in omni bono. Græci commetatores ex eo quia Filius ante Patrem nominatur (quod alioqui præter ordinem est naturalis originis) argumētum cōtra Arianos sumunt æqualitatis Filij cum Patre. Quãquã apostolo cōmutandi ordinis causa fuit, quod proximè Filij mentionem fecisset illis verbis: *In acquisitionem gloriæ Domini nostri* &c. Quasi ergo sic dicit: Idem ipse Dominus noster Iesus Christus & Deus Christi pater, qui idem est pater noster tanquam filiorum adoptionis,

QUI DILEXIT NOS. Hoc si ad solum patrem referatur, sensus erit, Qui dilexit nos, ut pater filios, quos constituit per adoptionem, suos hæredes ac filij sui naturalis cohæredes. Verum quia postrema verba sententiæ, *exhortetur & confirmet*, necessariò tam ad Filium quàm ad Patrem referenda sunt, (alioqui priori supposito nullum verbum responderet, totaque oratio relinqueretur imperfecta) consequens est, ut & priora verba *dilexit, & dedit*, quæ in Græco participia sunt, ad vtrumque referantur. Igitur vterque dilexit nos, quatenus ab æterno voluit nobis bonum adoptionis & vitæ æternæ,

ET DEDIT CONSOLATIONEM ÆTERNAM. Id est, æternis bonis innixam; quam nimirum parit in nobis spes futurorum & æternorum bonorum, quæ nobis promisit; Vnde explicando sequitur,

ET SPEM BONAM IN GRÁTIA. *Spem bonam*, obiectiuè; & emphaticè, quod sit de bonis non vulgaribus, sed optimis, ac præcipuis. Addit autem, *In gratia*, id est, per gratiam; quæ clausula quãuis aptè iungi possit sequentibus; plerique tamen præcedentibus annectunt, ut humana merita, quæcunque non ex gratia sunt, excludat à beneficijs commemoratis, ac

potissimum

potissimum à beneficio dilectionis, & electionis diuinæ, cuius nulla fingi possunt in nobis merita:

16

EXHORTETUR CORDA VESTRA. Quãuis Græcum verbum *ἐκκαλεῖται* tam exhortari, quàm consolari significet; potius tamen huic loco conueniebat, *consolatur*; quomodo vertetur alij. Syro quoque interprete & Ambrosiano suffragantibus. Nam & paulò ante *ἐπαρηγοῖται*, nomen ab hoc verbo deriuatum, *consolationem*, reddidit ipse noster interpret. Nec repugnat (quod interpretem fortè mouit) apostolum precari à Deo consolationem ijs, quibus iam datam esse dixerat: tū quia verba illa, *Qui dilexit nos, & dedit consolationem* &c. dicuntur ab eo generatim in persona fidelium; tum quia sensus huius partis est, Excitet & augeat in cordibus vestris consolationem inter persecutiones & tribulationes quas patimini pro regno Dei: quemadmodum dixit primo capite.

ET CONFIRMET IN OMNI OPERE ET SERMONE BONO. Græcè, *In omni sermone & opere bono*. *Sermonem* pro doctrina positum rectè plerique interpretantur: Sic enim passim accipitur in Actis & literis apostolicis. Sic & in eo quod hic statim sequitur, *Ut sermo Dei currat*. Itaque sensus est, Et stabiliat vos ac perseuerare faciat in omni bona doctrina atque in omni genere bonorum operum. Totus hic locus haud obscure facit ad comprobendam diuinitatem filij Dei, eiusque cum Patre æqualitatem. Tribuit enim apostolus eadem opera Filio & Patri prorsus indiuisim, adeo ut ad significandam operationis ab utroque profectæ identitatem verbis vtatur numeri singularis, *dilexit, dedit, exhortetur, & confirmet*. Atque hoc est quod ipse Dominus apud Ioannem ait ca. 5. *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.*

SUMMARIUM.

Rogat ut pro se orent: admonet ut inquietos & turbulentos atque ociosè agentes vitent, & contumaces notent: denique pacem ijs precatur.

CAPVT III.

DECÆTERO, FRATRES, ORATE PRO NOBIS. Græcè, *Quod reliquum est; orate fratres, pro nobis*. Postulat Thessalonicensium orationes pro se, suisque collegis euangelij ministris: Nam eos, quod in commune ecclesiæ bonum laborarent, omnium precibus adiuuari iustum erat. causam publicam ostendit quod sequitur;

VT SERMO DEI CURRAT ET CLARIFICETUR. Græcè, *Ut sermo Domini currat, & glorificetur*. Id est, ut euangelica doctrina per nostram prædicationem feliciter ac sine impedimento propagetur, ac proficiat; vtque celebris efficiatur, atque de ea homines vbi que bene lo-

quantur. Hoc enim est, verbū Dei glorificari, quod quidē sit dum Christianorum vita professioni respōdet. Tale est quod Tito præcipit ca. 2. *Verbum sanum, irreprehensibile; ut is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Nonnulli glorificationem verbi Dei intelligunt per miracula: sed si per miracula glorificatur; quanto magis per inculpatam vitam credentium? Matth. 5. & 1. Pet. 2.

SICVT ET APVD VOS. Subaudi, glorificatus est sermo Domini. Tacitam laudē Thessalonicensium, qua ad maiorem profectum incitentur, hæc adiectio continet.

ET VT LIBEREMUR AB IMPORTVNIS ET MALIS HOMINIBVS. Pro *importunis* Græcè est, *ἀπόρων*, qua voce significatur homines absurdi, improbi, insolentes. Quidā putāt in genere notari malos Christianos, per quos infamabatur nomē Christi: Sed magis apparet, Iudæos peculiariter intelligi; siue eos qui cum Christo nomen dedissent, Iudaismū tamen pertinaciter fouebāt, siue qui Christianā fidem, & prædicatores eius aperte persequebātur. Vtrique enim euangelij cursum impediabant, & Paulo erant infensij; sed, posterioribus magis. Nam, ut docet Actorū apostolicorū liber, vbiunque Paulus euangelium prædicabat, statim Iudæi zelo malo exagitati, peruertere studebant, ac destruere quicquid ille promouisset. Vide librū Act 13. 14 & 17. Quo postremo loco narratur, quæadmodū Iudæi primū Thessalonicæ, deinde Bercæ turbas cōcitauerunt Paulo & Silæ, propter euangelium Christi in illis ciuitatibus prædicatum; ut omnino verisimile sit ad eiusmodi Iudæorū importunitates & persecutiones, ipsis etiam Thessalonicisibus notas, & cōpertas, apostolū hinc respexisse. Forfan & ad etymon vocabuli, *ἀπόρων* alludit, quod sonat loci priuatione; Nã Iudæi Pauli persecutores loco nusquã cōstitiebāt, sed, velut eadē Actorum historia declarat, de ciuitate in ciuitatem Paulū insequiebantur, ut à fide Christi quam ille prædicabat, homines auerteret. A talibus ergo liberari se petit, ne pergant fructum prædicationis eius impedire.

NON ENIM OMNIUM EST FIDES. Qui partem præcedentem de malis Christianis accipiunt, huius sensum ita reddunt; Non enim omnes qui se fideles profitentur, verè & ex animo tales sunt; sed multi eorū ficti sunt Christiani, & falsi fratres, ut mirū nō sit, si à talibus, tanquã improbis & malis hominibus, liberari cupiã. Sed quoniã id quod præcedit ostensum est probabilius intelligi de Iudæis aperte Christianā doctrinã insectantibus; idcirco pars ista cū superiori cōnectenda erit hoc modo: Orate pro nobis, ut liberemur ab importunis & malis hominibus, qui verbi Dei cursū impediūt; Quod mirandū non est eos facere, quia non omniū est fides; id est, nō omnibus datur ut credāt, non omnes ad propositum Dei pertinent, vocantis ad fidē efficaci sua vocatione; Et sicut ad Ro. 10. dicit, *Non omnes obediunt euangelio*. Hic igitur insinuat, fidem esse sin-

gulare

gulare Dei donum, quod non sit omnibus à Deo cōcessum. Id quod non tantū de habitu fidei, sed etiā de actu, proculdubio accipiendū est. Porro quod ex hac sentētia sc̄tarij in ferūt neminē p̄nis ad fidem cōpellendum esse; id certē non magis cōsequens est de fide, quā de iusticia, castitate, alijsque virtutibus; quæ omnes dona Dei sunt, & tamen p̄nis cohibentur adulteri, fures, homicidæ; atque ad virtutes his cōtrarias indirectē coguntur. Cur non etiam ad fidem? Etenim hæc omnia ita sunt Dei dona, vt tamen ad ea suscipienda atque exercenda, homines p̄nis admoniti, libera voluntate moueantur; adeo vt & charitatem timor introducat.

3 FIDELIS AVTEM DOMINVS EST, QUI CONFIRMABIT VOS ET CVSTODIET A MALO. Quāuis, inquit, sint qui fidem grauit̄ oppugnet, nō est quod turbemini: nā fidelis est Dominus Christus, id est, verax & constans in promissis; ideoque vos confirmabit in fide, ne ab ea excidatis, & custodiet à malo, id est, ab aduersario, scilicet diabolo, ne per malos homines, velut artis suæ instrumenta fidē vestrā subuertat. *Malum*, Græcè πονηρόν, ad personā referri, & proinde non alium intelligi quā diabolū, sicut intelligunt Theophylactus & Oecumenius; probabile est ex parte præcedēti, *Et malis hominibus*, vbi idem est in Græco vocabulū. Nā & alibi sæpē, per antonomasiā, eo nomine diabolus significatur, quod omniū malorum caput sit, & princeps; vt in oratione Dominica, *Libera nos a malo*. Item Matth. 13. *Veni malus, & rapit quod seminatum est*. Et rursus ibidem, *Zizania filij sunt nequam*; Græcè, illius mali. Et Eph. 6. *In quo possitis omnia tela nequissimi*, Græcè, illius mali, *igne extinguerē*. Quæritur, cur hæc apostoli sentētia nō reddat certos tā Thessalonicēses quā ceteros fideles, quod sint in fide & gratia Dei perseueraturi. Cū enim fidelis sit Dominus, qui promissit, nulla potest esse de re promissa, id est, de salute nostrā, dubitatio; quæ admodum ex hoc loco argumētantur hæretici. Respondeo nos de fide & veracitate Dei, & consequenter de promissis eius, certissimos esse: Verūm hæc nō ad omnes fideles pertinet, sed propriē ad electos; in quorum tamē numero quisque fidelū collocare se debet per sp̄m & bonam fiduciam. Verba igitur ista non fidem perseuerantiæ suæ ab vnoquoque exigunt; sed fiduciam excitāt quod sint perseueraturi; quatenus confidūt se esse in numero electorum, ad quos solos pertinent absolutæ promissiones noui testamēti. Similes sentētiæ sunt 1. Cor. 1. & 10. & 1. Thes. 5. Quin & hoc loco nō aliud quā fiduciā exigī à Thessalonicēsis probat quod sequitur:

4 CONFIDIMVS AVTEM DE VOBIS IN DOMINO. Id est, per Dominum, per gratiam Domini Iesu Christi,

QUONIAM QUÆ PRÆCIPIMVS, ET FACITIS, ET FACIETIS. Græcè, *Quod quæ præcipimus vobis, & facitis & facietis*. Id est, quod præcepta à me vobis tradita, seruatis, & si

quid minus seruatum sit hætenus, id in posterum melius seruaturi estis. Non ignorabat apostolus quædam sua præcepta, à quibusdam eorum non benè seruari; Nam de talibus corrigendis paulò post agit: Sed tamen verè dicit *facitis*; quia multi faciebant; quos & hoc verbo collaudat, sed ita vt addendo, *& facietis*; omnes excitatos velit ad faciendum plenius quæ præcepta erant. Malè quidam codices habent, *præcipimus*; tam Græcis quā manuscriptis Latinis, cum Ambrosiano, & editione Clementina reclamantibus; licet significatio verbi, *præcipimus*, ex apostoli mente, etiam ad præteritum extendatur. Intelligit enim præcepta & huius & prioris epistolæ; nec non quæ ante vtramque epistolam solo sermone tradiderat.

5 DOMINVS AVTEM DIRIGAT CORDA VESTRA IN CHARITATE DEI, ET PATIENTIA CHRISTI. Græcè, *In charitatē Dei, & in sustentiam Christi*. Ambrosianus, *In dilectionem Dei, & expectationem Christi*. Qui retinent ablatiuos, ita exponunt; Dominus corda vestra dirigat in charitate Dei, & patientia Christi; velut exemplari vobis proposito; hoc est, ad imitandam charitatem Dei, qua sic dilexit mundum, vt pro eius salute daret vnigenitū; itemque, ad imitandam patientiam Christi, qui pro nobis dedit semetipsum in mortem; qua in re, præter redemptionis mysterium, reliquit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Verū Græca lectio alium sensum postulare videtur, quem & Græci interpretes magis probant; secundum quem hi genitiui *Dei, & Christi*, sumuntur passiuè; præsertim cū *patientia*, in Græco sit ὑπομονή, qua voce, sustentia, id est, patiens expectatio rei desideratæ significatur; vt sensus sit, Opto vobis vt Christus Dominus corda vestra dirigat, moueatque magis ac magis, ad dilectionem Dei, id est, ad diligendum Deum; & ad sustentiam Christi, id est, ad expectandum patienter aduentum Christi remuneratoris. Nam huius expectationis in vtraque epistola iam sæpe meminit; & ad hunc modū sæpe scriptura loquitur. vt psal. 24. *Vniuersi qui sustinent te, non confundentur*. Et iterum, *Te sustinuit tota die*. Et psal. 26. *Confortetur cor tuum, & sustine Dominum*. Et psal. 32. *Anima nostra sustinet Dominum*. Et psal. 36. *Sustinentes Dominum ipsi hereditabunt terram*. Quibus locis & similibus semper in Græco est verbum ὑπομένειν, quod interpretes alibi vertit, *expectare*; vt psal. 39. *Expectans expectans Dominum*. Porro sentētiā hanc appositè præcedenti, in qua præceptorū suorum mentionem fecerat, subiunxit apostolus; vt ostenderet quæ Deus siue per se, siue per homines, præcipit, siue ipsius gratia salubriter impleri non posse.

6 DENUNCIAMVS AVTEM VOBIS FRATRES. In superiori epistola cap. 4. & 5. monuerat Thessalonicenses de quibusdam eorum, inquietē, ociosē, & curiosē agentibus; iubens eos corripī, & ad opus manuum reuocari. Id

quia

quia nondum satis præstitum erat; in eisdem nunc seuerius aliquid statuit. *Denunciamus, Græcè præcipimus*.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Quidā obtestationem esse putant, quasi dicat, *per nomen Domini nostri* &c. Sic enim Erasmus & Hentenius verterunt. At multo rectius est, vt authoritatis sit allegatio; quomodo phrasis hæc, *In nomine*, frequenter accipitur in scripturis; ac nominatim 1. Cor. 5. vbi in negotio simili, verba hæc eadē interponit, ostendens se id quod facit (nā de excōmunicādo Corinthio fornicario illic agitur) in nomine Domini nostri Iesu Christi, facere. Sēsus ergo est, Præcipimus vobis nomine & authoritate Christi Domini, cuius sumus vicarij, idque potestate ab eo accepta. Hæc ferè omniū expositio est; quam ipse quoque Erasmus in paraphrasi sequitur. Ex ea verò liquet, ecclesiæ præfectis datam esse à Christo potestatem præcipiendi, legesque condendi; quod negāt hæretici hodierni.

7 VT SVBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE AMVLANTE INORDINATE. Id est, ne cōuersemini cum huiusmodi fratre, seu Christiano; sed ab eius consortio vos subducatis. Id enim est quod infra dicit, *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur*. Et 1. Cor. 5. *Cum eiusmodi nec cibum sumere*. *Ambulantem* seu cōuersantem *inordinate* intelligit eum, qui quod sui est ordinis atque officij non facit, & facientes turbat. De talibus iam dictum est vltimo capite prioris epistolæ ad illud, *Corripite inquietos*; Græcè, *inordinatos*.

8 ET NON SECVDNDVM TRADITIONEM QUAM ACCEPERVNT A NOBIS. Græcè, *accepit*, numero singulari vt ad fratrem referatur. Sēsus est: Et non secundū doctrinam & institutionem à me illis traditā. Hanc *traditionem* Græci interpretantur ipsius Pauli exemplum propositū illis ad imitandū; Nam huius meminit verbis proximè sequentibus. Alij intelligunt sententiā illā Thessalonicēsis ab apostolo traditam, vt ipse infra testatur; *Si quis nō vult operari, nec manducet*. Simplicius est si dicamus apostolum in genere loqui de institutione vitæ Christianæ; sub qua illud imprimis cōprehenditur, vnumquēque operi suo intētum esse debere; ex quo, si egeat, victum sibi pareat. Nā & hoc specialiter apostolum Thessalonicensibus præcepisse, ipse disertè testatur in priori epistola ca. 4. Hic quæri potest, an apostolus eos, quos vitari præcipit, excōmunicandos censuerit. Et eadem est quæstio de ijs contra quos agit 1. Cor. 5. dicens: *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus* &c. *cum eiusmodi nec cibum sumere*. Respondeo secundum ea quæ diximus in eius loci commentario, genus aliquod excōmunicationis vtrobiq; significari; nimirū tale, quod mediū sit inter maiorem excōmunicationem, & minorē, quas hodie vocamus. Nā excōmunicationem in his locis agnoscunt cōmentatores Chrysostrōmus, Theophylactus, Aquinas, &

Caietanus. Quin & Augustinus vtrūque locū de excōmunicatione interpretatur, lib. 3. contra epistolam Parm. ca. 2. & contra Donatistas post collationem ca. 4. Item lib. de fide & op. ca. 2. & hom. 50. Maiorem tamen excōmunicationem non significari, satis apparet; quia hos apostolus non tradit, aut tradi iubet Satanæ, sicut Corinthiū illum; & 1. Tim. 1. Hymenæum & Alexandrū; sed tantū vitari præcipit, vt pote, quorū vicia non quidē enormia erant, vt propter ea præcidi mererentur à corpore ecclesiæ, & foras proijci; sed eiusmodi tamen propter quæ vitandi essent à fidelibus. Vnde nec minor excōmunicatio significatur: Hæc enim non à consortio fidelium, sed tantū à sacramentis ecclesiæ remouet hominem. Fatentur etiam, & conqueruntur Chrysostrōmus & Theophylactus hanc excōmunicandi modum suo iam tempore exoleuisse; quando tamen in vsu fuisse constat excōmunicationem maiorem. Exoleuisse autē intellige in cōmuni plebe fidelium: Nā adhuc vsū habet, vt Caietanus testatur, in monasterijs, dum vel à templo, vel à conuersatione fratrum, vel à mensa aliqui propter delicta separantur.

9 IPSI ENIM SCITIS QUOMODVM OPORTET IMITARI NOS. Id est, Scitis quale exemplum ipse vobis dederim, quod imitari debeatis. Id declarat sequentibus verbis,

10 QUONIAM NON INQUIETI FVIMVS INTÉR VOS. *Inquieti*, Græcè, ἄτακτοι οὐμῶν, id est, *inordinati fuimus, inordinate nos gessimus*; vt Erasmus vertit. Nam quod Ambrosianus legit, *intemperanter viximus*; minus quadrat. Est autem sensus: Non egimus vitam inordinatam & inpositam apud vos; Non fuimus ociosi, inhiantes laboribus, & mensis alienis. Cū apostolus hīc perpetuò loquatur in numero plurali; verisimile est ipsum non in sua tantū persona loqui, verū etiam collegarum Siluani & Timothei; licet hæc omnia ipsi perfectius quā ceteris compererent.

11 NEQVE GRATIS PANEM MANDVCAVIMVS AB ALIQVO. *Pio manducauimus*, Græcè est, *accepimus*, Ambrosiano suffragante; quamquam sensus idem est. Neque gratis, inquit, panem manducandum à quoquam vestrum accepimus. *Panem* nominans, per synecdochē. Hebræis familiarē intelligi voluit omne genus cibi. Quod ait, *gratis*, vel intellige secundum quod homines inconsiderati & carnaliter affecti iudicare solent; Non enim reuera gratis panem manducat, qui euangelium annūcians, de euangelio viuunt, etiam si manibus nō operetur: Accipit enim rem iure debitā; sicut ipse apostolus ex professo docet 1. Cor. 9. & hīc quoque paulò post significat, potestatis suæ mentionem faciens; vel, *gratis*, hoc est, sine precio; cuiusmodi est opera aut pecunia, qua panis emitur. Nam etsi prædicatori euangelico victus iure debeat; nō tamen vt precium laboris, sed vt honorarium: iuxta illud 1. Tim. 5. *Qui benè præsumt presbyteri, duplici ho-*

nore

hortari ad ea quæ salutis sunt. De significatione verbi Græci, quod interpres rectè vertit, *corripite*, pro quo nec malè legit Ambrosianus, *admonete consilij*; iam egimus in priori epistola. Porro quod ait, *ut fratrem*; à nonnullis sic exponitur. Quamvis ille per excommunicationem frater esse desierit, vos tamen affectum fraternum erga eum ne exuite; sed perinde ac si frater adhuc esset, admonete. Alij verò particulam *ut*, veritatis notam esse volunt non nudæ similitudinis; sicut & in membro præcedenti, *quasi inimicum*: Est enim utrobique idem Græcum aduerbium. *ὡς*. Simile illud Phil. 2. *habitu inuenitus ut homo*, id est, verus homo. & hoc quidè probabilius. Nam excommunicatio huius loci non separabat hominem ab ecclesia, ut mēbrum eius, ac proinde fidelium frater, esse desineret; quomodo separandus est de quo dicitur, *Sis tibi sicut ethnicus & publicanus* Matth. 18. sed tantum prohibebat fideles à colloquio fratris, ut hac ignominia motus respiceret. Ita si fusenit; Corripite eum amanter & benignè tāquā fratrem; ut qui verè adhuc frater vester sit, et si quoad reliquam conuerſationem vitandus, propter delictum. Favet huic sensui locus I. Cor. 5. *Si is qui frater nominatur*, & c. secundum Græcam lectionem, *Si quis frater nominatur*, & cæt.

IPSE AUTEM DOMINUS PACIS DET VOBIS PACEM SEMPITERNAM IN OMNI LOCO. Ne, quod interdum fit, correptione contentio sequatur, siue ex imprudentia corripientis, siue ex obstinatione eius qui corripitur; ideo priusquam finem imponat epistolæ, pacem & animorum concordiam à Domino Deo, pacis authore, eis precatur. Quod & in priori epistola fecit. Græcè sic legitur, *Det vobis pacem semper in omni modo*. Syriacè, *in omni re*. Quod Græci sic interpretantur; ut nulla ex parte, contentions eis occasio relinquatur, neque ex verbo neque ex opere. Quamquam hoc tantum bonum in hac vita non completur. Nostræ versioni cōsonat Ambrosiana; Sed hi interpretes Græcè pro τῶν le-gunt τῶν.

DOMINUS SIT CVM OMNIBVS VOBIS, scilicet per gratiam suam. Rectèque de Christo Domino intelligitur, cuius ad ecclesiam suā hæc est promissio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. Matth. vii.

SALVATIO, MEA MANU PAULI. Hoc idem ascripsit in fine epistolæ prioris ad Cor. & epistolæ ad Coloss. *Mea*, casus est ablativus, construendus cum *manu*.

QVOD EST SIGNVM IN OMNI EPISTOLA. ITA SCRIBO. Hanc cautionem peculiariter adjicit apostolus in fine huius epistolæ, quam scripsit omnium secundam, ut ne deinceps suppositicijs epistolis, velut à Paulo missis, fideles deciperentur. Iam enim falso nomine Pauli, quædam ad Thessalonicenses epistola missa fuerat, quæ tērat eos de instante die

Domini; ut liquet ex huius epistolæ cap. 2. *Neque per epistolam*, inquit, *tanquam per nos missam*. Istiusmodi fraudi hic studiosè occurrit, manum & proprium signum addens epistolæ. Nam cum tota epistola scripta esset aliena manu; postrema hæc verba ab eo loco, *Salvatio & c.* sua manu ascripsit. Sed quaeritur, quodnam signum intelligat, in omni epistola à se apponi solitum; an signum aliquod nobis incognitum, quale solet quisque pro arbitrio sibi sumere ad subſignandas epistolas, syngraphas, apochas, & alia eiusmodi; an hæc ipsa verba. *Salvatio mea manu Pauli*: quod vult Anselmus. De quibus & Græcus scholiastes, Hoc, inquit, propria manu subscripsit, tanquam dicens, Saluto vos; aut, Valet; aut aliquid tale: ne adulterentur literæ, aut corrupte putentur. Qui & illud, *in omni epistola*, de epistolis ad Thessalonicenses mittendis, interpretatur, non de cæteris; in quibus non omnibus constat apostolum eo signo usum. At verò longè probabilius est, quod & secundo loco tradit Anselmus, hoc signum intelligi ea verba quæ statim subiicit,

GRATIA DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN. Refertur hæc pars ad salutationem. Vult enim dicere, se sua manu solere huiusmodi salutationem, seu bonam imprecationem ascribere in calce suarum epistolarum. Quod profectò videre est in omnibus Paulinis epistolis, etiā eā quæ ad Hebræos est, comprehensā. Omnes enim precatione gratiæ clauduntur; licet non semper iisdem omninò verbis. Nam interdum breuissima est salutio, *Gratia tecum*; aut, *Gratia vobiscum*. Fallitur enim Caietanus (quod & à Catharino animaduersum est) dū aliquid huius salutationis deesse putat in epistola ad Col. eo quòd ibi non addatur hæc verba, *Domini nostri Iesu Christi*; cum nec in alijs omnibus ea addita reperiantur. Atqui in aliorum apostolorum epistolis hoc non est perpetuum: Inter eas enim sola Petri prior epistola huiusmodi gratiæ precatione clauditur. Ex his verò intelligitur, quàm insignis gratiæ diuinæ prædicatori & commendator fuerit hic apostolus; ut omnibus etiam suis epistolis hanc salutationem, velut pro sigillo, appenderet; adeò ut cui epistolæ hoc signum deesset, noller eam pro sua agnosci. Hæc autem salutio seu valedictio quid sibi velit, in alijs epistolis satis expositū est. Græcorum hypographe testatur epistolam hanc ex Athenis missam esse: sed de ea re quid nobis videretur, diximus in argumento epistolæ.

IN PRIMAM EPISTOLAM
BEATI PAULI
APOSTOLI
AD TIMOTHEVM
COMMENTARIVS.
ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



DVÆ Pauli ad Timotheum epistolæ, & vna ad Titum, argumenti ratione similes inter se, atque affines sunt. Instruunt enim episcopum, & præcipuas eius officij partes explicant. Quanquam id præ reliquis duabus vberius, atque operosius in hac prima ad Timotheum epistola præstatur. Cuius quidem scribendæ ea fuit occasio, quod apostolus Epheso discedens, Timotheum illi ciuitati episcopum præfecisset, demandata ei cura ut aduersus Iudaizantes, aliosque euangelicæ doctrinæ corruptores, qui partim exorti iam erant, partim exorturi ab ipso præuidebantur, sedulo vigilaret. Nam Timotheum à Paulo fuisse ordinatum Ephesinæ ecclesiæ episcopum, præterquā quod ex hac ipsa epistola satis intelligitur, authores sūt Eusebius lib. 3. eccl. hist. cap. 4. & Sophronius apud Hieronymum in catalogo, quorum posterior etiam testatur eum ibidem glorioso martyrio coronatum. Hunc igitur apostolus instituit, non ut Christianum quemlibet, sed ut Christianæ plebis episcopum atque doctorem: tamen non solius Timothei causa, scripta est hæc epistola, sed ut in illo omnes ecclesiarum antistites, officij sui rectè administrandi præcepta acciperent. Primum autem Timotheum commonefacit iniunctæ sollicitudinis, & vigilantia contra eos qui legem fabulæque Iudaicas euangelio miscabant. Præcipit deinde publicas orationes pro omnibus fieri; subiungens obiter quomodo mulieres in ecclesia gerere se debeant. Mox quales ordinandi sint episcopi & diaconi præscribit. Quarto capite præmunit, in Timotheo, ecclesiā contra futuras atque instantes hereses. Post hæc, varijs eum doctrinis instruit, ut de senioribus & iunioribus admonendis; de viduis alendis, de presbyteris honorandis ac iudicandis; Item de seruorum officio, de vitanda auaricia, de diuitibus huius seculi,

deque alijs id genus; quæ omnia mirificè cõferunt ad rectam ecclesiarum gubernationem. Porro quis Timotheus fuerit, ex Actis apostolicis & Paulinis epistolis perspicuum est: fuit is sanè, vt coniunctissimus, ita & probatissimus Pauli discipulus; de quo Philip. 2. *Neminem, inquit, habeo tam unanimum, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.* Scripta est autem hæc epistola posteaquam Paulus Epheso relicta, sicut habetur initio 20. capituli Actorum, profectus esset in Macedoniam. Id quod ipsius epistolæ verba statim initio declarant. Vnde, cum Cardinale Baronio, colligimus in Macedonia scriptam esse. Nam quod è Laodicæa missam, quæ ciuitas est Asiæ minoris, loquuntur argumenta quædam, & subnotationes; rationem non habet: præsertim cum affirmet ipse apostolus in epistola ad Coloss. longè posterius scripta, cap. 2. se Laodicensibus visum non fuisse. Quo etiam argumento dudum ostendimus illum locum Col. 4. *Et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis,* de epistola aliqua Pauli quam is Laodicæa scripserit, non posse intelligi.

SUMMARIVM.

Admonet abstinendum ab inanis quælionibus: docet legem esse bonam, non tamen iniustis positam; sed iniustis. Commemorat Dei erga se misericordiam, suiq; vocationem ad apostolatam. Timotheo commendat fidem & bonam conscientiam.

CAPVT I.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI: Dignitatis & officij sui nomen ascribit in epistolis ad Timotheum & Titum datis, non propter ipsos quibus scribebat, vt quibus nihil opus erat autoritate nominis vigeri, cum essent Paulo obsequentissim; sed propter eos quibus illi prærant, ne videlicet episcoporum suorum præcepta & monita vilipenderent, quæ viderent Apostoli Pauli nomine commendata, & autoritate suffulta.

SECUNDVM IMPERIVM DEI SALVATORIS NOSTRI, Quod in alijs epistolis dicit, secundum voluntatem Dei, hæc ait, secundum imperium, siue vt alij vertunt ex Græco, secundum delegationem, mandatum, præceptum Dei, nam Græca vox à verbo deducitur, quod significat iniungere & mandare quippiam, siue officij aliquid delegare. Vocat ergo se apostolum Iesu Christi, eoque munere fungentem ex delegatione Dei Patris qui est Saluator noster, id est, author salutis nostræ per filium suum. Etiam alibi Deus Pater dicitur noster Saluator: vt Tit. 3. v. 4. Ne quis hæc mendum aliquod esse putet in nostris acplerisque Græcis codicibus, meliusque in Complutensibus sic legi, secundum ordinationem Dei Patris, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

ET CHRISTI IESV SPEI NOSTRÆ. Apo-

stolatum quem à Deo Patre, imo à tota Trinitate Paulus accepit, etiam Christus ei demandauit vt homo; quando suum euangelium in gentibus prædicandum, per reuelationem ei, inspirauit; vt ipse refert ad Gal. 1. Quod autem per appositionem addit, *spei nostræ*; contra Iudaizantes facit qui in lege & ceremonijs spem salutis suæ collocabant; cum spes nostra sit Christus: quia per eius passionem & merita, non autem aliunde veniam peccatorum; veram legis obedientiam & vitam æternam speramus. Cui tamen doctrine nequaquam est contrarium, vt calumniantur hæretici, quod Christiani sanctos cum Christo regnantes, quorum precibus & meritis adiuuari se confidunt, interdum spem suam vocent; nam omne auxilium quod ab illis sperant, qualecunque illud est, non nisi per Christi meritum expectant. Sic enim & ipse Paulus passim eorum ad quos scribit, orationibus adiuuari petit; quod vtique sine spe & fiducia, quam in illis habebat, facere non potuit. vt illud omittam quod Thessalonicenses spem suam appellet 1. Theff. 2.

2. TIMOTHEO DILECTO FILIO IN FIDE. *Dilecto*, Græcè *γνηστός*, id est, germano; quem admodum & Ambrosianus legit. Idè obseruandum in salutatione ad Titum: Nam alibi vt in secunda ad Timotheum, & in epistola ad Philemonem, Græcè est, *ἀγαπητός*, id est, dilectio. Rursus autem de eodem Timotheo scribens ad Philipenses 2. germanitatem eius laudat, dicens *se neminem habere, qui, sicut in Græco legitur, tam germanè pro illis sollicitus sit.* Timotheum itaque germanum filium in fide vocat apostolus: Filium quidem in fide, non vt quidam putant, quod eum ad fidem conuertisset, Christoque

genuit-

genuisset, quâ ratione Corinthios filios suos appellat, *Nam in Christo Iesu, inquit, per euangelium ego vos genui.* 1. Cor. 4. quomodo & Onesimum, quem in vinculis Christo genuerat, filium suum vocat in epistola ad Philemonem; Non enim Timotheus à Paulo fuit conuersus ad fidem, sed cum iam esset discipulus, id est, Christianus, & bonum ei redderetur testimonium à fratribus; vsque adeo Paulo placuit, vt eum peregrinationis suæ comitem, & prædicationis socium assumeret; vt refert B. Lucas Act. 16. Nam & in secunda ad Timotheum cap. 1. non obscure significat eum fide Christiana à matre & auia fuisse imbutum adhuc puerum. Quem & ab infantia sacras literas didicisse, testatur eiusdem epistolæ cap. 3. Ergo filium in fide, vel ideo nominat, quod eum in his quæ fidei sunt, plenius & accuratius instituisset; vel potius quod ipsi Paulo seni Timotheus adolefcens, tanquã filius patri, in euangelio subseruiret. Ita namque de eo scribit loco iam citato ad Philip. *Experimentum eius cognoscite; quia sicut patri filius mecum seruauit in euangelio.* Porro dilectum, seu germanum filium vocat, non solum quia doctrinam euangelij retinebat integram & incorruptam, sed eò maxime quod ad imitationem Pauli, velut parentis sui, negocium euangelij sincerissime ageret, non querens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Nam talem eum ibidem ad Philipenses prædicat.

GRATIA, MISERICORDIA ET PAX. In Græcis, atque etiam Latinis quibusdam manuscriptis, asyntheton est, *Gratia, misericordia, pax*, astipulante etiam textu commentatoris Ambrosiasti. De *gratia & pace* in alijs epistolis satis dictum; Hoc autem loco *misericordiam* interponit, ex quodam singulari erga Timotheum affectu, coactans vocabula beneficentiæ diuinæ; tum etiam vt fontem gratiæ & pacis, omniumque Dei beneficiorum quibus saluamur, apertius monstraret. Omnia enim promanant ex Dei misericordia; secundum id quod ait ad Titum 3. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Annotauit id de hoc loco Augustinus in inchoata expositione epistolæ ad Rom.

A DEO PATRE: Græci & Syri codices Ambrosiano suffragante, addunt, *nostro*;

ET CHRISTO IESU DOMINO NOSTRO. Græca variant: Nam exemplaria Roberti omnia nobiscum faciunt, vt & Oecumenius cum alijs nonnullis. Atque ea Latinorum omnium lectio est; quam & Syriacus textus exhibet: At alia quædam Græca *Domini* cognomen iterant. Quomodo autem tota hæc sententia supplenda sit, & interpretanda; facile est ex ijs quæ alibi, sapiusque dicta sunt, intelligere.

SICVT ROGAVI TE VT REMANERES EPHESI, CVM IREM IN MACEDONIAM. Facit exordium à repetitione mandati quod Timotheo dederat, Epheso discedens in Ma-

cedoniam. Erasmus vertere maluit, *Sicut adhortatus sum te*; Nam Græca, vox *παρακαλέσα*, anceps est ad hortari & rogare; Et personæ Pauli magis congruere videbatur vt Timotheum, quem filium suum, vocat, hortaretur, quàm vt rogaret. Verum Chrysostomus, ceterique Græci in suis commentarijs eundem sensum reddiderunt, quem noster interpretes expressit. Commendant enim modestiam Pauli, qui cum præcipere posset, vt pater filio, ac præceptor discipulo; rogare tamè & obsecrare maluerit. Nec secus exponit Ambrosianus. Consonat & Syriaca translatio; Denique Erasmus ipse in paraphrasi, id quod verterat dissimulans, communem hanc omnium interpretationem sequitur. Discessum Pauli ab Epheso in Macedonia breuissimè narrat Lucas Act. 20. *Postquam, inquit, cessauit tumultus; vocatis Paulus discipulis & exhortatus eos, valedixit, & profectus est, vt iret in Macedoniam.* Sed in eo quod vocasse dicitur discipulos, quorum vtique præcipuus erat Timotheus; intelligendum est ab ipso ea facta, quorum in hac epistola memoriam refricat; scilicet Timotheum, cum impositione manuum presbiterij creatum fuisse episcopum, vt dicitur cap. 4. eundemque Ephesi relicto, cum mandatis vt compereret falsos ac fuitiles magistros, sinceram euangelij doctrinam viciantes; quod dicitur hoc loco. Quæret aliquis, quomodo cum his non pugnet quod in Actis paulo post verba modò citata, Timotheus recensetur inter eos qui Paulum iter facientem leguntur comitati. Respondeo nullam esse repugnantiam; quia Timotheum quidem Ephesi reliquit apostolus, vt hæc dicitur. Deinde ex Macedonia ad eum hanc epistolam scripsit; sed postquam Paulus Ephesum redire non potuit tam citò quàm sperauerat (vt legitur huius epistolæ cap. 3. v. 14.) iuit ad eum adhuc in Macedonia hærentem, idque volentem, Timotheus, ac deinde aliquamdiu cum eo fuit. Quod autem ad Apostolum iuit adhuc in Macedonia hærentem, doceri potest ex initio posterioris ad Corinth. vbi Paulus Timotheum sibi adiungit. eã autem fuisse scriptam ex Macedonia, suo loco docuimus ex sententia Græcorum. Quod si scripta fuit ex Nicopoli, vt Baronio magis placet: illic Timotheum iuisse ad apostolum, licebit dicere, propter illa prima verba eius epistolæ.

VT DENUNCIARES QUIBUSDAM DENUNCIANDI, seu præcipiendi vocabulum potestatem significat: ex quo primum intelligitur, Timotheum cum potestate relicto ab apostolo fuisse apud Ephesios; Quæ quidè potestas non alia fuit quàm ecclesiastica & episcopalis. Deinde, eos de quibus sermo est, in ecclesia fuisse; Nam alioqui præcipere eis non poterat. *Quid enim, inquit, mihi de ijs qui foris sunt indicare? Nonne de ijs qui intus sunt vos indicatis?* 1. Cor. 5. De ijs ergo loquitur apostolus qui Christo nomen dederant, sed sub hoc nomine, falsa, noxia, & inutilia quædam docebant;

quales maximè erant Iudaizantes & Simo-
diani.

NE ALITER DOCERENT. Prima cura apo-
stolo est de integritate doctrinæ conseruân-
da; hæc enim totius religionis fundamentum
est. Aduerbiū, *aliter*, non modi sed rei di-
uersitatem significat; unde verti poterat,
Ne alia, aut *ne diuersa docerent*, scilicet ab ijs
quæ tradita illis erant. In Græco verbum
est compositum, ἐτεροδοξασκαλεῖν, quod E-
rasmus interpretatur, *diuersam sequi doctrinā*;
id quod auditoribus magis quam doctoribus
conuenit. At verò si hoc vellet apostolus; nō
dixisset, *Vi denuncietis quibusdam*, sed vt fi-
delibus in vniuersum. Omnes enim fideles
monendi sunt ne diuersam sequantur do-
ctrinam; sed non omnes ne doceant: cum
pauci sint ad docendum apti. Vtitur eodem
vocabulo cap. 6. vbi rursus habemus, *Si quis
aliter docet* &c. Nam & ibi de docentibus ser-
monem esse, contextus ostendit. & infra hoc
c. *volentes esse legis doctores*. Et quidem de his
vtrumque locum exponunt tam Græci quam
Latini interpretes. Cæterum *aliter docere*, seu
diuersam adferre doctrinam idem est cum eo
quod Gal. 1. vocat. euangelizare præter id
quod euangelizatum est, & præter id quod
accepterant fideles: vbi præter, idem esse quod
contra, suo loco monstrauimus. Aliam ergo
seu diuersam doctrinam intellige, quæ prio-
rem excludat; iuxta illud 2. Io. *Si quis hanc do-
ctrinam non adferit* &c. Quocirca non ille ali-
ter, aut aliud docet, qui profert aliquid quo-
cunque modo diuersum; quandoquidem &
ipsi apostoli non statim omnia religionis my-
steria fidelibus recenter conuersis, tradebāt;
quædam enim reseruabant oportuno tempo-
re supplenda: sed qui docet ea quæ dissente-
ntia sunt & contraria doctrinæ prius acceptæ.
Igitur improbè & imperitè locum hunc de-
torquent hæretici contra traditiones ecclesiæ
non scriptas; præsertim cum hæc doctrinæ
scripto tradita nulla fiat mentio.

NE QVÆ INTENDERENT FABVLIS. Præ-
ceptum hoc à precedenti diuersum est, &
amplius aliquid requirit. Nam fieri potest,
& sæpe fit, vt quis non doceat pugnatia cum
ijs quæ tradita sunt; sed talia tamen quæ ni-
hil ad pietatem faciunt, vt pote fabulosa,
vana, inutilia. Quo docendi vicio vtinam
nulli doctores & concionatores Chri-
stiani laborarent. Quanquam etiam ad au-
dientes potest hæc pars referri; vti referunt
Ambrosianus & B. Thomas. Notat autem apo-
stolus Iudaizantes; qui quò apud gentiles
Christianos in precio essent, & quantum fa-
cerent, fabulas quasdam à maioribus con-
fictas & traditas, pro vera & sacra hysto-
ria ingerebant. Vnde eas Tit. 1. Iudaicas
fabulas appellat. Cuiusmodi plurimas obser-
uante est in commentarijs Rabbiorum, quos
etiam nostri interdum citant. Sunt qui signi-
ficari putent Deuterotes Iudæorum; quas,
post Isaiam prophetam, Christus in euange-

lio, & Paulus Col. 2, & Tit. 1. vocant do-
ctrinas & præcepta hominum; atque eo nomi-
ne reprehendunt. Quod genus erant, quæ
Marcus enumerat cap. 7. & Hieronymus in
epistola ad Algasiam; quorum denique mag-
nam farraginem continent Iudæorum libri
Thalmud & Cabala. Verum si propriè lo-
quamur, aliud est fabula, aliud præceptum.
Fabula enim narratur, vt oblectet; præcep-
tum homini datur vt obseruet. Hinc & apo-
stolus ea distinxisse videtur ad Tit. 1. dicens:
*Non intendentes Iudaicis fabulis & mādatis ho-
minum*. Porro *fabulis intendere*, siue attende-
re, dicuntur ij qui eas studiosè & seriò vel
narrant vel audiunt, velut rem alicuius mo-
menti, & quæ ad pietatem faciat. Non qui-
dem ad rationem fabulæ pertinet quod falsa
sit & commenticia (à fando enim dicta est):
sed, siue veræ sint fabulæ siue falsæ, cum sint
inutiles, & animos hominum occupent vana
delectatione, meritò prohibet apostolus, ne
quis ijs attendat.

ET GENEALOGIIS INTERMINATIS, id
est, *infinitis*, vt legit Ambrosianus; Græcè ἀ-
περαντοις. Hac etiam parte Iudæi notantur;
qui, partim vt legis & rerum Iudaicarum pe-
riti haberentur, partim verò vt suam ostenta-
rent nobilitatem; origines suas altissimè repe-
tebāt, vt eas referret ad reges, prophetas, pa-
triarchas. Id quod vsque hodie Iudæi faciunt.
Interminatas verò, siue infinitas, Ambrosia-
nus interpretatur genealogias, quod sint in-
finitæ per traducem, vt loquitur; id est, lon-
gissima parentum serie protensa, vt vix ad fi-
nem earum perueniri possit. Est qui putet eas
infinitas dici, id est, sine carentes, quia non
perueniunt ad aliquem finem vtilem audito-
ribus. Atqui rectius alij rationem hanc adfe-
runt, quòd res sit infinitæ negocij quæstio-
nes & difficultates omnes explicare, quæ in
exquirendis & constituendis genealogijs oc-
currere solent. Nec tamen hæc apostoli repre-
hensio ad euangelistas pertinet textes Chri-
sti Domini genealogiam; vt nec ad authorem
libri Paralipomenon, in cuius initio multæ
recensentur genealogie; Nam ea suam habet
iustam vtilitatē; sed priuatis suis ac suorum, ge-
nealogijs intèdere, quod Iudæi faciebāt; cū
sit res non solum perplexa, verum etiam inu-
tilis; meritò reprehenditur.

QVÆ QVÆSTIONES PRÆSTANT MA-
GIS QVAM ADIFICATIONEM DEI, QVÆ
EST IN FIDE. Comparatio impropria est, qua
nimirum alterum affirmatur, alterum nega-
tur, vt patet in Syriaca versione. q. d. Quæ
quæstiones præstant, & non adificationē Dei.
Cuiusmodi est illa comparatio Ecclesiastæ 7.
Melior est patiens arrogante. Priori parte ex-
plicat quod dixerat, *interminatas*; Posteriori,
inutiles esse ostendit. Sensus igitur est, Quæ
genealogiæ materiam præbent innumerabi-
lium quæstionum; ad pietatem verò, quæ
homines in Deum promouet, & ad Deum
adducit (quod quidem fit per fidem) nihil

pla-

planè conferunt. Quum dicit *adificationem
Dei per fidem esse*, non nudam intelligit fidem,
sed charitate vestitam atque ornatam, id est,
eam quæ per charitatem operatur. Nā chari-
tas ædificat, 1 Cor. 8. & proinde fides non æ-
dificat nisi per charitatem, Pro *adificatione*,
quæ Græcè est οἰκοδομία, Chryostomus,
Theodoretus, & cæteri Græci commentato-
res, vna litera variata, legunt, οἰκονομία, id
est, *dispensationem*: Interpretantur autem dis-
pensationem Dei, qua disposuit & ordinauit
vt mysteria religionis fide suscipiantur, cum
sint incomprehensibilia Cui ordinationi re-
sistunt, qui quæstiones de illis mouent, tan-
quam ratione comprehendi possint; Eam le-
ctionem sequuntur etiam Caietanus & Hef-
selius. Verum & hodie exstant exemplaria
Græca quæ legunt id quod noster interpres
reddidit, οἰκοδομία; Nec dubium est quin ea
lectio vetusta sit; quòd quidē illi veterū Lati-
norum interpretatio respōdeat: quæ & sensū
exhibet cōmodiorē, scilicet eum quem iam
dedimus. Porro quamuis propriè contra Iu-
dæos agat apostolus; potest tamen accom-
modari hic locus ad eos qui quæstiones in dis-
ciplinis, ac præsertim in sacra Theologia, sine
fructu multiplicanti, ingenij, vt aiunt, exer-
cendi, seu vterius, ostentandi, gratia. Quo
pertinet querela S. Thomæ in principio sum-
mæ Theologicæ, dum ait, eius doctrine no-
uicias à profectu plurimū impediti propter
multiplicationem inutilium quæstionum, ar-
ticulorum, & argumentorum. Non tamen
existimandum est (quod calumniantur ad-
uersarij) plæræque quæstiones à Scholasticis
Theologis tractatas esse eiusmodi: Sunt enim
multæ, quarum vsus, & necessitas etsi prima
fronte non appareat; intelligitur tamen ab
ijs qui rem propiùs considerant; quemadmo-
dum benè ostendit Melchior Canus lib. 12.
Locorū Theologicorū c. 5. Vt autè ad cōtex-
tum apostoli redeamus, oratio ibi inchoata,
Sicut rogauite, hucusque pendet in absoluta:
Supplet autem eam author textus Ambrosia-
ni hic adijciendo, *ita facite*, quod & Erasmus
in sua versione superius inseruit, post illa ver-
ba, *Cum proficiscerer in Macedoniam*. Alij sub-
audiunt: Ita & nunc rogo. Caietanus verò
putat apostolum suam orationem, quam hic
suspensam relinquit, demum complere sub fi-
nem huius capituli, vbi dicit; *hoc præceptum cō-
mendo tibi fili Timothee*; vt sit sensus, Sicut du-
dum rogauite, &c. ita nunc idem hoc præ-
ceptum repetēs, tibi commendo. Quæ Caieta-
ni speculatio non est improbabilis.

FINIS AVTEM PRÆCEPTI EST CHARI-
TAS. *præcepti* nomine legem intelligit, in qua
Iudæi gloriabantur, & cuius peritiam iacta-
bant. Eam enim intelligi liquet ex sequenti-
bus. Est autem lex multorum præceptorū cō-
plexio; Sed quo sensu *charitatem dicat esse præ-
cepti finem*; non conuenit inter omnes. Qui-
dam enim de causa finali exponunt, hoc mo-
do; Charitas est id ad quod omnia legis præ-

cepta referuntur. Ita sentit Augustinus Ench.
cap. penult. & lib. 1. de doct. Chri. cap. 35.
& sequentibus, & alibi. Item B. Thomas in
commentario; vbi prolixè & doctè sensum
hunc explicat. Nec ab eo recedit Caietanus.
Sed sciendum, apostolo Græcum τέλος alibi
significare perfectionem, consummationem,
complementum; vt Ro. 10. *Finis legis Chri-
stus*, id est, per Christum lex impletur, & per-
ficitur. Quæ significatio etiam huic loco op-
timè quadrat; vt *charitas dicatur Finis*, id est
consummatio, & impletio, *præcepti*; quia lex
per charitatem impletur, & sine ea impleri
non potest. Id quod planius significat illa e-
iusdem apostoli sententia. Ro. 13. *Pleniudo
legis est dilectio*, quæ eademmodum in eius loci
commentario declaratum est. Ita locum hūc
exponit Ambrosianus & Hesselius: fauent &
Græcorum commentarij. Quin etiam Augu-
stinus præfatione in psal. 31. finem præcepti
exponit quo perficiuntur & consummantur
præcepta. Atque hoc est quod de præceptis
diligendi Dei & proximi, Dominus ait in eu-
angelio; *In his duobus præceptis vniuersa lex
pendet, & propheta*. Matth. 22. quasi diceret,
Si dilectionem habeas, quam exigunt hæc
duo præcepta; totam legem, & quicquid pro-
phetæ præcipiunt, impleueris. Cui pulchrè cō-
sonat illud Augustini in sermone de laudibus
charitatis; Ille tenet & quod patet & quod
latet in diuinis sermonibus, qui charitatē re-
net in moribus. Quod igitur apostolus dicit,
tale est; Iudæi fabulis & genealogijs attendūt,
velut ad miniculis ad legem obseruandam, At
illa quæstiones & contentiones magis patiūt,
quàm fructum pietatis & obseruantiam leg-
gis: Nam lex charitate impletur, non quæ-
stionum contentiosarum ventilatione.

DE CORDE PVRO, ET CONSCIENTIA
BONA, ET FIDE NON FICTA. Charitatem,
seu dilectionem quam dixit esse finem præ-
cepti, certis notis commōstrat, & ab ea di-
stinguit, qua non Deus & proximus sicut o-
portet, diliguntur; sed qua diligitur mundus,
& quæ in eo sunt. de qua in 2. Tim. 3. *Erunt
homines seipos amantes*. & cap. 4. *Demas me
reliquit, diligens hoc sæculum*. & 1. Io. 2. *Noli-
te diligere mundum neque ea quæ in mundo sūt.*
*Si quis diligit mundum non est charitas Patris
in eo*. Charitas igitur quam commendat apo-
stolus, primum est *ex corde puro*; id est, pro-
cedens à voluntate vacua prauis cupiditati-
bus, ita, vt nihil aliud quàm quod diligendū
est, diligatur; inquit Augustinus lib. 1. de
doct. Chr. ca. vlt. Quod sequitur, *de conscien-
tia bona*, Augustinus ibidem putat esse dictū
propter spem, quæ effectus est bonæ consci-
entiæ. Ille enim, inquit, ad id quod credit, &
diligat, peruenturum se esse desperat, cui ma-
læ conscientia stimulus inest. Id ipsum plu-
ribus explicat præfatione in psal. 31. Alij no-
tam hanc ita referunt ad præcedentem, vt sit
illius effectus. Cor enim purum fons est bo-
næ conscientia, qua nimirum quispiam sibi

bonæ conscientia, qua nimirum quispiam sibi bonæ voluntatis, ac bonorum operum conscius est. Sic accipitur infra hoc eodem capite, vbi dicit quosdam *bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragasse*. Procedit autem & pender ex bona conscientia charitas, quia vt ait S. Thomas, Qui non habet conscientiam bonam, non potest Deum pure diligere; timet enim pœnam, timor autem non est in charitate. 1. Io. 4. Denique charitatem apostolus exigit procedentem *ex fide non ficta*, siue, vt Ambrosianus legit, *non simulata*, Græcè ἀνοποκρίτης, id est quæ ex animo, & sine hypocrisis creditur in Christum; quia charitatis fundamentum fides est: ac proinde ex fide ficta surgere non potest vera & sincera charitas. Porro nonnulli arbitrantur illud, *De corde puro, & conscientia bona*, additum esse ab apostolo, vt charitatem hanc de qua loquitur, discerneret ab ea quæ est in homine pœnitente ante remissionem peccatorum; quod ille etsi Deum sic diligit, vt eum rebus omnibus anteponat; nondum tamen habeat corpus, nec conscientiam bonam; scilicet propter præcedentia peccata, à quibus quantum ad labem & reatum attinet, nondum purgatus est; & quorum adhuc conscientia grauat. Nam & ipsa remissio peccatorum purgatio vocatur Heb. 1. & malam conscientiam dicimus hominis, qui sibi conscius est alicuius criminis necdum remissi, licet eum facti iam pœniteat. Videtur tamen *charitas* posse accipi hoc loco, generaliter; sicut & alibi accipitur in scripturis; ac nominatim 1. Cor. 13. & 16. videlicet pro sincero Dei amore, quo super omnia diligitur. Adduntur autem ab apostolo illæ determinationes, *de corde puro*, &c. vt, quemadmodum superius dixi, vera Dei dilectio suis notis agnoscat utque distinguatur ab amore impuro, carnali, ac mundano. Nam & pœnitens, etsi nondum reconciliatus, hætenus saltem Deum diligit ex corde puro, & conscientia bona; quatenus animus gerit ab affectu peccati repurgatum, & sibi conscius est bonæ voluntatis qua peccata commissa detestatur. Pro huius loci intellectu, cõferri possunt alia apostoli loca; vt Rõ. 12. *Dilectio sine simulatione*. 2. Cor. 6. *In charitate non ficta*. 2. Tim. 1. vbi fit mentio *conscientie puræ, & fidei nõ fictæ*.

A QUIBUS QUIDAM ABERRANTES, CONVERSI SVNT IN VANILOQVIUM. *Aberrantes* in Græco præteriti temporis est participium; Vnde rectè vertunt alij, *A quibus postquam aberrarunt quidam* &c. Significat autem vox Græca eos qui à scopo aberrant, quod & Theophylactus annotauit. Sensus est: A quibus iam enumeratis, scilicet corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, postquam aberrarunt quidam, siue ab ijs deficientes, siue ea repellentes (nam & infra notat quosdam bonam conscientiam repellentes): conuersi sunt ad vaniloquium, id est, deflexerunt ad studia, doctrinas, dis-

putationes inanes, & infructuosas. Hoc rursus dicit propter fabulas & genealogias, ac cæteras ineptias Iudaicarum quæstionum. Malè verò ab Erasmo in annotationibus transfertur ad Scholasticas Theologorum quæstiones; non quod in his non peccetur interdum à nonnullis vel curiositate nimia, vel superfluitate; sed quia viciū hoc qualecunque, non est conferendum cum vaniloquio Iudaicorum, quod hic ab apostolo taxatur, & de quo dictum à nobis est in superioribus. Nam de Iudæis apostolum loqui, planum est ex eo quod sequitur.

7 VOLENTES ESSE LEGIS DOCTORES; Id est, affectantes honorem, ac titulum magistrorum, quo vocentur nomodidascali, id est, legis doctores; &, vt ait Christus in euangelio, Amantes vocari ab hominibus Rabbi, id est, magistri; Matth. 23. Notatur eorum ambitio; quæ causa erat vt deflesterent ad vaniloquiū. cum enim legis periti haberi vellent; nec tamen scopum legis attingerent; pro vera & solida doctrina, fabulas & fumos inanes auditoribus venditabant: vt qui non solum legem ceremonialem adhuc seruandam esse dicerent, verum etiam humanas traditionumulas partim vanas, partim impias, legi diuinæ miscerent.

NON INTELLIGENTES NEQVE QVÆ LOQVNTVR, NEQVE DE QUIBUS AFFIRMANT. Hoc est, nec eaque dicunt intelligentes, nec ea quæ dictis suis astruere volunt, vel, secundum alios, Nec principia doctrinæ suæ, nec conclusiones, quas ex illis colligunt. Neque tamen hæc eos ignorantia excusabat; quoniam, vt ait Theophylactus, per ambitionem ipsi sibi ignorantia istius & erroris erant authores. Quanquam nec potest à peccato excusari qui docere præsumit ea quæ ignorat. Quam verè autem, quamque significanter pseudologos illos Iudæos ac pharisæorum discipulos notet apostolus impuri cordis, & conscientia malæ, & fidei fictæ; tum ex alijs eiusdem apostoli scriptis, tum ex varijs euangeliorum locis, quibus pharisæorum mores depinguntur, facile potest intelligi; quemadmodum eruditè & copiosè in suo commentario declarat Hesselius. Sanè eadem vitia nostræ ætatis heresiarchis communia sũt; eosque similiter in errores impulerunt. Et omnino quisquis impuro & ambitioso corde ad studium diuinæ legis accedit, volens haberi doctus, & magnus; facillimè declinat ad hæreses, & vaniloquia.

8 SCIMVS AVTEM, QVIA BONA EST LEX, Hęc, inquit, non dico quod legem reprehendam, cuius illi se profitentur doctores; *Scimus* enim nos Christi fideles *legem esse bonam*, vt pote à bono Deo profectam, & nihil præcipientem nisi quod bonum est; Denique bonam, quia seruata vitam præstat. Sic Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum*. Loquitur autem præcipue de lege morali, quæ continetur decalo-

go; vt

go, vt patet ex peccatis ei contrarijs, quæ mox enumerat.

SI QVIS EA LEGITIME VTATUR. Allusio est in vocabulis, *lex, legitime, vobis, vobis*. Addit hanc partem Apostolus, non quod lex absolutè non sit bona; sed quod bona nõ sit malè vtentibus. q. d. Lex ipsa quidem per se bona est, sed tibi bona non erit, si non ea legitime vtaris. Vtatur autem legitime, qui vtatur ad eum finem, ad quem à Deo data est. Quod facit imprimis, qui eam obseruat & per eius obseruationem iustus est; secundum illud Ro. 2. *Factores legis iustificabuntur*. Sed quia proprijs viribus obseruare legem nemo potest; vtatur & ille ea legitime, qui agnoscens infirmitatem suam ad obseruanda legis præcepta, vtatur ea vt pædago ducente ad Christum. sicut eam appellat Apostolus Gal. 3. Lex enim cum per seipsam nos iustificare nõ possit: ad Christum velati nos mittit, vt per eius gratiam iustificatio legis impleatur in nobis. Rom. 8. Hunc sensum clarè exprimit Chrysostomus & eius sequaces. Mittit autem lex ad Christum, dupliciter: Vno quidè modo, quia Christum promittit vt authorem iusticiæ, & salutis nostræ. Nam apud Moysen exstant huiusmodi promissiones. Altero modo, quia dum præcipit, & minatur, & non iustificat; tacitè hominem admonet quòd cõfugere debeat, vt ipsius minas euadat; scilicet ad medicum, & redemptorem, & Saluatorem Christum in lege promissum. Hoc modo legem nos ad Christum mittere, & hunc esse legis vsum legitimum; multis locis docet Augustinus. vt lib. de Spiritu & litera ca. 9. & 10. epistola 144. & 157. lib. 4. contra 2. ep. Pel. cap. 2. & 3. serm. 13. de verbis apostoli, & alibi. Significat autem apostolus Iudæos contra quos agit, neque legitime vfos fuisse lege, quam profitebantur; neque legitimum eius vsum alijs ostendisse: quancquidem iusticiam non ex Christo, sed ex lege, & ipsi expectabant, & alijs promittebant.

9 SCIENS HOC QVIA LEX IVSTO NON EST POSITA SED INIVSTIS. Quidam sunt qui putent apostolum subito mutare nomenclaturam, cum paulò antè dixerit, *Scimus*. Quale exemplum est Gal. 6. *Vos qui spirituales estis* &c. Volunt enim & hic vtrumque eodem referri, *Scimus* & *sciens*. Verum id non oportet: Nam participium, *sciens*, cum proxima parte coheret, *Si quis ea legitime vtatur, Sciens* &c. Sentit enim apostolus ad legitimum vsum legis pertinere, quòd sciatur ipsam non esse iusto positam; quia pædagogus seu ductor puer opus non habet; postquam magistro traditus est; & vehiculo non indiget qui iam peruēnit illuc quò tendebat; quemadmodum Augustinus docet cap. 9. lib. de Spiritu & litera. Locum hunc torquent heretici, vt doceant Christianos absolutos esse ab obligatione decalogi: absurdissimè quidem; cum Christus in euangelio toties doceat mandata legis seruanda ei qui velit ad vitam ingredi; &

ipse Paulus non vno loco præcepta decalogi Christianis obseruanda proponat. Imo noui testamenti hæc promissio est, *Dabo leges meas in cordibus eorum* &c. Quidam vt hæreticis respondere dicunt apostolum hic loqui de ea lege, quam passim docet abrogatam esse per Christum, id est, de lege ceremoniarum, quibus ventura gratia euangelij prænuñciabatur. At hunc sensum respiciunt verba sequentia; *Sed iniustus & non subditus* &c. Nam & istos, post euangelium promulgatum, constat lege ceremoniali non teneri, vt pote in vniuersum abolita. Nonnulli sic exponunt, Leges non sunt positæ propter iustos, sed propter iniustos; id est, propter iniusticias, & scelera hominum qui debebant legibus coerceri: Nam vt dici solet, Ex malis moribus natæ sunt bonæ leges: Iusti verò, quoniam per se ea quæ legis sunt, faciunt, lege non indigent, ostendunt enim opus legis scriptum in cordibus suis. Ita ferè Græci. Contra hunc commentarium obijci potest, etiam iustos opus habere lege vt regula suarum actionum, quam teneant, & à qua non deflestant. Vnde Dauid dicebat, *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum*. psal. 118. Et Augustinus lib. 3. contra 2. ep. Pel. ca. 4. in vniuersum affirmat etiam iustis legem decalogi nunc esse necessariam. Quin & primo parenti, quādo rectus erat, & integer, nec peccatum adduc intrauerat in mundum; lex data fuit à Deo, ne comederet de ligno scientiæ boni, & mali: Rectius igitur alij verum huius loci intellectum ex alijs eiusdem apostoli sententijs petendum esse docent: cuiusmodi sunt, Rom. 6. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Et cap. 7. *Mortificati estis legi per corpus Christi*. Et iterum, *Nunc autem non sumus sub lege mortis, in qua detinebamur*. Item Gal. 3. *Christus nos redemit de maledictione legis*: & cap. 5. *Quod si spiritu ducimur, non estis sub lege*. & infra cum post enumeratos fructus spiritus subiungit, *Aduersus huiusmodi non est lex*. Quòd pertinet etiam quod de principe, seu potestate, quæ lex quædam animata est, dicit Rom. 13. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali*. *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac*. Et rursus, *Si autem malum feceris, time: Non enim sine causa gladium portat, vindex in iram, ei qui malum agit*. Ex quibus omnibus satis intelligi potest quo sensu hic ab eodem Apostolo dicatur, legem iusto non esse positam. Sicut enim in sententijs iam citatis, ita & hoc loco legem considerat Apostolus non secundum omnia eius officia, sed secundum ea tantum quæ ei competunt, vt sola est, vtque contra fidem & gratiam mediatoris distinguitur; sicut eam passim apostolus distinguit. Huiusmodi legis officia sunt minari, terrere, reum facere, pœnas infligere. Nam alia eius officia, quæ sunt præcipere, prohibere, dirigere, promittere, præmiare; gratiam aut non excludunt,

aut et-

aut etiam præsupponunt. Igitur secundum apostolum *Lex iusto non est posita, sed iniustus*; quia iustos non terret, neque punit, sed iniustos, qui tamen si lege legitimè vtantur, id est, si legis terroribus admoniti, virium suarum imbecillitatem ad legem implendam, agnoscant, atque ad Christi redemptoris gratiam confugiant: iustificari poterunt, & sic inter eos numerari, quibus lex non est posita. Ab hoc sensu, verbis tantum diuersa est expositio B. Thomæ in commentario, huiusmodi; *Lex iusto non est posita*, id est, imposita, tanquam onus quod eum premet meru ac terrore supplicij. Item, lex iustis non aduersatur, sed peccatoribus. Vnde & per aduersarium qui hominem tradit iudici, puniendum, lex in euangelio significatur Matth. 5. Pro hoc intellectu, vide Augustinum loco superius citato, de spiritu & litera; & præterea lib. 15. contra Faustum ca. 8. Tract. 3. in Io. Epist. 19. ad Hieronymum. lib. de natura & gratia cap. 57. de gratia & libero arbitrio cap. 12. & conc. 11. in psal. 118. vbi iuxta sensum quem dedimus, conciliat hæc duo, *iusto non est lex posita, & Legem pone mihi Domine*. Augustini sententiam sequuntur, ac verbatim etiam referunt Beda, Hieronymus, Hesselius. Pro vocabulo, *iniustus* Græcè est *ἀνομιος*, quasi dicas, ex legibus, id est, ijs qui legis sunt transgressores; hos enim lex minis ac terroribus suis percellit. Eadem ratio de eo quod sequitur,

ET NON SVB DITIS. In Græco vna composita dictio est *ἀνομιόδοξος*, pro qua legit Ambrosianus, *inobsequensibus*; quomodo & Erasmus vertit. Significantur ij qui subijci nolunt, nec imperium ferunt; homines rebelles, inobedientes.

IMPIIS ET PECCATORIBVS. *Impij*, Græcè *ἀσεβεις*, dicuntur qui Deo cultum ac reuerentiam debitam non præstant. *Peccatores*, qui grandibus peccatis obnoxij, propter quæ etiam scripturæ quosdam singulariter peccatores appellare solet, vt Sodomitas, Amalecitas, Publicanos, & Meretrices. Latine dici possunt, *scelēsti, flagitiosos*.

SCELERATIS ET CONTAMINATIS. Alij propius ex Græco vertunt, *nefarjs, & prophanis*. Quod posterius etiam apud Ambrosianum est. Prior vox significat eos qui nulla religione à sceleribus reuocantur: Posterior, homines impuros, piaculis contaminatos, atque ob id à sacris arcendos. Vnde illud poetæ; *Procul este prophani*.

PATRICIDIS, ET MATRICIDIS, HOMICIDIS. Duo priora, secundum Græcam significationem, extendi possunt, ad eos etiam qui citra necem parentes percusserunt: contra quos est illud legis Mosaicæ; *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur*. Exo. 21. Tertium, occisionem viri, id est, hominis, significat, quinto decalogi præcepto prohibita. Nam viri nomine, phrasi præsertim Hebræa, sæpe etiam fœmina comprehenditur.

10. FORNICARIIS, MASCVLORVM CONCVBITORIBVS. Ex eo quod *fornicarios* connumerat alijs magnis peccatoribus, quibus lex posita est; & iusto, cui lex posita non est, opponit; aperte colligitur fornicationem mortale peccatum esse. Comprehendit autem apostolus nomine *fornicationis*, tam hinc quam alibi, omnem viri & fœminæ commixtionem extra matrimonium. Ex ijs autem impudicitiz peccatis, quæ contra naturam committuntur, contentus est vnum præcipuum nominasse.

PLAGIARIIS. Græcè *ἀνδροποδισῶν*. q. d. *manciparijs*, hoc est, ijs qui aliena mancipia furantur, & vendunt. Quod genus furti *plagium* Latine vocatur, eo quod huius criminis conuicti, lege Flauia plagis damnantur. Tametsi generalior est Latina significatio; Nam *plagiarij* iureconsultis in vniuersum dicuntur hominum fures, id est, qui homines, siue seruos, siue liberos abducunt, retinent, vendunt; imo & qui emunt in seruitutem eos quos liberos esse nouerunt. Fuit olim hoc peccatum frequens apud eos quibus hominum seruitus in vsu erat.

MENDACIBVS, PERIVRIS. *Periurium* esse mortale peccatum secundo decalogi mandato prohibitum, nulla dubitatio est: Mendacia verò constat non omnia mortifera esse. Sunt enim quædam iocosa, & officiosa, quæ culpam venialem non excedunt; Verùm apostolus *mendaces* hinc appellat, non à qualicumque mendacio, sed ab eo quod fit studio nocendi, id est, per quod notabile nocumentum (quale præcipuè est in religionis doctrina) proximis infertur; quod Theologi perniciosum mendacium vocant; de quo Ioannes loquitur in Apoca. 21. & 22. dum omnibus mendacibus (quos interpretatur eos qui amant, & faciunt mendacium) partem fore dicit in stagno ardenti igne & sulfure, quod est mors secunda. Vt mendaces his locis dicantur fallaces illi qui in re graui student alium fallere. Huc vsque apostolus enumerauit eos quibus lex posita est: Ex quo consequitur omnia hæc peccatorum genera mortalia esse, per quæ nimirum fiat vt homo iustus nõ sit, sed iniustus; & per hoc, legis onere pressus. Vnde præterea consequens est, & contra nostræ tempestatis hæreticos obseruandum, esse quædam peccata quæ non impediãt quominus quis verè dicatur, & sit iustus; & proinde legem verè seruet, atque impleat, & non tantum imputatiuè, vt illi dicunt. Ea peccata sunt, quæ Catholici venialia vocant, sine quibus impossibile est etiam iustos ducere hanc vitam. Non igitur omnia peccata, vt Sectarij isti volunt, mortalia sunt, & gehennæ, quam lex minatur, obnoxium faciunt; sed necessario agnoscendum est mortalia & venialium discrimen, quod illi negant.

ET SI QUID ALIVD SANÆ DOCTRINÆ ADVERSATVR. Quia longum erat omnia peccatorum genera, quibus lex posita est, si-

gillatim recensere; generali quicquid clausula reliquæ est, cõplectitur. Nec moueat quod vitur coniuictione, si, quæ dubitatis esse solet: sæpe enim, more scripturæ, non dubitat, sed supponit, qui sic loquitur. q. d. Et quicquid est aliud &c. Sic idem apostolus Rom. 13. *Et si quod est aliud mandatum*. Porro, *sanam doctrinam*, vocat integram & incorruptam: Huius frequenter meminit in epistolis ad Timotheum, & Titum; quod ad episcopos scriberet, quibus ante omnia curæ esse debet, vt Christiana & apostolica doctrina pura ab omni corruptione conferuetur. Dicuntur autem *aduersarij sanæ doctrinæ*, non quæcunque peccata, sed ea solum quæ hominem simpliciter iniustum ac legis transgressorem constituunt; qualia sunt de quibus hinc agitur. Nõ quali peccatum aliquod non sit contra vllam Dei legem; sed quia venialia, sicut imperfectam habent peccati rationem, ita & legi Dei imperfectè repugnant, quatenus non extinguunt dilectionem Dei ex toto corde. Vnde nec simpliciter ab illis quisquam legis transgressor vocatur. Secus de mortalibus, etiam singulis; vt patet Iac. 2.

11. QUÆ EST SECVNDVM EVANGELIVM GLORIÆ BEATI DEI. Particula, *Quæ est*, in Græco quidem non habetur, sed suppleendam esse rectè admonet Theophylactus. Est enim hæc pars explicatio eius quod præcedit, *sanæ doctrinæ*. Quæ est, inquit, secundum euangelium, id est, euangelio consentanea. Vocat autem *euangelium gloria beati Dei*, quia per ipsum Deus, qui per naturam beatus est, & laude nostra non eget, glorificatur. Nam finis euangelij, gloria Dei est. Vnde ait infra; *Regi saeculorum honor & gloria*.

12. QUOD CREDITVM EST MIHI. Id est, cõcreditum, commissum; cuius prædicatio mihi delegata est à Deo. Hoc quoque pertinet ad commonstrandam sanam doctrinam, q. d. euangelium à me Christi apostolo prædicatum, ne dubita sanam esse doctrinam, Sic in 2. Tim. 3. *sciens à quo didiceris*; etenim Paulo solemne erat euangelio suo fidem conciliare ex autoritate suæ personæ, tanquam ad euangelium prædicandum diuinitus missæ. Hinc toties se Christi apostolum vocat; atque eum titulum aduersus æmulos constantissimè tueretur.

13. GRATIAS AGO EI QVI ME CONFORTAVIT CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Non, in Christo, vt quidam legunt contra fidem Græcorum codicum quibus & Latini mss. & post Ambrosianum editio Clementina suffragatur, Græca sic habent: *Et gratiam habeo ei qui me roborauit*, siue *potentem reddidit, Christo Iesu* &c. Quoniam dixerat; *quod creditum est mihi*; ne suis meritis id ascriberè videatur, gratias agit Christo; non solum de munere prædicandi euangelij sibi concredito; verum etiam de eo feliciter & fortiter inter tot persecutiones & pressuras à se administrato; nam

ad id præstandum magna vtrique fortitudine & constantia opus erat.

14. QVIA FIDELVM ME EXISTIMAVIT. Græcè, *duxit, iudicauit, estimauit*, vt legit Ambrosianus.

15. PONENS IN MINISTERIO. Græcè, *in ministerium*; Ambrosiano idem astipulante. Sensus huius loci est; Christo Domino gratiam habeo quod me fidelem, & proinde idoneum iudicauerit quem adhiberet ad ministerium euangelij. *Fidelm* dicit, non à fide, quæ omnibus Christianis communis est, vt nonnulli minus germanè interpretantur; sed à fide quæ exigitur in rebus commissis, vt liquet ex contextu verborum. Sic ait 1 Cor. 4. *Quaritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur*. & cap. 7. de seipso, *Tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis*. Qui locus huic similis est, & cum eo conferendus. Iam quod dicit, *quia fidelem me estimauit*, non sic accipiendum quasi Deus Paulum fidelem inuenit, non autem fecerit. (quod lectori parum attento Chrysostomus eiusque sequaces videri possunt sensisse) sed minus dicendo plus voluit intelligi. Nam homines, quidem ijs credunt rerum suarum dispensationem quos fideles existimant, etsi non faciunt; Deus autem neminem iudicat fidelem quem non faciat. Idque significare voluisse apostolum probat ipsa gratiarum actio; nulla enim gratia Deo debetur, quod hominem qui fidelis est, talem iudicet. (est enim hoc iudicium in Deo necessarium): sed quod talem faciat. Quod & locus ad Cor. iam citatus haud obscure significat, aut certè, quia de Christo loquitur, etiam sic potest intelligi: Fidelem me iudicauit, vt homo; quem talem, vt Deus, fecit.

16. QVI PRIVS BLASPHEMVS FVI ET PERSECVTOR, ET CONTVMELIOSVS. Græcè, *eum qui prius* &c. Amplificat diuinæ erga se gratiæ magnitudinem, ostendens quàm eo beneficio indignus fuerit; vt qui non solum nihil boni meriti ad illud attulerit, verum etiam in benefactorem multis modis fuerit iniuriosus. *Qui prius*, inquit, *blasphemus eram*, id est, maledicus; Christum vocans seductorem; & *persecutor ecclesiæ eius*, atque in eâ, ipsius Christi: vt pote de celo ad me clamantis, *quid me persequeris*: Denique, *contumeliosus*, Græcè, *ὕβρις* quod & conuiciatorem significat, & violentum oppressorem. Posterior significatio magis quadrat; quia conuiciatorem seu blasphemum iam antè dixerat. Augustinus libro 4. contra Donatistas capite 5. ex Cypriano, *iniuriosum* legit; quod ad vtrumque patet. Videtur autem apostolus peccatum suum gradibus quibusdam augere, vt primus gradus sit maledicere, secundus persequi, ter-

tius

tius per vim opprimere, & vt ipse vocat Gal. 1, expugnare.

SED MISERICORDIAM DEI CONSECVTVS SVM; vel, vt sim fidelis, vt dicitur 1 Cor. 7, siquidem & hic de fidelitate sua gratias egit Christo: vel in genere misericordiã a Deo consecutus, id est, gratiam, qua & peccata remitteret, & immensis beneficijs me cumularet. Græcè quidem legitur addita coniunctio, *Sed & misericordiam consecutus sum*: sed pleonasmus est, apostolo non infrequens, quod & aliàs annotauimus.

QVIA IGNORANS FECI IN INCREDVLTATE. Nonnulli arbitrantur apostolum hac ætiologia peccatum suum exaggerare, atque ex magnitudine peccati rationem reddere cur misericordiam consecutus sit. q. d. Quia Deus vidit me per infidelitatem adeo excecatum, vt cum tanta mala facerem, tamen ea non viderem, sed optimè facere me putarem, & per hoc penitus essem desperatus, more phrenetici, qui morbum suum non agnoscit: Ideo ex mera sua misericordia me præuenit atque sanauit. Ita Ioannes Hefselius, sensum hunc colligens ex Augustino sermone 8, 9 & 10 de verbis apostoli. Iuxta quam expositionem causa acceptæ misericordiæ redditur, non ex parte peccati, sed bonitatis diuinæ, quæ tanta est vt potentiam suam declarare velit in remissione grauissimorum peccatorum, tanquam in curatione morbi desperati. Quidam nullam putant hinc reddi rationem, sed tantummodo significati, cuius & quanti peccati veniam apostolus sit consecutus. Sic Petrus Lombardus in commentario, glossam ordinariam secutus; vt sensus sit: veniam consecutus sum de eo quod ignorans feci per incredulitatem; veniam obtinui totius erroris & infidelitatis meæ: Sed hic sensus, etsi verus, non tamen explet apostoli sententiam; vt quæ non minus causalis sit, quam illa Christi oratio, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Lucæ 23. Quin potius mutua collatione hæc duæ sententiæ explicandæ sunt; & si quæ sunt similes, vt est illa Petri allocutio ad Iudæos Act. 3, *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*. Ple- tisque igitur tam Græcis quam Latinis videtur, Christum & vtrumque apostolum per huiusmodi verba extenuare velle peccatum eorum de quibus loquuntur; vt circumstantia extenuans sit ignorantia per quam peccauerunt. In eundem sensum apostoli verba accepit interdum Augustinus, vt in expositione psal. 50. Et lib. 4 contra Donatistas cap. 5. & hom. 21. inter 50. Similiter & Cyprianus in epistola ad Iubaianum, Tertullianus lib. de pudicitia, Gregorius vel quisquis author in psal. 3 pœnitentialem, & Bernardus sermone 1 de conuersione sancti Pauli. Scholastici quoque doctores ex eiusmodi scripturis probare solent peccata quædam per ignorantiam excusari, sicut alia per infirmitatem.

Sed contra hunc commentarium facit, primum quod Christus non solum pro ijs orauit qui peccauerunt ex ignorantia peccatum extenuante, verum etiam pro ijs qui ex odio, inuidia, malicia, crucifixionis eius erant authores; quæadmodum docet Augustinus ser. 8. de verbis apostoli, & Leo sermone 17 de passione Domini. Quod & ipsa ratio confirmat, nam alioqui non dedisset nobis Dominus perfectum exemplum orandi pro persecutoribus; vt quos persæpe malicia ad bonos persequendos incitat. Facit eodem quod Petrus addit, *sicut & principes vestri*. Nam principes Iudæorum partim ex odio, partim ex avaricia, partim ex ambitione, Christum voluerunt e medio sublaturum; vt probant hæc scripturæ, Sap. 2 *Circumueniamus iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, & impropere nobis peccata legis &c.* Luc. 20. *Hic est haeres, occidamus eum, vt nostra fiat hereditas*. Io. 5 *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam qua a solo Deo est non queritis?* Denique facit, quod Paulus addit, *in incredulitate*; Nā scriptura nusquam, vt arbitror, infidelitatem ponit vt circumstantiam peccati extenuantem; sed ea magis in contrarium vt solet, vt psal. 68. Eph. 4 & 2 Theff. 1 & alibi. Videtur itaque dicendum, quod fecisse per ignorantiam, respectu misericordiæ ac veniæ a Deo impetrandæ, in prædictis sententijs neque allegatur propriè ad exaggerationem peccati, neque ad eius extenuationem; præsertim cum omnibus peccatis aliquo modo commune sit quod ex ignorantia fiant; quemadmodum docetur in 2 sent. d. 22, sed adfertur vt ratio obiecti maximè cõueniētis, circa quod Deus misericordiam suam exerceat. Nam obiectum seu materia misericordiæ, miseria est; Vnde quanto miseria maior, tanto magis nata est misericordiam commouere. Hinc orat psalmista, *Cito anticipent nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis*. psal. 78. Quamuis autem omne peccatum miseria quædam sit; magis tamen ignorantia, quam peccati nomine, miseria significatur. Nam miseria, vt talis, inuoluntaria est; sicut & ignorantia; atque hac ratione misericordiam commouet: peccatum autem omne voluntarium est, ideoque, vt tale, non misericordiam prouocat, sed iram, tanto grauiorem, quanto grauius est ipsum peccatum. Quod igitur apostolus dicit, tale est: Ideo misericordiam consecutus sum, quia magna erat miseria mea; hæc nimirum quod tanta mala facerem per ignorantiam & incredulitatem, inftar ægroti qui per infaniam medicum cædit. quemadmodum pulcrè explicat Augustinus sermone iam citato. Ad eundem modum & Christi oratio videtur intelligenda; tanquam si diceret, *Pater ignosce illis & da veniam, quia per ignorantiam, qua peccant nesciētes quæ faciunt, valde miseri sunt*. Huc faciunt etiam aliæ scripturæ non dissimiles, vt Gen. 8. *Nequa-*

quam

quam ultra maledicam terra propter homines; sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. & psal. 50, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* & psal. 77. *Non accendit iram suam: & recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens.* In quibus scripturis, obserua pro ratione misericordiæ diuinæ, allegari peccatum originale; quod ad maximam pertinet humani generis miseriam, & de voluntario minimum habet inter peccata. Quanquam aliàs etiam actualia peccata significantur, vt psalmo 24. *Propter nomen tuum propiciaberis peccato meo; multum est enim.* & psal. 40, *Sana animam meam, quia peccauit tibi.* Tale est & illud apostoli Roman. 5. *Ubi abundauit peccatum, superabundauit gratia.* Nam & hic continuò subiungit idem apostolus, superabundasse in se gratiam Christi. Ex his omnibus, id etiam manifestum est illis verbis, *quia ignorans feci*, nullam significari rationem meriti in Paulo, ne quidem ex congruo, quod Deum prouocaret ad gratiam & misericordiam ei præstandam; nihilo magis quam in alijs scripturis modò recitaris. Tantum enim, vt dictum est, magnitudo miseriæ significatur, velut obiecti misericordiæ diuinæ: quæ miseria, quia peccati erat; non poterat secundum rationem meriti, misericordiam prouocare, sed iram. Vnde adhuc liberum est quæ- rere, vtrum per ignorantiam tanquam circumstantiam extenuantem peccauerit Paulus Christum blasphemans, & ecclesiam eius persequens; an verò per maliciam. Tamen communiore & verior est responsio, per ignorantiam magis quam per maliciam, hæc eum fecisse; vt qui esset eorum numero qui arbitrabantur, persequendo Christianos obsequium se præstare Deo, Ioan. 16. quique zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam, Roman. 10. Sic enim de se loquitur Philippens. 3, *secundum amulationem, persequens ecclesiam Dei; secundum iusticiam qua in lege est conuersatus sine querela*: Non igitur fuit illis annumerandus, qui rebelles sunt lumini, qui obstruunt oculos ne videant, qui vident aliqua argumenta veræ fidei, sed malicia & prauis affectibus excæcati ea reiiciunt; & doceri nolunt, dicentes Deo, *Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus*: quorum denique vox est in libro Sapientiæ 2. *Circumueniamus iustum &c.* quanquam & hi secundum sensum orationis CHRISTI, nesciunt quid faciant.

14

SVPERABVNDAVIT AVTEM GRATIA DOMINI NOSTRI, scilicet erga me. Dicit autem superabundasse, id est, supra modum exuberasse erga se gratiam

& misericordiam Christi Domini; vel quia beneficium quod ei Deus per gratiam suam contulit, valde fuit gratuitum, vt pote valde indigno collatum; vel, quia magnum erat & copiosum. Non solum enim peccata deleuit; sed & adoptionem filiorum contulit, & apostolici muneris dignitatem adiecit; vt ubi abundauit delictum, superabundaret gratia, Roman. quinto.

CVM FIDE ET DILECTIONE QUÆ EST IN CHRISTO IESV. Adiungit diuinæ gratiæ suos effectus præcipuos, *fidem & dilectionem* Christianam; quas in se per gratiam superabundasse dicit: fidem opponens incredulitati; dilectionem, sicut uiciæ quam excrucerat aduersus fideles. Redè Græci admonent apostolum fidei coniungere dilectionem, eo quod sine dilectione fides ad salutem non sufficiat. Est autem eadem dilectio, quæ charitas, Græcè ἀγάπη.

FIDELIS SERMO ET OMNI ACCEPTIO- NE DIGNVS. A specie transit ad genus, id est, a gratia sibi præstita ad commune beneficium redemptionis & salutis humanæ per Christum. Vritur autem magnifica præfatione, quæ hunc habet sensum: Id quod volo dicere, quoad veritatem quidem certum est & indubitatum: quoad utilitatem verò, dignum quod modis omnibus amplectamur. Est enim euangelium, id est, bonum lætumque nuncium. *Fidele*, pro vero, certo & firmo frequens est in scripturis, maximè verbis ac promissis attributum. Porro sciendum est Ambrosianum legere, *humani sermo*, cuius lectionis etiam Hieronymus in epistola 102. ad Marcellam, & B. Thomas in commentario, meminerunt. Verisimile est, id quod Erasmus suspicatur, eam Latinam lectionem manasse à Græcis quibusdam codicibus, in quibus pro πῶς legebatur ἁγνός, id est, benignus; tamen nunc Græca constanter habent πῶς, fidelis; idque sine dubio melius. Est enim apostolica phrasus, *fidelis sermo*, quam & infra capit. 3. & 4. huius epistolæ repetit: ac rursus in 2 ad Tim. 2. & ad Tit. 3. Vnde meritò diuersam lectionem Hieronymus repudiat in epistola memorata.

QVOD CHRISTVS IESVS VENIT IN HVNC MVNDVM PECCATORES SALVOS FACERE. Græcè & Syriacè, *in mundum*. Dicitur autem Christus venisse in mundum, quia quamuis iam antè in mundo esset per diuinitatem, Ioanne testante cap. 1. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*: secundum assumptam tamen naturam, inter homines (qui mundi nomine significantur) esse cœpit postquam incarnatus est; iuxta illud eiusdem euangelistæ, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Venit, autem vt peccatores saluos faceret; id est, vt peccatoribus salutem adferret. Cuius saluris partes

T

sunt

sunt conuersio, remissio peccatorum, iustificatio & glorificatio. Nam salus peccatoris in hac vita inchoatur, in futura perficitur. Tacite alludit apostolus ad nomen IESV, cum dicit IESVM venisse ut peccatores saluos faceret; nam IESVS saluatorem significat. Vnde & angelus apud Matthæum, *Vocabis nomen eius IESVM; Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ex his autem & similibus scripturæ testimonijs, constat finem principale aduentus Christi fuisse salutem peccatoris. *Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores,* Matth. 9. Et iterum, *Veni filius hominis querere, & saluum facere quod perierat.* Lucæ 19. Ex qua doctrina rectè colligunt Theologi, Christum non fuisse venturum in carne, si homo non peccasset. nam cessante fine principali cessat effectus. Hinc ait Augustinus sermone 9 de verbis apostoli, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere.* Et sermone 36 de verbis Domini, *Si homo non perisset, filius hominis non venisset.* Item Leo sermone 3 de Pentecost. *Si homo in sua honore natura mansisset; creator mundi creatura non fieret.* Eadem est sententia B. Thomæ tam in commentario quàm alibi; nec non aliorum præstantium Theologorum ipsiusque Mag. senten. lib. 3. d. 1. Deinde ex doctrina supradicta sequitur, Omnes qui per Christum saluantur, peccatores fuisse, nemine excepto. Et quoniam Christus non solum adultorum, verum etiam paruulorum saluator est; ipso dicente, *Sinite paruulos ad me venire,* Matth. 19. consequitur etiam paruulos recens natos esse peccatores; quemadmodum ex ea doctrina bene contra Pelagianos concludit Augustinus sermone 9 & 10 de verbis apostoli. & lib. 1 de peccatorum meritis, cap. 26 & 29.

16 **QVORVM PRIMVS EGO SVM.** Non primus tempore, sicut hoc intellexerunt quidam hæretici, qui dicebant, ut refert Aquinas, animam Adam, transeundo de corpore in corpus, ad Paulum vsque pervenisse, & in eo fuisse; quasi diceret, Ego primus peccator; quia anima Adam qui primus peccavit, est anima mea. Qui sensus absurdus & hæreticus est, ponens animarum transitum seu transmigratiōem de corpore in corpus. Sed *primum* se dicit, peccatorum magnitudine, id est, maximum peccatorem; non quod reuera nullus eo fuisset maior, etiam inter eos quos saluos fecit Christus; sed, vel hoc sensu, quia vnus erat ex præcipuis & insignioribus; magno enim studio & ardore persecutus fuerat ecclesiam Dei, quæ res eum valde insignem inter peccatores faciebat: vel, quia omnium maximus esset peccator quantum ad suum ipsius iudicium; quod de se quidem affirmatiuum, de alijs autem negatiuum habebat; velut si diceret, Scio me fuisse valde magnum peccatorem, & talem me

semper in corde gero; nec alium quemquam iudico me maiorem. Hoc enim veræ humilitatis est; simul & charitatis, se ipsum accusare, & alios non iudicare. Sic è contrario se vocat omnium sanctorum minimum Ephes. 3. Sensus hic & probabilis est, & plurimum edificat: De quo plura qui volet, Hesselij commentarium legat; vbi inter alia rectè docet, quomodo quisque nostrum debeat veraciter iudicare se esse maximum peccatorem; quia nimirum ad eum pertinet sua peccata præ oculis habere & ponderare; de alijs autem meliora præsumere, & eorum peccata vel extenuare vel non attendere. Videantur & nostra super memoratum locum epistolæ ad Ephesios, & super illud Philipp. 2. *in humilitate superiores sibi inuicem arbitantes.* Vide etiam S. Thom. 2. secundæ quæst. 161. artic. 3.

Iam ad humilitatem apostoli etiam hoc videtur referendum, quod non dicit, *quorum primus ego sum,* sed, *sum;* tanquam adhuc talis esset. Debet enim vnusquisque semper ante oculos habere statum peccati, ex quo per Dei gratiam ereptus est, & in quo adhuc hæteret, si sibi relictus esset: idque tum ob custodiam humilitatis, tum ut diuini beneficii magnitudo nunquam ei effluat à memoria, sed in continua gratiarum actione persistens dona potiora mereatur. Quanquam quod dicit apostolus, *quorum primus ego sum;* secundum expositionem Aquinatis & Caietani potest sic accipi, ut relatiuum *quorum;* non referat peccatores absolute, sed peccatores saluatos à Christo; ut nimirum respondeat ei quod præcedit, *peccatores saluos facere.* Peccator autem saluatus iam non est peccator; sicut languidus sanatus non est languidus. Itaque propriè dicere potuit, *quorum primus ego sum;* & huic sensui congruunt sequentia.

16 **SED IDEO MISERICORDIAM CONSECVTVS, VT IN ME PRIMO OSTENDERET CHRISTVS IESVS OMNEM PATIENTIAM.** Illud *primo,* non est aduerbiū, sed nomen; Græcis datiu, nobis ablatiu casus. Rationem misericordiæ à Deo sibi impensæ superius reddidit ex parte obiecti, id est miseræ suæ: nunc eam assignat ex parte causæ finalis. Cum enim Deus omnia faciat ad ostensionem bonitatis suæ; peculiariter tamen & singulari quodam exemplo Paulum, qui tam magnus erat peccator, per gratiam suam Iesus Christus ad se conuertere, & tam magnum apostolum facere voluit; ut in eo *primo,* id est, maximo peccatore, ostenderet ac mundo notam faceret *omnem,* id est, perfectam ac singularem *patientiam,* siue ut expressius ex Græco legit Augustinus, *longanimitatem.* Nam Græca habent *μακροθυμια.* Erasmus *clementiam* vertit: Ego lenitatem malim, qua nimirum Christus

tantum

tantum ecclesiæ suæ persecutorem non solum non puniuit pro meritis, verum etiam ad penitentiam expectauit: imò penitentiam ipsam gratuitò dedit; eum sanauit, iustificauit, & magnum suum apostolum fecit. Significat apostolus Christum fecisse quod solent medici; qui vt omnes ad se inuident, artis suæ specimen præbent in perfecta curatione infirmi alicuius desperati. Vnde sequitur,

AD INFORMATIONEM EORVM QVI CREDITVRI SVNT ILLI IN VITAM ATERNAM. *Informationem.* Græcè *ἡ πληροφοσία.* Quod nomen hic accipitur pro forma & exemplari; vel potius pro formæ & exemplaris expressione; vt non ineptè verterit Erasmus, & eum secutus Hentenius, *Ad exprimendum exemplar ijs qui credituri essent in ipso, in vitam æternam;* hoc est, vt me faceret exemplar omnibus peccatoribus qui vsque ad finem sæculi in ipsum credituri sunt, & per eandem fidem expectaturi vitam æternam. Videntes enim peccatores Paulo, qui tam grauitè peccauerat, impensam esse à Christo misericordiæ; audent & ipsi veniam & salutem ab eo sperare. Non solum igitur Paulus à Christo datus est ecclesiæ, vt eximius prædicator gratiæ Dei; sed etiam ab eodem propositus est omnibus, vt eiusdem gratiæ exhibitæ præcipuum exemplar.

17

17 **REGI AVTEM SÆCVLORVM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI DEO HONOR ET GLORIA IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN.** Ex consideratione tanti beneficii per Christum sibi atque in vniuersum humano generi exhibiti, erumpit in laudem Dei, prædicans illum æterno honore & gloria dignum. Non refert autem siue de Deo patre, siue de tota Trinitate sententiam exponas; vtrumque enim probabile est, & suos habet Catholicos authores. Quomodo autem rectè de Patre dictum intelligatur, *Soli Deo,* cum & Filius & Spiritus sanctus sit Deus; paulò post explicabitur. *Regem sæculorum,* Deum appellat, hoc est, regem totius vniuersi ab initio quo conditum est vsque in æternum; iuxta illud psal. 144, *Regnum inuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Intelliguntur ergo sæcula creata, quæ cum mundo habent initium, de quibus Heb. 1. *Per quem fecit & sæcula.* & cap. 11, *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Quæ & 2 Tim. 1. *tempora secularia* vocantur. Sub his autem comprehendit vult apostolus quicquid sæculis seu temporibus mensuratur; id est, omnem creaturam. Nec verò sæcula increata rectè possunt intelligi; quia Deus non est eorum rex aut dominus, sed idem cum illis; Nam increata sæcula non aliud sunt quàm æternitas Dei. Pro *immortali* Græcè & Syriacè est *incorruptibili,* hoc est, in quem nulla prorsus potest cadere corruptio. quod quidem soli competit Deo, quem admodum idem apostolus infra cap. 6 testa-

tur dicens: *Qui solus habet immortalitatem.* Ex quo etiam loco petendum quo sensu Deus dicatur inuisibilis; *Quem,* inquit, *nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Pro eo quod sequitur, *soli Deo,* Græci codices qui nunc versantur in manibus, habent, *soli sapienti Deo;* & ita legisse Theophylactum liquet ex eius commentario. Ita quoque Cyrillus legit lib. 12 thesauri cap. 10. At verò pro nostra lectiōe faciunt omnes codices & commentatores Latini, atque insuper Augustinus varijs locis hanc apostoli sententiam citans. Accedit & Syriaca versio. Quin etiam Chrysostomus, Theodoretus & Oecumenius satis produnt se non legisse *sapienti;* quandoquidem in commentario non attingunt: Imò Chrysostomus disertè exponit illud, *soli Deo,* vt manifestum sit mediæ dictionem, *sapienti,* ab eo lectam non fuisse. Nec improbanda suspicio est, eam ex fine epistolæ ad Rom. vbi tam Latine quàm Græcè legitur, *soli sapienti Deo,* huc à Græcis quibusdam diuersa loca confundentibus, ascriptam esse; sicut & in epistola Iudæ. Quod ergo nos legimus, *soli Deo honor & gloria;* tribus modis sanè potest intelligi. Primò, vt significetur *honor & gloria* per excellentiam, ea nimirum quæ tribuitur alicui vt summè bono atque perfecto; talis enim honor & gloria soli Deo debetur, non angelo, non homini quantumuis sancto. Altero modo, vt sensus sit: *Soli Deo honor & gloria,* sic vt omnis honor & gloria, quæcunque alijs competit, solidè in Deum referenda sit; secundum illud, *Qui gloriatur in Domino gloriatur,* 2 Corinth. 10. Nihil enim est honore & gloria dignum in creatura, quod non à Deo procedat authore. Tertius sensus est: Rex ille sæculorum immortalis & inuisibilis, qui solus est Deus, honoretur & glorificetur *in sæcula sæculorum,* id est, in omnem æternitatem. Secundus sensus multorum est; sed postremus, maximè probabilis: quem tradit Augustinus lib. 2 de Trinit. cap. 8 & 17. Nec offendit hic sensus, etiam si specialiter ad patrem referatur, vt Græci faciunt, & inter Latinos Ambrosianus: Dicitur enim pater solus Deus, non ad exclusionem filij aut Spiritus sancti, quibus est vna cum patre natura; sed ad excludendum quicquid est ab ipso diuersum, vt est omnis & sola creatura; quemadmodum huiusmodi locutiones accipiendas esse docetur in 1 sent. d. 21. Quo autem sensu, secundum Græcam hodiernam lectionem Deus dicatur *soli sapiens;* diximus in commentario epistolæ ad Rom. Clausulam *Amen;* id est, fiat, adicit apostolus tanquam sigillum, quo confirmet & quantum in se est rata faciat ea quæ proximè dixit.

18

18 **HOC PRÆCEPTVM COMMENDO TIBI FILI TIMOTHEE,** Non conuenit inter expostores de quò præcepto loquatur. Ambrosianus & Græci referunt ad id quod statim sequitur, *vt milites in illis bonam militiam,* &c.

Rectius alij putant apostolum respicere ad superiora, ac nominatim ad illud quod dixerat initio: *sicut rogavi te, ut denunciare quibusdam ne aliter docerent*, & cætera quæ sequuntur de lege & gratia. Nam illud *rogare*, præcipere erat. Vnde & verum apparet quod sentit Caietanus, apostolum suam orationem quam ibi reliquit imperfectam, hinc tandem absoluere, q. d. Illud præceptum quo te rogavi ut Ephesi remaneres, & quibusdam ne aliena & fabulosa docerent denunciare; hoc, inquam, *præceptum tibi commendo*, id est, custodiendum & seruandum moneo, velut depositum quoddam. Addit autem, *filii Timothee*, ne videatur præcipere ut dominus, sed ut pater. Potest etiam intelligi *præceptum* non quo aliquid Timotheo præcipiatur, sed quo Timotheus præcipere debeat alijs. Sic enim dictum erat illi, *ut denunciare quibusdam*, id est præcipere. Pro quo sensu facit quod hinc loco *præcepti* non legatur *ἐπιτάγη*, in Græco, sicut alibi, sed *παρηγορησία*, vocabulum deriuatum à verbo superius posito, quod interpres vertit *denunciare*; ut hinc conformiter verti potuerit, *Hanc denunciationem commendo tibi*, scilicet eam de qua dixi, ut quibusdam denunciare.

SECUNDUM PRÆCEDENTES IN TE PROPHETIAS. *In te*, Græcè *ἐν σοί*, id est, super te, ut legit Ambrosianus. Alij vertunt, *de te*, quod idem valet. Nam sensus est: Hoc præceptum tibi cōmendo seruandum vel exsequendum, iuxta prophetias quæ de te præcesserunt, id est, secundum reuelationes diuinas de te factas, quibus nimirum significatum fuit te futurum vtilem ecclesiæ Dei ministrum. Etenim in ecclesia primitiua (quemadmodum Chrysostomus annotat, & Dionysius in ecclesiastica hierarchia meminit) electiones episcoporum sæpè fiebant per reuelationem Spiritus sancti. Sic ad opus prædicationis missi fuerunt Barnabas & Saulus Act. 13. Sic etiam multos sanctos episcopos olim legitimus electos. Sic igitur ordinatus fuit episcopus, postquam non vnū Spiritus sancti testimonium, sed plura de eo præcessissent. id enim vult plurale nomen, *prophetias*: tamen in cap. 4. rursus Timotheum huius rei commonescens, *prophetiam* nominat singulari numero. *Noli*, inquit, *negligere gratiam qua in te est, qua data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij*. Quod quomodo consistat cum plurali numero huius loci, illic explicabitur. erant autem hæ prophetiæ partim ipsius Pauli ordinatis, partim aliorum fidelium qui prophetiæ donū habebant.

UT MILITES IN ILLIS BONAM MILITIAM. *In illis*, scilicet prophetijs, ut patet ex Græco. Referenda est hæc pericope ad illam præcedentem, *hoc præceptum commendo tibi*, ut sensus sit: Eo sine commendo tibi præceptum, secundum prophetias de te factas seruandum, *ut in illis*, id est, secundum eandem prophetias, ac velut in virtute earum, *militis bonam militiam*, hoc est, offi-

cium tuum episcopale strenuè & fortiter ad ministras. Libenter apostolus vitur metaphora militiæ, tanquam aptissima non solum ad exprimendam vitam hominis Christiani; quem alibi ut militem Christi spiritualibus armis instruit, ut Ephes. 6, & 1. Thess. 5. verum etiam ad monstrandum quale sit opus episcopi. Nam sicut in militia, sic & in episcopatu, perpetua est aduersus hostes pugna, vigiliæ, labores, pericula. Hostes in hoc genere sunt demones, hæretici, falsi fratres, hypocritæ, & quicumque doctrinis aut exemplis malis gregem Dominicum, cui præpositus est episcopus, quantum in ipsis est, depopulantur ac perdunt. Porro *bonam militiam* vocat strenuam, fidelem, legitimam, talem denique quæ bonū militem faciat; cuiusmodi Timotheum vult esse in 2 ep. cap. 2. dicens, *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*. Quereret aliquis, si de Timotheo iam antè prophetatum erat, qualis futurus esset episcopus; quid opus erat eum hortari, ut se talem præstaret; cum nō possit non impleri quod Deus prædixit? Respondetur, id quod Deus prædixerat implendum fuisse per media ab ipso Deo ordinata; inter quæ, sicut erat bona voluntas Timothei, sic etiam studium & sollicitudo Pauli, qua bona Timothei voluntas subinde excitanda erat & fovenda. Nam totum hoc ad prouidentiam Dei, verbum suum implere volentis, pertinebat.

HABENS FIDEM ET BONAM CONSCIEN-
TIAM. Ostendit quæ sint imprimis necessaria bonam militiam, quam dixit, militaturo; *fides* scilicet *et bona conscientia*. fidem intelligit eam qua Christiani atque Catholici sumus, ut cōstat ex eo quod statim sequitur, *circa fidem naufragauerunt*. Verum in episcopo hæc fides explicata esse debet, ut in particulari norit quæ dogmata Christiano tenenda, quæ fugienda sint. Igitur vniuersa sana doctrina nomine fidei comprehenditur. Huic fundamēto necessè est ut accedat *bona conscientia*, qua nimirum quis sibi conscius est vitam suam à fide non discordare, præsertim in eo quod nō sua querat, sed quæ Iesu Christi. Quo nomine Timothei sinceritatem laudauit in ep. ad Philip. 2. Ceterum apostolus ex effectu causam voluit intelligi; nam bonæ conscientie causa est recta conuersatio. Iam illud obserua, dum præter fidem exigit bonam conscientiam, satis eum significare, quod fides absque charitate & bona conscientia consistere possit.

QUAM QUIDAM REPELLENTES, CIR-
CA FIDEM NAVRAGAUERUNT. Græcum participium præteriti temporis est, proinde clarius ita vertas, *Quam quidam posteaquam repulerunt, circa fidem naufragium passi sunt*. Translatio sumpta videtur non à nauigantibus (non enim dicit Apostolus ipsos perijisse) sed à mercatoribus quorum merces naufragio pereunt. Vbi tamen dubiū esse potest; vniū significet eis fidem totā naufragio perijisse, scilicet per apostasiā, qua fides penitus abijcitur,

an ve-

an verò perijisse partem aliquam fidei. quod posterus apparet ex eo quod non dicit *à fide*, sed, *circa fidem*. Id enim Anselmus sic exponit, Naufragium pertulerunt circa fidem, quasi per circuitum veritatis euntes & non ex toto à fide recedentes, nec tamen intra eam manentes. Ad huc sensui probabilitatē, quod de hæreticis sit sermo; qui non vniuersam abijciunt Christianæ fidei doctrinam, sed ex parte tantum. Nam hæreticos hinc notari patet ex sequentibus. Qui verò metaphoram à nauigantibus sumptam intelligunt, variè explicant. Alij fidem, portum; bonam conscientiam, gubernaculum interpretantur: parum appositè; non enim ad fidem ut portum nauigamus; sed per fidem ad portum æternæ patriæ ac beatæ visionis tendimus: ut proinde repugnantia sit inter fidem & portum, aptiusque fides intelligatur gubernaculum, quia ad eā pertinet cursum huius vitæ dirigere. Alij fidem interpretantur nauim, cuius ancora sit bona conscientia. Verum non dicit apostolus, quam quidam amittentes, sed *repellentem*; à naufragantibus autem non repellitur ancora aut gubernaculum, sed amittitur. Accedit quod vsu scripturæ non fides sed ecclesia per nauim solet significari, ut constat de arca Noë, & nauiculis euangelicis. Quocirca prior expositio videtur retinenda. Hæc autem de naufragio, cum subiunctis exemplis, commemorat apostolus, non tam ut Timotheum terreat, quam ut in illo nos doceat, & cautos reddat. Nec sentit amissā bonā conscientiam continuo fidem amitti, sed plerumque fieri ut, qui accepta fide non secundum eam viuunt, (hoc enim est bonam conscientiam repellere, contra fidei dictamen agere) etiam fidem ipsam amittat. Fit enim iusto Dei iudicio, ait S. Prosper, ut amittat inutilem fidem qui noluit exercere charitatem. Cur autem mala conscientia multis sit causa deserendi fidem Catholicam; ita breuiter post Chrysostomum & Theophylactum Oecumenius docet: Siquidem, inquit, ne terrore futurorum crucientur; suo animo persuadere nituntur, mendacia esse quæcunque apud nos de resurrectione ac iudicio dicuntur. Optimè quadrat hæc ratio in hæreticos nostri temporis, ac præcipue in hæresiarchas, quorum vix vllus est cui non mala conscientia rectam fidem extorserit. Cur enim vota Deo facta, continentiam perpetuam, paupertatem euangelicam, ecclesiasticam ieiunia, bonorum operum dignitatem, oppugnant; nisi quia semel libertatem carnis amplexi, videt quam illa omnia suis moribus sint contraria; quæ si probarent, seipos palam damnarent? Competebat eadem ratio in eos de quibus sequitur,

20

EX QVIBVS EST HYMENÆVS ET ALEXANDER. De Hymenæo habemus in 2. ep. c. 2, quod dixerit resurrectionem iam esse factam. Negabat enim futuram carnis resurrectionem, loco eius aliam quandam resurre-

ctionem substituens, quam dicebat iam esse completā: carnis autem resurrectione sublatā, tollebat & futurum iudicium, quale in ecclesia creditur. Huc eum adigebat mala conscientia, sicut iam dictum est. Eadem hæresis putatur fuisse Alexandri, quem B. Thomas non improbabiler eundem facit cum Alexandro ærario, de quo similiter in 2 ep. fit mentio cap. 4. Baronius suspicatur eum esse quem Lucas Act. 19. refert excitatum Ephesi tumultum ficta & profana sua oratione sedasse. Quod non videtur. Qui enim sedauit sua oratione tumultum illum, fuit scriba ciuitatis, ut ex eodem cap. liquet: quis autem credat hominem Iudæum fuisse scribā ciuitatis Ephesi? Fit illo capite mentio Alexandri Iudæi: quem credere possis eundem esse cum isto. Nam & locus conuenit; quia Timotheus Ephesi erat episcopus; & hæc maxime propter Ephesios scribuntur. Imò nihil verat tria hæc loca de eodē homine intelligi.

QVOS TRADIDI SATANÆ. Hoc est, diabolo, per excommunicationem qua eos propter hæresim & blasphemiam eieci extra ecclesiam. Qui enim extra ecclesiam projicitur, exiit protectione Dei qua peculiariter ecclesiam suam protegit: vnde consequenter exponitur atque obijcitur lupis extra Christi ouile grassantibus. Nam regnum diaboli extra ecclesiam est. Hinc intelligitur, quantum malum sit excommunicari; quemadmodum pulcrè declarat in commentario Chrysostomus. An verò illi à Paulo excommunicati, etiam corporaliter à Satana vexati fuerint, ut idem Chrysostomus cum multis alijs opinatur; haud planè constat. De qua re tota nos pluribus egimus tractantes illud 1 Cor. 5, *Tradere huiusmodi Satana in interitum carnis*. Vide etiam quæ latè & doctè de eadem re scribit Hesselius in commentario.

UT DISCANT NON BLASPHEMARE. Id est, non maledicere, non contumaciari. Qui enim peruersa docent, ecclesiæ doctoribus recta docentibus maledicere solent. Et fortassis hi de quibus loquitur apostolus, carnis resurrectionem more paganorum irridebant, fannis & maledictis eam excipientes. Nam in fideles resurrectionem mortuorum à Paulo prædicatā, irrississe legimus, Act. 17. Sed queritur quomodo traditi diabolo, qui blasphemie magister est, discant non blasphemare. Respondeo sperari hunc excommunicationis effectum, id est, correctionem eorum, non à diabolo (neque enim sensus est ut à diabolo discant non blasphemare; quemadmodum prudenter annotat Theodoretus) sed sperari à Deo, per excommunicationis poenam. Etenim intentio, saltem secundaria, ecclesiæ excommunicantis est ut ad sanam mentem redeat peccator; atque ita spiritus eius saluus sit in die iudicij. 1 Cor. 5. Dum enim peccator separatus est à societate fidelium in qua prius vixerat: si non nimium sit induratus, recogitat vnde

T 3

exclusus

exclusus sit, & quod proiectus; simul etiam pudore afficitur quod ab omnibus vitetur; cum vexatione dante intellectum, cogitat cur talia patiat, scilicet propter peccata sua, quæ proinde incipit odisse: hinc penitentiam concipit, & reconciliationem quærit; accedente ad hæc omnia pio desiderio ac gemitu ecclesiæ, pro eius salute Deum orantis. Quod si, iuxta Chrysostomi sententiam, corporalis à demone vexatio coniuncta erat excommunicationi; iam hæc etiam causa ad facilitatem correctionem excommunicati accedebat.

S V M M A R I V M.

Vult preces fundi pro omnibus hominibus, cum Deus omnes velit salvos fieri. De virorum & mulierum oratione. Mulieri docere non permittit, sed discere in silentio.

CAPVT II.

OBSECO Igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. *Obsecro*, Græcè *ἱκετεύω* quod etiam verti potest, *exhortor*, vt apud Ambrosianum. Est autem verbum diuersum ab eo, vnde verbale nomen proximè sequens, pro quo nos *obsecrationes*, Ambrosianus *deprecationes* legit. Post constitutionem Christianæ doctrinæ summam de lege & gratia; nunc deinceps specialibus ac varijs præceptis Timotheum episcopum instruit apostolus. Et quidè primum omnium fieri vult obsecrationes, orationes &c. Ex his enim cætera pendunt. Nam quicquid aliud fieri oportet, id precibus à Deo petendum, & expectandum est. Dicit autem, *primum omnium*, siue ante omnia, eo sensu quo Christus dixit in euangelio, *Quærite primum regnum Dei*, Matth. 6, vt non tam ordi temporis significetur, quam dignitatis; q. d. apostolus: Hortor & moneo, vt præcipuum studium & cura sit de precibus ritè Deo offerendis. Sunt qui genitium, *omnium*, de personis accipiant, hoc contextu: Obsecro primum fieri omnium obsecrationes &c. id est, ab omnibus siue à tota ecclesia. Quæ expositio non est reiicienda; nam totius ecclesiæ est orare, idque pro omnibus hominibus, vt statim dicitur. Adde quod nusquam alibi in scriptura coniunctè legatur, *primum omnium*.

Quomodo differant obsecrationes, orationes, postulationes, ab alijs aliter explicatur. Augustinus epistola 59 ad Paulinum q. 5. locum hunc propriè pertinere existimat ad eas preces quas recitat sacerdos ad altare; vt *obsecrationes* sint preces quæ fiunt in missa ante consecrationem; *orationes*, post consecrationem, vsque ad orationem Dominicam; *postulationes*, cum populus benedi-

citur: *Quibus*, inquit, *peractis*, & *participato tanto sacramento: gratiarum actio cuncta concludit, quam in his verbis ultimam commendauit apostolus*. Rationem huius distinctionis ex proprietate Græcarum dictionum petitam, vide apud eundem. Sunt & alij Latini, quorum quisque diuersum ferè adfert harum vocum discrimen; vt Hilarius scribens in psalmum 140. Ambrosius lib. 5. de sacramentis cap. 5. & Ambrosij titulo commentator huius loci, Item Ioannes Cassianus collat. 9. cap. 11. 12. & 13. Sed quoniam de Græcarum vocum differentia ac proprietate agitur; maximè hinc audiendos puto Græcos interpretes, secundum quos ita differunt *obsecrationes*, *orationes* & *postulationes*; siue, vt alij putauerunt exactius è Græco (vbi legis *ἱκετεύω*, *προσεύχασθαι*, *ἐπιτιθεῖσθαι*) vertendum; *deprecationes*, *obsecrationes* & *interpellationes*; vt *deprecationes* sint preces quibus petimus à malis liberari; *obsecrationes*, quibus oramus vt nobis bona contingant; *interpellationes*, quum de his qui nos lædunt, querimur. Ita Theodorus, Theophylactus & Oecumenius. Alij, *interpellationes* interpretari malunt quibus oratur pro persequentibus vt conuertantur. Nonnulli verò eas extendunt ad vniuersum genus orationum quæcunque pro alijs funduntur; bonis ac malis, amicis & inimicis. Quod postremum verisimilius est: hac enim generali significatione Christus pro nobis interpellare dicitur Rom. 8. vbi verbum est Græcum à quo huius loci *interpellatio* deducitur. Veruntamen idem Theophylactus eò magis propendet vt (quod sentit Chrysostomus) tres voces velut idem significantes, congerie quadam Rhetorica, ab apostolo dicantur assumptæ; quo vehentior sit adhortatio in re tanti momenti. Pro qua sententia adferri possunt alia loca apostoli: vt Ephes. 6. & Philippenf. 4. In his enim, duo priora vocabula videtur indifferenter ad eandem rem significandam, vsurpasse. Siue autem distinguenda sint illa tria, siue non: haud tamen dubium est quin præsens locus accipiendus sit de publicis ecclesiæ precibus; vel quas ad altare facit sacerdos, vt sentit Augustinus, vel generalius, quæ in conuentibus ecclesiæ per ministros eius fiunt (sub quibus & sacrificium comprehenditur, vt Actor. 13.) simul orante cum eis populo; quemadmodum sentiunt Chrysostomus, Ambrosianus & Prosper lib. 1 de vocatione gentium cap. 12. Porò his precibus, quatum iam vocabula explicuimus, adiungi, seu potius admisceri, vult apostolus gratiarum actiones; quod & fecit Philippenf. 4. quia qui non agit gratias de beneficijs acceptis, eo ipso se præstat indignum, cui quantumuis oranti nouum beneficium adijciatur.

PRO OMNIBVS HOMINIBVS, etiam infidelibus, inimicis, persecutoribus; quem-

admodum

admodum Christus in euangelio nos docuit Matth. 5. à qua generalitate ne quidem excommunicati sunt excludendi. Neque sensus est, orandum esse pro omni genere hominum, vt quidam intelligunt; quia non tantum ad genera hominum respicit intentio ecclesiæ pro omnibus orantis, sed etiam ad singulos: cupit enim vnumquemque saluum fieri, & non tantum ex singulis hominum generibus aliquos. Itaque sensus est, in genere pro omnibus hominibus orandum esse; specialiter verò sic pro singulis, vt nullum profus ab oratione nostra velimus exclusum. Ostendit hic locus, nullum hominem dum viuunt, adeò perditum esse, vt de eius salute nobis sit desperandum; nam oratio, spei professio est. Ostendit item, Sectarios nugæ agere, dum inquit derogari officio vnici Mediatoris, si sancti pro nobis intercedant, aut intercedere rogentur.

2 PRO REGIBVS, ET OMNIBVS QUI IN SVBLIMITATE SVNT. Ambrosianus legit, *qui in sublimiori loco positi sunt*, id est, qui præsent populis, etiam regibus ipsi subiecti. Liquec ex hac parte id quod dictum est, *pro omnibus hominibus*, non de solis fidelibus accipi posse; nam tempore apostoli Pauli reges & præsides populorum nondum credebant in Christum, imò verò Christi ecclesiam persequebantur. Tertullianus Apologetici cap. 39. loquens de his quæ à Christianis fiunt in suis cetibus; Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete.

3 VT QUIETAM ET TRANQUILLAM VITAM AGAMVS. Græcè, *placidam & quietam*. Politico magistratui debet hic scopus esse propositus, vt populus ei subiectus tranquillam & quietam vitam agat, id est, à bellis, & molestijs quæ pacem reipub. perturbant, liberam. hoc autem vt præstet, orationibus ecclesiæ adiuuandus est: præsertim cum ea res cedat ad bonum ipsius ecclesiæ. Sic olim Dominus per Ieremiam cap. 29. monet populum sub infideli rege constitutum, dicens: *Quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci; & orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis*. Ipsi quoque Iudæi in captiuitate positi fratres suos per epistolam rogant, ita scribentes Baruch 1. *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthazar filij eius; vt viuamus sub umbra Nabuchodonosor &c.* Quoniam autem à principibus hoc officium non sic vt oportet præstatur, si à cultu veri Dei sint alieni: idcirco consequenter intelligendum est, apostolum hic præcipere, vt pro illorum conuersione & salute oretur. Hanc enim esse mentem apostoli satis indicat id quod paulò post sequitur, *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

IN OMNI PIETATE ET CASTITATE. PRO castitate Græcè est *σωφροσύνη*, quo vocabulo omnis morum grauitas & honestas significari solet. Vnde alij plerique vertunt, *honestate*. Annotat Ambrosianus, & res ipsa docet, pacem & tranquillitatem temporis, valde opportunam esse *pietati*, qua Deo cultus debitus redditur; & *honestati morum*, quæ potissimum in virtute temperantiæ consistit. Videmus enim tempore belli profanari ecclesias, monasteria destrui, sacramenta violari, cessare conciones sacras, claudi ora laudantium Deum; hæreses, perituria, blasphemias & alia id genus vicia impune grassari; denique castitatis, sobrietatis & honestatis vitæ nullam haberi rationem. Obiter obserua, etiam hoc loco insignari ab apostolo illa tria quæ expressit in epistola ad Titum 2. *vt sobriè, iuste & pie viuamus in hoc sæculo*. Nam vitam agere quietam & tranquillam ad iusticiam pertinet, quam proximis debemus; sobrietas & castitas conueniunt in genere temperantiæ: pietas autem suo nomine designata est.

HOC ENIM BONVM EST ET ACCEPTVM CORAM SALVATORE NOSTRO DEO. Hoc, monstrat illud ad quod hortatus fuit, scilicet vt oretur pro omnibus hominibus etiam infidelibus & inimicis. Id & *bonum est*, quia præcipuum opus charitatis in proximis; & proinde *Deo Salvatore nostro* valde gratum & acceptum. Addit autem, *Saluatore nostro*; nam ratio postulat vt qui ad salutem misericorditer adducti sumus, etiam alios orationibus nostris adducamus ad salutem.

QUI OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. Extensio est eius quod dixerat, *Saluatore nostro*, q. d. acceptum id esse Deo, qui non tantum noster est Saluator, sed omnes homines vult saluos fieri, nimirum salute æterna; cuius in hac vita est inchoatio per fidem, de qua addit, *& ad agnitionem veritatis venire*. Loquitur enim de agnitione veritatis non cuiuscunque, sed eius quæ ad salutem pertineat; de qua veritate Christus in euangelio, *Ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati*. Ioan. 18. Huius autem veritatis agnitio fides est. Sed, quum certum sit non omnes homines saluari, nec omnes credere, sed paucos ex omnibus; cumque non minus certum sit ex scripturis, omnia fieri quæcunque fieri voluerit omnipotens Deus: hinc quæstio versatur inter Theologos, quo sensu dictum sit ab apostolo, *Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire*; Quam quæstionem nos etiam latè & accuratè tractauimus ad 1. Senten. d. 46. Vt igitur quæ illic prolixius dicta sunt, hinc in compendium contrahamus: Primò sciendum est nonnullos apostolicam senten-

tiam hoc modo interpretari; *Qui vult omnes homines saluos fieri, modo & ipsi velint.* Huiusmodi enim conditionem in verbis apostolice existimant commentatores Ambrosius & Pelagius. Quo etiam modo Rupertus apostolice sententiam existimat suppleendam, libro de Volunt. Dei, c. 12. amplexus commentarium huius loci qui est pseudo-Ambrosij, pro vero Ambrosio. Ab his re ipsa non dissentiant qui sententiam ad hunc modum suppleant; *Qui vult, quantum in ipso est, omnes homines saluos fieri.* Dicunt enim Deum omnibus hominibus suppeditare media sufficientia ad salutem consequendam; atque id volunt his apostolice verbis significatum esse. In eodem luto hæret Catharinus, cuius noxius commentarius est caudus. Eo, inter cætera docet, non omnes saluandos esse prædestinatos. Ac putat secum sentire Nazianz. quem non intellexit. Diximus de nouitio & malè sano Catharini dogmate, in in Comm. ad Rom. 8. Sensus hunc, velut sanæ doctrinæ minus congruentem, rejiciunt Catholici Patres, Augustinus, Prosper & Fulgentius duplici ratione. Primum, quia conditio memorata ab hominibus præstari non potest, nisi Deo dante; Vnde frustra dicitur, modo ipsi velint; quia & hoc ipsum ut velint, à diuina pender voluntate. Deinde, quia constat paruulos qui sine baptismo moriuntur & pereunt, non posse velle. Vnde nec dici potest Deum quantum in ipso est, vel adultos saluare, quibus non dat velle; vel paruulos, quibus ut baptizentur non prouider. Loca Augustini præcipua, sunt in epistola 107 ad Vitalem, & in Enchiridio, vbi de hac re disserit à cap. 95 vsque ad 103. & lib. 4 contra Iulianum cap. 8. Adde, quod sensus ille scopo apostolice manifestè repugnat: hortatur enim apostolus ad orandum pro omnibus hominibus. At, si sensus est, Deum velle omnes homines saluos fieri, quantum in se est, aut, modo ipsi velint; iam non sequitur orandum esse Deum pro omnium salute; ut qui, iuxta hanc expositionem, id quod suarum est partium fecerit, dato omnibus sufficienti auxilio; sed solum exhortandi erunt homines, ut etiam ipsi velint, & quod in se est, vtriusque auxilio concessio, faciant. Hac igitur expositione reprobata, quam nec B. Thomas inter quinque à se enumeratas expositiones agnoscit, sed magis rejiciendam significat; subiiciamus alias probabiliores, quas ferè easdem etiam Ioannes Hesselius in commentario diligenter est prosecutus. Vna est, quæ in verbis apostolice distributionem facit accommodam; hoc sensu: Deum vult saluos fieri omnes quicunque saluantur; quia nemo saluatur nisi Deo volente; & ideo rogandus est Deus ut velit. Ita Augustinus enchirid. 103 & alibi. Secunda expositio distributionem facit pro generibus singulorum; ut sit sensus, Deum velle omnes generis homines saluari; ut Iudæos, gentiles, seruos, liberos, principes, priuatos,

doctos, indoctos &c. Hæc quoque expositio apud Augustinum est in eodem loco. Tertia est Damasceni lib. 2 de orthodoxa fide ca. 29. vbi apostolum exponit de voluntate Dei antecedente; secundum quam dicitur Deus velle omnes homines saluari, & regnum ipsius consequi; quatenus eos creauit, non ut puniat, sed ut bonitatis suæ ac beatitudinis participes efficiat. Nam punitio atque damnatio ex peccato est, non ex prima hominis institutione: Non igitur illam Deus vult antecedente, sed consequente voluntate. Notandum autem quod voluntatem antecedentem exprimit interdum doctores per illam phrasim, quantum in se est; ut B. Thomas libr. 3. contra gentes cap. 59. Dicit enim quod Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; quia vult omnes homines saluos fieri. Nam quod loquatur de voluntate antecedente, seu præueniente peccatum, quo gratiæ Dei ponitur impedimentum; patet ex ijs quæ sequuntur eodem loco; quod & probatur ex Summa eius Theologica p. 1. quæst. 19. ar. 6 ad 1. vbi disertè locum hunc apostolice ex Damasceno interpretatur de voluntate antecedente. Significat ergo quod si peccatum non intervenisset, omnes habuissent gratiam & peruenissent ad salutem. Verum quoniam illud quod dicitur, Deum quantum in se est, velle omnes saluos fieri, & paratum esse ad dandum omnibus gratiam, vulgò accipi solet in eum sensum, quem supra reiecimus: idcirco idem S. doctor in Summa, vbi exactius loqui solet, abstulit ab ea phrasim, nolens cuiquam occasionem errandi præbere. Quarta expositio est de Christo atque humana eius voluntate; ut sensus sit, Christum qui est Saluator noster, non nos tantum sed omnes homines velle saluos fieri & ad fidem adduci; velle, inquam, non absoluta rationali voluntate, quæ diuine voluntati per omnia conformis est, sed voluntate desiderij seu pietatis, quam velleitatem vocant. Quinta est eorum qui putant apostolum loqui de parte velut de toto quodam; quæ forma locutionis in scripturis non est infrequens, vbi de multitudine sermo est ut Philip. 2. *Omnes que sua sunt querimus.* Ita sensus est, Deum velle omnes saluos fieri, quod eorum quos saluos fieri vult, & proinde saluos facit, tanta sit multitudo, ut suo quodam modo possint dici omnes. Sexta expositio est; Deum velle omnes homines saluos fieri, quatenus vult & facit pios homines velle seu desiderare omnium salutem; ut exempli gratia; Paulum ipsum, qui dixit, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem saluos.* 1. Corinth. 9. & Ambrosium super Lucæ 19. vbi Zachari tractat historiam, ita loquentem: *Nolumus offendere diuites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes.* Cum enim ipsa Dei voluntas in se sit nobis occultissima; re-
ctè & conuenienter, hoc eum velle dici-

mus,

mus, quod vult in suis amicis qui sunt homines Dei; idque non tantum præcipiendo ut velint, sed etiam hoc ipsum in eis operando. quemadmodum eam rem doctè explicat Augustinus lib. 22 de ciuit. cap. 1 & 2. & lib. de correp. & gratia cap. 15. Atque hunc sensum adfert B. Thomas secundo loco in commentario. Nec dubium quia hic sensus admodum congruat instituto & contextui apostolice. Quod enim præcipit pro omnium salute orandum esse, optimè probatur hac ratione, *quia id bonum est & acceptum Deo, qui vult omnes saluos fieri;* id est, vult ut omnium salutem desideremus, atque hoc ipsum desiderium in nobis operatur. Hinc enim consequens est, impellente huiusmodi desiderio diuinitus inspirato, pro omnium salute nobis orandum esse. Amplius verò sensum hunc confirmat, quod non dicat apostolus, Deum velle omnes saluos facere & ad agnitionem veritatis adducere; sed *omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quo sermone magis significatur voluntas nostra quam à Deo habemus pro salute omnium, quam voluntas quæ propriè sit ipsius Dei. Nam Deus ipse totam salutem electorum suorum operatur; ideoque propriè voluntatem habet eos saluandi, & ad fidem perducendi, imò fidem ipsam donandi. Vnde & Saluator noster (id est, electorum) hoc loco vocatur. Et infra c. 4. dicitur: *Saluator omnium hominum, maxime fidelium.* Nobis autem qui non sumus saluatores, sed saluandi, propriè comperit habere voluntatem ut nobiscum omnes salui fiant, & ad veritatis noticiam perueniant; utque ex illa voluntate pro omnibus oremus, iuxta sensum superius explicatum. Quamuis ergo Deus non velit omnes saluos facere, sed solos electos; vult tamen omnes saluos fieri, scilicet per nos & quantum in nobis est. dum præcipit nobis ut omnium salutem queramus; & hoc ipsum studium ac desiderium in nobis operatur. Ex quibus patet, septimam expositionem sextè esse vicinam, & in ea verè innecti: secundum quam dicitur Deus omnes homines velle saluari, quia præcipit à nobis agi ut omnes saluentur. Et aptissima est hoc intellectu probatio apostolice. Pro omnibus est nobis orandum; quia Deus præcipit, ut omnium salutem velimus & agamus. Octaua expositio est, Deum velle omnes saluos fieri, quatenus media quædam & auxilia generalia conculit ac proposuit humano generi in vniuersum; quibus nimirum possint homines ad salutem perducere, licet hæc ad salutem consequendam, absque medijs & auxilijs specialibus, minimè sufficiant. Talia sunt, creatio hominis ad beatitudinem, lex naturæ mentibus omnium impressa, speculum totius creature, beneficium redemptionis Christi toti mundo expositum & ex Christi præcepto per omnes gentes prædicandum. Hic sensus est apud Prosperum lib. 2. de vocat. gent.

per aliquot capita; & in responsis ad 1 & 2 obiectiones Vincentianas: eundemque locum prosequitur Hesselius in commentario. Faueret etiam videntur sequentia verba apostolice, quibus creationis simul & redemptionis nostræ beneficium commendat, dicens: *Unus enim Deus, nempe creator: vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Harum octo expositionum, prima, secunda & quinta sensum faciunt haud profus vniuersalem, ut manifestum est; multos enim homines exceptos relinquunt; & proinde non conueniunt instituto apostolice, qui docere vult orandum esse pro omnibus hominibus sine exceptione. Adde quod ita dicitur Deus omnes velle saluos fieri, ut etiam addi possit quod neminem velit perire. nam vtrumque coniunxit Petrus apostolus 2. ep. 3. dicens *Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti,* atqui hæc negatio non recipit dictas tres expositiones; ergo nec illa affirmatio. Porro tertia expositio voluntatem salutis nimium extendit. Si enim de antecedente voluntate sermo est; fatendum erit quod Deus etiam dæmones, animasque damnatas, saluos fieri velit: nec ratio reddetur ab apostolo cur pro omnibus hominibus orandum sit, nisi concedamus etiam (quod absit) pro damnatis orandum esse. Quarta quoque expositio non parum habet difficultatis. Nam ex ea sequitur Christum non solum in terris agentem, verum etiam nunc in cælo regnantem, habere voluntatem optatiuam salutis hominum reprobatorum. Loquitur enim apostolus de presenti, *qui vult &c.* absurdum autem videretur eiusmodi voluntatem Christo tribuere; sicut & spiritibus beatis, quorum omnium voluntas perfectè conformis est voluntati diuinæ. Restant tres postremæ expositiones; quas, ut sensu commodas, & apostolice contextui congruentiores, præ cæteris amplectimur & probamus, sextam maxime & septimam. Nam octaua non perinde potest singularis hominibus accommodari; velut amentibus, infantibus &c. cum tamen apostolus docere velit pro singulis orandum esse. Iam circa textum queritur, Cur apostolus inuenterit ordinem temporis, dicendo, *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire;* cum utique prius sit agnoscere veritatem, id est, credere, quam saluum fieri. Respondeo, apostolum de voluntate Dei loquentem non temporis, sed causalitatis ordinem spectasse. Nam intentione voluntatis prior est finis quam media ad finem; ut in proposito, salus hominum, quam fides qua saluantur. Atque hinc ostenditur, electionem tam hominum quam angelorum ad gloriam, simpliciter esse priorem ea quæ est ad gratiam:

VNVS ENIM DEVS, VNVS ET MEDIA-

TOR

TOR DEI ET HOMINUM HOMO CHRISTVS IESVS. Probatio est sententiæ præcedentis, eademque secundum ultimam eius expositionem, ad hunc modum declaranda; Vnus est Deus, omnium hominum creator; vnus etiam homo Christus, Dei atque omnium hominum mediator, & (iuxta id quod sequitur) omnium redemptor (nam vniuersale signum, *omnibus*, ex parte subsequente in qua dicitur, *pro omnibus*, etiam hic suppleendum est in utroque membro): ergo, siue beneficium creationis spectetur, quod omnibus commune est, siue beneficium reconciliationis ac redemptionis, quod omnibus propositum est, *vult Deus omnes homines saluos fieri*. At secundum penultimam & antepenultimam expositionem probatio est huiusmodi, Vnus est omnium hominum Deus, cuius cognoscendi naturaliter omnes sunt capaces; Item vnus est mediator ac redemptor omnium datus à Deo; ergo Dei voluntas est partim præceptiua, partim operatiua in nobis, vt omnes homines ad salutem & veritatis agnitionem, quantum in nobis est, adducamus. Obserua quod sicut *vult Deus* intelligit cum exclusione plurium; sic & *vnus mediator Dei & hominum*, qui est Christus Iesus. Hoc igitur officium ita Christo proprium agnoscere debemus ex mente apostoli, vt nulli alteri tribuatur, nec homini, nec angelo. Mediator enim Dei & hominum ille dicitur, qui immediatè ad Deum accedens, per suum ipsius meritum quod ab alieno merito non dependeat, Deum hominibus placatum reddit, atque omnia salutis dona à Deo hominibus obtinet. Quod quidem officium Christo competit non secundum naturam qua Deus est, (hoc enim modo etiam ipse est alterum extremorum) sed secundum naturam qua homo est. Vnde expressè ait apostolus, *homo Christus Iesus*. Solus enim homo qualis Christus, id est, homo iustus qui proprium haberet meritum, qui que precium infiniti valoris offerre posset; inter Deum & homines iniustos ac peccatores mediator esse potuit, saluo iure eius qui fuerat offensus. Sed quoniam à puro homine hæc præstari impossibile erat; idcirco hominem illum etiam Deum esse oportuit. Sic mediatorem Dei & hominum interpretati sunt Augustinus, Leo, Chrysostomus, alijque patres, quorum loca citata require apud Hesselium. Eandem mediatoris rationem doctè explicat B. Thomas 3. q. 26. ar. 2. Sed obijcit hæreticus; Si solus Christus mediator est secundum apostolum; igitur in Christum iniuriosi sunt, qui illud eius officium ad alios transferunt, tot mediatores facientes quot sunt sancti in celo. Respondeo, Catholicos officium mediatoris iam explicatum, idemque Christo proprium nequaquam ad alios transferre; sed tamen agnoscere alios quosdam imperfecta ratione mediatores,

hoc est, intercessores nostros; ad Deum; quales sunt quicumque precibus ad Deum suis salutem nostram Deo commendant. Quod adeo non est contra apostolum, vt etiam hoc ipso capite iubeat nos pro alijs, imò pro omnibus hominibus orare & interpellare; quicumque autem Deum pro alijs interpellat, intercessorem & medium quodammodo se constituit inter illos & Deum; tamen id faciat non proprio merito nitens, sed alieno, scilicet Christi. Quicquid enim sancti pro nobis orantes, petunt; non nisi per Christum petunt. Hoc sensu mediatores eos interdum appellant Patres; nominatim Bernardus in ultimo sermone de assumptione B. Mariæ & alibi. Quid mirum; quum apostolus nos pro alijs iubeat esse interpellatores?

6 QVI DEDIT REDEMPTIONEM SEMETIPSVM PRO OMNIBVS. Declarat qua ratione Christo propriè competat Mediatoris officium, videlicet ratione redemptionis; nam sine hac, mediator qualem supra descripsimus, esse non potuisset. In eo quod *semetipsum* dicitur *dedit*, id est, obtulisse & tradidisse in passionem ac mortem, significatur cum non inuitum traditum fuisse, sed volentem, cum alioqui posset non pati; quod contra Arianos affirmantes Christum inuitum fuisse traditum, annotant Græcorum commentarij. Porro quod noster interpret *redemptionem* vertit, Græcè est *ἀντίλυτρον*. Nam *λύτρον* quidem Græcis est quaecunque precium quo captiui redimi solent; *ἀντίλυτρον* verò, cum caput capite, aut vita redimitur vita: quod aptissimè de Christo dicitur, qui non aurum aut argètum, sed semetipsum pro nobis redimendis dedit, & suam ipsius animam pro nostra posuit. Iam quod ait, *pro omnibus*, vniuersaliter accipiendum videtur; sicut illud quod supra monuit pro omnibus hominibus orandum esse: ad id enim probandum hæc pars cum præcedentibus est referenda. Quæras quomodo pro omnibus hominibus redimendis Christus semetipsum dederit, cum tam multi sint, & fuerint omnibus sæculis, in captiuitate & morte relictæ, ac proinde redemptionis huius expertes. Respondet in commentario Pelagius: Ille se pro omnibus dedit, si omnes redimi velent. At multò melius magisque Catholicè quæstionem ita dissoluit B. Prosper in responsione ad primam obiectionem Vincentianam: Quod ad magnitudinem, inquit, & potentiam precij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi; sed qui hoc sæculum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento pertranscunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque, propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eru-

ti, redemptionis proprietates haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. & paucis interpositis; Potulum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus proficit; sed si non bibitur, non medetur. Hæc ille; prorsus consentaneè cum eo quod Scholastici dicunt Christum sufficienter, non efficienter omnes redemisse. Ex quo etiam ostenditur huius scripturæ & similium concordia, cum alijs scripturis, quæ Christum pro multis mortuum esse, & ad multorum redemptionem venisse testantur, vt Marth. 20. & 26. Marc. 14. & Heb. 9. Multos enim, efficienter; omnes, sufficienter redemit. Veruntamen sciendum est, nulla necessitate nos cogi ad hunc intellectum, quò illud, *pro omnibus*, ad omnes omnino & singulos homines referatur. Potest enim conuenienter, & secundum morem scripturæ sic accipi, *pro omnibus*, id est, pro hominibus omnium gentium, seu pro hominibus toto orbe dispersis; iuxta illud quod redempti Christo canunt Apoc. 5. *Redemisti nos Deo, in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione*. Porro quoniam nobis incognitum est, qui sint ex omnibus gentibus ad redemptionem & salutem predestinati; propterea sic pro omnibus absolute oramus (quemadmodum supra explicatum est) vt, quò ad singulos attinet, neminem velimus ab oratione nostra exclusum. Ex quo patet quàm aptè, etiam secundum hunc sensum, pars ista superioribus cohæreat.

TESTIMONIUM TEMPORIBVS SVIS. In multis codicibus ita legebatur, *Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est*. Apud Ambrosianum, *datum est*: At Græcè tantum est, vt habet hæc Romana correctio, *Testimonium temporibus suis*; nec amplius dedisse nostrum interpretem probant plerique mss. codices, astipulantibus Hermone & Anselmo; nec plura legisse Pelagium evidens est coniectura ex eius commentario, alioqui hæc etiam redolente suum authorem, vt mox dicemus. Glossa quoque ordinaria lectionis huius meminit. Proinde cætera à quopiam adiecta fuisse; qui putarit ita rectè explicari; plus quàm probabile est. Syrus, interpres ita supplet: *Testimonium quod venit tempore suo*. Iuxta veram igitur lectionem, *testimonium*, appositivè cohæret ei quod præcedit. Pelagius quidem pro sua hæresi qua in Christo tantum agnoscebat iusticiæ exemplum, non gratiæ auxiliium; hoc modo exponit, In testimonium generi humano sanctæ vitæ dedit exemplum: quia & prophætæ suis testimonium fuere temporibus; nouissimè autem misit filium suum ad colonos. Nimirum sentit hæreticus, non aliud fuisse Christi quàm prophe-

tarum officium; puta, verbo & exemplo docere homines. Ambrosianus testimonium intelligit redemptionis factæ per Christum, idque ostensum eo tempore quo resurrexit: nam destructio mortis, inquit, resurrectio mortuorum est. Alij, redemptionem eius, interpretantur testimonium diuinæ voluntatis, qua vult omnes homines saluos fieri. Qui sensus etiam Caietano placet, ac satis congruit præcedentibus. Chrysostomus autem atque eum secuti Theophylactus & Oecumenius, intelligunt Christum per passionem suam qua semetipsum dedit redemptionem pro omnibus, perhibuisse testimonium veritati, cuius prædicandæ gratia missus fuerat à Patre. Pro hæc enim veritate qua dixit se esse filium Dei, missus à Patre pro mundi salute; passionem & mortem subiit. Huiusmodi veritatis testimonium, quum vsque ad mortem dicitur, & mortem confirmatur; propriè & per excellentiam, ab ipsis etiam apostolis, Martyrium, id est, Testimonium vocabatur: & qui tali modo testificabantur, Martyres, id est, Testes: quoniam huiusmodi testimonio nullum erat excellentius. Hic sensus confirmationem accipit ex capit. 6 huius epistolæ, vbi dicitur Christus testimonium reddidisse sub Pontio Pilato bonam confessionem; scilicet, pro veritate quam confessus fuerat, patiens vsque ad mortem. Etenim apostolus iam martyrium meditans, & Timotheum ad martyrium excitare volens, libenter ingerit mentionem martyrij Christi. Perhibuit autem Christus hoc martyrium seu testimonium *temporibus suis*, Græcè *proprijis*; id est, tunc, quando tempus à Deo præordinatum atque à prophetis prænunciatum, erat impletum; quam alibi vocat apostolus plenitudinem temporis. Gal. 4. & Ephes. 1.

7 IN QVO POSITVS SVM EGO PRÆDicator et apostolus. Græcè, *In quod*, vel, *ad quod*, scilicet testimonium. Et sensus est: Ad eam veritatem pro qua Christus vsque ad mortem testimonium perhibuit, promulgandam, ego constitutus sum præco seu nuncius, imò & apostolus, hoc est legatus ab eo missus. nam plus est esse legatum quàm præconem.

VERITATEM DICO NON MENTIOR. Græci codices qui nunc sunt in manibus, addunt aliquid, *Veritatem dico in Christo, non mentior*. Atque illud, *in Christo*, iuramentum interpretantur, q. d. per Christum iuro me veritatem dicere, & non mentiri. Sed sciendum est in Græcorum commentarijs non extare indicium huius additionis, *in Christo*; vt verisimile sit eam huc irrepsisse ex initio capituli 9. ad Romanos, vbi secundum codices Græcos & Latinos totum hoc legitur, *Veritatem dico in Christo non mentior*. Nam hoc loco non admodum opus erat iuramento, vbi Timotheo discipulo scribebat. Porro sicut ea verba in epistola ad Romanos non ad præcedentia

referuntur, sed ad sequentia; ita & hic, quamvis videri possint dicta ad confirmandum quod proxime dixerat, *In quo positus sum ego predicator & apostolus*; potius tamen ex apostoli mente ea referas, (quod & Græci commentatores faciunt) ad id quod sequitur, velut aliquid maius, idemque Iudæis creditu difficile,

DOCTOR GENTIUM IN FIDE ET VERITATE. Pendet ex illa parte præcedenti, *In quo positus sum ego*, &c. nam media verba parenthetica sunt. Dicit ergo se non solum esse diuinitus constitutum testimonij Christi præconem & apostolum, quod eum multis erat commune; verum etiam doctorem ad gentes, quod illi quodammodo proprium erat. Quam ob causam & à Iudæis, qui gentium vocationi obsistebant, persecutionem patiebatur: uti testatur ipse in secunda epistola capit. 1. ubi eadem hæc repetit. Peculiariter autem Paulum fuisse deputatum gentibus apostolum & doctorem, constat ex Actis apostolorum; Item Roman. 15. Galat. 2. & aliunde; ut proinde merito specialis Magister gentium à Leone fuerit appellatus sermone 1. in natalem apostolorum Petri & Pauli. Quod addit, *in fide & veritate*, vel ad ipsum apostolum referri potest, hoc sensu, doctor gentium fidelis & verax; vel ad gentes, ut sensus sit, Doctor gentium instituendarum in fide & veritate; id est, ut fidem Christi recipiant & veritatem eius agnoscant.

VOLO ERGO VIROS ORARE IN OMNI LOCO. Post nonnullam digressionem, redit ad institutam exhortationem. Dixerat enim pro quibus orandum sit; nunc de loco agit. Ex quo apparet, etiam hanc partem de publicis ecclesiæ precibus accipi debere, perinde ut illam priorem. Vnde & consequenter addit, *levantes puras manus*; quæ cæremonia pertinet ad publicas orationes, atque id magis etiam probabile fiet ex sequentibus. Non igitur sensus est apostolum docere quod omnis omnino locus aptus sit orationi; ut forum, theatrum, officina &c. quamvis id verissimum sit de oratione interna; nullus enim locus est in quo non possit Christianus mente in Deum eleuata petere ab eo quæ petenda sunt, quod est orare. Sed nec ille placet commentarius, qui dictum hoc ab apostolo interpretatur aduersus Iudæos existimantes orationem vno loco templi Ierosolymitani diuina lege circumscriptam esse: quod bene refellit Hesselius; Nam lex aperte iubebat Israëlitas etiam in terra captiuitatis suæ Deum inuocare. Deuteron. 30. Quod & à Iudæis factitatum legimus; nec à quoquam negatum id rectè fieri; quamuis extra locum à Deo institutum sacrificia offerre prohiberentur. Sed quoniam Iudæi in singulis ferè ciuitatibus suas habebant synagogas, in quibus & scrip-

tura legebantur, & exhortationes fiebant ad fratres, & orationes fundebantur ad Deum: ne quis putaret publicas orationes fieri non debere extra synagogas Iudæicas, aut certè fieri oportere vno tantum & certo loco cuiusque ciuitatis, quod obseruatum difficile erat propter persecutiones infidelium; idcirco docet eas fieri posse in quocunque loco ad publicè orandum idoneo, prout opportunum fuerit. Nam basilicas & templa ad orationes publicas propriè deputata Christiani nondum habebant. Vnde vult ac præcipit apostolus, ut ad orandum conueniant, vbicunque tutum & commodum visum fuerit. Quod & hodie faciunt Catholici in Anglia & Hollandia; templis suis spoliati. Tale est quod Lucas scribit Philippis factum ab apostolo Actorum 16. *Die Sabbatorum*, inquit, *egressi sumus foras portam, iuxta flumen ubi videbatur oratio esse*, id est, locus aptus orationi publicæ fratrum, simul & exhortationi: ut patet ex ijs quæ ibidem sequuntur. Et paulò post, *Factum est autem euntibus nobis ad orationem*, id est, euntibus orandi causa ad locum aptum orationi. Quæres cur solos hic viros nominet apostolus, cum etiam mulieres ad publicas orationes conuenire debeant ac soleant, quemadmodum ex eodem Actorum loco manifestum est, nec non ex 1. Corinth. 11. & 14. ubi mulieres, quomodo in publicis conuentibus se gerere debeant, instituuntur. Ambrosius lib. 6. de sacramentis capit. 4. negat se huius inuenire rationem; nisi fortè, inquit, sanctus apostolus ideo viros dixit, ne mulieres vsurparent & malè intelligerent, *in omni loco*, & inciperent vbique clamare, quas in ecclesia sustinere non possumus. At verior responsio est, nec hic mulieres ab apostolo prætermitti. Mox enim subiungit quid eas oraturas facere oporteat; sed prius de viro loquitur, quia vicia quæ hic exclusæ ab oratione, magis (secundum perfectionem suam) in viros cadere solent quam in mulieres.

LEVANTES PURAS MANUS. Græcè, *órtis*, id est, sanctas, ut & videtur legisse Ambrosianus. Quanquam rectè vertit noster interpres, *puras*, quod & Erasmo placuit. Leuare manus cæremonia est orantis, velut auxilium ab alto, ipsa manuum extensione, implorantis; quomodo & Moyses orasse legitur Exodi 17. Sed in eo quod dicit, *levantes puras manus*, metaphora est: non enim sentit manus aqua lotas esse debere; sed ad orationem accedendum manibus à cæde, rapina, auaricia, libidine mundis. Impedit enim huiusmodi impuritas effectum orationis. Videtur alludere ad illud Isaia 1. *Cum extenderit manus vestras; auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam;*

manus

manus enim vestra sanguine plena sunt. Lauamini; mundi estote; auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis &c. ut scilicet orantes exaudiamini. vnde mox sequitur, *Et venite, & arguite me, dicit Dominus*. Intellige, si non exaudiam. Ecce commentarij huius loci. Leuat ergo puras ad Deum manus, qui orationem Deo offert cum mundicia operis.

SINE IRA ET DISCEPTATIONE. Hoc præcipit apostolus quod Christus Matth. 5. *Si offers manus tuas ad altare, vade prius reconciliari fratri tuo &c.* & cap. 6. *Si non dimiseris hominibus, nec pater vester dimittet vobis* (scilicet orantibus) *peccata vestra*. nam de oratione sermo illic erat, quæ iubemur dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Idem præcipit Ecclesiasticus capite 28. *Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram; & à Deo querit medelam?* & cætera quæ ibi sequuntur. Nam ira est appetitus vindictæ; qui autem vindictam appetit, non remittit pœnam, sed exigit. Vult igitur apostolus, ut Deum oraturus omnem iniuriarum memoriam quas fortè ab alijs accepit, ex animo deponat. *Disceptationem*, Græcè *διαλογισμὸν*, Græci dubitationem interpretantur; qualem & Iacobus apostolus ab oratione remouet dicens capite 1. *Postulet in fide nil hesitant. Qui enim hesitat &c.* intelligit autem hæsitacionem contrariam promissioni Christi, *Petite & accipietis*, id est eā quæ quis dubitet se accepturum, etiam si petat sicut oportet. Ambrosius lib. 6. de sacramentis c. 5 & lib. 1. de Abel & Cain capite 9. disceptacionem intelligit cogitationem inter orandum ad alia diuagantem, quæ interpolatur oratio. Verum communis Latinorum expositio est, eademque ceteris probabilior, hac voce significari contentionem; cuius affectum & studium, perinde ut iram, voluerit apostolus ab orantis animo remotam esse. Siquidem & alibi Græcum vocabulum vsurpat in hac significatione, ut Ro. 14. ubi nos habemus, *non in disceptationibus cogitationum*. Quin & Lucas cap. 9. sui euangelij. semel & iterum, ea voce vsus est pro contentione siue altercatione; licet interpres vulgatus cogitationem verterit. Atqui contentio aduersatur paci & concordia; ideoque effectum orationis impedit, sicut ira.

SIMILITER ET MULIERES, IN HABITU ORNATO. Apostolus vtrique sexui congruentia præscribit: à viris ea vicia quæ virorum esse solent remouens, à mulieribus autem vicia muliebria. plerumque enim peccat hic sexus nimio corporis ornato, si quando ad conuentus publicos, ut ad ecclesiam, procedendum est. Veruntamen sicut id quod viris præcipit ut orent puris manibus sine ira & discepta-

tionem; etiam sceminis præceptum intelligi debet; ita quod nunc sceminis præcipit de moderato cultu corporis, multò etiam magis à viris exigitur; ut quibus, etiam vulgò, turpe habeatur ornando corpori curam impendere. *Similiter*, inquit, *& mulieres orare volo*, (id enim Græci hoc loco suppleunt ex præcedentibus) *sed in habitu ornato*. Quod Erasmus vertit, *In amictu modesto*. Non enim ornatum externi habitus hoc loco præcipit apostolus; sed reprimit; ut ex consequentibus manifestum est. Igitur cõsideranda sunt vocabula quibus apostolus vtitur. Pro habitu Græcè est *καταστολή*, quæ vox, ut annotauit Theophylactus & Oecumenius, habitum significat longiorem, & circumquaque tegentem. est enim compositum nomen, ex simplici *στολή* quod erat genus vestis muliebris ad talos vsque demissum. Pro ornato, Græcè est *κόσμιος*, quo non solum significatur ornatus, sed honestus, moderatus, modestus. Ambrosianus *ordinatum* legit, & humilem interpretatur, forsitan vsus mendoso codice, in quo *ordinato*, pro *ornato* scriptum esset. *Habitu* igitur, intellige qualem vox Græca significat; *ornatum* verò, id est, modestum ac moderatum, & qui deceat mulieres. Nam quod decet, id demum ornat. Sensum hunc explicant ea quæ sequuntur,

CVM VERECUNDIA ET SOBRIETATE ORNANTES SE. Pro sobrietate, pudicitiam legit Ambrosianus. Erasmus vertit *castitatem*; ac de ea, post Chrystostomum Oecumenius interpretatur. Castitas enim mulieres in primis ornat. Græca vox in genere temperantiam seu moderationem significat, & tam ad animum quam ad corpus refertur; Videtur enim *σωφροσύνη* Apostolo esse virtus animi temperantis, in externo corporis habitu moribusque relucens. Repetit hoc nomen extremo fine huius c. Vocabulis coniugatis vtitur Apostolus c. 3. v. 2. Ad Tit. c. 1. v. 8. c. 2. v. 2. & 4. Tametsi hoc loco conuenit pudicitiam seu castimoniam intelligi, quæ admodum (ut dixi) post Chrystostomum intellexit Oecumenius. Potest autem hæc pars dupliciter exponi: vel, ut iubeantur mulieres ornare se verecundiâ & castitate, quod ea vera sint illius sexus ornamenta; quomodo Latini exponunt; vel, ut habitu decenti corpus suum ornent, *cum verecundiâ & castitate*, id est, verecundè & castè, non procaciter, aut impudicè, qui videtur esse commentarij Græcorum; probabilitatem accipiens ex præpositione, *cum*. Atque eum sensum etiam Syriacus textus expressit. Notandum præterea Græcè non legi *ornantes*, sed *ornare semetipsas*; ut infinitiuus regatur à verbo, *volo*, quod ex superiori sententia suppletur erit etiam hoc loco. Videtur enim huiusmodi esse constructio; *Similiter & mulieres orare volo in habitu decenti*; volo, in quam, eas cum verecun-

V

diâ &

dia & pudicitia ornare semetipsas.

NON IN TORTIS CRINIBVS, AVT AVRO, AVT MARGARITIS VEL VESTE PRECIOSA. In tortis crinibus, Græcè ἐν πλεγμασίν, id est, in implicaturis, ut vertit Theophylacti interpres. quod licet de tortis capillis plerique interpretentur, quos vno nomine circinnos Latini vocant; intelligi tamen etiam potest de reticulis capillitio circumpositis, quibus ornatus. causa mulieres uti solent. Prior sensus conuenit cum 1 Petri 3. v. 3. In summa, docet apostolus mulieres Christianas moderato cultu corporis debere esse contentas; luxum autem & sumptuosam superfluitatem in vestitu illis esse vitandam. Similis est locus 1 Petri 3. Vnde colligitur hoc præceptum non esse leue nec contemnendum, quod duo apostolorum principes tam diligenter inculcarum voluerunt. Certè Chrysostomus vehementer hoc muliebte studium immodici cultus exaggerat; ut & Gregorius in hom. 6. super euangelia ad illud Matth. 11. *hominem mollibus vestium*, & iterum hom. 40. super illud Lucæ 16. *induebatur purpura & bysso*, & ante eum Prudentius in Hamartigenia, ita canens;

Tædet sacrilegas matræ percurrere curas &c. Vbi & in viros ornandi corporis studiosos inuehitur eò grauius, quo minus istiusmodi cura sexū illum decet. Verūtam non prohibet apostolus quin illustriores fœminæ, prout earum statui conuenit, induantur vestitu preciosiore: id enim decenter ac rectè fieri: si modus seruetur, & vanitas ostentandi se humanis oculis excludatur, admonet exemplum mulieris fortis de qua Proverb. 31. *Byssus & purpura indumentum eius*. Nam eam ut illustrem mulierem describit, patet ex eo quod sequitur, *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terra*.

SED QVOD DECET MVLIRES PROMITTENTES PIETATEM PER OPERA BONA. *Promittentes*, id est, profitentes ut Erasmus & alij vertunt Ambrosianum textum secuti. Huius partis constructio varia est. Quidam Latinorum parenthesi claudunt ea dumtaxat verba (*quod decet mulieres*). Sed obstant Græca, quæ participium *promittentes* non patiuntur diuelli à nomine *mulieres*. Alij parentheticum faciunt totum illud, (*quod decet mulieres promittentes pietatem*) Quod autem sequitur, *per opera bona*, referunt ad superiora hoc sensu: Volo mulieres ornare se non in tortis crinibus &c. sed per opera bona, quemadmodum decet mulieres pietatem profitentes, id est, mulieres Christianas, quæ verum Dei cultum profitentur. nam pietas hoc loco Dei cultus est, Græcè θεοσεβεία. Alij verò sine parentesi continuant sermonem, ut sensus sit, *Sed ornantes se eo habitu qui decet mulieres pietatem profitentes non verbis solis, sed per opera bona*; hoc est, rebus ipsis atque operibus. Vtramque constru-

tionem & sensum Theophylactus adducit tanquam bonum & probabilem. Priori fauet interpres Syrus: tamen posterior magis esse videtur ex mente apostoli. nam si de ornatu bonorum operum loqueretur, diceret sua phrasi, *in operibus bonis*; sicut dixerat, *non in tortis crinibus &c.* Adde quod dicendo *promittentes* seu *profitentes* siue (quod ex Græco etiam verti potest) *annunciantes pietatem per opera bona*, locum præparat sequenti præcepto; q. d. Mulieri non aliud prædicationis genus conuenire, quam ut per bona opera pietatem foris prædicet atque annunciet. Quod enim ad vocalem attinet prædicationem & doctrinam; sequitur;

MVLIER IN SILENTIO DISCAT, scilicet in ecclesia; quemadmodum præcipit idem apostolus 1. Cor. 14. *Mulieres in ecclesijs taceant; non enim permittitur eis loqui*; repete, *in ecclesijs*; ne quidem interrogando ut discant. Ideo & hic. discere iubentur cum silentio. Nam ut ibidem ad Cor. dicitur, *Turpe est mulieri in ecclesia loqui; sed si quid interrogando discere volunt, domi viros suos interrogent*. quod apostolicum præceptum plenius eo loco à nobis explicatum est.

CVM OMNI SVBIECTIONE. Iubet mulierem discere *cum omni subiectione*, id est, perfectam exhibendo subiectionem, sexui suo congruentem; ad quam pertinet ut in publico virorum cœtu, præsertim ecclesiastico, audiat & discat cum silentio. Nam mulier, ratione sui sexus, in statu subiectionis est; quod significauit apostolus ad Cor. dicens, *sed subditas esse, sicut & lex dicit nimirum Genes. 3. Sub viri potestate eris*.

DOCERE AVTEM MVLIERI NON PERMITTO. Quidam ita suppleunt *docere virum mulieri non permitto*, propter illud quod sequitur, *neque dominari in virum*. Sed verisimilius est, supplendum esse, *in ecclesia*; sicut in parte præcedenti: Nam de conuentibus publicis agit apostolus. Prohibet ergo ne mulier in ecclesia doceat, seu viros, seu fœminas: nam absolutum præceptum est quod modò citabamus, *Mulieres in ecclesijs taceant*. Sicut autem domi viros suos interrogare permittuntur; ita & liberos suos ac familiam docere non prohibentur. Ex hac apostoli doctrina liquet mulierem non posse esse caput ecclesiæ, ne particularis quidem; nam præfæcti ecclesiastici præcipuum munus est publicè docere plebem. Liqueat etiam docendi munus non pertinere ad omnes eos qui Spiritu sancto aguntur. Quis enim negauerit aliquas esse mulieres quæ regantur ductu Spiritus sancti?

NEQVE DOMINARI IN VIRVM. Græcum verbum ἀδελφείν significat autoritatem habere & exercere in aliquem: Itaque

alij verterunt, *neque autoritatem usurpare in virum*, id est, maritum suum. Sensus & connexio huiusmodi est: *Docere, mulieri in ecclesia omnino non permitto*; priuatim autem ut domesticos doceat, atque in ijs etiam virum suum, si melius eo fuerit instituta in fide, non prohibeo; sic tamen ut hac occasione autoritatem in virum suum nulla ratione sibi vendicat; id enim est contra ordinem à Deo institutum, quando dixit mulieri, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Gen. 3. Rectè autem viros institui interdum à fœminis, extra publicum conuentum, ostendit Theophylactus; quoniam & Priscilla viam Domini diligentius exposuit Apollo, Act. 18. *Et vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem*. 1. Cor. 7.

SED ESSE IN SILENTIO, videlicet in ecclesia. Est enim repetitio & inculcatio eius quod iam dixerat: *mulier in silentio discat cum omni subiectione*. De mulierum intolerabili in ecclesia loquacitate legat, qui voluit, Chrysostomum. Viciū hoc apostolorum tempore natum ex eo videtur quod iuxta vaticinium Ioëlis, citatum à B. Petro Act. 2. etiam mulieres non pauca prædica essent dono prophetiæ & interpretationis scripturarum; in quibus & quatuor illæ virgines filia Philippi diaconi, prophetantes; ut habetur Act. 21. Quum igitur huiusmodi dono quædam illarum inordinate vterentur, loquentes in ecclesia; atque harum exemplum etiam ad alias dimanaret: cohibendæ erant autoritate apostolica. Quod quidem Paulus facit & hoc loco, & 1. Cor. 14.

ADAM ENIM PRIMVS FORMATVS EST, DEINDE HEVA. Viro autoritatem in mulierem competere, non contra; dupliciter ex scriptura probat. Primum ex ordine creationis quem eis scriptura tribuit: Nam vir prior à Deo formatus est, deinde mulier, ut habet historia Gen. 2. Non enim sine ratione est quod Deus primos parentes non simul tempore creauerit; sed virum ante mulierem. Nec ea ratio potest adferri, quod sicut bestia creatæ sunt ante hominem, quia propter hominem; ita & vir ante mulierem, quia propter eam: constat enim ex eadem Genes. historia quod non vir propter mulierem, sed mulier propter virum facta sit; apostolo etiam attestante 1 Cor. 11. Ratio igitur hæc est, ut per illud significetur, in humano genere viros præesse debere fœminis; non contra.

ET ADAM NON EST SEDVCTVS. Græcè, *deceptus*; tamen seducere pro decipere tritum est apud ecclesiasticos scriptores Latinos.

MVLIER AVTEM SEDVCTA IN PRÆVARICATIONE FVIT. Græcè, *Mulier autem decepta, in transgressionem facta est*. pro quo Ambrosianus: *Mulier autem seducta, facta est*

in prævaricationem. Alij clariùs ita reddunt: Sed mulier decepta, obnoxia facta est transgressionem. Id est, Mulier; nimirum Heua, quum decepta esset à serpente, transgressa est præceptum Dei. Igitur in nostra versione verbum fuit, quod Græcè est γέγνε, non est referendum ad participium, *seducta*, velur vnum cum eo verbum constituens, sicut in membro præcedenti, *est seductus*, Græcè ἠπαρτήθη, sed ad partem proximam, in prævaricatione. Hoc alterum est pro viri primatu argumentum, ex vigore mentis ac rationis sumptum, quo vir mulierem antecessit. Id enim probat testimonio scripturæ Gen. 3; quæ Adam non fuisse seductum; mulierem autem à serpente seductam, Dei præceptum violasse, satis per hoc significat, quod mulier interrogata quare hoc fecisset, responderit, *Serpens decepit me, & comedi*: Vir autem nil tale, sed dixerit, *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Facile autem seduci ac decipi signum est leuitatis animi, atque infirmitatis iudicij. Quod verò de prima muliere scriptum legitur, id in vniuerso sexu locum habet; in quem leuitas & imbecillitas mentis, contagio quodam à prima parente, peruasit; ut Græci interpretes explicant. Porro difficultatem habet hic locus; quomodo dicat apostolus Adam non fuisse seductum; cum ex ipsa Gen. scriptura profus appareat non Heuam solam, sed & virum credidisse mendacio serpentis, quo dixerat, *Neguaquam moriemini*. Et iterum; *In quocunque die comederitis ex eo, aperietur oculi vestri, & eritis sicut dii scientes bonum & malum*. Nisi enim credidisset, non ei cum ironica exprobratione dictum à Deo fuisset: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Accedit sanctorum patrum autoritas, qui pene omnes tradunt Adamū verbis serpentis fidem habuisse, & ab eo deceptum atque seductum fuisse: quorum testimonia quia citauimus in 2. sent. dist. 22. ijs commemorandis hic supersedemus. Ad hanc dubitationem à Ioanne Hesselio in commentario huius loci, & à Benedicto Pererio libro 6. super Genes. & à Roberto Bellarmino lib. 3. de amissione gratiæ cap. 7. multæ adferuntur responsiones: quæ quoniam & à nobis in dictam distinctionem commentantibus adductæ sunt; breuiter hic eas repetemus, ostensuri quomodo præsens apostoli locus intelligi possit ut non sit contrarius ei quod Moyses scripsit. Vnus igitur sensus est: Adam non est prior seductus, sed mulier. Sic enim nonnulli sententiam suppleunt ex parte præcedenti, *Adams prior formatus est, deinde Heua*. Sed quid mirum, si prior tentata, prior fuit seducta? Alius sensus: Adam non est seductus ex colloquio serpentis, sicut mulier; nam cum sola muliere serpens locutus est. Sed fuit tamen seductus à muliere,

vt fatentur authores huius sensus. Tertius sensus. Adam non legitur seductus, sed mulier. In reticentia autem scripturæ mysterium interdum subesse, probat illud Heb. 7. vbi Melchisedec dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia, &c. At hinc non aptè concluditur, virum magis pollere iudicio. Quartus: Adam non fuit seductus in præuaricationem; id est, non ita seductus, vt mulieri præuaricationis author esset: quomodo mulier seducta viro fuit author præuaricandi. Sed huc non esse sensum verborum Apostoli, patet ex paulo antè dictis. Quintus: Adam non peccauit seductus, mulier autem peccauit seducta; hoc est, viro non fuit persuasum, Deum non præcepisse ne comederet de ligno; mulier autem id persuasum fuit à serpente, vt ad quam noticia præcepti non nisi per virum pervenisset. Sed nec mulieri id fuit persuasum. Nam serpentis interrogatio præsupponebat Dei præceptum. *Cur præcepit &c.* Sextus. Propriè & formaliter loquendo, Adam non fuit deceptus, sed mulier: Nam propriè nemo decipitur, nisi à decipiente, id est, ab eo qui propriè & formaliter decipit. quod non facit, nisi qui fallendi animo falsum ei persuadet: sicut non mentitur, nisi qui falsum vult significare. Hoc modo serpens mulierem decipit: mulier autem etsi falsum viro persuasit; hoc fecit decepta, non decipiens; quia non fecit animo fallendi; putabat enim verum esse quod suadebat. Vnde, mulier quidem in excusationem sui dixit; *Serpens decepit me*: vir autem non ait, *mulier decepit me*; sed *mulier dedit mihi*. Porro neque serpens propriè decepit virum, saltem immediate: quia nullam viro suasionem adhibuit, sed solum mulieri. Sic ait 2 Cor. 11. *Serpens Hevnam seduxit astutia sua*. Sensus hic postremus & simplicissimus est, & scripturæ Genesis cõsentaneus, & apostoli scopo maximè accommodatus. Quod enim à serpente immediate vir non est deceptus, sed mulier; vtique valet ad ostendendum mulierem iudicio ac vigore mentis minus pollere, quàm virum; & proinde viri imperio ac gubernationi subiectam esse oportere. Reliqui sensus cur minus conueniant; lector ex his quæ ad singulos annotauimus, iam intelligit. Verùm obijciat aliquis, parum referre quod non immediate à serpente vir deceptus fuerit, quandoquidem deceptus est saltem mediatè. Viro enim per mulierem persuasit & persuadere cupiebat serpens, quod edentes ex illo ligno non morerentur. Respondèdo, propterea diabolus non accessisse ad virum, quod sciret eum, ratione sui sexus, deceptioni minus obnoxium esse quàm mulierem; Iraquè callidè partem tentauit infirmiore. Hoc ipsum igitur quod ad eum tentandum non accessit; argumento est virum ratione & iudicio plus valere.

ADDITIO B. P. CENSORIS.

Fortasse & hoc responderi potest E-uam fuisse deceptam eoque vt crederet se non peccaturam si ederet: Adamu verò huc errorem non habuisse, credidisse tamen peccatum facile illud condonandum. Ita verò credidisse eo quod diuine seueritatis nullam experientiam haberet. Ex B. Aug. 14. de ciuit. c. 11. Sed neque hac falsa persuasionem deceptus fuit Adà, Deu ex inuidia illud interdictum posuisse; quam persuasionem ex verbis diaboli hausisse Euam, superbia vitiatam, S. Aug. sctit, De Genes. ad tit. lib. 11. c. 30, & eum secutus B. Th. 2. sec. q. 163. ar. 4. c. in

SALVABITUR AUTEM PER FILIORVM GENERATIONEM. Quamuis, inquit, mulieri non sit permittendum, vt in ecclesia doceat; non tamen ei deest quod agat, & per quod salua fiat: *saluabitur enim per filiorum generationem*, id est, liberorum ex se genitorum educatione. Sic enim inferius exponit, de vidua eligenda loquens, c. 5. *Si filios educavit*. Nec secus interpretandum quod ibidem *iuuiores viduas vult filios procreare*. hec enim dicuntur eo schemate sermonis, quo ex priori posterius intelligitur. Quam verò liberorum educationem dicat, exponit verbis sequentibus.

SI PERMANERINT IN FIDE ET DILECTIONE ET SANCTIFICATIONE, CVM SOBRIETATE. In quibusdam exemplaribus legitur, *permanerint*, singulari numero: sed Græca cõstater habet plurale numerum. Cõsentiunt & Latinorum probatissimi codices; suffragantibus itidem Ambrosiani atque Pelagij cõmentarijs; nec non Hieronymo in lib. cõtra Iouinianum vbi locum huc exponit. Eadè Syriacæ versionis lectio est. Nec verò tam procliuus est numeri mutatio in Græcis vocabulis, atque in Latinis; vt satis liqueat eam germanam esse lectionem quæ numerum habet plurale. Quod etsi ita sit; nonnulli tamen hanc partem ad mulieres referunt, numero mutato ad hunc modum, *Si ipsa mulieres permanerint in fide &c.* Dicunt enim *mulieris* nomen in parte præcedenti vim collectiui habere, quia in vniuersum de sexu sermo erat; ideoque illud huc ab apostolo resoluatur in numerum pluralem. Quæ expositio etiã apud Pelagium est. Hi mouentur ea ratione, quod ineptè & falsò dicatur mulierem saluari non posse, nisi filij in fide permanerint; quum ex perseverantia filiorum salus parentum nequaquam pendeat. Adde, quod nec in Græco aliud nomen præcedit ad quod referri posse videatur verbum, *permanerint*. Non enim illic legitur expressis vocabulis, *filiorum generationem*, sed vnum compositum nomen *τεκνογονίας*, q. d. *proligereturam*. Verùm hæc nihil obstant, quo minus plurale verbum, *permanerint*, ad filios referatur; quod sine scrupulo faciunt Græci & Latini interpretes ferè omnes. Pro qua constructione etiam Hieronymus contra Iouinianum certat. Nam quod ad Græcam lectionem attinet;

plurale

plurale *filiorum* latenter includitur in cõposito nomine *τεκνογονίας*, id est, filiorum generatio. Dicit ergo apostolus mulierem saluatam iri per honestam & sanctam liberorum, quos ex viro suscepit, educationem. quæ nimirum significatur verbis subsequētib; *Si filij permanerint in fide Christiana & dilectione fraterna & sanctificatione*, id est, mundicia quæ libidinum corruptelis opponitur. vt 1. Thess. 4 & alibi Nam & 1 Cor. 7 coniugi fidei dicitur: *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sumi*. Pro *sobrietate*, quam postremam adijcit, rursus in Græco est *σωφροσύνη*, de cuius vocabuli significatione dictum est supra. Hieronymus, loco memorato, *pueritiam* maualt quàm *sobrietatem*; atque ita legit Ambrosianus; quos secuti Erasmus & Hentenius *castitatem* verterunt. Theophylactus *honestatem*, seu *temperantiam* in genere, videtur intelligere; cuius partes præcipuæ sunt castitas & sobrietas. Atque ea acceptio mihi magis probatur, hoc sanè loco: Nam castitas seu pudicitia satis significantur vocabulo *sanctificationis*, prout illud iam exposuimus. Iam quæritur; Quid si filij in his virtutibus non permanerint, propterea mater salua non erit? Primum respondeo Græca non habere *permanerint*, sed *manerint*, quod intelligi potest de eo tempore quo liberi sunt sub cura & educatione matris. Quò quidem tempore si non rectè se gerant, in parentes culpa conferri solet. Vnde & sequenti capite episcopum requirit *sua domui bene præpositum, filios habentem subditos, cum omni castitate*. Deinde respicitur ad intentionem & curam matris; vt sensus sit, eam saluam fore per filiorum educationem, qua studiosè egerit vt filij in fide & sancta conuersatione permanerent. Iterum quærent, Si mulier improba fuerit; nunquid saluabitur per rectam filiorum educationem? Respondèdo, vix fieri vt improba mulier probè filios educet, & vt fiat, sensum apostoli esse, quod parentibus non satis sit ad salutem, si ipsi iuste & integrè conuersentur, nisi & filios sanctè instituant, eosque secum, quantum in ipsis est, ad salutem perducant. Tertio quæritur, quomodo ex hac apostoli doctrina non sit consequens omnibus sceminis consulendum esse matrimonium vt secundum apostolum per filiorum generationem salua fiat? Abutuntur enim hoc loco Sectarij ad extollendam plus æquo matrimonij dignitatem, & ad depimendum studium virginitatis; adeo vt quidam eorum scripserit, hanc apostoli concionem complecti vniuersam doctrinam de salute mulierum. Quasi videlicet in memor sit apostolus quale de virginibus consilium aliquando dederit, scribens ad Cor. 1. ep. 7. nec cogitet se paulo post scripturum in hac ipsa epistola de quibusdam mulierculis quod *damnationem habeat, eo quod primam fidem irrisam fecerint*. Illis igitur responsum sit, apostolum, dicentem *Saluabitur autem per filiorum*

generationem, loqui de muliere coniugata (quales pleræque erant), ac docere quod opus, quodue officium eius sit, per quod salua fiat; non tamen aut præcipere aut hortari vt omnes liberis gignendis operam dent quo possint per Christianam eorum educationem saluari. sed virginibus sua singularia; per virtutes heroicas, præmia referuar; de quibus hinc non erat agendi locus. Interim aduersus hæreticos obiter nota apostolum non fuisse dicturum quod mulier saluabitur per filiorum generationem siue educationem, si salua esset, quod illi volunt, ex sola fide, & non etiam ex operibus. Non est prætereundus hoc loco Caietani cõmentarius; quem accepit ex Fabro Stapulensi. Hi verbum *permanerint* referunt ad mulierem simul & virum, hoc modo: *Saluabitur per filiorum generationem, si permanerint*, id est, si ipsa cum viro suo permanerit, in fide & dilectione &c. Sensus hic plus habere videtur probabilitatis quàm primus; tamen secundum, quo plurale verbum ad filios refertur, maximè probamus.

SUMMARIUM.

Describit conditiones in episcopo, diaconis, & mulieribus requisitas; admonens Timotheum vt secundum hæc præcepta in Ecclesia Dei conuerteretur.

CAPVT III.

FIDELIS SERMO. Deinceps instruit Timotheum de constituendis episcopis & diaconis ecclesiæ; docens quæ conditiones in ijs seligendis spectari debeant. nam à bonis præfatis ac ministris potissimum pender salus ecclesiæ. Hoc capitis initium, *Fidelis sermo*, refertur à Græcis ad doctrinam superiorem: rectius alij, quibus astipulatur Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali cap. 4. sic interpretatur vt pertineat ad cõmensationem doctrinæ sequentis. Vult enim apostolus hac quasi præfatiuncula attentum reddere lectorem ad id quod sequitur, velut quiddam magni momenti; quemadmodum & fecit in primo capite. Quod dicturus sum, inquit, certum est & indubitatum. Hoc dicit, non quasi cætera quæcunque scribit, non etiam certa sint & indubitata; sed quia doctrina quanto diuiniior atque vtilior, eo magis huiusmodi cõmensationem atque elogium meretur. Vnde & Apoc. 22 peculiariter de quibusdam egregijs Dei promissis per Angelum annunciat, dicitur: *Hæc verba fidelissima sunt & vera*.

SI QVIS EPISCOPATVM DESIDERAT, BONVM OPVS DESIDERAT. Pro *desiderat* in Græco non est vnum idèque vocabulū, sed priori loco *ἐπιθυμῶ*, appetit, vnde *ἐπιθυμῶ* appetit, præsertim cibi vehemētior, vocabulū etiã Latinis authoribus

vsurpatum. Posterius verbum est *ἐπιθυμῶ* cupit, desiderat. Vtitur autem in priori loco vehementioris significationis vocabulo; quod eadem res nomine episcopatus desideretur ardentius quam nomine operis & officij. Apparet autem fuisse quosdam eo tempore qui episcopatum cupidè appeterent; eos apostolus hoc loco nec laudans nec reprehendens, ante omnia docet qualem oporteat episcopum esse, non solum ut Timotheus in ijs constituendis bonum faciat delectum, verum etiam ne quis indignus se ingerat. Quaquam & dici potest apostolum loqui ad hunc modum, quod spiritu prophetico praeuideret multos in ecclesia futuros, qui magno studio & ambitione ad episcopatus contenderent. Quare huiusmodi inordinatam & immodicam appetentiam reprimere studet declaratione operis cuius debitor est quisquis est episcopus; & earum proprietatum, quae in episcopo requiruntur, quaeque tales sunt ut merito hominem infirmitatis suae conscium deterreant ab episcopatus onere suscipiendo; quod, ex sententia patrum concilij Tridentini, etiam angelicis humeris est formidabile. Notandum autem est, episcopatum esse munus, potestatem, dignitatem seu praefecturam episcopalem; sicut Apostolatus est munus ac potestas apostolica; ut docuimus in cap. i. ad Rō. ubi dicitur, *Gratiam & apostolatū*. Et tamen, quia is qui episcopatum habet, est debitor operis ad quod ea potestas destinatur, idcirco qui episcopatum appetit, is tantum effectum in sua causa, opus episcopale appetit: ut merito dicat apostolus, eum qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderare. Et in hunc sensum loquitur B. Aug. lib. 19. de ciuit. cap. 19. ubi ait quod apostolus voluit exponere quid sit episcopatus; quia nomen est operis, non honoris significat enim *ἐπισκοπή* (superintendentiam, non eminentiam) officiosam. Si quaeritur, an liceat episcopatum appetere; quod hic apostolus non determinat: de dignitate quidem & honore episcopali, absolutus est ibidem Augustini responsio; *Locum superioris*, inquit, *sine quo vixi populus non potest; est ita teneatur atque administratur ut decet, tamen indecenter appetitur*. Quod si de opere sermo sit; nec illud simpliciter appetendum est, sed vigente ecclesiae necessitate si imponitur, suscipiendum. Vnde consequenter eodem loco Augustinus, *Ocium sanctum quare charitas veritatis; negocium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendā atque intinenda vacandum est veritati: si autem imponitur; suscipienda est propter charitatis necessitatem*. Sic ille. De qua re vide B. Thomam plenius disputantem tum hoc loco, tum in 2. sec. q. 185 ar. 1. *Bonū opus, alij honestum, alij praeclarum* interpretantur; omnia enim haec Graeco nomine καλόν significantur; eademque omnia verissime competunt in hoc opus de quo agitur. Nam publicam & aeternam salutem multitudinis procu-

rare, opus est excellenter bonum & honestum, ac proinde praeclarum & eximium.

2. OPORTET ERGO EPISCOPVM IRREPREENSIBILEM ESSE. ergo non illatiuè sed expletiuè sumitur, ut alibi sepe. Primo loco vult episcopum irreprehensibilem esse; quod in epistola ad Titum, dicit, *sine crimine*. quod non ita intelligendum, ut peccato prorsus careat, quo modo Pelagius in commentario videtur intellexisse. Certè Pelagij & sequacium eius dogma fuit posse hominem viuere sine peccatis; ad quod probandum etiam hoc apostoli loco utebantur; ut patet ex Hieronymi dialogo contra Pelagium lib. 1. cap. 8: Sed sensus est, episcopum oportere talem esse, quem nemo iure possit reprehendere, de quo non sit iusta querela, qui sit bonae & integrae famae. Vix enim est ut cum fructu in huiusmodi officio versetur, qui propter crimè aliquod malè audiat. Liquet ex hac interpretatione Petrum apostolum non fuisse episcopatu indignum, quod vel Dominum suum ter negasset; vel à Paulo iuste fuerit aliquando reprehensus. Gal. 2, quod enim poenitentia deletum erat, etiam ante acceptum in die pentecostes Spiritum Sanctum; non debuit ei postea pro crimine obijci. Paulina autem reprehensio non erat de crimine, sed de facti imprudentia; quae tantum erat veniale peccatum. Confer quae dicuntur infra ad finem v. 10.

VNIUS VXORIS VIRVM. Variæ sunt huius loci expositiones; partim Catholicorum, partim hæreticorum. Imprimis autem ineptus est & solis, nec omnibus, hæreticis probatus commentarius, apostolicum esse præceptum, ut omnis episcopus vxorem habeat, sed vnam dumtaxat: idemque de presbyteris & diaconis esse iudicium; quoniam & de diaconis infra statuitur, ut sint vnus vxoris viri. In hac sententia fuisse videntur episcopi quidam Vigilantij consortes, de quibus Hieronymus aduersus Vigilantium differens, *Non ordinant, inquit, diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli calib credentes pudicitiam, imò ostendentes quam sanctè viuunt, qui malè de omnibus suspicantur*. Facile autem hic sensus refellitur ipsi sanctorum exemplis. Nam nec Paulus ipse, nec Timotheus, vxorem habuit; apostoli verò qui vxores habuerunt, eas propter Christum & euangelium dimiserunt: ut nihil iam dicamus de tot sanctissimis episcopis primitiuè ac veteris ecclesiae, quorum nullus vxorem duxit. Si quis autem ante episcopatum duxisset; eam, deinceps continenter victuram, à se remouebat. Neque verò præceptum huiusmodi de ducenda aut habenda vxore, consisteret cum eo quod idem apostolus 1. Cor. 7 dicit, *Volo omnes homines esse sicut me ipsum*, id est, abstinentes & liberos à coniugio. Sanè etiam nostri temporis sectarij, perspecta rei absurditate, non multum tribuunt illi commentario Vigilantiano; sed alium eius loco obtrudunt. Dicunt enim apostolum præcipere, ut episcopus non habeat simul plures vxores;

res; quemadmodum tunc quidam ex Iudæis, antiquos patres imitati; quidam etiam ex gentibus nuper conuersi adhuc habebant. hoc enim episcopo non permitti, ne suspectus sit de impudicitia: sed præcipi, ut si continere nolit, vna vxore sit contentus. Meminit huius expositionis Hieronymus in commentario epistolæ ad Titum; sed alieno tantum nomine. Rursus meminit in epistola ad Oceanum de vnus vxoris viro; sed & ibi satis ostendit eam sibi non placere, cum eam allaturus præfatur malo nodo malum querendum esse cuneum. Chrysostomus quoque & eius sequaces eandem expositionem adferunt hoc loco; sed, quod minus eam probarint, argumento est, quod scribentes postea in epistolam ad Titum, ubi hoc præceptum repetitur, nullam memoratè expositionis faciunt mentionem. Senserunt enim quam parum aut nihil habeat probabilitatis; siue propter Iudæos dicatur apostolus hoc præceptum posuisse, siue propter gentiles. Nam apud Iudæos quidem iam prope modum desierat polygamia; siue ob consuetudinem cum Romanis, quibus subiecti erant; siue ipsa naturæ lege ac primæua matrimonij institutione, eos admonente: ad quam etiam Christus, sua ipsius lege, matrimonium reduxerat; Matth. 19. citans ipsa primæ institutionis verba, *Propter hoc relinquet homo &c.* Ex quo liquet nulli Christiano licitam aliquando fuisse plures simul habere vxores. Nulla igitur ratio erat cur id peculiari præcepto episcopis prohiberetur. Quod verò ad gentiles attinet; doctè responderet B. Thomas in commentario epistolæ ad Tit. 1. nihil opus fuisse ut propter eos de episcopo statueretur, ne plures haberet vxores; quando quidem secundum leges Romanas (quibus regebantur etiam Asiatici, quorum causa hæc scribuntur) non licebat cuiquam plures simul vxores habere. Quod etsi licuisset; per legem tamen Christi non licebat Christianis, ut dictum est. Addit idem doctor certissimam refutationem dictæ expositionis, ex ipso apostolo; qui cap. 5 huius epistolæ similiter de vidua eligenda dicit, *quæ fuerit vnus viri vxor*; quod profectò nulla ratione sic exponi potest, quæ non habuerit simul plures maritos: id enim constat nusquam gentium vlla lege vel consuetudine factum aut permissum vquam fuisse. Has omnes rationes si considerasset Caietanus; non fuisset eam quam refellimus interpretationem amplexus, tam hoc loco quam in commentario epistolæ ad Titum. Quod enim posterius hoc argumentum soluere conatur, dicens, apostolum de vidua loquentem uti præterito tempore, *quæ fuerit vnus viri vxor*; cum de episcopo loquatur in præterito: nihil efficit. Nam de episcopo quidem indefinitè loquitur apostolus, quoad tempus, ut etiam ad præteritum referri possit; id quod Syrus interpres, tam hoc loco quam in epistola ad Titum, exprimendum putauit, dicens, *qui fuerit vnus vxoris vir*. De vidua au-

tem idcirco loquitur apostolus in præterito, quoniam si in præterito virum haberet, vidua non esset; Quare, si apostoli de episcopo loquentis, sensus est; Qui non habeat simul plures vxores: ergo eiusdem de vidua loquentis, sensus erit, Quæ non habuerit simul plures maritos. quod omnino frustra & inaniter dici iam ostendimus. Est igitur huius loci verus commentarius, oportere episcopum esse vnus vxoris virum, id est, oportere ut si vxorem habeat aut habuerit; non tamen secundam acceperit, sed vnam tantum; siue eam adhuc habeat siue non. Sic enim & paulo post vult eum *filios habere subditos &c.* Id est, si filios habeat, ut subditi sint. Vnum ergo, non opponitur nulli, sed pluribus; estque negatione plurium exponendum, eo modo quo diximus. Tradunt hunc sensum Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius super epistolam ad Titum; Hieronymus in eandem scribens epistolam, nec non in epistola ad Oceanum; & in vniuersum Latini commentatores, & alij præterea à nobis citati ad dist. 27 & 37 lib. 4. sententiarum. Denique, propter hanc apostolicam legem isto modo intellectam, ecclesia digamos à sacris ordinibus sepe repulit; digamos utique intelligens eos qui priori coniuge mortua duxissent alteram. Fatendum quidem est apostolum permittere ut in episcopum eligatur qui vxorem habeat; verum id pro tempore, propter paucitatem eorum qui & cælibes essent & ad episcopatum idonei, plerique enim ante fidem susceptam coniugium inierant: Cælibes autem aut nimium iuuenes erant, aut libertatis amore potius quam studio castitatis coniugium refulerant, in gentilitate adhuc constituti. Posteaquam verò multi ab infantia ceperunt Christiana religione ac moribus institui, & ad ecclesiastica ministeria aptari: non facile quisquam vxoratus ad episcopatum assumebatur; nec id aliter quam si pari consensu cum vxore continentiam seruaret. Nam id ab ipsis apostolorum temporibus obseruatum in ecclesia fuisse, probant antiquissimi canones; inter quos est 2. concilij Carthaginensis canon secundus, quo cum episcopis, presbyteris & diaconis continentia præciperetur qua etiam ab vxoribus abstinerent; subiecit concilium hæc verba, *Ut quod apostoli docuerunt, & ipsa seruaui antiquitas; nos quoque custodiamus*. Sed ea de re pluribus egimus ad dictam distinctionem 37 lib. 4. Illud autem omnino certum & euident, etiam Græcorum testimonio, quemadmodum eodem loco ostendimus; nunquam in ecclesia Dei permissum fuisse, ut quis episcopus aut presbyter vxorem duceret: licet de vsu vxoris antea ducte, Græci posteriores à Latinis opinione simul & praxi dissentiant. Restat quaerendum, qua ratione apostolus digamum ab episcopatu, & paulo inferius etiam à diaconatu, repellat. Huius rei alij moralem, alij mysticam causam reddunt. Nam Hieronymus in expositione epi-

stolę ad Titum, & plenius in epistola ad Oceanum, hanc adfert rationem, quia digamia argumentum est incontinentiæ: Merito autē à sacris ministerijs arcentur, quos incontinentiæ suspicio grauat. Eandem apostolici præcepti rationem vrgent Chrysostomus ac ceteri commentatores Græci. Nec dissentit Epiphanius, qui in hæresi 59 quæ est Catharorum, dicit hoc constitutum propter excellentem sacerdotum dignitatem & honorem. Spectat eodem quod alij dicunt, hanc causam esse vt episcopus possit viduas adhortari ad continentiam. Sunt enim morales hæ rationes, ac penè coincidunt. Verum alij rationem assignant ex significatione coniugij; dicunt enim digamum à sacris ordinibus arceri propter defectum sacramenti, id est, sacræ significationis. Cum enim episcopus gerat vicem Christi, atque eius personam peculiari ratione repræsentet tanquam vicarius ecclesiæ sponfus; non erit ad eam repræsentationem idoneus, qui dum esset in matrimonio eandem Christi personam imperfectè tantum & defectiue significauit. Christus enim vnicam sibi sponsam copulauit per incarnationis mysterium; & similiter ecclesia vni sponso copulata est. *Respondi vos*, ait apostolus 2. Cor. 11. *vni viro virginem castam exhibere Christo*. Cuius rei significatio in eo qui plures sibi copulauit vxores, haud subsistit. Hanc rationem tradit & explicat Augustinus lib. de bono coniugali cap. 18. & ante eum Ambrosius lib. 1. offic. cap. 30 & in epistola 82 quæ est ad ecclesiam Vercellensem. Eam deinde probarunt Romani pontifices, Innocentius 1. epistola 2 & 22, & Leo 1. epistola 87 ad episcopos Africanos; atque alij deinceps, vt videre est in Decretalibus, tit. De digamis non ordinandis. Quamuis igitur probabiliter possit dici apostolum ad vtramque rationem, scilicet moralem & mysticam respexisse (Nam moralem etiam rationem pulcrè & grauitè vrgit Ambrosius, vtroque loco supra citato): tamen hanc posteriorem apparet esse primariam. Etenim si apostolici præcepti ratio purè moralis esset; multò magis arcendi erant qui vel concubinam in gentilitate habuissent, vel fornicati fuissent: quos tamen, si post baptismum castè vixerint, ecclesia recipit etiam ad episcopatum. Dicit aliquis, Paulum etiam in vidua requirere vt fuerit vnus viri vxor; vbi tamen nullum videtur subesse mysterium. Respondeo, nec tibi mysterium deesse; quia viduæ ecclesiæ repræsentabant fidelibus honorem vidualis castitatis; Ad hoc autem repræsentandum illa non erat idonea, quæ post mortem mariti nupserat alteri, etiam si ante baptismum id factum fuisset. quemadmodum nec velamen sacrum inter virgines accipere debet, quæ corrupta fuerit ante baptismum. Sic ergo nec is qui secundam vxorem duxit, etiam ante baptismum; debuit in episcopum assumi: secus quam priuata opinione sensit Hieronymus, qui priorem tantum rationem

putauerat considerandam.

SOBRIVM, PRVDENTEM, ORNATVM, PVDICVM. In Græco & Syriaco textu tria tantum vocabula sunt, nec verisimile est interpretationem nostram plura dedisse. Nam quod hic additur, *pudicum*; ex alia versione huc adiectum putamus: quod enim nos habemus *prudens*, potest etiam ex Græco verti *pudicum*, seu *castum*; idque adeo mauult Hieronymus. Nam & apud Ambrosianum leguntur hæc tria, *sobrium, pudicum, compositum*; & apud verum Ambrosium lib. 1. offic. cap. 30. *sobrium, pudicum, ornatum*. Porro mss. codices Latini variant. Alij, Græcis consentanei, *pudicum* quarto loco penitus omitunt; quod & facit Primasius. Alij legunt quidem, sed non eundem ei locum tribuunt; quæ res satis arguit aduentitium esse. Proinde cætera exponamus. *Sobrium*, Græcè *νηφάλιον*: quæ vox etiam *vigilantem* significat, quemadmodum alij translulerunt, Græcorum commentarios secuti. Quanquam & Hieronymus ita legit lib. 1. Dialogi contra Pelagianos. Vtrūque significatū aptissime quadrat. Inprimis enim episcopo necessarium est vt cibi potusque temperas sit; tum (quod inde cõsequitur) vt vigiles habeat sensus atque in officium semper intentos. Eadem vox infra repetitur, vbi de mulieribus sermo est; cui certè loco magis cõuenit *sobrietatis* significatio quam *vigilantia*. Deriuatur autem vox Græca *ἀπὸ τῆς νηφελίας* quod est sobriū esse. quo verbo vsus est. B. Petrus 1. ep. c. 5. vbi nos habemus, *sobrii estote, & vigilate*. Nam quoniam illic additur, *& vigilate*, *γρηγορήσατε* non potest verbum præcedens *νηφελίας* similiter exponi, ne idem secundo repetatur. Non tamè negandum quin aliquando significet vigilare: Sic enim accipitur 2 Tim. 4. *Tu verò vigila*. Pro quo, *sobrius esto*, minus quadrat; vt ibi videbimus. *Prudentem*, alij *pudicum* verterunt, vti iam diximus; alij *sobrium*, vt idem noster interpretis ad Tit. 1. Alij denique *temperantem*, vt ea virtus intelligatur quæ præstat vt rebus moderatè vtamur, nec dissoluamur in luxum. De qua actum est etiam in capite præcedenti. Atque hæc omnia significat Græca dictio *σωφρονία*, ac nihil horum est quod non in episcopo cum primis desideretur. Eundem vult esse *ornatum*, Græcè *κόσμιον*, id est in vultu, incessu, sermone ac toto corporis habitu, bene decenterque compositum. De significatione vocabuli Græci non nihil dictum est in capite superiori.

HOSPITALEM, ea nimirum hospitalitate quam scriptura passim commendat, quamque etiam sancti patres veteris testamenti leguntur exercuisse. Hæc autem non in eo sita est, quod quis lautè mensam instruat, eamque semper expositam habeat diuitibus ac nobilibus, aut improbis mensarum assellis; sed quod Christianos ac Dei seruos de via aduentantes ac refocillatione egètes, eos præsertim qui spiritualia seminant, hospitio

suscipiat,

suscipiat, foueatque: quod laudatissimum est opus liberalitatis ac misericordiæ. Græca vox *φιλόξενον* sonat *peregrinorum amantem*. De talibus quales dixi, viatoribus suscipiendis, est illud B. Aug. serm. 1. de vita communi suorū cleric. Peruēni ad episcopatum; vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus siue transeuntibus. Quod si non fecisset episcopus; inhumanius diceretur. Et S. Hier. Comment. ad Tit. 1. Episcopus nisi omnes receperit, inhumanius est.

DOCTOREM. Græcè *διδάκτικόν*, quod non significat *docilem*, vt habebat antiqua quædam versio reprehensa ab Hieronymo lib. 1. dialogi contra Pelagium cap. 6, sed, vt ira dicam, *doctrinam*. Erasmus Ambrosianum textum imitatus vertit, *aptum ad docendum*; Hieronymus, in loco iam citato, interpretatur eum qui docere possit: quod ita intellige, vt etiam promptus sit & paratus ad docendum. Id totum autem, sine dubio, plus est quam doctum esse: sunt enim plerique docti, sed quibus aut voluntas, aut facultas & gratia desit communicandi suam doctrinam alijs; vt qui conceptiones animi non nouerunt commodè ad instructionem & ædificationem aliorum exprimere. Proprietas hæc episcopo vel maximè necessaria est; sed quam in eo cū cæteris virtutibus difficulter inueniri, scribit eodem loco Hieronymus. Disputant quidam, vter ad episcopatum sit aptior, Theologus, an canonista. Equidem non arbitrator apostolū in hac parte quæ *doctorem* vult esse episcopū, respicere ad peritiam canonum ecclesiasticorum, qui tunc vix vlli erant; sed in episcopo requirere scientiam, quam nos Theologiam vocamus, qua nimirum ea quæ de Deo rebusque diuinis sunt diuinitus reuelata, cognoscuntur, & aliquatenus intelliguntur, vt & alijs tradi, & aduersus humanas rationes cõgruenter defendi possint, per sermonē scientiæ atque sapientiæ. Hanc enim Theologiam à Christo acceptā, futuris episcopis tradiderunt apostoli. hanc & Paulus suum docuit Timotheum; & Timotheus deinceps eos qui possent & alios docere, vt eum monuit ipse apostolus, posterioris ep. c. 2.

NON VINOLENTVM. Chrysostomus & sequaces eius hoc non de temulentia interpretantur, sed de vicio coniuncto. Putant enim præcipi, ne episcopus ferox sit aut conuiciator, ad exemplum eorum qui vino pleni debacchantur in alios. Vnde & Hentenius in epistola ad Titum vertit: *non debacchantem*. Verum propriè accipiendam esse hanc partem, quomodo Latini Syro stipulante accipiunt; ex eo satis colligitur, quod paulo post de diaconis agens apostolus, hoc idem explicatius dicit, *non multo vino deditos*. Quo argumento etiam Theodoretus vtitur. Rectè igitur Ambrosianus textus habet, *non obnoxium vino*, id est, non deditum potationi. Valde enim hoc viciū dedecet pastorem animarum; nec

ferè aliud est quod magis auctoritatem eius destruit. Proinde non debuit illud intactum relinquere apostolus; præsertim quod Asiatici, quibus hæc epistola mittitur, à luxu & vinolentia malè audirent.

NON PERCVSSOREM. Ambrosianus, *non verberatorem*. Quod rursus Græci, suffragante Hieronymo, nolant de eo intelligi, qui faciles habeat manus ad verberandum: quid enim magnum episcopo, si manibus temperet? sed referunt ad acerbiteratē linguæ, dicuntque prohiberi ne episcopus importunè ac seuerè nimium feriat fratrum conscientiam, ne sit sæuus obiurgator, ne sit ad contumelias & conuicia pronus. Nam & apud Latinos auctores legimus verbera linguæ; & in sacris literis impiorum vox est, *Venite percutiamus eum lingua*. Ierem. 18. Confirmare videtur huc sensum illud huius epistolæ cap. 6. *Seniores ne increpaueris*; quod Græcè est, *ne plagam inferas*. Quanquam quod Anselmus, Aquinas, Caietanus & alij Latini *percuissorem* accipiunt propriè: non est abijciendum: cognata enim vicia sunt vinolentia & violentia; quorum alterum ex altero consequi solet, vt bene S. Thomas annotauit. His palam accedit Syrus interpres, ita vertens, *Cuius manus non sit præceps ad percutiendum*. In Græcis exemplaribus sequitur, *Non turpis lucri cupidum*; quod cum nec à Chrysostomo nec à quoquam aliorum veterum tam Græcorum quam Latinorū interpretum hoc loco expositum inueniatur; facilis coniectura est huc adiectum esse ex epistola ad Titum; vbi hoc ordine legitur, *Non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum*; hic autem eius loco paulo post dicitur, *non cupidum*.

SED MODESTVM. Græca dictio *ἐπιεική* significat æquum, humanum, mansuetum; qui non rigidè ius suum exigit, sed quantum res patitur, aliorum se moribus & affectibus accommodat. Mirè præluxit in hoc genere virtutis ipse Paulus, *omnibus omnia factus, vt omnes saluos faceret*. 1. Cor. 9.

NON LITIGIOSVM. Græcè *ἀμαχον*, id est, alienum à pugna; pro quo Hieronymus lib. 1. contra Pelag. legit, *absque iurgio*: nam lites & iurgia, etiam Græcis *μαχαι* id est, pugne vocantur; vt Iac. 4. *Vnde bella & lites in vobis*; & apud hunc apostolum legimus *pugna, verborum*, pro contentionibus. Infra c. 6.

NON CVPIDVM. Id est, non auarum; Græcè *ἀφιλόργυρον*, quod alij verterunt, *alienum ab auaricia*. Hieronymus, *sine auaricia*, legit; non enim quæuis cupiditas Græco vocabulo negatur; sed cupiditas & amor pecuniarum, quam omnium malorum radicem pronunciat hac eadem epistola cap. 6.

SVÆ DOMVI BENE PRÆPOSITVM. Id est, qui suæ familiæ benè præsit. Ita enim mox vertit. atqui benè præesse familiæ, est domesticos suos benè regere. Vult igitur apostolus experientiā probatum esse quod qui in episcopum assumitur, sit domus regendæ gnarus,

& pe-

& peritus; ut à minore domo ad maiorem, id est, ecclesiam regendam, transeat. Hinc in concilio 3 Carth. can. 18 statuitur episcopus, presbyteros & diaconos non prius ordinari debere quam omnes qui in domibus ipsorum sunt, Christianos Catholicos fecerint; ut ita se probent domibus suis bene profuisse.

FILIOS HABENTEM SVBDITOS CVM OMNI CASTITATE. Declaratio est patris præcedentis. *subditos*, Græcè *in subiectione*; quod emphasim habere videtur, quod d. liberos habentem subiectioni paternæ assuefactos, ad nutum obedientes. Pro castitate, *reuerentiam* vertit Erasmus, quod non probat: Nam Græcè dictio *σεβήτης*, qua etiam in superiori capite vsus est apostolus, patet quidem ad omnem morum gravitatem & honestatem, atque ita ab interpretibus Græcis hic exponitur; Interdum quoque pudicitiam significat, & in genere temperantiam; quam significatam hoc loco, probabile sit ex epistola ad Titum, ubi de episcopo sic legitur, *filios habens fideles, non in accusatiōe luxurie, aut non subditos. At reuerentiā*, quam filij parentibus & in vniuersum subditi præfectis debent, hac Græca voce non significatur. Vult ergo apostolus episcopum si liberos habeat, eos habere dicto audiētes, & quos spectata morū honestas, præcipue verò castitas, commendat. Observat Ambrosius hunc locum tractans, in epistola 22 ad ecclesiam Vercellensem, apostolum non dicere, *facientem filios*, sed *habentem*; ne ad procreandum filios videatur episcopus inuitari. Sequitur iam huius præcepti ratio.

SI QVIS AVTEM DOMVI SVÆ PRÆSSE NESCIT; QVOMODO ECCLESIAE DEI DILIGENTIAM HABEBIT? Græcè, *quomodo ecclesiam Dei curabit?* vel, *quomodo ecclesia Dei curam habebit?* Argumentum à maiore, id est, magis probabili. Nam longè facilius est familiam paucorum hominum regere, quam ecclesiam totius cuiuspiam ciuitatis aut regionis aut prouinciæ, in qua tanta est hominum, ingeniorum ac morum diuersitas. Tale est quod ab Æschine Græco oratore scriptum refert Stobæus in sermone de republica; Eum qui suam familiam non bene administrat; in communibus quoque reipublicæ negocijs similiter versaturum. Hic quæret aliquis, Si nulla sit patris culpa, quod filij sint infideles, luxuriosi, impudici, inobedientes; numquid arcebitur ab episcopatu? Sic omnino appareat; ne videlicet domesticum opprobrium redundet in ecclesiam Dei. Constituuntur enim hæc propter publicum ecclesiæ bonum. Et sanè præsumitur non bene regere domum suam, qui filios habet inobedientes, & scandalosè viuentes; qualiscumque demum ipse esse videatur. S. Hier. lib. 1. cō-

tra Pelag. c. 8. hunc Apostoli locum etiam de seruis domesticis intelligit: volens esse eiiciendos nisi honestè & Christianè uiuant.

6 NON NEOPHYTVM. Græcam vocem interpretes retinuit. Erasmus *nonicum* vertit, haud plenè reddens quod in Græco est. Nam *νεόφυτος* sonat *nuper insitum*. quo nomine vocabantur recens baptizati, quod à baptismo Christiani seu fideles censerentur. Multæ rationes adferri possunt, cur veter apostolus neophytum creari episcopum: veluti, quod nondum solidè doctus sit mysteriorum, quod constantia eius nondum probata, quod auctoritate destituitur; denique quod ea res inuidiæ sit obnoxia, si pretermittis veteranis nouicijs assumatur. Verùm apostolus vnam subiungit causam, eamque præcipuam;

NE IN SVPERBIAM ELATVS IN IVDICIUM INCIDAT DIABOLI. Interpretes periphrasi expressit, quod in Græco dicitur, *ne inflatus*. *Iudicium* Hebræo more dixit pro condemnatione seu pœna. Et sensus est, periculum esse neophyto in episcopum assumpto, ne nouo honore eoque apud Christianos primo turgidus ac sibi placens, ob superbiam incidat in eandem damnationis pœnam cum diabolo, id est, ne cum diabolo, qui *rex est super omnes filios superbia*, partem habeat in æterno gehennæ supplicio. vel plenius hoc modo: ne per superbiam à recta fide deficiens, honore excidat, & talento spoliatus detrudatur in gehennam; quomodo diabolus, cum per superbiam à Deo apostatarer, cælo deiectus est & æternis ignibus addictus. Erasmus pro diabolo vertere maluit, *calumniatorem*, tam in hoc loco, quam in eo qui statim sequitur, & *laqueum diaboli*, ut ad hominem possit vtrumque referri. Putat enim hunc esse sensum: Ne elatus in superbiam, pateat calumnijs hominum maledicorum, qui dicturi sint eum hoc consilio Christianismum appetiuisse, ut, qui inter suos humilis erat, inter Christianos honore præcelleret. Hæc Erasmi versio probatur Caietano, dumtaxat posteriori loco: Nam de priori nobiscum sentit. Refellit autem Erasmi interpretatio; primum, quia iuxta hunc sensum nihil attingebat dicere, *in superbiam elatus*: siue enim superbiat neophytus ad episcopatum euectus, siue non superbiat; obnoxius erit calumniæ memoratæ. Deinde, quia præter vsus scripturæ sacræ est ut *iudicium* pro calumnia, seu maledicentia sumatur. Tertio, quia laqueus diaboli quid significet, ipse apostolus declarat in secunda epistola cap. 2 dicens, *ut respiciant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur*. Accedit omnium interpretum veterum consentiens expositio; qui diabolum hic non alium quam dæmonum principem intellexerunt. Circa hoc apostoli præceptum, quæritur quomodo non illi repugnet ex-

empla

empla laudatissimorum episcoporum Ambrosij, & Nectarij; qui paulo antè catechumeni, mox baptizati, paucis diebus interpositis episcopi facti sunt. Fortè dicit aliquis, eos tunc non fuisse neophytos secundum mentem apostoli; ut pote loquentis de ijs qui recens ex gentilitate erant conuersi: Ambrosius autem & Nectarius multo tempore fuerant catechumeni, firmiter tenentes Christianæ fidei veritatem; sed baptismum differentes, ut illius sæculi mores habebant; proinde nec periculum fuisse ne per superbiam exciderent. Sed hæc responsio non conuenit; Nam vocabulum *neophyti* non catechumenis, qui nondum habebantur fidelium numero, sed recens baptizatis tribuebatur: per baptismum enim inferebantur corpori ecclesiæ, & ex eo vocabantur fideles; quantumvis antea diu fuissent catechumeni, & fidem Christianam probè edocti. Certè Hieronymus lib. 1 dialogi contra Pelag. cap. 8 dum ita scribit; Vult apostolus ut *non neophytus episcopus ordinetur*, quod videmus nostris temporibus pro summa cligi iusticia; respicit haud dubiè ad exemplum Ambrosij & aliorum similium. Erat igitur Ambrosius, Hieronymi iudicio, neophytus; quod & ipse de se Ambrosius non negat, sed in supradicta epistola excusat, his verbis: Quam resistebam ne ordinaret postremò, cum cogerer, saltem ordinatio protelaretur. Sed non valuit præscriptio; præualuit impressio. Tamen ordinationem meam occidentales episcopi, iudicio; orientales, etiam exemplo probarunt (de Nectario loquitur); & tamen neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit; vis cogentis est. Si non deest humilitas competens sacerdotio; ubi causa non hæret, vicium nõ imputatur. Hæc ille. Non igitur negandum est, Ambrosium neophytum fuisse ordinatum, quod ipse fatetur; sed dicendum, sicut in illa parte præcepti apostolici. *vnus vxoris vxorem*, dispensari potest, dum videlicet ex iusta causa conceditur ut digamus ordinetur; ita in hac parte dispensari posse, quando non subest periculum quod apostolus meruit, *ne in superbiam elatus* &c.; sed magis speratur ex eiusmodi ordinatione magnum ecclesiæ bonum; sicut factum est in Ambrosio & Nectario. Notandum est enim quod istarum conditionum episcopatum quas apostolus enumerat, quædam sunt per se requisitæ; in quibus proinde non est dispensandum; ut quod episcopus sit irreprehensibilis, sobrius, prudens, non vinolentus, &c. quædam requisitæ per accidens; quoniam si desunt, periculum vel suspicio mali ingeritur, vel certi mysterij significatio frustratur. Atqui potest amoueri tam suspicio mali quam periculum: Nam & digamus potest esse probatæ castitatis; & neophytus, à periculo superbiæ remotus.

quod ubi contingit, & magnum ex ordinatione speratur bonum; nihil vetat tales ordinari. Quæ eadem causa esse potest, ut significationem mysterij in quibusdam ecclesia negligendam putet.

7 OPORTET AVTEM ILLVM ET TESTIMONIUM HABERE BONVM AB IIS QUI FORIS SVNT. Id est, bene apud eos audire, ac bonæ famæ esse. Per eos qui foris sunt, intelliguntur qui extra ecclesiam sunt, & in ea nunquam fuerunt; quemadmodum ostendimus ad illud 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt, indicare?* Non enim omnino foris sunt qui per excommunicationem ab ecclesia separati sunt; aut sponte eam deseruerunt, ut hæretici & schismatici; remanent enim sub ecclesiæ potestate, licet inuiti. Non igitur ab hæreticis & schismaticis oportet episcopum habere bonum testimonium; ut qui contra catholicos episcopos studiosè soleant crimina confingere: sed ab infidelibus, nunquam fidem Christianam professis; qui quamuis dogma Christianum, quatenus adhuc infideles sunt, vizuperent; quod tamen ad mores & externam vitam conuersationem attinet, non malè loquentur de eo quæ nouerint inter ipsos innocenter & honestè vixisse. Non enim odio & malicia excæcati sunt, sicut illi ecclesiæ desertores. Cōducit hoc bonum testimonium ad eum finem, ut facilius infideles ad fidem adducantur; quamuis aliā hinc rationem subiiciat apostolus.

VT NON IN OPPROBRIUM INCIDAT, ET LAQUEVM DIABOLI. In opprobrium, Græcè, *in exprobrationem*: Et sensus est: Ne fideles qui eum ut episcopum suum honorare debebant, incipiant ei vicia vitæ prioris exprobrare; & per hoc, ille videns delectam esse vitam suæ antea actæ turpitudinem, despondeat animum; & ad vomitum redeat, ipsumque Christianismum per apostasiam abiciat cum magno ecclesiæ scandalo. Hoc enim est primum in opprobrium incidere, ac deinde in laqueum diaboli; quia occasione opprobrii & infamiæ publicæ, necitur ei à diabolo hæc mala consequentia. Cui rei non dissimilia, etiam hoc sæculo, vidimus exempla. Alij alios sensus adferunt; sed ut nobis videtur, minus commodos; quem dedimus, est ex Comm. B. Thomæ. Atque hucusque conditiones in episcopo requisitæ; in quibus nec diuitiarum, nec generis, nec potentia secularis meminit; ut discamus huiusmodi qualitatum, in episcopis constituendis, per se nullam omnino habendam esse rationem.

8 DIACONOS SIMILITER PVDCIOS. Ab episcopis ad diaconos transit, omnis presbyteris. Quos cur omittat, non eadem ab omnibus ratio redditur. Aërius quidam hæreticus dicebat hoc ideo factum ab apostolo, quod inter episcopum & presbyterum nihil interesset. Idipsum postea docuit Ioa. Wicleff, deinde Lutherus, & hodie sectarij ferè omnes, veterè hæresim, in Aërio damnatam,

fulci-

suscitantes. Nam inter hæreses eam sententiã numerant, & merito, Epiphanius, Philastrius & Augustinus; à qua tamen non multum recedere videtur commentator Ambrosianus, dum hæc rationem adfert, *quia episcopi & presbyteri una ordinatio est, cum sic uterque sacerdos*. Licet hîc author sententiam mitiget, addendo; *Sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus*. Alij respondent episcopi nomen tempore apostolorum fuisse commune cæteris presbyteris: quod ex alijs quibusdam scripturæ locis ostendi putant; vt Act. 20. Philip. 1. & Tit. 1. & propterea quæ de episcopo dicta sût, ad presbyterum etiam pertinere. Hæc responsio est Anselmi, Thomæ, & quorundam recitiorum: sed non videtur solida, quia licet presbyteri nomen etiam episcopis tribuatur in scripturis; non tamen è diuerso doceri potest episcopi nomen attributum simplici presbytero. Nam in scripturis allegatis, episcopus intelligi propriè & secundum vsum eius vocabuli in ecclesia receptum, nihil vetat; vt fais locis partim ostensum est, partim ostenditur. Huc facit quod de episcopo hîc loquitur in singulari, tanquam singulos tantum esse velit in singulis ciuitatibus: Nam postea descendens ad diaconos, pluraliter loquitur. Quæ res utique argumento est, hîc agi de episcopo iuxta receptam & ecclesiasticam eius vocabuli significationem. Alioqui, constat in vna ecclesia plures fuisse presbyteros etiam tempore apostolorum. Quod planè conuincit locus Iacobi 5: *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros ecclesia, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Quamuis enim vngendo infirmo vnus presbyter sufficiat; non tamen presbyteros ecclesiæ plurali numero diceret apostolus, si plures presbyteros vna ecclesia habere non posset; sicut habere non potest plures episcopos. Sunt alij, qui putent apostolorum tempore sub nomine episcoporum comprehensos fuisse, non quidem omnes omnino presbyteros, sed eos qui ab episcopis ad eiusdem diocesis vicos & oppida mittebãtur docturi plebem & sacramenta administraturi: quos nunc Cura animarum oneratos seu Parochos vocamus. Sed hanc sententiam non video qui probent, cum antiquitatis ecclesiasticæ historia nihil vsquam tale prodiderit. Plus longè probabilitatis habet Chryostomi responsio qua causam adfert omitti presbyteri, *Quoniam, inquit, inter episcopum atque presbyterum interest ferme nihil, quippe & presbyteris ecclesiæ cura permessa est; & qua de episcopis dixit apostolus, ea etiam presbyteris congruunt: sola namque ordinatione superiores illi sunt; atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur*. Hæc ille; ordinationem; intelligens ordinandi potestatem. Pro qua responsione notandum est, tempore primitiue ecclesiæ; propter paucitatem eorum qui ad presbyterium idonei essent, non fo-

lere plures ordinari presbyteros, quam qui ad ecclesias vnâ cum episcopis, sub eorum cura, regendas essent necessarij. Verum aliter adhuc, & ni fallor, probabilius respondet Epiphanius hæresi 75 aduersus Aerium disputans. Dicit enim, apostolos initio ijs ecclesijs in quibus adhuc pauci erant fideles, simul ob raritatem ministrorum, tantummodo episcopum attribuisse cum diaconis; quod per eos solos, sine presbyteris, ecclesiastica ministeria compleri possent. quicquid enim presbyter facit, & episcopus facere potest; et si non contrã. Cæterum diaconi ministerio episcopum carete nullo modo potuisse. & hanc esse causam, cur apostolus hoc loco, omiſsa mentione presbyteri, tantum de episcopo & diaconis loquatur. Ac sanè notum est ex historia antiquitatis, multas fuisse ciuitates episcopis attributas, quæ paucissimos haberent fideles. Vnde de Gregorio Neocæsariensi legitur quod eo tempore quo suscepit episcopatum, tantum septedecim habuerit in ea ciuitate fideles; quos utique sine presbytero regere perfacile poterat. Sed ad diaconos veniamus; quorum etsi officium fuerit eleemosynas à fidelibus oblaras suscipere, easque tam viduis quam alijs egentibus fratribus ac sororibus distribuere; quemadmodum pater Act. 6: non ea sola, nec præcipua, diaconorum functio erat; sed dependens ex alia maiore & sacratiore, qua nimirum episcopo siue presbytero ad altare ministrabant. Ibi enim fidelium oblationes, erogandas in pauperes, recipiebant: vt proinde coniuncta fuerint hac ratione ea duo officia, quam rem latius probare non est presentis instituti. Videantur quæ Ioan. Hesselius in hunc locum doctissime scripsit, & quæ nos de diaconorum officio commentati sumus in 4. sent. dist. 24. Etsi verò *diaconos* Græcis *ministrum* sonet; non tamen recentior quidam hoc loco vertere debuit, *ministros*; nihilo magis quam pro *episcopo*, *superintendentem* aut *inspectorem*. Nam hæc vocabula Græca, *episcopus*, & *diaconus*, instituta sunt ab apostolis, & perpetuò deinceps vsurpata ad certos in ecclesia gradus & officia significanda: quæ proinde retinenda sunt etiam Latinis. quod & ipse Erasmus, tum alibi, tum hîc fecit, in vtroque vocabulo; vt Philip. 1. Fortè etiam quærat aliquis, cur hypodiatonorum hîc nulla mentio fiat? Sed in promptu responsio est; aut eum ordinem tunc nondum fuisse institutum, in illa adhuc paucitate eorum qui ad sacra ministeria possent assumi: aut sub generali nomine diaconorum comprehendi. Nam quotquot initiati, sunt presbytero inferiores, quodammodo diaconi sunt, id est, presbyterorum ad sacra peragenda ministri: licet hi quoque suos inter se gradus habeant; siue à Christo Domino, siue (quod nobis est probabilis) ab apostolis eorumque successoribus, per officia distinctos: eo tamen

consti-

constituto, quod in ecclesia Catholica credendum est esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis presbyteris & ministris; vt definitum est in Synodo Tridentina sessione 23. can. 6. Quo loco, *ministris* dicere maluit Synodus, quam *diaconis*; ne gradus diacono inferiores, videretur excludere. Quam rationem si etiam Erasmus præ oculis habuit, dum aliquando hoc loco pro *diaconis*, *ministris* scripsit; non est cur reprehendatur. Dicit ergo apostolus, *Diaconos similiter pudicos*, scilicet, oportet esse. Vbi illud *similiter*, non admodum vrgendum est, quasi ad episcopum respiciatur, cui velit diaconos virtutibus esse similes. Nam Græcè non est *ὁμοίως*, *similiter*, sed *ὡσαύτως*, *itidem*, quod non parem vim habet cum *similiter*. *Pudicos*, Græcè *σεμνός*, quod variè vertunt; *honestos*, *graves*, *compositos*, *castos*. Hæc enim omnia Græca voce significari iam superius ostendimus ad illud, *cum omni castitate*; v. 4. huius.

NON BILINGVES. Græcè *διλόγως*, id est, duplices in sermone. Sic appellantur homines vani, futiles ac leues, in quorum verbis nulla est constantia; qui aliud stantes, aliud sedentes loquuntur, vt in prouerbio est. Alij significari putant dolosos ac simulatores, qui aliud corde gerunt, aliud ore proferunt. Vtrumque vicium in ecclesiæ ministris, quorum lingua debet esse organum Spiritus sancti, turpissimum est, eorumque ministerium valde dehonestat.

NON MULTO VINO DEDITOS. Ex eo quod de episcopo dixit, *non vinolentum*, & nunc de diaconis dicit, *non multo vino deditos*; non autem ait, *non ebriosos*, de quibus alibi contestatur dicens, quod *ebriosi regnum Dei non possidebunt*. 1. Corinth. 6. factis appareret minus esse vinolentia seu bibacitatis vicium quam ebriositas; nec omnes multo vino deditos esse ebriosos. Et tamen etiam hoc vicium, sicut ab episcopo, sic à diaconis remotum esse vult apostolus. Nam etiam si non se inebriant; tamen immoderata potatione redduntur animo languidiores, vt annotat post Theophylactum. Oecumenius. Quamquam huius præcepti rationem etiam aliam assignat Theodoretus; quod eos quibus diuinum creditum est ministerium, quique sacris astant altaribus, temulentia maxime dedecet. Cuius rei significandæ gratia, in veteri lege prohibiti fuerunt sacerdotes, ne vinum & omne quod inebriare potest, biberent, quando tabernaculum testimonij erant ingressuri. Leuit. 10.

NON TURPE LVCVRVM SECTANTES. Græcum vocabulum *αισχροκερδείς*, quod interpretès vertit, *turpe lucrum sectantes*, & 1. ad Titum, de episcopo, *turpis lucri cupidum*; compositum est ex *turpi* & *lucro*. Pro quo Erasmus vertere maluit, *turpiter*

lucris cupidus, aut *turpiter lucro deditos*; vt in vniuersum ab episcopo & diaconis remoueatür lucri cupiditas. sentit enim Paulus, inquit in annot. epistolæ ad Titum, omne studium lucri scdum esse sacerdoti. Persistit in eo dum 1. Pet. 5. eiusdem vocabuli aduerbium, pro quo nos habemus, *turpis lucri gratia*; vertit, *turpiter affectantes lucrum*. Atqui in vocabulo Græco non potest turpitudine ad studium seu cupiditatem referri, vt pote ibi non nominatam; sed necessariò referenda est ad lucrum; quasi dicas vno nomine, *turpilucros*, tametsi Plautus in Trinummo; tricompositè dixit, *turpilucricupidum*. Prohibet ergo apostolus ne diaconi turpe lucrum aut sectentur, aut cupiant, aut omninò accipiant. Neque dicunt iniustum, quale est vsurarium lucrum; sed *turpe*, quale, si quis ex re sordida quæstum faciat. quod quidem auariciæ signum est, dum quis, posthabita dignitate, lucrum capit ex re qualibet. Syrus vertit, Neque ament lucra turpia. Potest exponi *turpe lucrum*, turpiter & auarè quæstum; etiam ex re honesta. Nam loco huius supra inter qualitates episcopi dixit, Non cupidum, seu non auarum. Confer Tit. 1 & 1. Pet. 5. ibi, *Non turpis lucri gratia*. Optionem lectori relinquimus.

HABENTES MYSTERIVM FIDEI IN CONSCIENTIA PVRA. Quidam, *mysterium fidei*, interpretantur id quod de fide est alijs occultum: tanquam à diaconis exigatur: vt non tantum habeant fidem quam habere debent omnes Christiani; verum etiam teneant fidei mysteria, id est, arcana alijs incognita; vel certè vt plenior eorum rerum quæ ad fidem pertinent, intelligentiam sint adepti. Catharinus intelligi putat *mysterium fidei* quod à sacerdote nominatur in consecratione calicis Domini; hoc est, ipsum Domini sanguinem; quem olim diaconi solent porrigere fidelibus, vt constat ex Cypriano sermone de lapsis, & Ambrosio libr. 1. Offic. cap. 41. & aliunde. Hoc enim tremendum ac sacratissimum mysterium puram conscientiam requirit eorum à quibus tractatur ac ministratur. Refert hunc sensum etiam Hesselius, sed examinandum relinquit lectori. Nobis simplicior ac germanior sensus esse videtur, quem communiter Græci ac Latini veteres tradunt. Is eiusmodi est: Habentes fidem mysteriorum Christianæ religionis, hoc est, fidem Christianam, coniunctam cum pura conscientia; id est, cum animo sincero ac beate sibi conscio. Nam apostolus more suo præter fidem exigat charitatem & conscientiam bonam. Itaque non amplius hîc exigitur à diaconis, quam à Timotheo illis verbis cap. 1. *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*. Vnde & hic locus ostendit posse fidem

haberi sine conscientia pura: quod hodie se-
ctarij negant.

10

ET HI AVTEM PROBENTUR PRIMVM.
Quemadmodum, inquit, episcopum eligi vo-
lo, non neophytum, sed multo tempore pro-
batum; ita & diaconi prius probentur quam
ad hoc ministerium assumantur. *Probationem*
intellige constantis fidei, & vitæ
inculpatae; præsertim quod diaconis etiam
dispensatio thesaurorum ecclesiæ commit-
teretur.

ET SIC MINISTRENT NULLVM CRIMEN
HABENTES. In Græco ad verbum ita legitur:
Deinde ministrent irreprehensibiles existentes.
Quod duobus modis exponi potest; vel, ut in
suo ministerio exhibeant se irreprehensibiles.
quem sensum dedit Erasmus dum ita vertit:
*Deinde ministrent sic ut nemo possit illos crimi-
nari.* Vel sensus est; Prius probentur: deinde
ministrent postquam probati fuerint & irre-
prehensibiles inuenti. Hunc sensum reddit
alia versio, *si sint irreprehensibiles.* Atque ita ex-
ponunt post Theophylactum Caietanus &
Salsboldus: idque conuenientius. Nam sicut
episcopum Apostolus assumi noluit, nisi
prius probatum ac repertum irreprehen-
sibilem; ita & nunc de diaconis statuit. *Ir-
reprehensibiles* autem intelligit eos qui nul-
lo notabili vicio laborent, de quibus ne-
mo iure conqueratur; quibus nullum cri-
men possit impingi. Quamuis enim non
idem in Græco vocabulum sit hic & super-
ius, vbi de episcopo agebatur; res tamen
eadem significata est. Quod patet ex epi-
stola ad Titum, vbi de episcopo loquens
vise est eodem vocabulo quod hic attribuit
diaconis. Tertium vocabulum eiusdem si-
gnificationis habetur Lucæ 1. Philipp. 2. & 3.
1. Theff. 2. & alibi; quod interpret vertere
solet, *sine querela.* Quod verò dicit, *Et sic mi-
nistrent;* non sic intelligendum quasi ad of-
ficium diaconi exercendum nihil amplius
requiritur; opus est enim ordinatione seu
manus impositione, per quam, ut ait Theo-
doretus, gratiani spirituales consequantur.
Huius autem non meminit apostolus, quod
scriberet ad episcopum, qui sciebat nemi-
nem nisi ab episcopo ordinatum, diaconum
fieri posse. Nam & primis septem dia-
conis manus ab apostolis impositæ fuerunt,
Act. 6.

11

MULIERES SIMILITER PVDICAS, scilicet
oportet esse. *Pudicas* autem, Græcè *συνήεις*,
id est, graues, modestas, castas. De cuius vo-
cis significatione satis iam dictum est. Sed
quæritur de quibus *mulieribus* loquatur.
Ambrosianus in genere de omnibus dictum
putat. Sed hunc generalem commentarium
contextus ipse sermonis apostolici, qui
proprie de ministris ecclesiæ institutus e-
rat, respuit. Nam & statim post de diaconis
sermonem refertur. Quo argumento
etiam Chrysostomus rejicit hunc intelle-
ctum. Existimat autem apostolum loqui

de mulieribus quæ ministerij dignitate præ-
ditæ erant, & diaconæ seu diaconissæ vo-
cabantur. Chrysostomi sententiam cæteri
Græci sequuntur, nec non Latini plerique
vetustiores; qui & consuetudinis Orientalis,
qua mulieres eiusmodi vocabantur *Diacon-
issæ*, meminerunt. Earum verò quæ fue-
rint officia, latè describit Epiphanius hære-
si 79. quæ est Collyridianorum. Sciendum
est enim quosdam hæreticos ex hoc apostoli
loco erroris occasionem captasse, ut quia
continuè post diaconos de mulieribus lo-
quitur; etiam ipsas dicant diaconas ordi-
nari debere. Hi Cataphryges erant & Col-
lyridiani. De illis Ambrosianum consule in
commentario, & Eusebium libro 5 histo-
riæ ecclesiasticæ capit. 14. De utrisque Epi-
phanium, Philastrium & Augustinum in
catalogo hæreseon. Ab his quidem diuer-
sæ erant Orientales diaconissæ quas dixi,
nimirum à Catholicis episcopis institutæ &
certis ministerijs deputatæ, etiam cum ali-
qua benedictione episcopali; sed & ipsæ
tandem propter ambitionem & arrogan-
tiam, qua sibi in clero partem aliquam,
tanquam laicæ non essent, vindicare vole-
bant, abrogatæ. De quibus videatur Hesse-
lius. Porro tales in ecclesia primitiua fuisse
videntur quædam, quarum in Paulinis epi-
stolis mentio est; Rom. 16. & Philip. 4. Phæ-
be, Prisca, Maria, Tryphæna, Tryphosa,
Euodia & Syntyche; quarum Phæbe etiam
expresso nomine *διακονῆ τῆς ἐκκλησίας*, in
Græco vocatur. Verum, si de talibus fœmi-
nis apostolus loqueretur; vtiq; officij seu
ministerij titulo eas designasset, perinde vt
episcopum & diaconos, de quibus iam locu-
tus est. Itaque probabilis est vt de vxoribus
prædictorum, scilicet episcoporum & dia-
conorum hæc pars accipiatur: cum enim eos
vxoratos admittat, putauit etiam de vxori-
bus præcipiendum, quales esse debeant;
quemadmodum & de filijs præcepit, dicens:
filijs habentem subditos cum omni castitate.
Nam sicut arcendus est ab episcopatu, qui
propter filios malè audit; ita & qui pro-
pter vxorem, si vel impudica sit, vel obre-
ctatrix, vel vinosa, vel non probæ fidei. Sic
exponunt post glossam interlinealem, Pe-
trus Lombardus, Aquinas, Caietanus, alij-
que neoterici. Vnde nec planè improban-
dum quod Erasmus non *mulieres*, sed *vxores*
vertit; cum Græca vox *γυναῖκες* anceps sit ad
vtrumque: sed rectius vertisset *mulieres*, quod
similiter est anceps.

NON DETRAHENTES. Græcè *μη διαβόλους*,
id est, non calumniatrices; quod & Syriacus in-
terpres reddidit. Ambrosianus legit, *non stu-
dentes discordiæ.*

SOBRIAS. Hentenius *vigilantes* vertit.
Atque in eum sensum accipiunt Theophyla-
ctus & Oecumenius. Quoniam enim, inquit,
facile decipitur mulierum genus; idcirco
vigilantes & prudentes esse eas oportet.

Theo-

Theodoretus *sobrius* intellexit; quod magis
huic loco conuenit. Idem vocabulum est in
conditionibus episcopi, vbi & geminum eius
significatum exposuimus.

FIDELIS IN OMNIBVS. Id est, veritatem
& iusticiam in omni negotio sibi commissio,
seruantes; ac neminem defraudantes, nihil
furtiuites. Hoc ideo fortasse monet, quia
penes earum maritos episcopos ac diaconos,
custodia erat pecuniæ in pauperes dis-
pensandæ.

12

DIACONI SINT VNIVS VXORIS VIRI.
Quem dicat *vnus vxoris virum*, expositum
est supra. Rationes præcepti eadem quæ
in episcopo: Moralitatem quidem, quoniam &
ecclesiæ diaconum oportet esse extra suspi-
cionem incontinentiæ; Mystica verò, quia &
in diacono sacram significationem spectat a-
postolus. Nam & Christus Dei patris *diaco-
nus*, id est, minister fuit, Rom. 15. Atque ea in
re Christum diaconus repræsentat. Vnde
Ignatius in epistola ad Trallianos: Quid sunt,
inquit, diaconi, nisi imitatores Christi, mini-
strantes episcopo, sicut Christus patri; & ope-
rantes illi operationem mundam & immacu-
latam? &c. Sicut ergo Christus pro vnica
sponsa ecclesiæ seruiuit patri; sic & dia-
conum vnus dumtaxat vxoris virum esse
oportet.

QVI FILIIS SVIS BENE PRÆSINT ET
SVIS DOMIBVS. *Domos* intelligit familias:
quo nomine præter liberos etiam vxores &
famuli comprehenduntur.

13

QVI ENIM BENE MINISTRAYERINT,
GRADVM BONVM SIBI ACQVIRES. Græcè
& Syriacè, *acquirunt*, tempore præsentis;
quemadmodum & Ambrosianus legit. Dia-
conos ad bene ministrandum incitat, spe gra-
dus altioris ac melioris. Quod si, inquit, *bene
ministraverint*, id est, diaconatus officio be-
ne functi fuerint; viam sibi parabunt ad gra-
dum maiorem & honoratiorem, nempe pres-
byterij, vel etiam episcopatus. Hic enim fru-
ctus, inquit Caietanus, suapte natura sequitur
bonam administrationem inferioris officij.
Sensum hunc plerique reddunt tam Græci
quam Latini; nec malè. Nam verisimile est
apostolum respicere ad quosdam altioris gra-
dus appetentes; quorum causa dixit: *Qui
episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*
Hos submonet vt prius in inferiori gradu be-
ne ministrent; ita futurum, vt superiore loco
dignos se probent. Qua in re accomodat
se apostolus humanis affectibus; ne quis
hinc consequens putet quod liceat episco-
patum appetere. Facit etiam hic locus ad
ostendendum diaconos habuisse partem a-
liquam in ministerio verbi, & non ad sol-
lam pauperum curam ab apostolis institutos
fuisse, sicut aduersarij volunt; multi enim
ad hoc munus apti sunt, & in eo bene &
cum laude versari possunt, qui tamen ad
gradus ecclesiasticos presbyterij atque epi-
scopatus inepti sint; vt pote scientia re-

rum diuinarum alijsque donis destituti, quæ
presbyteris & episcopis, illo præcipuè tem-
pore, erant necessaria. Sunt qui *gradum
bonum* interpretentur de profectu & ac-
cessione donorum salutarium. Sunt alij
qui sic exponunt; *Gradum bonum*, id est,
valde egregium *sibi acquirunt*; scilicet in re-
gno calorum: iuxta illud Marth. 25. *Quia
super pauca fuisti fidelis, super multa te con-
stituram.* Verum vt ista per gradum bo-
num in scriptura sacra significantur, inue-
nitur est.

ET MVLTAM FIDVCIAM IN FIDE QVÆ
EST IN CHRISTO IESV. *Fiduciam*, Græcè
πίστιαν. Quæ vox apud apostolum frequens
est. Significat autem libertatem ingenuè a-
gendi, quam parere solet mens conscia recti.
Ambrosianus interpretatur fiduciam impe-
trandi à Deo postulata per fidem in Christu:
de qua Ioannes apostolus 1 ep. 3. *Si cor no-
strum*, inquit, *non reprehenderit nos; fiduciam
habemus ad Deum, & quicquid petierimus, acci-
piemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus,
& que sunt placita coram eo, facimus.* & cap. 5.
*Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia
quodcumque petierimus secundum voluntatem
eius, audit nos.* Hanc impetrandi fiduciam,
orationis vsu & experimento acquisitam, in
episcopo requirit Gregorius, parte 1 curæ pa-
storialis cap. 10. Alij non minus probabiliter
apostolum exponunt de fiducia seu libertate
qua quis vitur erga homines; nimirum do-
cendo, admonendo, corripiendo, increpan-
do; idque secundum doctrinam fidei quæ est
in Christo. Cuiusmodi fiducia commendatur
in Stephano diacono Act. 6 & 7. quam & à
Timotheo & Tito passim, epistolis ad eos scri-
ptis, Paulus exigit. Eiusmodi fiduciam gignit
vita inculpata, morumque integritas. Huc vs-
que de episcopo & diaconis. Vbi quæri potest
cur apostolus inter alia quæ in episcopo &
diaconis requirit, nullam fecerit mentionem
administrationis sacramentorum, nullam alta-
ris, & sacrificij quod episcopus offerre, & cui
diaconus assistere debet; nullam denique cæ-
remoniarum quibus in episcopi, presbyteri &
diaconi ordinationibus vtendum. Sed prom-
pta responsio est; Apostolum de his omnibus
nihil præcipere: Primum, quia faciliora sunt
hæc, atque aded minora, si vniuersum epi-
scopi & diaconi officium attendatur. Non
enim, vt vulgus hominum putat, in hoc præ-
cipuè consistit episcopalis aut pastoralis cura,
vt sacri ordines suis temporibus conferan-
tur, ecclesiæ consecrentur, baptizati confir-
mentur; vt cætera sacramenta, quando &
quibus oportet administrantur; ac sacrificium
missæ pro viuis & defunctis offeratur: sed
præcipuum episcopi & cuiuslibet animarum
pastoris munus est prædicatio verbi Dei, re-
ste etiam apostolo, qui ait 1 Corinth. 1. *Non
misit me Christus baptizare, sed euangelizare.*
Sub hoc autem euangelizandi officio, compre-
henduntur publicæ ac priuatæ exhortationes,

X 2

admo-

admonitiones, correptiones; & ad Deum pro salute gregis commissi frequentes & feruenter orationes. Altera ratio est, quia ad prudentiam apostolicam pertinebat, caeremonias ac ritus sacramentales & ea maxime quae in mysterio Missae aguntur, diligenter occultare; ne quo modo proferrentur in publicum, atque infidelibus proderentur. Quo consilio, etiam Lucas Act. 6 commemorans institutionem septem primorum diaconorum, prorsus tacet de altaris mysterio; tantumque describit officij diaconalis eam partem, quae etiam spectantibus infidelibus, exerceri poterat: quale est, viduis ac ceteris indigentibus erogare necessaria. Non ergo debuit apostolus ea quae in episcopi & diaconorum ordinatione & officio secretiora sunt, ac proinde sola traditione, sine scripto, discenda erant; literis in charta exaratis, quae ab vnoquoque legi possent, & in manus infidelium facile venirent, vlla ratione committere.

HÆC TIBI SCRIBO. Quod in quibusdam libris additur, *fili Timothee*, Græca & Syra exemplaria non agnoscunt, vti nec mss. Latina probatiora, denique nec editio Clementina.

SPERANS ME AD TE VENIRE CITO; scilicet Ephesum, vbi Timotheus erat. Non promittit, sed sperat; tanquam incertus, vt annotant Græci. Nesciebat enim an Spiritus-sanctus, à quo profectio eius dirigebatur, permissurus esset ipsum redire Ephesum. Nec sanè apparet rediisse; nisi quatenus postea presbyteros Ephesinæ ecclesiae Miletum ad se euocauit, vt scribitur Act. 20. Qui epistolam hanc scriptam putant è Phrygia, facile probant Paulum rediisse Ephesum: Nam Actorum 18 Phrygiam perambulat, & & cap. 19 Ephesum reuertitur. Verum non è Phrygia, sed è Macedonia, postquam secundò reliquerat Ephesum, scriptam esse epistolam; ostendimus in eius argumento.

SI AVTEM TARDAVERO, VT SCIAS QUOMODO OPORTEAT TE IN DOMO DEI CONVERSARI. Pronomen *te*, nec in Græco legitur, nec in Syriaco. Est enim hic apostoli sermo non ad Timothei personam restrictus, sed absolutus, quem sic explicare possumus: Hæc de singulorum officijs tibi perscribo, non quasi ipse non sim ad vos rediturus; Imò spes est fore vt breui ad te reuertar: sed, si tardius venero, aut fortè omnino non venero; vt interim notis quemadmodum versari oporteat in domo Dei; id est, quales esse, & quomodo viuere debeant in domo Dei, qui in eius ministerio à te constituentur, scilicet episcopi & diaconi. Nam de mulieribus, id est, vxoribus eorum, quales esse debeant, propter ipsos additum est. Si quis tamen, cum Theophylacto, voculam *te* suppleendam putet, vt moneatur ipse Timotheus quemadmodum in domo Dei gubernanda ac bonis ministris instruenda versari debeat;

sensum attulerit non minus probabile: quem & Latini plerique reddunt, & interpretes Ambrosianus ita expressit: Vt scias quomodo ecclesiam ordines, quæ est domus Dei viui. Porro quam *domum Dei* dicat apostolus, ipse consequenter exponit,

QUÆ EST ECCLESIA DEI VIVI. Græcè *viuentis. Ecclesiam Dei* vocat *domum Dei*; domum quidem, propter aptam fidelium tanquam patium inter se ordinationem; Dei verò, quia Deus in illa colitur, eamque per gratiam suam inhabitat. Alludit autem ad templum Iudaicum; quod suos habebat sacerdotes ac Leuitas, quibus præscriptum erat, quomodo ad illius templi ministerium aptare se deberent. Itaque significat, ab ijs qui ministrant in ecclesia Dei, tanto maiores ac veriores virtutes requiri, quanto corpus vmbra, & veritas figuram antecellit. Addit autem Deo epitheton *viuentis*, quo distinguat eum à falsis dijs: qui aut nunquam vixerunt, vt astra, metalla, lapides; aut mortales fuerunt, vt homines; aut viuunt quidem, sed sic vt eis melius esset non viuere, vt dæmones. Apposito verò *ecclesiam Dei viuentis* nominat, propter effectum, quòd in illam à Deo peculiariter ac propriè vita influat. Ea vita est, Deum cognoscere & amare, quomodo cognoscendus & amandus est. Hic apostoli locus euidenter ostendit, id quod hæretici negant, ecclesiam Dei visibilem esse & commonstrari posse; perinde vt domum aut familiam principis alicuius, ad quam ministri certis officijs præficiendi vocantur. Vnde commentator Ambrosianus, Ecclesia domus Dei dicitur, inquit; cuius hodie rector est Damasus.

COLVMNA ET FIRMAMENTVM VERITATIS. Transitus apostolus à doctrina morum ad institutionem fidei, aduersum hæreses muniendæ, duo quædam velut fundamenta præstruit; alterum de autoritate ecclesiae, alterum de mysterio Verbi incarnati. Ad declarandam ecclesie auctoritatem faciebant quæ dixit, nempe quod sit *domus Dei*, quod *ecclesia Dei viui*; quibus non contentus, addit & hunc præclarum titulum, quod sit *columna & firmamentum veritatis*. sed quia metaphoricus est hic sermo, querenda est eius intelligentia. Pro *columna* Græcè est *στυλή*, quæ vox etiam graphium significat, hoc est, instrumentum scriptorum, quo solent antiquitus scribere in tabulis ceratis. Latini ex Græco *stylum* vocant. Hac significatione dici potest *ecclesia stylus veritatis*; quia per eam, velut per instrumentum certissimum, Deus doctrinam veritatis inscribit cordibus hominum. Verum longè vtitur Græco vocabulo *columnam* significari; quomodo idem apostolus ea voce vtitur Galat. 2, de quibusdam dicens: *qui videbantur columna esse*. Et quidem ea significatio præsentem loco magis con-

gruit; præsertim quia pro explicatione sequitur, & *firmamentum veritatis*. Nam pro *firmamento*, Græcè est *ἐδραίωμα*, id est, *fulcimentum*, seu *stabilimentum*, vt alij verterunt. Est enim vox diuersa ab ea quæ initio Genesis & alibi habetur apud LXX, nimirum *στέγωμα*. Pro qua Latini passim firmamentum legunt, licet Hebræa vox expansionem significet. Sensus igitur apostoli est; Ecclesiam esse columnam & fulcimentum veritatis; quia sicut columna supposita sustentat, firmat & fulcit ædificium, ne corruat; ita ecclesia veritatem, hoc est, doctrinam fidei Christianæ, sibi conceditam sustentat & conseruat ne corrumpatur aut pereat; vt si quis veritatem querat, non alibi certius quàm in ecclesia quæ firmissima basis & certissima custos est veritatis, eam sit reperturus. Hunc sensum præter Catholicos commentatores etiam Pelagius dedit; Nam post hæc verba, *columna & firmamentum veritatis*, pro scholio subiicit: *In qua sola veritas stat firmata; qua sola sustinet ædificium*. Hinc iam manifestè liquet contra nostri temporis hæreticos, ecclesiam Christi, eamque visibilem, in qua sunt episcopi, presbyteri, diaconi per Timotheum aliosque apostolorum successores ordinati, & in qua Petri, Damasique successor præsidet; in doctrina fidei errare non posse; & proinde veritatem huiusmodi doctrinæ ab ea petendam esse: Id quod inter alios copiose docet & declarat apostolicus scriptor Irenæus libro 3. contra hæreses cap. 3 & 4. Et lib. 4. cap. 63. Liquet etiam, generale concilium à Petri successore confirmatum, in ijs quæ fidei sunt errare non posse. Cum enim eiusmodi concilium ecclesiam repræsentet, & ab eo omnes alij fideles doctrinam salutis accipere debeant; vtique consequens foret, tam in præcipuis membris quàm in minoribus ecclesiam errare, si eiusmodi Concilium erraret. De eadem re consule Ioannem Hesselium commentantem in hunc locum. Sed quæres vnde ecclesia habeat quod sit columna & firmamentum veritatis? Respondeo id eam habere à Christo, per promissiones infallibiles ipsi ecclesiae & Petro capiti eius factas; quas hoc loco non opus est commemorare. Rursum quæres, quomodo ecclesia sustentet veritatem; cum ipsa potius per veram doctrinam sustentetur & contineatur? Sed facilis est responsio nihil hæc pugnare, sed alterum esse alterius causam: Per hoc enim ecclesia veritatem sustentat, alijsque indefectibiliter ministrat, quoniam ipsa, iuxta promissiones sibi factas, in veritate firmatur à Deo, & per eandem veritatem conseruatur. quam rem pulcre explicat Beda super illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*. Atque id ipsum satis indicant Græcorum commentarij in præsentem locum.

16

ET MANIFESTE MAGNVM EST PIETATIS SACRAMENTVM. Manifestè, Græcè *ἰσχυρῶς*, id est, *confessus*; quod Erasmus

& alij verterunt, *citra controuersiam*. Ambrosianus interpres sententiam ita reddidit: *Et quidem omnium confessione magnum est pietatis mysterij sacramentum*. Quia dixerat apostolus ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis; ipsam nunc veritatem, quæ sit, explicat, scilicet eius doctrinæ, quæ est de mysterio Dominicæ incarnationis; non quòd hoc solum doceat ecclesia, sed quòd in eo præcipuè consistat religio Christiana; vt proinde etiam in eo præcipuè versetur ecclesiae doctrina. Nam pauca verba, Deus homo; sed quibus summa religionis nostræ concluditur. Eam doctrinam vocat *mysterium*, id est, *arcanum* (quod noster interpres vertit *sacramentum*) non quia iam latebat; testatur enim ipse apostolus confessum & manifestatum esse & creditum in mundo: sed quia à sæculis absconditum fuerat, & alijs retrò generationibus incognitum; vt idem apostolus loquitur, Ephes. 3. Quanquam & nobis, quibus manifestatum est, adhuc mysterium dici potest; tum quia non potuit nobis innotescere nisi per reuelationem Spiritus-sancti, *Nobis enim reuelauit Deus per Spiritum suum*, ait apostolus 1 Cor. 2; tum quia hoc ipsum quod cognoscimus, magis admiramur quàm intelligimus. Natiuitas enim Domini nostri Iesu Christi, superat omnem intelligentiam, teste Leone sermone 10 in Natali Domini. *Magnum* verò *mysterium* dicitur, quia de re magna. *Pietatis autem mysterium*; quia vera pietas & religio qua Deus colitur, in huius mysterij fide potissimum fundata est. Quod contra Iudaizantes aliosque hæreticos dicitur, qui veram pietatem extra Christum sibi vendicabant, Nonnulli pietatis sacramentum interpretantur, in quo Deus suam declarauerit pietatem, id est, pium ac benignum affectum erga genus humanum: Sed repugnat vocabulum Græcum *ἱεροτέλεια*, quo pietas hominis Deum colentis significatur, nunquam verò pietas seu benignus affectus Dei erga hominem. Porro magnum hoc pietatis sacramentum sequentia verba particulatim explicant.

QUOD MANIFESTVM EST IN CARNE. Græci codices, suffragantibus etiam Græcis expositoribus constantè legunt, *Deus manifestatus est in carne*. Similiter & cætera quæ sequuntur, ad Deum referunt. Consentit & Syriaca versio, quæ sic habet: *Et verè magnum est mysterium hoc iusticia, quòd Deus reuelatus est in carne* &c. Veruntamen tam Latini quàm Græci in eo conueniunt quòd partem hanc cum sequentibus in Christi personam interpretentur. Et quidem secundum Græcam lectionem locus hic aperte Christi deitatem astruit. Vnde & olim Nestorianus quidam Macedonius tentauit hanc apostoli sententiam additione seu mutatione quadam corrumpere, quemadmodum refert Liberatus diaconus in breuiario suo cap. 19. *Caro, synecdochicè naturam significat*

humanam, ut alibi sæpe; cum quadam tamen insinuatione mortalitatis, infirmitatis, ac miseræ. Sic enim Apostolus de Christo dicit Heb. 5. *Qui in diebus carnis suæ* &c. quasi iam non sit amplius in diebus carnis; & de seipso, Gal. 4. *Tentationem vestram in carne mea non spreuistis.* Sensus igitur apostoli est: Deum in humana natura, eaque miseris obnoxia, à se assumpta, palam ab hominibus visum, & cum ijs conuersatum esse: iuxta illud, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; & vidimus gloriam eius* &c. Quod verò ad lectionem Latinorum attinet; plerique *mysterium quod manifestatum est in carne*, Christum incarnatum interpretantur: videlicet *mysterij* nomine Christum ipsum intelligentes metonymicè, quia *mysterium* de Christo est, ut obiecto; itemque voculam *quod* exponentes relatiuè ad *mysterium*. Verum fortassis interpres *quod* accepit ut est cõiunctio determinatiua, velut ibi: *Scio quòd redemptor meus uiuit*: ut sensus sit, Magnum esse pietatis sacramentum, quòd Deus, aut Christus, aut Verbum Dei, manifestatum sit in carne. Sciendum est enim, *pro manifestatum est*, in Græco verbum esse ἐφανερόν, quod omni generi seruit. Et quamuis apostolus hoc loco non addidisset suppositum, *Deus*, quod habetur in Græco; tamen ex præcedentibus intelligendum ac suppleendum videretur: nam præcedit, *pietatis sacramentum seu mysterium*, quod de Christo plerisque accipere iam diximus. Coniecturam hanc nostram de coniunctione *quod*, confirmat textus Syriacus supra citatus. Iam quod monui de verbo Græco *manifestatum est*, in differente ad omne genus; eque locum habet in sequentibus, *iustificatum est, prædicatum est, creditum est, assumptum est.*

IUSTIFICATVM EST IN SPIRITU. Deum hominem id est, *Christum, in spiritu iustificatum* intelligunt quidam hoc sensu, quia sicut de Spiritu sancto conceptus est; ita ab initio conceptionis à Spiritu sancto iustus & sanctus fuit effectus, adeo ut nullum unquam peccatum habuerit aut fecerit. Sed hic commentarius duplici ratione displicet. Primum, quia *iustificari* pro eo quod est iustum fieri, nusquam alibi Christo attribuitur, sed passim nobis per Christum. Deinde, quoniam etsi Christo tribueretur; nihil tamen singulare de Christo significaret, cum sit omnibus hominibus iustus commune quod sint iustificati, id est, iusti facti in spiritu. Nam quod addunt, ab initio conceptionis, & ita ut nunquam peccauerit; in iustificationis ratione non continetur. Rectius igitur alij, tã Græci quam Latini, *Christum iustificatum in spiritu* interpretantur, quia per spiritum declaratus est iustus & verax in operibus & doctrina; atque ab omnibus Iudæorum calumnijs absolutus. Nam in scriptura frequentissimum est *iustificari* pro eo quod est iustum declarari, & in iudicio absolui. Ita Christus iustificatus est in spiritu, multipliciter; vt per testimonia di-

uinis exhibita in eius natiuitate, & baptismo, & alijs; sed præcipuè per innumera miracula quæ fecit virtute Spiritus sancti; iuxta id quod ipse ait: *Si ego in spiritu Dei eicio demones.* Matth. 12. Hic modus iustificationis, secundum scripturam Deo conuenit: Vnde ei dicitur psal. 50. *Et iustificeris in sermonibus tuis.* Quod pertinet & illud psalm. 18. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Sed potissimum huc facit quod in euangelio legimus, *iustificatam esse sapientiam ab omnibus filiis suis;* scilicet aduersus calumnias obrectantium, Matth. 11 & Lucæ 7. Quo etiam posteriore loco disertè dicitur, quod populus & publicani iustificauerunt Deum, Phariseis & legisperitis consilium Dei spernentibus. Hoc igitur breuius & obscurius hic à Paulo dictum est, quod plenius & clarius expressit Petrus Act. 2. dicens: *Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigijs; & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis.* Hæc nimirum est illa Christi iustificatio quam in eius persona iam olim prædixerat Isaias cap. 50. *Iuxta est qui iustificat me: quis contradicet mihi?*

APPARUIT ANGELIS. Græcè & Syriacè; *Visus est angelis*, Ambrosiano textu astipulante. Sensus est, Deum hominem ab angelis visum fuisse; quem antea non viderant: ut etiã in angelos competat quod de hominibus à Christo dictum; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Lucæ 10. & de quo Ioannes, in persona apostolorum, sibi gratulabatur, dicens: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre.* Viderit autem angeli Deum hominem oculis intellectualibus, non solum quando conspexerunt nascentem, esurientem, docentem, miracula facientem; probra, verbera, vulnera patientem vsque ad supplicium & mortem crucis; denique resurgentem, & super omnes caelos ascendentem: verum etiam quando postea clarè per rerum euidentiã, cognouerunt fructum incarnationis & passionis eius, in vocatione & conuersione gentium. De hoc enim mysterio angelis patefacto, sic loquitur apostolus Ephes. 3. *Ne innotescat principibus & potestatibus in caelestibus, per ecclesiã, multiformis sapientia Dei.* Atque hæc sententia nostræ religionis arcana, in quæ desiderant angeli prospicere 1 Pet. 1. Locum hunc Ambrosianus commentator de malis angelis, id est, dæmonibus, ab errore conuersis, intellexisse videtur. Sic enim habet: *Ut agnoscentes angeli mysterium quod prius latuit, declaratum in carne, genuisti stectentes, quasi Deo gratias agant, quia didicerunt veritatem quæ gentibus prædicata est, ut ab errore liberarentur.* Quamuis enim hoc quod dicit *ut ab errore liberarentur*, referri possit ad gentes; tamen potius ad angelos referendum, si conferatur cum eiusdem authoris commentario super illud Eph. 3. *Ut innotescat principibus &c.* Vbi similia manifestè dicit de angelis malis; quod & nos eo loco admonuimus. Est enim error cauendus,

& ad

CAPVT IV.

SPIRITVS AVTEM MANIFESTE DICIT. Egit apostolus cap. 1. huius epistolæ contra Iudaizantes: hic verò, post stabilitam ecclesiæ auctoritatem, & breuiter expositum magnum pietatis mysterium, velut præcipuum Christianæ religionis fundamentum; iam instruit ac præmunit Timotheum atque in eo totam ecclesiam aduersus hæreses quasdam exorturas, Iudaismo quidem aliqua ex parte similes, at simpliciter deteriores. *Spiritus sanctus*, inquit, futurorum præscius, dicit & annunciat, siue per me siue per alios quos inspirauit; *Dicit*, inquam, *manifestè*, Græcè ἐπιφανῶς, id est, expressè, disertè, planè; ac sine ænigmate. vocabulum diuersum ab eo quod itidè paulò antè vetterat interpres, *manifestè*.

QVIA IN NOVISSIMIS TEMPORIBVS DISCEDENT QVIDAM A FIDE. Græcè non est ἀποχωρισμός, qua voce alibi sæpe scriptura vitur ad designandam vltimam mundi ætatem, quæ ab apostolorum tempore protenditur vsque ad diem extremi iudicij. Nam etiam de suo tempore Ioannes apostolus scribit 1. ep. 2. *Filioli, nouissima hora est.* Et iterum: *Nunc Antichristi multi subij sunt: Unde simus quia nouissima hora est.* Verum hoc loco Græcè ὀσσηνός est, posterioribus; id est, *subsequentibus temporibus.* Quod ita potest accipi, ut non quodcunque tempus futurum significetur, sed quod proximè instet, iam què sit præ foribus; q. d. apostolus, Tam breui hæc futura Spiritus prædicat, ut iam nunc tibi Timothee aduersus ea sit vigilandum. Vnde Act. 20. Timotheum cum reliquis Asiæ episcopis, iam antè præmonuerat, dicens: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi: Et ex vobis ipsi exsurgent viri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate.* Ex quibus sanè liquet apostolum loqui de tempore iam instante. Alij putant, *nouissimum & posterius* ab apostolo non distingui. Quod enim hic ait, *in posterioribus temporibus*, in 2. epistola cap. 3. dicit, *in nouissimis diebus*; cum & ibi loquatur de malis quibusdam hominibus adeo breui exorturis, ut eos etiam ipsi Timotheo vitandos denunciet. Hoc modo *nouissimum* etiam alibi non raro accipitur. vt Matth. 27. *Et erit nouissimus error peior priore.* Lucæ 14. *Tunc incipies cum rubore nouissimum locum tenere.* Sic Christus 1 Cor. 15. vocatur *nouissimus Adam.* Et Gen. 40. Iacob patriarcha annunciaturum se dicit filiis suis quæ venturæ essent *in diebus nouissimis*; cum tamen multa ex illis longè ante vltimam mundi ætatem fuerint impleta; quamuis & ibi LXX scripserunt ἐσχατων. Item Dan. 2. *Deus indicauit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis diebus*, id est, quid esset futurum post hæc; sicut infra sequitur. Pro verbo *discedent*, Græcè illud est à quo deri-

& ad damnata Origenis dogmata reijciendus.

PRÆDICATVM EST GENTIBVS. Gentes more scripturæ intelliguntur extra populum Iudaicum, de quibus ita Paulus Act. 14. *Deus, inquit, in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Pertinet igitur ad magnum pietatis sacramentum, quod gentibus olim à Deo derelictis, in tantum vt iuxta eundem apostolum Ephes. 2. essent sine Deo in hoc mundo; prædicatus est Christus Deus & homo; nec quomodocunque prædicatus, sed cum eo successu qui declaratur verbis sequentibus.

CREDITVM EST IN MVNDO. Licet non omnes quibus Christus prædicatur, in eum credant; tamen quacunque gentium peruasit Christi prædicatio, peruasit & fides. Atque hoc est quod ait, *Christum Deum & hominem creditum esse in mundo*, id est, per vniuersum mundum vbicunque fuit prædicatus. Sic de euangelio dicit, Col. 1. quod in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit.

ASSUMPTVM EST IN GLORIA. Videri potest ordo præposterus, cum prius sit Christum in gloria assumptum esse, quam in mundo creditum. Verum apostolus non temporis spectauit ordinem, sed rationem reddere voluit eius quod dixerat, *creditum est in mundo.* q. d. Non temerè nec inaniter mundus in Christum sibi prædicatum credidit; quandoquidem ille iam in caelum assumptus est, cum ea gloria vt sedeat ad dexteram patris. Sic enim hanc gloriam explicat Marcus capit. ult. dicens: *Et Dominus quidem Iesus assumptus est in caelum, & sedit à dextris Dei.* Simul autem innuit apostolus eos qui in Christum crediderunt vocari ad eiusdem gloriæ cum Christo participationem; iuxta id quod ait Ephes. 2. *Conresuscitauit nos & cõsedere fecit in caelestibus in Christo.* Nam quòd præcessit gloria capitis, ait Leo pontifex, eò spes vocatur & corporis. Quam autem Christus propria virtute tam humana quam diuina ascendit in caelum; assumptus tamen dicitur, non tanquam externo ministerio adiutus, quemadmodum Elias cutru igneo taptus legitur; sed assumptus ab vnica sibi diuinitate. Quamquam alij *assumptum* dici volunt, id est, interuentu nubis sublatum è conspectu hominum, testante Luca Act. 1. quod *nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

S V M M A R I V M.

Prædicat exorturas hæreses; docet omnem creaturam Dei bonam esse: Pietatis exercitium ante omnia requirit: admonet Timotheum ne gratiam negligat diuinitus acceptam.

uatur *ἀποστασία*, id est, defectio. Proinde alij significantiam vertunt, *deficient*, siue *desciscunt* quidam à fide; id est, deserent fidem Christianam semel susceptam. Id quod hæreticorum est & apostatarum.

ATTENDENTES SPIRITIBVS ERRORIS, ET DOCTRINIS DÆMONIORVM. Græcè *Σπιριτιβυς ἰμποστοριβυς*, seu *deceptoribus*. Ambrosianus legit, *tallacibus*. Augustinus *seductori- bus*, lib. 15 contra Faustum cap. 10. Videatur interpres pro *ἀποστασία* quod in multis Græcis est, legisse *ἀπὸ ἀνῆς*, quod est in Complutensibus & alijs nonnullis; id est, *erroris*, tametsi in sensu non est diuersitas. Nam *spiritum erroris* apud Ioannem legitur 1 ep. 4. pro spiritu deceptore; cui è diuerso opponit spiritum veritatis. Porro, *spiritus impostores* Chrysostomus interpretatur ipsos homines, nimirum falsos doctores & prophetas. Pro quo sensu facit illud Ioannis apostoli loco memorato: *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est. & hic est Antichristus*. In quibus vtique verbis satis apparet spiritum intelligi hominem doctorem, seu verum seu falsum. Alij, *spiritus erroris* demones intelligunt. Hos enim scriptura spiritus mendaces appellat 3 Reg. vlt. & alibi. Fauet etiam quod hic additur, *& doctrinis demoniorum*. Sed, hoc non obstante, prior sententia magis placet. Attendunt enim homines spiritibus erroris & doctrinis demoniorum; dum aures præbent magistris ea docentibus quæ demonibus suggerentibus didicerunt. Omnis enim hæretica doctrina ex diabolo est, vt idem Chrysostomus ait.

IN HYPOCRISI LOQVENTIVM MENDACIVM. Græcè vna composita dictio est, *ψευδολόγιον mendaciloquorum*, vt Augustinus; *falsiloquorum*, vt Ambrosianus legit. Cæterum genitiuus iste, si grammaticam syntaxim verborum apostoli vrgeamus, videbitur prima fronte non aliò referri posse quam ad genitiuum præcedentem *demoniorum*. Vnde quidam, etiam per *demonia* homines à demonibus inspiratos intellexerunt. Constat enim hanc partem cum sequentibus ad homines pertinere. Verùm quia præter usum scripturæ est, vt appellatio demonum seu demoniorum tribuatur hominibus: idcirco isti genitiui posteriores non referuntur ad substantiuũ, *demoniorum*, sed per se sumuntur tanquam substantiuè vt æquè positi, vt æquè propinquè dependentes à vocabulo, *doctrinis*. velut cum dico, Liber officiorum, Ciceronis; id est, qui est Ciceronis. Ita sensus erit: Attendentes doctrinis demoniorum; doctrinis, inquam, hominum in hypocrisi loquentium mendacium &c. Sicut enim idem liber est Officiorum, vt subiecti seu materiæ; & Ciceronis, vt authoris: ita eadem doctrinæ, demoniorum sunt, velut suggerentium; & hominum hypocritarum, velut proferentium ad alios. Hæc constructio clarior erit, si priorem genitiuum

intelligamus more Hebraico esse positum, pro epitheto seu adiectiuo; q. d. Attendentes spiritibus erroneis, & doctrinis dæmoniis seu diabolicis, hominum in hypocrisi loquentium mendacium. Iam quod ait, *in hypocrisi*, id est, per simulationem, aut cum simulatione; id Græci ad doctrinam referunt; quasi sentiat apostolus impostores illos non per ignorantiam, sed simulatè falsa locuturos, cum veritatem non ignorent. At, hoc pacto non essent hæretici; neque, quod apostolus affirmat, à fide discederent, nisi verbo tenus. Quare magis placet hypocrisin seu simulationem referri ad opera in speciem pia, per quæ sanctitatem mentientes, doctrinam suam hominibus commendent, iuxta illud euangelicum: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium*. Matth. 7. Vnde de talibus idem apostolus in secundæ epistolæ c. 3, dicit: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. Congruit huic sensui quod mox subiicitur, de nuptijs, & vsu quorundam ciborum ab illis damnando. Nam eiusmodi doctrina magnam ostendit speciem castitatis & temperantiæ.

ET CAUTERIAM HABENTIVM SVAM CONSCIENIAM. *Cauteriatam*, id est, iniustam ac notatam cauterio; sumpta metaphora à maleficis qui ferro candente notari solent, stigmatis cuti impressis. Sic isti, cum sancti haberi velint, tamen conscientiam gerunt impurissimæ vitæ maculis indelebiliter notatam. Sunt qui putent apostolum respicere ad id quod facturi erant Carpocratiani hæretici, de quibus referunt Irenæus lib. 1. cap. 24. & Epiphanius in eorum hæresi, quod suos discipulos cauterio notare soleant in superiori parte auriculæ dexteræ: quasi dicat apostolus, sicut aurem habebunt cauteriatam, ita & conscientiam. Bene autem hypocrisin coniungit cum mala conscientia; nam quicunque virtutem simulat, eo ipso sibi testis est, se ea carere.

PROHIBENTIVM NUBERE. Græcè, *γαμειν*, id est, contrahere matrimonium: illud autem *nubere*, scæminis proprium est communi Latinorum vsu: tametsi & viris interdum tribuatur.

ABSTINERE A CIBIS. Non hic repetendum, *prohibentium*, sed supplendum verbum ei oppositum, *præcipientium* seu *inbentium*, vt factum ab Erasmo. Nam tales exoriturus sentit apostolus, qui & prohibeant nubere, & præcipiant à certis cibis abstinere. Huiusmodi phrasim, qua vel contrarium eius quod præcessit, vel diuersum aliquid, in posteriori subauditur; etiam alibi in scripturis obseruare est: vt psal. 120, *Per diem sol non vræ te, neque luna per noctem*. Iacobi 1. *Glorietur frater humilis in exaltatione sua; diues autem in humilitate sua*. 2 Cor. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speciem*. Contendit quidem Oecumenius nihil opus esse diuersi verbi supplemento, cum Atticè & eleganter dicatur,

prohi-

prohibentium abstinere à cibis, hoc est, prohibentium vt abstinere à cibis. Sed exempla quæ profert non id videntur efficere. Certe Theophylactus, & ipse Græcus, Atticismum hic non agnouit, sed apostoli sententiam suppleendam docet eo modo quo diximus. Augustinus lib. 2. contra 2. ep. Pelag. cap. 1. locum hunc ita citat, quasi scripserit apostolus: *prohibentium nubere, abstinentium à cibis &c.* Quæ lectio perspicuum habet sensum; sed non conuenit cum Græco textu. Videndum nunc, in quibus hæreticis hæc apostolica prædictio completa sit: Ex quo simul intelligetur quàm improbè & calumniosè totum hunc locum ad ecclesiam Catholicam eiusque præfectos detorqueant hodierni eiusdem ecclesiæ desertores, ob id quod illa continentiam exigat ab initiatis & monachis, quodque certis temporibus abstinendum præcipiat à certis cibis. Primum, constat apostolum loqui de ijs qui nuptias toto genere damnaturi essent vt malas & illicitas; quique certa genera ciborum reiecturi tanquam per se immunda. Liquet hoc ex ipsis apostoli verbis, quibus absolute dicitur, *prohibentium nubere, abstinere à cibis*. Magis autem ex ijs quæ proximè sequuntur; vbi ex eo quod omnis creatura Dei bona sit, ostendit nullum cibum reijciendum esse, scilicet vt malum & immundum. Id enim est, quod alibi, de cibis agens, inculcat, *Omnia esse munda*. Rom. 14. & Tit. 1. De nuptijs verò sic Augustinus tract. 9. in Ioannem; *Futuri erant*, inquit, *de quibus dixit apostolus, prohibentes nubere, & dicentes quod male essent nuptia, & quod diabolus eas fecisset*. Hunc eundem apostoli scopum & mentem explicant omnes eius commentatores tam Græci quam Latini. Et quidem varias nominant antiquas hæreses, in quas planè quadrent apostoli verba; qualis vel maximè fuit Manichæorum, qui & nuptias damnarunt velut inuentum diaboli; & multa ciborum genera repudiabant, quod à malo Deo creatâ dicerent; & vinum auerfabantur, tanquam fel principis tenebrarum. Hæc enim & huiusmodi de Manichæis tradunt Epiphanius, Augustinus, alijque veteres. Neque tamen Manichæi primi fuerunt huius diabolicæ doctrinæ præcones; Nam ante eos Encratitæ & Marcionitæ, Chrysostomo teste, similia docuerunt; quibus Ambrosianus Patricianos adiungit. Sed quoniam apostolus ad Timothei cautelam hæc scribit, vt aduersus eos qui talia docturi erant, intelligat sibi vigilandum esse; facile patet eum non ad remotiora solum tempora, sed etiam ad proxima respexisse. Conferantur quæ dicta sunt ad v. 1. Fuerunt enim & ipsis apostolorum temporibus, qui cibos quosdam & nuptias abominarentur; de quibus Ignatius in epistola ad Philadelphios, post damnatam Ebionis hæresim, *Si quis*, inquit, *vniuersa hæc confiteatur, sed legitimam commixtionem, & liberorum procreationem, corruptelam & pollutionem appellat, aut cibos aliquos detestâ-*

dos putat: talis apostatam illum draconem in se habitantem fouet. Ac rursum in eadem epistola, *Uxores*, inquit, *maritis subdita sint in timore Dei; Virgines Christo, in incorruptione; non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, non in calumniam matrimonij, sed vt liberioribus animis diuina legis meditationi vacent*. Hæc Ignatius vir apostolici temporis. Ex quibus verbis apparet ipsum Ebionem fuisse eiusmodi dogmatum assertorem ac magistrum, etsi non solum. Nam Irenæus lib. 1. cap. 22. Saturnino eiusque symnistic illa tribuit, ita de eis, inter alia, scribens: *Nubere & generare à Satana dicunt esse*. Multi autem ex ijs qui sunt ab eo, & ab animalibus abstinere; perfecta huiusmodi continentia seducetes multos. Refert eadem de Saturnino Theodororus lib. hæreticarum fabularum; quemadmodum & de Ebione Epiphanius hæresi 28. Hos igitur, atque alios eiusdem temporis hæreticos, ab apostolo prænunciatos hoc loco fuisse, plusquam verisimile est; tametsi valet eius doctrina ad condemnationem omnium sequentium qui similia docuerunt. Vnde Manichæi videntes hæc apostoli verba planissimè contra se facere; negabant ea à Paulo scripta, dicentes libros euangeliorum & epistolarum apostolicarum multis locis esse falsatos; vt legitur apud Augustinum lib. 30. contra Faustum Manichæum cap. 1. & 2. ipsius Faustii verbis. Patet igitur ex his omnibus quàm peruersè locum istum interpretentur huius sæculi Nouatores, dum ex eo legem ecclesiasticam calibatus sacerdotum, & quorundam ciborum certis diebus præscriptâ abstinentiam, sugillant, velut doctrinam demoniorum. Etenim longè aliud est nuptias damnare, & cibos quosdam vt suapte natura malos & immundos refugere; quam vt demoniorum doctrinam merito Paulus insectatur: aliud, abstinere à nuptijs, studio perfectioris continentia; aut à cibis quibusdam, studio temperantiæ aut castigandæ carnis. Quod vtrumque, siue simpliciter, siue ex voto fiat, rectè sancteque fieri nemo nisi hæreticus negauerit. Nec verò prohibet ecclesia nuptias, dum ad sacros ordines homines vxoratos non admittit; aut continentiam professos ad vota Deo reddenda compellit: nihil magis quam princeps dicendus sit vel agriculturam prohibere, si ad militiam agricolas admittere nolit; vel suos subditos bonis spoliare, dum cogit eos soluere debita. Paulus ipse hac eadem epistola capite sequenti damnat *viduas qua primam fidem irritam facientes nubere volunt*; neque tamen nuptias damnat aut prohibet. Et certè rem bonam iustis ex causis ad tempus aut in perpetuum prohiberi cuiuspiam posse, nulli dubium est. Ita medicus febricitanti vsum vini interdicit. Laudantur & Rechabita Ieremix 35. quod perpetuam vini abstinentiam sibi à patre indictam, seruassent. Imò, prima lex homini data à Deo, lex fuit abstinentiæ à fructu arboris, te

vtique

vtique bona ac Dei creatura. Non igitur rerum bonarum prohibitiones in vniuersum damnandæ sunt; sed interest, quam ob causam & quo fine aliquid prohibeatur. Quod dum aduersarij nostri discernere nolunt; antiquas hæreses per calumniam nostris impingunt; ipsi veteres hæreses resorbentes. Fecit id ipsum iam olim Iouinianus hæresiarcha; cuius hæc ad Catholicos verba refert Hieronymus lib. 1. aduersus eum scripto. Manifestum est, inquit, vos Manichæorum dogma sectari, prohibentium nubere, & vesci cibis, quos Deus creauit ad vtendum. Sed huic calumniæ tum Hieronymus ibidem, tum Augustinus lib. 2. de nuptijs & concupiscentia cap. 5. & lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 2. liquidò responderunt. Idem Augustinus lib. 30. contra Faustum cap. 5 & 6 luculentè distinguit inter Manichæos nuptiarum & ciborum quorundam criminatores, & inter Catholicos pietatis & abstinentiæ causa à nuptijs ac certis cibis abstinentes. Qui locus lectu dignus est, vt-pote mitè conduens ad huius apostolicæ doctrinæ germanam intelligentiam; simul & ad retundendam hæreticorum nostri temporis impudentiam, qua scripturam hanc contra sensum omnium veterum atque ipsius apostoli, in Catholicos contorquent. Nec minus dignus lectu eiusdem sancti Aug. locus contra Adimantum c. 14. Illos (ait) propriè designat apostolus, qui à carnibus temperant non propterea vt concupiscentiam refrænent; & quæ seq.

QVOS DEVS CREAVIT AD PERCIPIENDUM CVM GRATIARVM ACTIONE. His & sequentibus verbis seipsum declarat apostolus. Dicens enim, quos Deus creauit, significat nullos cibos per se malos aut immundos esse, quum sint à Deo creati. Addit autem, ad percipiendum, Græcè ad sumptionem; vt legitimum vsum demonstrat, gulamque ac delicias excludat. Nam vt annotat Theophylactus, sumptio mediocritatem habet; deliciae verò & luxus immoderationem. Addit autem, cum gratiarum actione, scilicet Deo creatori & largitori referenda; quia indigni sunt Dei beneficijs, qui ea cum gratiarum actione non suscipiunt.

FIDELIBVS, ET HIS QVI COGNOVERVNT VERITATEM. Posterior pars exegetica est prioris. Fideles enim sunt ij qui veritatem diuinitus manifestaram cognouerunt. Hos autem opponit infidelibus; tam hæreticis, quam alijs veritatem de qua hîc agitur ignorantibus. Darius, fidelibus &c. regitur à verbo creauit, non quòd infideles Deus exclusos velit ab vfu & perceptione suæ creaturæ, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iniustos & iniustos Matth. 5, & qui dat escam omni carni, psal. 135, qui que benefaciens omnibus gentibus, de celo dat pluuia & tempora fructifera, implens cibo & leticia corda eorum Act. 14. sed ideo solos fideles nominat, quoniam cæteri partim vani, ac superstitiosus suis legibus se-

metipfos priuant creaturis Dei, vt hæretici, & inter philosophos Pythagorici; partim non eo modo quo debent, vtuntur, id est, cum sobrietate, & gratiarum actione, vt omnes infideles.

4 QVIA OMNIS CREATURA DEI BONA EST; Pars ista secundum Græcos interpretes, quibus annuit Erasmi versio, connectenda est cum præcedenti, ad hunc modum; Qui cognouerunt veritatem, hanc nimirum, quod omnis creatura Dei bona sit. Eam veritatem diuina scriptura clarissimè expressit, Gen. 1. Vidit Deus, inquit, cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Veritatem hanc ignorant qui cibos aliquos naturæ seu creatione malos esse docent.

ET NIHIL REICIENDVM QVOD CVM GRATIARVM ACTIONE PERCIPIVR. Contextus sermonis, & sensus huiusmodi est: Qui cognouerunt omnem creaturam Dei bonam esse; & proinde, quod ad cibos attinet, nihil reijciendum quod sumitur cum gratiarum actione. Reijciendum, inquam, vt per se malum aut immundum. Infertur enim hæc pars ex antecedente illâ, Omnis creatura Dei bona est. Atque hîc intellectum confirmat vox Græca *κατασκευασμένη*, id est, reiectaneum, quasi per se malum. Nam alioquin ea quæ noxia corporibus & insalubria sunt, rectè tanquam nobis mala reijcimus, etsi simpliciter bona sint. Est autem similis ratio de ijs à quibus ob aliquam causam aut Deus ipse, (vt primo homini; & Iudæis) aut ecclesia Dei, (vt nobis Christianis) abstinentum esse præcipit. Reijciuntur enim hæc à filijs obedientiæ, non vt secundum se mala; sed vt lege vel diuina, vel ecclesiastica, verita. Rursus autem addit, Cum gratiarum actione; quia quamuis sumentis ingratitudo cibum non coinquinat; ipsa tamèn sumptio per illam inficitur, & immunda redditur. aut certè, quia gratiarum actio protestatio quædam est, cibum qui percipitur, esse datum à Deo, ac proinde bonum, & non reijciendum.

5 SANCTIFICATVR ENIM PER VERBVM DEI, ET ORATIONEM. Græci putant hîc latere concessionem Rhetoricam; q. d. apostolus; Sed demus aliquid esse immundum: habes antidotum in promptu, signum crucis imprime, gratias age Deo, & statim abscedet omnis immundicia. Nam gratiarum actio cuncta purgat. Obstat huic sensui, quòd res per se mala, sanctificari non possit. Vnde magis placet eorum sententia qui hîc occupationem esse dicunt. Poterat enim aliquis fidelis dicere: Nulla quidem creatura Dei per se mala est, aut immunda; sed tamen per primam transgressionem, qua homo se subiecit diabolo, etiam ea quæ hominis sunt, ita in potestatem diaboli venerunt, maximè quæ ad cibum & potum spectant, vt per ea nocere homini possit, tam spiritu quam corpore. Quod ergo remedium aduersus hoc malum? Responder apostolus nihil esse periculi fidelibus, & cum gratiarum actione percipientibus;

quoniam

quoniam quod ab ijs sumitur, per verbum Dei & orationem sanctificatur. Meritò nâque sanctificari censetur, quod potestati diaboli subtrahitur, ne per illud aut corpori noceat, aut ad comestationes & ebrietates incitet. Sic enim quodammodo mundatur, & sancto fidelium vsui paratur; vt bene Petrus Lombardus in commentario explicat. Fit autem hæc sanctificatio per verbum Dei, & orationem. Verbum Dei quidam interpretantur verba sacra è psalmis, aut aliunde accepta, quæ recitari solent ante sumptionem cibi; Orationem verò, ipsam diuini nominis inuocationem. Alij, quod magis probò, verbum Dei creditum, id est, fidem intelligunt, qua in Christum creditur & diabolo resistitur; iuxta illud: Cui resistite fortes in fide, 1 Pet. 5. Nam verbum Dei pro fide qua illud suscipitur, frequens est in sacris literis, vt ostendimus ad illud Ephes. 5. Mundans eam lanacro aque in verbo. Et quidè hoc modo verbum Dei videtur exposuisse Prudentius in Hymno ante cibum, ita canes: Te sine dulce nihil, Domine: Nec iuuat ore quid appetere, Pocula ni prius, atque cibos Christe, tuus fauor imbuerit, omnia sanctificante fide. Orationem verò seu precationem sic miscet apostolus cum gratiarum actione, de qua supra, sicut in euangelijs alternantur benedictio & gratiarum actio: non quod idem significant, sed quia partes sunt eiusdem orationis sacræ qua cum Deo loquimur. Qua de re pleribus egimus exponentes illa verba 1. Cor. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus &c. Nam & oratio, benedictio est, qua nimirum cibis, priusquam sumatur, benedicunt. Porro quod per peccatum hominis, diabolo potestas in reliquam creaturam vsibus hominum seruientem permessa sit, ostenditur ex eo quòd diabolus scriptura modò principem huius mundi, modò Deum huius sæculi appellat. Id ipsum indicat apostolus Rom. 8. dicens vanitati subiectam esse creaturam, tandemque liberandam à seruitute corruptionis. Disertè verò id docent Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain c. 8. & Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 19. & 26. & lib. 18. c. 16. 17. & 18. & sermone 14. de verbis apostoli. Quibus adde quod Gregorius narrat lib. 1. dial. cap. 4. de sanctimoniali quadam arrepta à dæmone quòd lactucam non prius signo crucis benedictam auidè momordisset. Huc pertinet quod legitur 1. Reg. 9. de Samuele, Et ipse benedixit hostiæ. Non enim offerebat hostiam qui non erat sacerdos; sed benedicebat epulo constructo ex carnibus Domino immolatis; idque tanquam propheta, & tanquam vir primarius, Iudex populi. Huc etiam pertinet, atque in hac scriptura fundatur ecclesiæ vetustissima cõsuetudo, qua aquæ, salis, panibus, fructibus, alijsque varijs rebus exorcismos aut benedictiones adhibet; per quas repressa dæmonum potestate, res illæ reddantur vtentibus salutare. Hinc denique manauit ad fideles consuetudo benedicendi mensam ante

sumptionem cibi; & tam ante, quam post eam Deo gratias agendi. Quum enim cibos sumpturi dona Dei eos agnoscerimus; vtique gratias agimus. Sed obijciat aduersarius, Si sensu memorato sanctificatur cibus per verbum Dei, & orationem: igitur ecclesia causam non habet interdicens cibos aliquos, tanquam excitantes ad vicia carnis; quandoquidem per illam sanctificationem istiusmodi effectus impeditur. Respondeo, sicut non satis est Deum orare, ne intremus in tentationem, sed fugere etiam debemus pericula, & occasiones peccandi; ita non satis est per orationem cibos sanctificari, ne per illos aut diabolus noceat, aut concupiscentia nos ad peccata carnis illicitat; sed etiam vitandæ sunt huiusmodi peccatorum occasiones; quod fit abstinendo à cibis gulam irritantibus, aut vena excitantibus, aut aciem mentis retundentibus; maximè si ecclesiæ præceptum accesserit. Nam qui secus fecerit; oratio eius qua voluerit cibos sanctificare, non erit Deo acceptabilis, sed in peccatum reputabitur, vt-pote ab animo temerario, & Deum tentante, ac inobedienti profecta.

6 HÆC PROPONENS FRATRIBVS, BONVS ERIS MINISTER CHRISTI IESV. Proponens, Græcè, suggerens, aut commouens. Et sensus est: De his si commoueris fideles; si hæc quæ dixi, tradideris, scilicet de magno pietatis sacramento, de vitandis doctrinis dæmoniorum, & quod omnis creatura Dei bona sit, nihilque reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: exhibebis te in officio tibi iniuncto bonum ac fidelem ministrum Christi Iesu. Hæc apostoli cohortatio satis significat, hæreses, de quibus locutus est, non post sæcula, sed breui exorturas. q. d. Non longè absunt; ideoque iam contra eas vigilandum tibi est, & fratres sana doctrina præmuniendi.

ENUTRITVS VERBIS FIDEI, ET BONÆ DOCTRINÆ QVAM ASSECVTVS ES. Enutritus, Græcè *ἐντρέφω*, participium mediū, idemque præsentis temporis; vt etiam actiue verti possit, enutritus vel innutritus; atque hic sit sensus: Ita ostendes te bonum esse ministrum Christi, quippe qui fratres tanquam filios, nutrias & instituas in doctrina rectæ fidei. Quo minus passiuè participium exponi possit, obstat videtur tempus præsens. Non enim iam enutriebatur verbis fidei, boneque doctrinæ Timotheus episcopus, atque aliorum doctor; sed olim ijs enutritus fuerat, vt qui ab infantia sacras literas nosset 2. Tim. 3. Quamquam Chrysostomus & Theophylactus sic accipiunt, vt Timotheus iubeatur, velut continuum hauriens nutrimentum, semper animo versare, atque tractare, & veluti ruminare doctrinam acceptam. Perinde enim, inquit, vt corporis alimentum diebus singulis requiramus; ita fidei sermonibus semper nos oportet innutriri. vt eo vocabulo perseverantiam discendi ac meditandi sanam fidei doctrinam, Timotheo commendare voluerit. Vnde &

Theo-

Theophylacti interpres vertit; *perseuerans in sermonibus fidei*. Suffragatur huic sensui quod & paulò inferius sic horrat Timotheum apostolus: *Hac meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus* &c. Iam quod interpres vertit *assecutus es*; ab Erasmo & Hentio ita redditur, *quam usque secutus es*. Alij vertunt, *quam assecutus es*, id est, continuo sectatus, & à cuius veluti latere nunquam discessisti. Hanc enim vim Græci verbi, quo etià Lucas in proœmio sui euangelij vsus est, benè explicat Erasmus in annotationibus vtriusque loci; nec non ad illud 2. ep. 3. *Tu autem assecutus es meam doctrinam*. Sentit igitur apostolus Timotheum à puero fuisse assiduū bonæ doctrinæ sectatorem, nec ab ea, quod alijs quibusdam acciderat, temporis progressu, degenerasse.

7 INEPTAS AVTEM, ET ANILES FABULAS DEVITA. Græcè, *Prophanas autem & aniles fabulas rejice*. Eadem apud Ambrosianum lectio est. Hanc partem referunt quidam ad fabulas Iudaicas, quas primo capite perstrinxerat etiam sub nomine fabularum: Verùm sermonis series magis ostendit ad hæreticorum fabulas apostolum respicere. Verisimile est autem notari Simonianos, qui, testibus Irenæo, Epiphano & Augustino, longas fabulas texebant de Deo bono, & malo, de rerum creatione, de pugna angelorum &c. quæ partim profanæ erant & impiæ, partim aniles & ineptæ. Monet igitur Timotheum ut vniuersum hoc genus rejiciat; id est, talia nec doceat alios, nec omninò recipiat aut credat; sed ad pietatis actiones se totum conferat, iuxta id quod sequitur,

EXERCE AVTEM TE IPSVM AD PIETATEM. *Pietas* Græcè *εὐσέβεια*, verum & rectum Dei cultum significat, maximè in sacris literis: Hebræa phrasi *timor Domini* vocatur, frequentissimè commendatus in scriptura veteris testamenti. Syrus interpres *institiam* vertit. Cõplectitur autè pietas, anchora Chryostomo, fidem puram, vitamque rectam; quatenus scilicet ijs colitur Deus. Igitur *exerce se ipsum ad pietatem*, qui diligenter incumbit actionibus, quibus Deo placetur atque seruitur: Huiusmodi autem sunt omnium virtutum actiones ad Deum relatæ; & non sola opera misericordiæ, quibus subuenitur necessitati proximorum, ut vult Ambrosianus.

8 NAM CORPORALIS EXERCITATIO AD MODICVM UTILIS EST. Ex antithesi corporalis exercitationis, ostendit quàm vile sit ad pietatem exerceri. Sed quam intelligat *exercitationem corporalem*, nò perinde liquet. Ambrosianus de ieiunio & abstinentia ciborum exponit, non ea quam apostolus supra damnauit; sed, ut ait, manente authoritate creatoris. Hæc affirmat parum prodesse, nisi pietas addatur. Quod sanè verissimum est: Sed non ideo simpliciter verum est ea parum prodesse; cum externa pietatis opera non sint à pietate ipsa separanda; siue pietatem in Deum intel-

ligas, siue in proximum. Commentariū hunc, falso Ambrosij titulo decepti, sequuntur Anselmus, Aquinas, Caietanus, alijsque Latino-rum nonnulli. Maximè verò sibi in eo placet huius temporis sectarij; nomen *exercitationis corporalis* extendentes ad omnes actiones externas, quæcunque religionis causâ suscipiuntur, ut sunt ieiunia, vigiliæ, recitationes precū, lectiones, humi cubatio, & quicquid tale est, quas vocant corporis vexationes. Et Catholici quidem memorati, ieiunium ad modicum vile interpretantur, solam ex comparatione quadam; vel quia ieiunans sibi prodest, non proximo; vel, secundum B. Thomam, quia ieiunio curatur morbus peccati carnalis, non spiritalis. Interdum enim (inquit) per abstinentiam incurrit homo iracundiam, inanem gloriam, & huiusmodi. Hæretici verò in vniuersum actiones externas religionis causâ susceptas, extenuant, ac parui faciunt, tanquam puerilis disciplinæ rudimenta, quæ admodum Calvinus loquitur. Sed hunc errorem refellere, quo cultus corporalis Deo exhibitus, aut damnatur, aut vilipenditur, nò est præsentis instituti. Non posse autem de ieiunio locum hunc accipi, Chryostomus, & Theophylactus ita probant, quia ieiunium non corporalis est exercitatio, sed spiritalis. Neque enim carnem nutrit, sed macerat; neque omnino respectu corporis, exercitatio est, sed operis cuiusdam vacatio. Vim huius probationis demonstrat vocabulum Græcum de quo statim dicemus. Adde quod de ieiunio, si rectè, legitimè, & Christianè agatur, multo aliter in euangelio Christus loquitur Matth. 6. quum *ieiunanti in abscondito, promittit à Patre mercedem*, vti que cælestem. Non igitur ad modicum vile est ieiunium. Neque verò Christus rem ad modicum vilem fecit, aut faciendam exemplo suo docuit, quando, ad instructionem totius ecclesiæ suæ, quadraginta diebus ieiunauit. Aliter etiam de ieiunio Patres loquuntur, ac nominatim verus Ambrosius, qui in commendationem ieiunij, librum conscripsit, titulo de Helia & ieiunio, vbi inter alia sic ait; cap. 3. Quid est ieiunium, nisi substantia & imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est; Ieiunium vita est angelorum; Ieiunium, culpæ mors; excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu, citius peruenitur. Hæc ille, fere desumpta ex hom. 1. & 2. Basilij de laudibus ieiunij. Scribit autem similia in epistola 82. ad Vercellenses. Quæ quidem multum dissonant ab illo pseudambrosij commentario. Sunt igitur alijs, qui putent apostolum respicere ad eam ciborum abstinentiam de qua paulò antè dixerat, *abstinere à cibis* &c. Sed hic commentarius in diuersum peccat: Nam de huiusmodi ciborum obseruationibus non diceret apostolus eas ad modicum viles esse, sed prorsus inutiles, imò noxias & impias; & sicut supra dixit, ad doctrinas demoniorum

pertinentes. Alij, laborem intelligunt corporalem, quo necessaria huius vitæ comparantur, ut sunt operæ mechanicæ. Rursus alijs eam exercitationem significari putant quæ fit causa sanitatis, qualis est ambulatio, equitatio, lusus pilæ. Vtrique huic sensui satis quadrat quod ex aduerso de pietatè subiungitur, eam non solum vitæ præsentis habere promissionem, sed etiam futuræ. Verùm multo probabilius est, sermonem hic esse, de exercitatione athleticâ; quæ fit cursu, lucta, pugnis, aut alio modo. Nam ab ea libenter sollet apostolus sumere comparationes, atque ad eam alludere; ut 1. Cor. 9. *Nescitis quod ij qui in stadio currunt, &c. & iterum, Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans*. Gal. 5. *Currebatis benè*. Phil. 3. *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis*. Denique in 2. ad Tim. epistola ca. 2. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit*. Et cap. 4. *Bonum certamè certant, cursu consummanti*. His accedit quod Græca dictio, *γυμνασία* licet ad omne genus exercitationis extendatur; propriè tamen significat eam, qua vestibis abiectis nudi exerceri solent athletæ. Hoc exercitationis genus ad modicum vile esse dicit; quia tantum cõducit ad corporis sanitatem & robur: Vnde qui robusto ac vegeto sunt corpore, per metaphoram athleticè valere dicuntur.

PIETAS AVTEM AD OMNIA UTILIS EST. *Ad omnia*, quæ nobis expetenda sunt; Vel, *ad omnia*, hoc est, ad vtrumque genus bonorum, & quæ sunt huius vitæ, & quæ expectantur in futura: Sic enim apostolus sequentibus verbis seipsum exponit. Sed queritur quomodo pietatem dicat vtilem esse ad bona temporalia, cum inordinatum sit pietatem, aliasque animi virtutes ad finem ipsis longè inferiorem, ut sunt omnia corporis bona, referte. Respondetur, ab apostolo propriè non vsum significari, sed fructum consequentem, qui est finis secundarius. Valet enim pietas etiam ad temporalia bona à Deo consequenda; licet non propter hæc primariò sit ei seruendum.

PROMISSIONEM HABENS VITÆ QUÆ NUNC EST ET FUTURÆ. Græcè *promissiones* numero plurali Videtur enim apostolus significare quod in sacris literis multæ extant huiusmodi promissiones. Nam præsentis quidem vitæ promissiones sunt: *Custodite leges meas, atque iudicia; quæ faciens homo, viuet in eis*, Leuit. 18. *Elige vitam, ut & tu viuas*, Deut. 30. *Quis est homo qui vult vitam; diligat dies videre bonas*; &c. psal. 33. & vbi cunque in veteri lege seruantijs Dei præcepta, promittuntur bona temporalia; ut Leuit. 26. & Deut. 28. Promissiones autem vitæ futuræ passim leguntur in scriptura noui testamenti. Quin etiam interdum vtriusque vitæ promissiones cõiunguntur, ut Matth. 6. *Querite primum regnum Dei, & iusticiam eius; & hæc omnia adjicientur vobis*, &c. ca. 19. *Centuplum accipiet & vitam æ-*

ternam possidebit. Ne verò cuiquam falsæ videantur promissiones bonorum temporalium, pijs, ac Deū timentibus factæ, propterea quod eis illa sæpe non contingant: rectè S. Thomas interpretatur promitti tēporalia quatenus bona sint, id est, quatenus subseruiant æternis, & ad fœlicitatem cõducant. Ac nihilominus complentur eiusmodi promissiones; dum cõpensat Deus spiritualibus bonis, quod in corporalibus deesse videbatur. Multo enim plus præstat, quàm dat patientiam, continentiam, gaudium spirituale, quibus augetur meritū vitæ æternæ; quàm si daret affluentiam bonorū tēporaliū, quæ multis occasione præbet æternæ perditionis: Porro significat hic locus pietatem mereri vitam æternam, non ex rei natura; sed ex liberalitate promittentis.

9 FIDELIS SERMO, ET OMNI ACCEPTIO-NE DIGNVS. Hoc, inquit, quod dixi, pietatem ad omnia vtilem esse maximè ad vitam futuram; certum & indubitatum est & approbatione dignissimum.

10 IN HOC EMIM LABORAVVS, ET MALEDICIMVR, QVIA SPERAVVS IN DEVM VIVVM. Græcè, *quia sperauimus in Deo viuente*: Sed præteritum illud, vim habet præsentis; Tale enim est ac si diceretur, Spem collocauimus in Deo viuente; hoc autem est, *sperare in Deum viuum*. Caietanus probationem apostoli, quemadmodum & partem præcedentem, *fidelis sermo* &c. tantum refert ad illam particulam proximè antegressam, & *fuura*. Verùm si tota probatio benè expendatur, inuenietur amplius continere: Tametsi ad vitam futuram principaliter apostolum respicere non est negandum. Probat autem ex tolerantia persecutionum, & arumnarū, quas Christiani patiebantur; *sermonem*, quem dixerat, *fidelem esse, & omni acceptione dignum*. Propter hoc, inquit, *laboramus*, id est, omnia corporis incommoda sustinemus; & *maledicimur*, Græcè, *probra seu contumelias patimur*, quia spem nostram fixam habemus in Deo viuente; id est, eo qui per essentiam vita est, & proinde vitæ tam præsentis quàm futuræ largitor. q. d. ideo tot incommodis & aduersis non succumbimus, quia vitam à Deo nò modò præsentem accipimus, sed etiam futuram expectamus. Vnde colligi vult, sermonem quem de pietate dixerat, fidelem esse &c. Quæ collectio talis est, qualis illa eiusdè apostoli qua 1. Cor. 15. resurrectionem mortuorū probat ex quotidianis periculis mortis, quæ subibat. Quod vti que nemo faceret, nisi qui post mortem melius aliquid certissimè speraret. Quo argumēto etiam Iustinus philosophus, persuasum se fuisse scribit in apologia, ut Christianus fieret, Vtitur eo argumēto cõtra paganos etiam Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei ca. 6.

QVI EST SALVATOR OMNIVM HOMINVM, MAXIME FIDELIVM. Quo sensu *Deus omnium hominum saluator* dicatur, variant interpretes. Caietanus totam sententiã refert ad

salutem fecerunt; sic enim scribit: In vita futura saluabit Deus omnes homines, quoad vitam corporis, suscitando omnes; maximè autem saluabit fideles; quoniam suscitabit eos ad vitam beatam. Sed hic commentarius parum probabilis est; Nusquam enim resurrectio malorum salus vocatur, aut in bonum accipitur, ut salus vocari possit. Verisimilior est Theophylacti interpretatio locum hunc exponentis per illum ca. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri.* Veruntamen germanus sensus est, quem reddiderunt Chrysostomus, Oecumenius, Ambrosianus, Anselmus, & alij plerique; ut Deus omnium hominum saluator dicatur, quia dat omnibus aliquam salutem. Nam vita temporalis, & multa eius vitæ bona, omnibus communia sunt; nec aliunde profecta quàm à Deo auctore. *Maximè* verò & proprie *fideliu saluator est*, intellige, eorum, qui in fide per charitatem operata perseuerant; quia solis, & omnibus ijs dat vitam æternam, quæ simpliciter salus appellari solet. Nec diuersa est ab his B. Prosperi sententia qui lib. 2. de vocatione gentiu ca. 31. locum hunc intellexit de gratia quadam generali, id est, bonitate Dei effusa super omnes homines; licet speciali gratia profectur suos electos. Plenior autem erit hic commentarius, si, cum Chrysostomo dicamus, Deum etiam in hac vita singulari quodam modo fidelium esse saluatorem: quia laborantes adiuuat, ut ad salutem æternam perueniant; & quia salutem temporalem facit eis esse salutarem, id est, vtilem & conducentem ad salutem æternam; Denique quia cooperatur illis omnia in bonum, tam aduersa quàm prospera. Sensus hunc ipse contextus apostolicus postulat. Dixerat enim, *pietatem habere promissionem vitæ presentis & futuræ*; quæuis vitæ presentis beneficium Deus faciat omnibus commune, etiam impijs & infidelibus; Nam *solem suum oriri facit super bonos & malos*; Matth. 5. *Omnibus bene facit, de celo dans pluuias, & tempora fructifera.* Act. 14. *Omnibus dat vitam, & inspirationem, & omnia.* Act. 17. Quin etiam ad bruta animata salus hæc terrena extenditur, dicente Psalmista: *Homines & iumenta saluabis Domine.* psal. 35. Constat autem & ex alijs scripturæ locis, nomen salutis etiam in bonis vitæ temporalis intelligi; Vnde & illud discipulorum in mari periclitantium; *Domine salua nos, perijimus,* Matth. 8. Nam & Ioseph patriarcha, quamais in typo Christi, vocatus est Saluator mundi, propter salutem quandam temporalem, quam mortalibus attulit Gen. 41. Liqueat ex his, perpetrata à nonnullis adduci hunc apostoli locum, quo stabiliant doctrinam suam de gratia ad salutem sufficere, quam dicunt omnibus hominibus offerri. Quem sensum Ambrosius Catharinus ex Prosperi loco malè intellecto, quem titulo B. Ambrosij citat, frustra huc inuehere conatur. Constat enim ex tota disputatione precedente, Prosperi eo loco agere de

generali beneficentia Dei, qua ad sui noticiam & cultum homines inuitat: de qua & Paulus Act. 14. quam tamè negat absque speciali gratia (quæ non omnibus sed paucis datur) ad iusticiam & salutem sufficere.

11 **PRÆCIPE HÆC ET DOCE.** *Hæc*, omnia quæ dixi de magno pietatis sacramento, de vitandis hæresibus, & sana doctrina retinenda, de quæ pietate ad omnia vtili; *præcipe, & doce*, id est, præcipiens doce, cum autoritate fidelibus trade; tanquam episcopus docendi & præcipiendi potestatem habens; non obtate eo quod sis adhuc iuuenis. vnde sequitur;

12 **NEMO ADOLESCENTIAM TVAM CONTEMNAT.** *Adolescentiam* dixit Interpres, pro iuuentute; quemadmodum Ambrosianum textum secuti verterunt Erasmus & alij. *Iuuenus* autem extenditur vltra triginta annos; ne quis suspicetur Timotheum fuisse adolescentem viginti aut circiter annorum, quando hæc ad eum scribebatur. Simile illud Act. 7. *Secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus;* cum ex diligenti temporum supputatione satis appareat Paulum tunc virum fuisse, ferme triginta quinque annorum. Sensus apostoli est. Sic age ut nemo te propter ætatem contemnat: siue, pressius ex Græco, despicat. Est enim iunior ætas obnoxia contemptui, iuxta illud Davidis: *Adolescentulus sum ego & contemptus.* psal. 118. Nam eum propter ætatem à fratribus despectum fuisse, docet historia 1. Reg. 16. & 17. Potest autem præceptum hoc Timotheo datum, bifariam accipi: Vno modo; Non sinas te, quamuis sis iuuenis, despici ab ijs quibus præes; sed vtere autoritate & imperio. Quadrat huic sensui quod præcedit: *Præcipe hæc, & doce.* Sic etiã ad Titum scribit ca. 2. *Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio: Nemo te contemnat.* Altero modo; Ita grauitè, castè, sobriè, prudenter te gere, ut nemo propter ætatem minoris te faciat. Huic expositioni fauet quod sequitur.

SED EXEMPLVM ESTO FIDELIVM IN VERBO, IN CONVERSATIONE. *Exemplum* Græcè *τύπος*, id est, forma, quomodo legit Ambrosianus, & noster interpret alibi vertit. Ne propter ætatem Timotheus contemneretur, monet eum apostolus ut fidelibus sese præbeat exemplum, & formam, ad quam vitam suam instituant, & actiones componant. Nemo enim quod imitandum putat contemnit. *In verbo*, siue in sermone exemplum est, qui grauitè, & prudenter ad aliorum ædificationem loquitur; *qui disponit sermones suos in iudicio*, psal. 111. quique præstat illud 1. Pet. 4. *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* Chrysostomus *verbum doctrinæ* intelligit; qua nimis veritas docetur. Qui intellexit accipit probabilitatem ex simili loco 2. Cor. 6. vbi exprimitur, *in verbo veritatis*, iuxta hanc *verbi* expositionem, ille in verbo exemplum se præbet, in quo veritate & sinceritate doctrinæ homines admittatur. Porro, *in conversatione* dicitur, qui cæteris externis actibus ædificat alios.

IN CHARITATE, scilicet erga proximos. quod. Omnes actiones tuæ sapiant charitatem, non cupiditatem; Sentiant fideles te non tuam quærere, sed quæ salutis ipsorum. In loco iam allegato ad Cor. etiam hoc explicatus dictum est; *In charitate non ficta.* Hic Græci codices subiungunt, *in spiritu*; quamuis id Chrysostomus in commentario non attingat. Theophylactus & Oecumenius interpretantur, ordinem spiritualem, aut charisma; tanquam moneat Timotheum apostolus, ne propter huiusmodi extollatur. Atqui magis apparet intelligi Spiritum sanctum: Id enim exprimitur ibidem ad Cor. *In spiritu sancto.* Est autem exemplum in Spiritu sancto, qui feruorè Spiritus sancti & zelum Dei, factis se habere declarat.

IN FIDE. Exemplum *fidei* præbet, qui sicut Iacobus apostolus dicit ca. 2. *fidem suam ostendit ex operibus*; vel potius, secundum alios; qui fidem rectam liberè confitetur & prædicat; atque ea re proximos ædificat.

IN CASTITATE. Ex hac parte non leue sumitur argumentum pro celibatu sacerdotum, præsertim episcoporum. Præcipitur enim Timotheo episcopo, ut sese formam & exemplum castitatis exhibeat fidelibus. Quomodo autem hoc præstabit episcopus, si illud tantum in eo comedatur, quod præter vxorè non cognoscat aliã, sed vnus mulieris amplexibus contentus sit? quod est infimum genus castitatis, & ab omnibus, ut minimè, exigitur; cum oporteat exemplar esse cæteris excellentius. Imò magis è contrariò tale exemplar propositum, auocabit alios à studio virginitatis, seu perpetuæ continentia; cuius formam in typo sibi proposito non conspiciunt. Erasmus quidè vertit, *In puritate*; & in paraphrasi exponit immunitatè ab humanis cupiditatibus; qui sensus etiam sectarijs placet: verum textus Ambrosianus nostræ versionis accedit, tã hoc loco, quã 2 Cor. 6. Græci autem interpretes ad eò pro nobis faciunt, ut putent hic insinuari virgineam Timothei castitatem, per quã meritò potuerit alijs exemplo ad castitatem præluere. Cõstat insuper Græco vocabulo *ἀγνεία*, ut plurimùm significari castitatè eã quæ libidines coercet. Quod ipsum etiã ex alijs scripturæ locis ostenditur, velut sequenti capite, *Iuenculas, ut sorores, in omni castitate.* Item 2. Cor. 11. *Virginem castam exhibere Christo.* Tit. 2. *adulescentulas prudentes, castas.* Quibus locis eadem est vox Græca quæ hinc legitur; nec aliter accipienda, quã pro ea castitate quam diximus. Quod idem ostendimus de eo quod eidem Timotheo præcipit sequenti capite, *Te ipsum castum custodi.*

13 **DVM VENIO, ATTENDE LECTIONI, EXHORTATIONI, DOCTRINÆ.** Iam supra capite primo, spem Timotheo fecerat sui aduentus: Qui quidè aduētus an secutus fuerit, diximus ibidem, & in argumento epistolæ. Interim verò dum differtur (hoc enim est quod ait, *Dum venio*, seu donec veniam, Græcè *ἕως ἔρχομαι*) præscribit Timotheo, quid agere debeat. Ac primùm ei commendat assiduam lectionem

scripturæ sacræ, ut ex ea discat quod alios doceat. Quod si Timotheo, qui ab infantia sacris literis imbutus erat, & tam multa præsens ab apostoli ore hauferat, visa fuit hæc admonitio necessaria; quanto magis cæteris episcopis & pastoribus? quos omnes vtique Paulus in Timotheo instruit. Ex quo præterea patet fanaticorum quorundam insania, qui studia doctrinæ tanquam inutilia reiicientes, tantum à Spiritu sancto illuminationes quærunt. Porro cum lectio studiumque scripturæ in episcopo, & pastore, destinatur ad aliorum vtilitatè: consequenter monet Timotheum, ut attendat exhortationi & doctrinæ, scilicet aliorum; exhortationi quidem, qua fideles assidue cohortetur ad bonam & sanctam conuersationem, & ad vitandas hæreses; doctrinæ verò, qua doceat ignorantès quid credere, quid agere, quid fugere debeant. Pro exhortatione, verti etiam potest consolatione: Atque ita Græcam vocem accepit Theophylactus, putans hic præcipi pastoris officium erga mæstos, animoque deiectos. Verum multo latius patet officium exhortationis, ipsam etiam consolationem complectens: Itaque, non dubium quin exhortationem significare voluerit apostolus; nam & alibi doctrinæ exhortationem adiungit. *Qui docet, inquit, in doctrina, qui exhortatur, in exhortando.* Rom. 12. Quæ locum etiam Theophylactus similiter de consolatione intelligat; Chrysostomus tamen & alij, longè probabilius, in vniuersum de gratia exhortationis interpretati sunt.

14 **NOLI NEGLIGERE GRATIAM, QUÆ IN TE EST.** Pro gratia, Græcè non est *χάρις*, sed *χάρισμα*: quo vocabulo solet apostolus significare donum, seu gratiam eã quæ datur ad aliorum vtilitatem, quãque Theologi gratiam gratis datam appellant. Sed quæratur quod huiusmodi donum intelligat hoc loco Paulus. Quidam intelligi volunt ipsum ordinem, seu gradum episcopalem, qui consistit in potestate exercendi ea omnia quæ ad episcopi munus spectant. Alij, specialiter doctrinæ donum significari putant, id est, gratiam docendi; tanquam respiciat apostolus ad id quod proximè dixerat, *doctrinæ.* Sūt etiam qui gratiam hanc exponant de dono prophetiæ, ac miraculorū; ut meminit Aquinas. Sed sciendum imprimis, nomine charismatum apud apostolum officia, seu gradus ecclesiasticos intelligi, sed dona quædam ad vtilitatè aliorum spectantia: velut dona sapientiæ, scientiæ, linguarū, interpretationis, exhortationis, prophetiæ, miraculorū; cuiusmodi enumerat 1. Co. 12. Quæ quidè esse poterat etiam in eo, qui in gradu alicuius officij, seu potestatis nondum esset constitutus. Itaque prima expositio non congruit; præsertim cum in secunda epistola cap. 1. moneat Timotheum, de eadè gratia loquens, ut eam resuscitet; quod parum comode de ordine seu gradu episcopali dicitur. Quoniam autem ad episcopi munus bene & vtiliter administrandum, non sufficit solum doctrinæ, aut prophetiæ donum; quomodoque prophetiam

intelligas, sed multis alijs præterea donis opus est: hinc etiam secunda & tertia expositio conuincitur imperfecta. His igitur omiſſis, ea tenenda ſententia eſt, quæ gratiam hanc generalius interpretatur, eam nimirum quæ Timotheo data erat ad bene exſequendum munus episcopale. Hæc autem multa complectitur; vt gratiam docendi, exhortandi, ſcripturas interpretandi, contradictores redarguendi, & quicquid eiuſmodi. Non quod hæc omnia, & ſingula repente acceperit Timotheus, tunc quando ordinabatur; ſed, cum ordinari in episcopum non debuerit, niſi talibus donis ornatus, quemadmodum ipſe Paulus capite ſuperiori præſcripſit; intelligendum eſt in Timotheo totum hoc genus chariſmatum episcopo neceſſariorum, cõfirmatũ & auctum fuiſſe; neque id ſine augmento gratiæ gratum faciẽtis, vt-pote quæ multo magis ad bene ſanctæque exſequendum munus episcopale ſit neceſſaria. Neque enim homini ad gratiam vel eius augmentum diſpoſito, chariſmata Spiritus-ſancti dabantur vacua, ſed ipſo Spiritu-ſancto comitata, quo ſcilicet cor hominis amplius purgaretur, & ſanctificaretur; vt factum eſſe conſtat in apoſtoliſ, in Samaritanis, in Cornelio centurione, eiufque ſocijs, & in Ephēſijs: Act. 2. 8. 10. & 19. Quæ res etiam apparebit ex loco 2. Tim. 1. Cum autem, vt ex ſequentibus patet, apoſtolus loquatur de gratia Timotheo data per ceremoniam ordinationis, qua creatus fuit episcopus; iam facile ex dictis intelligitur; ordinem episcopalem eſſe nouæ legis ſacramentum, quo gratia conferatur, non modò gratuita, ſed & gratificans. Quæ doctrina magis etiam confirmabitur ex memorato loco ſecundæ epistolæ. Id verò non ſolum norandum eſt aduerſus hæreticos; qui ſacram ordinationem ſimpliciter tollunt è numero ſacramentorum nouæ legis; qui error plenius à nobis refutatus eſt in 4. diſtinct. 24; verum etiam contra quosdam Catholicos negantes episcopatum eſſe ordinem propriè dictum; Qua de re nos ibidem quoque accuratè egimus. Certè B. Thomas in cõmentario huius loci, & 2. ad Tim. 1. Paulum interpretatur de ordinatione Timothei in episcopũ, per quam fuit ei collata gratia. Sēſit igitur & ipſe in ordinatione episcopali gratiam conferri. Porro cõmonefacit apoſtolus hac parte Timotheũ, vt donum acceptum non negligat, id eſt, non ſinat ocioſum apud ſe reſidere, more ſerui inutilis, qui talentum ſibi creditum deſodit in terra. Matth. 25. ſed exciter illud, & ad uſum applicet. Hoc enim eſt quod ait in 2. epistola cap. 1. *Admoneo te vt reſuſcites gratiã Dei, &c.*

QUÆ DATA EST TIBI PER PROPHE-
TIAM, Id eſt, ſecundum prophetiam de te,
præcedentem, qua nimirum Spiritus-ſan-
ctus non ſolum teſtatur eſſe idoneum te eſſe
ad episcopatum; verum etiam ordinari te
iuiſſe. Meminit huius prophetiæ Paulus tum ad

commendationem Timothei, tum ad ſui ex-
culpationem. Nam ſine huiusmodi diuino te-
ſtimonio, non fuiſſet auſus Timotheo iuueni-
tantæ molis & dignitatis officium imponere.
Confirmat hunc ſenſum id quod primo ca-
pite dixit: *Secundum præcedentes in te prophe-
tias.* Cur autem mutato numero nunc prophe-
tiam dicat, quas antea prophetias; hæc eſt ra-
tio, quia plures quidem erant prophetiæ,
quoad perſonas prædicetes, vna verò prophe-
tia quoad rem prædictam, ſeu reuelatã. Nam
res vna & eadem à pluribus prædicebatur;
quæadmodum & Act. 13. factũ legimus An-
tiochiæ in Pauli & Barnabæ deputatione ad
gentes conuertendas; dicente Spiritu-ſancto:
Segregate mihi; tãquam ad multos. Erant enim
illic propheta & doctores. Similiter Act. 21.
discipuli dicebant Paulo per Spiritum, ne af-
cenderet Hieroſolymam. & 1. Cor. 14. *Pro-
pheta dño aut tres dicant.*

CVM IMPõSITIONE MANVVM PRESBY-
TERII. *Presbyterium* vocat non-officium aut
dignitatẽ authoritatẽve presbyteri ſiue ſa-
cerdotis, vt nonnulli volunt; nominatim Eraſ-
mus, qui vertendũ putauit, *authoritate sacerdo-
tij*; ſed cõterum ſeu collegiũ presbyterorum; ita
tamen vt iuxta cõſuetudinẽ ſcripturæ, nomi-
ne presbyterorũ etiã episcopi cõprehendãtur.
Nam de illis apoſtolũ loqui conſtat; quorum
ipſe erat vnus: Sic enim ait 2. ep. 1. de eadẽ or-
dinatione Timothei loquens; *per impositionem
manuum mearũ.* Adde, quod veteri more ec-
cleſiæ, non ſimplices presbyteri, ſed ſoli ep-
ſcopi manus imponant episcopo ordinando.
Quod & à Chryſoſtomo eſt annotatum. Agi-
tur autẽ, vt dictum eſt, de Timothei in episcopũ
ordinatione. Alioqui, presbyterij nomen
per ſe generale eſt, cõterũ ſignificans eorũ qui
quacũq; ratione presbyteri vocãtur; ſiue pro-
pter ordinẽ ſacrum, ſiue propter magiſtratum
ciuilẽ. Nã apud Cyprianum ep. 46. Cornelius
papa collegium ſiue ſenatũ cleri Romani, cui
præter presbyteros intererãt quinq; episcopi,
vocat presbyteriũ: Et Lucas euangeliij 22. nec
non Act. 22. *presbyterium* dixit pro ſenatu po-
puli; vbi noſter interpres modò vertit *ſeniores*,
modò, *maiores natu.* Alibi verò, ſenectutis ho-
nor, aut, vt alijs placet, ſenatoria poteſtas &
authoritas, eo nomine ſignificatur, vt Dan. 13.
vbi Latinè legitur: *Tibi Deus dedit honorem ſe-
necutis.* Sed ea acceptio nõ eſt huius loci. Por-
rò *manuum impositio*, cuius & in ſecunda epi-
ſtola meminit, eã ceremoniam ſignificat, quæ
in ordinandis episcopis, presbyteris, & diaconis
adhibebatur. Nam, & ſequenti capite, de
presbyteris agens: *Manu*, inquit, *cũ nemini
impoſueris.* Et Act. 6. leguntur apoſtoli manus
impoſuiſſe eis quos diaconos inſtituebant.
Norandum eſt autem, in huiusmodi ſcriptu-
ris à parte totum ſignificari. Non enim ſolum
manus imponebantur ordinando; verum etiam
verba myſtica proferebantur, & alijs ri-
tus adhibebantur; ſiue ad ordinationem per-
agendã abſolutè neceſſarij, & vt loquuntur,

effentiales,

effentiales; ſiue dumtaxat ſolemnitatis cauſa
acceſſorij. Sed ſcriptores ſacri, volentes occul-
tate profanis lectoribus Chriſtiana ſacramẽ-
ta; ſatis habuerunt, cum de ijs loquendum e-
rat, eam ſolam ceremoniam exprimere, quæ
vulgatis eſſet, & in multis alijs ſoleret vſur-
pari; ſiue ad ſubſtantiam ſacramenti pertine-
ret, ſiue non. Nam & confirmationis ac pœ-
nitentiæ ſacramenta, partim in ſcriptura ſa-
cra, partim in antiquorum ſcriptis, ſignifican-
tur nomine *manuum impositiois*. Sic igitur &
hoc loco, apoſtolus *manuum impositioem* no-
minans, intelligi voluit ſacram ordinationẽ,
tameſi pluribus alijs ritibus, iſſque ſecretiori-
bus, conſtante. Atque hoc eſt quod Am-
broſianus commentarij dicit, *manus impositio-
es eſſe verba myſtica*; eo nimirum ſermonis
tropa quo ex vno aliud illi coniunctum in-
telligitur. Plura de manuum impositioem vi-
de apud Heſſelium, & in noſtro ſuper 4. ſent.
commentario. Quæritur autem cur dixerit
apoſtolus, *Cum impositione manuum presbyterij*,
& non *per impositionem*, quemadmodum lo-
quitur in ſecunda epistola, *per impositionem
manuum mearum*. Reſponderi poteſt hunc
locum ex illo interpretandum, vt prepoſitio
cum, loco, per, poſita ſit. Sed veriſimilius eſt ea
prepoſitione coniungi impositioem ma-
nuum cum prophetia; vt ſenſus ſit, Quæ gra-
tia data eſt tibi per prophetiam, ſimul & per
impositionem manuum presbyterij, quæ eam
ſecuta eſt. Nam prophetiam præcedentem
ſubſequentis impositio manuum complebat,
& ratam faciebat. Iterum quæritur quomo-
dò hæc manuum impositio tribuatur presby-
terio, id eſt, presbyterorum, ſiue episcoporum
collegio; cum Paulus in ſecunda epistola vi-
deatur eam ſibi ſoli vindicare, dicens, *per im-
positionem manuum mearum*. Reſpondeo, ce-
remoniã quidem impositiois manuum plu-
ribus fuiſſe adhibita; ſed ſolum Paulũ ea per-
egiffe, quæ ſacramento ſubſtantialia erant. Po-
ſtremò quæri poteſt vtrum ſoli episcopi, an
verò etiam ſimplices presbyteri per impositio-
nem manuum presbyterij ordinentur. Reſ-
pondeo, modum hunc ordinationis omni-
bus presbyteris eſſe communem, vt conſtat
ex can. 3. Concilij 4. Carthag. Quod & palam
ſignificat Synodus Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. doctri-
næ de ſacramento extreme vnctõis; quum
dicit, presbyterorum nomine apud Iacobum
cap. 5, intelligendos eſſe aut episcopos, aut ſa-
cerdotes ab ipſis ritè ordinaros per impositio-
nem manuum presbyterij. Id tamen eſt diſ-
criminis, quod episcopo ordinando, plures
episcopi manus imponant; presbytero vnus
episcopus cum presbyteris inferioribus.

HÆC MEDITARE, IN HIS ESTO. Medi-
tatio non ſignificat nudam animi cogitatio-
nem, ſed coniunctam cum ea cura, qua quis
totus in rem aliquam perficiendam incum-
bit. Vnde alij vertunt, *hac exerce*; alij, *hac cura*;
His enim modis explicatur Græcum *μελέτω*.
Demonſtratiuum pronomen ab Oecumenio

refertur ad illud quod dixerat; *Exemplũ eſt
fidelium in verbo, in conuerſatione &c.* Sed re-
ctius Chryſoſtomus, & alij ſignificant apo-
ſtolum reſpicere ad iſtud viciniũ; *Attende le-
ctioni, exhortationi, doctrinæ*; & Timotheum re-
petita admonitione hortari, vt hæc curet, &
agat, atque in ijs totus ſit.

VT PROPECTVS TVVS MANIFESTVS SIT
OMNIBVS. Græcè, *in omnibus*, hoc eſt, vt Chry-
ſoſtomus & Theophylactus exponunt, non
tantum in conuerſatione vitæ, verum etiam
in verbo doctrinæ: Nota quidem erat fide-
libus Timothei pietas & doctrina: ſed vult apo-
ſtolus etiam profectum eius apparere, quo
magis exemplo ſuo alios ædificet. Quod in
episcopo maximè eſt neceſſarium.

ATTENDE TIBI ET DOCTRINÆ. Græcè,
tibi-ipſi. Quod eſt magis emphaticum. Sen-
ſus eſt: Attende tibi-ipſi, vt rectè viuas; At-
tende etiam doctrinæ, vt alios rectè inſtituas.
Simile illud eiufdem apoſtoli Act. 20. *Atten-
dite vobis & vniuerſo gregi*.

INSTA IN ILLIS. Græcè, *permane*, *perſiſte*
in ijs. q. d. Monui te vt attenderes lectioni,
exhortationi, doctrinæ; nunc in ſuper moneo
vt in ijs perſeueres. Poteſt etiam referri ad
partem proximè præcedentem, hoc modo;
Inſiſte in his duobus quæ dixi, vt & tibi at-
tendas, & doctrinæ. Cui ſenſui bene quadrat
quod ſequitur,

HOC ENIM FACIENS ET TE IPSVM SAL-
VVM FACIES, ET EOS QUI TE AUDIUNT.
Exhortatio eſt ab vtilitate ſeu fructu tam ſuæ
quàm alienæ ſalutis. Si, inquit, hoc feceris, id
eſt, attenderis tibi-ipſi, atque doctrinæ; & te-
ipſum ſaluũ facies, & eos qui te docentem au-
dient, id eſt, doctrinæ tuę credent, obediunt,
acquieſcent. Quomodo dictum eſt, *Qui vos
audit, me audit*. Luc. 10. Hic obſerua apoſto-
lum qui ſuprà dixerat, Deum eſſe Saluatorem
omnium hominum maximè fidelium; nunc
homini tribuere, quod & ſe ſaluũ faciat, &
alios; nimirum vt intelligamus liberi arbitrij
in homine facultatem, & vim operatricem.
Vnde & in ſcripturis dicitur homo ſeipſum
vel animam ſuam ſanctificare, iuſtificare, ca-
ſtificare, mundare. Saluum autem ſe facit, nõ
dando ſibi vitam æternam, ſed eam bonis o-
peribus promerendo. alios autem ſaluos facit,
exemplis & doctrinis eos ad ſalutem addu-
cendo: quomodo de ſe dicit apoſtolus Ro. 11.
Et ſaluos faciam aliquos ex illis, ſcilicet Iudæis.
& 1. Cor. 7. *Virum ſaluũ facies. Mulierem
ſaluam facies*. Quod ſi rectè & ſecundum ſcri-
pturas propter huiusmodi rationes dicitur
homo & ſeipſum & alios ſaluos facere: ergo
malè Catholicos hæretici criminantur, quod
matrẽ Dei vitam & ſpem ſuam appellent; cum
etiam *ſaluatricem* appellare poſſint, vt quæ ſua
apud Deum interceſſione quam plurimis ho-
minibus ſalutem impetret.

S V M M A R I V M.

Instruit Timotheum quomodo quamlibet etatem admonere debeat: quas viduas honorare; quo modo cum iunioribus viduis agendum; Qui presbyteri honore digni; Neminem facile ordinandum.

CAPVT V.

SENIOREM NE INCREPAVERIS. A generalibus præceptis ad specialia quibus instruendus est episcopus, descendit. Seniolem, Græcè πρεσβύτερον, intelligit ætate, non gradu; quemadmodum patet ex ijs quæ sequuntur. Nam ætates hinc distinguit in utroque sexu. Quod autem vertit interpres, increpaneris, in Græco, verbum est, quod propriè significat, plagam inferre; transfertur autem ad id quod est acriter, & seuerè obiurgare. Admonet igitur Apostolus Timotheum, ne durius increpet senes, si delinquant. Id verò præcipit propter honorem senectutis, quæ venerationem proprio quodam iure exigit. Dicit aliquis, Christum, & Paulum, & Daniele increpasse senes, & quidem acriter ac durè; Matth. 23. Actor. 23. & Dan. 13. Respondeo, præceptum hoc apostolicum de vulgaribus correptionibus intelligendum esse, non de ea quæ fit ob grauissima crimina, si præsertim coniuncta sint cum malicia & obduratione animi, aut cum graui scandalo proximorum. Vnde Gregorius, epistola prima, lib. 7. indictione secunda, Ianuarium senem episcopum increpans, dicit hanc apostoli regulam de seniore non increpando, tunc seruandam esse, quando culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem, inquit, senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione ferendus est. Et B. Thomas in commentario, cum sibi obiecessit illud Isaia 65. Peccator centum annorum, maledictus erit; Respondet, senem propter excedentem maliciam perdere honorem senectutis, & tunc esse increpandum.

SED OBSECRA VT PATREM. Hoc dicitur episcopo iuniori, qualis erat Timotheus. Nam senex episcopus senem subditum peccantem non iubetur vt patrem obsecrare, aut corripere; sed potius vt fratrem. Pro eo quod habemus, obsecra, multi vertendum putant, hortare; vtrumque enim Græca voce significatur. Mouet eos quòd iuuenes de quibus continuò sequitur, non sint obsecrandi, sed hortandi. Verùm ad hoc statim respondebitur. Certè apostolus non hinc agit de exhortatione virtutum, sed de correptione vitiorum. Neque satis com-

modè dicimur aliquem hortari vt patrem: Quare hortandi vocabulum huic loco non conuenit; tamen etiam Ambrosianus, exhortare legit. Sensus autem est, seniolem, si deliquerit, cum obsecratione admonendum & corripiendum esse; velut si filius admoneat patrem.

IUVENES VT FRATRES. Et hoc Timotheo dicitur, cum alioqui episcopus senior iuuenes non vt fratres, sed vt filios compellare debeat. Græcè quidem est, iuniores; sed comparatiuus est loco positui, sicut & in vocabulo senioris. Nunc queritur quomodo deceat episcopum obsecrare iuuenes peccantes; imò & iuenculas, de quibus mox sequitur. Respondeo, non hinc repetendum esse verbum, obsecra; sed aliud supplendum, videlicet, admone, corripe, vel quipiam tale. Est enim oratio eclipica, supplementum verbi à priore diuersi postulans; qualis & illa erat capitis superioris, prohibentium nubere, abstinere a cibis, & aliæ quas ibidem annotauimus. Porro idem verbum supplendum est in vtraque parte sequenti.

ANVS VT MATRES. Anus, Græcè πρεσβυτέρα, id est, mulieres natu grandiores. vt vertit Erasmus. Nam anus, Græcè γεραία verulam significat. Sed neque hinc dictum est, obsecra; quia viro naturaliter autoritas in mulierem competit.

IUVENCULAS, VT SORORES; IN OMNI CASTITATE. Hinc peculiariter addit, In omni castitate, id est, per omnia castè, quia iuencularum allocutio illecebrosa est, & facile sinistram parit suspicionem. Quare si res postulat, vt cum eis loquendum sit; id breuissimè fieri debet, & cum ea animi atque oculorum custodia, vultus & sermonis grauitate, loci & temporis cautela; vt non solum Anus seruetur cordis mundicia, verùm etiam exterius ab omni specie mali caueatur. Hæc autem res non solum episcopo, verùm & vniuerso ordini ecclesiastico sollicitè est obseruanda. De qua re extant vtilissima præcepta apud Hieronymum in epistola ad Nepotianum.

VIDVAS HONORA QUÆ VERE VIDVÆ SVNT. Hinc Aquinas, Liranus, & Glossa faciunt initium capitis quinti. Tradit deinceps apostolus doctrinam admodum salutarem de cura & institutione viduarum; ac primò Timotheum instruit, quem delectum habere debeat in viduis honorandis, id est, alendis ac sustentandis publico sumptu ecclesiæ. Quæ quidem sustentatio, nomine honoris siue honorationis idcirco significatur, quia fiebat cum testimonio virtutis earum quæ sicalebantur. Estque ea honoris acceptio frequens in scripturis: Vnde est illud decalogi; Honora patrem & matrem; quod de honore sustentationis ipse Dominus exposuit Matth. 15. Item quod infra dicitur hoc eodem capite; Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur. Quod ergo dicit apostolus tale est; Eas

viduas

viduas quæ verè viduæ sunt, recipe in numerum viduarum quæ ex oblationibus fidelium aluntur: videlicet ad exemplum earum viduarum de quibus agit Actor. 6. Quo loco notandum eum intelligi viduarum in ministerio quotidiano despectum, qui earundem honori opponitur, cuius hinc fit mentio; atque eum despectum occasionem dedisse murmuri, quod illic describitur. Sciendum autem imprimis, quod in eiusmodi viduarum numerum non admittebantur: nisi quæ prius fidem dedissent continentæ deinceps seruandæ, id est, vorum vidualis castitatis Deo fecissent; quemadmodum infra significat ipse apostolus. Quæ etiam ætatem earum præscribit, aliasque conditiones exigit, quas in progressu videbimus. De hoc genere viduarum, plura qui volet, consulat Ioannem Chrysostomum lib. 3. de dignitate Sacerd. & Ioanem Hæsselium in commentario, vbi diligenter ex antiquitate ea collegit, quæ ad hunc locum illustrandum faciunt. Quem vide etiam infra ad illud, Vidua eligatur &c. Nam hic mos alèdi viduas è fidelium oblationibus, ab apostolis institutus, diu in ecclesia perseverauit. Quando autem cessauerit, haud satis constat. Querit Chrysostomus cur de virginibus honorandis nullam faciat apostolus mentionem. Respondet autem, fortasse tunc virgines non fuisse, scilicet Ephesi, vt quæstionem explicat Theophylactus. Vterque verò loquitur de virginibus Deo dicatis; neque sentiunt eiusmodi nullas tunc Ephesi fuisse, sed rariores; eo quod fideles recenter ex gentilitate conuersi non facile caperent verbum hoc. Quanquam aptior ad quæstionem responsio est, ideo de virginibus honorandis apostolum nihil scripsisse, quia loquitur de hōnore sustentationis. Atqui non virgines, sed viduæ egentes ac desolatæ, sumptibus ecclesiæ sustentandæ erant. Nam virgines à suis parentibus alebantur. Verè viduas intelligit non secundum nominis significationem (sic enim verè viduæ erant etiam illæ, quæ rebus necessarijs abundabant) sed secundum nominis etymologiam; id est, eas viduas, quæ subsidijs ac solatijs humanis destitutæ sunt. Græcis enim χήρα, vidua, deriuatur ἀπὸ τῆς χηρῆσαι, id est, desolari, destitui, priuari; id quod etiam viduari Latine dicitur. Atque huc apertius paulò post alludit, dicens: Quæ autem verè vidua est & desolata. Eodem spectant verba proximè sequentia:

SI QVA AVTEM VIDVA FILIOS, AVT NEPOTES HABET. Per oppositionem insinuat quantum sit verè vidua, vt pote non solum viro orbata, sed etiam liberorum ope destituta. Nam si liberorum habeat, à quibus alipossit; verè vidua non erit. Nepotes autem dicit filios filiorum; id quod à Syro interprete expressum est.

DISCAT PRIMVM DOMVM SVAM REGERE. Græca & Syra plurali numero, discant, quibus & Latina quædam vetusta astipulan-

tur. Pro verbo regere, Græcè est ἐπιτελεῖν, quod Erasmus & Hentenius Ambrosianum secuti, verterunt, piè tractare, quemadmodum & Augustinus legit lib. 9. confess. cap. 9. & q. 43 in Deutero. Hieronymus in epistola ad Ageruchiam, reddit, colere; cuius verba ponemus infra. Nec minus rectè veritas, piè curare; quod habet Caietanus. Alius quispiam partem hanc ita reddidit, non malè; Discant imprimis erga propriam domum pietatem exercere.

ET MUTVAM VICEM REDDERE PARENTIBVS. Græcè & Syriacè, progenitoribus, quod alij vertunt, maioribus. Totus hic apostoli locus bifariam exponitur; aut vt viduis præcipiat, aut vt earum liberis. Qui legunt, discat, vt ferè Latini; præceptum apostoli dirigit ad viduam, hoc sensu: Si qua vidua filios aut nepotes habet superstites, ea priusquam ecclesiæ vidua fiat, familiam suam bene regat, filios ac nepotes piè instituat, atque eo modo beneficium educationis, quod à maioribus accepit, in minores refundat. In hunc sensum etiam Augustinus, loco citato, apostolum intellexit. Quin & Chrysostomus, quamuis habeat pluralem numerum, ad viduam tamen reulit hoc præceptum, nimirum sentiens huiusmodi mutationem numeri Paulo non esse insolitam, atque eo minus hoc loco improbadam, quòd indefinita sit oratio, qua nempe de toto genere, non de indiuiduo agitur. Alij verò verbum plurale, discant, ad filios & nepotes referunt, vt sensus sit; Si qua vidua filios habet aut nepotes, ij primùm discant pietatem exercere erga propinquos, & domesticos; & vicem sustentationis rependere parentibus, à quibus educati fuerunt. Id est, breuiter & clarè; Ipsi alant matrem suam, vel auiam suam. Cum qua expositione congruit quod infra sequitur; Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur ecclesia: vt ijs quæ verè viduæ sunt, sufficiat. Sensem hunc tradunt Theophylactus, & Oecumenius; quamuis hic etiam priorem adducat ex Chrysostomo. Hieronymum quoque posteriori modo præceptum apostoli intellexisse, palam declarant hæc eius verba in epistola ad Ageruchiam: De his viduis disputat apostolus, quæ suorum nutriuntur alimentis, quæ filiorum & nepotum cervicibus imponuntur; quibus imperat, vt discant domum suam colere, & remunerare parentes, & sufficienter eis tribuere; vt non grauetur ecclesia, & possit certis viduis ministrare. Hæc ille. Vbi ne hæsites, scias illud, quibus imperat, non viduas referre, sed filios, & nepotes. Id enim manifestè postulat series sermonis. Eandem expositionem & nos cum Hæselio probamus; non solum propter plurale, discant, verùm etiam propter Græcum verbum ἐπιτελεῖν, quod actum pietatis significat, non eius tantum quæ Deo ab omnibus debetur, verùm etiam quam filij debent parentibus. Nam & his modis

accipitur pietas apud Latinos, Non posse autem intelligi piam & sanctam institutionem matrum erga familiam; vel inde apparet, quod hac ratione non verè dicerentur *mutuam vicem reddere parentibus*. Non enim ipse tali modo, id est, piè sancteque, fuerant instituta à suis parentibus; vt pote quos habuerant infideles, & idololatrias. Adde, quòd de viduis egentibus sermo est; Non ergo erant remittendæ ad liberos suos, vt eos alerent, sed vt ab eis alerentur. Denique quomodo dicitur viduæ nepotes habenti: *Discat primum domum suam regere*, cum vidua nepotes habens, id iam diu antè in filijs suis & didicerit, & fecerit? Non ergo viduæ, sed filijs eius ac nepotibus præceptum hoc scribit apostolus: scilicet id præcipiens, vt pietatis officium, id est, sustentationem matribus viduis exhibeant, eoque modo vicem eis rependant; ciconiarum more, quæ parentes verulos naturali quodam instinctu fouent atque sustentant. Vnde & *ἀλωπελαρπία* vocatur apud Græcos, hæc filiorum pietas erga parentes. Restat explicandus respectus vocabuli, *primum*, iuxta sensum hunc posteriorem. Putat Hesselius hoc significari, vt filij ac nepotes, qui fortè cupiebant matrem, vel auam suam ab ecclesia sustentari, prius ipsi iubeantur eam alere; postea, si facultas eis deficeret, ecclesiæ alendam commendarent. Mihi longè probabilius est, respectum significari ad externos, minus propinquos: hoc modo; Discant, te docente, filij ac nepotes primo loco domesticis suis, cuiusmodi maximè sunt parentes, piam curam sustentationis impendere, ac vicem ipsi rependere; deinde, si possunt, etiam ad alios beneficentiam extendant. Congruit huic sensui quod paulò inferius dicitur. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit &c.* Quod enim ibi dicit, *maximè*, hic dicit, *primum*: & quos ibi vocat *domesticos*, hic vocat *domum*. Ostendunt autem hæc sententiæ, parentes præ alijs hominibus diligendos esse, ipsique præ cæteris benefaciendum.

HOC ENIM ACCEPTVM EST CORAM DEO. Græci codices complures hodierni addunt, *bonum*. Hoc enim est bonum & acceptum coram Deo. Sed verisimile est, additum ex capite secundo huius eiusdem epistolæ, vbi sic legitur. *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro*. Nam hoc loco, *bonum* non legitur Theophylactus, Oecumenius, Syrus interpres, vt nec vlli codices Latini. Sensus est, Opus illud pietatis filiorum in parentes esse Deo vehementer gratum. Vnde & promissionem longæuitatis annexam habet in decalogo.

QUÆ AVTEM VERE VIDVA EST, ET DESOLATA. Viduas, quæ verè viduæ sunt, honorandas docuit; nunc quæ verè vidua sit, consequenter exponit. Nā quod dicit, *Et desolata,*

exponentis est; q. d. Quæ verè vidua est, hoc est, quæ desolata est, ac destituta non solum marito, verum etiam filijs ac nepotibus, omnique subsidio humano, quo iuari queat:

SPERET IN DEVM. Multi codices, ipsique præstantes enunciatuè legunt, *sperat in Deo*; quibus suffragatur Ambrosianus, Primasius, Anselmus, & editio Syriaca. Græcè quidem est præteritum, *sperauit*; sed quod vim presentis habeat, quemadmodum ostendimus ad illud capitis superioris, *Quia speramus in Deum viuum*. Verbum, *sperauit*, in Latinis quoque nonnullis inuenitur.

ET INSTET OBSECRATIONIBVS, ET ORATIONIBVS, NOCTE ET DIE. Græci codices, ac reliqui omnes qui supra, rursus enunciatuè legunt. *Instat*. Pelagium quoque & Sedulium legisse *sperat & instat*, arguunt eorum commentarioli. *Instat* autem, id est, permanet, perseverat, vt alij vertunt; tamen Græca voce magis assiduitas, quam perseverantia significatur. At verò etiam Hieronymus in epistola dudum citata satis significat se locum hunc indicandi modo legisse, non imperandi; dum mulieres verè viduas ita describit: Quæ omnium suorum auxilio destitutæ sunt, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætateque conficit; quibus Deus spes est, & omne opus oratio. Nunc sensum huius loci reddamus: Quæ verè vidua est, inquit, ac iuxta nomen suum desolata, solaque relicta; spem habet in Deo repositam, ad Deum assidue respicit; eique toto animo deuota, semper, tam nocte quam die vacat orationibus. Non significat apostolus omnes eas quæ verè viduæ sunt, ista præstare: Quædam enim destitutæ subsidijs humanis, non ad Deum confugiunt, sed malis artibus sese dedunt, aut certè sæculi curas ac voluptates animo ac desiderio sectantur. Sed quomodo dixit in priore ad Cor. 7. *etiam qui sine uxore est, sollicitum esse quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*; Itemque *mulierem inuuptam & virginem cogitare quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu*; quia nimirum hi non sunt instar conjugatorum diuisi, atque distracti, quo minus ea faciant: ita nunc dicit, *eam quæ verè vidua est ac desolata, sperare in Deum*, & orationibus assidue intentam esse; quia, cum nec familiam habeat, nec opes, ideoque à curis rerum temporalium sit libera; non impeditur quominus tota vacet Deo, ad exemplum viduæ illius Annæ prophetissæ, quæ sicut Lucas de ea testatur euangelij sui cap. 2. *non discedebat de templo, ieiunans, & obsecrationibus seruans nocte ac die*. Hinc igitur Timotheo colligendum relinquit, non alias, quam quæ huiusmodi sint, assumendas esse in numerum viduarum ecclesiæ. Porro quid differant obsecrationes & orationes; partim ad cap. 2. huius epistolæ, partim alibi dictum est.

NAM QUÆ IN DELICIIIS EST, VIVENS MORTVA EST. In Græco non est coniunctio causalis, sed aduersatiua, *Quæ verò in delicijs &c. quemadmodum & Ambrosianus legit.*

Ab Au-

Ab Augustino q. 43. in Deut. ita citatur, *Quæ autem in delicijs agit, viuens mortua est*. Idque Græco textui magis exactè respondet. Nam Græcum participium *σπαταλῶσα* significat delicias agere, id est, in delicijs agentem, sine versantem, vt neoterici vertunt. Apud Cyprianum lib. 3. ad Quirinum cap. 74. sic legitur: *Quæ autem delicata est, viuens mortua est*. Ex his etiam liquet non ita distinguendum, vt hypostygma sequatur participium, *viuens*, hoc modo, *Quæ in delicijs est viuens*, quasi sensus sit, *Quæ in delicijs viuit, mortua est*; quæuis ita distinxisse videatur Augustinus super psalm. 9: sed distinctionis notulam subiiciendam verbo est; vt quod sequitur, *viuens mortua est*, continuatè pronuncietur. Quæ distinctio sensum etiam reddit argutiorem. Sentit enim apostolus viduam delicijs vacantem esse monstrum quoddam; quia viuens mortua est. Nam etsi corpore viuat, & valeat, adeoque sitauerit iuxta carnem viuat; mortua tamen est secundum spiritum, vt pote gratia Dei priuata. Quo sensu dictum est à Domino, *Sine mortuos sepelire mortuos suos*. Matth. 8. Huiusmodi viduam apostolus opponit illi, quam dixit in Deum sperare, nocteque ac die precibus instare; de qua liceat è contrario dicere, *quod mortua viuat*. Nam mundo mortua, viuit Deo. Hoc autem de vidua deliciofa interposuit, vt sciret Timotheus eas quæ huiusmodi sunt, velut indignas ab ecclesiæ beneficio reijciendas esse.

ET HOC PRÆCIPE VT IRREPREHENSIBILES SINT. Pronomen Græcum plurale est, *Ecce hæc præcipe*. Consentit Ambrosianus. Itaque particula, *vt*, non materiam præcepti significat, sed finem. Est enim sensus; Ea quæ iam indicaui, præcipe viduis, scilicet, vt in Deum sperent, in orationibus assiduæ sint, delicias & voluptates fugiant; ita futurum, vt eas nullus merito possit reprehendere, nec propter eas malè audiat Christiana religio. Notandum est apostolum à viduis ecclesiæ alumnis id exigere, quod peculiari studio ab episcopis & diaconis, atque eorum vxoribus exegit; scilicet, vt sint irreprehensibiles: Ex quo intelligitur hoc viduarum genus non vulgarem dignitatis & honoris locum in ecclesia habuisse. Id quod etiam Chrysostomus & Ambrosianus obseruauerunt.

SI QVIS AVTEM SVORVM, ET MAXIME DOMESTICORVM CVRAM NON HABET. Græcum relatiuum *his* commune est vtriusque generi; ac multi putant femininum genus reddendum fuisse, *Si quæ*, vt ad viduam referatur; propterea quod quæ viduis sermonem continet apostolus; q. d. *Si quæ vidua filios, aut nepotes habet, nec eorum curam gerit &c.* Sic intellexerunt Græci, quibus Ambrosiana versio, quam imitatus est Erasmus, suffragatur. Et conuenit hic sensus cum priori expositione

partis illius superioris; *Discat primum domum suam regere &c.* Verum ibi satis ostendimus longè probabilius eam partem referri ad filios ac nepotes: Quare & hoc loco ad eosdem respicere apostolum, cum Hesselio existimamus, ita tamen vt generalis sit sententia, qua rem particularem confirmet. Retinendum igitur est masculinum genus. Inter *suos, & domesticos*, illud discrimen esse videtur, quod *suos* vocet quomocunque propinquos; *domesticos* autem, sanguine proximos, vt sunt parentes, fratres, filij, nepotes; quòd domestica habitatione coniuncti esse soleant. Nonnulli *domesticos* interpretantur fideles, quos Gal. 6. vocat *domesticos fidei*: Verum hic non additur, *fidei*; & id quod prius diximus, magis congruit textui, maxime, quia præcessit, *domum suam regere*. Curam verò seu *provisionem*, intelligit rerum ad vitam necessariorum.

FIDEM NEGAVIT. Non quidem verbo, sed facto, sicut de quibusdam dicit ad Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Peculiariter autem per ea crimina quis censetur facto negare fidem, per quæ fit vt alij Deum Christianorum blasphemant, aut à fide ac religione eius auertantur. Tale erat in primitiua ecclesia, si filij curam parentum egenorum abijcerent, si serui dominis obedientiam detrectarent, si Christiani tributum principibus negarent. Hæc enim statim in iniuriam religionis vertebantur. Vnde capite sequenti, seruis præcipiens quid dominis debeant, subiungit, *Nomen Domini & doctrina blasphemetur*. Sentit ergo apostolus eum qui propinquos, præsertim parentes senio confectos atque egentes, deserit, perinde facere atque si fidem negaret. Nam fidei Christianæ derogat, dum facto suo infideles à fide suscipienda auertit.

ET EST INFIDELI DETERIOR. Quia nimirum infideles etsi inimicos suos se odisse profiteantur; domesticorum tamen curam habere solent, ducti lege naturæ; quam utique in hac re non violant. Igitur hac parte fidelis, si curam suorum non habeat, infideli deterior est. Dico, *hac parte*; nam absolute deteriore esse, non est necesse. Notandum est autem apostolum non dixisse, *fidem amisit*, sed *negauit*; nec rursus dixisse, Est infidelis, sed, *infideli deterior*; ne quis ex his apostoli verbis colligat fidem quocunque peccato mortali amitti. Quod à Luthero assertum, à Patribus Concilij Tridentini damnatum est sess. 6. cap. 13, & can. 27. Quin è diuerso potius sequitur, Si est infideli deterior; ergo non est infidelis.

VIDVA ELIGATUR NON MINVS SEXAGINTA ANNORVM. Quod ait, *eligatur*, potest dupliciter accipi, vel vt eligatur admittenda in numerum viduarum, vel vt præficienda cæteris. Caietanus pugnat pro sensu posteriori, putans eum manifestè probari ex

eo quòd

accipitur pietas apud Latinos, Non posse autem intelligi piam & sanctam institutionem matrum erga familiam; vel inde apparet, quod hac ratione non verè dicerentur *mutuam vicem reddere parentibus*. Non enim ipse tali modo, id est, piè sanctèque, fuerant instituta à suis parentibus; ut pote quos habuerant infideles, & idololatrias. Adde, quòd de viduis egentibus sermo est; Non ergo erant remittendæ ad liberos suos, ut eos alerent, sed ut ab eis alerentur. Denique quomodo dicitur viduæ nepotes habenti: *Discat primum domum suam regere*, cum vidua nepotes habens, id iam diu antè in filiis suis & didicerit, & fecerit? Non ergo viduæ, sed filij eius ac nepotibus præceptum hoc scribit apostolus: scilicet id præcipiens, ut pietatis officium, id est, sustentationem matribus viduis exhibeant, eoque modo vicem eis rependant; ciconiarum more, quæ parentes verulos naturali quodam instinctu fouent atque sustentant. Vnde & *ἀντιπαρορρία* vocatur apud Græcos, hæc filiorum pietas erga parentes. Restat explicandus respectus vocabuli, *primum*, iuxta sensum hunc posteriorem. Putat Hesselius hoc significari, ut filij ac nepotes, qui fortè cupiebant matrem, vel aniam suam ab ecclesia sustentari, prius ipsi iubeantur eam alere; postea, si facultas eis deficeret, ecclesiæ alendam commendarent. Mihi longè probabilius est, respectum significari ad externos, minus propinquos: hoc modo; Discant, te docente, filij ac nepotes primo loco domesticis suis, cuiusmodi maximè sunt parentes, piam curam sustentationis impendere, ac vicem ijs rependere; deinde, si possunt, etiam ad alios beneficentiam extendant. Congruit huic sensui quod paulò inferius dicitur. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit* &c. Quod enim ibi dicit, *maximè*, hic dicit, *primum*: & quos ibi vocat *domesticos*, hic vocat *domum*. Ostendunt autem hæc sententiæ, parentes præ alijs hominibus diligendos esse, ijsque præ cæteris benefaciendum.

HOC ENIM ACCEPTVM EST CORAM DEO. Græci codices complures hodierni addunt, *bonum*. Hoc enim est bonum & acceptum coram Deo. Sed verisimile est, additum ex capite secundo huius eiusdem epistolæ, vbi sic legitur. *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo*. Nam hoc loco, *bonum* non legunt Theophylactus, Oecumenius, Syrus interpres, ut nec vlli codices Latini. Sensus est, Opus illud pietatis filiorum in parentes esse Deo vehementer gratum. Vnde & promissionem longauitatis annexam habet in decalogo.

5 QUÆ AVTEM VERE VIDVA EST, ET DESOLATA. Viduas, quæ verè viduæ sunt, honorandas docuit; nunc quæ verè vidua sit, consequenter exponit. Nā quod dicit, *Et desolata,*

exponentis est; q. d. Quæ verè vidua est, hoc est, quæ desolata est, ac destituta non solum marito, verum etiam filijs ac nepotibus, omnique subsidio humano, quo iuari queat:

SPERET IN DEVM. Multi codices, ijsque præstantes. enunciatiuè legunt, *sperat in Deo*; quibus suffragatur Ambrosianus, Primasius, Anselmus, & editio Syriaca. Græcè quidem est præteritum, *sperauit*; sed quod vim presentis habeat, quemadmodum ostendimus ad illud capitis superioris, *Quia speramus in Deum viuum*. Verbum, *sperauit*, in Latinis quoque nonnullis inuenitur.

ET INSTET OBSECRATIONIBVS, ET ORATIONIBVS, NOCTE ET DIE. Græci codices, ac reliqui omnes qui supra, rursus enunciatiuè legunt. *Instat*. Pelagium quoque & Seduliu legisse *sperat* & *instat*, arguunt eorum commentarioli. *Instat* autem, id est, permanet, perseverat, ut alij vertunt; tamen Græca voce magis assiduitas, quam perseverantia significatur. At verò etiam Hieronymus in epistola dudum citata satis significat se locum hunc indicandi modo legisse, non imperandi; dum mulieres verè viduas ita describit: Quæ omnium suorum auxilio destitutæ sunt, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit; quibus Deus spes est, & omne opus oratio. Nunc sensum huius loci reddamus: Quæ verè vidua est, inquit, ac iuxta nomen tuum desolata, solaque relicta; spem habet in Deo repositam, ad Deum assidue respicit; eoque toto animo deuota, semper, tam nocte quam die vacat orationibus. Non significat apostolus omnes eas quæ verè viduæ sunt, ista præstare: Quædam enim destitutæ subsidijs humanis, non ad Deum confugiunt, sed malis artibus sese dedunt, aut certè sæculi curas ac voluptates animo ac desiderio sectantur: Sed quomodo dixit in priore ad Cor. 7. *etiam qui sine uxore est, sollicitum esse quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*; Itemque *mulierem inuuptam & virginem cogitare quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu*; quia nimirum hi non sunt instar conjugatorum diuisi, atque distracti, quo minus ea faciant: ita nunc dicit, *eam quæ verè vidua est ac desolata, sperare in Deum, & orationibus assidue intentam esse*; quia, cum nec familiam habeat, nec opes, ideoque à curis rerum temporalium sit libera; non impeditur quominus tota vacet Deo, ad exemplum viduæ illius Annæ prophetissæ, quæ sicut Lucas de ea testatur euangelij sui cap. 2. *non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruans nocte ac die*. Hinc igitur Timotheo colligendum relinquit, non alias, quam quæ huiusmodi sint, assumendas esse in numerum viduarum ecclesiæ. Porro quid differant obsecrationes & orationes; partim ad cap. 2. huius epistolæ, partim alibi dictum est.

6 NAM QUÆ IN DELICIIS EST, VIVENS MORTVA EST. In Græco non est coniunctio causalis, sed aduersatiua, *Quæ verò in delicijs &c. quemadmodum & Ambrosianus legit.*

Ab Au-

Ab Augustino q. 43. in Deut. ita citatur, *Quæ autem in delicijs agit, viuens mortua est*. Idque Græco textui magis exactè respondet. Nam Græcum participium *σπαρταλῶσα* significat delicias, id est, in delicijs agentem, sine versantem, ut neoterici vertunt. Apud Cyprianum lib. 3. ad Quirinum cap. 74. sic legitur: *Quæ autem delicata est, viuens mortua est*. Ex his etiam liquet non ita distinguendum, ut hypostygma sequatur participium, *viuens*, hoc modo, *Quæ in delicijs est viuens*, quasi sensus sit, *Quæ in delicijs viuit, mortua est*; quæuis ita distinxisse videatur Augustinus super psalm. 9: sed distinctionis notulam subiiciendam verbo est; ut quod sequitur, *viuens mortua est*, continuatè pronuncietur. Quæ distinctio sensum etiam reddit argutiorem. Sentit enim apostolus viduam delicijs vacantem esse monstrum quoddam; quia viuens mortua est. Nam etsi corpore viuat, & valeat, adeoque sitaüter iuxta carnem viuat; mortua tamen est secundum spiritum, utpote gratia Dei priuata. Quo sensu dictum est à Domino, *Sine mortuos sepelire mortuos suos*. Matth. 8. Huiusmodi viduam apostolus opponit illi, quam dixit in Deum sperare, nocteque ac die precibus instare; de qua liceat è contrario dicere, *quod mortua viuat*. Nam mundo mortua, viuit Deo. Hoc autem de vidua deliciofa interposuit, ut sciret Timotheus eas quæ huiusmodi sunt, velut indignas ab ecclesiæ beneficio reijciendas esse.

7 ET HOC PRÆCIPE VT IRREPREENSIBILES SINT. Pronomen Græcum plurale est, *Ecce hæc præcipe*. Consentit Ambrosianus. Itaque particula, *vt*, non materiam præcepti significat, sed finem. Est enim sensus; Ea quæ iam indicaui, præcipe viduis, scilicet, ut in Deum sperent, in orationibus assiduæ sint, delicias & voluptates fugiant; ita futurum, ut eas nullus merito possit reprehendere, nec propter eas malè audiat Christiana religio. Notandum est apostolum à viduis ecclesiæ alumnis id exigere, quod peculiari studio ab episcopis & diaconis, atque eorum vxoribus exegit; scilicet, ut sint irreprehensibiles: Ex quo intelligitur hoc viduarum genus non vulgarem dignitatis & honoris locum in ecclesia habuisse. Id quod etiam Chrysostomus & Ambrosianus obseruarunt.

8 SI QVIS AVTEM SVORVM, ET MAXIME DOMESTICORVM CVRAM NON HABET. Græcum relatiuum *his* commune est utriusque generi; ac multi putant femininum genus reddendum fuisse, *Si qua*, ut ad viduam referatur; propterea quod de viduis sermonem continet apostolus; q. d. *Si qua vidua filios, aut nepotes habet, nec eorum curam gerit* &c. Sic intellexerunt Græci, quibus Ambrosiana versio, quam imitatus est Erasmus, suffragatur. Et conuenit hic sensus cum priori expositione

partis illius superioris; *Discat primum domum suam regere* &c. Verum ibi satis ostendimus longè probabilius eam partem referri ad filios ac nepotes: Quare & hoc loco ad eosdem respicere apostolum, cum Hesselio existimamus, ita tamen ut generalis sit sententia, qua rem particularem confirmet. Retinendum igitur est masculinum genus. Inter *suos, & domesticos*, illud discrimen esse videtur, quod *suos* vocet quomodocunque propinquos; *domesticos* autem, sanguine proximos, ut sunt parentes, fratres, filij, nepotes; quòd domestica habitatione coniuncti esse soleant. Nonnulli *domesticos* interpretantur fideles, quos Gal. 6. vocat *domesticos fidei*: Verum hic non additur, *fidei*; & id quod prius diximus, magis congruit textui, maxime, quia præcessit, *domum suam regere*. Cur enim verò seu *provisionem*, intelligit rerum ad vitam necessariorum.

FIDEM NEGAVIT. Non quidem verbo, sed facto, sicut de quibusdam dicit ad Tit. 1. *Constituentur se nosse Deum, factis autem negant*. Peculiariter autem per ea crimina quis censetur facto negare fidem, per quæ fit ut alij Deum Christianorum blasphemant, aut à fide ac religione eius auertantur. Tale erat in primitiua ecclesia, si filij curam parentum egenorum abijcerent, si serui dominis obedientiam detrectarent, si Christiani tributum principibus negarent. Hæc enim statim in iniuriam religionis vertebantur. Vnde capite sequenti, seruis præcipiens quid dominis debeant, subiungit, *Nomen Domini & doctrina blasphemetur*. Sentit ergo apostolus eum qui propinquos, præsertim parentes senio confectos atque egentes, deserit, perinde facere atque si fidem negaret. Nam fidei Christianæ derogat, dum facto suo infideles à fide suscipienda auertit.

ET EST INFIDELI DETERIOR. Quia nimirum infideles etsi inimicos suos se odisse profiteantur; domesticorum tamen curam habere solent, ducti lege naturæ; quam utique in hac re non violant. Igitur hac parte fidelis, si curam suorum non habeat, infideli deterior est. Dico, *hac parte*; nam absolute deteriore esse, non est necesse. Notandum est autem apostolum non dixisse, *fidem amisit*, sed *negavit*; nec rursus dixisse, Est infidelis, sed, *infideli deterior*; ne quis ex his apostoli verbis colligat fidem quocunque peccato mortali amitti. Quod à Luthero assertum, à Patribus Concilij Tridentini damnatum est sess. 6. cap. 15. & can. 27. Quin è diuerso potius sequitur, Si est infideli deterior; ergo non est infidelis.

9 VIDVA ELIGATUR NON MINVS SEXAGINTA ANNORVM. Quod ait, *eligatur*, potest dupliciter accipi, vel ut eligatur admittenda in numerum viduarum, vel ut præficienda cæteris. Caietanus pugnat pro sensu posteriori, putans eum manifestè probari ex eo quòd

eo quòd

eo quod tanta ætas requiratur. Sed priorem sensum postulat vox Græca, quæ propriè non significat, *eligatur*, sed *allegatur*, vti verterunt Erasmus & Hentenius; id est, catalogo ascribatur, & in numerum referatur. Ita quoque Græci, & Latini plerique intellexerunt, inter quos videndus B. Hier. epist. 9. & 11. Idque congruenter scopo, & contextui Paulino: Pergit enim in describenda vidua, quæ assumatur ad beneficium sustentationis è fidelium oblationibus. Itaque ne ecclesia grauetur aut malè audiat, vult diligentem haberi ratione electionis huiusmodi; præscribès conditiones; velut ne recipiantur iuniores, aut de incontinentia quomodolibet suspectæ; Item quæ à propinquis ali possint, aut quæ ipsæ habeant, vnde sustententur: sed vetulæ, castæ, pauperes, ac desolatæ; quæque bonis operibus erga ecclesiam, & filios suos, exhibitis, hoc beneficij promeruerint. Quæ quidem eligendæ viduæ disciplina nata est, & propagata ab incunabulis ecclesiæ: quoniam, sicut Act. 6. legitur, *Vidua honorabantur in ministerio quotidiano*, scilicet, alimoniam & sustentationis. Ex qua re negligentur obseruata, natum illud murmur, cuius occasione constituti sunt diaconi. Adde, quod apostolus viduæ quam hîc præcipit eligendam, non opponit ex altera parte viduas quæ illi pareant; sed *adulescentes*, quas vult reijci; vt ex sequentibus patet. Exigit autem ætatem sexaginta annorum ob duas causas: tum quia in hac ætate non solet esse periculum incontinentiæ; tum quia ante eam, valentiores adhuc sunt fœminæ, vt sibi victum opere aliquo comparare possint. Prior ratio, Chrysostrami est; posterior, Hieronymi in epistola ad Saluinam, & B. Thomæ in commentario. Sed contra priorem rationem obijciat aliquis; Nunc in ipso feruore ætatis virgines ad continentiam professionem ab ecclesia recipiuntur: non igitur in viduis propter incontinentiæ metum expectanda erat tanta ætas. Primam respondeo loqui apostolum non absolutè de viduis ad continentiam professionem admittendis, sed talibus quæ alantur ex facultatibus ecclesiæ; Itaque prouidendum, ne iunioribus alendis, quæ adhuc operari possunt, etiam si ferid continere velle videantur, ecclesia grauetur. Deinde nõdum tunc exstructa fuisse monasteria, seu claustra, quibus coercerentur fœminæ continentiam professæ, ne ad viros euagandi liberam potestatem haberent. Vtramque responsionem indicat nobis Hieronymus in epistola memorata, & habet vtraque fundamentum in ipso apostolo.

QUÆ FVERIT VNIVS VIRI VXOR. Id est, quæ non plures habuerit maritos quam vnum, nempe successiuè. Nam vt vna mulier plures simul maritos habeat, nulla lex, nulla gentium consuetudo vnquam permisit aut permittit. Hinc clarè docetur etiam per illud cap. 3. *Vnius vxoris virum*, excludi plures vxor-

res successiuè, & non tantum simul, habitas, vt volunt aduersarij. Nec est quod respondeant apostolum hîc vsu verbo præteriti temporis, *quæ fuerit*, cum illic absolutè loqueretur: Hoc enim non obstat, quò minus eadem vtroque sit phrasis; Loquitur autem hîc de præterito, quia de vidua sermo erat. Deinde, per absurdum est à muliercula elemosynis ecclesiæ sustentanda Paulū exigere, vt monogama sit, id est, tota vita non nisi vnum maritum habuerit: episcopum autem, qui ecclesiæ præficiendus sit, admittere digamum, & trigamum, & vltra. Porro cur monogamam requirat viduam, ratio manifesta est, quia sepius nupsisse, argumentum est incontinentiæ: sicut vt contra vno viro contentam fuisse, decor est castitatis muliebris. Vnde laudantur in scriptura Iudith & Anna viduæ, secundas nuptias non expertæ, Iudith 15. & Luc. 2. Sed quæritur an hîc etiam sit agnoscenda aliqua ratio sacramenti, seu mythicæ significationis; sicut de episcopo, presbytero, diacono ostendimus supra, cap. 3. S. Thomas id negat, & glossam interlinealem affirmantem reijcit. Atqui non sola glossa sacramentum agnoscit, sed & alij authores; Lombardus, Carthusianus, Catharinus, Hesselius; nec sanè improbabiler. Rectè enim intelligitur apostolum etiam hac consideratione reijcere viduam digamam, quod ea in matrimonio suo repetito non signarit Christi ecclesiam; sicut ab ordine sacro repellit digamum, quod ob eandem causam ineptus sit representandæ personæ Christi. Hinc est quod ecclesia digamam etiam illum interpretatur, qui viduam vxorè duxerit; eo quod ex parte vxoris, quæ ecclesiā significat, plenitudo sacramenti non subsistat. Quamuis autem viduæ, de quibus apostolus agit, non ordinabantur ad vlla sacra ministeria (sexus enim muliebris huius ordinationis incapax est): deputabatur tamen officijs quibusdā ad ecclesiæ curam pertinentibus. Porro verisimile est S. Thomam postea sententiam mutasse. Nam in supplemento tertiæ partis, desumpto ex eius scripto in 4. Sent. dicit q. 63. ar. 1. ad 2. secundas nuptias carere honore significationis, quæ est in primis nuptijs, vt vna sit vnus; sicut est in Christo & ecclesia. Idque repetit ar. 2. ad 2.

IN OPERIBVS BONIS TESTIMONIUM HABENS. Id est, Multorum testimonio subnixæ, quod bonis & pijs actionibus se diligenter exercuerit. Nam quæ testimonio huiusmodi destituitur, non debet haberi digna publico ecclesiæ subsidio. Sequuntur exempla quorundam bonorum operum,

SI FILIOS EDVCAVIT, Educationem intelligit bonam & sanctam, qua nimirum liberi ad pietatem instruuntur, & honestis motibus formantur. Contra quod peccant non solum quæ malè & negligenter liberos suos instituunt; verum etiam illæ quæ molestiam fugientes, nutricibus educandas suas proles committunt. Si qua autem

sterilis

sterilis fuit, & liberos non habuit; isto testimonio non indiget.

SI HOSPITIO RECEPIT. Id est, si hospitalitatem exercuit. de qua virtute diximus, vbi de episcopo agebatur. Erat hæc virtus in exordijs ecclesiæ valde necessaria; quoniam diuersoria publica, propter corruptissimos ethnicorum mores, plena erant contaminationibus idolatricis, nec multum differabant à prostibulis; neque loca exstabant quò pauperes possent diuertere. Quæret aliquis quomodo à vidua pauperula exigat apostolus hospitalitatem, cum ea sit virtus diuitum. Nam de pauperibus viduis constat hîc esse sermonem. Respondeo non plus exigere, quam vt pro modulo suo eam virtutem exercuerit. Nam etsi pauper sit, inquit Chrysostramus, habet tamen domum in quam peregrinum recipiat. Adde quòd fideles erant re modica contenti, ac minimè graues suis hospitibus. Si qua vidua ne istud quidem per inopiam præstare potuisset; neque hoc testimonio indigebat.

SI SANCTORVM PEDES LAVIT. *Sanctos* vocat fideles, præsertim ecclesiæ ministros, & euangelij prædicatores; in quibus sanctitas magis elucet. Moris erat in Iudæa, locique vicinijs pedes ex itinere fordidos aduentantiū hospitiū lauare. Quod obsequium leguntur etiam Abraham, & Loth angelis hospitio receptis exhibuisse; Gen. 18. & 19. Eèdem pertinet quod Christus dicit pharisæo: *Aquam pedibus meis non dedisti* Luc. 7. Nam & ipse suorum discipulorum pedes lauare non est dedignatus; idque nobis exemplum esse voluit idem faciendi. Verum hoc loco, synecdochicè, sub lotionem pedum omne genus humilioris obsequij, quòd sanctis præstari solet, intelligendum venit. Itaque vult apostolus viduam talem esse, quæ sanctis etiam viliora ministeria promptè exhibuerit.

SI TRIBVLATIONEM PATIENTIBVS SVBMINISTRAVIT. Id est, si afflictis opem tulit, pecunijs, intercessione, consolatione, & alijs quibus potuit modis. Afflictorum multa genera sunt; vt infirmi, debiles, orbi, captiui, pressi ære alieno, oppressi per iniuriam &c.

SI OMNE OPVS BONVM SVBSECVTÆ EST. Id est, *prosecuta*; vt vertit Hentenius; quem admodum & legit Hieronymus in commentario super Zach. c. 3. paulo post init. Erasmus sententiam reddit, hoc modo: *Si in omni bono opere fuit assidua.* Atqui Chrysostramus & ceteri Græci propius vrgent verbum *subsequendi*, seu *prosequendi*; tanquam dicat apostolus, Etsi ipsa ob inopiam, aut ratione sexus, exsequi multa bona opera non potuerit; ea tamen sit, quæ ad omne bonum opus præstitit obsequium, & parriceps accesserit.

ADULESCENTIORES AVTEM VIDVAS DEVITA. Rectius alij vertunt, *reijce*; id est,

ne admittas in numerum viduarum ab ecclesia alendarum. Non enim vitari eas vult, sed non assumi. S. Cypr. lib. 3. ad Quirin. c. 74. ita citat *Iuniores autem viduas præteri.* Postquam enim docuit quænam viduæ sint eligendæ; docet nunc quæ sint reijciendæ. De significatione Græci verbi dictum est supra ad illud capitulum præcedens: *Ineptas & aniles fabulas deuota.* *Adulescentes* autem dixit interpret pro *iuniores*; sicut superiori capite, *adulescentiam*, pro *iuuentutem*. Vnde & hîc paulo post, *iuniores* vertit. Non enim apostolo tantum est sermo de viduis in ætate adulescentiæ constitutis. Sed quæritur vtrum comparatiuus propriè sumatur, vt sensus sit eas reijciendas esse, quæ minores sunt annis sexaginta; quam ætatem in assumendis viduis requirebat; An verò ponatur loco positiui, vt simpliciter præcipiat iuuenes viduas à beneficio sustentationis esse repellendas. Quod sanè magis apparet: ob rationem quam continuo subiungit ex voluntate nubendi; ac magis etiam ex eo quod postea dicit: *Volo ergo iuniores nubere.* Neque enim exigit apostolus vt viduæ quinquagenariæ nubant. Pro positiuo etiam facit quod supra dixit; *Iuuenes, vt fratres, iuueniculas, vt sorores;* vbi significatio positiui est, licet in Græco sit comparatiuus. Ambrosiana versio tam hîc, quam illic, *adulescentulas* habet. Denique commentatores, Græci iuxta ac Latini, positiuè comparatiuum exponunt. Est autem huius præcepti ratio duplex: Vna, ne iunioribus alendis ecclesia grauetur, cum illæ sibi possint suo labore victum quærere. Et quidem hac sola ratione spectata, quadrat comparatiua expositio; quoniam vsque ad annum sexagesimum, ordinariè, possunt fœminæ subire labores. Eam rationem innuit apostolus, vbi cauet, *ne ecclesia grauetur, vt ijs quæ verè viduæ sunt, sufficiat.* Altera ratio, quia iuniores viduæ non erant admittendæ ad professionem, & votum castitatis. Prohibet, inquit Ambrosianus, adulescentulas viduas in hac suscipi professione. Lubrica enim ætati fides facilè adhiberi non debet. Eandem rationem communiter adferunt Græci: Distinguunt enim quoad ætatem, inter virgines, & viduas ad professionem admittendas, quòd virginibus continentiam professuris ideo non præscribatur ætas, sicut viduis; quoniam virgines maiori deuotione, ac fidei feruore, castitatem amplectebantur; vt pote, adhuc integræ, & à sæculo non præuentæ. Deinde, nec id faciebant necessitate, aut spe alimoniam, sicut viduæ. Postremò, quia viduæ quædam lapsæ erant, & fidem Deo datam fefellerant; quod de virginibus professis nondum erat compertum: Hanc rationem ex voto continentiam sumptam, ipse apostolus adfert, & clarè proponit sequentibus verbis:

CVM

CVM ENIM LVXVRIATA FVERINT IN CHRISTO, NVBERE VOLVNT. Illud, *In Christo*, præcedentibus annectendum, non sequentibus, vt ex Græco manifestum est. Atque eam constructionem suis commentarijs probant non modò Græci interpretes, sed & Latini vetustiores; quos etiam B. Thomas sequitur: etsi diuersam structuram sequantur Anselmus & Haimo; quasi sensus conueniat cum eo quod dicitur 1. Cor. 7. *Nubere cui vult, tantum in Domino*. Verùm id minùs rectè; nam in Græco non est præpositio, sed nudus genitiuus τὸ κυρίου, qui non aliunde regitur, quam à verbo præcedente. Eius autem verbi peculiaris est significatio, quam diligenter explicat Erasmus in suis annotationibus. Significat enim, præ delicijs lasciuire, & ferocire aduersus aliquem; more iumentorum, quæ copiosius pasta ferocunt in dominos, & abruptis habenis suo feruntur arbitrio. Proinde Erasmus ita vertit, *Cum enim lasciuire ceperint aduersus Christum*. Hentenius autem sic. *Cum enim lasciuie egerint aduersus Christum*. Denique Syrus vertit ad hunc modum, *Lasciuunt enim aduersus Christum, & querunt ut sint viro*. Hieronymus quidem in epistola ad Ageruchiam de monogamia, ca. 1. ita legit, *Cum lasciuierint in Christo*: Sed exponit ex Græco, *Cum fornicata fuerint in iniuriam viri sui Christi*. Vanum igitur est, quod suspicantur nonnulli præpositionem in, nunc in Græco deesse, quæ aliquando lecta fuerit. Respondet enim Latinum in, quod interpretes dedit, Græcè præpositioni κατὰ componenti Græcum verbum, & significanti contrarietatem, quum genitiuo iungitur; vt potior suspicio sit Latinum nostrum interpretem vertisse, *in Christum*, id est, aduersus Christum: sicut & in psalmo 2. Græcè legitur κατὰ τὸν θεόν, id est, *aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. Quare sensus apostoli est, Reijctendas esse iuniores viduas; quia postquam saginatae fuerint pane ecclesiæ, & in delicijs carnales resolutæ ceperint lasciuire & proteruè agere aduersus Christum, quem sponsum elegerant; nubere volunt homini mortali, Christum fastidientes. Hæc Græcorum expositio est: qui & colligunt ex hoc loco, viduam, de qua loquitur apostolus, Christum habere maritum; id est, professione castitatis ei coniunctam esse. Verba Chrysostomi sunt. *Et vidua igitur Christo in viduitatis professione consentit; id est, Christo tanquam sponso nubit*. Hæc verò Theodoretus: *Cum enim Christo professa sint in viduitate castè vivere; secunda matrimonium contrahunt*. Idem significant illa Hieronymi verba; *In iniuriam viri sui Christi*. Nam quod ait: *Cum fornicata fuerint*, speciem pro genere posuit, q. d. cum deliciatæ fuerint, cum delicijs & voluptatibus sese dederint. Nonnulli sic exponunt apostolum, *Cum habuerint temporalium abundantiam per Christum, id est, intuitu professionis, qua se Christo deuouerunt*. Cum his sentiunt Aquinas, &

Caietanus. Alij Græcum verbum in bonam partem interpretantur, hoc modo; *Quum gustauerint delicias Christi; postea fastidire eas incipiunt, & nubere volunt*. Tradit huc sensum Stapulensis, eundemque ex veteribus astruere nititur Hesselius. Verùm has expositiones textus originalis non admittit.

HABENTES DAMNATIONEM, QVIA PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERVNT. *Damnationem*, Græcè, & Syriacè, *iudicium*: sed *iudicium* pro condemnatione frequentissimum est Hebræis. Nonnulli metonymiam hoc loco subesse putant, vt *damnatio* sumatur pro peccato damnatione digno. Non enim illæ viduæ damnationem iam habebant, sed peccatum, quo damnationem merebantur. Verùm nihil opus hoc tropo (præsertim cum Græca vox κρίσις, nusquam alibi pro peccato posita reperiatur): Nam *habere damnationem*, Apostolo non aliud est quam obnoxium esse damnationi, etiam si illa nõdum præsens sit. Iam quod nos habemus, *irritam fecerunt*, Græcis vnum verbum est ἀπέθραυον, quod proprie significat, *repulerunt*; siue, quomodo plerique vertunt, *reiecerunt*. Hinc autem consequens est id quod noster vertit interpretes. Nam qui datam fidem reijcit, & ab ea recedit, eam irritam facit. Põnd de fide consentiens est omnium orthodoxorum; interpretum, tam Græcorum quam Latinorum, tamque veterum, quam recentiorum expositio; per eam significari fidem promissionis Christo factæ, votum Christo nuncupatum, pactum cum eo initum continentia deinceps seruandæ. His enim & huiusmodi verbis ista fidem explicant, atque hunc sensum reddunt; Eo ipso quo nubere volunt, obnoxiae sūt damnationi æternæ, quia fidem, qua pactæ fuerant Christo sponso continentiam se seruaturas, abiecerunt, & violauerunt, alium querentes maritum. *Fidem* exponunt hoc modo non solum commentatores, verùm & cæteri Patres, passim in suis scriptis; atque imprimis Augustinus, qui lib. de bono viduitatis cap. 8. sic habet: *In virginali & viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita, & electa, & voti debito oblata; iam non solum capessere nuptias, sed, etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est*. Similia docet eiusdem lib. ca. 9. & 10. Idem in expositione psal. 75. *Quid est, inquit, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt*. Eundem Augustinum vide lib. de sancta virginitate ca. 33. & 34. lib. 1. de adult. coniug. ca. 24. & 25. & epistola 70. Consultantur & alij Patres; vt Cyprianus epistola 11. lib. 1. ad Pomponium. Basiliius lib. de virginitate. Epiphanius in hæresi Montanistarum, quæ est numero 48. & in hæresi Apostolicorum, quæ est 61. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. & in epistola ad Furtiam. De viduitate seruanda, & in fine epistolæ ad Demetriadem. Innocentius 1. epistola 2. ca. 12. & 13. Fulgentius epistola 1. ca. 6. Quibus ac-

cedit

cedit Concilium Carthaginense 4. cui beatus Augustinus interfuit, can. 104. in quo dicitur viduas quæ se deuouerunt Domino, si postea ad nuptias sæculares transuerint; secundum apostolum habere damnationem, quia fidem castitatis quam Domino vouerunt, irritam facere ausa sunt. At verò hæc apostolica sententia interpretatio sectarijs, qui vota, præsertim continentia oderunt, non placet. Vnde alios sensus huius loci commenti sunt. Plerique eorum fidem Christianam significari volunt, qua nimirum euangelio creditur, & à qua Christiani vocantur; tum quoniam ea simpliciter est prima homini Christiano, tum quod hæc fidei acceptio tritissima sit in epistolis apostolicis. Qua etiam vtraque ratione oppugnant Catholicorum expositionem. Quibus respondeo; Si de fide Christiana loqueretur apostolus, omnino frustra præmisisset, *nubere volunt*: Nam siue nubere velint, siue non, *damnationem habent*, quæ recedunt à fide euangelij. Manifestum est autem apostolum hoc in eis culpæ, quod *nubere volunt*; Non ergo de fide Christiana, cui nuptiæ non repugnant, loquitur; sed de ea fide, qua castitatem Deo professæ, nuptijs renunciarunt. Quam Apostolus primam fidem vocat, non quod eam nulla fides præcesserit; sed Hebræa phrasi primam, id est, priorem, seu antea datam. Sic Apoc. 2. dicitur: *Prima opera fac*. Non prima omnium, nam ea opera mala erant; sed prima, id est, priora. Tale est illud ibidem: *Charitatem tuam primam reliquisti*; id est, priorem. Et illud Lucæ, Actor. 1. *Primum quidem sermonem feci*, id est, priorem. Loquitur enim de prioro libro à se conscripto. Sic priorem ad Corinthios epistolam, vocamus primam: Quæ phrasi etiam Græcis est familiaris. Quod autem ad fidei vocabulum attinet, etsi in epistolis apostolicis, ratione materiae, frequentissima sit mentio fidei qua creditur in Christum; non raro tamen etiam ea fides nominatur, qua in seruandis promissis consistit; vt Rom. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuaui?* Galat. 5. *Manusuetudo, fides, modestia*; 2. Timoth. 4. *Fidem seruaui*. Nec alia fides intelligitur quoties Deus fidelis in scripturis vocatur. Quia significatione etiam homines fideles appellat apostolus, vt huius epistolæ cap. 1. *Fidelem me existimauit, ponens in ministerio*, & cap. 3. *Fideles in omnibus*. Potest autem aduersariorum expositio etiam ex alio ipsorum dogmate refelli. Negant enim fidem Christianam semel habitam amitti posse: quomodo igitur eam olim susceptam, viduæ, de quibus hic agitur, abijciunt, & irritam faciunt? Alij proinde non fidem ipsam, sed fidei professionem in baptismo factam intelligunt. Sed & hic sensus eodem argumento, quo superior, ex apostoli verbis sumpto, eliditur: Nihil enim ad hunc sensum pertinet; quod præmisit, *nubere volunt*; neque enim in bap-

tiſmo promiserunt se non nupturas; aut si promississent, secundum aduersarios, malè fecissent, nec voto tenerentur. Alij sic exponunt: *Nubere volentes, damnationem habent*, id est, reprehensionem, ac perpetuam ignominia maculam incurunt, quia fidem priori ac defuncto marito datam, irritam fecerunt. Sed hæc coacta est & à scripturis aliena *damnationis* interpretatio. Deinde, sensus iste aduersatur ipsi Paulo doceti Rom. 7. & 1. Cor. 7. mulierem, postquam dormierit vir eius, liberatam esse à lege viri; vt cui vult, nubere possit. Quod si fidem priori marito datam, intelligunt, de non nubendo alteri post eius mortem: huiusmodi fidem seu promissionem ipsi sectarij nõ probant, nihilo magis, quam continentia promissionem Deo factam. Porro Calvinus, etsi de fide baptismi locum hunc interpretetur; videns tamen elabi se nõ posse, propter illud, *Nubere volunt*, quod cum ea interpretatione nullo modo cohæret: tandem admittit expositionem veterum, de pactione, seu voto continentia, verùm id cum duplici reprehensione Catholicorum. Diabus, inquit, de causis tyrannicam de cœlibatu legem maximè improbamus; quod scilicet cultum esse fingunt coram Deo meritorium; & quod vouendi temeritate præcipitant animas in exitium. Cui responderetur, non esse Catholicorum figmentum, sed doctrinam à Christo, & apostolis, & tota antiquitate traditam, per continentiam virginalem, ac vidualem, perinde vt per alias virtutes, si recto fine exerceantur, homines Deo placere, & ad consequendam regni cœlestis beatitudinem promoueri. Laudat Christus eunuchos qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, Matth. 19. Paulus dicit mulierem in nuptam & virginem, cogitare quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu, 1. Cor. 7. Iouinianus ab ecclesia damnatus est, quod coniugium æquaret virginitati, & par in vtroque meritum poneret. Augustinus lib. de sancta virginitate capit. 13. Mirabiliter desipiunt, inquit, qui putant huius continentia bonum non esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens sæculum &c. Quod ad vouendi temeritatem attinet; vicium est quorundam, sed ab ecclesia semper improbatum; vt quæ suis legibus diligenter cauet, ne quis temerè castitatem voueat. Vnde & annu probationis iam olim instituit: ac ne quis vllam virginem, aut viduam, aut aliam quamcunque mulierem, ad emittendam professionem quomodocunque cogat inuitam; nemo cõsiliu, auxiliu, aut fauorẽ ad eam rẽ præster; suauè præsentia, cõsensum, vel authoritatẽ actui huiusmodi quoquo modo interponat: sub pœna anathematis in Syn. Trid. interdixit sess. 25. re form. de regularibus & monialibus cap. 18. Ampliorẽ retutationẽ falsarũ expositionũ huius loci, vide apud Hesselium. Si queras, an nuptiæ viduarũ, quæ continentia vouerant, ratæ fuerint, an irritæ: Respondet eodẽ doctore, nusquam legi apud veteres,

Z

quod

quod irrita fuerint. Neque enim votum eorum erat solempne, quale est virginum, quae vitam profiteretur monasticam. Vnde Epiphanius in haeresi Apostolicorum, eiusmodi matrimonia siue a viduis, siue a virginibus inita, grauius quidem reprehendit, vera tamen esse coniugia satis aperte significat. Similiter Cyprianus lib. 1. ep. 11. Innocentius 1. ep. 2. cap. 13. & Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 34. & lib. de bono vid. cap. 10. Huius rei argumentum est quod ecclesia nunquam legatur ea matrimonia dissoluisse, sed tantum contrahentibus poenitentiam imposuisse, vt videre est in Synodo Carthaginensi 4. c. 104. Queri hic possit, quomodo non secum pugnet apostolus, hoc loco damnans adolescentiores viduas nubere volentes; cum paulo post dicat: *Volo iuniores nubere*: Verum responsio patebit ex eius loci commentario.

13 SIMVL AVTEM ET OCIOSE DISCVNT CIRCVIRE DOMOS. Alia recenset incommoda propter quae iuniores viduae non sint in alimo iam ecclesiasticam assumenda. Dum enim vitam sustentationem accipiunt ab ecclesia; liberè ociantur, pares se facientes vetulis, quae laborare non possunt; Ociantes vero, nec domi habentes quod agant, nec virum quem metuant, discunt, id est, affuescunt vagari per domos, quod prorsus alienum est ab honestate muliebri, nec non pudicitiae earum periculosum. Hinc pater, viduas de quibus agit apostolus, non fuisse conclusas; vt hodie sunt sanctimonialia.

NON SOLVM OCIOSE, Graeca addunt, *autem*, *Non solum autem ociose*, quemadmodum & Ambrosianus legit. Ea coniunctio non erat negligenda: Nam ad epistatim facit; vnde alij vertunt, *Imò non solum ociose*.

SED ET VERBOSAE. Graeca vox significat garrulas & inepte loquaces. Vicium est muliebri, sed earum maximè, quae ocio deditae sunt.

ET CVRIOSAE. Id est, rerum alienarum & ad se non pertinentium indagatrices. Est enim *curiositas*, inordinata & immoderata cognoscendi cupiditas. Hoc autem vicium, ociositatis proprius est foetus. Vnde aiebat ille; Tantumne tibi abs re tua est ocij, aliena vt cures? Porro curiositas loquacitatem parit. Nam curiosi, vt aliena discant, alibi visa vel audita referunt; Deinde haec rursus apud alios effutunt.

LOQVENTES QVAE NON OPORTET. Siue quia secreta, quae audierint, produnt; siue quia detrahunt aliorum famae; quod vtrumque ad intemperantiam linguae pertinet: siue quia verba proferunt interdum parum honesta & pudica; quod prouenit ex lasciuia.

14 VOLO ERGO IUNIORES NVBERE. Non

hoc dicit apostolus de iunioribus illis viduis quae iam vouerant se non amplius nupturas; Neque enim eas vult praecipitare in damnationem: nam si damnationem habebant nubere volentes, quanto magis nubentes? Sed loquitur de iunioribus in genere; quas repellit vult a beneficio sustentationis, & non admitti in numerum viduarum ecclesiae, ne postea luxurientur aduersus Christum, & nubere volentes, fidem ei datam irritam faciant; & per hoc certam incurrant damnationem. Vnde liquet, hunc locum superiori non esse contrarium, vbi dixerat; *Nubere volunt, habentes damnationem*. Sed quaeritur, quomodo cum hac sententia non pugnet quod idem apostolus ait 1. Cor. 7. *Volo omnes esse sicut me ipsum*. & peculiariter de vidua: *Beatior erit, si sic permanserit*. Responsio. Apostolus hoc loco id velle se dicit, quod absolutè, & omnibus circumstantijs consideratis expedire videbat istis iunioribus viduis: Ad Corinth. autem priore loco, tantummodo desiderium suum exponit, quod tamen videt non posse impleri. Addit enim; *Sed unusquisque donum suum habet a Deo*. Posteriori autem loco, declarat quidem in genere, quid sit melius; non tamen omnes viduas ad id hortatur; sciens non omnes capere posse; sed proponit excellentiam virtutis & praemij, vt quae possunt capere, capiant. Quod ergo hic dicit; *Volo iuniores nubere*, secundum indulgentiam dicit, non secundum imperium; sicut illud 1. Corinth. 7. *Iterum reuertimini in id ipsum*. Quodque illic addidit; *propter incontinentiam vestram*; idem & hic addi potuit, & intelligi debet. q. d. Quoniam in iunioribus viduis video periculum incontinentiae, & damnationis, si voueant; idcirco volo eas nubere. Illud ergo, *volo*, non est praecipiens; sed suadens, & consulens minus bonum, quod est nubere, respectu continentiae vidualis; imò & minus malum proponens, quale est nubere per incontinentiam, respectu fornicationis & violationis voti. Quare ex hoc loco, sicut & ex altero iam citato ad Corinth. bene colligitur, quod licitum sit proponere minus peccatum ei qui in grauius peccatum alioqui sit prolapsurus. Non enim id est consulere peccatum simpliciter, sed sub ratione minoris. Huic nostrae responsioni consentanea scribunt Ambrosius lib. de viduis, paulo post init. Hieronymus in epistola ad Ageruchiam, expresse exponens, apostolum haec dicere secundum indulgentiam, non secundum imperium; Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 8. Sed obijciunt aduersarij. Si voluntas aut consilium apostoli est, vt iuniores viduae nubant; male igitur ecclesia passim adolescentulas ad professionem castitatis admittit. Quin & Caietanus in commentario: Vtinam, inquit, hodie

die disceremus ab huiusmodi experientijs, an prosint iuuenilis aetatis vtriusque sexus solempnia vota, tum sacrorum ordinum, tum religionum. Primum respondeo de viduis apostolum hic loqui, non de virginibus; Nam de his apertum habemus apostoli consilium 1. Cor. 7. *vt sic permaneant*; ac definitam sententiam, qua dicit eum, qui matrimonio iungit virginem suam, benefacere; sed qui non iungit, melius facere. Non est autem de virginibus & viduis eadem ratio; Nam multas ob causas facilius continent virgines, quam viduae, quemadmodum & Hieronymus in memorata epistola testatur. Vnde & probabile de vidua argumentum est, Si cum virgo esset, continere non potuit; igitur neque post expertas nuptias continere poterit. Deinde non de omnibus & singulis viduis iunioribus loquitur apostolus, sed de ipso genere. Sentit enim, pleraque tales esse vt eis nubere magis expediat, quam continentiam vouere; illo praesertim tempore, quo necdum instituta erant monasteria; in quibus claustrae, & a seculari conuersatione remotae, sub disciplina praepositarum viuerent. Et hic quidem omnes iuniores viduas repellit a beneficio sustentationis, quum ait; *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum*; Non tamen omnes vult nubere, sed pleraque, vt dictum est. Alioqui, etiam viduis ad nubendum aptis continentiam suadet 1. Cor. 7. Cum enim de vidua dixisset: *Cui vult, nubat, tantum in Domino*; subiunxit: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium*. Quod autem virgines adolescentulae rectè ad professionem castitatis admittantur; perspicue, & pulchre docet Ambrosius lib. 3. de virginibus. Idque adeo perpetua ecclesiae consuetudine firmatum est in iuuenibus vtriusque sexus ad eiusmodi professionem admittendis; vt magnae temeritatis & impudentiae sit, id an rectè fiat, in dubium reuocare: Tantum hoc agendum, vt circa personas assumendas, sacri canones, & monasticae constitutiones bene obseruentur.

FILIOS PROCREARE. Graecè τεκνογονεῖν a quo τεκνογονία, de qua superius cap. 2. *Saluabitur autem per filiorum generationem*; Ex quo liquet eo verbo comprehendi totam liberorum educationem. Hanc autem intelligit rectam, legitimam, & Christianam.

MATRES-FAMILIAS ESSE. Graeca vox significat, *domum regere*, id est, familiam administrare. Quod quidem mulieris officium est, sed sub potestate, ac regimine viri: Idque dicitur ad differentiam negotiorum ciuiliu, ac publicorum, quae nihil ad mulierem, sed proprie ad viros pertinent. Haec officia, quae sunt *liberos educare, & domum gubernare*, mulieri praescribit apostolus non tanquam meliora, aut aequanda cum ijs officijs, quibus vacant virgines & viduae

castitatem professae, vt volunt heretici; cum istae secundum apostolum, *cogitent qua Domini sunt, vt sint sancta corpore & spiritu*. 1. Cor. 7. Cumque vt ait hoc ipso capite, *ea qua vere vidua est, speret in Deum, & orationibus instet nocte ac die*: Sed vt illae quae maius bonum per incontinentiam non assequuntur, malo suo bene vtentes, intra honesti coniugij fines & officia contineantur; quemadmodum Augustinus docet libro de bono coniugali cap. 3. vt libro 1. de nuptijs & concup. capite 16. Denique, ita fit vt a vicijs supra nominatis, ocio, discursu, loquacitate, curiositate, retrahantur; vt pote domesticis actionibus occupatae, & maritis euagationem prohibentibus.

NULLAM OCCASIONEM DARE ADVERSARIO MALEDICTI GRATIA; Siue, *ad maledicendum*; vt alij vertunt. *Aduersarium* non diabolium intelligit, vt quidam putant: is enim semper maledicit, & calumniatur, etiam nulla data occasione; sed hominem Christianae religioni inimicum, siue gentilis ille sit, siue Iudaeus. Est enim hic locus similis illi Tit. 2. *Vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Vnde etiam intelligitur, hac parte causam indicari praecedentium. Nam idcirco vult iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse; vt sub iugum matrimonij redactae, & coniugalibus officijs implicatae; non habeant libertatem, neque spacium euagandi, & caetera mala quae superius memorata sunt faciendi, per quae infidelibus & Christiani nominis aduersarijs, occasio daretur male loquendi de religione, & instituto Christianorum.

15 IAM ENIM QVAEDAM CONVERSAE SVNT RETRO SATANAM. Claris alij vertunt: *Iam enim quaedam auersae sunt, siue deflexerunt post Satanam*. Ambrosianus, *Deerrauerunt abeuntes post Satanam*. Sensus est, eas a Christo auersas, Satanam, id est, diabolium securas esse. Sed qua in re id fecerint, non explicat. Quidam interpretantur, quia nupserunt contra votum; alij, quia fornicatae sunt: quod est probabilius. Ex hoc enim facto maior occasio maledicendi suppetebat aduersario. Potest etiam referri ad desertionem religionis. Per hanc enim religio multum infamatur. Hic insurgit Calvinus, & dicit; Si quarundam iuniorum viduarum defectio satis validum argumentum Paulo fuit, vt remedium vniuersale quaereret: quam multa hodie Papiensis argumenta essent abolendi impuri sui oelibatus! & cetera. Sed huic aduersario breuiter respondetur, Paulum non hic condere vniuersale praecipuum, quo omnes iuniores viduas a voto continentiae arceat, vel

omnes ad nuptias compellat; Sic enim suo ipsius consilio, quod viduis dedit ad Corinthios scribens, aduersaretur: Sed, sicut supra declaratum est, simpliciter quidem vetat iuniores recipi in numerum viduarum quæ ab ecclesia alantur; si tamen earum quædam, ut Domino placeant, continentiam & vouere, & seruire ex animo velint, nequaquam prohibet, neque ad nubendum cogit. Sed quia pauca tales erant; multitudi-
ni consulens, in genere dixit; *Volo iuniores nubere*; quia scilicet pleræque eiusmodi erant, ut propter ipsarum incontinentiam, omnino eis expediret nubere. Porro si leges omnes, quæ à multis malè seruantur, abolendæ essent, quod Caluini ratiocinatio prærendit: quam obsecro, bonam legem reliquam haberemus?

16 **SI QVIS FIDELIS HABET VIDVAS, SVBMINISTRET ILLIS.** In Græco vitumque genus exprimitur; sicut & in ms. Laudensi, nec non apud Ambrosianum. Sic enim legit, *Quod si quis fidelis, aut si qua fidelis habet viduas, sufficienter subministret illis.* Congruit hic locus cum illo superiori; *Si qua vidua filios, aut nepotes habet* &c. Nisi quod præsens sententia generalior est, non solum pertinens ad filios & nepotes, qui ad alendas matres viduas arctiori vinculo tenentur; verum etiam complectens agnatos, atque affines viduarum; aut etiam dominos ac dominas, qui vel quæ illarum opera & famulatu vsæ fuerant. Quos omnes monet, ut viduas huiusmodi aliqua necessitudine sibi coniunctas, quæ per ætatem, aut infirmitatem solitos labores subire non possunt, de suis facultatibus alant; tum quia Christiana charitas, adeoque æquitas id postulat, tum ob rationem sequentem;

ET NON GRAVETVR ECCLESIA. scilicet, earum alimonijs; id quod textus Ambrosianus exprimit. Contingeret autem grauari ecclesiam, si omnes viduæ, tametsi egen-
tes, ei traderentur alendæ.

VT IIS QUÆ VERÈ VIDUÆ SVNT, SVFFICIAT. Id est, suppeditet, sufficienter provideat ecclesia. Nam ad ecclesiam hoc referendum liquet ex Græco. Est enim idem verbum, quod paulo antè, *subministret.* Verè viduas vocat desolatas, ac destitutas humanis subsidijs; quemadmodum superius explicauit ipse apostolus. Tales autem non sūt, quamdiu propinquos aut amicos habent, à quibus sustententur. Locus hic notari potest aduersus eos, qui cum de suo satis habeant vnde viuant, ecclesiasticis beneficijs impinguntur; aut qui vno beneficio, quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti, plura accumulunt. Nam si fidelis habens viduas, subministrare illis iubetur; ut ijs quæ verè viduæ sunt alendis, ecclesia sufficiat: quanto magis qui vel patrimonium, vel vnum habent ecclesiasticum beneficium, ex quo sufficienter ali-

possint, abstinere debent à grauanda ecclesia; quo plures ministros alere queat, per quos diuina celebrantur officia, & Christiani populi salus procuretur.

17 **QVI BENE PRÆSVNT PRESBYTERI, DVPLICI HONORE DIGNI HABEANTVR.** Ab honore viduarum transit ad honorem presbyteris debitum. *Presbyteros* autem intelligit non etate; sed ordine; sic tamen; ut etiam episcopos comprehendat. Nam Asia, cuius metropolis erat Ephesus; plures habebat episcopos; qui & presbyteri vocabantur, ut patet Act. 20. *Vocauit*, inquit, *maiores natu ecclesia*; Græcè *presbyteros*. & infra: *In quo vos Spiritus-sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Certè in eo quod dictum est capite superiori, *(cum impositione manuum presbyterij,* episcopos intelligi, manifestum est. Quod autem etiam presbyteri episcopis inferiores hac parte comprehendere debeant, paulo post ostendemus. Quamuis enim propriè episcoporum sit ecclesijs præesse, quod in Actis vocat *regere ecclesiam Dei*; tamen & reliqui presbyteri episcopo subiecti, suo modo præerant & regebant ecclesiam, quemadmodum & hodie presbyteri Curati. *Duplicem honorem*, Ambrosianus interpretatur cælestem & terrenum. Nonnulli, honorem reuerentiæ & subsidij; siue, alijs verbis, honorem dignitatis, & commodi temporalis. At rectius alij duplicem honorem sustentationis; quem assignari censent presbyteris duplum, comparatione viduarum. Cuius expositionis meminit Chrysostomus. Verum magis adhuc placet eiusdem Chrysostomi & aliorum commentarius; quo *duplicem honorem* interpretantur benignam ac liberalem sustentationem, rerumque necessarium subministracionem. Nam *honoris* quidem nomine subsidium vitæ significari, quatenus in testimonium virtutis, aut excellentiæ cuiusdam præbetur; iam ex superioribus & aliunde patet. Hinc stipendia pastoribus, professoribus, præfectis debita, Latinis honoraria vocantur. Duplex autem, Hebræis dicitur multum & copiosum. ut Isa. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* & Hierem. 16. *Reddam duplices iniquitates & peccata eorum.* & cap. 17. *Duplici contritione conterere eos.* Quomodo & illud videtur intelligendum, quod Elizeus ad Eliam dixit 4. Regum 2. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Igitur in hoc apostoli præcepto fundatur liberalis alimentatio pastorum seu parochorum. Sed caue ne hinc colligas licitam esse pluralitatem beneficiorum ecclesiasticorum; quæ singula singulis deputata sunt ministris. Tantum enim hinc statuitur, ea satis ampla esse debere ad honestam ministrantium sustentationem, præsertim eorum qui

præsunt;

præsunt; non quidem ut superabundent, ac diuitias congerant; sed ut eis pro conditione, ac statu suo assatum necessaria suppetant, nec desit quod indigentibus tribuant.

MAXIME QVI LABORANT IN VERBO ET DOCTRINA. Id est, qui docendo Dei verbo sunt intenti, qui euangelicæ prædicationi diligenter incumbunt. Id enim episcoporum præcipuum est munus. Dicit autem, *Qui laborant*; quia doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parui laboris est. Vnde mox Paulus huiusmodi doctorem comparat boui trituran-
ti, & homini operario, id est, seruire opus exercenti. Porro manifestè colligitur ex hac sententia, fuisse, etiam apostolorum tempore, quosdam in ecclesia presbyteros, qui & benè præesent, & duplici honore digni essent, nec tamen laborarent in verbo & doctrinâ. Neque id hodierni sectarij negant; sed hoc ad suos seniores detorqueunt, quorum officium in eo constituunt, quod vnâ cum ministris verbi quos dicunt, communi consilio, & autoritate, (ut loquitur Caluinus) ecclesiæ disciplinam administrant. Atque in eo fundare se putant sua seniorum conciliabula, quæ Consistoria vocant. Ad eam rem adducunt testimonium ex Ambrosiano commentario super illud, *Seniorem ne increpaueris.* vbi dicit author ille, Sicut olim Synagogam, ita postea ecclesiam seniores habuisse, quorum sine consilio nihil ageretur in ecclesia. *Id autem*, inquit, *qua negligentia obsoleuerit, nescio; nisi forte doctorum delicta, aut magis superbia, dū soli volunt aliquid videri.* Sed respondetur, authorem illum loqui de presbyteris ecclesiastico ritu ordinatis; non de laicis (ut hæretici volunt) ob grauitatem, & prudentiam quam dicunt, ad consilium & gubernandi societatem assumptis. Sciendum quoque est hunc Pseudambrosium, qui verisimiliter diaconus fuit ecclesiæ Romanæ, iniquiorem episcopis fuisse. Quod enim ille episcoporum desidia ac superbiæ ascribit; Hieronymus non vno loco in aliam refert causam, scilicet, ut schismatis occasio tolleretur, quæ ex illa communi ratione gubernandi meruebat. Quamquæ nec verum est, omnino cessasse in ecclesia consilium presbyterorum. Nam & Romanus Pontifex suos habet Cardinales, & cæteri episcopi suos presbyteros canonicos, quos velut consiliarios adhibent, si quando grauius aliquid inciderit. An autem huius generis presbyteri faciunt, qui tempore Pauli benè præerant, nec tamen in verbo nec doctrinâ laborant; an verò potius & significetur, qui episcopis & pastoribus subsidiariam præstabant operam in offerendo sacrificio, & administrandis sacramentis; an denique respiciatur ad episcopos benè regentes plebem, non tamen habentes gratiam verbi, quales a-
tate Augustini erant Alipius & Valerius episcopi dubitari potest. Quamuis enim in epi-

scopo requirat apostolus, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Tit. 1. pauci tamen reperiebantur qui id satis præstare possent. Veruntamen magis apparet secundum genus presbyterorum significari; videlicet eorum, qui cum ad prædicationem verbi minus essent idonei; sacramentorum ministerio vacabant, & per hoc participes erant præfecturæ & iurisdictionis in populum. Constat enim apostolos, & eorum successores episcopos, quorumdam sacramentorum administrationem alijs demãdare solitos. Nam sicut Christus non per se baptizabat sed per discipulos, 10. 4. ita & apostoli, exemplo eius edocti, ne quo pacto à prædicatione verbi impedirentur, ferè nõ per se, sed per alios baptizabãt; ut probant exëpla Petri & Pauli Act. 10. & 19. & 1. Cor. 1. De episcopis autem intelligi posse non existimo. Quamuis enim contingat esse episcopos benè regentes, & gratiam verbi non habentes; non tamen credo eum permisisse Timotheo, (cui præscripsit regulam assumendi episcopi, in qua dicitur quod oporteat eum esse doctorem) vt assumeret episcopum non doctorem; id est, non aptum ad docendum populum.

18 **DICIT ENIM SCRIPTVRA; NON INFRANABIS OS BOVI TRITVRANTI.** Ex scriptura Deut. 25. confirmat suum præceptum. Nam lex illa moraliter significat, præfectis ac prædicatoribus verbi Dei non parce, sed liberaliter, velut ex pleno æreuo, victum esse suppeditandum. Etenim & alibi in scriptura nomine bouis, prædicatoris euangelij mysticè significati sunt, ut Pro. 14. & Isa. 32. Ambrosianus legit. *Non infranabis bouem trituran-
tem;* nam, *os*, in Græco non exprimitur; vti nec in Syriaco; sed includitur in verbo *φιμώσεις*, quod significat obligare, obstruere os; id quod frano, vel simili instrumento in os immisso fieri solet. Noster interpretes 1. Cor. 9. vbi eadem est citatio, vertit, *Non alligabis*, &c. Ex eodem apostoli loco, eiusque commentario, petatur huius testimonij plenior expositio.

ET DIGNVS EST OPERARIVS MERCEDE SVA. Quærit interpretes vbi hoc dicat scriptura. Sunt qui referant ad illud Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane.* Sed verborum hæc nulla similitudo, licet res aliquo modo conueniat. Alij putant citari scripturam euangelicam. Nam Luc. 10. Christus hanc sententiam totidem verbis pronunciauit. Sed non est verisimile Paulum aliquid ex euangelio Lucæ discipuli sui citasse; præsertim, cum id tunc nondum scriptum fuisse videatur. Itaque rectius illi, qui negant hac parte citari aliquod scripturæ testimonium. Nam illud præcedens; *Dicit enim scriptura;* tantum referri debet ad testimonium proximè sequens. *Non infranabis* &c. Huic autè scripturæ subiungit apostolus alteram sententiã, ex rebus humanis,

atque à sensu communi, sumptam: quemadmodum & Christus eam protulit. Omnibus enim ratio dicitur operatio mercedem debere. Nam & alia quaedam huiusmodi congerit apostolus 1. Cor. 9. ab eo loco, *Quis militat suis stipendijs unquam?* &c. Neque verò significat hac parte, subsidium temporale habere rationem mercedis, quam prædicator euangelicus pro labore & opera sua recipiat; Id enim esset vendere euangelium, quod gratis debet annunciari: sed sensus apostoli est; Sicut operarius dignus est mercede, unde vivat; ita & euangelij ministrum dignum esse honorario, subsidio, unde sustentetur. Tantum enim in hac comparatione spectatur sustentatio operanti debita. Unde & Christus Matth. 10. eandem sententiam adherens, pro mercede, cibum nominavit: *Dignus est, inquit, operarius cibo suo.* Sed obijciat aliquis; Hæc Pauli doctrina tantum pertinet ad presbyteros qui bene præsent, qui que laborant instar bouis triturantis, & hominis operarij: ergo presbyteris & pastoribus ociosis, & officium non facientibus, aut etiam scandalosè viventibus nihil subsidij debetur. Respondeo, quorundam sententiã nihil debere, si solum spectetur ius naturale; quod solum hoc loco, & 1. Cor. 9. præ oculis habet apostolus: sed, si cut in veteri lege, sacerdotibus, etiã improbis, soluenda erant decime, Mal. 2. & 3. ita & nunc iure positivo debere presbyteris, etiam malis, & ab officio cessantibus, ea quæ simpliciter eis data, aut legata sunt, id est, sine obligatione certorum officiorum; etiã is qui dedit, aut legavit, bene speraverit eos officium facturos. Quod si accesserit obligatio: non tamen licebit subditis, seu parochianis, consuetas decimas aut quippiam tale pro suo arbitrio pastoribus siue prælatis officia debita non præstantibus, subtrahere; sicut docebat Ioannes Wicleff articulo 18. Constantiæ damnato: sed super ea re sententia iudicis ecclesiastici erit expectanda. Quanquam illud constat ex canonibus, & pontificum decretis, eos qui beneficia possident ecclesiastica, si debita officia non persoluant, ad restitutionem fructuum perceptorum teneri.

ADVERSUS PRESBYTERVM ACCVSATIONEM NOLI RECIPERE, NISI SVB DVOBVS AVT TRIBVS TESTIBVS. Græci presbyterum, ætate seniore intelligunt; & iuniori opponunt; quasi aduersus iuuenem admitti possit accusatio, aduersus senem non item. Cum his sentire videtur Cyprianus ex eo quod Latine legat, *maiores natu* lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum cap. 76. Alij verò omnes exponunt de eo qui ordinatione, seu dignitate presbyter est: Idque sanè postulat contextus sermonis apostoli. Nam de huiusmodi presbyteris proximè locutus fuerat: Et sicut ibi præceptum Timotheo dedit de ijs sustentandis; ita nunc

præcipit de iisdem iudicandis si fortè deliquerint. Est autem verisimile eo nomine etiam hoc loco episcopum comprehendere, quemadmodum in præcedentibus. Etenim si cautio quam hinc præscribit; adhibenda est in presbytero accusato; quanto magis in episcopo? Erat autem Timotheus Ephesi, velut in metropoli, constitutus à Paulo non solum presbyterorum, verum etiam cæterorum Alia episcoporum, Iudex, apud quem illorum causa tractari deberent. Et quidem de episcopis manifestè exponit apostolum Sixtus 2. papa epistola 2. Notandum est autem veteres quosdam absolute legere, *aduersus presbyterum accusationem ne recipias*, non addita exceptione: *Nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Ita Cyprianus loco memorato; nec non expositores, Ambrosianus, Pelagius, Primasius Oecumenius; qui omnes in suis commentarijs exceptionem hæc non agnoscunt, licet in textum apud eos irrepsit. Neque tamen isti sentiunt hoc apostolum velle, ut aduersus presbyterum nunquam admittatur accusatio; sed, ne facile admittatur. Maiorem natu, ait Cyprianus, non temerè accusandum. Meminit huius variæ lectionis Hieronymus in epistola ad Marceliam numero 102, sed ita ut vulgarem lectionem omnino præferat; quæ eadem reperitur etiam in epistola supra citata Sixti Pontificis. Iam quæret aliquis, quid hinc peculiare de presbyteris accusatis præcipiat apostolus; cum lex sit omnibus communis, ne quis vno contra se dicente testimonium condemnetur, sed ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum Deut. 17. & 19. Quæ restium numerus etiam positiva ecclesiæ lege determinatus est. Quidam respondent apostolum tacite vti argumento à minore; Si nemo, ne laicus quidem, condemnandus est ex vnius testimonio: quanto magis id cauendum in presbytero? Sed melius, ac proprius alij quæstionem soluunt ex ipsis apostoli verbis, qui non dixit, presbyterum accusatum ne condemnes; sed, *Aduersus presbyterum accusationem ne recipias, nisi &c.* Est autem longè aliud condemnare, & accusationem recipere. Præcipit igitur apostolus ne recipiendam quidem esse iudicij accusationem, id est, accusantis actionem, aduersus presbyterum, nisi testium qualitate prius examinata. Ita post Aquinatem Caietanus. Nō vult apostolus, inquit, ut accusatione admissa presbyter subiaceat discrimini progressus; utrum testes sint sufficientes, an deficientes; sed ut ipsa accusatio non admittatur, nisi constet de sufficientibus, & idoneis testibus. Et hoc est priuilegium presbyterorum, ex hac Pauli ordinatione. Sic ille. Huius autem præcepti, seu priuilegij ratio reddi potest, tam ex parte presbyterorum, quam subditorum. Nam presbyterorum magna dignitas est; ac totius interest ecclesiæ, ne facile eorum existimatio lædatur. Quod contin-

gere

geret si statim, absque legitimis testibus, admittetur eorum accusatio. Subditi verò plerumque erga prelatos, & pastores suos iniquiores sunt, & lapsus eorum iusto grauius solent exaggerare. Quidam etiam seueritate eorum aut correptionibus offensi, male erga eos affecti sunt; & per hoc ad accusandum, vel dicendum aduersus eos testimonium proniores. Ab horum igitur iniquitate & malicia, presbyterorum autoritas hoc præcepto fuit vindicanda. Porro quod ad numerum testium attinet, etsi regulariter duo, tresue sufficiant pro argumento veritatis; quibusdam tamen casibus, tam iure civili, quam ecclesiastico plures tribus requiruntur. De qua re latè & doctè differit in suo commentario Ioannes Hesselius. Vbi etiam benè responderet calumniam Ioannis Caluini de numero testium ad accusandum episcopum per canones requisito. Nec tamen admittit illud decretum de 72 testibus ad condemnandum episcopum, esse Siluestri, aut esse authenticum; quod allegatur 2. q. 4. Præsul.

PECCANTES CORAM OMNIBVS ARGVE. Illud, *coram omnibus*, sequenti vocabulo adheret; non præcedenti. *Peccantes* autem intellige non quoslibet eos qui peccant, sed aut per se manifestos, aut publico iudicio conuictos: nec cuiuscunque peccati, sed grauioris, & scandalosi; cuiusmodi peccata deduci solent ad iudicium episcopi. Non ergo quicquam hinc præcipit apostolus contra legem charitatis, quæ peccata occulta nō permittit proferri in publicum; neque contra præceptum Christi; *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum &c.* Matth. 18. Verisimile est autem ex præcedenti sententia, apostolum respicere ad presbyteros: q. d. Sicut presbyterorum non est facile recipienda accusatio; ita si legitimo iudicio conuicti fuerint, non est eis parcendum; sed in exemplum aliorum, *coram omnibus*, id est, palam & in publico conuentu ecclesiæ, grauius ac seuerè sunt increpandi. Hoc episcopo dicitur respectu presbyterorum; sed eadem est ratio de parochis respectu laicorum sibi subditorum; ita tamen ut id faciant iuxta dictamen prudentiæ, quatenus scilicet expedire viderint ad ædificationem multitudinis; de qua sequitur,

VT ET CÆTERI TIMOREM HABEANT. Id est, ut ceteri siue presbyteri, siue alij, timeant similem obiurationem, hoc est, publicam, & cum publico pudore coniunctam; & hoc metu absterreantur à similibus peccatis perpetrandis. Igitur, in ecclesia, non solum amore iusticiæ, verum etiam timore pœnæ continendi sunt homines in officio: tamen timor ille charitati introducendæ seruire debeat.

TESTOR CORAM DEO, ET CHRISTO. IESV GRÆCÈ διαμαρτυροῦμαι, *Obtestor coram Deo & Domino Iesu Christo.* Hæc verba proprie non iurantis sunt, ut quidam putarunt, sed

adiurantis, & obtestantis; quale est illud capituli sequentis: *Præcipio tibi coram Deo &c.* & 2. ep. 4. *Testificor coram Deo &c.* Declarat igitur apostolus se ea quæ dixit de exercendo iudicio, præcipere Timotheo coram grauissimis testibus, ne fortè negligentius agat in re tanti momenti. Si enim Paulus de seipso timuit, ne cum alijs prædicasset reprobos efficeretur: potuit & de Timotheo vereri ne quid peccaret in hoc genere; præsertim cum res sit difficillima tanta æquitate iudicia exercere, ut nullus relinquatur locus affectibus, aut nulla obrepat negligentia. Quanquam non propter Timotheum solum, sed propter alios episcopos in vno Timotheo instruendos, adijcienda fuit hæc tam grauis & terribilis obtestatio. Primò autem loco Deum ipsum præsentem appellat; Nam iudices, vicarij Dei sunt, *Non enim hominis exercet iudicium, sed Dei;* ait rex ille, 2. Par. 19. Ideoque Deum, cuius vices gerunt, semper ante oculos habere debent: tum quia cogitatio præsentia Dei, firmum est homini, ne quo pacto à iusticia recedat. Secundo loco *Domini Iesum Christum* testem nominat, non quod Christus Deus non sit, id quod ex huiusmodi sententijs apostolicis peruenisse colligebant Ariani; sed naturam in eo humanam considerat, secundum quam Dominus noster est iure redemptionis. Est autem Christus homo præsens omnibus actionibus nostris. non solum per diuinam naturam ubique præsentem; verum etiam per creatam scientiam animæ eius infusam, qua omnia hominum acta, & cogitata cognoscit; uti sanè cognoscere debet, cum secundum naturam humanam iudex omnium sit futurus.

ET ELECTIS ANGELIS. Tertio loco sanctorum angelorum præsentiam allegat, ut qui actionum nostrarum assidui spectatores sint, & ad iudicium cum Christo venturi. Sic alibi, mulieres in ecclesia velatas esse vult propter angelos ibi præsentis. 1. Cor. 11. Sic & Christus prohibet contemni vel vnum aliquem ex pusillis, eo quod custodes eorum angelis tantæ sint dignitatis, ut semper videant faciem Patris cælestis. Matth. 18. Hæc igitur consideratio perpetuæ præsentia Dei & Christi, & sanctorum angelorum, merito mouere, & excitare debet non episcopos solum, sed omnes omnino fideles, ut ne quid vsquam committant quod tot & talium spectatorum oculos offendant. Cæterum *electos angelos* Catharinus intelligi vult non omnes angelos beatos, sed septem primarios, quos putat significari per septem spiritus Dei Apo. 1. & per septem angelos Tob. 12. Atque horum primos esse dicit Michaëlem, Gabrielem, & Raphaellem in scripturis nominatos. *Electos* autem vocari hos septem angelos, quod cæteris sanctis angelis excellentiores sint: quomodo scriptura veteris instrumenti interdum electos vocat, qui suo in genere præcellunt ut psal. 77. *Et electos Israël impediuit, &*

psal. 140. *Non communicabo cum electis eorum.* Repetit eadem ad illud Hebr. 1. *Nonne omnes &c.* Ita quidem Catharinus, congruenter cum illa sua doctrina, qua negat omnes saluandos esse electos seu prædestinatos; sed eos solum, qui præ alijs saluandis efficaciter à Deo vocantur: ad salutem. Quam opinionem erroneam esse, & Catholicæ fidei contrariam, docuimus in 1. Sent. dist. 40. Quamuis autem scriptura alicubi *electos* vocet eos, qui præ alijs eminent: vbi tamen de saluandis agitur, electi non alij vocantur, quam saluandi in vniuersam. Opponuntur enim electi reprobis, non sanctis minoribus. Id quod patet ex innumeris locis scripturæ noui testamenti; licet Catharinus frustra conetur quædam loca ad suum sensum detorquere. Quos autem scriptura vocet septem spiritus Dei, & septem angelos; ex proprijs locis, & eorum commentarijs petendum est. Igitur *angelos electos* vocat apostolus angelos sanctos, ad distinctionem angelorum reproborum, id est, demonum. Elegit autem angelos Deus ab æterno, non ex præiis eorum meritis, sed ex solo beneplacito suæ voluntatis; quemadmodum & homines: vti certis rationibus, & tam scripturæ quam sanctorum Patrum testimonijs, ostendimus ad dist. 41. lib. 1. Sent.

VT HÆC CVSTODIAS. Nonnulli pronomen referunt ad omnia quæ hæcenus Timotheo præcepit de ordinatione ecclesiæ; episcoporum, diaconorum, de cura viduarum, deque presbyteris honorandis, aut iudicandis. Sed Græci tantum ad ea quæ proximè dicta sunt de iudicio; Idque rectius; vt satis colligitur ex verbis adiunctis, quæ ad officium iudicandi pertinent.

SINE PRÆIUDICIO. Hanc partem Ambrosianus annectit sequentibus, vt præceptum apostoli sit, *Sine præiudicio nihil facere*, id est, vt ille exponit, ecclesiasticam dignitatem nemini conferre, nisi præiudicatum sit, id est, prius de vita & moribus examen, & iudicium factum. Eodem tendit expositio Caietani. Alij verò, tam Græci quam Latini, conuenientius apostolico textui iungunt parti præcedenti; nomine *præiudicij* non intelligentes id quod iureconsulti, rem prius iudicatam; sed iudicium præcipitatum, dum quis ex opinione temerè concepta, & re non satis explorata, iudicium profert. Vnde Eratmus, & Henricus verterunt, *sine præiudicatione iudicij*. Nā duo vicia præcipue cauenda sunt iudicibus, tam ecclesiasticis, quam politicis; Iudicandi præcipitatum, & affectus. De priore iam dixit, de posteriore sequitur.

NIHIL FACIENS IN ALTERAM PARTEM DECLINANDO. Pro eo quod hoster interpret, neg non Ambrosianus vertunt, *in aliam, seu alteram partem declinando*, siue *declinans*; Græcè tantum est *κατὰ πρόσκλησιν*, id est, *iuxta inclinationem seu propensionem*. Tamen nonnulli codices tam hodierni quam antiqui habent *κατὰ πρόσκλησιν*, tertia vocali, pro

quarta, id est, *iuxta aduocationem*. Nam vtriusque lectionis post Theophylactum meminit Oecumenius; pro posteriori citans Clementem lib. 17 Informationum; pro priori, verba quædam Basilij, quæ sumpta sunt ex hom. 12. in principium Prouerborum. Atque hæc lectio etiam apud Chrysostomum est; & hunc habet sensum: Nihil agens per inclinationem animi, qua in hanc aut illam partem propendeas affectu aliquo præoccupatus, sed omnibus æquum te exhibens, vt sit allusio ad balancem, quæ ob inæqualitatem ponderis & rei ponderatæ, in alteram partem inclinat. Sic enim & iudex, si quo affectu in alteram partem moueatur, iniquus erit. Hanc Græcam lectionem secuti sunt Latini interpretes, qui sensum eius reddendo verterunt, *In alteram partem declinando*. Posterior autem lectio à Theophylacto sic exponitur, Si aduocet atque inuitet te altera pars, vt ei succurras; ne accesseris, neque eius inuitationi accomodes aurem. Verum longius petitus est hic sensus: Quocirca prior lectio, quæ sensum facit præfenti loco conuenientissimum, omnino probanda est.

MANVS CITO NEMINI IMPOSVERIS. Maturum iudicium adhiberi vult in ordinandis ecclesiæ ministris, scilicet episcopis, presbyteris, diaconis. De quibus omnibus actum est supra. Nam *impositio manuum* ordinationem hoc loco significat, sicut & capite superiori; & 2. epistolæ cap. 1. non quod cæremonia manuum impositionis, vel sola vel præcipua esset in ordinatione sacra; sed quod maxime vtitata & conspicua, & proinde idonea, quæ nomen daret sacramento: quemadmodum & supra à nobis ostensum est. Sub hoc igitur nomine cæteras quoque cæremônias ordinationis comprehendere oportet, ac nominatim verba precatória quæ super ordinandis proferebantur, vti testatur Hieronymus hunc apostoli locum citans in commentario super Isa. 58. *Cito manus imponit*, qui ordinat aliquem, vita, doctrina, meritis haud satis exactè ac diligenter exploratis. Vnde Leo papa epistola 87 ad episcopos Africanos, cap. 1. Quid est, inquit, cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis: Nonnulli contendunt hunc locum pertinere ad absolutionem penitentium, moti ratiunculis quibusdam; vt Galenus catech. 155; sed quæ mihi non persuadent; nec puto penitentium absolutionem in scripturis vsquam vocari manus impositionem.

NEQUE COMMVNICAVERIS PECCATIS ALIENIS. Ambrosianus interpret ita vertit. *Neque te commaculaueris peccatis alienis*. Qua in re videtur attendisse ad phrasim Hebraicam, qua communicare sumitur interdum pro eo quod est, conquinare, seu commaculare, vt Marc. 7. *Quæ de homine pro-*

cedunt,

cedunt, illa sunt quæ communicant hominem. Et Act. 10. *Quæ Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Græcè, *Tu ne communices.* Sed ea significatio minus aptè quadrat huic loco; propterea quod in Græco non dicitur, *Neque te communicaueris*, sed absolute, *Neque communicaueris*. Adde quod Græcum verbum hic positum non prorsus idem est cum eo quo Marcus in euangelio & Lucas in Actis vsu sunt; Neque reperitur vbi significet *conquinare*. Quare retinenda est consueta significatio. *Communicat autem quis peccatis alienis*, dum in pœna seu reatu sit eorum participis: vel similia faciendo, vel iubendo, consulendo, laudando, seu qualitercunque cooperando, vel consentiendo; vel denique non impediendo, aut corrigendo, dum quis impedire, aut corrigere potest & tenetur. Igitur nonnulli sic apostolum exponunt; Etiam si sint aliqui tam officij sui negligentes, vt manus cito ac temerè imponant: tu noli eos imitari, ne simul cum illis reus fias. Alij sic; Noli acquiescere importunis eorum studijs, & precibus qui indignos commendant ad gradus ecclesiasticos. Hoc enim esset alienæ stulticiæ consentire. Hi commentarij *peccata aliena* interpretantur eorum qui vel ordinant indignos, vel commendant. Sed verisimilius est apostolum respicere ad peccata eorum qui temerè ordinantur. Nam de ordinandis præcipiebat. Atque de his apostolicam sententiã exponit Leo pontifex in epistola supra citata. Possunt autem *horum peccata*, intelligi, vel quæ ante ordinationem fecerint, vel quæ postea facturi sint; ac de vtrisque veteres tam Græci quam Latini exponunt, hoc sensu: Si quibus cito manus imposueris; quicquid illi in sua administratione delinquent, tibi merito imputabitur. Imo & peccatorum antea ab eis admissorum reus eris, quod ad ea dissimulaueris; quæ corrigere debebas & imposita penitentia punire. Plena quidem videtur ista expositio; sed tamen magis apparet apostolum respicere dumtaxat ad peccata, secutura ex inconsulta & temeraria ordinatione. Adiungit Hesselius & hunc sensum, non improbabilem: Ne quempiam ordines antequam de eius probitate tibi constiterit. At postquam ordinaueris, si præter expectationem malè fungantur officio, aut improbè vitiat; tu eum conuictum amoue; & coram omnibus argue; ne peccata eius per conuictiã facias tua. Loquitur autem apostolus non de quibuscunque peccatis, sed grauioribus; atque ijs maxime quæ publicum offendiculum pariunt; vti supra dictum est ad illud: *Peccantes coram omnibus argue.*

TEIPSVM CASTVM CVSTODI. Partem hanc cum ea quæ proximè præcessit, connectunt quidam, hoc modo: *Ne communices peccatis alienis, sed ab illis purum serua temetipsum*, nõ facile quemquam ordinando, neque dissimulando, si iam ordinari peccauerint. Ita locum hunc intellexit Augustinus lib. 2.

contra ep. Parm. ca. 21. Docuit apostolus, inquit, ex sequenti, quemadmodum quod prius dixit, intelligendum sit. Qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis. Si enim communicat, consentit; si consentit, corrumpitur; si corrumpitur, castum se non seruat; & quæ sequuntur. Similiter exponit lib. 2. contra literas Petil. ca. 106. Igitur Augustino sensus est: Serua temetipsum castum à peccatis alienis, id est, purum ab eorum consensu. Porro Græci interpretes, *castum* quod Græcè est *ἀγνόν*, intelligunt temperantem; ac pudicum. De pudicitia, ait Chrysostomus, illi sermo est. Ac deinde subiungit; Quod si hæc scribit viro adeo sese ieiunijs, & aquæ potu extenuanti, vt inde etiã ægrotaret; quid nos facere oportet, aut quonam modo nos obseruare? Sensum hunc plane confirmant ea quæ de significatione & vsu Græci vocabuli dudum diximus, ad illud capitis superioris, *In castitate*. Qui sensus & apud Aug. alibi est. Nam Tomo 10. fragmẽto 1. hunc locum ita citat; *Contine teipsum*. & de continentia carnis exponit: Admonet igitur apostolus Timotheum castitatis, id est, pudicitie diligenter & omni studio conseruandæ: tum quia episcopus erat, quam dignitatẽ impudicitie crimen vehemẽter infamat; tum quia iuuenis, in qua ætate facile periclitari castitas solet. Vbi contra sectarios obserua, Paulum non remittere Timotheum, tametsi iuuenem, ad nuptias & amplexus coniucales; sicut superius remisit, viduas iuniores: sed simpliciter admonere vt castum seipsum seruet. Vnde & hic locus satis significat, episcoporum cælibatum institutum esse apostolici. Quares quomodo sensus iste cohæreat cum præcedentibus. Caietanus ita connectit, quasi Timotheo dicatur; Sic curam gere aliorum, vt non recedas à custodia tuijpsius. Alij propius intentionem apostoli considerantes, dicunt, eum hoc de castitate præceptum studiosè Timotheo insinuare; vt cum autoritate & fructu posset arguere peccantes, & aduersus eos exercere iudicia. Videtur enim apostolus in superioribus, vbi de peccatis presbyterorum arguendis; & iudicandis agebat, respexisse potissimum ad peccata carnis & intemperantiæ; vt quæ maxime soleant infamiam & scandala concitare, quibusq; Asiatici, quibus præsidebat Timotheus, admodum dediti erant.

NOLI ADHVC AQVAM BIBERE. Græcè, duo tantum sunt verba, *μηκέτι ὑδρονόησι*. Id est, vt alij clariùs vertunt, *Ne posthac aquam bibas*; aut, more nostri interpretis, *Noli amplius aquam bibere*; quomodo quod in Græco est 10. 5. & 8. *μηκέτι ἀμαρτάνει*; transtulit; *Noli amplius peccare*. Sensum eundem expressit Syriacus interpret. Nostra versio sonat quasi Timotheus vinum biberit propter infirmitatem; & apostolus hortetur, ne statim redeat ad primam consuetudinem bibendi aquam. At Timotheus aquam, non vi-

num

num bibebat; quem ex stomacho laborantem, & frequentes patientem infirmitates, monet apostolus, ut consuetudinem mutet, quo sanitati consulat; Monet, inquam, ne deinceps solam aquam in potum sumat. Id enim significat Græcum verbum *ἀποστον*. Vnde quidam vertit, *Ne amplius sis abstemius*, id est, omnino vini abstiens. Liquet autem quem ordinem habeat pars ista cum præcedenti; Nam Timotheus ut castum semetipsum seruaret, carnis lasciuia aqua potu reprimerebat, & ita quidem, ut à vino potus abstineret, non sine dispendio sanitatis sui corporis. Dicit ergo ei apostolus, Quamuis castitatis te admoneam; nolo tamen ut in altera partem pecces, & aqua potu valetudine lædas. Porro Caluinus, cui superioris præcepti de castitate explicatio, quam dedimus, non arridet; negat apostolum adeo fuisse curiosum in texenda orationis serie; nec infrequens ei esse, ut diuersas sententias absque ordine permisceret. Quin etiam suspicatur, hanc partem, scripta iam epistola, appositam fuisse extra ordinem versuum; ac deinde librorum errore in hunc locum irrepisse. Hoc quid aliud est, quam futiliter nugari in re sacra?

SED MODICO VINO VTERE PROPTER STOMACHVM TVVM; Sensus est; Sed propter stomachi debilitatem admittite etiam aliquem usum vini; ne si sola aqua utaris, ut hæcenus, stomachum grauius offendas. Nam quod potum aqua non prorsus ei adimat, inde patet; quia modicum vini concedit, id est, non quantum sitis postulat, sed quantum satis sit aqua temperanda ac valetudinem lædat. Sicut enim aqua potus stomachum debilitat; ita vinum temperate sumptum, corroborat. Quæres cur apostolus addiderit, *modico*, & non absolute dixerit, *Vtere vino*? Neque enim periculum erat, ne Timotheus, homo supra modum abstiniens; immodicè vinum biberet. Respondetur, vnam causam esse, ut Timotheo usum vini persuaderet; ac si diceret: Abstinentiam tuam scio & laudo; sed istum rigorem, propter infirmitatem corpusculi, volo ut non nihil relaxes, indulgendo tibi posthæc paululum vini. Aliam verò causam, eamque præcipuam, ut in Timotheo omnes episcopos, ac presbyteros temperantiam doceret. Videbat enim apostolus futurum ut presbyteri duplici honore dignati facile ad intemperantiam & luxum declinarent.

ET FREQUENTES TVAS INFIRMITATES. Non morbos vult intelligi; sed in genere malas affectiones siue corporis, siue aliquorum membrorum, ut capitis, hepatis, pectoris. Nam & his curandis vsus vini moderatus conducit. Rectè Ambrosianus in hunc locum; Prudenter, inquit, Deus sibi seruire vult; non ut nimietate sua debiles fiant; & postea medicorum suffragia requirant. Vbi *nimietatem* vocat abstinentiam nimiam. Sed pauci sunt, ait Hesselius, quibus suadendus sit vsus vini propter infir-

mitates; multi verò, quibus aqua potus indicendus, propter ebrietates, & fornicationes. Hic quæri potest vtrum hæc quæ pro tuenda sanitate corporis apostolus Timotheo præcipit, reputari debeant in partem scripturæ diuinitus inspiratæ. Nam ea, medicinæ præcepta potius videntur, quam pietatis, aut religionis. Respondeo, proculdubio partem esse scripturæ sacrae. Nihil enim vetat, quo minus eadem præcipiat medicus & Theologus sine diuerso; Ille quidem, solum spectans corporis sanitatem; hic verò eam vltius referens ad virtutes animi, & obsequium Dei. Id quod hic à Paulo factum est. Sed quæres, quare Paulus, qui mortuos oratione suscitare poterat; non similiter Timotheum sanauerit infirmum. Mouet hanc quæstionem Chrysostomus; eademque moueri solet de Epaphrodito, ob cuius infirmitatem & periculum, se contristatum fuisse scribit apostolus, Phil. 2. Atqui in eius loci commentario nos eam quæstionem dissoluimus. Responsionis summa est, Apostolum id non fecisse, quia videbat non expedire. Sciebant enim apostoli erga quos homines, & quando, & quomodo uti deberent dono curandarum infirmitatum sibi concessio; nec, si secus uti vellent, Deum inuocantibus ad futurum. Expediebat autem Timotheo pari hanc infirmitatem; sicut Paulo sentire stimulum carnis: *quia virtus in infirmitate perficitur*. Et hæc ipsius Chrysostomi responsio est in commentario. Vide eiusdem serm. 1. ad populum Anthioch. etià à Theophylacto & Oecumeno citatum, atque laudatum; in quo præsentem scripturæ locum latè & pulchrè explicat. Adde quòd Timotheus vsu vini poterat curari: quare non erat recurrendum ad miraculum, veluti Deum tentando.

24. QVORVNDAM HOMINVM PECCATA MANIFESTA SVNT, PRÆCEDENTIA AD IUDICIVM. *Manifesta* Græcè, *πρόδηλοι*, *præmanifesta*; quod Erasmus vertit, *ante manifesta*. Quamquam Græcum compositum ab authoribus vsurpatur pro simplici; ut non aliud quam manifestum, ac notorium significet, cum intensione quadam; sicut aduerbium Latinum, *propalam* idem quod *palam*. Nam ordo temporis satis significatur per sequentem particulam, *præcedentia ad iudicium*.

QVOSDAM AVTEM SVBSEQVVTVR. Græcè, *Quosdam autem & subsequuntur*. Consonant Ambrosianus textus, & vulgaræ versionis exemplaria quædam manuscripta, atque etiam Clementina editio; tamen si ea res sensum non mutat. Redundat enim coniunctio; quod & in alijs locis annotauimus. Hic scripturæ locus variè exponitur, prout variè potest intelligi iudicium de quo loquitur Apostolus. Nam alij iudiciū Dei intelligunt quod in futuro sæculo exercebit; alij verò iudicium humanum, quale est illud quod episcopus subditos suos iudicat. De iudicio

dicio Dei, duplex est sensus. Vnus iste: Quorundam peccata manifesta sunt hominibus; quæ proinde cognosci, & iudicari possunt in hac vita, priusquam veniatur ad iudicium Dei: quorundam autem occulta sunt hominibus, ideoque in hac vita iudicari non possunt, sed reseranda sunt futuro atque extremo Dei iudicio. Sic ferè exponunt Basilius lib. de vera virginitate, & Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte. Alter sensus est: Hominum malorum multa peccata mortem eorum, & iudicium, seu condemnationem quæ fit in morte, præcedunt; Quorundam autem multa etiam peccata mortem eorum subsequuntur; videlicet ea quæ per malam eorum doctrinam, & mala vitæ exempla ab alijs postea committuntur. Et similiter in bonis res sese habet. Hunc sensum tradit ibidem Basilius secundo loco, atque ex eo referunt Theophylactus & Oecumenius. Hæc duæ expositiones id habent incommodi, quod non satis appareat quomodo verba apostoli sic intellecta cum superioribus cohæreant. Deinde, si prius membrum accipitur de peccatis præcedentibus iudicium Dei; ergo posterius accipiendum erit de peccatis idem iudicium subsequentibus. Quod in priori sensu absurdè dici videtur; cum illud Dei iudicium sit extremum. Restat igitur ea expositio, quæ Pauli sententiam de iudicio humano, quale est episcopi, interpretatur. De hoc enim iudicio actum fuit in præcedentibus; Vnde & de eodem nunc, post breuem super ipsius Timothei persona digressionem, plenius eum instruit. Non tamen est necesse sententiam apostolicam restringi ad iudicium episcopale; cum possit generaliter accipi de iudicio humano, sub quo episcopale continetur. Ita Hieronymus intellexit in epistola decima quæ est ad Furiam, de viduitate seruanda cap. 3. Quod dicit apostolus, inquit, istiusmodi est; Quidam tam liberè, & palam peccant, ut postquam eos videris, statim intelligas peccatores: alios autem, qui callidè occultant vicia sua, ex sequenti conuersatione cognoscimus. Sed hic Hieronymi commentarius parè adhuc ad duplicem sensum; quem admodum & ipsa apostoli verba de humano iudicio intellecta. Nam hoc iudicium aut est examinis seu discussionis, aut est definitionis; velut cum quis eligitur, aut reijcitur. Priori modo, sensus & connexio hæc est: Cum dixi, ne cui manus citò imponas; non sum locutus de hominibus apertè malis, sed occultè. Nam eos qui apertè mali sunt; iam constat esse reijciendos, etiam antequam de ijs iudicium examinis habeatur; quia peccata eorum ita manifesta sunt, ut iudicium hoc præcurrant; Vnde in talibus non requiritur ordo iudicialis. At verò occultè mali non prius reijciendi sunt aut condemnandi quam discussa fuerit eorum vita; quia nimirum peccata eorum, quoad manifestationem, sequuntur hoc discussionis iudicium. Propter hos igitur moneo, ne citò

cuiquam manus imponas. Hunc sensum perspicuè tradit Caieranus, & approbat Hesselius. Posteriori modo sensus est: Si ordinaueris manifestos peccatores; communicabis peccatis alienis. Si quos autem ordinaueris, qui post ordinationem detegantur aut deprehendantur mali: ea res tuam conscientiam non grauabit, modò diligens examen antea adhibueris; quia occulta & futura nosse non potuisti. Quorundam enim hominum peccata palam nota sunt ante electionem eorum, aut reprobationem; quorundam verò latent, nec prius sese produnt, quam ordinati fuerint, aut euecti ad honores. Hoc enim est quod ait; *Quosdam autem subsequuntur*, scilicet iam ordinatos; id est, ordinatione eorum. *Subsequuntur* autè, vel in noticia hominum, vel etiam re ipsa, dum qui prius boni erant, postea mali fiunt, vel in superbiam elati, vel in luxum resoluti. Istæ duæ expositiones valde consentaneæ sunt apostolico textui; tantè si prior plus habeat probabilitatis, propter id quod sequitur,

25. SIMILITER ET FACTA BONA MANIFESTA SVNT, *Facta* Græcè *ἐργα*, opera. *manifesta*, rursum Græcè *πρόδηλα*, de quo supra diximus. Supplendum autem ex parte superiore, *præcedentia ad iudicium*.

ET QUÆ ALITER SE HABENT, ABSCONDI NON POSSVNT. Pronomen, *se*, ab interprete additum est lucis causa. Sensus huius partis à superiore dependet: Vnde & quadruplex assignari potest; Primus quidem & secundus de iudicio Dei: Tertius autem & quartus de iudicio humano. Primus sensus est, Similiter & quorundam hominum bona opera manifesta sunt hominibus, antequam ad illud extremum Dei iudicium veniatur. Quæ verò aliter se habent, id est, non sunt hominibus manifesta; non manebunt abscondita, sed tandem in Dei iudicio manifesta bunt. Secundus; Bona opera, quæ boni faciunt in hac vita, mortem eorum, & iudicium, id est, æternam retributionem, quæ in morte datur, antecedunt, etiam in hominum noticia. Ea verò quæ mortem eorum sequuntur, id est, quæ ab eorum discipulis, alijsve exempla vitæ eorum imitantibus, fiunt, licet nondum sint hominibus manifesta, tamen abscondi non poterunt, sed in die iudicij omnibus patebunt. Tertius sensus: Quod te monui, ne quem citò ordines; sicut non dixi propter apertè malos, ita nec propter eos quos manifestè & notoriè constat bonos & idoneos esse; sed propter eos quorum virtus latet. Nam & bonorum quorundam bona opera adeò manifesta sunt, ut iudicium examinis præueniant; de quibus proinde assumendis consultatione non sit opus: Quorum verò opera bona non sunt ita manifesta, discutenda sunt. Quod si fiat; non facile poterunt abscondi, sed saltem post huiusmodi discussionis iudicium, manifesta erunt, & authores suos dignos ostendent, quibus manus imponantur.

Quartus sensus: Sicut quidam antequam ordinentur, tam manifestè mali sunt, ut planè constet esse reiiciendos: ita nonnulli tam manifestè boni, ut constet esse assumendos, quos si assumeris, nō communicabis peccatis alienis, etiam si postea degenerent. Si quos autem reieceris, quorum virtus tunc larebat, postea verò innotescat (neque enim facilè diu abscondi potest): non est, quod ea res animum tuum conturbet, quandoquidem occulta scire non potuisti. Quis horum sensuum maxime probabilis nobis videatur, ex ijs quæ proximè diximus, intelligere facilè est.

S V M M A R I V M.

Seruos sui officij admonet. Cauendas docet pugnas verborum. In quo periculo versentur qui dicitur fieri volunt. Timotheum ad officia pietatis hortatur. Quid ab eo dimitibus præcipiendum sit. Denique ipsum monet ut depositum custodiat.

C A P V T V I.

QVICVNQVE SVNT SVB IUGO SERVIVS, DOMINOS SVOS OMNI HONORE DIGNOS ARBITRENTVR. A capite quodammodo ad pedes descendit apostolus; dum post ea quæ de presbyteris honorandis & iudicandis admonuit, nunc de seruis instructionem subiicit. Cur autem id necessarium duxerit, ex sequentibus intelligitur. Nam ex eo quod serui Christiani minus promptè dominis suis obsequerentur; malè audiebat ipsa religio Christiana, ac domini ab ea reddebantur alieniores. Vnde & Ephesios, & Colossenses seruos, qui Asiatici erant, similiter de suo ipsorum officio admonet, Ephes. 6. & Col. 3. Apparet enim fuisse quosdam in illis partibus, qui docerent, seruos libertate donatos per Christum, eximi à iugo seruitutis humanæ. Cui pernicioso dogmatis per salutarem doctrinam fuit omninò resistendum; quemadmodum & à Petro apostolo factum est 1. ep. 2. Itaque de hac re serid Paulus instruit episcopos Timotheum & Titum; velut de re grauissimi momenti, quemadmodum à Chrysostomo prolixè declaratur in parte morali sui sermonis. *Sub iugo* esse dicuntur, qui conditione sunt serui; Seruitus enim iugum quoddam est. Præcipit autem ijs, ut dominos suos, quamuis infideles, malos, impios, omni honore dignos existiment, id est, integrum honorem, ac reuerentiam, quæ ijs debetur, libenter, & ex animo impendant. Cuius quidem honoris magna pars est obedientia, & studium vtilitatis dominorum. Sed quomodo impios æstimabunt verè dignos honore? Respondeo, omnem eum qui iure superior, ac dominus est, hoc ipsum à Deo accepisse, & in ea re vices Dei agere; atque hac ratione honorem ei deberi, qualiscunque de-

num ipse sit. tamen si cauendum est seruis, ne quo facto, aut consensu impietatem dominorum suorum honorare videantur.

NE NOMEN DOMINI ET DOCTRINA BLASPHEMETVR. *Domini*, Græcè, *Dei*; quæ admodum ad Ro. 2. *Nomen enim Dei*, inquit, *per vos blasphematur inter gentes*. Sensus est: Ne, si serui contumaces se præbeant, aut infideles suis dominis; malè loquantur homines de Deo Christianorum; & obtrecent doctrinæ euangelij, tanquam quæ dissoluat ordinem politicæ, ac iusticiæ humanæ. Possunt quidem ad eundem genituum *Domini*, vel *Dei*, referri *nomen*, & *doctrina*; sed magis apparet *doctrinam* absolutè poni pro doctrina euangelica; sicut *verbum* sæpe ponitur absolutè. Vtriusque exemplum est in capite superiori, *Qui laborauit in verbo & doctrina*. Notanda quoque Liptote in verbis apostoli, quæ minus dicit, quàm intelligit. Vult enim seruos per omnia officiosos esse erga dominos, non solum, ne malè audiat religio, & doctrina Christiana; verum etiam ut bene audiat, utque domini, qui non credunt verbo, considerantes bonam & sanctam seruorum suorum conuersationem, sine verbo lucrifiant: sicut in re simili loquitur B. Petrus 1. ep. 3. Et hæc quidem de seruis dominorum infidelium. Nam de seruis fidelium, nunc sequitur;

QVI AVTEM FIDELES HABENT DOMINOS, NON CONTEMNANT, QUIA FRATRES SVNT. Christiani se mutuo fratres salutabant; Hoc autem nomine quædam æqualitas significatur: Vnde consequenter tolli videbatur differentia domini & serui. Atque hoc fortassis argumento utebantur, qui negabant seruitutem inter Christianos locum habere; quod omnes sint fratres. Quocirca seruos qui dominos habent Christianos, admonet apostolus, ne eos propterea contemnant, id est, minus honorent *quod fratres sint*. Hæc enim pars: *Quia fratres sunt*, ad dominos referenda est, non ad seruos; ut patet ex parte sequenti.

SED MAGIS SERVIANT QUIA FIDELES SVNT, ET DILECTI. Id est, libentius ac diligentius ijs seruiant, propterea quod Christiani sint, & eo nomine peculiariter dilecti. Quamuis enim qualibuscunque dominis bene & promptè seruiendum sit; magis tamen id merentur domini Christiani. Simul obserua apostolum colligere nomina quibus Christiani inter se vocabantur: Ea sunt, *fratres, fideles, dilecti*. Quod si domini cogitabantur tantum ut fratres; occasio erat contemptus: Sin autem ut fideles & dilecti; ratio erat alacrius, ac magis ex animo seruiendi.

QVI BENEFICII PARTICIPES SVNT. Pro beneficio beneficentiam alij malunt. Ambiguum est autem vtrum ad dominos hæc pars referenda sit, an ad seruos. Ad dominos relata, potest hunc habere sensum; Qui beneficij Christi participes sunt, perinde ut serui. Nam & hæc causa est cur illis serui libentius obsequi

debeant.

debeant. Refert etiam ad Dominos Syriacæ versio, sed alio sensu; Sic enim habet; *Qui cõsenti sunt ministerio eorum*; id est, qui gratum, & acceptum habent eorum ministerium, ac pro beneficio reputant. Porro qui de seruis intelligunt, ita exponunt; Qui beneficentiæ dominorum suorum participes sunt, idque nunc liberalius quàm olim. Nam postquam domini facti sunt Christiani; beneficentiam augent in seruos, amant ut fratres & impensa obsequia benignius compensant. Quæ profectò magna causa est cur ijs serui propèsius debeant inservire. Sensus hic Græcorum est interpretum; idemque maximè seruiti instituto Apostoli. Nec obstat quod ea quæ proximè præcedunt, de dominis dicta sint; Facile enim per hyperbaton hæc pars ad illam vltiorem, *sed magis seruiant*, referri potest, uti monet Theophylactus. Quod & Græco textui congruit.

HÆC DOCE, ET EXHORTARE. Hæc quæ de seruis præcepti, *doce*, ut sciant; & *exhortare*, ut faciant. Nonnulli referunt ad omnia superiora, minus commodè.

SI QVIS ALITER DOCET. Quid sit *aliter docere*, seu potius *alia docere*; exposuimus ad illud capitis primi; *Ut denunciaret quibusdam ne aliter docerent*. Est enim vtrique in Græco idem verbum compositum *ἑτεροδιδάσκω*, id est, diuersam doctrinam adferre; nimirum doctrinæ prius acceptæ dissentaneam ac repugnantem. Satis apparet ex hoc loco, fuisse eo tempore quosdam qui diuersim à supra dictis docerent occasione libertatis euangelicæ seruos auocantes ab officio debito. Veruntamen non ille aliter docet, qui Christianos beneficio canonum ecclesiasticorum aut legum imperialium, quibus canones hac in parte nituntur, docet eximi iugo seruitutis respectu dominorum ipsi Ecclesiæ, aut Imperio subditorum; siue hi Christiani sint, siue heretici, siue Iudæi, siue etiam Pagani. Hæc enim legibus humanis in subditos constitui possunt: De qua re prolixè disseret vide Hefselium in commentario. Sed ille docet aliud; qui hominem, eo ipso quo Christianus est, liberum esse docet à seruitute ista humana; videlicet confundens libertatem Christianam, quæ spiritualis est & internam, cum libertate externa, & corporali. Alij partem hanc, *Si quis aliter docet* &c. non ad proximè dicta referunt, sed ad illa dogmata, propter quæ initio epistolæ iussit denunciari quibusdam ne aliter docerent: quod nō est improbabile, propter ea quæ hic sequuntur. Quamquæ etiā dici potest, falsam hanc de seruorum libertate doctrinam ab apostolo comprehendi sub ea quam initio taxauit.

ET NON ACQUIESCIT SANIS SERMONIBVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. *Acquiescit*, Græcè & Syriacè, *accedit*. Sensus bene reddidit noster interpret. *Sermones Christi* vocat apostolus, vel quos Christus ipse docuit, vel potius qui sunt de Christo, eiusque

mysterio ac doctrina Hi autem erant sermones apostolici, id est, doctrina apostolica. Nā ipse Christus verbis palam contradicere nō poterat, qui fidem Christianam profitebatur. Sic ait ad Ro. 10. *Audiuimus per verbum Christi*, quo scilicet Christus annunciat. Ad eundem modum Fides Christi, & Euangelium Christi dicuntur, quia sunt de Christo. Vocantur autem *sani sermones*, quia salutares, id est, ad eternæ vitæ salutem viles. Id explicatur parte sequenti.

ET EI QUÆ SECUNDVM PIETATEM EST DOCTRINÆ. Id est, ei doctrinæ quæ pietati cõsentanea est, quæque pietatem promouet. Hæc enim est doctrina sana. *Pietatem* intellige verum Dei cultum; Græcè, *εὐσεβείαν*, qua nimirum rectè & sincerè Deus colitur. Igitur hac parte videtur obliquè perstringi superstitiones Iudaicæ.

SVPERBVS EST. Græcè, *Inflatus est*: Hoc dicitur, aut quia proprium sensum apostolicæ doctrinæ anteponit, quod est omnibus hæreticis commune; aut quia sibi placet tanquam magna & mira præditus scientia. Simile illud de Simoniano seductore, Col. 2. *Frustrā inflatus sensu carnis suæ*. Posteriori rationi pulchrè respondet quod sequitur.

NIHIL SCIENS. q. d. Meritò dixi *inflatum esse*, tanquam vento turgidum, ac distentum; quia reuera nihil habet solidæ scientiæ pertinentis ad pietatem. Quamuis enim Iudaizantes, qui potissimum hic notantur, crederent vnum Deum omnium creatorem, & futuram mortuorum resurrectionem, & alia quædā huiusmodi; censentur tamen apostolo nihil scire quia carebant scientia gratiæ Christi, sine qua omnis alia fides & scientia nihil omnino prodesse poterat ad salutem. Potest & hic esse sensus: *Nihil sciens* eorum, quæ præ alijs iactat se scire. Nam ut de talibus dictum est cap. 1. *Conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores; non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*.

SED LANGVENS CIRCA QVÆSTIONES; ET PVGNAS VERBORVM. *Langvens*, Græcè, *agrotans*; quod tamen apud Græcos etiam ad animum refertur, perinde ut *languere* apud Latinos; ut *νοσέειν*, agrotare dicantur, qui desipiunt ac delirant, aut qui quomolibet malè animo affecti sunt. Erasmus vertit, *Insaniens*, ut appareat antithesis, quam facere videtur apostolus inter sanitatē doctrinæ Christi, & insaniam doctrinæ eorum, contra quos hic agit. Igitur secundum Græcorum commentarium, languent circa quæstiones, qui animo languenti ac malè sano veritatem quærunt. Cuiusmodi sunt qui sine fide quærunt ac disceptant de ijs, quorum ante omnia à nobis fides exigitur. Quicumque enim ratione discurrunt & inuestigant ea quæ credere debebant; ij, more febricitantium, peruersè de illis iudicant; &, more phreneticorum, aliud pro alio eligunt. Id quod non solum ac-

cidit infidelibus, humanæ rationis iudicio mysteria Christianæ religionis expendentibus; velut de Deo incarnato, de Trinitate, de resurrectione; Imo & Tullio de natura Deorum disputanti: verum etiam hæreticis, privato sensu & non ad normam fidei scripturas interpretantibus. Fides enim oculus est, inquit Theophylactus. Sicut ergo qui non habet oculos, quod querit non inuenit: ita & qui fide destitutus est. Et hæc quidem Græcorum expositio est. Alij verò probabilius putant apostolum generaliter loqui de quæstionibus frivolis, inutilibus, curiosis, ac superuacaneis, atque ijs omnino quæ ad fructum salutis nihil adferunt momenti. Nam huiusmodi multis quæstionibus intecti erant ij, contra quos hic agitur. Vnde est & illud primi capituli, *Neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam adificationem De: quæ est in fide.* Dicuntur autem hi *lingue circa quæstiones*, quia, cum animi morbo laborent, sanitatem ex ijs nullam reportant. De toto hoc genere quæstionum inutilium & curiosarum vide Augustinum epistola 56. ad Dioscorum. Pertinet eodem quod sequitur:

ET PUGNAS VERBORVM. Græcè *λογωμαχίας*, quod etiam verti potest, *disputationum pugnas*; quemadmodum vertit Erasmus. Intelliguntur autem concertationes de quæstionibus, quales iam dictæ sunt. Itaque duo vicia notantur; querendi vanitas; & disputandi pugnacitas; quorum utrumque salutis profectum impedit. Sensum quem dedimus, alia loca apostoli confirmant: vt secunda epistolæ cap. 2. *Stultas & sine disciplina quæstiones denita; sciens quia generant lites.* & Tit. 3. *Stultas autem quæstiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis, denita: Sunt enim inutiles & vane.* Cæterum malè locum hunc Erasmus & sectarij detorquent aduersus scholasticorum Theologorum disputationes. Vt enim demus quasdam quæstiones parum viles ab illis interdum moueri quasdam verò tametsi viles verbosius agitari, quam oporteat: paucorum tamen hæc vicia sunt, neque propterea, quod aduersarij volunt, in vniuersum damnanda est illa de rebus Theologicis scholastica disputandi ratio; quam sanè ecclesia, & ad eruendam veritatem, & ad detegendas fallaciam argumentorum strophas, vtilissimam experitur, & probat.

EX QUIBUS ORIVTUR INVIDIÆ, CONTENTIONES. Græcè, *Ex quibus nascitur inuidia, contentio.* Quæstiones, inquit, illæ, & *λογωμαχίας* adeo non sanant hominem, vt etiam pluribus peccatis implicent & languorè augeant. Cum enim non ad ædificationem, sed ad inanem gloriam, aut quæstum suscipiatur: *inuidiam & contentionem*, id est, rixas, excitant inter ipsos disputantes. Hoc quam verum sit, etiam hodie in mutuis sectariorum cõflictationibus cernimus; dū sine iudice, summa contentione quisque certat pro sua sententia.

BLASPHEMIÆ, SUSPICIONES MALÆ.

Græci *blasphemias* interpretantur praua dogmata de Deo, rebusque diuinis. Similiter *malas suspiciones* intelligunt falsas, atque indignas de Deo opiniones. Nam huiusmodi etiam obiebantur ex indoctis & curiosis disputationibus, præsertim Iudeorum; vt patet ex Thalmudica eorum doctrina. Verum quia *blasphemia* generaliter sonant maledicta, siue in Deū iactata siue in homines: simplicius est vt intelligamus conuicia & probra quibus se mutuo impetunt contentiosi disputatores; adeo vt nonnunquam etiam a verbis ad verbera veniatur. Item *suspiciones malas*, quas ex inimicitia concepta fouent aduersum se mutuo.

CONFLICTATIONES HOMINVM MENTE CORRUPTORVM (*Conflictationes* Græcè *παράδοξα*). Nam Græci *παράδοξα* vocant cõgressus, & exercitationes disputandi; quales erant philosophorum in suis auditorijs; ita dictas, quod exercitijs eiusmodi tempus vtiliter tereretur. Sed præfixa præpositio *παρά* significationem vocabuli ad vicium trahit; vt *παράδοξα* dicantur exercitationes inanes, atque inutiles, aut etiam noxiæ: quas interpres noster vno nomine vocat *conflictationes*; Erasmus addit *superuacaneas*; Alij, *peruersas*. Oecumenius sumptam metaphoram putat a scabiosis onibus; quæ applicatæ alijs, & attrite, etiam sanas in morbo afficiunt. Iuxta hunc sensum, cuius etiam Chrysostomus & Theophylactus meminerunt, Latine verti poterat *attritiones*, vel *affricationes*. Nam & Syra versio dedit *attritionem*. Tanquam dicat apostolus; Quomodo scabiosum pecus attritu suo alias oues, quæ sanæ sunt, inficit; ita & isti homines, dum inter alios versantur, veneno suæ doctrinæ eos inficiunt. Hic sensus, etsi probè moralis, ideo tamen minus placet, quod recedat a recepta significatione vocabuli Græci. Non est autem prætermittendum, in quibusdam codicibus; ac nominatim apud Oecumeniū, & in biblijs regijs legi *παράδοξα* transpositis præpositionibus; quæ lectio etiam ad marginem in Latino Chrysostomo est annotata. Eam autem vocem Cicero, *assiduitatem*; Donatus, *conflictationem*, Latine reddiderunt. Quod ad sermonem apostoli attinet; prima fronte mirari potest quispiam; quomodo velit ex quæstionibus, & logomachijs oriri conflictationes: sed sicut lis ex lite sæpenumero seritur, ita & ex illis frequenter eò proficitur, vt vel nouæ vel aciores quam principio oriuntur *conflictationes hominum mente corruptorum*, id est, inanes, ac prauæ exercitationes hominum, quorum mens ambitione, vel auaricia, alijsque affectibus occupata, & corrupta est. Quæ causa est vt nec salutaria querat, nec veritatem inueniat. Vnde sequitur,

ET QUI VERITATE PRIVATI SVNT. Id est, destituti. Erasmus vertit, *Et quibus adempta est veritas*; sed non attendit ad vsum Græci vocabuli. Non enim significat apostolus, veritatem quam aliquando tenuerūt, ijs

ademptam

ademptam esse, iuxta prouerbum, Altercando veritas amittitur: sed apud eos veritatem non esse, nec inueniri; cum disputationis eorum scopus non sit veritas, sed prauæ cupiditatis expletio. Itaque pars hæc infertur ex præcedenti; quasi diceret, eas esse conflictationes hominū qui mente corrupti sunt, & proinde veritate destituti. Quam sequelam explicat id quod sequitur,

EXISTIMANTIVM QUÆSTVM ESSE PIETATEM. Ex Græco liquet hanc esse syntaxim, *Existimantium pietatem esse quæstum*, id est, rem quæstuosam. Sensus est: Qui pietatem quæstui habent; &, vt clariùs dicā, qui quæcunque piè & religiosè facere, dicere, ac docere videntur, referunt ad temporalem & priuatam suam vtilitatem. Sub *quæstu* cõprehende etiam cetera, quæ peruersè concupiscuntur; vt gloriam, honores, voluptates. Hæc ab apostolo præcipue contra Iudæos, & Iudaizantes dicuntur, homines auaros ac terrena sectantes, & ex quacunque sua religione negotiatorum more passim apud homines quæstum aucupantes. Vnde & ad Titum scribens ca. 1. *Sunt, inquit, multi inobediens, vaniloqui & seductores, maxime qui de circumcissione sunt, quos oportet redargui.* Ac deinde subiungit de eorum auaricia: *Qui vniuersas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucrigratia.* Græci codices addunt hoc loco, quod in Latinis hodie non legitur; *Abcede, siue, se iungere a talibus.* Pro quo Ambrosianus habet; *Discede ab eiusmodi.* Vnde liquet vetustā esse lectionem huius partis; quam & omnes Græci interpretes exponunt, admonentes non dicere apostolum, Disputa cum illis, & è diuerso contende; sed, *Recede*, scilicet post vnam & alteram admonitionem. Sic enim ex alio loco, qui est ad Tit. 3. sententiam hanc supplet Chrysostomus. Ratio præcepti est, quia qui quæstum spectant, non veritatem; persuaderi non possunt, nisi (quod est difficillimum) morbo auariciæ prius sanato.

EST AVTEM QUÆSTVS MAGNVS PIETAS CVMSVFFICIENTIA. Correctio rhetorica est, quæ quod vituperauerat, in contrarium vertit, sensu mutato. q. d. Imo verò, si quis rectè iudicet, ipsa pietas magnus est quæstus; Non ita quidem vt illi existimant, de quibus modò dicebam, sed excellentiori ratione: quia pietas multo plus valet quam quicquid ab homine auaro desiderari potest. Nam, vt supra dixi *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ præsentis, & futuræ.* Quod adiungitur, *Cū sufficientia*, Græcè *μετὰ ἀνταρκτίας*, id Erasmus quadam periphrasi vertit, *cum animo sua sorte contento*. Idque etiam Hentenius & alij nonnulli sequuntur. Sed videtur apostolus ea Græca dictione voluisse duo complecti, nempe sufficientiam rerum necessariarum ad vitam hanc temporalem, & animum ijs cõtentū. Nam hæc duo sequenti sententia coniungit, dicens, *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus.* Non ergo significat

apostolus vocabulo *ἀνταρκτίας* animum sua sorte cõtentum, quod vult Erasmus vertisse; sed animum contentum rebus ad vitam sufficientibus; ita nimirum, vt supra ea quæ necessaria sunt, non querat. Id enim significat vox Græca. Nam si quis rebus prorsus necessarijs indigeat, vt si nec panem habeat, nec vestem; ab eo non exigimus animum illa præsentis sorte contentum, quin potius stupidum iudicemus, si forte illa infelici contentus, necessaria non quereret; imo nec ipsum, qui Deo non diceret: *Panem nostrum quotidianum &c.* Sed cur addidit apostolus, *cum sufficientia*; cum sola pietas pro magno quæstu nobis sufficere debeat? Scilicet ideo, quia piè, sanctèque vivere non possumus, nisi viuamus; Vt autem viuamus, habenda sunt vitæ necessaria. Postulat igitur ipsa pietas sufficientiam, atque adeo docet nos eam petere a Deo. Quamquam sūt qui illud, *cum sufficientia*, annectant illi quod præcedit; hæc constructione, *Pietas est magnus quæstus cū sufficientia*. Ita videtur B. Th. in Cõm.

7. NIHIL ENIM INTVLIMVS IN HVNC MVNDVM. Græcè & Syriacè, sine pronomine, *in mundum*. Similiter apud Ambrosianum, & Primasium.

HABVDVBIVM QVOD NEC AVFERRE QVID POSSVMS. Græcè, *profecto nec efferre quid possumus*. Opponit enim apostolus has voces inferre, & efferre. Alludit autem ad illud Sancti Iob; *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Quod & Ecclesiastes cap. 5. generatim de homine pronunciat. Itaque loquitur apostolus de bonis externis quorū nihil, cum nasceremur attulimus, nihil etiam quando moriemur, ablatum. Quæ sententia docere vult eiusmodi bonarum esse aduericia, nec permittenda; ac proinde transitorie tantum ijs vitandū, nec plus querendū, quam quod satis sit ad vitā hanc mortalem transigendam. Atque id est quod sequitur.

8. HABENTES AVTEM ALIMENTA, ET QUIBVS TEGAMVR, GRÆCÈ *συνεπασηματα*, id est, tegumenta, seu protegumenta. Nō dicit vestimenta, quia latius patet *συνεπασηματα*, comprehendens etiam domicilium. tametsi Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, amictū legit, ita citans: *Habentes victum & amictum.*

HIS CONTENTI SIMVS. Quædam exemplaria, *sumus* habent. Atque eam lectionem exhibet editio Louaniensis correctior, & primæ Clementinæ addita castigatio Romana. In Græco verbum est futurū, indicatiui modi, *ἀπεθροσόμεθα*. q. d. *contenti abimur*. Sed hæbræa phrasi frequenter huiusmodi futura vim habent imperantis; vt *Non occides, Nō mœchaberis*. Quamquam apostolus simul etiam affirmare aliquid intendit; hoc modo, *Quoniam hæc sufficient, his contenti sumus.* Eam affirmationem clarè exprimit Syra versio, *Propter hoc sufficit nobis alimentum, & operimentum.* Quæres, quomo-

do nos velit his esse contentos, cum tam multa alia sint hominibus necessaria: ut libri, studentibus alicui disciplinæ; arma, militibus; instrumenta mechanicæ, fabris. Respondeo Paulum ea sola nominasse, quæ omnibus in vniuersum hominibus necessaria sunt, idque simpliciter, & non ad certos fines dumtaxat; & sub quibus cætera fere possunt comprehendere. Sed iterum quæres utrum consilij sit, an præcepti quod dicit: *His contenti sumus*. Respondeo, præceptum esse, idemque ad omnes pertinens, atque adeo ex ipsa naturæ lege profectum. Nam superflua querere, contra naturam est. Et, si petere superflua à Deo, non licet; ergo nec querere. Quod si tamen affluant diuitiæ; retineri licite possunt, modo cor ijs non apponatur, sed secundum Dei legem expandantur in necessitates aliorum. Etenim & hoc natura docet, & charitas exigit, ut membrum abundans re sibi non necessaria, transmittat eam ad alia membra, quæ indigent. Ideo namque Deus alios diuites fecit, alios inopes; ut illi tribuendo, isti patiando, & pro tribuentibus orando, Deum promereantur. Habetur idem præceptum Heb. 13. *Sint mores sine auaricia, contenti presentibus*. De quo dicemus suo loco. Porro quod dixim⁹ in apostoli verbis præceptum cõtineri, amplius cõfirmatur per id quod sequitur.

NAM QUI VOLVNT DIVITES FIERI. GRÆCÈ & SYRIACÈ, *Qui autem volunt ditari;*

INCIDVNT IN TENTATIONEM, ET LAQUEVM DIABOLI. Genitium, *diaboli*, Græca, Syra, Ambrosianus, & Aquinas non agnoscunt; ut verisimile sit ex cap. 3. superiori, vbi laqueus diaboli nominatur, huc irrepsisse. Rectè admonent interpretes non dicere apostolum: Qui sunt diuites; sed *qui volunt diuites fieri*; ne quis hinc damnari putet diuitiarum possessionem. Nam de ijs qui diuites sunt, quid eos facere oporteat, intra audiemus. Hoc igitur est quod dicit, *Qui diuitias appetunt, & hoc agunt, ut diuites sint; incidunt in multas peccandi occasiones, ijsque velut laqueis & reibus implicantur*. Non enim, iuxta quorundam expositionem, tantum significatur eos incidere in multa huius vitæ pericula; quod & pijs accidit, dicente Iacobo apostolo cap. 1. *Omne gaudium existimate cum in tentationes (id est, tribulationes) varias incideritis: sed tentationem intelligit, qua quis ad peccandum sollicitatur; quomodo de tentatione loquitur eodè capite B. Iacobus, inquiens: Nemo, cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur &c. Potest & sic intelligi, Incidunt in tentationem, & laqueum, id est, à tentatione & laqueo comprehenduntur. Quod fit, dum à tentatione superantur: iuxta id quod deprecamur in oratione Dominica; *Ne nos inducas in tentationem*, id est, Ne nos permittas à tentatione superari. Cui sensui fauet quod sequitur*

ET DESIDERIA MVLTIA INVTLIA ET NOCIVA. *Inutilia* Græcè *ἀνόητος*, insensata,

stulta, absurda. Consonat & Syra versio, Suspicatur autem Erasmus interpretem nostrum vnam literam amplius in Græco legisse, *ἀνόητος*; id est, *inutilia*; Nam & Ambrosianus textus *inutilia* legit; Atque ea Græca lectio etiam hodie visitur in nonnullis codicibus; nominatim in exèplari Regio. Hæc lectio si sequamur in vocabulo *inutilia*, Litote erit, qua minus dicitur quàm intelligitur; eritque posterior dictio prioris expositio, *inutilia*, id est, *nociva*. Quomodo scriptum est Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, qua nihil prodest*; id est, multum nocet. & ca. 2. *Quoniam inutilis factus est nobis*, id est, vtilitati nostræ contrarius. Verum quia scriptura non solet eo vocabulo Græco uti ad significandum inutile, sed alijs ab hoc diuersis; idcirco probabilius apparet id quod Chrysostomus alijque Græci expositores legerunt & interpretati sunt: scilicet eos qui diuites fieri volūt, incidere in desideria, seu cupiditates multas, easque stultas, & nexias: stultas quidè, id est, à recta ratione alienas; noxias verò, propter id quod sequitur.

QUAE MERVNT HOMINES IN INTERITVM, ET PERDITIONEM. Idem sunt *interitus*, & *perditio*; sed hac geminatione vsus est apostolus vehementiæ causa; aut certè, ut duplicem interitum significaret, temporale & æternum. Nam cupiditates quas amor diuitiarum parit, non solum temporalibus malis hominibus inuoluunt, verum etiam demergunt in profundum gehennæ. Huc autem imprimis pertinet concupiscentia rerum alienarum, quæ latissime patet, & hominibus auaris propria est. Quæres, cum apostolus tam grauiter exaggeret pericula eorum, qui volunt diuites fieri: num igitur peccatum sit velle ditari. Sed huic quæstioni iam supra responsum est. Si enim præcipimur contenti esse rebus ad vitæ necessitatem sufficientibus; certè consequens est eos peccare, qui his non contenti, quærunt superflua; quod quidem faciunt, qui diuites fieri volunt. Nam diuitiæ sonant rerum ad vsu huius vitæ necessariorum superabundantiam. Igitur huiusmodi cupiditas, absolute cõsiderata, non caret affectu auariciæ, qua plus quàm opus est, queritur. Ac proinde optare & querere diuitias, quomodo plerique optant & querunt, volentes abundare bonis huius sæculi; nõ potest esse sine peccato. Si quis autem, quod rarum est, eas optet & quærat cum voluntate remouendi superfluum quod in diuitijs includitur; ut si cogit & sanctè eas expèdere, velut in eleemosynas pauperum, redemptionem captiuorum, extructionem ecclesiarum, monasteriorum, xenodochiorum, collegiorum, aliosue similes vsus: licitum id est, & pium, si secundum se spectetur. Sic enim & apostolus monet Eph. 4. dicens; *Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti*. Nec id supradictis contrarium est. Talis enim, etsi quærat aliquid supra suam ipsius necessitatem, ac sibi ipsi

quo-

quodammodo superfluum; non tamè superfluum absolute. Nam superfluum nõ cõsetur, quod seruatur egenis tribuendum suo tẽpore; sicut nõ est superfluum quod seruatur in futuram necessitatẽ familiæ, ut quod æstate colligitur in hyemem venturam. Veruntamen etiam cū istiusmodi voluntate & cogitatione, quam dixi, diuitias querere, plerumque & ordinariè periculo non caret; idque multas ob causas. Primam enim, fit ut mentiat iniquitas sibi, & non videat homo occulta auari cordis sui. Quin etiam si correctum sit, & intentio bona; tamen ex ipsa diuitiarum possessione, atque præsentia, facile poterit à recto auerti; ac deprauari, ut vel incipiat tenacius eas possidere, vel ad luxum expendere, vel certè ex ijs inflari & superbire, aut Deum negligere: quia sicut in delicijs, castitas; ita in diuitijs, valde periclitatur humilitas & pietas. Hinc est quod tam multa in scripturis, sacris contra diuites dicuntur, quale est illud Christi in euangelio: *Qua difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei*. Luc. 18. Cuius hæc est ratio, quia difficile ad modum est diuitè esse, & diuitias non amare. Quæ res non solum in hominibus sæcularibus veritatem habet, sed etiã in ecclesiasticis ac religiosis. Nã utique episcopos & ecclesiæ doctores, atque ministros hinc instruit apostolus: Imò verò istis appetitus diuitiarum tanto magis inhibetur, quão alios contempu sæculi præcellere debent, & bonis exèplis anteire. Quod vel maximè notandum est propter eos qui plura beneficia ecclesiastica possident, aut quærunt, quibus vnũ ad vitã honestè tranfigendam sufficit; etiam si plura habeant, eo prætextu, vel intentione, ut opes inde collectas, in pios vsus, ut loquuntur, aut viuẽtes erogent, aut à morte relinquunt. Malè enim contra diuinas & ecclesiasticas leges, ipsumque adeo ius naturæ, per huiusmodi fallaces intentiones quorundam auaricia sibi blanditur ad ipsorum interitum & perditionem.

RADIX ENIM OMNIVM MALORVM EST CVPIDITAS. Pro cupiditate, Græcè est *φιλαργυρία*, amor pecunie, quam vno nomine auariciam vocamus; quomodo legit Ambrosianus. Atque ita citant sæpè B. Augustinus, alijque Latini Patres. Alij *studium pecunie* vertunt. Probat apostolus id quod dixerat, eos qui diuites fieri volunt, in plurima mala incidere; quia nimirum diuitias quærunt ex auaricia, quæ radix, & seminariũ est omnium malorum. Vbi tam peccata quæ culpæ mala voluit cõprehendi, sicut benè Cajetanus annotat; neque solum mala peccata futuri sæculi, sed etiam præsentis. Id licet partim ex ijs quæ præcedunt, partim ex eo quod proximè sequitur. Nominat enim tentationem, laqueum, desideria multa inutilia & nociva, dolores multos, denique interitum & perditionem. Augustinus quidem sententia videtur, ab apostolo speciem pro genere positã esse, scilicet auariciã pro cupiditate, qua plus quã

sat est, queritur, nõ solum in pecunijs & opibus externis, sed in re qualibet, ut honoribus, potentia, scientia, voluptate. Loca sunt lib. 11. de gen. ad lit. cap. 15. & lib. 3. de lib. arb. cap. 17. itemque in enarratione psalmi 118. conc. 11. & tract. 8. super epistolam primam Ioannis: Verum repugnat tam significatio, quàm vsus vocabuli Græci. Neque enim hinc est, *φιλαργυρία* quæ solet etiam ad alia quæ malè appetuntur, extendi; sed ut dixi, *φιλαργυρία*, quæ ad alia non extenditur. Adde quod ipsa consequentia sermonis apostolici vix admittit eam extensionem. Sed nec opus est; cum veritas sententiæ specialiter intellecta, satis abundeque nota sit, non solum ex alijs scripturis, verum etiam per experientiam, ac multorum authorum clara testimonia. Sententia est Ecclesiastici cap. 10. *Auaro nihil esse scelestum*. Et iterum; *Nihil iniquius quàm amare pecuniam: Hic enim & animam suam venalem habet*. Exclamat etiam Etlinicus poeta; *Quid nõ mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Sed & Claudianus eam *scelerum matrem* appellat lib. 2. in laudes Stiliconis. Exèplũ autè, inter alia multa, habemus apertissimum in Iuda proditore, qui Dominum suum pecuniam cupiditate vendidit occidendũ. De quo vide Leonè ser. 9. de passione Domini; vbi & hanc apostoli sententiã pulchre amplificat. Hinc Augustinus lib. 2. de Ordine ca. 8. instruit adolecentes ad vitæ probitatẽ; *Amorẽ pecunie*, inquit, *totius suæ spes certissimum venenum esse credant*. Ex his omnibus patet, quàm verè & appositè Paulus auariciam vocet omnium malorum radicem; eo nimirum, quod omne genus scelestum, ac flagitiosum, ex auariciæ radice progeminet, dũ pecuniæ causa, nihil nõ audet homines cõmittere: velut periuria, furta, rapiñas, sacrilegia, homicidia. Tãcti nõ hanc solã rationem spectauit apostolus, sed & alterã, ut supra dixi, de malis peccatis; quia scilicet in omne genus calamitatum ac miseriarum auaricia suos cultores præcipitat. Quæret aliquis, quomodo dicat apostolus auariciã esse radicem omnium malorum; cū, iuxta celebem Ecclesiastici sententiam c. 10. *Initium omnis peccati superbia sit*. Respondeo, diuerso sensu hæc dici. Nam auaricia quidè ea ratione qua dictum est, omnium malorum est origo; Superbiã verò omnis peccati initium est, quia tã in angelis quàm in hominibus primũ omnium peccatum fuit superbia, qua à Deo recesserunt. Quanta & à superbia oriuntur cætera: quatenus homo per superbiã auersus à Deo transit ad regnum peccati.

QUAM QUIDAM APPETENTES ERRAVERVNT A FIDE. Rẽ ab experientia declarat. *Appetere cupiditatẽ, siue auariciã*, Hebraismus est, quo affectus pro obiecto ponitur, auaricia pro rebus concupitis; id est, opibus, pecunijs. Tale est illud psalm. 105. *Concupierunt concupiscentiam in deserto*. & Iob 3. *Tumor quẽ timebam euenit mihi*: Cuius expositio sequitur; *Et quod verebar accidit*. Hac phrasi non animaduersa alij verterunt, *Quam secuti;*

A 2 3

aut,

aut, cui addidit, præter vsum, ac significatione verbi Græci *ὀρεζόμενοι*. Alij, quã, referunt ad *penuriam*, inclusam in *φιλανθρωπία*; sed imperite, cum genus in Græco non respondeat. Itaque sentit apostolus vsque ad eam radicem omnium malorum auariciam esse, vt etiam ad infidelitatem perducatur. Iam enim, inquit, quidam, qui Christo nomen dederant, dum auariciam student, & diuitias appetunt, atque sectantur, aberrarunt, ac defecerunt a fide Christiana; videlicet ea ratione, qua supra cap. 1. dixit *quosdam repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragasse*. Si enim auaricia est peccatorum radix, & scelerum mater: igitur bonam conscientiam repellit quisquis auariciam studet.

ET INSERVERUNT SE DOLORIBVS MULTIS. Græcè, *confixerunt se*, quemadmodum & vertit Theophylacti interpres. Atque eam significationem vrgent expositores Græci. Sensus est; Et coniecerunt se in multas & graues angustias, multorum dolorum causas, & quibus velut spinis transfixi cruciantur. Significat, omnes quidem qui diuites fieri volunt, incidere in tentationes & laqueos peccatorum, & noxia desideria, quæ causa sint æternæ perditionis; quosdam autem etiam implicari grauissimis malis huius sæculi, quæ solent ex infranata rerum alienarum cupiditate consequi.

TV AVTEM, Ô HOMO DEI, HÆC VGE: In veteri scriptura *homines Dei*, aut *virii Dei* vocabantur prophetae; velut Deo familiares: vt Moyses, Samuel, Dauid, Elias, Elizeus, atque alij. Non dissimili ratione, Timotheum episcopum Paulus *hominem Dei* vocat, quia nimirum in his quæ Dei sunt, populo præerat, hoc habens proprium munus, vt homines ad Deum adduceret; quod est omnibus episcopis commune. Vnde in secunda ad Timot. 3. nomen illud generatim episcopo tribuit, dicens; *Vt perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus instructus*. Igitur & hic in Timotheo omnes episcopos & pastores admonet. Tu, inquit, qui es homo Dei, & proinde in ea quæ Dei sunt, totus intendere debes; ista quæ dixi, *fuge*; scilicet auariciam & peccata quæ ex illa radice procedunt. Verbum *fuge*, emphaticum habet; q. d. *tis ab huiusmodi longissime remotus*. Adhortatio omnibus animarum pastoribus summopere necessaria. Nihil enim æquè deprauat eorum intentionem, & ex pastoribus mercenarios facit, atque studium & affectus auariciæ. Nihil etiam est, quod magis impediatur fructum salutis animarum, quàm si videant subditi pastorem suum auariciæ studere, & sua querere, non quæ Iesu Christi.

SECTARE VERÒ IUSTICIAM, PIETATEM, FIDEM, CHARITATEM, PATIENTIAM, MANSVETUDINEM. Hortatur ad virtutes oppositas. Illa *fuge*; istas *sectare*; quod Græcè est, *διώκει, perseguere*, vocabulum fugæ contrarium: vt significet pari animi conten-

tionem pastoribus & vicia fugienda, & sectandas esse virtutes. Eodem verbo vsus est 1. Cor. 14. *Sectamini charitatem*. Primo loco *iusticiam* nominat, vnicuique quod suum est, tribuentem, quæ auariciæ opponitur res alienas appetenti. Deinde *pietatem*, qua Deus ex animo & pura intentione, non autem affectu mercenario colitur; quam supra dixit *esse magnum questum, & ad omnia utilem*. *Fidem*, cælestia bona querentem; à qua aberrauerunt quidam per auariciam. *Charitatem*, non querentem quæ sua sunt, sed quæ aliorum; ad quam liberalitas pertinet, & omne genus beneficentiæ erga proximos. *Patientiam*, qua non solum superfluis, verum etiam necessarijs æquo animo caremus. *Mansuetudinem*, pro qua Ambrosianus legit, *tranquillitatem animi*; dū scilicet non commouemur aduersus eos, qui nos iniurijs afficiunt, ea quæ nostra sunt auferentes; iuxta illud, *Qui auferit quæ tua sunt, ne repetas*. Luc. 6.

CERTA BONVM CERTAMEN FIDEI. Metaphorica est admonitio, non à militia sumpta, quod plerique putant, cuiusmodi erat illa cap. 1. *ut milites in illis bonam militiam*; sed à certamine quod cursu fiebat in stadio; de quo 1. Cor. 9. *Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere &c.* Cui quidem exhortationi similis est ista; nisi quod illa generalis est ad omnes fideles, hæc autem speciatim dirigitur ad episcopum. Alioquin & hic in Græco est nomen agonis; q. d. *Agoniza bonum agone fidei*: & mentio fit brauij comprehendendi, in eo quod sequitur; *Apprehende vitam æternam*. Vtitur autem eadem metaphora etiam in secunda epistola cap. 2. dicens: *Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certauerit*. Similis est locus ad Philip. 3: vbi de seipso loquitur tanquam in huiusmodi stadio currente ad brauium supernæ vocationis. Hortatur ergo Timotheum apostolus, vt, memoratis virtutibus instructus, cursum ministerij sui bene ac feliciter peragat. Qui cursus meritò *certamen* vocatur, propter difficultates, quas qui currit, patitur ab aduersarijs, tam internis, quàm externis, cursum eius impedire ac brauium interuerrere conantibus. Vocatur autem *certamen fidei*, vel quia non nisi per fidem vincit, qui in hoc certamine versatur, Ioanne testante 1. ep. 5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*: Vel quia certamen hoc pro fide Christi propaganda ac defendenda susceptum erat. Loquitur enim, vt dixi, de cursu ministerij euangelici.

APPREHÉNDE VITAM ÆTERNAM. Id est, ita certa in hoc cursu, vt apprehendas, & consequaris vitam æternam velut brauium & palmam victoriæ. Docet hic locus contra sectarios, vitam æternam bene viriliterque certantibus propositam esse tanquam præmiū. Id disertè annotatum est à Theophylacto,

Ecce,

Ecce, inquit, & merces, & præmium vitæ æterna.

IN QVA VOCATVS ES. Græcè, *in quam*, vel *ad quam & vocatus es*. Eadè Ambrosiani lectio est. *In quam*, legitur etiam apud B. Thomam, & in nostris quibusdam codicibus. Sensus est: Ad quam vocatus, & inuitatus es ab agonotheta Christo; qui vitam æternam in hoc stadio certantibus præmium proposuit. Hinc alibi vocatur *brauium supernæ vocationis*. Intelligitur autem vel interna vocatio, quæ fit per fidem, semperque est efficax: (eius enim frequenter apostolus meminit) vel externa, quæ fit per ministros euangelij, quamq; multi non sequuntur, qualis illa in euangelio, *Venite ad nuptias*. Hucusque metaphora certaminis.

ET CONFESSVS BONAM CONFSSIONEM CORAM MULTIS TESTIBVS. Erasmus, Hentenius, & alij nonnulli vertere maluerunt: *Et professus bonam professionem*. Multipliciter autem hæc pars exponitur. Vno modo sic: Habes præclaræ confessionis tuæ multos testes, cum Ephesi, tum in alijs regionibus, qui te fideliter in euangelij professione versantem spectarunt. Alius sensus est, Timotheum aliquando, in persecutione, cum periclitaretur, coram multis confessum fuisse fidem Christi. A qua confessione, confessores olim vocabantur. Hunc sensum priore loco tradunt Chrysostomus, & Theophylactus. Et fauet quod sequitur de testimonio & confessione Christi, quam fecit sub Pontio Pilato. Tertius sensus est, sermonem esse de confessione fidei, quam Timotheus fecerat in baptismo, quam nimirum professus erat symbolum fidei, cum renunciatione Satanae, atque populum eius. Solet enim ea fidei confessio solemniter fieri multis presentibus; quemadmodum constat ex Dionysio lib. eccl. hier. cap. 2. parte 2. & cap. 7. parte 3. Et ex Augustino lib. 8. confess. cap. 2. Hæc Græcorum expositio est, & quorundam etiam Latinorum, vt Ambrosiani, Pelagij, Primasij, & Haimonis; quibus Salsboldus & Hesselius astipulantur. Postremus sensus est de ea confessione, quam fecerat Timotheus, quando fuit ordinatus à Paulo episcopus cum impositione manuum presbyterij. Hæc erat non fidei confessio, sed professio ac sponsio ministerij euangelici rectè ac fideliter obeundi; fiebatque coram multis testibus, non solum episcopis, qui manus imponebant, verum & frequenti cœtu fidelium. Itæ exponunt Lombardus, Aquinas, & Caietanus, sanè quàm probabiliter, & ad locum præsentem accommodatè: tanquam dicat apostolus; Ita certa in cursu ministerij tui, vt apprehendas palmam vitæ æternæ, ad quam vocatus es, & cuius gratia, multis presentibus, hanc optimam fecisti professionem, te fideliter ac strenuè executurum opus episcopi, & euangelistæ. Cuius professionis te semper memorem esse volo.

13

PRÆCIPIO TIBI CORAM DEO. Non

contentus apostolus superiori adhortatione, contestationem adiungit, qualem & capite præcedenti post præcepta de iudicijs exercendis; qualem etiam videbimus in secunda epistola. Arguunt hæc ingentem Pauli sollicitudinem pro ecclesia, qui putauerit tantis obtestationibus agendum cum Timotheo, quæ nouerat fidelissimum ecclesiæ ministrum, & omnium minimè sua querentem, vt ipse de eo testatur Philip. 2. Præcipio tibi, inquit, in conspectu, & præsentia Dei, qui testis esse poterit me hæc præcepisse; & vindex, si ea non serues. Quid præcipiat, postea subiungit, vbi dicit; *Vt serues mandatum sine macula &c.*

QVI VIVIFICAT OMNIA. Non dicit, qui videt omnia, sed qui viuificat; quia plus est viuificare, quàm videre. Viuificat autem omnia quæcunque viuunt, quia omnis vita à Deo est. Sic idem apostolus Act. 17. dicit *Deum dare omnibus vitam, & inspirationem, & omnia*. Est autem hoc Dei epitheton præsentis loco valde congruens; quo Timotheum ad certamen, & pericula perferenda reddit alacriorem certa spe resurrectionis. q. d. Ne metuas mortem: nam seruus es Dei qui potest etiam mortuos ad vitam reuocare.

ET CHRISTO IESV. Christi præsentiam allegat vt hominis: quia, quamuis secundum naturam humanam non sit vbiq; secundum eam tamen omnia quæcunque vsquam aguntur, cognoscit & videt. Quamquam non ideo tantum Christi meminit Apostolus, quod is omnium actionum nostrarum inspector sit, ac iudex futurus; verum etiam vt eum Timotheo proponat tanquam exemplar confessionis, quod imitetur. Sequitur enim;

QVI TESTIMONIUM REDDIDIT SVB PONTIO PILATO BONAM CONFSSIONEM. Græcè, *qui testatus est*, vel, *qui testatam fecit*. Hoc vertit Erasmus: Illud apud Ambrosianum legitur. Sunt autem phrasæ similes, *testari bonam confessionem, & (quod præcessit) confiteri bonam confessionem*. Ipsa enim confessio testimonium quoddam est. Porro nonnulli verterunt, *coram Pontio Pilato*, non quod Græcus textus id postulet, sed quod putarent hic significari confessionem veritatis à Christo factam coram Præside Pilato. Nam & Chrysostomus, eiusque sequaces, huiusmodi confessionem intelligunt; qua nempe Christus stans coram Præside, confessus est se regem esse Iudæorum, & ad hoc natum, vt testimonium perhiberet veritati. Quamuis autem Græca præpositio *ἔτι* genitiuo iuncta hunc sensum admittat; vltatius tamen & elegantius id significat, quod nos legimus, quodque etiam est apud Ambrosianum. Nec aliud sanè dicere voluit apostolus, quàm quod totidem verbis in Græco fidei symbolo legitur, *ἔτι πλάτς*, quod nemo dixerit aliter reddendum Latine, quàm, sicut vniuersa ecclesia Latina recitat, *Sub Pontio Pilato*. Tale est illud Act. 11. *factam fuisse famem sub Claudio Casare*. Nec arbitrandum est Græcos tracta-

Aa 4

tores

tores aliter interpretatos fuisse præpositione
 77, licet confessionem intelligant eam quæ
 coram Pilato facta est. Sed si eiusmodi tantū
 significaretur confessio, quæ nimirum verbis
 fit coram aliquo iudice; potius dicendū fuisset,
coram Caipha, quàm *coram Pilato*: nam coram
 Caipha apertissimis verbis confessus est
 se esse Christum filium Dei; coram Pilato, nō
 aliud quàm se esse regem Iudæorum. Ut ergo
 verus habeatur sensus verborum apostoli,
 memoria repetendum est quod annotavi ad
 illud cap. 2. *testimonium temporibus suis*; vsu
 primitiæ ecclesiæ nomen *testimonij* seu *martyrii*
 pertinere ad eam testificationem, quæ fit
 opere, non qualicumque, sed consummato, &
 perducto vsque ad mortem. Hoc enim excel-
 lentissimum testimonij genus est; atque eo iure,
 martyrii nomen sibi propriè vendicabat,
 etiam apud Latinos. Nam *confessionis* voca-
 bulum seruabatur testimonij, seu verbo, seu
 facto perhibitis, citra mortis perpeffionem.
 Vnde & intelligitur quare de Timotheo qui-
 dem dixerit, *confessus bonam confessionem*; de
 Christo autem, *testatus bonam confessionem*.
 Sensus igitur apostoli est: Qui, cum sæpe veri-
 tatem, cuius causa missus erat à Patre, palam
 confessus apud homines fuisset; tandem, Præ-
 fide ac iudice Pontio Pilato, eiusdem verita-
 tis confessionem testatus est, siue testatam fe-
 cit, id est, martyrio compleuit & consignauit;
 quando pro ea veritate crucem & mortem
 sustinuit. Sensus hunc doctè profequitur
 Hesselius.

14

VT SERUES MANDATVM SINE MACV-
 LA, IRREPREHENSIBILE, *Sine macula*, Græ-
 cè *immaculatum*. Sed sciendum, hæc adiecti-
 ua, *immaculatum*, *irreprehensibile* in Græco
 posse tam ad mandatum, quàm ad personam
 Timothei referri. Ad mandatum refert Am-
 brosius textus, dum legit, *ut serues manda-
 tum immaculatum, irreprehensibile*. Græci inter-
 pretes ad Timotheum referre videntur, dum
 sic exponunt: Neque vitæ, neque dogmatum
 gratia aliquid maculæ contrahas, vnde meri-
 to reprehendaris. Ita vertendum esset, sicut
 neoterici quidam verterunt: *Ut serues præ-
 ceptum, immaculatus, irreprehensibilis*. Sunt qui
 prius adiectiuum præcepto adiungant, post-
 eus Timotheo remittant, hoc modo: *Ut ser-
 ues præceptum immaculatum, irreprehensibilis*.
 Sic enim Hentenius transtulit. Contra verò
 noster interpres posterius adiectiuum præ-
 cepto dedit; prius autem ita vertit ut in Timo-
 theo cadere videatur; quasi dicat apostolus,
*ut serues præceptum irreprehensibile, dum teipsum
 sine macula conseruas*: iuxta id quod dixerat
 capite superiori; *Teipsum castum custodi*. Præ-
 ceptum autem irreprehensibile seruatur eo
 sensu, quo ad Tit. 2. dicitur, *verbum sanum, ir-
 reprehensibile*: dum videlicet in ministris legis
 aut doctrinæ nihil habet aduersarius quod
 reprehendat, & propter quod ipsa lex & do-
 ctрина malè audiat. Veruntamen, inter has
 quatuor constructiones, duæ mediæ plus ha-

bere videntur probabilitatis. Nam *irreprehensibile*
 solet vsitatus ad personam referri; ut &
 in hac eadem epistola personæ tribuitur, c. 3,
Oportet episcopum irreprehensibilem esse. Est e-
 nim idem in Græco vocabulum, quod hoc
 loco. Iam quæritur quod *mandatum* dicat a-
 postolus. Quidam exponunt de mandato
 quo dixit, *Certa bonum certamen fidei*: Non-
 nulli de mandato dilectionis: Alij significari
 putant comprehensionem omnium quæ ha-
 ctenus Timotheo præcepit, quorum summa
 est ut se fidelem Christo & ecclesiæ ministrū
 præbeat. Ad hoc enim velut vnum præceptū
 omnia rediguntur.

VSQUE IN ADVENTVM DOMINI NOSTRI
 IESU CHRISTI. Græcè, *μέχρι τῆς ἡμετέρας παρουσίας*;
 id est, *vsque ad apparitionem, seu manifestatio-
 nem Domini nostri Iesu Christi*. Id est, vsque
 ad secundum eius aduentum, quo veniet ma-
 nifestus cum potestate magna & maiestate
 iudicaturus mundum, & redditurus vnicui-
 que secundum opera sua. Non dicit vt serues
 præceptum vsque ad mortem tuam; sicut cui-
 dam dicitur in Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad
 mortem*; sed, *vsque in aduentum Domini*, scilicet
 vt cum magis exciter, inquit Theophyla-
 ctus, mentione facta illius gloriæ tremendæ.
 Nam frequens est apostolus, imò tota scri-
 ptura noui testamenti in inculcando secun-
 do Christi aduentu: tum quia ad gloriam quæ
 tunc reuelabitur, spectat ac protenditur om-
 nis spes fidelium, quæ eos mirificè conso-
 latur in omni tētatione, pressurâ & persecutio-
 ne quæ in hoc sæculo patiuntur; tum quia iudi-
 cij illius futuri cogitatio seignioribus terrorē
 ingerit, simul & stimulos inijcit ad parandam
 viam iudici venturo. Sic idem apostolus Phi-
 lip. 1. *Ut sitis sinceri & sine offensa in diem Chri-
 sti*. Porro ne quis suspicetur apostolum hu-
 iusmodi locutione significare velle quod vi-
 uentibus adhuc ijs ad quos scribit, venturus
 sit Christus ad iudicium; apertè & ex profes-
 so remouet hanc opinionem ipsemet in secun-
 da epistola ad Thess. 2. Vbi eos sollicitè mo-
 net nequa ratione cōmoueantur quasi instet
 dies domini; docetque quanta sint quæ diem
 illum debeant præcedere. Dum ergo Timo-
 theo præcipit vt seruet mandatum, *vsque in
 aduentum Christi*; intelligendus est præcipere
 vt seruet vsque ad exitum vitæ. Nam vt ait
 Augustinus epistola 80. ad Hefychium: *Tunc
 vnicuique veniet dies aduentus Domini, cum ve-
 nerit ei dies ut talis hinc exeat, qualis iudicandus
 est illo die*. Putat autem Hesselius apostolum
 sub obtestatione præcipientem Timotheo,
 vt seruet mandatum sine macula vsque in
 aduentum Christi Domini; in memoriam ei
 reuocare sponfionem in baptismo factam,
 quando, vt est in ceremonijs baptismi, di-
 ctum est ei: *Accipe vestem candidam, sanctam
 & immaculatam, quam perferas sine macula an-
 te tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas
 vitam æternam, & viuas in secula seculorum*:
 & respondit, *Amen*. Cuius ceremoniæ etiam

meminit

meminit Hieronymus in epistola ad Dama-
 sum.

15

QVEM SVIS TEMPORIBVS OSTENDET.
 Quem non Christum refert, sed *aduentum* si-
 uue apparitionem; vt ex Græco liquet: tamen si
 id ad sensum non multum interest. Quod e-
 nim ad rem attinet, non aliud est, apparitio-
 nem Christi ostendere, quàm Christum ap-
 parentem seu manifestum exhibere.

BEATVS ET SOLVS POTENS. *Potens*, In
 Græco substantiuum est, *δυνατός*. Vocatur
 autem dynastæ quasi Potentatus, eò quòd
 plurimum possint: cuiusmodi maximè sunt
 reges & principes. Erasmus, *principem* vertit.
 Quanquam Græcum vocabulum dynasta,
 retineri potuit ab interprete. Est enim et-
 iam Latinis scriptoribus in vsu, nominatim
 Ciceroni, ad Atticum & in Philippicis.

REX REGVM ET DOMINVS DOMINAN-
 TIVM. *Regum*, Græcè, *regnantium*. Quoniam
 de Christo vt homine loquebatur (secundum
 hanc enim naturam venturus est ad iudiciū)
 idcirco ostensionem aduentus eius Deo tri-
 buit authori, videlicet ea ratione quæ 1. Cor.
 15. scribit Deum patrem omnia subiecturum
 Christo filio. Vnde etiam apparet hoc loco
 Deum Patrem significari: quamuis alioqui
 quæ hîc dicuntur, in totam Trinitatem cō-
 petant. Dicit autem, *temporibus suis*, seu *pro-
 prijs*, vt est in Græco; id est, ad eam rem à Deo
 præordinatis, ipsisque notis: vt reprimat hu-
 manam curiositatem; quam & Christus in
 suis apostolis huiusmodi verbis præfuit; *Non
 est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pa-
 ter posuit in sua potestate*. Act. 1. Quare & hac
 parte tollitur suspicio, ne propter illud, *ut ser-
 ues mandatum vsque in aduentum Domini*, quis
 putet adhuc viuentem Timotheo venturū Do-
 minum. Vult enim illud tempus esse nobis
 omnino incertum, ac minime seruatū dum.

Beatum Deum vocat proprio epitheto, sicut
 & supra cap. 1. ne dubitemus ab eo qui per
 essentiam beatus est, ac solus omne bonum
 possidet, communicandam nobis beatitudi-
 nem promissam. Quomodo autem dicatur,
solus potens, seu Dynasta, (ne quis hîc eueri
 putet potestates humanas) exponitur verbis
 sequentibus, *rex regum, dominus dominantium*.
 Itaque sensus est: Deum solum esse perfectè
 ac prorsus absolutè Principem, Regem &
 Dominum, vt qui potentiam, regnum, do-
 minatum à nullo alio acceptum habeat; sed
 à quo cæteri, quicumque regnant & domi-
 nantur; qui proinde ei, tanquam regi & Do-
 mino, omnes subiecti sunt. His epithetis am-
 plificat apostolus Dei potentiam ac maiesta-
 tem; vt eam ante oculos habentes, Principum
 ac Dynastarum huius mundi violentiam at-
 que tyrannidem non metuamus. Si queratur,
 An etiam Christus, vt homo, dici possit rex
 regum & dominus dominantium; affirmati-
 ua responsio est. Sic enim disertè vocatur A-
 poc. 17 & 19. tamen non eodem sensu, quo
 id Deo tribuitur hoc loco. Nam Christi reg-

num atque dominium quod habet super om-
 nes alios reges ac dominos, à Patre ei datum
 est ac Patri subiectum; eidemque cum agni-
 tione subiectionis tradendum; iuxta illud 1.
 Cor. 15. *Cum tradiderit regnum Deo & Patri*.

16

QVI SOLVS HABET IMMORTALITATEM.
 Alias subijcit diuinæ maiestatis proprietates;
 ac primùm *immortalitatem*, qua non solum di-
 stinguitur à regibus terrenis, qui mortales sūt,
 sed ab omni re creata. Nam perfecta immor-
 talitas est omnimoda immutabilitas. Omnis
 enim in deterius mutatio mors quædam est;
 & omne quod ita mutatur, quodammodo
 moritur; dum per mutationem desinit esse id
 boni quod erat. Atqui solus Deus omnino
 immutabilis est iuxta illud Mal. 3. *Ego Do-
 minus & non mutor*. & Iac. 1. *Apud quem non
 est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*.
 De huiusmodi immortalitate locum hunc in-
 tellexerunt Augustinus lib. 1. de Trinit. cap.
 1. & lib. 3. contra Maximum cap. 12. &
 Bernardus sermone 81. super cantica. Potest
 & sic intelligi: Qui solus ex se & per naturam
 immortalis est; vt qui sit essentialiter vita. Nā
 intellectuales creaturæ, vt angeli & animæ ra-
 tionales, participatiuè tantum, & (vt patres
 loquuntur) per gratiam, immortales sunt.
 Vnde qua ratione solus Deus bonus est; eā-
 dem solus est immortalis, scilicet per essentiā.
 Vtrique intellectui coaptari potest etiam il-
 lud huius epistolæ cap. 1. *Regi seculorum im-
 mortali*, Græcè, *incorruptibili*. Siquidem om-
 nis qualem diximus, mutatio, corruptio quæ-
 dam est; & solus Deus per naturam est incor-
 ruptibilis.

ET LUCEM INHABITAT INACCESSIBI-
 LEM. Non de luce creata loquitur, sicut qui-
 dam hunc locum intellexerunt, imaginantes
 inaccessibleem hanc lucem quam Deus inha-
 bitat, constare ex quinta quadam vsia siue ef-
 sentia, quemadmodum refert Ambrosius lib.
 2. de Abraham cap. 8: Sed loquitur de luce
 increata quæ est ipse Deus, attestante Ioanne
 1. ep. 1. *Deus lux est; & tenebra in eo non sunt
 vlla*. Sic ergo dicitur *inhabitare lucem*, sicut est
 & habitat & permanet in seipso; secundum il-
 lud Ambrosij, *Immotus in te permanens*. Maxi-
 mè enim quisque ibi dicitur habitare vbi sæ-
 per est, & vnde nunquam recedit. Est autem
 Deus lux spiritualis; cuius visione & ipse na-
 turaliter beatus est; & alios accidentaliter
 beatos facit. Eam lucem apostolus *inaccessibi-
 lem* vocat, quia ad eam videndam nulli ho-
 minum patet accessus. Quod quo sensu sit ac-
 ciptendum, cum scriptum sit, *Accedite ad
 eum, & illuminamini*, psal. 33. pendet ex in-
 tellectu eius quod sequitur.

QVEM NVLLVS HOMINVM VIDIT, SED
 NEC VIDERI POTEST. Dixerat cap. 1. Deum
 immortalem & inuisibilem; quod vtrumque
 hîc repetit pluribus verbis. Ac de immortalitate
 iam dictum est. Nunc explicandum quo-
 modo Deum vocet *inuisibilem*, & ita quidem
 vt eū nec viderit nec videre possit quisquam

homi-

hominum; cum Dei visionem, eamque perfectam, omnes Christiani certa spe expectare iubeamur. Quidam exponunt hunc locum de visione quæ sit oculis corporeis. Sed falli videntur: Sic enim nihil singulare de Deo diceret apostolus; quia nec angeli, nec animæ, corporeis oculis videri possunt. Imò nec aer nec æther quamuis corpora sint, oculis percipiuntur; ut taceam de tam multis accidentibus à sensu remotis. Alij de visione comprehensivam putant apostolum loqui, qua nimirum infinita Dei substantia à cognoscere perfecte comprehenditur; id est, quantum visibilis est, videtur. Huic intellectui videtur obistere quod apostolus peculiariter loquitur de hominibus, velut angelos nolens comprehendere: quandoquidem nec vlla alia scriptura negat angelos Deum videre, sed magis affirmat, ut Matth. 18. *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris.* Constat autem nec ab angelis Deum videri comprehensivè, sed à seipso solo. Restat igitur ut apostolum interpretemur de visione intellectuali, qua secundum essentiam videtur, etsi non comprehendatur. Ut sensus sit: Quem nullus hominum in hac mortali vita vidit, aut videbit unquam, imò nec videre potest; obstante videlicet ordinatione divina, qua immobiliter decrevit, ut ea visio nemini contingat, dum adhuc peregrinatur in via; sed pro mercede ac præmio servetur ijs qui cursum huius vite feliciter compleverunt; iuxta promissionem hanc Salvatoris, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Matth. 5. Hæc Græcorum est expositio, nec non Euaristi Pontificis in prima epistola decretali, atque adeo ipsius Augustini lib. 3. contra Maximinum cap. 9 & 12. Super psal. 118. concione 6. Eum autem esse germanum huius loci sensum, ostendi potest ex simili sententia quæ est apud Ioannem cap. 1. euangelij, & 1. ep. 4. *Deum nemo vidit unquam.* Sentit enim Deum à nullo puro homine in hac mortali vita aut visum esse aut videri posse; ideoque filium Dei, qui ab æterno cum patre fuit & patrem vidit, ad nos missum esse, ut cælestia secreta nobis referret. Id enim est quod in euangelio subiungit. *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Nec ab hac sententia diuersum est, quod Christus dicit Io. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam; nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Significat enim ijs verbis se solum à Patre missum doctorem, ut qui solus Patrem viderit, & secreta eius nouerit. Iam ex hac apostolica doctrina sequitur visionem Dei beatificam, nulli mortalium unquam fuisse concessam, ne Moysi quidem aut Paulo; cum nulla profus sit necessitas à generali Dei decreto quod illæ scripturæ significant, eos eximendi, quin potius grauissime rationes prohibeant; sicuti plenius ostendimus ad dist. 8. lib. 2. sent. Sciendum est autem etsi de Deo Patre hæc ab apostolo dicta sint, ut initio monuimus, (nam & Ioannes in testimonijs

allegatis de Patre loquitur): omnia tamen etiam in filium & Spiritum-sanctum reuera competere; quemadmodum vigilanter annotant interpretes Græci, ne quis aliquam hinc suspicetur personarum in Deo inæqualitatem. Itaque particula, *solus*, bis posita, neque filium excludit neque Spiritum-sanctum; sed res omnes & solas à Deo diuersas: ut docet Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. & lib. 1. de Trin. cap. 6. Quare nec illud recipiendum quod ex hac scriptura probare nititur Ambrosianus commentator, Deum Patrem in veteri testamento per subiectam aliquam creaturam nunquam apparuisse, sed solum filium. Quanquam & aliorum quorundam veterum ea sit opinio. Sed eam ex scripturis doctè refellit Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 18. & verus Ambrosius in Lucam.

**CVI HONOR ET IMPERIUM SEMPER-
NVM. AMEN.** Pro imperio, potestatem legit Ambrosianus: vitumque enim significat Græcè *χρᾶτος*; sed magis propriè potestatem imperandi quam actum. Quamuis & apud Latinos *Imperij* nomine sæpe non actus imperandi, sed potestas significetur. Potest autem hæc pars aut optatiue intelligi, *cui sit honor* &c. aut enunciatiue, *cui est honor*. Plerique enunciatiue exponunt, hoc sensu; Cui ab omnibus debetur honor summus, tanquam omnium bonorum auctori; quique imperium habet sempiternum, idemque profus absolutum & vniuersale, cum reges huius sæculi tantum ad tempus imperent, nec nisi limitata & valde imperfecta gaudeant potestate. Quod verò sequitur, *Amen*; est confirmantis, q. d. Verè ita est. Alijs magis placet sensus optatiuus siue imprecatiuus, iste; Cui ab omnibus impendatur honor; & cuius imperium sit per omnium confessionem sempiternum. *Amen*, id est, fiat. Iuxta quem sensum respõdebit ista precatio partibus illis orationis Dominicæ, *Sanctificetur nomen tuum, & Adueniat regnum tuum.* Sunt autem in scripturis multæ sententiæ huic similes, ut Rom. 16. *Cui honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Ephes. 3. *Ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu, in omnes generationes sæculi sæculorum, Amen.* Item Phil. 4. 2. Pet. 3. Apo. 5. & 7. & in epistola Iudæ, & huius ep. cap. 1. Quæ omnes sententiæ, seu potius sententiarum clausulæ, magis videntur optandi ac bene precandi formam habere, quam aliquid affirmandi; quamuis idipsum quod optatur, absque dubitatione futurum sit.

**DIVITIBVS HVIUS SÆCVLI PRÆCIPE
NON SVBLIME SAPERE.** Ne propter ea quæ superius dixit aduersus auariciam & diuitiarum cupiditatem, putaret quispiam diuitias in vniuersum damnari: nunc diuitibus præcepta dat, quibus bonum & sanctum vsum diuitiarum commonstret. Ex qua doctrina, consequens imprimis est diuitias licitè possideri posse; falsumque esse illud dogma Pelagij, Christianum non posse salutè consequi nisi pos-

sessiones omnes abdicet ac relinquat. Contra quam hæresim, ex hoc loco & aliunde differt Augustinus ep. 89 ad Hilarium. Neque verò pugnat Apostolus cum Domino, dicente Matth. 19. *Facilius est ut camelus transeat per foramen acus quam ut diues intret in regnum calorum;* Per hoc enim Christus docere vult, perdifficile esse ac pene impossibile ut diues saluetur; eo quod difficillimum sit diuitias habere & in diuitijs non cõfiderere. Verum si quis diues nõ in diuitijs sed in Deo cõfidat, & secundum Dei voluntatem diuitias dispenset; tali diuiti vitam æternam promittere cum apostolo nõ dubitamus; cum & Christus subdat, loco memorato; *Apud homines id impossibile esse sed non apud Deum.* Vocat autem eos apostolus *diuites huius sæculi*, siue secundum Græcam lectionem; *diuites in presenti sæculo*, ut insinuet alias quasdam esse diuitias ad futurum sæculum pertinentes, istis presentibus longè præstantiores, & ab omnibus expetendas; quarum possessores Christus in *Deum diuites* appellat Luc. 11. quarum & hinc commedatio paulo post sequitur, in eo quod dicit, *diuites fieri in bonis operibus.* *Sublime sapere*, pro quo Ambrosianus legit, *superbè sapere*; in Græco vna composita dictio est *ψηλοφρονεῖν*, id est, *elato esse animo*, sicut alij bene verterunt; aut vno verbo *superbire*, quemadmodum Hieronymus legit in commentarijs epistolæ Gal. cap. 6. Legitur idem vocabulum Rom. 11. vbi nos habemus, *Noli altum sapere, sed time.* Competit in eos qui sibi placent, & magni seipos faciunt, alioque præ se contemnunt: quales maximè sunt huius sæculi diuites. Nam, communi hominum vitio, opulencia superbia & arrogantia mater est. Pulchrè B. Augustinus vermem diuitiarum superbiam vocat: quod difficile sit ut qui diues est, non sit superbus. hom. 13. inter 50. & serm. 5. de verbis Domini. Vnde liquet quam necessarium sit diuitibus hoc humilitatis præceptum, *non sublime sapere.*

**NEQUE SPERARE IN INCERTO DIVI-
TIARVM.** Græcè, *in diuitiarum incertitudine*, id est, *in incertis diuitijs.* Viciium hoc, *sperare in diuitijs*, causa est cur opes superbiam gignant; dum qui multum habent, multum se posse confidunt, & per hoc animis effertuntur, atque alios tanquam impotentiores, despiciunt. Huius spei seu fiducia vanitatem apostolus ostendit ex proprio diuitiarum epitheto, quia sunt incertum aliquid. Multis enim casibus obnoxia sunt; furtis, fraudibus, rapinis, incendijs, quibus auferuntur & pereunt etiam inuitis possessoribus; quod de spiritualibus diuitijs dici non potest. Stultum est autem in re tam caduca, incerta, instabili, & quæ saltè ipsa morte necessariò relinquenda sit, spem suam collocare.

SED IN DEO VIVO. Potius, inquit, spem suam ac fiduciam reponant in Deo, totique ab eo pendeant, etiam in medijs opibus;

quas ille dat & auferit quibus & quando voluerit. Addit apostolus epithetum *vino*, Græcè *vinente*; siue ad discrimen falorum Deorum qui aut non viuunt, aut miserè viuunt; siue ad indicandam spei certitudinem quæ in Deo collocatur, cum is nulli sit mutationi subiectus, sed semper & immutabiliter vinat.

**QUI PRÆSTAT NOBIS OMNIA ABVNDE
AD FRVENDVM.** *abundè* Græcè *πλοσιως*, id est, *opulente*. Est enim allusio ad diuitias, q. d. non in opibus sed in Deo opum largitore sperate, qui nobis opulente omnia subministrat. Non sentit apostolus Deum omnibus omnino hominibus abundanter omnia præbere quæ sunt eis necessaria; constat enim multos esse qui indigeant: sed de communi beneficentia Dei erga genus humanum loquitur; quæ in eo consistit, quod Deus assatim præbet ea quibus homines ad vitam hæc temporalem opus habent; faciens solem suum oriri, pluuiasque descendere super bonos ac malos; & terram omni genere frugum & fructuum fecundans; Denique, ex aere, terra & aquis animantia ad victum copiosè subministrans; ut nihil cuiquam desit nisi quantum aliorum auaricia alios defraudat, dum ea quæ abundè suppetunt, non communicant. Hæc Græcorum est explicatio, quam ratam facit alia sententia eiusdem apostoli, quæ Act. 14. Dei beneficentiam erga homines prædicans, dicit eum *de celo dare pluuias, & tempora fructifera, & implere cibo & læticia corda eorum.* Ex quo etiam loco datur intelligi quid sibi velit quod hic adiecit, *ad fruendum*, id est, ad percipiendum cum læticia. Nam frui tam in scripturis sacris quam apud auctores profanos, non est aliud quam cum læticia & delectatione rem aliquam percipere. Vult autem Deus homines donis suis lætificare, sed ita ut non in illis, sed in ipso fine & felicitatem suam constituent. Quod est frui, theologico loquendi modo. Quæ de re egimus ex professo in 1. sent. dist. 1.

BENE AGERE. Græcum verbum compositum est ex bono & opere, q. d. *bona operari*. Itaque diuites hortatur ut diuitias, quarum vsum latissime patet, neque auarè recõdant, neque vtantur ad fastum, vanitatem, voluptates, ut plerique faciunt; sed ad bona opera quibus adiuentur proximi. Dependet adhuc pars ista à verbo *præcipe*, sicut & infinitiui lequehentes,

DIVITES FIERI IN BONIS OPERIBVS. Græcum *πλετεῖν* ambiguum est ad dicescere & diuitem esse: Quanquam utrumque significatum hinc probè quadrat. Auger autem apostolus quod dixerat, *bene agere*: Neque enim diuitibus sufficere debet quomodocumque bona operari; sed sicut abundant opibus, ita abundare debent bonis operibus, & ex falsis diuitijs veras opes, quæ in Christianis virtutibus consistunt, sibi cõparare. Quod potissimum fit dum erogantur diuitiæ in proximorum necessitates; præcipiente Domino

Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ostendit hic locus ad eod falsum esse quod hæretici docent, omnia iustorum opera esse peccata; vt etiam diuites ea quæ bona sunt operari possint, imò & bonis operibus abundare. Exempla sunt in Abraham, Isaac & Iacob, alijque iustis veteris testamenti; & in Tabitha discipula, de qua Lucas testatur Act. 9 quod erat plena bonis operibus.

FACILE TRIBVERE. Id est, faciles ac promptos esse ad tribuendum. Id enim vox Græca tricomposita *εμπεδύτης*, significat. Hanc largiendi promptitudinem commendat idem apostolus 2. Cor. 9. dum eos adhortatur vt non ex tristitia aut necessitate sed cum hilaritate tribuant: *Hilarem enim, inquit, dator diligit Deus.* Huic apostoli præcepto non satisfaciunt qui tardi sunt ad tribuendum, vt bene S. Thomas annotauit, citans illud Prouerb. 3. *Nō dicas amico tuo, Vade & reuere, & cras dato tibi; cum statim possis dare.* & illud Iob. 31. *Si oculos vidua expectare feci.*

COMMUNICARE Græcè *κοινωνίης* communicatio esse, quod Erasmus vertit, *libenter communicantes.* Hoc Græci referunt ad vitæ conuersationem, vt sensus sit: Humanos & benevolos sese præbeant, minimèque fastuosos; & quibuscum alij non refugiant conuersari. Similiter Augustinus sermone 5. de verbis Domini, *Communicent,* inquit, id est, pares suos mortales agnoscant Verum vsu scripturæ sacræ Græcum vocabulum magis pertinet ad eam communionem, quæ quis ea quæ habet, alijs qui non habent, impertiendo facit communia. Quæ quidem significatio huic loco, vbi diuites ad beneficentiã extimulat apostolus, optimè congruit: vt hoc præceptum simile sit isti Ro. 12. *Necessitatibus sanctorum communicantes.* & Heb. 13. *Benevolentia & communionis nolite obliuisci.* Eadē huius vocis acceptio est 2. Cor. 8. & 9. Gal. 6. & Phil. 4. Rectius igitur in hunc sensum interpretantur *communicandi* verbum expositores Latini, Hieronymus, Aquinas, Liranus, Caietanus, Catharinus & alij. *Communicare,* ait Aquinas, id est, habere diuitias sicut communes. Vnde idem doctor 2. sec. q. 66. articulo 2. probat ex hac scripturâ, non debere quenquam res extiores, quantum ad vsum attiner, habere vt proprias, sed vt communes; ita scilicet vt facilè eas communicet in necessitates aliorum. Idque etiam Caietanus in suo commentario diligenter annotauit.

19 THESAURIZARE SIBI FUNDAMENTUM BONVM IN FUTVRVM. Sicut fides bonorum operum ac totius iusticiæ nostræ fundamentum est; ita bona opera sunt fundamentum salutis quam in futuro expectamus. Præcipit igitur apostolus diuitibus, vt studeant abundare bonis operibus: ita futurum vt pro thesauro pecuniarum spiritualement thesaurum sibi colligant ac recondant; videlicet cumulum meritorum, quæ (sicut Aquinas annotat)

sunt fundamentum futuri ædificij, quod nobis præparatur in cælo. *Quoniam,* inquit *totâ preparatio futura gloria est per merita, quæ acquirimus per gratiam.* In eundem hunc sensum conueniunt commentarij veterum, maxime Græcorum. Pelagius quidem fundamentum hoc interpretatur, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. & habebis thesaurum in cælo;* sed id facit iuxta suam hæresim, cuius supra meminimus, qua nimirum docebat neminem saluari posse, qui non omnia sua relinqueret.

VT APPREHENDANT VERAM VITAM. Explicatio est illius particulæ, *in futurum.* Græca non habent, *veram,* sed *æternam vitam;* tamen res eadem significatur. Non enim alia vera vita existimanda est quam æterna ac beata vita. Nam, vt ait Gregorius hom. 37. in euang. Temporalis hæc vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Porro *apprehendere* est assequi: vt hoc eodem c. paulo superius. *Apprehende vitam æternam.* Monstrat hic locus aduersus sectarios, vitam æternam apprehendi per bona opera, & non per solam fidem: atque ad eod, posse fideles vitam æternam bonis operibus promereri. Nam & Calvinus mercedis promissionē hinc agnoscit, et si meritum rejiciat, dicatque mercedem esse indebitam. Sanè quàm imperitè; quasi non ad se mutuò referantur meritum & merces, vt alterum sine altero stare nō possit. Consule si placet Hesselium in commentario, doctissime refellentem Caluini tergiversationes.

20 O TIMOTHEE DEPOSITVM CVSTODI. Finem impositurus epistolæ redit ad caput, ac Timotheum nomine suo compellans, iterum seriò & grauitè admonet vt acceptam fidei doctrinam conseruet, nec locum relinquat vlli peregrino dogmati. Nomine *depositi* metaphoricè significatur doctrina successori credita, ac per manus tradita: quomodo depositum pecuniarium tradi & credi solet amico. Qua ex re duo discimus. Alterum, traditiones siue scriptas siue non scriptas quæ sunt in ecclesiæ deposito, ad doctrinam Christianam pertinere. Neque enim solas scripturas Paulus apud Timotheum deposuerat, sed doctrinam sanam viua voce ei tradiderat. Nam scripturâ etiam apud hæreticos est; qui tamen huius depositi sunt expertes Alterum, episcopos (quos in Timotheo format apostolus) constitutos esse doctrinæ custodes, ac velut depositarios; quibus proinde nec mutare quicquam in ea liceat, nec minuire, nec addere. Nam & hoc præter depositi rationem est, vt ei aliquid addatur. Vnde Basilius episcopus esse dixit custodes depositi, non alius doctrinæ inuentores, vt habetur historiæ trip. lib. 7. cap. 36. Hinc ergo sequitur, fidei semel à Christo traditæ & ab apostolis acceptæ, nihil profus addi posse; neque id agi in concilijs fidei causa conuocatis, vt noui condantur articuli fidei sed vt fidei doctrina

na ab initio tradita conseruetur, explicetur, illustretur, & contra succrescentes hæreses defendatur: quemadmodum præclare docet Vincētius Liuinensis, hunc apostoli locum tractans in libello quem scripsit contra profanas hæreson nouitates cap. 26. & aliquot seqq. Huius depositi rursus meminit apostolus in secunda epistola c. 1. vbi cum dixisset, *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti;* mox subiungit, *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum.* Exponit autem plenius cap. 2. cum ait: *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ac rursus cap. 3. *Tu verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi; sciens à quo didiceris.* Ex quibus liquet, falli eos qui depositum interpretantur talentum seu gratiam Spiritus sancti, quam per ordinationem Timotheus acceperat. Manifestum est enim apostolum de deposito doctrinæ loqui, quæ quasi per manus transmittenda sit ad successores. Quin & repugnant depositi ac spiritualis talenti rationes. Nam depositum reddendum quantum & quale acceperis: Talentum verò Dominus præcipit augeri & multiplicari; damnatque seruum qui illud integrum, quale acceperat, sine lucro restituit, Mat. 25. Denique eam quam dixi significationem *depositi,* satis ostendunt ea quæ sequuntur.

DEUITANS PROFANAS VOCVM NOUITATES. Græci codices habent *κενοφωνίας*, id est, *vocum inanitates,* quomodo recentiores interpretantur. Atque ita legunt & exponunt Theophylactus & Oecumenius; tamen vterque admonet Chrysostrum ita sententiam hanc tractare, quasi legerit *καίνοφωνίας*, id est, *vocum nouitates.* Quæ res tamen apud Chrysostrum in huius loci commentario vt nos eum habemus, non apparet. Quanquam non dubium quin ad eum modum noster interpretes in Græco legerit. Recurrit autem vox eadem in 2. Tim. 2. vbi noster, *inani loquia,* vertit; vt etiam hodie est in Græcis: Atqui interpretes Ambrosianus vtroque loco sibi constans, dedit, *vocum nouitates.* Sicque legunt etiam cæteri Latini. Sed & Chrysostrum in secunda epistola de nouitate doctrinæ sententiam exponit. Vnde satis intelligitur vtramque huius loci lectionem Græcam, quæ consistit in vnus literæ differentia, esse peruetustam; nec facile discerni posse vtra sit alteri præferenda. Certè quod hodie in Græcis est codicibus, consonat cum vocabulo eiusdem significationis *ματαιολογία, vaniloquium,* quod habetur huius epistolæ cap. 1. Verum eo loco non additur, *profanum,* vt nec opus erat. Nam omnia vaniloquia, qualiacunque sint, in vitio sunt, & ab omnibus vitanda. Quare ex eo quod hoc loco, & in secunda epistola, studiosè ab apostolo addita est determinatio, *profanas;* probabile fit, eum non *κενοφωνίας*, sed *καίνοφωνίας* scripsisse; vt vocum nouita-

tes non quascunque, sed profanas dumtaxat vitandas præciperet. Adde, quod hæc vox magis directè opponitur *deposito,* magisque conuenit cum significatione vocabuli *κενοφωνίας*, id est, aliud ac diuersum aliquid docere; quo iam semel & iterum vsus est in hac epistola. Quod si legimus, *vocum inanitates;* sensus erit, notari quorundam futilem, inanem & clamorosa loquacitatem, eamque profanam, id est, impuram & pietati noxiam, vt Græci exponunt; ac Timotheo præcipi vt id genus deuitet ac respuat. Porro nostra lectio variè accipi potest: aut de nouitate vocabulorum secundum se; aut de nouitate eorum quoad res significatas; aut de nouitate vtriusque generis simul, quum scilicet nouis placitis ac doctrinis, ad excitandam admirationem, noua adaptantur vocabula, aut nouæ locutiones. Id quod nouorum dogmatum magistris est familiare. Nobis verisimile est Græca voce non aliud quàm nouitates vocabulorum significari, qualiacunque sint rerum; ac propterea apostolum addidisse, *profanas,* vt non quascunque vocum nouitates sibi displicere ostenderet, ac Timotheo deuitandas præciperet; sed eas modò quibus res profanæ, id est, à vera pietate remotæ significarentur. Quales vtrique sunt in religione, omnes nouæ doctrinæ; quoniam vt supra dictum est, apostolico deposito nefas est nouum quippiam adijci. Quare quicquid adieceris, profanum est. Videntur autem ab apostolo notari vocum nouitates quas id temporis pertinebat schola Simonis Magi de Deo, mundo, cælis, angelis; proferens nescio quæ nouorum nominum portenta; quod & Valentiniani & Gnostici postea similiter fecerunt. De quibus omnibus videre est Irenæum & Epiphanium. Sunt & hodie quædam profanæ vocum nouitates, ab hæreticis excogitata; velut fides specialis, & iustitia imputatiua, seruum arbitrium; Christum iniustificatum esse, & in eucharistia sacramento impanatum; & quicquid huiusmodi nouum ad noua atque peruersa dogmata significanda ab illis introductum est. Non sunt autem profanæ vocum nouitates, quando docendi & explicandi gratia, rebus ab initio creditis noua vocabula accommodantur, qualia sunt, Incarnatio, Trinitas, Ingenitus, Homousion seu Consubstantialis, Theotocos, Transsubstantiatio, Opus operatum &c. Nam etsi noua, vocabula; res tamen neque nouæ sunt, neque profanæ. Quocirca grauitè Hilarius in libro contra Constantium prohibentem vsurpari vocabulum *Consubstantialis;* *Nouitates vocum,* inquit, *sed profanas deuitari iubet apostolus. Tu cur pius excludis?* Et Athanasius in disputatione quadam, Arium alloquens; *Nominisne offenderis nouitate; an etiam rei ipsius veritatem quæ hoc est sortita vocabulum, refugis?* Res enim antiqua nouum nomen accepit; non vocabulo nouo noua rei veritas accessit. Ac demum addit, tot noua

antiquę veritatis extitisse nomina, quot fuerunt subministratę occasiones. Similia scribunt præsentem apostoli locum tractantes Augustinus super Io. tractatu 97. & Vincentius Gallus loco dudum memorato.

ET OPPOSITIONES FALSI NOMINIS SCIENTIÆ. vel, vt alij vertunt, *falso nominata scientia*. Nam in Græco vox composita est *ψευδωνυμ*. Igitur *oppositiones falsi nominis scientia*, dicuntur obiectiones quas contra fidei doctrinam adferunt quidam specioso scientię titulo, sed falso. Non enim vera scientia esse potest, quę veritati contraria est. Talis erat philosophia illa quam reprehendit Col. 2. dicens: *Vide ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam*. Monet ergo Timotheum apostolus vt deuter atque rejiciat oppositiones & argumenta quę ex huiusmodi scientijs depremebantur; non quod veteret hæreticorum argumentis esse respondendum, & obiectiones soluendas (Nam quomodo vult episcopum esse doctorem cap. 3. huius epistolę; cumq; talem qui potens sit eos qui contradicunt arguere, Tit. 1. si non ei permittit disputationem cum aduersarijs?) sed quoniam etiam hoc ad orthodoxum & peritum disputatorem pertinet non omnia quę ab aduersario proferuntur examinare ac discutere velle, sed quędam simpliciter rejicere; quod fieri solet negatione eius quod sumitur & non probatur. Cuiusmodi multa erant veterum hæreticorum figmenta nulla probabilitate subnixā. Græci interpretes opinantur hęc ab apostolo designari Gnosticos, qui sibi nomen hoc à scientia per superbiam arrogabant; cum alioqui non solū falsa & profana, sed etiam abominandas quasdam turpitudines in suis arcanis haberent. Vnde & Borboritę dicti sunt. Et quamuis credi possit Gnosticorum nomen non statim cum hæresi emersisse, sed aliquanto post: tamen Apostolorum temporibus rem ipsam, iam tum à Simone & Nicolao, quorum in Actis apostolicis Lucas meminit, originem accepisse, certum est. Hi namque doctrinam suam hæreticam atque probrosam specioso scientię titulo ornare & commendare studuerunt. Vnde factum, vt eorum successores, ipso etiam sectę vocabulo scientiam profiteri volentes, sese Gnosticos, id est, cognitores, appellarent.

Quam rem Epiphanius cum alibi, tum in hæresi Carpocratitarum, sub initium, aperte declarat, qui idem hæreticorum post Christi aduentum exortorum hunc facit ordinem, vt primi fuerint Simoniani, tum ordine sequantur Menandriani, Saturniliani, Basilidiani, Nicolaitę, Gnostici, Carpocratiani, Cerinthiani, Nazorei, Ebionitę, Valentiniani. & qui deinde recensentur. Ex quibus iam perspicuum fit, Irenęum verissime libro 1. cap. 20 scripsisse, à Simonianis falsi nominis scientiã initia sumisse: Scientiam enim illi falso iactabant; etsi nondum Gnostici vel à seipsis vel ab alijs nominati. Non prætereundum, quod Haimo & Caietanus suspicantur, ab apostolo significati quæstiones Iudæorum quas Christianis mouebant ex ea falsi nominis scientia, quam Cabalisticam vocant. Quod quidem satis conuenire videtur cum superioribus, vbi dictum est, *Si quis aliter docet &c. superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum*: sed an doctrina Cabalistica tam sit antiqua, quærendum. Quod verò sectarij, falso nominatam scientiam, Sophisticen interpretantur; non damnamus, dum tamen artem dialecticam nomine Sophisticę non infament; aut, quod Pelagius in commentario facit, veri nominis scientiam esse negent.

21 QUAM QUIDAM PROMITTENTES CIRCA FIDEM EXCIDERVNT. *Promittentes*, rectius *profiteres*. Cuiusmodi scientiam, inquit, dum profitentur, ac docti sapientesque videri student; ab integritate & sinceritate fidei, velut à scopo, aberrarunt. Est enim hoc loco idem verbum quod cap. 1. *A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium*. Significat, inanum & falsarum scientiarum fructum hunc esse, vt qui ijs imbuti sunt, facile deficiant à recta fide. Id quod Origeni & Iuliano apostatę & alijs non paucis contigit, miserando exemplo.

GRATIA TECVM. AMEN. *Gratiam Dei*, omnium bonorum fontem, more suo, precatur in fine epistolę. Græci codices hęc ascribunt, missam fuisse ex Laodicęa, quę est metropolis Phrygię Pacatianę. Sed authorem huius annotationis hallucinari, satis perspicuum esse puto ex ijs quę in argumento epistolę præfati sumus.

IN SECUNDAM EPISTOLAM

BEATI PAULI

APOSTOLI

AD TIMOTHEVM

COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



DE secunda ad Timotheum epistola primò dicendum vbi & quando scripta sit, tum de argumento. Et quidem Romę e vinculis scriptam esse constat. Nam catenę suę & vinculorum meminit 1. & 2. capitibus: Idq; confirmant illa verba 4. capitibus, *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meę instat. Bonum certamen certavi, cursum consummaui* &c. Verum ex his ipsis verbis videri potest hanc epistolam omnium postremam, atque instante iam martyrio, scriptam esse à Paulo. Quę penè omnium est interpretum sententia. Quam & Eusebius tradit lib. 2. hist. ecclesiasticę cap. 22. At verò, si rem diligentius expendamus; apparebit hanc epistolam inter eas quę Romã datę sunt, aut primam esse aut secundam, scriptamq; multis annis ante Pauli obitum, videlicet tertio aut quarto Neronis anno; cum martyrium ipsius inciderit in annu Neronis decimum tertium. Quum enim Romam recen- ter aduenisset; Timotheum discipulum, quo non alium habebat carior- em, statim de rebus suis certiore reddere voluit; ac nominatim de successu primę suę defensionis apud Neronem; quod facit sub finem epistolę. Eodem spectat quod scribit nonnulla quę planè arguunt recentem eius aduentum in urbem Romani: vt illa cap. 4. *Penulam quam reliqui Troade, veniens affer tecum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti, vel Melite*, vt alij putant legendum. Quod autem Paulus in hac epistola non sentiat finem vitę suę iam iam instare, sed contra potius, significet adhuc se reseruari ad implendum præ- dicationis officium in gentibus; haud obscure docent hæc eodem c. 4. eius verba: *Dominus autem mihi astitit, & confortauit me; vt per me prædi-*

catio impleatur, & audiant omnes gentes. Astitit enim per reuelationem; sicut & fecisse legitur Act. 23. & 27. Huiusmodi ferè argumentis adductus Cardinalis Baronius existimat Paulum hanc epistolam scripsisse breui postquam Romam aduenisset; ac proinde multò ante mortem. Cui sententiæ nos quoque non grauatim accedimus. Quomodo autem ei non obstant illa priora apostoli verba, quibus dicit iam se delibari, tempusque resolutionis suæ instare, cursu iam consummato; videbitur, Deo propitio, cum ad eius loci explicationem ventum erit. Quod ad argumentum epistolæ attinet; versatur ea præcipuè in admonendo Timotheo sui officij, & animando aduersus afflictiones & persecutiones imminentes, ipsius Pauli exemplo. Plena est optimis præceptis, episcopo siue pastori animarum, ad munus suum bene & vtiliter exsequendum, necessarijs: quale in primis est, rectè ac sincerè tractare verbum veritatis; & à doctrina tradita & accepta nullatenus recedere. Vnde & multa passim interferit de falsis profanorum dogmatum magistris, partim exortis, partim exorituris; quos præcipit vitari. Missa videtur aut simul cum ea quæ ad Ephesios scripta est, aut nõ multò post; idq; ante tres alias, videlicet ad Philipenses; ad Colossenses, & ad Philemonem scriptas. In hac enim Timotheus Romam vocatur. In illis Timothei nomen ascribitur, velut iam presentis & consortis in scribendo. Item, in hac Marcus iubetur assumi Romam venturus: Qui idem in epistolis ad Colossenses & ad Philemonem Romæ scriptis, vnus est ex salutantibus. Scriptam esse paulò post epistolam ad Ephesios, ex eo conijci videtur, quod illa per Tychicum missa sit; in hac verò dicat, *Tychicum misi Ephesum*; velut de re nuper facta. An autem hæc; ad Timotheum Ephesi adhuc morantem missa fuerit, sicut prior epistola; non omnino liquet. Multum enim temporis inter vtramque intercessit. Tamen illud satis apparet, in partibus Asiæ minoris, cuius Ephesus erat metropolis, egisse tunc Timotheum, episcopali suo munere vacantem.

S V M M A R I V M.

Laudat in Timotheo fidem non fictam; admonens eum ut gratiam Dei in se resuscitet; confidenter euangelium annunciet, prout ab ipso erat institutus. Notat quosdam qui à se defecerant: Onesiphori autem fidem commendat; ac bene ei precatur.

C A P V T I.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI PER VOLVNTATEM DEI. Apostolatum suum voluntati & electioni Dei ascribit, non suis meritis. Simile exordium est vtriusque epistolæ ad Corinthios, nec non epistolarum ad Ephesios & Colossenses.

SECUNDVM PROMISSIONEM VITÆ QUÆ EST IN CHRISTO IESV. Materiam ac finem apostolatus sui, id est legationis declarat his verbis. q. d. Deus ab initio constituit, ac promisit se vitam æternam hominibus daturum per Christum; atque eius promissionis annunciandæ me legatum & ministrum esse voluit. Vbi nota relatiuum quæ non ad promissionem, sed ad vitam pertinere, quemadmodum ex Græco patet. Ambiguitas tolli potest expressione pronomini loco articuli *quæ* hoc modo: *Secundum promissionem vitæ eius, quæ est in Christo Iesu.*

2 TIMOTHEO CARISSIMO FILIO. subaudi, scribit hanc epistolam. Pro, *carissimo*, Græcè est ἀγαπῆτός, *dilecto*. Sic enim idem vocabulum interpret vertit in epistola ad Philemonem, & alibi. Nec multum interest; cū apud Latinos superlatiuus supra positiuum plerūque non addat nisi perfectionem & ve-

mentiam

mentiam aliquam, quam satis significat Græcum ἀγαπῆτός. Rectè igitur interpres indifferenter vertit nunc *dilectum*, nunc *carissimum*. Qua autem ratione Paulus *Timotheum filium suum* vocet, expositum est ad initium prioris epistolæ.

GRATIA, MISERICORDIA, PAX A DEO PATRE ET CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Eadem omnia quæ in prior epistola, Timotheo precatur. Supplendum est enim: *tibi sit aut multiplicetur*. Itaque sensus horum tum ex eius loci commentario, tum ex superioribus epistolis repetatur.

3 GRATIAS AGO DEO CUI SERUIO A PROGENITORIBVS IN CONSCIENTIA PURA. Græcè, *Gratias habeo Deo, quem colo* &c. Nā in Græco verbum est λατρεύω, cultui diuino in scripturis accommodatum: quemadmodum & nomen λατρεία, de quo diximus Rom. 9. vbi interpret eam vocè *obsequium* vertit. Porro duplex est huius loci commentarius. Quidam sic exponunt: *Quem à primâ etate vsque nunc colo*, velut à maioribus accepta & trāsmissa religione; colo, inquam, & colui cum pura & sincera conscientia. quia quamuis aliquando persecutus sim ecclesiam Dei, nunquam tamen aliud aut docui aut feci, quam conscientia mihi dicitaret. Alij verò non censent puram conscientiam dici posse, nisi quæ cum vera & Christiana iusticia coniuncta sit. Itaque quod hic dicitur restringunt ad tempus præsens; aut certè ad tempus ex quo Christianus fuerat: Et hunc sensum reddunt; *Quem colo eadem religione qua maiores ac proavi mei coluerunt; idque facio recta, pura ac sincera coram Deo conscientia.* Sensus vterque probabilis. Sed si respiciamus ad alia quædam scripturæ loca quæ mox citabimus, prior sensus qui Græcorum est interpretum, præferendus videbitur. Sciendum est enim apostolum Paulum euangelij causa malè audiuisse apud Iudæos, & graues passum calumnias, tanquam qui primam religionem deseruisset, legemque & instituta maiorum conuelleret. Quo fiebat vt non solum Iudæi infideles eum persequerentur; verum etiam qui ex illis Christo nomen dederant, neque tamen adhuc à lege Mosæica poterant auelli, suspectum eum haberent, auerterentur, & derelinquerent; quemadmodum de quibusdam ipse in hac epistola conqueritur. Huic accusationi statim occurrit; ac duo dicit: alterum, se nequaquam esse desertorem autæ religionis, sed Deo seruire à progenitoribus, id est, Deum colere religione à maioribus vsque ad se continuata. Alterum, se non esse veteratorem aut hypocritam, sed animo sincero, minimeque fucato conuersatum coram Deo & hominibus. Hæc autem vt apud Iudæos valeant; vtique debent intelligi de toto tempore conuersationis eius; præsertim quia ex ipsis inijs, quando adhuc in Iudaismo erat, debebat ea res probari. Quod & facit Galat. 1. *Proficiebam*, in-

quit, *in Iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius amulator existens paternarum mearum traditionum.* Iam & alia testimonia profertur, quæ sensum hunc confirmant. Act. 23. productus in concilium sacerdotum, ita loquitur: *Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum, vsque in hodiernum diem.* Quæ verba non possunt limitari ad conuersationem in Christianismo: tum quia dicens, *vsque in hodiernum diem*, comprehendere videtur totum tempus præcedens; tum verò quia secundum hanc limitationem parum aptum fecisset exordium suæ orationis apud aduersarios. Quin potius hoc dicit, quod ad Philip. 3, *Secundum iusticiam quæ in lege est, se conuersatum esse sine querela.* Accedit quod in eodem concilio exclamauit; *Ego Phariseus sum, filius phariseorum;* & quod rursus Philip. 3. dicit: *Hebraeus ex Hebræis, secundum sectam phariseus.* Erat enim phariseorum secta apud Iudæos probatissima. Facit huc præterea quod Actor. 24. apud Felicem præsidem se defendens; *In hoc, & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper.* Sed illud maxime, quod causam apud Festum & Agrippam agens Act. 26. sic loquitur: *Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, non erunt omnes Iudæi; præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi phariseus.* &c. Hæc igitur satis ostendunt quomodo Paulus dicat se Deo seruire à progenitoribus; & quomodo, in conscientia pura; quam in Actis vocat conscientiam bonam & inoffensam: quia nimirum conscientiam, licet in multis errantem, fuerat secutus; quia secundum iusticiam legis sine querela conuersatus; quia denique zelator fuerat paternæ religionis, etsi non secundum scientiam. Qui proinde nunc, diuina reuelatione melius instructus, & ad apostolatum vocatus; vel ob pristinæ conuersationis integritatem ac sinceritatem dignus existimandus sit, cui fides habeatur.

QVOD SINE INTERMISSIONE HABEAM TVI MEMORIAM IN ORATIONIBVS MEIS. *Sine intermissione*, Græcè ἀδιάλειπτον, id est, *incessabilem, assiduam*, vt alij vertunt. refertur enim ad *memoriani*. Sensus autem planus hic esse videtur. Gratias ago Deo meo, quod quoties ad eum preces fundo, toties tui sum memor, ac pro te oro. Hoc enim me facere, diuini muneris est, ideoque dignum de quo gratias agam. Ita disertè Ambrosianus. Alij gratiarum actionem aliud referunt, scilicet ad Timotheum; ac sensum apostoli supplet hoc aut simili modo. Gratias ago Deo pro te filio mihi carissimo, qui mihi in euangelio tā diligenter ac sincerè cooperaris; gratias, inquam, ago, significas tibi, quod, vel quomodo (nā Græcè nõ est ὅλ sed ὡς) in precibus

Bb 3

meis

meis ad Deum, perpetuam habeo tui memoriam, orans ut quod in te cepit, perficiat. Locus hic ira expositus conuenit cum plerisque alijs exordijs epistolarum Pauli. Soler enim primum gratias agere Deo de bonis in eos collatis ad quos scribit; deinde testificari quantum adhuc sollicitus sit & precibus apud Deum agat, ut in bonis acceptis amplius proficiant. Pro exemplo fit exordium epistolae ad Romanos, ab eo loco; *Primum quidem gratias ago Deo meo.*

NOCTE AC DIE. Hanc particulam nonnulli iungunt cum eo quod proxime sequitur; sed magis apostolicum est ut afficiat partem praecedentem in orationibus meis. Senit enim non solum se quoties orat, Timothei memorem esse; sed orare quam frequentissime, idque nocturnis ac diurnis horis. Sic 1. Thess. 3. *Nocte ac die abundantius orantes*, & 1. Timoth. 5. de vidua loquens. *Instat, inquit, obsecrationibus & orationibus nocte & die.* Idipsum aduerbio expressit in exordio epistolae ad Rom. *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.*

DESIDERANSTE VIDERE. Non hoc refert ad tempus quo orabat; sed absolute significat se cupere Timotheum habere praesentem. Vnde & infra iubet semel & iterum, ut ad se festinatò veniat.

MEMOR LACRYMARVM TVARVM. Non solum Pauli necessitas, sed & Timothei in ipsum pietas & amor, quem in discessu lacrymis testatus fuerat, Paulum mouet ut eum apud se esse velit. Has lacrymas quidam non male referunt ad locum Act. 20. ubi Paulo discedente a presbyteris ecclesiae, magnus factus est omnium fletus. Nam Timotheus illorum praecipuus erat, nec ab eo tempore Paulum viderat ante scriptam hanc epistolam.

VT GAVDIO IMPLEAR. Id est, ut in his vinculis tua praesentia fruens, expleam me gaudio & consolatione. Refertur enim haec pars hyperbato quodam, ad illam, *desiderans te videre.*

RECORDATIONEM ACCIPIENS EIVS FIDEI QUAE EST IN TE NON FICTA. Graece, *eius quae est in te, non simulata fidei*, vel ut Ambrosianus legit, *sincera fidei*. Alteram addit causam amoris sui ac desiderij erga Timotheum, scilicet fidem eius sinceram. Quam, inquit, dum memoria voluo; non possum non vehementi tui desiderio commoueri. *Fidem non fictam*, id est, fidem sinceram (sicut & in priori epistola capit. 1. interpretati sumus) vocat eam, qua ex animo & sine hypocriti creditur in Christum. Hoc dicit propter falsos fratres; qui inter multos fidem Christi profitebantur, non sincere, sed, quia sic eis pro tempore commodum erat, quales & hodie sunt inter Christianos non pauci.

QUAE ET HABITAVIT PRIMVM IN AVIA TVA LOIDE, Illud & non est in Graeco. *Aviam* intelligit maternam. Patre enim genti-

li natus erat Timotheus, teste B. Luca Act. 16. Sed & Syrus interpres explicatè reddidit, *in matre matris tuae.* In verbo *habitavit*, Hebraismus est, quo significatur stabilis inhaesio atque permanensio.

ET MATRE TVA EVNICE. Haec cum Iudaea esset, nupserat viro gentili. Fuit autem mulier Christiana. Nam Act. 16. vocatur fidelis, quod Christianorum vocabulum est. Et hic fides tam matri quam auiae ascribitur; eademque non ficta. Significat ergo fidem Christianam transfusam ab auia in matrem, inde in filium; non propagatione, sed institutione & doctrina: quod ad magnam laudem illarum mulierum pertinet. Denique plus laudis tribuit Timotheo quam sibi: Se enim dicit Deo seruire a progenitoribus; Timotheum autem fide sincera Christianum esse a progenitoribus. Quod tamen non tam laudandi quam exhortandi studio facit. Mouent enim vehementius ad virtutem, exempla domestica. Vtrum verò Timothei mater ante baptismum an post, viro gentili nupserit; & virum fidei an infidei; non liquet: nisi quod infidelem fuisse apparet ex eo quod Timotheum non a patre sed a matre laudet Apostolus; quodque pater Timotheum puerum non fuerat passus circumcidi, quamuis ex matre Iudaea susceptum.

CERTVS SVM AVTEM QVOD ET IN TE, scilicet habitet eadem fides non ficta. *Certus sum*, Graece *πεπεισμεν*, quod alij vertunt, *persuasus sum*, aut *persuasum habeo*. Idem verbum habetur infra hoc eodem capite, *Certus sum quia potens &c.* Vnde dicimus vocabulum esse generale ad significandum persuasionem qua quid ut certum habetur; siue morali (quam vocant) certitudine, siue ea quam diuina facit auctoritas, id est, certitudine fidei. Nam fide certus erat Apostolus Deum esse potentem seruare depositum suum: At hoc modo non nouerat fidem non fictam in Timotheo habitare; sed id longa experientia didicerat, ideoque humanitus certum tenebat. Non dissimile est quod scribit sanctus Gregorius lib. 9. epistola 34. quendam commendans: *Nullam, inquit, de eo dubitationem habeas; sed omnino de puritate ipsius certus esto:* videlicet ea certitudine quae & quanta ex affirmatione tanti viri sinceritatem hominis experti, haberi poterat. Legitur idem vocabulum Roman. 8. 14. & 15. & alibi. Quibus ex locis haec generalis verbi *πεπεισμεν* significatio confirmatur. De qua etiam plura diximus suis locis, ac praecipue ad illud Rom. 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, &c.*

PROPTER QVAM CAVSAM ADMONEO TE VT RESVSCITES GRATIAM DEI. Institutum suum aggreditur, quod erat, Timotheum admonere sui muneris. *Propter*

quam

quam causam, id est, Quia noui te non simulatam habere fidem; idcirco magna fiducia te commonefacio, ut resuscites &c. Sic plerique particulam illatiam exponunt; tamen potest etiam referri ad id quod dixit, se sine intermissione memoriam habere Timothei in suis orationibus &c. q. d. Affectus ille quo pro te tantopere sollicitus sum, mouet me ut etiam per literas te admo- neam de his quae tui sunt officij. Pro *resuscitare* Ambrosianus legit, *recreare*. Graecum verbum *ἀναζωπυρέειν* proprie significat, ignem denuò viuificare, id est, ignem sopitum aut torpentem flabello seu ventulo suscitare. Quod Apostolus aptissime transfert ad resuscitationem gratiae Dei. Eam homo in se resuscitat oratione, meditatione, lectione ac studio rerum sacrarum, sancti propositi renouatione; Denique ipso diuinorum charismatum vsu & exercitatione. Nam pro *gratia*, Graece est *χάρισμα*, id est, *donum*, ut Ambrosianus legit. Idem vocabulum habetur 1. Timoth. 4. in simili sententia qua dixit: *Noli negligere gratiam quae in te est &c.* Quo quidem loco ostendimus gratiam quam Apostolus praecipit a Timotheo non negligi, sed resuscitari; eam intelligendam esse, quae collata illi fuerat ad bene exsequendum munus episcopale. Vbi etiam explicatum a nobis est, quas officij partes haec gratia complectatur. Vocatur autem *gratia* seu *donum Dei*, quia gratis a Deo donatum.

QUAE EST IN TE PER IMPOSITIONEM MANVVM MEARVM, qua nimirum te ordinaui episcopum. Ordinatio vocatur *manuum impositio*, quia fit cum ceremonia impositionis manuum. Ob quam causam etiam confirmationis sacramentum & reconciliationis, vocatur in scriptura & a patribus manus impositio. Non quod ea ceremonia vel sola vel praecipua sit in his sacramentis, sed quia visum fuit apostolis, ad occultanda profanis hominibus sacramenta Christiana, communi quodam vocabulo, quod ad multa pateret, ea designare. Sed hac de re pluribus egimus in commentario prioris epistolae. Constat autem ex vtroque loco (ut id obiter repetimus) ordinationem episcopalem esse ceremoniam quandam externam & sacram, per quam ordinandis adhibitam, gratia ijs confertur ad suum ministerium bene sancteque exercendum: & proinde ceteri debere in numero sacramentorum nouae legis. Cur autem hic dicat Apostolus, *per impositionem manuum mearum*, cum in priori epistola dixerit, *cum impositione manuum presbyterij*; illic ratio a nobis assignata est.

NON ENIM DEDIT NOBIS DEVS SPIRITVM TIMORIS, SED VIRTVTIS ET DILECTIONIS ET SOBRIETATIS. Quod dicit nobis, quaritur, vtrum Christianis, an episcopis;

Variant enim commentarij. Pro priori sensu facere videtur locus similis Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Quod manifestum est dici Christianis in genere. Quibus iste sensus placet, dicunt Apostolum hic distinguere quibusdam effectis vetus testamentum a nouo, quod illic datum fuerit donum timoris, hic autem detur gratia qua liberaliter Deo seruitur, qualis est ea quae per impositionem manuum confertur: Verum hic sensus parum confert ad probandum id quod praecedit. Non enim ex dono omnibus Christianis communi, docetur quale sit donum episcoporum. At neque congruit hic locus cum eo qui est Roman. 8. Nam ibi sermo est de timore seruiti, de quo & Ioannes 1. epist. 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Qui timor effectus erat veteris legis: atque eum populus acceperat quando lex ei promulgata fuit de monte Sina. Nam eo respicit Apostolus, cum dicit, *ierum*. Hic verò timor humanus seu mundanus intelligitur, pudore prauo etiam comprehenso. Qui timor efficit, ut quis refugiat ac vereatur ea facere quae sui sunt muneris; ut in episcopo & pastore, praedicare euangelium, confiteri Christum, corripere peccantes, resistere malis. Docet enim hoc loco Apostolus, qualis sit gratia quam in ordinatione sua Timotheus acceperat, quamque accipiunt omnes episcopi; quos denotat dicendo *nobis*. Ut sensus sit: Spiritus quem nobis episcopis & euangelij ministris dedit Deus, non est spiritus timoris; cuiusmodi nullus a Deo datur aut dari potest (Vnde nec addidit aduerbium *ierum*, sicut in epistola ad Romanos): sed est spiritus virtutis, dilectionis & sobrietatis. *Spiritum* autem, dicit donum; more scripturae, quo Spiritui sancto ea quae largitur diuinae sunt appropriari solent. Hunc sensum confirmat vocabuli diuersitas in Graeco: Nam in epistola ad Romanos est *φῶβος*, timor; hic autem *δειλία*, id est timiditas, siue animi imbecillitas, cum quis praegnantia detrectat periculum. Qua voce etiam Aristoteles vitur in Ethicis. Eidem Xenophon *ἀνδειλιαν*, Apostolus autem hoc loco *δύναμιν* opponit, id est, virtutem, robur ac fortitudinem animi, quae viros deceat. Ea virtus est quam Christus in caelum ascensus promisit Apostolis suis, dicens: *Sedete in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto.* Luc. 24. Ac rursum: *Accipietis virtutes superuenientis Spiritus sancti in vos.* Act. 1. Igitur spiritus virtutis ac fortitudinis qui datus est Apostolis in die Pentecostes, ceteris ecclesiarum rectoribus ac verbi ministris datur in sui ordinatione. Timorem mundanum etiam B. Thomas hoc loco intellexit, adducens illud ex 1. Cor. 2. *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* addit autem & locum quem citauimus ex Luc. ult.

Bb 4

Virtutis

Virtuti socias addidit *dilectionem* & *sobrietatem*. Dilectionem quidem, quā non sua querit ecclesiae praefectus; sed quae Iesu Christi, quod donum in Timotheo commendat ad Philipp. 2. *Sobrietatem* vero; siue quae in temperato usu cibi ac potus consistit, quo dono praeditum fuisse Timotheum ex priori epistola didicimus; siue eam quae ad animum pertinet, quae scilicet moderatē feruntur quaeque accidunt, tam aduersa quam prospera. Nam Graecē est *σωφροσύνη*; quae vox moderationem seu castigationem significat. Syrus vertit tranquillitatem. Nomen est verbale à *σφροσύνη*, quod verbum legitur Tit. 2. vbi nos habemus, *ut prudentiam doceant adolescentulas*; alij vertunt, *ut modestas reddant adolescentulas*. Porro ex hac apostoli sententia colligitur non sola charismata, quae gratiae datis datae vocantur, in ordinatione conferri, verum etiam dona quae gratum Deo faciant. Talia sunt enim virtus, dilectio & sobrietas; sub quibus & caetera dona episcopo necessaria comprehendendi debent. Iam verò memoratum apostoli sensum confirmat etiam id quod sequitur;

NOLI ITAQUE ERVBESCERE TESTIMONIUM DOMINI NOSTRI. Quoniam, inquit, non timiditatis & ignaviae, sed virtutis & constantiae spiritum à Deo accepisti; ne te pudeat professionis ac ministerij tui, quo Christum Dominum nostrum praedicas, eumque crucifixum; Iudaeis scandalum, gentibus stulticiam. Cave ne metus ignominiae vel infamiae te retrahat à suscepto munere. *Testimonium Christi* more scripturae vocatur omnis praedicatio vel confessio quae de Christo fit apud homines. Vnde ait discipulis Ioan. 15. *Et vos de me testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*. Et iterum Actor. 1. *Vos eritis mihi testes in Ierusalem*, &c. Quamquam postea illi peculiariter martyres, id est, testes, dicti sunt, qui testimonium huiusmodi dabant usque ad mortis perpersionem.

NEQUE ME VINCTVM EIVS. Id est, neque te mei pudeat aut vinculorum meorum; Ne graueris vocari discipulus Pauli hominis capriui. sum enim *vinctus Christi*, id est, non ob maleficium aliquod aut scelus teneor in vinculis, sed propter nomen Christi Domini nostri.

SED COLLABORA EVANGELIO SECUNDVM VIRTUTEM DEI. Graecē & Syriacē, *Sed simul parere mala cum evangelio*, id est, esto particeps afflictionum quas evangelium patitur. Est enim fictio quaedam personae in evangelio; quod laborare dicitur & persecutionem pati, quando qui ipsum praedicant, haec eius causa patiuntur. Itaque Timotheum monet ut laborare & affligi cum evangelio non reformidet, sed viriliter agat; idque *secundum virtutem* siue potentiam Dei. Quod dupliciter in-

telligi potest: aut iuxta virtutem quae homini est à Deo; *Dedit enim nobis*, inquit, *Deum spiritum virtutis*: aut per virtutem qua Deus in homine operatur. Vtroque sensu Timotheus reuocatur à fiducia suarum virium; & iubetur in Deo confidere & in potentia virtutis eius. Posteriori sensui fauent sequentia:

QVI NOS LIBERAVIT ET VOCAVIT VOCATIONE SVA SANCTA. Pronomen *sua* videtur adiectivum; Nam neque in Graeco, neque in Syro textu legitur: Ambrosianus quoque non agnoscit, ut nec veteri quidam codices Latini. Neque Graecē est, *liberavit*, sed *saluavit*, astipulante Syro & Ambrosiano, quamuis alterum ex altero intelligatur. Loquitur hic apostolus in persona fidelium electorum; quia mox praedestinationis meminit. Et sensus est: Qui nos, cum perissemus, saluos fecit, donando fidem & poenitentiam ac remissionem peccatorum, & adoptionem filiorum; quae sunt initia salutis. & ad hanc salutem vocavit nos vocatione sancta: siue qua nos sanctificat, est enim efficax vocatio Dei; siue qua nos vocavit in sanctificationem. 1. Thess. 4. Haec quadam digressionem dicuntur ab Apostolo, ut commemoratione & amplificatione salutis per Christum datae, Timotheum vehementius extimulet ad liberam tanti beneficii praedicationem.

NON SECUNDVM OPERA NOSTRA. Id est, *non secundum merita nostra*, ut legit Ambrosianus. Non negat Apostolus aeternam salutem esse ex operibus; cum passim doceat Deum redditurum unicuique secundum opera sua, Rom. 2, 2. Cor. 5 & alibi; cumque sub finem superioris epistolae docuerit ex bonis operibus apprehendi vitam aeternam: sed totam salutem, cuius initium est à fide, negat esse ex operum merito. Cuius ratio manifesta est, quandoquidem ipsa etiam bona opera quibus ad vitam aeternam quomodoocunque prouehimur, sub illa salute, quae tota à Deo est, comprehenduntur. Hinc ergo statuitur illud à patribus sub anathemate definitum, *Gratiam Dei non dari secundum merita nostra*. Statuitur & illud huic connexum; Praedestinationem nostram non esse ex meritis, sed ex mero beneplacito gratiae Dei; prout sequitur:

SED SECUNDVM PROPOSITVM SVVM ET GRATIAM. *suum*, Graecē, *proprium*, quod emphasi non caret. Vult enim Apostolus omnem meriti nostri respectum ab salute & vocatione nostra excludi; & solum cogitari propositum & gratiam Dei. *Propositum* intelligit prauiam & aeternam Dei voluntatem seu decretum, quam alibi praedestinationem vocavit. Atque ex hoc loco perspicuum est eos falli, qui Roman. 8. vbi dicitur, *Qui secundum propositum vocati sunt sancti*; *propositum* interpretantur non Dei vocantis, sed ipsorum hominum qui

vocantur.

vocantur. Quem intellectum ab apostolice mente alienum esse, pluribus illic ostendimus. Porro *gratiam* non intelligit creatam, quae in nobis est; haec enim effectus est praedestinationis; sed gratiam increatam, id est, gratuitam Dei beneficentiam; quam mox dicit *manifestaram per aduentum Christi*; quaeque Tit. 3. misericordiam vocat, dicens: *Non ex operibus iusticiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit*. Igitur hoc nomen *gratia*, proposito addit rationem gratituti: q. d. apostolus, secundum propositum suum quo gratis ac praeter omne meritum nostrum constituit nos saluos facere.

QVAE DATA EST NOBIS IN CHRISTO IESV ANTE TEMPORA SECVLARIA. Graecē, *ante tempora aeterna*, tamen recte etiam nonster interpret tam hoc loco quam ad Tit. 1. vertit, *secularia*; sed significatione diuersa ab ea qua alijs in locis scripsit, *secularia iudicia, negotia, desideria*, 1. Cor. 6. 2. Tim. 2. Tit. 2. Si quidem & in Graeco vocabula diuersa sunt. Igitur *aeterna* seu *secularia tempora* vocat apostolus perpetuam temporum seriem ab orbe condito. Quoniam autem quicquid hanc temporum seriem antecedit, proprie aeternum est: idcirco dicens, *ante tempora secularia*, aeternitatem notauit; ut sensus sit: Quae gratia seu misericordia, quoad effectus suos, nobis per Christum data, id est, intuitu meritorum Christi praeparata, est ab aeterno. Hinc recte collegeris Christum meruisse nostram praedestinationem. Quod & alijs apostolicae scripturae locis consentaneum est, ut Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Et iterum, *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*.

MANIFESTATA EST AVTEM NVNC PER ILLVMINATIONEM SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI. PTO, illuminatione, Graecē est, *ἐπιφάνεια*, id est, *apparitio*, quam alibi vertit *aduentum*, ut 1. Tim. vlt. Ambrosianus textus habet, *per illuminationem aduentus*, forte duabus versionibus in vnam conflatis. Sensus apostoli est: Ea gratia nobis ab aeterno praeparata, hoc demum tempore palam facta est per aduentum Christi Salvatoris nostri; praedicantibus apostolis mundo declaratum. Agnita quidem fuit ea gratia à Patribus antiquis qui per fidem Deo placuerunt; sed obscurius: Neque tunc mundo patefacta est, sed paucis dumtaxat innouit. De huius gratiae manifestatione plura idem apostolus Eph. 3.

QVI DESTRVXIT QVIDEM MORTEM, videlicet morte sua. Sensus enim est, Christum passione & morte sua promeruisse nobis apud Deum perfectam nostrae mortis abolitionem. Nam Graecum verbum significat *abolere, casum & irritum reddere*. Qua voce usus est etiam Heb. 2 in simili sententia, qua dixit: *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*. Queritur quam mortem significet apostolus, temporariam an aeternam. Respondeo, utramque significari: nam vtra-

que per beatam resurrectionem, quam ex Christi morte expectamus, tollitur. In eo autem quod ait *mortem à Christo destructam*; etiam peccatum intelligit destructum & abolitum, quod est vtriusque mortis causa.

ILLVMINAVIT AVTEM VITAM ET INCORRUPTIONEM PER EVANGELIVM. Graecum verbum *φωτισεν* duo significat, *illuminare, & in lucem proferre*: sed huic loco quadrabat posterius significatum, quod & alij interpretes reddiderunt. Nam sensus est: Vitam incorruptibilem & immortalem produxit in lucem, manifestavit, ac certam eius spem nobis attulit per euangelium quod praedicari voluit. Obserua vtrique morti oppositam *vitam & incorruptionem*.

IN QVO POSITVS SVM EGO PRAEDICATOR ET APOSTOLVS ET MAGISTER GENTIUM. *In quo*, Graecē, *in quod*, vel *ad quod*. Itaque sensus est: Ad quod euangelium promulgandum ego praeco constitutus sum à Christo; quodque amplius est, ipse Christi ad eam rem Apostolus seu legatus; denique gentium Doctor, id est, praecipue missus ad gentilem populum docendum. Sic enim ei repulsam à Iudaeis passio, dictum commemoratur Act. 22. *Vade, quoniam longe in nationes mittam te*. Vnde & Gal. 2. refert peculiariter sibi Deum cooperatum fuisse inter gentes. Hos autem illustres titulos sibi Paulus ascribit, non quo se iactet; sed Timothei confirmandi causa, simul ut euangelio à se praedicato maiorem conciliet auctoritatem.

OB QVAM CAVSAM ET HEC PATIOR: Ad vincula sua respicit. *Quam ob causam*, id est, quia praecōnis euangelici fungor officio, item apostoli, & doctoris gentium; ideo accusatus sum à Iudaeis, & in haec vincula coniectus.

SED NON CONFVNDOR. Id est, non me pudeat vel officij mei vel vinculorum. Proinde & tu, meo exemplo, *noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinculum eius*. Est enim in Graeco idem verbum quod interpret hic, *confundi*; superius *erubescere* vertit.

SCIO ENIM CVI CREDIDI. Rationem addit, cur ipsum neque pudeat, neque poeniteat euangelici ministerij. Noui enim, inquit, cui crediderim; quam ille magnus sit Dominus, quam potens, & quam verax in promissis. Verbum *credere* tam Graecis quam Latinis ambiguum est: Nam & *fidem habere* significat, & *committere*. Vtraque significatio satis huic loco conuenit: sed quia mox depositi facit mentionem; videtur illud ipsum hic supplementum, ut sensus sit: Noui cum cui credidi atque commisi depositum meum seruandum. Sequitur enim:

ET CERTVS SVM QVIA POTENS EST DEPOSITVM MEVM SERVARE IN ILLVM DIEM. De veritate Dei tacet tanquam nimis manifesta; solamque nominat potentiam. Certus sum, inquit, de eo cui depositum meum concredidi, & securus, quod potens sit illud

custodire

custodire & seruire inuolatum in diem aduentus Christi filij sui; qui dies est perfectæ retributionis. De Græca voce *πέποιθη* certus sum, aut certo persuasus sum, iam dictum est superius. Nam hic procul dubio debet accipi persuasio certissima, quæ habetur ex verbo Dei. Porro depositum hoc loco variè exponit interpretes. Quidam pro anima, salute, & incolumitate accipiunt; ut cum illa B. Petri sententia cõgruat, 1. ep. 4. *Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei creatori commendati* (Græcè, *deponant*) *animas suas in benefactis*. Et cum eo quod dicit Sapiens cap. 3. *Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Alij intelligunt fideles quos Paulus Christo lucrificerat, eidemque (ut aiunt) cõsignauerat, velut depositum. Vnde dicit Act. 20. *Et nunc commendo siue appono vos Deo*. Sũt qui nomine depositi intelligunt officium euangelicæ prædicationis, quod apostolus sibi seruari sperat, dum pro eo fideliter & perseueranter administrato mercedem expectat à Deo. Alijs magis placet, in vniuersum intelligi bona opera facta cum spe retributionis æternæ. per hoc enim quasi deponuntur à nobis apud Deum, ut ea recipiamus; quod sit dum fructum eorum recipimus, scilicet præmium vitæ æternæ. Tale est quod dicit Ecclesiasticus cap. 9. *Sunt iusti atque sapientes; & opera eorum in manu Dei*. Alij denique depositum interpretantur ipsam mercedem operũ; quæ quidem dicitur deponi apud Deũ, quatenus homo non statim accipit mercedem postquam operatus fuit, sed patienter expectat tempus retributionis; quæ tandem plena reddetur in die iudicij. Fauet huic intellectui quod infra cap. 4. post commemorationem bonorum operum suorum, subiungit apostolus: *In reliquo, reposita est mihi corona iusticia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Harum quinque expositionum duæ postremæ sunt maximè probabiles, & in eũdem ferè sensum concurrunt; quemadmodum & prima. Nam tertia sub quarta comprehenditur. Secunda verò parum accommodata est, nam fideles non sunt instar depositi à Christo velut reposcendi, sed instar lucri Christo debiti. Neque enim eos Paulus sibi sed Christo lucrabatur tanquam seruis fidelis.

13

FORMAM HABE SANORVM VERBORVM QUÆ A ME AUDISTI. Transit ad aliam exhortationis partem, quæ est de doctrina, monente Timotheum ut menti suæ impressam habeat ac retineat imaginem, formam ac delineationem sanæ, integræ & incorruptæ doctrinæ quã ab ipso acceperat. Pro forma Græcè est *ὁμοίωμα*, quam vocem interpretes 1. Tim. 1. vertit *informationem*. Dicit autem *verborum*, quia verbis & sermonibus euangelij doctrina tradebatur magis scripto. Vnde & addit, *quæ à me audisti*. Quod verbum pro autoritate traditionum non scriptarum, videntur in suis commentarijs Chrysostomus & Theophylactus.

IN FIDE ET IN DILECTIONE IN CHRISTO IESU. In Græco post *dilectione* additur articulus, ut vertendum sit, *quæ est in Christo Iesu*. Sic enim eadem Græca vertit interpret cap. 1. prioris epistolæ. Dubium est autem utrũ pars hæc referenda sit ad proximum verbum, *audisti*, hoc sensu, quæ à me audisti cum fide & charitate Christiana; id est, non solũ fidem adhibens meis sermonibus; sed & charitatis affectum adiungens, qua non quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi quæres, ut de eo dicitur Philip. 2: An verò pertineat ad priorem partem, hoc modo; *formam habe sanorum verborum in fide* &c. ut vel hic sit sensus; Habeto formam sanæ doctrinæ quæ versatur circa fidem & dilectionem Christianam; Vel iste, Formam sanæ doctrinæ retine cum fide & dilectione; quæ præstabitur ut ab illa forma non recedas. Medium sensum tradunt plerique; tamen & reliqui duo probabiles sunt.

14

BONVM DEPOSITVM CUSTODI. Depositum non idem hic intelligit quod paulò superius, sed illud de quo iam olim Timotheũ admonuerat in prioris epistolæ sub finem, dicens: *O Timothee, depositum custodi, deuotans profanas vocum novitates* &c. Illud autem esse diximus doctrinam successorum creditam & commendatam, instar depositi, ut eam integram custodiat, ac porro alijs fidelibus ministris, qualem & quantam accepit, de manu in manum tradat: quam nimirum doctrinam proximè designauit per *sana verba ex se audita*. Repetit autem idem præceptum in hac epistola, non solius Timothei causa, sed ut omnes disceremus quanti sit momenti, quod apostolus tam sedulò putauit inculcandum. Vnde & epitheton *deposito* addidit, vocans illud, *bonum*, Græcè *καλόν*, quod etiam verbi potest, *pulchrum, egregium, præclarum*. Quæ omnia optime quadrant in hoc sanæ doctrinæ depositum. Locus obseruandus contra hæreticos; qui nullum exhibere possunt huiusmodi depositum, id est, doctrinam inde ab apostolis, serie per successores continuatã, traditam & acceptam; nisi fortè depositum hoc esse dicant scripturam sacram. Sed hoc dici non potest. Non enim scripturam sacram Paulus apud Timotheum deposuerat, sed doctrinam à se verbo traditam. Deinde, quale depositum, quod omnibus penè sectis hæreticorum commune est? Itaque scriptura, quam & ipsam ab apostolis traditam habemus, pars quædam depositi est, non autem totum & integrum depositum, quod sola seruat ecclesia Catholica.

PER SPIRITVM SANCTVM QVI HABITAT IN NOBIS. Quoniam difficile est sacrum illud depositum inter tot humanarum opinionum varietates, ac Satane fraudes, integrum & illibatam custodire; propterea modum adijcit quo id faciat, q. d. Non id humanæ facultatis est, sed Spiritus-sanctus per gratiam suam præstabit ut facias. Simile enim est cum

eo quod

eo quod dicit cap. sequenti; *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum*. Iam quod additur, *qui habitat in nobis*, vel ad totam ecclesiam referri potest, quam inhabitans Spiritus-sanctus efficit, ut depositum in ea seruetur; vel potius ad ecclesiæ præfectos, quorum ministerio idem depositum per Spiritum-sanctum, eis promissum, in ecclesia conseruatur; ut pronomine *nobis* iidem significantur qui superius, vbi dictum est: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis*, &c.

15

SCIS HOC QVOD AVERSI SVNT A ME OMNES QVI IN ASIA SVNT. Græcè, *auerfati sunt me*, quemadmodum & Ambrosianus legit. Commemorat Paulus hanc multorum à se defectionem, ut carissimum discipulum, qui ea re audita turbari poterat, animumque demittere, corroboraret & consoletur. Id enim facit initio sequentis capituli, dicens: *Tu ergo fili mi confortare*. Loquitur autem apostolus de Iudæis qui crediderant, non de gentilibus. Nam & Act. 21. in tumultu Ierosolymis aduersus Paulum concitato, nominantur qui de Asia erant Iudæi. Asiam utrobique intellige minorem. Porro secundum Græcorum expositionem non est sermo de ijs qui Paulo hæc scribente in Asia erant, sed qui ex Asia Romam venerant. Volunt enim præpositionem in pro ex positam esse. Sed quia violentum id videretur, alijs sic exponunt, *Auerfati sunt me omnes qui erant in Asia*. Dicunt enim Apostolum loqui de ijs qui in Asia quidem ipsi adherere ceperant; sed cum Romam venissent, ipsumque in vincula coniectum & periclitantem viderent; tanquam ignotum, spreuerunt. Nam in Græco non exprimitur verbum *sunt*; ut liberum sit præteriti temporis verbum supplere. Sensus hic apud Erasmus est in paraphrasi. Alij denique, de ijs qui tum temporis in Asia erant, Apostolum loqui existimant; ideoque dicere, *Scis hoc*. Nam Timotheus in Asia versabatur, & proinde quæ in Asia fiebant scire poterat, non quæ Romæ. Sed facile respondetur, hoc sensu illud dictum esse: iam, ex ijs quæ hinc ad vos perferuntur, ignorare non potes, omnes Asianos qui Romæ sunt, me esse auersatos. Qui profecto sensus maximè conuenit. Nam confirmat apostolus rumorem, ad aures Timothei forte perlatum. Quomodo autem auersi sint aut auersati; deserendo fidem, an solam personam: non expressit. Ac verisimile est tantũ velle dicere quod auersati sunt ipsum, metuentes consortium periculi, aut etiam Paulo detrahentes quod sua culpa ac temeritate in periculum incidisset. Tamen fidei defectus hanc tentationem facilè consequi solet; iuxta id quod Dominus dicit de ijs qui radices non habent, quod *ad tempus credunt, & in tempore temptationis recedunt*. Luca 8.

EX QVIBVS EST PHYGELVS ET HERMOGENES. Græcè & Syriacè *Phygellus*, lite-

ra l geminata. Nõ hos duos nominatim Paulus notaret, nisi præ cæteris in ipsum asperi fuissent & calumniosi. An autem alicuius peregrini dogmatis authores fuerint, nõ liquet. Tantum in apocryphis apostolorum passionibus, quibus non est habenda fides, legitur eos aliquando maleficos fuisse, & opera Iacobi maioris conuersos ad fidem. Multo minus illud recipiendum, quod Metaphrastes refert in sermone de Petro & Paulo apostolis, Phygellum à Petro datum episcopum Ephesij, postea Iudæos credentes à fide auersisse. Scribit quidem aduersus Hermogenem quædam hæreticum Tertullianus; sed cum ab hoc diuersum esse planè cõstat ex initio libri, quo testatur Hermogenis illius doctrinã nouellã esse, ipsumque hominẽ adhuc in sæculo superesse. Sed apertissimè ex his verbis ibidẽ subiunctis; *Nec ipse apostolicum Hermogenes in regula perseuerauit*. apostolicũ enim Hermogenẽ vocat eum cuius in hac epistola apostolus meminit; quẽ dum in regula perseuerasse negat (utique de fidei regula loquẽs) satis innuit eũ à recta fide defecisse, & ad heresim aliquã deflexisse. Quod & significat in lib. de præscript. aduersus hæreticos cap. 3. dum eundem Hermogenem vnã cum Phygello annumerat ecclesiæ defertoribus.

16

DET MISERICORDIAM DOMINVS ONESIPHORI DCMVI. Exceptio est ab eo quod dixit, *omnes qui in Asia sunt*. Nã Onesiphorus Asianus erat, quẽadmodum satis colligitur ex fine huius epistolæ, vbi dicitur: *Saluta Onesiphori domũ*. Siquidẽ Timotheus cui hoc scribitur, in Asia versabatur. Imò putatur Ephesus fuisse, propter illud quod ibidem statim sequitur; *Et quãta Ephesi ministravit*. Idẽ Onesiphorus Romæ erat, quo tẽpore Paulus illic in vinculis tenebatur, ut ex sequẽtibz manifestum est. Vnde, etiam ex hac exceptione, probabile sit apostolum in verbis superioribus locutum fuisse de Asianis Romæ agentibus. Precatur autem à Christo *Dominõ misericordiam domũ*, id est, vniuersæ familiæ Onesiphori; à quo vno beneficium acceperat; siue quod Deus propter vnum soleat multis benefacere, siue quod tota familia particeps fuerit bonorum eius operum, saltem eorum quæ Ephesi exercebat, de quo infra. Porro de qua misericordia loquatur, paulò post exponemus.

QVIA SÆPE ME REFRIGERAVIT. Id est, refocillauit, recreauit; in hoc æstu mearum afflictionum. Solatio & subsidio mihi fuit in his vinculis.

ET CATENAM MEAM NON ERVBVIT. Id est, non puduit illum vinculorum meorum, sicut cæteros Asianos. Nec periculum metuit, nec infamiam, ut me iuuaret. Ita laudat Onesiphorum; ut rursus obliquè Timotheo animum & audaciam addat, cui iã ante dixerat; *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinculum eius*.

SED CVM ROMAM VENISSET, SOLICITE

ME

dicere. *implicatur, sed implicat se*; originali textui contrarium est. Vocula *Deo* non solum in Græcis & Syris codicibus abest, verum nec in omnibus est Latinis; nec omnino huc pertinet. quæadmodum post alios doctè annotavit Robertus Bellarminus lib. 5 de Romano Pontifice cap. ultimo. Et quamvis apud Ambrosianum, Pelagium, Primasium & Sedulium in textu scripta reperitur; ex ipsorum tamen commentarijs satis apparet ab ijs agnitam non fuisse. Communiter enim docent apostolum hinc vti comparatione eorum qui ascripti sunt in militiam corporalem; quos oportet expeditos esse à negocijs sæculi, vt perfectè placeant regi terreno cui militant. Et rectè quidem id docent. Adfert enim apostolus ad extimulandum Timotheum, tria similia: primum, à militia; secundum, ab athleta; tertium ab agricola. Valde igitur probabile est datium *Deo* additum fuisse, non ab interprete, qui in Græco non legit; sed ab alijs qui putant ad integritatem sensus desiderari; non animaduertentes apostolum hanc sententiam adferre, quemadmodum & duas sequentes, non vt præcepta, sed velut parabolas ex quibus præcepta caperentur. Hoc enim est quod post eas statim subiungit: *Intellige quæ dico* Huius igitur partis sensus est; Eam esse militum legem & cõditionem, vt simul atque militiæ nomen dederunt, omnes alias actiones quibus antea sese occupabāt, abijciant ac seponant: exempli gratia, familiarum administrationem, mercaturam, agriculturam, opus mechanicum; nec aliud iam quàm bellum, arma, victoriam, stipendia cogitent. Iuuat hunc sensum Græca dictio *βίος*, id est, *vita*. Nam *βίος* plerumque significat vitam quatenus ad eam sustentandam victus opere aliquo quæritur; vt *negocia vite* sint, quæ quis exercet, vt habeat vnde viuat. Et huc alluisse videtur Ambrosius, quando dixit lib. 7. in Lucæ 12; *Indecorum est homines curare de cibo, qui militant regno*. Quod autem dixi militum eam esse legem, etiam B. Thomas affirmat 2. sec. q. 40. ar. 2. *Secundum leges, inquit, humanas militibus qui deputantur ad exercitia bellis, negociationes interdiciuntur.*

VT EI PLACEAT CUI SE PROBAUIT. Ex Græco videri potest interpretem vertisse, *qui se probauit*, id est, qui ipsam in militem delegit. Sic enim alij clariùs verterunt participiū Græcum *σπατολογήσαντι*. Sensus est: militem, vt operam suā probet imperatori à quo delectus est & ascriptus in militiam, vt quæ ei placeat; omnia negocia ab officio militari aliena, procul à se remouere. Vnde Timotheo colligendum relinquit, quid ipsum facere oportet, quem appellauerat militem Christi; nec ipsum modò, sed in vniuersum episcopos & presbyteros; qui omnes peculiari ratione præ vulgo fidelium, milites sunt Christi, quatenus ad hoc ordinati sunt, vt in euangelij prædicatione & dispensandis ecclesiæ sacramentis, ad populi salutem, Chri-

sto Domino subseruiant. Qui proinde illud vnum agere & cogitare debent; omnibus negocijs quæ ab hoc scopo sunt aliena, dimissis. Itaque ex hoc loco rectè probant sacri canones, non debere clericos exercere mercaturam seu negociationem, & quicquid est huiusmodi: quia per hæc, plurimum impediuntur à militia sua spiritali & ecclesiastica, cui se totos impendere debent. Ex eadem hac comparatione, & doctrina apostoli, consequens prima fronte apparet, non admodum congruere, nec expedire, vt ecclesiarum prælati sint principes ac domini sæculares vrbium ac prouinciarum: quia fieri non potest quin per huiusmodi potestatem ac iurisdictionem, quantumuis per alios eam exercent, aliquatenus auocentur à debito exercitio potestatis ac militiæ spiritalis. Sed non negamus quin necessitas retinendæ & conseruandæ potestatis à maioribus acceptæ, excusare eos possit: ac multo magis ipsius fidei catholice conseruandæ & tuendæ opportunitas; aliæque circumstantiæ conuenientes.

NAM ET QUI CERTAT IN AGONE, NON CORONATUR, NISI LEGITIME CERTAVERIT. Illud, *in agone*, redundat: Nam Græcè & Syriacè sic legitur, *Si autem & certet aliquis: non coronatur &c.* Consonat Ambrosianus textus. At nec Pelagius, Primasius, Sedulius in suis scholijs *agonis* meminerunt. Græcum verbum *ἀθλῆν*, vnde athleta, significat certare quocūque certandi genere quod corpore exercetur; velut lucta, cursu, pugnis, disco, saltu. Hoc igitur alterum est simile quo Timotheum exhortatur apostolus. Id etiam, inquit, considera, non coronari nec præmio donari athletam; nisi leges omnes certaminis suscepti seruaauerit. Neque enim satis est quomodocūque certasse, sed legitime certandum, vt victoriam & coronam speres. Ita & tu ne tibi satis esse putet; quod episcopum agas quocumque modo. Nisi enim legitime, id est, secundum leges à Deo præscriptas & à me dudum tibi propositas, eo certamine perfunctus fueris; coronam immortalitatis adipisci non poteris. Episcopale munus athletico certamini comparat; quia sicut athletic multa non solum agenda, sed & perferenda sunt; sic & episcopis. Sequitur tertium paradigma.

LABORANTEM AGRICOLAM OPORTET PRIMUM DE FRUCTIBUS PERCIPERE. Bifariam hoc intelligi potest iuxta diuersam cõstructionem. Obuia structura sensum hunc facit: Oportet agricolam laborantem, id est, eum qui nõ segnis fuerit, sed in opere terræ colendæ assiduus; esse primum in percipiendis agri sui fructibus: idque lege quadam naturæ, qua primi fructus debentur cultori. Sic & episcopus, inquit, si diligenter & fideliter in cultura agri Domini laborauerit; in præmio percipiendò primus ac præcipuus erit, & quasdam fructuum laboris sui primitias à Deo recipiet. Hanc constructionem secutus est Syrus interpres, dum ita vertit: *Agicolæ qui la-*

borat,

borat, conuenit vt primum de fructibus suis cibetur. Alij sententiam ordinant hoc modo: Oportet agricolam primum laborantem de fructibus percipere. Id est, Oportet eum prius laborare, ac postea fructum capere. Quod nihilo minus episcopo adaptatur; qui prius laborare debet quàm fructu operis à Deo percipiat. Vterque sensus valet ad exhortationem; sed prior amplius. Nam secunda constructio coactior etiam est, ac pene violenta. Notandum etiam est particulam, *primum*, tam in Græco quàm in Latino, vel vt nomen accipi posse, vel vt aduerbium. Prior acceptio priori constructioni magis quadrat; posterior, posteriori. Porro sunt qui putent eò spectare hæc de agricola similitudinem, vt intelligat Timotheus sibi laboranti non defuturum fructum necessariæ sustentationis, vt pote ex euangelio debitum, etiam si manibus non operetur; vt conueniat hic locus cū illo 1. Cor. 9. *Quonia debet in spe, qui arat arare; & qui trahit, in spe fructus percipiendi*. Sed id præter mētē apostoli; cuius institutum hoc loco est Timothei spe cælestium præmiorum animare ad labores.

INTELLIGE QUÆ DICO. Quonia in parabola locutus est; reuocat eum ad intelligentiam & diligentem considerationem dictorum. Nã veritatem etiã potest: *Cogita, considera quæ dico*.

DABIT ENIM TIBI DOMINVS IN OMNIBVS INTELLECTVM. Græcè modo precatiuo, *Dei enim*. Syriaca lectio ad vtrumque ambigua est: Neque multum refert ad sensum, vtro modo legatur. Secundum Græcos imprecatur apostolus Timotheo, vt Dominus faciat eum intelligere non ea solum quæ dixit; verum etiam alia quæcumque cognitu necessaria. Secundum nostram lectionem promittit Dominum id ei præstiturum; sed intellige, petenti; quia scriptum est; *Petite & accipietis*. Sic enim David precatu est: *Da mihi intellectum psal. 118. & audiuit; Intellectum tibi dabo. psal. 31.* Hic autem oblerua quemadmodum sibi respondeant præceptum & gratia. præceptum enim est; *Intellige*; gratiam significat hæc verba; *Dabit tibi Dominus intellectum*: ne videlicet aliunde quis speret se præceptum, sicut oportet, impleturum, nisi ex dono Dei. Vnde Augustinus lib. 2. contra duas ep. Pel. cap. 10. *Nihil, inquit, in scripturis sanctis homini iubetur à Deo; propter probandum liberum arbitriū: quod non inueniatur vel dari ab eius bonitate vel posci; propter adiutorium gratia demonstrandum*. Sanè hoc ipsum est quod petimus in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua*, id est, Fac nos facere quod præcipis.

MEMOR ESTO DOMINVM IESVM RESURREXISSE EX MORTVVS. *Dominum*, Græca & Syra non habent: Latini quoque codices & commentarij vetustiores non agnoscunt. Ab exhortatione transit apostolus ad doctrinam fidei, idque propter hæreticos qui, inter alia dogmata, resurrectionem mortuorum detrahebant, dicentes resurrectionem esse iam factam; quemadmodum infra declarat. Cum

enim hic fidei articulus ab humano sensu & ab omni priscorum philosophia prorsus esset alienus; factum est, vt statim in ipsis exordijs ecclesiæ contradictores quosdam hæreticos pateretur: qui vel simpliciter eum negarēt, aduersus quos latè differit apostolus 1. Cor. 15. vel, more Platonico, ad allegoricum sensum detorquerent; vt ij contra quos hic agitur. Eam verò fidē apostolus vt stabiliat, studiosissimè tam hoc loco quàm ad Corinthios, inculcat veritatem resurrectionis Iesu Christi; vt per eam, velut exemplar, ostendat etiã omnium nostrum qui Christi mēbra sumus, futuram aliquando resurrectionem. Sicut enim nobis natus est Christus, & nobis mortuus: ita & nobis resurrexit. Dicit ergo Timotheo Paulus; Etsi in vniuersa fidei doctrina à me probè es institutus: illud tamē peculiariter monendus es, propter quosdam fidei corruptores, vt memineris ac diligenter animo verles atque fidelibus tradas hanc veritatem, scilicet Christum Dominum à morte ad vitam resurrexisse.

EX SEMINE DAVID. Refertur hoc nõ ad verbum *resurrexisse*, sed hyperbatò quodã ad *Iesum Christum*; vt sensus sit: Memento Christum verè ex progenie David hominè factum, verè resurrexisse à mortuis. Innuit apostolus, non solum fuisse qui de resurrectione mortuorum, in qua complemētum est nostræ salutis, peruersa docerēt; verum etiã qui fidē incarnationis Dominicæ, à qua eiusdē salutis initium est, prauis opinionibus subruerēt. Cõstat autē nõ tantum ex antiquitatis historia, atque ex ijs quæ scribunt Epiphanius & Augustinus de hæresibus; verum etiam ex epistolis Ioannis apostoli, multos iam tum *seductores existisse qui Iesum soluerēt, negantes eum in carne venisse*; quorum alij corpus ei cæleste tribuebant, alij carnē pharasticam affingebant: Vnde nec verè passum fuisse dicebant, nec verè mortuum, nec verè à morte resurrexisse. Fortè etiam respicit Apostolus ad quorundam Iudæorum calumniã, qui Christi Domini genealogiã impugnabant, tanquã nõ ex Dauide, sed ex alia quapiam tribu aut stirpe natus esset. Qui quidē pessimus error est, fidem Christianam planè destruens. Si enim Iesus non est ortus ex Dauide; non igitur est Messias ille seu Christus in lege promissus, idèque mundi Saluator, quæ ex semine David nasciturum scripturæ prophetice palam docet.

SECUNDVM EVANGELIUM MEVM. Id est, secundum euangelium quod prædico. Sic enim loquitur 1. Cor. 15. de eadem mortuorum agens resurrectione: *Notum vobis, inquit, facio euangelium quod prædicaui vobis*. Et iterum: *Tradidi enim vobis quod & accipi &c.* Ex quibus & alijs locis satis liquet, eos falli qui dicunt Paulum, quoties euangelij sui meminit, de eo quod à Luca scriptum est, sentire. Quam opinionem commemorat, non autem probat Hieronymus in catalogo in Luca. Refertur autē hæc pars ad vtrumque præcedens, scilicet, *ex semine David, & Christum resurrexisse*. Vtrumque enim Paulus cõstater prædicabat. Quãquã videri po-

test ad resurrectionem proprie referendum. Nam & 1 Cor. 15. quum dixisset Christum resurrexisse tertia die, addidit, *secundum scripturas*. Id ipsum patres additum voluerunt in symbolo Constantinopolitano. Confert enim huiusmodi adiectio ad confirmandam fidem articuli creditu summopere necessarij. Nam ut ait eodem loco ad Cor. *Si Christus, non resurrexerit, inanis est ergo predicatio nostra, inanis est fides vestra.*

IN QVO LABORO VSQVE AD VINCVLA, QVASI MALE OPERANS. In Græcis vocabulis *κακοπαθῶ & κακῶς ἔργος*, quæ noster interpretis vertit *laboro, & male operans*; elegans allusio est, quæ sic Latine reddi potest: mala patior tanquam malefactor. Nam lege naturæ mala malis demum reddenda sunt, & pœna peccanti debetur. Itaque sensus est: Cuius euangelij causâ patior afflictiones & persecutiones, vsque ad carcerem & vincula; quasi maleficus quispiam ac facinorosus. Hoc dicit, ut ex suis afflictionibus, etiâ cum infamia cõiunctis, ampliorē fidē euāgelio suo cõciliat. Nemo enim prudēs pro re vana & incerta sustineat affligi, vitæque ac famę periculum subire.

SED VERBUM DEI NON EST ALLIGATVM. Græcè *ligatum, vinculum*. Est enim hic altera non minus iucunda allusio in vocabulis, *vincula & vinculum*. q. d. Ego quidem vincula patior; sed verbum Dei vinculis non astringitur. Corpus meum ligatum est; sed lingua, qua euangelium prædico, non est ligata. Significat, se etiam in carcere non deesse officio propagandi euangelij, seu linguâ seu calamo: & ut ipse impediatur, per alios tamen prædicari Christum, de quo gaudere se testatur ad Philip. 1.

IDEO OMNIA SVSTINEO PROPTER ELECTOS. Ideo, Græcè *propter hoc*, id est, ut euangelium disseminetur, ut verbum Dei currat & clarificetur; omnia dura suffero, nullum refugio labore, idque *propter electos*, id est, eos qui ad salutem ab æterno sunt à Deo prædestinati. Quamvis enim reprobi sint electis in hoc mundo permixti, & eadem officia per ecclesiæ ministros impendantur reprobis; ut doctrina, oratio, exhortatio, correptio, sacramentorum administratio: non tamen hæc propter reprobos fiunt, sed propter electos. Et enim si sciret ecclesia qui sint reprobi; non magis pro ijs oraret quam pro diabolo, ait August. lib. 21 de ciuit. Dei c. 24. & idem iudicium de doctrina ac cæteris officijs memoratis.

Porro si Paulus non sustinet nisi propter electos: igitur nec Christus proprie passus nisi propter electos; idque eo magis, quia Christus patiens, perfectissimè sciebat qui essent reprobi. *Ego scio*, inquit, *quos elegerim*. Ioan. 13. Nec magis dicendum quod pro reprobis patiebatur, quam quod pro illis orabat. *Non pro mundo rogo*, inquit, *sed pro his quos dedisti mihi de mundo*. Ioan. 17.

Iam ex eo quod dicit, *propter electos*, disci-

mus certâ Dei electionē, qua nos ad salutem infallibiliter elegit, ad eò non excludere necessitatem bonorū operum; ut etiâ ea statuatur tanquam media quædam ad ipsam implendâ à Deo ordinata; sicut eandem electionem implet per actiones & passiones ministrorum suorū. Quos utique oportet, cum Paulo, hoc ipsū intēdere in vniuerso suo ministerio; ut qui electi sūt salui fiât. Id enim est quod sequitur.

VT ET IPSI SALVTEM CONSEQUANTVR. Exponit quod dixit, *propter electos*. Vult enim sensum esse, propter electorum æternâ salutē. Huius enim respectu propriè electi vocantur. Nihil ergo vetat quo minus etiâ propter reprobos quædâ fiant à sanctis; ad hoc nimirū ut dona quædam temporaria gratiæ Dei percipiant, velut fidem, pœnitentiâ, iusticiâ; utque saltem ad tempus in bonis operibus exerceantur. Nam & hæc bona Christus illis sua passione promeruit, eademque per suâ gratiam largitur. Sed nihil horum aut Christus fecit aut nos facere debemus, ut illi salutem consequantur: Quin potius ea omnia, sicut in salutem electorum cedunt, ita ad eam à nobis destinari debent. Coniunctio, &, aut redundat (quod non est infrequēs in epistolis Paulinis): aut alios Paulo coniungit. q. d. Omnia sustineo, non solum meæ seu nostrę salutis causâ qui iam fideles sumus; sed & aliorū electorū, nominatim eorū qui adhuc adducendi sūt ad ouile Christi, nō sine nostris laboribus & periculis; ut & ipsi nobis salui fiant.

QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Id est, quæ salus est per Christum Iesum.

CVM GLORIA CÆLESTI. Græcè & Syriacè, *cum gloria æterna*. Quid verò Ambrosianus legerit, ex eius commentariis non liquet. Hæc clausula non ad partem proximè precedentem referendâ est, sed ad superiorem. Explicat enim salutem electorum. q. d. ut salutem consequantur non qualemcunque, sed quæ coniuncta est cum æterna ac cælesti gloria beatæ immortalitatis; cuius vnâ cū Christo participes erunt. Hic rursus innuit resurrectionem tam Christi quam nostram; in qua beatorum gloria consummatur.

FIDELIS SERMO. Hoc, inquit, quod dico de salute electorū, deque participatione gloriæ cælestis, etsi multis incredibile videatur, ac ijs nominatim qui resurrectioni mortuorū contradicunt: res tamen indubitata est ac certissima.

NAM SI COMMORTVIVIMVS; ET CONVIVEMVS. Assertionem explicat & cõfirmat, docens modum consequendæ salutis & glorię promissę. Docet id autem duabus sententijs, quarum prior salutem & vitam ostendit; posterior regnum & gloriam. *Nam si*, inquit, *commortui sumus* Christo in hoc sæculo; procul dubio cum illo etiam viuemus in futuro; non spiritu solum sed & corpore per resurrectionem, sicut & ille resurrexit. Quo sensu dicit *nos commori Christo*, non omnino clarū est. Ambrosianus alijque nonnulli sic intelligunt; Si

moria-

moriatur peccato, que madmodum Christus mortuus est in similitudine carnis peccati; si mortificemus membra nostra quæ super terram sunt: etiam viuemus cum illo: Hic sensus accipit probabilitatem ex alijs locis apud apostolum, maximè ex illo Ro. 6. *Si autem mortui sumus cum Christo; credimus quia simul etiam viuemus cum Christo*. Vbi cõstat intelligi mortuos peccato. Chrysostomus autem eiusque sequaces interpretantur nos Christo commori, dum aduersa, dura & tristia, mortem denique ipsam, si opus sit, pro Christi nomine perferentes, Christo patienti & morienti cõformamur. Quod genus mortis seu mortificationis describitur ab apostolo 2. Cor. 4. cum inter alia dicit: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes; ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris*. Huic Græcorum commentario fauet circumstantia loci præsentis, ac planè respondet quod sequitur;

SI SVSTINEBIMVS; ET CONREGNABIMVS. Græcè & Syriacè, in præsentem, *si sustinemus*, astipulantibus etiam codice ms. Laudenfi, expositore Ambrosiano, & Pelagio. Quam lectionem sensus quoque apostoli requirit. Si, inquit, in hac vita cum Christo toleramus afflictiones, contumelias, cruces, mortes; certissimè futurum est, ut cum illo in futura vita regnemus; gloriæ eius cælestis facti participes. Est enim idē cū eo quod dicit Ro. 8. *Si tamē cõpatimur, ut & conglorificemur*.

SI NEGAVERIMVS; ET ILLE NEGABIT NOS. Dixit ad quos promissio gloriæ cælestis pertineat; nunc docet qui sint ab ea alieni. Sensus est: Si metu mortis aut terrore persecutionis Christum abnegamus; si confessionem nominis eius abijcimus, idque verbo aut facto aut etiam silentio: ipse vicissim nos abnegabit, id est, non agnoscet pro suis; dicturus illud, *Nescio vos*. Matth. 25. Respicere videtur apostolus ad illam domini sententiam: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo & coram angelis eius*. Matth. 10. Lucæ 12.

SI NON CREDIMVS; ILLE FIDELIS PERMANET. Alij vertunt, *Si incredulus sumus*. Nam Græco verbo *ἀπιστέμεν* infidelitas positiva significatur; quæ est eorum qui veritatem auditam recipere nolunt, aut semel receptam deserunt. Quod si, inquit, fecerimus: *ille nihilominus fidelis*, id est, verax & constans in promissis, *permanebit*. Neque enim quorumdâ incredulitas fidē Dei poterit euacuare. Ro. 3. Promisit Deus salutē credentibus & perseverantibus vsque in finē; qui sunt omnes & soli electi: hæc illis omnibus sine dubio præstabit.

NEGARE SE IPSVM NON POTEST. Id est, non potest recedere ab eo quod semel promissit aut statuit; non potest retractare sententiâ. Hoc enim Deo esset *negare seipsum*; cuius natura est veritas. Quares, si hoc nō potest; quomodo est omnipotens? Respondeo: sicut posse peccare, non est posse, sed potentiæ defe-

ctus; ita & posse negare seipsum, & omnino in deterius posse mutari. Certè fallere fidem promissi non est sine mendacio; quod in primam veritatem cadere non potest. Cùm autē apostolus de Christo loquatur, ut ex contextu patet, hinc etiam consequitur, Christū impeccabilem esse.

HÆC COMMONE. Id est, de his quæ iã dixi, frequenter admone fideles tibi commissos; & maximè tuos euangelij cooperarios, scilicet nos victuros & regnuros cum Christo, si cõmortui ei fuerimus & aduersa cum eo sustinerimus: Ipsum verò nos abnegaturum, si nos ab eius cõfessione & fide recefferimus. Ostēdit hoc apostoli præceptū non tam causâ Timothei, quam aliorū qui ab illo admonēdi essēt, superiorē exhortationē scriptā fuisse.

TESTIFICANS CORAM DOMINO, vel cõtestans, ut legit Ambrosianus. Hæc contestatio valet ad terrendū eos quibus fit. Et, secundū nostrā lectionē iungitur parti præcedenti, ut sensus sit: De his admone fratres, cum obstinatione quam facias corā Domino; hoc est, declarans te hæc eos commonefacere corā Christo Domino; qui in iudicio testis esse poterit facti à te officij & vindex admonitionis contemptæ. At verò secundum Græcum & Syriacū textū multò aptius cohæret sequētib;

NOLI CONTENDERE VERBIS. Græcè *μη λογμάχεσθαι*, id est, *non contendere verbis, non pugnare verbis*. Sic enim in priori epistola c. 6. vbi nomen est huic verbo respondens, verit, *pugnans verborum*. Apuleius vno vocabulo dixit, *verbigerari*. Porro secundum id quod nos legimus, ipsū Timotheum monet apostolus ut à pugnis verborum & contentionibus abstineat, ut ne vatur ratione disputandi cõtentiosa & litigiosa. Iuxta Græcam verò lectionē, præcipitur Timotheo quid alios admonere debeat: ut hæc pars connexa superiori sensum habeat huiusmodi; Cõtestans eos coram Domino ne verbis pugnent ac digradientur, ne contentiosè disputēt. Quod tum maximè fit, cū disputando victoria quæritur, non veritas. Verbis enim contendere, est non curare quomodo error veritate cõvincatur; sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. S. Aug. lib. 4. de doctr. Christ. c. 28. Huic Græcæ lectioni & sensui fauet locus quem diximus epistolæ prioris, vbi nō ipse Timotheus admonetur ne pugnas verborum exerceat; sed alij, circa quæstiones & pugnas verborum languentes, reprehenduntur. Quin & verisimile est nostrū interpretē ita vertisse, *non verbis contendere* (Nam hic est verborū ordo in omnibus mss): minimū enim differunt in vetere scribendi modo *non*, & *noli*; ut faciliè inuicem commutentur. Quod autē speculatiua Scholasticorum Theologia nō sit pugna & litigiosa scientia, quæ admodū hæretici calūniantur; ex eo liquet, quod argumentis ac rationibus diligenter collatis atque expēs, studet inueniendæ atque in lucē proferendæ veritati. Quæ sanè vera est ac legitima dispu-

tandi discendi que ratio. A qua quidem longissime absunt hæreticorum contentiosa scripta, strophis, conuicijs & contumelijs referta.

AD NIHIL ENIM VTILE EST, NISI AD SVBVERSIONEM AVDIENTIVM. Græca lectio sic habet: *Ad nihil utile ad subuersionem audientium*. Itaque secundum hanc lectionem, tres voculae, *enim, est, nisi*, redudant. Græci Syra consentiunt. Latinorum autem codicum magna varietas est: Multi & præstantissimi omittunt causalem coniunctionem; Nonnulli etiam carent exceptiua particula; ut non sit probabile interpretem omnino ita vertisse quemadmodum nunc legimus. Sciendum est autem, priorem partem è Græco posse etiam hoc modo verti: *Ad nullum utile, id est, ad nullam utilitatem*; quomodo verterunt Erasmus & Hentenius. Nostra quidem lectio planum habet sensum: At secundum eos codices qui Græcæ lectioni accedunt, ita sermo ordinarî & suppleri potest: *Ne contendant verbis (quod ad nihil utile est) ad subuersionem audientium*. ut subuersio audientium subiungatur tanquam effectus contentionis; per parenthesis autem interponatur, *ad nihil utile*. Quamquam Græca sine parenthesi possunt sic accipi: *Ne verborum pugnas sequantur ad nullam utilitatem, sed ad subuersionem eorum qui audiunt*. Planius eundem sensum dedit Latinus interpres ex Syro; *Ne contendant sermonibus inutilibus, ad subuersionem eorum qui audiunt eos*. In summa, sentit apostolus λογισμαχίαν seu verborum pugnam non solum esse inutilem & fructu carere in eo cum quo disputatur, verum etiam vehementer nocere auditoribus. Turbantur enim ex contentione magistrorum; & vel hæsitare incipiunt de ijs quæ iam tenebant & rectè credebant, & per hoc subvertitur eorum fides; vel studia patrum inter eos excitantur, & accedit illud quod de huiusmodi pugnis verborum idem apostolus scribit in prima epistola, dicens: *Ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemie, &c.* Porro manifestum est apostolum non simpliciter prohibere disputationem cum hæretico, ut visum est nonnullis. Non enim idem est, disputare, quod contendere; sed contentio vicium est disputantis, ut supra dictum est. Contendit enim qui posthabito veritatis studio, suam ex disputatione victoriam, & ex victoria gloriam querit. Unde Græci contentionem φιλονεικίαν vocant, id est, amorem victoriæ. Huic autem vicio plerumque & alterum cohæret, videlicet disputandi modus perturbatus, clamor, iactantia, conuicia, animorum acerbitas; quæ omnia ex improbo vincendi studio proficiuntur. Itaque, remotis huiusmodi vicij, disputatio etiam cum hæretico prudenter & cum fructu poterit institui; sicut B. Augustinum alioque patres interdum fecisse legimus. Qua de re vide B. Thomam in commentario, querentem an submota contentione, licitum sit

coram populo disputare de fide; & respondentem cum distinctione tam ex parte audientium, quam ex parte disputantis.

SOLICITE CURA TEIPSVM PROBABLEM EXHIBERE DEO GRÆCÈ, *Stude teipsum probatum exhibere Deo*. Ipsum iam Timotheum admonet quemadmodum in ministerio suo versari debeat: ac primum, ut se suumque ministerium Deo probare, ei que in omnibus placere, studeat.

OPERARIVM INCONFVSIBILEM. Græcum vocabulum quod interpres vertit, *inconfusibilem*; ambiguum est ad actiuam & passiuam significationem, ut verti possit, *non erubescens*, aut *non erubescendum*. Priori modo sensus est: Cura ut te talè exhibeas operarium, quem ab opere nullus pudor impediatur; qui liberè & profitearis & prædices crucem Christi; cui nec vincula mea pudori sint. Ita Græci exponunt, & quidem congruenter cum eo quod supra monuit apostolus: *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinculum eius*. Consentit & Syrus interpres, dum vertit, *operarium sine erubescencia*. Quin & Augustinus contra Cresconium lib. 1. cap. 2. legit *non erubescens*. Atque ea vocabuli Græci significatio magis est vñtata: quam & noster interpres magis attendisse videtur. dum reddit, *inconfusibilem*, iuxta eum loquendi morem qui est locis infinitis nostræ Latinæ versionis, ubi *confundi*, pro *erubescere* ponitur. veluti Ecclesiastici 4. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam & gratiam*. Quæ Sapientis sententia cum hoc apostoli sensu cõuenit. Quamquam & passiuus sensus haud ineptus est; ut operarius non erubescendus dicatur, qui tam diligens, fidelis & industrius in opere est, ut dominum suum eius non pudeat, sed in eo sibi placeat; ut eum non neget, sed suum agnoscat. Nam ut superius dixit: *Si negauerimus, & ille negabit nos*. Hoc posteriori modo vertit, & in paraphrasi exponit Erasmus.

RECTE TRACTANTEM VERBUM VERITATIS. Græcè ὀρθοτομεύων, id est, *rectè sectantem*: Atque ita recentiores vertunt. Eius vocabuli significationem alij aliter explicant. Theophylactus & Oecumenius Chrysostrorum secuti, metaphoram deducunt à corarijs qui superflua refecant à pellibus quas ad usum parant. Ita aiunt Timotheum, & in eo vnumquemque verbi ministrum, moneri, ut in tradenda doctrina veritatis amputet & abijciat quicquid superfluum, falsum & adulterinum est. Verum huiusmodi resectio min⁹ aptè refertur ad verbum veritatis, in quo nihil est falsum aut adulterinum, nihil etiã superfluum: nisi hoc ipsum ad eius expositionem referatur, ut significetur ab expositione scripturæ sacræ falsos & adulterinos sensus esse resecandos. Quamquam nec ea quadrat explicatio. Non enim de scriptura sacra loquitur apostolus, sed de verbo veritatis, id est, de vera fidei doctrina verbo tradenda. Alij pro-

inde

inde metaphoram sumptam volunt à coquis, quorum est rectè diuidere cibos; aut à patre, qui panem alendis filijs in frustra diuidit, quantum cuique conuenit. Ac si diceret Paulus: Studiosè cura ut auditoribus pro cuiusque captu & conditione panem verbi diuini distribuas. Id quod alibi seipsum fecisse testatur apostolus, ut 1. Cor. 2. & 3. *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos*. & iterum: *Tanquam paruulus in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*. & Heb. 5. *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*. Præter hunc sensum, etiam per commodum, est & alius, fortasse germanior, quem indicat Theodoretus, ita breuiter commentans in hunc locum; Laudamus agricolas qui rectos sulcos profcindunt. Ita etiam magister est laude dignus, qui sequitur regulam diuinorum eloquiorum. Sentit ergo eum rectè sectare seu tractare verbum veritatis, qui doctrinam Christianam (quæ doctrina veritatis est) ea fide tradit auditoribus, ut nusquam deuiet à recto tramite regulæ sibi præscriptæ, quæ est regulæ verbi diuini. Pro hoc sensu facit quod eodem Græco vocabulo vsi sunt Lxx interpres ad rectitudinem viæ significandã: ut Proverb. 11. ubi nos habemus; *Iusticia simplicitas dirigit*, id est, rectam faciet, viam eius. Item quod Paulus Gal. 2. dicens quosdam non rectè ambulasse ad veritatem euangelij, verbum eiusdem compositionis vsurpauit, ὀρθοτομεύων, id est, *recto pede incedere*. Et quidem iuxta hunc sensum bene vertit tam noster interpres quam Ambrosianus, *rectè tractantem*; quemadmodum & Syrus, *rectè predicantem*. Denique huic intellectui cõgruit quod sequitur,

16

PROFANA AVTEM ET INANILOQUIA DEUITA. Coniunctionem, & Græcus, Syrus & Ambrosianus textus non habent; ac superfluum esse (licet in omnes pene codices Latinos irrepserit) satis liquet ex vltimo capite prioris epistolæ, ubi eadem prorsus admonitio est, his interpretis nostri verbis: *Deuitans profanas vocum nouitates*. Nam, verbo excepto, quod hic alij vertunt, *præstermitte*, alij *fuge*; Græca eadem sunt. Vnde & Ambrosianus ita legit hoc loco: *profanas autem vocum nouitates deuita*. Adde quod Græca non admittunt interpositam coniunctionem, ut si Latine dicas: *profanas & vaniloquias deuita*. Cur autem noster interpres in priori epistola; *vocum nouitate*; hic autem, *inaniloquentia*, verterit; illic ratione dedimus, quia nimirum Græcã vocem reperit vnã literulã mutatã; quæ mutatio diuersam hanc efficit significationem. Et eo quidem loco diximus veriorum videri lectionem, *καυνοφωνίας*, id est, *nouitates vocum*, quam & Chrysostrorum, Theophylactus teste, utrobique secutus est, ut & Oecumenius. Sed quia complures Græci codices habent *καυνοφωνίας*, id est, *inaniloquentia*, vel vno vocabulo, *inaniloquentia*; idcirco nec istam lectionem repudiamus. Iuxta quam sensus erit, inanem

& clamorantem loquacitatem doctore euangelico vitandam & profligandam esse; maxime quæ profanos & à vera pietate remotos sensus habeat admixtos.

MVLTVM ENIM PROFICIUNT AD IMPIETATEM. Græcè & Syriacè, *proficiunt*. Quæ & Ambrosiani ac multorum codicum Latinorum lectio est. Græca sic habent: *Ad amplius enim procedent impietatis*. Quod ita vertunt: *Ad maiorem enim proficiunt impietatem*. Dubium est autem, ad res an ad personas referendum sit verbum *proficient*. Cum enim nihil de personis præcesserit; videri potest de rebus accipiendum, hoc modo: Profana inaniloquia deuitanda præcepti, quoniam ipsa dum paulatim irrepunt in animos auditorum, fomentum addunt ad impietatem, semperque maiora capiunt incrementa. Sic plerique. Ceterum Chrysostrorum videtur referre ad personas, dum hunc locum exponens dicit: *Amplius enim proficiunt impij*. Et mox subiungit: *Per hæc ostendit eos emendari corrigique non posse, qui sponte à veritate aberrarunt*. Hanc verò expositionem veriorum esse; multa probant. Primum quia de personis continuo sequitur: *Et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymeneus, &c.* Deinde quia sermo Græcus, *Ad maiorem progredi impietatem*, magis hominum est quam verborum. Accedit quod sequenti capite bis idem verbum de personis dicitur: *Sed ultra non proficient*. & *Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes*. Quæ quidem posterior sententia vice commentarij esse potest ad intelligendum locum præsentem. Nec obstat quod expressa mentio de personis nulla præcesserit. Nam tacite continetur in *profanis inaniloquijs*. Sensus enim erat: *Turcè & ad normam fidei tracta verbum veritatis: si qui verò profanas vocum siue nouitates, siue inanitates proferant, eos ne audias, neque admittas; sed huiusmodi eorum sermones procul abijce & repelle*. Iam enim, sub finem epistolæ superioris, indicauimus non tam moneri Timotheum ne ipse profana dogmata sequatur ac doceat; quam ne alios talia doceret aut proferentes toleret; sed ut totum hoc genus deuitet & à grege suo depellat. Cuius hic ratio redditur ex illorum malicia & nocumto; quia nimirum seductores illi ac peruersorum dogmatum magistri semper ad vltiorem proficiunt impietatem, tam in se quam in auditoribus; videlicet *errantes & in errorem mittentes*.

17

ET SERMO EORVM VT CANCER SERPIT. Multi codices, *serpet*, in futuro legunt, scilicet idem qui *proficient*, in parte præcedenti. In Græco duæ voces sunt *καυνοφώνων ἔσται, passionem habebit*. Similiter in Syriaco; *passionem apprehendet*. Id noster interpres non ite eganter extulit vno vocabulo, *serpet*. Porro *cancer* hoc loco non animalis retrogradi, sed morbi nomen est, qui carnem quam occupauit continuo depascens, semper longius serpit, do-

Cc 4

nec

nec mortem adferat. Græcè γάγγραινα dicitur: tamen gangræna proprie non idem est quod cancer; sed, ut medici tradunt, causâ & celeritate nocedi & periculi magnitudine, à cancro differt. Vnde recentiores quidam interpretes non cancerem, sed gangrænam hoc loco verendum putarunt. Quanquam videri potest apostolus speciem pro genere posuisse, id est, gangrænam pro morbo in morem canceris serpente, & vicina corporis membra depascente, usque dum ipsum hominem extinguat. Certe veteres omnes Latini cancerem legunt: Nec Græci commentatores vocabulum peculiariter vrgent: Interpres quoque Syrus cancerem reddidit. Constat autem hoc velle apostolum; sermonem hæreticorum profana & adulterina docentium, instar canceris aut gangrænae serpente; id est, vim sui veneni inter fideles semper longius diffundere, donec vniuersum alicuius ecclesie corpus, ut ciuitatem aut populum, contagio peruasit, nisi vigilanti pastorum grassanti malo prudenter & celeriter occurrat. Res miserabili experimento notior, quam ut pluribus verbis declarari debeat.

EX QUIBUS EST HYMENÆVS ET PHILETVS. Duorum nomina prodit, qui precipui erant; quo sibi ab illis caueant fideles. De Phileto quidem nihil alibi habemus: Hymenæum verò scribit apostolus in priori epistola cap. 1. à se fuisse traditum Satanæ, simul cum Alexandro; quod prauis sermonibus fidem corrumperent, non sine blasphemia & maledictis: licet eo loco doctrinam eorum non aperiat.

QUI A VERITATE EXCIDERVNT. Græcè, *Qui circa veritatem aberrarunt*, quemadmodum & legit Augustinus epistola 119. ad Ian. cap. 3. Ambrosianus autem, *Qui deerrauerunt a veritate*. Significat apostolus eos à scopo Christianæ veritatis, ad quam collimare debebāt, aberrasse. Tale quid enim Græci verbi proprietates habet, ut diximus ad illud 1. ep. 1. *A quibus quidā aberrantes*. ac rursus, ad illud extremū capituli sexti, *circā fidē exciderunt*. Nam in Græco semper idem verbum est.

DICENTES RESURRECTIONEM ESSE IAM FACTAM. Non expressè & apertè mortuorum resurrectionem negabant, veriti ne statim deprehenderentur: sed obliquè & insidiosè, sicut hæreticis mos est, id faciebant; dicentes resurrectionem mortuorum quam credere nos profiteamur, iam factam esse. Ex quo utique sequebatur eam non esse futuram in fine sæculi, sicut ecclesia credit. Procedeat hic error ex philosophia gentili, quæ resurrectionem corporum assequi nulla ratione valuit. Atque huius vnius erroris exemplo declarant Græci interpretes quam verum sit quod modò dixit apostolus, hæreticos per sua profana dogmata semper ad maiorem progredi impietatem. Nam sublata fide resurrectionis mortuorum; semel vniuersa religio Christiana subuertitur. Si enim

mortui non resurgunt: Igitur neque Christus resurrexit, neque restat iudicium, neque expectatio vitæ futuræ; sed quotquot dormierunt in Christo, perierunt; & alia sequitur absurda quæ Paulus enim erat. 1. Cor. 15. Queritur quo sensu dixerint resurrectionem iam factam esse. Multi dicunt eos docuisse non aliam nobis expectandam resurrectionem quam qua quotidie per liberorum procreationem homines renascuntur & quodammodo reuiuiscunt in filiis. Hanc enim & non aliam resurrectionem agnouerunt Sadducæi, nec non qui multò post sequuti sunt hæretici, Seleuciani; de quibus Augustinus hæresi. 59 *Resurrectionem*, inquit, *non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum*. Alij factam seu completam ex mente istorum, interpretantur resurrectionem, in quotidiana animorum renouatione ac regeneratione à morte peccati ad vitam iustitiæ; ad quam resurrectionem ipse apostolus passim fideles hortatur. Sic Augustinus intellexit epistola iam memorata ad Ian. 119. A quo sensu non multum absunt, qui in baptismo cuiusque factam resurrectionem exponunt. In eo namque, iuxta ipsum apostoli doctrinam Ro. 6. Christo comorimur, ut cum eo resurgamus in nouitate vitæ. Vnde baptismus vocatur etiam lauacrum regenerationis. Tit. 3. & de eo dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu* Io. 3. Refert autem Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 19. nec suo tempore defuisse qui resurrectionem mortuorum manifestè annūciatam, in imaginariam, ut ait, resurrectionem distorqueret; dicentes exinde homines resurrectionem fide cōsecutos cum Domino esse, quū baptismum induerint. Ac de iisdem ita subjicit: Hoc denique ingenio, etiā in colloquijs, sæpe nostros decipere consueuerunt, quasi & ipsi resurrectionem carnis admittat. Quin & Diuus Thomas in commentario testatur etiam sua ætate quosdam hæreticos existisse qui omnia quæ dicuntur in scripturis de resurrectione mortuorum; referrent ad resurrectionem animarum iam in nobis factam, secundum illud apostoli Col. 3. *Si conuerseritis cum Christo, quæ sursum sunt querite*. Quam videlicet Ioannes in Apoc. 20. vocat *primam resurrectionem*. Ad hanc igitur allegoricam resurrectionem revocasse videtur Hymenæus & Philetus intentionem fidelium; ut, quodam pretextu pietatis, à fide veræ resurrectionis eos alienarent: haud multò secus quam Origenes allegorica scripturarum interpretatione simplicem historiam in multis sustulit. Sunt autem & aliæ expositiones erroris de resurrectione iam facta, apud Pelagium, Primasium & Sedulium; etsi minus probabiles. Vna, quod factam dixerint quando restituta est captiuitas Babylonica. De hac enim sub typo resuscitationis ossium aridorum prophetaurat Ezechiel cap. 37. Altera, quod completam in Christo, & illis dumtaxat, de quibus dicitur in euangelio: *Multi corpora*

sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Matth. 27. Tertia, quod compleri quotidie dixerint in palingenesia Pythagoræa, dum scilicet animæ morientium in alia semper corpora migrant, ut quidem Pythagorici tradunt.

ET SUBVERTERVNT QUORVNDAM FIDEM. Græcè & Syriacè, *subuertunt*, in prælæti. Atque ita legit inter Latinos Primasius, & ante eum Augustinus lib. 4. contra Faustū cap. 2. Eadem lectio est in ms. Laudensi. Significat enim apostolus illos adhuc persistere in peruerso studio disseminandi erroris, non sine successu. Vtitur autem vocabulo *subuertendi*, quia sublata fide resurrectionis, velut subtracto fundamento; mox reliquum ædificium Christianæ religionis corrui, ut supra declaratum est.

SED FIRMVM FVNDAMENTVM DEI STAT. Occupatione præuertit obiectionem huiusmodi. Si à veritate exciderunt Hymenæus & Philetus, & aliorum fidem subuertunt, nec subuerrere desinunt; metuendum ne tandem deficiat Christianorum fides & religio. Quamuis, inquit, *quorundam subuertatur fides*: non tamen *fundamentum Dei* subuertitur, sed perpetuò firmum ac solidum consistit. *Fundamentum hoc* variè exponitur. Nonnulli intelligunt decretum diuinæ prædestinationis, siue æternum Dei consilium de salute electorum. Alij librum vitæ. Alij promissiones & testimonia in scripturis posita, quibus illud Dei consilium nobis annunciat & confirmatur. Ambrosianus refert ad fidem promissorum Dei. Sed his expositionibus, quæ pene coincidunt, obstat, quod statim adijcit apostolus, huius fundamenti signaculum esse: *Cognouit Dominus qui sunt eius*, id est, decretum electionis diuinæ. Signaculum autem à re consignata diuersum esse oportet. Rectius igitur alij: qui vel ecclesiam in suis electis, quibus gratia datur immobiliter stadi, quemadmodum Aquinas exponit; vel fidem electorum intelligunt per fundamentum Dei; quemadmodum Græci. Pro quibus facit quod dixerat de fide quorundam subuersa; q. d. Etiam si quorundam fides subuertatur: atram electorum fides quæ est firmum Dei fundamentum persistit. Ipsa quoque ecclesia rectissime firmum ac solidum Dei fundamentum vocatur, quia super petram, id est, Christum, à Deo firmiter fundata, nullis aut Satanæ machinis aut tentationum fluctibus, subuerti potest aut labefactari: Nam etsi quidam ab ea deficiunt; ipsa tamen in suis electis perseverat usque in finem. Vnde Ioannes 1 ep. 2. loquens in persona electorum: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt; sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Sed & alibi passim electis tribuitur stabilitas ac deficiendi impossibilitas. Matth. 24. *Et in errore inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Io. 10. *Oves meæ non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ. & iterum, Nemo potest rapere de manu patris mei. Item Ro. 8. Quis nos separabit a charitate Christi? & infra,*

Certus sum quia neque mors neque vita &c. poterit nos separare a charitate Dei. Ex his admodum fit verisimile, firmum Dei fundamentum intelligi fideles electos; siue, quod idem est, ecclesiam in electis. Nam & de ijs iam superius dixerat hoc eodem capite, *se omnia sustinere propter electos, ut & ipsi salutem consequantur*.

HABENS SIGNACVLVM HOC: COGNOVIT DOMINVS QVI SVNT EIVS. Latinius diceretur per reciprocum, *qui sunt sui*, quomodo citat Hieronymus in commentarijs super Zachariam; aut *qui sunt ipsius*, ut legit Ambrosianus. Ratione adiungit apostolus eius quod dixit, *Firmum Dei fundamentum stare*; quia scilicet impressum habet hoc signaculum siue sigillum: *Cognouit Dominus qui sunt sui*. Testimonium hoc è Deuteronomio sumptum putat Chrysostomus: sed verius est ex Num. 16. citari. Nam pro eo quod ibi Hieronymus ex Hebræo vertit: *Notum faciet Dominus qui ad se pertineant*; Lxx sic habent: *Cognouit Deus eos qui sui sunt*. Quæ verba à Moyse ad seditiones dicta pro se & Aarone, tanquam electis diuinitus ad populi regimen & sacerdotium; Apostolus suo accommodat instituto, quo agit de electis ad vitam æternam. Hos docet firmitatem standi accipere à diuina prædestinatione, significata his verbis: *Cognouit Dominus qui sunt ipsius*. Cùm enim decretum Dei firmum sit atque immobile: stare eos necesse est quos Deus æterno prædestinationis suæ decreto stare voluit; id est, electos: attestante Domino Io. 6. *Hæc est enim voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo*. Vocatur autem hoc decretum *cognitio Dei*, non quod sit nuda noticia futurorum, aut quod prænotionem operis aut consensu alicuius ex parte electorum præsupponat: sed more scripturæ *noticia amoris* & approbationis intelligitur. Sic enim & Christus de ouibus suis, id est, electis loquitur, Io. 10. *Et cognosco meas, & cognoscunt me meæ*. Qui reprobis è contrario dicitur est; *Non noui vos*. Matth. 7. & 25. Porro decretum hoc ab apostolo vocatur *sigillum electis impressum*; vel propter arcanam electionis diuinæ quasi sub sigillo clausum & ab oculis humanis remotam, quia quamdiu hinc viuimus, certo scire non possumus qui ad numerum electorum pertineant: Vel potius, ad significandū robur & firmitatem eiusdem electionis. Ad hoc enim pacta & promissa conscribi, & impresso vel appenso sigillo communiri solent, ut perpetuò rata maneant, nec cuiquam fas sit ea violare.

ET DISCEDAT AB INIQUITATE OMNIS QVI NOMINAT NOMEN DOMINI. Græcè, *Christi*, ut nunc quidem plerique codices habent. Nam veterum Græcorum commentarij testantur eos legisse, *Domini*; quemadmodum & præter alios, nonnullos libros Græcos, habet editio Cōplutensis, & trāslatio Syriaca. Quod verò pro, *nominat*, in quibusdam Latinis, *inuoat*, legitur; non germana lectio est, sed eius

expositio quedam. Loquitur ad eundem modum Lucas Act. 19. versu 13. licet ibi Latine legatur, *innocare nomen Domini*. Hæc apostoli sententia velut alterum fundamenti Dei signaculum à multis accipitur: Aquinas & Caietanus faciunt alteram signaculi partem. Pro utrisque facit quod hæc etiã parte Paulus alluisse videtur ad scripturam eiusdem loci, Num. 16. nimirum ad id quod Moyses dicit populo, *Recedite à tabernaculis hominum impiorum*. Hoc modo, sensus est, ad idem sigillum diuini fundamenti referendam esse obseruationem huius præcepti, *Quicumque nominat nomen Domini*, id est, quicumque Christi se esse dicit, & Christianum se profiteretur, recedat ab iniusticia. Quod quidem si perseveranter faciat, certissima nota est eum esse de numero prædestinatorum, & ad firmum ac stabile Dei fundamentum pertinere. Alij significari putant effectum signaculi, id est, æterni decreti prædestinationis diuinæ. Per hæc enim efficaciter fit ut homo libera sua voluntate discedat ab iniquitate, & in sancta conuersatione perseveret. Verùm nihil prohibet vnum signaculum esse alterius effectum. *Iniquitatis* nomine quidã falsitatẽ intelligit, adducentes illud simile Rom. 2. *Qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati*, id est, falsis doctrinis. Sunt qui referunt ad vitæ turpitudinem, quasi respiciat apostolus ad scholã Simonis, quæ præter absurditatẽ dogmatũ, exercebat infandas libidines. Sed cum significatio vocabuli Græci *ἀσπλαγξία*, scripturarum vsu pateat ad omne genus peccati; non videtur hoc loco ad certam speciem coarctanda; maxime quod apostolus hanc partẽ assignet pro certo electionis argumento, quale nõ est ab vno alio peccati genere discedere, sed ab omni. Cautè sunt legenda quæ hinc & alibi cõminiscitur Catharinus de duplici genere saluãdorũ: quorũdã ex prædestinatione, aliorũ ex libero arbitrio. Est enim hoc eius dogma vnũ ex audacter ab illo pronuntiatis & nouè excogitatis. Notanter autẽ dixit *ab iniquitate*, non *ab iniquis*: quamdiũ enim in hoc sæculo, velut in medio Babylonis, captiui tenemur, ab iniquis hominibus omnino separari non possumus. Quod & apertius sequentia declarant:

IN MAGNA AVTEM DOMO NON SOLVM SVNT VASA AVREA ET ARGENTEA, SED ET LIGNEA ET FICTILIA. Sermo parabolicus est, quemadmodum & superiores de milite, athleta, & agricola: ut hinc etiam locũ habeat id quod supra monuit, *Intellige quã dicitur*. Ceterũ eõ spectat ista similitudo, ne miretur aut conturbetur Timotheus, si videat in ecclesia nõ solũ bonos esse, sed quosdam etiã malos, imò & nonnullos peruersa docentes. Id enim vsque ad eõ mirandũ non esse, ut potius scire debeat ad ordinẽ diuinã prouidentia pertinere, quod malos sinat bonis in ecclesia permisceri; videlicet certis vsibus adaptandos: sicut magni cuiuspiam patris familias est, omni ge-

nere supellestilis ad varios vsus domũ suam instruere. Nam *vasa*, supellestem & instrumenta, Hebræa phrasi, significant. Dicit ergo: *In magna domo*, cuius scilicet ampla sit familia, *non solum sunt aurea & argentea vasa*, id est, preciosa; verum etiã lignea & fictilia, siue vt Græcè est, testacea, id est, vilia.

ET QUADAM QUIDEM IN HONOREM, QUADAM AVTEM IN CONTUMELIAM. *Contumeliam*, pro ignominia posuit interpret. Est autem in Græco vocum affinitas *τιμῆν, ἀτιμίαν*, quam alij Latine reddunt hoc modo, *et alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus*; id est, alia ad honestos vsus accommodata, alia verò ad vsus inhonestos, sordidos ac pudēdos. Hoc multi ita putant accipiendũ, vt prior pars huius membri ad priorem partem prioris mēbri referatur; posterior autem ad posteriorem: id est, vt vasa in honorẽ, intelligantur aurea & argentea; vasa verò in contumeliã, lignea & fictilia. At certè non ita perpetuò res habet in magna & opulenta domo; fit enim sæpe vt à diuitibus preciosa vasa sumantur ad vsus parum honestos. Qua de re festinũ exstat epigramma Martialis in Bassam è vitro bibetẽ, & vetricis o-nus auro excipietẽ. Frequentissimũ est autem & quotidianũ, vt fictilia adhibeantur ad vsus præcipuos, edendi scilicet ac bibedi. Quocirca partes posterioris mēbri promiscuè videtur referendæ ad partes prioris; vt sensus sit ex vtroque genere, tam preciosorum quàm vtiliũ vasorũ, alia quidem ad vsus honestos, alia verò ad sordidos adhiberi. Atque ea sententia est Augustini locis infra citandis & b. Thomæ in commetatio. Idque magis etiam patebit ex accommodatone similitudinis ad rẽ institutã.

Vbi statim quaeritur quid per magnã domũ voluerit apostolus significare. Chrysostomus & eius sequaces mundum intelligunt, in quo boni sunt & mali, quemadmodum & in euãgelio, per agrũ in quo zizania sunt tritico permixta, mundus intelligitur ipso Domino interpretante Matth. 13. Ecclesiã verò posse intelligi Chrysostomus & Theophylactus negant, quod in ecclesia nullum sit vas in contumeliã, sed omnia preciosa, quodque ecclesia sit virgo casta, non habens maculã aut rugam. Eã rẽ alij probant hoc argumento. Sequeretur enim hæreticos esse in ecclesia; quales erant Hymenæus & Philetus, & alij per eos seducti, quorũ occasione hæc ab apostolo dicitur de vasibus alijs in honorẽ, alijs in contumeliã. Veruntamen ecclesiam hinc intellexerunt Cypr. lib. 3. ep. 3. & lib. 4. ep. 2. alijs, ep. 51. & 52. Augustinus Cypriani auctoritate permorus lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 18. & 19. & lib. 4. cap. 12. & lib. 7. cap. 51. Quod & confirmat lib. 2. cap. 12 & 18. Commetator etiam Ambrosij titulo vult Ecclesiã significari, nõ mundũ; sed Ecclesiã intelligit largo quodã modo, prout eos omnes cõplectitur qui Christi nomẽ profitentur, siue Catholici sint siue hæretici aut schismatici; quomodo Pagani dicere solent inter Christianos multas esse se-

ctas diuersarum opinionum. Sed hæc acceptio Ecclesiæ non est cõsætanea scripturis. Porro de mundo expositio minus placet, quod ea non faciat ad institutũ apostoli. Nemo enim miratur aut turbatur quod in mundo sint homines mali; sed quod in ecclesia, adeo vt per maliciam multi eam deserant. Et quidem de huiusmodi agebatur in præcedentibus. Igitur apostolum per magnam domum Ecclesiã voluisse significare, satis manifestum est. Nam & in priori epistola cap. 3. eam appellauit *domum Dei*. Sunt autem in ea non solum vasa aurea & argentea, vt homines ingeniosi, eloquẽtes, egregiè docti, varijsque Spiritus sancti donis, quæ charismata vocantur, ornat; Item episcopi, presbyteri, diaconi: Verũ etiam lignea & fictilia, id est, homines inferioris ordinis & gradus, quique donorũ istiusmodi parum aut nihil habent, vt est vulgus Christianorũ. Denique, horũ omniũ alij corã Deo sunt vasa in honorẽ; alij in contumeliã: id est, alij electi ad gloriã, alij reprobatũ ad opprobrium sempiternũ. Hunc intellectum quoad prius membrum, quod est de vasibus preciosis & vilibus; adiuuat locus 1 Cor. 12. vbi eadẽ ecclesia depingitur velut corpus varijs membris constitũs; quorũ alia præstantiora & digniora sunt alijs, secundum varias functiones quas habent in corpore. Posterioris autẽ mēbrisẽsum aperit nobis alius locus qui est Rõ. 9. vbi Deus alios eligens, alios reprobans, cõparatur figulo qui ex eadem lutũ massã facit aliud quidẽ vas in honorẽ, aliud verò in contumeliã. Iuxta hæc valde probabilem expositionẽ, refelluntur ex hoc loco tam veterum quàm nouorũ hæreticorũ errores, qui vel malos vel reprobos vltos in ecclesia esse negant. Quanquam & ex euãgelicis parabolis apertè reuincantur: cuiusmodi sunt de zizanijs tritico permixtis, & de sagena missa in mare. Matth. 13. deque decẽ virginibus Matth. 25. & de palmite. 10. 15. Nec verò putandũ est Chrysostomũ illis suffragari, cum dicit in ecclesia nihil esse reprobũ aut vile, sed omnia preciosa: Respicit enim Chrysostomus (perinde vt quibusdã locis similiter loquens Augustinus) ad eam ecclesiã portionẽ, cui meritò competit ecclesiæ nomen; id est, ad eos qui viua sunt ecclesiæ membra, partesque eius honorabiles, & (vt ita dicã) per se ad ipsã pertinentes. Mali enim, nisi in bonos conuertantur, tãdẽ ab ea separãdi sunt. Porro ad objectionem quæ de hæreticis mouebatur; respondeo, nihil absurdi esse si fateamur hæreticos quãdiu vel omnino occulti sunt, vel non ita manifesti, quin adhuc in cõtũ fidelium tollerentur, secundum quid, nempe secundũ externã professionẽ, in ecclesia esse. Quod vt dicatur, ipsa ratio cogit. Cõtingit enim hæreticos ecclesiarũ esse prælatos & capita; ac proinde quadã saltẽ ratione mēbra. Nec sanè iurisdictionẽ exercere possent in ecclesia, nisi saltẽm externa professione in ea esset. At dices apostolũ loqui de Hymenæo & Phyleto, quorum Hymenæus iam dudum erat propter hæresim

excõmunicatus, vt pote ab ipso Paulo Satanæ traditus. 1. Tim. 1. Respondeo, Pauli hæc esse sententiã: Hymenũ & Philetũ, quo tẽpore adhuc occulti erãt hæretici in ecclesia quodammodo fuisse, velut in magna domo vasa cõtumeliã, donec per manifestationẽ hæresim inde recederet, aut excõmunicatione pelleretur: ac de ea re, quod nimirũ mali, imò & hæretici quidã sint in ecclesia, nos mirari non debere. Potest etiã responderi, nõ tã propter Hymenũ & Philetũ adductã ab apostolo similitudinẽ magnẽ domũ; quã propter alios, quorũ fidẽ ab illis subuersã dixit. Hi enim aut spe correctionis, si nõ esset pertinaces, aut quod nõdũ esset satis manifesti, poterãt adhuc in ecclesia tolerari.

SI QVIS ERGO EMVNDAVERIT SE AB ISTIS, ERIT VAS IN HONOREM. *Ab istis*, quod referendum sit, variant interpretes. Græci referunt ad vasa lignea & testacea; confundentes ea, quemadmodum supra dictum est, cum vasibus quæ sunt in contumeliã: vt sit sensus; Si quis à malis hominibus, id est, ab eorũ vicij, velut sordibus quibusdã, sese purgauerit; erit vas in ecclesia preciosũ & honorificũ. Sed notandũ est, non dicere apostolũ, erit vas aureum & argenteum; sed vas in honorẽ: vt vel hinc conijcias ista apostolo non esse eadẽ. Alij pronomen, *istis*, ad hæreticos referunt, quales erant Hymenæus & Philetus, quorũ sermonẽ dixit vt cancerem serpere; vt hoc etiam loco videatur apostolus alludere ad historiam Num. 16. vbi præcipitur vniuerso populo vt separaretur à tabernaculis impiorũ. Atqui Caietanus ad *profana inaniloquia* refert: quod certè verisimilius est. Vix enim vsus loquendi patitur vt quis ab hominibus expurgare se dicatur: vltatissimus autem sermo, à vicij sese emundare. Quare sensus est: Quicumque purũ sese præstiterit à profanis hæreticorũ doctrinis ceterisque vicij (Nam in specie genus intelligitur) idque perseveranter fecerit; *erit vas in honorem*, id est, assumetur ad vsum honorificum, quia cõsequetur honorẽ gloriæ cælestis, ad quam erat prædestinatus. Hæc enim parte apostolus prædestinationẽ, per *vas honoris* significatã, pro effectu posuit, eoque præcipuo, id est, vita æterna; quam & Rom. 2. nomine *gloriæ & honoris* expressit. Qua metonymia videtur etiam ecclesia, quando Deũ orat vt *nos in electorum suorum tubeat grege numerari*; vtque *nomina omnium fidelium beate prædestinationis liber ascripta retineat*. Petit enim vt ad salutem æternã perducatur; quæ prædestinationis effectus. Vnde malè ex hoc loco nonnulli probare nituntur prædestinationem esse ex operum præuisione. Non enim aliud hinc innuitur, quã prædestinationis effectus ita inter se esse coordinatos, vt prior posterior sit meritum, & posterior merces prioris.

SANCTIFICATVM, ET VTILE DOMINO. Quidã continuò legunt, *erit vas in honorẽ sanctificatum*, minus rectè. Nam apostolus hinc & alibi absolutè nominat vasa in honorẽ, & in contumeliã. Igitur post illud, *honorem*, hy-

postigme ponenda; q. d. erit vas in honorem, ut pote sanctificatū & vile Domino. Videtur enim datus Domino, referendus ad virtūque nominatiuum præcedentem. Sanctificatum Domino, quia expurgatum à sordibus viciorum, & per hoc Deo cōsecratum. Vile autem Domino, non quod Deo propriè utilitatē aliqua adferat (neque enim boni quicquā Deo potest accedere) sed quia vobis Domini sic accommodat. Sic enim ex Græco vertunt alij, Domini, videtur Christū intelligere. Is enim est Dominus ac herus (Δεσπότης est Græcè) huius magnæ domus; cuius omnia vasa vobis eius feruiunt. Quanquam hac parte quod ait, vile Domino, id est, accommodum vobis Domini, nō quomocūque vult intelligi (siquidē Deus etiā malis virtut): sed, per opera bona quibus & suæ & aliorum saluti ac necessitati, ad Deigloriā, subferuiat. Hoc enim sequitur.

AD OMNE OPVS BONVM PARATVM. Alij vertūt, preparatū. Nō quod in Græco sit præpositio; sed vt liqueat, paratum nō esse nomē, sed participiū; nec significari promptū, sed à Domino paratū & adornatū in hūc vsū. Preparat autē Dominus hominē ad omne opus bonū, id est, ad factā in operibus bonis cōuersationē: preparat, in quā, vel per gratiā singula bona opera præueniētem; Quid enim habes quod non accepisti? 1 Cor. 4. vel, quod magis habet apostolica phrasis, per æternā prædestinationem. Creati, inquit, in operibus bonis, quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus. Ephes. 2. Quo sensu etiam Rom. 9. dicitur vasa misericordiæ præparasse in gloriam, scilicet ab æterno. Sicut enim gratiā & gloriā dat in tēpore, iuxta illud psalmi 83. Gratia & gloriā dabit Dominus; ita vtramque dandam ab æterno præparauit. Ex his autem facillē potest intelligi, quomodo locus hic nō aduersetur præcepto Saluatoris iubentis vt etiam postquā fecerimus omnia quæ præcepta nobis sūt; dicamus, Serui inutiles sumus Luca 17. Nam vtique ex nobis ipsis inutiles sumus, idque semper agnoscere debemus; sed viles per gratiam Dei nos ad omne opus bonum præparantis.

IUVENILIA AVTEM DESIDERIA FYGE. Redi ad exhortationē Timothei, monetque eum tanquam iuuenem, vt iuueniles concupiscentias atque affectus fugiat. Quod præceptum etsi generale sit ac videri possit ad desideria libidinum ac voluptatum carnis fugienda, potissimum spectare, quod ijs ætas iuuenilis vt plurimum esse soleat obnoxia: si tamē & personam Timothei, qui abstinentissimus erat, & præsentis loci circumstantiam attendamus; magis apparebit apostolum respicere ad vicia quædam animi, velut superbiam, animositatem; contentionem, inanem gloriā, temeritatem atque immodestiam; quibus laborare solent iuuenes, qui aut præsumunt alijs, aut docendi ac disputandi munus susceperūt; qualis erat Timotheus episcopus. Id etiam apparet ex subiunctis virtutibus, quas iuuenilibus desiderijs opponit:

SECTARE VERO IUSTICIAM, FIDEM, CHARITATEM. Iusticiam, quæ neminem lædit, sed vnicuique quod suum est tribuit; Fidem, quæ sine curiosa disquisitione recipit mysteria à Deo reuelata: Charitatem, quæ non æmulatur, non inflatur, nō est ambitiosa, nec quæ sua sunt quærit, sed quæ aliorum.

ET PACEM CVM IIS QUI INVOCANT DOMINVM DE CORDE PYRO. Id est, cum veris Dei cultoribus. Nam Deum inuocare cum puritate & sinceritate animi, præcipua pars est cultus diuini. Non, inquit, moneo vt cum Hymenæo & Phileto, & id genus hominibus, amicitiam iungas, aut pacem habeas; Debent enim qui tales sunt, episcopum sentire moribus ac doctrinis suis aduersarium: sed ijs amicū & pacatū te præsta, qui Deū purè colunt. Hic obijciat aliquis illud psalmi 119. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, & illud apostoli Heb. 12. Pacem sequimini cū omnibus. Verum nulla est repugnantia. Nam huiusmodi generales sententiæ ex alio loco apostoli exponendæ sunt, hoc modo: quantum in me, & quantum in vobis. Ita enim scribit ad Rom. 12. Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus, pacem habentes. Sciendū quoque, sicut admonent B. Thomas & Caietanus, hanc partem, cum ijs qui inuocant &c. construi posse cum verbo, sectare; vt hic sit sensus; Tu virtutes istas sectare cum ijs qui sincerè Deum inuocant. Sunt enim virtutes omnibus pijs communes. Hæc cōstructio probabilis est, & secundum eam cessat obiectio allata.

STULTAS AVTEM ET SINE DISCIPLINA QVÆSTIONES DEBITA. Græcè, reijce. Quodque interpret vertit, sine disciplina, Græcè est, indisciplinatas, quod Latini apud Ambrosianum legitur, ineruditas. Vocat autem apostolus stultas & ineruditas quæstiones, ex quibus ad veram sapientiam & Christianam doctrinam, nulla fit accessio. Quas proinde velut inutiles, ineptas, & frivolas respui vult ab episcopo, vt eas neque ipse ageret, neque ab alijs agitari sinat. Quanquam videri potest apostolum etiā ad insanas & monstrosas quæstiones respicere, quas plurimas parturiebat schola Simonis.

SCIENS QVIA GENERANT LITES. Græcè μάχας, pugnas, scilicet verborum, quas nimirū c. 6. prioris epistolæ cōposita dictione λογομαχίας appellauit. Vna quidem causa fugiendi stultas & indisciplinatas quæstiones, quod sint inutiles: Sed altera grauior, quod rixas & contentiones pariant, non sine dispendio pacis & charitatis Christianæ. Sic enim fere cōparatum est vt maioribus animis & ardētiori studio digladietur homines de ijs quæ minus ad pietatem habent momenti.

SERVVM AVTEM DOMINI NON OPORTET LITIGARE. Græcè, pugnare. Sed sensum expressit interpret. Qui enim litigat, verbis pugnat. Non hic disputatio dialectica damnatur; sed vicia malè & non dialecticè disputantium

corriguntur; vt sunt rixæ, cōtentiones, maledicta. Alioquin ipse Paulus sæpe cum Iudæis & gentilibus disputauit, vt ex Actis & epistolis eius manifestum est. Quin & in præsentī instructione Timothei, valde dialecticè procedit: Sic enim argumentatur: Strixit & indisciplinata quæstiones parit lites; at seruum Domini non oportet litigare; ergo tibi seruo Domini fugiendū est id genus quæstionum. Et propositiōne quidem ab experientia manifestā relinquit. Assumptio verò tacitam sui probationem includit, eamque huiusmodi: Seruū oportet imitari Dominū suū: Atqui Dominus non est dissensionis Deus, sed pacis, 1 Cor. 14. ergo seruū eius alienū esse oportet à dissidijs, pugnisque, verborū. Per Dominū hīc & in superioribus nihil verat Christū intelligi; quæ apostolica scripturæ passim Dominū nostrū vocat, vt & nos eius seruos, videlicet iure redemptionis: tæsti Timotheū seruū Domini vocat apostolus non ea generali significatione, sed quod esset Christi minister in tradēda euāgelij doctrina & mysterijs dispensandis. Quod episcopis & pastoribus propriū est; secundum illud 1 Cor. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Patet hoc ipsum ex ijs cōditionibus seu virtutibus, quas cōsequēter à seruo Domini exigit:

SED MANSVETVM ESSE AD OMNES. Græcè, ἡπιον, id est, lenē, placidū, humanū erga omnes. Conuenit hoc cū eo quod posuit inter virtutes episcopi, 1 Tim. 3. Non percussorē, non litigiosum, sed modestū. Quod ait, ad omnes, intellige quantum ad animi præparationē attinet. Nam etsi mansuetudo semper animo retinenda est; non semper tamē & vbi que opere declaranda; sed tēpore & loco opportunis. Est enim cū episcopus arguere quosdā debet cū imperio, & durè increpare. Tit. 1. & 2. idq; exēplo Christi, ac prophetarū & apostolorum eius, qui in homines criminosos & hypocritas, interdum acerbissimis sermonibus inuecti leguntur.

DOCIBILEM. Græcè διδασκάλον, id est, idoneum ac prōptū ad docendum, quicquid docere malit quam cogere. Vox eadem quā 1 Tim. 3. vertit doctorem. Quare qui docibilem passiuè interpretantur, id est, eum qui doceri paratus est, siue quemadmodum Cyprianus exponit in epistola ad Pompelianum, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis; manifestè falluntur. Quanquam oportet, vt ibidem bene monet Cyprianus, episcopum non tantū docere, sed & discere: quia & ille melius docet, qui quotidie crescit & proficit, discendo meliora. Quod & Augustinus ex Cypriano cōmemorat, laudatque: lib. 5. de baptismo cōtra Donatistas c. 26.

PATIENTEM. Græcè ἀνελεγχτον, id est, tolerantem malorum, quod aliqui de rebus interpretantur, vt scilicet aduersitates & persecutiones patienter ac forti animo ferat. Alij ad personā referunt, hoc modo: tolerantem homines malos & improbos; nō ita quidem vt eorum vicia palpet episcopus aut dissimulet; laudatur enim angelus Ephesi,

quod malos sustinere non posset, Apoc. 2. sed vt eos, quamuis à veritate auersos ac proteruos, mansuetudine vincat, si qua spes sit eorum salutis. Huic sensui planè congruunt sequentiā;

CVM MODESTIA CORRIPIENTEM EOS, QUI RESISTVNT VERITATI. Datus, veritati, additus est vel ab interprete, vel potius à scribis, quod videretur aliquid tale deesse, aut certe assutus ex capite sequenti, vbi dicitur: ita & hi resistunt veritati. Nam Græcè & Syriaca non agnoscunt, vt nec Græci commentatores, & inter Latinos Ambrosij titulum habens, alijque nonnulli. In multis etiā mss. bibliorum codicibus non legitur. Ambrosianus ita legit: Modestè corrigentem eos qui diuersa sentiant. Similiter & Augustinus indicat se legisse lib. de corrept. & gratia cap. 5. Verus Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. Cum modestia corrigentem eos qui resistunt: ne quando &c. Græca sic ad verbum: In mansuetudine erudientem siue corripientem (nam vtrumque significat verbum Græcum) eos qui contrario affectu sunt animo. Videtur autem huic loco potius quadrare, erudientem. Prius enim docendum est & errati conuincendus qui veritatem adhuc ignorat, quam corripendus vt pœnitentiam agat. Vult ergo Apostolus episcopum esse talem qui doctrinā ipsius aduersantes aut diuersa sentientes non statim repellat, aut asperioribus verbis excipiat; sed cum mansuetudine doctrinam impendat ijs salutarem, adhibita etiam correptione pœnitentiæ; ex qua intelligant episcopum ex animo studere ipsorum emendationi & salutē.

NE QUANDO DET ILLIS DOMINVS PŒNITENTIAM. Pro, nequando, melius diceretur, si quando; quemadmodum habet textus comment. Ambros. Siquidem eam vim nunquam habet Græcum ἡσυχον. Et huic quidem loco negatio profus non conuenit. Vult enim Apostolus eos qui resistunt, cum modestia corripere, ob spem conuersionis eorum, tametsi non admodum adhuc apparentis. Hoc est quod ait: Si quando, vel si forte det ijs Deus pœnitentiam. q. d. Etsi vix sperari potest eorum conuersio, propterea quod in errore videantur obfirmati; tentandum est tamen, si fortè per doctrinam & correptionem abhibitam foris sicut oportet, Deus in cordibus eorum operari dignetur, fidem ac pœnitentiam inspirando. Primum, hinc ostenditur pœnitentiam seu conuersionem peccatoris esse donum & opus Dei. Quod quidem à Græcis expositioribus Chrysofomo, Theophylacto & Oecumenio diligenter annotatum est. Deinde docet hic locus Deum ad conuertendum peccatores vti velle operā hominum, qui externum adhibeant ministerium correptionis & doctrinæ; quod totum tamen, quantumcunque doctè & commodè fiat, frustra fit & sine fructu, si Deus per gratiam suā intus non operetur: vti pulchrè docet

Augustinus loco citato de correptione & gratia, c. 5.

AD COGNOSCENDAM VERITATEM. Græcè, *Ad agnitionem veritatis*. Non hoc dicit, quasi pœnitentia præcedat agnitionem veritatis; Prior est enim in hominis iustificatione fides quàm pœnitentia: sed sensus est; Si quando det illis Deus vt agant pœnitentiam cognita veritate. Pœnitentiam intellige de errore & infidelitate quâ detinebantur.

26

ET RESIPISCANT A DIABOLI LAQUEIS. Verbum Græcum propriè significat *redire ad sobrietatem*: verùm frequenter ad animum transfertur, vt idem sit quod *ad sanam mentem redire*; quemadmodum vertit Hentenius. Hæc pars ex præcedenti certissimè consequitur, argumento à relatis. Nam sicut fieri non potest vt Deo mouente, res non moueatur; ita nec fieri potest vt Deo dante pœnitentiam; homo eam non accipiat. Id autem est *resipiscere*. Quod verò addit, *à diaboli laqueis*, vel vt in Græco est, *è diaboli laqueo*; significat hominem in potestate diaboli teneri, donec Deo pœnitentiam dante resipiscat. Vnde sequitur:

A QVO CAPTIVI TENENTUR AD IPSIVS VOLUNTATEM. Quidam codices habent *capti*. Quibus astipulantur Ambrosianus & Primasius. Idq; Græco textui consentaneum est, qui sic habet: *Capti ab eo ad illius voluntatem*. Sed sciendum est Græcum participium non simpliciter significare *captos*, sed *viuos captos*, ac propriè dici de feris quæ venatu coguntur in laqueos aut retia, vt viuæ in manus veniant. Ita diabolus suarum tentationum laqueis homines viuos capit (neque enim occidere permittitur), & captiuos tenet sub sua potestate: quia *qui facit peccatum seruus est peccati*, cuius regnum penes diabolus est. Neque potest ab ea captiuitate liberari, nisi fortior superveniens, id est, Christus Dominus, per suam gratiam soluat eum, & eripiat. Sed dicit aliquis: Si captiuus tenentur peccatores ad voluntatem diaboli; quomodo contra eius voluntatem soluuntur à Christo? Item, si ad voluntatem diaboli in peccato tenentur; quomodo remanet in eis liberum arbitrium? Denique, quomodo non in omni opere peccant, cum diaboli voluntas non sit nisi ad peccatum? Responderi potest, eos de quibus Apostolus loquitur, non ita captiuos à diabolo teneri ad eius voluntatem, vt quicquid vult faciant, & eo renitente liberari non possint; sed quia dum captiuus sunt, eius voluntati obsequuntur proficiendo de peccato in peccatum; licet ei non obsequantur in omnibus. quandoquidem nec qui Deo seruiunt, omnia faciunt ad eius voluntatem. Nam *in multis offendimus omnes*. Cæterum verior & expeditior responsio est, in verbis Apostoli, non diaboli, sed Dei voluntatem intelligi. Sensus enim est, illos veritatis aduersarios à diabolo teneri captiuos, ad

Dei voluntatem, id est, quamdiu Deus voluerit; cuius voluntati nec diabolus resistere potest: ideoque cum modestia corripiedos esse, si fortè Deus miscatur & pœnitentiam illis inspiret, ac vinculum duræ captiuitatis soluat. Hunc sensum planè confirmat, quod in Græco non est *αυτῷ, ἑαυτοῦ*; sed *ἐκείνῳ, ἑλλένῳ*; quæ demonstratio non ad proximum referenda est, sed ad remotum, maximè ex vsu Græci pronomini. Atque ita Theophylactus exponit; licet etiam alterius sensus meminerit. In eandem sententiã citat hunc Apostoli locum Gelasius papa, in epistola ad episcopos Pícenos scripta; dum loco eius, *ad ipsius voluntatem*, ponit hæc verba, *sententiã diuini iudicij*. Pertinet enim ad iustum Dei iudicium, quod peccatores siue ad tempus siue in perpetuum captiuus relinquantur sub potestate diaboli.

S V M M A R I V M.

P Radicit exortiuos falsos & impios Doctores; à quibus admonet cauendum. Hortatur Timotheum vt quam ipse ei tradiderat doctrinam seruet, & vt sacris literis det operam.

C A P V T III.

HOC AVTEM SCITO, QVOD IN NOVISSIMIS DIEBUS INSTABVNT TEMPORA PERICVLOSA. Prophetia est apostolica, spectans eodè quòd superiora. Nam ne Timotheus seu quisquam alius miteretur aut offendatur quòd in ecclesia mali, improbi, & hypocritæ multiplicentur; præmonet hoc ipsum futurum. Non enim de ijs qui planè foris sunt, loquitur, sed de ijs qui, saltem externa professione, in ipsa ecclesia sint futuri, vt ex sequentibus est manifestum. *Dies nouissimos*, siue vt alij vertunt, *extremos*, Hebræa phrasi vocat, non eos solùm qui futuri sunt in fine sæculi, sed in genere tempus futurũ, siue breui, siue in longinquũ. Nã quod hîc prædicatur, etiã ad Pauli & Timothei tempora pertinet; dicit enim Timotheo, *Et hos denota*. Sed & alia subiicit quæ probant dies illos non longè abesse. Quæ de re nonnulla iã diximus ad illud 1 ep. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide*. Vt autè Hebraismũ subesse intelligas; ita Iacob ad filios suos Gen. 49. *Congregamini*, inquit, *vt annunciet qua ventura sunt vobis in diebus nouissimis*. vbi tamè multa prædicat quæ lógè ante Christi aduentũ impleta sunt. Itè Daniel ad regẽ Nabuchodonosor: *Est*, inquit, *Deus in celo reuelas mysteria, qui indicauit tibi qua ventura sunt in nouissimis temporibus*. Dan. 2. Quod tandem repetit his verbis: *Deus magnus ostendit regi qua ventura sunt postea*. Ita Lucæ 14. *Incipies cū rubore nouissimũ locum tenere*. Vide quæ diximus ad illud 1. Cor. 15. *Nouissimus Adam in spiritum vniuersificantẽ*. Tèpora periculosa Græcè *καιρῶν χαλεπῶν*, tempora

tempora dura, acerba, difficilia. His enim modis vertunt alij interpretes. Tribuuntur autem tempori istiusmodi epitheta metonymicè, propter ea quæ in tempore cõtinentur; maximè propter hominũ mores ac studia. Sensus est: Vt ne turberis quum vides errorum magistros, quales Hymenæus & Philetus, suboriri in ecclesia: in vniuersum scire te volo, periculosa & pessima tẽpora instare. Id declarat verbis sequentibus, quibus corruptissimos hominum quorundã in ecclesia mores futuros describit; eo quidẽ ordine vt prius agat de malis in genere, deinde de falsis doctoribus.

2

ET ERVNT HOMINES SEIPSOS AMANTES. Græcè, *Erunt enim homines φιλαυτοί*, id est, *amantes sui*. Hoc viciũ primo loco ponit, quia cæterorum fons est & origo. Quod non solũ Augustinus in opere de ciuitate Dei grauitè restatum reliquit, statim in principio; verũ etiã Plato philosophus censuit. Non quidem simpliciter vituperabile est seipsum amare; quin verò iubetur quisq; diligere proximum sicut seipsum; Amat enim, qui bene cuiquã vult & bene facit; Hoc in primis sibi quisq; debet, deinde proximo: Sed *sui amantes* hîc dicuntur, quos alibi vocat quærètes quæ sua sunt; id est, eos qui priuatis student cõmodis, posthabita salute & vtilitate aliorũ. Vnde Ambrosianus legit cū exclusione, *sui tantũ amatores*. Quidã exponunt de amantibus seipsos secundũ exteriorem hominem, id est, secundũ vitam sensitiuã; sed præter mentẽ scripturæ; quæ amãtes seipsos, & quærètes quæ sua sunt, opponit quærētibus ea quæ sunt aliorum, & quæ Iesu Christi. Quare phrasis hæc exponenda est, sicut dixi, de amore inordinato quo bona priuata cõmunibus anteponuntur; quemadmodũ & Augustinus in regula exponit illud 1. Cor. 13. *Charitas non quærut qua sua sunt*. Adde, quod amor iste peuerfus sæpe non est secundũ vitã sensitiuã; vt in diabolo, qui propriã gloriam quærut; & in homine quatenus hæc in re diabolus imitatur. Nam superbiæ vicium completur in interiori homine. Denique, seipsum amare secundũ vitam sensitiuã non est malum, nisi fiat inordinatè.

CVPIDI. Græcè *φιλάργυροι*, id est, amantes pecuniarum, vno vocabulo, *auari*.

ELATI, SVPERBI. Pro *elatis* Ambrosianus *insolentes* legit. Græca vox significat fastuosos, arrogantes, iactabundos. Itaque differũt hæc duo quæ apostolus coniunxit tam hoc loco quã Rom. 1. quòd alterũ sit alterius causa. Nã à superbia latente in animo, procedit fastus & arrogantia in verbis & moribus externis.

BLASPHEMI. Latine *maledicti* seu *contumeliosi*. Hoc quãuis multi exponãt de maledictis in Deum prolatis; Græci tamen vocabuli significatio generale est, etiam in scripturis: quòd & alibi admonuimus. Nota sunt autem hæreticorum insana maledicta & contumeliã in Catholicos.

PARENTIBVS NON OBEDIENTES. Græcè *ἀπειθεῖς ἰνασσίβητος*. Quod hoc loco rectè ver-

tunt, *inobedientes, imtorigeros*. Interim ex specie genus colligendum est. Huc enim pertinent quicunque præfectis suis qualibuscunq; modò veris; obedire detrectant. Id quod Syriaca versio significat: *Hominihus suis non obtemperantes*. Idem vicium habes inter ea quæ commemorantur Rom. 1.

INGRATI. Vel hinc conijcere licet quàm graue sit vicium ingratitudo, quòd eam Paulus annumeret ijs peccatis quæ reddunt tempora periculosa.

SCLESTI. Græcè *ἀσέβητοι*, id est, *profani, nefarii*, siue vt habet Ambrosianus, *impij*. Ita Græcis vocantur, qui recti & sancti nullam habent rationem, quo minus audeant qualibet mala perpetrare.

SINE AFFECTIONE, SINE PACE. Hæc duo quoque vicia ad Rom. 1. recenset apostolus & coniungit. *Sine affectione*, Græcè *ἀσπρόστοι*, qui nullo tanguntur affectu amoris erga proximos, ne eos quidem ad quos amandos maximè natura solet incitare; vt parentes, liberos, vxorem, cognatos. *Sine pace*, Græcè *ἀσπονδοί* (quod ad Roman. dixit interpretes, *sine fœdere*) vel ij dicuntur, qui pacta non seruant, id est, fœdifiagi, perfidi; vnde Ambrosianus legit, *sine fide*; vel qui sunt implacabiles, nec reconciliationem admittunt. Vtrumque vox Græca significat.

CRIMINATORES. Græcè *διὰβολοί*, id est, *calumniatores*; qui mendacijs & confictis criminibus aliorum innocentiam vexant. Ab hoc vicio cacodæmonum princeps nomen accepit.

INCONTINENTES. Alij vertunt *intemperantes*. Verùm Aristoteles lib. 7. Moral. capit. 1. & sequentibus, inter incontinentem & intemperantem quod ad Græca vocabula attinet, distinguit; quòd incontinens vincitur à vehementia passionum, intemperans peccat ex habitu, ideoque peior est incontinente. Sed cum philosophus ipse fateatur illa duo sæpe confundi: rectè, cum Chrysostomo, eos hîc intelligimus generatim significari, qui in quocunq; genus carnalium voluptatum sese effundunt; siue consuetudine id faciant, siue à passionibus superati.

IMMITES. Græca vox etiam significat inhumanos, & feros bestiarum more.

SINE BENIGNITATE. Græcè *ἀφιλάγατοι*, q. d. non amici bonis, pro quo Ambrosianus, *bonorum inimici*. Syrus, *bonorum osores*. Quibusdam placet per liptorem significari omnium bonorum hostes; siue ad personas referatur, quod noster fecit interpretes; siue ad res & opera, iuxta illud Tit. 1. *ad omne bonum opus reprobi*. Tamet si de personis probabilius accipitur; vt ij significantur qui ob morum discrepantiam abhorrent ab amicitia bonorum, eosque oderunt. Vide quæ diximus in illud Tit. 1. *Benignum*, Græcè *φιλάγατον*.

PROBITORES. Græci interpretantur, *amicitia desertores*. Quo in genere pessimi sunt qui instar Iudæ proditoris amicos ac bene

meritos periculis vitæ abijciunt.

PROTERVI. Græcè, *προτερείς*, *præcipites* siue *temerarij*; qui feruntur quocunque rapit imperus cupiditatum. Quâquam etiam proterui Græco vocabulo significantur.

TYMIDI. Id est, *inflati præ superbia*. Significantur ij qui sibi placent, & alios despiciunt, propter opinionem excellentiæ quam de se ipsis animo conceperunt.

ET VOLUPTATIVM AMATORES MAGIS QVAM DEI. Græca iucundius sonant, propter respondentes sibi compositas dictiones. Erasmus ita reddit: *Et voluptatum amantes potius quàm amantes Dei*. Faciunt id quicunque suis voluptatibus Dei voluntatem & præcepta postponunt. Peculiariter autem id quadrat in familiam Simonis, turpitudine voluptatum infamem. Certè Epiphanius in hæresi 26. affirmat hæc ab Apostolo dicta propter Gnosticos. Nam ij quamuis hoc nomen postea sibi imposuerunt, tamen similia cum Simone docuerunt. Incipit enim nunc Apostolus descendere ad depingendos eorum mores qui falsa docturierant.

HABENTES SPECIEM QVIDEM PIETATIS, VIRTUTEM AVTEM EIVS ABNEGANTES. Græcè *infiati*. Est enim præteriti temporis participium. Alij sic vertunt, *Sed qui virtutem eius abnegarunt*. Virtutem autem, seu vim dixit pro veritate. Nam veritas naturæ rei cuiusque ex vi & operatione deprehenditur. Porro quod nos habemus, *speciem*, Græcè est, *μορφή* *formationem*. Ambrosianus legit *formam*. Quod quidem plerique, tam Græci quàm Latini, de specie, imagine, similitudine pietatis, velut contra hypocritas dictum interpretantur, prout nostra versio sonat; vt sensus sit: Verbis & cultu præ se ferunt pietatem; quam in veritate non habent, imò à qua sunt vsque aded alieni, vt abnegasse eam & abiurasse videantur. Haud secus atque statua lignea aut lapidea figuram habet hominis aut leonis; cum re ipsa nihil sit minus quàm verum animal. At verò, si Græcam vocem pressius vergeamus, quæ non figuram aut speciem, sed vt dixi formationem significat, videbitur Apostolus eos notare qui quid facto opus sit, pulcre alijs præscribunt, cum ipsi minimè ea præstent; iuxta id quod Dominus dicit de Scribis & Phariseis Matth. 23, *Dicunt & non faciunt*. Et iterum: *Digitum suum nolunt ea mouere*. Nam *μόρφωσις* apud Græcos significat instituendi formandique rationem; vt quum præceptor discipulo præscribit quemadmodum loqui aut gerere se debeat. Qua significatione idem Apostolus eam vocem vsurpauit Roman. 2. sic Iudæum legisperitum compellens: *Confidit seipsum esse eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege*. Hanc enim scripturam etiam Chryostomus & Theophylactus huc adducunt, vt eam quam dixi probent illius vocabuli significationem;

licet eam putent præsentem loco non conuenire.

ET HOS DEVIATA. Græcè *δωρεῖται*, id est, *auerfare*. verbum diuersum ab eo quod alibi vertit, *deuota*: tamen vicina significationis. Ostendit hæc admonitio Paulum ita loqui de futuris temporibus, vt tamen iam tum ipsius ætate genus hoc hominum quale depingit, non omninò defuturum, imò nec deesse, ostendat. Alioquin nihil attinebat Timotheo præcipere vt eos auerfaretur. Quæres quomodo præceptum hoc non pugnet cum doctrina superioris capituli, vbi seruum Dei vult esse *δωρεῖται*, & *cum modestia corripientem etiam eos qui resistunt*. Id enim qui facit, non auerfatur. Respondeo, Paulum hoc præcepto non excludere correptionem præuiam; est enim hic locus ex alio interpretandus, vbi ait: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuota*, Tit. 3. Vbi & rationem præcepti subtingit: *Sciens, inquit, quia subuersus est &c.* Quæ ratio etiam huc transferenda est. Neque enim existimauerim idcirco præceptum hoc dari Timotheo, ne colloquijs eorum inficeretur; sed ob causam cum Tito communem, quam dixi.

6 EX HIS ENIM SVNT QUI PENETRANT DOMOS. Græcè, *Qui subeunt domos seu familias*. Ambrosianus: *Qui irrepunt in domos*. Notatur eorum impudentia, qui callidè sese insinuant & ingerunt in alienas familias, ventris causâ: quos & ad Tit. 1. designauit his verbis: *Qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucris gratiâ*. Erant autem ij potissimum ex Iudæis, vt ibidem dicitur. Est & hic notandum, de re præsentem loqui Apostolum, *sunt qui penetrant*. Idem ex sequentibus patet.

ET CAPTIVAS DVCVNT MULIERCVLAS. Id est, doctrinis suis faciunt eas sibi tã obnoxias, vt velut captiuas quolibet ducere videantur. Nã se eis venditã vt doctores; quo titulo, simul & verborum blandicijs ac lenocinijs, facilè sibi authoritatè parant apud sexum iudicio ac ratione minus valentem. Qua quidem in re serpentis antiqui sunt imitatores; qui tentationis initium fecit à muliere. nec tamen, dicit *mulieres*; sed diminutiue, *mulierculas*; vt de ijs se loqui significet quæ in genere mulierum leuiore sunt & inconstantiore. Confer sanctum Irenæum lib. 1. cap. 9.

ONERATAS PECCATIS. Græcè, *cumulatas peccatis*: quemadmodum vertit Theophylactus interpres, hoc est, magno peccatorum aceruo grauatas ac depressas. Latere viderur Hebraismus, quo multitudo peccatorum, velut in fascem colligata & ceruici imposita, dicitur hominè deprimere; propter grauitatè pœnæ imminentis à Deo. Sic Threnorum 1. loquitur Ierusalè: *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: In manu Dei conuoluta sunt, & imposita collo meo*. Ceterum peccatis oneratas, intellige,

vel

vel ab ipsis errorum magistris, quod scilicet eas doctrina sua & cõsuetudine corruerint, vt Caietanus exponit: vel à seipsis, quod nimirum iam antè, tamen si Christum professæ, vitam egissent inquietam & inhonestã, multisque peccatis, præsertim carnalibus, inquinatam; & per hoc oportunas sese reddidissent imposturis hæreticorum. Nam à mala conscientia ad fidei naufragium procliuus est gradus, 1. Tim. 1. & (vt ait Aquinas) peccata viam parant seductioni. Quæ res etiam hodie nimirum multis exemplis cõprobatur. Hunc posteriorem sensum Chryostomus eiusque sequaces tradunt; q. d. apostolus: *Mulieres peccatis onustas aded non exonerat & à peccatis liberant, quãuis id promittat; vt etiã captiuas ducant, ac maiori seruitute grauent*.

7 QVÆ DVCVNTVR VARIIS DESIDERIIS. Quæ ducuntur, Græcè *ἀποκείνα*, quæ aguntur. Annotat enim Græci interpretes apostolum vt verbo agendi, tãquam loquatur de brutis animalibus quæ ratione carent, & proinde aguntur potius quàm agunt. Sic enim mulierculas varijs affectibus, quos moderari nequeant, impelli ad varia peccata.

SEMPER DISCENTES, ET NVNQVAM AD SCIENTIAM VERITATIS Pervenientes. Græcè, *venire valentes*. Liqueat autè ex Græco, partè hanc non ad magistras, vt Latini quidã exponunt, sed ad mulierculas, esse referendã: quas dicit semper discere, nec tamen vnquam veritatis noticiam assequi posse; quia hoc demum discere quod docebatur, magistri verò earum non vera docebãt, sed falsa, superstitiosa, & impia. Quare ipse eorum discipulus non veritatè hauriebant, sed errores. Aut certè significat, eas, quamuis semper discendi cupidas, idcirco non perirere ad noticiã veritatis quæ ad salutè ducit; quod non contentæ doctrinã ab apostolis acceptã, præ curiositate & instabilitate animi semper noua quæreret, eaq; suis desiderijs accommoda: videlicet facientes id quod sequenti capite de similibus dicitur; *Ad sua desideria coarctabant sibi magistros, prurientes auribus*. Eos enim qui tali modo sunt affecti; quantumuis discere velle videantur, impossibile est ad scientiam salutiferæ veritatis pervenire.

8 QVEMADMODVM AVTEM IANNES ET MAMBRES RESTITERVNT MOYSI. In Græco & Syro non *Mambres* sed *Iambres* legitur. At nostræ lectioni suffragatur Talmud Hebræorum in tract. de oblationibus, & ex Hebræorum Rabbinijs, R. Nathã, Genebrardo citatè lib. 1. Chronologix. Apud Hieronymum verò in Hebraicorum nominũ interpretatione, legimus vtrumque; expositũ, *Iambres & Mambres*; & quidem eodem modo, quasi inter hæc nomina nihil interesset. Porro Iãnes & Mambres magi fuerunt Pharaonis, idemq; magorum principes; & quidem fratres, vt opinatur Ambrosianus; qui Moyse & Aarone fratribus admirabilia signa corã Pharaone edentibus, restiterunt, similia quædã arte magica patrãtes;

donec, in tertio signo, victi succumberent: vt scribitur Exodi 7 & 8. Horũ magorũ nomina cũ non inueniantur sacris literis prodita; non aliunde quàm ex traditione Paulus accepisse putandus est. Quod enim dicunt quidã apostolum ea ex Spiritu sancto reuelate habuisse; nõ est probabile, cum nõ magnopere referret magorũ nomina nosse. Sed ea recitãda putauit; quia Timotheo scribebat Iudæo, qui eum sacris literis etiã traditiones non scriptas Hebræorũ, didicerat. Docet igitur hic locus, etiã antiquitus apud Iudæos existisse, extra scripturam sacram, veras quãsdã & à pijs agnitas atque receptas traditiones. Quò magis ecclesiæ fides habenda est, dũ a Christo vel apostolis acceptas traditiones in mediũ profert. Quod verò de his duobus magis narrat Palladius in Lausiaca sua historia, in vita S. Macarij abbatis, eos sibi in Ægypto sumptuosum & mirabile sepulcrũ exstruxisse; ad quod videndũ S. Macarius Alexandrinus itinere longissimo ac difficillimo, demonibus inuitis, aliquando accesserit: fabulosum arbitramur, vt alia nonnulla eiusdem historie. Repetit autè apostolus ab antiquitate exẽplum; vt doceat non esse mirandum, si nunc contradictores patiantur veri doctores veritatis, cum etiam Moyse & propheta quondam suos passim fuerint aduersarios. Id ipsum & Petrus admonet 2. ep. 2. *Fuerunt, inquit, & pseudoprophetae in populo; sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*.

ITA ET HI RESISTVNT VERITATI. Non dicit, *resistunt nobis*; quamvis dixisset, *resistunt Moysi*; sed *resistunt veritati*, scilicet euãgelicæ; quia resistentia eorum & pugna non tam est contra homines veritatẽ prædicatẽ, quàm contra veritatẽ ipsam quam ij prædicant; & proinde cõtra Deum; quom reuelate & iubente prædicatur. Vnde & Moyse populo murmuranti dicebat: *Non cõtra nos est murmur vestrũ, sed contra Dominũ*. Exodi 16. Obiter aduerte Græcũ verbũ quod hoc loco propriissimè vertit interpres, *resistunt & resistunt*, diuersum esse ab eo, quo vsus est apostolus sub finem capituli præcedentis, vbi legebamus, *corripientem eos qui resistunt*. Nam quod hoc loco legitur, vehementius est.

HOMINES CORRVPTI MENTE. Id est, qui mentis iudicium viciosis affectibus corruptũ habet ac deprauatũ. Sic in priori epistola ca. 6. dixit consiliõnes hominũ merte corruptorũ.

REPROBI CIRCA FIDEM. Ita vocantur eo quod viam ad fidem rectam & sanam, corrupto mentis iudicio & animi obstinatione sibi præcluserint: quomodo Tit. 1. quidam dicuntur *ad omne opus bonum reprobi*. Nam & de mulierculis superius dixit, ob similem causam, eas *ad scientiam veritatis nunquam posse pervenire*.

9 SED VLTRA NON PROFICIENT. Consolatio est Timothei & omnĩ veritatis præconũ; ne despondeant animũ, quod tam graues patiantur aduersarios. Nõ enim, inquit, proficiet

amplius, sed futurum est ut eorum amentia, magno cum ipsorum pudore, manifesta fiat omnibus. Hic statim quaestio occurrit. Nam superiori capite dixit profanorum dogmatum auctores *multum profecturos ad impietatem*, utpote quorum sermo serpat ut cancer; Et hic rursum, paulo inferius; *Mali homines*. inquit, *& seductores proficient in peius, errantes. & in errorem mittentes*: quomodo igitur id negat hoc loco; dicens, quod non proficient ultra? Sunt qui respondeant, ipsos quidem seductores in dies fore deteriores; non amplius tamen alijs nocituros: quod eorum insipientia sit omnibus manifestanda Sed hanc solutionem apostoli verba respuunt. Diserte enim addit, *& in errorem mittentes*. Alia responsio est, haec verba, *Sed ultra non proficient*, & quae sequuntur, ad diem iudicii pertinere: tunc enim adeo non poterunt ultra proficere, ut etiam toti mundo eorum impietas patefiat; quando & Antichristum eorum principem Christus interfecit *spiritu oris sui*. 2. Thess. 2. Hanc solutionem B. Thomas indicat. Verum nec ea satis conuenit; cum sit superuacaneum dicere de malis magistris, quod tunc ultra non proficient, quando nec boni amplius proficere poterunt: erit enim illud retributionis tempus, non operis aut profectus. Caietanus ita exponit: Sed non proficient amplius quam seducendo mulierculas. Nam ad mulieres cordatas & ad viros, malum hoc non progredietur. Alius quidam sic: Ultra non proficient in bonum, sed ibunt de errore in errorem. In quibus expositionibus refellendis nihil opus est immorari. Probabile est apostolum hac sententia non excludere omnem ulteriorem profectum decipiendi seu viros seu mulieres; sed significare velle quod non ita proficient quin a synceris fidei doctoribus illorum errores & fraudes ita detegantur, ut passim & palam eorum insipientia traducatur; ac multi ab eis seducti, agnito errore respiciant; quantumvis interim alios atque alios veneno suae doctrine pergant inficere. Haec responsio consentanea est Graecorum commentarijs, atque ipsi experientia. Eodem ferme recidit, si dicamus, quod proficient quidem ratione contagij serpentis, ita nimirum ut multos seducant; non tamen adeo proficient ut ecclesiam euertant, eiusque regnum obscurant, & hereditatem Christi euacuent; quia *porta inferi non praevalent aduersus eam*. Valent enim, sed non praevalent; premunt, sed non opprimunt; oppugnant, sed non expugnant. Itaque seductores proficiunt quidem, sed non ultra. Quamuis enim ea canceris sit natura (cui sermo haereticorum comparatur) ut semper ultra proserpat, donec totum corpus absumat, vis tamen illa canceris spiritualis diuina virtute (quae ex promissione Christi assistit ecclesiae usque ad consummationem saeculi) cohibetur, ne totum eius corpus seruadat atque corrumpat. S. Cyprianus in lib. de Vnit. eccles. ita alle-

gat, *Sed non proficient plurimum*; exprimens quod Graece legitur.

INSIPIENTIA ENIMEORVM MANIFESTA ERIT OMNIBVS. Graece *ἀνοία*, id est, *amentia*, seu *dementia*. Sentum iam diximus; scilicet, futurum ut eorum errores & imposturae statim proferantur in apertum, & quamplurimis innotescant, non sine graui eorum ignominia.

SICVT ET ILLORVM FVIT. Scilicet magorum Iannae & Mambrae. Hi enim amentiae & imbecillitatis ter manifeste conuicti leguntur. Primum quando virga Aaron deuorauit virgas eorum. Exod. 7. Deinde, quando in certio signo deficientes, compulsi sunt dicere: *Dignus Deus est hic*. Ibidem cap. 8. Tertio, quando ad sextum signum stare non poterant coram Moysse propter vlcera quae in ipsis erant. Ibidem cap. 9.

TV AVTEM ASSECVTVS ES MEAM DOCTRINAM, INSTITVTIONEM, PROPOSITVM. Corruptus hereticorum doctrinis & motibus suum obijcit exemplum, eoque proposito Timotheum excitat animatque ad peragendum constantem officium. Pro, *assecutus es* alij vertunt, *assecutus es*. Non enim sensu est Timotheum *assecutum*, id est, *adeptum* esse Pauli doctrinam, institutionem &c. Non quae deinceps commemorat, *persecutores, passiones*, haec intelligentiae non possunt aptari. Quare nec iste sensus congruit; Studio & ingenio assecutus es me docentem, tanquam discipulus praepceptorem. Sed *assecutus es doctrinam meam, & caetera quae sequuntur*; id est, ita mihi fuiti perpetuus comes & adiutor socius, ut omnia mea tibi perspecta sint: ac proinde in me habeas quod sequaris & imitandum sumas. Nosti quae mea fuerit doctrina, quam integra & sincera. *Nosti meam institutionem*, id est, viuendi modum ac rationem. id enim vox Graeca *ἀγωγή* significat; licet alij instituendi rationem interpretentur. Nosti etiam *propositum meum*, id est, quid in munere meo apostolico & in omni actione spectauerim ac spectem, scilicet non priuata mea commoda, sed gloriam Dei per Christum; *non querens quod mihi utile sit, sed quod multis*. 1. Cor. 10. Deniq; *omnibus omnia factus ut omnes facerem saluos*. Ibidem cap. 9. De verbo Graeco dictum est non nihil ad illud 1. ep. 4, *Enutritus verbis fidei & bona doctrina, quam assecutus es*.

FIDEM, LONGANIMITATEM, DILECTIONEM, PATIENTIAM. Nosti insuper, inquit, *fidem meam*, id est, animi constantiam ac fiduciam in rebus agendis. Item *longanimitatem* seu lenitatem erga persecutores & veritatis aduersarios; *Charitatem* erga quoscunque: *Patientiam* in tolerandis aduersis. de quibus subiungit;

PERSECVTIONES, PASSIONES. Inter alia, persecutiones & afflictiones suas quas euangelij causa passus fuerat, Timotheo ad memoriam reuocat; quod discipulum ad similia

perferenda suo exemplo reddat alacriorem.

QUALIA MIHI FACTA SVNT ANTI-CHIAE, ICONII, LYSTRI. Graecum *ὅσα* quod interpres vertit, *qualia*, potest specialiter ad passiones referri, quae Graecis neutri sunt generis, *ἁδύματα*. Atque ita vertendum esset, *quales*, vel ut alijs placet, *quae mihi acciderunt Antiochia, &c.* Non semper enim qualitatis aut emphasis nota est, sed saepe pro relatiuo ponitur. Tamen, *quales*, hic non male quadrat; ut sensus sit, quam graues afflictiones mihi fuerint illatae. Nominat autem tres ciuitates suarum passionum conscias, Antiochiam (quam Pisidiae, non Syriae constat intelligi) Iconium & Lystram; non quod haec sole essent; Nam & in alijs multis urbibus multa passus fuerat, ut ex Actis apostolicis liquet: sed harum meminit, vel quod notiora Timotheo essent quae illis in locis passus fuerat Paulus, erat enim Timotheus ex Lystris oriundus, urbe reliquis duabus vicina; quam rationem Theodoretus & Theophylactus adferunt: vel quod horum locorum persecutiones peculiariter a Iudaeis fuerint in ipsum concitate; quemadmodum patet legenti Apostolorum Acta cap. 13 & 14. Erant autem Iudaei in Paulo persequendo gentilibus longe vehementiores.

QVALES PERSECVTIONES SVSTINVI. Alij malunt relatiuum, *quas*; de qua re iam diximus. An autem respiciat ad persecutiones in memoratis urbibus toleratas, an vero ad alias quoque; non liquet. Certè Timotheus multas alias Pauli persecutiones viderat, & quarundam etiam particeps fuerat.

ET EX OMNIBVS FRIPVIT ME DOMINVS. Hoc addit ut Timotheum ad similia fortiter ferenda cohortetur. Nam et si Deus non semper eripiat suos a manibus persecutorum: dum tamen saepenumero, atque interdum mirabiliter, eripit; ostendit sibi curae esse eorum salutem, nec se passurum ut occidantur, nisi id maiori bono compenset.

ET OMNES QUI PIE VOLVNT VIVERE IN CHRISTO IESV, PERSECVTIONEM PATIENTVR. Si, inquit, talia quoque tibi acciderint, non est quod mireris. Est enim id commune omnibus pijs & bonis, ut persecutionem patientur a malis, licet alij alijs grauiorem. Addit autem *in Christo Iesu*; non quod aliqui sint *pie viuentes* non in Christo Iesu; sed potius, ut modum exponat sine quo non contingit pie viuere. Nam *pie viuunt in Christo*, qui Deo seruiunt in fide Christi. Quae quidem sola inter omnes hominum credulitates est vera pietas. Dicit autem, *volunt*; ut omnis qui vitam hanc Christianam aggreditur, intelligat persecutiones sibi esse expectandas. Sed dices: An ergo qui persecutionem non patitur, sed tranquillam & placidam agit vitam, vel solitarius, vel cum paucis alijs iisque bonis, non pie viuit in Christo? Respondeo, duplicem esse persecutionem; aliam manifestam, aliam occultam. Manifesta persecutio

non ad omnes pertinet qui pie viuunt, sed ad paucos ceterorum comparatione. Occulta persecutio pijs omnibus est communis; non solum propter occultam pugnam carnis aduersus spiritum, & perpetuam omnium piorum colluctationem aduersus *spiritualia nequitia*; verum etiam propter societatem hominum malorum, inter quos quisque iustus cogitur, non sine dolore & molestia, conuersari; quantumvis ab ijs abstrahere se conetur. Hinc ait psalmista: *Vidi prauaricantes & tabescebam*. Et Petrus Apostolus de Loth apud Sodomitas morante, 2. epist. 2. *Qui*, inquit, *de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*. Nemo autem vere pius est qui non tale quid patiatur. Ad hoc genus persecutionis extendit Apostoli sententiam Augustinus & alij nonnulli; ut persecutionem pati sit inquietari ac molestia affici, a quocunque, siue palam siue occulte. Nam & boni bonis per infirmitatem aut ignorantiam aliquando molestiam exhibent. Augustini loca sunt, epistola 145. lib. 2. contra Gaudentium cap. 13. & 14. & lib. 18. de ciuitate Dei cap. 51. Eundem sensum pulchre explicat Leo serm. 9. de quadragesima; ubi & hanc eodem adducit Domini sententiam, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Matth. 10. Quanquam verisimilius est Apostolum non ita generaliter de persecutione loqui; sed duntaxat de ea qua mali bonos afficiunt cum voluntate nocendi: Nam de tali loquebatur in superioribus; Atque ea passim in scripturis nomine *persecutionis* significari solet: ita tamen ut odia, criminationes, calumnias, detractiones & id genus iniurias comprehendat. Qui sensus vniuersalem nihilominus habet veritatem. Cum enim mali nusquam desint; nusquam profecto pijs huiusmodi persecutionis materia deficit. Nam & Abel in tanta hominum paucitate sine persecutione non fuit, inuidiam & caedem passus a fratre malo, de quo Ioa. 1. ep. 3. *Propter quid occidit eum? Quoniam*, inquit, *opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta*. Quae ratio communis est omnibus bonis viuentibus inter malos. Porro non inepte quidam, quamuis praeter mentem Pauli, propterea dicunt neminem piorum a persecutione liberum esse, quia nunquam ecclesia sine persecutionibus est; pius autem matris ecclesiae persecutiones tanquam suas reputat. Hoc, inquam, praeter Apostoli mentem; qui de persecutionibus agit proprie ad vnumquemque pertinentibus.

MALI AVTEM HOMINES ET SEDVCTORES PROFICIENT IN PEIVS. *Seductores*, Graece *ῥήγες*, quae vox proprie significat *incantatores* seu *prestigiatos*; quamuis etiam generalius vsurpari soleat, ut verti possit, *impostores*, aut, ut Ambrosianus legit, *deceptores*. Porro tale est quod dicit: Nec vero sperandum nobis est ut persecutiones quas mali pijs inferunt, hac vita durante aliquando cessent: Nam mali ac prauis homines & seductores (nisi si-

quos eorum diuina bonitas singulari beneficentia ab errore reuocet) in peius semper proficient; quæ causa erit ut odia & persecutiones in pios nunquam finiantur. Quomodo autem profecturi sint in peius, explicat sequentibus verbis,

ERRANTES, ET IN ERROREM MITTENTES. Participia sunt transposita ab interprete: Nam Græcè est; *errare facientes, & errantes*. quod ita verti potest; *Seducentes & seducti*. Erasmus periphrasi reddidit haud ineptè: *dum & in errorem inducunt* (scilicet alios) & *errant ipsi*. Videtur autem figura quam vocant *ὄστρον ὄστρον*. Prius enim est errare, quam alios in errorem inducere. Atque ea res fortasse mouit Latinos ut ordinem commutarent; nisi sic intelligas, Dum alios seducunt, ipsi iusto Dei iudicio hoc patiuntur, ut subinde in grauiore incidant errores. Sicut autem dupliciter proficiunt, errando & seducendo; ita duplici nomine pœnas dabunt; & quod ipsi non acquirerunt veritati, & quod alios ab ea retraxerunt.

14 TV VERO PERMANE IN IIS QUÆ DIDICISTI. q. d. Nihil te moueat illorum quos dixi, successus & profectus in malo: Tu permanc ac persiste in ijs quæ semel edoctus es. Nulla vis tentationis tibi ea extorqueat. Noli æmulari in malignantibus, &c.

ET CREDITA SVNT TIBI. Nonnulli sic exponunt, quæ credita sunt à te, id est, quæ credidisti, ac plena fide suscepisti. Sed rectius alij; quæ concredita tibi sunt & commendata. Sic ad Gal. 2: *Cum vidissent quod creditum est tibi euangelium præcipi*. Et I. Tim. I. *Secundum euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est tibi*. Monet igitur Timotheum ut custodiat depositum sibi concredidit, de quo iam antè semel & iterum eum admonuerat, scilicet I. ep. 6. & huius ep. cap. I. Ex quo licet animaduertere quantopere sollicitus fuerit apostolus pro eius depositi conseruatione. Quod autem sit illud depositum, ad eadem loca à nobis explicatum est.

SCIENS A QVO DIDICERIS. Duas adfert causas cur Timotheo permanendum sit in doctrina accepta; quarum prior principalis est & fundamentum posterioris. Constantè, inquit, retine ea quæ didicisti, cum scias à quo magistro didiceris, videlicet à me Christi apostolo; quod perinde tibi esse debet atque si Christo ipso magistro vñs fuisses. En quomodo necessaria est auctoritas magistri! Alioqui dicere poterat Timotheus, Quid refert à quo didicerim, quando scripturas habeo, ex quibus discere possim, magistrum habens Spiritum sanctum? Sicut hodie superbi hæretici loquuntur, dum sua proferunt sine magistro somnia. Nam Timotheum fuisse sacrarum literarum studiosum, probant sequentia.

15 ET QVIA AB INFANTIA SACRAS LITERAS NOSTI. Hæc altera est causa, sed accessoria, cur Timotheo non sit à doctrina se-

mel accepta recedendum. Cum & istud, inquit, scias, hoc est, apud te cogitare debeas, quod non leuiter imbutus es scientiâ scripturarum, quando quidem à prima ætate discere eas cœpisti. Qui enim in aliqua disciplina totam ætatem truiuit, non facillè admittitur est magistrum nouos sensus & placita adferentem; præsertim si ipse præstantium magistrorum auctoritate fulciatur: Imò potius habebit vnde diuersa dogmata refellat. In phrasi, *ab infantia*, nonnulla hyperbole subesse videtur. Quas vocet *sacras literas*, paulò pòst ipse explicat, nempe scripturam diuinitus inspiratam. Loquitur autem de scriptura veteris instrumenti: Nam scripta apostolica nòdum erant in canonem scripturarum relata; Imò multa eorum necdum extabant Timotheo iuuenè. Porro locus hic docet, nec pueros arcendos esse à lectione scripturæ sacræ. Quin ex eo quod Timotheus non à patre fuerit institutus in sacris literis (vtpote qui gentilis erat, nec passus fuerat eum circumcidi) sed, vt verisimile est, à matre & auia; quarum fidei sinceritatem laudauit apostolus cap. I. colligitur nec mulieres à lectione scripturæ sacræ prohibendas esse. Quod tamen ita intellige, modò secundum regulam ecclesiasticam tales sint personæ, quæ cognoscantur ex huiusmodi lectione non damnum sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quæ admodum præscribit pontifex regula 4 Indici librorum prohibitorum præfixa. Si dicas, Timotheum ex matre Iudæa natum, pro more gentis à magistro quopiam legisperito institutum fuisse; quomodo Paulus secus pedes Gamalielis eruditum se refert, Act. 22. Respondeo, non pugnare quo minus accesserit aut etiam antecesserit institutio quædam domestica parentum, tunc ei adhibita quando per ætatem puerilem nondum aptus esset qui magistro traderetur.

QVÆ TE POSSVNT INSTRVERE AD SALVTÈM. *Instruere*, Græcè *ὀφισα*, id est, *sapientem seu doctum reddere*. Ne putet Timotheus sibi sufficere scientiam scripturarum quam perceperat: tacitè eum adhuc ad studium earum hortatur. Non enim dicit, *Quæ te satis instruxerunt ad salutem*; sed, *quæ te possunt instruere*, scilicet amplius; modò pergas incumbere earum lectioni; sicut apertè ei præcipit in I. ep. cap. 4. *Dum venio, attende lectioni*. Dicens autem, *ad salutem*; ostendit scopum lectionis & studij scripturarum. Quæ quidem pleniùs expressit loco memorato, cum ait: *Hoc enim faciens; & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*. Hic obserua, non solum parochis ecclesiarum, verum etiam episcopis, quantumcunque doctis, adhuc opus esse studio sacrarum literarum.

PER FIDEM QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Id est, per fidem qua in Christum creditur. Hoc addit, vel vt doceat contra Iudæizantes scientiam legis sine fide Christi nihil valere ad salutem; vel vt significet ex scriptu-

ris sacris,

ris sacris, cum ob earum obscuritatem, tum ob intellectus nostri cœcitatem & hebetudinem, atque affectuum, quibus laboramus, prauitatem, non posse quenquam haurire doctrinam sanam & incorruptam, nisi fide Christi præmunitus sit, eaque ductrice ad illas intelligendas vtatur. Ita demum futurum, vt lectio scripturarum & fides ei augeat & salutem adferat. Confer quæ diximus ad illud, Rom. 12. *Sine prophetiam, secundum rationem fidei*.

16 OMNIS SCRIPTVRA, DIVINITVS INSPIRATA, VTILIS EST. Quoniam ad scripturæ sacræ lectionem hortabatur, nunc eam insigni encomio commendat: primum ab auctoritate, mox ab utilitate quæ ex ea prouenit. Quod expressius apparet in Græco: *Omnis scriptura diuinitus inspirata, & utilis*; Subaudi, *est*. Itaque duo affirmantur, omnem scripturam esse diuinitus inspiratam, & eandem esse vtilem ad ea quæ sequuntur. *Scripturam*, intelligit sacram, de qua dixerat: *Sacras literas nosti*: Nam scripturæ nomine passim in biblijs sacra scriptura per antonomasiam significatur; vt Matth. 22. *Erratis nescientes scripturas*. Ioan. 5. *Scrutamini scripturas*. & 10. *Non potest solui scriptura*. Rectè igitur, & verisimè, ex hoc loco statuitur omnem scripturam sacram & canonicam Spiritu sancto dictante esse conscriptam; ita nimirum vt non solum sententiæ, sed & verba singula, & verborum ordo, ac tota dispositio sit à Deo, tanquam per semetipsum loquente, aut scribente. Hoc enim est *scripturam esse diuinitus inspiratam*. Utilitatem verò deinceps explicat.

AD DOCENDVM, AD ARGVENDVM, AD CORRIGENDVM, AD ERVNDIENDVM IN IVSTICIA. Pro gerundijs, in Græco sunt nomina; *ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, qua est in iusticia*. Significantur quatuor præcipua officia pastoris & doctoris ecclesiastici: quorum primū est docere veritatem fidei Christianæ; Secundum, refellere errores ei contrarios; Tertium, corrigere mores deprauatos, quod potissimum fit admonitionibus, increpationibus, & correptionibus; tamen non est hîc legendum, *ad corripiendum*; vt quidam codices habent, sed, *ad corrigendum*. Nam Græcè non est, ad correptionem, sed, vt dixi, *ad correctionem*, vel vt Ambrosianus legit, *ad redintegrationem*. Quod etiam referri potest, ad restituendum verum ac sincerum Dei cultum, sicuti per negligentiam collapsus fuerit. Quartum, instituere ad iusticiam, id est, ad iustam & sanctam vitæ conuersationem. Neque enim astipulamur Caietano, particulam, *in iusticia*; repetenti post singula superiora membra: *ad docendum in iusticia, ad arguendum in iusticia, ad corrigendum in iusticia*. Qui sermō partim incommodus est, partim nimium restrictus, atque adeò membra confundit, maximè primum & vltimum. Tantum igitur ea particula postremum mēbrum,

cui subiungitur, afficit. Atque id sanè exigit Græcus articulus ei præfixus, *τιν ἐν διανοίᾳ*. Porro cum non dicat Apostolus scripturam ad hæc omnia sufficere, sed *utilem esse*; nihil agunt aduersarij, quum ex hoc loco moliantur efficere quod scriptura sacra per se sufficiat ad omnem plenitudinem doctrinæ fidei, ita vt traditionibus non scriptis nihil sit opus. Ac certè si consequens id esset: sequeretur solam veteris instrumenti scripturam sufficere, nec opus esse quatuor euangelij, nec reliquis noui testamenti libris. Nam de scriptura veteris testamenti Paulum hîc loqui constat, tum quia noui testamenti scriptura nondum agglutinata erat canonis sacrarum librorum, imò quadam etiam ex parte nondum erat conscripta; tum ex eo quod præcedit: *ab infantia sacras literas nosti*. Non enim potuit Timotheus ab infantia nosse libros noui testamenti, qui eo infante, aut puero, nòdum extabant. Denique, notandum non id velle Apostolum quod vnaquæque pars scripturæ sacræ sit utilis ad ista quatuor (hinc enim sensus liquidò falsus est): sed quod in vniuersa scriptura hæc quatuor utilitates reperiantur, ita nimirum vt alia scripturæ pars aliam adferat utilitatem, quod quæ nulla sit scriptura quæ non ad aliquid istorum valeat.

17 VT PERFECTVS SIT HOMO DEI. Quem vocet *hominem Dei*, iam diximus in priori epistola, cap. 6. scilicet eum, qui Dei nomine, & in his quæ Dei sunt, populo præest, maximè, si mores & actiones officio respondeant. Eiusmodi sunt imprimis episcopi; quos hîc instruit Apostolus; deinde omnes animarum curatores. Minus rectè Caietanus *hominem Dei* interpretatur eum qui totū seipsum Deo dat. Hoc enim etiam laicis, & idiotis multis conuenit, de quibus hîc non agitur. *Perfectum* autem, siue *integrum*, quod Græcè est *ἀπτερόμενον*, appellat eum qui tenet omnes partes sui officij. Integrum enim est quod omnibus partibus constat. Hic sensus explicatur per id quod sequitur.

AD OMNE OPVS BONVM INSTRVCTVS. Siue vt alij vertunt, *apparatus*. Id enim proprie significat participium Græcum; tamen Theophylactus & Oecumenius *ἐμπροσθεν* exponunt per *ἀπτερόμενον*, id est perfectum & absolutum. Quod tamen haud videtur quadrare. Nam sicuti ineptè quis dicitur absolutus aut perfectus ad aliquam artem, aut scientiam (dicendum enim erāt, in arte, aut scientia, verbi gratia, mēdica, aut mathematica); ita nec commodè dicitur, ad omne opus bonum absolutus, aut perfectus. Sentit igitur Apostolus hominem Dei, id est, episcopum studio scripturæ sacræ id consequi, vt ad omne opus bonum, id est, ad omnem partem officij sui probè comparatus sit atque instructus. Nam *opus bonum*, ad hominem Dei, id est, episcopum, refertur; tanquam opus ab episcopo, pastore & doctore, quatenus est eiusmodi, faciendum. Hoc autem est offi-

cium.

Monet ut cum omni patientia & doctrina faciat ea quæ modò præcepit (nam ad omnia prædicta vult hanc partem referri Theophylactus): cum patientia quidem, aut ut Græcè est, *longanimitate* seu *lenitate*; quia plerumque redargutiones, increpationes, exhortationes nihil, aut parum proficiunt, nisi ab animo patiente, ac mansueto proficisci intelligantur. Cum doctrina verò; ut qui aberrant aut peccant, doctrinâ & ratione conuicti, facilius sanentur. Conuenit cum hoc loco quod supra cap. 2 scripsit oportere seruum Domini mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt. Et ex hoc Apostoli loco salutarem episcopis monitionem tradit Synodus Trid. sess. 13. c. reform. 1.

ERIT ENIM TEMPVS CVM SANAM DOCTRINAM NON SVSTINEBVT. Hęc, inquit, causa est, cur tantopere te excitem ad officium gnauiter exercendum: Nam prospicio futurum, & quidem breui, ut multi eorum qui Christum professi sunt, à sinceritate fidei recedant, imò sanam doctrinam audire non sustineant. Itaque ne malum hoc tuæ negligentiae imputerur, utque ab eo, quantum fieri potest, gregem tuum conserues; quâ diligentissimè tuo incumbere officio. Differt hæc prædictio ab illa superioris capituli, *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa* &c. quòd illa magis propriè respiciat falsos magistros; hæc verò ad auditores ac discipulos pertineat. Nisi enim essent, qui eiusmodi magistros libenter audirent, & obsequijs fouerent: statim elangueretur eorum studium noua dogmata disseminandi.

SED AD SVA DESIDERIA COACERVA- BVT SIBI MAGISTROS. Id est, vno & altero magistro non contenti; alios super alios inducent, velut acerrum magistrorum sibi imposituri; idque pro suis prauis desiderijs seu concupiscentijs & corruptis affectibus: quia nimirum carnalibus cupiditatibus libidinis ac gulae, dediti; magistros quærent, qui istiusmodi moribus consentanea doceant. Tales imprimis fuere quicunque prodierunt ex schola Simonis; Tales sunt & nostro sæculo Lutherani, & quotquot ferè post Lutherum noui doctores emerferunt: utpote, qui vno ore præscripta ecclesie ieiunia, vota monastica, & quicquid est piarum obseruationum ac legum ecclesiasticarum, contemnunt. Hoc loco studiosè annotant Græci, quàm sit ecclesie perniciosum, episcopos & pastores plebis ac vulgi suffragijs eligi. Vulgus enim, ait Theophylactus, nihil pro ratione facit; sed eos qui cupiditatibus ipsius consentiant, euehit; quique ad voluptatem, & gratiam, omnia & dicant & agant, hos eligit ac promouet. Hęc ille.

PRVRIENTES AVRIBVS. Participium est nominatiui casus, ut liquet ex Græco: proinde pendet à fronte verbi, *coacernabunt*. Eleganti metaphora significatur altera causa cur magistros sibi coaceruaturi sint; quia scilicet

ad audiendum semper aliquid noui, curiositas eos incitabit. Quo vicio notati sunt à Luca Athenienses, Act. 17. Quanquam alij metaphoram pertinere putant non tam ad curiositatis viciam, quàm ad voluptatem audiendi quæ gratâ sunt & iucunda; ut sensus sit, homines tam delicatis auribus futuros, ut veritatis cura posthabita, magistros sibi affisciant, qui placentiâ loquendo, prurientes eis aures suauiter scalpant; ac demulceant. Vtrique intellectui satis quadrat quod sequitur.

ET A VERITATE QVIDEM AVDITVM AVERTENT, AD FABVLAS AVTEM CONVERTENTVR. Id est, ab integritate sanæ doctrinæ, quæ voluptates & carnalia desideria castigat, aures auertent; offendit enim, & talium hominum auribus molesta est huiusmodi veritas: Ad fabulas autem audiendas, insana quadam curiositate, sese conuertent: *Fabulas*, intellige primùm Iudaicas. Sic enim præcipit Tit. 1. *Ut sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis*. Meminit earum etiam 1 ad Tim. 1. Deinde & fabulas hæreticorum; ut Simonis magi atque aliorum eiusdem farinae: quas prolixè recensent in suis libris Irenæus & Epiphanius.

TV VERO VIGILA IN OMNIBVS, LABOR. Non liquet vtram in partem conuerti debeat particula, *in omnibus*; tamen Græca magis exigit ut ad præcedens verbum referatur. Nam pro verbo, *labora*, Græcè est *κακοπάθειον*, id est, *malè patere, afflictiones tolera*. Quod præceptum per se consistit: sicut & supra, cap. 2. vbi dicebatur: *Labora sicut bonus miles Christi*. Sensus igitur est: Cum ea quæ dixi iam iam immineant: tu aduersus hæc vigila in omnibus, id est, omnes partes officij tui diligenter exsequere; atque in afflictionibus & laboribus obdura; nec aduersarijs cede, nec periculis.

OPVS FAC EVANGELISTÆ. Opus euangelistæ facit qui euangelium, sicut oportet, prædicat: id est, integram & sanam euangelij doctrinam auditoribus cum omni sinceritate annunciat, nec sua quærens, nec auribus seruiens.

MINISTERIVM TVVM IMPLERE. Erasmus ita vertit: *Ministerium tuum ad plenum probatum reddito*. Theophylacti interpret, *Ministerium tuum certifica*. Nam tale quid significari putant Græco verbo *ἀναγοφῶρον*. Qua de re nos accuratè egimus quum tractarem illud Rom. 14. *Vnusquisque in suo sensu abundet*. Hoc certè loco non aliud significare voluit Paulus, quàm quod noster interpret expressit. Quod & liquet ex Græcorum commentarijs. Vnde nec Hentenius Oecumenij interpret, etli in multis Erasmi imitator, hanc partem aliter transtulit. Est autem sensus obuius: In munere ac ministerio tuo ita versare, ut nihil omittas eorum quæ à bono & fideli ministro euangelij iure exiguntur.

SOBRIVS

SOBRIVS ESTO. Hanc partem Græca non habent, ut nec agnoscunt Syrus interpret, & Ambrosianus. At neque in omnibus est manuscriptis Latinis. Denique Pelagius, Primasius, & Haimo cum non exponant, arguuntur non legisse. Plusquam verisimile est ex occasione additam esse, cum pro eo *Tu verò vigila*, quædam Latina versio haberet *Tu verò sobrius esto*; ut & legitur in Ambrosiano textu secundum editiones antiquiores. Nam Græca vox vtroque modo verti potest; & res quæ significantur, cognatæ sunt, sobrius esse, & vigilare. Nec dubium quin alicubi magis conueniat sobrius, quam vigilantis significatio; ut 1 Petri 5. *Sobrius esto & vigila*; Nam alioqui repetitio esset eiusdem: verum hoc loco magis congruit verbum *vigila*, quod proprium est episcopi, & pastoris. Nec admodum opus erat ad sobrietatem hortari Timotheum, quem ab aquæ potu reuocauerat epistola superiore.

EGO ENIM IAM DELIBOR. Ex his verbis & sequentibus, colligunt omnes penè interpretes Paulum hanc epistolam scripsisse omnium postremam, imminente iam passione mortis. Id enim significare videtur totus hic locus, quum dicit *se iam immolari & tempus sua resolutionis instare*; *se consummasse cursum suum, nec aliud esse reliquum, quam ut repositam sibi coronam iusticia percipiat*. Verum iam dudum in argumento epistolæ ostendimus, inter eius scriptionem, & Pauli obitum, fermè nouem aut decem annos intercessisse. Constat quoque eam quæ ad Philemonem scripta est, in qua tamèn hospitium parari sibi petit, tanquam mox è carcere liberando; hæc longè posteriorem esse, uti suo loco monstrabitur. Quare quæ hinc ab apostolo dicuntur, non ita sunt accipienda, quasi planè sentiat se iam iam rapiendum ad martyrium; præsertim cum alia quædam eiusdem epistolæ repugnent huic intellectui; quemadmodum in argumento declaratum est, & adhuc infra docebitur: sed tantum significant, ipsum etli de tempore mortis ac passionis incertum, tamen paulatim per carceres, & tribunalia parari ad victimam. Existimat quidem Cardinalis Baronius, qui de his rebus accuratè scripsit tomo 1. annalium ecclesiasticorum, ista Pauli de instanti suo obitu verba, sic accipienda, quod fortasse diuinitus ipsi reuelatum esset, se sub Nerone capite plectendum: Sed quoniam Nero tunc etiamnum iuuenis erat, & permultis adhuc annis imperare poterat; non satis causæ Paulo fuisse videtur ex eiusmodi reuelatione, ut diceret tempus suæ resolutionis instare. Quocirca non apparet hæc à Paulo dicta fuisse per reuelationem aliquam de instante martyrio sibi factam; sed ipsum ex præsentis rerum suarum statu, quid tandem sibi euenturum esset,

prudenter, ac probabiliter coniecisse. quòd & alibi interdum facit; velut ad Philip. 1. & 2. Illud etiam considerandum est; Paulum loqui, ut iam senem & laboribus confectum; qui proinde non multum vitæ tempus sibi reliquum arbitretur. Ac quoniam non dubitabat se martyrio finiendum; idcirco, & de eo tanquam breui futuro, loquitur. *Ego enim*, inquit, *iam delibor*, seu potius, *immolor*; quomodo legit Augustinus. Nam & ipse interpret ita vertit ad Philipenses 2. *Sed est immolor* & cetera. Sensus & connexio est: Idcirco cum tam serua obtestatione te discipulum meum officij tui admoneo, quòd iam senex sim, & incertus quamdiu futurus superstes. Iam enim, tanquam victima Christo destinata, per hos carceres, & grauissimos quos patior aduersariorum impetus, immolari incipio. Passionem suam *immolationem* vocat, quia actus ille martyrij, quo quis usque ad mortem certat pro veritate, gratissimum est Deo sacrificium spirituale, idemque magnam habens conuenientiam cum sacrificio corporali. Notandum est autem verbum Græcum *σπένδομαι*, non quamuis immolationem significare, sed eam propriè quæ fit in fœderibus sancientis. Vnde, sicut in epistola ad Philip. cum ait se immolari super sacrificio fidei ipsorum, significat Philipensium fidem, quàm ab ipso didicerant, morte sua sanctum atque confirmatum iri, perinde, ut olim cælis victimis fœdera sanciri solent: ita hinc insinuat mortem, qua pro Christo immolandum erat, fore doctrinæ suæ, quam mundo prædicauerat, sanctionem.

ET TEMPVS RESOLVTIONIS MEÆ INSTAT. Id est, magis ac magis appropinquat, nec admodum longè potest abesse. *Resolutionem suam* vocat mortem, siue quod morte corpus in cineres resoluatur; seu potius, quòd per eam soluatur vinculum quo anima corpori est colligata. Sic idem apostolus ad Philipenses 2. *desiderium habet dissolui, & esse cum Christo*. Nec dissimili phrasi Petrus apostolus 2. epist. 1. mortem suam vocat *depositionem tabernaculi*. Qua ratione rursus hinc quæri potest, an sicut B. Petrus eo loco certum se esse affirmat ex Christi Domini reuelatione velocem esse sui tabernaculi depositionem; ita Paulus ex reuelatione diuinitus accepta scribat tempus suæ resolutionis instare. Sic enim multi sentiunt, hæc à Paulo dici, quòd significationem mortis, ac martyrij sui instantis, à Deo accepisset; sicut & Petrus. Sed de ea re quid nobis probabilè videatur, iam supra diximus. Neque verò negamus, Paulum æquè ut Petrum cælesti oraculo admonitum fuisse passionis instantis; Sed id multo post scriptam hanc

Ee

episto-

epistolam factum putamus.

BONVM CERTAMEN CERTAVI. Hæc partim subiungit ad sui ipsius consolationem, partim vt Timotheum ad imitationem accendat. Certamen bonum id est, pulchrum, egregium, ac præclarum. Id enim significat Græcum καλόν. Loquitur autem de certamine suscepto à tempore suæ conuersionis ad fidem Christianam; ex quo non destitit ad coronam propositam contendere per omne genus bonorum operum, præsertim ministerij apostolici; nec non per tolerantiam laborum, afflictionum, & persecutionum. Metaphora sumpta est ab ijs qui pro præmio certant seu lucta, seu cursu, seu alio genere ludij quod significat Græca vox, ἀγων. Quamquam hic certamen quod cursu fit, intelligi videtur. Nam sequitur,

CURSVM CONSUMMAVI. Non cursum vitæ, sed certaminis, qualis scilicet est eorum qui in stadio currunt. Hanc enim comparationem adducit etiam 1. Cor. 9. Porro consummasse se dicit hunc cursum; quamuis adhuc, vt minimum, extremus actus restaret passionis & mortis; quia iam, vt antè dictum est, ad metam certaminis appropinquabat, ac de reliqua parte stadij percurrenda certam habebat in Domino fiduciam. Hoc enim fere modo rem istam declarat Augustinus libro secundo de peccatorum meritis cap. 16. Nam & Christus morti quidem propinquus, sed nondum morte consummatus, dixit; Consummatum est, Io. 19.

FIDEM SERVAVI. Non hæc iactantia verba sunt, sed bonæ conscientia; vt & superiora. Fidem intelligit eam quam miles imperatori, quamque minister ac dispensator Domino suo debet; id est, fidelitatem. Non enim magnum erat tanto apostolo, non defecisse à fide Christiana, ad quam tanto miraculo vocatus, tantis reuelationibus instructus fuerat; sed quia commissum erat ei munus euangelicæ prædicationis in gentibus, de eo fideliter & perseveranter, inter tot aduersitates administrato, gloriabatur, dicens; fidem seruaui. Hoc ergo significat, quod alio loco commendat dicens; Hic iam quaritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. 1. Cor. 4. Et ibi quidem tanquam adhuc in medio cursu constitutus, non audet pronuntiare se talem esse: Neque enim, inquit, me ipsum iudico; hic autem cursu iam penè consummato, fidenter dicit, fidem seruaui; paulo post auditurus illud; Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui: iuxta id quod sequitur,

IN RELIQUO REPOSITA EST MIHI CORONA IUSTICIÆ. In reliquo; Græcè, λοιπόν, quod reliquum est, vt legit Ambrosianus. Præmium certa-

minis fœliciter absoluti vocat coronam, metaphoram retinens cursorum, quibus corona præmij loco solet proponi. Coronam iusticiæ præterque interpretantur coronam pro bonis, ac iustis operibus debitam: quomodo dicitur, corona certaminis, præmium laboris. Alij coronam iusticiæ pro corona iusta, dictam volunt, Hebræa phrasi: quemadmodum Isai. 62. corona gloria legitur, id est, corona gloriosa. Sed hoc fermè eodem recidit: cum priori. Porro coronam intelligit vitam æternam, id est, eam, quam Iacobus apostolus vitam coronam appellat capite 1. Hanc coronam sibi repositam dicit Paulus, non alibi quam apud Deum; quia à Deo sibi reddendam certissimè expectabat. Quo sensu supra dixit capite 1. Cersum, quia potens est depositum meum seruare. tale etiam est illud Sap. 5. Iusti in perpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum. Hic iam quaritur quomodo vocet apostolus iusticiæ coronam, quæ est corona misericordiæ; dicente psalmista: Quicoronat te in misericordia, & miserationibus. Respondetur, ista non minus consentire, quam quod in scripturis vita æterna aliquando merces, aliquando gratia vocatur. Merces, quia datur pro meritis bonorum operum: Gratia, quoniam hæc ipsa merita sunt Dei dona. Sic eadem vita æterna corona iusticiæ est, quia legitime certanti debetur: corona misericordiæ, quia nec certare legitime posset homo, nisi Deus daret, nec ad coronam peruenire, nisi lapsus & errata certando commissa, misericorditer idem Dominus condonaret. Confer quæ diximus ad illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna.

QVAM REDDET MIHI DOMINVS IN ILLA DIE. Non dixit, dabit, sed, reddet, veluti debitum quoddam, & creditum, siue depositum, quod iure reddendum sit. Annotarunt hoc studiosè Theophylactus & Oecumenius. Dominum intelligit Christum, qui venturus est iudex viuorum & mortuorum. Nam de eo statim subiungit; Sed & ijs qui diligunt aduentum eius: quod huc necessario referendum est. Hinc verò satis apparet, Christum vt hominem non modò iudicaturum, verum etiam coronas daturum, id est, electos suos donaturum beatitudine cælesti. Sed id facturum intellige, quatenus per sententiam adiudicabit apostolo Paulo, cæterisque electis coronam ipsi debitam, dicens: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c. Nam efficienter, & propriè creaturam beatificare, solius est increata potestatis. Id quod addit: In illa die, consueta notatio est tēporis extremi iudicij; quam alibi diem Domini vocat. Sed dicit aliquis: Si demum in illa die reddenda est electis corona: non igitur ante illam diem datur animabus separatis, vt cūque purgatæ fuerint. Respondeo, Paulū loqui de præmio quod

homini

homini datur, non animæ soli. Dicit enim; Quam reddet mihi, scilicet Paulo. Atqui propriè Paulus non erit ante iudicij diem, quando à morte resuscitabitur ad vitam. Ex tunc enim incipiet vita æterna hominis; quam hic coronam appellat. Quaritur autem an ex hoc loco statui possit apostolum fuisse certum de sua salute, videlicet ea certitudine cui saluum subesse nequeat. Id enim significare videntur illa eius verba; Quam reddet mihi Dominus; quæ quidem sunt verba scripturæ, ac proinde verissima. Sed obstat huic sententiæ quod in epistola ad Philip. 3. velut haud planè adhuc certus, ita loquitur: Si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Scripta est autem ad Philip. epistola post istam ad Timotheum; quemadmodum in argumento vtriusque epistolæ satis luculentè probauimus. Itaque respondeo, Paulum hic non simpliciter affirmare quid futurum sit: sed, vel sermonem esse bonæ fiduciæ, q. d. quam coronam certa spe à Domino expecto, vel potius intelligi conditionem, si vsque ad mortem perseuerauero. Nam quod hic de se dicit, mox extendit ad omnes alios diligentes aduentum Domini; de quibus vtique certitudinem absolutam non habebat.

IUSTVS IVDIX. Addit hoc illi quod præcessit Dominus per appositionem, præfixo in Græcis articulo. Vnde alij vertunt, Qui est iustus iudex. Hæc iusticia Christi iudicis in eo consistit, quod redditurus sit vnicuique secundum opera sua; sicut ipse Dominus disertè de se testatur Matth. 16. dicens: Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis; & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Porro totus hic locus, vbi coronam iusticiæ, & iustum iudicem nominat apostolus, & reddendi verbo vtitur; aperte refellit hæreticos, qui merita bonorum operum audire non sistent. Etenim si Christus vt iustus iudex redditurus est Paulo; & omnibus electis coronam iusticiæ pro fide seruata, cursuque consummato: est igitur in his operibus ratio meriti respectu eiusmodi coronæ. Neque verò hæc operum merita aduersus Christi gratiam astruunt Catholici, quod impudenter calumniatur Caluinus. Est enim Catholicorum doctrina, tantam erga nos esse Dei bonitatem, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona; & pro his, quæ ipse largitus est, æterna præmia sit donaturus: vt habet decretalis epistola Cœlestini Pontificis ad episcopos Galliarum cap. 12. vnde & à Concilio Tridentino verba repetuntur, sess. 6. cap. 16. Quam ecclesiæ Catholicæ doctrinam dum negant hæretici; procul dubio bonitati & gratiæ Dei, quæ nostrorum effectrix est meritorum, detrahunt. Consule Augustinum lib. de gratia & lib. arb. cap. 17. de corr. & grat. cap. 13. & hom. 14. inter 50. Quibus locis hæc apostoli verba tractat

eo modo, quo diximus.

NON SOLVM AVTEM MIHI, SED ET IIS QVI DILIGVNT ADVENTVM BIVS. Græcè, Sed & omnibus ijs qui dilexerint apparitionem eius. tametsi suspicio est notam distributionem omnibus, in Græco adiecticiam esse: Nam Hentenius in Oecumenio non reddit; Ambrosianus quoque ac cæteri veteres Latini non legunt; Denique nec Syrus interpres in suo Græco reperit. Atque omnino proliuius est hanc voculam addere, quam auferre: propterea quod sensus eam postulare videatur. Ob quam causam ab omnibus subintelligitur; atque à Patribus Tridentinis etiam addita fuit sess. 6. cap. 16. Sensus enim est: Nec mihi solum reddet Dominus coronam iusticiæ; sed & omnibus qui inueniuntur dilexisse eius aduentum quo manifestus & gloriosus apparebit vniuerso mundo. Diligunt aduentum Domini, qui sanctis operibus ad eum sese præparantes, ipsum se expectare, & diligere declarant; quomodo Domini sui aduentum diligit seruus, qui ea facit quæ Domino placent, vt cum ille venerit, paratus inueniatur. Non diligit autem, qui quasi Dominus non sit venturus, ea facit, quæ nouit illi displicere. Hanc enim vtriusque serui comparationem ipse Dominus adducit Luc. 12. Cæterum ex hac parte sententiæ constat per coronam iusticiæ Paulum non intellexisse præmiū aliquod accidentale, sibi que peculiare, sicut nonnulli intellexerunt; sed vitæ æternam, quæ præmiū est essentialis. Facit enim eam coronam omnibus aduentum Domini diligentibus communem.

FESTINA AD ME VENIRE CITO. Græcè σπεύδασον, id est, stude, da operam vt venias ad me cito. Cur Timotheum quem Asianis ecclesijs episcopum præfecerat, Romam ad se euocet apostolus; non leuem profecto causam fuisse existimandum est; quamuis eam hic non explicet; nisi, quod ex sequentibus conijcere licet, eius ministerio vt ipsum voluisse ad promouendum Christi negocium, eo quod alijs adiutoribus esset penè destitutus. Nam quod nonnulli causam hanc adferunt, vt priusquam moreretur, eum videret; ex supradictis vanum apparet; nec ea causa satis digna est tanto apostolo. Quod ait, cito, non sentit continuò literis acceptis Timotheo veniendum esse. Cur enim tam multa in hac epistola ei præcepisset de regenda ecclesiâ, si statim erat eum habiturus præsentem? Sed, cito, id est, (vt infra declarat) ante hyemem; ne scilicet in alterum annum differat profectionem. Cum enim Paulus Romam venerit sub tempore vernum, vt facillè colligitur ex vltimo capite Act. probabile sit, hanc epistolam, quæ ab illo tempore aut prima fuit, aut secunda, scriptam fuisse paulo post idem tempus, id est, incunte ætate proxima, quemadmo-

Ee 2

dum &

dum & Baronius opinatur. Ex hoc apostoli loco habemus, episcopos à suis ecclesijs ad tempus posse abesse ob graues causas.

9 DEMAS ENIM ME RELIQUIT, DILIGENS HOC SÆCVLM. Dereliquerat Paulum captiuum Demas (vt apparet) periculo territus, ac suæ securitati & quieti consulere volens. Hoc enim est quod ait: *Diligens hoc seculum*, id est, huius vitæ commodorum amore ductus, ita vt, tam Pauli quam euangelij curam priuatis commodis postponeret. Vbi tamen non est significatum quod à fide Christi defecerit: Imo verò, si (quod nobis admodum verisimile est) hæc epistola scripta fuit è carcere Romano prima aut secunda; tantum ad tempus apostolum reliquisse, putandus est. Nam postea ad eum reuersus, iterum sese illi adiutorem exhibuit. Quod manifestè probant epistolæ posteriori scriptæ ad Coloss. & ad Philemonem; in quibus Demas inter salutantes nominatur, & ita quidem, vt in altera connumeretur adiutoribus Pauli. Cui sententiæ subscribit etiam Hieronymus in fine commentarij epistolæ ad Philemonem. Quocirca fatulosum putamus quod scribit Dorothæus in Synopsi, Demam Pauli discipulum, postquam ab eo recessit, factum fuisse apud Thessalonicenses idolotum sacerdotem. Quod fictum arbitror occasione sumpta ex eo quod subiicit apostolus, eum abiisse Thessalonicam. Nec illud probabile, quod scribit Epiphanius hæresi 51. Demam via veritatis relicta fuisse hæreticum, eadem sententem cum Cerintho, Ebione, & alijs, qui Christum nudum hominem assererent. Mihi sanè vero similis est eum, vt Pauli discipulum, bonam operam postea nauasse ecclesiæ Dei; ac fortè eundem esse, quem Ignatius in epistola ad Magnesianos, Damam vocat, ipsorum episcopum ἀξιόθεον, vt loquitur, id est, Deo dignum.

ET ABIIT THESSALONICAM. Siue vt rebus suis priuatis illic vacaret, siue vt procul abesset à periculo. Ac forte Thessalonica erat illi patria.

10 CRESCENS IN GALATIAM. Repetendū, *abijt*, seu profectus est; non tamen amore huius sæculi, quemadmodum Demas, sed vel euangelij causa missus illuc à Paulo, vel certè dimissus ob aliam iustam necessitatem. Pro Galatia Galliam in textu legendam esse contendit Epiphanius hæresi 51. Sed ei nulla suffragantur exemplaria. Cæterum Theodoretus legit quidem Galatiam; sed Galliam interpretatur. Nam vt author est Ammianus lib. 15. Gallos sermo Græcus Galatas appellare solet; quod Galatæ à Gallis originem traxerint. Vnde quod legitur 1. Mach. 8. Romanos subegisse Galatiam, de Gallis intellexit Iosephus, aut eius saltem interpres libro 12. Ant. capite 17. Huc accedit quod antiqua martyrolo-

gia Bedæ, Vsuardi, Adonis, & aliorum; ad quintum cal. Iulij vno ore testantur, Crescentem non tantum in Galatia, sed etiam in Gallijs euangelium prædicasse, sedesque ibi Viennensem & Moguntinam crexisse. Verum hoc ipsum argumento est Galatiam non Galliam hæc intelligi: cum secundum fidem martyrologiorum, Crescens à Paulo in Galatiam missus, quæ est Asia minoris regio, transitum inde fecerit in Gallias; ac rursum ad Galatas reuersus, quibus specialiter datus erat episcopus, tandem apud eos martyrio vitam finierit. Adde quod in Actis & epistolis apostolicis vno semper & consueto modo Galatia sumi videtur, pro ea scilicet regione minoris Asia, quæ hoc nomine erat notissima.

TITVS IN DALMATIAM. Hæc regio est Illyrici. Scribit autem apostolus Rom. 15. *vsque ad Illyricum replensse euangelium Christi*. Quare non dubium quin & Titus illuc euangelij causa, Paulo volente, profectus fuerit. Ad hunc iam antè peculiarem scripserat epistolam, Creta prouincia ei demandata. Cuius & in secunda ad Cor. epistola, frequentem, cum laude facit mentionem.

11 LVCAS EST MECVM SOLVS. Hunc apostoli Pauli sectatorem, & omnis eius peregrinationis indiuiduum comitem appellat Hieronymus in catalogo. Qui & euangelium scripsit; & apostolorum acta, Pauli præsertim, profectus est vsque ab biennium Romæ completum in priore captiuitate.

MARCVM ASSVMÈ, ET ADDVC TECVM. Non de Marco euangelista loquitur; qui Petri comes fuit; sed de Ioanne consobrino Barnabæ, cui cognomen erat Marco; sicut Act. 12. & 15. dicitur. Hunc autem cum Timotheo Romam venisse, quod hæc Paulus exoptat, discimus ex epistolis ad Colossenses & Philemonem postea scriptis. Nam in vtraque Marcus est in numero salutantium; Timotheus autem Paulo coniunctus in titulo.

EST ENIM MIHI VTILIS IN MINISTERIVM. Non priuatum, sed euangelicum: ad quod aliquando visus fuerat inutilis. Nam Act. 15. propter eum facta fuerat dissensio inter Barnabam, & Paulum; Barnaba volente eum assumere comitem ad opus euangelij, Paulo autem negante eum recipiendum esse, propterea quod ipsos in priore expeditione euangelica deseruisset. Verum postea correctus, & ab eodem Paulo utilis, imo perutilis (vt in Græco est) ad euangelij ministerium iudicatus, Romam vnà cum Timotheo, nunc ad id munus euocatur.

12 TYCHICVM AVTEM MISEPHESVM. Ne fortè diceret Timotheus; Quem igitur Ephesi relinquam meo loco, functurum officio episcopi, si Marcum etiam vis vt mecum adducam? occurrit apostolus, dicens, se Tychicum misisse Ephesum; ad hoc scilicet vt vices Timothei suppleat absentis. Tanta erat

Pau-

Pauli sollicitudo pro ecclesijs, vt ne maxima quidem urgente necessitate, vellet eas suis pastoribus destitui, nisi vicarijs idoneis prius substitutis. Vtrum autem per Tychicum hæc ipsa epistola missa fuerit, vnà cum epistola ad Ephesios, vt sentit Baronius, existimans hoc loco præteritum tempus exponendum per præfens, *missi*, id est, *mitto*; An verò, quod alijs placet, diuerso tempore missæ fuerint; & vtra ante alteram: nos, vt perplexum, & cognitum non necessarium, in medio relinquimus. Si Baronij sententia placet, potest quod hæc dicitur, sic exponi; *Missi*, id est, mittendum iam destinavi. Vel certè sic, vt præteritum referatur ad tempus, quo Timotheus literas erat lecturus. Nam sanè, eiusdem temporis verbo vtitur apostolus in epistola ad Philemonem dicens de Onesimo, *quem remis*; cum sit omnium sententia, per ipsum Onesimum eam epistolam missam fuisse.

13 PENVLAM QVAM RELIQVI TROADE APVD CARPV M, VENIENS AFFERT ECVM. De *penula*, quam Paulus requirit, variè sunt interpretum sententiæ, pro varia significatione vocabuli Græci *φελώνη*, aut *φαιλόνη*. Vtrumque enim in codicibus legitur. Ac primùm, falluntur qui exponunt de pallio consulari. Nam id neque significatur ea voce, neque Paulo conuenit. Eodem ferè loco habendum, quod Ambrosianus *penulam* interpretatur vestem senatoriam. Cæterum constat ea voce Romanis significari vestem aptam imbribus, ac frigori depellendo; qua potissimum iter agentes vii solent: quam Hieronymus in tertio dialogo contra Pel. vertit *lacernam*. ac de ea multi præsentem locum accipiunt. Alij significari putant serinolum, seu thecam librariam; quam Syrus interpres, Hebræo more, *domum scriptorum* vocat, id est, arculam, in qua scripta conseruantur. Sed mirum, si Paulus ex loco tam remoto, vestem, aut arculam adferri sibi iubeat; quasi Romæ non essent qui talia aut facerent, aut venderent. Illud quoque præposterum videtur, vt vestem itinerariam reliquerit iter facturus, eandemque repetat itinere peracto. Quod si arculam libris, chartisque referatam, velut Pauli bibliothecam intelligas: erit expositio multo probabilior; præsertim quia librorum, ac membranarum mentio subnectitur. At verò nonnulli antiquiores Græcam vocem interpretati sunt *volumen*. Vnde Hieronymus ad Damasum scribens in epistola 125. q. 2. sic ait; Volumen Hebræum replico, quod Paulus *φελώνη* iuxta quosdam vocat. Loquitur autem de volumine Hebræo veteris instrumenti. Quæ sanè expositio non paruam habet probabilitatem. Nam Græcum *φέλλος* librum, id est, corticem arboris significat; ex quo volumina olim fiebant. Ac notum est veteris scripturæ libros ita scribi solere vt con-

uolui possent, eo videlicet modo, quo adhuc in Iudæorum synagogis visuntur. Nec mireris Paulum è tam longinquo repositere huiusmodi volumen. Cum enim sacrosantum haberetur: nec passim exstabat; nec facile librarijs describendum committebatur. Quod verò quidam *penulam* interpretatur vestem sacram, quam Latini planetam vocant, vulgò casulam; non est vnde solidè probetur. Græcis enim ea vestis non *φελώνη*, sed *φαινόλιον* nuncupatur, vocabulo diuersæ originis, ac soni. Verum satis hæc de penula Pauli. Restat vt de Troade & Carpo breuissimè dicamus. Troas Asia minoris ciuitas erat, eadem cum Troia, decemnali Græcorum obsidione celeberrima. Ad eam Paulus ter accessisse legitur: Primùm, Act. 16. iterum; 1. Cor. 2. Tertio Act. 20. Quo postremo accessu penulam illic reliquit; quando & mortuum ibidem suscitauit. Quod quidem factum est anno vno ante scriptam hanc epistolam. Carpus Troade Paulum hospitio suscepit; dignus habitus cui idem apostolus res suas in depositum, commendaret; quique post obitum in numero sanctorum ab ecclesia honoretur. De quo vide martyrologia ad 3 idus Oct. Ab hoc diuersus esse videtur (etiam nonnulli confundant) Carpus ille Cretensis, æquè ab hospitalitate laudatus, de quo Dionysius quiddam memoria dignum refert in epistola ad Demophilum. Rursum diuersus ab vtroque Polycarpus Smyrnæ episcopus, & Christi martyr insignis.

ET LIBROS, MAXIME AVTEM MEMBRANAS. Si *penulam* accipimus arcam librariam; erit hæc pars supplementum, & expositio præcedentis; q. d. apostolus, Veniens adfer tecum arcam seu serinium vnà cum libris & membranis in eo repositis. Si *volumen* intelligatur: distinguenda erunt hæc tria, vt *volumen* sit liber scripturæ sacræ, sicut ante dictum est; *libri* sint alij codices in chartis descripti; *membrana* verò (quod idem vocabulum hic in Græco est) sint schædæ pellicæ, in quibus, vii verisimile est, Paulus quædam scitu digna, ad iuuandam memoriam, annotauerat. Vnde, velut de ijs singulariter sollicitus, dicit: *maximè membranas*. ramenti Syrus interpres; aliò fortè respiciens; vertit, *fasciculum voluminum*, id est, membranas in volumina complicatas. Porro, circa hunc locum animaduertenda quædam sunt. Primum, satis ex eo liquere, quod scripta sit à Paulo hæc epistola breui post ipsius in urbem aduētum; & proinde multis annis ante mortem. Non enim repositet vestem, aut arculam, aut libros ab annis ferè decem Troade relictos. Deinde, si diem obitus iam iam sibi instare sentiebat; quorsum requirit ista; sibi iam nulli vsui futura? Postremò, quantum existimare debeant omnes episcopi, & pastores, sibi necessariam esse lectionem, & studium

scripturæ sacræ, quantumcunque etiã profecerint; quoniam Paulus ab ipso Domino mytheria religionis edoctus, & tot annis apostolatu sanctus, adhuc libros desiderat quos legat.

14

ALEXANDER ERARIUS MULTA MALA MIHI OSTENDIT. Græca vox *καλκεις*, *fabrum ærarium* significat; ne quæstorem ærarium quispiam hic suspicetur. Hunc Alexandrum (si tamen idem est) tanquam hæreticum, Paulus excommunicauerat, ut ipse testatur 1. Tim. 1. Quo Pauli factio irritatus, multo etiam magis sanæ doctrinæ resistebat. Erat autem Iudæus, Ephesius, idemque fidem Christi professus; Neque enim aliter excommunicari poterat. Idem, ut apparet, quo acceptam, quam putabat, iniuriam ulcisceretur, Pauli captiui causam apud Neronis amicos exagitat, tanquam hominis seditiosi, ac noua dogmata disseminantis, atque veterem Iudæorum religionem (quæ Romæ permixta erat) expugnantis. Huiusmodi falsos fratres Paulus, in ipsis etiam vinculis constitutus, quæ pro Christo tolerabat, infestos habuit. *Multa*, inquit, *mala mihi ostendit*, fecit, exhibuit, intulit: Multis malis me affecit. Hebræa phrasid est, eademque frequens in scripturis: *Vnde illa in psalmis; Quis ostendit nobis bona? Offende nobis Domine misericordiam tuam. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & mala?* Et quod præsentis loco simillimum est, *Ostendisti populo tuo dura*. Sic ipse Paulus Tit. 3. *Omnes ostendentes mansuetudinem*.

REDDIT ILLI DOMINUS SECUNDUM OPERA EIVS. Græcè, *reddat*, imprecationis modo. Cui lectioni suffragantur tam Latini codices manuscripti non pauci, quam veteres enarratores Ambrosianus, Pelagius, Primastus, & Sedulius. Ad eundem modum legunt Hieronymus libro tertio dialogi contra Pela. capite primo, atque in expositione capitis octauæ Ecclesiastæ, & Gregorius, seu quisquis author, in Concordia locorum scripturæ, interrogatione vltima. Et ille quidem affirmat hæc esse verba malè precantis, dicitque querendum, quomodo talia clementer dicta sint: hic verò, sensum conatur explicare; quemadmodum & Græci interpretes. At è diuerso in editione Syriaca futurum legitur enunciatium. Similiter & apud Augustinum libro 16. contra Faustum cap. 22. & lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 37. Quo posteriore loco sic habet: *Non ait, Reddat, sed reddet illi Dominus secundum opera eius. Quod verbum præannunciantis est, non imprecantis*. Atque hæc Augustini verba multi Latinorum in suas enarrationes retulerunt. Sed priore loco apud Augustinum esse legendum *reddat*; videtur indubitatum; quia ibi docet quomodo sint

accipiendæ huiusmodi imprecationes. Vnde eundem loco posteriore viciato codice vsum fuisse, crediderim: Syrum verò interpretem maluisse sensum dare, quam verbum reddere, quod videbatur offensurum. Quæ res etiam scribis imperitioribus occasionem dedit mutandæ lectionis. Cæterum imprecatorius hic sermo nihilo magis offendere debuit, quam aliæ tam multæ quæ in psalmis & prophetis leguntur aduersus impios execrationes; quas charitati contrarias esse nemo dixerit orthodoxus. Nam quòd Paulus, pro quo persequente & sæuiente Stephanus, quando lapidabatur orauit, parem omnino charitatis affectum erga suos inimicos gesserit, vel ex eo perspicuum est, quod ad Rom. 9. scribit se optasse pro illis esse anathema; quodque rursus cap. 10. sic ait: *Voluntas cordis mei, & obsecratio ad Deum sit pro illis ad salutem*. Loquitur enim de Iudæis, qui ipsum capitaliter oderant. Non ergo malevolentia vel impatientia fuit quod hic dicit, *Reddat illi Dominus*; Sed aut intelligendum est eum hoc propheticum spiritu prænucciassè, cum approbatione iusticiæ diuinæ, quomodo multa similia in psalmis, & prophetis dicuntur; aut reuera vindictam illi diuinam, quatenus iusta est, imprecatum fuisse, præsupposita tamen eius impenitentia; vt qui maliciosè peccans, spem emendationis nullam præberet. Sic enim & animæ martyrum interfectorum Apoc. 6 Deum orant, *vt sanguinem ipsorum vindicet de ijs qui habitant in terra*. Nec dissimile illud Nehem. 4. aduersus malignos irrisores populi Dei: *Ne operis, inquit, iniquitatem eorum; & peccatum eorum coram facie tua non deleatur; quia irriserunt adificantes*. Sepsum hunc tradit Caietanus, in eo quod dicit hæc esse verba cupientis diuinam iusticiam. Nam quod apostolus ad diuinam iusticiam respiciat, manifestum est, quia addit: *secundum opera eius*. Hoc autè genus imprecationis, seu maledicti licitum & sanctum esse, docet Aquinas in 2. sec. q. 25. art. 6. ad 3. & q. 76. art. 1. in cor. & ad 3. Notandum obiter, *Dominum* hic conuenienter intelligi Christum, quemadmodum superius ibi: *Reddet mihi Dominus*. Vbi & *iustum iudicem* eum appellauit, non ob aliud, quam quia redditurus est vnique secundum opera sua.

15 QVEM ET TV DEVITA. Id est, observa, & caue tibi ab illo. Idem significat Græcum *φύλασσε*, quo & Lucas vsus est Act. 21. vbi nos habemus: *vt abstineant se ab idolis immolato* &c. Innuat autem Paulus, Alexandrū fuisse hominem qui circumcursaret, vt vbi que Iudæos aduersus ipsum, & doctrinam eius incitaret; qui que nunc Romæ esset nunc alibi: adeo quidem vt etiam Timotheum qui Ephesi erat, aggressurus videretur; siue vt eum retraheret ad legem Moysi, siue vt legis aduersarium, Paulique discipulum vexaturus.

VALDE

VALDE ENIM RESTITIT VERBIS NOSTRIS. Cum in Alexandro duo mala notentur; alterum quod aduersarius esset doctrinæ Pauli; alterum quod ipsum Paulum multis malis afficeret: hoc posteriori dissimulato, tantum prius illud adfert pro ratione cur Timotheo cauendus esset, quia nimirum Pauli sermonibus ac doctrinæ vehementer fuerat aduersatus; vt discamus hæreticos ob eam potius causam cauendos esse, quia falsa docent, quam quia temporaliter nocent.

16

IN PRIMA MEA DEFENSIONE NEMO MIHI ADPVIT: Id est, auxilium, aut patrocinium præstitit. Certiorem nunc facit Timotheum de successu causæ suæ pro qua reus & captus Romam ductus fuerat. Itaque *primam suam defensionem vocat*, quando primum omnium ad tribunal Neronis causam dixit. Vbi iam impleri cepit illud, quod Dominus ei Hierosolymis apparetur futurum prædixerat, Act. 23. his verbis: *Constans esto. Sicut enim iustificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari*. Hoc autem contigisse primo anno quo Romam venit, etsi Lucas in Actis eius non meminerit; dubium esse non potest, scienti morem Romanum de captiuis audiendis, ac memoria repetenti ea per quæ satis iam probatum est hanc epistolam eodem anno scriptam fuisse. Quam si scripisset, vt multi putant, instante martyrio: non vtique post tot annos, de prima sua defensione, quid actum esset, Timotheo significaret; præsertim cum ex alijs epistolis certò constet eum interea Romæ Paulo adfuisse. Respondet quidem Caietanus Paulum loqui de defensione non omnium prima, sed quam primam habuit post secundum suum aduentum in urbem Romam. Verum cætera quæ partim in argumento, partim in hoc capite, de tempore scriptæ huius epistolæ, dicta à nobis sunt, & dicenda; huiusmodi responsionem non admittunt. Vt interim præteream quod proximè dicit Apostolus, *Vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes*, quo ex loco Salboldus colligit apostolum loqui de prima defensione sui quum primò Romam venisset.

SED OMNES ME DERELIQUERVNT. Id est, omnium amicorum ope sui destitutus. Loquitur de ijs qui prodesse poterant; vt qui gratia valebant apud aulicos. Tantus enim omnes inuaserat communis periculi metus, vt Pauli captiui causam nullus auderet commendare. Cæterum à Luca familiari suo, de quo supra dixit: *Lucas est mecum solus*, desertum eum fuisse, nequaquam est verisimile. Potest & ita exponi; *Omnes*, id est, pene omnes

NON ILLIS IMPVTEVR. Alexandro peccanti in Spiritum sanctum diuinam ultionem imprecatus fuerat: his autem qui tantum ex humana quadam infirmitate & metu peccabant, veniam à Deo precatur. Hoc enim est quod optatiuè dicit; *Non illis imputetur*, scilicet, in culpam apud Deum; id est,

Deus remittat, non puniat. Hoc enim dicit quod pro suis persecutoribus, inter quos Paulus fuerat, Stephanus dixerat; *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Act. 7. Porro non ita pro his orat Paulus, quasi non etiam pro maliciosè peccantibus, vt hæreticis, & apostatis orandum sit: sed quod impetrandi fiducia pro his multo minor sit quam pro illis.

17

DOMINVS AVTEM MIHI ASTITIT, ET CONFORTAVIT ME. Cum essem, inquit, ita desertus & destitutus omnium auxilio; Christus Dominus mihi præsto fuit, meque corroborauit, ne succumberem in mea defensione, ac ne metu mortis dicerem aut facerem quicquam quod esset præter dignitatem causæ susceptæ. Sic enim ipse pollicitus est Luc. 21. dicens: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Porro quod recentiores quidam interpretes Erasmus secuti, pro verbo, *astitit*, reddere maluerunt, *adfuit*; non probamus. Diuersum est enim in Græco verbum ab eo quod paulo antè habetur, *Nemo mihi adfuit*; idem autem cum eo quod Act. 27. verbis Pauli legitur, *Astuit mihi hæc nocte angelus*. Et mox angeli verbis, *Ne timeas Paulus, Casari te oportet assistere*. Quo loco ipse etiam Erasmus alterum *astitit*, alterum *sistit* vertendum sibi putauit. Igitur secundum Græca vocabula, aliud est *adesse*, aliud *assistere*. Illud, significat opem ferre: istud, præsentem altare. Quare sicut in Actis eo sermone significatum est angelum Paulo præsentem sese exhibuisse per reuelationem; ita & hoc loco Christum Dominum. Similis est locus Act. 23. qui sic habet, *Sequens autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto &c*. Ex qua locorum collatione, iam promptum est intelligere, Paulum dicentem: *Dominus mihi astitit*, non solum loqui de præsentia auxilij diuini; sed de apparitione Dominica sibi facta, qua singulariter in illo periculo, fuerit confortatus. An autem apparuerit ei Dominus per angelum, an per seipsum; non liquet: nisi quod ordinarium sit talia per angelorum ministeria fieri. Nam & de Christo Domino legitur, quod *apparuit illi angelus de celo confortans eum*. Luc. 22.

VT PER ME PRÆDICATIO IMPLEATUR ET AVDIANT OMNES GENTES. Quamuis hac parte significari possit causa propter quam astiterit ei Dominus, & confortauerit eum: magis tamen videtur esse sermo narrantis, quid sibi à Domino per reuelationem dictum fuerit, nimirum hæc aut similia verba: *Constans esto, Ne timeas. Adhuc enim oportet vt per te prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes*. Sic enim expositus hic locus, maximam omnino similitudinem habet cum utroque loco Act. iam paulò ante citato. *Impleatur*, Græcè *πληροφωρηθῆ*, quod alius

Ee 4

qui

quidam vertit, confirmetur, alius sic reddit sententiam: *Ut per me fietis fides præconijs seu prædicationis*. Fallit hos opinio de significatione verbi Græci, de qua satis alibi diximus. Rectius hoc loco Erasimus, Lonicerus, & Hentenius, qui cum nostro interprete, impletur, aut expletur, vertunt. Ita superius hoc eodem capite: *Ministerium tuum imple*. Et huic significationi respondet Theophylacti & Oecumenij commentarius. Denique, eam explicat quod hic adiungitur: *Et audiant omnes gentes*. Itaque sensus est. Dominum Paulo per visum dixisse, Oportet ut per te euangelij præconium impleatur, ad plenum perducatur, id est, longius, & usque ad terminum tibi à me decretum, prætendatur; ita ut audiant illud omnes gentes: hoc est, ut latissimè per gentes (quarum tu es apostolus) propagetur euangelij mei doctrina. Non enim *audium* inanem intelligit, sed cum effectu fidei. Simile illud Rom. 15. *Ita ut ab Hierusalem per circumum, usque ad Illyricum replerim euangelium Christi*, id est, longè, latèque propagauerim. Vide eius loci commentarium. Quod igitur Ioanni de recitendo prophetandi officio dictum legitur Apo. 11. idem de instaurando euangelij præconio Paulus sibi dictum indicat; tanquam & ipse audiret à Domino: *Oportet te iterum prædicare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*. Porro siue pars ista narratiue, sicut eam exposuimus, intelligatur; siue, quod alijs placet, causaliter: illud tamen significari non dubium est, euangelij prædicationem per Paulum ad huc implendam esse, ut audiant omnes gentes. Ex quo datur intelligi Paulum postea vinculis solutum ac liberum, in varias orbis partes euangelium sua prædicatione diuisisse. Quare, nec in postremis vinculis, nec instante martyrio scripta est ab eo hæc epistola; sed multo antè, videlicet in priore captiuitate Romana; quandoquidem Romæ bis tantum incarcerationum eum fuisse historiarum produnt. Unde nec in superioribus, alia cogitanda est *prima defensio*, quam qua è primis vinculis causam dixit. Id quod etiam sagaciter obseruauit in suo commentario Sasboldus, ut illic monuimus.

ET LIBERATUS SVM DE ORE LEONIS. *Liberatus* Græcè, *ereptus*. Neque enim significat se liberatum è vinculis; cum hæc ipsa è vinculis scribat, & toto benigno vinculis permanferit: sed, præsentis periculo, quod tunc metuebatur, ereptum fuisse. *Leonem*, plerique Neronem Cæsarem interpretantur, ita dictum ob ferociam animi. Nam etsi primo, ac secundo imperij sui anno mansueti atque benefici principis nomen promereri visus fuerit: mox tamen in apertam sæuiciam prorumpere cepit, ut de eo historici testantur. Agebatur au-

tem tertius annus imperij eius, quando Paulus primum ad tribunal eius stetit. Alij verò, quod probabilis est, hac sermonis figura non aliud significari putant quam periculi magnitudinem, è quo diuina ope fuerit ereptus; ut si diceret ereptum se è faucibus mortis. Sic enim fere accipitur illa phrasis in scripturis. Neque verisimile est Paulum apud ipsum Neronem causam tunc dixisse, sed apud iudicem quempiam inferiorem.

LIBERAVIT ME DOMINUS AB OMNI OPERE MALO. Græcè & Syriacè, *Et eripiet me*. Similiter Ambrosianus, & manuscripta quædam Latina legunt in futuro: *Liberabit autem me*. Nec est in Græco inter præteritum verbum & futurum ea soni similitudo, quæ mutationem alterius in alterum facile admitteret, quemadmodum in Latino. Denique, futurum postulat eiusdem temporis verbum subsequens, *Et saluum faciet*. Sunt autem optimæ fiduciam verba; quæ hunc sensum habent: Non solum tunc ereptus sum è vitæ periculo; verum etiam certò confidore ut idem Christus Dominus in posterum me conseruet; si non à persecutione, & periculo; certè ab omni opere malo, quo scilicet à confessione nominis eius recederem. Id est, non patiar me superari à tentatione, sed daturus sit constantiam usque ad mortem. Unde sequitur,

ET SALVVM FACIET IN REGNUM SVVM CÆLESTE. q. d. etsi à morte præsentis non eripiat, futurum tamen confido, ut me saluet, perducendo in regnum suum cæleste, vbi perpetua vita & salute cum eo fruatur. Vocat regnum cæleste, ad distinctionem terreni & temporalis; quum illud sit spirituale & æternum.

CVI GLORIA IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN. Obserua contra Arianos, Apostolum ea Christo ascribere, quæ alibi Deo velut propria tribuit; vt. I. Tim. I. & Rom. vlt.

SALVTA PRISCAM, ET AQUILAM. More suo salutationes aliquot subnectit. Quod codices tam Græci, quam Latini variant, vt alij *Priscam* legant, alij *Priscillam*; mirandum non est. Nam *Priscilla* à *Prisca* diminutiuum est; quo fere gaudent mulieres appellari. Atque hoc nomen ter legitur Act. 18. Cur autem Priscam priori loco nominet, uxorem scilicet ante virum; quæri potest. Sed de eo satis dictum est Rom. vlt. vbi inter salutationes eodem ordine nominantur.

ET ONESIPHORI DOMVM. Id est, familiam eius domesticam. De Onesiphoro, & eius in Paulum humanitate, habemus supra cap. 1.

ERASTVS REMANSIT CORINTHI. Hic vnus erat eorum qui Paulo ministrabant, vt habetur Act. 19. Idem Rom. vlt. *arcarius ciuitatis* vocatur, scilicet Corinthiorum, sicut ibi expositum est. Is Corinthi remanserat anno superiore, quando per eas partes Paulus iter faciebat, vt innuitur eodem loco Actorum. Remanserat autem detentus, vt verisimile est, publicis officij sui negocijs.

TROPHIMVM AVTEM RELIQVI INFIRMVM MILETI. Fuit & hic è comitibus Pauli, vt liquet ex Act. 20. & 21. vbi modò Asianus, modò Ephesus appellatur. De hoc constat ex Actorum historia, quod vna cum Paulo Mileto discesserit, ac Hierosolymam peruenerit; vbi templum ingressus occasionem attulit Iudæis commouenditumultum aduersus Paulum. Neque verò Paulus postea Miletum reuersus legitur, sed ex Hierosolyma captiuus Romam perductus est itinere longè diuerso. Quomodo igitur potuit Trophimum Mileti infirmum reliquisse? Respondendum videtur, aut mendum irrepsisse in hunc locum, vt *Mileti* pro *Melita* scriptum sit, veluti suspicatur Baronius: aut, si suspicionem non admittas, quod nulla ei suffragantur exemplaria; *Melitem* à Paulo *Mileum* vocatam esse, transpositis, vt interdum fit, vocalibus. Est autem Melita, insula ad quam Paulus Romam proficiscens, nauigio appulit; Act. vlt. vbi & patrem principis insulæ morbo liberavit, & omnes eiusdem insulæ infirmos curauit. Cur autem Trophimum itineris sui comitem nõ etiam curauerit; eadè ratio à nobis reddenda est, quæ reddita est alibi de Epaphrodito, & Timotheo. Neque tamen ex ea infirmitate mortuus est Trophimus: Nam postea à Paulo Arelatem destinatus fuit episcopus; de cuius fonte, vt ait Sozimus papa, tota Gallia fidei riuiolos accepit. Legitur in martyrologijs ad quartum Cal. Ianuarij.

ADDITVNCVLA B. P.

Etiam in Creta fuisse urbem cui nomen esset Miletus, Grammatici probant ex Homero 2. Iliad. & ex Strabone lib. 12. In hac potuit relinquere Trophimus ægotus, quum Cretam ad nauigare Paulus captiuus, vt legitur Act. 27. paulo post initium. Strabonis testimoniũ hac in re eo plus valere debet quod fuerit Cretensis.

Porro cur hæc de Erasto & Trophimo commemoret apostolus, intelligitur ex eo quod sequitur.

FESTINA ANTE HYEMEM VENIRE. Græcè, *Cura ut ante hyemem venias*. Cum enim socijs euangelij non solum prioribus illis, verum etiam his duobus destitutus sim; valde mihi operata tua est necessaria. Dicit autem: *ante hyemem*, Timotheo consulens, quòd hyberno tempore periculosa sit nauigatio.

SALVTANT TE EVBVLVS, ET PVDENS, ET LINVS, ET CLAVDIA. *Pudens* vir erat apud Romanos clarissimus, senatorij ordinis, pater sanctarum Prædis, & Pudentianæ virginum, de quo vide martyrologium ad 14. Cal. Iunij. *Linus* verò, idem qui Petro proximus in episcopatu Romano postea successit, & antea Paulo ministravit, Ignatio teste in epistola ad Trallianos.


ADDITVNCVLA B. P.

De hoc Pudente, ac de Claudia quæ hic nominatur, ipsius vxore, nuper elaboratum magnaque industria ex veteribus ethnicis erutum, prodijt Synagma viri nobilitate & doctrina atque ingenio egregij, Francisci Moncæi Frigidæ Vallis Toparchæ, Tornaci excusum. Est ei titulus, Ecclesiæ Christianæ veteris Britannicæ incurabula regia.

ET FRATRES OMNES. Post nominatos præcipuos hac generali clausula reliquos omnes, qui Romæ erant fideles complectitur.

DOMINVS IESVS CHRISTVS CVM SPIRITV TVO. Id est, tecum sit per gratiam suam. Unde sequitur.

GRATIA VOBIS CVM. AMEN. *Vobiscum*, id est, tecum, & cum vniuersa ecclesia tibi commissa. Pro *vobiscum*, *μεθ' ὑμῶν*, quod hodie constanter habent codices Græci, in Græcorum commentarijs legitur, & studiosè exponitur *μεθ' ὑμῶν nobiscum*. Dicunt enim Paulum hæc etiam sibi ipsi gratiam Dei precari. Mihi probabilior est vulgata codicum lectio. Nam & epistolam ad Titum, quamuis ad eum solum scribat, ita claudit; *Gratia cum omnibus vobis. Amen*. Græca subscriptio post finem epistolæ sic habet. Scripta è Roma ad Timotheum secunda, quum Paulus iterum sistere retur Cæsari Neroni. Sed huiusmodi Græcæ subscriptiones, vt incerti sunt authoris, ita non magnæ authoritatis.



IN EPISTOLAM
BEATI PAULI
 APOSTOLI
 AD TITVM
 COMMENTARIVS.
 ARGVMENTVM EPISTOLÆ.



HIVVS epistolę, quam ad Titum, suum ex gentilitate discipulum, scripsit apostolus, idem fere argumentum est cum duabus ad Timotheum, præsertim cum priore. Nam sicut Timotheum Asię minori præferat; ita Titum Cretę celeberrimę & amplissimę insule, quę nunc vulgo Candia vocatur. Erat igitur vterque de ijs, quę ad regimen ecclesiarum pertinerent, etiam per literas instruendus. Quamuis enim non sit dubium quin apostolus eos coram satis, & doctrina & monitis instruxisset, quando eis curam ecclesiarum delegabat: id ipsum tamen denuo per epistolam sibi faciendum putavit, tum vt eadem inculcata magis hærent memorię, tum quod sciret se non illis solum scribere, sed quod profuturum esset toti ecclesię; tametsi scribendi occasione ex emergentibus quibusdam causis accepta; maximè ex eo quod ijs in locis quidam doctrinis ac fabulis suis Iudaicis sinceritatem fidei Christianę studerent corrumpere. Nam aduersus hoc genus agit in vtraque epistola non longè post initium. Quod autem multo breuius ad Titum scribat, quam ad Timotheum, ea ratio reddi potest, quia Titus vt ætate prouectior, ita & ecclesiasticis rebus gerendis erat exercitior: Timotheus autem iunior, atque recentior; ideoque pluribus informandus. Primum ergo de presbyteris, siue episcopis ordinandis Titum admonet; Mox aduersus Iudizantes insurgit, quos iubet acriter increpari. Deinde ad morum præcepta accedens, etatum, ac personarum officia præscribit; Imprimis autem obedientiam, & subiectionem commendat tam seruis erga dominos, quam fidelibus in vniuersum omnibus erga principes. Et inter hæc semel atque iterum præclaram admiscet mentionem gratiæ, qua nullo no-

stro me-

stro merito saluamur per Christum. Denique à vanis quęstionibus auocat, & hæreticum fugiendum monet. Quando scripta sit hæc epistola, non liquet, nec facile ex Actis apostolorum colligi potest, quod in ijs non legatur Paulus Cretam ingressus fuisse. Verisimile est scriptam esse ante captiuitatem apostoli; quia vinculorum hinc nulla mentio. Immo cum dicit cap. 3. *Ibi enim statui hyemare*, planè significat non esse vinctum. Putat Baronius apostolum tunc quando è Macedonia (sicut Act. 20 legitur) in Græciam profectus est, non statim recto itinere in Græciam venisse; sed navigatione vsu prius appulisse in Cretam, atque ibi prædicato euāgelio, ac Tito discipulo ad curandam eius regionis ecclesiam relicto, demum in Græciam, siue Achaïam peruenisse; vbi tribus mensibus moratum fuisse Paulum Lucas eodem Act. cap. 20. testatur. Igitur eo tempore scriptam esse hanc epistolam existimat. Incidit autem illud tempus in secundum imperij Neronis annum. Videndum autem an hæc Baronij sententia satis congruat his quę leguntur 2. Cor. 2. Quod ad locum attinet, Nicopoli scriptam esse censet Hieronymus; quod & legitur in argumento huic epistolę in Latinis codicibus præfixo; Idemque loquitur hypographe Græcorum. Coniecturam isti capiunt ex eo quod dicit apostolus cap. 3. *Festina ad me venire Nicopolim*. Sed cum subiungat: *Ibi enim statui hyemare*: non vtique significat se Nicopoli esse quum hæc scriberet, sed futurum esse. Nisi dicas hæc à Paulo scribi ineunte hyeme; quasi dicat; Nicopoli, vbi nunc sum, me inuenies: Ibi enim tota hyeme sum mansurus. Vt vt est, illud saltem apparet, epistolam hanc ex Achaïa missam esse.

SUMMARIUM.

Scribit de constituendis per ciuitates presbyteris; & quales ij esse debeant: per eos redargui debere errorum magistris Iudaicis fabulis de dios.

CAPVT I.

PAVLVS SERVVS DEI. Peculiare est huic epistolę, quod in eius fronte *seruum Dei* Paulus se nominet. Nam in alijs epistolis, aut *seruum Iesu Christi*, aut eius apostolum se vocat. Dicit autem se *Dei seruum*, non solum communi ratione, qua serui Dei dicuntur; quicunque verum, ac sincerum cultum Deo exhibent, & vt habet canticum Zacharię, *in sanctitate & iusticia* ei seruiunt; quod est omnium piorum: sed quod in familia & regno Dei certum ministerium, atque officium sibi iniunctum habeat. Quod quidem explicat sequentibus verbis,

APOSTOLVS AVTEM IESV CHRISTI. De hoc titulo iatis alibi diximus. De eodem pulchrè Hieronymus in commentario. Hoc tale

mihî videtur, inquit, quale, si dixisset, *Præfectus prætorio Augusti Cæsaris; Magister exercitus Tiberij Imperatoris*. Vt enim iudices huius sæculi quo nobiliores esse videantur, ex regibus, quibus seruiunt, & ex dignitate, qua intumescunt, vocabula sortiuntur: ita Paulus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, apostolorum se Christi titulo prænotauit. Hęc ille. Non debet autem offendere quod se vocet *seruum Dei, apostolum autem Iesu Christi*; Quasi Christus non sit Deus: Nam Christum secundum id quod homo est, & caput totius ecclesię, considerat. Quin potius ex eo quod indifferenter, modò Dei, modò Christi seruum se nominat; Christum esse Deum vult intelligi.

SECUNDVM FIDEM ELECTORVM DEI. Chrysostomus, & eius sequaces sic exponunt; *Christi apostoli, cui concrediti sunt electi Dei*. Iuxta quem sensum; *fides* ad Paulum refertur, & eam significat virtutem, quæ ab ijs exigitur, quibus magnum aliquid committitur. Alij, Hieronymum secuti; phrasim Hebræam hinc agnoscunt, vt sensus sit; *Seruus Dei & apostolus, seu legatus Christi, in hoc missus, vt ijs, qui sunt à Deo electi, fidem,*

quæ

qua saluentur annunciem. Quæ expositio simplicior est, & apostolico sensui congruentior: quam & Theodoretus inuit. Nec ab ea dissentiunt Theophylactus, & Oecumenius; dum alterum hunc sensum adijciunt, Apostolus sum, ut electi per me credant. Specialiter autem *electorum* meminit; non quod ij soli credant in Christum, ut peruersè ex hoc loco colligunt sectarij; sed quia salus, ad quam dirigitur fides annunciata, totumque munus apostolicum, solis ex Dei voluntate contingit electis. Vnde & ait in 2. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.*

ET AGNITIONEM VERITATIS. Expositio est eius quod præcedit. In hoc. inquit, missus sum apostolus, ut electi per me credant, & cognoscant veritatem. Nam credere est cognoscere & recipere veritatem diuinitus reuelatam de rebus ad pietatem, atque æternam salutem pertinentibus. Vnde addit;

QUÆ SECUNDVM PIETATEM EST IN SPERAM VITÆ ÆTERNÆ. Relatiuum, quæ, veritatem respicit, ut patet ex Græco. Nec Græcè est, *in spem*, sed *in spe*, quemadmodum & Hieronymus legit. Itaque sensus est: Quæ veritas circa pietatem, verumque Dei cultum versatur; ex quo speranda nobis offertur vita æterna; idque iuxta Dei promissionem, prout sequitur,

QUAM PROMISIT, QVINON MENTITVR DEVS, ANTE TEMPORA SÆCVLARIA. *Qui non mentitur*, Græcè ἀψευδής, quasi dicas, *imendax*, id est, expers mendacij. Hieronymus in commentario, & Augustinus lib. 12. de ciuit. Dei cap. 16. legunt, *non mendax*. Ambrosianus, ac Syrus interpres, *verax*. Rectè alij vertunt, *Qui mentiri nescit, non potest*; iuxta quod dicit 2. Tim. 2. *Negare seipsum non potest*. Statuit enim apostolus immobilem promissionis firmitatem, ex eo, quod ille promiserit qui fallere non potest. Quid sit, *ante tempora sæcularia*, pro quo Hieronymus & Augustinus legunt, *æterna*, Græcè αἰώνια, diximus ad 1. cap. epistolæ secundæ ad Timotheum. Significatur autem vniuersum tempus, quod ab initio fluxit, quodque sæculorum nomine solet in scriptura designari. Vt citius diceretur, *ante omnia sæcula, ante mundum conditum*: Nā sæcula simul cum mundo ceperunt initium, dicente apostolo Heb. 11. *Fide intelligimus apertata esse sæcula verbo Dei, ut ex inuisibilibus visibilia fierent*. Leguntur quidem apud Hieronymum in commentario, hæc verba: Sex millia necdum nostri orbis implentur annorum: & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, Dominationes cæteraque virtutes seruiert Deo, & absque temporum vicibus, atque mensuris Deo iubente subsisterint? Antè hæc itaque tempora, quæ nec sermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promisit Deus &c. Sed, siue ex pro-

pria sententia scribat hæc Hieronymus, siue, (quod interdum facit in commentarijs) ex aliena, (fuit enim illa Græcorum Patrum communis opinio angelos ante mundum corporeum existisse): nihil ei patrocinatur apostolus hoc loco. Tantum enim dicit Deum promississe vitam æternam ante omnia tempora: fuisse autem aliqua tempora ante mundum corporeum non affirmat. Nam ita dictum est *ante tempora sæcularia*, sicut ad Eph. 1. *ante mundi constitutionem*; & sicut Dominus ait Io. 17. *Prisquam mundus esset*. Quæ omnia tantum valent, ac si dicatur, ab æterno; propterea quod ante mundum creatum, sola fuerit æternitas. Veruntamen, in verbo *promittendi*, notanda est catachresis: Nam ab æterno propriè promitti nihil potuit, quando nullus erat cui promitteretur. Sed quia promittentes constituunt dare quod promittunt; hinc apostolus abusus est vocabulo promissionis, pro decreto, seu prædestinatione: ut sit sensus, Deum ab æterno præordinasse, & constituisse dare electis vitam æternam. Atque ea est expositio B. Augustini loco memorato. Quidam auctor *promissionem* accipit propriè; & hunc reddit sententiam: Quam promisit ab antiquis temporibus, scilicet per prophetas. Quomodo Zacharias dicit in cantico; *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum eius*. Vel, quam promisit ab initio sæculorum; scilicet in paradiso, dicens ad serpentem: *Semen mulieris conteret caput tuum*. Verum hæc expositiones contorquent phrasim, *ante tempora sæcularia*; Nostra verò propriè accipit atque eodem modo quo accipitur in 2. Tim. 1.

MANIFESTAVIT AVTEM TEMPORIBVS SVIS VERBUM SVVM. *Temporibus suis*. Græcè, *proprijs*, id est, huic negotio præscriptis, quam alibi vocat plenitudinem temporis, Gal. 4. & Eph. 1. Sunt autem hic & superius in Græco diuersa vocabula, pro quibus nos tempora legimus; χρόνοι & καιροί; quorum posterius propriè significat tempora rebus agendis opportuna, seu deputata; quæ nonnulli appellant momēta, ut interpres vulgatus, 1. Thess. 5. & Act. 1. *Verbum suum*, siue *sermonem suum*, Hieronymus interpretatur *filium*, qui est Verbum Patris. Hunc enim Pater manifestavit mundo, per apostolorum predicationem. Græci verbum euangelij intelligunt. At contextus magis exigit ut intelligatur verbum promittentis; ita tamen, ut metonymicè significetur res promissa, seu prædestinata: q. d. Apostolus, Quod ab æterno Deus promisit, id nunc suo tempore manifestavit; scilicet vitam æternam. Manifestavit autem non quidem statim exhibendo; sed palam prædicando. Vnde sequitur,

IN PRÆDICATIONE, QUÆ CREDITA EST MIHI. Id est, per prædicationem illius æternæ promissionis seu propositi diuini; cuius prædicationis officium, post alios apostolos, etiam mihi Paulo commissum est,

SECUNDVM PRÆCEPTVM SALVATORIS

NOSTRI

NOSTRI DEI. Id est, per delegationem mihi factam à Deo Salvatore nostro. De significatione Græci vocabuli, quod modò *præceptum*, modò *imperium* vertit interpres; diximus exponentes initium prioris ad Timotheum epistolæ. Ex quo etiam apostoli loco, qui huic similis est, satis intelligitur de Deo Patre sermonem esse. Porro quod apostolatum suum Paulus hoc longiori exordio tam accuratè commendat, non id facit Titu causa, sed eorum quibus ille erat præfectus. Cum enim inter eos multi essent Iudæi, idemque Iudaicis fabulis ac traditionibus addicti, ipsique Paulo iniquiores: auctoritatem suam apostolicam, qua illi reprimerentur, atque in ordinem cogerentur, in primis asserendam sibi existimavit.

TITO DILECTO FILIO SECUNDVM COMMVNEM FIDEM. Subaudi, *scribit hanc epistolam*. *Dilecto*, Græcè γυναικί, id est, *germano*, ut legit Ambrosianus; tamen Hieronymus, in cuius textu legitur, *carissimo*, putat vim Græci vocabuli Latino sermone non posse explicari. Sed tamen eam propè explicant hæc vocabula, *vero, ingenuo, germano*. Sentit Apostolus Titum sibi in euangelico ministerio subsidiariam operam nauasse, non seruiliter, sed liberaliter, atque ingenuè; perinde ut filium patri. Addens autem, *secundum communem fidem*; significat eum in fide Christi, eiusque sincera prædicatione, nusquam discedere ab ipsius Pauli vestigijs. Cuius rei testimonia sunt in secunda epistola ad Cor. Communem ergo fidem dicit suam, & Titu, ut bene exponit Hieronymus; non autem communem omnibus fidelibus; quæ commendatio nimium esset generalis. Conferenda est hæc salutaris cum ea quæ penè eadem est ad Timotheum in prima epistola, vbi dicit, *Timotheo dilecto, siue germano, filio in fide*.

GRATIA ET PAX A DEO PATRE. Græcè, *Gratia, misericordia, pax à Deo Patre*. Et quidem Græcos interpretes Theophylactum & Oecumenium medio loco *miserericordiam* legisse, probant eorum commentarij; verum Chrysostomus inter enarrandum, *miserericordiam* non meminit, sed tantum gratiæ, & pacis. Hieronymus & Ambrosianus, cæteri que Latini, *miserericordiam* nec legunt, nec explicant. Constat Origenem non legisse, scribentem in ep. ad Rom. c. 1. initio salutationis. Denique Syrus interpres non agnoscit. Quare verisimile est, ex duabus ad Timotheum epistolis, in quibus legitur, huc quoque translaturum esse. Quid autem nomine *gratia & pacis* in huiusmodi salutationibus significetur, satis in præcedentibus epistolis dictum est.

ET CHRISTO IESV SALVATORE NOSTRO. Græcè, atque Syriacè: *Et Domino Iesu Christo Salvatore nostro*. Sic & Ambrosianus. Epitherum *Saluatoris* Christo addendum putauit apostolus, quia Deo id pau-

lo ante tribuerat, ut ex communicatione nominis filius intelligeretur non inferior Patre. Quanquam aliter Christus Saluator ut Deus; aliter, ut homo. Salutem enim quam ut Deus principaliter operatur, ut homo promeritus est nobis sua passione. Vnde & illi, ut homini, nomen *Iesus*, id est, Saluator.

HVIUS REI GRATIA RELIQUITE CRETAM. Orditur à narratione, qua Titum reddidit memorem mandati, quod discedens ei dederat. Nonnulli propter id quod legunt, *reliquite Creta*, & non *in Creta*; dubitant, Creta ciuitatis nomen sit, an regionis. Verum absque dubio, regionis, siue insulæ nomen est; ac Græcè legitur, *in Creta*, quemadmodum & Latiniùs vertunt neoteric.

VTEA QUÆ DESVNT, CORRIGAS. Vel, quemadmodum Hieronymus legit; *ut ea quæ deerant, corrigeres*. Quanquam idem admonet in Græco verbum esse quod significat, *supercorrigere*. Cuius emphasim tam Græci, quam ipse Hieronymus, accuratè expendunt. Significat enim apostolus se multa correxisse, non omnia; sed & ea quæ correxit, exactiori lima opus habuisse: huius autem negocij curam sese Tito demandasse. Sentum hunc clariùs expressit Erasmi versio, quæ sic habet: *Ut ea quæ desunt pergas corrigere*. Quæres cur non dicat apostolus, *ut ea quæ desunt, suppleas*. Nam propriè quod deest, suppletur, non corrigitur. Respondeo cum Caetano Paulum, ea quæ desunt intelligere, quæ subterfugerant ipsius correctionem, id est, quæ corrigenda restabant. Non enim est Græcè ὑπερβντα, sicut alibi; neque ὑπερματά ut 1. Thess. 3. sed λείποντα. Quod propius expressit vetus illa versio, quæ habebat, *ut quæ reliqua sunt corrigas*; citante Hieronymo lib. 1. dialogi contra Pelagianos cap. 8. Rursum quæres cur non ipse Paulus opus suum absoluerit, ne quid corrigendum Tito relinqueret. Primum respondeo, nullam ecclesiam ita constitui posse, quin semper aliquid restet corrigendum. Deinde, sicut ait Hieronymus, Apostolicè dignitatis erat, ecclesiarum iacere fundamenta; moxque substitutis idoneis qui superædificarent, ad alias orbis partes euangelio Christi imbuendas, properare. Sic 1. Cor. 3. *Secundum gratiam Dei*, inquit, *quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat*. Vbi gratiam intelligit apostolici munus.

ET CONSTITVAS PER CIVITATES PRESBYTEROS. Græcè κατὰ πόλιν, id est, *per singulas ciuitates*. Erasmus, vertit, *oppidatim*; sed minus rectè. Primum, quia non omnino idè est oppidum & ciuitas, Græcè πόλις. Concilia cæterisque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur; ait Tullius in Som. Scip. Deinde, quia oppidatim fieri dicitur, quod fit per varia oppida; & si non per omnia, aut singula; sicut ostiatim, vicatim. Quare

Ff

melius

melius vertit Hentenius; *Et constituas singulis ciuitatibus presbyteros.* Presbyteros autem, Latine Seniores, intellige non ætate, sed ordinatione sacra. Tamen Græcum vocabulum, ecclesiæ consuetudine receptissimum, nobis retinendum est; maxime propter hereticos, qui libenter sub nouis vocabulis confusionem introducunt. Quæritur, quos dicat presbyteros; Num episcopos, an episcopis inferiores? Hanc quæstionem ipse apostolus dissoluere videtur, quum seipsum interpretans paulo post subiicit; *Oportet enim episcopum sine crimine esse;* Nam ex coniunctione causali manifestum est, quod de eodem loquatur. Verumtamen adhuc quæri potest, utrum *episcopi*, & *presbyteri* nominibus significare velit eum quem nunc presbyterum vocamus, uti nonnullis Catholicis visum est; an eum, quem episcopum. Respondetur, episcopi nomine tam hic quam in epistolæ 1. Tim. 3. (de utroque enim loco prorsus idem iudicium est) ex omnium interpretum, & Patrum sententia, significari eum quem ecclesiæ consuetudo episcopum vocat; hoc est, qui tam ordine quam iurisdictione, cæteris qui tantum presbyteri sunt, superior est. Nec tamen inde consequens esse, ut nomen *presbyteri*, prout hic accipitur, idem omnino significet quod *episcopus*; sed, ut etiam episcopo sit commune. Præcipit enim Apostolus constitui per ciuitates presbyteros, qui iidem sint episcopi. Non ergo nomina idem significant, sed in eisdem cadunt, etsi non in omnes eisdem. Nam omnis episcopus presbyter est, non contra. Perpendatur caput 5. eccl. hier. apud b. Dionys. Quæ consideratio seruit etiam alijs scripturæ locis intelligendis; in quibus presbyterorum, aut seniorum, aut maiorum nati (quod in Græco idem est) sit mentio. Loquitur enim interdum scriptura de presbyteris episcopis, interdum de presbyteris non episcopis. Monet ergo Titum apostolus, ut per ciuitates constituat presbyteros episcopos, scilicet singulos per singulas; nondum de presbyteris qui non sint episcopi sollicitus: eo quod tunc plures haberi facile non possent; & vnus qui episcopus esset, cum adiuncto sibi diacono ad omne ecclesiasticum ministerium in illa adhuc fidelium paucitate sufficeret; quemadmodum ex Epiphonio annotauimus ad illud 1. Tim. 3. *Diaconos similiter pudicos.* At dices; Creta centum habebat ciuitates, ut testantur veteres scriptores; unde & *εκατόπολις* dicta fuit: Neque tamē vllō modo verisimile est Titum vni Cretæ insulæ centum dedisse episcopos, præsertim in tanta raritate ministrorum ecclesiæ. Sed sciendum imprimis Paulum ecclesiasticè loqui: Nunquam autem in ecclesia consuetudo fuit, ut omnia oppida, quantalacunque, proprios episcopos haberent; sed maiora tantum, & insigniora; quæ & ecclesiastico more *ciuitates* vocabantur. Præterea, de solis

ijs loquitur ciuitatibus in quibus erant iusto numero fideles, quibus episcopus attribueretur. Cuiusmodi ciuitates tunc adhuc paucas in ea insula fuisse existimandum est. Verum aduersus ea, quæ de presbyteri & episcopi discrimine diximus, obijci solent, quæ Hieronymus scribit tum in huius loci commentario, tum in epistola 85. quæ est ad Euagrium, planè contendens primis ecclesiæ temporibus episcopum & presbyterum, vnum & eundem fuisse, idque ex hoc apostoli loco, & alijs quæ ibidem citat, manifestò constare. Postea verò, ad tollendas schismatum occasiones, in toto orbe decretum fuisse, ut vnus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret. Ex quo subinfert episcopos magis ex ecclesiæ consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores. Similia transcripsit ex Hieronymo suis in commentarijs Anselmus, vel quisquis author. Ad hanc obiectionem quid respondendum nobis videatur, diximus in 4. Sent. dist. 24. & nunc breuiter repetimus, Hieronymi sententiam esse quod inter episcopum & presbyterum initio nascentis ecclesiæ discrimen non apparuerit, propterea quòd tam nomen episcopi (ut ipse quidem existimat propter verba Philip. 1.) quam ecclesiæ regimen vtrique quodammodo commune esset. Communi enim, inquit, presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Sed ad excludenda schismata factū, ut vnus cæteris præponeretur; hoc est, præpositus esse agnosceretur. Non enim dicit, *communi potestate*, sed *consilio presbyteros ecclesiam gubernasse.* Erat ergo reuera potestas penes vnum, qui episcopus vocabatur, cæteris presbyteris vsque adeo superior, ut eorum iudicem fuisse declarent hæc apostoli verba 1. Tim. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus;* & quæ sequuntur. Hinc etiam Præpositus vocabatur; ut Heb. 13. *Memento præpositorum vestrorum. Obedite præpositis vestris &c.* Quod nomen permansit episcopis vsque ad tempora Cypriani. Imo & Hieronymus in huius loci commentario vitur. Sed & Ioannes singulis ecclesijs, ad quas scribit, singulos attribuit angelos, id est, episcopos. Singulariter enim ei dicitur, *Angelo Ephesæ ecclesiæ scribe,* non angelis; & ita in alijs. Igitur vnus, quem angelum vocat, & ad quem Ioannes scribere iubetur, cæteris eiusdem ciuitatis presbyteris cum potestate præerat; idque tempore apostolorum. Quare quod Hieronymus scribit primis ecclesiæ temporibus episcopum & presbyterum vnum & eundem fuisse, ac postea in toto orbe fuisse decretum, ut vnus de presbyteris electus præponeretur cæteris; mihi videtur, ut pace tanti viri dixerim, nec scripturæ sacræ, nec antiquitatis historiæ consentaneum. Nam & scriptura apostolica, ut ostensum est, agnoscit episcopum presbyteris maiorem, & nulla ex

stat

stat historia, sed nec vllus alius scriptor ecclesiasticus, qui mentionem faciat illius decreti de quo loquitur Hieronymus. Quod si hac in parte placet Hieronymo deferre: poterimus dicere fuisse quidem, quamuis non ita conspicuè, propter communem gubernationem. Illud quoque notandum in verbis Hieronymi, nō cum negare episcopos dispositione Dominica presbyteris esse maiores: sed id esse dicit ex ecclesiæ consuetudine magis quam dispositionis Dominicæ veritate, quia nimirum ecclesiastica consuetudo, seu constitutio, ad eminentiam episcoporum, multa adiecit; velut locum in ecclesia excelsores, quem Græci *θρόνον* vocant, & ornamenta pecaliaria; item variarum rerum consecrationes; excepta tamen ordinatione & consignatione, quas ipsemet Hieronymus excipit; alteram, in epistola ad Euagrium; alteram, in dialogo contra Lucif.

ADDITIO B. P.

Non potuit B. Hieronymus ignorare, episcopum esse maiorem alijs presbyteris tam iurisdictione quam ordine, iure etiam diuino: sed oratorio more per quandam hyperbolen ex certis causis, extollit presbyterorum dignitatem. In epistola quidem ad Euagrium; ut quorundam diaconorum arrogantiam comprimeret, qui sese presbyteris anteferebant vel anteferri patiebantur. Id Hieronymus perinde esse ait, ac si anteferantur episcopis. quid enim magnū habet episcopus præ presbyteris alijs; qui in re omnium maxima illi pares sunt, in potestate consecrandi corpus Domini? In Commentario autem huius loci, videtur hoc agere Hieronymus ut quorundam episcoporum fastum deprimat, qui insolenter presbyteris dominabantur, & iniuste vinculum excommunicationis iniiciebant. Credibile est talem præ oculis habuisse Ioannē Hierosolymæ episcopum; de quo sciunt eruditi quantopere afflixerit Hieronymum & fratrem eius Paulinianum, omnesque fautores eorum. Legantur apud Hierony. epistolæ 60. 61. 62. Suprà ex Epiph. dictum est, & res ipsa loquitur, quod tempore apostolorum multæ ecclesiæ vnicum haberent præbyterum, qui idem esset episcopus. Eæ certè non regebantur communi presbyterorum consilio, quod ait Hier.

Obiter hoc loco notandum aduersus nostræ ætatis sectarios, ex eo quod Tito præcipitur, ut presbyteros, siue episcopos per ciuitates constituat; satis ostendi, non ad sæcularem magistratum aut principem, pertinere ut aut ordinet aut constituat ecclesiæ ministros, sed ad ipsius ecclesiæ præfectos, quales vtiq; erant Titus & Timotheus.

SICUT ET EGŌ DISPOSVI TIBI. Græcè & Syriacè: *Sicut ego tibi ordinaueram,* siue *præceperam.* Significat se ea per literas

repetere de constituendis episcopis, quæ coram præceperat. Res enim tanti momenti diligenter erat inculcanda. Videtur autem aduerbium *sicut*, ad qualitatem pertinere; q. d. Tales constitue episcopos, quales præcepi. Id enim explicat sequentibus verbis.

SI QVIS SINE CRIMINE EST. Sicut in epistola 1. ad Tim. 3. recensuit notas episcopi constituendi; ita & hoc loco. Inter eas prima est, *ut sit sine crimine*, vel, ut alij vertunt, *inculpatus*; tamen Græca vox non significat eum in quo nihil omnino culpæ resideat (sunt enim multæ leues culpæ, sine quibus hæc vita non ducitur): sed qui sic vixerit, ut nullus eum merito possit in crimen vocare; quique sit, ut vulgo dicitur, boni nominis & famæ. Nam qui infamia notatus est, autoritatem amisit; sine qua cum fructu præesse non potest. Hæc episcopi nota, seu proprietas etiam in epistola ad Timoth. primo loco posita est, quamuis sub alio vocabulo, quando dixit *oportere Episcopum esse irreprehensibilem.* Idem enim vtrouque significatum est. Vide quæ ibi dicta sunt ad vers. 2. & 10.

VNIUS VXORIS VIR. Quem dicat vnus vxoris virum, latè profecti sumus in commentario prioris epistolæ ad Timotheum; vbi refutatis alijs, partim hæreticorum, partim etiam Catholicorum quorundam expositionibus, ostendimus hunc esse germanum apostoli sensum, ut is intelligatur vnus vxoris vir, qui, si vxorem habeat, aut habuerit, non tamen acceperit secundam, sed vna contentus vixerit. Quem sensum non modò Hieronymus, cæterique Latini tradiderunt; verum etiam probant, ac solum agnoscunt, in hunc locum scribentes authores Græci Chryostomus, Theophylactus & Oecumenius. Quanquam ad probationem sufficere poterat Ecclesiæ Catholicæ praxis perpetua; qua, propter hanc apostoli legem, digamos, id est, eos qui priore defuncta aliam duxissent vxorem, ab episcopatu repellit. Quæ verò sit huius præcepti ratio, moralis, an mystica; similiter à nobis explicatum est loco memorato, ut non sit opus hic eadem dicere.

FILIOS HABENS FIDELES. Non solum exigit ut ipse episcopus expertus sit criminis; verum etiam, ut filios habeat integritati paternæ respondentes. Cuius præcepti rationem assignat in prima ad Timotheum dicens: *Si quis domui suæ præesse nescit; quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Primum autem est, ut eius filij, si quos habet, fideles sint, id est, Christi fidem professi. Nam quomodo externos ad fidem sua prædicatione adducet, qui ne domesticis quidem suis, ac liberis potuerit fidem persuadere? Qua

de re extat canon Concilij Carthaginensis tertij, prohibens, ne quis episcopus, presbyter, aut diaconus ordinetur, priusquam omnes suos domesticos Christianos Catholicos fecerit.

NON IN ACCVSATIONE LVXVRIÆ. Ita ad verbum reddidit interpres; quod alij sic vertunt; *Non obnoxios crimini luxus*, id est, qui de luxu non possint accusari. *Luxus*, seu *luxuria*, Græcè *ἀσώτια*, non in sola libidine carnis intelligitur; sed toti generi temperantiæ opponitur; comprehendens ebrietates, commensationes, fornicationes, ac cæteras impudicitias; denique omnem immoderatum & inhonestum rerum usum.

AUT NON SVBDITOS. Negatio repetenda est ex parte præcedenti. Quod vt commodius fiat, alij vertunt, *aut intractabiles*, siue *immorigeros*; siue, quod legit Ambrosianus, *inobsequentes*. Græca dictio significat eos qui subijci nolunt, qui in ordinem cum non possunt. Hanc quoque notam cum superiore posuit in epistola ad Tim. ita scribens: *Filios habentem subditos, cum omni castitate.*

OPORTET ENIM EPISCOPVM SINE CRIMINE ESSE. Ad qualitates ipsius episcopo inhærentes redit, ac repetit quod primo loco dixerat, vt alia addat eiusdem generis. Simul declarat se non de quibuscunque presbyteris (tamen hoc nomine fuerat vsus vers. 5.) agere, sed de ijs qui sunt episcopi.

SICVT DEI DISPENSATOREM. Hoc est, *tanquam Dei vicarium*, ac ministrum in dispensatione euangelij & sacramentorum. *Sic nos*, inquit, *existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. Cor. 4. Redundat autem infamia dispensationis ministerium. Vnde rursus ait 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offensionem; vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibemus nosmetipsos sicut Dei ministros*, &c.

NON SVPERBVM. Hieronymus & Ambrosianus legunt, *non proteruum*. Erasmus & Hentenius vertunt, *non presumatum*, id est, sui sensus, ac iudicij tenacem, qui ratione non dimouetur ab eo quod semel animo concepit. Quod vitium est hominis superbi, sibi que placentis; In episcopo autem, qui omnibus omnia fieri debet, intolerabile.

NON IRACVNDVM. Hoc quoque vitium vehementer episcopum dedecet; quem oportet esse *mansuetum ad omnes, & cum modestia corripere eos qui resistunt*. 2. Tim. 2.

NON VINOLENTVM, NON PERCVSOREM. Hæc duo eadem, eodemque ordine coniuncta habentur in priore ad Tim. de quibus satis eo loco dictum est.

NON TVRPIS LVCRI CVPIDVM. Huius loco ad Timoth. dixit, *non cupidum*, siue *non avarum*; Vnde apparet apostolo eundem esse *avarum*, & *turpis lucri cupidum*. Quod quidem verissimum esse probat experientia. Nam homo avarus nihil pensi habet, vnde, & qua ex causa accipiat, tantum intentus vt rem augeat. Hinc illud Satyricum; Vnde habeas, quærit nemo, sed oportet habere. Item; Lucri bonus est odor ex re qualibet. Erasmus vertendum putavit, *Non turpiter lucro deditum*. Sed cur ea versio nobis non probetur, rationem dedimus, exponentes illud de diaconis in prima ad Timoth. cap. 3. *Non turpe lucrum sectantes*. Est enim idem in Græco vocabulum. Eum ergo *turpis lucri cupidum* interpretamur, qui lucrum capiat vndecunque, etiam repugnante honesti ratione. Hanc notam expendant parochi, & episcoporum officarij, qui iura sua, quæ vocant, ita seuerè exigunt, etiam à tenuioribus, vt remissioni nullus sit locus. Id autem si turpe iudicatur in minoribus; quanto magis in episcopo!

SED HOSPITALEM, BENIGNVM. Hucusque vicia recensuit quæ abesse debent ab episcopo; nunc adijcit virtutes ei necessarias, quæ quidem bona ex parte, vicij illis opponuntur. De hospitalitate, quam in episcopo commendat, in quo præcipue sita sit, diximus in prima ad Timoth. Et eodem pertinet quod nunc addit, *benignum*, Græcè, *φιλάργον*, id est, *amantem bonorum*, scilicet *hominum*; vt intelligat episcopus non hoc à se exigij vt malis & improbis hominibus, aut assentatoribus, mensam habeat expositam: sed vt consuetudine bonorum delectetur, eosque mensæ suæ adhibeat; idque iuxta præceptum Ecclesiastici 12. *Da bono, & non receperis peccatorem*. Vnde & laudatur à Possidio B. Augustini factum, qui disticho palam affixo profitebatur alienæ famæ detractores sua mensa esse indignos. Erasmus *bonum*, ad res ipsas referre maluit; vertit enim, *bonarum rerum studiosum*. Idem sentire videtur Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei cap. 7. vbi legit, *amatorem boni*. Sed multo probabilius est vt ad personas referatur: sic enim melius cohæret cum parte præcedenti, vt iam ostensum est; præsertim cum ita venustius in Græco coniungantur *φιλόξενον*, *φιλάργον*: quasi dicere velit apostolus, *amatorem hospitium, sed bonorum*. Certè Græcum *ἀγαθός* vltimatus de personis dicitur, quàm de rebus. Porro idem est iudicium de priuatiuo vocabulo *ἀφιλάργος*, quo vsus est apostolus in 2. Timoth. 3. vbi nos habemus, *sine benignitate*.

SOBRIVM. Multi vulgatæ editionis codices legunt, *prudentem, sobrium*; sed plures, iisque antiquiores & meliores, *prudentem* omittunt; astipulante etiam Clementina edi-

tione.

tione. In Græco tantum est *σωφρονα*, quod alius *prudentem*, alius *sobrium* vertit; factum est improba quorundam diligentia, vt ambæ versiones coniungerentur. Quod & accidit 1. Tim. 3. in vocabulis *prudentē*, & *prudicum*, ex hac eadem Græca dictione redditis; sicut eo loco monuimus. Ceterum Ambrosianus hinc legit *prudentem*. Id verò Hieronymus reprehendit, substituens *castum*, seu *prudicum*. At Syrus interpres nostro consentiens eam dedit vocem quæ *sobrium* significat. Atque hoc nobis præ cæteris probatur, modò sobriū intelligas eum, qui rebus moderatè vtitur, atque in omni actione temperatè se gerit. Quæ virtus est episcopo summo-pere necessaria. Vide quæ de eadem voce diximus 1. Tim. 3.

IUSTVM, SANCTVM. *Iustum*, qui innocenter inter homines versetur. *Sanctum*, qui purè & incontaminatè Deum colat. Has duas virtutes coniunxit in suo Cantico Zacharias. Græcè est *δίκαιον*, non *ἀγιον*. Quæ duo, teste Hieronymo, ita differunt, vt hoc significet purum à vicij illud insuper addat pietatem in Deum.

CONTINENTEM. Græcè, *ἐγκρατῆς*; quod alij vertunt *temperantem*. Hieronymus *abstinentem* legit; vt is significetur qui cupiditates, refrænât, eas potissimum, quæ sunt à libidine & gula. Hæc virtus in numero fructuum spiritus, quos ad Galatas S. Paulus enumerat, extrema est.

AMPLECTENTEM EVM QVI SECVNDVM DOCTRINAM EST, FIDELIEM SERMONEM. Non satis est episcopo si inculpatè viuat, nisi etiam doctus sit, & (quod præcipuum est episcopi munus) alios docere possit. Id quidem ad Timotheum dixit vno verbo, *doctorem*; sed hinc pluribus explicat. Ac sicut ibi doctorem intellexit, non cuiuscunque scientiæ, sed eius quæ secundum pietatē hinc; ita & hic doctrinam vult intelligi pietatis Christianæ. Sic ad Ro. 12. *Qui docet, in doctrina*. Græcum participium *ἀντεχόμενον*, quod noster interpres vertit *amplectentē*, proprie significat eum, qui adhæret alicui rei, velut vnguibus affixus, nec auelli se patitur. Vnde textus Ambrosianus ita legit. *Tenacem eius sermonis, qui &c.* Proinde sensus est, Oportere episcopum esse talem, qui tenaciter, ac mordicus adhæreat fideli sermoni, quo saluferam doctrinam alijs tradat. *Fidelem sermonem* suo more vocat eum, qui est certæ, & exploratæ veritatis; vt in vtraque epistola ad Tim.

VT POTENS SIT EXHORTARI IN DOCTRINA SANA. Græca & Syra, suffragatibus Latinis quibusdam, coniunctionem interponunt: *Vt potens sit & exhortari*. Sensus est. Ad hoc volo episcopum esse instructum verbo veritatis, vt non solum docere alios possit, verum etiam potens, hoc est, sufficiens & idoneus sit qui exhortetur ad pietatem, & ad omne genus virtutis; id-

que per sanam, integram, & incorruptam euangelij doctrinam.

ET EOS, QVI CONTRADICVNT, ARGVERE. Id est, eos, qui sanæ doctrinæ resistunt, & obloquuntur tum scripturæ testimonijs, tum firmis rationibus reuincere. Huiusmodi *contradictores* maximè sunt hæretici, quales illo tēpore erāt Iudaizantes. Hos enim notat in sequentibus. Iam vt in summam colligamus, quæ præter integritatem vitæ, Paulus in episcopo requirit; ea sunt, Primum, vt sit doctus; Secundum, vt doctrinam veritatis constanter teneat; Tertium, vt doceat alios; Quartum, vt idoneus sit ad exhortandum; Quintum, vt etiam potens sit ad redarguendum contradicentes. Porro cum nemo dixerit vniuersa hæc officia à quibuslibet exigi presbyteris (agnoscit enim apostolus 1. Tim. 5. presbyteros bonos, nec tamen laborantes in verbo, & doctrina) manifestè consequens sit, episcopi nomine non posse hoc loco quemuis presbyterum intelligi. Veruntamen, ne per hoc presbyterorum iusticiæ patrocinari videamur; Hieronymi verbis admonemus, hunc locum aduersus eos facere, qui inertia se & ocio & somno dantes, putant peccatum esse, si scripturas legerint; & eos, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos, inutilemque contemunt.

SVNT ENIM MVLTII INOBEDIENTES, VANILOQVI, ET SEDVCTORES. Causam reddidit, cur episcopum velit esse potentem ad exhortandum, & redarguendum, nominatim apud Cretenses. Ad eos enim peculiariter respicit, vt ex sequentibus patet: Est autem tacitus hic transitus ad hæreticorum increpationem; aduersum quos agit vsque ad finem capituli: *Sunt enim*, inquit, *inter illos multi inobedientes*, hoc est, intractabiles, refractarij, quique Christianam disciplinam non ferant. Est enim idem in Græco vocabulum quod supra vertit, *Non subditos*; quomodo & hinc legit Hieronymus. Item *vani loqui*, Græcè, *ματαιολογοί*, qui inanità friuolaque loquuntur, ac docent; qui fabulosis narrationibus, & doctrinis auditorem detinent. Denique *seductores*, Græcè *φρεναπάται*, hoc est, mentium deceptores; vt habet Hieronymi textus, id est, qui prauis opinionibus mentes hominum inficiunt, qui errores seminant inter fideles. Rem postea specialius explicat.

MAXIME QVI DE CIRCVCISIONE SVNT. Id est, Iudæi. Nam & Creta multos habebat ex dispersione Iudæos. Vnde Act. 2. inter cæteros qui Hierosolymæ erant die Pentecostes, Iudæos, etiam Cretes recensentur.

QVOS OPORTET REDARGVI. Græca sic sonant, *Quibus oportet ora occlu-*

dere, aut obstruere. Atque ita Syrus interpretatur. Hieronymus sic legit, *Quibus oportet silentium indici*. Sed aliud est silentium indicere, quod est imperantis; aliud, redarguendo cuiuspiam obstruere, quod officium hic ab episcopo exigitur; iuxta id quod supra dictum est, oportere episcopum esse talem, qui *potens sit eos qui contradicunt, arguere*, id est, erroris convincere. Itaque sensum reddidit noster interpret. Quamuis enim haereticus etiam manifeste convictus obstruere nunquam cesset: censeretur tamen os ei obturatum, quando redargutus est, ut cum ratione non habeat amplius quod dicat.

QUI VNIVERSAS DOMOS SVBVERTVNT. Græcè, *τοῖς*. Rationem indicat, cur oporteat episcopum aduersus eiusmodi vel maxime vigilare, & intentum esse officio: quia non leue est, inquit, detrimentum quod adferunt ecclesiae. Non enim paucos aliquot fideles sua doctrina peruertunt, sed totas familias subuertunt, subtrahentes spiritualis ædificij fundamentum, quod est fides. Metaphora sumpta à domo materiali, quæ subuertitur euulso fundamento.

DOCENTES QUÆ NON OPORTET. Plus intelligi vult quam dicit: Nam sensus est, docentes falsa & noxia, quæ faciunt ad subuersionem fidei.

TVRPIS LVCRİ GRATIA. Significat eos auariciâ excæcatos falsa docere; dum quæstum existimant pietatem, ut ait 1. Tim. 6. Nam doctores qui se ad quæstum componunt, facile persuadent ea vera esse, & pietati consentanea, quæ grata vident auditoribus, in quorum manus respiciunt.

12 DIXIT QUIDAM EX ILLIS PROPRIVS IPSORVM PROPHETA. Pronomen, *illis*, non Iudæos refert, sed Cretenses in genere; quam eorum multi erant Iudæi, quo tempore Paulus hæc scripsit: ut supra dictum est.

CRETENSES SEMPER MENDACES, MALÆ BESTIÆ, VENTRES PIGRI. Versus est hexameter in Græco; quem simili versu Latino sic reddas, solo mutato numero:

Res semper mendax, mala bestia, venter inersest.

Falluntur autem qui hunc versum Callimacho poetæ tribuunt; Nam is patriâ Cyrenensis fuit, non Cretensis: Nec apud eum integer habetur hic versus, ut & B. Hieronymus notat epist. 84. sed ex eo dumtaxat hemistichium illud, *Κρητες αει ψευσαι*, inseruit hymno suo quem scripsit in Iouem; coarguere volens Cretensium vanitatem, quod apud se esse dicerent Iouis sepulchrum; qui, ut ait, nunquam moritur, sed semper viuunt. Cæterum versus integer est apud Epimenidem Cretensem, Callimacho verustiosum, in libro *περι χρησμων*, id est, De oraculis. Vnde etiam ratio colligi potest, cur eum Paulus prophetam vocet. Non e-

nim, ut quidam volunt, *propheta* Paulus hic idem est, quod poeta, quasi loquatur ethnicorum more, qui poetas suos solent vates appellare; quod eos nomine quodam agerent: Nam alibi suo nomine poetas appellat, ut Act. 17. *Sicut & quidam*, inquit, *vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus*. Sed prophetam vocat Epimenidem, quod de oraculis scripsisset, & rerum arcanarum noticiam profiteretur. Vnde Apuleius inclytum fatiloquum eum fuisse scribit, lib. 2. Floridorum. Neque tamen absolutè eum prophetam dicit apostolus, quem nonerat à cultu veri Dei alienum; sed *proprium ipsorum*, id est, Cretensium prophetam. Quod ita videtur intelligendum; Vatem seu prophetam domesticum, & ab ipsismet Cretensibus pro tali habitum: cuius proinde testimonium aduersus eos merito proferatur. Porro *Cretenses* adeo mendaces passim audierunt, ut locum dederint proverbio apud ethnicos ipsos, Cum Cretensibus cretizandum esse; quo significabant aduersus mendaces vtendum mendacio. *Mala bestia* vocantur, quod essent ad nocendum prompti, more bestiarum earum quæ icu, morsuue venenum relinquunt. Hoc enim genus animalium Græco nomine *θηρία*, proprie significatur; maxime si addatur epitheton *κακα*, *mala*: tamen non ignorem *θηρίον* aliquando de iumento dici; ut Heb. 12. *Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur*. Ob huiusmodi causas arbitror Cretenses vulgari dictorio fuisse inter tria cappa pessima, recensitos hoc versu.

Κρητες, Καππαδοκες, Κιλικες, τρια καππαδοκια.

Hoc est.

Cretes, Cappadoces, Cilices, tria pessima cappa.

Denique, *ventres pigri* sunt appellati, quod gulæ & inertis ocio dediti essent. Sunt qui disjungant hæc duo vocabula, sic ut tertio loco *ventres*; quarto, *pigri* vocentur: *ventres* à studio gulæ, & voluptatum corporis, *pigri*, ab inertia. Nobis magis placet vt coniungantur.

13 TESTIMONIUM HOC VERVM EST. Satis indicat se non omnia illius poetæ probare; Non enim diuina scribebat oracula, sed vel dæmonum responsa, vel humana commenta: Hoc tamen, inquit, testimonium, quo suos insulares notat vanitatis, maleficientiæ, & inertis gulæ, adeo verum est, vt oraculum videri possit. Nouerat hoc Paulus experientia doctus, & fama publica; Neque tamen desperabat apud eos euangelij fructum, vt pote confusus virtuti gratiæ Dei per Christum, quem illis prædicabat. At neque ista scribens, maledicus est, aut contumeliosus in Cretenses; sed gentis vlcera commemorat medico quem eis reliquerat, videlicet Tito, cui dixit, *Huius rei gratia re-*

liqui te

liqui te Creta, ut ea quæ desunt corrigas. Hoc enim est quod iam sequitur.

14 QVAM OB CAVSAM INCREPA ILLOS DVRE. Græcè, *argue*, siue, *redargue illos seueriter*. vel, vt Hieronymus legit, *acriter*. quali dicat: Ne eis parcas, ne dissimules. Aduerbium *αποτμως*, quo vtitur etiam 2. Cor. vi. vbi nos habemus; *ut non presens durius agam*, sumptum videtur à medicis, aut chirurgis, qui carnem mortuam, aut putrescentem ad viuum resecant. Hinc est, quod quidam neotericus opinatur hinc præcipi Tito, vt excommunicationis gladio eos de quibus loquitur, abscindat à reliquo corpore. Quo sensu dictum ostendimus illud ad Gal. 5. *Vinam & abscindantur qui vos conturbant*. Verum hoc, etsi de loco memorato ad Cor. probabiliter dici queat, huic tamen loco non conuenit, vbi generatim agitur de vicij gentis increpatione corrigendis. Itaque sensus est; Quam tales sint; tu eos ita redargue rationibus è verbo Dei petitis, vt vlcera eorum ferro increpationis tangas, & quod viciosum est, ad viuum reseces. Hanc enim vim habet aduverbium Græcum; etiam apud profanos authores. Loquitur autem apostolus de fidelibus; in quibus adhuc hærebant prioris conuersationis vicia. Sed hic duplex occurrit dubitatio: Vna, Quomodo mandet Tito, vt durè Cretenses increpet, cum in 2. ad Tim. 3. velit seruum Domini mansuetum esse ad omnes, & cum modestia corripere etiam eos qui resistunt? Altera, Quomodo præcipit eos hinc durè increpari qui cibos aliquos velat ex lege immundos reiciebant (nam & de ijs apostolum loqui sequentia probant) cum Rom. 14. tales iubeat, velut infirmos, tolerari. Ad priorem dubitationem respondeo, debere quidem episcopum esse mansuetum ad omnes, quoad animi preparationem; non semper tamen vtendum mansuetudine, sed interdum seueritate; quemadmodum suo loco explicatum est. Vnde ipse apostolus 1. Cor. 4. *Quid vultis? inquit, In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Neque verò cum dicit, *Increpa illos durè*, lenitatem correptionis excludit, sicubi magis profutura videatur. Ad alteram respondeo, apostolum ad Romanos scribentem agere de infirmis in fide, qui à paterna consuetudine non ita statim auocari poterant; quos proinde vult ad tempus tolerari, donec perfectius instituantur: hinc autem agit aduersus obstinatos quosdam, & indociles, qui non contenti priuata obseruatione discriminis ciborum, aliarumque legis ceremoniarum, etiam gentilibus, ad quos lex Mosaica nihil pertinebat, easdem obseruantias imponere, & persuadere nitentur; idque adeo cum opinione quod cibi lege quondam veriti, per se essent immundi. Quæ doctrina

planè erat perniciofa. Vnde & hic ab apostolo vocati sunt *seductores*, seu mentium deceptores. Quamquam & illos taxat apostolus qui talibus magistris temerè credebant. Sed de hac re plura diximus in commentario epistolæ ad Ro. ad illud ca. 14. *Vnusquisque in suo sensu abundet*.

VT SANI SINT IN FIDE. Id est, vt integritatem doctrinæ Christianæ conferuent, ac quicquid ei contrarium suggeritur, respuant. *Sanitatem* apostolus modò ad doctrinam, modò ad animum refert, translatione quadam, qua sanum id dicitur, quod syncerum, & incorruptum est, ac vicij expertum.

14 NON INTENDENTES IYDAICIS FABVLIS. Græcè *non attendentes*; vt legunt Hieronymus, & Ambrosianus. Sensus enim est, Ne seductoribus illis Iudæis, de quibus supra, fabulas suas Iudaicas venditantibus, aurem præbeant. Quas autem vocet *fabulas Iudaicas* hoc loco, non omnino certum est. Chryostomus ceremonialia legis Mosaicæ significari putat, quatenus post Christum obseruanda proponuntur tanquam ad salutem necessaria; sicut isti Iudaizantium magistri faciebant. Sed durum videretur, vt legem diuinam, quatenus ceremonialia complectebatur, apostolus contemptibili nomine fabulas vocet. Alij de traditionibus, seu præceptis Pharisaicis interpretantur. Sed de his agitur in parte sequenti. Quare verisimilius est hinc intelligi fabulosas narrationes à Rabbini Iudæorum excogitatas & auditoribus tradi solitas pro vera historia, quasi ad intelligentiam scripturarum necessaria. De quibus etiam interpretari sumus illum locum 1. Tim. 1. *Neque intendere fabulis*. Ab his auocandi erant fideles; primum, ne assuescerent fabulis aures accommodare, præsertim in rebus sacris; deinde, quia sub cortice fabularum non rarò latebat impietas.

ET MANDATIS HOMINVM AVERSANTIVM SE A VERITATE. Græcè, & Syriacè, *auersantiū veritatem*, quod & Latini dicitur & significantius. Alioqui dicendum erat: *auertentium se à veritate*. Scriptura quoties de mandatis & traditionibus hominum in malam partem loquitur, ea semper intelligit, quæ sic ab hominibus instituta sunt, aut præcepta, vt aut omnino nihil ad pietatem conducant, aut etiam pietati ac legi Dei repugnent. Vtriusque generis exempla referuntur Matth. 15. & 23. & Marc. 7. Prioris quidem generis; lotiones multæ superuacaneæ: Posterioris verò, Corban, & iuramenta per templum & altare. Vocantur autem hominum mandata, quod ab humano sensu ac spiritu profecta sint; quatenus scilicet homo à se ipso mouetur, & non à Deo. Qua ratione etiam illud ab apostolo dictum est 1. Cor. 3. *Nonne homines estis?* Huc ergo pertinet Deuterotes quas vocat, & Thalmudicæ

tradi-

traditiones, à Rabbiniis Hebræorum etiam post apostolorum tempora excogitatae, in-epitiarum, & impietatis plenæ. At verò nimis impudenter hunc locum detorquent hæretici contra constitutiones ecclesiasticas & Pontificias; quasi sint (iuxta locutionem scripturæ) hominum mandata, ac non potius Dei, qui dedit potestatem talem hominibus; Christo ad eos dicente: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. quemadmodum plenius à nobis declaratum est ad illud Col. 2. *Secundum præcepta, & doctrinas hominum.* Quanquam hoc loco Paulus manifestè seipsum explicat. Non enim simpliciter dicit, *Mandatis hominum,* sed addit, *aversantium veritatem,* scilicet, evangelicam; quæ (inter cætera) docet id quod sequitur;

15 OMNIA MVNDA MVNDIS. Innuit hac parte quoniam potissimè respexerit loquens, de *mandatis hominum;* videlicet, ad ea, quibus multarum rerum, tanquam immundarum, vel elus, vel contractus prohibebatur. Cuiusmodi præcepta notat Col. 2. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis.* Qui locus cum isto conferendus est. Sciendum est enim eos, contra quos tam hoc loco, quam ad Col. agit apostolus, non solum voluisse legalia, quæ à Moysè tradita erant, imponere gentilibus ad Christum conuersis; verum etiam multa alia adiecit observanda quæ ex maiorum traditione acceperant, maxime circa cibos, usumque rerum. Insuper autem docuisse, quicquid seu lege, seu traditione vitandum præcipitur velut immundum; id sua natura tale esse ut immundum reddat hominem edentem, tangentem, vtenem. Itaque duplici nomine tradebant hominum mandata: Primum, quod legi diuinæ præceptiones adiungeret à se adiuventas, atque à spiritu Dei alienas. Deinde quod immundiciam legalem in Dei iniuriam præuè interpretarentur; quasi per seipsum, ut loquitur apostolus Rom. 14. aliquid esset commune, & immundum. Igitur aduersus huiusmodi mandata hominum, dicit: *Omnia munda mundis:* ac si dicat, In creaturis Dei nihil est ex se immundum, sed omnia munda sunt mundis, hoc est, benè & sanctè vtentibus. Iam autem, ut benè rebus vtantur homines, imprimis opus est fide, qua credant omnia esse munda. Nam in lege quidem veteri multa prohibebantur velut immunda; sed significatione, non natura. quemadmodum hunc locum tractans explicat Augustinus lib. 31. contra Faustum cap. 4. Propter quam causam Israhelitis, tanquam figuratio populo, talium rerum elus, aut contractus erat illicitus; non autem gentilibus. Vnde in Leuitico non simpliciter immunda vocantur: sed passim dicitur; *Hoc aut illud immundum eris vobis;* id est, propter immundiciæ significationem vobis prohibi- tum. Ex his igitur facile est hodiernis sectarijs

respondere, dum ex hoc loco calumniam faciunt ecclesiæ Christi, propterea quod ciborum quorundam abstinentiam fidelibus interdum indicat. Non enim id facit errore Iudaizantium, aut hæreticorum, qui cibos aliquos dixerunt immundos; sed ut per huiusmodi abstinentiam fideles Deo pro peccatis satisfaciunt, carnis lasciuiam doment, mentemque promptius in Deum eleuent. Sed replicat Caluinus, apostolum non alio sensu cibos omnes puros vocare, nisi quia liber omnium usus est, quoad conscientiam; quod non erat tempore veteris legis, propter prohibitionem diuinam. Respondet, Si vera sunt quæ dicit Caluinus: grauitè ergo libertatem Christianam læserunt apostoli, quando Act. 15. gentilibus iniunxerunt abstinentiam à suffocatis, & sanguine. Rursum, si vera dicit; igitur tempore veteris testamenti dici non poterat; *Omnia munda mundis;* ac ne quidem post aduentum Christi, vsque ad eius passionem. Quod, quam falsò, & impiè dicatur, ipse Christus ostendit, qui vigente adhuc lege, dixit: *Non quod intrat in os, conquinat hominem; sed quæ de corde procedunt.* Matth. 15. Hoc autem, quid aliud est dicere, quam; *Omnia munda mundis;* & quod sequitur? Manet ergo ratio, quam diximus, & quam ipse etiam apostolus alibi manifestius asserit dicens *Omne creaturam Dei bonam esse.* 1. Tim. 4. Et cum ait Rom. 14. se scire, ac certò persuasum esse, quod *nihil per seipsum commune sit; nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Vnde & hic consequenter dicit,

COINQUINATIS AVTEM, ET INFIDELIBUS NIHIL EST MVNDVM. Hanc sententiam nonnulli ita generaliter acceperunt, ut ex ea colligerent nec eleemosynam, nec vllum aliud opus hominis infidelis, mundum esse, sed peccatum quicquid ab eo fieret. Verum hoc pacto etiam contra sequeretur omnia fidelium & iustorum opera munda esse: quoniam hoc præcessit, *Omnia munda mundis;* Eritque falsum illud: *Non est iustus in terra qui non peccet.* Ecclesiastæ 7. Igitur Caietanus & alij hæc absurda fugere volentes, dixerunt apostoli sermonem esse formalem, de coinquinatis scilicet & infidelibus quatenus tales sūt. Nā ex infidelitate & mente inquinata, nulla potest actio munda procedere, sed quæcunque procedit, immunda est impuritate peccati. Hic sensus etsi verus est, non tamen hic ab apostolo spectatus. Non enim de actionibus loquitur, sed de rebus. Quare dicendum est, apostolum, sicuti dixit, *Omnia esse munda mundis,* id est, fideliter, ac bene vtentibus: sic & è diuerso pronuntiare, quod *coinquinatis & infidelibus,* id est, ijs qui per immundiciam cordis, aut per infidelitatem, Dei creaturis vel abutuntur, vel quasi essent impuræ

non

non vtuntur; nihil esse mundum, sed omnia immunda. Non quòd creatura Dei veram contrahat immundiciam per malum usum, aut falsam opinionem hominum: sed partim quia conscientia hominis existimantis aliquid immundum esse, facit ut quamdiu ea conscientia ipse laborat, ea re sine peccato uti nequeat; non secus ac si res verè immunda esset. Quomodo Roman. 14. ab eodem Apostolo dictum est, ei qui existimat aliquid commune esse, illi esse commune. Vnde & ibidem generaliter concludit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* partim verò, quia sicut res simpliciter bona, fit mala malè vtenti; ita res simpliciter munda, fieri dicitur immunda abutenti per cordis immundiciam. In hunc ferè sensum Apostoli verba tractat Augustinus loco memorato contra Faustum; vbi etiam ostendit ea præcipuè quadrare in Manichæos; quibus, inquit, omnino nihil est mundum: quia scilicet docebant omnes cibos propter mali principij commixtionem esse immundos. Confirmat eundem sensum id quod sequitur,

SED INQUINATÆ SVNT EORVM ET MENSET CONSCIENTIA. Hæc aduersatiua continet in se causam partis superioris; Estque sententia sic explicanda: *Coinquinatis & infidelibus nihil est purum, sed omnia impura;* quia nimirum *inquinata est eorum mens & conscientia:* mens, quia per errorem, res per se mundas, iudicant esse immundas; Conscientia verò, qua errante seipsum ad opus applicant, in vtramvis partem. Nam qui persuasus est, verbi gratia, suillam esse immundam, siue comedat, siue abstineat, peccat. Comedit enim, contra conscientiam, mentisque suæ dictamen; abstinet autem, contra fidei veritatem. Ita *conscientiam,* hic interpretatur Caietanus. Alij *conscientiam* accipiunt pro animo sibi conscio. Sic enim accipitur aliquoties in vtraque ad Timorh. epistola. Ita sensus erit, inquinatam esse eorum conscientiam, quia sibi multorum scelerum conscij sunt. Huic intellectui congruunt sequentia.

16 CONFITENTVR SE NOSSE DEVM: FACTIS AVTEM NEGANT. Id est, profitentur vnus veri Dei noticiam, & cultum; sed quem ore confitentur, factis negant, quia facta professioni nequaquam respondent, ut pote, præceptis Dei, cuius noticiam iactant, omnino contraria. Manifestè notatur Iudæorum hypocrisis, qui cum veri Dei noticiam sibi peculiariter præ omnibus gentibus vendicarent, & sanctitatem Deo dignam promitterent, rebus tamen ipsis nihil minus exhiberent. Loca similia sunt Roman. secundo, & Iacobi 2.

CVM SINT ABOMINATI ET IN-

CREDIBILES. Græcè, *Cum sint abominabiles, & imperuasibiles.* Hieronymus & Ambrosianus legunt, *execrabiles, & imbedientes.* Vocat eos Paulus abominabiles, propter vitæ, morumque impuritatem; Imperuasibiles autem, hoc est, peruicaces, nec vllam admittentes rationem, qua possit eis veritas persuaderi. Non solum ergo Deum negabant moribus legi diuinæ contrarijs; verum etiam peruicacia non credendi verbo eius, quem nosse se gloriabantur.

ET AD OMNE OPVS BONVM REPROBI. Hanc quoque partem ita generaliter interpretati sunt quidam, ut ex ea consequens sit infideles nihil vel moraliter bonum agere posse. Verum multo rectius alij, *bonum opus* intelligunt, quomodo scriptura de bonis operibus loquitur, id est, opus veræ pietatis, cuius fundamentum est fides. *Ad omne enim huiusmodi bonum opus,* hi contra quos agit Apostolus, *erant reprobi;* propterea quod doctrinæ sanæ pertinaciter resisterent; in eo maxime, quòd ex lege Mosæica iusticiam quærentes, gratiam Christi respicerent, eius nimirum qui dixit: *Sine me nihil potestis facere,* Ioan. 15. Est quidem omnibus infidelibus, & Christi gratiam ignorantibus commune, quod iuxta hunc sensum sint ad omne bonum opus inepti; quemadmodum apertè testatur Apostolus Rom. 3. ascribens eis illud Davidicum: *Omnes declinauerunt, simul inuiles facti sunt.* *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad unum:* Sed istis Iudaizantium magistris hoc attribuit peculiare, quòd ad omne opus bonum *reprobi sint* ac reiecticij, id est, merito suæ obstinationis, qua nullam admittunt fidei persuasionem, ita derelicti à Deo, ut quasi desperata sit eorum conuersio, qua ad opera veræ pietatis proficiant. Quanquam id ipsum & de alijs hæreticis obstinatoribus verè dici potest. Quod si generatim de opere moraliter bono, quis malit Apostolum intelligere; sensus erit, Illos sanæ doctrinæ aduersarios adeò mente corruptos esse, ut vix quicquam boni operis ab eis, dum tales sunt, expectari possit. Sed & hoc de plerisque hæreticis veritatem habet.

S V M.

S V M M A R I V M.

Senes, anus, iuniores, serui quomodo instituendi sint, docet: & ipse Titus quomodo se gerere debeat. Et hac omnia confirmat ex scopo seu fine propter quem gratia Dei nobis apparuit.

CAPVT II.

TV AVTEM LOQVERE QUAE DECENT SANAM DOCTRINAM. Aduersarius est sermo; q. d. Illi fabulas docent, & hominum mandata: tu verò istorum loco, tanquam sincerus euangelij minister, ea loquere, & trade fidelibus quae consentanea sunt sanae & incorruptae doctrinae, siue quod ad fidem pertinet, siue quod ad mores. Prius autem de moribus subiicit doctrinam sanam; postea de fide aliquid addit.

2 SENES, VT SOBRII SINT, PVDICI, PRVDENTES. Repetendum, loquere, id est, praecipere, *senes sobrios esse, &c.* Sunt enim in Graeco accusatiui. Aut certè subaudiendum verbum *ἀποκάλει*, *adhortare*, quod infra exprimitur: *Iuuenes similiter hortare*. Primum, *sobrios esse vult senes*; tum vt exemplo cohibeant adolescentum intemperantiam, tum ne per temulentiam minus apti sint dandis consilijs, rebúsve gerendis. Deinde, *pudicos*, Graecè *σεμνῆς*, id est, *graves*, vt legit Ambrosianus; vel *honestos*, vt Hieronymus; id est, grauitatem, ac honestatem praeseferentes, & ab omni lasciuia quam maximè alienos. Valde enim offendunt leues & lasciuini in senibus mores. Tertio, *prudentes*, Graecè *σώφρονες*; quod alij vertunt, *temperantes*, id est, in omni actione prudenter, ac moderatè se gerentes. Hanc virtutem in episcopo requisitum capite superiori, & 1. Tim. 3. Quibus locis Graecae vocis significatio plenius exposita est.

3 SANI IN FIDE, IN DILECTIONE, IN PATIENTIA. Praepositiones addidit interpret. *Sani fide*, dum fides qua in Christum creditur, nullo errore aut fabulis miscetur. *Sani dilectione, seu charitate*, quando non simulata, sed sincera est dilectio, & in Deum dirigitur. *Sani patientia*, quando dura, & aduersa tolerantur, non vt apud homines gloria comparetur, sed vt ad bona à Deo promissa perueniatur. Item quando corporis afflictio, ciborumque, ac Veneris abstinentia non ex superstitione assumitur, sed ex vera pietate. Significauerunt tres praecipue Christianorum virtutes, fides, charitas, & spes à qua patientia vires accipit. Vnde & *sustinentia spei* vocatur 1. Thessal. 1. Quae virtutes ideo specialiter à senibus exiguntur, vt eorum exemplo simul & doctri-

na, ad inferiores etates promanent.

3 ANVS SIMILITER IN HABITU SANCTO. Graeca sic explicatius ab alijs redduntur; *Anus itidem vt sint in habitu, qui sanctimoniam, seu religionem deceat*. Ambrosianus legit, *In statu religione digno*. Sensus est, Anus, ac prouectae aetatis matronas admonendas esse, vt amictu, incessu, ac toto corporis gestu, decorum pietatis seruent. Nam Graecum *κατασκευα* non solum ad vestitum refertur, sed ad omnem corporis habitum; etiam vultu, sermone, silentio comprehenso; iuxta expositionem Hieronymi. Atque haec illa est grauitas, quam in eo sexu & etate singulariter commendat Ambrosius lib. de viduis.

NON CRIMINATRICES. Graecè *μη διαβόλας*, *Non calumniatrices*. Idem vocabulum 1. Tim. 3. vbi nos habemus, *Non detrahentes*. Muliebria vicia sunt, garrulitas, & curiositas; ex quibus ad detractionem & calumnia proximus est gradus.

NON MVLTVO VINO SERVIENTES. Quod hic dicit, *seruientes*, in 1. Tim. 3. vbi de diaconis agebat, dixit *deditos*; vt alterum sit alterius interpretatio. Vetularum vicium est bibacitas. Vnde de illis poeta lib. 3. *Fastorum*: *Vinosior aetas Haec erat, & grauidae munera vitis amans*. Quanquam hoc vicium aliquid est ebrietate minus; sicut ostendimus loco memorato prioris ad Tim. Prohibens autem Apostolus, ne multo vino seruiant anus; vtique concedit eis vsum vini moderatum. Sed quod concedit vetulis, ex consequenti intellige negatum adolescentulis. Vnde nec Timotheo iuueni vel modicum indulget vini, nisi propter stomachi debilitatem, & frequentes infirmitates. Caeterum huiusmodi praecipis anus ac matronas institui vult Paulus, propterea quod & aetati illi, sexuique congruant; & quoniam ab illis velut magistris quibusdam exempla, formamque viuendi minores sunt accepturae. Hoc enim est quod deinceps subiungit.

BENE DOCENTES. Rectius, *bona docentes*; vt legunt Ambrosianus & Hieronymus. Alij vertunt, *honestae docentes*. Graecis vna dictio est composita *καλοδιδασκαλας*, id est, *honestarum rerum magistras*. Hoc nonnulli referunt ad exempla vitae: sed ex sequentibus liquet, Apostolum agere de doctrina & institutione, quae sermone fit. Neque repugnat illud 1. Tim. 2. *Docere mulieri non permitto*. Non enim ibi prohibetur, ne domi ac priuatim, filios ac filias necessarii praecipis instituat; Id quod Salomon à matre sua erga se factum testatur, & laudat; Prou. 4. & 31. sed ne doceat in coetu publico. *Mulieres, inquit, in ecclesijs taceant; Non enim permittitur eis loqui*. 1. Cor. 14. Vult igitur hoc loco Apostolus, vt foeminae natu grandiores sint adolescentularum magistrae, easque doceant non aniles fabulas, non

artes

artes amatorias, non superstitionas obseruaticulas; sed ea quae bona sunt, & honesta, id est, pietatem, charitatem, pudicitiam, artemque bene & Christianè regendi familiam. Haec enim in sequentibus explicantur. Atque huc referri potest, quod Ambrosius viduitatem vocat fidei castitatisque magistram. Lib. de viduis.

4 VT PRVDENTIAM DOCEANT ADOLESCENTVLAS. Duplex est huius loci distinctio in Latinis codicibus. Quidam enim haec coniungunt; Alij separant, vt ab eo vocabulo, *Adolescentulas*, initium sit nouae sententiae, quae praecipiat ab episcopo institui adolescentulas, quales esse, & quomodo se gerere debeant. Sic enim & in praecedentibus, inchoando sententiam dixit, *Senes*; Deinde, *Anus*; & infra, *Iuuenes*. Atque hanc constructionem, vt meliorem, amplectitur Thomas, & post eum Liranus. Huic distinctio non nihil fauet quod paulò post sequitur, *Iuuenes similiter hortare, &c. Similiter*, inquit, videlicet vt iam praecipi hortandas esse iuuenulas. Confer 1. Tim. 5. v. 2. Verum lectio Graeca separationem hanc aegre admittit; Est enim verbum transitiuum *σὺφρονίζωσι*, pro quo nos habemus, *prudentiam doceant*. Ambrosianus legit, *instruant*; Hieronymus, *ad castitatem erudiant*. Significat autem modestum ac sobrium, seu temperantem reddere. Quod verbum proinde casu suo destitui non potest. Item, si seorsim de adolescentulis scribere voluisset apostolus; eum seruasset ordinem, vt prius de iuuenibus praeciperet; sicut prius de senibus praecipit, quam de anibus. Certè veteres expositores tam Latini quam Graeci, iungunt adolescentulas cum verbo praecedente. Quibus accedit translatio Syriaca, Latine sic reddita: *Et honestas reddant eas quae sunt iuuenulae*. Igitur hic ex occasione interferit Apostolus praecipta vitae spectantia ad foeminas adolescentiores; vt sensus sit, Anus admonendas esse vt sint honestatis magistrae, quo possint modestas, prudentes, graues, ac temperantes reddere iuuenulas. Hanc distinctionem si sequamur; tum conformiter dicendum erit quod Apostolus non vult haec immediatè fieri per episcopum, vitandi scandali causa; nisi pro concione in conuentu publico. nec enim decere si episcopus adeat adolescentulas, vel eas ad se vocet: eo quod talia facillè gignant suspicionem. Idcirco praecipere Apostolum anibus vt per eas fiant haec, à quibus vtiliter & sine offensione fieri possunt. Loquitur autem de iuuenulis tam nuptis quam innuptis. Nam ea quae sequuntur, ferè ad nuptas pertinent.

5 VT VIROS SVOS AMENT, FILIOS SVOS DILIGANT. Nonnulli philosophantur in vocabulis *amare & diligere*, volentes rationem adferre, cur viros praecipiat amari, filios autem diligere. Sed frustra: Nam in Graeco non est

haec diuersitas; Vnde Hieronymus legit, *Ut ament viros suos, vt ament filios*. Interpres autem Theophylacti Graeca sic proptius expressit; *Vt sint amantes maritorum, amantes liberorum*. Vult apostolus eas institui, vt ament viros suos casto & coniugali amore; ne conijciant oculos in viros alienos. Cum autem idem ipse Eph. 5. viro quidem praecipiat, vt uxorem suam diligat, uxori autem, vt timeat virum suum: nulla tamen hic praepertorum est contrarietas; quin potius ex vtriusque loci quasi diuerso praecipto, colligendum relinquit, ita mulierem debere virum suum amare, vt etiam timeat; ita timere, vt amet. Ex his enim duobus affectibus commixtis resultat reuerentia quam viris suis debent uxores. Quod autem vult eas doceri, vt filios suos ament; cum id matribus sit maximè naturale: sic intelligendum, vt filios ament amore ordinato & Christiano, quo piam educationis eorum curam gerant. Nam stultè & indulgenter amare, odisse est.

5 PRVDENTES, CASTAS, SOBRIAS. Supplendum, *esse*; quod in Graeco semel expressum, ad singula refertur. Hic iam tertio monemus pro vna voce Graeca, duas in nostro textu legi, *prudentes & sobrias*, cum Graecè tantum sit *σώφρονες*, quod alius, *prudentes*; alius *sobrias* transtulit. Hieronymus *pudicas* legit. Similis accessio contigit Ambrosiano textui, in quo legitur, *prudentes, pudicas, castas*. At probabile est ex optimorum codicum manuscriptorum testimonio, nostrum interpretem tantummodo vertisse, *prudentes, castas*. Porro Syra Graecis consonant. De Graeci autem vocabuli significato iam aliquoties egimus. Hic vtrovis modo rectè vertitur, *prudentes*, aut *sobrias*, aut etiam *temperantes*, minus rectè, *pudicas*, ne idem repetatur, quia sequitur, *castas*; id est, pudicitiae fideique coniugalis obseruantes.

DOMVS CVRAM HABENTES, BENIGNAS. Pro tribus vocibus, *Domus curam habentes*, vna composita est in Graeco *οικονομας*, quasi dicas, *domus custodes*, vt vertit Erasmus; hoc est, quae assidue sint domi, remque curent domesticam. Quae mulierum praecipua laus est. Vnde apud antiquos probae matrisfamilias symbolum erat testudo; quod illud animal nusquam è corte discedat, ac ne caput quidem exserat, nisi cura corporis id exigente. Quod sequitur, *benignas*, Graecè *ἀγαθὰς*, Erasmus vertit *bonas*; & sine vlla distinctione coniungit parti praecedenti, Theophylactum secutus; tanquam sensus sit, praecipere, vt sint bonae custodes domus. Verum alij fermè omnes seorsim legunt, *benignas*; id est, placidas, ac mites erga domesticos; nec obstrepentes maritis; sed mores eorum, ac vicia tolerantes; qualis com-

mendatur

mendatur Abigail vxor Nabal Carmeli. 1. Reg. 25.

SVBDITAS VIRIS SVIS. Seu proprijs, vt est in Græco, & apud Ambrosianum. Non solum vult vt benignas & commodas se viris exhibeant; sed etiam obsequentes, ac morigeras; quandoquidem vir caput est mulieris 1. Cor. 11. & Eph. 5.

VT NON BLASPHEMETVR VERBUM DEI. Hoc est, Ne doctrina Christiana malè audiat apud infideles; ne crimen recidat in euangelium, si mulieres, quæ Christo nomen dederunt, minus obtemperant tuis maritis.

6 IUVENES SIMILITER HORTARE VT SOBRII SINT. Pro sobrijs, rursus Hieronymus pudicos; Ambrosianus autem continentis legit. Græca sensum hunc postulant, Adolescentes adhortandos esse vt modestè & temperatè se gerant. Itaque præcepto hoc tam pudicitia, quam sobrietas comprehenditur. Interim obserua, Apostolum breuitati studentem non omnia præcipere, sed præcipua: cum nemo nesciat, quam multis alijs præceptis opus habeat ætas iuuenilis.

7 IN OMNIBVS TEIPSUM PRÆBE EXEMPLVM BONORVM OPERVM. Græcè, *Per omnia teipsum præbens formam bonorum (sive honestorum) operum*. Hieronymus contendit illud, *in omnibus*, ad superiora referendum esse, hoc modo; *Hortare, vt pudici sint in omnibus*. Sed in hac opinione penè solitarius est. Nam cæteri tam Græci, quam Latini, suffragante editione Syriaca, coniungunt sequentibus; Idque sanè multo conuenientius. Postquam enim Titum admonuit Apostolus, quibus præceptis senes, anus, adolescentis instituerè debeat; nunc quo efficacior sit exhortatio, præcipit ipsi Tito, vt in omnibus, quæ ab alijs exigat, se nec ipsum præbeat velut exemplar archetypum bonorum operum; sanctæque conuersationis. Alioqui metuendum, ne quod verbo docet, opere destruat. Ita ad Timoth. 1. ep. 4. *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conuersatione &c.* Sic & B. Petrus presbyteros adhortatur vt pascant oues sibi commissas, tanquam formæ facti gregis. 1. Pet. 5. Quibus in locis eadem est Græca dictio *ἑαυτοῦ*; id est, forma.

IN DOCTRINA, IN INTEGRITATE, IN GRAVITATE. Græcè: *In doctrina integritatem, grauitatem*. Addunt nonnulli codices, incorruptibilitatem. Et ad eum modum Syrus interpres legisse videtur. Sed Græci commentatores hoc tertium non exponunt, vt verisimile sit additum ex diuersa lectione. Sunt enim vicina vocabula, quorum alterum integritatem, alterum incorruptionem significat. Notandum est autem illam partem, *in doctrina*, à quibusdam connecti cum eo quod præcedit, hoc sensu; Præbe teipsum in omnibus exemplar bonorum operum, quæ respon-

deant tuæ doctrinæ; ne scilicet mores à doctrina discrepent. At plerique (quod magis placet) adiungunt sequentibus, tamen non eodem sensu. Nam Theophylactus *integritatem & grauitatem* refert ad doctrinam hoc modo; Doctrinam trade puram, integrā, & incorruptam, atque ab omni leuitate, & fabulis alienam. Alij verò referunt ad mores; vt sensus sit: In hac docendi prouincia fac præstes integritatem vitæ nullo vicio corruptæ, nec non grauitatem morum, quæ docentis auctoritatem commendet. Nam verbum, *præbe*, repetendum est in hac parte, sicut & in sequenti.

8 VERBUM SANVM, IRREPREENSIBILE. Accusatiui sunt, à verbo iam dicto dependentes. Vnde alij sine ambiguo vertunt, *Sermonem sanum, irreprehensibilem*. Et sensus est, Inter docendum non aliud loquere, quam quod sanæ fidei conueniat, quodque non facile pateat reprehensioni, aut contemptui. Nam Græca vox significat etiam quod contemni non possit.

VT IS, QUI EX ADVERSO EST, VEREATUR. Pro verbo, *vereatur*, Græcè & Syriacè, *erubescat*: Quod vulgatus interpres in psalmis sæpe vertit, *reuereri*; quomodo hinc legunt Hieronymus & Ambrosianus, atque etiam ms. Laudensis.

NIHIL HABENS MALVM DICERE DE NOBIS. Multi Græci codices legunt in secunda persona, *de vobis*. Sed veterum Græcorum commentarij tatis arguunt eos, *de nobis*, legisse. Respicit autem hæc causalis: *Ut is qui ex aduerso est*, &c. non solum partem proximè antegressam: *Verbum sanum, irreprehensibile*; sed totam admonitionem Tito factam, ab eo loco: *In omnibus teipsum præbe*. Quasi dicat Apostolus: Hæc quæ dixi, præsta diligenter, vt aduersarius, quicumque ille est, qui in Christianis quærit quod criminetur, & reprehendat, pudore suffundatur; dum nihil inuenit in nobis, qui Christianorum præfules, & episcopi sumus, reprehensione dignum, siue doctrinam morum inspiciat, siue vitæ conuersationem.

9 SERVOS DOMINIS SVIS SVBDITOS ESSE. Id est, obedientes, ac morigeros. Repetendum autem ex superioribus, *hortare*. Cur post instructionem ætatū & sexuū, nunc peculiariter de seruis agat, rationem infra audiemus.

IN OMNIBVS PLACENTES. Particulam, *in omnibus*, etiam hoc loco Hieronymus ad præcedentia retrahit, vt legatur, *subditos esse in omnibus*. Sic enim habetur Col. 3. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus*. Alij plerique iungunt cum vocabulo, *placentes*, Græcè *εὐαρέσκεις*, hoc nimirum sensu, Vt studeant dominis suis obsequi, & gratificari in omnibus; vt per omnia gratam & placitam dominis exhibeant seruitutem. Vtraque distinctio bona est. Sed id quod dicitur, *in omnibus*, limitatè debet intelligi; sicut alijs locis admonuimus, scilicet de ijs ad

quæ

quæ dominorum potestas extenditur; aut certè de omnibus, quæ cum voluntate Dei, qui supremus est Dominus, non pugnant. Debet enim inconcussam, manere illud Petri; *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Act. 5. Atque hanc exceptionem ipse Paulus alibi declarat; in eo quod addit, *sicut Christo*, aut, *sicut Domino*, aut quid simile. Ephes. 6. & Colos. 3.

NON CONTRADICENTES. Id est, Non obloquentes, aut responsantes, aut mussitantes aduersus imperia, si quid iubeatur quod minus allubescat. Itaque eleganter vertit Ambrosianus interpres: *Non respondentores*.

10 NON FRAVDANTES. Hieronymus legit, *non furantes*. Melius erat, *non suffurantes*, siue, *non supplicantes*: Nam Græcis *ὑποφίσεσθαι* dicitur, qui furtim aliquid decerpit, aut detrahit, cum totam rem tollere non auit. Vñus est eodem verbo B. Lucas semel & iterum, Act. 5. vbi nos habemus, *fraudare de precio agri*. Legitur etiam 2. Mach. 4. Vult igitur apostolus seruos admonitos, ne de rebus dominorum quicquam furtim subtrahant. Quod vicium adeo seruis familiare quondam habebatur, vt poëta fures pro seruis in versu posuerit, nulla metri necessitate.

SED IN OMNIBVS FIDEM BONAM OSTENDENTES. Græcè, ad verbum: *Sed fidem omnem ostendentes bonam*; Nec secus legunt Hieronymus, & Ambrosianus: At noster interpres, cui consonat editio Syriaca, sensum reddere maluit. Nam Hebræa phrasi omne dicitur, quod perfectum est, & nulla parte deficit. Igitur omnem bonam fidem ostendunt serui, quando nulla parte fraudant heros suos, sed in omnibus integram præstant fidelitatem. Vnde sensu prorsus simili 1. Tim. 3. legitur in Græco, *fideles in omnibus*.

11 VT DOCTRINAM SALVATORIS NOSTRI DEI ORNET IN OMNIBVS. *Saluatorem nostrum Deum* alij Christum, alij Deum Patrem interpretantur. Vtrique probabiliter. Porro quæ causa sit, vt de seruorum officio, hic & ad Timotheum, & in alijs epistolis tam sollicitè præcipiat apostolus; ea ratio reddi solet, quod iam tum exorta erat hæresis eorum qui dicerent omnes fideles per Christum effici liberos; nec quemquam amplius premi debere iugo seruitutis humanæ postquam Christum Deum nactus esset dominum. Hoc an ita se habeat, non adeo liquet. Nobis non est necesse rationem quærere extra eam quam apostolus ipse tam hoc loco, quam 1. Tim. 6. disertè exposuit: Ideo videlicet, à seruis tantà curâ exigi, vt in omnibus obsequentes, & fideles se præstent dominis; ne per eorum improbitatem, *nomen Domini, & doctrina blasphemetur*, sed potius, vt eam ornent in omnibus; id est, vt obedientia, fide, & morum integritate, doctrinam Christianam apud heros suos, & quoscunque alios, quibuscum versantur, commendatam reddant; quo plures ad eam amplectendam alliciantur.

12 APPARUIT ENIM GRATIA DEI SALVATORIS NOSTRI OMNIBVS HOMINIBVS. Rationem innuit cur in catalogo eorum, qui instituendi sunt ab episcopo, descenderit vsque ad seruos, infimum genus hominum; quia nimirum gratia Dei proposita est omnibus hominibus, etiam seruis. Hæc autem occasione beneficium redemptionis humanæ partibus quibusdam explicat, velut effectus; quæ sunt recessus & emundatio à peccatis, sancta conuersatio, bona opera, beatitudo, & participatio gloriæ Christi. Ex quibus vult intelligi meritò se exegisse à Tito, vt fideles hortetur ad piè, sanctèque viuendum: Sic enim eos allèqui finem redemptionis. Quod ad textum attinet, Græca sic habent; *Apparuit*, siue *illuxit gratia Dei salutaris omnibus hominibus*. Vbi, *salutaris*, femininū est nominatiui casus *ἡ σωτηρία*; quod alij vertunt, *salutifera*; videlicet necessariò cum gratia construendum. Huius lectionis vestigia sunt apud Ambrosianum & Hieronymum. Nam ille legit, *salutaris*; hic verò omittit, *nostris*. Græcis concinit editio Syriaca, *Apparuit enim benignitas Dei, seruatrix omnium*. Quanquam in Græco ambiguum est, vtrum illud, *omnibus hominibus*, regatur à proximo nomine, *salutaris*, quod Neotericis placet; an à remotiori verbo, *apparuit*, vt vult Theophylactus; tamen idem verbum capite sequenti positum est absolutè. Veruntamen vtraque constructio commoda est & sensum fere eundem facit. Non enim multum interest, siue dicas, *salutarem Dei gratiã apparuisse omnibus hominibus*; siue *Dei gratiam omnibus salutarem apparuisse*. Nominis gratia Dei non effectus beneficentiæ diuinæ gratuitus, qui in nobis est, vt alibi; sed eius causa, hoc est, ipsa beneficentia Dei intelligitur; quam sequenti capite alijs nominibus *benignitatem & humanitatem Dei* appellat. Confer quæ dicta sunt 2. Cor. 6. v. 1. *Eam apparuisse dicit omnibus hominibus*; non quod omnibus, ac singulis toto mundo hominibus innouisset, sed quia per apostolos palam mundo prædicata iam erat, vt salutem adferens omni generi hominum, ne seruis quidem exceptis. Vnde non fauet hic locus eorum opinioni, qui dicunt singulis quibusque hominibus gratiam adesse sufficientem ad salutem. Quod si verum esset: tum non modò tempore apostolorum, ac deinceps apparuisset hæc gratia cunctis hominibus; sed ab initio mundi. Quod constat alienum esse à sententia huius loci.

12 ERVDIENS NOS. Non quòd gratia Christi consistat in doctrina, quæ admodum vole-

G g

bar

bat Pelagius; sed quia manifestatio gratiæ seu beneficentiæ Dei nobis esse debet vice institutionis ad vitam sanctè agendam. Veruntamen nec ea institutio, nec vlla doctrina auribus admota, quantumvis ad persuadendum apposita, præstabit vt sanctè viuamus; nisi Deus hoc ipsum per gratiam suam in nobis efficaciter operetur.

VT ABNEGANTES IMPIETATEM, ET SÆCULARIA DESIDERIA. Græcum participium præteriti temporis est. Vnde legit Ambrosianus, *Ut abnegata impietate & secularibus desiderijs. Abnegationem* intelligit apostolus, non quæ voce tantum fit, sed quæ reipsa. Is igitur abnegat impietatem, qui ab idololatria, falsoque cultu & doctrinis pietati contrarijs sese penitus auerit. Abnegat autem *secularia*, siue, vt est in Græco, *mundana desideria*; qui omnes mundi cupiditates à se abdicat, quod genus sunt imprimis voluptates carnis, item auaricia, ambitio, contentiones, emulationes, & cætera eiusmodi. Nam, vt ait B. Ioannes 1. ep. 3. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Videtur autem in verbo, *abnegantes*, allusio quædam esse ad abnegationem quæ solemniter & conceptis verbis fit in baptismo.

SOBRIE, ET IVSTE, ET PIE VIVAMVS IN HOC SÆCULO. *Sobrie* Græcè σωφρονως, quod rursus Hieronymus, sibi constans, reddit *prudens*. Sed sapientiam diximus latius patere Græcæ vocis significatum. Vnde magis placet Ambrosiana lectio, *temperanter*, quod ad sobrietatem & pudicitiam commune est. Sicut enim & Augustinus legit tract. 17. in Io. Igitur apostolus hac sententia complexus est summam vitæ Christianæ, definiens eam his tribus, sobrietate seu temperantia, iusticia, & pietate: temperantia, qua quisque benè sit ordinatus erga seipsam; iusticia, qua erga proximos; pietate, qua erga Deum; quemadmodum pulchre locum hunc exponit Fulgentius libro 1. de remissione peccatorum cap. 28. ita concludens: *Quisquis ergo vult ad regnum pertingere cælorum, viuat sobrius in semetipso, iusticiam seruet in proximo, pius perseueret in Deo.* Porro tribus his virtutibus tria respondent opera, quibus Deum placamus & promeremur, ab angelo singulariter commendata, Tob. 12. Ieiunium, Eleemosyna, & Oratio. Atque hoc velut triplici remedio curanda sunt tria vicia dictis virtutibus opposita; quæ Ioannes apostolus commemorat loco supra citato, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Quod autem Paulus iam toties sobrietatis, seu temperantiæ meminit, de Crescens agens institutione (Nam & senes, & anus, & iuuenes, & adolescentulas vult admoneri vt sobrij sint) suspicionem præbet ma-

gnæ illius gentis intemperantiæ: nec immerito, quandoquidem eos & superius ex domestici vatis testimonio, ventres pigros appellauit. Quorum etiam infames libidines & luxus referuntur à Strabone libro 10. Quod addit, *in hoc saculo*, non ita accipiendum quasi virtutes non remaneant in saculo futuro; Manere enim eas ad ornatum, imo & quædam illi statui congruentes actus habere, rectè post Augustinum Scholastici docent in 3. sent. dist. 33; sed significat vitam præsentem ijs virtutum actionibus destinatum esse, quæ præsentis saculo conueniant, & quibus ad futuri saculi retributionem perueniatur. Vnde sequitur,

EXPECTANTES BEATAM SPEM. Hebraismus est, quo *spem* posuit pro re sperata. Nam sensus est, Dum interim spe expectamus promissam beatitudinem, tanquam præmium bonarum actionum huius vitæ.

ET ADVENTVM GLORIÆ MAGNI DEI, ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI. *Aduentum* Græcè ἐπιφάνειαν id est, apparitionem, illustrationem, aduentum cum splendore, & manifestatione. *Aduentum gloriae*, secundum quosdam Hebræa phrasi dictum est, pro aduentu glorioso. Alij simpliciter accipiunt pro manifestatione gloriæ. Hunc Domini aduentum cum spe & desiderio expectant omnes qui sobriè, iustè, & piè viuunt in hoc saculo; quia non nisi per eum adepturos se sciunt participationem gloriæ Christi, qua perfectam assequantur redemptionem. Vnde eis dicitur: *Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. & passim aduentus ille Christi, sicut impijs & peccatoribus formidabilis; ita pijs, ac iustis vehementer optabilis describitur. vt Rom. 8. Phil. 3. 1. Io. 3. Sed queritur, quem apostolus dicat magnum Deum. Caietanus non vult nomen Dei hoc loco restringi ad personam aliquam, sed accipi vt commune Patri & Filio & Spiritui sancto. Ambrosianus Deum Patrem intelligit. Idem sentit Erasmus tam in paraphrasi, quam in annotationibus. Hunc sensum olim arripientes Ariani, inde probare conati sunt Filium esse Patrem minorem, quod distinctionis causa Patrem apostolus *magnum Deum* vocet. At verò Hieronymus, Chrysostomus, ac ceteri Catholici interpretes magno consensu totam hanc partem ad Filium referunt, atque adeo ex hoc loco aperte retundi putant Arianos, quod Filius non quomodocunque Deus, sed magnus Deus vocetur. Pro Filio facit nomen *aduentus*, scilicet ad iudicium vniuersale, quod erit in fine saculi. Hic enim aduentus non Patri, nec Spiritui sancto, sed Filio tribui solet in scripturis; vt qui solus in humana forma gloriosus, ac visibilis

mundum

mandum iudicaturus est. Nam & Græcum nomen ἐπιφάνεια alijs locis tribuitur aduentui Christi; vt 2. Theff. 1. vbi de Antichristo dicitur: quod *eum Dominus Iesus interficiet spiritum oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Item 1. Tim. 6. & 2. Tim. 4. semel & iterum. Cæterum Deo Patri huiusmodi aduentus, aut apparitio nusquam ascribitur. Est & alia coniectura ex Græco textu. Nam priori tantum parti præponitur articulus; vt proinde simul in eadem persona complecti videatur partem posteriorem: cum alioqui si alia, & alia persona significaretur, articulus esset repetendus, vt videre est Mat. 28. & alibi. His accedit, quod cum in initio sententiæ de Patre dicat: *Apparuit enim gratia Dei*; sermonis consequentia postulare videtur vt hæc pars tota ad aliam personam referatur, scilicet filij: quemadmodum è diuerso in illa sententia capitis sequentis: *sem apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei* &c. ex eo quod postea Spiritus sancti, & filij mentio fit, argumentum sumitur initio de Patre sermonem esse. Cæterum non ita sensum hunc astruimus, vt damnemus diuersum, quo vel de Patre, vel de Deo sine personæ limitatione intelligatur illud. *magni Dei*; quod autem sequitur, *Et Saluatoris nostri* &c. ad humanam Christi naturam pertineat, vt non absurdè Caietanus exponit: tanquam sensus sit, Expectantes manifestationem gloriæ magni Dei, qua scilicet eius maiestas, & magnitudo tunc omnibus innotescet; nec non manifestationem gloriæ Saluatoris nostri Iesu Christi, quando scilicet in assumpta natura mirabiliter gloriosus apparebit, idemque Patri agnosceretur æqualis. Nam vsque ad illud tempus, neque magnitudo Dei, neque excellentia Christi Saluatoris erit omnibus agnita, & confessa: Tunc autem confitebitur omnis lingua, quia Dominus est Iesus Christus, in gloriâ Dei Patris. Phil. 2. Sanè hic sensus adeo non fauet Ariani vt eos etiam expugnet, quatenus filium, euehit ad æqualitatem Patris; vt & ipse magnus Deus agnoscat. Neque verò Patrem ad distinctionem filij, *magnum Deum* apostolus appellat, quod volebant Ariani; sed proprio diuinitatis epitheto, & falsorum Deorum comparatione: iuxta illud psal. 76. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster?*

QVI DEDIT SEMETIPSVM PRO NOBIS. Hoc est, qui in assumpta carne semetipsum sponte tradidit in passionem & mortem pro nobis; siue omnibus hominibus; siue speciatim electis, in quorum persona Paulus saepe loquitur. Nam precium mortis Christi sufficit quidem omnibus redimendis & saluandis, sed solis ad salutem applicatur electis.

VT NOS REDIMERET AB OM-

NI INIQUITATE. Explicat quod dixit, *pro nobis*, quasi dicat: Ideo seipsum tradidit in mortem, vt eo precio nos redimeret ab omni peccato, quo mortem merebamur: Omnes enim eramus serui peccati, Christo attestante, quia *omnis qui facit peccatum seruus est peccati.* Io. 8. Consistebat autem ea seruitus in duobus; affectu, & reatu: quoniam & seruos exhibebamus nos ad obediendum peccato. Rom. 6. & *pœna mortis additi eramus propter peccatum.* Heb. 2. Sed ab utroque seruitutis malo nos redimit Christus.

ET MUNDARET SIBI POPVLVM ACCEPTABLEM. Græcè περιποιω, pro quo legit Ambrosianus, *peculiarem*; Hieronymus, *egregium*; Augustinus, *abundantem*. Loca Augustini sunt epistola 48. & lib. de vnitatem ecclesiæ cap. 14. vbi citat hunc locum pro multitudine eorum qui sunt in ecclesia. Porro Hieronymus in commentario scribit se de Græca voce sapientes huius saculi consuluisse; nec discere ab eis potuisse, quid significaret. Vnde putat vocabulum esse sacris scripturis, sicut à Lxx. translata sunt, proprium. Habetur autem Exod. 19. vbi nos ex Hebræo legimus; *Eratis mihi in peculium de cunctis populis*: Et Deut. 7. *Ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram.* Atque eiusmodi verba repetuntur eiuſdem libri cap. 14. & 26. Alius locus est Malach. 3. *Et erunt mihi in die qua ego facio, in peculium.* Rursus alius psal. 134. vbi nos habemus: *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.* Quo quidem in loco Lxx. & Theodoro, teste Hieronymo, περιποιων verterunt; Aquila verò, & quinta editio dederunt περιποιω, nulla significationis diuersitate. Denique Symmachus, vt idem Hieronymus affirmat, quod semel ex Hebræo סנה Græcè verterat ἐξαιρετον, id est, egregium, aut præcipuum; in alio volumine Latinum reddens vocabulum, *peculiarem* interpretatus est. Iam quod Hieronymus negat apud profanos authores inuenire se potuisse, ab alijs inuentum est. Nam Budæus ex Theodoro & Theophrasto docet ea voce significari quod rarum est, inusitatum, & peregrinum. Quam significationem nonnulli putant huic loco optimè conuenire. Verum nobis non est ambigendum, quin Lxx. interpretes, ac ceteri, verentes περιποιω, id exprimere voluerint, quod Hebræa voce significatur; Id autem est *peculium*; hoc est, aliquid industriæ, precio, labore comparatum, vt propria possessio. Rabbi Salomon exponit thesaurum dilectum, quomodo & vertit Pagninus Exod. 19. Quod enim quis multo labore, aut precio comparauit,

Gg 2

id carum

id carum habet velut thesaurum. Quamuis igitur cætera significata, vt acceptabile, egregium, rarum, abundans, seu copiosum, à Græca voce, atque eius deriuatis non sint aliena; propriè tamen id quod in originali lingua est, expressit, qui vertit *peculiarem*. Sicut & ipse Hieronymus interpretatus est locis supra citatis. Nam ad eiusmodi loca Paulum hîc alluisse nullum est dubium; præsertim cum, iuxta id quod alibi dicit; *Omnia in figura contingebant illis*. 1. Cor. 10. non ignoraret antiquum populum Israeliticum mira Dei virtute ac singulari beneficio liberatum è seruitute Egyptiaca, & per hoc factum Deo peculiarem; fuisse typum populi Christiani, morte Christi, precioq; sanguinis eius, idque beneficio longè maiore, redempti è captiuitate diabolica; quem proinde populum vt peculiarem meritò sibi vendicat. Itaque sensus apostoli est, Christum dedisse semetipsum pro nobis, vt nos ab omni iniquitate redemptos & emundatos, possideret tanquam populum peculiarem. An autem eiusdem sit significationis, quod in oratione Dominica legitur *ἐπίσκοπον*, pro quo alij quotidianum, alij supersubstantialem reddiderunt; Hieronymus significari putat præcipuum, egregium, peculiarem, eum videlicet qui de cælo descendens ait, *Ego sum panis qui de cælo descendi*: id alterius est inquisitionis.

SECTATOREM BONORVM OPERVM. Græcè ζῆλωτην, id est, *emulatorem*, vt legunt Hieronymus & Ambrosianus. Alij non malè vertunt, *studium bonorum operum*. Vrgent eam vocem Græci interpretes. Vides, inquit Chrysostomus, vt non simpliciter opera virtutis à nobis exigantur. Aut enim, *emulatores*; hoc est, magna cum alacritate, & ingenti studio, & animo, virtutis opera capeissentem. Adicit hanc partem apostolus; vt insinuet ita demum nos fore populum acceptabilem, & peculiarem Christo, si bonorum operum studiosi fuerimus; quandoquidem ad hunc finem nos redemit. Veruntamen sicut per gratiam redemptionis ipse nos facit populum peculiarem; ita & facit sectatorem bonorum operum.

HÆC LOQVERE, ET EXHORTARE, ET ARGVE CVM OMNI IMPERIO. Pro doctrinis, inquit, & fabulis Iudaicis, hæc quæ dixi, doce & loquere; ad hæc exhortare; & inobedientes, aut contradicentes *argue cum omni imperio*. Vbi notandum, hanc partem *cum omni imperio*, quamuis non incommode ad tria præcedentia verba referri possit; videri tamen ad proximum verbum, *argue*, propriè referendum esse. Deinde non præcipi Tito vt imperiosè agat; id quod apud Ezech. 34. reprehenditur in pastoribus po-

puli, his verbis; *Cum austeritate imperabis eis, & cum potentia*: sed vt auctoritatem præferat, maximè quando increpandi sunt & arguendi refractarij. Vnde quidam vertunt, cum omni auctoritate. Liquet ergo præceptum hoc apostoli non esse contrarium illi, quo Timotheum admonet, vt cum omni patientiâ arguat, 2. Tim. 4. Non enim pugnat auctoritatis ostensio cum mansuetudine & patientiâ. Quanquam Gregorius parte tertiâ curæ past. admo. 17. diuersitatis horum præceptorum aliam assignat rationem, videlicet ex diuersitate ingeniorum Titi & Timothei, quod illum apostolus videret mansuetioris esse spiritus, hunc autem paulò feruentioris. Potest & ex parte auditorum ratio diuersitatis adferri. Nam & supra de Cretenfibus dixit; *Increpa illos dure*.

NEMO TE CONTEMNAT. Auctoritatis seruandæ præceptum est. q. d. Ita te gere in officio tuo, ne quis te despiciat; & vt Hieronymi verbis hoc ipsum repetam, *Nolote eulem exhibeas, vt possis ab aliquo merito contemni*. Sic enim futurum, vt doctrinæ & increpationis tuæ fructus pereat: præsertim si vita tua te laicis inferiorem ostendat. *Quia vehementer ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse quam clericos*; vt ait idem Hieronymus. Obserua Paulum non hîc dicere, quod Timotheo; *Nemo adulescentiam tuam contemnat*: Vnde colligitur grandioris ætatis fuisse Titum quam Timotheum.

SUMMARIUM.

Potestatibus subditos esse admonet, & ab omni opere malo abstinere, cum per gratiam Christi renouati sint & instructi. Contentiosas quæstiones vitari iubet; hæreticum hominem post admonitionem reuerti, quod subuersus sit. Postremo salutem precatur & gratiam.

CAPVT III.

ADMONE ILLOS PRINCIPIBVS, ET POTESTATIBVS SVBDITOS ESSE. Post interpositam mentionem beneficij redemptionis nostræ, redit ad præcepta rectè viuendi; subiungens nunc ea de quibus omnes in vniuersum sint admonendi. Quale imprimis est, vt principibus (Græcè, *πρισιπατibus*) & potestatibus subditi sint. Inter principatus, & potestates non est quærendum discrimen. Sentit enim apostolus, ijs qui præsunt in republica, quocumque nomine censeantur, obtemperandum esse. Pronomen, *illos*, monstrat Cretenfes, sicut ibi: *Increpa illos dure*. Putat Hieronymus id circo-

Pau-

Paulum hîc & ad Rom. 13. fidelibus commendare subiectionem principibus debitâ, quod eo tempore vigeret adhuc apud multos dogma Iudæ Galilæi, de quo Gamaliel loquitur Act. 5. qui docuerat neminem debere vocari dominum præter Deum solum; nec tributa Cæsari soluenda ab ijs qui decimas ad templum deferrent. Erant enim inter Cretenfes multi Iudæi, quorum mores notaui primo capite. Quanquam sufficere potest ea generalis ratio, quæ superius ex ipso apostolo dicta est de seruis; videlicet ne malè audiret Christiana religio, si Christiani minus sese morigeros magistratibus præberent; vtque potius prompta legum obseruantia, ac tributorum præstatione professionem suam ornarent, eamque potestatibus huius sæculi commendatam redderent. Hanc enim rationem etiam Petrus apostolus 1. ep. 2. non obscure tradidit.

Dicto OBEDIRE. Græcè *πειθαρχειν*, dictione composita, id est, *obedire principibus, seu magistratibus*. Inculcatio est eiusdem præcepti.

AD OMNE OPVS BONVM PARATOS ESSE. Eam partem, *ad omne opus bonum*, Hieronymus connectit superiori; *Obedire ad omne opus bonum*; vt id quod sequitur, *paratos esse*, proprium & speciale sit præceptum. Alij omnes (quod nec Hieronymus improbat) nostram seruant distinctionem, vt hæc pars sit quedam explicatio præcedentium. q. d. Apostolus; Quod præcepto obediendum esse principibus, ac magistratibus, id eatenus intelligi volo, dum bona sunt ac licita, quæ iubent. Ad omne enim opus bonum, quodcumque potestas superior iniunxerit, etiam si graue sit, & ex parte præcipientis iniustum, paratos esse fideles oportet; saltem auertendi scandali causa. Si verò contra Deum aliquid præcipitur; ibi locum habeat illud B. Perri Act. 5. *Deo potius obediendum esse quam hominibus*. Nonnulli sententiam hanc simpliciter accipiunt, vt per eam fideles in genere admoneantur ad beneficentiam. Nam & ea quæ sequuntur, generalia sunt præcepta.

NEMINEM BLASPHEMARE. Id est, Ne cuiquam, aut de quoquam maledicant. Grauitatem huius peccati docet 1. Cor. 6. quum maledicos recenset in eorum numero qui regnum Dei non possidebunt. Huc reuocantur & cætera linguæ vicia, ex odio aut contemptu proximi nata, vt conuicium, contumelia, calumnia, detractio, susurratio, irrisio. His affine est quod sequitur,

NON LITIGIOSOS ESSE. Græcè *ἀμαχους*, *alienos à pugnis*, siue, vt Erasmus vertit, *non pugnares*. Quanquam ipso etiam Caluino iudice, melius vertit vetus interpres, *Non litigiosos*; quod & apud Hieronymum & Ambrosianum legitur. Significantur e-

nim pugnae verborum; vt lites, rixæ, contentiones; à quibus alienos oportet esse fideles. Idem vocabulum habetur inter virtutes episcopi 1. Tim. 3.

SED MODESTOS. Græcè *ἐπιεικεις*, quod his modis vertunt; *placidos, mites, humanos, moderatos*. Vfus est eadem voce Paulus Philip. 4. vbi nos habemus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Græco nomine significatur ea virtus qua quis commodum & facilem sese exhibet alijs; eorumque dicta & facta, quamuis etiam in speciem mala, benignè interpretatur; ac de iure suo cedit interdum pacis causa. Differit de hac virtute Philosophus libro 5. Eth. capite decimo.

OMNEM OSTENDENTES MANSVETVDINEM AD OMNES HOMINES. Quod in 2. Timoth. 2. *seruum Domini*; id est, episcopum dixit *non oportere litigare, sed mansuetum esse ad omnes*: id nunc ab omnibus fidelibus exigat. Omnem erga omnes mansuetudinem ostendit siue exhibet, non qui nusquam seueritatem adhibet, aut nullum peccatum punit; sed qui seruatis circumstantijs loci, temporis, personarum, ab huius virtutis officio nulla parte deficit; maximè cum Christi præceptum sit: *Non resistere malo*. Matth. 5.

ERAMVS ENIM ALIQVANDO ET NOS INSIPIENTES, INCREDVLI, ERRANTES. Quia præceperat omnem exhiberi mansuetudinem erga omnes homines, volens ea generalitate comprehendendi etiam infideles, & veritatis aduersarios: nunc quàm æquum ac rationi consonum sit eiusmodi præceptum, ostendit à lege charitatis; quæ dicit vt tales simus erga alios quoscumque, quales vicibus commutatis alios erga nos esse vellemus. Et quidem hæc pars complura continet documenta Primum, vt qui per gratiam Christi iam fideles sunt, & in nouitate vitæ ambulant; erroris pristini & conuersationis memores, non se fastuosè efferant aduersus eos qui adhuc in errore & veritate vitæ detinentur; sed humanos, ac mites se illis exhibeant, condolentes eorum miseriam, & parati subuenire. Deinde, vt suo exemplo cogitent etiam illos posse, si Deus misereatur, gratiæ Christi fieri participes; eaque spe nihil prætermittant, quo eos in societatem tanti beneficij perducant. Tertium, vt ex hac descriptione discamus, quales ante gratiam Christi sint omnes homines, etiam illi qui putantur honestè & sine querela conuersari secundum legem, vel naturalem, vel scriptam. Nam apostolus etiam seipsum hîc apertè includit, dicendo, & nos. Includit & Titum, qui in gentilitate honestè vixerat; iuxta illud de episcopo 1. Tim. 3. *Oportet illum, & testimonium habere bonum, ab ijs qui foris sunt*. Non, nominat autem crimina manifesta, velut adulteria,

sacrilegia, furta, rapinas, homicidia, à quibus multi sola natura vel lege edocti, sese abstinere; plures metu poenarum, aut honoris cupiditate manum cohibent. Vnde de quibusdā ait Dominus. quod *omnia faciunt ut videantur ab h. minibus.* Matth. 23. At neque idololatriā nominat; peccatum gentilibus commune; quoniam hoc ad Paulum & Iudæos non attinebat: Sed ea recenset quæ ut plurimum latere solent in animo, quæque in ijs etiā qui cultum vnius Dei profitentur, & vitam forniculose honestam degunt, inueniri possunt; cuiusmodi sunt errores, illicita desideria, malicia, inuidia, odium. Ex his colligi potest, quō sensu dixerit idem apostolus ad Philip. 3. *secundum iusticiam, qua in lege est, conuersatum se fuisse sine querela.* Quæ verba suo loco plenius à nobis sunt exposita. Certè Hieronymus in huius loci commentario, ostendit ea quæ hic dicuntur, in ipsum etiam Paulum competere ante conuersionem; ut qui sine Christo vicijs omnibus seruierit: nec ista pugnare cum ijs, quæ de se scripsit ad Philip. Dicit ergo Mos, qui nunc Dei beneficio Christiani sumus, quōdam etiamus *insipientes, siue stulti;* quia vera sapientia destituti: Item *increduli;* Græcè ἀπειθεῖς, pro quo Hieronymus *inobedientes* legit; Ambrosianus, *inobsequentes.* Verūm alibi Paulus eo vocabulo denotat infideles, qui prædicationi veritatis resistunt, nec vllam persuasionem admittunt; quales erant plerique Iudæi, qualis & ipse Paulus fuerat, quando miraculis apostolorum, & doctissima Stephani disputatione nihil commotus, ecclesiam toto conatu persequebatur. Item *eramus errantes,* tam in via morum quàm doctrinæ; iuxta illud Isa. 53. *Omnes nos quasi oues errauimus: Vnusquisque in viam suam declinauit.* Fortè specialiter respicit ad errores Iudaicos, ac Pharisæicos, quibus ipse fuerat imbutus.

SERVIENTES DESIDERIIS, ET VOLUPTATIBVS VARIIS. *Seruietes,* id est, addicti more seruorum. Hinc enim omnis peccator seruus peccati vocatur. Hac parte potissimum significari videntur cupiditates, & voluptates carnales omnis generis. Vnde Hieronymus negat etiam Paulum potuisse æstantem flammam restinguerè voluptatū, quando non erat templum Dei. Porro vicia spiritualia consequenter iam enumerat.

IN MALICIA, ET INVIDIA AGENTES. Græcè δὲλιγοῦρες, *degeneres.* Maliciam intelligit, non vt generale vicium est, sed malignitatem, qua quis malum vult alteri, quadam specie vindictæ; vt exponit Theophylactus. Sic enim aptè cum inuidia coniungitur.

ODIBILES, ODIENTES INVICEM. *Odi-biles,* siue *odiosi,* vt legit Hieronymus, dicuntur qui morum improbitate, aliorum odia aduersum se pronocant; vt ferè homines contentiosi: quique priuatis vbiq; commodis, aut honoribus intenti sunt. Hinc autem sequitur alterum, vt scilicet, inuicem

odio prosequantur. Quæret aliquis an omnia vicia iam enumerata competant in omnes & singulos à Christo alienos. Respondetur, etsi non omnia, tamen pleraque in omnes competere ex mente Pauli. Voluit enim is declarare quales sint homines fide Christi nondum illuminati: Nec quemquam esse, qui non prius cupiditatibus seruiat; tamen nec omnibus iisdem, nec æqualiter, omnes sunt addicti.

4 CVM AVTEM BENIGNITAS, ET HUMANITAS APPARUIT SALVATORIS NOSTRI DEI. Dixit quales simus omnes antequam veniamus ad Christum; nunc docet quid Christi gratia nobis præster, nobis inquam malis, & immetentibus, quales iam descripsit. Est autem doctrina valde illustris, qua beneficium gratiæ justificationis nostræ, breuiter quidem, sed luculenter & grauer exponit, *Benignitas,* pro qua Hieronymus & Ambrosianus *bonitatem* legunt, Græcè χρηστότης, virtus est, iuxta Stoicos, qua quis vltro studet benè mereri de alijs. Quod maxime Deo conuenit qui præuenit nos suis beneficijs, & commodi nihil à nobis expectat. *Humanitatem* nonnulli interpretati sunt humanam naturam siue incarnationem; vt sensus sit, Postquam mysterium incarnationis Christi Saluatoris nostri mundo patefactum est. Sed hunc intellectum respuit vox Græca φιλανθρωπία, quæ non aliud significat. quàm amorem erga homines, id est, studium hominibus benefaciendi. Quem affectum etiam Latini *humanitatem* appellant. Sic enim ipse Erasmus vertit eandem dictionem Act. vlt. vbi dicuntur barbari Paulo, & socijs eius non modicam præstitisse humanitatem. Priori sensui illud etiam obstat, quod humanitas hic attribuitur Patri non Filio. Nam istud, *Saluatoris nostri Dei,* de Patre dicitur, vt patet ex subiunctis. Dicit enim *eum effudisse in nos abundè Spiritum sanctum per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Quod non de alio quàm de Patre potest intelligi. Sicut & veteres intellexerunt, nominatim Hieronymus, qui studiosè lectorem monet in præsentī capitulo manifestissimam, vt loquitur, inueniri Trinitatem. Congruunt & aliæ scripturæ, charitatem hanc erga genus humanum Deo Patri tribuentes, vt Io. 3. *Sic Deus dixit mundum, vt filium suum unigenitum daret.* Et 1. Io. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis; quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* & Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Similiter ecclesia Dei Patris φιλανθρωπία confitetur, quando in publicis precibus eum appellat *humana salutis amatorem.* Atque interim obserua in hac apostoli sententia, tam Patri quàm filio, Saluatoris epitheton ascribi. Quod & in superioribus huius epistolæ animaduertere est. Verbum, *apparuit,* eodem modo exponendum

est,

est, quo in capite superiori, & ad idem tempus referendum. Non enim sensus est, Postquam benignitas, & humanitas Dei declarata est in natiuitate, aut passione filij eius; sicut quidam exponunt; sed, Postquam ea per euangelij prædicationem mundo illuxit, atque innotuit. Neque enim Christo nascente, aut patente; sed euangelio Christi nati & passi per apostolorum prædicationem coruscante, saluos fecit Deus eos de quibus deinceps apostolus loquitur, vt modò patebit.

5 NON EX OPERIBVS IUSTICIÆ QUÆ FECIMVS NOS. Græcè *Non ex operibus qua sunt in iusticia, qua fecimus nos;* aut, vt alij murato modo commodius vertunt, *Non ex operibus qua essent in iusticia, qua fecissemus nos.* Sed tamen idem est sensus. Vnde nec veteres Latini aliter legunt, quàm noster interpret transulit. Sentit enim apostolus non ex vlllo operum, quasi iustorum, merito quæ à nobis facta essent, nos saluos factos esse per Christum: quia nimirum nulla erat nostra iusticia, nisi falsa; nulla opera iusta. Neque enim significat nos fecisse opera iusticiæ, ex quibus tamè non simus salui facti: sed, quia opera iusticiæ salutem adferunt, ideo simpliciter intendit à nobis opera iusticiæ remouere. Similis loquendi modus est quò Dominus ait Io. 5. *Non quero voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me.* Non enim habebat voluntatē suam, id est, à voluntate Patris diuersam, quam quæreret. Loquitur autem apostolus de ea iusticia, quam scripturæ commendant: quippe ea sola apud Deum pondus habet ad salutem, aut partem aliquam salutis nostræ Reijciuntur ergo opera moralia tam legis quàm naturæ, quantumlibet speciosa; tanquam ad iustificationem nostram nihil omnino conferentia. Nam opera verè iusta, quæ Paulus, in hac eadem epistola, *sexies bona opera* vocat, & vehementer commendat; non sunt nostræ iustificationis antecedentia merita; sed sub ipsa gratuita iustificatione comprehenduntur, tanquam à Deo per Christum nobis præparata. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, qua præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Eph. 2.

SED SECUNDVM SVAM MISERICORDIAM SALVOS NOS FECIT. Id est, per gratuitam beneficentiam, qua nostri miserus est, in quibus nihil boni reperit ad quod respiceret, saluos nos fecit. Vbi notandum est, hanc salutem non intelligi in sola gloria cælesti, sed completè totam hominis renouationem ab initio fidei vsque ad perfectam eius beatitudinem. Sic ad Eph. 2. *Gratia est: saluati per fidem.* Igitur, *saluos nos fecit,* quatenus iustificauit, & per hoc in via salutis constituit; ad perfectam salutem deinde perducitur: quam & nunc in spe possidemus; iuxta illud Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Rectè igitur & solidè Augustinus, & Thomas, alijque scriptores orthodoxi docent ex hac scriptura, Deū nos ad salutem prædestinasse non ex vlla nostrorum ope-

rum præscientia, sed ex sola sua misericordia. Sicut enim saluos nos fecit, ait B. Thomas 1. p. q. 23. ar. 5. ita prædestinavit nos saluos fieri: Igitur si saluos fecit non ex operibus, sed ex sola sua misericordia; sic quoque prædestinavit. Cæterum malè ex eodem hoc loco colligunt hæretici vitam æternam, quæ est perfecta salus, non reddi pro meritis bonorum operum. Quamuis enim tota salus nostra sit ex gratia Dei, non ex meritis nostris: per eandem tamen benignam & gratiosam Dei prouidentiam, ille constitutus est ordo salutis nostræ, vt priores eius partes meriti ratione haberent respectu posteriorum; id est, bona opera collata ad vitam æternam. *Tanta est enim Dei bonitas,* ait Papa Cælestinus, *vt nostra velit esse merita; qua sunt ipsius dona.* Non ergo merita nostra statuimus, tanquam nostra, sed tanquam à Deo donata: vt nihil prorsus habeat homo, de quo tanquam de suo gloriatur. Porro quod ait in prima persona: *Saluos nos fecit,* non de omnibus omnium temporū iustis, aut electis loquitur; sed referendum ad eosdem, de quibus superius dixit: *Erasmus enim aliquando & nos insipientes &c.* Hoc est, ad omnes eos, qui illo tempore erant fideles & iusti. Quod manifestè liquet ex eo quod subiungit; *Per lauacrum regenerationis &c.* Non enim per baptismum salui facti sunt omnes omnium temporum electi. Veruntamen sicut in periodo superiori tacitè voluit intelligi quales sint omnes homines antequam ad fidem vocentur; ita & hic vult eandem esse rationem de cæteris omnibus hominibus quicumque saluantur, aut salui facti sunt; videlicet non ex operibus iusticiæ quæ ipsi fecerint, sed secundum Dei misericordiam saluos fieri, aut factos esse.

PER LAVACRVM REGENERATIONIS Baptisum vocat *lauacrum regenerationis,* quia qui baptisimi sacramento foris abluuntur, intus regenerantur in filios Dei per gratiam adoptionis; idque ex institutione Christi, qua dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Io. 3. Hinc ergo refellitur hæreticorum nouicium dogma, quo statuunt sacramenta à Christo instituta non aliud esse, quàm symbola quædam externa, quibus salus per Christum accepta velut sigillis obsignetur & confirmetur. Quod enim Christus dicit, *ex aqua;* & apostolus, *per lauacrum;* idemque alibi: *mundans eam lauacro aqua,* non nudam sonat obsignationem salutis acceptæ, sed causalitatem quandam, ita vt verè dicatur, homines per baptismum, tanquam instrumentum operationis diuinæ, regenerari, mundari, iustificari.

ET RENOVATIONIS SPIRITVS SANCTI. Idem baptisimus *lauacrum renouationis* vocatur, quia per eum homo vetus exiit, & nouus induitur; am scilicet is qui baptizatur, deposita veritate peccati, in nouam transeat creaturam. Ostendit hic locus, vt & alij mu-

ti similes non iustificari fideles sola imputatione iusticie Christi, quemadmodum sectarij docent; sed veram habere iusticiam sibi inherentem, sine qua nemo spiritu, ac mente renouatus verè dici possit. Sunt qui accusantium pro genituo malint; *renouationem*, pro *renouationis*; hoc videlicet modo: *Per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus sancti*. Sic enim Hieronymus legit; & Chrysostomus interpretatur, repetita præpositione, *per renouationem*. Quod & videre est in editione Syriaca. Nam Græca ad utramque constructionem ambigua sunt. Sed profectò conuenientius est quod dedit noster interpres. Coniungitur enim regeneratio & renouatio, tanquam effectus eiusdem baptismi, quem propterea regenerationis & renouationis lauacrum appellandum Paulus censeat; id est, quo regeneratur & renouatur. Iam quod additur, *Spiritus sancti*, iam ad regenerationem, quam ad renouationem referri debet. Vtraque enim est Spiritus sancti, rãquã causæ efficientis: & quidem manifestè regenerationem Spiritui sancto tribuit Dominus Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. Et iterum, *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Nominatum autem Spiritus sancti persona, quod huic ea peculiariter opera soleant ascribi, quæ sunt gratiæ erga homines bonitatis diuinæ.

QVEM EFFVDIT IN NOS ABVNDÈ GRÆCÈ *πλεσιος*, id est, *opulenter*, vt legit Hieronymus; pro quo Augustinus, *diuissime*; lib. de gratia, & lib. arb. cap. 5. Sensus est, Deum non tenuiter aut parcè, sed liberaliter & copiosè contrahere in nos dona Spiritus sancti. Quod si de corpore ecclesiæ intelligatur; aperte verum est: Nam in ecclesiam abundè effusa est gratia Spiritus sancti. Sin autem referas ad singulos regeneratos; minus apparet verum, cum sint multi, in quos tenuiter admodum stillare gratia Dei videatur. Attamen si consideretur excellentia charitatis, quæ inter dona Spiritus sancti primatum tenet (per eam enim amici, & filij Dei, atque hæredes regni constituimur): non videbitur Deus parcè effudisse Spiritum sanctum in eum, cui tantum illius donum impertitus fuerit. Liqueat etiam ex hac parte, iustificationem nostram non consistere in sola remissione peccatorum, quod hæretici volunt; sed etiam, ac præcipuè, in donis Spiritus sancti super nos effusis: Cuiusmodi sunt fides, spes & charitas. Nam remissio peccatorum non aptè dicitur effundi. Nonnulli vertendum putant; *Quod effundit*; vt ad lauacrum hæc pars referatur, siquæ sensus; Quod lauacrum, siue quam aquam abundè, quoad effectum ipsius, in nos effudit. Sed hanc lectionem quamvis Græca permittant; vsus tamen loquendi respuit. Nulquam enim dicitur effundi lauacrum: at Spiritus sanctus, eiusque dona effundi, aut diffundi, non raro dicuntur in scripturis: vt Isa. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum*. Et Ioel. 2. *Effundam spiritum meum super omnem*

carnem. Quod & Petrus Act. 2. pro testimonio citat. Alius locus est Ezech. 39. Tale etiam est illud Pauli Rom. 6. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Vt iam dubitandum non sit, quin Spiritui sancto, cuius mentio proximè præcesserat, aptandum sit relatiuum.

PER IESVM CHRISTVM SALVATOREM NOSTRVM. Hic sermo, *Per Iesum Christum*, tam in epistolis Paulinis, quam in orationibus ecclesiæ, causam promerentem significat. Itaque sensus est, Christum vt hominem sua passione nobis promeruisse affluentiam donorum Spiritus sancti, quibus renouamur. Ob eadem causam Christum vocat *Salvatorem nostrum*, quia nimirum vniuersa salus nostra, ab initio fidei vsque ad gloriæ consummationem, ex illius est merito. Nisi cum alijs hoc ad Christum vt Deum referamus, vt ad significandam æqualitatem personarum idè nunc de filio dicatur, quod antea de Patre. Erit fortassis qui hanc clausulam putet referendam ad illud remotius, *saluos nos fecit*.

VT IUSTIFICATI GRATIA IPSIVS. Id est, non nostro merito, sed gratuito eius beneficio, omne meritum nostrum præuente. Id latius in superioribus explicatum est; ibi, *Erasmus enim aliquando & nos insipientes*, &c. Relatiuum, *ipsius*, tam ad Patrem, quam ad filium referri potest: Vtiusque enim gratia passim ab apostolo commendatur; Sed quia Græcè est *ἐκείνους, illius*; sicut & Hieronymus atque Ambrosianus legunt referri (quo quidè pronomine, id quod remotius est referri solet) idcirco potius ad Patrem videtur pertinere.

HÆREDES SIMVS SECVNDVM SPEM VITÆ ÆTERNÆ. *Simus*, Græcè, *efficiamur*; quemadmodum & legitur apud auctores modò citatos. Sensus est: Vt gratis ab eo iustificati, per ipsam iusticiam nobis donatam institueremur hæredes vitæ æternæ, idque cum spe certissima ipsius hereditatis consequendæ, *Spe enim salui facti sumus*. Rom. 8. *Spes autem non confundit*. eiusdem cap. 5. Doctè Caietanus annotat vtrumque dici ab apostolo; & quod gratia Dei, & quod hereditario iure, vitam æternam adipiscimur. Nam gratia Dei iustificamur, & filij Dei efficiamur: Adoptati autem in filios, iam hæredes sumus; quibus eo nomine vita æterna debeat.

FIDELIS SERMO EST. Hanc partem Ambrosianus iungit sequentibus: At verò Hieronymus, Chrysostomus, & alij plerique referunt ad doctrinam superiorem; idque multo congruentius; vt sensus sit: Hæc quæ iam dixi de beneficio gratuite iustificationis, & saluationis nostræ, certa sunt, & fide dignissima. Tota quidem apostoli doctrina erat huiusmodi; sed hac notula admonet, quid vt tale præcipuè velit auditoribus inculcari. Vnde sequitur,

ET DE HIS VOLO TE CONFIRMARE. Græca vox, *affirmare*, siue, *assuerare* significat. Quod tamè etiam Latine dicitur, *confirmare*.

Sensus

Sensus est: Et volo vt, omissis nugis & fabulis Iudaicis, de his quæ dixi, sermonè habeas, hæc affirmes, & cum asseueratione doceas.

VT CVRENT BONIS OPERIBVS PRÆSESE QUI CREDVNT DEO. Græcè, *Qui crediderunt Deo*. Nò tantum, inquit, hæc doctrina præstat integritatem fidei, verum etiam eò conducit, vt qui in Deum tanquam salutis auctorem crediderunt, curam habeant bonorum operum, ac solliciti sint, vt ea non solum exercent, sed etiam omni studio promoueat, tanquam operum exactores & præfecti. Si enim per gratiã Dei regenerati, renouati, & iustificati sumus; vtique deinceps ambulandum nobis est in nouitate vitæ, & operibus iusticiæ, vt promissam salutem assequamur: quomodo disertè ratiocinatur apostolus Rom. 6. Estque planè similis exhortatio in hac epistola capite præcedenti. Nonnulli sententiam apostoli sic explicant: Vt studeant præcellere, siue, præ alijs eminere bonis operibus, sicuti decet bonorum operum professores. Sed hunc sensum Græca non facillè admittit. Eadem phrasia repetitur infra sub finem epistolæ.

HÆC SVNT BONA, ET VTLIA HOMINIBVS. *Bona*, Græcè *καλά*; Quod alij vertunt, *honesta*. Significat enim bonitatem moralem. Pronomen, *hæc*, non demonstrat opera, sed ea quæ dicta sunt de iustificatione, & bonis operibus: quemadmodum & capite superiori, cum dixisset: *Seclatorem bonorum operum*; mox subiicit, *Hæc loquere & exhortare*. Est igitur commendatio dictorum; Hæc, inquit, quæ dixi & in sese recta, atque honesta sunt, & hominum societati vtilitatem adferunt. Metonymicè verbis, seu dictis tribuit quod conuenit rebus significatis.

STULTAS AVTEM QVÆSTIONES, ET GENEALOGIAS, ET CONTENTIONES, ET PVGNAS LEGIS DEBITA. Superiori doctrinæ à se tradite, nunc eam opponit, qua Iudaizantes occupabantur: & illam quidem, vt bonam & vtilem prædicauit; hanc verò fugiendam docet vt vanam & inutilem. Pro *deniã*, quod etiam apud Hieronymum & Ambrosianum legitur, Erasmus vertit, *omite*. Sed antiquis versionibus patrocinaur Theophylactus & Oecumenius Græci, testantes idem significari quod *fuge*. Plus autem est fugere, seu vitare, quam omittere. Græcè est *περιεσσο*. Vtus est eodem Græco verbo apostolus 2. Tim. 2. vbi nos habemus: *Profana inaniloquia deniã*. *Stultas quæstiones* vocat, quæ carent rationabili causa querendi, quæque nihil adferunt ædificationis. Quales vt plurimum erant Iudaicæ quæstiones; vt pote de rebus friuolis, interdum ridiculis, nonnullis etiam planè incertis, ac nulla auctoritate traditis. Exempla require apud Hieronymum & Ambrosianum. Ceterum hoc crimine non facillè patiemur norari scholastica Theologorum problemata. Quamuis enim multa sint, quorum ratio & vtilitas non statim quibus-

uis appareat: eos tamen haud latet, qui pro consuetudine sensus habent in sacris Theologiæ studijs exercitatos. *Genealogia*, quas interpretes Ambrosianus Latine reddidit *originum enumerationes*, quamam, & quales ab apostolo taxentur, diximus ad illud 1. Tim. 1. *Et genealogis interminatis*. Etenim, vt refert Hieronymus in huius loci commentario, Iudæi magnam ex eo sibi arrogabant scientiam, si generationum series longo ordine possent enumerare; siue eas quæ exstant in sacris literis, siue alias quascunque priuatas suarum tribuum, ac familiarum. Atque huiusmodi disciplina filios etiam suos à teneris annis imbuebant. His adiungit apostolus *contentiones*; quod eò soleat esse comites stultarum & inutilium quæstionum. Quamquam rectè intelligitur in vniuersum admonere Titum, vt contentiones vitet, etiam vbi de rebus necessarijs incidit disputatio; sicut Timotheum admonuit, dicens: *Noli contendere verbis*. 2. Tim. 2. Denique, *pugnæ legis*, siue, vt est in Græco, *pugnæ legalis*, appellat eas verborum concertationes, quas occasione legis Moisaicæ Iudæi inter se mouebant, maximè de ceremoniarum in ea præscriptarum obseruatione, & modo.

SVNT ENIM INVILES, ET VANÆ. Refertur ad quatuor præcedentia; stultas quæstiones, genealogias, contentiones, & pugnæ legales. Quas omnes inutiles, & vanas, atque superuacaneas pronunciat; præsertim lege iam abrogata per Christum; quia fructu pietatis carent, qui solus in omni disputatione spectandus est.

HÆRETICVM HOMINEM, POST VNAM ET SECVNDAM CORREPTIONEM, DEBITA. Græcè, *post vnã & alterã admonitionem reijce*; Quod alij vertunt, *fuge*; tamen si in Græco diuersum est verbum à superiore, *παραιτή*. Dicere poterat Titus; Mones me vt fugiam contentiosas disputationes: Quid igitur agam cum eò qui contendere non cessat aduersus veritatem satis sibi declaratam? Respondet apostolus, admonendum esse semel & iterum: quod si ne sic quidem acquiescat sanæ doctrinæ; repellendum esse, nec amplius audiendū. Græca vox *υβέρεια*, *admonitionem* significat, non qualemcunque, sed quæ cum reprehensione, & severitate quadam fiat: vt rectè quoque noster interpres *correptionem* venterit; etsi Hieronymus *admonitionem* mauult. Porro, siue admonitionem, siue correptionem, intellige ab episcopo faciendam; eoque, non vt homine priuato, sed vt ecclesiæ præfecto nimirum cum autoritate, & potestate, qua etiam excommunicationem illi minetur, ni resipiscat. Huiusmodi correptionem, eamque vnã, & alterã, adhiberi vult hæretico, priusquam reijciatur: tum quia reijciendus non est, nisi via prius tentata qua reuocari possit ad sanam mentem; tum quia nec constare poterit, quod sit hæreticus, id est, in errore pertinax, nisi præcesserit admonitio cum veritatis declaratione. Nã hæreticus est non omnis

ille qui

ille qui quouis modo aberrat à recta fide, sed qui fidem Christianam professus, contra Catholica & apostolicae ecclesiae sententiam atque doctrinam satis sibi declaratam, suum errorem illi doctrinae contrarium eligit retinere. A qua electione nomen accepit. Hanc haeretici notionem, licet alijs verbis, tradit nobis Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 51. *Qui, inquit, in ecclesia Christi morbidū aliquid, prauumq; sapiunt; si correpti ut sanum re-ctumq; sapiant, resiliunt contumaciter, suaq; pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persequuntur: haeretici sunt. Nam qui, ut idem Augustinus ait epistola 162. sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinacitate defendunt; querunt autem cauta sollicitudine ueritatem, corrigi parati, quum inuenerint: nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Et lib. 4. contra Don. cap. 16. *Si aliqui hoc idem sentiat de Christo, quod Photinus opinatus est; & hoc credit esse fidem Catholicam; nondum eum dico esse haeticum, nisi manifestata doctrinae Catholicae fidei, resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.* Ex his liquet nemine esse haeticū nisi pertinaciter errer in fide; Pertinaciam autem ex eo aestimandam, si ueritati satis sibi manifestatae nolit acquiescere. Quod ut cognoscatur; admonitio adhibenda est, & ueritas declaranda. Iam autem talis cognitus, non amplius admittendus est ad colloquium; sed auersandus, & fugiendus. Atque id est, quod Titum apostolus monet, non quidem propter ipsius periculum, sed quia post unam & alteram correptionem prodita satis haeretici pernicacia, iam frustra cum eo uerbis agitur, seu corripiendo, seu disputando. Proinde sibi relinquendus est; & precibus agendum apud Deum, ut det ei poenitentiam. Est & altera praecipi ratio; scilicet, ut episcopi & pastoris exemplo commoniti fideles, nouerint haeticum, ut hominem pestilentem, fugiendum esse; etiam si censura excommunicationis nondum accesserit. Sed quaeritur, cum Christus in euangelio tres correptionis gradus praescribat; post quos frater, si non obtemperet, habendus sit uelut ethnicus, & publicanus; Matth. 18. quomodo Paulus post secundā correptionē uelit haeticum deuitari? Quaestione auget, quod nonnulli codices olim tarum habebat, *post primam correptionem deuia.* Sic enim legit S. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. & eius titulo commentator huius loci. Nam sic eum legisse probant haec uerba commentarij; Idcirco huiusmodi homines, ut inexcusabiles sint, semel oportere corripi, dicit. Quin & Hieronymus eam lectionem Graecis codicibus ascribit; tamen ab Athanasio, ut ait, improbari. Eadem lectio reperitur apud Irenaeum lib. 3. c. 3. Tertull. lib. de praescrip. c. 16. S. Cypria. ep. 55. & Testim. lib. 3. c. 78. Vide Bellarm. libro 3 de laicis cap. 22. in solut. obiect. 14. Fortē respondebis apo-

stolum scribere ad Titum, qui erat episcopus, & repraesentabat ecclesiam, de qua dicitur, *Si ecclesiam non audierit, &c.* atque ita sufficere uel duas correptiones, uel unam solam: At contra est quod Christi praeciptum etiā praelatos obligat ad eum correptionis ordinem seruandum. Nam Petro totius ecclesiae futuro pastori Christus loquebatur. Primum respondeo lectionem quae unam & alteram pestulas correptionem, quod receptissima sit, & omnibus hodie codicibus, tam Graecis & Syris, quam Latinis communis; omnino retinendam esse. Qua posita, quanquam responderi posset in numero non esse uim faciendam, neque apostolum excludere tertiā correptionem, sed magis admittere, ut (sicut Hieronymus ait) *In ore duorum aut trium testium stet omne uerbum:* certior tamen responsio est, ordinem correptionis à Christo praescriptum, non esse uniuersalem; atque adeo non pertinere ad peccatores manifestos, sed occultos; ut ex euangelij contextu perspicuum est. Apostolus autem loquitur de manifesto haeretico, qui prauā suā doctrinā inter fideles disseminat. Hic restabat obiectio remouenda eorum, qui ex hoc loco nituntur ostendere, non esse tollendos à medio haeticos, etiam si tales sint, ut alios suā doctrinā perueriant. Praecipit apostolus, inquit, uitandos esse haeticos, non occidendos. Sed pro nobis ipse responderet Calvinus, alias esse partes episcopi, alias politici magistratus; Ac Paulum Tito scribentem non differere de officio magistratus, sed docere quid episcopo conueniat. Haec ille, & plura in eandem sententiā; hac quidem in parte sentiens cum Catholicis.

II SCIENS QVIA SUBVERSUS EST, QVIEIVSMODI EST. Rationem subiicit, non tam cur fugiendus sit post unam alteramque correptionem haeticus, qua de re supra diximus; quam, cur episcopo deinceps ab eo corripiendo cessandum. Pro, *subuersus*, in Ambrosiano legitur *peruersus*; sed rectius alij ex Graeco uertunt, *euerfus*; Sumpsa est enim metaphora ab aedificio; quod si fuerit aliqua sui parte collapsum, instaurari potest; at euerfus fundamentis, iam nullus est reparationi locus. Sic, inquit, eum, *qui eiusmodi est*, id est, qui semel & iterum monitus adhuc in errore persistit; noueris euersum, aut subuersum esse, uidelicet dissipato fidei fundamento; ut spes nulla reliqua sit admonitionibus, seu correptionibus apud eum quicquam proficiendi, magis autem metuendum, ne sapius increpatus per *ἀντιπρὶςασιον* quandam durior efficiatur. Non excludit omnem spem apostolus, sed eam quae correptionibus nititur. Semper enim manet illud, Rom. 11. *Potens est Deus iterum inferere illos.*

ET DELINQVIT, CVM SIT PROPRIO IVDICIO CONDEMNATVS. *Delinquit*, Graecè, *peccat*: ne quis in uocabulo delinquendi uim faciat peculiarem. Pro tribus autem uo-

cibus

cibus, *proprio iudicio condemnatus*, una composita dictio est *ἀποκατακρίτος*, id est, *à seipso*, aut *per seipsum*, id est *suapte sententia, condemnatus*. Id autem variè exponitur. A nonnullis hoc modo: Peccat contra conscientiam, ut qui sciens & prudens ueritatem oppugnet; Itaque condemnat seipsum. Hic sensus non potest probari. Nam qui doctrinam oppugnat, quam ueram reputat; ualde quidem ille peruersus est, non tamen haeticus: hic autem de haeretico sermo est. Alij sic exponunt, Peccat in eo quod à ceteris omnibus dissidens, proprium sequatur iudicium. Sed non apparet quomodo talis condemnet seipsum; id quod Graeca uoce significatur. Tertius igitur sensus est: Haeticum peccare, non quomodocunque, sed ita ut proprio se iudicio condemnent, dum praeniens quodammodo iudicium episcopi, quo condemnandus esset, & à fidelium societate separandus; ipse semetipsum ab ea separat, palam & pertinaciter ab eius doctrina dissentiens. Per hoc ergo, quod dicit haeticum esse *proprio iudicio condemnatum*; distinguit eum ab alijs excommunicatis. Nam alij solent inuiti proijci extra ecclesiam; at haeticus *semetipsum segregat*, ut ait Iudas apostolus; id est, seipsum excommunicat. Cū igitur excommunicatio sit quaedam cōdemnatio (sic enim à Patribus uocatur); imò cū sit aeternae cōdemnationis quaedam anticipatio, summumque diuini iudicij praediciū, ut ait Tertullianus in Apologetico contra gentes cap. 39. consequens est, haeticum seipsum etiam cōdemnare. Non dissimile est quod Dominus ait Io. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*; id est, suę cōdemnationis manifestam habet causam. Nam in manifestis criminibus dici solet, *Hic homo iudicium suam secum portat*. Potest autem haec pars dupliciter annecti superioribus: aut ut sit secunda ratio, cur in haeretico corripiendo non sit ulterius laborandum, uelut qui iam sit condemnatus; aut ut sit occupatiuncula, ne quis culper episcopi seueritati; quod eum sine spe correptionis abijciat. Iam enim, inquit, à semetipso condemnatus est, & proinde incorrigibilis.

12 CVM MISERO AD TE ARTEMAM, AUT TYCHICVM, FESTINA AD ME VENIRE NICOPOLI. *Festina*, Graecè *stude*, *da operam*; Non enim celeritatis, sed sedulitatis significatio est. Hic obserua prouidentiam apostolicam: Titi praesentia opus habet ad promouendum alijs in locis euangelium: non prius tamen eum uult ad se venire, quam in eius locum submiserit Artemam aut Tychicum; ne Cretenses episcopali curā destituerentur. Tale quid etiā in secunda ad Timoth. epistola uidimus. Ex quibus & illud patet, non sic ad residentiam in proprijs ecclesijs. episcopos teneri, ut non interdum publici boni causa, possint ad tempus abesse, modo ne desint interim qui gregibus eorum praesentes inuigilent. De Tychico frequens

alibi mentio est: Artemas autem quis fuerit aliunde non habemus; ex hoc tamen loco colligitur Pauli discipulum fuisse, eumque idoneum, qui ecclesiam regeret. Nicopolis, Hieronymo teste, ea ciuitas est, quae ob uictoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit. Haec sita est in Epiro, contermina Graeciae. An autem in ea scripta sit haec epistola, discussimus in argumento.

IBI ENIM STATVI HYEMARE. Id est, hyemem transigere; quod Latine dicitur, *hibernare*. Non hoc dicit, quasi uacaturus ab opere euangelico, propter hyemis incommoda, ut solent milites in hyberna deduci; sed quia res euangelij poscebat ut Nicopoli tantisper subsisteret. Vide quae diximus 1. Cor. 16. ad illud, *Veletiam hibernabo*.

13 ZENAM LEGISPERITVM, ET APOLLO SOLICITE PRÆMITTE, UT NIHIL ILLIS DESIT. Quod nos habemus, *solicite pramitte*, melius alij uertunt ex Graeco, *studiosè deducito, seu prosequere*. Quod officium solet hospitibus abeuntibus exhiberi. In qua significatione & alibi non raro Graecum hoc uerbum occurrit tam in Actis, quam epistolis apostolicis; ubi nos Latine semper habemus, *deducere*, ut mitum sit interpretem hic aliud reddidisse. Commendat igitur Tito Zenam & Apollo, ut per Cretam iter facturus uaticum subministrari curet, ne quid ijs desit. Apollo quis fuerit, ex Actis apostolorum, & prima ad Corinthios epistola, notum est. Hieronymus episcopum Corinthiorum uocat; & propter eorum dissensionem, ad uicinam insulam Cretam cum Zenā transferasse putat; ijsque disidijs à Paulo per epistolam sedatis, Corinthum reuertisse. Zenam, de quo alibi nihil legitur, uocat *legisperitum*, Graecè *νομικός*; quem Hieronymus interpretatur *legis doctorem*, quod talis apud Iudaeos aliquando fuisset, eoque nomine postquam ad Christum transferat, euangelicae legis esset idoneus minister.

14 DISCANT AUTEM ET NOSTRI BONIS OPERIBVS PRÆESSE AD VSVS NECESSARIOS. Rationem uaticum procurandi ostendit. *Discant*, inquit, te hortante, *nostri*, id est, Christiani, qui apud te sunt; *bonis operibus praesse*, atque intendere, ubi utique postulat necessitas; qualis ista erat deducendi uiros apostolicos Zenam & Apollō. Quid sit *bonis operibus praesse*, superius explicatum est. Nonnulli ex hac locutione probari posse putant, hominem esse dominum suarum actionum, & liberum habere arbitrium etiam in ijs quae ad pietatem pertinent; Quod hodie sectarij negant.


UT NON SINT INFRACTVOSI. Non putent, inquit, se grauari, si uirgeantur ad huiusmodi benignitatis opera; *Non enim onus est, sed fructus*; si bonis operibus studiosè propter Deum incumbant. Per haec enim ipsis aeterna uita comparatur.

SALV-

SALVTANT TE QUI MECVM SVNT, OMNES. More suo salutationibus epistolam claudit. Salutem, inquit, tibi precantur omnes qui mecum sunt, id est, familiares & adiutores mei.

SALVTA EOS QUI NOS AMANT IN FIDE. Addit *in fide* non quod essent apud Cretenses, qui Paulum aliter, quam in fide amarent, sed vt innuat qualis omnium Christianorum amor esse debeat, scilicet profectus & directus a fide.

GRATIA DEI CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN. In Græco & Syro genitiuus, *Dei*, non exprimitur, sed intelligitur. *Cum omnibus vobis*, id est, fidelibus qui apud te sunt. Hypographe Græca sic habet: *Scripta ex Nicopoli Macedonia*. Quid de ea sentiamus, in argumento dictum est. Adijciunt nonnulli missam esse per Zenam & Apollo. Quod ex superiori eorum commendatione quamdam habet probabilitatem.



IN EPISTOLAM

BEATI PAVLI

APOSTOLI

AD PHILEMONEM

COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

PHILEMON ad quem hæc scribitur epistola, Pauli discipulus, vir clarus erat apud Colossenses; cuius domum Colossis ad sua tempora permansisse testatur Theodoretus. Hospitalem fuisse & fouendis auxilio fratribus expositum, satis hæc ipsa epistola loquitur. Cuius quidem scribendæ causa fuit eiusmodi. Erat Philemoni seruus Onesimus, qui furto facto fugam iniit. Mox vtriusque criminis, fugæ & furti pœnitentia ductus Romam se contulit ad Paulum captiuum, quem hero suo nouerat esse amicum. Ab eo susceptus & Christi fidem edoctus, atque baptizatus, aliquamdiu ministravit ei in carcere; donec satis in pietate confirmatum, remittere eum Philemoni visum fuit. Remittit autem cum his literis commendaticijs, in quibus miro studio id agit vt seruum Domino reconciliet. Nec verò dubium, quin Pauli precibus Philemon annuerit, ac plus etiam præstiterit quam rogatus esset. Nam manumissum fuisse Onesimum ex eo constat, quod postea Timotheo in episcopatu Ephesiorum successerit; vti liquidò probat B. Ignarij ad Ephesios epistola, in qua Onesimi vt illorum episcopi, valde honorificam facit mentio-

nem

nem. Referunt Hieronymus, Chrysostomus & Theophylactus fuisse quosdam qui negarent huic epistolæ locum inter scripturas sacras, propter humilitatem argumenti, eoquod ad hominem priuatum ac de re priuata scripta sit. Sed bene ab iisdem respondetur, vt cumque argumentum humile & abiectum videatur, haudquaquam indignum esse spiritu Dei. Quo authore Paulus hanc epistolam scribens, in commendando & reconciliando extremæ fortis homine, tam egregium charitatis exemplum vniuersæ ecclesiæ reliquerit, etiamsi nullum hinc doctrinæ Christianæ caput ex professo tractetur. Sanè Chrysostomus quatuor utilitates insignes ex hac epistola colligit; quas apud eum in argumento videre est. Eisdem breuiter recenset Theophylactus. Scripta est Romæ è vinculis, quorum quinquies meminit. Missa per Onesimum; vnà cum epistola ad Colossenses, Tychico ad perferendum tradita. Simul enim missas fuisse has duas epistolas manifestè apparet. Nam vtraque Timotheum Paulo coniungit in principio; vtraque Archippum compellat; denique vtraque eisdem habet salutatores in fine, Epaphram, Marcum, Aristarchum, Demam & Lucam. Eodem tempore scriptas fuisse epistolas ad Ephesios & ad Philippenses, affirmat Hieronymus; & docere conatur: Cuius sententiam alijs in locis expendimus.

Epistolæ huius quam admirandum sit artificium, Græci expositores passim inter commentandum annotant: Caietanus quoque sub finè sui commentarij, & Erasmus annotatione in hanc epistolam vltima.

EPISTOLA B. PAVLI AD
Philemonem.

SVM MARIUM.

Laudans Philemonem de beneficentia in Christianos, commendat ei Onesimum seruum fugituum, quem ipse captiuus (Christo genuerat, ac rogat vt eum iam planè alium in gratiam recipiat.

PAVLVS VINCTVS CHRISTI IESV. Statim initio vincula sua præterdit, vt misericordiam commoueat pro Onesimo supplicaturus, ac sitacitè diceret, Per hæc vincula quæ pro Christo patior te obsecro.

ET TIMOTHEVS FRATER. Fratrem suum Timotheum vocat honoris causa, quod eum haberet operis euangelij socium, tametsi subsidiarium, ac dignitate longè inferiorem. Qua ratione alibi eum filium suum appellat. Hunc autem sibi adiungit, vt duorum intercessio plus valeat. Ac fortè per Timotheum erat Onesimus ad Paulum adductus.

PHILEMONI DILECTO ET ADIVTORI NOSTRO. *Dilecto*, ἀγαπητῷ, nomen est non

parti ipsum; quemadmodum & *vinctus*, ἀβραμῶς, paulo antè. *Adiuuorem* verò, siue vt in Græco est, *cooperarium suum* Philemonem salutat, non quod episcopus esset Colossensium, vt quidam putant (Is enim Epaphras erat, vt ex epistola ad Colossenses facile conijcitur): sed quod rebus & opere quo poterat euangelium Christi promoueret. Quo sensu Rom. 16 & Phil. 4 mulieres aliquot laudantur, quod euangelij essent cooperatrices.

ET APPIÆ SORORI CARISSIMÆ. Græcè, *dilectæ*; Idem nomen cum superiori: Nec additur, *sorori*. At è diuerso Hieronymus *sorori* legit, non *dilectæ*. Vnde mihi suspicio est Græcos, codices olim variasse, vt in alijs esset ἀγαπητῆς, *dilectæ*; in alijs, ἀδελφῆς, *sorori*: cumque eadem varietas ad Latinos codices manasset, vtramque lectionem fuisse constatam in vnam, *sorori dilectæ*, seu *carissimæ*. Appiam hanc Philemonis uxorem fuisse verisimile est: Alioqui non eam apostolus anteponeret Archippo. Legitur autem tam in Menologio Græcorum, quam in ecclesiæ Romanæ martyrologio ad diem 22. Nouemb. Philemonem & Appiam Colossis sub Nerone pro Christi fide lapidibus obrutos fuisse.

H h

ET AR-

ET ARCHIEPO COMMILITONI NOSTRO. Cur Archippum appellet suum & Timothei *commilitonem*, ex epistola ad Colossenses intelligi potest: in qua sub finem ita scribit; *Dicite Archippo: Vide mysterium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Erat igitur Archippus in ecclesie Colossensis ministerio; siue ut presbyter, siue (quod magis putamus) ut diaconus. Nam Græcè illic pro ministerio est *ἐπίσκοπος*. Cur autem ecclesiasticum ministerium metaphoricè militia vocetur, & ministri *commilitones*; ea ratio est, quia in castris ecclesie, more militum, excubias agunt, & pro ea defendenda & propaganda assidue, ex officio, laborant. De hac militia sermo fuit 1. Tim. 1. & 2. Tim. 2.

ET ECCLESIE QUAE IN DOMO TVA EST. Erasmus vertere maluit *congregationi*, quam *ecclesia*, non considerans apostolicum loquendi morem, quo ecclesia dicitur non quævis congregatio, sed ordinatus fidelium cœtus, in quo, ad scopum Christianæ religionis, alij regunt, alij reguntur; etiam si vnus tantum sint domus aut familia. Sic idem apostolus loquitur Rom. vltimo. 1. Cor. vltimo, & Coloss. 4. Quod ait *tua*, ad Philemonem refertur, ad quem principaliter hanc epistolam scribit. Nam aliorum ideo tantum ascripsit nomina, quod maiorem ad id quod petit beneuolentiam sibi pararet.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO IESU CHRISTO. Solennis est Pauli salutatio, de qua sæpe alias dictum est.

GRATIAS AGO DEO MEO, SEMPER MEMORIAM TVI FACIENS IN ORATIONIBVS MEIS. Aduerbum *semper*, medio loco positum, etsi possit ad vtrumuis hinc inde referri; rectius tamen sequentibus connectitur, hoc sensu: Ego Paulus qui semper tui facio mentionem in orationibus meis, id est, qui nunquam oro quin tui meminèrim, tuamque salutem Deo commendem; eidem Deo meo gratias ago. Plerumque hæc duo coniungit apostolus, orationem & gratiarum actionem; quia gratiarum actio petitionem commendat, & quam tuncque iam acceperis, nunquam deest quod adhuc petatur. De quibus autem gratias agat, indicant sequentia.

AUDIENS CHARITATEM TVAM ET FIDEM. Cùm audiam, inquit, multa de charitate tua, gratias ago. Charitatem priori loco nominat, vel quod dignitate fidem antecedit; *Maior enim horum charitas*, 1. Cor. 13. vel, ut subnectendo fidem charitati, significet se loqui non de quacunque charitate seu dilectione; sed de ea cuius opera ex fide procedant, sine qua nequieunt esse Deo accepta. Textus Ambrosianus fidem anteponebat charitati, nec non editio Syriaca; sed Græcis & Latinis omnibus reclamantibus.

QUAM HABES IN DOMINO IESU ET IN OMNIBVS SANCTIS. Græcè, *ad Dominum Iesum*

Quamuis autem in Græco diuersæ sint præpositiones *πρός* & *ἐν*, ad & in: ferè tamen interpretes eas hoc loco confundunt, tanquam idem significantes. Vnde Ambrosianus legit, *In Dominum Iesum & in omnes sanctos*. Et neoterici vertunt, *erga Dominum Iesum, & erga omnes sanctos*. Ipse etiam Hieronymus, etsi legat, *in Domino Iesu*, quod eius commeterius satis prodit; indistinctè tamen de vtroque casu loquitur. Sed de sensu videamus. Nulla quidem dubitatio est, quomodo fides esse dicatur in Dominum Iesum; fide enim credimus in Christum filium Dei: Sed quomodo fidem quis habeat in sanctos, meritò quaeritur, cum in symbolo fidei tantum dicatur; *Credo in Deum Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum*. De alijs autem, nulla addita præpositione, *Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem* &c. Nam credere in aliquem ecclesiastica phrasè scripturis desumpta, professio diuinitatis est. Vnde & Christus quando dixit Io. 14. *credidit in Deum, & in me credite*, Deum se esse significauit. Quanquam Hieronymus sine scrupulo concedit, adeoque affirmat, etiam in sanctos credendum esse; sed hoc sensu, quia qui credit in Deum, consequenter omnia credit quæ de sanctis Deo authore tradita sunt in scripturis. Quia & apud veteres hic sermo legitur, *credere in sanctam ecclesiam*. Verum sensus ille ab Hieronymo redditus huic apostoli loco non quadrat. *sanctos* enim vocat apostolus non illos eximios quos vtriusque testamenti scriptura commemorat, ut Abraham, Moysen, Eliam, Ioannem Baptistam; sed in vniuersum fideles seu Christianos. Est enim ecclesia sanctorum societas. Quidam igitur apostolum sic exponunt: Quam fidem habes in omnes sanctos, id est, quam adhibes sanctis fratribus Christum annunciantibus. Alij sic: Quam habes communem cum omnibus sanctis, id est, fidelibus. Sed violentæ sunt hæc interpretationes. Nobis admodum probatur Theodoretæ distinctio, qua singula reddantur singularis; ita quidem ut fides ad Dominum Christum referatur, charitas autem ad omnes sanctos; sitque sensus huiusmodi: Gratias ago Deo meo; de his quæ fama referente de te audio, scilicet de fide tua quam habes in Dominum Iesum, & de charitate quam passim erga omnes sanctos, id est, Christianos, ipsis operibus exerces. Hæc distinctio, præterquam quod lucem huic loco adfert alioquin obscuro, magnam accipit probabilitatem ex epistola ad Col. quæ & scripta est eodem tempore quo ista, & eodem destinata. Nam in ea cap. 1. post alia verba istis similia, sic legitur, *Audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes*. Cur autem dicat, *in omnes sanctos*, cum etiã malos & infideles diligere iubeamur; ad locum iam memoratum reddita à nobis est ratio.

VT COMMUNICATIO FIDEI TVAE EVIDENS FIAT IN AGNITIONE OMNIS BONI. Qui-

dam

dam codices, quibus volunt Regia biblia, legunt, *omnis operis boni*. Nobis videtur intelligendum potius quam ascribendum; Nam & infra, *bonum* absolutè dixit pro bono opere. Illud quoque quod nos habemus *euidens*, Hieronymus ait in Græco melius haberi, *ἐνεργῆς*, id est, *efficax*, siue *operatrix*. Nam & Chrysostomus eiusque sequaces eam vocè Græcam legisse restantur eorum commentarij. Nec secus legit Syrus interpres dum lita circumloquitur, *reddens fructus in operibus*. Secundum hos, apostolus posteaquam exposuit de quo Deo gratias solitus sit agere, nunc subiungit, quid in orationibus suis à Deo petat; ut sensus sit: Oro ut fides tua quam laudauit, efficaciter sese comunicet ac manifestet per opera bona. Fides enim ex operibus comprobatur, iuxta illud Iacobi 2. *Ego ostendā tibi ex operibus fidem meā*. Sed cum Paulus Philemonē iā antè laudauerat nō solum à fide Christi, verum etiã à charitate, quam habebat, id est, opere declarabat, in omnes sanctos; parum commodè videretur hæc præcatio subiungi, ut fides eius fiat efficax; nisi intelligas, magis ac magis, quomodo plerique explicat. Sciedum autem id quod Latine est, *euidens*, Græcè dici *ἐνεργῆς* per *ἀλφα*, ut dubium non sit quin ita noster interpres in Græco legerit. Quam & verè esse lectionē, videlicet scribarū incuriam olim, vnus literæ commutatione deprauatā, facillè mihi persuafero: quod sensu efficiat planiorē atque instituto Pauli congruentiorē. Est enim famæ de qua loquebatur, amplificatio, pertinēs ad maiore laudē Philemonis. Etenim particula *ut*, Græcè *ὅπως*, nō causam denotat, sed euentū. Hoc igitur est quod dicit: Audio fidem tuam in Christum, audio & charitatem in omnes sanctos; adeo sanè, ut illa tua in sanctos beneficentia ex fide profecta, neutiquam latere possit, sed omnibus euidens ac manifesta fiat, agnoscentibus & prædicantibus opera tua bona quæ plurima facis. Similem lectionis varietatem in eodem Græco vocabulo discussimus ad illud 1. Cor. vltimo, *Optium enim mihi apertum est magnū & euidens*. Quid autem apostolica phrasè sit *communicatio in sanctos*, alia loca planius ostendunt, ut Rom. 12. *Necessi atibus sanctorum communicantes*. & Heb. vltimo, *Beneficentia & communionis nolite obliuisci*. Sensum quem dedimus ex ijs etiã quæ B. Thomas in hunc locū scribit, elicere promptū est. Porro tota hæc Philemonis laudatio eò spectat, ut exciteretur ad charitatem etiam Onesimo præstandam, ut pote iam sancto, id est, fideli & fratri; sicut infra dicit.

QUOD EST IN VOBIS IN CHRISTO IESU. Ne Philemon tanta sui laude extollatur; primū opera eius alijs facit communia, quasi partem eorum in alios transferens, dum nō dicit, *in te*, sed, *in vobis*. Per hoc autem significat domesticam Philemonis ecclesiam, bonorum operum eius adiutricem. Deinde monet vnde ea habeat; scilicet ex be-

neficio gratiæ Christi; ut (quemadmodum annotat Hieronymus) quicquid boni in Philemone laudatur, inde bonum sit, quia de fonte Christi ducatur. Potest autem illud, *in Christo Iesu*, quoniam Græcè est, *in Christum Iesum*, sic etiam intelligi: Quæ bona opera fiunt à vobis erga Christum Iesum. Nam ut admonet Theophylactus & Oecumenius, in Christum refertur, quicquid boni egentibus impenditur, maximeq; sanctis; nimirū attestante Domino: *Quod vni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*. Notādū hinc multos codices tam Græcos quam Latinos pro secunda persona primam exhibere; *quod est in nobis*. Quod & apud Oecumenium legitur. Sed veram esse lectionem quam interpretati sumus, ipse contextus sermonis satis ostendit.

GAUDIUM ENIM MAGNUM HABVI ET CONSOLATIONEM IN CHARITATE TVA. Græcè, *Gaudium enim habemus multum & consolationē super charitate tua*. Dicit *habemus*, vel quia loquitur in persona fidelium qui erant Romæ, vel quia Timotheum secum loquentem facit. Multi Græci codices pro gaudio *gratiam* legunt. Est enim inter Græca vocabula *χαρῖν* & *χαρᾶν* vnus tantum literæ discrimen, ut facilis sit lapsus ex vno in alterum: Quod & contigit in tertia Ioannis epistola, vbi vulgari codices habent: *Maiorem horum non habeo gratiam*; cū in Græco sit *χαρᾶν gaudium*. Quam & huius loci genuinam esse lectionem arbitramur. Sentit enim apostolus iure se gratias agere Deo de charitate Philemonis, quod ex ea multorum sermonibus ad se delata, perciperet ingentem animo læticiam, atque in vinculis & afflictionibus consolationem. Quæ fuerit autem ea charitas, rursus explicat.

QVIA VISCERA SANCTORVM REQUIERVNT PER TE, FRATER. *Requieverunt*, id est, refocillata sunt, quod infra vertit *reficere*, id est, recreare, refocillare. *Viscera* peculiari idiomate scripturæ noui testamenti significare solent intimum erga alios affectum amoris & misericordiæ, ut Luca 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri*. Philip. 1. *Quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi*. & cap. 2. *Si qua viscera ac miserationes*. 1. Io. 3. *Et clausit viscera sua ab eo*. Vnde & commotio viscerum metonymicè commiserationem significat, Gen. 41. & 3. Reg. 3. Verum in hac epistola in qua ter *viscera* leguntur, magis propriè videtur hoc nomen accipi, videlicet pro hominibus quorum sunt viscera; cū quaedam tamen connotatione miseriæ misericordiam prouocantis. Itaque sensus est: Philemonem suam charitatem in eo declarasse quod sanctos, id est, fideles inopia aut miseriā corporali pressos misericorditer refocillasset. Suggestit hunc sensum Caietanus. Aliorum expositiones quia coactiores videntur, prætereo. Quod addit, *frater*, affectus magnitudinem exprimit, quasi dicat; propter hæc meritò

mihī diligendus es vt frater. Hactenus exordium. Sequitur nunc propositio.

PROPTER QVOD MVLTAM HABENS FIDVCIAM IN CHRISTO IESV IMPERANDI TIBI QVOD AD REM PERTINET. Græcè, *quod decens est*, id est, quod conuenit te facere; pro quo vertit Erasmus, *id quod officij tui erat*. Minus placet Hieronymi lectio, *quod prodest*. Illud quoque monemus particulam, *in Christo*, non ad verbum subsequens, *imperandi*, (quod cuiquam videri posset) sed ad præcedentia referendam, quemadmodum patet ex Græcis, vbi hic est ordo: *Qua propter multam in Christo fiduciam habens*. Sensus igitur est: Quamuis multa possim erga te vti per Christum fiducia seu libertate (Nam Græcè est *παύσιμα*) qua etiam tibi imperem id quod equum est;

PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSEURO. Quamuis, inquit, imperare possim; charitas tamen qua te vt fratrem amo, facit vt malim rogare. Significat se cum eo agere non vt apostolum cum discipulo; sed (sicut antè eum appellauit) vt fratrem cum fratre; cuius est rogare non imperare.

CVM SIS TALIS, VT PAVLVS. SENEX. Ita quidem legit etiam Ambrosianus; vt sit sensus: Non impero vt minori, sed rogo vt æqualem atque coætuum; cum & ipse sis senex sicut ego. Non enim decet senem seni imperare, sed iunioribus. Verùm huic sensui primùm repugnat Græca scriptura qua non aliter reddi potest Latine, nisi manente persona qua præcesserat in verbo, *obsecro*; videlicet hoc modo: *Cum sim talis vt Paulus senex*. Atque eam lectionem etiam Syra versio comprobatur. Obstat deinde quod additur, *& vinculus Iesu Christi*. Hoc enim in Philemonem non competit qui vinculus non erat. Qui si aliquando vincula passus fuisset pro Christo; non id Paulus in laudibus eius tacuisset. Nam quod Ambrosianus interpretatur eum vinculum Iesu Christi, id est, obligatum negocijs Dominicis, vel propter nomen eius obnoxium vinculis, & assidue periclitantem, more apostolorum; nimis longè petatum est. Quis enim propter hæc sola legitur vsquam appellatus vinculus Iesu Christi? Quod igitur Græca volunt, cum Hieronymo sequamur, vt sensus sit: Obsecro te ego talis, nimirum Paulus Christi apostolus, idemque senex, quem parum alioqui deceat rogare. Habent hæc singula pondus suum ad mouendum Philemonis animum: dignitas & ætas, & quod statim sequitur, vinculum esse Iesu Christi. Quæritur quomodo Paulus senem se vocet; cum ex eo tempore quo persecutus fuit ecclesiam Dei, quando adhuc teste Luca Act. 7. adolescens erat, vsque ad quartum Neronis annum, quo scripta est hæc epistola, tantum fluxerint anni 24. Nonnulli putant Græco vocabulo *πρεσβυτης* officium hoc loco significari, non ætatem. Sed hoc commenticium est. Vsu namque apostolico

πρεσβυτης, non *πρεσβυτης*, officium & ordinem ecclesiasticum omnibus notū significat. Dicendum igitur Saulum persecutorem adolescentem, seu potius iuuenem, *νεανιων*, vocari ab ætate iuuenili, qua protenditur vsque ad annum 35. imò secundum alios vsque ad annum 40. Iuxta hanc supputationem potuit Paulus iam esse sexagenarius. Qua de re consule cardinalem Baronium tom. 1. annualium ad annum Christi 36. Nam Caietani supputatio scribentis in hunc locum, minus exacta est. His adde, quod Paulo canos & rugas senectutis accelerauerant labores, carceres, ærumna & sollicitudines quas pro Christi nomine sustinuerat. Obserua etiam quod Paulum quando conuertebatur, virum vocat Ananias. Act. 9.

NVNC AVTEM ET VINCVS IESV CHRISTI. Tertium hoc addit, idemque ad persuadendum efficacius ceteris: non quod vinculus sit (hoc enim per se contemptum & ignominiam magis sonat quam dignitatem aliquam Paulinam) sed quod *vinculus Iesu Christi*. Nam hoc apud Christianos pro summa dignitate (& merito) reputabatur; & hoc nomine ac titulo saepe alijs gloriatur Paulus.

OBSEURO TE PRO MEO FILIO QVEM GENVI IN VINCVLIS, ONESIMO. Græcè, *in vinculis meis*. Postulationem exponit mirabili charitatis affectu; dum eum quem commendat, hominem seruum, fugitiuum ac furti reum, filium suum vocat. q. d. non iam seruo tuo, sed filio meo parces ac veniam dabis. Non abicies me precantem pro meo ipsius filio. Quomodo autem filius suus sit, exponit, addens, *quem genui in vinculis*, id est, quem in carcere constitutus in fide institui & Christianum feci. Quippe solemne erat Paulo, eos quos ad fidem Christi per euangelium adduxisset, filios suos, à se genitos, vocare, vt 1. Cor. 4. & Gal. 4. tamen non eos sibi, sed Christo genuerit; nec sua sed Christi virtute. Rectè tamen suos vocat, ratione ministerij, quod ad eorum nouam in Christo natiuitatem, contulerat.

QVI TIBI ALIQVANDO INVTILIS FVIT: NVNC AVTEM ET MIHI ET TIBI VUTILIS. Græcè & Syriacè transposito pronominum ordine, *tibi & mihi utilis*. Sic & Hieronymus, Ambrosianus & Primasius legunt. Eundem ordinem vidimus in egregio ac peruerso ms. Laudensi. Atque ita scripsisse apostolum, res ipsa loquitur. Plus enim facit ad persuadendum, si Philemonis vtilitatem ante suam ponat; quasi diceret, tibi imprimis, deinde & mihi utilis. Neoterici ferè omnes annotant apostolum hic alludere ad nomen Onesimi: quod vtilem significat. q. d. Seruus tuus Onesimus antehac parum nomini respondit; Inutilis tibi fuit & damnosus fuga & furto: Nunc autem postquam respuit, & Christo nomen dedit, verè est Onesimus, id est, utilis tibi & mihi. Hanc allusionem veteres non attingunt. Nec admodum

sanè

sanè verisimilis est; cum apostolus vtilem & inutilem nominando, vocabulis vtatur ab *Onesimo* planè diuersis. Ea sunt *ἀχρηστος* & *εὐχρηστος*. Benè autem annotat B. Thomas Rhetoricam & ciuilem esse extenuationem in verbo, *inutilis*. Non solum enim inutilis fuerat Onesimus domino suo, sed graue dānum intulerat: verum mitigat hoc Paulus, tantum dicendo *inutilem*. At nunc, inquit, & *tibi & mihi utilis*: tibi, quia talis nunc est vt vtilitatem ab eo merito expectes, tanquam à Christiano, & proinde liberaliter seruituro; mihi autem utilis, per obsequium quod in carcere detento præstitit.

QVEM REMISTI TIBI. *Tibi*, non est in Græcis, nec in omnibus Latinis. Quamuis, inquit, mihi sit utilis ac pene necessarius: remissi tamen, id est, nunc eum ad te dominum suum remitto, cum hac epistola commendaticia.

TU AVTEM ILLVM, VT MEA VISCERA, SVSCIPE. Pro vt legendum, *id est*. Non solum enim Græca sine ambiguitate sic habent, verum etiam Hieronymus ita legit & exponit, astipulantibus quoque vetustis ac probatissimis exemplaribus Latinis. Est autè sensus: Tu eum, hoc est, meipsum, suscipe. Iam enim illum per charitatem in mea viscera recepi, vt vnus mecum factus sit; vt proinde & tibi tanquam alter ego, pari charitate suscipiendus sit & amplectendus. Interpres Syrus sensum hoc modo expressit: *Tu autem tanquam filium meum ita suscipe eum*. Itaque per viscera, filium intellexit, tanquam ex visceribus genitum; quomodo in persona B. Virginis canit ecclesia: *De matris visceribus genui Deum & hominem*. Vtrius modo Pauli verba accipias; mira est in ijs efficacia ad placandum Philemonem. Non enim poterat in Pauli viscera seruire, aut durius aliquid committere.

QVEM EGO VOLVERAM MECVM DETINERE. Græcè, *volebam*, id est, cupiebam, vt alij vertunt.

VT PRO TE MIHI MINISTRARET IN VINCVLIS EVANGELII. Occupatio quedam est. Nam dicere poterat Philemon; Si tam ille tibi utilis erat; cur non eum apud te retinuisti? Ad hoc ita respondet Paulus, Maluissim, inquit, eum apud me retinere, vt mihi ministraret in vinculis qua patior euangelij causa, tuasque vices suppleret: Neque enim dubito, quin ipse si Romæ esses, hoc officium mihi libenter esses impensurus. Hic obserua quod ait, *pro te*; & rursus, *in vinculis euangelij*. Sūt enim circūstantiæ ad persuadendum vehementer apposite, quemadmodum & id quod sequitur.

SINE CONSILIO AVTEM TVO NIHIL VOLVI FACERE. Pro consilio, Græcè est *sententia*, id est, voluntate, vt Hieronymus exponit. Quamquam non malè vertit noster in terpres: Sensus enim est: Sed te inconulto, ac præter voluntatem tuam nihil huius rei facere volui, scilicet vt seruum tuum apud me re-

tinerem mihi ministraturum. Nolui hac in re desiderio ac necessitati meæ obsequi; quamuis ex potestate possem. Iterum hic innuit se iure potuisse, ob suam, imò ecclesie necessitatem, Onesimum retinere; sed noluisse: quia videbat non expedire vt hac sua potestate vteretur; ne de iure Philemonis aliquid videretur detrahere, cum nonnulla fortassis etiam illius offensa. Sed hac causa dissimulata, alia subiungit magis spectantē ad laudē Philemonis.

VTI NE VELVT EX NECESSITATE BONVM TVVM ESSET, SED VOLVNTARIVM. Pro voluntario. Græcè *spontanæum*; vt alij vertunt. Nolui, inquit, eum mihi retinere: ne si id facerem, tamen tu factum meum boni consuleres aut etiam probares, tamen minus laudis haberet opus tuum bonum, velut à necessitate profectum magis quam à voluntate. Nunc autem illum tibi remitto; vt quicquid de eo boni statueris, id non aliter quam sponte ac libera voluntate abs te factum iudicari possit. Obseruat expositores, nō dicere apostolum, *ex necessitate*; sed *velut ex necessitate*. Nam etsi bonum Philemonis non erat ex necessitate futurum; tale tamen videri potuisset. Sed quæres, quodnam illius bonum erat futurum voluntariū? Neque enim Romam ad se remitti cupit Onesimum Paulus; cum infra dicat: *Para mihi hospitium*. Spero enim, &c. Respondeo, verisimiliter expectasse Paulum vt Onesimus aut sibi donaretur, aut simpliciter manu mitteretur. Cæterum hic locus necessitatē à bono opere excludēs (vt hæreticorū quoque remoueamus obiectionē) nō magis aduersatur votis, siue monasticis siue quibuscūque alijs que in ecclesia Catholica probantur quam præceptis apostolicis atque etiā diuinis. Nō enim hic est sermo de necessitate obligationis, qua cōmunis est omnibus præceptis & votis; sed de necessitate coactionis. Vnde & Syrus interpres pro *necessitate, coactionem* vertit. Atqui coactio libertatem aut tollit aut minuit, non autem obligatio: Quare sicut præcepta non repugnant libertati voluntatis, ita nec vota. Nam si quando ea qua ex voti sunt obligatione, minus voluntariè fiant; per accidens id contingit, languescente animo eius qui vouit; quod & in præceptis adimplendis similiter contingere, nemini dubium est. Sed hac de re plura diximus ad illud 1. Cor. 9. *Non ex tristitia aut ex necessitate*.

FORSITAN ENIM IDEO DISCESSIT AD HORAM A TE, VT ÆTERNVM ILLVM RECIPERES. *Discessit*, Græcè, *secessit*. Nec additur à te. Est que ea lectio textus Ambrosiani: *Hora* definitum ac breue tempus significat, non solum Græcis sed etiam Latinis. Alij vertunt, *ad tempus*; sed idem significatur. Itaque Paulus fugam Onesimi his verbis extenuat, quasi non tam fuga fuerit, quam secessus parui temporis, quo sese recolligens & in alium hominem mutatus, ad dominum, longè melior atque vtilior, re diret. Dicit autem, *forsi-*

tan; quia res ei non erat certa propter mutabilitatem humanæ voluntatis, aut potius, sicut dicit B. Thomas, quia incomprehensibilia sunt Dei iudicia. Quod verò dicit, *ideo discessit*, non intentionem significat discedentis, sed eventum cuiusdam boni, quod ex eius facto Deus per suam providentiam intendit. Quandoque enim ex re seu facto quopiam per occasionem bonum aliquod sequitur; Deum hoc intendisse certum est, apud quæ casus & fortuna locum non habent, utpote cuius æterna providentia infallibiliter omnia ordinantur in fines. Porro quod ait, *ut æternum illum reciperes*, quidam sic intelligunt: ut qui antea parum utilis tibi servus fuit, eum nunc, postquam ad meliorem frugem conuersus est, reciperes perpetuo vtilem tibi futurum. Hilegere malunt: *ut perpetuum illum reciperes*. Verum magis placet aliorum expositio, quæ talis est: Ut pro seruo temporario reciperes illum æternum, id est, nullo vnquam tempore, ac ne morte quidem, abs te discessurum: recipientes autem (quod continuo sequitur) non ut seruum, sed ut fratrem. Nam seruitus omnis hac vita finitur: At fraternitas Christiana manet in æternum. Quod autem Caietanus æternum putat adverbialiter accipi posse, Græca non admittunt.

16

IAM NON UT SERVUM, SED PRO SERVO CARISSIMUM FRATREM. Significatur alia illius fugæ utilitas, quod eius occasione ex seruo frater factus sit domini sui. Græca sic habent: *Non amplius ut servum, sed supra servum, fratrem dilectum*. Hieronymus legit, *plus seruo*; ut videri possit etiam noster interpret ita verisimile, cum præsertim sint boni mss. qui sic legant; in quorum numero nos vidimus codicem Laudensem. Sensus est: Habiturus eum deinceps non ut seruū; sed seruo maiore, id est, seruili conditione superiore, nempe fratrem carissimum.

MAXIME MIHI. Ne Philemon iniquius ferret fratrem suum dilectum vocari, qui fuerat seruus, idemque malè meritus; anticipat sermonè Paulus, atque illum prius suum fratrem agnoscit, eumque maximè sibi dilectum. Nā ex quo renatus fuerat in Christo Onesimus, patrem cum Paulo cæterisque fidelibus communem habere cepit, eum cui dicitur: *Pater noster qui es in calis*. Interim obserua insigniter Christianos in apostolo affectus; qui Onesimū modò filiū suū, modò fratrem vocat.

QUANTO AVTEM MAGIS TIBI, ET IN CARNE ET IN DOMINO? Quod ait, *in carne*, tribus modis exponi video. Nonnulli significari putant Onesimum perinde ut Philemonem, natione gentilem esse; & hoc nomine, *fratrem eius secundum carnem*. Nam si Iudæus fuisset, ipsius Pauli potius erat secundum carnem frater dicendus. Alij in carne fratrem interpretantur membrum eiusdem familiæ. Tertia est Hieronymi & Græcorū expositio, qui in carne fratrem intelligunt, quod iam a priori nequicia correctus, haberi dignus possit, cui mundana

negocia seu ministeria committantur. ut sensus apostoli sit; Quum mihi sit frater summopere carus ob solam coniunctionem spiritualem; tibi magis esse debet, cui cum illo duplex intercedit necessitudo, siue ut ita dicam fraternitas: altera, qua tibi coniunctus est secundum carnem, id est, in negocijs huius sæculi; altera, qua coniunctus in Domino, id est, secundum spiritum, atque in rebus spiritualibus. Locus hic non significat, seruos iure Christianæ religionis absolui à conditione seruili; id quod multo post à principibus Christianis, in fauorem sanctæ religionis, est constitutum: sed eos ubi facti fuerint Christiani, à dominis Christianis affectu fraterno suscipiendos & cõplendos esse, nimirum ut fratres in Domino: *in quo non est seruus & liber Gal. 3. Omnes enim vos fratres estis*, inquit ipse Dominus Matth. 23. Quod autem hæc fraternitas seruitutem non aboleat, idem apostolus docet 1. Tim. 6, de seruis ita scribens: *Qui autem fideles habet dominos, non contemnunt quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti*. Sed quæret aliquis cur Paulus à Philemone non id petiuerit, ut Onesimum manumitteret. Respondeo, Quamuis ex superioribus appareat Paulum aliquid eiusmodi tacitè expectasse à Philemone; non tamen expressè id petere debuisse. Primùm, ne videretur Onesimus ex maleficio commodum reportasse, videlicet ex furto & fuga libertatem adeptus. Deinde, quia forsitan erat Philemoni futura nimis onerosa petitio. Nam serui erant dominis suis valde vtilis, & bona pars possessionis eorum. Denique visus fuisset apostolus facere contra suam doctrinam, 1. Cor. 7. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura*. Quod si interrogares an saltem lege charitatis debuerit eum Philemon libertate donare. Responderetur, id non liquere. Res enim pendet ex circumstantijs. Nam quibusdam non expedit ut sint liberi: & ut expediat, si tamen operæ eorum necessariæ sint dominis ad sustentandam familiam, non tenentur domini, ne quid ex debito charitatis, hac utilitate seipos priuare.

17

SI ERGO HABES ME SOCIVM, SUSCIPE ILLVM SICVT ME. Concludit petitionem, cum apposita conditione sanè quàm efficaci; ut, si non faciat, periclitari videatur societas amicitia, quæ Philemoni erat cum Paulo. Quomodo dicere solemus: Si me amas, id mihi præsta. Imò speciem habet obtestationis. q. d. Per amicitiam nostram te oro ut illum suscipias. Addit autem, *sicut me*, id est, tanquam alterum me; non quod eum velit tanto cum honore suscipi, quanto ipse à Philemone susciperetur: sed ut significet eam rem tam sibi gratam fore, atque si in ipsius personam collatum esset beneficium, aut certè, rogat ut in Onesimo recipiendo consideret non qualis ille fuerit, sed qualis iam sit; nempe filius & frater Pauli, & quodammodo ipse Paulus.

18

SI AVTEM ALIQUID NOCVIT TIBI AVT

DEBET; HOC MIHI IMPVTA. *Nochit*, Græcè, *iniuria affecit*. Ambros. *Si aliquid lasit te*. Hinc colligitur Onesimum aliquid Domino suo surripuisse priusquam fugeret. Vnde dicere poterat Philemon: Paratus sum eum tua causa recipere in gratiam; sed ita tamen, ut quod abstulit, restituat. Hanc obiectionem remouet Paulus, dicens: Si quid damni dedit, quod tibi sarciri velis; aut si omnino quippiam debet: *id mihi imputa*, id est, damnum omne ac debitum eius in me recipio; & si repetendum est, à me repete; me pro illo sponsorem accipe, Non igitur hic sermo est de imputatione peccati, sed de compensatione damni. Et illud si non dubitantis est, sed furti inuidiam mitigasse.

19

EGO PAVLVS SCRIPSI MEA MANV. Ut de damno securus sis, inquit, accipe chirographum meum; has literas mea manu scriptas, quibus me fideiussorem interpono. Nō liquet an totam epistolam sua manu scripserit Paulus, an verò hoc solum: *Ego Paulus scripsi mea manu*. Quod si totam scripsit; fuit ea res Philemoni procul dubio vehementer grata, nec minus honorifica; nimirum à tanto apostolo totam epistolam ipsius digitis exaratam accepisse.

EGO REDDAM. Græcè ἀποτίσω, id est, *dependam, siue rependam*, ut habet Syriaca versio. Significat se non quomodocunque spōdere, sed absolutè suam ipsius personam pro debito soluendo obstringere.

VT NON DICAM TIBI, QVOD ET TEIPSVM MIHI DEBES. In Græco verbum est compositum, προσοφείλες, id est, *insuper debes*: quomodo verterunt Erasmus & Hentenius. Hoc nouo argumento Philemonem premit. Nam quia Philemoni verecundum erat futurum & parum honestum, si à Paulo debitum serui repeteret; dicit nunc Paulus, seu potius ciuilitè insinuat (utens rhetorica præteritione) etiam si non reddat, Philemonem sibi vicissim multo amplius debitorem esse, ut qui seipsum Paulo debeat. Itaque tanta quadam reconuentione cum eo agit, videlicet allegatione debiti antiquioris ac longè maioris. Porro Philemon seipsum Paulo debebat, id est, salutem suam; quia Pauli prædicatione factus fuerat Christianus. Quod tamen quomodo verum sit, ambiget quispiam, cum Paulus Colossensium ciuitatem, ubi Philemon habitabat, non accesserit; quemadmodum ex eius ad Colossenses epistola satis apparet. Sed cum Caietano respondendo fieri potuisse, ut Philemon alio quopiam loco ad quem fortè profectus fuerat, Pauli euangelizantem audierit, atque etiam cum eo amicitiam contraxerit. Alia responsio est: Si dicatur Philemon Paulo debitor fuisse suæ salutis, quod à discipulo eius Epaphra, Colossensium apostolo, quem Paulus illuc miserat vnà cum alijs Colossensibus conuersus fuerit ad Christum. Erat hic Epaphras, quando scribebatur hæc epistola, Pauli con-

captius, ut infra dicitur.

ITA FRATER EGOTE FRVAR IN DOMINO. Græcum *οἶ*, quod interpret vertit, *Ita*, Hieronymus accipit quasi quoddam adverbium blandientis; quale Hebræis est *na* in vocabulo *Hofanna*. Secundum quam expositionem, apostolus, ut nihil omittat eorum quæ ad persuadendum faciunt; etiam blandimentum sermonis adhibet: ut si diceret; *Eia, mi frater, id mihi præsta ut ego te fruam*. Alij verò, quibus Syrus interpret annuit, propriam adverbij Græci significationem retinet, ut sit affirmatis; quod Latine dicitur, *næ, certè, etiam*; ac sensus sit: *Certè frater te rogo, suscipe eum*. Id enim supplet Chrylostomus. *Fruar*, Græcè *ὀράμην*, optatiui modi verbum est, non indicatiui; ac diuersum ab ijs pro quibus alibi legitur *frui*, in nostra versione; ut Sap. 2. Rom. 15. & 1. Tim. 6. Significat autem fructum, voluptatem, aur utilitatem ex re quapiam percipere. Sensus igitur hunc reddunt: *Ita mihi contingat te frui, id est, ex tua præsentia tuoque colloquio, ac præclaris operibus, capere voluptatem. Nōnulli sic: Ita tecum cõdelecter in futura beatitudine*. Verum alij præsius considerantes Græci verbi significatum, putant ita rectè verti posse; Hunc fructum abs te consequar; id est, sine quæso ut hoc abs te beneficiū impetrem, scilicet Onesimi reconciliationem. Qui sensus optimè cõuenit textui. Addit autem, *in Domino*; siue quia fructus & delectatio vnde cūque percepta, vana est, nisi in Deū referatur; siue ad significandū se non nisi per Christum expectare illud bonum quod optare se dicit. Est autem in Græco verbo, manifesta allusio ad nomen *Onesimi*, quod vtilè significat. q. d. Hanc utilitatem mihi præsta, deprecanti pro Onesimo; qui ab utilitate nomen accepit. Occasione præsentis loci quæri posset, quomodo frui & vti differant apud Theologos; quibusque rebus fruendū sit, & quibus vrendum. Sed de ea re ex professo egimus ad initium lib. 1. sent. Nam hoc quidem loco *frui* non tam specialiter sumitur, ut de eo Theologi disputant.

REFICE VISCERA MEA IN DOMINO. Quidam codices habent, *in Christo*. Sed veterior est lectio, *in Domino*, quam Græcis consentaneam editio quoque Clementina comprobatur. Quamquam in sensu non est diuersitas. Dominus enim ipse est Christus. Hæc pars exprimit fructum seu beneficium quod dicebat se optare. Potest autem bifariam exponi: *Refice viscera mea*, id est, meipsum pro Onesimo sollicitum & anxium recrea, refocilla in his vinctulis. Id autem facies si Onesimum in gratiam receperis. Vel sic: Onesimū tanquam viscera mea, id est, alterum me, à metu concepto recrea, veniam dando & in gratiā recipiēdo. Nā & supra dixerat: *illum, id est, mea viscera suscipe*. Tradit hunc intellectū Hieronymus: qui præterea monet, illud, *in Domino*, referri posse vel ad viscera, vel

ad verbum, *refice*. Priori modo sensus erit. Refice Onesimum qui est viscera mea in Domino, id est, quem ego ut mea viscera Christiano amore complector. Altero modo: Onesimum refice in Christo, id est, hanc ei gratiam presta per Christum, aut propter Christum suadet hunc sensum pars præcedens, in qua similiter ad verbum refertur, *in Domino*. q. d. *ita sit ut ego te fruatur in Domino, si tu Onesimum reficias in Domino.*

21 CONFIDENS IN OBEDIENTIA TVA, SCRIPSI TIBI. *confidens*, Græcè *confisus*. Hic rursus insinuat, se, quamvis precibus agat cum Philemone, posse tamen præcipere. Id enim includit *obediens* nomen. Ac si diceret: Obedientia tua mihi probè cognita facit ut planè confidam me impetraturum id quod his literis flagito: quoniam etsi præciperem, obediens. Hoc autem dicit cum insigni laude Philemonis; ut proinde hæc pars permagnam motum vim habeat; adeo ut hic exclamet Chrysostomus: *Quæ lapidem ista non flecterent, non emollierent*: Et tamen orationem adhuc auget quod sequitur,

SCIENS QUONIAM ET SUPER ID QVOD DICO, FACIES: Tantam, inquit, noui tuam erga me obedientiam, ut non dubitem quin plus etiam quam peto, sis præstiturus. Sic secundum Deum laudatus Philemon, non poterat non annuere postulatis.

22 SIMVL AVTEM ET PARA MIHI HOSPITIUM. Hoc adijcit, non quod magno apparatu opus esset ad Paulum hospitio excipiendum; aut quod is de præparando sibi hospitio magno opere sollicitus esset: sed pro nouo argumento; scilicet ut Philemon audiens Apostolū breui venturū, vereatur ne si rogata non præstiterit, offensionem eius ac reprehensionem incurrat.


NAM SPERO PER ORATIONES VESTRAS DONARI ME VOBIS. Id est, spero futurum ut Deus precibus vestris exoratus me vobis donet, ac præsete exhibeat. Per hoc quod ait *donet*, non autē *reddat* aut *resituat*, sicut dicitur Heb. ultimo; coniectura sumi potest ad eius confirmationem, quod superius atque alibi, in arg. epist. ad Coloss. dictum est, Paulum non per seipsum sed per alios, euangelium Colossensibus prædicasse. Porro manifestum est ex hoc loco, Paulum quando hanc scripsit epistolam, spem habuisse non leuem suæ liberationis à carcere. Sicut etiā ad Philip. 1. & 2. sperat ac promittit ad eos reditum. Quomodo ergo, dicit aliquis, in 2 ad Timotheum epistola, quam multo ante hanc scriptam fuisse, suo loco ostendimus, quasi martyrio iam proximus, dixit: *Ego enim iam delibor, & temporis resolutionis mee instat, cursum consummaui, &c.* Huius dubij solutio pendet ex intellectu verborum quæ ad Timotheum scripta sunt. Non enim ibi loquitur apostolus de tempore proximè instanti, sed quod paulatim per carceres & persecutiones tendat, significare voluit; quemadmodum id à nobis expositum

est. Nam ex prioribus Romanis vinculis has epistolas scripsit.

23 SALVAT TE EPAPHRAS CONCPTIVVS MEVS IN CHRISTO IESV. Sicut initio epistolæ Timotheum adhibuit, velut precatorem; ita nunc in fine multorum addit consalutationes, ut intelligat Philemon se non solum à Paulo & Timotheo, verum etiam ab alijs Pauli discipulis & communibus amicis, tacite saltem atque ipsa salutatione rogari pro Onesimo. Horum primum meritò nominat Epaphram; quod is Colossensium esset apostolus, & pro Christi nomine, perinde ut Paulus, in vinculis teneretur. De quo plura in epistola ad Col. Vide, si lubet, apud Hieronymum fabellam quam narrat de Epaphra Pauli concptiuo, sed indigna in qua refellenda moremur.

24 MARCVS, ARISTARCHVS, DEMAS ET LVCAS ADIVTORES MEI. Græcè, *cooperarij mei*, scilicet in negotio euangelico. Nominantur hi omnes etiam in epistola ad Col. ut satis liqueat hanc epistolam, simul cum illa missam fuisse. Petendum ex eodem loco & eius commentario, de singulis istorum quatuor, quinam fuerint; ne hic eadem repetamus. Iam ex eo quod Demas (puratur enim idem esse) in vtraque epistola vnus est salutantium; qui in 2. ad Timotheum culpatus fuit quod Paulum reliquisset diligens hoc sæculum; colligere debemus, eum postea ductum penitentia rediisse ad obsequium Pauli quem reliquerat. Qua de re plura super 2. Tim. 4. & Col. 4.

25 GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM SPIRITV VESTRO. AMEN. *cum spiritu vestro*, id est, vobiscum, phrasi scripturæ; quod & in more est ecclesiæ; velut dum sacerdoti dicenti, *Dominus vobiscum*, respondetur, *Et cum spiritu tuo*, id est, tecum. Operatur igitur Philemoni & cæteris ad quos scribit, *gratiam Christi Domini*. Quo nomine omnem bonum salutare comprehendit, sæpe dictum est alibi. In Græcis codicibus subscribuntur hæc verba, *Ad Philemonem scripta est à Roma per Onesimum seruum.*



IN EPISTOLAM

BEATI PAVLI

APOSTOLI

AD HEBRÆOS

COMMENTARIUS.

DE AVTHORITATE EPISTOLÆ.



VLLA de Paulinis epistolis huc vsque à nobis enarrata apud orthodoxos vnquam dubitatio fuit, quin & diuinæ essent authoritatis, & ipsum Paulum haberent authorem, & Græca lingua conscriptæ essent. Vna ad Hebræos epistola de his tribus in controuersiam vocata est. Nos igitur primum de eius authoritate dicemus, deinde de authore, ac tertio de lingua eius originali. Neque enim hæc quæstiones commiseri debent, ut à nonnullis factum est, sed distinctè tractari. Quod ad authoritatem attinet, quæritur an sit annumeranda hæc epistola sacris & canonicis libris. Prima dubitandi ratio occurrit ex eo quod olim Catholici quidam scriptores, præsertim Latini, hanc epistolam pro sacra non agnouerint. Nam Cyprianus, Lactantius, Arnobius nusquam citant. Tertullianus semel dumtaxat meminit, videlicet in lib. de pudicitia cap. 20, non tamen ei tribuens authoritatem diuinam. Author verò commentariorum in epistolas Pauli qui Ambrosio ascribuntur, incertus quidem ille, sed quem constat tempore Damasi Papæ scripsisse, solam ad Hebræos epistolam non attigit; quod etiam in Pelagio & Primasio licet obseruare. Quos enim in hanc epistolam commentarios Ambrosiano & Primasio ascriptos habemus, suppositicios esse tam ex stylo quam alijs certis argumentis doceri potest. Quod idem nobis verisimile est de scolijs Sedulio ascriptis in hanc epistolam. Neque constat quemquam Latinorum in hanc epistolam commentarios scripsisse ante Anselmum Cætuariensem, si tamen is author est. Itaque Hieronymus non vno loco affirmat hanc epistolam à Latinis non fuisse receptam. Scribens enim in Isa. 6 ad illud: *Seraphim stabant*, sic ait: *Vnde & Paulus apostolus in epistola ad Heb. quam Latina con-*

fuerit

consuetudo non recipit &c. & in cap. 8. eiusdem prophetæ, ad illud: *Ego & pueri mei*, cum rursus hanc epistolam citaret, addidit: *Licet eam Latina consuetudo inter canonicas scripturas non recipiat.* Quæ eadem verba leguntur in eius epistola ad Dardanum. Idem in epistola quam ad Euagrium de Melchisedec scripsit, quæ est numero 126. cum ait hanc epistolam à nonnullis Latinorum recipi, satis significat à plerisque non recipi. Rursus idem in commentario super Ezech. 28, verba quædam ex ea citans, adiecit: *Si quis tamen epistolam suscipit.* Et super epistolam ad Eph. c. 2. & in alia epistola; *si quis tamen eam recipit:* quasi videl. cet. liberum sit non suscipere. Similiter in Zach. 8. *Si tamen*, inquit, *in suscipiendâ epistola Græcorum auctoritatem Latina lingua non respuit.* Testatur etiam Eusebius lib. 3. hist. ecclesiasticæ cap. 3 quosdam fuisse qui dicerent huic epistolæ ab ecclesia Romana contradici. Sed & lib. 6 cap. 11 recenset eam inter scripturas quæ à multis in controuersiam vocantur. Denique nostro sæculo Caietanus initio commentariorum huius epistolæ, dubiam reddit eius auctoritatem, dicitque ex ea sola non posse si quod dubium in fide accideret, determinari. Porro simpliciter eam reijcit Lutherus, quoniam, inquit, pœnitentiam tollit. Atque ita ferè sentiunt Lutherani, ceterique nostræ ætatis sectarij; Caluino tamen & eius sequacibus exceptis, qui eam in numerum sacrarum scripturarum haud grauatè recipiunt, non tam ecclesiæ auctoritate, quàm quòd existiment ex eius epistolæ doctrina quam tradit de vno Christi sacrificio, conuellere ac subuertere se posse sacrificium missæ, quod ecclesia catholica toto orbe frequentat. Quibus, Deo dante, proprijs in locis respondebitur. Argumenta verò quæ partim Caietani, partim aduersarios mouerunt, vt auctoritatem huic epistolæ detraherent, istiusmodi sunt. Primum: Hieronymus non fuit omnino certus de authore huius epistolæ. Et quoniam Hieronymi fortiti sumus regulam ne erremus in discretionem librorum canonicorum: ideo dubio apud Hieronymum authore huius epistolæ existente, dubia quoque redditur epistola: Quoniam nisi sit Pauli, non perspicuum est canonicam esse. Hoc argumentum est Caietani ac verbatim ex eo descriptum. Cetera argumenta petuntur ex varijs ipsius epistolæ locis, ex quibus colligi putant eam non posse referri inter diuinas & irrefragabiles scripturas. Secundum igitur est eiusdem Caietani. Author epistolæ statim in principio probare volens Christum angelis esse superiorem; infirmo vitur argumento ex illis scripture verbis, *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium;* quæ secundum literam dicta sunt de Salomone. Poterant enim Hebræi facilè respondere non de filio Dei pronuntiata fuisse ea verba, sed de puro homine, qui peccare potuit, & quidem grauiter postea peccauit. Vti autem his verbis in sensu mystico, minorem reddit auctoritatem probantis, in principio præsertim epistolæ, & apud Hebræos. Non ergo scripta videtur hæc epistola spiritu diuino. Idem obijci potest de loco psalmi 8. quem huius epistolæ scriptor cap. 2 de Christo interpretatur, quum secundum literam pertineat ad totam speciem humanam. Tertium ar-

gumentum.

gumentum. Eodem 1. cap. de filio Dei loqui videtur hic author vt de creatura, dum eum non substantiam patris, sed splendorem substantiæ eius vocat. Et iterum cum ait: *Tanto melior angelis effectus &c.* quasi videlicet non genitus sed factus esset angelis superior. Quartum. Cap. 6 lapsis denegat reconciliationem, his verbis: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam.* Qua in doctrina persistit cap. 10. negans *relinqui hostiam pro peccato voluntariè peccantibus post acceptam noticiam veritatis.* Et cap. 12. dicens *Esau non inuenisse pœnitentiæ locum, quamuis cum lacrymis inquisisset eam.* Hæc autem pugnant cum doctrina Christi & ecclesiæ. Quintum. Cap. 9. dicit in arca testamenti fuisse urnam auream habentem manna & virgam Aaron quæ fronduerat, & tabulas testamenti. Hoc autem esse videtur contra fidem historiæ 3 Reg. 8 quæ testatur in arca non aliud fuisse, nisi duas tabulas lapideas quas posuerat in ea Moyfes. Sextum. Eodem capite argumentatur ex vocabulo testamenti, secundum eam significationem quam apud Græcos & Latinos habet, dicens: *Vbi enim testamentum est; mors necesse est intercedat testatoris &c.* Respicit autem ad loca Ierem. 31. & Exod. 24. vbi secundum veritatem Hebraicam non *testamentum* nominatur, sed *foedus* seu *pactum*; quemadmodum & Hieronymus vtroque loco vertit. foedus autem seu pactum generalem habet significationem: Vnde prorsus inualida videtur argumentatio, qua ex nomine testamenti probat necessitatem mortis Christi. Hæc duo postrema argumenta eiusdem sunt Caietani.

Verum, hac contradictione tam Caietani quàm aliorum non obstante, certissimè nobis tenendū est epistolam ad Hebræos esse scripturam sacram, eamque inter canonicas ab ecclesia receptam. Quotquot enim extant siue in concilijs, siue in decretis Pontificum, siue in scriptis Patrum, Indices seu Catalogi diuinarum scripturarum; hanc epistolam inter eas recensent. Ea concilia sunt, Laodicenum ante Hieronymi tempora celebratum can. vlt. Carthaginense tertium can. 47. cuius canonis auctoritatem allegat Augustinus epistola 236. concilium Romanum 70. episcoporum sub Gelasio 1. Pontifice. Denique concil. Florentinum in decreto Armenis dato, & concilium Tridentinum sessione 4. His adde Innocentium primum in epistola 3. ad Exuperium; Athanasium in synopsi scripture sacre; Gregorium Nazianzenum in carmine de scripturis authenticis; Amphilochem in carmine ad Seuleucum; Augustinum lib. 2 de doctrina Christiana cap. 8, nec non in Speculo; Item Auitum Viennensem in carmine; Isidorum lib. 6 Originum; Cassiodorum lib. 1 diuinarum lectionum cap. 4. & Damascenum lib. 4 de fide cap. 18. Qui omnes scripturarum catalogum texentes, epistolam ad Hebræos illi inseruerunt. Imò hoc idem factū fuisse à Patribus concilij Niceni valde probabile est. Cum enim Hieronymus in præfatione quam præfixit libro Iudith significet Niceni concilij Patres constituisse certum numerum scripturarum canonicarum; constet autem Athanasium illi concilio interfuisse: nequaquam

verifi-

verisimile est hunc relaturum fuisse epistolam ad Hebræos inter scripturas canonicas, nisi iuxta prescriptum & auctoritatem eiusdem concilij. Sanè D. Thomas in prologo sui commentarij, quum dicit ante synodum Nicenam fuisse à quibusdam dubitatum de hac epistola; significare videtur eam dubitationem aliquo canone Niceni concilij fuisse sublatam. Quod quidem apertius à Lirano significatum est, quum affirmat in suo proemio ecclesiã in synodo Nicena hanc epistolam recepisse. Quod idem testatur Sixtus Senensis lib. 1. bibliothecę sanctę, & Dionysius Carthusianus in commentario. Accedit ad hæc, quòd patres in suis scriptis passim vtuntur testimonijs ex hac epistola depromptis, tanquam diuinis: non Græci modò, de quibus Hieronymus ad Euagrium scribens testatur eos omnes epistolam ad Hebræos recipere; verùm etiam Latinorum præcipui, vt Hilarius, Ambrosius, Optatus, Augustinus & ipse Hieronymus, ac cæteri qui eos secuti sunt. Sed & ante hos omnes, Clemens Romanus apostolorum discipulus in quadam epistola quam ad Corinthiorum ecclesiam scripsit, referente Eusebio lib. 3. hist. cap. 32. multa habet in quibus ad ea quæ in epistola ad Hebræos præsertim ca. 11. scripta sunt, alludit.

Restat nunc, vt ad ea quę in cõtrariũ adferuntur, respõdeamus. Itaq; dicendũ est, ex eo quòd veteres quidã ecclesiastici scriptores partim hanc epistolam non agnouerunt, partim de eius auctoritate dubitauerunt, maximè autè ex eo quòd Hieronymus identidè scribit, Latinorũ consuetudine eam non fuisse receptam; satis ostendi, quòd non sèper apud catholicos omnes indubitata fuerit eius auctoritas. Neque id mirum; quandoquidem & alij quidam libri sacri non statim omnium consensu fuerunt approbati, neque statim initio, in canone scripturarum relati: vt Apocalypsis Ioannis, & libri Machabæorum. Ceterum progressu temporis, accedente præsertim conciliorum definitione; sicut de alijs nonnullis, ita & de epistola ad Hebræos, in vniuersum submota fuit omnis dubitatio. Quanquam quod de Lactantio & Arnobio obijciunt, eos nusquam citare hanc epistolam; facile soluitur: quoniam nec alias, nisi rarissimè, citant scripturas. Erat enim illis instituta disputatio contra gentiles; apud quos scripturarum, quas illi non recipiebant, auctoritas frustra proferebatur; quemadmodum ipse Lactantius testatur lib. 5. diuinarum institutionum cap. 4. Illud quoque quòd obijciebat, veteres quosdam epistolarum Pauli commentatores solam eam quæ ad Hebræos scripta est, omisisse; non efficit vt eam non agnouerint pro scriptura canonica. Non enim propter auctoritatem dubiam; sed quòd author incertus ac dubius haberetur, ab ea abstinuerunt. Siquidem constitutum illis erat in solas Pauli epistolas commentari. Præterea fieri potuit vt Latinis quibusdam orthodoxis idcirco suspecta esset hæc epistola, atque eam ob causã tardius recepta, quòd alicubi videretur Nouato patrocinari; qui lapsis à baptismo reconciliationem negabat. Quę heresis apud Romanos exorta grauitè ecclesiam infestauit; vt propterea verisimile sit, putasse non-

nullos

nullos huic epistolæ ab ecclesia Romana, sicut Eusebius refert, fuisse contradicendum. Quanquam profectò si quos hoc mouit; ij diligentius ea loca huius epistolæ debebant obseruare, vbi author hortatur lapsos ad pœnitentiam, atque ita præbet ijs spẽ salutis. Cap. 3. v. 13. Cap. 4. v. 16. Cap. 5. vbi describitur officium pontificis. Cap. 8. v. 12. Cap. 9. v. 14. Huc etiam facit doctrina capituli 12. de disciplina paterna qua Deus filios suos castigat, vtique non immeritos, sed nunc grauius, nunc minùs grauius delinquentes. Vide eodem c. v. 13. & 24. Ac omnibus his locis cõsule nostrum Commẽtariũ. Iam quòd ad cæteras obiectiones attinet, infirma planè ea est quam primo loco verbis Caietani posuimus. Nam vt detur incertum ac dubium esse huius epistolæ authorem, de qua re mox agemus; nulla tamen ratione consequens est incertam ac dubiam relinqui ipsius epistolæ auctoritatem. Alioquin, hac ratione multi alij libri rescandi essent à canone; vt Regum, Paral. Iob, Sapientiæ, Machabæorum, & alij: quorum etsi scriptores aut ignoramus, aut non omnino certos habemus, auctoritas tamen apud ecclesiam inconcussa est; sicut de libro B. Iob testatur Gregorius initio Moral. Cũ enim constet authorem seu dictatorem esse Spiritum-sanctum: de scriptore tanquam de calamo minus laborare solet ecclesiã. Reliqua tam Caietani quàm aliorum argumenta, quomodo dissoluenda sint, in commentario inter exponendum, Deo fauente, dicemus, quum ad ea loca ventum fuerit, quæ ab illis obijciuntur. Illud addo: Si istorum argumenta valent contra auctoritatem diuinam huius epistolæ: pari ratione similia argumenta valitura contra alias Pauli epistolas. Nam & in alijs non semper scripturas profert secundum sensum literalem, sed sæpe iuxta sensum mysticum, aut moralem. Inrerdum quoque scripturas aliud loquentes suo instituto accommodat. Exempla sunt Rom. 3. *Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, & cætera*, quæ ibi ex psalmis contexit. Item cap. 8. *Propter te mortificamur tota die*, ex psalmo 43. Item cap. 10. *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in celum*, & quæ sequuntur ex Deut. 30. Item 1 Cor. 9. *Non alligabis os boui trituranti*, ex Deut. 25. Item cap. 15. *Omnia subiecit sub pedibus eius*, ex psalmo 8, vbi sanè apostolus eodem sensu versum illum adducit, quem ei attribuit hæc epistola cap. 2. Item 2. Cor. 4. *Credidi, propter quod locutus sum*, ex psal. 115. Item cap. 8. *Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit*, ex Exodi 16. Item Gal. 3. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, ex Deut. 21. Item Ephes. 4. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, ex psalmo 67. Item eodem cap. *Frascimini & nolite peccare*, ex psal. 4. Poterãm & alia nonnulla adiungere; sed hæc satis sint, vt doceamus non statim labefactari scriptoris auctoritatem, si quam scripturam, siue docendi siue exhortandi gratia, proferat extra eum sensum quem primùm præ oculis habuit is qui scripsit.

DE AVTHORE HVIVS EPISTOLÆ.

DIVERSA à superiore quæstio est, eademq; difficilior ac magis apud antiquos controuersa, quisnam epistolæ ad Hebræos scriptor fuerit. Nam à Paulo scriptam non esse quidam existimarunt, his potissimum argumentis adducti. Primò quia cum cæteræ omnes epistolæ Paulinæ nomen eius cum salutatione præfixum habeant, hæc sola sine nomine & salutatione statim rem ipsam aggreditur. Secundò, quoniam & stylus epistolæ, & ipsa docendi ratio multum distat à cæteris Pauli epistolis; estque omnino eius oratio longè grauior, copiosior, ornatior, quàm cæterarum. Tertio quia scriptor epistolæ cap. 1. locum psalmi 2. *Ego hodie genui te*, multò aliter interpretatur quàm ipse Paulus Act. 13. Hic enim author ea verba refert ad æternam filij Dei generationem: Paulus verò ad temporalem eius à morte resuscitationem. Quartò quia hic author disertè numerat seipsum inter eos in quos euangelica salus confirmata fuit per illos qui audierunt à Domino Iesu. Id autem fortiter de se Paulus negat, ita de suo euangelio loquens Gal. 1. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Jesu Christi*. Vnde & de primarijs apostolis ita scribit eiusdem ep. cap. 2. *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*. Viget hoc argumentum inter alia præcipuè Caietanus, vt doceat hanc epistolam Pauli non esse. Sentiunt cum eo Erasmus & plerique omnes nostri temporis sectarij, etiam illi qui epistolam ipsam agnoscunt pro sacra. Porro veteres qui eam Pauli non esse putarunt, alijs quibusdam authoribus attribuerunt; alij Barnabæ, alij Luce, alij Clementi Romano. Nec defuerunt qui Tertulliano ascriberent, si Lirano & Sixto Senesi credimus. Sed hoc postremum facillimè refellitur, tum ex stylo diuersissimo; tum quia Tertullianus Latinè scripsit, non Græcè; nec ei quicquam commune cum Hebræis vt ad eos epistolam scriberet. Apertissimè verò ex eo quòd duo Clementes, Romanus & Alexandrinus, ambo Tertulliano antiquiores, huius epistolæ meminerint, quodque Tertullianus ipse lib. de pudicitia capit. 20. hanc epistolam Barnabæ ascribit, vt & Hieronymus de eo testatur in catalogo, de Paulo agens. Veruntamen nec Barnabam eius esse authorem ex eo probatur, quia non nisi vnam ab eo scriptam epistolam veteres agnouerunt: eam autem fuisse planè ab ista diuersam, manifestè patet ex Clemente Alexandrino, qui Stromatum lib. 2. & 5. complures ex epistola Barnabæ sententias recitat, quarum nulla hîc legitur. Agens autem in eodem opere de epistola ad Hebræos, non eam Barnabæ, sed Paulo censet ascribendam. Idem patet ex Interpretatione nominum Hebraicorum apud Hieronymum, vbi epistola Barnabæ ab ea quæ ad Hebræos scripta est, distinguitur, ac diuersa continet Hebraica nomina. Præterea nec lapparet tantam fuisse eloquentiam Barnabæ, quantam fuisse sui au-

thoris

thoris hæc epistola loquitur: Nam Act. 14. Paulum quidem Mercurium, Barnabam autem Iouem vocabant Lystrenses, ea nimirum ratione, quòd Paulus tanquam eloquentior dux esset sermonis. Vt ne id addam, quoniam apocryphum est, quod lib. 1. recognitionum Clementis, Barnabas introducitur expers artis dicendi & differendi, simpliciter & absque vlllo sermonis ornatu Christum Romanis annunciasse; & ob id à philosophis, alijsque doctis irrisum fuisse. Porro Clemens & Lucas non tantæ fuerunt authoritatis apud Hebræos, vt de profundis Christianæ fidei mysterijs ad eos instruendos literas darent. Quamuis enim Clemens fuerit in sede Romana Petri successor; quia tamen homo gentilis erat, parum ponderis ad persuadendum habuisset eius epistola apud Iudæos, vt qui doctrinam & institutionem de rebus religionis à gentilibus accipere nunquam in animum induxissent. Adde, quod ipse Clemens dum in sua ad Corinthios epistola (sicut superius ex Eusebio retuli) subinde sententias ex epistola ad Hebræos intexit; alterius eam authoris esse quàm suam, planissimè declarat. Vt taceam quod huius epistolæ stylus & dictio non est hominis Romani, sed Hebræi Græcè periti. Iam nec illud in Clementem quadrat quod est in fine epistolæ, vbi author rogat Hebræos *vt pro se orent, quo celerius ijs restituatur*. Cum enim Clemens esset episcopus Romanus, non in Iudæa sed Romæ morari eum conueniebat, vbi & moratum fuisse constat. Sed nec ante pontificatum Clemens in Iudæa fuit versatus. Quanquam & ex temporum ratione satis hæc opinio refellitur. Scripta est enim epistola ante excidium Hierosolymitanum; eo scilicet tempore quo adhuc fideles qui in Iudæa erant, à Iudæis infidelibus variè vexabantur. Super his enim eos consolatur author epistolæ cap. 10. & 12. Id ipsum ex eo manifestum est, quia disputat de abrogatione sacerdotij & sacrificiorum veteris legis; quod non admodum opus erat vrbe iam euersa temploque destructo, extra quod nefas erat Iudæis sacrificare. Saltem eius destructionis ac sacrificiorum cessationis alicubi meminisset, occasione suæ disputationis institutæ de sacerdotio & sacrificijs illius templi. Quod adeò non facit, vt cap. 8. affirmet adhuc esse qui secundum legem offerant munera: & cap. 7. 9. 10. & 13. alia multa dicat ex quibus facillè intelligatur Aaronicum sacerdotium eo tempore adhuc in vsu fuisse. At verò Clemens ecclesiam Romanam regere cœpit anno post euerisionem Ierosolymorum vigesimo. Nisi quis dicat illum hanc epistolam viginti & amplius annis ante suum pontificatum scripsisse, quod nullo modo est verisimile. Nā, vt diximus, eum qui ad Hebræos de rebus tam arduis, cum spe fructus, scriberet, oportebat virum esse summæ authoritatis, qualis utique Clemens illo tempore non erat. Hæc paulò prolixius, ad redarguendam illam de Clemente opinionem, vt ne quem fallat Erasmi annotatio, quæ est ad finem annotationum epistolæ, vbi sententiam hanc censet admodum probabilem; eaq; Hieronymo conatur ascribere, quòd is in catalogo de Clemente agens, sibi videri dicat epistolam Clementis quam ad Corinthios

I i 2

scripsit.

scripsit, characteri epistolæ quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, conuenire, & omninò grandem in vtraque similitudinem agnoscat. Quæ quidem verba Hieronymus ab Eusebio mutuatus est, eadem penè scribente lib. 3. hist. cap. 32. Ex quo loco, palam est de interprete epistolæ, non de authore, hæc ab illis dicta esse; præsertim cum vterque testetur, Clementem in sua epistola verbatim nonnulla citare ex epistola ad Hebræos.

Cum igitur hæc epistola neque Clementis sit, neque cuiuspiam eorum quibus attributa fuit ab ijs qui Pauli eam esse negarunt; eò necesse est veniatur, vt, aut cum Caietano profus authorem ignoremus, aut cum alijs Catholicis fateamur non alium esse quàm Paulū. Atqui sanè Paulum esse authorem, multa sunt quæ confirmant. Primum autoritas Græcorum patrum, qui omnes (vno Caio de quo Hieronymus in catalogo scribit, excepto) hanc epistolam receperunt vt Paulinā. Nominatim Dionysius Areopagita, Clemens, Dionysius, Alexander, & Athanasius Alexandrini. Item Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus & reliqui his posteriores. Nam de prioribus, id probatur tum ex Origene, cuius verba recitat Eusebius lib. 6. hist. cap. 19. tum ipsius Hieronymi testimonio, cuius in epistola 129. quæ est ad Dardanum, hæc verba sunt: *Illud nostris dicendum est, hanc epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis Græcis sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli, suscipi.* Sic ille. Secundo probat id Latinorum patrum autoritas. Quamuis enim vsque ad Hieronymi tempora, sicut ipse varijs locis indicat, fuerint inter Latinos, à quibus hæc epistola vel non vt canonica, vel certè non vt Paulina, reciperetur; atque ipse etiam interdum dubiè loquatur: suam tamen sententiam apertè satis exposuit in epistola iam allegata ad Dardanum, necnon in prologo commentariorum epistolæ ad Titum. & lib. 1. contra Iouinian. cap. 9. Constat etiam Latinorum præcipuos, Hilarium, Optatum, Ambrosium, atque alios Hieronymo antiquiores, Tertulliano & Cypriano exceptis, passim eam, non solum vt sacram, verum etiam vt Paulinam citare. Nam de posterioribus minor dubitatio est. Augustinus enim libro 2. de doctrina Christiana capit. 8. eam cæteris Pauli epistolis accenset. Et ferè quotquot deinceps secuti sunt, eam pro Paulina agnouerunt. Tertiò facit huc Conciliorum atque Pontificum autoritas. Nam Concilium Laodicenum, Carthaginense tertium, Romanum sub Gelasio papa, Florentinum & Tridentinum in catalogo scripturarum epistolam ad Hebræos cæteris Pauli epistolis aggregant. Quod idem fecit in suo catalogo Innocentius I. Quin & in magno Concilio Niceno idem factum esse, B. Thomas & Liranus supra citati nobis authores sunt. Quartò accedit vsus perpetuus ecclesiæ, quæ in diuinis officijs non aliter quàm Pauli nomine lectiones ex hac epistola recitare consuevit. Quinta probatio sumitur ex testimonio Petri apostoli, qui duas ad Hebræos siue Iudæos scripsit epistolas. Quod quidem de priore constat ex eius inscriptione. Nam

aduene dispersionis ad quos scribit, vtique Iudæi intelliguntur, non gentiles. Posteriorem verò ad eosdem scriptam esse docent illa verba cap. 3. *Hanc ecce vobis secundam scribo epistolam.* Atqui capite eodem cum eos hortaretur vt promissa Domini expectarent, vtique satagerent immaculati & inuolati ab eo inueniri in pace; atque eius longanimitatem, salutem arbitrentur; ita subiunxit: *Sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Scripsit igitur, Petro teste, Paulus aliquam epistolam ad Hebræos. Quæ profectò non alia esse potest quàm ista; cum reliquæ omnes aut scriptæ sint ad ecclesias ex gentibus, aut ad singulares personas. Et verò de hac ipsa epistola Petrum loqui, inde vltèrius probant, quia verba Pauli à Petro indicata, in hac monstrari possunt; nimirum cap. 10. vbi dicit: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei; aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda: teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est qui repromisit &c.* Et infra: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem, & quæ sequuntur.* Cuiusmodi etiam nonnulla habentur vltimo & penultimo capite. Verum hæc probatio non videtur alijs quibusdam vsquequaque certa. Primum, quia non ad solos Iudæos Petrus suas epistolas direxit, sed etiam ad gentiles; quod Augustinus testatur lib. 22. contra Faustum cap. 89. Idque etiam ex quibusdam epistolarum B. Petri verbis colligi posse putant, maximè ex eo quod dicitur 1. ep. 2. *Et ipsi tanquam lapides vivi superedificamini.* q. d. Non solum Iudæi, sed & vos gentiles; sicut hoc ipsum expressius docet Paulus Ephes. 2. Rursumque ex eo quod postea sequitur: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem consecuti.* Quæ verba ex Osee propheta desumpta, Paulus ad Rom. 9. de gentili populo fuisse prædicta interpretatur. Deinde, vt ad solos Iudæos scriptæ sint; nondum constabit memoratis Petri verbis epistolam ad Hebræos significari. Nam & epistola ad Romanos ita scripta est vt gentilibus & Iudæis esset communis, quemadmodum in argumento illius epistolæ satis à nobis demonstratum est. Atqui in eadem epistola capit. 2. (qui locus etiam ad marginem in epistola B. Petri solet annotari) Iudæum Paulus sic alloquitur: *At diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contempnis; ignorans quoniam benignitas eius ad pœnitentiam te adducit?* Qua quidem interrogatione Iudæos admonet vt Domini longanimitatem salutem arbitrentur, vt B. Petrus loquitur. *Immaculatos autem & inuolatos vt se Deo custodiant,* quod idem Petrus monet; hoc Paulus hortatur initio cap. 12. dictè ad Rom. epistolæ. *Obsecro vos, inquit, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam &c.* Sed hæc obiectiones aduersus probationem quæ ex Petri testimonio sumitur, quæ parum valeat, apparebit, partim ex ijs quæ dicturi sumus in argumento prioris epistolæ Petri apostoli, partim ac plenius in commentario secundæ epistolæ, ad illa ipsa verba: *Sicut & carissimus frater noster Paulus scripsit vobis.* Porro

scripsit, characteri epistolæ quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, conuenire, & omninò grandem in vtraque similitudinem agnoscat. Quæ quidem verba Hieronymus ab Eusebio mutuatus est, eadem penè scribente lib. 3. hist. cap. 32. Ex quo loco, palam est de interprete epistolæ, non de authore, hæc ab illis dicta esse; præsertim cum vterque testetur, Clementem in sua epistola verbatim nonnulla citare ex epistola ad Hebræos.

Cum igitur hæc epistola neque Clementis sit, neque cuiuspiam eorum quibus attributa fuit ab ijs qui Pauli eam esse negarunt; eò necesse est veniatur, vt, aut cum Caietano prorsus authorem ignoremus, aut cum alijs Catholicis fateamur non alium esse quàm Paulū. Atqui sanè Paulum esse authorem, multa sunt quæ confirmant. Primum authoritas Græcorum patrum, qui omnes (vno Caio de quo Hieronymus in catalogo scribit, excepto) hanc epistolam receperunt vt Paulinā. Nominatim Dionysius Areopagita, Clemens, Dionysius, Alexander, & Athanasius Alexandrini. Item Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus & reliqui his posteriores. Nam de prioribus, id probatur tum ex Origene, cuius verba recitat Eusebius lib. 6. hist. cap. 19. tum ipsius Hieronymi testimonio, cuius in epistola 129. quæ est ad Dardanum, hæc verba sunt: *Illud nostris dicendum est, hanc epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis Græcis sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli, suscipi.* Sic ille. Secundò probat id Latinorum patrum authoritas. Quamuis enim vsque ad Hieronymi tempora, sicut ipse varijs locis indicat, fuerint inter Latinos, à quibus hæc epistola vel non vt canonica, vel certè non vt Paulina, reciperetur; atque ipse etiam interdum dubiè loquatur: suam tamen sententiam apertè satis exposuit in epistola iam allegata ad Dardanum, necnon in prologo commentariorum epistolæ ad Titum. & lib. 1. contra Iouinian. cap. 9. Constat etiam Latinorum præcipuos, Hilarium, Optatum, Ambrosium, atque alios Hieronymo antiquiores, Tertulliano & Cypriano exceptis, passim eam, non solum vt sacram, verum etiam vt Paulinam citare. Nam de posterioribus minor dubitatio est. Augustinus enim libro 2. de doctrina Christiana capit. 8. eam cæteris Pauli epistolis accenset. Et ferè quotquot deinceps secuti sunt, eam pro Paulina agnouerunt. Tertio facit huc Conciliorum atque Pontificum authoritas. Nam Concilium Laodicenum, Carthaginense tertium, Romanum sub Gelasio papa, Florentinum & Tridentinum in catalogo scripturarum epistolam ad Hebræos cæteris Pauli epistolis aggregant. Quod idem fecit in suo catalogo Innocentius I. Quin & in magno Concilio Niceno idem factum esse, B. Thomas & Liranus supra citati nobis authores sunt. Quarto accedit vsus perpetuus ecclesiæ, quæ in diuinis officijs non aliter quàm Pauli nomine lectiones ex hac epistola recitare consuevit. Quinta probatio sumitur ex testimonio Petri apostoli, qui duas ad Hebræos siue Iudæos scripsit epistolas. Quod quidem de priore constat ex eius inscriptione. Nam

aduene

aduene dispersionis ad quos scribit, vtique Iudæi intelliguntur, non gentiles. Posteriorem verò ad eisdem scriptam esse docent illa verba cap. 3. *Hanc ecce vobis secundam scribo epistolam.* Atqui capite eodem cum eos hortaretur vt promissa Domini expectarent, *vtque satagerent immaculati & inuolati ab eo inueniri in pace;* atque eius *longanimitatem, salutem arbitrentur;* ita subiunxit: *Sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Scripsit igitur, Petro teste, Paulus aliquam epistolam ad Hebræos. Quæ profectò non alia esse potest quàm ista; cum reliquæ omnes aut scriptæ sint ad ecclesias ex gentibus, aut ad singulares personas. Et verò de hac ipsa epistola Petrum loqui, inde vltèrius probant, quia verba Pauli à Petro indicata, in hac monstrari possunt; nimirum cap. 10. vbi dicit: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda: teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est qui repromisit &c.* Et infra: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem, & quæ sequuntur.* Cuiusmodi etiam nonnulla habentur vltimo & penultimo capite. Verum hæc probatio non videtur alijs quibusdam vsquequaque certa. Primum, quia non ad solos Iudæos Petrus suas epistolas direxit, sed etiam ad gentiles; quod Augustinus testatur lib. 22. contra Faustum cap. 89. Idque etiam ex quibusdam epistolarum B. Petri verbis colligi posse putant, maximè ex eo quod dicitur 1. ep. 2. *Et ipsi tanquam lapides vivi superedificamini.* q. d. Non solum Iudæi, sed & vos gentiles; sicut hoc ipsum expressius docet Paulus Ephes. 2. Rursumque ex eo quod postea sequitur: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem consecuti.* Quæ verba ex Osee propheta desumpta, Paulus ad Rom. 9. de gentili populo fuisse prædicta interpretatur. Deinde, vt ad solos Iudæos scriptæ sint; nondum constabit memoratis Petri verbis epistolam ad Hebræos significari. Nam & epistola ad Romanos ita scripta est vt gentilibus & Iudæis esset communis, quemadmodum in argumento illius epistolæ satis à nobis demonstratum est. Atqui in eadem epistola capit. 2. (qui locus etiam ad marginem in epistola B. Petri solet annotari) Iudæum Paulus sic alloquitur: *At diuitias bonitatis Dei & patientia & longanimitatis contempnis, ignorans quoniam benignitas eius ad pœnitentiam te adducit?* Qua quidem interrogatione Iudæos admonet vt *Domini longanimitatem salutem arbitrentur,* vt B. Petrus loquitur. *Immaculatos autem & inuolatos vt se Deo custodiant,* quod idem Petrus monet; hoc Paulus hortatur initio cap. 12. dictè ad Rom. epistolæ. *Obsecro vos, inquit, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam &c.* Sed hæc obiectiones aduersus probationem quæ ex Petri testimonio sumitur, quæ parum valeat, apparebit, partim ex ijs quæ dicturi sumus in argumento prioris epistolæ Petri apostoli, partim ac plenius in commentario secundæ epistolæ, ad illa ipsa verba: *Sicut & carissimus frater noster Paulus scripsit vobis.* Porro

sunt & aliæ rationes quæ probabiliter suadeant hanc epistolam esse Pauli; quarum vna est ex argumento, eiusque tractatione. Nam argumentum cum epistolis ad Romanos & ad Galatas magna parte conuenit: Ipsa verò disputatio seu tractatio multum habet subtilitatis ac profundæ eruditionis. Sententiæ quoque diuinæ sunt ac Paulino spiritu dignæ: nec in alium aptius competit, quod sub finem epistolæ dicit; *Confidimus quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conuersari*. Nam Paulus apud Hebræos malè audiebat, tanquam legis Mosaicæ defensor & contemptor: Ideo conscientiam suam apud eos commendat; sicut & fecerat Act. 23. in Concilio Iudeorum, iisdem penè verbis, ita dicens: *Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum &c.* Facit huc item mentio Timothei, cum quo promittit se eos inuisurum. Constat enim Timotheum Romæ Paulo adfuisse, nec quenquam alium illi fuisse amore & familiaritate coniunctiorem. Videre licebit Oecum. in argumento huius epistolæ; vbi bene probat Paulum esse authorem. Postremò suadet multarum sententiarum quæ in hac epistola leguntur, similitudo cum alijs ab eo scriptis. Nam illud capitis 2. *Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei*, conuenit cum eo quod ait 1. Cor. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia*. Et illud eiusdem capitis secundi, *Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*; planè consonat ei quod dicit Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen &c.* Præterea locus capitis quinti in fine, persimilis est ijs quæ scribuntur 1. Corinth. 2. & 3. Agitur enim utrobique de spiritualibus & animalibus, perfectis & paruulis, solidi cibi capacibus & lacte nutriendis; sensum exercitatum habentibus ad diiudicandum omnia, & non percipientibus nec intelligentibus ea quæ sunt spiritus Dei. Rursus illud quod de Abraham dicitur cap. 11, *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus*: conuenit cum eo quod idem patriarcha, dicitur Rom. 4. *credidisse ei qui viuificat mortuos*. Illa quoque verba capitis 12. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & cætera quæ sequuntur, quamuis multa*; sensu tamen eadem sunt cum illis paucis Rom. 8, *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Sunt & præcepta non re tantum eadem, sed & verbis simillima; quale est illud capitis 12. *Pacem sequimini cum omnibus*. Et ista capitis 13. *Charitas fraternitatis maneat in vobis. Hospitalitatem nolite obliuisci*. Et iterum: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci*. Quæ omnia in epistola ad Romanos capit. 12. sic efferuntur: *Cum omnibus hominibus pacem habentes. Charitate fraternitatis inuicem diligentes. Hospitalitatem sectantes. Necessitatibus sanctorum communicantes*. Sic & illud eiusdem capitis 13. *Sint mores sine auaricia contenti presentibus*: simile est ei quod ait, 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*. Possent & aliæ rationes huc adferri, sed quæ dicta

sint

sint, abundè sufficiant. Nam quod quidam argumentantur ex eo quod hæc epistola habet in fine signum Pauli, de quo ipse meminit 2. Thes. sal. 3. scilicet gratiæ precationem, loco valedictionis ascriptam; non adeò conuincit. Erat enim hoc signum in omnibus quidem Pauli epistolis, vt si qua epistola id non haberet, sciretur Pauli non esse: At non erat in solis; Siquidè & B. Petrus priorè suam epistolā gratiæ imprecatione concludit. Sed nunc ad obiectiones initio positas, respondeamus.

Ad primam respondent nonnulli Paulum suo more scripsisse nomen suum cum salutatione in principio epistolæ, sed postea aut interpretis aut scribarum incuria euanuisse. Sed vana mihi videtur hæc coniectura; cum vetustissimi scriptores non aliter legerint, atque adeò testentur ipsum Paulum nomen suum tacuisse. Aliam responsionem adfert author præfationis cuiusdam Hieronymo ascriptæ, in hanc epistolam: Si propterea Pauli non est, inquit, quod Pauli nomen non præferat; ergo nullius erit, cum nullius nomen habeat in titulo. Verum hæc responsio magis lepida quàm solida est. Non enim satisfacit argumento quod petebatur ex consuetudine Pauli, qui omnibus alijs epistolis nomen suum cum salutatione præfigit. Itaque vel hæc Pauli non erit; vel aliqua reddenda est ratio cur in hac sola nomen suum omiserit. Igitur ratio triplex à veteribus assignatur. Vna, quia sciebat Paulus nomen suum Hebræis esse inuisum, propterea quod legis obseruantias, quas illi, quamuis in Christum credentes, mordicè adhuc retinebant, abrogatas esse per Christum doceret. Quantopere enim Hebræi fuerint legis æmulatores, eamque ob rem Paulo vehementer infensi; docet Actorum historia, præsertim cap. 21. Altera ratio est, quia Paulus non Hebræorum, sed gentium apostolum ac magistrum se profitebatur; vt Rom. 11. Gal. 2. & 2. Tim. 1. Ideoque noluit pro more sic incipere epistolam, *Paulus apostolus*, sed absque titulo nudam exponere doctrinam. Vnde & in fine epistolæ, velut excusans quod ad eos scripserit quorū apostolus non erat, solatiū vocat non doctrinam. *Rogo vos, inquit, fratres, vt sufferatis verbum solatiij. Etenim per paucis scripsi vobis*. Tertiã rationem hanc adiiciunt: Quoniam enim in hac epistola Iesum appellaturus erat apostolum cõfessionis nostræ; noluit ipse se initio Paulum apostolum nominare, ne videretur se ipsum in aliqua parte cum Christo conferre, quem etiam angelis excellentiorem esse docuerat. Has omnes rationes attigit Clemens Alexandrinus in libris hypotyposon, cuius verba refert Eusebius lib. 6. hist. cap. 11. Easdem rationes sparsim inuenire est apud alios authores; nominatim apud Hieronymum in commentario cap. 1. ad Gal. & in catalogo, vbi de Paulo agit. Item apud Theodoretum, Theophylactum & Oecumenium in suis ad hanc epistolam procemijs. Sed post hæc omnia, an vera ratio ommissæ salutationis est, quod hæc epistola scripta est per modū libri, nõ per modū epistolæ? Vnde in fine dicit, *Etenim per paucis scripsi vobis*. quod de epistola non erat dicturus, cum sit epistola proluxa.

Ad secundam obiectionem multi tam veteres quàm recentiores respondent hanc epistolam Hebræicè à Paulo scriptam

114

esse,

esse, in qua lingua ut nativa ac propria, multò fuerit eloquentior, quàm in aliena; ut proinde mirum non sit, si hæc eius epistola cæteras omnes ornatu sermonis ac styli elegantia superet. Verum nos an Hebraicè scripta aliquando fuerit, infra videbimus. Attamen eo concessò, nondum hæc soluitur obiectio. Nam huius epistolæ stylus (si quis sagaciter & attentè consideret) non Hebræam, sed Græcam redolet eloquentiam; sicut de libro Sapientiæ pronunciat Hieronymus in epistola qua præfatur in libros Salomonis. Etenim vnaquæque lingua suum peculiarem habet elocutionis modum, ac proprijs quibusdam gaudet phrasibus, ac figurarum ornamentis; ex quibus facile possit agnosci, etiam in aliam linguam oratione transfusa: quemadmodum manifestè patet de libris prophetarum, siue in Græcum sermonem, siue in Latinum conuersis, etiam ab eloquenti interprete. Quare, cum alijs omninò dicendum arbitramur, subiectum siue materiam totius epistolæ, simul & ordinem, à Paulo fuisse subministratum; sed compositionem & ornatum esse cuiusdam alterius, cuius operâ Paulus utendum putauerit; siue Clemens Romanus is fuerit, ut quidam opinati sunt, siue Lucas indiuiduus apostoli comes ac laborum socius, quod magis est verisimile. De Clemente quidem sentire videtur Eusebius lib. 3. historiæ ecclesiasticæ cap. 32. & Hieronymus libr. de scriptoribus ecclesiasticis in Paulo, & Clemente; dum non nudam versionem epistolæ, sed stylum & eloquentiam sermonis Clementi tribuunt. Lucam verò compositionis authorem esse, argumento est, quòd Clemens Alexandrinus apud Eusebium libr. 6. histor. capit. 11. testatur hanc epistolam & Acta apostolorum quæ Lucas conscripsit, eundem orationis stylum habere. Cui adde quod Lucas Scripturæ testimonia perpetuò citat iuxta versionem LXX. tam in euangelio, quàm in Actis. Quod & in hac epistola factum videmus. Huic de Luca sententiæ ut verisimiliori Galenus etiam subscribit. Quod si stylus huius epistolæ cuiquam videatur grandior quàm euangelij secundum Lucam & Actorum Apostolorum: non id nos reuocare debet à sententia. Aliam enim dictionem historia postulat, aliam disputatio ad persuadendum suscepta de magnis & profundis fidei mysterijs. Porrò vtriusque, tam Lucæ quàm Clementis, meminit Origenes apud eundem Eusebium eiusdem lib. 6. capit. 19. vbi post alia, cum ijs quæ de stylo & caractere epistolæ iam dixi, planè consentientia; velut concludens, scribit in hunc modum: *Ego constanter affirmabo sensus esse Apostoli, phrasim autem & constructionem verborum alterius cuiusdam, conciones Apostoli in commentarios redigentis, & velut dictata ex præceptoris ore scribentis. Proinde si qua ecclesia istam habeat epistolam, eam ipsa approbet ut Pauli, idque hac ratione persuasa: Non enim temerè veteres eam Pauli esse tradiderunt. At quis scripserit epistolam; Deus verè nouit. Nos tamen à quibusdam accepimus, Clementem Romanæ ecclesiæ Episcopum eam epistolam perscripsisse: ab alijs, Lucam qui euangelium &*

Acta

Acta apostolorum literis mandarit, illam contemisse. Huc vsque Origenes. Cuius verba repetit Nicephorus lib. 5. histor. cap. 16. atque hanc obiectiois propositæ solutionem, velut simpliciorum & expeditiorum, adferunt Cardinalis Bellarmus lib. 1. de Verbo Dei cap. 17. & Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25. Eadem responsio probatur Ioanni Hasselio in prologo commentarij in hanc epistolam. S. Lucam esse compositionis authorem etiam hoc argumento est quòd in hac epistola sunt quædam vocabula peculiariora, quibus etiam in euangelio & in Actis apostolorum utitur B. Lucas, quæ in alijs scripturæ libris haud facile reperias. Exemplo sit *εὐλαβεία*, reuerentia; c. 5. 11. & 12. huius epist. cuius concretum *εὐλαβείης* apud Lucam reperitur Euangel. c. 2. Act. 2. & 8. Item *εἰς τὸ πάντεσσι*, legitur Lucæ 13. & Heb. 7. quod illic Interpres vetus reddidit *omnino*; hinc *in perpetuum*. de quo vide ibi nostrum comment. Ea locutio vbi reperitur in Scriptura extra hos locos? Sic *μαρτυρέω*, pro eo qui bene audit, seu ut noster Interpres reddit, eo qui habet bonum testimonium. Act. 6. 10. 16. & Hebr. 11. quatuor locis. Item *καταπέτασμα*. Hebr. 8. & 11. Lucæ 2. Act. 10. Rursum, Lucæ 24. *inclinata est iam dies*. Græcè, *κείμεν*. idem legitur Hebr. 11. vbi nos habemus, *Castra uerterunt exterorum*. Adde, *ἠγάπη*, Lucæ 22. ver. 26. & Hebr. 13. Iam modus ille loquendi quo *ad pro de* ponitur; ut est Lucæ 18. 19. 20. ita Hebr. 1. semel ac iterum, & alibi in eadem epistola. Quibus omnibus hæc de S. Luca sententia confirmatur. quæ etiam reperitur ad finem Collectaneorum Bedæ in hanc epistolam. Sed aduersus eam obijcit quidam: Si Paulus non verba composuit, sed solam materiam suppeditauit, & ordinem scribendorum præscripsit: igitur ipsa verba non sunt Pauli, sed alterius cuiusdam, qui fortasse dum materiam à Paulo acceptam digere & ornat, vel aliquid de suo addidit, vel apostoli sententiam minus assecutus in ea verbis exprimenda potuit errare. Respondet verba esse Pauli, tum quoad sententiam & res, ut dictum est, ab ipso subministratas, atque earum ordinem ac dispositionem generalem; tum verò quia totam epistolam alieno stylo concinnatam, sed suis sensibus plenissimè respondentem, ipse tanquam suam approbavit ac misit; adeò ut fateamur non solum Paulum in materia & ordine præscribendo, totaque epistola postquam scripta fuit approbanda, à spiritu diuino motum fuisse; verum etiam mentem & manum eius qui composuit, ab eodem spiritu fuisse gubernatam, ut non alia nec aliter scriberet, quàm oporteret. Haud secus atque factum est in alijs qui sacros libros scripserunt. Neque sanè absurdum est quod ille pro absurdo obijcit, ad hunc sensum eiusdem libri sacri plures esse authores canonicos. Quæ responsio nostra planior adhuc & probabilior euadet ex ijs quæ de tertia questione mox dicturi sumus.

Ad tertiam obiectioem facile responderetur; Cùm scriptura sacra plures sensus admittat, nullum esse inconueniens, si quis aliquod scripturæ testimonium in alium atq; alium sensum, diuersis in locis, alleget

aut

An sit fi-
des Pauli
esse au-
thorem.

aut interpretetur. Sed de ea re plenius in commentario; in quem etiam quartæ obiectionis dissolutionem differimus: ne bis eadem dicamus. Cùm autem ex supradictis satis abundeque probatum sit Paulum esse authorem huius epistolæ; Queret aliquis, an hoc ipsum sit fidei definitæ, vt hæreticum sit aliter sentire. Sic enim existimant Catharinus, Sixtus & Alfonsus cum nonnullis alijs scriptoribus neotericis. Pro quorum opinione facere imprimis videtur, quod Concilia tam vniuersalia quàm particularia, non solum hanc epistolam receperunt vt sacram, sed etiam vt Pauli apostoli. Facit deinde, consensus totius ecclesiæ, quæ tot iam sæculis eam in pulpitis & cathedris citat, & in diuinis officijs recitat, sub nomine Pauli. His accedit, quod ex antiquis hæreticis Marcion, Basilides & Arius hanc epistolam esse Pauli negauerunt; atque hoc in eis orthodoxi patres damnarunt; videlicet Epiphanius heresi 42. Hieronymus in proemio comment. epistolæ ad Titum, Philastrius in catalogo hæreseon cap. 89. & Theodoretus in præfatione huius epistolæ. Veruntamen istis non obstantibus, illud primum apparet, hanc rem tempore Hieronymi nondum fuisse ab ecclesia definitam. Quod probari potest ex tot locis apud eundem Hieronymum, quibus de authore huius epistolæ modò ambiguè, modò cum conditione loquitur, hoc aut simili modo; *Paulus, siue quis alius scripsit epistolam*. Nam & in epistola quam de omnibus sacris libris, ad Paulinum scripsit, sic ait, *Paulus apostolus ad septem scribit ecclesias. Octaua enim ad Hebræos, à plerisque extra numerum ponitur*. Et in Zach. 8. scribens, easdem septem ecclesias, ad quas Paulum scribere dicit, ordine recenset; Hebræorum mentione prætermittit. Idem de viris illustribus in Paulo, postquam reliquas eius epistolas enumerasset, ita subiunxit; *Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter styli sermonisque dissonantiam; sed vel Barnabæ &c.* Et in Caio: *Sed & apud Romanos, inquit, usque hodie quasi Pauli apostoli non habetur*. Hæc profectò Hieronymus non diceret, si crederet ecclesiam aliquando definitam protulisse de hac re sententiam. Quod autem nonnulli respondent, hæc omnia ab Hieronymo scripta esse sub aliena persona, aut ex aliena sententia; nimis profectò friuolum est, ac vanius quàm vt ratione refellatur. Certè sententiam suam non potuit clarius explicare quàm fecit in epistola de terra promissionis, scripta ad Dardanum, numero 129. in qua cùm dixisset plerisque arbitrari quòd Barnabas aut Clemens sit author epistolæ; *Verum, inquit, nihil interest cuius sit; cùm sit ecclesiastici viri, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur*. Nec verò solus Hieronymus ad hunc modum locutus est, verum etiam Augustinus satis significauit rem non esse certam ac definitam, quum lib. 16. de ciuitate Dei cap. 22. ita scribit: *De quo in epistola quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant, multa & magna conscripta sunt*. Quod enim ait: *Quidam verò negant, non de hæreticis,*

sed

sed de Catholicis vtique dixit. Vnde & ipse sæpissimè testimonium ex hac epistola citat absque mentione authoris, hoc aut simili modo: Scriptum est in epistola ad Hebræos; quod de alijs epistolis facere nequaquam solet. Loca sunt ex multis pauca; eodem lib. 16. de ciuit. Dei capit. 28. & lib. 10. capit. 5. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 24. & 31. lib. 4. contra Iulianum capit. 3. In explanatione psalmi 77. & 118. cont. 8. Q. 49. super Iudicium. lib. 3. de Trinitate cap. 11. & lib. 12. cap. 13. lib. 3. contra Maximinum cap. vltimo. Interdum verò plura coniungens testimonia ex diuersis epistolis Pauli, quorum vnum sit ex epistola ad Hebræos; alia quidem citat Pauli vel Apostoli nomine, huic verò authorem non addit. Exemplum habes in lib. 1. de nupt. & concup. cap. 4. *Tantum valet, inquit, fides de qua dicit apostolus; Omne quod non est ex fide, peccatum est; Et de qua item scriptum est ad Hebræos, Sine fide impossibile est placere Deo*. Cur non dixit, *& alibi?* nisi quia non æquè certum habebat apostolum huius testimonij, quàm illius esse authorem: At neque post ea tempora videtur ecclesia de hac quæstione quicquam amplius definiuisse quàm tunc definitum erat. Nam quæ potissimum obijciuntur concilia, à quibus hæc epistola sub nomine Pauli recensetur inter scripturas canonicas; ea partim ante Hieronymi & Augustini ætatem, partim post celebrata sunt. Quare si priora non conuincunt; nec quidem posteriora. Neque enim patribus horum conciliorum propositum erat definire cuius ea epistola sit authoris; sed quòd vnà cum cæteris Pauli epistolis, quibus receptissimo ecclesiæ more eam annumerant, inter diuinas scripturas sit habenda. Huius rei clarum argumentum est ex catalogo librorum scripturæ sacræ descripto, primum à patribus Concilij Carthaginensis 3, tum ab Innocentio I. deinde à Gelasio I. in Concilio 70. episcoporum. Apud quos omnes sic legitur: *Salomonis libri quinque*. Nam etiam apud Gelasium sic haberi, fidem nobis facit Burchardus in suo decreto; licet in tomis conciliorum viciosè pro *quinque; tres*, legantur. Recensent autem illi Salomonis libros quinque, comprehensis in eo numero Sapientia & Ecclesiastico; quos tamen à Salomone scriptos non esse; doctiores non dubitant; vt ait Innocentio contemporaneus Augustinus in Speculo. Legebantur autem in ecclesijs sub nomine Salomonis; eamque ob causam sub eodem nomine sunt recensiti in catalogo. Quibus adde quòd in eodem catalogo Carthaginensis Concilij, de Pauli epistolis legitur ad hunc modum: *Pauli epistolæ tredecim. Eiusdem ad Hebræos vnà*. Cur enim non dixit; Pauli epistolæ quatuordecim; sed seorsim nominauit eam quæ est ad Hebræos; nisi quia non æquè certum habebat hanc esse Pauli atque cæteras. Quod si mens illius Concilij fuisset eam rem definire; nunquam Augustinus qui Concilium illud & agnouit & veneratus est, vt ex eius epistola 235. liquet; de authore eius epistolæ suspenso calamo scripsisset. Verum sciebat Augustinus

non

non omnia quæ quoquo modo dicuntur in concilijs, definitiue dici. Multa enim dicuntur ex occasione, quæ non parem cum ijs quæ definiuntur, auctoritatem habent, quemadmodum exemplis facile fuit ostendere. Sed ne extra institutum euagemur; vnum sufficiat Concilium Triden. quod in indicem sacrorum librorum refert psalterium Dauidicum centum quinquaginta psalmorum; nec tamen statuit omnes eos esse Dauidicos, quum valde probabile sit, ac penè certum, quosdam ab alijs esse compositos. Quid autem illic in vniuersum intendat statuere, ipsum Concilium, exponit verbis ante & post indicem positus, scilicet eos omnes libros quos recenset pro sacris & canonicis esse suscipiendos. Ex his etiam intelligi potest, quomodo sit accipiendum quod Aquinas & Liranus & Carthusianus scribunt, Nicenum Concilium hanc epistolam recepisse tanquam Pauli apostoli. Non aliter enim recepisse existimandum est, quam quomodo eam vt Pauli sequentia concilia receperunt. Iam nec totius ecclesie consensus probat aut id de quo nunc agitur, aut quicquam aliud, esse fidei; nisi talis sit consensus, quo quid certa fide recipiatur. Id quod in proposito non apparet. Nam & aliter de rebus per sensum aut historiam notis, aut de quibusdam valde probabilibus, potest esse totius ecclesie consensus.

Ad postremam obiectionem, respondeo non omnia quæ malè ab hereticis dicta sunt, esse hæretica; quandoquidem & vera quædam ab ijs dici posse, nemo dubitat. Haberet autem plus apparentiæ hoc argumentum, si soli heretici eam epistolam Paulo subduxissent. Cum verò constet, Eusebio, Hieronymo & Augustino testibus, etiam Catholicos quosdam, non modò Latinos, verum etiam Græcos, olim idem fecisse; planè concidit istius argumenti robur. Et tamen sciendum est Hieronymum in prologo epistolæ ad Titum, loqui potissimum de epistolis ad Titum & Timotheum. Adiungit autem eam quæ scripta est ad Hebræos, non quòd eadem prorsus esset ratio, sed quoniam & hanc, sicut illas, Marcion atque Basilides non solum Paulinas esse negabant, sed (quod præcipuè Hieronymus vrget) repudiabant, vt profanas & Paulino spiritu indignas, vt habet Epiphanius. Non enim hoc voluisse Hieronymum quod obiectio præ-tendit; in progressu commentarij manifestum facit. Nam in expositione capituli secundi sic ait: *Relege ad Hebræos epistolam Pauli apostoli, siue cuiuscunque alterius eam esse putas: quia iam inter ecclesiasticas est recepta.* Non igitur hæreticus erat Hieronymo si quis eam alterius cuiuscunque, quam Pauli, esse putaret. Multò minus tempore Marcionis & Basilidis poterat quis ob eam rem hæreticus censeri; quando ne illud quidem adhuc ecclesiastica definitione constabat, epistolam esse canonicam. At dices, Philastrium recensere inter hæreses, epistolam ad Hebræos Pauli negare. Primum respondeo, frequens esse Philastrium, vt inter hæreses numeret errores qualescunque, atque interdum etiam (pace tanti viri dictum sit) non errores, sed

veritates:

veritates: quod studiosus lector facile perspiciet. Vnde nec Augustinus, qui librum suum de hæresibus magna parte ex Epiphanio & Philastrio collegit, istius hæresis meminit. Deinde, quod amplius est, locus Philastrij propius inspectus pro nobis facit. Nam hæresis quidem illic nulla fit mentio; sed è contrario ponit hanc epistolam extra numerum tredecim epistolarum Pauli, agnoscens eam non perinde vt cæteras, in ecclesia legi. Vt igitur concludam, post tot sæculorum consensum, quæ à temporibus Augustini & Hieronymi fluxerunt, censeo quidem cum Theologica facultate Parisiensi, cumque Melchiorre Cano, temerarium esse, si quis epistolam ad Hebræos negaret esse Pauli apostoli; sed hæreticum ob id solum pronunciarè non ausim. Vide censuram facultatis Parisiensis super quibusdam Erasmi propositionibus: Canum verò lib. 1. de locis Theol. capit. 11. & lib. 12. cap. 9. & Galenum in prolegomenis huius epistolæ. Neque verò (vt hoc repetam) dubitamus an Paulus Apostolus materiam scribendæ huius epistolæ suppeditauerit, ordinemque præscripserit: sed an ipse sit author scriptionis seu compositionis.

QUA LINGVA SCRIPTA SIT HÆC EPISTOLA.

VETVS & vulgata opinio est, hanc ad Hebræos epistolam primum & ab ipso authore Hebraicè scriptam esse. Ita sentiunt inter vetustiores Eusebius lib. 3. hist. ecclesiast. cap. 32. & ante eum Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, & in libris hypotyposeon eodem Eusebio citante lib. 6. hist. cap. 11. Quibus subscribit Nicephorus lib. 2. suæ hist. cap. 46. & lib. 4. cap. 33. Eadem est sententia Theodoretæ & Oecumenij in proœmijs huius epistolæ. Ac denique ferè omnium qui post eos in hanc epistolam commentarios scripserunt; adeò vt ex neotericis nonnulli sententiam hanc certam esse non dubitent affirmare. Mouentur autem omnes vna aut altera ratione, quas Hieronymus, alieno magis quam suo nomine, refert in catalogo scriptorum ecclesiast. de Paulo agens. *Scriptis, inquit, vt Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè: vt ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum; & hanc esse causam quod à cæteris Pauli epistolis discrepare videatur.* Hæc ille, à Clemente & Eusebio mutuatus, apud quos quoad sententiam eadem omnino leguntur. Quod enim hæc non tam suo quam alieno nomine referat Hieronymus; primum ex eo colligitur, quia dubiè & disunctiue loquitur, opiniones referens; vt patet locum inspicienti, deinde, quia non dicit, *Et hæc est causa quod à cæteris Pauli epistolis &c.* sed, *Et hanc esse causam;* vbi necessario supplendum, aiunt, aut quid simile. quomodo loqui solent, qui aliorum sententias referunt. Denique, quia Hieronymus alibi loquens ex sua sententia, diuersum dicit; vt infra videbimus. Illorum porrò opinionem Galenus noster eatenus probat, vt quod illi de Hebræo sermone dicunt, nequaquam de sacratiore lingua veterum

K k

proph-

prophetarum, sed de Syriaca, qua tempore Apostolorum utebantur Iudæi, censeat accipiendum. Vnde & ipse Syriacum textum huius epistolæ, velut à Paulo immediatè profectum, toto commentario sumpsit sibi explanandum. Cum hoc authore sentiunt alij nonnulli; sed argumentis adducti minimè efficacibus. Non aliud enim isti efficiunt, quàm, si detur Hebraicè scriptam esse hanc epistolam, id de Syriaco idiomate (quo Paulus & vniuersa gens Hebræorum tunc utebatur) intelligi debere: quandoquidem ratio non erat, cur Paulus ad Iudæos scripturus, eam linguam eligeret, quæ, tametsi sacra, iamdudum tamen extra vsum scribentium esse cœperat; utpote iam inde à reditu populi è captiuitate Babylonica (quemadmodum bonis rationibus ostendit R. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 15.): ac non potius ea mallet vti, qua passim omnes illius gentis homines loquendo scribendoque utebantur; quo nimirum facilius ac promptius intelligeretur. Hactenus igitur, & non vltius, procedunt eorum argumenta qui contendunt hanc epistolam Syriacè scriptam esse. Quod & de euangelio Matthæi pari ratione videntur euincere. Verùm multa sunt, quæ hanc in vniuersum opinionem, etsi à multis receptam, subsistere non patiantur; ut proinde non alia lingua quaerenda sit huic epistolæ natia, quàm quæ cæteris est epistolis Paulinis, videlicet Græca. Primum, quia sicut in superioribus præmonui, satis res ipsa loquitur, stylum ac dictionem huius epistolæ, non Hebræam sed Græcanicam eloquentiam redolere. Quo argumento Sapientiam Salomonis non Hebraicè sed Græcè ab authore suo scriptam fuisse, Hieronymus probat; quod ipsum & in 2. Machabæorum libro facile est obseruare. Nam quod aiunt ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius fuisse conuersa in Græcum; tale est, atque si quis dicat, ea quæ eloquenter Isaias Hebraicè scripsit, eloquentius ab Hieronymo translata fuisse in Latinum. Etenim fieri non potest ut oratio in alienam linguam transfusa primèquam gratiam ac nitorem vsquequaque retineat, dummodo qui transfert, interpretis metas non excedat. Quin verò, si Hebraicè scripta est epistola; debebant Hebraismi passim apparere in Græca versione, sicut videmus in versionibus prophetarum tam Græcis quàm Latinis. Nam si Paulus in ijs quæ Græcè scripsit identidem Hebraizat; quantò magis in Hebræis? Atqui rariores sunt Hebraismi in hac epistola quàm in cæteris. Vnde planè colligitur, non Hebraicè sed Græcè scriptam esse. Cuius etiam rei nonnulla coniectura est, quòd neque exstat Hebraicè, neque quisquam est veterum qui testetur se vidisse. Nam quòd scribunt quidam exemplar Hebraicum etiam modò alicubi extare; figmentum est, nisi loquantur de Syriaco Hebraicis literis conscripto. Hoc autem non à Paulo scriptum est; sed ex Græco translatum, sicut alia noui testamenti; authore incerto, ac longè post Apostolorum tempora, ac nostra demum ætate Hebraicæ linguæ chara-

cæteribus expressum. Est enim vnus idemque author totius Syriaci textus; qui sicut alibi, sic & in hac epistola paraphrasten interdum agit; neque semper Græca assequitur, imò Græcas voces aliquando retinet, vt in hac ipsa epistola cap. 9. *διαθήκη*, id est, testamentum; eo quòd vim Græci vocabuli, quam vrget apostolus, suæ linguæ vocabulo non posset exprimere; cum alias idem vocabulum, vbi proprietates eius non vrgetur, in Syriacum transferat tam in hac epistola quàm in alijs; scilicet in eam vocem quæ simpliciter pactum aut fœdus significat. Item cap. 9. & 11. retinuit Græcam vocem *αρχὴν*, Latine arcam. Quæ profectò satis sunt ad ostendendum Syriacum huius epistolæ textum quem habemus, non esse Pauli. Sed, vt ad institutum reuertar; ex eo præterea quod in hac epistola scripturæ perpetuò citantur non iuxta veritatem Hebraicam, sed secundum versionem LXX interpretum; non mediocre sumitur argumentum, quòd Græcè sit scripta, non Hebraicè. Quid enim alioqui conuenientius, quàm vt Hebræus ad Hebræos Hebraicè scribens, ex Hebræo fonte testimonia produceret? At Græcè cum scriberet; meritò putauit sibi vtendum testimonijs ex versione Græca, tunc apud fideles receptissima: sicut Iacobus & Petrus fecerunt ad Iudæos in dispersione positos Græcè scribentes. Sed aiunt, Paulum Hebraicè scribentem, testimonia posuisse vt sunt in Hebræo; Græcum verò interpretem pro illis reposuisse Græca, ex versione LXX. At id facillimè refellitur. Primum, quia non est fidelis interpretis ad hunc modum testimonia mutare; neque hoc pacto ea haberemus vt à Paulo scripta sunt, sed vt ab interprete mutata. Deinde cum Paulus in alijs epistolis quas Græcè scripsit ad ecclesias gentium, sæpe numero citet scripturas ex Hebræo; quæ ratio mouit interpretem vt in reddendis testimonijs epistolæ peculiariter ad Hebræos Hebraica lingua conscriptæ, riuum potius sectaretur quàm fontem retineret? Denique, circumstantiæ locorum planè conuincunt authorem citasse testimonia prout nunc sunt in Græco, non autem vt habentur in Hebræo. Cuiusmodi sunt ista ex psalmis, capite 1. *Qui facit angelos suos spiritus.* capite 2. *Minuisti eum paulò minus ab angelis.* capite 10. *Hostiam & oblationem nolusti, corpus autem aptasti mihi, &cæt.* Pro quibus si reponantur ea quæ sunt in Hebræo; non parum enervari passim videbitur vis argumentationis Apostolicæ. Vnde & Iansenius in annotationibus suis ad memoratos psalmorum versiculos, affirmat Apostolum ea testimonia non ex Hebræo citasse, sed vt habentur apud LXX. suo instituto accommodasse. Rursum tale est quòd cap. 10. citatur ex Abacuc: *Adhuc modicum, aliquantulumque, qui venturus est veniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide uiuit. Quòd si subtraxerit se; non placebit anima mea.* Item cap. 11. ex Genesi, *Et adorauit fastigium virgæ eius.* Et cap. 12. ex Aggæo: *Adhuc semel, & ego mouebo nõ solũ terram, sed & calum.* Maximè verò & efficacissimè rem propositam ostēdit *testamenti* vocabulum, *διαθήκη*, ex quo c. 9. probat mortē testatoris intercedere debuisse; quòd aliter ratũ non sit testamen-


tum. Quæ probatio nulla prorsus est, si pro *testamento* reponatur vocabulum Hebraicum *Berith*, quod in Exodo, & apud Ieremiam legitur; vtpote quod tantum in genere fœdus seu pactum significat, nec ad mortem testatoris ullam habet relationem; tamen quædam fœdera sanguine pecudum sanciebantur. Quam rem animaduertens Syrus interpres, vt supra dixi, Græcam vocem eo dumtaxat loco sibi retinendam duxit. Iam his etiam illud ad probationem accedit, quod author capite septimo nomen Hebraicum *Melchisedec* interpretatur *Regem iusticiæ*; ac *Salem* interpretatur *pacem*. Quod nullo modo conuenit si Hebraicè scripsit. Sic enim ineptè eadem vocabula per seipsa fuisset interpretatus. Nec valet quod quidam respondent, pari ratione concludi posse Genesim & Exodum non fuisse scriptos Hebraicè; quoniam Genes. 35. legimus redditam interpretationem nominum Hebraicorum *Benoni & Benjamin*; & Exodi 12. vocabuli *Phasè*. Non enim illæ interpretationes sunt authoris, sed Latini interpretis, qui eas de suo adiecit. Si dicant idem se responsuros de epistola ad Hebræos, nempe Græcum interpretem de suo dictas interpretationes ascripsisse; nequaquam hac responsione euadent. Quod enim ipsius authoris sint interpretationes, apertè monstrat contextus & series orationis: à qua si detrahas ea verba quæ continent interpretationem, sermo non coheret, sed hiulus erit & imperfectus. Argumentatur enim apostolus ab ipsa nominum interpretatione; quemadmodum Chrysostomus ac reliqui Græci expositores annotarunt. Plus habet apparentiæ quod alij respondent, Apostolum fuisse interpretatum nomen compositum, per resolutionem in sua simplicia, in eadem lingua; vt si Latine dicas, *legifer*, id est, *legem ferens*. Quæ responsio valet in composito *Melchisedec*, cuius partes componentes sunt *melec & tisedec*: In simplici autem *Salem*, alia responsio dari potest; videlicet non omnino idem esse nomen quod significat urbem illam, & quod pacem. Illa, *Salem* dicitur: hæc, *Salom*: ita vt locus sit interpretationi. Illud nomen Hebraicè scribitur tribus literis: hoc verò addit quartam. Sed hac vltima nostra ratione ommissa ceteræ profectò quas huc vsque produximus, eiusmodi sunt, vt non solum probabiliter doceant, sed omnino conuincant ac demonstrant, hanc epistolam à suo authore non Hebraicè neque Syriacè, sed Græcè scriptam esse: ita tamen vt materiam quidem vniuersam suppeditauerit, ac rerum scribendarum ordinem præscripserit Apostolus Paulus, sicut antè diximus; ipsa verò compositio & eloquentia sit alterius cuiuspiam, siue Clementis, siue Lucæ, siue alicuius ab his diuersi (de qua re supra) qui sensa Pauli suo sermone, sed eodem spiritu mouente, plenissimè & luculenter expresserit. Hanc sententiam disertè tradit Origenes verbis ab Eusebio commemoratis, lib. 6. histor. capit. 19. & à Nicephoro repetitis libr. 5. capite 16. Nec diuersum sentit Hieronymus; nam in præfatione ad Damasum scripta in quatuor euangelia, generaliter de nouo testamento loquens, sic ait: *Quod Græcum esse non dubium est; excepto Apostolo Matthæo.*

Qua

Qua ex re, id etiam confirmatur quod supra dixi, Hieronymum ex aliena magis sententia, quàm sua, dicere in catalogo, Paulum vt Hebræum Hebræis Hebraicè scripsisse. Porro inter neotericos (vt de Erasmo & Caietano nihil dicamus) eidem sententiæ, saltem vt probabiliori, subscribunt Michael Medina & Cardinalis Bellarminus locis supra citatis. Item Ioannes Hasselanus in huius epistolæ commentarijs nondum excusis ad cap. 9. & 10. Nec ab his dissentire Iansenium declarant eius annotationes in psalmos, quarum paulò ante facta est mentio. Porro veteres qui diuersum senserunt, non tam autoritate quàm ratione, seu coniectura potius, in eam opinionem inducti sunt. Quam quidem rationem ex Hieronymo duplicem superius indicauimus; nempe quod ad Hebræos scripta sit epistola, & quod cæteris Pauli epistolis sit eloquentior atque ornatior. Sed hæc posterior ratio, satis iam refutata manet ex præcedentibus. Nam eloquentiam & ornatum non habet epistola à Paulo, sed ab eo qui compositionis est author. Ad priorem verò rationem respondetur infirmam esse consequentiam: Hebræus ad Hebræos scripsit, ergo Hebraicè scripsit. Hac enim ratione dicendum erit Iacobi, Petri & Ioannis epistolas, & ipsius Pauli vtramque ad Timotheum, item librum secundum Machab. conscripta esse Hebraicè. Sunt enim hæc omnia à Iudæis ad Iudæos scripta. Sed cum vsus Græcæ linguæ quàm latissimè pateret, ac in Syriam quoque penetrasset, ex illo iam tempore quo eam reges Græcorum sibi subiugauerant, adeò vt Hebræi, non solum qui per gentes erant dispersi, verum etiam qui in Syria morabantur, Græcè loquendi consuetudinem paulatim induissent: visum fuit apostolis Græca lingua potius vti in scribendis epistolis, quò passim ab omnibus possent intelligi, quàm ea lingua quam soli intelligerent Hebræi aut Syri. Quæ etiam causa fuit cur Paulus ad Romanos non Latine, sed Græcè scriberet. Nam & apud illos, Græcam linguam vsu receptissimam tunc fuisse, constat. His adde quod nec omnes Iudæi Hebraicè aut Syriacè nossent: Multi enim eorum qui per gentes erant dispersi, non in vsu patriæ linguæ, sed eius quam sonabant homines inter quos versabantur, à primis annis educati fuerant. Vnde etsi Ierosolymam aliquando reuerterentur, linguam tamen suam in qua nati essent, illuc adferebant, Hebraicæ ignari, quod satis ostendi potest ex historia sacra Act. 2. Quo minor fuit Paulo necessitas hanc epistolam Hebraicè aut Syriacè scribendi: quandoquidem non omnes Iudæi, ne quidem illi qui Ierosolymis agebant, eius linguæ consuetudinem haberent.

Kk 3

ARGV-



ARGUMENTVM

HVIUS EPISTOLÆ.

Dvo potissimum in hac epistola agit Apostolus. Partim enim docet quæ Christi dignitas, & quod officium, quæque sacerdotij eius & sacrificij supra Leuiticum excellentia: Partim verò consolatur Hebræos & ad perseverantiam fidei in Christum hortatur, utpote propter Christi fidem varijs modis afflictos ab infidelibus & aduersarijs Iudæis. Et quidem hoc posterius esse proprium huius epistolæ argumentum, arbitrantur expositores Græci. Pro quibus facere videtur quod in fine epistolæ dicit: *Rogo vos fratres, ut sufferatis verbum solatij*, quasi videlicet epistolæ status sit consolatorius. Verum si spectemus exordium epistolæ, totumque progressum; facile apparebit Apostolum in hac epistola principaliter intendere doctrinam; tametsi hoc suum institutum apud homines parum sibi æquos, prudenter dissimulet, ne cathedram sibi apud eos vendicare videatur; præsertim cum Iudæi Paulum pro suo doctore & apostolo non agnoscerent. Cum autem ad eos scribat qui in Christum iam crediderant, eiusque causa multas, ut dixi, persecutiones passi fuerant; non id agit hac epistola ut eis persuadeat Iesum esse Christum & Salvatorem in lege promissum: sed ut ostendat quo loco sit ab eis habendus, quod eius officium, & quale sacerdotium; quo nimirum constituto sacerdotium vetus cum suis sacrificijs omnino cessare iam debeat. Erant enim Iudæi Moysi & ceremonijs legis ita addicti, ut quamuis IESVM pro Messia recepissent, à lege tamen abduci se non paterentur, sed eam cum euangelio miscerent; à Christo quidem exempla virtutum petentes, ac præmia suæ iusticiæ expectantes; ipsam verò iusticiam, legi ac ceremonijs; remissionem autem peccatorum, sacrificijs expiatorijs eadem lege præscriptis, attribuentes. In quo errore destruendo, non hic tantum, verum etiam alibi sæpe, sed maximè epistolis ad Romanos & Galatas occupatur: quibus proinde cum hac epistola magna est argumenti affinitas. Harum enim trium epistolarum, vnus generalis scopus est, docere veram iusticiam non ex lege, sed à CHRISTO per fidem esse petendam. Cæterum id docent, secundum diuersas partes legis: Nam epistola ad Romanos ex lege morali, id est, decalogo iustificari hominem negat; epistola ad Galatas iustificandi vim remouet à ceremonijs. Hæc verò epistola peculiariter id ipsum

de sacri-

de sacrificijs antiquæ legis, quæ ceremoniarum pars erant præcipua, demonstrat. Ad id verò docendum, opus erat Apostolo declarare vim illius sacrificij, cui vetera, tanquam ad iusticiam & peccatorum remissionem inepta, cedere deberent; eius, inquam, sacrificij quod Christus obtulit in cruce. Quod ut faciat, multa præmittit de persona, dignitate & officio Christi sacerdotis. Ut igitur summam eorum quæ in hac epistola traduntur, annotemus; primo capite & duobus sequentibus Christi dignitatem asserit, docens eum esse filium Dei, angelis & Moysæ maiorem. Hinc arripit occasionem grauitè admonendi Hebræos, ut in fide Christi semel suscepta perseuerent; eaque in re immoratur maiori parte 3. & 4. capitis. Transit deinde ad explicandum CHRISTI sacerdotium; docetque eum & à Deo Patre pontificem constitutum, & verè ea præstitisse quæ sunt sacerdotis. Id agit potissimum capite quinto. Sub finem eiusdem, digreditur ad increpandum eos; quòd in primis fidei rudimentis adhuc hærent ut pueri, nec ad perfectiora contenderent. Quod argumentum acrius prosequitur capite sexto, denunciens periculum ne penitus abijciantur, si non studiosè nitantur ad profectum fidei. Post hæc ad institutum redit, docetque CHRISTVM iureiurando constitutum à Deo sacerdotem secundum ordinem Melchisedec. Vnde capite septimo dignitatem eius à persona Melchisedec pulchrè colligit; eiusque sacerdotium Aaronico præstantius esse demonstrat. Octauo capite rationem aperit institutionis veterum sacrificiorum; scilicet ut essent adumbrationes quædam futurorum, ac cælesti prototipo deseruirent; quæ proinde cum vniuerso testamento veteri, nouo iam per CHRISTVM introducto cedere debeant. Prosequitur eandem rem capite nono ac decimo, CHRISTVM ostendens verum esse sacerdotem, qui vno crucis sacrificio semel omnium peccata expiarit, quod vetera sacrificia sæpe repetita facere non poterant. Mox ab eo loco capitis decimi, *Habentes itaque fratres fiduciam*, &cæt. transit ad genus exhortatorium: ac primum adhibet seueram admonitionem, ne talem ac tantum pontificem per infidelitatem abijciant, ut ne diuinam aduersum se prouocent vltionem. Mox tamen eos in spem ac fiduciam rursus erigit, commemoratione bonorum operum quæ per Dei gratiam fecerant. Vndecimum caput totum versatur in laude & commendatione fidei, propositis exemplis Sanctorum Patrum, qui per fidem Deo placentes, magna & mira vel egerunt vel passi sunt. Eam doctrinam, capite duodecimo accommodat instituto, monens Hebræos ut fide muniti in aduersis constantes permaneant; simul utilitatem ostendens flagellorum ac disciplinæ paternæ. Assiduè certè per totam epistolam Apostolus inspergit quæ faciant exhortandis Iudæis Christianis ad permanendum in CHRISTI fide: adeo ut per totam epistolam hoc illi studium sit, eos in fide confortare. Reli-

quum

quum epistolæ constat pijs exhortationibus & præceptis vitæ Christianæ.

Porro quod ad locum attinet, ex Italia scriptam esse ipsa loquitur epistola. *Salutant vos, inquit, ex Italia fratres.* Chrysostomus & alij plerique, Romæ scriptam existimant. Nonnulli addunt è vinculis datam; tum quia pro eo quod capite decimo nos habemus, *Nam & vinculis compassi estis*, in Græco legitur, *vinculis meis compassi estis*; tum quia capite ultimo petit eorum pro se orationes, *quo celerius ijs restituatur*, videlicet è carcere liberandus; ex quo (vt hi quidem intelligunt) iam liberatum scribit Timotheum. Verùm ex illis locis vtrum id statui possit, dispiciemus, quum ad ea exponenda peruentum fuerit. Videtur autem scripta post omnes alias, eodem tamen anno cum postremis, scilicet ijs quæ datæ sunt ad Philemonem, ad Coloss. & ad Philipp. Nam & epistola ad Philemonem, perinde vt ista, spem continet liberationis. *Spero, inquit, per orationes vestras donari me vobis.* Quod autem sit ea cæteris posterior; inde probari putat Baronius, quod in hac scribat (c. 13.) Timotheum dimissum, qui in superioribus adhuc adest Paulo; licet in epistola ad Philippenfes capite secundo promittat se eum missurum. Quæ probatio quantum valeat, expendemus in commentario. Cùm autem ad Hebræos scriptam esse constet; tamen quæri potest, vtrum ad omnes quaqua-versum toto orbe dispersos, sicut scribunt Iacobus & Petrus; an verò ad vnam aliquam eorum ecclesiam, scripta sit. Omnino verisimile est, scriptam esse principaliter quidem ad ecclesiam Hierosolymitanam; tum verò communiter etiam ad cæteras ecclesias quæ in Iudæa erant. Certum enim locum quò perferenda esset epistola designat, cùm ait in fine: *Quo celerius restituar vobis.* Et paulò post: *Cum Timotheo, si celerius venerit, videbo vos.* Quem verò locum, nisi Iudæam? maximè quod ea quæ scribit capite decimo: *Magnum certamen sustinistis passionum &c.* atque iterum: *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*; non in alios potius competant Hebræos, quàm in eos qui Iudæam incolebant; vt ex Actis Apostolorum intelligi potest. Quanquam & huius rei testem habemus ipsum Apostolum Paulum ita scribentem ad Thessalonicenses 1. epist. 2. *Imitatores facti estis ecclesiarum quæ sunt in Iudæa; quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis.* Item argumento est, quod epistolam non ad Iudæos inscribat, sed ad Hebræos. Quamuis enim secundum vsu loquendi vulgarem iidem sint Hebræi qui Iudæi; propriè tamen (quod etiam M. Galenus in huius epistolæ prolegomenis annotauit) Hebræorum nomen sibi vendicabant Apostolorum tempore, quibus Hebræa lingua vernacula erat, vtpote Ierosolymis aut in Iudæa natis aut educatis: quemadmodum probat locus Act. 6. vbi legitur *factum fuisse murmur Græcorum aduersus Hebræos.* Etenim Græci eo loco non intelligun-

tur gentiles (nondum enim gentilibus prædicatum erat euangelium) sed Iudæi extra Iudæam nati; præsertim in partibus Græciæ, camque ob causam *ἐβραῖοι* dicti, quasi Græcistæ, non illo tantum Actorum loco, verum etiam postea capite nono & vndecimo. Qua de re plenius egimus ad illa verba secundæ Corinth. vndecimo. *Hebræi sunt; & ego.* Veruntamen arbitrandum est ita scriptam esse ad Ierosolymitanos hanc epistolam, vt cæteris etiam Iudæis vbique terrarum dispersis operâ eorum qui in Iudæa erant fratrum, communicanda fuerit; quòd videlicet omnium esset, quod ad doctrinam attinet, causa communis. Quò pertinere putant quod Petrus scribens ad eos qui erant in dispersione, testatur etiam Paulum ad ipsos scripsisse. secundæ epistolæ cap. 3. Quod non de alia quàm de hac epistola videtur intelligi posse. Sed de ea re iam diximus in prolegomenis huius epistolæ. Restat vt videamus vnde dicti sint Hebræi. Est enim id huic loco oportunum; tametsi in commentario secundæ Corinth. vndecimo, & Philippenf. 3. eam rem attigimus. Fuere qui vocabulum deducerent ab Abraham patriarcha gentis, vt Hebræi dicti fuerint tanquam Abreï. Sic commentator Ambrosian. super illud Philippenf. 3. *Hebræus ex Hebræis.* Quod & Augustino aliquando placuit, vt libro 1. de consensu euangel. capite 14. Sed ab ea sententia recedit libro 2. retract. capite 16. Ac facilè refellitur, quoniam & ipse Abraham Genes. 14. vocatur Hebræus. Deinde nec deriuatio constat; Nam initiales literæ horum nominum diuersæ sunt, *ἑβραῖοι* & *Ἰβραῖμοι*. Alij non pauci (quorum primus Iosephus libro 1. Iudaicarum antiquitatum capite 6. quem & Hieronymus sequitur in traditionibus Hebræicis super Genes. 10. & alij deinde) deducunt ab Heber, qui septimus antecessit Abraham. A quibus si quæras, cur à progenitore tam remoto, eoquæ obscuro, (nihil enim de eo memorabile narratur) clarissimus patriarcha in sua posteritate nomen acceperit: hanc adferunt rationem: quia in diebus Heber, linguarum facta sit diuisio: qua ex re etiam filio suo Phaleg nomen dedit Genes. decimo. Cæterum in eius familia linguam primigeniam permansisse; quæ proinde ab eius nomine Hebræa dicta fuerit; & Hebræi dicti, qui deinceps ea vterentur, vt Abraham eiusque posteris. Habetur hæc ratio apud Augustinum, cui imprimis probatur libro decimo-sexto de ciuitate Dei capite tertio & vndecimo. & libro decimo-octauo capite trigesimo-nono. necnon apud beatum Thomam in commentario vtriusque loci Paulini paulò antè citati. Fauetque conuenientia literarum in Hebræo, *עבר*. Veruntamen eam rationem argumento non inepto refellunt Theodoretus in questione sexagesima super Genesim, & Paulus Burgensis additione secunda super Matth. 21. Nam si denominarentur Hebræi ab Heber; non solum eos qui ex Abraham descendunt oportebat sic appellatos esse, verum etiam ceteros ab Heber originem ducentes, quamcum-

que terram incolerent, ac nominatim etiam posteros Nachor & Aran, qui in Chaldæa remanserunt, eadem lingua videntes quam, vnâ cum fratre Abraham, à suis progenitoribus acceperant. Atqui eos appellare Hebræos à scriptura alienum est. Nec ipse quidem Abraham prius legitur Hebræus vocatus, quàm è terra sua & cognatione & domo patris sui egressus, in terram Chanaan venisset. Igitur vt ad veram nominis rationem veniamus, dicendum est, Hebræum dici non à nomine cuiuspiam hominis, sed à vocabulo *Eber*, id est, trans, siue vltra. Venerat enim Abraham trans fluuium Eufratem in terram Chanaan. Vnde ab incolis illius terræ Hebræus est appellatus, id est, transitor, siue transfluuialis; Græcè *παραεβραϊστής*; quomodo eam vocem LXX reddiderunt interpretes, Genes. 14. Simile est quod Latine quidam dicuntur, verbi gratia; transyberini, transmarini, transalpini. Indicatur hæc ratio Iosue vigesimo-quarto, Domino dicente: *Trans flumini habitauerunt patres nostri ab initio. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamia finibus: Hebraicè, de eber fluuij, LXX de trans fluuium.* En ipsam rationem etymologicam ob quam Abraham cum sua posteritate dictus est Hebræus. Quò sanè alludere videtur Hieronymus quoties siue de Abraham, siue absolutè loquens, *Hebræum* interpretatur *transitorem*. vt in epistola vigesima-octaua ad Lucinium, & ad Fabiolam mansione trigesima-prima. Itemque in commentarijs Ezechielis sept. & Ionæ 1. Cæterum hanc rationem disertè tradit & pluribus explicat Paulus Burgensis loco superius citato. Sequuntur autem & alij, præsertim Hebraicarum literarum periti. vt Ioannes Reuchlinus libro tertio de verbo mirifico, capite decimo-tertio. Franciscus Ribera in Ionæ 1, ad illud, *Hebræus ego sum*, vbi solidè datam interpretationem confirmat; quam & alibi repetit. Denique hanc esse Rabbiorum communem sententiam testatur Genebrardus libro primo suæ chronographiæ. Non equidem ignoro Theodoretum quæstionè superius citata, aliam quandam rationem adferre: censet enim Abraham dictum fuisse Hebræum à nomine fluminis Euphratis, quem pertransijt quum è Chaldæa veniret in Palæstinam. Hebra namque Syrorum lingua vocari dicit Euphratem. Sed falli putamus Theodoretum, vt vocabulum quod transitum significat, retulerit ad ipsum flumen quod Abraham transiuit. Certè constat Hebraica lingua, qua Abraham ipse & posteritas eius vsa est, Euphratem, non *Hebra*, sed *Perath* appellari. Si quæras, huius nominis amplitudo quos olim fuerit complexa? Respondeo mihi valde probabile esse non ad solam Abrahæ familiam ac posteritatem pertinuisse hoc nomen, neque postea ad solam familiam Israel, vt quidam opinantur; sed quotquot ex Abraham & Loth geniti fuerunt, initio vocatos fuisse Hebræos vnâ cum eorum vernaculis.

Simul

Simul enim Abraham & Loth cum suis familijs, Euphrate transmissis, in Palæstinam venerunt. Sanè nomen illud, tempore Iacob patriarchæ, latius patuisse quàm vt intra limites familiæ eius contineretur, probant illa verba mulieris Genes. 39. *En introduxit virum Hebræum vt illuderet nobis.* Et iterum: *Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti.* Et hæc ipsius Ioseph cap. 40. *Furtim sublatus sum de terra Hebræorum.* Denique illa scripturæ verba cap. 43. *Illicitum est Ægyptijs comedere cum Hebræis, & profanum putant huiusmodi conuiuium.* In his enim, Hebræorum nomen ad solam familiam Iacob, quæ Ægyptijs adhuc ignota erat, restringi nullatenus potest: sed Hebræi dicebantur posterij Abrahæ, Palæstinam aut vicina loca incolentes, qui iam in populos succreuerant, & cum Ægyptijs alijsq; gentibus negociabantur. Verum temporis successu factum, vt appellationis huius possessio simul cum lingua apud solos filios Israël remanserit; cæteris, ob auitæ linguæ neglectum & corruptelam paulatim obrepentem, etiam à nominis appellatione exclusis. Porro sciendum apud Hebræos hoc vocabulum non aspirari: Vnde quidam ex recentioribus Hebræos scribunt, aspiratione reiecta. Verum sanè magis probo morem veterum, tam Græcorum quàm Latinorum, qui *y ain* literam gutturalem, vt eius densitatem sono exprimendam significarent, cum aspirationis nota scribere consueverunt.



IN EPISTOLAM

BEATI PAULI

APOSTOLI

AD HEBRÆOS

COMMENTARIUS.

CAPVT I.

MULTIFARIAM MULTISQUE
MODIS OLIM DEVS LOQVENS
PATRIBVS IN PROPHEtis.

Exordium hoc epistolæ quibusdam abruptum videtur, quod animis Hebræorum nulla salutatione præparatis, irruat in ipsam materiam principalem. Quibus respondendum est, Apostolum, qua ratione nomen sui consulto prætermisit, ut dictum est in præcedentibus, eadem nec salutationem ascribere debuisse. Nam vsus non habet, nec honestatis ratio patitur, ut saluatio cum ijs quæ saluationi solent annecti, mittatur, suppresso nomine salutantis. Est autem exordium, rei de qua tractare instituit, aptissimum; utpote gratæ atque sublimis, quo dignitatem incipit exponere illius, cuius legem, testamentum, sacerdotium, supra Moysen & Aaron, tota epistola commendat. Primum igitur, hoc capite diuinitatem Christi statuit, ostendens eum esse filium Dei, & per hoc angelis longè superiorem: inde probaturus quanto lex Christi præstet legi Moisaicæ, tametsi per angelos ministratæ. Quod ait *multifariam* Græcè est, *πολυτρόπος*, ut si dicas, *multipartitè*. Non enim omnia, nec eadem, omnibus prophetis reuelata sunt; sed, quasi partibus mysteriorum distributis, alia alijs inspirata. Exempli causa: Isaie, partus virginis, & passio Christi; Danieli, tempus aduentus eius; Ionæ, eiusdem sepultura; Malachiæ, aduentus præcursoris. Ac rursum, alijs plura, alijs pauciora. Quod additur *multis modis*, Græcè est *πολυτρόπος*, id est, *multimodè*, *multiformiter*, ut significetur varia fuisse visionum genera, modos, ac formas, quibus illuminati prophetæ ventura prædicerent: velut per somnia, per ecstases, per ænigmata, per figuras, per allocutiones, per apparitiones sensibiles atque corporeas. Breuiter, hoc est quod apostolus dicit; Multipliciter ac varietè Deus olim locutus patribus, id est, maioribus nostris Israëlitis, per prophetas. Porro Moysen in numero prophetarum fuisse, per quos patribus locutus est Deus; nemini dubium est. Itaque statim hæc, in ipso limine,

Moyse in ordinem redigitur eorū qui Christo sunt minores. Verūm id, ne offendant, tacite facit apostolus, ac tantum sub nomine generali. Non enim prius de Moyse quicquā expressè dicendum erat, quā de angelis sermonem interposuisset.

2 NOVISSIME DIEBUS ISTIS LOCVTVS EST NOBIS IN FILIO. Græcè & Syriacè, *novissimis*; quod & in Latinis quibusdam mss. legitur: tametsi non desunt codices Græci, qui hæc legant *εσχάτως*, inter quos Complutensis. Sed alterum videtur potius: Nam & alibi legimus *novissimos dies, novissima tempora, novissimas horas*; per quæ omnia significatur illud tempus, post quod iam non aliud quā mundi finis & aduentus iudicis, sit expectandus; utpote completo primo Christi aduentu, omnibusque mysterijs ad ipsum pertinentibus. Hoc, inquit, nouissimo tempore locutus est nobis per filium suum Iesum Christum. *Filium*, utique non alium quā naturalem. Nam per adoptionem filij fuerant etiam propheta & omnes iusti. *Nobis*, id est, Hebræis, Israëlitis. Ipse enim filius testatur se non fuisse missum *nisi ad oves quæ perierant domus Israël*. Ex quo statim collige, scriptorem epistolæ Hebræum esse, non gentilem; ut vel hinc constet, falsos fuisse qui Clementi Romano eam tribuerunt. Est autem hæc obseruanda multiplex antithesis, eò spectans ut appareat quantum præcellat nouum institutum veteri. Lex enim vetus per prophetas annunciata est, qui non aliud erant quā homines: Lex noua, data per Christum Dei filium ac Dominum prophetarum. Et per illos quidem multifariam locutus est Deus; per filium autem, tanquam per suum ipsum verbum, simpliciter & planè. Multis enim figurarum ac visionum varietatibus obumbranda erat veritas per CHRISTVM patefacienda. Denique, patribus vetera tradita sunt; nobis, noua seruata: quibus aduenientibus vetera merito proijcienda sunt: Veruntamen obserua contra Manichæos, quod non dicit alium Deum locutum fuisse patribus, alium nobis; sed eundem illis,

& nobis:

& nobis: ut intelligamus, vnum eundemque Deum esse authorem vtriusque testamenti. Illud sanè quod ait; *locutus est nobis in filio*: mirifice valet ad benevolentiam prouocandam; quasi diceret: O quanto nos patribus felicitiores! Quā beati oculi nostri, qui viderunt; & aures nostræ, quæ audierunt, ea quæ videre & audire patribus nostris non est datum! Hæc enim ratione suos discipulos Christus beatos prædicat Matth. 13. & Lucæ 10.

QVEM CONSTITVIT HEREDEM VNIVERSORVM. Quo maiorem Christi reuerentiam excitet, illustribus quibusdam ac præcipuis eū encomijs exornat. Ac primum dicit eum à patre constitutum vniuersorum heredem; id est, factum esse omnium dominum. Est enim catachresis in vocabulo *heredis*, idque iuxta morem in scripturis vsitatissimum. Non enim heredem vocat quasi patri demortuo successerit aut successurus sit; sed quod, instar heredis, à patre constitutus sit omnium dominus. Id autem ut quo sensu dictum sit, intelligatur, respiciendum ad alias scripturas, in quibus est huius dominij significatio. velut psal. 2. *Psalmus a me: & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*. & ultimo: *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra*: Ioan. 13. *Omnia dedit ei pater in manus*. & 17. *Dedit ei potestatem omnis carnis*. Itē 1. Cor. 15. *Omnia subiecit sub pedibus eius*. quod & repetitur Eph. 1. & huius epistolæ cap. 2. Quamuis igitur Dei filius vnā cum patre sit omnium dominus ab æterno, quatenus scilicet ab æterno potestatem à patre accepit dominatiuam respectu totius creaturæ: non tamen de eo dominio agitur hoc locò, ut nec in alijs scripturis iam allegatis; sed de dominio quodam quod ei competit secundum naturam assumptam. Appositè autè dicit *heredem*, quia de filio loquitur. At quæres, quorum vniuersorum hac ratione dominus sit Christus? Alij ad personas, alijs ad res referunt genitium *vniuersorum*. utpote, tam in Græco quā in Latino, generis ambigui. Sed qui ad res; longè probabilius sentiūt, ut faciliè docet scripturæ memoratæ: ita tamen ut etiam personæ sub amplitudine rerum comprehendantur. Regnum enim ac dominiū Christi in primis subiectos habet omnes electos, homines & angelos; deinde etiam aduersarias potestates, atque omnes reprobos; ac postremò reliquam omnem creaturam, quatenus ea regno Christi quocūque modo subseruire idonea est. Vnde Chryostomus *heredem vniuersorum* interpretatur dominum totius mundi. Similiter & B. Thomas vniuersalem hanc Christi hereditatem, esse dicit dominationem quam accepit in totam creaturam. Ita & nos exposuimus vocabulum *omnia*, 1. Cor. 15. & Eph. 1. Sed adhuc quæres, quando Christus à patre constitutus fuerit hoc pacto vniuersorum hæres ac dominus. Sunt qui putent id factum post passionem eius & resurrectionem, quando per apostolos

sibi congregare cepit ecclesiam ex omnibus gentibus. Alij factum dicunt tunc quādo *Verbum caro factum est*; quod magis probamus. Sicut enim ille homo ab initio sue conceptionis fuit Christus, propheta, sacerdos; ita Rex & Dominus: tametsi regni ac dominij sui possessionem, ut postea meruit, ita paulatim ac progressu temporis accepit; plenissimè accepturus in secūdo suo aduētū, quādo perfectè ei subijcientur omnes inimici. Responsonem hanc probant illa Petri verba Act. 2. *Dominum eum & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis*. videlicet tunc dominum, quando Christum. Probant etiā Isaie verba, quibus de paruulo nato dicit c. 9. *Et factus est principatus super humerū eius*. Deniq; probant angeli verba loquentis ad pastores, *Quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus*. Luc. 2.

PER QVEM FECIT ET SÆCVLA. Ab humana Christi natura ad diuinam progreditur, ut vtrāque Hebræis suis ob oculos ponat. Nō solū, inquit, eum constituit omnium heredem; verūm etiam (quod est multò maius) per eum ipsum sæcula condidit. *Sæcula* vocat ea quæ 2. Tim. 1. & Tit. 1. dicit *tempora secularia*, id est, longas & continuas tēporum reuolutiones; sed in his omnino cōprehēdi vult atque intelligi res ipsas quæcunq; tēpore mensurantur; id est, mundū & quicquid in eo cōtinetur. Quo sensu rursus infra c. 11. dicit *aptata esse sæcula verbo Dei*. Idē ergo docet his locis Paulus, quod Ioānes initio sui euāgelij, *Omnia per ipsum facta sunt*. Et iterum: *Mundus per ipsum factus est*. Hac autem phrasi qua dicitur Deus per filiū fecisse mundū, non tantū insinuat communis virtus & operatio patris & filij (sic enim etiā filius diceretur per patre fecisse mundū, quod vsus scripture nō admittit; aut certè satis fuisset dicere, *cum quo fecit & sæcula*) sed præterea significatur aliquid simile cū actione artificis operantis per instrumentum. Sicut enim instrumentum ab artifice mouetur ad actionē, non cōtrā; ita filius vim & operationē suam omnem accipit à patre, nō pater à filio; ut proinde filius quodāmodo medius sit inter patrem & creaturā; sicut instrumentū mediū est inter artificem & opus. Quæ tamen cōparatio nō eò trahenda est; ut filium cogitemus patre minorem: Nō enim filius est instrumentum patris; sed quomodo per eū pater operetur, hac instrumenti similitudine ex parte declaratur. Alij, cum Augustino, cōparationem adhibēt ideæ suæ exemplaris in mente repositi, per quod artifex operatur. Sic enim pater per filium operatur, tanquam per ideā in qua rationes sunt omnium agendorum. Quæ expositio quandam habet probabilitatem ex sequentibus.

3 QUI CVM SIT SPLENDOR GLORIÆ ET FIGVRA SVBSTANTIÆ EIVS. Hæc quoque ad superiorē Christi naturam pertinent. *Pro splendore*, Græcè est *ἀπαύρατος*, quod significat *resplendentiam*: quomodo radius à sole resplendet. Vnde nonnulli *deradiationem* vertunt.

L 1

Eadem

Eadem vox est Sap. 7. ubi nos de Sapientia legitur: *Candor est enim lucis aeterna*. Vocatur ergo filius *splendor gloria seu claritatis paterna*; quia lumen est de lumine, sicut de eo ecclesia canit in symbolo. Sciendum est autem, in huiusmodi metaphoris ad res diuinas applicandis, omne id remouendum esse quod est imperfectio- nis. Vnde, ex eo quod *splendor* aut *radius* non exequat lucem à qua diffunditur; non rectè colligat Arius filium esse minorem patre. Non enim ad hoc significandum assumpta est metaphora; sed potius ut quicquid ibi perfectio- nis inuenitur, ad rem propositam applicemus, ijs dumtaxat quæ imperfecta sunt omis- sis. Itaque rectè patres ex eo quod filius dicitur *splendor gloriae patris*, ostendunt eum à patre procedere sine mutatione passionis, fluxu, defectu; & quidem ab aeterno. Sol enim emittens radium nullam patitur mutationem, non fluxum, non defectum luminis. Neque verò radium à se emanat tempore antecedit: imò si sol aeternus esset, radium haberet sibi coaeternum. Quamquam videtur apostolus hoc elogio quo filium vocat *splendor gloriae patris*, potissimum voluisse significare processionem filio propriam, qua nimirum à patre gignitur ut verbum à mente. Hoc est enim, in natura intellectuali, splendorem à claritate, & lumen à lumine procedere. Quae explicatio, verbis à symbolo Nicæno acceptis, hinc vtitur Chrysostomus. Altera metaphora est qua filium vocat *figuram substantiam patris*. Pro *figura* Græcè est *εἰκὼν*; quod alij vertunt *expressam imaginem*, alij *insculptam formam*. Pro *substantia* verò Græcè legitur *ὕλη*; cuius vocabuli in rebus diuinis, apud veteres Theologos, duplex est significatio, sicut & Latina vocis *substantia*. Aut enim essentiam significat; aut substantiam, id est, personam. Quae de re differunt Basilius epistola 43, ad Gregorium Nyssenum fratrem suum, Hieronymus in ep. ad Damasum numero 57. Theodoretus in primo dialogo, & Damascenus lib. 3. de fide cap. 4. & 6. Et quidem Basilius, necnō Gregorius Nyssenus à Theophylacto citatus, & Caietanus in cōmentario, per hypostasim hoc loco personam volunt intelligi; ut filius dicatur character, id est, expressa representatio non essentiae sed personae patris. Nam essentia utriusque eadem est; personae, secundum essentiam similes. Huic sententiae non nihil fauere videtur, quod *ὕλη* in hac eadem epistola cap. 3. & 11. quamvis translaticie, sic tamen vsurpatur, ut magis cum substantia quam cum essentia conuenire videatur. Verba prioris loci sunt: *Si tamen initium substantia eius usque ad finem firmum retineamus*. Verba posterioris: *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum*. At verò alijs plerisque magis placet, essentiam, quam *ὕλη* Græci vocant, hoc nomine significari. Nam hypostasis ad personam significandam nondum quum hæc scriberet Apostolus, erat vsu recepta; vel ipso Hieronymo teste, quum ait in epistola memo-

rata, de tribus hypostasis loquens: *Qui quasi ista apostoli prodiderit? Quis nouus magister gentium Paulus hæc docuit?* Denique addit, totam sæcularium literarum scholam nihil aliud *ὕλην* nisi *ὕλην* nouisse. Quod etiam nū hodie nobis Latinis accidit; quibus *substantia* ferè id est quod essentia; licet veteres, ut dixi, de nomine substantiae non vno modo fuerint locuti. His adde quod Syrus interpres *characterē hypostaseos* vertit *imaginem essentiae*. Iuxta hanc acceptionem substantiae, filius est figura & expressa imago substantiae patris, quia sic patre representat ut essentia seu natura patris in ipso perfectissime reluceat. Vnde non est cōsequens aliam esse patris essentiam, aliam filij; representat enim filius essentiam patris prout in patre est; non prout in seipso: licet eadem sit essentia patris & filij. Quomodo nos Catholici fatemur eucharistiam esse figuram ac signum corporis Christi; cum ipsa sit corpus Christi. Nihil enim vetat idem esse signum sui ipsius, praesertim si seipsum significet ac representet quatenus ratione diuersum est; ut in eucharistia contingit. Sic ergo Filius Dei, secundum apostolum, non quidem sui ipsius est imago, sed *substantia patris*; in quantum eius substantiam (quae eadem in ipso est) aeterna generatione ab illo sibi impressam, perfectissime refert. Nec obstat huic hypostasis significationi alia loquax huius epistolae, quae producta sunt, sed magis conueniunt. Nam in illis translatio non est sumpta à persona, sed à substantia, id est, re per se subsistente, siue ea pluribus comunicabilis sit, siue non. Hoc autem absq; dubio etiā in essentiam cōponit, maxime diuinā. Iam quod nonnulli cōmentatores filium Dei interpretantur *splendorem gloriae patris*, & *figuram substantiam eius*, quia gloria & substantia patris per se ipsam inuisibilis, per filium, velut radium paternae claritatis, & imaginem substantiae eius, conspicienda nobis prebetur; id præter mentem apostoli esse videtur, qui de aeterna filij natura differit; secundum quam filius æquè atque pater est nobis inuisibilis. Tamen verum est, id fuisse congruentissimum, ut filius qui secundum naturam diuinam splendor est & imago patris, in assumpta natura qua nobis visibilis apparuit, patre suum quodammodo videntem nobis exhiberet.

PORTANSQUE OMNIA VERBO VIRTUTIS SVÆ. Contextus sermonis exigebat ut vertetur, *portans*. Græcum verbum *φέρειν* significat ferre, portare, sustinere. Quod postremo modo vertit interpres Syrus. Sentit apostolus Filium Dei, per quem dixerat à Patre facta esse sæcula, eundem omnia quae facta sunt sustinere & cōseruare verbo & imperio suae potestatis; id est, omnipotenti sua voluntate; quod ni faceret, omnia relaberentur in nihilum. Hoc quoque filij elogium, perinde ut superiora, diuinam eius naturam apertissime declarat. Erasmus hinc maluit verbum, *moderari*; quod etsi consequens sit ex eo quod Apostolus dicit (eiusdem enim est rem

conseruare,

conseruare, & moderari seu gubernare): non tamen id proprie ab apostolo significatū arbitror, sed illud quod diximus. Porro quidā ex Latinis significari putat filium esse verbū patris. Sic enim exponunt, *Portans omnia seipso*, qui est verbū virtutis seu verbum virtuosum Patris. Sed refellitur hic sensus ex Græco textu, ubi pro verbo non est *λόγος*, qua voce vsus est Ioannes ca. 1 sui euāgelij; qua & alibi semper vtitur scriptura, cū filium Dei designat; sed est *ῥήμα*; quod eum in scripturis vsus non habet, sed tantum in genere *verbi* significat. Eadē ratione etiam ij refelluntur qui ex hoc loco doceri putant Spiritum sanctū in sacris literis aliquādo vocari verbum filij, sicut filius vocatur verbū patris. Contra quos egimus in 1. festo. dist. 27. Illud tamen non abs re est, quod quidam obseruant verti posse, *verbo virtutis eius*; ut Græcū *ῥήμα* mutato duraxat spiritu prioris syllabæ, ad patre referatur, sicut in parte præcedenti; ac sensus sit, Filium, per quem pater omnia fecit, eadem omnia cōtinere, conseruare & regere imperio ac virtute patris sui: sed ita, ut ea virtus intelligatur etiā cōmunis filio. Quod satis admonet ipsum vocabulū *portandi*; non enim portare potest, nisi vires portandi habeat, licet ab alio acceptas. Hic sensus nequaquam est alienus: tamen si prior expositio, magis recepta.

PURGATIONEM PECCATORVM FACIENS. In Græco plus est. Sic enim habet: *Per semetipsum purgatione facta peccatorum nostrorum*. Cōsonat editio Syriaca, nisi quod pronomen *nostrorum*, non addat. Hic itā à diuina Christi natura ad humanā apostolus redit; simul hac parte cōplectens summam argumenti totius epistolae. Christus enim, ut homo, passione sua remissionem & abolitionem omnium peccatorum nostrorum promeruit; ac pro ijs plenissime satisfecit, offerendo semetipsum Deo Patri pro nobis in sacrificium. Quod significat illa particula, à Græcis interpretibus diligenter expensa *per semetipsum*: q. d. *Non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem peccata nostra purgauit; & aeternam nobis redemptionem inuenit*: ut infra dicitur cap. 9. Atque in hoc argumento totam epistolam versari præcipue, diximus. Dicuntur autem *purgari peccata*, phrasi scripturæ; quando homines à peccatis purgantur: quomodo & illud Isaia 1. intelligendum est: *peccata vestra quasi nix dealbabitur*. Ita lepra mundari, morbus sanari dicitur. Sic & Dauid precatur psal. 17. *Deus illumina tenebras meas*, id est, mentem meam depulsis ignorantiae tenebris illumina. Latine quoque dicitur quis crimen obiectum purgare, id est, diluere.

SEDET AD DEXTERAM MAIESTATIS IN EXCELSIS. Postquam, inquit, purgationem fecit peccatorum nostrorum, ascendit in cælum, ibique sedet ad dexteram maiestatis. Ita Chrysostomus & ceteri. Quod in quibusdā codicibus Græcis legitur, *in dextera throni maiestatis*; additio facta est ex c. 8. huius epistolae, ubi sic habetur: *Qui consedit in dextera sedis*

magnitudinis in cælis. Ex quo loco etiam admonemur id quod hinc dicitur *in excelsis*, idem esse quod *in cælis*, siue *in cælo*. Cum enim cæli in Hebræa lingua tantum plurali numero dicantur; sepe fit ut sacri authores etiā qui Græcè scripserunt, Græcam vocem efferat eodem numero; ut Lucas Act. 7. *Video cælos apertos*, id est cælum apertū. Porro idem locus c. 8. ostendit interpreti nostro eadem esse *sedes & consedit*; cū vtrumque vertat ex eodē verbo Græco præteriti temporis, *ἐκάθισεν*, quo tamen non ita præterita sessio significatur quā permanens & cōtinua: quomodo qui mensā iā assident dicuntur consedis. Sentit itaq; Paulus, Christum consedis atque etiamnum sedere ad dexteram maiestatis seu magnitudinis in excelsis; id est, ad dexteram Dei, in eo loco ubi magnitudinē suā & gloriam Deus ostendit, hoc est, in cælo. Repetit idem præteriti temporis verbum apostolus, de Christo loquens, infra cap. 10. & 12. Tale est & illud Marci 16. *Sedit a dextera Dei*. Legitur etiam Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt*, id est, (ut alij vertunt) *sedent sibi & pharisæi*. Est autem in vocabulo *sedendi* hoc loco metaphora, qua significetur vel iudicaria potestas; Nam Christus iam cōstitutus est à Deo patre iudex omnium secundum scripturas, etsi nōdū iudicat, sed, uti symbolum nos docet, *Inde venturus est iudicare vivos & mortuos*: vel illa Christi metaphorica sessio quietā felicitatis & regni quod adeptus est, possessionem designat. Nam eō spectabant filij Zebedæi, quado petebant ut Christo assiderent in regno, Marci 10. Satis etiam cōstat ex eodē fidei nostræ symbolo, quæ admodum & ex alijs scripturæ locis, hanc sessionē attribui Christo ut homini; sicut & alia quæ in symbolo hinc articulum præcedunt, necnō id quod proximè sequitur: *Inde venturus est*. Vnde per hoc quod dicitur *sedere ad dexteram Dei*, proprie non significatur eū esse Deo patri æqualem. Sic enim & Pater ad dexteram Filij sederet, & Spiritus sanctus ad dexteram vtriusque; Imò sic Filius ab aeterno sederet ad dexteram Patris: Quæ omnia sunt præter sensum scripturæ, & à symbolis fidei nobis ab ecclesia traditis, dissonant. At neque significari videtur assumptio naturæ humanæ in hypostasin diuinam: Id enim factū est, quādo incarnatus est Christus, non postquā ascendit in cælum. Sed ad dexteram Dei sedere dicitur, quia secundum naturam assumptā quietus iam possidet summam illam dignitatem & gloriam regni, quam habet supra omnem creaturam, proximus Deo. Hoc enim est quod Patres non solū Christo homini, sed etiā ipsi naturæ eius humanæ passim tribuunt, dicentes eam eleuatam esse ad cōsessum dextere Dei. Quodq; in festo Dominicæ ascensionis infra actionē à sacerdotibus dicitur in hæc verba: *Diem celebrantes quo Dominus noster unigenitus filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloria tua dextera collocauit*. Hoc ipsum significare voluit B. Stephanus, quando dixit se videre *filium hominis*,

L 1 2

id est,

id est, Christum secundum naturam humanam, *stantem à dextris Dei*. Act. 7. Denique eam rem dilucidè probat ipsa phrasia, *ad dexteram Dei*. Nò quod, ut quidam putant, apud antiquos finister locus in còfessu vel incessu fuerit honoratior dextro: ut qua ratione Christus sedet ad dexteram Dei, vicissim intelligatur Deus sedere ad sinistram Christi. Quod nullo modo còcedendum est. Quàvis enim illa fuerit olim honoris còsuetudo Romanis, quibus sinistra vocabatur interior, dextera exterior; ut bene docet ex Latinis authoribus Antonius Nebrissensis, & Ioanes Geropius: non tamè idem cèsendum de alijs populis, præsertim Ægyptijs & Hebræis, qui Romanis antiquitate longè superiòr. Apud hos enim dextram fuisse honoratiorè vel ex sacris literis discere licet. Nà Gen. 48. Ioseph filium suum maiorè natu collocat ad dexteram tanquàm digniori loco; minorè verò ad sinistram. Quem ordinè studio commutans Iacob, quòd minorem maiori præferre veller, dexteram suam minori, sinistram maiori benedicturus imposuit. Ita Matt. 25. oues statuuntur à dextris, hædi à sinistris. Et Marci 10. filij Zebedæi postulantes à Christo sibi dari ut alter ipsorum ad dextram eius, alter ad sinistram sederet in gloria eius; utique dextram priori loco nominant, velut digniorem.

Dices: ergo Christus, cū sedeat ad dexteram Dei, Deum honore antecedit? Minimè verò. Non enim Deum respicit tanquàm sinistram (quod iam exclusimus) sed tanquàm medium, excelso ac regio throno collocatum, ceterisque omnibus digniorè: cui, qui sit honore proximis, ad dextram affideat. Sic enim oues statuuntur ad dexteram iudicis: & filijs Zebedæi respondetur, alios ad dextram Christi sessuros, alios ad sinistram, scilicet eos quibus id præparatum est à Patre. Nec secus accipiendum quod psal. 44 scriptum est: *Assis regina à dextris tuis*. Et quod 3. Reg. 2. legitur Salomon matrem suam sibi ad dexteram collocasse; scilicet ut primo & honoratissimo post regem loco. In hanc ferè sententiam doctè & disertè rem istam explicat in suo commentario Franc. Ribera. Nos quoque eandem dedimus explicationem ad similia loca scripturæ, Rom. 8. & Ephes. 1.

TANTO MELIOR ANGELIS EFFECTVS, QUANTO DIFFERENTIVS PRÆ ILLIS NOMEN HEREDITAVIT. Planius ex Græco: *Tanto potior seu præstantior factus angelis, quanto excellentius &c.* Quod hinc differentius, cap. 8. vertit melius: *Nunc autem, ait, melius sortitus est ministerium*. Non còtentus apostolus Christum prætulisse prophetis, inter quos Moyses; nunc eum ipsis etià angelis anteposit. Siquidè & per angelos olim locutus est Deus patribus; & angelorū ministerio legè eis dedit. Est autem tacita collectio ex parte præcedenti. Si enim sedet Christus ad dexteram Dei; igitur & angelis prælatus est. Quem enim rex ad dexteram suam collocat, alijs omnibus anteposit, ut ià ostensum est. Huius collectionis vim infra explicat, ubi dicit nulli angelorū aliquando dictum esse

à Deo, *Sede à dextris meis*. Alioqui, in ipsa hac sententia proprium argumentum continetur, ductum à nomine filij Dei. q. d. Filius Dei est; ergo multò maior angelis. Dicitur autem hoc nomen hereditasse phrasia scripturæ, quia illud velut propriū ac iure debitum obtinet atque possidet. Neque enim placet Erasmi versio, *sortitus est*: Nam etsi hereditas Græcis à sorte dicitur, significatio tamè & proprietates vocum est diuersa; præsertim cū phrasia ipsa non à Græcis ducta sit, sed ab Hebræis. Cæterū offendit quosdam prior sententiæ pars, *tanto melior angelis effectus*; tanquam hic sermo aut Arianis faueat, qui filium Dei factum dicunt, & inter creaturas reponunt; aut Nestorianis, qui Christum meritis suis id consecutum asserunt, ut fieret filius Dei. Hic igitur inter alios vnus est locus, ex quo cœperunt ansam aduersarij minuendæ autoritatis huius epistolæ. Sed prorsus iniquè. Nam pari ratione Ioannis euangelio detraheretur autoritas; cū in eo legamus à Baptista tertio repetitum de Christo, cap. 1. *Ante me factus est*. Porro cū Græcum verbum vtriusque loci non solū significet fieri, sed etiam, esse; existimat Stapulensis apud Ioannem ita vertendum; *Ante me fuit*; & hoc loco, *tanto melior angelis cū sit, quanto &c.* Quæ si bona est versio; iam per se euanciscit obiectio sumpta ex verbo *factus est*. Verum id quod apud Ioannem est, eo modo verti non posse, bene probat Iansenius cap. 16. Còment. euang. ex eo quod ibidè sequitur, *quia prior me erat*. Nugaciter enim dixeris, *Ante me fuit*, quia prior me fuit: cū idè non sit ratio sui ipsius. Est igitur alius sensus tã à Græcis quàm à Latinis redditus: *Ante me factus est*, id est, mihi prælatus, quamuis post me venerit. Ita & hoc loco, *maior angelis factus*, id est, tanquàm maior & excellentior præ angelis honoratus; aut, ut Theophylactus post Chrysostomum exponit, maior angelis declaratus. Iuxta què sensum, respicit apostolus ad glorificationem Christi quam sua passione promeruit; qua nimirum ut verus Dei filius ubique fuit prædicatus & agnitus; eodem apostolo testante Phil. 2. *Propter quod & Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen &c.* Tertium sensum huc adfert Caietanus, dicens Christum secundum quod est homo, meliorè angelis effectum, inquantum personaliter effectus est filius Dei, Deus, & dominus atque creator cælorum. *Eadem enim*, inquit, *factione, qua verbum factum est caro, homo factus est Deus personaliter*. Què còmentarium accepisse videtur ex Aquinate, qui Christum meliorem angelis factum interpretatur propter vnionem humanæ naturæ ad diuinam; inquantum per illius vnionem, ut ait, factionem ad hoc peruenit ut esset filius Dei. Christum verò *nomen illud hereditasse*, Caietanus quidem exponit, per vnionem; Aquinas autem, per naturam, atque ab æterno: propterea quod hereditas naturalè originem consequatur. Hic còmentarius, etsi subtilis, habere tamè videtur aliquid offensionis. Nò enim còcedunt Theologi hominè esse factum Deum aut filium Dei;

sicut

sicut concedunt & docent, Deum & Dei filium factum hominem, iuxta illud: *Verbum caro factum est*. Quæ ipsius etià B. Thomæ doctrina est 3. p. q. 16. ar. 7. Quare retinendus est prior sensus; maxime quòd ille textui magis congruat, ut significetur tunc Christum angelis maiorè effectum, id est, excreuisse supra angelos in hominū æstimatione & fide, postquam cœpit sedere ad dexteram Dei. Nam & Baptista simili sensu dixit: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Ad idem tempus aptissime refertur hæreditatio nominis. Nam possessione nominis filij Dei, velut iure debiti, tunc sibi vendicauit Christus, quando eo nomine cœpit apud homines palam & passim agnosci.

5 CUI ENIM DIXIT ALIQVANDO ANGELORVM? Id est, Cui angelorum legitur Deus vsquam dixisse hoc quod sequitur,

FILIUS MEVS ES TV: EGO HODIE GENVI TE. Locus est notissimus psal. 2. Nò probat apostolus Christum hereditasse, id est, apud homines consecutum hoc nomen; id enim satis docebat experientia prædicati & crediti euangelij: Sed probare vult, illud nomen ei verè còpetere, & quidem præ angelis. Id autè facit hac parte, & deinceps vsque ad finem capituli. Ex hoc loco docet Chrysostomus hom. 22 in Gen. 6 angelos nusquam in scriptura vocari filios Dei. Cui si obijcias scripturam Iob 1 & 2. ubi filij Dei, id est, angeli, venisse dicuntur, ut *assisterent coram Domino*. & cap. 38. ubi de iisdem dicitur: *Et iubilarent omnes filij Dei*. Et illud psal. 88. *Quis in nubibus aquabitur Domino, similis erit Domino in filijs Dei*, id est, inter angelos? Pro Chrysostomo responderi poterit, eū loqui de scriptura iuxta versionem quæ tunc illi erat in manibus, scilicet interpretum LXX. quæ, etsi hodie in quibusdam codicibus habeat *filios Dei*; in alijs tamen legitur *angelos Dei*, dumtaxat in locis ex Iob adductis; ut omnino verisimile sit etiam Chrysostomum ita legisse. Versiculum autem psalmi, in quo omnes codices legunt *filios Dei*; fortassis intellexit de hominibus, quomodo nò solūm Euthymius Græcus exposuit, verum etiam alij ex Hebræo interpretati sunt. At tamen cū ex originali còstet angelos in libro Iob vocari filios Dei: non poterit absolutè sententia Chrysostomi defendi, qua negat vsquam in scripturis id reperiri. Nec pro eo facit hic locus Apostoli, quasi sentiat nullum in scripturis extare locum, ubi angeli vocentur filij Dei. Nam quid mirum angelos eò nomine vocari interdum; quando illud toties hominibus attributum legitur in scripturis vtriusque testamenti? Sed sensus est: *Quis angelorum tam excellentis est naturæ aut dignitatis, cui dictum aliquando legatur à Deo, Tu es filius meus?* nimirum singulariter ac peculiariter: quomodo hoc à patre dici solet filio, quem de se genuit, maxime si sit vnigenitus. Etenim si diues aliquis plures sibi adoptasset filios, sed vnicum haberet filium naturalem; huic vni & soli diceret, *Filius meus es tu*; præsertim si & illud adderet,

quia ego te genui. Quamquàm non est necesse sic interpretari apostolum (quod facit Caietanus) quasi tantum velit rorū illud, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, esse angelis incommunicabile, nò autem priorem partem seorsim sumptam; quandoquidè, ut ait, etià de populo Israël litico dixit Deus: *Primogenitus meus Israël*, Exodi 4. Sed id nò est dicere cuiquam singulariter, *Filius meus es tu*, quomodo locum hinc citatum ostendimus intelligendum. Iam quòd additur, *Ego hodie genui te*, ad æternam filij Dei generationem pertinere plerique existimant, Augustinum secuti. Nà æternitas optimè denotatur aduerbio *hodie*, quo præsens dies significatur; quia æternitas vnus dies est, idemque totus semper præsens, in quo non est aliud post aliud, sicut in nostro tempore. Secundum hunc igitur intellectum, Deus pater non tantum significat se filium genuisse ab æterno; sed se eum gignere immutabiliter in tota æternitate. Et tamen in vtriusque verbo præteriti temporis, *genui*; ut, quamuis præsentem, tamen perfectam intelligas generationem, qua filius Dei semper & gignitur & genitus est; quemadmodum lumen in aère perfectum est, & tamen semper à sole procedit. Hac enim similitudine rem explicat B. Thomas. Sensum hunc flagitare videtur particula præcedens, *Filius meus es tu*; frequens enim est in psalmis vt posterius membrum versiculi, sit repetitio quædam & explicatio prioris. Quod quidem in præsentis versu verba etiam ipsa videntur exigere. Porro alij aliter hanc partem interpretantur. Nonnulli quidem de temporali Christi generatione qua ex virgine natus est, vt Athanasius, Fulgentius, Theodoretus & Euthymius; quibus & Genebrardus applaudit. Secundum quos *hodie* significat tempus vitæ præsentis; sicut & infra ca. 3 & 4 exponitur in illo versu, *Hodie si vocem meam audieritis*. gignere autè secundum eundem hanc sensum est producere quocumque modo; non enim Deus Christum vt hominem de sua substantia genuit. Ea tamè generatione factum est, vt ille homo esset Dei filius naturalis. Rursus alij còtendunt intelligi oportere de resurrectione Christi ex mortuis; quoniã ad eam comprobandam idem apostolus Act. 13 in còsione ad Iudeos habita, citauerit hunc psalmi versiculū, dicens *Deum adimplese promissionem patribus eorum factam, quando resuscitauit Iesum; sicut & in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; id est, ad vitam te reuocaui. Nà & alibi resurrectionem scriptura regenerationem vocat; vt Matth. 19. & propter resurrectionem Christus appellatur primogenitus mortuorum Col. 1. & Apoc. 1. Hic igitur sensus alibi monstratus à Paulo, nisi etiam hoc loco recipiatur; aiunt viã patere calumniæ eorum, qui negat hanc epistolam vel Paulinam esse, vel sacrã; quòd eius author non eodem sensu quo alibi Paulus, & per eum Spiritus sanctus; propheticum testimonium protulerit. Adducuntur autem pro hoc sensu Origenes, Hilarius &

Chryostomus in suis psalmorum enarrationibus, & Ambrosius lib. 3 de sacramentis cap. 1. Quibus accedunt Salsboldus, Iansenius, alijque ex neotericis. Denique sunt qui hanc particulam ita exponant; *Hodie genui te*, id est, nunc postquam ad dexteram meam collocatus es, filium meum te esse mundo manifestavi, scilicet per euangelij propagationem. Neque ab hoc sensu alienus est Iansenius. Nam post alia dicit in annotatione ad hanc partem psalmi, vltimum esse, vt tunc aliquis fieri quippiam dicatur, quando talis incipit agnosci & mundo patefieri. Id verò quoniam in Christo cepit impleri post eius resurrectionem, ac multo magis etiam post ascensionem in celum; inde est quod, iuxta hunc sensum, toto eo tempore pater eum genuisse dici possit, initio facto ab ipsa resurrectione, per quam corpore glorificatus, cepit etiam paulatim mundo inclarere, ac velut in possessionem nominis, quo Filius Dei vocatur, induci: vt resurrectio quidem respondeat morti quam passus fuerat; exaltatio autem & celebritas nominis compenset ignominiam crucis. Atque huc pertinere volunt locum ad Rom. 1. vbi Christus, iuxta Græcorum expositionem, dicitur declaratus esse *Filius Dei in virtute per resurrectionem ex mortuis*. Quæ quidem omnia satis ostendunt, postremum hunc sensum, qui tamen à tertio non est omnino diuersus, haud longè reijciendum esse. Cum igitur hic sensus ipsam quoque resurrectionem Christi complectatur, velut initium temporis, de quo psalmista dicit, *hodie*; nihil verat quo minus etiam Actorum locus ad istum modum intelligatur. Si enim pater filium genuit glorificando eum in se & apud homines: igitur ante omnia à morte eum resuscitauit; maximè cum se resuscitandum ipse prædixisset.

Mouetur hinc à nonnullis quæstio num versiculus ille ac totus psalmus scriptus sit ad litteram de Christo, an de Dauide, quatenus typum Christi gessit. Nos ea altercatione nunc seposita, tantum id adijcimus, si ad litteram de Dauide scriptus est (quod cum Iansenio alij quidam non putant improbabile) magnum inde sumi argumentum, pro sensu nouissimo quem dedimus. Nam si de Dauide interpretaris; sensus erit, eum postquam in regem Israël fuisset euectus, & in monte Sion regiam sibi collocasset; introducere Deum sic ad se loquentem: Ego te in filium meum peculiarem recepi, ac veluti genui, quando te ex obscuro loco ad tantam dignitatem & gloriam prouexi. Qui typus vt Christo congruat; aptissimus erit sensus; *Filius meus es tu*, quem nouo quodam modo rursus hodie genui, quando te mortuum & ab hominibus reprobatum, ad vitam immortalē suscitavi, & ad tantam gloriam extuli, vt te filium meum esse, cæli, terræque dominum, & regem super Sion montem sanctum meum, id est, super ecclesiam constitutum, omnes agnoscant. Verum hinc occurrit scrupulus: Nam si hæc ad Dauidem

dicta rectè secundum litteram accipiatur; iam quod de angelo negat apostolus, de puro homine concedemus dictum ei esse à Deo: *Filius meus es tu* &c. Breuiter responderi posset, nec ipsi Dauidi dictum esse, nisi quatenus gerebat typum & imaginem Christi. Quo remoro, nequaquam tam magnificis titulis fuisset à Deo honoratus. Quale est & illud psalmi 88. vt nonnulli existimant, de Dauide scriptum ad litteram; *Ipsè inuocabit me, Pater meus es tu: Et ego primogenitum ponam illum*. Actalia quidem plura sunt in scriptis prophetis. Denique hæc responsio confirmatur ex altero scripturæ testimonio, quod ad eandem rem consequenter adducit apostolus.

ET RVRSUM: EGO ERO ILLI IN PATREM; ET IPSE ERIT MIHI IN FILIUM. Sensus est: Item, de quo angelorum legitur aliquando Deus pater dixisse; Ego ero ei Pater, & ille erit mihi filius: Sic enim exponendus est Hebraismus, *in patrem, in filium*. Non quod Paulus Hebraismus affectet hoc loco, tanquam ad Hebræos scribens; sed quia testimonium ipsum sic habet, non solum in Hebræo, verum etiam in eo quod LXX verterunt, quos in citandis scripturæ testimonijs hinc assidue sequitur. Leguntur hæc verba dicta ad Dauidem 2. Reg. 7. Sed quæritur de quo dicta secundum sensum literalem & historicum; vtrum de Salomone an de Christo. Quidam ita referunt ad Christum vt ad Salomonem nullo modo pertinere credant. Idque conuincere se putant ex ipsis verbis quibus Dauidem Deus alloquitur. Primum enim dicit: *Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te*. Constat autem Salomonem non fuisse natum post mortem Dauidis, sed multo antè; quin etiam viuentem Dauide vinctum fuisse in regem. Dicit deinde: *Stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum*. Quod & postea alijs verbis repetit. Atqui regnum Salomonis statim, in filio eius, decem partibus diminutum, tandem in Sedecia fuit extinctum. Tertio dicit: *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul*. Quod de Salomone non apparet, qui cultu Dei derelicto, adeò grauiter peccauit, vt de eius salute meritò dubiteretur. Authores huius sententiæ sunt Lactantius lib. 4 diuinarum institutionum cap. 13. & Rupertus lib. 2. in libros Reg. cap. 30. & inter neotericos Sixtus Senensis, Catharinus, Salsboldus, Galenus atque alij nonnulli. Porro diuersum docent Aquinas, Liranus, Abulensis, Caietanus & Franciscus Ribera; quorum sententia nobis etiam maximè probatur, vt quam verissimam esse, ex ipsa scriptura liquidò constet. Cum enim Dauid Deo templum extruere vellet; idque facere prohiberetur quod multum in bellis fudisset sanguinem: promittit ei Deus filium qui id faciat, cum ait: *Ipsè adificabit domum nomini meo*. Qui profectò secundum litteram non alius est quam Salomon. Vnde lib. 1 Paralip. cap. 22 & 28 hæc de Salomone

ad se

ad se dicta esse, Dauid ipse apertissimè declarat; vt nullus sit relictus dubitandi locus. Quando & Salomon ipse promissiones has ad se spectare, non semel affirmat, vt 3 Reg. 5 & 8. 2 Par. 6. & psal. 131. Vt non hoc etiam addam, nullo modo in Christi personam competere quod in ijdem Domini ad Dauidem verbis habetur: *Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum* &c. 2 Reg. 7. Nec est quod quis tergieretur, & dicat ea faltem verba quæ hinc ab apostolo citantur, *Ego ero illi in patrem* &c. ad Salomonem non pertinere. Nam ea ipsa disertè Salomoni Dauid attribuit in vtroque loco 1 Par. iam allegato. Restat ergo vt argumenta prioris sententiæ diluamus. Ad primū respondeo verba illa: *Suscitabo semen tuum post te*; non de exortu seu natiuitate filij accipienda esse, sed hunc habere sensum: Postquam obdormieris, suscitabo filium tuum in regem qui tibi succedat, eique regnum stabiliam. Quamuis enim Salomon ante patris obitum & natus fuerit, & patris in regno successor designatus; regnum tamen illi confirmatum & stabilitum non fuit nisi patre mortuo. Vnde 3 Reg. 2 statim post commemoratam Dauidis mortem dicitur: *Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui*. Et cap. 3. *Cōfirmatum est igitur regnum in manu Salomonis*. Secunda obiectio tribus modis solui potest. Primum, si dicamus promissionem illam perpetuitatis regni, fuisse suspenfam à conditione, si perseueraret; Salomon & posteris eius in cultu & obedientia Dei. Quæ conditio alijs in locis exprimitur, vt 3 Reg. 8, 1 Par. 28. & psal. 131. Altero modo; si, quod in scriptura veteris testamenti frequens est, sempiternum pro longo tempore positum dicamus; vt pro sæculo vno aut pluribus. Tertia solutio est, eaque cæteris melior ac bene notanda: Regnum Dauidis ac Salomonis stabilitum esse à Deo vsque in æternum, quatenus illud temporale tandem in spirituale commutatum est; quando scilicet ex illis natus est Christus, collocandus *super sedem Dauid patris sui, & regnaturus in æternum*. Luc. 1. Ex his etiam patet vltimi argumenti solutio. Non enim abstulit Deus misericordiam suam à Salomone, sicut à Saule, quantum attinet ad regni durationem: tum quia Saulis regnum ferè statim vt mortuus est, ab eius stirpe fuit ablatum, Salomonis autem regnum in eius posteritate diu permansit; tum verò, quia regnum; Salomonis in eius semine, quod est Christus, æternum permanet. Cum ergo planum atque perspicuum sit memoratam scripturam historico sensu de Salomone loqui; consequens est eam ad Christum non nisi mystico sensu pertinere. Cui tamen non omnes eius partes aptandæ sunt, sed ea tantum quæ sunt sublimius dicta. Nam à Christi persona alienum esse illud: *Qui si iniquè aliquid gesserit*; ià superius admonui: nisi quis secundum regulam primam Tychoonianam (de qua August. lib. 3 de doct. Christi.

cap. 31) etiam illam partem Christo accommodet; vt in capite membra intelligantur. Quod verò Liranus & Abulensis alijque nonnulli scripturam de qua agimus, tam de Christo quam de Salomone ad litteram interpretantur; abque ratione faciunt; quandoquidem sensus mysticus non minus est proprius ac verus, verèque intentus à Spiritu sancto, imò magis etiam ac principaliter intentus, quam literalis. Vnde nobis admodum probabile est, nullam esse scripturam in quam plures simul historici seu literales sensus concurrant: cum oporteat semper alterum sensum in altero fundari, solus autem ille literalis sit in quo alius alijue fundentur. Igitur citati ab apostolo testimonij, hic quidem de Salomone sensus est literalis; Ego illum paterna cura fouebo, multumque beneficijs cumulabo; magnum & illustrem apud homines reddam; vt si pater filium quem summo opere diligit, omni studio euehat ad opes, honores & dignitates, omnique scientiarum genere instructum curet. Qua ratione Salomon etiam *Isida*, id est, dilectus Deo vocatus est, 2 Reg. 12. Mysticus verò, de Christo, sensus est: Ego ero ei verè & propriè pater; & ille erit mihi verè ac propriè filius: vt pote naturalis, ac de mea substantia genitus; eumque, vt talem, immensis honoribus augebo, omnique charismatum & scientiarum genere absolutum reddam; omnia denique daturus in manus eius. Dicit autem, *ero & erit*, non quod ab æterno non sit ille pater, hic filius; sed quia mysterium hoc antea latens & paucis cognitum, tunc patefaciendum erat, quando Christus inciperet ædificare domum, id est, ecclesiam congregare patri suo; quando & æteræ partes promissionis impleri cœperunt. Poterat hinc obijci: Si literali sensu verba illa competunt in Salomonem; quale est argumentum apostoli. De nullo angelorum hoc dictum est; ergo Christus est maior angelis? Sed hunc scrupulū iam antè remouimus, in explanatione testimonij præcedētis. Nunquā enim hæc tam grandia & magnifica de Salomone diceretur, nisi in eo velut typo quodam & imagine, Christus fuisset præsignatus. Est enim bene notandum, ferè vbicūque in scripturis aliquid dicitur secundum historiam, quod literæ modū excedit, ac fidem humanā superare videtur; huiusmodi sermone nos inuitari ad inuestigandum sensum aliquè reconditum; velut de Christo ac regno eius, aut regni eius aduersarijs. De Christo quidem & regno eius, complura talia sunt in scripturis, præsertim in psalmis. De diabolo Christi regni; eius aduersario, insigne exemplū est apud Iob cap. 40, vbi *Behemoth & Leuiathan*, id est, elephas & balæna literalis sensu pulchrè describuntur: sed eā figurarum hyperbolā, quæ cogit lectorem aliquid maius querere, quod sub illo verbōrum cortice lateat; sicut fecerunt Gregorius & alij. Sed iam superest, vt Caietano respondeatur, qui, inter alia, adducit hunc epistolæ locum, quo probet eam nec Pauli esse, nec diuinæ

L1 4

autho-

authoritatis; propterea quod huius allegatio testimonij sit parum efficax ad probandum. Minus, inquit, decet in re tanta tantum apostolum vti ali argumentum: cum potuissent Hebraei facile respondere, quod non de filio Dei, sed de puro homine, & qui potuit peccare, & de facto postea peccauit, dicta sint haec verba à Deo per Nathan ad Dauidem. Vnde ex tali filiatione non probatur superioritas ad angelos. Vti autem his verbis in sensu mystico, minorem reddit authoritatem probantis, praesertim in principio epistolae, & apud Hebraeos. Hæc ille. Ad quæ respondeo, nos fateri quod ex sensu mystico procedat hæc apostoli probatio, sicut paulò antè docuimus; neque tamen per hoc minuitur authoritas probantis. Alioqui nusquã huiusmodi probatione vtendum esset. Quod tamen apostolus Paulus alibi fecisse manifestum est; vt 1 Cor. 9. & 1 Tim. 5. dicitur illud ex Deut. Non alligabis os boui trituranti. & 1 Cor. 8. vbi allegat illud Exodi, Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit. Et apertissime ad Gal. 4. vbi profertur se historiam de duobus Abrahe filijs secundum allegoriam exponere. Taceo quæ euangelistæ iuxta mysticum sensum testimonia protulerunt. Neque enim existimandum est, infirmam aut inutilè toto genere esse argumentationem ex sensu mystico ductam; sed ita demum, si vel sensus ille sit dubius, vel ab eo cù quo disputatur, minimè concessus. Quod & in literali sensu non infrequentè, imò frequentissime, contingit; vt quoties de germano sensu scripturæ disceptatur. Vbi autem sensus adfertur probabilis, siue ille mysticus sit, siue literalis; legitima disputatio est, maximè si cù ijs agas, qui rationes suasorias non ægrè admittant; quales erant Hebraei, ad quos hæc epistola scribitur, vt pote fideles, & pro Christo multa passi. Non enim hinc instituitur disputatio cum aduersarijs, qui omnia sibi liquidò demonstrari volunt; sed cum socijs eiusdem religionis, qui tamen ex infirmitate & tarditate quadam intelligendi, minus assequantur fidei mysteria; quemadmodum patet ex ijs quæ cap. 5. & 6. dicuntur. Illud enim quod paulò antè monuimus, diligenter est notandum, quædam in scripturis literaliter dici, sed sublimiter & supra modum literæ; idque propter mysterium, quo litera turgens & grauida sui ipsius modum excedit. Cuiusmodi mysterium nisi subesser; nequaquam tam sublimiter & magnificè scriptura secundum literam loqueretur. Itaque nisi Christus mysticè fuisset significatus; nunquã Dauidi dictum fuisset, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; nec de Salomone, *Ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem*. Quod intelligentes Hebraei, facile sensus mysticos huiusmodi recipiebant; atque eò magis quod tempore apostolorum multi erant iudei, qualis Philo & Essæi à Philone laudati, qui studiosè exercebantur mysticis scripturarum interpretationibus, iisdemque mirificè delectabantur. Porro velle cõtendere quod omnia testimonia hoc capite allata, se-

cundum literam significet id quod Paulus vult docere (sic enim quidã Caietano respondendum putant): nihil habet vtilitatis. Nam sic multò etiam magis Hebraei potuissent tergiversari, & dicere Paulum sensus à litera & cõtextu scripturæ abhorrentes adferre. Quocirca manendum omnino in responsione data: quam & Franciscus Ribera probat ac late profequitur.

6 ET CVM ITERVM INTRODUCIT PRIMOGENITVM IN ORBEM TERRA, DICIT. Multi interpretes transponunt vocabula, cum iterum. Putant enim rectum ordinem esse, *Et iterum cum introducit* &c. vt illud iterum sit nota adiungentis ad superiora aliud testimonium. Sic enim & in secundo testimonio fecerat; & sequenti capite facit semel & iterum. Ita quidem verisimile est Græcos expositores intellexisse. Non enim exponunt quomodo iterum introduxerit: quin potius referunt apostoli verba ad primum Christi aduentum. His consonat Syra versio quæ sic habet: *Rursum autem, quando inducit primogenitum in mundum, dicit, &c.* Rursus autem introduxit, vel tunc quando post eius ascensionem in cælos & missionem Spiritus sancti, per apostolorum prædicationem effecit vt mundus eum fide reciperet, & dominum suum agnosceret; vel, secundum alios, quando eum in consummatione sæculi de cælo adducet vt mundum iudicet, omnibusque sibi subiectis plenã ac perfectam totius regni sui possessionem accipiat; fiatque illud quod canit psalmus hinc citatus, *Dominus regnauit. Nunc enim, vt dicitur capite sequenti, necdum videmus omnia subiecta ei.* Posteriores hunc sensum, præter id quod iã dixi, probabilem nobis facit, quod cum apostolus, in duobus prioribus testimonijs, de dignitate Christi per apostolicam prædicationem mundo manifestata, locutus fuisset; hinc iam, velut de diuerso tempore loquens, non vtitur coniunctione copulante; sed sic ait, secundum Græcam lectionem, *Quando autem iterum introducit* &c. Eodem spectare videtur testimonium ipsum quod hinc citatur. Id enim secundum scripturas, in secundo aduentu Dominico implebitur, vt mox docebimus. Adde quod iuxta hunc sensum magis apparet *ægyptiæ vocis introducere*; quatenus eã significatur id quod Iurisperiti vocant inducere seu mittere in possessionem. Denique sensum hunc confirmat illud capitis sequentis, *Non enim angelis subiecit Deus orbem terræ futurum.* Quod ad futurum sæculum pertinere, eo loco doce-

bimus.

bimus. Porro si cui magis videtur aduerbium, *iterum*, hinc, sicut alibi, seruire nouo testimonio citando: poterit is hoc modo textum non incommode exponere, *Et cum iterum*, id est, alio scripturæ loco, *testatur se introducere primogenitum* &c. Quæres, quomodo primogenitum vocet Dei filium, quem vnigenitum in simbolo fidei confitemur. Respondetur, eum vnigenitum esse, quia solus est Dei filius naturalis: Primogenitum autem vocari, nõ tantum per allusionem, vt quidam existimant, eo quod apud Hebræos primogeniti essent hæredes & omnium rerum domini: sed quia verè *primogenitus est inter multos fratres*, vt dicitur Rom. 8. Qui quamuis sola sint adoptione filij Dei: non tamen confunditur eos fratres vocare, dicens, *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*; vt habes cap. sequenti. Horum ergo filiorum Dei comparatione primogenitus est, vt pote quos omnes & ætate præcedit, quia æternus; & dignitate, quia naturalis. Vide quæ diximus ad locum memoratum Rom. 8.

7 ET ADORENT EVM OMNES ANGELI DEI. Sumptum est testimonium ex psal. 96. de quo variant interpretum opiniones, vt rùm ad literam de Christi regno scriptus sit, an mystico tantum sensu illuc referendus; quod posterius bonis argumentis à Iansenio suadetur. Veruntamen, iam supra, satis ostendimus etiã ex mystico sensu valere probationem. Quoniam autem psalmo illo 96. etiam de secundo Christi aduentu agitur, quo venturus est ad iudicium: id circo aptè quadrat hæc citatio ad præcedentia verba apostoli, quibus de introducendo iterum filio Dei in orbem terræ loquebatur. Plus habet difficultatis, quomodo testimonium hoc ad rem præsentem legitime proferatur ab apostolo, quum in Hebræo non angelos Dei, sed *elohim* legamus, id est, *Deos*. Vnde Hieronymus vertit? *Adorate eum omnes dij*. Quidam suspicatur Hebraicum textum viciatum esse à Rabbinijs, erasa dictione *malaki*, id est, angeli; cum prius haberetur, *Adorate eum omnes angeli Dei*; idque conformiter cum eo quod LXX verterunt, *Adorate eum omnes angeli eius*. Sed inanis est hæc suspicio. Non enim in hoc loco tantum, sed in multis alijs, LXX seu *verge* seu apparenter discrepant à fonte Hebræo; quem proinde reformare velle ad illorum versionem, præposterum sit & infiniti negocij. Dicimus ergo, Paulum quidem more perpetuo huius epistolæ testimonium hoc referre, secundum versionem LXX interpretum: Nec tamen illud, si bene expendatur, ab Hebræo discordare. Nam si in scripturis interdum homines potentia ac dignitate excellentes, appellantur dij, vt psal. 81. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dii iudicat*; & iterum: *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes*: quid mirum, si & angeli interdum idem nomen participant? Vnde est illud psalmi 8. *Ministri eum paulominus ab angelis*. Heb. à *dij*. De cuius versiculi intellectu proximo capite accuratius erit agendum.

Rectè autem ex Heb. tam Hieronymus quã alij interpretes in psal. 96. verterunt, *omnes dij*: non solum in hemistichio quod allegat apostolus, sed etiam in alio eiusdem psalmi, vbi dicitur, *Nimis exaltatus es super omnes deos*, vbi sic & LXX. Id enim repererunt in fonte; sed commentatoris est quærere quanam ibi *deorum* nomine intelligantur. Alij deos falsos, vt solem, lunam, aut etiam dæmones; alij, Iudices & Principes; alij, angelos intelligi putant. Sanè probabile est eo nomine comprehendi tam angelos quã homines quorquor potentia atque dignitate supra alios eminent: Vult enim psalmista, nullam esse tam sublimem potetiam, quæ non incuruare se debeat ac submittere Domini regnantis imperio. Hanc generalitatem LXX, quorum versione Paulus vtitur, testinuerunt ad excellentissimum genus creaturæ potestatis, id est, ad angelos. Ex quo liquet testimonium ab apostolo ritè produci; cum à genere vniersè sumpto ad certam speciem legitima sit argumentatio. Quin verisimile est, si ad sensum psalmi tam literalem quã mysticum respiciamus; etiam malos angelos comprehendi, quos passim principatus & potestatis appellat scriptura; de quorum principe scriptum est Iob 41, *Non est super terram potestas que comparetur ei*. Nam & hi *Deum credunt & contremiscunt*, Iac. 2. & eosdem Christo perfectè subijciendos, eumque adoratos esse (quod malè Catharinus negat) multa scripturæ docent, vt Rom. 14. 1 Cor. 15. Phil. 2. Apoc. 5. Ex his denique valde probabile sit, apostolum hinc loqui de eo quod futurum est in secundo Christi aduentu, sicut supra monuimus. Tunc enim Christum vniersalem omnium hominum & angelorum iudicem ac dominum, in regni sui plenissimam possessionem inducendum à patre, boni quidem angeli gaudentes ac venerabundi; dæmones autem, dolentes atque inuiti, potentiam eius ac diuinitatem regni que magnitudinem agnoscentes, adorabunt, eam nimirum adoratione & cultu qui soli Deo debetur. Aptissime autem vtitur hoc testimonio Trid. synodus ad comprobandam adorationem Christi in Eucharistia. Nam si angeli Christum adorant: quanto magis homines, etiam in eucharistia, vbi fideles eum sciunt verè esse præsentem? Nam vbicumque Christus est, rectè adoratur. Porro sensum iam datum confirmant scripturæ quæ de secundo Christi aduentu agentes, testantur eum venturum cum potestate magna & maiestate, stipatum agminibus angelorum ac virtutum cælestium. vt Matth. 16. 24. 25. & alia.

7 ET AD ANGELOS QVIDEM DICIT. *Ad angelos*, id est, *de angelis*; vt bene vertit Faber. Quod enim hinc citatur, non ad angelos, sed de angelis dicit, vel Deus vel scriptura. Nam vtrumuis suppleri potest. Sic infra cap. 4. *Ad quem nobis sermo*, id est, *de quo*. Et Rom. 10. *Ad Israël autem dicit*, id est, *de Israël*. Item Luc. 18. *Dixit ad quosdam qui in se confidebant*, id est,

de qui-

de quibusdam. & cap. 19. *Au Iesus ad eum*, nempe Zachæum; cum non ad eum, sed de eo loqueretur. & cap. 20. *Cognouerunt quod ad ipsos*, id est, de ipsis dixerit similitudinem hanc. quemadmodum & Marcus loquitur cap. 12. Quibus omnibus locis est quidē Græca præpositio *ὅτι*; accusatiuo iuncta: sed quæ interdum rem de qua agitur designat.

QUI FACIT ANGELOS SVOS SPIRITVS, ET MINISTROS SVOS FLAMMAM IGNIS. Locus est psal. 103. secundum LXX. nec Hebræa discrepant, nisi quod pro *flamma ignis*, habent *ignem urentem*; quod & in vulgata est versione psalmodum. Nam quod eadem vulgata secundam reddit personam; *facis*, & *tuos*; nec cum Græco, nec cum Hebræo conuenit, quamuis sententiam non mutet. At verò de sensu versiculi ab apostolo citati, prout in psalmo habetur, non leuis est controuersia. Quidam enim, vt Vatablus, Iansenius alijque literalis intelligentie psalmodum studiosiores, ordine constructionis inuerso sic exponunt: *Qui spiritus*, id est ventos, *facit nuncios suos*; hoc est, vitur ijs tanquam nuncijs, ita vt irā ipsius hominibus denuncient, quoties terris ac mari vehementius incumbunt, & tempestates excitant. Item *qui flammam ignis sive ignem urentem*, hoc est, fulgura flammantia *ministros suos facit*; dum videlicet ijs velut ministris vitur, quotiescunque voluerit, ad ultionem de impijs sumendam: quomodo legimus Pentapolim cælesti igne consumptam. Hic sensus optime congruit cum ijs quæ in eodem psalmo præcedunt de lumine, cælo, aquis, nubibus & pennis ventorum, velut subservientibus ostendendæ magnificentie Dei. Estque persimile quod legitur psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum; qui faciunt verbum eius*. Sed hic sensus nihil ad institutum apostoli. Quocirca alij plerique locum psalmi, iuxta citationem apostolicam, de ijs qui propriè secundum scripturam angeli dicuntur, & de quibus apostolum hinc agere constat, interpretantur: quanquam id faciunt non vno modo. Nam alij quidem, vt Augustinus in psalmos, & Gregorius hom. 3. super euangelia, multi que post eos, similiter ordine verborum immutato sensum hunc reddunt: *Qui eos quorum natura spiritalis est & ignea, id est, vehementer actiua, facit nuncios & ministros suos. Seu, Qui pro nuncijs, cursoribus & ministris vitur spiritalibus & immaterialibus substantijs. Quem sensum instituto Paulino quam maximè quadrare, non est dubium. Nā discrimē inter Christum & angelos ex eo potissimum statuit Paulus, quod ille sit Dei filius; hi ministri: quod & paulò post clarè exprimit, dicens: *Nonne omnes sunt administratores spiritus?* &c. Nam & infra cap. 3. idem discrimen ponit inter Christum & Moysen. Sed tamen hic sensus alijs quibusdam non placet; idque propter articulos Græcos in utroque versiculi membro appositos priori vocabulo, non posteriori. Quoties enim occurrunt*

duo nomina eiusdem casus cum verbo, quorum alterum ab anteriori parte construi debeat, alterum à posteriori; illud præconstrui debere dicunt cui additus est articulus. Exempli gratia; Quod dicit Ioannes, *Θεὸς ἦν ὁ λόγος, Deus erat Verbum*, propter articulum additū illi *Verbum*, non huic *Dei*, ita construendum est: Verbum erat Deus. Igitur præsentis versiculi hunc sensum esse volunt: Qui angelos suos facit sicut ventos, & ministros suos sicut ignem. Frequens enim Hebræis est notam similitudinis reticere ac subintelligere. vt psal. 10. vbi nos habemus: *Transmigra in montem sicut passer*, in Hebræo tantum est, *Transmigra in montem passer*. Aiunt autem angelos comparari ventis, propter summam celeritatem; & igni, propter summam naturæ subtilitatem ac vim operandi. Ita docent Theodoretus & Euthymius in psalmos, & latius explicat Dionysius lib. de cælesti hierar. cap. 15. Iam ex istis si quæras, quid sententia sic exposita faciat ad rem præsentem; cum proprietates illæ angelis attributæ, Christo secundum naturam diuinam vel maximè conueniant: vt patet ex epithetis Sapientie diuinæ, Sap. 7. Nam & in hac epistola cap. 4. prorsus similia Verbo Dei tribuuntur. *Viuis est*, inquit, *Sermo Dei & effigax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. Respondent ex Græcorum cōmentarijs, Apostolum vrgere verbum *facit*. Ex eo namque sequi angelos esse creaturas; & per hoc à Filio Dei, qui non factus est aut creatus, sed genitus, manifestè distingui. Atqui hac ratione satis erat dixisse: *Qui facit angelos*, nec cætera addenda erant. Deinde, scripturæ creationem rei alicuius ab initio mundi productæ significare volens, non solet vti verbo præsentis temporis, sed præteriti. Nusquam enim legitur: Deus facit cælum & terram, solem & lunam; sed fecit, creauit. Apparet itaque sensum secundo loco allatum ex Augustino & Gregorio, eum esse quem Paulus hinc spectauerit. Ad id verò quod obijciebatur de articulis, responderi potest eam regulam non esse perpetuam; Variè enim Græci articulis vtuntur, vt est notissimum.

ADDITIONO B. P.

Et vt quod illi de articulis dicunt, etiam hinc verum esse concedatur: poterit nihilominus sensus esse eiusmodi; Qui quos decreuerat esse suos nuncios ac ministros, eisdem fecit substantias penitus immateriales seu planè spirituales; eisdem fecit quasi ignem urentem, lucidos nimirum cognitione, & charitate ardentes. Quæ expositio aliquid habet à secunda, aliquid à tertia explicationum allatarum. Et cum ab authoribus tertiæ quaritur quid ea faciat ad rem præsentem: potest responderi, magnopere facere; propterea quod illi spiritus hinc vocentur Dei nuncijs ac ministri; quæ nomenclaturā Filio Dei nusquam in sacris literis tribuitur, nisi secundum naturam humanam. Quod autem Hebræum nomē *rabh* etiam spirituales substantias planeque im-

materialem

materialem significet; licet Iansenius in annot. ad psal. 103. negare videatur, idem tamen concedit in psalmū vlt. annot. vltima. & concedendum esse liquet ex Genes. 41. v. 38. c. 45. v. 27. Exodi 28. v. 3. c. 31. v. 3. c. 35. v. 31. & alijs locis multis. Quod hinc aduersus tertiam expositionem obijcitur de verbo præsentis temporis; solui potest, dicendo quod in Hebræo & Græco sunt participia hoc loco aliquot præsentis temporis, sed quæ propter verbū principis præteriti temporis, ex quo pendunt, possint ad illud tempus ampliari. Et fundamentum huius additionis reperimus in annotatione quadam ipsius authoris.

AD FILIUM AVTEM. Hoc est, de filio dicit scriptura. Nam verba quæ hinc adducuntur, non ex persona Dei, sed prophete dicta sunt.

THRONS TVVS, DEVS, IN SÆCVLVM SÆCVLI. Testimonium hoc acceptum est ex psalm. 44. Quem totum de Messia scriptum esse, etiam Rabbinorum cōmentarij testantur. Est autem velut epithalamium, quo nuptiæ Christi sponsi & sponsæ eius ecclesiæ ex gentibus congregandæ, celebrantur. Nulla igitur esse potest dubitatio quin versus hinc allegati, etiam secundum literam ad Christum verum Salomonem, pertineant. Continet autem hæc pars manifestam assertionem diuinitatis Christi. Quanquam hoc eludere volentes Iudæi & Ariani, qui Christū propriè Deū negant; varia cōmenti sunt effugia. Quidam enim dicunt vocabulum *Dei* non esse vocatiui casus, sed nominatiui; vt sensus sit: O Christe, thronus, id est, sedes ac solium tuum æternum est Deus. Verum nimis contorta est hæc expositio & à consuetudine scripturæ aliena. Nam sæpe quidem legimus cælum, terram, angelos, homines iustos esse sedem Dei; vt Isaia 66. *Calum mihi sedes est*. Col. 1. *sine throno, sine dominatione*. & illud apud veteres frequentatum, *Anima iusti sedes sapientie*. At Deum esse sedem hominis, nulla scriptura prodidit. Nec verò pro hac interpretatione facit, textus apostoli, qui secutus LXX. nominandi casu scripsit *ὁ Θεός*. Sic enim in psalmis passim scribitur, pro vocatiuo. Et alioqui familiarè Græcis est, Articis præsertim, nominandi casum vocatiuè sumere. Certè Aquila Iudæus, Hieronymo teste, vocatiuum vertit, *Θεέ*. Porro alij Hebraicum *Elohim* vertunt in genitiuum, & sententiam repetitione *throni* suppleunt; hoc modo: *Thronus tuus, thronus Dei*. Sed & hoc non minus coactum est. Neque enim mos scripturæ habet vt nomen a quo genitiuus regitur ac dependet, supprimatur ac suppleendum relinquatur. Nihilominus apparenti est in eorum expositione qui verbum addunt de suo, & hanc faciunt constructionem: *Thronum tuum Deus firmavit seu stabilivit in sæculum sæculi*. Neque enim villo exemplo talis additio probari potest. Quartum ac postremum effugium est, quo dicit Messias sit appellari, quomodo Iudices & Angeli in scripturis interdū *Elohim*, id est, *Dij*,

nominantur. Sed neque hoc valet: Licet enim de pleribus angelis aut hominibus interdum scripturæ sic loquatur, vt eos vocet *Elohim*; ita tamen nusquam obtinet, vbi nomen illud legitur vni alicui simpliciter attributū. Sic enim non de aho quam de vero Deo dictū, inuenitur. Maneat ergo certū & constitutū, Christū hinc verè ac propriè Deum vocari: quod tam Græci quam Latini patres, aduersus hæreticos & Iudæos, ex hoc loco confirmarunt: nominatim Eusebius lib. 4. demonstr. euang. cap. 13. & Hieronymus in epistola ad Principiam. Est igitur hic sensus: O Deus, id est, Christe spōse ecclesiæ, qui es Deus & Dei filius, solium regni tui permanebit in sæculum sæculi. Hebr. *in æternum & ultra*. Qua phrasī significari solet æternitas interminabilis & absoluta; quam & Hieronymus in sua versione expressit, Exodi 15. & Mich. 4. vtrōque; reddēs ex Hebræo, *in æternum & ultra*. Hinc est quod eandē æternitatem aliæ scripturæ designant negatione finis aut interitus, vt Dan. 2. *Regnum eius regnum æternum, quod non dissipabitur*. & cap. 7. *Potestas eius potestas æterna, qua non auferetur; & regnum eius, quod non corruptetur*. Item Luca 1. dicente angelo ad Virginem: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum; & regni eius non erit finis*. Quod ipsum & in symbolo canit ecclesia. Ex his etiā liquet nomine *throni* seu solij, in huiusmodi scripturis regiam potestatem significari; tamēsi psalmista maximè respicerē videtur ad potestatem iudiciariam. Nam eò pertinent sequentia;

VIRGA ÆQUITATIS VIRGA REGNI TVI. Græcè, *virga rectitudinis*, id est, iusticie. De *virga* regia sermo est, quæ sceptrū vocatur, & regie potestatis est insigne. Vnde Hieronymus vertit ex Hebræo, *Sceptrum æquitatis sceptrum regni tui*. Neque verò hinc inter æquitatē & iusticiā distinguunt interpretes. In Græco, articulus posteriori loco positus vult hunc ordinē; *Virga regni tui est virga æquitatis*, id est, sceptrū tuū regale sceptrum est iusticie. Tu regnum tuū summa iusticia & æquitate administrabis.

DILEXISTI IUSTICIAM ET ODISTI INIQUITATEM. Hæ partes sunt iusti principis, amantem esse iusticie, & odio prosequi iniusticiā; nec id solo affectu animi, sed re ipsa; videlicet bonos tuendo & præmijs afficiendo, malos autē pro meritis puniendo. Vbi tamen non carere videtur mysterio, quod abstracta posuit, nō cōcreta. Peculiare enim illud Christo regi est, ita diligere iusticiā, vt nobis etiam ipsius iusticie author atque largitor sit; & ita odisse iniquitatē, vt nos merito ac virtute sua ab omni iniquitate mundatos sanctificet. Vnde in eo iusticia & misericordia pulcherrimo scedere connectuntur; iuxta illud psalmi 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iusticia & pax osculata sunt*.

PROPTEREA VNIXIT TE DEVS DEVS TVVS OLEO EXULTATIONIS PRÆ PARTICIPIBVS TVIS, sive *pre consortibus tuis*, vt in psalmo legimus.

gimus. *Deus*, priori loco, nominatiui casus sit an vocatiui, dubium esse potest. Etenim sunt qui contendant vocatiuum esse, vt Eusebius loco supra citato: & Augustinus in psalmum 44. Qui proinde affirmat etiam hac parte Christum à propheta Deum appellari. Sed sciendum est frequenter hoc nomen, *Deus*, in scripturis eodem casu geminari, causa maioris expressionis; idque potissimum in psalmis. Exempla sunt, *Deus Deus meus respice in me. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Benedicat nos Deus Deus noster*. Quibus locis eandem casum retineri constat; modò vocatiuum, modò nominatiuum. Quare & hic locus similiter videtur accipiendus. Nam & in officio ecclesiastico, vbi cuiuspiam sanctæ virginis idem versus adaptatur, non aliter accipi potest. Sed quæritur de qua Christi vnctione propheta loquatur. Primum, certum est spirituale, non corporalem, vnctionem intelligi. Non enim visibiliter vnctus est Christus à patre, sed inuisibiliter. Dubitatur autem quando & quomodo facta sit hæc spiritualis & inuisibilis vnctio. Multi putant hinc agi de gratia Spiritus sancti quæ copiosissime effusa est in Christum quando natura eius humana coniuncta est cum diuina. Nam in illius vnionis & humanæ conceptionis articulo, Deus pater filium suum perfudit oleo, id est, donauit abundantia gratiæ, supra omnes eius consortes, id est, fratres, ac filios Dei, qui ad eandem hereditatem ac regni participationem vocantur, quique de eius plenitudine omnes accipiunt. Arramen huic sensui videtur obstare coniunctio, *propterea*. Si enim propterea Christus vnctus est gratia Spiritus sancti, quia dilexit iusticiam & odio habuit iniquitatem; non ergo statim in ipsa conceptione vnctus est; sed postquam illis actibus hanc vnctionem meruit. Vnde & Nestoriani sumunt argumentum, quo probent Christum non natura filium Dei esse, sed adoptionis prærogatiuam operum excellentia promeruisse. Ad hanc objectionem à quibusdam respondetur, voculam *propterea* non semper aditngi ei quod ex aliquo priori sequitur; sed interdum ei quod ad aliud refertur vt ad causam finalem. Ita Luca 4. dicit Dominus: *Alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnū Dei; quia ideo missus sum*. Sic & vulgò loquimur: Deus nobis colendus; propterea enim conditi sumus. Hæc Augustini & B. Thomæ expositio est; vt sit sensus: Ad hoc Deus vnxit te oleo gratiæ suæ, vt diligeres iusticiam & odio haberes iniquitatem. Iuxta hanc expositionem subaudiri hinc poterit coniunctio causalis; q. d. Nam propterea vnxit te Deus: scilicet vt hoc quod præcedit significetur huius esse causa finalis. Posset etiam sic accipi: *Dilexisti iusticiam &c. eo quod vnxit te Deus*. Huic sensui valde fauet locus vsi similis Isa. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me*. Quæ verba planè significant vnctionem esse causam quare super eum sit spiritus Domini.

Denique sunt alij quibus non placet voculam *propterea* deduci à propria significatione: cæterum vnctionem intelligunt, non eam quæ facta est in coniunctione duarum in Christo naturarum; sed quæ multò post, quamque suis meritis sibi Christus comparauit. Ea est vnctio ad gloriam; quando scilicet post passionem immortalitate donatus & ad dexteram patris collocatus, regni possessionem & gloriæ cõsummationem accepit. Sicut enim Dauid non semel sed tertio legitur vnctus in regem: ita & Christus primum quidem vnctus est in sua conceptione. *Natus est enim Christus Dominus*. Luca 2. idemque *natus rex Iudaorū*. Matth. 2. Iterum autem vnctus quodammodo, quando super eum baptizatum vox patris audita est: *Hic est filius meus dilectus*; quado & Spiritus sanctus super eum in specie columbe descendit. Vnctus tertio, quando per resurrectionem atque in caelos ascensionem exaltatus à patre, rex caeli & terræ declaratus est. Iuxta hanc sententiam iste erit sensus: Quoniam dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem: ideo te Deus vnxit ea vnctione qua iam stola gloriæ & immortalitatis indutus, ac regio diademate coronatus, in regni possessionem venires. Congruit hic sensus tam cum eiusdè psalmi superioribus, vbi de gloria & regno Christi multa dicta sunt; quam cum ijs quæ sequuntur; vt mox apparebit: Annuit his etiã locus Phil. 2. vbi post descriptam Christi humilitatem & obedientiam, subiungitur: *Propter quod & Deus exaltauit illum &c*. Probat hic commentarius Iansenio, tam in paraphrasi psalmi quam in annotatione. Quem tamen etiam consule scribentem in cap. 54. concord. euang. Porro notandum est, *oleum* synecdochicè pro vnguento sumi. Non enim nudo oleo reges & sacerdotes vngebantur, sed præstantissimis & odoratissimis aromatum generibus commixto; velut myrrha, stacte, calia, quæ proximo versu nominantur. Qua ratione, etiam chrisma quo baptizati vnguntur, interdum oleum appellatur. Quoniam autem eiusmodi vnguentum sua fragrantia mirum in modum recreabat eos in quos effundebatur; idcirco vocatur *oleum exultationis seu lacticia*, id est, vnguentum lætificans atque exhilarans. Quamquam etiam oleum per se vim habet exhilarandi, iuxta illud psal. 103. *Ut exhilaret faciem in oleo*. Id verò spiritualiter multò magis præstat siue vnctio gratiæ Spiritus sancti quam in sua conceptione Christus accepit, siue vnctio qua in gloriam introductus, & regni sui possessor factus est. *Participes autem eius siue consortes* qui sint, dictum est; & plenius intelligitur ex cap. 2. & 3. Iam breuiter ex his colligamus antithesim quam inter angelos & Christum spectat apostolus. Angelos, inquit, scriptura nuncios & ministros Dei vocat; Christum verò, quod ad vnam eius naturam attinet, Deū appellat; quod ad alteram, regni æternitatem ei attribuit, & supra omnes participes eum extollit. Qua parte rursus tacitè Christus ante-

ponitur

ponitur Moyse, qui vnus erat ex participibus. **IO** ET; TV IN PRINCIPIO DOMINE TERRAM FVNDASTI. *Et*, non est pars testimonij hinc citati, sed hoc scripturæ testimoniū præcedenti coniungit. *Et*, scilicet iterum ad filium dicit scriptura. Leguntur hi versus psal. 101. Sed quomodo ad Christum pertineant, quærendum est, cum psalmus ille non aliud esse videatur quam oratio seu populi seu prophætæ, deo supplicantis pro restauratione ciuitatis Ierosolymitanæ à Chaldæis euersæ; nec ad Christum propriè dirigatur, sed absolute ad Deum caeli terræque conditorem. Respondeo, sicut terrena Ierusalem figura fuit ecclesiæ Christi; sic ea quæ in psalmo de restauratione terrenæ Ierusalem dicuntur, mysticè referenda esse ad ædificationem spiritualis ac supernæ Ierusalem, hoc est, ecclesiæ quæ Christi ciuitas ac regnum est. Etenim non nisi in Christo & ecclesiâ perfectè implentur ista huius psalmi: *Tu exurges Domine misereberis Sion; quia tempus miserentis eius, quia venit tempus. Et, Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam: Quia edificauit Dominus Sion & videbitur in gloria seu maiestate sua. Et, Dominus de caelo in terram aspexit, &c*. Item, *In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino*. Quare & reliqua quæ de Deo in hoc psalmo dicuntur, ad Christum pertinent; adeo vt plerique, tam veteres quam recentiores, ea omnia secundum litteram de Christo & eius ecclesiâ interpretentur. Quod tamè alijs minus placet; & nobis non videtur necessariū. Sed ad sensum veniamus. *Tu Domine, inquit, terram fundasti*, id est, terram fecisti firmam, stabilem atque immobilem; idque in principio, hoc est, omnium primò, quum scilicet ante eam nihil factū esset. Hoc enim sensu scriptum est: *In principio creauit Deus calum & terram*. Nam & de caelo hinc sequitur, **II** IPSI PERIBVNT. Meminit corruptibilitatis rerum creaturarum, vt ex earum collatione Dei creatoris æternitatem magis illustret. caelos autem nominat velut partem creature præcipuam, & quæ maximè videri posset ab interitu ac mutabilitate libera. Alibi terra adiungitur, vt Matth. 24. Domino dicente, *Calum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt*. Sed cum naturalis philosophia tradat caelos incorruptibiles esse; quomodo verum est eos perituros? Quidam hæc interpretantur dicta per concessionem, non per affirmationem; quali sensus sit: Etiam si contingeret caelum & terram transire; mea tamen verba non transibunt. Rursum: Etiam si contingeret caelos perire; tu tamen permanebis. Refellitur hic intellectus; Primum, ex hoc ipso loco. Nam verba statim sequentia: *Et omnes vt vestimentum v. terascent &c*. non nisi coactè admodum ad illam intelligentiam trahi possunt. Tum verò, quia scriptura alibi simpliciter & constanter affirmat caelos perituros ac mutandos esse; vti mox ostendemus. Iisdem rationibus improbat aliorum expositio, qui subaudiunt, *sua te natura, vel, si ita volueris*. q. d. psalmographus: Ex sunt corruptibiles, & interitum reuera nisi tu eos conseruares. Plus enim velle prophetam & apostolum, iam monstratum est. Verum itaque sensum ex ipsa scriptura petamus. Petrus apostolus 1. ep. 3. de die Domini ita scribit: *In quo caeli magno impetu transibunt, elementa vero calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Et infra: *Per quem caeli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nonos vero caelos & terram nouam, secundum promissa ipsius, expectamus &c*. Item Ioannes Apo. 21. *Vidi, inquit, calum nouum & terram nouam. Primum enim calum & prima terra abiit*. Ex his ostenditur, caelos & terram qua parte conflagrabit igne, perituros esse: qua parte autem ab igne non confluentur, in melius esse mutandos; quæ mutatio secundum scripturas renouatio mundi vocatur. Et conflagratio quidem solum attinget calum aëreum; de eo namque caelo B. Petrus loqui cõstat ex verbis paulò superioribus, quibus dicit, eisdem caelos qui perierunt aquis diluuij, quique verbo Dei repositi sunt, igni reseruati in die iudicij. At renouatio etiam calis stelliferis ac toti mudo corporeo cõmunis erit, vt satis probat loca Apoc. 21. Isa. 30. 65 & 66, & Rō. 8. Potest autè quod hinc dicitur, *Ipsi peribunt*, ad omnes caelos referri, vt refert B. Aug. De ciuit. lib. 20. c. 24. quadoquidè mutatio cõmunis erit omnibus; quicquid autè mutatur, secundum aliquid corrumpitur & perit. Atque hoc est quod alijs verbis dici solet, caelos non secundum substantiã interituros, sed secundum qualitates ac præsentè rerū statū, vt & Græci exponunt.

M m

De his

De his plura qui volet, legat commentarios in 4. d. 47.

TV AVTEM PERMANEBIS. Græcè, *permanes*. Atque ita habet editio vulgata in psalmo, tametsi inter præfens & futurum in Græco vocabulo sola est accentus diuersitas, *διαμένεις, διαμένεις*. In Syriaco quidem etiam præfens est; At in Hebræo futurum, *Et tu stabis*, id est, nunquam mutaberis. quod enim aliquo modo mutatur, non omnino stat aut permanet.

ET OMNES VT VESTIMENTVM VETERASCENT. De cælis adhuc loquitur. Et sensus est: Sicut vestis assiduo vsu & tempore veterascit, vt proinde renouari debeat; ita cæli omnes velut vsu longi temporis attriti, & ad verustatem perducti, interitum subibunt, hoc est, eam mutationem qua renouandi sunt in alium ac meliorem statum.

ET VELVT AMICTVM MVTA-
BIS EOS, ET MVTABVNTVR. *amictum*, Græcè *περιβλαιον*, id est, vestem quæ circumjicitur corpori; quamque facile sumas & deponas; vt pallium. Eadem est significatio vocis Hebrææ. Pro *mutabis*, nonnulli codices habent, *innolues*; Idque significat Græca vox *ἐλξεις*, quæ & hoc loco & in psalmo legitur, tam in codicibus qui nunc in manibus habentur, quam apud Chrysostomum aliosque Græcos expositores. Sed & Syrus interpres vertit, *complicabis eos*. Hoc autem variè exponunt. Aliquisic: Quemadmodum amictus seu pallium deponitur, & complicatur, vt cum opus est, iterum sumatur; ita tu cælos qui sunt velut pallium, extensis, quasi cōplicabis, vt reformati iterum extendantur. Alij ad hunc modum: Sicut vestis detrita solet inuerti vt noua appareat; ita tu cælos inuertes, id est, renouabis. Sed sciendum est, nec Græco verbo nec Syriaco propriè significari versionem, qua quod interius erat, exterius fiat, aut contra; sed conuolutionem seu complicationem, qua id agitur vt quod apparebat iam non appareat. Vnde, si germana est lectio Græca quam diximus; videbitur hoc significari quod in Apoc. dicitur, cap. 6. *Et celum recessit, sicut liber inuolutus*, vt sicut in libro conuoluto (nam membranibus volubilibus pro libris utebantur Hebræi) nihil legi potest, priusquam euoluatur; ita cæli facies, in qua sunt altra, velut literæ nobis enarrantes gloriam Dei, penitus obducatur, vt nihil appareat donec renouatione sua explicetur. Cæterum quia nec desunt Græci codices qui pro *ἐλξεις* habeant *ἀλλώξεις*, id est, *mutabis*, quomodo non hic solum, sed & in psalmo vulgarus interpres transtulit: certè plus quam verisimile est, eos codices quibus vsus est in-

terpres, hanc quam dixi lectionem habuisse: ex quo deinde consequens fiat, etiam Lxx. interpretes id ipsum Græcè reddidisse, quod in Hebræo legerant. Id autem est, *mutabis eos*, non autem, *innolues aut complicabis*, præsertim quando & id quod sequitur, *& mutabuntur*, æquè in Hebræo vt in nostra versione, respondeat priori verbo: cum alioqui conformiter esset dicendum, *Inuolues eos, & innoluentur*. Itaque videtur hic esse sensus: Sicut amictum vetus facile nouo commutari solet; ita tu cælos summa facilitate mutabis ac renouabis. Statim enim vt volueris fiet.

TV AVTEM IDEM IPSE ES. Id est, idem semper, & immutabilis.

ET ANNI TVI NON DEFICIENT. Catachresis est in vocabulo, *anni*. Nam annus cæliac solis reuolutione peragitur. At in tempore quod Deo competit, nullus est circulus, nulla mutatio, nullus defectus. Significatur ergo Dei stabilis & immutabilis æternitas. Porro totum hoc testimonium ex psalmo 101 sumptum, eò spectat, vt demonstretur quāto Christus sit angelis eminentior; vt qui creator sit omnium, idemque æternus & immutabilis; cum cætera omnia (in quibus etiā angeli) mutationi sint obnoxia. Afferit autem manifestè hic locus Christi diuinitatem: Deo namque proprium est, semper esse, & non mutari; iuxta id quod ait per prophetam: *Ego Dominus, & non mutor*. Malach. 3.

AD QVEM AVTEM ANGELORVM DIXIT
ALIQUANDO: Aliud testimonium adfert quo Christi supra omnes angelos excellentiam probet. Neque enim vlli angelorum Deus alicubi dixisse legitur, quod Christo, psal. 109. *Sede à dextris meis*. Iam supra dixit, Christum *sedere ad dexteram maiestatis in excelsis*; id nunc confirmat scripturæ testimonio & ita quidem vt Christo proprium esse doceat. Quod nec scribæ nec Pharisei, qui Christi tempore erant, ignorabant; licet non eum pro Christo reciperent, sed alium expectarent. interrogati enim quomodo Dauid Christum, qui filius eius est, Dominum suum appelleret; ideo nihil respondere potuerunt, quia psalmum hunc cuius initium, *Dixit Dominus Domino meo*, de Christo scriptum esse videbant negari non posse. At id negare non verentur Rabbini posteriores; qui vt hoc tam præclarum de Christo testimonium Christianis eripiant, eum cui in hoc psalmo dicitur, *Sede à dextris meis*, variè interpretantur, vt Abrahamum, Saulena, Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Zorobabelem. Sed hæc Rabbisorum proteruita facile ex ipso psalmo retunditur. Nullus enim est istorum quos nominant, in quem (vt cætera taceam) competat ille versus eiusdem psalmi: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*; vt nec certè in alium competere potest quam in Christum, quem illi reiecerunt. Quanquā nec istud, *Sede à dextris meis*, cuiquā hominū, vno Christo

excep-

14 excepto, dictū à Deo sanè accipi potest; si eaphrasis benè expendatur, sicut eam expendimus, cum alibi, tum superius in hoc capite. Is enim sedet à dextris Dei, qui Deo proximus affidet; hoc est, qui supra omnem creaturam eleuatus, quietam felicitatis ac regni cum Deo possessionem obtinet, honoratissimo post eum loco. Quem sensum pluribus verbis ac doctè Genebrardus in psalmi expositione prosequitur. Eūdem vno verbo significauit ipse apostolus, 1. Cor. 15. quando pro eo quod est *sedere ad dextram Dei, regnandi* vocabulum posuit, dicens: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*. Regnum autem intelligit, de quo ibidem; *Cum tradideris regnum Deo et Patri*: regnum videlicet Christi hominis. Ex quibus omnibus, iam satis intelligitur, præfens testimonium pertinere ad humanam Christi naturam, qua minor & inferior est patri; non ad diuinam, qua patri est æqualis. Id quod etiam à Theodoro disertis verbis annotatum est. Hac igitur parte apostolus Christum, etiam vt hominem, angelis anteponit.

QVODVSQVE PONAM INIMICOS TVOS SCABELLVM PEDVM TVORVM? Metaphoricus sermo, quo significatur inimicorum perfecta subiectio. Sensus enim est: Donec omnes inimicos tuos, tam demones quam homines reprobos qui in sorte dæmonum sunt, ita tibi subiecero, vt sint quasi scabellum pedibus tuis calcandum. Id complebitur in die extremi iudicij, quando euacuabitur omnis principatus & potestas & virtus aduersaria, quemadmodum declarat apostolus loco memorato, 1. Cor. 15. & nos ibi plenius exposuimus; sicut & illud, quā vim in hac scriptura habeat aduerbium, *donec*. Dicens enim Apostolus, *quoadvsque vel donec*; non utique negat Christum perfecta ea subiectione sessurum à dextris Dei: sed eovsque sessurum affirmat; simul indicans, eam rem cui particula *donec* adiungitur, hoc est, inimicorum Christi perfectam sub pedibus eius subiectionem, certissimè suo tempore euenturam. Nunquam autem futurum vt sedere desinat, idem apostolus huius epistolæ cap. 10. clarè testatur; his verbis: *In sempiternum sedes in dextra Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius*. At nec ratio permittit vt subactis hostibus regnare desinat, qui nondum subactis regnabat: Sedere autem ad dexteram Dei, regnare est, vt iā ex apostolo ostēdimus. Cæterum aduerte, hac etiam parte testimonij prophetici nobis insinuari, quod ad dexteram Dei sedere Christo competat secundū humanam eius naturam: utpote cuius pedibus Deus inimicos subiectionem se polliceatur. Alioqui, dicendum videretur; Quoniam affides mihi æqualis: ipse per eam potentiam quam mecum habes communem, pones inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

NONNE OMNES SVNT ADMINISTRATORII SPIRITVS: Adeo nullus est, inquit, angelorum cui Deus aliquando dixerit, *sede à dextris meis*; vt potius, iuxta testimonium supra positum ex psalmo 101. omnes sint administratorij spiritus; quorum officium sit, non affidere, sed ministrare. Vtitur autem interrogatione, quæ responsonem postulet affirmantem; veluti loquens de re quæ apud omnes fideles in cōfesso sit, & negari non possit. q. d. Quis enim fidelium ignorat, omnes angelos esse spiritus ad ministerium deputatos? & quidem eiusmodi ministerium, de quo consequenter subiicit;

IN MINISTERIVM MISSI PROPTER EOS QVI HEREDITATEM CAPIENT SALVTIS. *Missi* participium est presentis temporis; in Græco, *ἀποστέλλομαι*, qui mittuntur; vt significetur missionem hanc & ministerium angelorum, continuum esse, quamdiu durat hoc sæculum. Semper enim mittuntur in ministerium; nunc hi, nunc alij. Quidā codices profuturo, *capient*, vnius literulæ mutatione legunt præfens *capientur*: sed eam mutationem Græca non admittunt. Sic enim habet; *ἀποστέλλομαι μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν*. hoc est, ad verbum; *Propter eos qui futuri sunt hereditare salutem*. Qua forma etiam Augustinus citat lib. 3 de Trinit. cap. 11. nisi quod *hereditare* resoluit in *hereditatem possidere*. Est igitur vera lectio, *capient*; quam etiam nobis exhibent codices fide digniores, & editio Clementina. Applaudit Syriaca versio. Denique, sēsus respuit tempus præfens. Nō enim angeli mittuntur in ministerium propter eos qui iam capiunt & possident hereditatem salutis, id est, vitæ æternæ; sed qui possessuri sunt; id est, propter electos qui ad eam hereditatem adhuc sunt adducendi. Benè limitatur hoc ministerium ad causam electorum; quia sicut apostolus *omnia sustinebat propter electos*, 2. Tim. 2. ita angeli ad quæcunque mittuntur ministeria, propter electos mittuntur, & mitti se sciunt. Veruntamen non ex eo consequens est, solis electis hominibus angelos à Deo custodes adhiberi: Siquidem & ea quæ circa reprobos, tam custodiendos, quam puniendos, aguntur ab angelis; omnia ad electorum salutem & gloriam ordinantur. Iam verò multo minus ex his apostoli verbis sequitur angelos esse hominū ministros; quod imperitò quidā autumat. Nō enim dicit apostolus eos mitti in ministeriū hominū; sed propter homines; quod est λόγὸς diuersū. Sūt enim angeli ministri Dei, & vnius hominis Christi ad dexteram Dei sedētis: Mittuntur autē à Deo & à Christo eius, ad procurandam hominum electorum salutem. Ea maior quæstio est, an ex hoc scripturæ loco consequens sit, omnes angelos sine exceptione mitti aliquando in ministerium. Id enim multum, nominatim B. Thomas, & eius sequaces, negant; partim autoritate Dionysij & Gregorij permoti, partim induct;

Mm 2

ratione,

ratione, quæ sumitur ab ordine naturæ & gratiæ, quem, ut aiunt, angelorum respublica constantissimè & inuariabiliter retinet. Iuxta quem ordinem, de ijs quæ foris agenda sunt, inferiores à superioribus semper illuminantur; ut proinde superiores nunquam per seipsos extra prodeant, sed tantum per inferiores angelos, velut subiecta ministeria, Dei iussiones exsequantur. Adducunt etiam è diuerso testimonium scripturæ, quo probent non omnes angelos ministrare, sed multò plures esse, qui Deo semper assistant. Dicit enim Daniel capite secundo: *Milia milium ministrabant ei; & decies milies centena milia assistebant ei.* Ad hunc verò Pauli locum, varias adhibent responsiones. Vna est, omnes quidem angelos mitti, sed alios exteriori missione, alios interiori tantum, qua nimirum ad hoc ordinantur, ut accepta à Deo mandata per viam illuminationis ad eos transmittant, à quibus sunt exsequenda. Hunc autem missionis modum competere superioribus angelis. Verum id propriè non est mitti in ministerium; nisi quis contendat omnem eum in ministerium mitti, cuiusque aliquid, seu domi, seu foris, agendum iniungitur, etiam si loco se non moueat. Quod non habet vsus loquendi. Nec sanè quis dixerit regem misisse scribam suum ad Indos, sed tabellarium, si per scribam tabellario det mandata ad Indos perferenda. Nec filius Dei missus ad nos verè diceretur, si non ipse per se opus, ad quod missus est, obiuisset. Adde quòd Græca non simpliciter sonant *angelos in ministerium mitti*, sed *emitti*, siue *emandari*; quomodo verterunt alij interpretes, id est, foras mitti; à qua voce & apostoli dicti sunt. Id autem non consistit, nisi qui mittuntur, foras exeant. Ex his etiam refellitur Caietani responsio, dicentis angelos inferiores immediatè mitti, superiores mediatè. Vocat autem mediatam missionem, qua non per seipsos, sed per alios à se illuminatos, & ut ait, subdelegatos, venturi ad nos mittuntur. Refellitur, inquam, iam enim patet missionis proprietatem (maximè vt Græco verbo significatur) eo pacto non subsistere. Quanquam Caietanus eam responsionem magis ex aliorum sententia, quàm ex propria adferre videtur. Ipse enim quid de quæstione sentiat, non aperit. Alij quidam respondent, apostoli verba non de omnibus in vniuersum angelis accipienda esse, sed de omnibus certi generis, ijs scilicet quorum ministerio lex data fuerat. Id enim agere apostolum, vt nouam legem veteri anteponebam demonstrat eo argumento, quia Christus auctor nouæ legis præstantior sit angelis, per quos vetus lex data est. Sed hæc responsio recipi nullo modo potest. Primum, quia

Paulus quoties Christum confert cum angelis, cum toto genere conferre solet, non cum parte aliqua. Loca manifesta sunt Eph. 1. & Col. 1. Et, quid magnum erat ostendisse Christum inferioribus angelis esse maiorem; quando & alij sancti homines diuersis angelorum ordinibus inserendi sunt, & per hoc quibusdam angelis futuri maiores? Deinde, per absurdum est existimare quòd supradicta scripturæ testimonia tantum eò adduxerit apostolus, vt angelis, quos infimorum ordinum esse censent, Christum probet maiorem; cum sine controuersia veritatem habeant vniuersalem, minimèque restrictam. Prorsus enim ad omnes pertinent illa: *Adorent eum omnes angeli Dei.* Et, *Qui facit angelos suos spiritus; & ministros suos ignem vrentem.* Et; *Cui angelorum dixit aliquando; Filius meus es tu? Aut, ad quem eorum dixit; Sede à dextris meis?* Esse autem apostoli mentem in hoc capite, vt Christi doceat excellentiam super omnes angelos, tam supremos, quàm medios, & infimos: aperte monstrant illa verba quæ præmisserat; *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.* Hinc verò palam sequitur etiam illis esse maiorem per quos lex data est; siue hi fuerint ex inferioribus, siue (quod scripturis & sensui ecclesiæ magis consentaneum arbitramur) ex superioribus. Etenim Michaëlem omnium angelorum esse supremum, eundemque olim Israëlítico populo, nunc Christiano, præfectum, cuius principali ministerio vetus ille populus ex Ægypto ductus in desertum, legem acceperit, ac in terram promissam perductus fuerit; ex varijs scripturæ locis inter se collatis ac benè expensis, denique ex ijs quæ de illo in ecclesiasticis officijs leguntur, ostendere non est difficile. Quod nos conati sumus, partim ad dist. 10. lib. 2. sent. partim ad illud 1. Cor. 10. *Et perierunt ab exterminatore.* Iam si lex per Michaëlem angelorum principem data est; cur non etiam per alios primi ordinis? Quod quidem fieri non potuit, nisi ad hoc à Deo mitterentur. Quocirca nihil efficiunt, qui locum præsentem exponunt de angelis legis ferendæ ministris; ne concedere cogantur, aut supremos, aut omnes omnino mitti. Nam si supremi mittuntur, quanto magis reliqui? Fateamur ergo quod apostoli verba disertè sonant, omnes angelos emitti ad ministeria. Neque enim tali vteretur interrogatione, *Nonne omnes & car.* nulla deinceps addita probatione; nisi significaret eam esse velut notionem fidelium animis impressam, omnes angelos in ministeria mitti. Sed ad ea quæ pro diuersa sententiâ adferbantur,

super-

supereff, vt breuiter respondeamus. Ad auctoritatè Dionysij dicimus, quâuis ea magna sit, ei tamen præferendum esse communem ecclesiæ sensum, sacris etiam scripturis congruentem, atque in ijs fundatum. Nam præter id quod de Michaële archangelo dictum est, alios etiam aliquos ex Cherubim & Seraphim, qui supremi sunt ordines, aliquando missos fuisse, nos docent scripturæ. Gen. 3. & Isa. 6. Quod verò dicunt, Dionysium ea quæ de angelorum hierarchijs & ministerijs, scribit, à Paulo magistro suo accepisse: non ita est, si de omnibus intelligatur. Neque enim Dionysius id affirmat: Et in eo opere sæpe ita loquitur, vt non certa, sed quæ probabilia putet se scribere significet. Quin & Gregorius, qui Dionysij sententiam securus creditur, in hom. 34. in euang. tandem concludit, ac profiteretur se de his nihil affirmare velle, quòd apertis testimonijs approbare nequeat. Argumentum quoque sumptum ex constantia ordinis inter angelos constituti, minimè conuincit; quia tam ordo naturæ, quàm ordo gratiæ in angelis seruite debet regno Christi; quem etiam angelorum caput & dominum esse, constat. Qui cum à Patre missus, per seipsum ad hæc infima descenderit, non vtiq; debet indignum aut inordinatum videri, si etiam angeli, quantauis naturæ, aut gratiæ dignitate præcellentes, ad externa ministeria à Deo missi, per seipsos ea expleant. Ad locum scripturæ de ministrantibus, & assistentibus; responderet eisdem significari utroque nomine. Quod tum ex alijs scripturis, quæ inter ea duo non distinguunt, tum verò perspicuè probatur ex oratione Ecclesiæ, in qua de angelis ita precatur: *Vt quibus tibi ministrantibus in celo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniat.* Sunt igitur iidem assistentes & ministrantes: assistentes quidem, vt semper parati ad exsequenda Dei iussa; ministrantes, dum eadem opere exsequuntur. Huius porro sententiæ plenioris explicationem petat qui vult ex commentario F. Riberæ, & ex nostris in secundum sentent.

CAPVT II.

PROPTER QVOD ABVNDANTIUS OPORTET OBSERVARE NOS EA QVÆ AVDIVIMVS. Applicat ea quæ superiori capite dixit, ad exhortationem. Quod nos habemus, *observare*, Græcè est *προσέχειν* id est, *attendere*, quomodo passim alibi transtulit idem noster interpret. Itaque alij vertunt hoc modo: Prop-

terea oportet nos vehementius attendere ijs, quæ audiuimus. Comparatiuus accipi potest absolutè, sic vt intendat positium; *Abundantius*, id est, admodum abundanter, valde vehementer. Potest etiam accipi comparatiuè; hoc modo: *Abundantius*, quàm hætenus. Cæperant enim Hebræorum animi tepescere à primo feruore fidei. Denique potest intelligi comparisonem fieri cum lege per angelos data, cuius statim mentionem faciet: vt sensus sit; Quanto Christus est angelis maior, tanto studiosius Christi legem, atque doctrinam semel susceptam, retinere debetis, eiq; firmiter adherere; quàm olim legi per angelos acceptæ, adhaesistis.

NE FORTE PEREFFLVAMVS. Græcè, *Ne quando præterfluamus*, tamen etiam verbi potest, *perfluamus*, aut, *diffuamus*. Augustinus, *desuamus* legit lib. 3. de Trin. cap. 11. Est autem metaphora, quam alij sumptam putant à vase perfluente, alij ab aqua effluente. Priori modo, sensus est; Ne audita nobis excidant è memoria; Ne simus instar dolij pertusi, aut rimosi, quod liquorem infusum non retinet. Hunc sensum optare videtur antithesis quæ est inter vocabula *attendere*, & *effluere*. Posteriori modo; Ne quando pereamus absque spe reparationis; instar aquæ, quam vbi semel effluxerit, impossibile est colligere. Qua ratione dictum est 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Hic sensus Græcorum est interpretum, idemque sanè probabilior. Est enim in hac parte significatio pœnæ, quam meritò timeant qui doctrine Christi negligenter attendunt, quæ & declaratur parte sequenti: tum quia sensus hic sine dubio significantior est priori. Tacitè enim innuit mysterium excacationis ac desertionis Iudæorum infidelium, de quo agitur Rom. 11. Quasi dicat apostolus, Ne & vos propter ingratitudinem inuoluat communis abiectio gentis vestræ. Nec est prætereundum quod Theophylactus post Chrysostomum annotat, Apostolum alluisse ad locum Prou. 3. iuxta versionem Lxx: *Fili ne effluas; aut, ne præterfluas.* Pro quo nos ex Hebræo legimus; *Fili mi, ne effluant hac ab oculis tuis.* Est enim in Græco idem verbum *παρὰρρῆς*. Etenim familiare est apostolo, per totam hanc epistolam ex interpretatione Lxx. scripturas depromere. Porro quod in prima persona loquitur, velut vnus eorum ad quos scribit; ideo facit, quòd ad homines scribat suæ gentis, quibus in exhortatione sese coniungit, modestiæ causa. Sed & ea res satis ostendit auctorem huius epistolæ non esse Clementem Romanum, vt quidam suspicati sunt.

SI ENIM QVI PER ANGELOS,

DICTVS EST SERMO, FACTVS EST FIRMVS. Aut *fuit firmus*; vt alij vertunt. Nam Græcum *ἐγένετο* reddi potest vtroque modo. *Sermonem per angelos dictum* nonnulli intelligunt omnia Dei præcepta, responsa, alioquin per angelos in veteri testamento ad homines dispensata. Verum si respiciamus ad scopum Apostoli, & alia scripturæ loca cum isto conferamus; non erit cur dubitemus apostolum hinc loqui de sermone legis datæ in monte Sina; quæ subinde per *verba legis*, & *verba fœderis*, in Deuteronomio significatur. Comparat enim apostolus legem illam cum lege Christi; & ex vtriusque differentia argumentum instituit. Idem ad Gal. 3. de lege Mosaica disserens, testatur eam ordinatam fuisse *per angelos in manu mediatoris*. Similiter B. Stephanus Act. 7. Iudæos increpans; *Qui accepistis*, inquit, *legem in dispositione angelorum, & non custodistis*. Ipse etiam Moyses Deut. 33. legislationem his, inter alia, verbis describit: *Domnus de Sina venit; & cum eo sanctorum milia. In dextera eius ignea lex.* Eos autem sanctos, Lxx. angelos interpretati sunt. Rursus hoc loco de sermone legis agere Paulum, satis arguit pars sequens, qua dicit omnem præuaricationem, & inobedientiam accepisse iustam mercedis retributionem. Hoc enim ipse cap. 10. de lege Mosaica exponit, dicens: *Irritam quis facies legem Moysi &c.* Porro sciendum est ita legem multorum angelorum ministerio latam fuisse, vt tamen vnus in eo ministerio primarius, ac princeps fuerit. Quod significauit Stephanus in eadē sua oratione, Act. 7. quando dixit, numero singulari, Angelum Moysi locurum esse in monte Sina. Quem quidem fuisse Michaëlem archangelum, populi Israël ductorem, atque custodem, iam ad finem capituli præcedentis attingimus. Erat autem is in legislatione minister primarius, quia representabat ipsius Dei personam, dicens: *Ego sum Dominus Deus vnus, &c.* sicut & in rubo, dicens: *Ego sum Dominus Abraham, &c.* Nam cæteri angeli vel assistebant tantum legislationi, vel, vt bene sentit Chrysostomus, excitabant tonitrua, fulgura, clangorem tubæ, fumum, & ignem; ad terrorem populi legem audientis: quæ describuntur Exo. 19. & 20. Hic igitur sermo per angelos est *dictus*, id est, enunciatus, prolatus, promulgatus. Nam Græcè idem est vocabulum, quod Interpres paulo post reddidit *enarrari*; sed eodem hoc sensu. Idem hic sermo legis angelorum ministerio datæ, *factus est firmus*; Deo legem confirmante signis illis terribilibus, quæ in ea ferenda edidit. Item *firmus fuit*, id est, pondus ac firmitatem obtinuit, quia nullus eam legem impune contempsit. Vnde sequitur,

ET OMNIS PRÆVARICATIO, ET INOBEDIENTIA ACCIPIT IUSTAM MERCEM REIBUTIONEM. Inter *præuaricationem*, & *inobedientiam* quidam distinguunt; At non

est necesse. Videtur enim apostolus hæc pro eodem accipere; Nisi forte quis *præuaricationem* in grauioribus intelligat, *inobedientiam* in minoribus: vt sensus sit, legis illius transgressores maiores, atque minores seuerè punitos fuisse; siue pœnis extraordinariè inflictis à Deo, quarum exempla aliquot 1. Cor. 10. commemorantur ex historia Exodi & Numerorum; siue pœnis ab ipsa lege constitutis. Huc enim spectare apostolum, argumento est locus similis infra cap. 10. vbi dicit *eum qui legem Moysi fecerit irritam, siue vlla miseratione duobus vel tribus testibus mori. Iustam ergo retributionem*, vocat, lege decretam; qua scilicet rigori legis satisfiat. Obseruanti Chrysostomus & Theophylactus catharesim in Græco vocabulo *μίσθωσις*, id est, *mercedis retributionem*; cum merces proprie tantum in bonam partem accipiatur. Quamquam & alibi mercedem in malo posuit apostolus, vt Rom. 1. *mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.*

3. QUOMODO NOS EFFUGIEMVS, SI TANTAM NEGLEGERIMVS SALUTEM? In nomine *salutis* metonymia est, qua ex effectu causa significatur. Intelligit enim doctrinam Christi, quæ *salus*, id est, longè maioris, *salutis*, ac fœlicitatis promissiones continet, quam lex vetus continebat. Lex enim corporalia, terrena, ac peritura bona promittebat; Christus spiritualia, cœlestia, & æterna nobis bona præparauit. Argumentum igitur apostoli est à minori: Si iustas dederunt pœnas, qui legem per angelos administratam transgressi sunt; quomodo nos iustam Dei ultionem effugere poterimus, si doctrinam salutiferam à Christo Dei filio nobis traditam reiecerimus? Sed aduersus hanc argumentationem totamque superiorem intentionem Apostoli, qua legis euangelicæ dignitatem supra Mosaicam attollit ex eo quod hæc per angelos, illa per filium Dei lata sit; obijci potest: cum vtriusque legis authorem Deum esse constet, nihil referre, per quem ad nos allata, nobisque tradita fuerit, an per Christum, an per angelos. Qua ratione Gregorius lib. 1. mor. cap. 1. de libro Iob affirmat superuacue quæri quis eum scripserit, cum Spiritum sanctum authorem eius teneamus. Auger quæstionē, quod apud Patres tam Græcos quam Latinos, interdum legitur, Christum fuisse, qui & Abraham sub quercu, & Moysi in rubo apparuit, & in monte Sina legis verba ad populū recitauit. ex quo consequens videtur, veterem legem non minus quam nouā datam esse per Christum. Respondeo, legis præstantiam per se quidem non accipi ab eo per quem datur; sed à præceptis, & virtute quam habet, vt homines bonos efficiat. Ea namque præstantior est lex, quæ meliora & perfectiora præcipit, quæque homines efficacius in finem, eūque meliorem, dirigit. Quod totum competere legi euangelicæ comparatæ cum lege Mo-

saica,

saica, compendio significauit apostolus, dicens: *Si tantam neglexerimus salutem.* At verò præstantiam legis ostendere nobis solet dignitas ministri per quem datur. Sapientis enim principis est, ea quæ maiora sunt & præstantiora, præstantioribus ministris delegare. Rectè igitur apostolus euangelicam legem à dignitate eius, per quem allata est, præ Mosaicam, cõmendat. Neque tamē Christus minister dumtaxat in negotio legis ferendæ fuit, quemadmodum angeli; sed legis ipsius author & lator: vt hac etiam ratione nouæ legi vetus cedere debeat. Altera enim à Deo per ministros; Altera à Deo per Deum, id est, Christum Dei filium data est. Quanta differentia; etiamsi leges ipsæ per se æquales essent, grauius tamen haud dubiè peccarent, qui legem violarent sibi traditam per filium Dei, quam qui datam per angelos. Illic enim, præter transgressionem diuinæ legis vtriusque communem, admisceretur etiam ipsius filij Dei contemptus & conculcatio; sicut dicitur cap. 10. Quod non contingit in transgressionem legis datæ per angelos. Altera quoque obiectio facillè diluitur. Non enim potuit lex Mosaica dari per Christum; qui, vt talis, nondum erat; sed eo sensu dicunt interdum veteres Theologi Christum patribus apparuisse, & legem in monte Sina dedisse, quod angelus ille princeps populi Dei, quoties in humana specie apparebat illis patribus, vt Abraham, Iacob, Moysi, Iosue, tribus in fornace pueris, alijsue prophetis; eam ostenderit vultus imaginem, ac formam, in qua Christus (ad quem omnes illæ figuræ referbantur) erat aliquando mortalibus appariturus: vt consentaneum sit etiam in morte, tali specie visum fuisse, non quidem populo, sed Moysi. Diximus aliquid hac de re ad illud 1. Cor. 10. *Neque tentemus Christum.*

QUÆ CVM INITIVM ACCEPISSET ENARRARI PER DOMINVM, Sensus: Quæ salus, quæ salutifera doctrina, quum primum inceptit *enarrari*, id est, sermone proferri, ac publicari per ipsum Dominum nostrum Christum, in terris agentem. Significat Christum primum per seipsum legem suam hominibus promulgasse. Idque opponit ei quod modò dixerat, sermonem veteris legis *dictum*, id est, enunciatum, ac promulgatum fuisse per angelos. Est enim vtrique in Græco idem verbum, licet ab interprete non vna voce redditur; vt & ibi monuimus.

AB EIS QUI AUDIERVNT, IN NOS CONFIRMATA EST. Quia pauci, ac vix vlli eorum ad quos scribit Paulus, Christum viderant in carne, eumque docentem audierant; idcirco duobus alijs argumentis doctrinam nouæ legis ratam, ac firmam apud eos esse debere, persuadet; quorum hoc est à testibus, sequens à miraculis. Ea doctrina, inquit, non incerto rumore ad nos allata est, sed à testibus oculatis, ipsius Christi discipulis, qui eū hæc

docentem audierunt; accepta, fidem & firmitatem apud nos obtinuit. Quidam, in nos *eis iquas* exponunt, *vsque ad nos*. quasi magnum significetur interuallum temporis. Sed prior expositio, quæ est Chrysostomi, textui magis conuenit. Porro qui hanc epistolam Pauli esse negant, eius opinionis ex hoc potissimum loco sumunt argumentum, & quidem iauictum, vt arbitratur Caietanus. At enim; Ecce textus testimonium perhibens, quod author huius epistolæ non fuit Paulus, sed aliquis qui non audiuit ab ipso Iesu salutem euangelicam. Author enim numerat se inter eos, in quos confirmata est salus euangelica ab eis qui audierunt à Domino. Paulus autem clarè dicit apostolos nihil sibi contulisse, seque non ab homine, neque per hominem didicisse euangelium suum; sed per reuelationem Iesu Christi. Similia scribit initio commentarij. Ad hoc argumentum, cuius etiam veteres meminerunt, variæ adhibentur responsiones. Vna est, Paulum ab ijs qui Dominum audierunt, non accepisse doctrinam ipsam, sed doctrinam quam tradebat confirmationem; quia sicut ipse de se testatur Gal. 2. Hierosolymam ascendit, vt cum apostolis euangelium suum conferret, ne in vanum curret; ita tamen vt ea confirmatio non tam esset ipsius Pauli, quam auditorū eius. Alia responsio est, Paulum non doctrinam, sed salutis confirmationem accepisse à Christi discipulis; quia nimirum sacramenta ab illis accepit. Nam ab Anania discipulo baptizatus est, Act. 9. Tertia responsio, non hinc agi de confirmatione per doctrinam, sed per miracula; quia sequitur: *Conestante Deo signis, & potentis.* Quarta, authorem non dicere se confirmatum fuisse in doctrina euangelij per eos qui à Domino audierant, sed salutem, id est, doctrinam ipsam salutarem. Quæ, inquit, ab eis qui audierant, ad nos, id est, vsque in hodiernum diem confirmata est, & confirmari non desinit per signa, & prodigia. Sequitur enim: *Conestante Deo signis &c.* Sic F. Ribera. Quinta solutio est, authorem vti pronomine primæ personæ, *in nos*, non quod suam ipsius personam velit comprehensam in ea re de qua loquitur; sed eo more quo solent concionatores, vel docendo, vel exhortando, vel etiam obiurgando, loqui in prima persona numeri pluralis. Sic enim modestior, & proinde gratior est sermo, quam si verbis vtantur secundæ personæ, quasi doctrina aut emendatione morum ipsi non egeant. Id autem eò magis facit apostolus, quod ad Hebræos scribat ipse Hebræus; id est, tanquam vnus ex illis. Ita paulo antè dixit: *Ne forte perversumamus.* Et iterum; *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Cum alioquin ad personam scribentis cohortandam ea non admodum pertinere. Exigebat autem sermone tenor vt in verbis continuo sequentibus personam non mutaret. Atque hic loquendi modus etiam infra

subinde occurrit, nominatim initio cap. 6. ubi scriptor iste, siue Lucam, siue Barnabam, siue Clementem eum fingas, manifestè sub aliorum persona loquitur, id est, eorum, quibus lacte opus esse, non solido cibo, proximè dixerat. Quos hortatur vt intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem ferantur. Hoc enim ad authorem epistolæ accommodari non potest. Sed & cap. 10. & 12. non dissimiles sunt adhortationes. Què modum sermonis etiam in prophetis inuenire est, siue populi peccata increpantibus, vt Isa. 64: *Facti sumus velut immandus omnes nos, & quasi pannus menstruata omnes iusticia nostra*; siue peccata apud Deum consentibus; vt Dan. 9. ubi quamuis fateatur se & sua, & populi peccata confessum; multa tamen in ea confessione memorat in prima persona, quæ non ipsius, sed aliorum erant peccata. Hæc postrema responsio, quæ multis placuit, nobis non displicet; imo vera omnino mihi videtur. Est enim textui maximè congruens, & Pauli ad suos Hebræos scribentis modestiam commendat. Certè Iudas apostolus, in sua epistola, simili fere modo, è numero apostolorum sese excludere visus est; etsi non prima, sed tertia persona vtens, cum ait: *Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Iesu, qui dicebant vobis quoniam in nouissimo tempore, &c.* quasi videlicet ipse ex ijs apostolis non esset. Verùm non hoc voluit, nec quisquam orthodoxus ita intellexit: sed detulit maioribus, vt Petro, Paulo, Iacobo, & alijs, qui talia prædixerant, iamque passione consummati erant; De seipso autem humiliter tacuit. Sed dices: Si Paulus est author huius epistolæ, cur non potius pro maiori confirmatione suorum Hebræorum, adiungit se ijs, qui doctrinam audierant ab ipso Christo; quemadmodum disertè de se proficitur in epistola ad Galatas? Respondeo, non tantam fuisse Pauli apud Hebræos auctoritatem, vt reuelationes suas referenti crederent. Neque enim Iudæorum, sed gentium erat apostolus: & Hebræos dudum offensus habuerat. Vnde apud illos auctoritatem suam prudenter dissimulat, ita ad eos scribens, vt dictum est, tanquam vnus ex illis.

4 **CONTESTANTE DEO SIGNIS, ET PORTENTIS, ET VARIIS VIRTUTIBVS.** Pro contestante, quod apud Latinos peculiorem habet significationem, alij malunt *attestante*: Sed Græcum participium, *συνεπιμαρτυρῆντος* tricompositum est, quod Latine sonat, *coattestante*, id est, simul attestante; quasi diceret Apostolus, humanum testimonium accedente diuino per miracula testimonio, fuisse roboratum. Quamuis enim dictum sit apostolum duobus argumentis doctrinam Christi confirmatam ostendere; altero à testibus, altero à miraculis: hoc tamen posterius etiam testimonij rationem habet, & quidem longe

excellentiore, scilicet diuini, quod profusè est infallibile. Conuenit cum hac parte quod Marcus in fine sui euangelij scribit Christi discipulos *vbique prædicasse, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Innuit autè apostolus, quemadmodum sermo per angelos dictus terribilibus quibusdam signis in monte ostensis, fuit confirmatus; ita doctrinam Christi multis ac varijs miraculis prædicationem eius comitantibus, confirmatam fuisse. Ea tribus nominibus appellat; *signa, portenta, & virtutes*; non hîc solum, sed etiam Rom. 15. & 2. Thess. 2. *Signa* vocabantur apud Iudæos, quod & peti soleant, & exhiberi tanquam signa virtutis diuinæ, quibus testata fieret veritas annunciata. Vnde Isa. 7. *Pete tibi signum a Domino.* Et iterum: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Et Ioan. 6. *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* Vocantur etiam *portenta*, seu *prodigia*, Græcè *τεράτων*, quod essent inuitata quædam & stupenda. Talia enim significantur Græco vocabulo. Vnde de ijs tantum dici solet in scripturis, quæ maiora sunt & mirabiliora. Denique *virtutes* vocantur, quod per ea Deus singulare, & extraordinarium virtutis, id est, potentia suæ, specimen ederet. Sed hîc rursus sese commouet Caietanus, & ex eo quod Paulus alicubi, velut ad Rom. 15. de se testatur, quod per ipsū Deus effecit signa, & prodigia; colligit eum esse de numero eorum, per quos etiam in authorem huius epistolæ veritas euangelica sit confirmata; quem proinde à Paulo diuersum esse planè sit consequens. Sed quàm infirma sit hæc collectio, satis intelligi potest ex supradictis. Adde quod forma argumenti quo Caietanus vtitur, manifestè peccat in regulam dialecticam. Neque enim soli, per quos euangelij veritas in Hebræos confirmata fuit, signa & prodigia fecerunt; cum etiam de ijs qui per apostolorum prædicationem credituri erant, scriptum sit: *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur.* Marc. vlr.

ET SPIRITVS SANCTI DISTRIBUTIONIBVS. Significantur charismata Spiritus sancti, quæ gratiæ gratis datæ vocantur à Theologis. Dicuntur autem *Spiritus sancti distributiones*, Græcè *μερισμοί, partitiones*, quod ea Spiritus sanctus ita partiretur inter fideles, vt non vni omnia, sed alijs alia largiretur; quemadmodum ex instituto declarat apostolus I. Cor. 12. vbi & ipsorum charismatum varietatem enumerat.

SECUNDVM SVAM VOLVNTATEM. Quamuis hæc pars etiam ad superiora possit extendi, id est, ad signa, portenta, & virtutes (hæc enim omnia Deus operatur secundum suam voluntatem): propriè tamè propter id quod proximè præcedit, addita videtur, videlicet ad significandum non esse quærendam in particulari rationem distributionis donorum Spiritus sancti; sed sufficere nobis debere beneplacitum voluntatis eius. Ita loco iam ci-

tato

tato ad Cor. cum diuisiones gratiarum recensisset, subiicit; *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Porro relatiuum, *suam*. Græcè *αὐτῆς*, ipsius, siue ad Deum referas, siue ad Spiritum sanctum; parum interest, quia & Spiritus sanctus Deus est, & Trinitatis indiuisa voluntas: tamen locus memoratus epistolæ ad Cor. suadet vt ad Spiritum sanctum referatur.

5 **NON ENIM ANGELIS SVBIECIT DEVS ORBEM TERRÆ FUTVRVM, DE QVO LOQVIMVR.** Deus in Græco & Syriaco non exprimitur, vt nec in omnibus Latinis. Facile autem suppletur ex parte præcedente. Porro connexio huius periodi cum præcedentibus, in qua explicanda plæriq; laborant, hæc rationem habet. Nam superior argumentatio Pauli, *Si enim qui per angelos &c.* nitebatur excellentiæ Christi supra angelos; quæ quidè satis, abundèque probata fuerat primo capite. Veruatamen vt plenius lectori satisfaciat, ad eiusdem excellentiæ comprobationem, adhuc aliud adiecit nunc argumentum. Vnde & rectè vltus est causali particula, *enim*. Est & alius modus connexionis admodum probabilis, si dicamus hîc Occupationem esse, qua occurratur tacito argumento Hebræorum, quod diceret sacras literas docere quod angeli sint principes ac moderatores orbis terræ; quorū alij alijs regnis præsideant. Dan. 10. Vt hac ratione videantur Christo superiores, cui regna terræ subiecta non legimus. Apostoli responsio est, Angelis quidem orbem terræ præsentem subiectum esse; non tamen *futurum*, qui longè præstantior est, & Christo principi seruat. Quaritur ergo quem intelligat *orbem terræ futurum*. Chrysostomus de orbe terræ præsentem sermonem esse contendit; quem *futurum* dici interpretatur respectu æternitatis filij Dei. Quo sensu omne creatum futurum est. Hunc Chrysostomi commentarium Theophylactus sequitur, & ex neoteris nonnulli. Quem tamen F. Ribera restringit, & explicat, vt non absolute de mundo præsentem accipiat, sed de hominibus, ac cæteris, quæ in terra sunt. De hominibus quidem, in vitam æternam adducendis; de cæteris verò, quatenus hominum salutis subseruiunt. Huc enim spectat regnum & dominium Christi, quod ei datum est à Patre super orbem terræ. Atque hunc *futurum* dici putat, quia noui homines futuri erant in mundo, nouum sæculum, noua respublica; videlicet ecclesia à Christo authore profecta, & vsque ad finem sæculi decursura. Alij verò *orbem terræ futurum* intelligere malunt, vel ecclesiã, qualis futura est post hoc sæculum in gloria cælesti; vel in genere, statum mundi futurum post resurrectionem, id est, cælum nouum, & terram nouam, & quicquid in eis erit. Qui quidem sensus consuetudini sacræ scripturæ valde consonat, quæ spè nostram in bona futura, id est, post hanc vitam expectanda protendere nos docet. *Non enim*

prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. I. Cor. 15. Vnde & Christus, eodem loco, *secundus homo, & nouissimus Adam* vocatur. Qua ratione etiam *pater futuri sæculi* dictus est, Isa. 9. Sic apostolus, in hac ipsa epistola, de futuris loquitur. vt cap. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Qua vtique sententia, veluti digito, monstrat nobis *orbem terræ futurum*. Idem facit cap. 11. quum docet sanctos patriarchas *per fidem expectasse ciuitatem fundamenta habentem, cuius artifex & conditor Deus, eamq; vt patriam suam inquisisse.* Hæc igitur *ciuitas* est *orbis terræ futurus*. Vnde addit, *de quo loquimur*, id est, de quo nobis præcipue sermo est institutus; quia nimirum in hac epistola potissimum agitur de potestate Christi: Est autem *Christus futurorum bonorum pontifex*, vt dicitur cap. 9. Quod verò ad orbem terræ & mundum præsentem attinet; nusquam scriptura negat eum angelis, vt moderatoribus, esse subiectum, sed magis affirmat; vt apud Danielelem, & alibi. Imo verò interdum hoc etiam tribuere videtur angelis defensoribus. De qua re alibi. Conuenit item hic sensus cum eo, quod superiori capite dictum est: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ:* Idque secundum expositionem, quam vt probabilior em eo loco attulimus. Vnde & hanc partem, *de quo loquimur*, quidam illuc referunt; quasi sensus sit, de quo supra locuti sumus. Denique, iuxta hunc intellectum optimè pars ista coheret cum ijs, quæ mox sequuntur; vt in progressu patebit. Nec repugnat vocabulum *terre*, in Latino expressæ, in Græco intellectæ. Nam de terra, & orbe terræ, spiritualiter ac mysticè scripturam loqui non est insolitum. Vbi tamen etiam meminisse oportet *noua terra*, in qua, teste Petro, iusticia habitat. 2. ep. 3. Tradunt hunc commentarium inter veteres Theodoretus & Occumenius; inter posteriores Liranus & Caietanus. Eiusdem meminerunt Theophylactus & B. Thomas: & ita quidem, vt probare videantur. Ex quibus facile intelligitur, verbum præteritum, *subiecit*, hunc habere sensum: subijciendum prædixit aut promisit; quasi dicat, Principatus orbis terræ futuri non est angelis decretus aut promissus à Deo.

6 **TESTATVR AVTEM IN QVODAM LOCO QVIS, DICENS.** Postquam dixit non angelis Deum subiecit orbem terræ futurum; sequebatur vt diceret Christo eum subiecit. Hanc assumptionem non exprimit, sed ex probatione relinquit intelligendam: quasi dicat, Atqui Christo illum subiecit; id quod alicubi testatur quidam. Authorem & locum scripturæ non nominat, quod ad Hebræos scriberet sacrarum literarum non ignaros. Quem morem seruat per totam fere epistolam. Porro, Dauidem esse psalmi octauo, ex quo testimonium citat, authorem, interpretes non dubitant; ne Hebræi quidem; qui

tra-

tradunt eum à Dauide ouium pastore decantatum fuisse, quando nocte custodiam agens gregis sui, (sicut illi pastores euangelici, de quibus Luc. 2.) contemplabatur cælum, & in cælo lunam & stellas; atque in ijs, tanquam Dei operibus, admirabile Dei nomen & potentiam suspiciebat. Vnde Solis non meminit; quia sol nocte non videtur: Stellarum autem meminit, quæ nocte tantum apparent. Quod etiam credunt pertinere, quod inter ea quæ Deus homini subiecit, oues primo loco posuit, dicens: *Oues & boues uniuersas, &c.* quia nimirum circa oues cura eius versabatur. Pertinet eodem quod ait; *Ex ore infantium &c.* Erat enim ipse ruc adhuc paruulus.

QVID EST HOMO, QVOD MEMORES EIVS; AVT FILIVS HOMINIS, QVONIAM VISITAS EVM? Qua ratione testimonium hoc psalmi in Christum competat, non vna est expositorum sententia. Sunt qui totum psalmum secundum litteram ad Christum, eiusque regnum referant; argumento sumpto tunc ex hoc loco, ubi tres versus continui, pro testimonio sumuntur, tanquam de Christo loquentes; tum etiam ex 1. Cor. 15. & Eph. 1. quibus locis illud: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, in Christum apostolus interpretatur. Ac denique ex eo quod ipse Dominus Matth. 21. versum illum, *Ex ore infantium & lactentium &c.* adduxit de pueris ipsi acclamantibus *O sanna*. Atque hanc esse putant sententiam Augustini & aliorum veterum, qui psalmum ita de Christo sunt interpretati, ut alterius sensus non meminerint. Addunt, eum versiculum: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, de nullo alio, quam de Christo, verè accipi posse. Quis enim alius est, inquit, cuius pedibus Deus omnia subtraherit? Alij verò sunt qui simul & de homine ipso, seu de humano genere, & de Christo, psalmum iuxta litteram interpretantur; videlicet geminum sensum litteralem huic psalmo (quod & in alijs quibusdam faciunt) ascribentes. Sed de huiusmodi ratione interpretandi scripturam, quid sentiendum sit, iam supra admonuimus, in tractatione illius testimonij: *Ego ero illi in Patre &c.* Nobis maximè probatur Euthymij & Iansenij sententia, qui psalmum historicè quidem & secundum litteram de ipso homine exponunt; mysticè verò, siue iuxta quandam appropriationem, de Christo. Nam quod ad historicum sensum attinet; si quis totius psalmi seriem & verba diligenter expendat, facile intelliget in eo celebrari Dei creatoris inestimabilem potentiam in creaturis relucens, ac peculiariter ipsius in genus humanum beneficentiam. Quod, cum miserum sit & vile, tot & tantis beneficijs dignatus sit: ut qui hominem considerit ab angelis secundum, nec illis multo inferiorem, imaginis suæ participem, dominum totius corporeæ creaturæ, præsertim animalium, quæ in usum eius cedere iussit. Huius sensus ampliorem probationem vide apud Iansenium in annotationi-

bus eiusdem psalmi. Vbi etiam doctè explicatum inuenies, quemadmodum seu mystico, seu appropriato sensu, totus psalmus de Christo, & regno eius atque dominio possit exponi. Quod autem Augustinus & alij quidam veterum ita huius psalmi omnia de Christo interpretantur, ut de homine nihil dicant; nequaquam probat eum ad hominem historico sensu non pertinere. Visum enim fuit illis Patribus mysticum sensum, tanquam sublimiorem & vtiliorem, prosequi; prætermissa (non tamen damnata aut exclusa) literali intelligentia, qua ad hominem eo modo quo dictum est, referretur. Nam quod obijciunt alij, in solo Christo veritatem obtinere, quod in psalmo dicitur, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; facile ex ipso loco refellitur, ubi generalitas illa verbis sequentibus aperte explicatur; *Oues, inquit, & boues uniuersas, insuper & pecora campi; Volucres cæli &c.* Quibus utique verbis commemoratur dominium, quod Deus homini in sua creatione contulisse legitur super omnia animantia, Gen. 1. Nec est quod quis cauilletur, hominem eo dominio per peccatum excidisse. Sic enim Ioannes Caluinus obijcit; addens, Ad præuaricatoris filios, donec in Christi familiam cooperati sunt, iniuste sibi vindicare usum creaturæ; totumque quod usurpant, eis in furtum imputari. Sed hæc secundum veram Theologiam falsa sunt & erronea. Non enim dominium illud ablatum fuit homini posteaquam peccauit; sed, quoad usum & exercitium, ex peccati merito vehementer diminutum: id quod experientia satis docet; Veruntamen secundum se mansit homini integrum: perinde ut integrum ius remanet Domino cuiuspiam in seruum rebellem & inobedientem; etiam si ipse suo peccato meruerit eum talem pati. Nam integrum dominij ius in animantia, relictum homini fuisse; liquet ex Gen. 9. ubi simul cum benedictione multiplicanda posteritatis, reperitur ac renouatur humano generi, in Noè & filijs eius, dominij potestas in animantia. Nec mirum; quia dominium istud homini competit non per gratiam, sed per naturam; quatenus scilicet est animal mente ac libero arbitrio præditum. Non tamen negamus, imo prorsus asserimus, versiculum, *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, in Christi persona multo plenius, & vniuersalius atque perfectius implendum esse; iuxta sensum eius mysticum, ex apostoli sententia paulo post explicandum. Est qui hunc versum, *Quid est homo quod memor es eius &c.* non de Christo, ne hoc quidem loco exponendum esse, censeat; sicut Glossa tam ordinaria, quam interlinealis exposuit. Non enim ea verba competere in illum qui primogenitus est omnis creaturæ; quemque Pater non diligere & magnificere non potest. Argumento esse, quod homo, & filius hominis scribuntur sine articulis, non hic modo, verum etiam in psalmo; nec tantum in Græco, sed etiam in He-

bræo.

bræo. Christus autem nusquam in scriptura, filius hominis appellatus legitur absque articulo, eoque duplici, id est, utriusque dictioni præfixo. *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*. Sed qui ita dicit, parum considerat quod sequentia huic versui non cohærebunt, si hæc opinio recipiatur. Vnde etiam hic versus, ad mentem apostoli, erit de Christo accipiendus, siue quatenus humanam naturam gestans, quæ non meretur tantam visitationem & exaltationem; siue quatenus fœdatus ignominia & tormentis. Ipse Dominus in euangelio passim se filium hominis appellat, volens significare quod sese ipse nostri causa demiserit; ait non semel Augustinus. Videatur huius loci commentarius qui est apud S. Thomam. Iam nec aliud est homo, aliud filius hominis, sed idem, iuxta morem Hebræi sermonis; uti facile potest ex alijs scripturis probari. Quare quod additur, *Aut filius hominis quoniam visitas eum?* repetitio est, qualis in psalmis frequens, inculcandi, & amplificandi vim habens. Dicimus ergo versus hunc intelligendum esse de homine secundum genus suum; ut sensus sit, Domine Deus, quid est homo, terrenum animal, quod tu tantus, tamque immensi operis artifex, illius rationem & curam habeas? Quid, inquam, est filius hominis, id est, homo ex homine natus, mortalis ex mortali, miser ex misero; quod eum beneficentiæ tuæ donis, quæ multa & magna in eum contulisti, dignatus es inuisere?

7

MINVISTI EVM PAVLO MINVS AB ANGELIS. In Hebræo rursus pro angelis, est *elohim*. Quo nomine Deus, aut Dii propriè significantur. Vnde Hieronymus in psalmo vertit: *Minus eum paulo minus à Deo*. Idemque (si tamen ipse author est) in eiusdem psalmi commentario admonet in Hebræo *Deum*, non *angelos* legi. Sed cum frequenter hoc nomen alijs excellentibus personis in scriptura communicetur: non malè Lxx. interpretes, quos apostolus in hac epistola assidue sequitur, verterunt, *ab angelis*. Quin, et si vertissent, à *Dijs*, non alios tamen eo nomine, quam angelos intelligeremus; quæ admodum & de illo versu psal. 96. *Et adorent eum omnes Dii*, capite superiore docuimus. At neque damnandum quod Hieronymus interpretatus est, à *Deo*: Nam siue legas à *Deo*, siue, à *Dijs*, id est, *angelis*, commodus erit sermo, quo secundum litteram significetur, homini collatam esse à Deo dignitatem prope diuinam, aut angelicam. Tamen si quædam hyperbole est, si à *Deo*, legatur; ut si dicat psalmista, *μικρότερον*, id est, *paruum quendam Deum* hominem fecisti. Non tamen ferenda est Iacobi Fabri temeritas, qui quod hoc loco, & iterum paulo inferius Græcè est *παρ' ἀγγέλων*, *ab angelis*, ausus est Latine vertere, à *Deo*; Græcum Pauli interpretem accusans, atque in ius vocans, quod cum Paulus scripserit, *Elohim*, (certum enim putat ab eo Hebræicè scriptam hanc episto-

lam) ipse pro *Deo, angelos* sit interpretatus. Atqui idem Faber cap. 1. vertit angelos; *Et adorent eum omnes angeli Dei*: quamvis & illud Hebræicè sit *Elohim*. Respondet, eam interpretationem huic loco non posse conuenire, eo quod palam aduersetur intentioni Paulinæ, quæ est Christum longè supra angelos extollere; quem ista interpretatio infra angelos deprimat. Sed quomodo nequaquam aduersetur, facile nos ex commentarijs & doctrina patrum ostendemus. Nam cætera quæ Faber obijcit, ab Erasmo tam in Apologia, quam in Annotationibus, copiosè sūt refutata. Tantum illud adijcio, Syrum interpretem utrobique *angelos* trāstulisse. Porro quod nos habemus, *paulo minus*, Græcè est, *βραχύτερον*, quod Latine sonat, *breue quid*. Potest autem & ad tempus & ad magnitudinem seu dignitatem referri; sicut & Hebræa dicitio *meat*, quæ in psalmo legitur. Quod utrumque rursus aduersus Fabrum, negantem de breuitate temporis ea vocabula accipi posse, bene probat Erasmus. Igitur quidam ad dignitatem referunt, hoc sensu; *Fecisti eum angelis paulo inferiorem*, videlicet quoad humanam naturam, qua eum induisti. Nā humana natura, quamuis intellectu prædita sit, & ad imaginem Dei condita, sicut angelica; non tamen angelicæ excellentiam naturæ assequitur, maximè si spectetur secundum conditionem suæ mortalitatis. Hic sensus Latinis plerisque placuit. Vnde & Augustinus libro 2. de symbolo ca. 4. & Gregorius hom. 8. super Ezech. ex hoc apostoli loco docent Christum secundum assumptam humanitatem, angelis esse minorem. Atque hunc sensum probabilem reddidit litteralis intelligentia psalmi, in quo particula, *paulo minus*, modicam dignitatis distantiam, non autem breue temporis spatium, designat; quemadmodum ex supradictis intelligi potest. Suffragatur etiam versio Syriaca, quæ vocabulum habet ad quantitatem, non ad tempus pertinens, si Matthæo Galeno creditur. At verò diuersa est sententia Græcorum, Origenis, Athanasij, Chrylostomi, & eius sequacium, imo & B. Thomæ Aquinatis, & ipsius Augustini, quem Thomas allegat; qui omnes hanc seu breuitatem, seu paruitatem ab apostolo significatam, ad tempus referunt. Quos etiam secutus Erasmus, vertit hoc modo: *Fecisti eum paulo inferiorem angelis*. Quod ita exponunt: Ad breue tempus, scilicet durante corporis eius mortalitate, & passione; ac triduo sepulturæ, quo mansit in morte; voluisti eum angelis esse minorem; id est, infra angelos abiectum; tam conditione mortalitatis & passionis, à qua aliena est angelorum natura, quam vulgari hominum existimatione, quos illa carnis eius infirmitas, & passionis ignominia non sinebat de eo magnum aliquid opinari. Sed tempus illud resurrectione finitum est; & ex eo iam cæpit impleri quod hic sequitur; *Gloria & honore coronasti eum, &c.*

Pro.

Pro hac Græcorum expositione facit imprimis ipsius apostoli subiuncta declaratio. Nō enim quia Christus homo factus est, sed quia passionem mortis sustinuit (sub qua tota eius mortalitas intelligenda est) cum paulo minus ab angelis minoratum significat. Quod & Gregorius vrget inter alia, loco iam citato. Quod si minoratum intelligas ratione naturę assumptę: cum eam nunquam sit dimissurus; cōsequens erit, vt semper angelis minor remaneat. quod esse contra scopum apostoli, statim ex sequentibus apparebit. Deinde, si propter passionem mortis ab angelis paulo minoratus est, vt vult apostolus: ergo non parum, sed multum infra eos deiectus est, imō & infra homines; adeo vt ipse propter hanc causam conqueratur, & dicat in psalmo 21. *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.* Non igitur consistit cum mente apostoli, vt dicitio, *paulominus*, dignitatem respiciat, quemadmodum aduersus Fabricum non malè ratiocinatur Erasmus. Certè Lucas, quem huius epistolę scribam amanuensem Paulo fuisse verisimile est, eandem Græcam vocem manifestè retulit ad tempus, Act. 5. vbi noster interpres habet: *iussit foras ad breue homines fieri*, id est, iussit eos paulisper foras secedere. Nec his obstat literalis psalmi intellectus. Nihil enim vetat quo minus id quod ad literam de dignitate dictum est in psalmo; secundum alium sensum de tempore possit intelligi. Pręstat enim nobis hanc interpretandi facultatem ipsa fecunditas sensuum scripturę. Quare, vt concludamus, est in hac parte quędam occupatio eius, quod ab Hebręis obijci poterat: Christum scilicet mortalem & miseris subiectū inter homines egisse; nec id solum, verum etiam sędē tractatum, ac turpissima morte condemnatum; vt de eo dicat propheta, *Vidimus eum despectum, & nonissimū virorum.* Isa. 53. Quę omnia longē infra sublimitatem angelicę dignitatis eum cōstituunt. Sed hæc, inquit apostolus, ad breue temporis spaciū ei contigerunt; ita nimirum exigente negotio procurandę nostrę salutis. Quo peracto statim per resurrectionem immortalitate donatus est; & ad supremum honoris & glorię fastigium, ex eo iam tempore, euehi cepit. Quod significant verba sequentia.

GLORIA ET HONORE CORONASTI EVM. Honor est testimonium excellentię: Gloria, Cicetone definiēte lib. 2. de inuentione, frequens de aliquo fama cum laude. *Coronare* Hebręis est in modum coronę cingere. Vnde illud psalmi 5. *Scio bona voluntatis tuę coronasti nos*, id est, benevolentia tua, velut scuto, nos vndique circumdediti. Sensus igitur huius particulę est; Gloria & honore Christum cumulatē & affluenter ornasti: gloria quidem, qua fit vt eius nomen vbique prædicetur, atque laudeatur; honore autē, vt ab omnibus adore-

tur. Quidam *coronare* interpretantur, coronā seu præmium reddere. Quod etsi huic loco probè quadret, & apostolum id spectasse non sit improbabile, maxime cum paulo post dicat, *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* In psalmo tamen, iuxta sensum eius literalem, ita accipi non potest.

ET CONSTITVISTI EVM SVPER OPERA MANVVM TVARVM. Hoc est, præfeciisti eum operibus a te factis. Id enim phrasis ipsa significat velut psal. 2. *Constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Matth. 24. *Super omnia bona sua constituet eum.* & frequenter alibi. Quæritur, quę opera Dei intelligantur, super quę Christum constituit; & quādo illud fuerit impletū. Sed vtrumque differamus in proximum versiculum, qui est huius repetitio quędam & explicatio.

8 OMNIA SVBIECISTI SVB PEDIBVS EIVS. Quod ait, *sub pedibus eius*, perfectam declarat subiectionem. Conferendus est autem hic locus cum eo qui est 1. Cor. 15. vbi persimilis est huius scripturę tractatio. Porro ne quis hæster, quęnam omnia pedibus eius subiecerit; id iam exponit:

IN EO ENIM QVOD OMNIA EI SVBIECIT, NIHIL DIMISIT NON SVBIECTVM EI. Alij propius ex Græco sic vertunt: *Nam subiiciendo ei omnia, nihil omisit ei non subiectum.* Docet apostolus illud, *omnia*, non pro multis sumi, nec ad certum aliquod rerum genus restringi; vt interdum solet in scripturis: sed ita generaliter accipiendum, vt nihil profus excipiat. Intellige, præter ipsum Deum ei omnia subiicientem. Hanc enim exceptionem, eamque solam, apposuit idem apostolus 1. Cor. 15. inquit, *Cum autem dicat, Omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia.* Quare & in parte præcedenti, quod ait: *Super opera manuum tuarum*; vniuersam Dei creaturam intelligere debemus. Relinquitur ergo vt super omnem creaturam constitutus sit Christus; & omnis creatura pedibus eius subiecta; quanquam non omnis eodem modo. Nam alia est amicorum, alia inimicorū subiectio; alia quoque earum rerum, quę neque sentiunt, neque intelligunt: quemadmodum id plenius a nobis explicatum est in commentario ep. 1. ad Cor. Vrget autē ita studiosè generalitatem istam apostolus, vt intelligat Hebręi etiam angelos Christo subijci tam bonos, quàm malos. Vtitur verò verbis præteriti temporis, sicut & Psalmista; propter certitudinem promissionis ac decreti diuini. Nam nondum fuisse hoc re ipsa ipsoque effectu completum, ostendit quod sequitur.

NVNC AVTEM NECDV M VIDEMVS OMNIA SVBIECTA EI. Aduersus id quod dixit, *Omnia sine exceptione Christo esse subiecta*; mouet obiectionem, quam & con-

tinuò

tinuò remouet. Simul etiam facit hæc pars ad intelligentiam eius, quod supra dixit de *orbe terra futuro*. Iam enim fateatur nondum omnia Christo subiecta esse. Non ergo loquebatur illic de statu mundi præsentē, sed de eo qui futurus est tunc, quando omnia Christo erunt subiecta. Nūc quidem, inquit, res ipsa testatur nondum omnia parere Christi império. Nam & demones regnum Christi oppugnant; & homines mali bonos affligunt, ac persequuntur; Denique multi adhuc sunt nascituri, siue electi, siue reprobi, Proinde nondum Christo subiecti, sed suo tempore subijciendi. Rursus autem conuenit hæc sententia cum ijs quę habentur 1. Cor. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Et iterum: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia; tunc & ipse filius,* &c. Ea namque significant nondum omnia Christo subiecta esse. Sequitur obiectionis solutio.

9 EVM AVTEM QVI MODICO, QVAM ANGELI MINORATVS EST. Quod supra dixit interpres, *paulominus ab angelis*, hic vertit, *modico quàm angeli*; cum in Græco idem vtrouque legatur, Vnde sensus huius, ex parte illa superiore petendus est.

VIDEMVS IESVM, PROPTER PASSIONEM MORTIS, GLORIA ET HONORE CORONATVM. Sensus totius sententię est. At interim videmus eum qui paulisper ac modico tempore infra angelos abiectus fuit, Dominum, inquam Iesum, propter passionem seu cruciatum mortis, quam sustinuit, gloria & honore vnde quaque cinctum & cooperitū. Id est, Videmus eum toto iam orbe a populis credentibus glorificari & honorari. vel, secundum alios, gloria & honore, vt præmio passionis affici, more coronę, quę datur vincenti. Quasi dicat, Iam nobis aspicientibus impletur illud; *Gloria & honore coronasti eum*: quamuis paulo antè probrosissimè fuerit habitus. Quare non est quod dubitemus etiam hoc posterius, *Omnia subieciisti sub pedibus eius*, suo tempore complendum esse; præsertim cum id ipsum etiam nunc bona parte paulatim videamus impleri per fidem gentium; iuxta illud psalmi 46. *Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* Hic quæres, an & illud præcedens; *Constituisi eum super opera manuum tuarum*, nondum sit impletū, sed adhuc implendū. Respōdeo, potestatem quidē ac præfecturam totius creaturę datam fuisse Christo homini, quādo verbū caro factū est; executionē verò eius potestatis, secundū ea quę iam dicta sunt, fieri paulatim ac tandem impletum iri in aduētū ipsius nouissimo. Nā etsi rex quispiā iure dominus sit ac princeps rebellium subditorū; nō tamē habet eos reuera subiectos, donec debellauerit. Obiter admonemus, ex hac scriptura satis colligi quod videre & credere non omnino repugnat. Credimus enim Iesum propter passionē mortis gloria & honore coronatum: Et tamen id ip-

sum nos videre testatur apostolus. Quę quomodo cōsistat; explicare conati sumus lib. 3. sent. dist. 24. Porro sciendū est B. Augustinū lib. 3. contra Maximinū cap. 25. partem illam, *propter passionem mortis*, cōstruere cum verbo *minoratus est*; tanquam significetur, Christū propter passionē mortis minoratum ab angelis, postea gloria & honore coronatū fuisse. Quæ etiā locus Augustini huc in glossā ordinariam relatus est. Sed hæc constructio violentior est, tamen si putamus his apostoli verbis non obscurè innui quod Augustinus vult, Christum per hoc ab angelis minoratum esse, quod passionem mortis subierit; quandoquidem propter eandem passionem mox fuerit glorificatus. Quod pertinet illustri locus eiusdem apostoli Phil. 2. *Humiliavit semetipsum*, inquit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter quod & *Deus exaltavit illum*, id est, gloria & honore coronauit. Nam de gloria sequitur, *Et donauit ei nomen, quod est super omne nomen.* Deinde de honore. *Vt in nomine Iesu omne genua flectatur,* &c. Iam ex his scripturis perspicuū est, Christum sua passione non nobis tantum promeruisse bona salutaria, sed & sibi ipsi gloriam & honorem. Id enim aperte significant illa verba: *Propter passionem mortis.* Et, *propter quod exaltavit illum.* Id opus obseruatu aduersus Caluini errorem, totius ecclesię sensui cōtrarium; quo negat Christum sibi quidquam meruisse. Vnde & quod hic dicitur, *propter passionem mortis*, ita exponit: hoc est, mortem patiendo. Nam medium obtinendę glorię iudicatur. Sic ille, tenebras quærens in luce; ne meritum in Christo, respectu suę resurrectionis ac glorię, cogatur agnoscere. Meruit autem Christus & sibi gloriā & nobis salutem, per mortis passionem; quatenus eam ex immensā charitate, humilitate, obedientia, patientia subiuit.

VT GRATIA DEI PRO OMNIBVS EVSTARET MORTEM. Illud (gratiā) nobis esse sexti casus, patet ex Græco. Parum verò aptè videri potest hæc pars coherere cū præcedenti. Nō enim Iesus gloria & honore coronatus est, vt mortē gustaret, sed quia mortem pro omnibus gustauit. Huic incoimmodo B. Thomas & alij nonnulli sic occurrunt, vt partem hanc remittant ad superius verbū, *minoratus est*; ita sententiā ordinantes; *Iesum, qui paululum infra angelos minoratus est, ita vt gratiā Dei mortem pro omnibus gustaret: nūc videmus propter eandem passionem mortis, gloria &c.* Sed durius est hoc hyperbaton, ac non necessarium. Potest enim ista pars accipi velut explicatio eius quod proximè dixerat, *propter passionem mortis.* Videmus inquit, Iesum gloriā & honore coronatum propter passionē mortis, qua nimirum passione mortē gratiā Dei pro omnibus gustauit. Nam & Græcè nō est *ita* sed *ὅπως*, quę vocula modū magis quàm finalem causam significat. Explicatur ergo meritū glorificationis, quū dicitur

N n

non

non quomocunque mortem passus, sed ex charitate, pro omnibus. Est autem in Græco quædam lectionis varietas: Nam pro eo quod noster interpres legit, quodque codices omnes nunc habent, *Χαριτι δεσ*, id est, *gratia Dei*, in quibusdā olim legebatur, *Χωρις θεσ* id est, *absque Deo*, scilicet à Deo, excepto Deo. Et quidē existimāt Theophylactus & Oecumenius Nestorianos ad hunc modum scripturam depravasse, ut eo argumento personas in Christo diuiderent; quasi sensus sit, eum qui homo est, non eum qui Deus est aut Dei filium, mortuum esse. Sed ut constet Nestorianos ea lectione ad sui dogmatis firmamentum abusus aliquando fuisse: Non tamen ab illis ea mutatio facta est. Multo enim ante exortum Nestorium hoc pacto legisse inuenitur Ambrosius, lib. 2. de fide cap. 4. sed sensu minime Nestoriano. Sic enim ait: *Quam benè posuit apostolus, quod sine Deo pro omnibus gustauerit mortem; ne diuinitatis illam passionem putarem fuisse non carnis.* Rursus eo modo citat & plenius exponit lib. 5. cap. 4. *Mysteriū inquit, incarnationis Dei vniuersa salus est creatura; secundum quod scriptum est: Vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem.* Id est, *Quod creatura omnis sine passione aliqua diuinitatis, Dominici sanguinis redimenda sit precio: sicut alibi habes: Omnis creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* Hæc ille. Quin etiam ante eum Origenes tomo 1. in Ioannem eodem modo locum hunc recitat; monens interim in quibusdā exemplaribus etiam alterum haberi. Nisi fortè ea admonitio sit Ruffini interpretis, qui solet de suo addere. Cæterum existat eadem lectio apud Theodoretum. Qui quamuis aliquādo propensior fuerit in Nestorianos; non tamen eam partem ex illorum sententiā interpretatur, sed hunc facit sensum, *Pro omnibus absque Deo*, id est, solo Deo excepto, qui nullo remedio opus habebat; Christum mortuum esse, etiam pro angelis, quatenus scilicet ex hominum redemptione: gaudium illis accessit. Quam memoratæ lectionis interpretationem etiam Theophylactus & Oecumenius recipiunt; tamen lectionem non probent. Porro Syri codices hinc quoque variant; alijs ita legentibus, *Ipsè enim Deus per suam bonitatem pro omni homine gustauit mortem.* Alijs hoc modo, *Ipsè enim, excepto Deo, per bonitatem suam &c.* aut, *per bonitatem eius, nempe Dei:* Id enim in Syro manet ambiguū. At verò nobis ea lectio probatur, quàm hodie tam Græci quàm Latini codices constanter exhibent, quàm & Chrysostomus solam agnouit. Habet enim sensum planum & scripturis valde consentaneum, huiusmodi: *Vt per gratitatem Dei Patris bonitatem, seu beneficentiam & φιλανθρωπιαν, qua ille genus humanum dilexit, mortem pro omnibus gustaret.* Simili prorsus sermone dicitur infra cap. 9. *Christus per Spiritū sanctum obtulisse semetipsum immaculatum Deo.* Nam Spiritus

sanctus bonitas est Dei. Huc faciunt scripturæ Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Tit. 3. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri, Dei &c.* Videndum nunc quam vim habeat illud, *pro omnibus*, cuius loco Græcè est *ὑπὲρ πάντων* pro omni. Quod utrum accipiendum sit ut neutri generis, pro omni re seu creatura; an ut masculini, pro omni homine; non liquet. Ut neutrum acceperunt Origenes, Ambrosius & Theodoretus. Ut masculinum Chrysostomus, ac cæteri ferè omnes. Quod & Syrus interpres sua versione expressit, addens, *homine.* Sanè pro neutro faciunt alia loca apostoli, in quibus signum hoc vniuersale singulariter & solitariè positum in Græco, ad res, nō ad personas refertur, ut 1. Cor. 1. 2. Cor. 6. & 7. atque alibi. Sed & phrasī ipsa Græci sermonis neutrum genus exigere videtur. Verum non inde consequitur, sensum esse, quod pro omni creatura etiam angelica, etiam inanimata, mortuus fuerit Christus; nisi cum Origene fateamur etiam pro astris imo & pro dæmonibus eum mortuum fuisse, Quod fides Catholica respuit. Sed, utrumuis genus accipias: in eandem redditur sententiam: Tale enim est, ac si diceretur, pro mundo, id est, p̄o genere humano, Christum mortuum esse. Quod, si ad singulos homines sine exceptione extendas, ut fecit Chrysostomus: sensus erit, pro omnibus, quantum ad sufficientiam, mortuum esse Christum; quia nimirum morte sua precium comparauit, quod omnibus redimendis abundè sufficeret. Hūc sensum Anselmus & B. Thomas adducunt secundo loco. Nam priori loco, istud *pro omnibus*, exponunt, ad vitam prædestinatis; quibus solis efficaciter illud precium applicatur. At verisimilius est non de singulis, sed de genere sermonem esse; ut sensus sit, pro omnibus gentibus toto mundo dispersis; eo quod ex omnibus aliqui morte Dominica sint liberandi: iuxta illud Apo. 5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua & populo & natione.* Hi verò cum soli sint prædestinati: re ipsa conuenit hic intellectus cum eo quo vocabulum *omnibus*, ad prædestinatos restringitur. Atque hæc interpretatio etiam alijs similibus scripturis cōgruit, ut 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus.* 1. Tim. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. Io. 2. *Ipsè est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Nec obstat quod apostolus tota hac epistola non facit mentionem vocationis aut salutis gentium: Nam loquitur hinc tantum in genere, gentes non nominans. Quanquam & Iudæi erant toto orbe dispersi. Iam cur dixerit apostolus Christum gustasse mortem, potius

quàm

quàm mortuum esse; eam rationem adferunt Græci, quia non in morte permāuit, sed paulo post resurrexit; ut mortem non epotasse, sed tantummodo gustasse videatur. Ab alijs hæc ratio redditur, ut significaret Christum non ita somno mortis obdormiisse, ut non verè dolores eius & amaritudinem senserit; sicut nonnulli fuerunt opinati. Sed huiusmodi rationes parum ad intelligentiam huius loci facere videtur: cum Hebræa phrasī mortem gustare, & mortem videre, non aliud sit, quàm mori; siue quis diu maneat in morte, eiusque sensu crucietur, siue non. Ita Matth. 16. *Sunt quidam de his stantibus qui non gustauerunt mortem, donec &c.* Et Io. 8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Et in hac epistola cap. 11. *Henoch translatus est, ne videret mortem*, id est, ne moreretur. Proinde non aliud vult apostolus, dicens *Christum gustasse mortem*, quàm mortuum illum fuisse: vnde cuncte ea supra sit metaphora, siue ab ijs qui venenū bibunt, siue (quod verius est) ab earū rerum gustu, quarū amarus atque ingratus est sapor. Vnde & ipsa mors amara vocatur 1. Reg. 15. **DECEBAT ENIM EVM, PROPTER QVEM OMNIA, ET PER QVEM OMNIA.** Cur mortis passionem subierit Christus, causam dixit, ut per eam omnibus salus pararetur. Sed quia poterat Deus etiam sine morte Christi filij sui, genus humanum saluare: docet nunc quàm ille modus Deo condecens fuerit, atque ipsi Christo honorificus. Quæ doctrina eò spectat, ut ne quis Christū dominum propterea minoris faciat, quod vsque ad mortis perpersionem & crucis opprobrium humiliatus fuerit; sed magis eius charitatem admiretur, quod illuc vsque sese demittere non fuerit dignatus. Hanc partem nonnulli Latinorum ad ipsum Christum referunt. Inter quos Rupertus lib. 13. in Mattheum probat ex hoc loco, propter Christum hominem angelos & totam mundi fabricam conditam esse; ideoque etiam si peccatū non interuenisset, futurum fuisse *ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis.* Quod posterius vtrum ille rectè colligat ex priori, non est huius loci disquirere. Certè membrum alterum, *per quem omnia*, non perinde quadrat in Christum hominem. Quod enim Ioā. 1. Col. 1. & alibi legitur, *omnia per eum facta esse*, dictum est de eo ut Verbo ac Filio Dei. Fecellit autem illos expositores mendosa lectio vocabuli, quod est in fine sententiæ. Non enim *consummari*, legendum est, quasi de Christo dicatur; sed *consummare*, quod ad Deum referri oporteat, quemadmodum illic ostendemus. Est igitur periphrasis Dei: *propter quem omnia, & per quem omnia.* Deus enim ut finis est omnium, ita & omnium effector & opifex. Cum autem sermo sit de Deo Patre: facili hinc ostenditur non per hoc Filium significari Patre minorè (ut voluit Ariani) quod alibi per eum omnia facta dicantur; quando-

quidem id hoc loco etiam de Patre dicitur.

QVI MVLTOS FILIOS IN GLORIAM ADDUXERAT. Explicatius alij videntur; *Per multos filios in gloriam adductus*, id est, *postquam eos in gloriam adduxisset:* Id liquet ex mutatione casus in Græco *ἀγάγωντα*, & ἀγαγόντα. Sed de sensu non parua difficultas est, quod non appareat, quos ante Christi passionem filios Deus adduxerit in gloriam, aditu regni cælestis nondum p̄fecto. Primum, frustra quidam ad angelos confugiūt, quos non faciliè Paulus in presenti disputatione filios vocauerit: quando & ea que sequuntur, palam repugnant huic intellectui. Sunt ergo qui Græcum aoristum ἀγάγωντα à tempore oboluāt & sensum esse dicāt: Dum occupatus est in adducendis multis ad gloriā. Alij plerique, multos filios in gloriam adductos intelligunt secundum prædestinationē, qua iam factum dicitur, quod adhuc futurum est, ut sc̄sus sit: *adduxerat*, id est, adducere decreuerat. Verum hoc modo non multos filios, sed omnes in gloriam adduxerat: nisi quis dixerit, *per multos filios* intelligi copiosam filiorum multitudinem. Porro nihil est quod cogat hanc partem accipi de gloria cælesti; cum sit & gloria quædam temporalis, qua Deus suos cultores interdum claros apud homines efficere solet. Vnde est illud de viro timentè Dominum psal. 111. *Gloria & diuitia in domo eius.* Videtur ergo Paulus hoc velle, quod Deus antè multos filios per varias afflictiones (id enim supplendum) ad gloriam adduxerat, id est, gloriosos ac celebres in hoc sæculo reddiderat, quando nondum prædicata mortalibus erat gloria cælestis. Hoc modo gloriosos atque inclytos fecit Abraham, Ioseph, Iob, Moysen, Dauidem & alios antiqui temporis iustos. Interim hic locus ostendit, etiam illos qui ante Christi aduentum iusti fuerūt, rectè meritoque appellari secundum adoptionem filios Dei; quod imprudenter à quibusdam negatum est.

AUTHOREM SVLTIS FORVM PER PASSIONEM CONSVMMARE. Græcè & Syriacè, *per passiones* numero plurali. Quod & in multis est Latinis manuscriptis. Nā quod quidā pro *consummari*, legunt *passiūe consummari*, mendum est manifestum. Probant nō solum Græci & Syri codices, verum etiam optima quæque exemplaria Latina, suffragante item editione Clementina. Cæterum nonnulli malunt *consecrare*, quàm *consummare*. Id enim vsu veterum Theologorum significari Græca voce τελειώσαι. Quapropter & Dionysius sacramenta Christiana passim τελειώσαι nuncupat. Hi mentem apostoli sic explicant; Decebat Deum Patrem ut filium suum per crucem consecraret authorem nostræ salutis. Et huic sensui quadrare putant quod sequitur, *Qui enim sanctificat &c.* Sed isti non satis obseruauerunt, qua significatione scriptor huius epistolæ vocabulum illud

Græcum vsurpet. Vitur enim eo familiaris, vt cap. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Quibus omnibus locis significat *consummare*, siue, vt Erasmus vertit, *perfectum reddere*, non autem *consecrare*. Eadem significatio bene conuenit huic loco. Sensus enim totius sententiæ est; Deus qui rerum omnium filius & author est, ideoque sapientissimus, iudicauit hoc quam maxime se decere, vt postquam (aut quoniam) multos filios suos per multarum aduersitatum tolerantiam ad gloriam adduxerat; similiter etiam authorem æternæ salutis illorum, id est, filium suum naturalem, per afflictiones, ipsamque crucem, consummaret; hoc est, ad consummatam gloriam perduceret. Quasi dicat; Voluit Deus Pater Christum filium suum subire eandem legem & conditionem, qua solent cæteros filios ad gloriam adducere; nimirum per afflictiones. *Authorem*, Græcè est ἀρχηγόν, quod Erasmus & alij quidam *principem* vertunt; sed constat etiam *authorem, inuentorem, architectum* ea voce significari. Est autem Christus nostræ salutis *author*, vt sacerdos, per sacrificium crucis, quemadmodum in sequentibus docetur. Vnde & hac ratione dicitur *nobis æternam redemptionem inuenisse*, cap. 9. Est & *princeps*; quia caput omnium redemptorum. Vfus est apostolus eodem vocabulo cap. 12. Christum vocans ἀρχηγόν *authorem fidei*.

QVI ENIM SANCTIFICAT, ET QUI SANCTIFICANTUR, EX VNO OMNES. Pleinius id quod dixit, probat, scilicet decuisse Deum vt filium suum per passiones consummaret. Est autem probatio talis. Christus à Deo constitutus est pontifex, qui oblato sacrificio *sanctificaret*, id est, à peccatis emundaret, ac Deo reconciliaret genus humanum; Atqui sacerdos *sanctificans*, & populus qui *sanctificatur*, ex uno sunt, id est, ex eadem natura humana, vel, secundum alios, ex vno primo parente. Quod eodem recidit. Nam ex eodem populo solent assumi sacerdotes: sicut in Israëlítico populo diuinitus ordinatum fuit. Igitur & Christus humanam carnem suscipere debuit, eamque miserijs & passionibus obnoxiam, qualem cæteri habent homines. Explicatur hæc consequentia verbis infra positis. *Ergo pueri & cæc.* Ac Chrysostomus quidem cum suis sequacibus, *eum qui sanctificat*, Christum specialiter interpretantur; & ex vno intelligunt, Deo, qui vnus omnium pater est. Sed vis argumenti magis perspicitur secundum expositionem iam datam; quam proinde cum Haffelio & Sasboldo magis germanam arbitror. Sumit enim apostolus hanc propositionem, *Qui enim sanctificat, &c.* velut ἑνωμένον, id est, generalem sententiam, ex qua suam institutum colligat.

PROPTER QUAM CAUSAM NON CONFUNDITUR FRATRES EOS VOCARE. Nō tā illatio est, quam eius quod dixit, noua pro-

batio, & ea quidem à posteriori. Nam Christum esse eiusdem naturæ nobiscum, nunc ex eo vult intelligi, quia nos fratres vocet. *Ob eam*, inquit, *causam non confunditur*, id est, non erubescit, nec dedignatur *fratres appellare eos*, quos sanctificat. Hæc enim res argumento est, ipsum habere communem cum illis parentem; & per hoc, eiusdem esse naturæ. Hinc sequitur, Christum esse fratrem nostrum secundum naturam humanam. Quare & in eadem natura dignitatem eam habet, vt sit *primogenitus in multis fratribus*; sicut dicitur Rom. 8. non tamen per gratiam adoptionis, vt quidam errantes dixerunt; sed per gratiam vnionis, inquam est homo Deus. Porro quamuis omnes homines in natura participent cum Christo; non tamen omnes dignatur nomine fratrum, sed eos solum, quos vt fratres & coheredes diligit, id est, sanctificatos suos & electos, qui per gratiam adoptionis sunt filij Dei. Cæterum vbi fratres eos vocet, consequenter apostolus offendit.

DICENS: NUNCIABO NOMEN TVVM FRATRIBVS MEIS. Habetur hoc testimonium in psalmo 21. quem totum in Christi persona scriptum esse, nemini Christiano dubium esse potest: adeo viuam Christi patientis imaginem, attestantibus etiam euangelistis, exhibet. Certè Christus ipse satis docuit ad se psalmum pertinere, quando primum eius versum; *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* magno clamore, pendens in cruce, pronunciauit. Eiusdem Christi vox ad finem vsque psalmi cōtinuata perseuerat. Vnde & huc versum ab apostolo citatum, Christi verba esse constat. Sed quæritur, quando ea sint impleta. Nonnulli referunt ad tempus Christi adhuc agentis in terris, ante suam passionem. Tunc enim fratres suos vocasse legitur eos, qui facerent voluntatem patris sui. Matth. 12. Tunc & ipsdem Patris sui nomen annunciauit, quemadmodum ipse testatur Io. 17. loquens ad Patrem: *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Sed quamuis ante passionem id iam facere cepisset; verior tamen est responsio, illa Christi verba impleta esse, atque impleri, post eius resurrectionem. Sunt enim in psalmo verba Christi in passione constituti, Deumque Patrem orantis ac promittentis quid facturus sit postquam à malis illis fuerit liberatus. At ea liberatio tunc facta est, quando eum à morte ad beatam & gloriosam immortalitatem pater resuscitauit, & ex eo tempore suos discipulos multò expressius honorauit nomine fratrum, dicens: *Nunciate fratribus meis.* Matth. 28. &, *Vade ad fratres meos.* Io. 20. Tunc igitur ac deinceps nomē Patris sui *nunciauit*, siue, (vt est in Hebræo, & apud Lxx.) *narravit fratribus suis*: primum per seipsum, quādo per dies 40. post resurrectionē suis apostolis apparuit, & loquēs de regno Dei, pleniorē sui Patris, ac totius Trinitatis noticiā ijs instillauit; Deinde, per eosdē apostolos ac legatos suos, qui eius

iussu

iussu fidem Trinitatis, ac diuinam erga genus humanum bonitatem prædicauerūt. Vnde & sequitur,

IN MEDIO ECCLESIE LAVDABO TE. Hoc impleri potissimum cœpit ab eo tempore quo fundatæ sunt ecclesiæ Christi fidelium; in quibus Christus tum per apostolos suos, tum per eorum successores palam ac liberè Deum laudat, siue (iuxta Græcam vocem) *hymnis celebrat*, id est, cum cantu & vocis modulatione Dei beneficentiam prædicat. Quamquam & Christus per se id fecit vnā cum discipulis suis, etiam ante passionem; sicut habetur Matth. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Est enim idem Græcum verbum hoc loco.

ET ITERVM; EGO ERO FIDENS IN EVM. Supplendum aliquid. Et iterum, dicit scilicet. Quærent interpretes locum scripturæ, ex quo desumptum sit hoc testimonium. Ac plerique sumptum putant ex psalmo 17. quem & codices nostri annotatum habent ad marginem. At ibi, tam Hebræicè, quam Græcè, legitur, *Sperabo in eum*; verbis scilicet in Græco planè diuersis ab eo quod hîc legitur. Suntque ea verba Dauidis ad literam, non Christi. Propius rem attingunt qui dicunt adducta esse ex Italia cap. 12. Nam ibi totidem verbis apud Lxx. leguntur. Pro quibus ex Hebræo vertit Hieronymus; *Fiducialiter agam in eo*; quod eundem habet sensum. Verum quia populus redemptus ibi loquitur, non autem Christus redemptor: magis adhuc placet aliorum sententia qui testimonium hoc referunt ad locum eiusdem prophetæ capite 8. Siquidem & illic eadem prorsus in Græco verba habentur; pro quibus ex Hieronymi versione nos legimus, *Et præstolabor eum*. quod sensu non discrepat. Significatur enim præstolatio auxilij, quæ non est sine fiducia. Liqueat autem ea verba dici ex Christi persona; vel ex eo, quia continuò post sequitur hoc ipsum quod hîc continuò super eadem Christi persona citatur: *Ecco ego, & pueri quos dedit mihi Dominus.* Quanquam vtrum ad Christum literaliter sensu pertineant, an mylico; non definitio: tamen posterior hoc magis est verisimile textum prophetæ propius expendentem. Sed quid probat ex hac scriptura apostolus? Idem quod testimonio præcedente; nempe, Christum & nos *ex vno esse*, id est, eiusdem humanæ naturæ. Valet autem consequentia; quia Dei non est fidere in Deo: quare oportet vt in Christo alia quædam sit natura, secundum quam dicat, *Ero fidens in eum*. At ea non alia est quam humana: Naturam igitur humanam Christus assumpsit. Quod autem confusus fuerit in Deo, etiam impij Iudæi intellexerunt, quando dicebant, prophetante Dauide psalm. 21. & narrantibus

euangelistis; *Sperauit in Domino; eripiat eum.* Dicit aliquis, etiam angelos Deo fidere; & proinde probationem apostoli non constare. Respondeo, scripturam loqui de ea fiducia, quam habent afflicti & inopes, dum ex malis suis liberari cupientes, opem alicuius postulant. Angeli autem beati sunt ac nullius egent. Vnde nec scriptura spem aut fiduciam eis vsquam attribuit. Atque inde etiam intelligitur, hac parte non absolute tantum probari naturam humanam in Christo, sed vt miserijs & passionibus est obnoxia. Non enim aliter, iuxta morem hunc loquendi scripturæ sacræ, consideret in Deo, aut opem ab eo expectaret. Porro quod quidam amplius etiam aliquid hoc testimonio probari existimant, videlicet, Christum esse sanctificatorem hominum; neque est intentionis apostolicæ hoc loco, neque sanè probatio valeret. Omnibus enim commune est, tam ei qui sanctificat, quam ijs qui sanctificantur, in Deo fidere.

ET ITERVM: ECCE EGO ET PVERI MEI QVOS DEDIT MIHI DEVS. Testimonium hoc consequenter ex eodem loco sumptum est; vt iam dixi. Pronomen *mei*, nec in Græco est, nec in Hebræo, nec in versione Hieronymi, tamen hîc loco in Latinis constanter legitur. Et quidem additum non mutat sensum, sed explicat. *Pueri* nomen variè accipitur apud Hebræos: vt pro eo qui ætate puer est; pro filio, pro seruo. Hîc & apud prophetam, *pueri* intelliguntur nati seu filij; præsertim id postulante voce Hebræa, quæ ducitur à verbo, quod parere, seu generare significat. Id quod etiam obseruare licet in dictione Syriaca respondente. Quemadmodum ergo paulò antè collegit apostolus, Christum esse nobiscum eiusdem naturæ, quia fratres nos vocat: ita & hîc, quia filios; quasi nimirum ex se genitos: maxime quia addit; *Quos dedit mihi Deus.* *Mihi*, scilicet homini; iuxta illud quod ait ad Patrem: *Tui erant, & mihi eos dedisti.* Ioan. 17. Est autem sermo scripturæ familiaris, Deum hominibus dare filios: vt Gen. 30. vbi dicenti Rachel; *Da mihi liberos*; respondit Iacob: *Num pro Deo ego sum?* ac si diceret; Deus est qui dat liberos. Vnde Rachel iterum; *Dominus exaudiuit vocem meam, datus mihi filium.* Et capite 33. Iacob à fratre de filijs interrogatus: *Parruli sunt*, inquit, *quos donauit mihi Deus.* Probationi non derogat, quòd spirituales hîc intelligantur filij, non carnales. Manet enim quod dixi, sermonem esse de Christo, secundum quod ait de filijs suis, *Quos dedit mihi Deus.* Hoc quippe non dicit, nisi secundum naturam creatam; nec aliam quam humanam. Scio nonnullos facere

apostolum hoc modo colligentem: Christus dicens, *Esce ego, & pueri mei*, se simul & pueros suos, velut confortes, offert Deo ad prædicandum eius nomen: ergo significat se cum illis eiusdem esse naturæ. Verum, ex eo quod sequitur, magis apparet apostolum constituere vim argumenti in vocabulo *pueri*; dicit enim,

14 QVIA ERGO PVERI COMMUNICAV-
RVNT CARNI ET SANGVINI. Græcè ἐπει-
δὲν. Quandoquidem ergo pueri.

ET IPSE SIMILITER PARTICIPAVIT
IISDEM. Explicat probationem. Est enim hæc apostoli ratio: Christus habet filios sibi datos a Deo; Atqui filij eius participes sunt carnis & sanguinis, id est, homines sunt mortales ac miseri; Igitur & ipse carnis & sanguinis particeps factus est, id est, humanam assumpsit naturam morti ac miseris obnoxiam. Tale quid enim significari nomine carnis, & sanguinis, alibi satis a nobis ostensum est, vt i. Cor. 15. & Gal. 1. ac potissimum ad illud Eph. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* Pro *similiter*, Græcè non est ὁμοίως sed παραπλησίως: quo aduerbio (si quidem etymon eius spectetur) non absoluta prorsus similitudo significatur, sed quæ prope rem attingat. Vnde Augustinus coac. 16. in psal. 118. legit, *propemodum.* Nos dicere possemus, *Ferme similiter.* Verum Græcis scriptoribus sæpe sic vsurpatur, vt idem sit quod ὁμοίως, adeo vt Chrysostomus aduerbium illud peculiariter vrgeat aduersus hæreticos veritatem assumpitæ carnis in Christo negantes; tanquam dicat apostolus, Christum non iuxta phantasiã, sed planè similiter, vt nos, carnis & sanguinis commercium subiisse; id est, verè proprieque factum esse hominem mortalem. Qua in re Chrysostomum etiam ceteri Græcorum sequatur. Alioqui, dicere quis posset, idcirco Paulum visum fuisse vocabulo παραπλησίως, vt innueret eam inter nos & Christum differentiam, quam expressit cap. 5. dicens *eum tentatum esse per omnia pro similitudine, absque peccato.* Naturam enim nostrã & mortalitatem assumpsit, non peccatum.

VT PER MORTEM DESTRVERET EVM,
QVI HABEBAT MORTIS IMPERIVM, id est, diabolum. Quoniam, vt dictum est, caro & sanguis non nudam significat humanam naturam, sed mortalem; ideo causam adiungit cur mortalem assumpserit Christus, scilicet vt mortem subiret, & per mortem destrueret, Græcè, *aboleret, euicnaret*, id est, potestate exueret, *diabolum, qui mortis imperium* in nos obtinebat. Non dubium sanè quin Deus sæper & vitæ & mortis imperium sibi seruaerit, de quo scriptum est, 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & viuificat*; & Ecclesiastici 11. *Mors & vita a Deo sunt*: Dicitur tamen *diabolus habuisse mortis imperium*, quia per peccatum, quod primo homini suggestit ac persuasit, & per quod totum genus infecit, tenebat eum

cum tota posteritate morti obnoxium; non quidem aliquo iure suo, sed Dei permissione, cuius iusticia sic voluit hominem transgressorem puniri. Igitur *imperium* hic intelligitur potestas non iuris, sed facti; iuste tamen a Deo permessa. Nã diabolus seductori nihil in hominem seductum iusti iuris competebar. Vnde nec diabolus precium nostræ redemptionis fuit soluendum, sed Deo; cui ad mortem & gehennam eramus propter peccatum obstricti. Congruerat autem iusticiæ diuinæ, vt ab hac obligatione genus humanum nõ solueretur, nisi per mortem eius, qui idoneus esset pro omnibus satisfacere. Qui quidẽ solus est filius Dei incarnatus. Ex his porro apparet mortem vtrobique in hac sententia sumi eodẽ modo, scilicet pro morte corporis. Nã & in verbis proximè sequentibus eadem manec acceptio. Quamquam verum est secundo loco plus aliquid latenter nobis insinuari, scilicet, diabolum ita mortis huius temporalis imperium habuisse, vt per eam homines in æternam mortem pertraheret.

15 ET LIBERARET EOS QVI TIMORE
MORTIS PER TOTAM VITAM OBNOXII
ERANT SERVITVTI. Græca sic sonant; *Et liberos redderet*, siue, *libertati restitueret eos quicumque metu mortis &c.* De electis est sermo, qui soli Christo dati sunt a Patre. Hos enim omnes, imperio mortis subtractos, in libertatem Christus asseruit. *Erant autem metu mortis per omnes vitam obnoxij seruienti*, quæ admodum & reliqui homines; quia vitam agebant in misera quadam seruitute, dũ mortis imaginem semper ante oculos ferentes, eius metu prohibebantur ne puram voluptatẽ & gaudium, ex vlla re perciperent; imo & eodem metu compellebantur interdum ad scelera perpetranda. Quamuis enim fuerint alij qui animum suum per philosophiam confirmasse viderentur aduersus timorem mortis: nihil tamen solidæ consolationis inuenerunt, ne illi quidem qui tradiderunt animarum immortalitatem; tum quia sola eam tenebãt opinione, tum verò quod corporum a morte resurrectionem prorsus ignorarent. Quæritur quomodo liberauerit nos Christus; cũ nemo sit hominum, qui mortem effugiat. Quidam liberationem hanc exponunt a mortis terrore; quem nobis ademit Christus, spem certissimam præbens immortalitatis post huius vitæ exitum consequendæ. Sed parti præcedenti, qua dicitur Christus morte sua diabolũ spoliassẽ mortis imperio; magis est consentaneum, vt hic intelligatur, ab ipsa morte nos liberasse, non vt eam non patiamur, sed vt in ea non maneamus; quomodo mansurus est de quo Ioannes 1. ep. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Nos autem, vt ibidem dicitur, scimus quia translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres.* Hęc igitur est vera & certa consolatio fidelium aduersus metum mortis, quod non dubitent, si in Christo maneat, quin ab hac morte

corporis, per beatam resurrectionem aliquãdo sint liberandi. Nam impijs, resurrectio non erit a morte liberatio, sed transitus ad mortem deteriorem. Potest tamen hæc sententiæ pars & aliter accipi; vt sensus sit, Qui timore mortis, quam lex minatur, legi seruiliter parebant; nec animum attollebant in spem bonorum cælestium, quæ lex non promittebat. Tales erant plerique Iudæi: ac de his propriè loqui videtur apostolus; quoniam continuo subiicit quod *Christus semen Abrahæ apprehendit.* Et hæc est illa seruitus, de qua passim loquuntur scripturæ. Ab ea Christus suos liberat, dum per fidem proponit bona cælestia; & inspirat cordibus charitatem (quam merito mortis suæ, vt omnem aliam gratiam, ipse nobis promeruit) qua legi pareatur ex amore iusticiæ.

16

NVSQVAM ENIM ANGELOS APPRE-
HENDIT, SED SEMEN ABRAHÆ APPRE-
HENDIT. Verbum *apprehendit*, vtrobique præsentis temporis est, ex Græco ἐπιλαμβέ-
νται. Alij, vitandæ ambiguitatis causa, ver-
tunt, *assumit*; Sed eo verbo vim Græci voca-
buli non expriment; vt potest quod non sim-
pliciter assumere aut accipere significat; sed
*apprehendere, vindicare, manum iniicere in rem
aliquam.* Vnde Chrysostomus putat sumptã
esse metaphoram ab ijs qui fugientes seu fe-
ras, seu homines insequuntur & compre-
hendunt; vt sensus sit, Christum non angeli-
cam naturam, sed humanam, velut auertam
& fugientem, apprehendisse, sibi que copu-
lasse. Chrysostomo Theophylactus & Occu-
astipulantur. Veruntamen hic sensus habet
incommodum: tum quia præsentis temporis
verbum (quo non temerè vsus est apostolus)
mutat in præteritum; tum quia, *apprehendere
angelos*, pro eo quod est, angelicam naturam
assumere sibi que copulare, nihilo molliùs
sonat, quàm *apprehendere homines*, pro eo
quod est, humanam sibi adiungere naturam.
Quo tamen modo nemo locutus est. Ac
priori quidem incommodo videtur occurri
posse, si cum Latinis expositoribus vrgeamus
aduerbium *nusquam*. Id enim ita exponunt;
Nusquam angelos apprehendit, id est, In nulla
scriptura legitur quicquam de angelica natu-
ra a Christo assumpta, vel assumenda. At de
humana, legitur, vbi scriptum est; *In semine
tuo benedicentur omnes gentes.* Dico, cum La-
tinis; nam illius aduerbij rationem Græci
interpretes non habent. Vix enim reperias v-
bi Græcum δὴπὸς ad locum referatur: sed pas-
sim significat asseuerationem vehementio-
rem. Vnde alij vertunt: *Non enim videlicet;*
aut, *Neque enim sanè angelos apprehendit.* Sy-
rus autem interpres aduerbium illud, velut
redundans, omnino neglexisse videtur. At
verò posteriori incommodum, simul & prop-
rietas Græci verbi, magis etiam nos cogunt
cum F. Ribera ad inuestigandum sensum a-
liquem conuenientiore. Dixerat apostolus
Christum participasse carni & sanguini, vt

mortẽ sua liberaret eos qui timore mortis e-
rant per totam vitam obnoxij seruituri: Eam
liberationem ita nunc explicat vt ostendat
non ad angelos pertinere, quippe qui sunt
immortales, & a timore mortis immunes;
sed ad solos homines. Explicat autem eò
vocabulo, quod, vt diximus; *apprehendere;*
seu *vindicare* significat; Vindicantur autẽ qui
in libertatem asseruntur. Itaque sensus esse
videtur huiusmodi; Christus enim non ange-
los, sed nos homines è potestate diaboli mor-
tis imperium habentis, eripiens, velut inie-
cta manu apprehendit, ac sibi vindicat &
in libertatem asserit. Porro quamuis senten-
tia verã sit de omnibus angelis tam malis
quàm bonis (nullos enim angelos Christus a
morte liberauit); videtur tamen apostolus so-
lum ad bonos respicere; de quibus nimirum
in superioribus locutus fuit. Nam diabolum;
proximè, ex aduerso statuerat tanquã mor-
tis principem, è cuius potestate sint eripien-
di captiui. Per *semen Abrahæ*, quidam acci-
piunt totum genus electorum ex Iudæis &
gentibus. Id enim est spirituale semen A-
brahæ, iuxta illud R. 9. *Qui filij sunt promif-
sionis, æstimantur in sermone.* Alij, quod est pro-
babilius, carnalem Abrahæ posteritatem in-
telligunt; non quod ea sola, aut tota appre-
hendatur a Christo, sed quia peculiariter ad
illum populum pertinebant promissiones
patribus factæ, Paulo teste ad Rom. 9. & 15.
Loquitur autem hoc pacto, in gratiam He-
bræorum, ad quos scribit; cum alioqui ge-
neraliter, ac planè dici potuisset, Non an-
gelos, sed homines apprehendit. Quamquam
id etiam obseruandum est, apostolum tota
hac epistola gentium vocationem prudenter
dissimulare; siue quod eius mentio parũ gra-
ta esset Hebræis, siue quod institutio suo non
necessaria.

17

VNDE DEBIT PER OMNIA FRATRIBVS
SIMILARI. Concludit ratiocinationem in
hunc modum; Christus apprehendit & in
libertatem vindicat semen Abrahæ, atque
in genere homines electos; quod quidem fa-
cit eos sanctificando, velut pontifex; vt
mox subiungitur: At verò *qui sanctificat, &
qui sanctificatur, ex uno omnes*, id est, eius-
dem naturæ sunt, & conditionis, vt supra
dictum est: *debit ergo Christus fratribus suis,*
id est, electis, qui cum ipso futuri sunt eius-
dem regni coheredes, ita per omnia similis
reddi, vt quemadmodum illi participaue-
runt carni & sanguini; ipse quoque partici-
paret eisdem. Id enim est eiusdem esse cum
illis naturæ & conditionis; videlicet homi-
nem esse, eumque mortalem, & miseris sub-
iectum. Nam peccatum, & ea quæ ad pec-
catum inducunt, vt sunt ignorantia, concu-
piscencia, eiusque motus, quoniam negotio
sanctificationis aduersantur porius quàm
subseruiunt; haudquaquam assumi a Chri-
sto pontifice, & sanctificatore nostro debue-
runt. Vnde cap. 4. cum simili prorsus sen-

tentia dixisset nos habere pontificem per omnia tentatum pro similitudine; disertè remouit peccatum, addendo, absque peccato.

VT MISERICORS FIERET, ET FIDELIS PONTIFEX AD DEVM. Explicatio est superioris argumenti, à fine. Pontificis enim partes sunt, condolere populo, & causam eius fideliter & ex animo apud Deum agere. Non potuit autem Christus condolere miseriæ nostræ, & ex eo commiserationis affectu causam nostram agere apud Deum; nisi nature simul & conditionis, hoc est, mortalitatis nostræ particeps esset. Ita cap. 4. *Non enim habemus, inquit, pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Nomen pontificis attributum Christo frequens occurrit in hac epistola, ubi semper Græcè est ἀρχιερεύς, id est, princeps sacerdotum, summus sacerdos. Ex quo sanè cōsequens est, esse & alios noui testamenti sacerdotes, quorum Christus sit princeps. Quod obiter annotamus propter hæreticos, huius epistolæ testimonij quibusdam abutentes ad exterminandum sacerdotium nouæ legis incruentum; quod, ex institutione Christi, per eius ministros in ecclesia quotidie exercetur. Iam quod ait, *ad Deum*, diminutè translatum est ex Græco, τὰ πρὸς τὸν θεόν, subauditur enim κατὰ, vt plenius vertendum fuerit, quemadmodum infra cap. 5. in ijs quæ sunt ad Deum; id est, (vt Erasmus paraphrasi reddidit) In his quæ apud Deum forent agenda. Quod ipsum explicatur verbis sequentibus.

VT REPROPICIARET DELICTA POPULI. Græcè, *ad propiciandum*, id est, ad expiandum peccata populi. Sacerdotis enim officium est, Deum populo placatum reddere. *Populum* autem dicit vel vniuersum cœtum electorum, vel potius eam gentem, quam paulò antè vocauit *semen Abrahamæ*, cui salus fuerat promissa.

IN EO ENIM IN QVO PASSVS EST IPSE TENTATVS. Malè & contra fidem Græcorum exemplariam, & veterum Latinorum, in quibusdam codicibus addita coniunctione legitur; *passus est ipse, & tentatus.* Nec amplius est in Græco quam: *In quo enim passus est ipse tentatus.* Quod hunc sensum habet, Per hoc, quòd ipsimet contigit tentatum esse, &c. notandum est enim in Græco non esse aoristum ἐπαθεν, qui legitur infra cap. 5. & 13. & 1. Pet. 2. atque alibi, quoties scriptura Christum pro nobis passum restatur; sed præteritum πειροθην, quo solent vti Græci dum significare volūt cuiuspiam aliquid accidisse. Quem Græcismum B. Hier. imitatur ep. 85. dum ait, *Quid patitur mensarum & viduarum minister, vt &c.* id est, *Quid ei euēnit? Quid illi contigit? Nam illa ibi est vera apud Hier. lectio, à quibusdam mutata quia non intellecta.* Sensum hunc clarè expressit Oecumenius. Sed & ipse locus eum postulat; cum alioqui sine coniunctio-

ne non cohæreat oratio; nec in parte sequenti duò repetantur verba, qui patiuntur, & tentantur; sed posterius solum. Illud in eo causale est, vt Rom. 8. *In quo infirmabatur per carnem.*

POTENS EST EIS QUI TENTANTVR AUXILIARI. Græcè, *Potest ijs qui tentantur succurrere.* Sensus apostoli est, Christum ex eo quod ipse tentatus est, posse, id est, idoneum esse & accommodatum, ad succurrendum alijs qui tentantur. Loquitur de Christo vt homine. Est autem homo quisque propensior ad opitulandum miseris, si & ipse miseras fuerit expertus. Vnde dicit illa apud poëtā: Non ignara mali miseris succurrere disco. Restat explicandum, de qua tentatione sermo sit in vtraque parte. Sunt enim qui Christum tentatum interpretantur, hoc est, sollicitatum ad peccandum, siue à diabolo, siue à Iudæis. Alij tentatum dicunt, id est, interrogatum atque examinatum ab iisdem, vt de eo capere experimentum, quis esset, quid sciret, quid ageret aut quid posset. Sed illi multo rectius qui tentationem hanc exponunt de laborum, dolorum, mortis, cæterorumque malorum perpessione; quòd his tentari soleāt homines, & per experientiam cognosci quales sint. Huiusmodi suas tentationes agnouit Christus dicens ad discipulos: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Luc. 22. De his etiam Iacobus apostolus agit cap. 1. suæ epistolæ dicens: *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis.* Denique hoc sensu etiam infra cap. 4. dicit apostolus Christum fuisse tentatum per omnia. Cæterum in posteriori parte prorsus apparet intelligi tentationes peccatorum. Dixerat enim: *Vt repropiaret delicta populi.*

CAPVT III.

VNDE FRATRES SANCTI, VOCATIONIS CAELSTIS PARTICIPES. His quæ proximè de Christo pontifice dixit, aptam & breuem subiicit exhortationem, qua fidem Hebræorum in Christum excitet, simulque viam paret ad aliam doctrinæ partem. *Fratres* eos appellat, aut secundum carnem, sicut Rom. 9. *pro fratribus meis*, inquit, *qui sunt cognati mei secundum carnem*; aut *fratres* religione, quomodo passim in apostolicis literis fratres vocantur omnes Christiani. *Santos* autem quos eodem vocet, satis in aliarum epistolarum commentarijs explicatum est. Nam etsi non singuli fideles sancti sint; ipsa tamen ecclesia, seu fidelium societas verà pollet sanctitate & iusticia. Dicit autem *caelstis* *vocationis participes*, quòd ad hæreditatem regni caelstis à

Deo

Deo vocati sint; non quomodocunque, sed vocatione efficacis per fidem in Christum. De quo subiungit,

CONSIDERATE APOSTOLVM, ET PONTIFICEM CONFSSIONIS NOSTRÆ IESVM. Multi codices addunt *Christum*; prout in Græco & Syriaco legitur: *Quidam* interpretes Latini pro *apostolo*, *legatum* malunt; & pro *confessione*, *professionem*. Sed hæ voces *apostolus* & *confessio* adeo trita sūt in scholis Christianis, vt improbum videatur ac parum religiosum alias reponere. Porro genitiuus ille, *confessionis nostræ*, pendet ab vtroque nomine præcedente, *apostolum & pontificem*. Monet enim Hebræos suos Paulus, vt attentè considerent & perpendant, quis & quantus sit Christus Iesus, & quod eius officium. Duplicem enim personam sustinere, apostoli, & pontificis: apostoli quidem, id est, legati à Patre missi, ad annunciandum salutem & pacem populo Iudaico. Sic enim ipse ait: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Matth. 15. Et de eo Paulus: *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Rom. 15. Ex quibus intelligitur Christum non gentium sed Iudæorum fuisse apostolum, tamen si ad gentes postea suos apostolos miserit. Pontificis autem gerit personam, quatenus Deum populo reddidit propiciam; idque sacrificio sui corporis oblato in cruce, sicut infra docebit apostolus. Hoc autem officium non solis impendit Iudæis, sed omnibus electis. At quo sensu vocatur *apostolus & pontifex confessionis nostræ*: *Quidam* sic exponunt: *Quem nos apostolum & pontificem confitemur.* Alij sic: *Apostolum & pontificem nostræ confessionis*, id est, fidei, seu doctrinæ, quam nos profitemur. Quæ est Græcorum interpretatio, eademque germanior. Nam & infra cap. 4. & 10. confessionem accipit apostolus ad hunc modum, scilicet, pro fide confessio. Similiter alibi, vt 2. Cor. 9. & 1. Tim. 6. Vocabatur autem fides *confessio*, quod eam publicè profiterentur fideles, quando baptismi mysterijs initiabantur. Erat ergo Christus confessionis eorum apostolus, quia doctrinam fidei quam tenebant & profitebantur, ipse per se eis annunciauerat. Erat & pontifex confessionis ipsorum, quoniam & hoc pontificis est, veræ religionis doctrinam populo confitentem tradere.

2 QVI FIDELIS EST EI QUI FECIT ILLVM. Id est, *qui constituit eum*, quomodo vertit Erasmus. *Fecit*, inquam, seu constituit apostolum & pontificem. Ita 1. Reg. 12. *Dominus qui fecit Moysen & Aaron*, id est, constituit præfectos populi. Non ergo significatur his verbis Christum esse facturam Dei; quod tamen Catholico sensu concedi potest, si respiciatur ad humanam eius naturam: sed factum esse apostolum & pontificem, quod

antè non erat; sicut & cap. 1. dicitur *Melior angelis effectus*. Qua ratione etiam Petrus Act. 2. de eo pronunciat, quod *Dominum eum & Christum fecit Deus*. *Fidelis est autem ei qui præfecit ipsum*, id est, Deo; vt qui nihil faciat extra voluntatem eius, nec aliud spectet quam utilitatem eius & gloriā. Notandum è Græco verti posse: *Quod fidelis sit ei*; quomodo verterunt Erasmus & Hentenius, vt significetur quid de Christo apostolo & pontifice suo considerare debeant Hebræi, nempe quòd sit fidelis ei qui fecit ipsum, sicut &c. Sed vulgata versio magis præbet locum sequenti probationi, *Amplioris enim &c.* quemadmodum bene obseruauit Adamus.

SICVT ET MOYSES IN OMNI DOMO EIVS. Græcè, *In tota domo eius*, quomodo vertit infra, v. 5. Respicit apostolus ad locum Num. 12. vbi Deus ipse de Moyse sic loquitur, *Qui in omni domo mea fidelissimus est*, Hebraicè, *fidelis*. Hic de constructione nonnulla disceptatio est. Recentiores enim quidam partem hanc, *in omni domo eius*, referunt ad illud præcedens, *Qui fidelis est*; vt hic sit ordo syntaxeos, *Qui fidelis est ei qui fecit eum, Fidelis*, inquam, *in tota domo eius, sicut & Moyses*. Contrà plerique tam Græci, quam Latini referunt ad Moysen; *sicut & Moyses in tota domo eius fidelis fuit*. Et hi sine dubio rectius; non solum, quia consonat hoc cū verbis modò citatis ex libro Num. nec non cum ijs quæ hinc paulò inferius habentur, vbi de Moyse id ipsum repetitur; verum etiam, multoque certius, ex eo, quia manifestè distinguit apostolus in consequentibus inter Moysen & Christum, respectu domus Dei; quòd nimirum Moyses fuerit fidelis *in tota domo eius*, tanquam famulus; Christus verò, tanquam filius, *super domum eius* fuerit constitutus. Hec enim discrimen efflagitant Græcæ præpositiones, quibus illic apostolus vtitur, quemadmodum eo loco ostendemus. *Domus Dei* familia Dei intelligitur, id est, populus Israeliticus Deum habens Dominum: sicut nunc, populus Christianus; vt infra significatur, ibi: *Quæ domus sumus nos*. Quamquam interdum idem ille populus, à suo progenitore, domus Iacob & domus Israël vocatur, in psalmis & alibi. Est igitur hæc apostoli sententia: Christum, à Deo constitutum apostolum & pontificem, fideliter in vtroque munere versatum esse; quemadmodum Moyses in administratione populi Israelitici sibi credita, fidelem se præstitit. Confert Christum cum Moyse, & quasi in eodem gradu collocat; quòd facilius ad id progrediat quod instituit, vt videlicet Christum supra Moysen extollat. Sed dices: *Dudum demonstrauit Christum angelis esse maiorem: Quid igitur nunc laborat vt eum anteponat Moyse, quem vtrique angelis esse maiorem in confesso est?* Respondeo, tanti nominis apud Iudæos Moysen fuisse, qui ex Æ-

gyptia-

gyptiaca seruitute eos eduxerat, qui legem dederat, qui tot mirabilia pararat, denique qui, tanquam intus Deiamicus, ore ad os cum eo fuerat locutus; ut facile in eam ducerentur opinionem, qua putarent illum angelis præstare, quos scriptura non amicos Dei, sed ministros appellat. Opus igitur fuit, ut proprijs argumentis doceret apostolus quanto Christus sit Moysæ maior. Facit autem id argumentis duobus; quorum vnum est, quod proximè sequitur.

3 **AMPLIORIS ENIM GLORIÆ ISTE PRÆ MOYSE DIGNUS EST HABITVS.** Genitiuū Græcum retinuit interpret, cum Latina consuetudo potius ablatiuum postulet, *Ampliore, seu maiore gloria dignus.* Quamquā & Latinus poëta, Græcam phrasim imitatus, dixit, *magnorum hand indignus auorum.* Supplendum est autem, *Tanto ampliore gloria &c.* ut respondeat ei, quod sequitur,

4 **QUANTO AMPLIOREM HONOREM HABET DOMVS, QVI FABRICAVIT ILLAM.** Rursum interpret genitiuū retinuit, *domus, Græcè τὴ οἰκία.* Qua re multi Latinorum expositorum decepti, mirè sudarunt in eruendo sensu huius partis. Erasmus planissimè totam periodum vertit ad hunc modum; *Tanto namq; maiore gloria, quam Moyses, hic dignus est habitus, quanto maiorem habet honorem is qui construxit domum, quam ipsa domus.* Ostendit apostolus hac parte quid considerare velit suos Hebræos; scilicet, Christum in sacris literis ampliori gloria & honore dignum habitum, id est, amplius multò honorari, quam Moysen; ut qui describatur opifex illius domus, in qua Moyses fidelis fuisse memoratur: cum è diuerso Moyses tantum fuerit pars quædam eiusdem domus, ut pote vnus ex populo Dei, cui præfectus erat. Absque dubio autem opifex & architectus sua domo maior est, ut efficiens eius causa. Materialem domum hinc quidem intelligit apostolus; sed ab ea ratiocinatione nostram traducit ad domum analogicam, cuiusmodi fuit Israëliticus populus, opificem habens Deum.

4 **OMNIS NAMQVE DOMVS FABRICATVR AB ALIQUO.** Quasi dicat, Nulla domus fabricat seipsam, sed ab alio fabricatur. Hinc quoque de materiali domo loquitur; quod tamen de analogica domo similiter vult intelligi; id est, de populo, cui præfectus fuit Moyses.

4 **QVI AVTEM OMNIA CREAVIT, DEVS EST.** Elegantiùs in Græco, retenta metaphora: *Qui autem omnia fabricauit, seu construxit, Deus est.* Item Syrus, *adificauit.* Introdicitur enim in scripturis Deus ut faber & artifex, qui à fundamentis hanc mundi machinam suis manibus extruxerit psal. 8. & 101. & alibi sæpe. Nullam quidem hinc scripturam profert apostolus, qua probet Christum fuisse eius domus opificem, in qua Moyses versabatur; sed ex ijs que primo ca-

pite dixit, intelligendum relinquit Christum esse Deum rerum omnium authorem. Ibi namque de eo dictum est: *per quem fecit & facta.* Item: *portans omnia verbo virtutis sue.* Et illud denique è psalmo; *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt celi.* Qui autem cælum, & terram fecit, omnia fecit. Interim aduersus Arianos obserua, quam hinc aperte significet apostolus Christum esse Deum, qui omnia creauit. Nisi enim hoc de Christo interpretaris: nulla ratione constare poterit huius loci probatio. Simul attende, quò considerationem Hebræorum perducatur de Christo Apostolo & Pontifice. Nam semota paulisper disputatione de Pontifice (cui in sequentibus locum seruat) docet, Christum in eo quidem quod apostolus fuit Iudaicæ gentis, aliquid habere commune cum Moysæ, qui in eo populo simile gessit officium; videlicet diuinæ voluntatis ad populum interpret: cæterum, in ipso aliud etiam ac præcipuè spectandum, quo longè supra Moysen emineat; quòd nimirum Deus sit, omnium rerum effector; & proinde etiam illius domus fabricator, in qua Moyses, ut pars & membrum quoddam, etsi alijs præpositum, comprehendatur. Tanquam vno verbo dicat; Christus Moysen fecit; igitur eo maior est, & tanto quidem, quanto maior opifex opere.

5 **ET MOYSES QVIDEM FIDELIS ERAT IN TOTA DOMO SVS, TANQVAM FAMVLVS.** Hoc alterum est argumentum quo Christum ostendit Moysæ maiorem esse. Vtitur autem Græca voce *θεράπων*, quæ famulum, seu ministrum significat; cum in Hebræo sit *seruus*; Num. 12. ad quem locum adhuc apostolus respicit. Vnde & Hieronymus ibi vertit: *At non talis seruus meus Moyses, qui &c.* Verum scriptor epistolæ suo more scripturam allegat iuxta versionem Lxx. interpretum, apud quos eo loco *θεράπων* non *δούλος* legitur; Idque fortè eò magis Paulo placuit, ne serui nuncupatione nimium deprimere Moysen existimaretur. Itaque satis habuit eum ministrum appellare; quomodo familiæ cuiuspiam dispensator minister est Domini, à quo familiæ cura ei demandata est.

5 **IN TESTIMONIUM EORVM QUÆ DICENDA ERANT.** Non liquet utrum hac pars referenda sit ad illud anterius, *Fidelis erat*; an ad istud posterius, *tanquam famulus*: Nisi quod aptius coniungi videatur cum illo priore, ut sit sensus, Moysen non ut dominum, sed ut famulum in tota illa domo Israëlita fideliter versantem, bona & integra fide retulisse populo quæcunque à Deo iubebatur illi nunciare. Quem constructionis ordinem conspiciere est in Syra versione. Partem hanc Erasmus in paraphrasi trahit ad Christum & euangelium, significans eam ita supplendam; *Quæ dicenda erant à Christo.* Moyses, inquit, typos tantum ac vmbra re-

rum ad-

rum adferebat earum, quas post Christus erat explicaturus. Vnde & vertit, *Quæ post dicenda erant.* Atqui in textu nihil est, quod ad hunc sensum inuiter: Imo verò participiū Græcum *καταγγελλόμενον* rem paulo post futuram designat; ut proinde non alia significetur quam quæ ab ipso Moysæ dicenda erant ad populum. Quod intelligens Syrus interpret, ita suppluit: *Quæ dicenda erant per manum ipsius*, id est, per ipsum, scilicet Moysæ. Sensus igitur est, quem dixi, Moysen fideliter functum fuisse officio perferendi ad populum mandata Dei. Nam quod ait: *In testimonium siue in testificationem*; idem est, quod, *in annunciendo & exponendo*; vel potius *ad annuncium & exponendum*: ut tubaudiatur, *constitutus*, aut simile quid. Neque enim testimonium in sacris literis solum intelligitur, ubi testes adhibentur ad probandum aliquid; sed sæpe sumitur pro nuda cuiuspiam asseueratione, præsertim si eius autoritas fidem mereatur ut Io. 1. ubi de Ioanne Baptista dicitur, *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhibere: de lumine.* Id est, venit ut præco ad annunciandum hominibus veram lucem; quæ est Christus. Ita Christus ipse de se apud Pilatum. *Ad hoc*, inquit, *veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ioan. 18. Id est, ut palam prædicem hominibus veritatem.

6 **CHRISTVS VERO TANQVAM FILIVS IN DOMO SVA.** Græcè & Syriacè. *Super domum suam.* Sunt enim tam in Græco, quam Syriaco præpositiones diuersæ in hac parte, ubi de Christo agitur, & in superiore, ubi de Moysæ. Et eadem phrasit dicitur Christus *sacerdos magnus super domum Dei.* Infra c. 10. Est autem hic sermo imperfectus, quem Erasmus sua versione ita perficit, *At Christus tanquam filius administravit domum ipsius.* Alius quidam sic; *Christus autem ut filius, qui domini sui præst.* Verum respicienti ad partem præcedentem, potius videbitur hoc modo supplendum quod hinc dicitur; *Christus autem fidelis fuit, tanquam filius constitutus super domum suam.* Sic enim ipse Christus loquitur in eo psalmo, in quo ei dicitur: *Filius meus es tu; Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Vbi obserua eandem esse Græcam præpositionem, quæ hoc loco, eidemque calui iunctam. Cæterum quod Erasmus vertit, *ipsius & non suam*, quasi possit etiam ad Patrem referri; non rectè se habet. Nam in Græco relatiuum est reciprocum *αὐτοῦ*, cum aspiratione, id est, *suus*; sicut & apud Matthæum sub finem capitis 7. semel & iterum: *Qui adificauit domum suam, non ipsius.* Sed benè, quod in paraphrasi id correxit, vicens, ac repetens quòd Christus ut filius versatus fuerit in domo sua, quodque suam ipsius domum administrauerit. Eadem enim est domus Dei & Christi; Patris & Filij. Hic igitur inter Moysen & Chri-

stum, curam & administrationem habentes domus Dei, tres indicantur differentia, quibus excellentia Christi, præ Moysæ declaratur. Prima, quod Moyses tanquam famulus, Christus tanquam filius administratione habuerit. Secunda quòd ille fidelis in domo Domini, iste in domo sua. Tertia, quòd ille tantum in domo, hic etiam supra domum. Nam etsi Christus quoque famulus ac seruus Dei fuerit per naturam assumptam, dicente apostolo, quod *semetipsum exmanuit formam serui accipiens*, Philip. 2. atque hac ratione dici possit in domo Domini versatus: quoniam tamen idem ipse Dei filius est, manifestè, & ex omni parte constat discrimen iam datum. In eo namque Christus, ut filius Dei consideratur: qua ratione supremum est omnium Dominus Addamus & quartam differentiam hinc insinuatam; quod Moyses in domo veteri, Christus super domum nouam constitutus sit, id est, super ecclesiam noui testamenti. Sic enim consequenter eam domum exponit apostolus, dicens, *Qua domus sumus nos.* Addi potest & quinta consequens ex superioribus; quod Moyses tulerit legem non suam, sed Dei, in cuius domo versabatur; ut proinde nec propriè legislator fuerit, sed tantum alienæ legis ad populum annunciator ac perlator: Christus verò, velut domus suæ dominus, suam ac propriam legem tulerit; ideoque propriè legislator sit, accipi debeat.

6 **QUÆ DOMVS SVMVS NOS,** Græcè, *Cuius domus sumus nos.* Syriacè, *Ei domus eius nos sumus.* Significat, fideles esse domum Christi, quòd eam tanquam familiam suam Christus Dei filius regat, & in ea per fidem habitet; sicut dicitur Philip. 3. Hæc, Christi ecclesia est; quæ alibi domus Patris, alibi domus Dei vocatur, ut Ioan. 2. & 1. Timoth. 3.

6 **SI FIDVCIAM ET GLORIAMSPEI, VSQVE AD FINEM, FIRMAM RETINEAMVS.** Latens est transitus ad exhortationem, qua aperte quidem ad spei perseverantiam, tacite autem ad fidem retinendam Hebræos excitat. Atque in eo argumento persistit penè vsque ad finem proximi capitis. Pro fiducia, Græcè est, *παρρησία*, Quæ quanquam apud authores Græcos fere significet libertatem, & loquendi audaciam; sæpe tamè, præsertim in apostolicis literis, accipitur pro fiducia seu confidentia, qua quis cum securitate quadam fertur in bonum quod sperat. *Gloriam* interpret pro *gloriatione* posuit, sicut habetur in Græco & Syriaco. Vocat autem apostolus gloriationem spei, vel ipsam spem, de qua gloriamur, quomodo nonnulli intellexerunt illud Rom. 5. *Gloriamur in spe gloria filiorum Dei:* Vel gloriationem, qua cum gaudio felices nos prædicamus ob spem certam cælestium bonorum; quomodo idem locus epistolæ ad Rom. rectissimè intelligitur. Cum enim Hebræi ex fide spem atque

fidu-

fiduciam de bonis promissis animo conceperunt, ac de ea spe audent etiam palam gloriari; hortatur eos apostolus, ut non modo fiduciam illam, verum etiam gloriationem istam, usque ad exitum vitæ, firmam & inconcussam retineant. Nec moueat quod Græcum adiectiuum *ἑλπίαν, firmam*, nō ad gloriationem, quod Græcè est *καύχημα*, neutri generis, sed tantum ad fiduciam *πίστιν* referri posse videatur. Refertur enim ad vtrumque per zeugma quoddam, et si minus vsitatum. Neque enim scriptores sacri semper exactam seruant rationem grammaticæ. Id moneo, ne quis codicibus Græcis facile mendum ascribat. Porro nequaquam ex hac apostoli sententia consequens est solos eos, qui perseveraturi sunt, id est, solos electos, esse in ecclesia; quasi sentiat non aliter nos esse domum Christi, nisi spem firmam usque ad finem teneamus. Tantum enim id vult, frustra nos esse domum Dei, *nisi fiduciam* &c. Nam, ut dictum est, ad perseverantiam hortatur Hebræos, ne inutile eis sit, bene incepisse: quasi dicat, Si non perseveraueritis, perinde vobis erit, atque si nunquam fueritis domus Dei. Sunt qui apostolum interpretentur de domo stabili, & cum Christo permanens: sed hic sensus principium petere videtur. Priorem autem sensum confirmat sermo planè similis, infra hoc cap. *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen* &c. Ex vtraque autem sententia, sicut & ex omnibus scripturis, nos ad perseverantiam exhortantibus, clarissimè refelluntur huius temporis errores, fidem ac iusticiam semel habitam amitti non posse; & vnumquemque Christianum certò credere debere quod sit prædestinatus, & vitam æternam habiturus. Quorum enim exhortatio ne amittas quod amittere non potes, quodque certa fide tenes te non amissurum? Vnde stupenda est sectariorum impudentia, qui ex hoc eodem loco fidem suam specialem stabilire non verentur; quasi quicumque rectè confidit & sperat, certus esse debeat, se id quod sperat, infallibiliter consecuturum: cum possit suo vicio resperata frustrari.

7 QUAPROPTER SICUT DICIT SPIRITUS SANCTUS. Cæptā exhortationem prosequitur, denuncians interitum, & exclusionem à requie promissa, si non in fide & obedientia Christi permaneant. Facit autem id adductis in medium verbis Davidis è psalmo 94. quibus ille patres eorum simili quodam modo cohortatus fuit ad audiendā vocem Domini. Cæterum pendet oratio usque ad eum locum. *Videte fratres*, ut non ineptè quidam admoneant totum quod intercedit ab ea parte, *Sicut dicit* &c. includendum esse parenthesi. Sic enim contextus redditur magis dilucidus. Citat autem apostolus auctorem testimonij Spiritum sanctum, non Davidem, non quasi dubium sit an à Davide conscriptus sit psalmus, sed enim affirmat cap.

seq.) sed quò maiori cum reuerentia testimonium suscipiatur, magisq; moneat eos, quorum causa adducitur. Vtrumque Christus expressit interrogatione sua Matth. 22. *Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum?* Ideo nempe, quia non à semetipsis, sed à Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1.

8 HODIE SI VOCEM EIVS AUDIERITIS, NOLITE OB DURARE CORDA VESTRA. Refert apostolus hæc verba non ut dicta generaliter ad omnes cuiuscunque temporis Iudæos, aut generalius ad omnes homines; sed, ut superius indicavi, ad Israëlitas qui erant tempore Davidis. Tale enim est, quod dicit: Sicut his verbis olim Spiritus sanctus per Davidem admonuit populum Israëliticum, ne per infidelitatem recederet à Deo; sic & ego vos moneo, videlicet meis verbis infra positis: *Videte fratres, ne foris*, &c. Itaque adverbium *hodie*, de eodem tempore exponendum est; ac fortasse pertinet ad certum quendam diem, quo ad festum aliquod celebrandum populus erat conuocatus: quasi dicat David, Hoc die festo, *si vocem eius*, &c. Sic enim post Hesselium exponit Adamus. Quamquam apostolus in sequentibus, hæc eadem allegoricè tractans, ad omnes fideles, & ad omne tempus huius vitæ accommodat. Sed quid sibi vult exhortatio psalmistæ; *Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*; cum eo ipso corda sua non obdurent, si vocem eius audiant? Audire enim, vsitatissimo more scripturæ, est obedire. Vnde & Pagninus vertit. Si voci eius obtemperaueritis. Sic in psalmo 80. *Et non audiuit populus meus vocem meam*, id est, non obediuit. Et apud euangelistas: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*. Et, *Qui vos audit, me audit*. Respondeo nō minus vsitam esse in scripturis, simplicem & ab obedientia abstractam eiusdem verbi significationem; secundum quam facillima est expositio; *Si audieritis*, id est, auditu perceperitis *vocem Domini* sonantem in auribus vestris per ora prophetarum ac ministrorum eius; *Nolite aduersus eam corda vestra obdurare*; sicuti quondam audita voce Domini legem dantis, corda sua obdurarunt patres vestri in deserto; de quibus infra dicitur: *Quidam enim audientes exacerbauerunt*. Dici etiam potest, ita dictum, *Si vocem eius audieritis, nolite obdurare* &c. sicut Christus Io. 14. *Si diligitis me mandata mea seruare*; ut sensus sit: Si vocem Domini audieritis, id est, verè estis obedientes voci eius, id factis in posterum declarate ac nolite posthac obdurare corda vestra, sicut patres vestri fecerunt in deserto. Sed vtrique huic intellectui videretur obstare distinctio versusum, quæ est in codicibus Hebræis, vbi pars illa, *hodie si vocem eius audieritis*, cum verbis superioribus, in eodem versusum concluditur, hoc modo: Quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius & grex manus eius, hodie si vo-

cem eius audieritis. Qui versus à sequentibus separatus, totidem verbis legitur in psalterio, quod Hieronymus ex Hebræo conuertit. Vnde quidam recentiores hanc Hebræorum distinctionem secuti, sensum faciunt qui videtur obuius; *Ipse est Deus noster, & nos populus eius, si tamen hodie vocem eius audierimus*. Sed habet hic sensus incommodum, quod secundam personam mutet in primam, *audieritis*, in *audierimus*. Quocirca alij particulā *Si*, per *utinam* exponunt, sicut accipitur Luc. 19. *Si cognouisses & tu*. Verum huiusmodi comortis interpretationibus nihil est opus; Neque tanti facienda est illa codicum Hebræorum distinctio, quæ non à sacris auctoribus emanauit, sed, multo post aduentum Saluatoris, à Iudæorū Rabbiniis, quos Masoretas vocant, facta est; ut ipsi etiam Iudæi constiterent. Quo fit ut non solum apud Lxx interpretes, verum apud alios quoque qui sacros libros ex Hebræo transtulerunt in Græcum, diuersa distinctio passim reperitur. Qua de re consule Genebrardum doctè differentem in epistola ad lectorem præfixa ipsius in psalterium commentarijs. Maneat ergo prima responsio, verbum *audieritis* generaliter accipi secundum primæuam eius ac notissimam significationem; maximè quando hoc inuitat, & cogit nos apostolus, non eo solum, quod illa verba, *Hodie si vocem eius audieritis*, manifestè sub vno versu connectit sequentibus, *Nolite obdurare corda vestra*, idque non semel, sed tertio: Verum etiam, quia cap. seq. ad hæc verba psalmi respiciens, ita scribit; *Sed non profuit illis sermo auditus, non admittunt fides ex ijs qua audierunt*. Vbi procul dubio audiētiam ab obedientia separat. Porro sciendum, nonnullos hanc partem ita accipere, tãquam Deus Pater de Filio loquatur ad Iudæos, admonens ut audita eius voce in assumpta carne loquentis, præstent ei obediētiam. Vnde & in præcedentibus eiusdem psalmi, contineri dicunt exhortationem, qua populus Iudaicus excitatur ad salutare suum, id est, Christum, quum venerit, recipiendum & adorandum. Qui sensus haud dubiè pius est, & appositus; sed vtum literalis, hic non disquiro. Iam quod ait: *Nolite obdurare corda vestra*, tale est, ac si diceret, Nolite resistere verbis Domini loquentis. Duram enim est quod non cedit, nec recipit impressionem agentis, sed agenti & imprimentis resistit. Itaque *durum cor* in scripturis vocatur, quod resistit iussioni diuinæ. Quam cordis duriciam Stephanus significauit, quando cum exprobratione dixit Iudæis: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Act. 7. Non diceret autem per prophetam, & apostolum Spiritus sanctus; *Nolite obdurare corda vestra*: nisi vtrumque esset in hominum potestate, obdurare corda sua, & non obdurare; obedire, & non obedire. Ex quo non perperam, ut ait Caluinus, sed certa & solida ratiocinatione col-

ligitur esse in nobis liberam formandi in Dei obsequium cordis, facultatem. Quamquam non ita, ut facere id homo possit, si non ei datum fuerit à Deo omnium bonorum largitore; Qui, *cuius vult, misereatur, & quem vult indurat*. Rom. 9. misereatur, impertiendo gratiam; indurat, gratiam non apponendo, quemadmodum ait Thomas in huius loci commentario, secutus Augustinū diuersis locis.

SICUT IN EXACERBATIONE SECUNDUM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO. In Hebræo sic ad verbū legitur: Sicut Meribah, sicut die Massah in deserto. *Meribah* contradictionem, contentionem, litem significat. *Massah*, tentationem. Quibus nominibus appellatus fuit locus in Raphidim, vbi populus Israëliticus aduersus Deum & Moysen murmurasse legitur, quum laboraret aquæ penuria. Exo. 17. Nam cum populus, vt ex textu liquet, dupliciter peccaret, iurgando contra Moysen, & tentando Deum; vocatus est locus ille (sicut in Hebræo habetur) duplici nomine *Massah*, & *Meribah* id est, *Tentatio*, & *Contradictio*. Ad hanc igitur historiam Exodi respexit Psalmistes. Est quidem similis historia Num. 20. sed tamen ab hac diuersa ac multo posterior: Nec ad eam hic respicitur; quia nomina loci non conueniunt: tamen sub vna tentatione suis nominibus expressa, cæteras etiam intelligere psalmistam voluisse, nihil prohibet, imo valde probabile est. Quod autem Lxx quorum versione Paulus vitur, sermonem variant, priori loco scribentes sicut, posteriore, *secundum*, turbare nos non debet: Sensus enim idem est, Nam *secundum diem*, pro eo quod est, *sicut in die*, receptissimum est in sacris literis. vt Iob. 29. Ierem. 44. Dan. 9. Hosee 2 & alibi. Vnde & interpretes indifferenter vertunt vtrouis modo. Quare pro eo quod vulgata versio habet, *secundum diem tentationis*, non debuit Erasmus vertere, *in die tentationis*; sed potius explicare phrasim, vertendo, *Sicut in die tentationis*; quemadmodum id quod est in Hebræo vertit Hieronymus. Ex his præterea manifestum est, exacerbationem, quam pro contradictione reddiderunt Lxx interpretes, proximè non ad Deum referri, sed ad Moysen, qui populo aduersum se iurgante, ac sibi contradicente, exacerbatus fuit. Veruntamen sicut ex consequenti in Deum reddenda est contradictio, iuxta quod alibi Moyses dicit: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*. Exo. 16. ita & ad Deum exacerbatio referri potest, quatenus iniuria famuli Dominum attingit. Quod idcirco monendum duxi, quia videri potest apostolus in sequentibus, exacerbationem ad Deum referre. Sensus igitur est: Ne obduretis corda vestra, sicut olim factum est à patribus vestris, in eo loco qui vocatus est ex-

acerbatio, seu contradictio; sicut, inquam, factum est eo tempore, quo Deum tentauerunt in deserto, nimirum ea tentatione, quæ nomen loco dedit.

9. VBI TENTAVERUNT ME PATRES VESTRI. Deum ex abrupto loquentem David inducit, quo sermo sit vehementior: Nam superiora erant verba prophetæ. Supplendū igitur: *Vbi, inquit Dominus, tentauerunt me patres vestri.* Quo tamen supplemento non egent, qui ab eo loco: *Hodie si vocem eius audieritis, esse dicunt verba Patris loquentis de filio; cuius sententiæ supra memini.* Locale relatiuum, *Vbi*, vel ad locum, qui dictus est *Meribah & Massah*, referri potest; vel ad *desertum*. Quod posterius magis placet; tum quia nomen deserti proximè præcessit; tum propter ea quæ sequuntur, vbi non vnius loci aut temporis probatio significatur, sed quæ facta est in deserto totis quadraginta annis. Tentare Deum, est dicto, factoue explorare eius potentiam, scientiam, veritatem, providentiam vel aliud quippiam, de quo fas non sit dubitare. Huiusmodi tentationes Dei, præter eam quæ supra dicta est, quam & alia duæ Exo. 15 & 16. descriptæ, præcesserant; adhuc alia leguntur in libro Numerorum, adeo ut dicat Dominus Num. 14. *Tentauerunt me iam per decem vices; nec obedierunt voci meæ.* Quam tamen Domini querelam alia quædam tentationes adhuc secutæ sunt, ut quæ referuntur Num. 17. & 20.

PROBAVERUNT, ET VIDERUNT OPERA MEA. Græcè addito pronomine, *probauerunt me.* Nam & apud Lxx sic legitur, & in Hebræo, & in Latinis quibusdam, atque etiam in psalmo, ex Ro. correctione. Hanc partem Adamus & Iansenius ita connectunt superiori; Tentauerunt me, quamvis probassent, id est, experti me fuissent atque vidissent opera mea admiranda, ex quibus meritò debebant intelligere me omnia posse & in promissis esse veracem. Alij verò plerique censent idem diuersis vocabulis repetitum, tentare & probare; nisi quod probatio plus aliquid importet, videlicet exactum & serium explorandi studium, velut in re maximi momenti; sumpta metaphora ab ijs qui aurum aut argentum sitnè probum, diligenter examinant. Quo modo frequenter accipitur probare in psalmis; & alibi, vt i. Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Horum expositio est: Non quomodocunque me tentauerunt, sed modis omnibus probarunt & explorarunt; vt exempli gratia, dicentes: *Estne Deus in nobis? Quis dabit nobis aquas? Nunquid & panem poteris dare?* Et tamen viderunt opera mea magna; & mirabilia: vt post omnem probationem nihil haberent causæ, cur de meis promissis dubitarent. In Hebræo quidem legitur, *opus meum*, non *opera mea*: Sed singu-

lare est positum pro plurali; quod in ea lingua frequens est. Pars illa: *Quadraginta annis*, vtrum apostolo sit finis sententiæ præcedentis, an inchoatio sequentis, haud satis liquet. Illud constat apud psalmistam esse noui versus initium non modò secundum distinctionem Hebræorum, verum etiam in codicibus Græcis diuersarum editionum. Ecclesia quoque in officijs diuinis non aliter distinguit. His accedit, quod ipse etiam apostolus ea distinctione paulò post utatur, dicens: *Quibus autem insensus est quadraginta annis?* Vnde Erasmus in annotationibus & Sasboldus in commentario, sentiunt eo loco palam refelli distinctionem Græcorum interpretum eorum qui partem hanc ad superiora referunt. Eadem est sententia Caietani. Nec obest quòd post eam partem in textu sequatur illatiua coniunctio, *propter quod*, Græcè *διό*, quæ in oratione non postponitur; adeo vt Græcus scholiastes affirmet oportere sic legere, *probauerunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis.* Deinde inferre, quasi ab alio principio; *Propter quod insensus fui, &c.* Non obstat, inquam: quia sicut Latinorum idcirco, ideo, est communis ordinis: ita potest esse & illud *διό*. Quanquam si accuratius perpendas est postpositiui dumtaxat ordinis suapte vi, propter vim relatiui in eo inclusam. Illud considerandum est, quod quando populo Israëlítico Deus fecit illam cum iuramento comminationem, non intraturum in requiem ipsius; nondum viderat opera Domini quadraginta annos, sed vnum tantum; post quem pœnas murmurationum pertulit annos quadraginta. vt merito hic dicatur, *Quadraginta annis insensus fui generationi huic.*

10. QUADRAGINTA ANNIS PROPTER QVOD INFENSVS FVI GENERATIONI HVIC. Græcè, *generationi illi*, id est, quæ tunc erat. Apostolus apposuit de suo, *propter quod*. Id enim apud psalmistam non legitur, tamen rectè subintelligitur. Pro eo quod interpret hoc loco vertit, *insensus fui*, & in psalterio, *offensus*. Græcè est *πρὸς ὡχθισα*. Quæ vox duplicè habet significationem; alteram, in sacris litteris vsitatam, offendi, fastidire, tædio affici. Sic apud Lxx Gen. 27. *Tedet me vita mea.* In qua significatione legitur itè Leuit. 18. Deut. 7. Ezech. 26. Ecclesiastici 25. & 38. Interdum verò significat propinquare, appellere. Hinc est quod secundum aliam versionem legitur in psalterio, *proximus fui generationi huic.* Vbi tamè intellige proximationem, qualis est dum res appropinquat alteri, à qua leditur, offèditur, detrimentū accipit; velut nauis impingens in scopulū, & caput allisū ad trabem. Sic Deus quasi impedit in duiū illū populū, offensus & irritatus eius contra se murmurationibus, alijsque peccatis. Quo sanè modo facile conciliantur diuersæ translationes Latinæ ex Græco; quarum vna est Gallici psalterij, correctore Hieronymo, quod habet, *offensus*,

alte-

altera psalterij vetustioris, quod Romanum vocatur, in quo legitur, *proximus*. Vtrumque recitat ecclesia; alterum in festo Epiphaniæ Domini, alterum in officio quotidiano. Veruntamen emundationi B. Hieronymi fauet Hebraica veritas, quæ ita sonat, *Fastidius in generatione*. Pagninus quidem vertit, *Litigauit cum generatione*: sed Hieronymus ex eodem fonte Hebræo, *Displicuit mihi generatio* (nam pronomen Hebræa non exprimit, sed intelligendum relinquunt). Cum Hieronymi versione conueniunt Symmachus & Aquila Græci interpretes. Significatur autem Hebræa voce ea displicentia, cum quis molestia rei cuiuspiam victus, tandem eam à se abijcit. Quod & in Græco vocabulo huius loci, à Græcis authoribus est annotatum. Porro *generationem* scriptura vocat homines eiusdem æui, quasi eodem tempore genitos; id est, qui eadem ætate vixerūt. Significantur autem qui ex Ægypto per Moysen educti legem acceperant, & mirabilia Dei viderant. De quibus Num. 32. dicitur, quod *circumduxit eos Dominus per desertum annis quadraginta, donec consumeretur vniversa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius.*

ET DIXI; SEMPER ERRANT CORDE. Ita verterunt Lxx. addito temporis aduerbio *semper*; cum in Hebræo sic ad verbum legatur, *Et dixi, Populus errantium corde ipsi.* Sed eam vim habet apud Hebræos participium præsentis temporis, vt assiduitatem quandam denotet. Nec malè quidam hanc partem causaliter exponunt, vt sensus sit: *Dixi enim apud me; Hi quamvis à me tot ac tantis affecti beneficijs, torisquæ admoniti, semper tamen in errore animi sui persistunt.* Nam ratio redditur offensionis diuinæ. Est autem sermo de errore circa Deum, resque diuinas, id est, de infidelitate & vicijs affinis, tentatione, murmuratione &c. Vnde sequitur,

IPSI AVTEM NON COGNOVERUNT VIAS MEAS. *Via Domini* bifariam dicuntur in scripturis; aut quibus Deus ipse incedit, aut quibus nos incedere præcipit. Prioris modi sunt opera quæ Deus facit, vt opera potentia, iusticia, misericordia eius; de quibus scriptum est, psal. 24. *Vniversa via Domini misericordia & veritas.* Posterioris modi, mandata, quæ Deus facienda nobis præcipit. Vnde & vocantur viæ mandatorum & iustificationum, & testimoniorum Dei. psal. 118. De his dicit David psal. 17. *Custodini vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.* Et psal. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Locum igitur præsentem alij de vijs mandatorum Dei intelligunt, hoc sensu: Mandata mea cognoscere noluerunt, vt in ijs ambularent. Alij de vijs operum Dei; Quod est probabilius, quia tentationis peccatum erat de operi-

bus Dei, de quibus dixit, *Viderunt opera mea*. Secundum hanc acceptionem sensus est: Et opera potentia, bonitatis & iusticiae meæ, quæ coram eis feci in Ægypto, in mari rubro & in deserto; præcitate cordis non considerauerunt, nec eorum rationem habuerunt, vt mihi crederent.

11. QUIBUS IURAVI IN IRA MEA; Græcè, *sicut iuravi* &c. quemadmodum & in psalterio legitur tam Romano, quam Gallicano. Sic & infra noster interpres vertit capite sequenti vt verisimile sit hoc etiam loco non aliter eum vertisse; quo sanè modo & Clementina habet correctio: cum Græca constanter utrobique habeant *ὡς* non *ὡς*. At in Hebræo est relatiuum. *ἵνα*. Cuius tamen particulæ varius est vsus. Vnde & hoc psalmi loco variè eam transferunt; his videlicet modis: *Quod, quibus, propterea, sicut.* Nec laborandum quòd ex his eligas; cum sit ex earum particularum numero, quæ interdum adhibentur vel ad solum ornatum orationis, vel ad connectenda sequentia cum præcedentibus. Quales etiam apud Græcos sunt nonnullæ. Quare Hieronymus ex Hebræo vertit sola coniunctione copulante, *Et iuravi in furore meo.* Breuiter, sensus est; Quibus proinde iratus, iuravi, Deus omnium perturbationum expertus, irasci dicitur anthropopathicè, quando ea facti, quæ solent homines irari; vt quando minatur, aut percutit. Hoc autem loco, sola adhuc erat comminatio seu denūciatio pœnæ cum iuramento. Cæterum an Deo propriè competat iurare; dubitari potest. De quo commodius infra videbimus capite sexto. Dicitur autem Deus iurare, quando fixum & immobile suæ voluntatis decretum significare volens, per se vel suos prophetas utitur verbis iuratorij.

SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM. Forma iuramenti est, non qualiscunque, sed execratorij. Est enim oratio egyptica, ad hunc modum supplenda: *Si introibunt in requiem meam*: ne sim Deus; aut, habear mendax; aut quid simile. Quemadmodum & alibi psalmista loquitur in Dei persona vt psalm. 88. *Semel iuravi in sancto meo; Si David mentiar.* Et in persona Davidis, psal. 131. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.* &c. *Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Vbi subauditur execratio consueta, Hoc aut illud faciat mihi Deus. Retinet autem execrationem scriptura, non tam ad indicandum πᾶθος in huiusmodi sermone, vt quidam putant; quam ob reuerentiam personæ, quæ sic iurans introducit; De qua execratorij aliquid audire horrescunt ac

refugiunt aures piæ. Quæ etiam causa est, cur interdum scriptura de maledictione Dei loquens, *benedictionem Dei* reponat; vt 3. Reg. 21. & Iob. 1. & 2. Ad istum modum explicat hanc iuramenti formam, post glossam ordinariam, S. Thomas, Titelmanus, Adamus, Vatablus, Genebrardus, Galenus & alij facræ linguæ periti; quibus & Caietanus assentitur in expositione psalterij. Nam hoc quidem loco partem eam reliquit intactam. Quod verò quidam vir doctus eam explanationem rejicit hoc potissimum argumento, quia scriptura nusquam exprimit ea quæ isti taceri dicunt: ex ijs quæ iam diximus, perspicue soluitur. Reddita est enim causa, cur execratiō non exprimat in iuramento, quod ex Dei persona commemoratur. At in alijs frequenter exprimi constat; vt quoties dicitur: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si hoc aut illud egero, vel non egero.* Nam quod dicunt in iuramentis voculam *si*, pro *non*, accipi mox Hebræo, *Si introibunt*, id est, non introibunt: nulla ratione probatur. Alioqui tam Græci, quàm Latini interpretes, non *si*, sed *non*, reddere debuissent; quandoquidem cōstet *si*, nusquam apud Latinos significare negationem. Adde, quod eadem ratione particula *nisi*, in iuramentis affirmationem significaret, vt 3. Reg. 19. Iob. 1. Isa. 5. quod nemo dixit, nec, nisi absurdè, dici potest. Fateamur tamē execratorium iuramentum in quo particula, *si*, ponitur, tandem in negationem resoluī, quemadmodum contrā, factum per *nisi*, recidit in affirmationem. Qui enim iurat: *Si introibunt in requiem meam*; non sicut Deus: iurat non intraturos. Atque hoc sensu Chrysostomus & alij intelligendi sunt, *Si*, per *nō*, exposuisse. Qua ratione etiam concedi poterit dictionem, *nisi*, in iuramentis, affirmationem esse. Porro, *requiem meam*, intellige requiem à me promissam, id est, terram Chanaan, in qua post longam seruitutem & exilium erant accepturi sedes quietas. Et hoc quidem iuxta literam psalmi. Nam quæ requies mysticè significetur, apostolus in sequentibus aperiet. Impletum autem fuit hoc iuramentum in sexcentis tribus milibus quingentis, & quinquaginta viris, quos Moyses in censum redegisse legitur Num. 1. solis Iosue & Caleb exceptis. Nam Leuite, vt ex eodem loco patet, in eo censu non fuerunt comprehensi: Ne quis miretur, si præter Caleb & Iosue etiam ex Leuitis Eleazar & Ithamar inueniantur ingressi in terram promissā. Si queras, vbi legatur Deus ad hunc modum iurasse: Respondeo, factum id commemorari Num. 14. semel & iterum, ac deinde repeti à Moysē Deut. 1. Quibus locis, etsi in nostra versione non legatur nisi simplex iuramentum: in Hebræo tamen habetur imprecatorium, eclipico sermone significatum. Huc vsque parenteticōs interposita verba psalmi; ex quibus apostolus sibi sumit materiam exhortationis sequentis;

12 VIDE TE FRATRES, NE FORTE SIT IN ALIQUO VESTRUM COR MALVM INCRE-
DULITATIS DISCEDENDI A DEO VIVO
Ne forte; Græcè μήποτε, *Ne quando*. Sic enim ipse etiā interpret alibi vertit, vt 2. Tim. 2. *Ne quando Deus det illis poenitentiam*. Cor malum incredulitatis, est cor malum & infidele; aut cor infidelitatis vicio corruptum. Quapropter, inquit, fratres intuentes in hæc maiorum vestrorum exempla, videte, id est, attendite & caute ne quando contingat vt quisquam vestrum, animo deprauatus, abiecta fide Christi, discedat ac deficiat à Deo viuente. Significat apostolus eum, qui à Christo discedit, à Deo viuente discedere: vel quia Christus est Deus viuens, vel quia *qui negat filium, nec patrem habet*. 1. Ioan. 2. Vnde Iudæi, Christum negantes, frustra sibi blandiuntur de cultu vnus Dei: Non enim possunt Deo placere, qui filium eius non recipiunt. Pro verbo *discedendi*, Græcè est ἀποσῆναι à quo ἀποστασία, vocabulum apud Christianos infamie. Notandum autem Syrum interpretem ita vertisse, *Et aestia: is à Deo vino; scilicet abducti à fide, per eum in quo est cor malum incredulitatis*. Qui sensus à Græca lectione non est alienus, si suppleatur pronomen primæ personæ hoc modo: ἐν τῷ ἀποσῆναι ἡμᾶς ἀπὸ θεοῦ ζῶντος. Id est, Vnde fiat vt discedatis vos, aut ex vobis aliqui, à Deo viuente. Nam ille in quo est cor malum incredulitatis, iam discessit à Deo viuente, per incredulitatem; sed cauendum ne & alios faciat discedere. Iuxta quem sensum conueniet hic locus cum eo qui est cap. 12. *Ne qua r. dix amariuidinis sursum germinans impediatur, & per illam inquinetur multis.*

13 SED ADHORTAMINI VOSMETIPSOS PER SINGVLOS DIES. Vosmetipsos dixit pro vos inuicem, id est, alius alium, Græcè ἑαυτῶν. Monet vt quotidianis exhortationibus se inuicem animent, atque exstiment ad perseverantiam fidei; & si qui fortè lapsi sint non obdurentur, sed restituantur.

DONEC HODIE COGNOMINATVR. Græcè, *Quoad vsque hodie vocatur*; id est, quamdiu hodiernus dies decurrit, dies inquam, huius vitæ. Cui diei nox succedit; in qua nemo poterit operari. Ioan. 9. Accommodat exhortationi suæ particulam, *hodie*, è testimonio psalmi paulò antè recitato: tanquam diceret; Vestrum hodie, quo exhortandi estis, & vocem exhortantium audire debetis; est vita præsens.

VT NON OBDVRETVR QVIS EX VOBIS FALLACIA PECCATI. Respicit ad eam partem eiusdem psalmi; *Nolite obdurare corda vestra*. Fallacia, Græcè ἀπάτη, quam alij seductionem vertunt. Causa finalis quotidianæ exhortationis significatur; & sensus est: Idcirco opus habetis quotidiana mutua cohortatione, vt ne quis vestrum à peccato seductus ob-

duret

duret cor suum aduersus Dei verbum. Familiare scripturis est, vt peccatum, seu concupiscentia dicatur homines seducere, decipere, abstrahere & illicere, vt Rom. 7. Dan. 13. Iaco. 1. Id autem dicitur per quandam proso-
popœiā, quatenus homo tentatione aliqua, velut suasionem, sollicitatus & inductus, peccato consentit, quasi ab ipso peccato persuasus. Fit autem mirò modo, vt, dum cor emol-
litur delectatione peccati, paulatim obdure-
cat aduersus præcepta Dei. Intelligitur autem peccatum in genere; tanquam persona quædam, vt dixi, sed quæ introducit vt sedu-
cens & impellens ad huc peculiarem actum peccati, qui est deficere à fide Christi: quæ ad modum precedentia & sequentia satis de-
clarant. Porro cum non eadem sint seduci à peccato, & obdurare cor suum in peccato; sed hoc illo posterius ac deterius: rectè monet ne si qui fortè seducti sint à peccato, obdurent corda sua, sed statim resiliant per poenitentiam.

14

PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SYMVS. Exhortans Hebræos suos ad perseverantiam, illud prius statuit, in quo vult eos perseverare, scilicet, fidem Christi. Iam enim, inquit, per fidem initi sumus & incorporati Christo; videlicet facti membra corporis eius. Id alia metaphora superius dixit: *Sumus domus eius*. Eundem sensum habet quod Syrus vertit: Commixti sumus cum Christo, Id est, in vnum corpus coagmentati cū capite Christo.

SI TAMEN INITIVM SVBSTANTIÆ EIVS VSQVE ADFINEM FIRMVM RETINEAMVS. Pronomen eius, non est in Græco. Pro substantia, Græcè ὑπόστασις, eadem vox, quæ cap. 1. *Figura substantia eius*. Et quæ cap. 11. *Fides est sperandarum substantiarum*. Nonnulli substantiam vertunt. Eam verò substantiam, siue substantiam, plerique interpretantur hoc loco, qua Christiani sumus, id est, noua creatura in Christo. Cuius quidem substantiæ initium & fundamentum est fides, qua in Christum credimus. Potest nihilominus per ipsam substantiam intelligi fides; & per initium substantiæ, fides iam inchoata: quandoquidem & cap. 11. substantiæ nomē attribuit fidei. Ita sensus erit: Si tamen susceptam semel fidem, per quam in vita hac spiritali subsistimus (aut quæ est substantia, id est, basis & fundamentum salutis ac spei nostræ) firmam & inconcussam retineamus vsque ad exitum vitæ. Huic intellectui fauet versio Syriaca. Sic enim habet; Si ab initio vsque ad finem substantiam hanc firmam rapiamus. De qua versione consule Galenum nostrum. Porro conditionalis sermo: *Si tamen* &c. exponendus est eo modo, quo expositum est illud superius: *Quæ domus sumus nos, si fiduciam* &c. Sensus enim est, ita demum nobis profuturum ad salutem, quod Christi participes effecti sumus per fidem, si in ea perseveremus vsque ad mortem. Vnde

euanescit annotatio cuiusdam hæretici ad hunc locum, sine perseverantia fidem non esse fidem, sed opinionem vanam. Id enim ex verbis simul & scopo apostoli manifestè redarguitur. Non enim ad fidei perseverantiā Hebræos hortaretur siue perseveraturos, siue non; nisi veram fidem eos habere existimaret.

15 DV M DICITVR: HODIE SI VOCEM EIVS AVDIERITIS, NOLITE OBDVRARE CORDA VESTRA, QVEMADMODVM IN ILLA EXACERBATIONE. Dum dicitur, Græcè, ἐν τῷ λέγεσθαι, *In dicendo*. Quod Erasmus vertit, *In hoc quod dicitur*. Et ita sanè vertendum erat, iuxta Græcorum commentarium; qui hinc faciunt initium nouæ sententiæ, eamque mox ab illa parte, *Quidam enim audientes* &c. longo hyperbato suspendunt, vsque ad initium capitis sequentis: *Timeamus ergo* &c. Sed non videntur illi aduertisse ad phrasim Hebraicam, hinc vsurpatam ab apostolo; qua nimirum temporis concurrentia significari solet. Exempla passim in scripturis sunt obuia; velut psal. 9. *In convertendo inimicos meos retrorsum*. psal. 101. *In conueniendo populos in vnum*. psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*. Hoc est, Dum conuertuntur inimici mei; Dum conteniunt populi; Dum conuertit Dominus. Vnde plerumque Latinus interpres eam phrasim reddit aduerbio, *Dum*; vt psal. 9. *Dum superbit impius, incenditur pauper*. psal. 26. *Dum appropiā super me nocentes*. & 7. *Dum oro ad te, dum extendo manus meas*. Item psal. 41. *Dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus*: Quo loco, pro ea parte, *Dum dicitur*, idem planè quod hinc in Græco legitur, ἐν τῷ &c. Rectissime igitur interpres noster vertit, *Dum dicitur*. Id autem longè commodius cum superiori sententia connectitur, quàm si hyperbato interiecto pendere dicatur & spectare ad initium capitis sequentis. Et hanc connexionem ipse Erasmus sequitur in paraphrasi. Sequitur etiam Syrus interpres, tamen diuerso vsu aduerbio, *Sicut dicitur*. Sed multo melius se habet, *Dum dicitur*. Est enim explicatio eius quod dixerat apostolus, *vsque ad finem*. Quasi diceret; Hortor vos vt fidem constanter retineatis vsque ad finem, hoc est, *dum dicitur*, seu, quamdiu dicitur nobis voce prophetica, *Hodie si vocem eius audieritis* &c. Id enim est, quod supra dixit; *Donec hodie cognominatur*, id est, hac vita durante. Nam quod propheta suis dixit Hebræis; ita vult apostolus accipi tanquam omnibus dictum sit: videlicet per accommodationem quandam, aut ob paritatem rationis. Porro Græcorum constructionem ipse etiam orationis contextus respuit. Nisi enim hæc pars ad superiorem referatur; abruptè & incompositè post eam sequetur: nec illatiua coniunctio in illa parte, *Timeamus ergo*, vsu habebit. Quod incommodū nec Erasmi fugit, in annotationibus. Obiter admono nihil esse varietatis in Græco, dū interpres modò vertit; *Sicut in exacer-*

batione, modo, quemadmodum in illa exacerbatione.

16 QUIDAM ENIM AUDIENTES EXACERBAVERUNT. *Audientes*, Græcè ἀκούοντες, quum audissent, scilicet promissa & præcepta Dei. *Exacerbauerunt* autem primo quidem Moysen, iuxta historiam Exo. 17. atque etiam Num. 14. Consequenter autem Deum, cuius vice Moysesungebatur. Sed cum historia sacra testetur penè omnes exacerbasse, quando dictum est eis: *Si introibunt in requiem meam: cur apostolus dicit: Quidam enim &c.* quasi non ita multi fuerint. Respondetur, id agere apostolum, vt Hebræos animet ad permanendum in fide. Id autem agendum statuit non tantum proposita punitione eorum, qui propter infidelitatem & inobedienciam suam fuerunt exclusi à reque promissa; verum etiam adducto eorum exemplo, qui merito fidei & obedientiæ requiem optatam sunt adepti. Ad eam rem autem non expediebat meminisse paucitatis istorum; ne suos Hebræos inducere videretur ad desperationem. Adde, quod nec simpliciter pauci fuere, qui in requiem illam ingressi sunt; sed pauci dumtaxat ex ijs, qui secundo anno egressionis ex Ægypto, recensiti fuerunt à viginti annis & supra. Nam qui viginti annis erant inferiores, ijdemque postea in promissam requiem introducti, non vtique pauci erant. Accedit (vt supra diximus) quod Leuitæ in illa recensione non comprehendebantur. Ad hos autem respicere Apostolum, apparet ex eo quod sequitur,

17 SED NON VNIVERSI QUI PROPECTI SVNT EX ÆGYPTO PER MOYSEN. *Profecti*, Græcè, *egressi*. Per Moysen, id est, ductore Moysen. Quod Syrus Hebraicam phrasim imitatus dicit; *In manu Moysi*. Sicut & legitur psal. 76. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron*. tamen Hebraicè dicitur etiam, *In Moysen*, id est, per Moysen; vt Osee 12. *In propheta*, videlicet Moysen, *eduxit Dominus Israël de Ægypto*. Quomodo verum sit non omnes ex Ægypto per Moysen egressos, exacerbasse; iam declaratum est. Non enim id tantum veritatem habet in Caleb, & Iosue & Leuitis quibusdam, sed etiam in multitudine eorum, qui biennio à tempore egressionis, annum ætatis vigesimum nondum expleuerant. Vnde hi, tanquam novus populus, & nona generatio, typum gesserunt filiorum noui testamèti, qui Dei vocem obedienter audiunt.

18 QVIBVS AVTEM INFENSVS EST QUADRAGINTA ANNIS? Clariùs *infensus* fuit; quemadmodum supra: *Propter quod infensus fui*. Nam sermo est de re lógè præterita. Prosequitur apostolus reliquas psalmi superiùs citati partes; ostendens quomodo puniti fuerint exacerbatores illi in deserto; & quam ob causam puniti. Quod efficacior autem reddatur subsequens exhortatio, quibusdam interrogatiunculis orationem excitat atque ac-

cedit. De constructione partis illius: *Quadragesima annis*, iam supra diximus. Notanda est autè in ea parte synecdoche quadam Nā, vt liquet ex libro Num. 14. & aliunde comminatio pænæ, cuius hoc loco meminit apostolus, facta demum fuit anno secundo post exitum Hebræorum ex Ægypto. Sensus ergo est, Circiter quadraginta annis.

19 NONNE IIS QUI PECCAVERUNT; Multiplici genere peccatorum offensam Dei prouocauerunt filij Israël, vt murmurando, concupiscendo, vitulum conflatilem adorando, desperando terram promissam: Sed quorum omnium caput & causa fuerit infidelitas, qua Dei promissis diffidebant; vt patet ex historia rei gestæ, potissimum Num. 14. Vnde & apostolus in sequentibus solam nominat infidelitatem.

20 QVORVM CADAVERA PROSTRATA SVNT IN DESERTO. *Cadavera*, Græcè *membra* quemadmodum & Basilus legit in homelia de ieiunio. Syriacè, *ossa*. Quanquam Græca dictio κῶλα etiam *cadavera* significat: Theophylactus quoque restatur ossa significari, sed maiora, qualia sunt femorum. Vfus est author ea voce, quam legerat apud Lxx. Num. 14. ter repetitam. Quæ etiam apud eosdem legitur Isa. vlt. vbi Hieronymus vertit; *Et videbunt cadavera virorū*. Sensus: Quorum proinde corpora, iuxta Dei comminationem, varijs mortibus consumpta, sunt ita vt innumera ossium multitudo relicta fuerit albentes deserti sparsa per agros. Respicit ad illa Domini comminantis verba *Vestra cadavera iacebunt in solitudine*. Num. 14.

21 QVIBVS AVTEM IURAVIT NON INTROIRE IN REQUIEM IPSIVS. *Non introire* Latiniùs alij, *non ingressuros*. De hoc iuramento satis dictum est supra.

22 NISI ILLIS QUI INCREDVLI FVERVNT: Erasmus ex Græco vertit: *Nisi ijs qui non obedierant?* Sed minus rectè. Nam Græcum verbum ἀπειθεῖν passim in scripturis apostolicis vsurpatur pro eo quod est, nolle credere, nolle persuaderi, nolle acquiescere: vt positiua significetur infidelitas; qualis illa, de qua Dominus in euangelio: *Si non venissem & locutus fuisset eis; peccatum non haberent*. Io. 15. Eadem est significatio Syriacæ vocis. Sensus igitur est: Nisi ijs, qui post tot & tanta potentiæ diuinæ signa exhibita, nondum sibi in animum induxerunt; vt promissis Dei crederent?

23 ET VIDEMVS QVIA NON POTVERVNT INTROIRE PROPTER INCREDVLTATEM. q. d. Causa propter quam prohibiti fuerunt ab ingressu promissæ quietis, clarè expressa est, ac proposita nobis in historia; nimirum, quia Dei promissis fidem non habuerunt.

CAPVT IV.

1 TIMEAMVS ERGO, NE PORTE RELICTA POLLICITATIONE INTROEVNDI IN REQUIEM EIVS. Exhortatio est, ducta ex verbis antegressis ac potissimum ex eo quod proximè dixerat; *Videmus qui non potuerunt introire propter incredulitatem*. Ne forte, rursū dixit interpretes, pro *ne quando*. Obseruetur verbum, *Timeamus* contra fidem specialem hæreticorum.

2 EXISTIMETVR ALIQUIS EX VOBIS DEESSE. *Existimetur*, Græcè δοκῆν videatur. Et pro verbo, *desse*, vertunt alij *frustratus esse*, id est, *exclusus, non assecutus*. Plenius exprimetur Græci verbi significatum, si iungas vtrumque: *Frustratus, seu non assecutus eo quod ipse desit per ignauiam*. Pro vobis, Græci quidā codices, nobis, habent, teste Caietano & ante eum Fabro Stapulense; qui etiam arbitratur à Larino interprete ita scriptum fuisse; & nos sic vidimus in ms. Laudensi. hanc eam lectionem flagitat orationis cōtextus, in quo præcessit verbum primæ personæ, *timeamus*; & mox sequitur eiusdem personæ pronomē, *Etenim & nobis*. Quanquam alioqui sensus eodem recidit. Quum; inquit, videamus ex veteri populo tam multos à reque promissa fuisse repulso propter incredulitatem: nobis quoque metuendum est, atque cauendum, ne quando derelicta seu neglecta per infidelitatem ac diffidentiam pollicitatione diuina, qua promissit nobis ingressum in requiem suā; aliquis nostrum ab ea reque videatur, id est, inueniatur, exclusus. Hic per requiem promissam non intelligit terram Chanaan, de qua secundum literam psalmus locutus est; sed patriam cœlestem, quam illa terræna requies mysticè significauit. Hanc enim Deus nobis promissit in Christum verè credentibus, atque in ea fide perseverantibus. De qua promissione sequitur,

3 ET ENIM ET NOBIS NVNCIATVM EST, QVEMADMODVM ET ILLIS. Explicat pollicitationem quam dixerat. In Græco sic ad verbum; *Etenim sumus euangelizati, sicut & illi*, hoc est: Nam & nobis allatum est euangelium; Nobis quoque bona & læta nunciata sunt; quemadmodum illis, scilicet patribus nostris de quibus in fine capituli præcedentis. Similitudo consistit in genere boni nunciij. Nam in specie, magna differentia est; Illis enim nunciata fuit, ac promissa requies quædam huius sæculi; Nobis autem requies multo facilior, post hoc sæculum: ideoque multo minus negligenda. Phrasim ista, qua euangelizari dicuntur, quibus lætum aliquid annunciat, alibi quoque reperitur in sacris literis. vt Matth. 11. & Luc. 7. *Pauperes euangelizantur*. Et 2. Reg. 18. secundum Lxx. *Euangelizetur Dominus meus rex*; id est, bo-

num nuncium accipiat.

4 SED NON PROFVIT ILLIS SERMO AUDITVS. *Auditus*, non participium est præteriti temporis, quod prima fronte videtur; sed nomen genitiui casus, Græcè ἀκούσις, id est, auditionis. Quæ vox apud Lxx. scripturæ interpretes fere per metonymiā vsurpatur pro re audita, id est, pro sermone, fama, narratione. vt Isa. 53. & Rom. 10. *Quis credidit auditui nostro?* Psalm. 111. *Ab auditione mala non timebit*. Hab. 3. *Domine audiui auditionem tuam, & timui*. Veruntamen interdum propriè accipitur, vt psal. 17. *In auditu auris obediuit mihi*. Et Rom. 10. *Fides ex auditu: Auditus autem per verbum Christi*. Priori modo, sermo auditionis idem est quod sermo narrationis; id est, exploratorum narratione ad populum relatus, duorum præcipuè, Caleb & Iosue. Cùm enim, vt habetur Num. 13. & 14. communis esset exploratorum relatio, terram à Deo promissam, quam iustrauerant, reuera lacte & melle fluere: Caleb & Iosue, præ cæteris, addebant faciliè eam terram, adiutore & præpicio Deo, obtineri posse. Cui sermoni populus adeo fidem non habuit, vt etiam lapidibus opprimere vellent eos à quibus hæc audiebant. Hic sensus coactior esse videtur; eò quod exploratorū maximā pars legatur terræ, quam à fertilitate laudauerant, mox detraxisse, dicendo; *Terra quam iustrauimus, deuorat habitatores suos*, &c. vt proinde eorum sermo dici non possit euangelium fuisse, iuxta sententiam præcedentem. Rectius ergo cum plarisque, Syro etiam astipulante, per sermonem auditionis intelligemus sermonem auditum, quem videlicet audierant, Deo per Moysen promittente se introduciturum eos in terram Chanaan & requiè in ea daturum. Culpani enim quod promissioni diuinæ fuerint increduli: Quæ promissio non per exploratores, sed per Moysen diuinæ voluntatis interpretem, illis facta fuerat.

5 NON ADMISTVS FIDEI EX IIS QUÆ AUDIERVNT. Græcè & Syriacè. *Non commixtus fidei ijs qui audierunt*. Nec villo modo Græca verti possunt, *ex ijs que audierunt*. Vnde non immeritò suspicatur Ribera deprauatam esse scribarum incitiam nostram versionem; quacunq; ratione id acciderit. Huc etiam facit verus lectio, quæ est apud Augustinum in expositione psalmi 77. *Non contemperatus fidei eorum, qui audierunt*. Est tamen in Græco, nonnulla varietas quoad priorem partem. Nam Chrysostomus, ac cæteri Græci commentatores legunt, *non commixtus*; vt eodem casu (qui in Græco accusatiuus est) iungatur cum pronomine illis, & pariter regatur à verbo *profuit*. Eadem lectio, reperta in compluribus Græcis codicibus Roberti, hodie est in biblijs regijs; item apud Fabrum & Caietanum. Quam Chrysostomus quidem ita exponit, vt *non commixtos fidei ijs qui audierant*, dicat intelligi Caleb &

Iosue; quod non sese miscuerint cum tumultuantibus, nec eandem cum multitudine sententiam habuerint, sed extra seditione permanserint. Verum huic expositioni contextus omnino repugnat. Non enim patitur illud plurale, *Non commistos fidei* &c. ad alios referri, quam ad malos & infideles, quibus dicit apostolus non profuisse sermonem auditus. Vnde Theophylactus ingenuè fatetur non se intelligere quid Chrysostomus sibi velit. Ipse verò & Oecumenius ad hunc modum interpretantur; Sermo auditus non profuit illis, ut pote qui per fidem non fuerint commixti seu coniuncti ijs qui audierunt, id est, obediunt, crediderunt, videlicet Caleb & Iosue. Sed incommodum habet etià hæc interpretatio propter mutatam repente in eadem sententia significationem *auditus*; maximè cum & sub finem c. 2. audiuisse tribuatur etiam incredulis. Itaque nobis ea lectio magis probatur, quam complures habent Græci codices; cui & Syriaca versio & nostra vulgata consonat; *Non commistus fidei, aut fide* (nam utroque modo verti potest) ut referatur ad sermonem auditus; idque hoc sensu: Promissionis sermo quem audierant, nihil eis profuit, imo magis obfuit, propterea quod ipsis qui audierant, non esset fide temperatus; sine qua mixtura, verbum, tanquam pharmacum, non prodest, sed nocet. Contemperatur autem fide; quando qui audit, fide recipit. Est igitur in hac phrasi quædam allusio ad ea quæ hausta nocent, nisi conuenienter fuerint temperata. Videri cuiuspiam posset, hanc partem: *ijs qui audierunt, regi à verbo, profuit*, hoc modo: Non profuit illis sermo auditus, illis, inquam, qui audierunt; eò quod non esset admixtus fidei. Sed hanc syntaxim Græca non admittunt: Nam casus diuersi sunt *ἐκείνους* & *τοῖς ἀκούσασιν*. Nec fere nisi cum accusatiuò iungitur Græcum verbum *φελειν*.

ADDITIO CENSORIS.

Lectio Chryf. Theoph. & Oecumenij, quæ eadem est eorum codicum quos supra indicauit author, videtur sanè expedita; sicut & eiusdem explicatio quam dant Theophyl. & Oecum. Nec obest id quod aduersus eam author objicit: quoniam eiusdem vocis alia atque alia acceptio, quando ex adiunctis facillè intelligitur ea diuersitas, non modò nil habet incommodi, sed etiam schema facit orationi. Alteram Græcanicam lectionem satis commodè author exponit: & ad sensum illius reuocabitur quod est in nostra vulgata, hoc modo: Sermo diuinæ promissionis quem audierant, nihil ipsis profuit, propterea quod non esset temperatus fidei conceptus ex ijs quæ audierant. Non enim ex ijs fidem conceperunt; sed audita respiciunt per infidelitatem.

INGREDIEMUR ENIM IN REQUIEM, QUI

CREDIDIMVS. Alij verbū reddunt presentis temporis, *ingredimur, introimus*. Est enim Græcè *εισερχόμεθα*. Sed tamen noueris verbum *ερχομαι* frequenter in scripturis sic usurpari, ut futuri quandam significationem habeat. Vnde est apud euangelistas, *ὁ ερχόμενος, qui venturus est*: Matth. 11. Luc. 7. Ioan. 6. Imo & in hac epistola cap. 10. *Qui venturus est, veniet*. Quod si ita benè vertitur, ut sanè omnes consentiunt: benè etiam hoc loco futurum reddidit interpret, *ingrediemur*. tamen tñ non negamus, sicut ibi aduentum, ita hñc introitum significari iam preparatum & quadantenus inchoatum. Quæ preparatio & inchoatio fit per fidem. Explicat autem apostolus illud quod dixerat, *Etenim & nobis nunciatum est*. Hoc est enim euangeliū quod nunciatum est nobis, introituros nos in requiem quotquot crediderimus diuinæ promissioni factæ nobis in Christo. Sed fidem intellige, quam scriptura prædicat, eam scilicet, quæ coniunctam habet obedientiam ad præstandum omnia, quæ fides ipsa monstrat agenda. Quam quicumque tenuerit vsque in finem; is procul dubio promissam requiem apprehendet, hoc est, vitam æternam.

QUEMADMODUM DIXIT; SICUT IVRAVI IN IRA MEA, SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM. Ex verbis psalmi docet ingressuros in requiem eos, qui crediderint. Est autem collectio à contrarijs; quasi dicat, Antiquus ille populus propter incredulitatē exclusus est à requie sibi promissa, quemadmodum Deus ipse testatur in psalmo dicens, *Sicut iuravi*, &c. Nos igitur in requiem nobis promissam ingrediemur, si crediderimus. Nam si infidelitas excludit; ergo fides introducit. Simul autem inest argumentum à figura ad rem figuratam, scilicet à requie terrena ad requiem cælestem.

ET QUIDEM OPERIBVS AB INSTITVTIONE MUNDI PERFECTIS. Græcè & Syriacè, *factis*, quod & in Latinis quibusdā legitur. Qui scripsit, *perfectis*, respexit ad verba Moyfi Gen. 2. *Perfecti sunt cali & terra & omnis ornatus eorum. Compleuiq; Deus die septimo opus suum quod fecerat. Et quidem*, Græcè *καίτοι*. quod alij vertunt, licet, etsi. Vtrique rectè. Pro *instituzione*, Græcè est, *καταβολή*, quam alibi ferè semper vertit *constitucionem*; idque rectiùs. Significatur enim Græca voce collocatio, siue inimum depressio fundamentorum. Vnde Erasmus vertit, à *iactis fundamentis mundi*, per quod metaphoricè creatio mundi significatur. De qua phrasi scripturæ non nihil annotauimus ad illud Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Sensus horum verborum est: Deum in memorato versu psalmi meminisse cuiusdam quietis, etiam post illam requiem qua ipse requieuit ab opere creationis mundi sex diebus absoluto. Ut autem intelligatur quorsum id dicat apostolus & quò spectet huius loci disputatio, in qua explicanda à multis

labo-

laboratur: sciendum est, Apostolum hñc versari in tractatione illorum verborum Dei ipsius à Dauide scriptorum, *Si introibunt in requiem meam*; atque ex illis ostendere velle, quòd nobis adhuc restet quædam requies à Deo promissa & per fidem expectanda. Quod ut doceat, adfert in medium duas aut tres alias mysticas quietes, quarum in scriptura fit mentio. Prima est, qua Deus ab opere creationis mundi requieuit die septimo. Secunda, requies sabbathi; ad recolendam primam illā quietem in populo Dei instituta. Hæc insinuat in vocabulo sabbatismi, quod infra habetur. Tertia, requies seu quæta possessio terræ Chanaan, Israëlito populo promissa. Harum quietū prima, qua Deus ipse requieuisse dicitur, & adhuc requiescit; non quidē est typus nostræ alicuius quietis, sed magis exemplum, ut infra dicitur; mystica tamen est, utpote, significans illam Dei requiē, qua requiescit atque æternū requiescet ac delectabitur in beatis, tanquam in opere suo perfectissimo. Secunda verò requies & tertia, figuræ quædam fuerunt eius quietis, quæ nobis in Christum credentibus est promissa, quæ nimirum est pacata possessio bonorum cælestium. Docet ergo Paulus quòd per Dauidem Deus in sua exhortatione, nobis insinuat requiem quædam à tribus primis diuersam; ad quam fide tendere nos oporteat. Non enim de prima quiete illic loqui, non solum quòd ea sit requies Dei non nostræ, sed quòd illa iam olim præcesserit, videlicet operibus à constitutione mundi perfectis: licet in eius memoriam Iudæi sabbatismum adhuc celebrarent. Simili ratione nec de secunda loquitur. Nam institutio & obseruatio sabbathi iam antiqua erat in illo populo, quando hic psalmus fuit compositus. Porò de tertia requie secundum litteram quidem accipiendū est illud; *Si introibunt in requiem meam*: sed ita tamen, ut adhuc alia requies intelligatur expectanda, quæ per illam præfigurata est. Hortatur enim David sui temporis homines ad obediendum voci Dei; ne contingat illis, quod patribus eorum, id est, ne excidant à requie promissa, sicut illi exciderunt. Ex quo planè consequens est, aliam adhuc requiem ab illa priore patribus eorum promissam, restare; expectandam ijs, ad quos exhortatio Dauidica dirigitur; eandemque requiē non aliam esse, quam cælestem; cum non sit dubium quin prior illa requies typum gesserit æternæ quietis ac felicitatis, quæ nobis reposita est in cælis.

DIXIT ENIM QVODAM LOCO DE DIE SEPTIMA SIC. Dixit, subaudi, scriptura. cuius testimonium probat mentionem primæ quietis. Locum autem scripturæ qui est Gē. 2. non citat, quia scribit Hebræis diuinarum litterarum peritis.

ET REQUIEVIT DEVS DIE SEPTIMA AB OMNIBVS OPERIBVS SVIS. Quod supra dixit: *Et quidem operibus ab institutione*

mundi perfectis; ad eundem diem septimum referendum est, ut patet ex loco scripturæ; sed ita ut alterum sit alterius explicatio. Dicitur enim Deus die septimo compleuisse opus quod fecerat, quia completo opere tunc quieuit, nec aliud superaddidit. Quod sic intellige, quia deinceps nullum aliud opus fecit, quod non in primis illis operibus initio factis, aut secundum speciem, aut saltem secundum causalem ac feminalem rationem, contineretur. Nam animæ rationales, quas creat quotidie, sunt in illis secundum speciem; mixta verò corpora quæcunque ab illis diuersa postmodum exorta sunt, secundum rationes feminales in illis latuerunt. Opus autem conseruationis rerum, à quo Deus nunquam cessat; non est opus nouum, sed continuatio prioris. Quidam ex hoc loco colligit sabbatum fuisse institutum ab initio mundi, atque eius obseruationem apud primos homines in vsu fuisse, eò quòd hñc significatum existimet, homines iam inde ab initio in requiem sabbathi fuisse introductos. Verum apostolus nihil tale significat: sed id tantum, quòd cuiusdam quietis, qua Deus requieuit, in eo loco scripturæ facta sit mentio; sicut supra à nobis declaratum est. Quædo autem institutum fuerit sabbatum, & quomodo sit intelligenda sanctificatio septimi diei, de qua Gen. 2. explicatum est à nobis ad dist. 15. lib. 2. Sent.

ET IN ISTO RVRSVM, SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM. Ac rursus, inquit, in hoc psalmi loco, quem tractamus, idque post tot sæcula ab orbe condito; dicit scriptura ex Dei persona, *Si introibunt in requiem meam*: videlicet ea comminatione significans quædam adhuc quietem restare sperandam ijs in quos comminatio non cadit. Vnde sequitur,

6 QVONIAM ERGO SVPEREST INTROIRE QVODAM IN ILLAM. *Superest*, Græcè *ἀπολείπεται* *relinquitur*. Sic enim infra vertit ipse interpret; *Itaque relinquitur sabbatismus*. Erasmus sententiam ita reddit; *Posteaquam igitur illud reliquum est aliquos introire in eam. Reliquum*; intellige per bonam consecutionem, quæ iam antè satis explicata est; ubi ostendimus, quemadmodum id sequatur ex verbis Dauidicis.

ET II, QVIBVS PRIORIBVS ANNVTIATVM EST, NŌ INTROIERVNT PROPTER INCREDVLITATEM. Græcè: *Et qui prius euangelizati fuerant*. quasi dicat, Quibus olim annūciatum fuit euangelium, quo promittebatur ipsis requies in terra Chanaan, quoniam ij non introierunt in eam propter suam incredulitatem:

7 ITERVM TERMINAT DIEM QVENDAM, HODIE, IN DAVID DICENDO, POST TANTVM TEMPORIS; *Terminat* Græcè *ὁρίσεται*, *desinit*, aut *presinit*, ut apud Ambrosianum legitur. Itaque sensus est; Deum aut scripturam sanctam, post tantum temporis, quan-

tum

tum fluxit à Moyse vsque ad Dauidem, hoc est, post annos amplius quadringentos, iterum statuere ac designare diem quandam promerendæ requiei, quum in Dauide, id est, per Dauidem, aut in psalmo Dauidis, dicitur, *Hodie*.

SICUT SUPRA DICTUM EST, HODIE SI VOCEM EIVS AUDIERITIS, NOLITE OB-
DURARE CORDA VESTRA. Repetit verba psalmi supra citata, quibus iterum dies quidam terminatur, dicendo, *Hodie*. Sed quaeritur quem diem aut quod tempus eo vocabulo significatum voluerit psalmista. Respondeo, sicut diximus in expositione capitis præcedentis, literali quidem sensu tempus illud intelligi, quo Dauid hunc psalmum à se compositum in cætu publico ad exhortationem Israëlitiæ populi decantari voluit. Cæterum à Spiritu sancto verba psalmi sic temperata esse, vt, siue per allegoriam, siue per extensionem, ad omnes fideles & ad omne tempus huius vitæ possint adaptari; maxime, quia in ijs tacite continetur promissio cuiusdam requiei ab ijs expectandæ, qui audita voce Domini corda sua non obdurauerint. Quæ promissio communis est omnium fidelium; qui (sicut in eodem psalmo dicitur) sunt populus Dei & oves pascuæ eius. Quare, per, *Hodie*, id est, hodiernum diem, ex mente Pauli, totum intelligitur huius vitæ spacium; de quo & ca. præced. dixit. *Donec hodie cognominatur*. Totum enim hoc tempus ideo dies est, quia tempus operi deputatum, per quod ad requiem perueniatur. Id opus est fides & obedientia; Quod indicant ea verba; *Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*.

8 NAMI SI IESVS REQUIEM PRÆSTITISSET, NVNQVAM DE ALIA LOQVERETUR POSTHAC DIE. Non est legendum, post hanc, sed, posthac, adverbialiter; aut, vt in Græco est, post hæc, *μετὰ ταύτα*. Remouet obiectionem apostolus qua ad superiorem ipsius ratiocinationem respondere quis posset. Etsi populus ille cui primò annunciata est, ob incredulitatem non introierit in requiem promissam: alij tamen, qui, quòd ætate minores essent, in censu populi non fuerunt comprehensi, quando educti sunt ex Ægypto, nec patrum suorum incredulitatem sunt imitati; post annos quadraginta, ductore Iosue (quem septuaginta interpretes in typum veri Saluatoris, Iesum appellant) in eam requiem ingressi sunt. Nò ergo conueniens erat, si priores illi propter incredulitatem non introierunt, post tantum temporis alium diem statui, quo qui crederent & obedirent, in requiem promissam inducerentur; vt pote promissione iam olim completa in filiis eorum qui non crederant. Responsio est: Si Iosue, quando populum introduxit in terram Chanaan, requiem ei præstitisset, ita nimirum, vt non esset alia post eam requies populo Dei expe-

ctanda: nunquam profectò Dauid, aut per Dauidem Spiritus sanctus aliam requiem, post illud tempus, promitteret. Siquidem populus requiem promissam iam possidebat; eo potissimum tempore, quo hæc à Dauide dicebantur. Sentit igitur apostolus Dauidem in illa priori requie aliam multo meliorem intellexisse, tãquam rem figuratam in sua figura; videlicet, patriam caelestem, adhuc quaerendam & expectandam, etiam ijs, qui requie terrena ductore Iosue iam dudum essent potiti. Quin verò significat, priorem illam non fuisse veram requiem; quum absolute negat Iosue requiem populo præstitisse.

9 ITAQUE RELINQVITVR SABBATISMVS POPVLO DEI. Quoniam, inquit, vera requies nondum est præstita, quam tamen esse in promissione docet nos psalmus Dauidicus: adhuc reliquum est, vt ea à populo Dei expectetur; hoc est, ab ijs, qui verè sunt populus Dei, vt pote, fidem habentes eius promissis, & obediens præceptis. Nam vetus ille populus magis in figura, quam in veritate populus Dei dictus est. Porro requiem caelestem vocat *sabbatismum*, id est, sabbati celebrationem; nomine figuræ translato ad rem significatam. Sabbatum enim Moisaicum typus erat quietis quam post hanc vitam expectant fideles. Nam sicut post laborem sex dierum, septimo die feriabantur Iudæi; ita nos confectis huius vitæ laboribus, post mortem feriabimur, ac sabbatum agemus festiuum & solemne. Maluit ergo Paulus *sabbatismum* dicere, quàm requiem: quia scribebat Hebræis; quos eo vocabulo voluit admonere mysterij, quod sabbatum eorum significabat; simulque eorū animos excitare ad desiderium & expectationem illius quietis, quam post huius sæculi labores expectandam, eadem ipsa sabbati celebratione proferebantur. Specialiter autem *sabbatismus* significare nobis videtur eam futuri sæculi requiem, quam habent piorum animæ corporibus exute, vsque ad diem resurrectionis, quando sua corpora sunt receptura. Tunc enim inchoabitur interminabilis solemnitas octauæ diei: quæ in primam recurrens, mysterium continet æternæ felicitatis, vique propter resurrectionem Dominicam; quæ post quietem sabbati facta est octaua die, quæ eadem (secundum euangelium) erat prima sabbati. De hoc *sabbatismo*, id est, beatarum animarum requie, scriptum est Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*. Huic intellectui congruunt & ea quæ hinc sequuntur.

10 QVI ENIM INGRESSVS EST IN REQUIEM EIVS, ETIAM IPSE REQUIEUIT AB OPERIBVS SVIS, SICVT A SVIS DEVS. Expositio est sabbatismi, quem dixit reliquum esse populo Dei. Sabbatum enim institutum fuit in memoriam quietis, qua Deus requieuit die septimo ab omni opere quod fecerat.

Ad eun-

Ad eundem modum, inquit, quisquis ingressus fuerit in requiem Dei, id est, à Deo paratam populo suo; etiam ipse requiescet à suis operibus, id est, laboriosis actionibus huius vitæ; secundum illud modò citatum ex Apoc. *Vt requiescant à laboribus suis*. Hic obserua, requiem Dei, qua requieuisse dicitur die septimo, tamen non sit typus nostræ futuræ quietis, vt supra dictum est; esse tamen eius causam quandam exemplarem. Notandum quoque, præteriti tēpotis verba, *ingressus est, & requieuit*, absolui à tempore; propterea quod illa ingressio & requies non sit vnus determinati temporis. Multi enim, quo tempore apostolus hæc scribebat, iam ingressi erant in illam requiem; sed multo plures adhuc post id tempus ingressuri. Sunt qui locum hunc interpretentur de Christo capite nostro; quem dicunt ingressum in requiem Dei per resurrectionem suam & ascensionem in caelum; atque eius exemplo nos etiam ingressuros. Atqui scripturæ consuetudo non habet, vt Christum, postquam in caelos ascendit, dicat esse in requie, sed in gloria, quemadmodum & omnes eius sancti erunt post resurrectionem generalem. Ita legitur in hac epistola, cap. 2. *Iesum iam nunc gloria & honore coronatum esse*. Porro sectarij, nominatim Calvinus, alium quandam hinc sensum comminiscuntur. Dicunt enim his verbis commendari nobis, ac præcipi conformitatem cum Deo; vt sicut Deus olim requieuit à suis operibus; ita & nos à nostris operibus quiescamus ac feriemur, Deumque sinamus agere in nobis ociosis, ac nihil omnino cooperantibus. Quæ quidem ab illis partim contra libertatem humani arbitrij, partim contra bonorum operum merita dicuntur; non minus impiè, quàm imperitè: quasi non eadem possint esse opera Dei & nostra; Deo nimirum faciente vt faciamus; iuxta promissionem propheticam: *Faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini*. Ezech. 36. Refellit autem huiusmodi commentarius duplici ratione: tum quia non hic agit apostolus de requie præsentis vitæ, sed futuræ, quæ in psalmo promittitur, & per requiem antiquis promissam significatur; de qua & continuo subiungit exhortationem, *vt festinemus ingredi in illam requiem*: Deinde, quia nimis ineptum est hanc à Deo sumere comparationem, vt sicut ille requieuit à suis operibus, ita nos quiescamus à nostris. Non enim nisi per absurdè fingi potest Dei quietem ab operibus suis, ijsque teste scriptura, valde bonis; typum aliquem, aut exemplum prætulisse quietis hominum ab operibus suis, ijsdemque proprio sectariorum iudicio valde malis.

11 FESTINEMVS ERGO INGRESSE IN ILLAM REQUIEM. *Festinemus*, Græcè & Syriacè, *Studeamus, operam demus, contendamus*. Hortatur vt omnem adhibeant operam & conatum, quo in illam requiem, de qua hactenus

egit, ingrediantur. Ad id autem imprimis necessarium est, vt fidem promissorum Dei mordicus teneant; & ad ea capienda spem atque fiduciam suam indefinenter extendant. Ideo subiungit,

VT NE IN IDIPSVM QVIS INCIDAT INCREDVLITATIS EXEMPLVM. Græcè, *Vt ne in eodem quis exemplo cadat incredulitatis*. Casum opponit *retho cursui*, quo significauit tendèdum esse ad illam requiem. Simul autem ad historiam alludit eorum qui ceciderunt in deserto; sicut legitur Num. 14. & Deut. 2. Sensus est: Ne quis nostrum abiectam fiducia cadat & pereat, exemplo punitæ incredulitatis simili cum Israëlitis, quorum corpora prostrata iacuerunt in deserto.

12 VIVVS EST ENIM SERMO DEI ET EFFICAX. In huius loci explanatione variant interpretes. Quidam per sermonem Dei intelligunt verbum seu doctrinam euangelicam. Addit Calvinus, à quocunque etiam ministro prolata, & quibuscunque hominibus annunciatam, vult enim euangelij doctrinam, id est, verbum prædicationis semper esse efficacem in animis auditorum; non quidem vt ab omnibus credatur, sed vt in omnibus etiam reprobis aliquem operetur effectum aut fidei aut terroris saltem alicuius, ac tormenti conscientia. Verum hic sensus alienus est à scriptura sacra; quæ docet multos esse, qui verbum Dei contemnant atque irrideant. tanquam falsum, fabulosum, incredibile. Non potest autem terrere conscientiam, quod nullo modo creditur; nihilo magis, quàm vrere potest ignis picus. Iam verò etiam difficile est verbo prædicationis ea omnia accommodare, quæ hic ab apostolo sermone Dei tribuuntur: illud maxime quòd dicit, *nullam creaturam in eius conspectu esse inuisibilem, sed omnia oculis eius esse nuda & aperta*. Hoc enim constat Deo proprium esse. Quam ob rationem, alij censent hunc locum necessario exponendum de Filio Dei, qui est Verbum Patris; de quo Ioannes euangelij sui initio, *In principio erat Verbum: & 1. ep. 5. Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. & Apo. 19. Nomen eius Verbum Dei*. Siquidem & hoc loco verti potuit. *Viuum est enim Verbum Dei; quomodo legit Ambrosius lib. 4. de fide cap. 3. & lib. 2. in Lucam ad illud cap. 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Nec non lib. 1. de Abel & Cain cap. 8. Est enim in omnibus his scripturæ locis, Græcè *ὁ λόγος*, quod indifferenter etiam vulgaris interpretes modò verbum, modò sermonem transtulit. Non dubium autem quin hæc omnia quæ de sermone Dei dicit hic apostolus, in Filium Dei competant. Huc etiam inuitat illa particula, qua tota sententia clauditur, *ad quem nobis sermo*. Quod de Christo Dei filio quàm aptissimè videtur intelligi: Nam de eius dignitate & sacerdotio tota fere disputatio huius epistolæ contextitur. Sane probabilis est hic commentarius. Ar-

que

que eum tradiderunt Oecumenius, Aquinas, Liranus, Caietanus, vtrique glossa, alijque Latinorum. De eodem intellexit Ambrosius locis memoratis, & Cyrillus lib. 2. in Ioh. cap. 37. Sed huic interpretationi non nihil obstat quod abruptè post superiora mentio videatur ingeri de Filio Dei, præsertim sub nomine Verbi; de quo nihil præcessit. Nec verò ad hunc intellectum cogit non in Verbi Dei, quasi Filio proprium. Nam frequenter, etiam in apostolicis scripturis, accipitur pro verbo creato, siue id à Deo, siue ab eius ministris probatum fuerit. Nobis certè eorum sententia magis præbatur, qui sermonem Dei interpretantur, quem Deus ad homines loquitur, siue promittendo, siue exhortando, siue comminando. Agitenim apostolus de fide habenda verbo promissionis & comminationis diuinæ, docetque, si Dei promissiones fide amplectamur, in requiem eius ingressuros; sin minus, malè perituros: idque eorum exemplo ad quos olim sermo Dei factus est. Vnde ait supra; *Sed non profuit illis sermo auditus.* & cap. 7. *Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus* &c. Et cap. 1. *Olim Deus loquens patribus in prophetis, nonisimè locutus est nobis in filio.* Nam siue per se, aut per filium suum Deus loquatur, siue per angelos, siue per homines; idem est Deus qui loquitur, & quod ad loquentem attinet, idem sermo. Qui proinde semper, vt eiusdem est veritatis, sic & eiusdem virtutis & efficacis; tam ad præstanda promissa credentibus, quam ad inferenda supplicia contumacibus. Cùm ergo sermo Dei sit ipse Deus loquens, promittens, minas intentans: nò mirum si apostolus ea omnia, quæ hinc dicuntur, & Deo propria videntur, ascribat sermoni Dei. Tale igitur est quod dicit; *Studeamus ingredi in illam requiem, credamus verbo Dei nobis annunciat; ne pereamus cum incredulis.* Non enim verbum Dei nunc minoris est virtutis, quam fuit olim: sed sicut *nunc omnis prauaricatio & inobediencia instam accepit retributionem;* ita & nunc nobis accidet *si tantam neglexerimus salutem,* sicut dictum est supra cap. 2. Ita terè locum hunc edisserunt post Chryostomum Theodoretus & Theophylactus, & inter recentiores Hesselius, Adamus, & noster Galenus. Cui quidem commentario multum probabiliter accedit ex alijs scripturæ locis, vbi similiter verbo Dei tribuuntur ea quæ Deo sunt propria; velut Isa. 55. *Verbum meum,* ait Dominus, *non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quacunque volui.* Ecclesiastæ 8. *Omne quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est.* Sapientie 18. *Omnipotens sermo tuus exiliens de celo &c.* Quale est & illud quod eiusdem lib. cap. 16. dicitur *sermo Dei sanare omnia.* Cuius sequitur explicatio: *Tu es enim Domine, qui vita & mortis habes potestatem.* Eiusdem rationis sunt ista: Plal. 32. *Verbo Do-*

minis cali firmati sunt. Et in hac ipsa epistola, cap. 1. *Portans omnia verbo virtutis sue.* Et cap. 11. *Aptata sacula verbo Dei.* Quæ omnia metonymicè significant ipsius Dei loquentis ac iubentis omnipotentiam. Iuxta quam rationem, eidem verbo Dei promittentis ac minantis, omnium occultorum scientia conuenienter attribuitur. Hic ergo *Dei sermo virtus est, & efficax,* id est, non est ociosus aut actionis expers, vt ea quæ mortua sunt; non est irritus, non frustratur effectu suo, quemadmodum nostris verbis sepe contingit; sed viuunt, ac vim suam exerunt, in reddendis tam præmijs promissis, quam supplicijs comminatis. Est igitur posterius epithetum expositio prioris. Vitam enim arguit operatio vitalis.

ET PENETRABILIOR OMNI GLADIO ANCIPIITI. *Penetrabile* pro penetratio posuit interpres, falsum pro actiuo; vt & Latini scriptores interdum. Græcè *ταυώτερον* id est, penetrantior, magis incidens. Gladius anceps, Græcè *δίσωρον*, tanquam habes duo ora. Componitur enim eavox *ἀπό τῆς σωματός*, non *ἀπό τῆς τέμνειν*; id est, ab ore, non à secando, quemadmodum Nilus *ἐπτάσωρον* dictus est, quod septem habeat ostia, velut ora, quibus aquas suas euomat in mare. Vocem hanc *δίσωρον* usurparunt Lxx interpretes. Iud. 3. plal. 149 & Prover. 5. pro voce Hebræa, quæ id quod dixi, significat. Vnde est & illa phrasis Hebræa frequens in scripturis; *Percutere in ore g adij* Interpres vulgatus modò vertit *incipitem*, modò *bicipitè*, modò *vtraque parte acutum.* Cùm autem huiusmodi gladius ad diuidendum ac penetrandum aptissimus sit, meritò comparatio ab eo transfertur ad sermonem Dei, *vt penetrabilior omni gladio incipiti* dicatur. Sed hoc epithetum vtrum ad noticiam Dei referendum sit, an verò ad vim puniendi; non satis inter expositores conuenit. Sanè quidem negari nò potest quin ad noticiam pertineat tam pars ista, quam sequentes. Id enim nobis declarat illa pars extrema, quæ præcedentium obscuritas explicatur: *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius &c.* Sed tamen etiam punitionem & vindictam significari, satis innuit comparatio gladij, cui tribuitur esse incipitem. Vnde est illud in psalmis; *Gladij incipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Est igitur sermo Dei quouis incipiti gladio penetrantior: primùm, quia Deus, qui nobis loquitur, oculis suæ cognitionis omnia penetrat, & ad intima quæque peruenit, multò magis quam gladius anceps acie sua penetrare queat vsque ad abstrusa viscera; tum verò, ob id etiam, quia transgressiones quantumuis occultas acertimè punit. In hac ergo similitudine duo quædam attenduntur. Vt enim gladius penetrat, & lædit; ita sermo Dei intuetur & punit. Itaque significatur cognitio non nuda, sed qualis est iudicis, examinantis, & cognoscentis vt punit.

Et

ET PERTINGENS VSQVE AD DIVISIONEM ANIMÆ AC SPIRITVS. *Anima, & spiritus* accipiuntur vt alibi in scriptura; nominatim in illis verbis 1. Thess. 5. *Vt integer spiritus vester & anima &c.* Quo loco diximus eam inter hæc duo distinctionem nobis maximè probari, qua per *animam* intelligitur pars animæ sensitua, quam cum bestijs habemus communem: Per *spiritum* verò, pars intellectiua, qua communicamus cum substantijs spiritualibus: quemadmodum & sanctus Thomas vtroque loco bene explicat. Porro *diuisionem animæ ac spiritus* interpretantur nonnulli separationem animæ à spiritu, qua nimirum inter animam & spiritum, atque eorum operationes Dei verbum exacta cognitione distinguat. Sed rectius alij nomine *diuisionis* significatam intelligunt penetrationem, de qua in parte præcedente. Quod enim diuiditur, id quasi penetratur, vt interiora appareant: hæret autem adhuc Apostolus in metaphora gladij secantis. Est igitur sensus, Sermonem Dei pertingere vsque ad intima hominis penetranda, etiam animam, etiam spiritum, quæ sunt partes hominis abditissimæ. Pertingit autem ad ea & penetrat, perfecta cognitione; qua nouit quicquid affectionis, & cogitationis in illis latet; grauius etiam viturus, si quam illic hypocrisis, si quam radicem amaritudinis, aut infidelitatis, germinantem inuenierit; vt dicitur infra capite duodecimo. Hanc expositionem postulat Græca lectio, quæ duplicat coniunctionem. *ψυχῆς τε καὶ πνεύματος*. Vnde Erasmus & alij vertunt; *Vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritus;* ac si dicas; *tam animam quam spiritum.* Eundem sensum voluit Ambrosius, dum aliquoties, ad hunc locum respiciens, dixit Verbum Dei vsque ad diuisionem animæ penetrare; non adiecto vocabulo spiritus. Loca sunt lib. de paradiso capite 14. lib. 2. de Abraham capite 1. & in epistola secunda quæ est ad Simplicianum. Id ipsum liquet ex intellectu partis sequentis,

COMPAGVM QVOQVE AC MEDULLARVM. Apud Ambrosium locis dudum citatis, pro *compagum*, legitur *artium*. Sed Græcum *ἀρμῶν*, *compages artium* potius significat, quam artus ipsos. Nominat Apostolus ea quæ in nostris corporibus intima sunt, compages & medullas; vt hac velut metaphora, doceat nihil esse tam in animis nostris occultum, & abditum, quod non scrutetur, ac penetraret Dei sermo. *Compages* sunt nerui, ac commissuræ, quibus inter se compunguntur artus, ac præcipuè ossa: *Medulla* in ipsis ossibus includuntur. *Pertingit* ergo *Dei sermo vsque ad diuisionem compagum, simul & medullarum*, non quod compages à medullis diuidat; sed quoniam & com-

pages penetrat & medullas. *Compages* quidem, id est, cogitationes; *medullas* autem, hoc est, intentiones. Sic enim ex parte sequenti quidam non alienè interpretantur.

ET DISCRETOR COGITATIONVM, ET INTENTIONVM CORDIS. Non solum, inquit, quid quisque cogitet in corde suo, verum etiam qua intentione cogitet ac velit, exactissimè nouit, discernit, ac iudicat sermo diuinus. Nam *discretor* in Græco est *κρίσιμος*: Dicebantur autem Critici, nomine etiam à Latinis usurpato, homines acris iudicij, qui de libris, aut versibus, aut alijs aliorum operibus censere poterant, ac discernere, quid probum, quid reprobum; item quid genuinum, quid verò spurium, ac suppositivum. Quales in censendis Homeri versibus, Aristarchus & Aristophanes grammatici memorantur.

ET NON EST VLLA CREATURA INVISIBILIS IN CONSPECTV EIVS. *Vlla* additum ab interprete lucis causa. *Inuisibilis*, Græcè *ἀφανής*, quasi dicas, *inapparens*; id est, quæ non sit manifesta & conspicua. Hinc intelligi vult, hypocrisis, & infidelitatem etiam in animo latentem, à Deo ignorari non posse: non quod hæc sint creaturæ, sed quia qui creaturam omnem perfectè nouit, etiam defectus eius ac vicia non nouisse non potest.

OMNIA AVTEM NVDA, ET APERTA SVNT OCVLIS EIVS. Verti potest aduersariuè, *Sed omnia nuda &c.* Quod nos habemus *aperta*, Græcè est *περαχλησμένα*, verbum deductum à nomine *περαχλη*, quod collum siue ceruicem significat. Eius verbi metaphora variè explicatur. Chryostomus eam sumptam putat ab animalibus occisis, quibus dum à ceruice vsque ad caudam pellis abstrahitur, interiora, quæ prius latebant, oculis intuentium exponuntur. Eadem est sententia Theophylacti & Oecumenij. Quanquam hi duo etiam aliter explicari posse metaphoram, docent, tanquam desumpta sit ab ijs qui ceruice inclinata terram spectant, non audentes aspicere vultum iudicis. Sic enim hominum facta & cogitata omnia, conspectum Dei iudicis, cui cuncta patent, quodammodo reformidare. Sed, vt verum fatear longius petita mihi videntur hæc expositiones. Ac magis sanè probarim quod alij dicunt, *περαχλησεν* idem esse, quod in ceruicem ac dorsum reflectere, hoc est, resupinare; per translationem verò, scrutari, ac patefacere. Nam resupinare scrutantium est: Vnde illud apud Iuuenalem; *Aulam resupinat amici*. Arque hanc significationem securus Erasmus vertit *resupinata*. Verum est & alia Græcæ vocis interpretatio, ni fallor, cæteris anteponenda, quam adfert Gaigneus. *Περαχλη* enim auctore Fanoano præter alia significat spinam dorsii, quæ procedit à vertice vsque ad finem. Inde *περαχλησεν*, id est, animal medium per spinam ita diuidere,

P p

vt inte-

vt intestina omnia pateant; quemadmodum fieri videmus ab ijs qui pecudes macant. Hac ergo metaphora perquam apposite Paulus ostendit etiam intimas animorum cogitationes Deo patere. Hinc etiam apparet cur post *nuda*, dixerit *aperta*. Nam plus est *aperta*, quam *nuda*. *Nudum* enim dicitur quod non est vestitum, aut velatum: *Apertum* verò, iuxta datam explicationem, cuius etiam interiora conspicua sunt. Ex quo denique intelligitur, quanto magis illustret apostolicam sententiam quod interpres noster transtulit, *aperta*, quam quod Erasmus, *resupinata*.

AD QUEM NOBIS SERMO. Græci sic exponunt: Cui sermone Dei, id est, Filio Dei, reddituri sumus rationem omnium actionum & cogitationum nostrarum. Nam *ἀδύ* inter alia significat rationem, qualis est supputantium, vt Rom. 14. *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*. Nec dubium quin pars ista sic explicata, probè respondeat ijs, quæ præcedunt de verbo Dei omnipotente, & omnia vident. Porro Galenus hunc sensum mauult; *Quis fidem nos profitetur*. Alij verò (quod & nobis placet) ex aliorum locorum collatione docent, *ad*, pro, de, positum; vt sensus sit. *De quo Dei sermone sermo nobis insinuat*. Nam similiter capite 1. dicit: *Ad angelos*, id est, de angelis. Vbi & alia loca similia annotauimus: vt proinde non aliud velit Apostolus, cum dicit, *Ad quem nobis sermo*; quam cap. seq. dicens, *De quo nobis sermo*; Et cap. 2. *De quo loquimur*. Hic autem respicit, iuxta diuersas sermonis Dei interpretationes superius allatas, vel ad Filium Dei, de quo tota ferè disputatio huius epistolæ suscepta est; vel ad sermonem quem Deus ad homines loquitur, promittens, comminans, exhortans; Nam de eo sermone Dei huc usque concionatus est ab eo loco capitis præcedentis, *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus* &c.

14. HABENTES ERGO PONTIFICEM MAGNUM. Hic iam Apostolus, specie exhortationis, transit ad differendum de sacerdote Christi; vt meritò ab his verbis sumi possit noui capitis exordium: siquidem & apud Theodoretum, incipit ab hoc loco totius epistolæ tomus secundus. Diuidit enim eam in tres tomos. Illud obseruandum, quod quemadmodum in superioribus Christum, vt Apostolum, cum Moysè Paulus contulit, eoque longè maiorem esse docuit: ita hic eum, vt pontificem, tacitè confert cum Aaron; nimirum talibus eum encomijs ornans, ex quibus intelligi velit, quanto sit Aaron maior. Nam expressius id agit cap. 7. & sequentibus. Dicens ergo, *pontificem magnum*, innuit Aaronem non fuisse magnum pontificem, si cum Christo conferatur. Porro magnitudinem Christi pontificis probant sequentia.

QUI PENETRAUIT CÆLOS. Non, inquit, penetravit in sancta sanctorum, vt Aaron,

& successores eius; sed in cælum ipsum, quod per illa sancta significabatur: idque, vt spem nobis faceret illuc ipsum sequendi. Ad hanc enim spem animare contendit suos Hebræos. Sunt qui colligant ex hoc loco, Christum secundum humanam naturam non in cælo esse, sed supra cælum, vt qui cælum ascendendo penetrauerit; ideoque in nullo cælorum remanserit. Verum non id voluit apostolus; sed, sicut olim pontifex ingrediens sancta sanctorum, usque ad intima penetrabat; ita Christum in cælum ascendentem, usque ad intima cælorum peruenisse. Simili locutione quidam dicunt penetrare domos, id est, ingerere sese in domos alienas usque ad interiora & secretiora. Quomodo locutus est noster interpres 2. Timoth. 3. licet eo loco diuersum verbum sit in Græco.

IESVM FILIUM DEI. Addit epitheton quod nec in Aaronem, nec in vllum alium competit pontificem. Per hoc autem mirè excitat fiduciam. Quid enim non impetret apud Deum pontifex, qui idem sit filius, eoque nomine Deo gratissimus?

TENEAMVS CONFSSIONEM. Quod quidam interpositis duabus voculis legunt, *Teneamus spei nostræ confessionem*; non huius est loci, sed capitis 10. vbi sic habetur: *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem*. Nam hoc quidem loco eam additionem nec Græci, nec Syri codices agnoscunt, vt nec Latini castigatores, ac nominatim editio Clementina. Sensus est: Ne deseramus fidem, quam professi sumus in baptismo; sed eam firmiter retineamus, atque in ea perseueremus. Nam *confessio* metonymicè capitur pro fide confessa; sicut ostendimus supra ad illud cap. 3. *Pontificem confessionis nostræ Iesum*.

15. NON ENIM HABEMVS PONTIFICEM QUI NON POSSIT COMPATI INFIRMITATIBVS NOSTRIS. Ne maiestas tanti pontificis deterreat, quem Dei filium appellauit; ostendit quam idem ipse erga nos sit propensus, & promptus ad miserendum; vt pote malorum expertus; Sed quas Apostolus vocet *infirmitates*, queritur. Ribera multis contendit intelligi dolores, afflictiones, persecutiones. Has enim more scripturæ dici infirmitates; quod animus hominis huiusmodi malis affecti languescere soleat. Ita Apostolus 2. Cor. 11. & 12. ea quæ infirmitatis suæ sunt enumerat, & in ijs gloriatur. Estque ea phrasis frequens apud prophetas; quemadmodum exemplis adductis idem Ribera benè probat. Vnde & Christum Dominum Isaias capite 53. virum dolorum, & scientem infirmitatem appellat. Verum sciendum, infirmitatis non vnam esse acceptionem in sacris literis, sed multiplicem, sicut ostendi ad illud Roman. 5. *Cum adhuc infirmi essemus*. Itaque videndum quæ significatio præsentis loco congruat. Id intelligi posse puto, si locus hic conferatur cum duobus si-

milibus

milibus huius epistolæ; quorum vnus est capite proximè sequenti, vbi de pontifice veteris testamenti dicitur, *quod & ipse circumdatus sit infirmitate, & propterea debeat, quemadmodum pro populo, sic etiam pro semetipso offerre pro peccatis*. Alter cap. 7 vbi cum dixisset sacerdotes Leuiticos necessitatem habere pro suis delictis hostias offerendi, priusquam offerant pro delictis populi; rationem hanc subiecit, *quia lex homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes*. Vnde manifestè liquet infirmitatem ijs locis eam intelligi oportere, quæ peccatum respicit, id est, peccandi pronitatem, qua fit vt quis sine quotidianis lapsibus viuere non possit. Hæ sunt igitur *infirmities nostræ*, de quibus hoc loco; quibus compari potest pontifex noster Christus, non eas in se habendo, sicut habuerunt Leuitici sacerdotes; sed nobis, quæ eas habemus, condolendo. Quares, quomodo compari possit, aut condolere; cum sit beatus & impassibilis? Respondeo, si compari propriè accipitur; Christum non posse compari nostris infirmitatibus, nisi ampliata locutione; quia scilicet aliquando compassus est, nimirum in carne mortali. Nunc enim propriè non comparitur, nec condolet, nec miseretur. Sed tamè etiam hæc Christo iam in cælis regnanti tribuuntur interdum, per tropum; quatenus ad nostras infirmitates sanctas propèrior est ex eo quod ipse in hac vita mortali per omnia (sicut sequitur) *tentatus fuerit*. Quem apostoli sensum esse liquet ex illis verbis cap. 2. *In eo enim in quo passus est ipse tentatus, potest esse & eis qui tentantur, auxiliari*. Liqueat etiam ex verbis hic subiunctis;

TENTATVM AVTEM PER OMNIA. Clarior erit sententia, si legas aduersatiuè, *Sed tentatum per omnia*; quomodo vertunt alij. De qua tentatione sit sermo, relinquatur intelligendum ex ijs quæ dicta sunt pro explicatione verborum, quæ modò citabamus ex capite 2. Non enim hic tentari est ad peccandum sollicitari, sed affligi rebus aduersis; propterea quod in aduersis soleat hominum virtus & constantia probari. Tentatum ergo dicitur per omnia, hoc est, omne genus malorum huius vitæ expertum. Ea mala intellige quæ toti generi sunt communia; veluti sunt fames, sitis, lassitudo; molestia ex immoderato calore, aut frigore; tristitia de malis, metus mortis, & mors ipsa. Quare etsi non negamus, vt quidam negant, mortale Christi corpus potuisse morbis affici, sicut potuit senectute dissolui: non tamen erat conueniens vt morbos pateretur; quum hoc malum nec omnibus sit commune, nec ordinatum medium ad finem œconomiae Christi. Multò minus huc pertinent ignorantia, & concupiscentia, bonique difficultas. Nam de malis purè pœnalibus hic agitur, non de ijs quæ bono virtutis ac gratiæ quoquo-

modo repugnant. Vnde ex hoc loco non sequitur Christum fuisse tentatum à carne: quod ne fieri quidem potuisse, rectè docent Theologi in 2. dist. 21. Nam à mundo & diabolo tentatum fuisse, nulla dubitatio est.

PRO SIMILITVDINE. Græcè, *Secundum similitudinem*, Syriacè, Sicut nos. Sensus est: Christum per omnia, similiter vt nos, tentatum esse. Debit enim per omnia fratribus similari, vt misericors fieret pontifex; sicut dictum est cap 2.

ABSQUE PECCATO. Ne quis ex eo quod dixit *Christum compari infirmitatibus nostris*, suspicetur eum similiter vt nos, obnoxium infirmitati; & sic intelligat *tentatum esse per omnia*, vt tentationibus etiam in peccata fuerit inductus: addit apostolus hanc particulam: *absque peccato*. Quæ quidem duobus modis accipi potest: Vel vt sit exceptio ab eo quod vniuersè dixerat, *tentatum per omnia*; quomodo plerique partem hanc accipiunt: vel hoc sensu, quem Theophylactus indicat, Ita tamen, vt nihil eorum quæ passus est, & quibus tentatus, eum induxerit in peccatum. Quem sensum arbitror magis germanum. Nam præcedens sententia, sic intellecta quomodo eam exposuimus, non opus habet restrictione seu exceptione, sed absolutam continet veritatem. Distinguit apostolus hac parte Christum pontificem nostrum à cæteris hominibus; & proinde etiam à quocunque alio pontifice, de quo sequenti capite testatur eum *debere, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*. Christum autem ideo sine peccato esse oportuit, quia peccatum reddidisset eum ineptum ad interpellandum pro peccatoribus: ac potius ipse nobiscum, si peccator esset, eguisset intercessore ad Deum. Vnde cap. 7. *Talis deceat vt nobis esset pontifex; sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Nec tamen idem erit incommodum, vt hæreticus obijcit, si Christianorum pontifices sint obnoxij peccatis. Non enim per seiplos, ac suo ipsorum merito Deum hominibus placant, sed per meritum Christi; quo & ipsi intercessore indigent.

16. ADEAMVS ERGO CVM FIDVCIÀ AD THRONVM GRATIÆ. Quidam codices subiungunt pronomen, *eius*; Quod & apud Bedam legitur, & in textu Syriaco. Sed Græci non agnoscunt. In nostris etiam additiciu esse, probant exemplaria quæque meliora, tam excusa, quam manuscripta, suffragantibus item Clementinis. Pro *fiducia*, Græcè est *παρρησία* vocabulum frequens in Actis & epistolis apostolicis; quo significatur ingenua quædam animi libertas, & audacia ad agendum, aut dicendum aliquid, tametsi vilitatis intelligatur in verbis. Sed cum absolute dicat

apostolus, ad thronum gratia; quaeritur, utrum Dei Patris, an Christi filij. Ad Christum referunt qui addiderunt, eius; Nam de Patre nihil in proxima periodo dictum fuit. Eodem pertinere existimant Graeci interpretes, huc citantes illud ex psal. 44 *Thronus tuus Deus in saeculo saeculi.* Quod ad Filium dictum esse testatus est ipse apostolus supra, cap. 1. Veruntamen, presius rem consideranti profecto magis apparet referendum esse ad Patrem. Nam Christus hoc loco & tota ferè epistola introducit ut pontifex & intercessor ad Deum. Vnde & infra cap. 7 dicitur, *saluare in perpetuum posse accedentes per ipsum ad Deum; quod neper uisat ad interpellandum pro eis.* Sed & alibi saepe eo modo scriptura loquitur. Atqui intercessoris non est sedere in throno, sed ante Iudicem in throno sedentem stare, ut clientum suorum causam illi suo patrocinio commendet. Quando autem sedere dicitur Christus ad dexteram Patris; pacata regni eius apud Patrem possessio significatur, ut alibi diximus. Vocatur autem *thronus gratia*, in quo Pater sedet, id est, sedes gratiosa; quia Deus sic iudex noster est, ut tamen ex charitate, qua mundum dilexit, filium suum nobis dederit aduocatū ac mediatorē; qui nos ad ipsum adducat, eique reconciliet. Itaque significat iste sermo, Deū esse iudicem misericordem, & propitiū omnibus ijs pro quibus filius interpellat. Estque hic sensus apostoli: Talem igitur nacti pontificem, qualem praecedentibus uerbis descripsi, uidelicet Dei filium, eundemque nostras infirmitates expertum; per eum Iherè & cum fiducia accedamus ad thronum Dei Iudicis nostri; quem utique, tali pontifice & patrono pro nobis loquente, clementem experiemur. Sensus hunc confirmant sequentia.

VT MISERICORDIAM CONSEQUAMUR. Scilicet, à Deo per Christum pontificem, & intercessorem nostrum.

ET GRATIAM INVENIAMUS IN AUXILIO OPORVNO. Graecè *ad oportunum auxiliū*, Quod Syrus sic expræssit; *In auxiliū in tempore angustia*, scilicet impetrandum. Quod ita sonat, quasi tempus afflictionis dumtaxat significetur. Sed rectius oportunitas hæc extēditur ad totum tempus uitæ praecedenti. Semper enim dum hic uiuimus, egemus auxilio gratiæ Dei. Inter *misericiā* & *gratiam* ita distingui potest, ut *misericiā* ad peccatorum remissionem, & miseriarum depulsionem pertineat; *gratia* uero ad salutarium donorum largitionem. Valet hic locus contra Nouatianos, qui relapsos excluderant à spe ueniam. Atqui apostolus hortatur Hebræos, ut adeant cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, misericordiam ab eo consecuturi. Quæ adhortatio non tam ad iustos dirigitur, quam ad peccatores, ut qui maximè indigeant misericordia. An autem

Hebræa phrasi dixerit apostolus, *gratiam inueniamus*, pro eo quod est, gratiosi simus apud Deum, id est, peculiari affectu ab eo diligamur; quomodo dixit angelus ad Virginem: *Inuenisti gratiam apud Deum* Luc. 1. & Deus ad Moysen: *Inuenisti gratiam coram me* Exo. 33. non satis apparet; quia non est hic additum, *apud Deum*, aut quid simile, quod in illa phrasi addi solet; sed magis ita dictum uidetur, quemadmodum dixit idem apostolus de Onesiphoro 2 Tim. 1 *Deus illi Dominus inuenire misericordiam à Domino.* & huius epistolæ cap. 11. *Utm liorem inuenirent resurrectionem;* & cap. 12 *Non enim inuenit penitentia locum.* Sensus igitur est; Et ut ab eo, per eundem pontificem nostrum Christum, consequamur gratiam, qua nobis optuletur dum tempus est; durante uidelicet huius uitæ curriculo. Cuius oportunitatem temporis si quis neglexerit; is in futuro seculo nec misericordiam consequetur, nec gratiæ locum inueniet, sed seueritatem ac rigorem tubire cogetur iudicij diuini.

SUMMARIUM.

DESCRIBIT Pontificis officium; Christum ostendens uerum Pontificem fuisse, & pro nobis interpellantem exaudiri. Obiter rudiatem carpit eorum ad quos scribit.

CAPVT V.

OMNIS NAMQUE PONTIFEX EX HOMINIBUS ASSUMPTVS, PRO HOMINIBUS CONSTITUITVR IN IIS QUÆ SVNT AD DEVM. Quod in uerbis praecedentibus sumpsit, Christum esse pontificem; id iam probare instituit, non quidem ex definitione pontificis, ac proprijs eius notis, ut quibusdam uidetur; alioqui necesse esset, omnia quæ hic de pontifice dicuntur, in Christum competere; inter quæ illud est, quod pontifex pro semetipso debeat offerre sacrificium pro peccatis. Hoc autem à Christo alienum esse constat. Sed id facit ex aliorum pontificum collatione, uidelicet Leuiticorum. Neque enim erant alij pontifices cum quibus collatio fieri posset. Nam etsi ante legem fuerint qui sacrificia Deo offerrent: tamen de Leuitico tantum pontifice apostolum loqui, & cum eo Christum conferre, manifestum est, totam seriem sequentis dissertationis intuenti. Vnde ait c. 7 ad fin. *Lex homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes.* Docet ergo quid simile Christus habeat cum legali pontifice, uerique ac legitimo eius officio; ut ostēdat eū uerè potificē esse: tū quid habeat diuersū, quo probet illo esse maiorem. *Assumptus*, in Graeco participiū est praesentis temporis *λαμβάνομεν*.

Vnde

Vnde uertit Erasmus, qui ex hominibus assumitur. Ego malim addita coniunctione sic uerti; *Omnis enim pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur* &c. Sic enim haud dubiè plenius explicabitur mens apostoli; qui utrumque horum, ex hominibus assumi, & pro hominibus constitui, adfert ut proprietatem sacerdotis Leuitici, Christo applicandam. Nam Christum ex hominibus assumi debuisse, iam supra docuit cap. 2. Eundem pro hominibus constitutum esse in ijs quæ ad Deum sunt, ostendit in consequentibus. Tale igitur est quod dicit Apostolus: *Omnis in lege pontifex, ex hominibus assumitur, idemque pro hominibus constituitur, ut eorum causam agat apud Deum; id est, ut mediator eorum sit, & conciliator, atque interpres in omnibus quæ sunt apud Deum agenda.* Partem posteriorem existimat Ioannes Caluinus hoc modo rectius uerti posse, uerbo passiuo in actiuum mutato. *Constituit, siue ordinat ea quæ sunt ad Deum.* Graecum enim uerbum *καθίσταται* medium est, & accusandi casum habet adiunctum. Sed perspicuum est eum falli. Nam uerbum hoc, etsi medium, passiuè tantum usurpatur. uelut infra cap. 8. prorsus simili sententia; *Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* Item Iacobi 3. *Lingua constituitur in membris nostris.* Et capite 4. *Quicumque uoluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur.* Vbi cunq; uerò nos legimus, *constituit*; in Graeco actiuum est uerbum, non medium, ut huius epistolæ cap. 7. *Lex homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes.* Porro casus accusatiuus adiunctus nihil mouet Graecæ linguæ peritos, qui norunt eū casum regi à subaudita praepositione *κατά*, sicut etiam admonuimus ad illud cap. 2. *Ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum.* Denique Syrus interpres, omnesque Graeci tractatores passiuè uerbum hoc exponunt; Nec est quisquam eorum qui actiue significationis meminerit.

VT OFFERAT DONA ET SACRIFICIA PRO PECCATIS. *Sacrificia*, Graecè *θυσίας*. Quo nomine propriè significantur sacrificia animalium occisorum, quæ Latinis *uictima* uocantur; cum sacrificij nomen etiam ad inanimata pertineat. Pro *donis & sacrificijs* infra cap. 8. ubi rursus hæc duo coniunguntur, *munera, & hostias* uertit. Inter *donas*, seu *munera*, & *sacrificia*, seu *uictimas*, siue *hostias*, hoc primum interesse uidetur, quod *donas*, pro quibus Syrus interpres dedit *oblationes*, intelligantur in rebus inanimatis, ut sunt oleum, panis, uinum, lagana &c. *Sacrificia* uero tantum sint ex animalibus. Deinde quod *donas* sint spontanea; *sacrificia* uero, quæ ex praescripto legis sunt debita. De quibus omnibus agit in Leuitico, potissimum cap. 3. & 4. Hinc etiam apparet illam partem, *pro peccatis*, supple expiandis, tantum ad sacrificia, non etiam ad *donas* referendam esse. Nam

oblationes spontaneæ etiam si fortè ex animalibus fierent, non tamen erant pro peccatis. Hic igitur explicat apostolus exteriorem actum, siue officium, cuius gratia sacerdos constituitur. Id uero est, offerre Deo sacrificia pro populo. Habet enim hoc institutio diuina, ut externas oblationes populi, quibus is suam fidem uult protestari, qua credit Deum esse omnium bonorum auctorem & largitorem; eiusque beneficia aut expectat, aut recognoscit: acceptare nolit, nisi per manus sacerdotis. Porro cum intentio Apostoli sit hanc partem applicare Christo; rectè hinc statuitur, aduersus haesim Nouati, eos qui post baptismum lapsi sint, non esse repellendos à penitentia. Nam sicut Aaronicus sacerdos pro peccatis etiam relapsorum offerrebat sacrificium; ita sine dubio fecit & Christus, & quidem tale quod multo ualeret generalius.

2 QVI CONDOLERE POSSIT IIS QUI IGNORANT ET ERRANT. Ostendit quis affectus in pontifice requiratur, scilicet misericordiae erga peccantes. *Condolere*, Graecè *μετριοπαθεῖν*, quod ad uerbum, si interpretaris, est *mediocriter pati*. Theophylactus uult idem esse quod *συμπαθεῖν*, id est, *compati*, seu *condolere*. Alij plus significatum putant, nempe medium aliquid inter contrarios affectus; quasi sensus sit, Pontificem quaeri, qui neque nimium indulgens sit erga peccatores, neque nimium seuerus; sed inter seueritatem, & misericordiam medius incedat. Ita Gaiognæus & Galeus. Sed cum Apostolus nusquam pontificem à seueritate commendet (hæc enim iudicis est, non intercessoris): magis illud placet, ut *μετριοπαθεῖν* dicatur, qui cum moderatione affectu animæ mouetur. Tribuit enim Aristoteles hanc uirtutem sapienti, quem dicit *μετριοπαθῆ μὲν εἶναι, ἀπαθῆ δὲ μὴ*. id est, moderatè commoueri, non autem omnis passionis vacuum esse, quod Stoici uolebant. Ne igitur pontificem apostolus describere uideatur *παθῆλον*, qui passionibus animi uolentius agitur; exigit ab eo ipsum etiam misericordiae, seu compassionis affectum moderatum, ac ratione circumscriptum. Quod pertinet etiam participium *δυνατῶν* qui *possit*, id est, qui sit idoneus & aptus condolare &c. Quod uero Erasmus & alij quidam uertunt, *Qui placabilis esse possit ignorantibus*, id est, qui possit placabilem se ijs exhibere; non quadrat huic loco; quia non quaeritur pontifex qui placabilis sit, sed qui Deum peccatoribus placatum reddat. *Ignorantes* sunt, qui quod faciendum est, nesciunt. *Errantes*, qui in actionibus suis à recto deuiant. Utrumque consuetudine sermonis Hebræi generatim pro peccatoribus accipitur; ut non solum intelligantur ij quos dicere solemus per ignorantiam aut infirmitatem delinquere; uerum

etiam qui maliciosè peccant. Nam & ad istos pontificis misericordia debet extendi; sicut & Christi extenditur. Nec malè etiam huiusmodi peccatores ignorare & errare dicuntur, quia secundum philosophum, *omnis malus ignorat*. Vnde & Theophylactus ex his verbis animaduertit, omne peccatum ex ignorantia & errore nasci. Non enim peccare quis potest, nisi pratico iudicio errante; quemadmodum latè ostendimus in 2. sent. dist. 12.

QUONIAM ET IPSE CIRCUMDATVS EST INFIRMITATE. Ratio significatur inducens ad compassionem. *Quandoquid. n. & ipse circumdatus est infirmitate*; id est, infirmitatem etiam suam circumfert, sicut ceteri homines: Obnoxius est frequentibus peccatis, more aliorum. Hæc enim res eum admonet, ut & ceteris præ carnis imbecillitate peccantibus condoleat. *Infirmitatem* hoc modo accipi, manifestè monstrat pars sequens; in qua ex hac infirmitate pontificis colligitur eum debere pro suis offerre peccatis. Quod nequaquam esset consequens, si, quod nonnulli volunt, *infirmitatis* nomine, miseria tantum & afflictio dolorem adferens, significaretur. Er quidem de *infirmitate peccati* locum hunc Theodoretus & Oecumenius disertè exponunt: Idemque probatur ex cap. 7. ubi Christum pontificem, ut peccati expertem, apostolus opponit hominibus infirmitatem habentibus, quos lex sacerdotes constituebat.

3 ET PROPTEREA DEBET QUEMADMODUM PRO POPULO, ITA ETIAM PRO SEMETIPSO OFFERRE PRO PECCATIS. *Propterea* Græcè δὲ τῆς αἰτίας, id est, propter hanc, scilicet infirmitatem. Consonat textus Syriacus. Ac forsitan etiam interpres noster scripsit, *propter eam*. Quanquam in nonnullis Græcis legitur δὲ τῆς αἰτίας, propter hæc. Sed sensus eodè recidit. Eius, inquit, quod dixi, pontificem etiam ipsum infirmitate circumdatum esse; argumentum est, quod debeat non solum pro populi peccatis, verum etiam pro suis offerre sacrificium. Hinc satis constat apostolū loqui de *infirmitate* peccati. Cum autem ait, *debet*; respicit ad præceptum legis Leuit. 4. ubi inter hostias, quæ pro peccatis offerri iubentur, prima est pro peccato sacerdotis. Sciendum est autem, hæc attributa pōtificis, quod infirmitate circumdatus sit, quodque propterea pro suis etiam peccatis offerre sacrificium debeat; non eò huc adferri ab apostolo, ut Christo accomodentur: sed ut ex his declaret id quod inter notas pontificis posuerat, talem ex hominibus assumi, qui condolare possit ijs qui ignorant, & errant. Hoc autem etiam Christo competere, alia ratione superius ostendit, quia nimirum per omnia tentatus sit hominum more, sed absque peccato. Qua ex re nobis intelligendum relinquit quantum excellat Aaronicum pontificem Christus: quod ille pro peccatoribus intercef-

serit, ipse peccatis obnoxius; Hic verò ad illud officij tanto sit aptior, quanto magis est ab infirmitate peccati remotus. Sed hoc delictum infra plenius explicat ipse apostolus, cap. 7. ab illis verbis: *Talis enim decebat* &c. usque ad finem capituli.

4 NEC QVISQVAM SVMIT SIBI HONOREM: SED QVI VOCATVR A DEO TANQVAM AARON. Pōtificatum vocat *honorem*, quia reddit hominem honorabilem. Est & hæc, inquit, legitimi pontificis proprietates, ut illud munus vltro sibi non vendicat, sed à diuina pendeat vocatione: sicut de Aaron, qui primus fuit sacerdos Leuiticus, scriptura testatur eum diuinitus ad eam dignitatem vocatum esse. Nam Exod. 38. Deus iubet eum consecrari: cumque postea sacerdotium eius ab æmulis impugnaretur; iterum confirmatum est miraculo incendij consumentis aduersarios, & virgæ germinantis. Num. 16. & 17. Vocatum autem Aaronem intellige pro se, & sua posteritate. Quod ad eò seruatum est in veteri populo, ut ne per ambitionem quidem, atque eo tempore, quo regibus externis parebant Iudæi, quisquam ad pontificatum euectus legatur, qui non esset ex stirpe Aaronis. Vnde quum rex Ozias vsurpare vellet sacerdotis officium; à pontifice repulsus fuit, & mox à Deo lepra percussus. 2. Par. 26. Sicut autem olim in populo Iudaico, ita nunc in ecclesia diuinitus instituta est hierarchia, cum potestate ordinandi pontifices, sacerdotes, & ministros; ut quicquid extra illam attretatur, aut præsumitur, illegitimum & inane censetur. Ex quo facile est conijcere, quo loco sint habendi, quotquot hodie ministerio verbi sese ingerunt, neque missi, neque vocati. Obiter obserua quandam eclipsin esse in verbis apostoli: Supplendum est enim aliquid, hoc aut simili modo; *Nemo sibi ipsi sumit honorem, sed ille verus ac legitimus est pontifex, qui vocatur à Deo*.

5 SIC ET CHRISTVS NON SEMETIPSV CLARIFICAVIT, VT PONTIFEX FIERET. Huc usque notæ seu proprietates pontificis legalis: Nunc eas Christo applicat, ac primū eam quam postremò posuit. Cum enim Christus non esset ex stirpe Aaron, quæ sola sacerdotalis erat; imò nec ex tribu Leui, quæ sola coram Domino ministrabat: asserenda fuit in primis eius vocatio. *Clarificauit*, interpres dixit more suo, pro *glorificauit*, id est, *glorificauit*. Ambrosius in epistola ad ecclesiam Vercellensem ita legit; *Non se honorificauit fieri summum sacerdotem*. Porro verbum hoc quidam exponunt, *commendauit*, ostentando suas dotes, virtutes, ac merita, sicut ambitiosi facere solent: Sed verior apostoli sensus est; Ita & Christus non semetipsum extulit ad pontificiam dignitatem; non semetipsum pontificem fecit. At dices, Quomodo non semetipsum, qui Deus erat, ac diuina potestate simul omnia cum Patre operabatur? Respondeo, Apostolum de Christo loqui secundum eam naturam,

quã

quã pontifex est; id est, secundum humanam. Sic enim non seipsum glorificauit, sed in Christo Deus hominem glorificauit. Quanquam etiam ut filius Dei, non ita semetipsum hominem glorificauit, ut non hoc ipsum à Patre acciperet. Vnde & filium potius quàm Patrem incarnari decuit. Si enim Pater incarnatus fuisset: non iam Christus ab alio missus ad nos venisset; nec ab alio pontificatus honorem acciperet, sed à seipso. Quod certè minus congruebat; ut præsens locus ostendit. Non enim solam naturam attrēdit apostolus, quum dicit Christum non semetipsum clarificasse, sed etiam personam; ut patet ex eo quod sequitur,

6 SED QVI LOCVTVS EST AD EVM; FILIVS MEVS ES TV: EGO HODIE GENVITE. Periphrasis est Patris: quasi dicat, Sed Pater eum clarificauit ut pontifex fieret. Applicat enim Christo partem illam: *Sed qui vocatur à Deo*. De sensu versiculi, quem hîc citat ex psalmo 2. sat multis egimus in expositione cap. 1. Sed cur interposuit hoc testimonium, ac non breuiter dixit, *Sed Deus illum clarificauit*: Ea ratio est, ut Christi pontificis excellentiam supra alios pontifices eadem opera demonstraret. Nam illi quidem vocati à Deo, sed Christus, vocatus à Deo, qui idem pater eius est; ut à quo Filius appelleretur. Quod de nullo alio legitur. Aliam rationem repetiti ex psalmo testimonij Caietanus adfert, eo quod filij primogeniti erat iure hereditario sacerdotium. Nam primogenitus olim iure debitam fuisse sacerdotij prærogatiuam, vetusta est Hebræorum traditio. Cuius etiam Hieronymus aliquoties meminit, ut in epistola 126. ad Euagrium, & in traditionibus Hebraicis super Gen. tum ad illa verba ca. 27. *Et vestibus Esau valde bonis* &c. tum ad ista cap. 49. *Ruben primogenitus meus*. Sed eam traditionem ad eò non putamus veram, ut ex ipsis etiam scripturis refelli possit. Nam ante legem Mosaicam Abel & Abraham, & alij quidam leguntur obtulisse sacrificia, qui primogeniti non fuerunt. Sed & in ipsa lege nisi quam præcipitur ut soli primogeniti sint sacerdotes; quandoquidem tota stirps Aaronica sacerdotalis erat. Itaque non aliud nobis videtur Apostolus in hoc testimonio citando spectasse, quàm quod diximus. Nam de sacerdotio, sequitur;

7 QVEMADMODVM ET IN ALIO LOCO DICIT. Potest etiam verti: *Quemadmodum* & in alio psalmo dicit. Nam substantiuum in Græco non exprimitur. Locus autem est in psalmo 109.

TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM SECUNDVM ORDINEM MELCHISEDEC. Rursus verba sunt Patris loquentis ad Filium. Idcirco autem hoc testimonium adiungit superior, ut eundem quem filium probauit, probet etiam à Patre constitutum sacerdotem. Nec mireris transitum à nomine *pontificis* ad nomen *sacerdotis*, cum plus sit pontificem esse

quàm sacerdotem: Nam si dederis filium Dei esse sacerdotem, quod iste locus docet; facile etiam concesseris esse pontificem, id est, summum sacerdotem; quia nemo alius sacerdos filio Dei præponi debeat. Et certè ipse Apostolus infra v. 10. illud psalms (sacerdos) interpretatur ut idem valeat quod *pontifex*. Explicationem huius versiculi differemus in caput 7. ubi ipse apostolus eum per singula ferè verba diligenter expendit. Illud hîc quæri potest, cur non ex eodem hoc psalmo probet utrumque, scilicet Christum & Dei filium esse, & sacerdotem; cum & ibi Christo dicatur à Deo: *Ex utero ante Luciferum genui te*. Sic enim firmior argumentatio videretur, quando constaret utrumque testimonium ad unum eundemque pertinere. Respondet quidam, Apostolum consultò ab hoc testimonio citando abstinuisse, quod sciret ipsum ut in Hebræo habetur, variè verti, & explicari posse. Verunramen, cum ad eum modum verterint LXX. quorum interpretatione, ut à fidelibus recepta, perpetuò, ac sine scrupulo Paulus in hac epistola vitur: potius arbitror respondendum, propterea non eum addoxisse memoratum testimonium ex hoc psalmo, quod alterum esset & notius, & luculentius; ut pote, quo planè ac disertè Christo dicatur à Deo: *Filius meus es tu*.

8 QVI IN DIEBV CARNIS SVÆ. Quò spectent ea quæ nunc Apostolus dicit, haud satis liquet. Nonnulli putant eum his verbis applicare Christo, quod de pontifice dixerat: *Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate*. Sed iam supra docuimus eam partem ex sententia apostoli Christo non conuenire. Alij plerique referunt ad officium pontificis indicatū illis verbis: *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre*. Sed ibi additum est, *pro peccatis*; Quod constat in Christum competere non posse. Veruntamen prompta responsio est ex ante dictis, Apostolum non singula, quæ de pontifice Leuitico dixit, applicare velle Christo, sed ea quæ applicari possunt, quæque applicata sacerdotium eius commendant. Tale est ut etiam pro semetipso preces offerat Deo; cum sit ex hominibus assumptus, ideoque naturam mortalem, & miseram cum illis habeat communem. Si quis obijciat, hîc nihil peculiare de pontifice dici, cum & laicorum sit preces pro semetipsis offerre Deo: Respondeo, non qualemcunque precum oblationem intelligi, sed eam quæ sit officij publici, videlicet, sacerdotalis. Sicut enim sacrificia, sic & preces offerre pro populo, in quo ipse etiam sacerdos comprehenditur, non cuiusvis hominis est, sed solius sacerdotis. Et ad id significandum videtur apostolus vsus vocabulo *offerendi*; quod & supra, quando dixit, pontificem pro semetipso offerre; quamuis Erasmus illic vertēsit, *immolare*, verbo nimium restricto. Quod si consideremus hanc precum oblationem factam in ara crucis, de quo videbimus infra;

tum magis etiam placebit data responsio. Sed ad expositionem veniamus. *In diebus carnis sue.* Id est, tempore presentis huius ac mortalis vitæ. Non enim modò Christus carnem non habet: sed *carnem* intelligit apostolus secundum qualitates nobis notas, id est, infirmam, atque passibilem; quomodo sæpe caro in scripturis accipitur, vt psal. 55. *Non timebo quid faciat mihi caro.* Et 77. *Recordatus est quia caro sunt.* Et Isaiæ 31. *Equi eorum caro, & non spiritus.* Et 40. *Omnis caro fœnum.* Denique huius epistolæ cap. 2. *Quia pueri communicauerunt crummi & sanguini; & ipse participauit eisdem.* Igitur *dies carnis Christi* sunt in quibus carni & sanguini participauit. Hoc autè quid sit, suo loco declaratum est.

PRECES SUPPLICATIONESQUE. *Preces* generale nomen est: *Supplicationes* autem, supplicum preces sunt, cum is qui orat, abijcit se ad pedes, aut genua tangit, eius quem orat. Significatur ergo magnus affectus, & humilitas Christi precantis.

AD EVM, QUI POSSIT ILLVM SALVVM FACERE A MORTE. Id est, ad Deum. Loquitur enim de Christo vt homine. Erasmus hoc modo vertit; *Apud illum qui poterat ipsum à morte seruare.* Verùm is dum *seruare* mauit, quam *saluum facere*, non animaduertit neque ad veram & propriam significationem Græci verbi *σωζεν*, neque ad mentem apostoli. De significatione verbi diximus aliàs. Non enim solum ille dicitur *σωζεν* qui seruat aliquem à malo, ne in illud incidat; verum etiam qui eripit è malo in quod iam inciderat. Exempla plurima sunt in sacris literis, sed vnum maxime obuium, Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vbi nec ipse Erasmus ausus fuit vertere, *seruabit*; nec aliud vertendum putauit, quam quod legit apud interpretè vulgatum. Mens verò apostoli non est, Christum orasse Patrem vt seruaretur à morte, ne eà subiret: Alioqui quomodo exauditus est? Sed vt celeriter eriperetur à morte, quæ erat passurus. Quod factum est quando à morte ad vitã immortalẽ resurrexit tertio die.

CVM CLAMORE VALIDO ET LACHRYMIS OFFERENS. *Offerens*, aoristus est in Græco; *cum obtulisset.* Quando Christus hanc, de qua loquitur apostolus, orationem obtulerit Patri, tres sunt opiniones. Vna est, Apostolum loqui de ea Christi oratione, qua passioni suæ proximum Patrem tertio precatus est, vt si fieri posset, transiret ab ipso calix. Quam orationem à tribus euangelistis accuratè descriptam habemus: Qui etsi lachrymarum non meminerint, vt nec clamoris validi; tamen verisimile est lachrymas non defuisse, quando præ mœrore & angustia animi, sudor sanguineus ei defluxit è corpore. Sed de clamore non eadem ratio. Solus enim tunc erat Christus, & discipulis auulsi; vt clamore non esset opus, valido præfertim. Deinde, nec paruum difficultatem habet, quomodo in ea oratione fuerit ex-

auditus; quod de his precibus affirmat Apostolus. Non enim transijt ab eo calix: nec id absolute petebat, sciens voluntatem Patris esse, vt biberet illum. Alij putant orationis, de qua Paulus loquitur, qua scilicet Christus orauit Patrem, vt se à morte saluum faceret, id est, ex morte resuscitaret; nullam apud euangelistas extare mentionem, sed aut per reuelationem, aut per traditionem, de ea Paulum, quod scribit, accepisse. Quæ Chrysostomi, & Theophylacti sententia est. Sed ea refellitur, si probatum fuerit eiusmodi orationem Christi ab euangelistis haudquaquam fuisse præteritam. Est igitur tertius, & maxime probabilis commentarius, quem post Aquinatem adfert Caietanus, Apostolum agere de oratione Christi pendens in cruce, quando voce magna clamauit dicens; *Deus meus, Deus meus, vs quid dereliquisti me?* & quando, iterum voce magna clamans, spiritum suum in manus Patris commendauit. Vbi quamuis lachrymæ eius non legantur; tamen sicuti fitiuit naturaliter, præ siccitate corporis exhausti; sic & lachrymas ei naturaliter præ doloribus erupisse, credibile est. Permittebat enim, iuxta Damasceni celebre dictum, vnicuique facultati naturali proprias actiones. Quod autem ea verba, quibus in cruce pendens Deum compellauit, precatória fuerint, facile docetur. Dicens enim, *Quare me dereliquisti?* non vtiue cum Patre exposulauit, nec inanem fudit querelam; sed petiuit vt è malis, in quibus ad horam erat à Patre derelictus, eriperetur; scilicet per resurrectionem, quæ mortem penitus absorberet. Vnde huic versiculo è psalmo 21. desumpto, LXX interpretes addiderunt, *respice in me.* Quod sine dubio orantis est. Quin omnes huiusmodi ad Deum exclamationes; quæ in psalmis frequentes leguntur, Hebræicæ quædam precandi formulæ sunt; & plarumque adiuncta habent expressa precatōnis verba, vt psalm. 12. *Vsq̄quò exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me,* id est, exaudi me orantem, ne diutius exalteretur super me inimicus meus. Quare & quæ in eodem psalmo præcedunt. *Vsq̄quò Domine obliuisceris me in finem; Vsq̄quò auertis faciem tuam à me?* &c. consimilem sensum habent; vt & cætera huiusmodi. Rursum cum ait: *In manus tuas commendo spiritum meum,* orat Patrem vt spiritum ipsius suscipiat in suam protectionẽ, hoc est, bene ei faciat, eum sine lōgiore mora corpori restituens immortalis. Id quod precatōnis forma protomartyr eius enunciauit, dicens: *Suscipe spiritum meum.* Act. 7. Christum igitur in cruce Patre orasse cum clamore valido & lachrymis; atque ad eam Christi precatōnem hoc loco Paulum respexisse: satis probatũ existimo. Facit tamẽ etiam ad cumulum probationis, verbum *offerendi*, quo hinc vitur. Nusquã enim conueniẽtius Christus p̄tifer

noster

noster pro sua salute preces offerre Deo potuit, quam vbi & semetipsum pro salute mundi Deo sacrificauit, hoc est, in ara crucis, tanquam destinato sacrificij loco.

EXAUDITVS EST PRO SVA REVERENTIA. Multi codices manuscripti, *Et*, coniunctionem præmittunt, *Et exauditus*; Idque consentaneum est tam Græco textui quam Syriaco. Sciendum est enim, in Græco sētentiam hinc nondum finiri, sed adhuc pendere. Sic enim habet: *Qui in diebus carnis sue, quum preces & supplicationes ad eum, qui poterat ipsum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulisset; & exauditus esset pro reuerentia, &c.* Nam *sua*, non est in Græco, sed additum fortassis ab interprete vel ab alijs potius, qui hanc reuerentiam in Christo fuisse intelligunt; tanquam sensus sit, Christum à Deo exauditum esse, pro ea reuerentia, ac pietate, quam erga Deum habebat; qua nimirum dignus erat, vt ab eo exaudiretur. Ita ferè Latini, & inter Græcos Photius. At Chrysostomus eiusque sequaces hanc reuerentiam in Deo Patre itatuunt respectu filij; quasi dicat apostolus filius Dei tam erat charus Patri, tamque venerabilis, vt pater eum reueritus, nec ferens tam humilẽ filij sui precatōnem, statim petita concesserit. Verùm prior expositio magis placet: tum quia durum & insolitum est Patri reuerentiã ascribere erga filium; tum quia infra in hac eadem epistola cap. 12. tribuitur hominibus erga Deum: *Seruiamus inquit, placentes Deo, cum metu & reuerentia.* Est enim Græcè *εὐλαβία*: quo nomine reuerentia significatur, & pietas quæ est hominis in Deum; quæque passim in scripturis vocatur timor Domini. Nam & *εὐλαβίας* is dicitur qui Deum reueretur & colit. Interpres noster modò *religiosum* vertit, vt Act. 2. modò *emoratum*, vt Luc. 2 & Act. 8. Nectamen ad priorem illum sensum opus est hinc relatiuo reciproco expresso, *sua*: quod facile subauditur. Tertium quandam sensum huc adferunt Calvinus & Beza. Cum enim, inquit Calvinus, Græca voce plarumque metus, aut sollicitudo significetur; multò aptior erit expositio, si dicamus exauditum fuisse Christum ex eo quod timebat ne scilicet malis obrutus succumberet, vel morte absorberetur. Itaque vertendum illi putant; *Exauditus ex metu suo*: videlicet adaptantes hunc locum suæ blasphemix, qua dicunt Christum in cruce pendentem, quasi in desperationem incidisse, quando in eam vocem erupit: *Deus meus, quare me dereliquisti?* Tunc enim eum in se excepisse horrorem illũ quẽ damnati patiuntur in inferno; vt sibi à Deo derelictus ac proiectus damnatorum more, videretur. Sed impius hic commentarius nullo negotio refellitur. Primum quia vox Græca proprie metum non significat; Etenim Græci scriptores *εὐλαβίαν* à metu qui Græcè *φόβος* dicitur, & inter animi passiones numeratur, studiosè discernunt: sed aut si-

gnificat cautionem, id est, tranquillam mali declinationem; vt ferè apud authores profanos: aut reuerentiam & pietatem, vt in sacris literis. Deinde, quia sermo ineptus est, aliquem exaudiri à metu vel ex metu; à morte vel ex morte. liberari enim ex his dicitur; exaudiri autem ab eo qui liberat. Postremò, vt detur Græco vocabulo metum significari; & apostolum id velle quod Christus exauditus sit à metu suo: num inde consequens est Christum aut metuisse, aut passum esse id quod in inferno damnati patiuntur? Fuit sane metus in Christo, non inferni, sed mortis, idemque voluntate assumptus; & ab hoc metu liberatus est. Obijcit Calvinus Græcam præpositionem *ἀπὸ* significare à vel ex; non autem pro. Sed fallit aut fallitur. Nam in sacris literis, ex Hebræicæ linguæ proprietate frequentissimum est vt ea præpositione causa significetur ob quam quid fiat; maxime apud interpretes Lxx. vt psal. 6. *Turbatus est à favore oculis meus*, id est, præ furore. Et 37. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ*, id est, præ ira tua. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, id est, propter peccata mea. Sic: exauditum dicit apostolus Christum à reuerentia, id est, pro reuerentia, siue propter reuerentiam, qua patrem semper obseruauit. Interpres Syrus reuerentiam hoc loco prorsus suppressit, ac reiecit in verbum proximè sequentem. Quod quo pacto acciderit, nescio: nisi fortè propterea quòd in Græcis oratio hinc nondum absoluitur. Iam quod apostolus dicit Christum exauditum esse à Deo; nullam apud Theologos dubitationem habet, quorum constans, & certa doctrina est, omnem Christi orationem, qua quid absolute à Deo petiuit, exauditam fuisse; nec verò fieri potuisse, vt non exaudiretur: vnde ipse Patri dicebat, *Sciebam quod semper me audis.* Ioan. 11. Quæ ratione nec fieri potuit, vt eius humana voluntas à diuina discordaret. Nam oratio, qua Patrem in hortu precatōnis est vt transiret ab ipso calix, ne biberet eum; non absoluta fuit, sed hanc habens conditionem, *si fieri posset*, id est, si id æterno decreto Patris non repugnaret. Vnde non mirum si non fuerit exaudita. Quæquam ea non tam oratio fuit, quam naturalis desiderij, quo vitam amabat, ac mortem refugiebat, expressio quædam, ac declaratio; cum ea humilitate, qua desiderium hoc perfecte subijciebat voluntati paternæ, dicens; *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quare hic locus de illa oratione non est accipiendus; sed, vt supra dictum est, de oratione pendens in cruce. Hanc autem exauditam esse constat, & impletam; quoniam Pater eum à morte resuscitauit tertio statim die, non amplius moriturum. Quin etiam exaudita est pro toto corpore eius, quod est ecclesia: *Qui enim suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora nostra.* Rom. 8.

8 ET QUIDEM CVM ESSET FILIUS. Quod

in qui-

in quibusdam Latinis additur, *Dei*, plures & meliores codices non habent. In Græcis autem & Syris exemplaribus omnino non reperitur. At neque sensum adinuare videtur, ut suppleri debeat, cum apostolus simpliciter utgeat vocabulum Filij. Alij vertunt ex Græco, *quamuis esset filius*. Nam Græca particula *καὶ* aduersatiua est: Nec aliud arbitror interpretem nostrum voluisse, quando vertit, *Et quidem*. Sed dubium est, quò pars hæc referatur. Nam ad id quod proximè præcedit, referri non potest; Non enim conuenienter dicitur, Christum exauditum fuisse pro sua reuerentia, *quamuis* esset filius, sed *quia* filius erat. Sunt igitur qui partem hanc per hyperbaton remittant ad oblationem precum & supplicationum cum clamore & lachrymis factarum; quasi dicat, Etsi filius esset, non tamen aspernatus est supplicem se præbere Patri etiam cum voce lachrymosa. Verùm communior & potior est sententia, cui & Syriaca lectio suffragatur, referendam esse ad ea quæ sequuntur.

— DIDICIT EX IIS, QUÆ PASSVS EST, OBEDIENTIAM. Quamuis, inquit, filius esset, tamen ex his quæ passus est, obedientiam didicit. Sed quomodo didicit obedientiam, qui, etiam ut homo, nouerat omnia, ac plenus erat omni genere virtutum, ipsasque passiones obedientia præcedente suscepit? Hæc quæstio multas peperit huius loci interpretationes. Plerique respondent Christum per experientiam didicisse, quod antea sciebat per infusam noticiam. Id enim significari ijs verbis: *ex iis quæ passus est*, id est, quæ patiendò expertus est. Itaque sensum hunc reddit B. Thomas: *Didicit obedientiam*, hoc est, experientia didicit, quam graue sit obedire; ut qui obediuerit in grauissimis & difficillimis, videlicet vsque ad mortem crucis. Alij sic; Per experientiam didicit quanta sit obedientiæ virtus & quantum meritum. Propter hanc enim exauditus est & à morte ereptus. Legitur hic sensus apud Theophylactum & Oecumenium, tamen coactor apparet. Theodoretus hyperbolen esse dicit, nec tamen satis explicat: sed videtur hoc velle, Christum ex iis quæ passus est, obedientiam didicisse, non quòd antè non fuisset obediens, ut vel ex illis obedientiam discere potuisset. Nobis per metonymiam commodius videtur Apostoli sententia posse explicari, hoc modo: Quamuis filius esset, eoque solo nomine dignus quem Pater exaudiret; tamen, ut misericors fieret pontifex nobis ad Deum, per ea quæ ex voluntate patris passus est, obedientiam ostendit & exercuit, quasi obedientiam discipulus. Quos enim ad obedientiam formamus, in rebus grauioribus experiri solemus. Loquitur autem ad hunc modum apostolus, quia obedientiam suis Hebræis commendare voluit, ut innuitur v. proximo. Cæterum quo sensu Christo

tribuat obedientiam, dictum est ad illud Pbr lip. 2. *Factus obediens usque ad mortem.*

9 ET CONSUMMATVS, FACTVS EST OMNIBVS OBTEMPERANTIBVS SIBI, CAUSA SALVTIS ATERNÆ. *Consummatum* dicit, non morte finitum, sed *perfectum redditum*, ut Erasmus vertit. Hæc enim significatione Græcum verbum vsurpari passim in hac epistola, docuimus, quum exponeremus illud cap. 2. *authorem salutis eorum per passiones consummare.* Quare alij quidam minus rectè vertunt, *sanctificatus*, seu *consecratus*. Est igitur sensus, Christum per passiones ad gloriam adductum, omnibus sibi suoque euangelio obedientibus, causam & authorem factum esse salutis aternæ. Quæ quidem obedientia consistit in obseruatione mandatorum Christi: quorum primum est, ut in eum credatur. Nam obedientiam etiam ad fidem referri, patet ex alijs scripturæ locis, ut Act. 6. Rom. 1. & 16. Duplex autem fructus passionis Christi significatur; ipsius scilicet Christi consummatio, & salus nostra: quoniam & sibi meruit, & nobis. Sed ideo dicit Christum consummatum factum esse causam salutis nostræ, quia salus nostra non solum à Christo passo, velut causa meritoria, verùm etiam ab eodem consummato & glorificato, velut exemplari causa, dependebat. *Nam si Christus non resurrexit: inanis est fides, & salus nostra*; sicut idem apostolus docet 1 Cor. 15. Porro non absolute dixit *omnibus*, sed *obtemperantibus sibi*; non quòd obedientia sit conditio, quam prius à nobis Christus exigit, quam eius passio quicquam in nobis operetur (neque enim fides & obedientia nobis aliunde est, quam ex Christi passione): sed, quia conditio est ad salutem aternam necessaria; ne quis speret salutem à Christo, nisi legi eius obediat; quoniam nec ipse Christus ad gloriam euectus est, nisi per obedientiæ meritum. Ea conditio ab ipso met expressa est in euangelio: *Si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata*, Matth. 19. Quanquam præterea locus hic significat non ita per meritum Christi nos restitui in statum iusticiæ, atque honorum operum, pro quibus ab initio promissa fuerat vita aterna; ut sic restitutis ea iam debeatur ex prima institutione, nec ad hanc debiti rationem constituendam opus sit merito Christi. Nam per peccatum primi hominis non solum amissa est iustitia; verùm etiam cassata promissio, qua pro bonis operibus ei decreta fuerat merces vitæ aternæ. Quare non tantum opus fuit gratia Christi, ut homo lapsus restitueretur in statum iusticiæ, bonorumque operum; sed etiam ut hæc ipsa iusticiæ opera ei proficerent ad vitam aternam. Cum enim vtrumque peccato abolitum esset, iusticia, & pactio de præmio pro iusticia reddendo: oportuit vtrumque nobis reparari per Christum. Quod non obscure tradit Synodus Tridentina sess. 6 cap. 16. quum docet, bene

ope-

operantibus vsque in finem & in Deo sperantibus, proponendam esse vitam aternam, & tanquam gratiam filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissam; & tanquam mercedem, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam. Quæ eadem doctrina rursus ibidem can. 26. sub anathemate definitur.

10 APPELLATVS A DEO PONTIFEX SECUNDVM ORDINEM MELCHISEDECH. *Appellatus*, siue *cognominatus*, nimirum verbis psalmi supra citatis. Quoniam autem Dei dicere seu nominare, facere est; intellige sic appellatum Christum à Deo pontificem secundum ordinem Melchisedech, ut & talem fecerit. Adijcit hanc partem apostolus, tum ut insinuet (quod infra latius expositurus est) qua ratione Christus factus sit nobis causa salutis aternæ, nempe per sacrificium crucis quod ut pontifex obtulit, non Aaronicus, sed secundum ordinem Melchisedech; tum etiam ut confirmet quod dixerat, *Christum non semetipsum clarificasse, ut pontifex fieret, sed vocatum à Deo*; tum denique, ut viam sternere iam incipiat, animosque legentium præparare ad disputationem de sacerdotio Christi. Vnde consequenter ait:

11 DE QVO NOBIS GRANDIS SERMO, ET ININTERPRETABILIS AD DICENDVM. Legendum est, *ininterpretabilis*, ex fide codicum antiquorum, & castigatione Romana; quemadmodum & Hieronymus legit epistola 126 ad Euagrium. Græca vox significat *difficilem interpretatum*; ac pro ea Syrus vertit *occupatorem seu negocium*. Nec in Græco est *grandis*, sed *multus sermo*; quomodo legit etiam Hieronymus. Porro sensum bene reddidit Erasmus sua versione; *De quo nobis multa forent dicenda, eaque, difficultia explicata*. Relatiuum quoque, referri potest vel ad Melchisedech; vel ad pontificem secundum ordinem Melchisedech; vel ad rem ipsam, id est, pontificatum Christi; quasi dicat, *De qua re multus nobis sermo* &c. Quodlibet horum probabiliter dicitur; licet plerique ad Melchisedech referant. Difficultatem verò eorum, quæ dicenda sunt, exaggerat Apostolus, non quia ipse non potuerit exponere, sed propter id quod sequitur,

12 QVONIAM IMBECILLES FACTI ESTIS AD AVDIENDVM. Græcè *Quandoquidem segnēs facti estis auribus*, id est, ignaui, tardi, & torpentes ad hæc audienda. Interpret ipse cap. sequenti, vertit *segnēs*. Causam huius ignauiæ Græci commentatores referunt in afflictiones, quibus ob fidem Christi susceptam premebantur à fratribus Iudæis. Alij, in ipsorum negligentiam, quod parum laboris & studij collocassent in cognitionem rerum sacrarum. Ego veram causam existimo, quia nimium affixi erant legi Moisaicæ; quo velut obicem impediti, mysteriorum nouæ legis explicationem ægrè & tardè capiebant. Nam & ob hæc causam Apostolus Roman. 14.

infirmos vocat Iudæos fideles, qui adhuc inter cibos, ex consuetudine legis, discernebat. Huic loco simile est illud Christi ad discipulos Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò*. Item illud Apostoli ad Corinthios in epistola priore cap. 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus*. Verùm causæ in his diuersæ sunt: in discipulis Christi, conspicua præsentia humanitatis eius; in Corinthijs, vicia quædam grauiora, quibus erant dediti.

12 ET ENIM CVM DEBERETIS MAGISTRI ESSE, PROPTER TEMPVS: IUDÆI, PRIMI CHRISTIANAM FIDEM SUSCEPERANT, QUEMADMODUM LATÈ PATET EX ACTIS APOSTOLORVM. Hoc igitur est quod ait; Cum pro ratione temporis quod egistis in Christianismo, debetis aliorum esse doctores:

RVRVSVM INDIGETIS VT VOS DOCEAMINI. Græcè, *Rursum opus habetis, ut doceamini vos*. Quod etiam sic verti potest; *Et quis doceat vos*.

QVÆ SINT ELEMENTA EXORDII SERMONVM DEI. Græcè, *eloquiorum Dei*, id est, doctrinæ quæ de Deo est. *Elementa* sunt quæ prima traduntur in vnaquaque disciplina; ut alphabetum, in grammatica. Vnde & corpora simplicia, quæ non ex alijs, sed ex quibus alia componuntur, physicis elementa dicuntur. Igitur *elementa exordij sermonum Dei* vocat rudimenta à quibus initium sumitur instituendi homines in doctrina sacra. Quorum aliquot exempla refert apostolus sub initium capitis sequentis, ab eo loco, *Non rursus inuoluentes fundamentum penitentia ab operibus mortuis* &c. Porro quod ait, *elementa exordij*, videtur Hebraismo dictum, pro eo ac si diceret, *elementa exordia*. Grauis hæc est inceptio, qua significat eos, post tantum temporis, adhuc penè rudimentarios esse in religione Christiana.

ET FACTI ESTIS, QVIBVS LACTE OPVS SIT, NON SOLIDO CIBO. Metaphora ducta ab infantibus; qua etiam vritur 1. Cor. 3. ita scribens: *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Lactis* nomine vult intelligi doctrinam humiliorem, ac faciliorem, quæ rudibus & imperfectis conueniat; ut ex aduerso *solidum cibum* appellat doctrinam eruditæ & perfectiæ congruentem; id est, altiore ac difficiliorem; qualis erat de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech. Quod ait, *facti estis*, hanc vim habet, iuxta Græcos interpretes; Eò deuenistis per ignauiam vestram; scilicet, ut lacte sitis nutriendi more paruulorum, nec solidioris doctrinæ cibum feratis.

13 OMNIS ENIM QUI LACTIS EST PARTICIPE, EXPERS EST SERMONIS IUSTICIÆ. *Expers*, Græcè *ἀπειρος*, id est, inexpertus, ac rudis. *Sermo iusticiæ* doctrina est perfectioris; de qua statim initio sequentis capitis: *Ad perfectionem*, inquit, *fraramur*. Eam vocat *iusticiam*, quia iusticia si stitit sumatur, perfe-

ctionis

tionis est nomen. Sub hac autem comprehendit quicquid in doctrina Christiana est eiusmodi ut solis perfectis congruat; sicut sub nomine *sapientia*. 1. Cor. 2. cum ait, *Sapientia loquimur inter perfectos*. Itaque sensus est; Quicumque in Christi schola talis est, ut adhuc lacte simplicioris doctrinae fouendus sit; is rudis est doctrinae perfectiora tradentis, & ad eam audiendam parum idoneus. Iam relinquit assumendum quod dixerat, *Vos lacte orni habetis*: Vnde syllogisticè concludit: Ergo solidioris cibi non estis capaces. Propositionem confirmant verba sequentia.

PARVVLVS ENIM EST. Græcè *νηπιον*, id est, *infans*; quasi dicat, Similis est infanti. Nam sicut infans, lacte nutriendus, non fert solidum cibum, ita & illi accidit in doctrina Christi.

14 PERFECTORVM AVTEM EST SOLIDVS CIBVS. Hoc est, perfectis, tanquam adultis, (quales vos nondum esse video), conuenit pasci doctrinae sublimioris alimento. Quos autem dicat perfectos consequenter exponit.

EORVM QUI PRO CONSVETVDINE EXERCITATOS HABENT SENSVS AD DISCRETIONEM BONI AC MALI. *Pro consuetudine*, Græcè, *ἀσκητικὸν*, id est, *propter habitum*, ut legit Augustinus, lib. 12. de Trin. cap. 13. vel, ut Erasmus vertit Ambrosianum secutus, *propter assuetudinem*. *Sensus* ad mentem transferuntur; cum Græca vox *αἰσθητικὰ* propriè significet organa sensuum, ut sunt oculi, aures. Perfectos, inquit, eos voco, qui longo usu velut habitu comparato, mentem habent exercitaram ad discernendum in vnaquaque re quid bonum sit, quid malum. *Boni & mali* nomine, etiam verum & falsum comprehenduntur, maximè quia de doctrina ad fidem pertinet, potissimum sermo est. Eandem sententiam breuiter ita expressit 1. Cor. 2. *Spiritualis omnia indicat*, cum prius dixisset, *animalem hominem non percipere ea quæ sunt spiritus Dei*. Qui locus cum isto conferendus est, utpote simillimus; & quæ illic, pro vtriusque loci intelligentia plenius annotauimus, huc reuocanda.

Dicit aliquis, Si tam rudes rerum diuinarum erant Hebræi, ut lacte nutriendi essent, non solido cibo: quid est, quod Apostolus eis solidum cibum præberet, in hac ipsa epistola multa subtiliter disputans de magnis mysterijs; ac nominatim de Christi sacerdotio in Melchisedech præfigurato, de quo dixerat sermonem explicatu difficilem esse propter ipsorum tarditatem? Respondet B. Thomas, non sic intelligendum esse, quod hic dicitur de differentia perfectorum & imperfectorum, quasi in doctrina fidei alia tradenda sint maioribus & perfectis, alia imperfectis. Eadem enim vtriusque tradenda: sed ea paruulis proponenda tantum, non etiam exponenda, nec pertractanda. Quam responsionem sumpsit ex Augustino tractatu 98. in Ioannem, ubi exponit illa supra citata Domini verba: *Ad*

huc multa habeo vobis dicere. Sed hæc illorum doctorum responsio non de quacunque fidei doctrina accipienda est, sed de articulis fidei illis quos ecclesia publicè proponere solet omnibus fidelibus. Alioqui, multa in sacris literis, & traditione continentur, multa etiam in Patrum concilijs sunt definita, quæ nec proponi necesse est omnibus, nec expedit. Nā sufficit rudi populo credere in genere, vera esse quæcunque ei credenda ab ecclesia Catholica proponuntur. Et tamen ea omnia pertinent etiam ad quandam explicationem articulorum, quorum expressa confessio communiter à Christianis exigitur. Verum potest & aliter ad id quod obijciebatur responderi; scilicet, Apostolum non de omnibus Hebræis hæc dicere, sed de magna eorum parte, quæ Mosaicis caeremonijs adhuc pueriliter inhaerebat. Vnde propter eos non debuit alijs perfectioribus atque capacioribus subtrahere sermonem altioris doctrinae. Sed & hoc dici potest, Apostolum ita perstringere ruditatem ac socordiam Hebræorum, ut tamen eos extimulet ad perfectionem, ipseque exhortatione præparet ad capienda facilius ea mysteria, de quibus acturus est. Id enim manifestè probat subiuncta sententia; qua sequens caput inchoatur.

SUMMARIUM.

Hortatur ad perfectam doctrinam, ommissis elementis: fieri enim non posse ut qui semel sunt illuminati renouentur ad penitentiam. Excitat ad patientiam spe præmij; & Deum docet indubiè præstiturum quod interposito iurando Abrahæ promissit.

CAPVT VI.

QUAPROPTER INTERMITTENTES INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, AD PERFECTIONEM FERAMVR. Græcè, *Quapropter omisso*, seu potius *dimisso* *initij Christi sermone* &c. *Sermonem initij* siue *inchoationis Christi* vocat doctrinam quæ tradi solet ijs qui Christo inchoantur; quæ superius appellauit *elementa exordij sermonum Dei*. Erasmus vertit, *sermones, qui in Christo rudes inchoat*. Exhortatio est, qua excitat Hebræos ad profectum in doctrina Christi; quod reddantur aptiores ad ea quæ dicitur est, intelligenda, quasi dicat; Non sic increpo ruditatem vestram, ut vos arcere velim à doctrina sublimiore; quin potius hortor, ut dimissis doctrinae Christianæ rudimentis, ad perfectionem tendatis, quæ vos idoneos reddat altioribus mysterijs percipientis. Quidam codices habent: *ad perfectiora feramur*; Quod etsi sensum penè eundem faciat, mendosam tamen esse lectionem, constat tam ex

Græco,

Græco Syroque textu, quàm ex antiquis & probatis exemplaribus Latinis. Iam quod in prima persona loquitur Apostolus; modestiæ est, qua benevolentiam captat; nisi quis cum Sasboldo, Gaignæo, & alijs nonnullis, ita malit sententiam exponere, ut propriè ad ipsius Apostoli personam pertineat, hoc videlicet modo: Quapropter, cum debeatis esse magistri secundum tempus, ideoque à lacte ad solidum cibum traducendi: nos quoque seposita doctrina, qua rudes instituere solemus, ad ea progrediamur, quæ conueniunt adultis atque perfectis. Quæ quidem expositio non parum habet probabilitatis. Sic enim promittit, quod proximo capite præstiturus est. Et huic intellectui sequentia probè respondent, ut modò videbimus. Cessat etiam difficultas, quomodo iubeat omitti rudimenta fidei; cum eorum fideles nunquam obliuisci debeant.

NON RVRSV M IACIENTES FVNDAMENTVM PENITENTIAE AB OPERIBVS MORTVIS. Si sequamur priorem expositionem sententiæ præcedentis; hæc pars ad Hebræos referetur, & sensus erit; Non rursus instituendi in fundamentis Christianæ religionis, quæ sunt penitentia &c. Vel, Non denudè ponentes hæc fundamenta; quia dudum ea posuistis, & non sunt iteranda. At secundum posteriorem expositionem, pertinet ad Apostolum, ut sensus sit; Non rursus vobis tradentes doctrinam religionis Christianæ fundamentalem, quæ est de penitentia, fide &c. quasi dicat; Hæc vobis ab initio tradita sunt, tanquam fundamenta spiritualis ædificij; nec iterum tradenda; sed ab his assurgere debetis ad altiora. Qui sensus magis placet. Nam fundamentum ponere doctore solet ascribi, non discipulo. 1. Cor. 3. *Vt sapiens architectus fundamentum posui*. Notandum primo loco nominari penitentiam; quemadmodum & Christus & præcurator eius à penitentia doctrina suam prædicationem apud vnus Dei cultores exorti sunt. Matth. 3 & 4. Idem fecit Apostolus Petrus Act. 2. Est autem sermo de initiali seu baptismali penitentia, id est, ea quam baptizandi profitebantur. De qua B. Augustinus homilia 30. *Omnis, inquit, qui iam arbiter voluntatis sua constitutus est; cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum peniteat vite veteris, nouam non potest inchoare*. De hac penitentia locum hunc exponit idem Augustinus lib. de fide & op. cap. 11 atque ex eo suum probat institutum, fidem scilicet absque operibus ad salutem non sufficere. Quod additur, *ab operibus mortuis*, explicatio est, *penitentia Christianæ* Per eam enim ab operibus mortuis, id est, à peccatis recedimus, ea detestando, & quantum in nobis est, destruendo. Vocantur autem *opera mortua*, vel quia vita gratiæ destituta sunt, ut proinde per ea moueri ac dirigi non possimus ad beatitu-

dinem; sicut B. Thomas intellexit in huius loci commentario: Vel potius, quia mortifera sunt, id est, morte digna: *Stipendium namque peccati mors*. Rom. 6. De solis enim peccatis hic agitur; quemadmodum & cap. 9. ubi dicit *sanguinem Christi emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis*. Prior autem ratio multis operibus quæ non sunt peccata, communis est. Vnde suam expositionem S. Thomas correxit, tum in commentario super verbis citatis cap. 9. ubi *opera mortua* interpretatur peccata; quæ tollunt Deum ab anima, cuius vita est, per vnionem charitatis: tum in Summa Theologica p. 3. q. 89. art. 6. ubi docet, utroque loco epistolæ ad Hebræos peccata dici *opera mortua*, effectiue, quia causa sunt mortis; & non tantum priuatiue, quod vita spirituali careant; quomodo *fides sine operibus mortua dicitur*, & quæcunque fiunt extra charitatem.

ET FIDEI AD DEVM. Græcè, *ἐμὴ θεῶν*, in Deum; quomodo citat Augustinus. Respicit ad professionem symboli quam faciebant baptizandi, sed ita ut prius in eo diligenter instituerentur; ut scirent quid crederent. Sicut factum videmus ab Augustino in varijs tractatibus ad catechumenos. Iudæi quidem priusquam venirent ad Christum, in vnum Deum credebant; sed fidem distinctam cum expressione trium personarum, ut in symbolo traditur, non tenebant. In his ergo catechizandi erant, si baptizari vellent; ut & in ijs quæ sunt de Christo homine. Porro quum *fides* nominatur, simul intelligi debet voluntas ea omnia faciendi quæ fides præscribit, hoc est, viuendi secundum legem Christianam. Non enim à baptizandis fiebat nuda fidei professio, sed etiam nouæ vitæ inchoandæ.

2 BAPTISMATVM DOCTRINÆ. Plerique hæc duo coniunctim legunt, ut ordo sit, *doctrina baptismatum*, id est, quæ de baptismis traditur. Quem ordinem videre est in textu Syriaco, ubi etiam *baptismatum* legitur numero singulari, non *baptismatum*. Sic etiam Augustinus loco citato, de fide & op. *lanæri doctrina*. Sed quia codices omnes tam Latini quàm Græci pluralem habent numerum; quem & commentatores omnes exponunt; omnino retinenda est ea lectio. Verum in reddenda numeri ratione, mira varietas. Multi Latinorum significari putant tria baptismata; fluminis, fluminis & sanguinis. Sed non est verisimile. Chrysostomus putat Apostolum sic locutum, non quod verè plura sint baptismata; sed quia hæc absurditas sequeretur, si rursus ab initio catechizandi essent Hebræi. Sic enim iterum eos baptizari oporteret, quia catechismus est institutio ad baptismum. Theophylactus & Oecumenius adferunt & aliam rationem, quæ etiam apud Ambrosium inuenitur lib. 2. de penitentia. cap. 2. Quoniam enim

multa erant in lege baptismata, & frequens eorum iteratio: suspicantur Hebræos existimasse, quod similiter nouæ legis baptismate sæpius essent abluendi; quoties scilicet in peccata relapsi essent. Hæc ratio probabilitatem accipit ex eo quod paulò post sequitur, *Impossibile est enim eos* &c. vbi de baptismo non repetendo agitur secundum multos. Sed tamen refelluntur huiusmodi commentarij; quia Paulus hoc loco fundamenta recenset doctrinæ Christianæ; inter quæ plura baptismata, de quibus hi loquuntur, poni non possunt. Theodoretus respondet Apostolum dixisse baptismata numero multitudinis, quia multi, inquit, baptismi gratiam consequuntur. Nonnulli recentiores numerum referunt ad ceremonias, vel ad statos baptizandi dies. Alijs placet enallage numeri, *Baptismatum*, id est, *baptismatis*. Alijs denique, baptismata dici propter trinam missionem; quæ erat Apostolicæ institutionis. Ex his eligat quisque quod placuerit. *Doctrina baptismatum*, seu baptismatis, secundum quosdam periphrasis est catechismi: secundum alios, doctrina quæ de baptismo, eiusque virtute, necessitate, significatione traditur. Quod est verisimilius. Nam catechismus in genere significatus est parte præcedenti. Porro sunt alij quibus placet has dictiones, *baptismatum doctrinæ*, separatim legi, velut duo membra; quorum vtrumque regatur à vocabulo *fundamentum*, sicut ceteri genitui præcedentes & sequentes. Cui quidem distinctioni Græca minimè repugnant. Ita diuidit Oecumenius, Caietanus & Gaignæus: nec improbat Erasmus. Sed quia præcessit doctrina quædam sub nomine *fidei in Deum*; idcirco doctrinam in hac parte interpretatur euangelicam, quæ scilicet imbuti credant euangelium esse à Deo. Mihi videtur intelligi posse plenior explicatio Christianæ legis, ac-mysteriorum eius; quæ catechumenis non committebatur, sed iam baptizatis. Vnde est illud apud Augustinum frequens: *Nouunt fideles*. Atque hunc ordinem istorum trium; fidei in Deum, baptismatis & doctrinæ, nobis insinuat Hieronymus, exponens illud Matth. vlt. *Docentes eos seruare omnia quaecunque mandauimus vobis. Iussit apostolis*, inquit, *ut primum docerent vniuersas gentes, deinde fidei intingerent sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda præciperent*. Hæc ille.

IMPOSITIONIS QUOQUE MANVVM. Eam sine dubio *manuum impositionem* intelligit, quæ fidelibus statim à baptismo per episcopos solet adhiberi. De qua S. Lucas Act. 8. & 19. id est, sacramentum consignationis seu confirmationis, per quod datur baptizatis Spiritus sanctus, quo roborati intrepidè Christi nomen apud hostes fidei confiteantur. Caluinus quidem huc locum detorquet ad fidei professionem, exigi solitam, vt ait, ab adolescentibus pueritiam egressis, qui fuerant in-

fantas baptizati. Quam eorum professionem dicit apostolos approbare voluisse huiusmodi symbolo manuum impositionis. Sed hoc merum cõmentum est; antiquitati incognitum, & ad offundendū veritati tenebras excogitatum. Nam baptizatis solere manus imponi ab episcopis, ex eplō apostolorum; vniuersa docet antiquitas. Atqui scriptura tantum refert apostolos ijs imposuisse manus qui baptismū adulti receperant; idq; non ad approbandam eorū fidei professionē, sed vt acciperent Spiritum sanctum; sicuti manifestum est ex locis iam allegatis. Ac de eo sacramento præsentem locum magno consensu exponunt interpretes tam Græci quàm Latini: Nec aliud quid conuenientius potest intelligi.

AC RESURRECTIONIS MORTUORVM. Quamuis resurrectionis mortuorum expressa mentio fiat in symbolo fidei, quod à baptizandis recitabatur; tamen hinc eam specialiter repetit Apostolus propter hæresim Sadducæorum apud Iudæos grassantem, quæ resurrectionem corporum, imò & vitā animarū post mortem corporum, omninò negabant. Quamquam nec alij Iudæorum satis sanam de resurrectione carnis sententiam tenebant, vt qui, sensu carnali, resurrectionem imaginarentur ad vitam animalem; quemadmodum ex euangelio patet, vbi Sadducæorū obiectioni de muliere heptagama, non potuerunt Pharisei respondere. Quare aduersus istos errores peculiariter instruendi erant Hebræi, qui ad Christi fidem accedebant. Eòdem spectat quod sequitur,

ET IUDICII ÆTERNI. Hoc ferè interpretantur de extremo generali iudicio; quod dicunt *æternum* vocari, quia decernat præmia, pœnasque æternas. Ijdem *mortuorum resurrectionem* intelligunt eam, quæ bonis malisq; communis est. At sciendum resurrectionem mortuorum in sacris literis sæpenuero tantum in bonam partem accipi; sicut est diuerso iudicium in malam: vt *resurrectio* quidem intelligatur quæ est ad vitam beatam; *iudicium* verò pro damnatione sumatur. Quæ vtriusque vocis acceptio benè quadrat huic loco; vt sensus sit: Hebræos non iterum ac de nouo docendos esse, quod bonos beata resurrectio consequatur; malos autè æternū maneat iudiciū, id est, æterna dånatio seu pœna. Planè cõfirmat hanc interpretationem locus euangelicus Marci 3. vbi, pro eo quod nos legimus, *Sed reus erit æterni delicti*, in Græco habetur, *æterni iudicij*, id est, æternæ damnationis ac supplicij. De resurrectione autem simul & de iudicio locus huic similis est Ioan. 5. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, scilicet æternæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*, id est, damnationis. Huc vsque enumeratio præcipuorum aliquot doctrinæ Christianæ capitum; quæ fidelibus initio tradebantur. Atque ea omnia diligenter ab Apostolis, in iaciendis fidei fundamentis, inculcari solere, restantur eorum

conciones

conciones à B. Luca descriptæ in Actis apostolicis. Nominauit autem Paulus *iudicium æternum* extremo loco; propter ea quæ statim dicturus est de prolapsis, quorum finis in combustionem.

3 ET HOC FACIEMVS. Refertur hæc pars ex omnium penè interpretum sententia, non ad proximè dicta, (nam de his iam negauit se acturum, dicens: *Non rursus iaciens fundamentū* &c.) sed ad illud præcedēs, *ad perfectionem feramur*. Hoc enim facturū se iam dicit, idemq; facit c. 7. & seqq. Dissentit quidè Ribera; sed, vt nobis videtur, haud solida nixus ratione. Quod patebit ex sequentibus.

SI QUIDEM PERMISERIT DEVS. Dubitari potest, quomodo dicat apostolus; *Si Deus permiserit*: quū permissio, malorum sit; bonorū autè operū, quale est de quo hinc agitur, ipse Deus author sit, & effector. Respondet Aquinas apostolum vti figura, qua minus dicitur & plus intelligitur. Nam, inquit, non est tantum necessarium quod Dominus permittat, sed oportet quod omnia faciat. Eadem est responsio Caietani. Similis est locus apostoli 1 Cor. 16. versu 7. Quo loco respondimus huiusmodi dubitationi: ac primò, diximus Apostolū propterea loqui ad hunc modum; quod actiones nostræ non ita Deum habeant authorem, vt non etiam à nostra procedant voluntate, tãtèsi Deo subordinata; ac proinde dum quis boni quippiam proponit ac statuit se facturū, incertus an Deus obiecturus sit impedimentum, quò minus illud exsequatur, rectè eum dicere, se id facturum, *si Deus permiserit*. Nam sanè quod huiusmodi sermo nō excludat Dei voluntatem, ideoque nec efficientiam ab eo quod permittere dicitur; ostendant eiusdem Apostoli sententiæ similes, quibus voluntarè nominat, vt 1. Cor. 4. *Veni ad vos cuius, si Dominus voluerit*. Et Act. 18. *Reuertar ad vos, Deo volente*. Vnde & generaliter admonet apostolus Iacobus epistolæ suæ cap. 4. vt in talibus dicamus, *Si Dominus voluerit*. Verū in super respondebamus, Græco verbo *ἤνθεμι* non nudā significari permissionem, sed amplius aliquid, hoc est, concessionē, qua nimirū cuiuspiam fiat vel autoritas vel potestas aliquid agendi: quemadmodū & Latine quis dici solet aut rex aut episcopus permissione diuina; vt proinde quod apostolus ait; *Si quidem permiserit Deus*, tale sit ac si dixisset, *Si Deus cõcesserit*: vt exponit idem Caietanus.

4 IMPOSSIBILE EST ENIM EOS, QUI SEMEL SVNT ILLUMINATI. Laborant interpretes in cõnectenda hac parte cum superioribus. Neque enim cum eo quod proximè præcedit, coherere videtur; nisi illud exponamus de rudimentis fidei iterum tradendis, inter quæ est doctrina baptismi nō repetèdi Sed hic sensus iā improbat. Pleriq; referunt ad illud remoriū, vbi dixit se nolle rursus iacere fundamentū pœnitentiæ ab operibus mortuis &c. Secundum quos illa pericope media: *Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus*, interclu-

denda esset parenthesi. Sed non est necesse eò confugere. Potest enim hæc pars cum proxima commodè ordinari: si tamen sensus supplemento adiungetur, hoc aut simili modo: *Et hoc faciemus*, id est, ad perfectionem feremur, non autem rursus iacimus fundamentum pœnitentiæ, fidei, baptismatis, ac ceterorum; ne videamur velle vos iterum catechizare, & ad baptismum instituire. Nam impossibile est semel baptizatos iterum renouari ad pœnitentiā. Locum hunc olim Nouatianus trahent ad patrociniū sui dogmatis, quo lapsus à baptismi lauacro, pœnitentiæ remediū negabāt: quemadmodū & alterum locū huic similem, qui est infra cap. 10. vbi dicitur: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam noticiā veritatis, iam non relinquatur pro peccatis hostia, terribilis autem quedam expectatio iudicij* &c. Quo de utroque loco videri possunt quæ diximus in 4. d. 14. in solut. arg. Et quoniam hæresis illa Romæ exorta, potissimum peruagata est occidentalem ecclesiam; inde factum putant vt hæc epistola apud Latinos serius in autoritatē recepta fuerit, velut quæ Nouatianis in specie suffragaretur. Qua de re non nihil diximus in prolegomenis huius epistolæ. Nūc ostendendū, frustra Nouatianos ex hoc loco præsidium quærere sui erroris. Quod vt perspicuū fiat, verū ac germanum eius sensum inuestigemus. Ac primū sūt inter orthodoxos, qui de pœnitentiā, quæ post baptismū agitur, apostolū hinc loqui fateantur, sed hi *impossibile*, per difficile interpretantur; vt sensus apostoli sit, valde difficile esse vt qui post baptismum prolapsi sunt in scelera, per pœnitentiam restituantur: tum quia difficile est, vt veram ac sinceram agant pœnitentiā, qui gratiam semel acceptam repudiarunt; tum quia durā ac difficilem pœnitentiæ actionem à talibus exigit seueritas disciplinæ Christianæ. Sed huic intellectui primū obstare videtur, quod res frequēs & quotidiana, qualis est eorū qui grauius post baptismū deliquerunt, respiciētia, atq; eorundè pœnitentium reconciliatio, quāuis difficultatē & laborē habeat, nō tamē soleat impossibilis vocari; sed hoc de raris & difficillimis tantū dicitur. Obstare etiam locus similis c. 10. qui, secundū veram intelligentiā, quā illic trademus, simpliciter negat voluntariè peccatis post acceptā noticiā veritatis, hostiā pro peccatis relinquī. Certè huius epistolæ scriptor, *impossibile*, non aliter accipit, quā pro eo quod absolutè tale est; vt infra hoc eodem capite, *impossibile est mentiri Deū*. Et c. 10. *impossibile est sanguine taurorum & hircorū auferri peccata*. & 11. *Sine fide impossibile placere Deo*. His adde quod si *impossibile* per difficile exponatur; valde difficile erit horum verborum adferre probabilem connexionem cum ijs quæ antecedunt. Aliorum quorundā opinio est, propriè quidem accipi *impossibile*; sed aiunt negari pœnitentiā post mortem ijs qui vitam hanc in magnis peccatis finierint. Ita Petrus Lombardus, & Hugo

Victorinus. Ac B. Thomas etiam meminit. Sed in hoc sensu refellendo non est quod immoremur, cum in textu nihil sit quod eum commendat. Est igitur alius sensus, idemque maximè receptus, ut intelligatur apostolus non penitentiam negare possibilem post baptismum, sed ipsius baptismi repetitionem, quasi breuiter dicat: Impossibile est semel baptizatos iterum baptizari. Sic exponunt Græci commentatores omnes, & Latinorum maxima pars. Eadem est sententia Ambrosij lib. 2. de penitentia cap. 2. Augustini in inchoata expositione epistolæ ad Rom. Damasceni lib. 4. de fide, cap. 10. atque aliorum, quos recensere longum est. Et quidem pro hoc commentario graues sunt rationes ex ipso contextu, & proprietate verborum Apostoli. Quod enim ad contextum attinet; ideo negat se rursus iacturum fundamentum penitentiae ab operibus mortuis, quia fieri non potest ut semel baptizati, iterum per penitentiam renouentur: Atqui penitentiam priori loco baptismalè intellexit; igitur & posteriori. Suadet hoc ipsum verborum proprietates, quibus utitur, ut quod dicit semel illuminatos non posse rursus ad penitentiam renouari. Nā addendo *semel & rursus*, utique declarat se alteram illuminationem & alteram renouationem excludere velle. Est autem baptismus sacramentum illuminationis & renouationis; uti statim docebimus: Penitentia verò quæ post baptismum agitur, ad sacramentum pertinet reconciliationis. Huc etiam facit illa pars: *Rursus crucifigentes sibi metipsos filium Dei.* Nam in baptismo configuramur Christo crucifixo, sicut in infra declarabitur. Satis igitur ex his apparet, de non repetendo baptismi locum hunc accipiendum esse. Veruntamen & hic sensus ut absque scrupulo recipiatur, interpretatione indiget. Nam quorum Apostolus tam sollicitè doceret Hebræos, non posse semel baptizatos iterum baptizari, cum nulla historia testetur aliquos fuisse tempore Apostolorum, qui baptismi sacramentum semel acceptum, repeterent, aut repetendum esse docerent? Deinde, nec facile cuiquam erat hoc sacramentum, sicut ab ecclesia administrabatur; iterum suscipere. Non enim sic in proprio erat Christianum baptismum, sicut Iudæis sua baptismata, quæ sibi ipsis adhibebant, quoties immundiciam contraxissent; sed cum solènis ceremonijs, & statutis temporibus; nec nisi per ecclesiæ ministros ea res agebatur. Quod ergo dicunt Patres, Apostolum hinc loqui de non repetendo baptismum; id non tam de baptismi ceremonia, quam de eius effectu, conuenit intelligere. Effectum dico, non characterem; sed eum, qui peccando amittitur, id est, gratiam regenerationis ac renouationis: non quod amissa semel gratia recuperari non possit, sed quia Deus nullum instituit remedium, quo tam facile gratia recuperetur amissa, videlicet per modum regenerationis ac renouationis, quam fuerat per baptismum acquisita. Hoc enim est quod docet Apostolus,

non ita deponi posse sarcinam peccatorum, si quis relapsus fuerit, sicut in baptismo deponitur ab eo qui gratiam nunquam habuit; quia penitens multum adhuc ea sarcina grauat. duram subeundo satisfactionem, piusquam ad plenam & perfectam reconciliationem perueniat. Confirmatur hæc interpretatio ex ipso Apostolo. Non enim dicit: *Impossibile est eos rursus baptizari; sed rursus renouari.* Quo verbo non ipse baptismus, sed effectus eius significatur. Idem doceri potest ex c. 10. quem locum huic similem diximus; quia nec ibi baptismus nominatur; sed hostia pro peccatis, simul scilicet ac semel auferendis quocumque; remedio applicanda, negatur. Remittitur autem ibi peccator ad *terribilem animi iudicij expectationem*, id est, horredas ignis purgatorij penas; nisi voluntaria plenaque satisfactio iudicium illud in hac vita preueniat; iuxta quod ait idem Apostolus 1 Cor. 11. *si nos ipsos iudicauerimus, non utique iudicauerimus.* Sed ad expositionem textus redeamus. Vbi *illuminatos* sine dubio vocat baptizatos; sicut & cap. 10. *Rememoramini*, inquit, *pristinos dies, in quibus illuminati*, id est, baptismi sacramento facti Christiani, *magnum certamen sustinistis passionum.* Vnde & Syriacus interpres vtroque loco baptismum expressit. Vocabatur baptismus antiquis ecclesiæ temporibus, sacramentum illuminationis, siue ut Græci loquuntur, illuminationum, *φωτισμῶν*, quia per illud transfudit nos Deus de tenebris in admirabile lumen suum, quod est lumen gratiæ. Sic enim Petrus Apostolus loquitur baptizatos cōpellas, & ad baptismum ludens 1 ep. 2. Ex quo loco cum duobus huius epistolæ collato, discimus eam baptismi nuncupationem ab ipsi apostolis esse deriuatam; qua postea, præter alios, vsi sunt Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. hist. c. 17. & Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina; qui alludens ad hanc appellationem baptismi, etiam de Christo à Ioanne baptizato sic dicit: *Christus ergo illuminatur, imò potius fulgore suo nos illuminat.* Rationem verò nominis cum ea quæ dedimus cōsentaneam, reddunt Dionysius eccl. hier. c. 3. parte prima, & Nicetas in scholijs ad dictam orationem Nazianzeni. Porro ad huius mysterij significationem Christus illi à natiuitate cecum, ad aquas Siloë misit illuminandum, Ioan. 9. quæ admodum docet Augustinus ad eum locum tract. 44.

GVSTAVERVNT ETIAM DONVM CALESTE. Varia est huius doni celestis interpretatio. Græci remissionem peccatorum intelligunt; qualis nimirum accipitur in baptismo, nullum post se relinquens penæ reatum. His ferè consentiunt, qui de pace conscientie exponunt. Percipitur enim occulto quodam gustu suauitas illius doni, remissionis, in qua peccatorum, quoties eam conscientie pax & serenitas cum interna spiritus consolatione consequitur. Alij idem esse volunt cum impositione manuum superius nominata; quam & Petrus Act. 2. baptismati subiunxit

dicens:

dicens: *Baptizatur unusquisque vestrum; & accipietis donum Spiritus sancti.* Nonnulli panem caelestem intelligunt, id est, sacramentum corporis & sanguinis Domini: quod est verè donum caeleste, datum nobis ad gustandum ab eo qui dicit, *Ego sum panis qui de celo descendi.* Io. 6. Sic Haymo, & commentarius Primasio ascriptus; sensu nequaquam improbabili. Solent enim apostoli, propter aures infidelium, de tantis mysterijs non aperte loqui, sed ea tegere verbis quibusdam generalibus. Quo modo apud Græcos scriptores generali nomine *doni*, solet Eucharistia significari. Theodoretus in 1 Cor. 11. exponens illud, *Et sic de pane illo edat*; ait, & sic donum accipiat. Ac fortè significatus est idem panis caelestis à B. Petro 1. ep. 2. quādo scribens ad eos, quos cōparat infantibus modò genitis, & ad lac rationale concupiscendum exhortans; sic deinde ait, *Si tamen gustastis quoniam suavis est Dominus.* Neophytis enim statim à baptismo porrigebatur eucharistia, teste Ambrosio in libris de sacramentis. Dabatur etiam degustandum lac & mel in ceremonijs baptismi, ut auctor est Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. Sed non est verisimile de eo Paulū hinc loqui, de melle, dico, & lacte. Nā quod per *donum caeleste* intelligat sacramentum Eucharistiæ, probabilitatem habere supra diximus. Merito enim *donum caeleste* appellatur, quoniam corpus Domini est caeleste; & ipse Christus caelestis 1 Cor. 15.

ET PARTICIPES FACTI SVNT SPIRITVS SANCTI Quidam intelligunt eam Spiritus sancti participationem, quæ datur in baptismo, de qua Tit. 3. *Per lauacrum, inquit, regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Græcorum scholia referunt ad impositionem manuum, per quæ dabatur Spiritus sanctus. Nam & hoc sacramentum recenter baptizatis conferebatur, vbi præsens erat episcopus, ut scribit Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Nobis probabile est intelligi charismata Spiritus sancti, quorum supra meminit cap. 2. sub nomine *distributionum Spiritus sancti*; de quibus & plenius differit 1 Cor. 12. Nam huiusmodi charismatum in ecclesia primitiua multi fiebant participes, ut vel linguis loquerentur, vel interpretarentur, vel prophetarent, vel simili quopiam dono decus & vtilitatem ecclesiæ adferrent.

GVSTAVERVNT NIHILOMINVS BONVM DEI VERBUM. Græcè, *Et bonum*, seu *pulchrum gustauerunt Dei verbum*. Vbi pro verbo, non est λόγος, ne quis interpretetur de Filio Dei, sed ῥῆμα, id est, verbum quod eloquimur, non quod mente concipimus. *Verbum Dei bonum* plerique doctrinam Christianam accipiunt. Sed quoniam addidit *bonum*; videtur eam doctrinæ partem proprie significasse, quæ continet bonarum rerum promissiones. Id quod Theodoretus & B. Thomas obseruauerunt. Etenim more scripturæ *verba bona* dicuntur verba lata, &

fausta; præsertim de rebus futuris. Vnde Zacharias ait cap. 1. *Respondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.* Ita verbum bonum accipitur, 3. Reg. 14. *Inuentus est super eo sermo bonus à Domino.* Ierem. 29. & 33. *Suscitabo verbum bonum.* Et psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Tale est & illud poëæ: Nunc dicenda bona sunt bona verba die. *Gustauerunt ergo bonum Dei verbum*, qui doctrinam caelestia bona promittentem cum suauitate & gaudio perceperunt. Dicitur enim *gustari verbum Dei*, inquit S. Thomas, quando non solum illuminat intellectum, verum etiam reficit affectum. Quod quidam *gustare* exponunt, tenuiter percipere, quasi summis labris attingere & delibare; præter vsum est scripturæ sacræ, in qua, seu proprie seu metaphoricè, gustus est earum etiā rerum, quæ plenis, ut ita dicam, faucibus hauriuntur, sicut annotauimus ad illud cap. 2. *Et pro omnibus gustaret mortem.*

VIRTUTES QVÆ SÆCVLI VENTVRI. *Virtutes*, id est, potètiæ. Græcè *δυνάμεις*. Significare videtur immortalitatē, & gloriā celestis promissam in regno Christi, cum perfecta subiectione aduersariorum. Quæ vocatur *virtutes*, quia Dei virtus, & potètia per ea miraculè declaratur. Nā præsens sæculum, infirmitatis est. Vnde ait apostolus 1 Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Gustasse dicuntur *has virtutes*; qui eas fide, amore, & magno desiderio perceperunt.

ET PROLAPSI SVNT. scilicet, post hæc omnia. Pertinebat enim illorum enumeratio ad exaggerationem peccati eorum qui relabuntur; utpote collatori tantorum beneficiorum ingrati, atque insuper ea peccando abiicientes. Queritur quis lapsus intelligatur. Quidam exponunt de peccato apostasiæ, id est, defectionis à fide Christi; quod per huiusmodi peccatum non simpliciter quis labatur, sed *prolabitur*; videlicet, vniuersali quadam ruina, qua nec fundamentum retineat integrum. Cui sensui non nihil fauere videtur locus c. 10. vbi propter *quosdam deserentes collectionem*, id est, ecclesiā; dicitur, voluntarie peccantibus post acceptam noticiam veritatis, non relinqui pro peccatis hostiam. Sciendum tamē ad huiusmodi sensum non vgeri nos vocabulo *prolabendi*. Nā Græcum *προλαβέν*, significat quocumque modo grauer impingere ac labi. Vnde est verbale *προλαβέν*, quod in genere significat lapsū, delictū, seu peccatū, ut Ro. 4. *Traditus est propter delicta nostra.* Gal. 6. *Si preoccupatus fueris homo in aliquo delicto.* Et passim alibi. Sicut alij, qui interpretentur de peccato in Spiritu S. siue, quod idē arbitratur, de peccato ad mortē, de quo Ioānes 1 ep. 5. Quæ cōmentariū colligunt ex huius loci circūstantijs, quibus hic lapsus multū pōderari videtur. Verū cōmunis est Patrū sententia, quilocū hunc vindicauerunt à peruerso Nouatianorum intellectu, ut accipiatur de quocumque peccato quo gratia baptismi deperditur; & propter quod actio penitentiæ iudicio sacerdotis subeunda est; id est,

in vniuersum de peccato mortali, sicut superior indicauimus. Nam in eum qui post baptismum quomodocumque cadit à gratia, cōpetere subiunctam exaggerationem apostolicam patebit ex eius explicatione. Porro notandum est, ex hoc loco apertissime constare, quod Caluinus, & alij sectarij negant, hominem semel gratia Dei iustificatum posse ab ea gratia excidere & iusticiam amittere. Quod argumentum Caluinus dum versat, & soluere conatur, magis sese implicat suis, vt solet, antilegomenis, modò fidem & gratiam reprobis asseribens, modò detrahens.

RVRVS RENOVARI AD PENITENTIAM. IN GRÆCO non est, *renouari*, sed *renouare*, ἀνακαινίζειν. Quæ res nonnullos torquet, adeoque cogit vt suspicentur Græcam lectionem corruptam esse, atque ex Latina corrigendam. Sed inanis hæc suspicio est; non solum quia nulla prorsus ei suffragantur exemplaria, verum eo maximè quod nec procliuus sit in Græco, verbi passivi ἀνακαινισθησιν in actiuum ἀνακαινίζειν mutatio; sicut è contrario esset in Latino, *renouare* in *renouari*: nec verò causa subit, quæ scribam imperitum moueret ad huiusmodi scripturæ mutationem. Erasmus subintelligi vult pronomen reciproci; *Rursus renouare se ad penitentiam*. Mihi magis probatur, vt verbum *renouare*, ad doctores, seu ministros ecclesiæ referatur; hoc modo: *Impossibile est nobis, quibus docendi, catechizandi, & sacramenta ministrandi negociū incumbit, eos qui post baptismum lapsi sunt, iterum ad penitentiam renouare*. Sicut enim ecclesiæ ministris, secundum veteres Theologos, competit officium purgandi, illuminandi, perficiendi; ita & renouandi; præsertim cum & hoc loco Apostolus sibi, vt doctorem, tribuat iacere fundamentum penitentia &c. Simile quid accidit in cap. 10. Vbi pro eo quod nos habemus: *Impossibile est sanguine iutorum & hircorum auferri peccata*, Græcè est, *sanguinem, & auferre*. Ita hîc: *Impossibile est nos renouare*. Sed hæc varietates non magni sunt momenti; neque enim sensum mutant. Plus est difficultatis in eo quod dicit, *ad penitentiam*; Græcè, εἰς μετάνοιαν. Non enim renouatio via est ad penitentiam; sed penitentia ad renouationem. Vnde supra, primo loco penitentiam ab operibus mortuis nominauit. Hunc nodum Chrysoströmus (si non errant in citando, qui hoc ei tribuunt; nam ego non reperi) ita soluit, vt dicat *renouari ad penitentiam*, idem esse quod renouari per penitentiam. Et ita quidem Erasmus vertit, & alij nonnulli. Idem Erasmus, & post eum Ribera sic explicant, vt, quoniam in epistolis Paulinis, atque alibi, præpositio εἰς interdum vsurpatur vice *ex*; & *ex* loco *diu*, more Hebræorum, sæpe positum inuenitur; consequens videatur etiam *εἰς* per *diu* posse exponi. Sed bene consideranti facile patet id reuera non esse consequens. Neque verò exemplis comprobatur ab ijs, qui hæc dicunt. Aliter respondere potest

apostoli sermonem eclipticum esse, qui splendens sit hoc aut simili modo: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati; rursus renouari, scilicet accedentes iterum ad penitentiam*, qua renouatio inchoatur. Quem sensum Theodoretus innuit magis, quam expressit. Hoc si non placet, dici poterit hunc esse sensum, *Renouari ad penitentiam, siue in penitentiam* (vtroque enim modo verti potest) id est, renouari loco penitentia: sic nimirum, vt vitæ renouatio sufficiat, perinde vt in baptismo; nec opus sit penitentiam, id est, satisfactionem, seu punitionem illam grauem subire, quæ exigitur à relapsis. Ita scriptura loquitur: *Esto mihi in domum refugij*, id est, tanquam domus refugij. Porro locum hunc à plerisque patribus, tam Latinis, quam Græcis, exponi de baptismo non iterando, deque penitentia baptismali; iam ante diximus: Secundum quos sensus est, fieri non posse, vt qui semel baptizati sunt, rursus per eam penitentiam, à qua nouæ vitæ sumendum est initium, renouentur, id est, vt iterum baptizentur. Est enim baptismus *renouationis lauacrum* Tit. 3. Vt autem penitentiam intelligant baptismalem, facit illud præcedens; *Non rursus iacientes fundamentum penitentia &c.* quod vtique de penitentia baptismi præuia non dubitatur intelligendum. Quamuis autem baptismum nominent Patres: videntur tamen (vt & antea monuimus) potissimum ac propriè respicere ad effectum baptismi, id est, ad ipsam renouationem, eo modo eaque facilitate, qua per baptismum fuerat acquisita, recipiendam; vt sensus sit; hominem semel baptismi sacramento renouatum, si relapsus fuerit in vetustatem peccati, non posse iterum acta penitentia, qualem ante baptismum egerat, eam consequi nouitatem, quam in baptismo acceperat. Nam baptismus ita renouatur homo, totusque peccatis exiit; vt nihil ipsi restet pœnæ pro ijs soluendum: Torum enim debitum solus ibi luit Christus; vbi præter gratiam nihil est; vt ait Theophylactus. Post baptismum verò relapsus in grande aliquod peccatum; etiam si respiscat, expectare debet terribile iudicium Dei, nisi ipsemer in se longa castigatione vindicet, quod peccauit. Non enim tam facilis datur ad gratiam reditus ei qui gratiam semel acceptam repudiavit; quam facilis fuerat aditus ei, qui gratiam nunquam acceperat. Huc spectant quæ tradit Synodus Tridentina sess. 14. cap. 2. doctrinæ, de differentia sacramentorum baptismi, & penitentia. Qui locum præsentem restringunt ad apostatas, aut ad eos qui peccauerunt in Spiritum sanctum; generaliter accipiunt *penitentiam*, & hanc volunt esse Apostoli mentem: *Impossibile est, vt tales ad veram adducantur penitentiam; Deo videlicet, aut nunquam, aut quàm rarissimè ijs, qui in talia peccata lapsi fuerint, salutarem penitentiam inspirante.*

RVRVS CRUCIFIGENTES SIBI MET-
IPSIS FILIUM DEI. Secundum eos qui de
baptismo

expositione capituli decimi.

ADDITIO EX SCHEDIS AVTHORIS.

Videndum est an hic locus, *Impossibile est enim &c.* & alter qui est cap. 10. ex inente Apostoli pertineat ad eos propriè qui deserunt ecclesiam & fidem Christi. Hoc enim præcedit cap. illo 10. *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Et videri potest hic sensus esse ad propositum, quia dicit hoc loco, *Non rursus iacientes fundamentum &c.* q. d. Si quis per apostasiam fundamentum amiserit fidem Christianam in vniuersum abijciens; ille iam desperatus est; non debet de nouo catechizari & renouari. Videantur quæ dicimus c. 10. Quamuis autem vocabulum ἀνακαινίζειν non significet totaliter prolapsos: potest tamen de ijs hoc loco verificari, propter circumstantias appositæ; ex quibus omnino videtur non intelligi lapsus aliquis vulgaris in mortale peccatum: velut in ebrietatem fornicationem, detractionem: Et idem est iudicium de loco cap. 10. vbi similiter sunt circumstantiæ multum exaggerantes. Probatio etiam illa quæ hoc loco sequitur, *Terra enim &c.* hunc sensum flagitare videtur. Certe tam hîc quàm cap. 10. Apostolus peccatum apostasie valde aggrauat, ne quis facile recedat à fraternitate. Et locus ille cap. 3. *Ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo:* facit ad intelligenda hæc loca; scripturam scilicet hanc, & illam cap. 10. Ac pro horum locorum illustratione considerandum est, non solum quod Apostolus alijs in epistolis hortetur peccatores ad penitentiam, aut penitentia seueritati subiecerit; peccatores dico lapsos in mortale peccatum post baptismum: sed etiam quod in hac ipsa epistola ad penitentiam hortetur. Nam post illa verba c. 3. proximè recitata; continuò subijcit; *vt non obduvetur quis ex vobis fallacia peccati.* Vult ergo reuocandos esse eos qui peccauerunt; vt non obdurentur remanentes in peccato. Et cap. 5. ostendit Christum tanquam pōtificem offerre pro peccatis suorū. Item hoc cap. *Confidimus de vobis meliora &c.* q. d. Etsi quidam fortasse vestrum lapsi sint: non debent diffidere. Et cap. 9. Quanto magis sanguis Christi emundabit cōscientiam nostram &c. Emundabit, inquam, nam ea est vera lectio. Significat ergo his qui baptizati fuerant, adhuc restare emundationem ab operibus mortuis. Cap. autè 12 latè docet Hebræos à Deo castigari: censet igitur peccasse. nec tamen habet insanabiles; quum dicat, *Deponentes omnem pondus, & circumstantans nos peccatum.* Et postea, *Magis autem sanetur.* Et quid agit tota epistola maiore studio quàm vt Hebræos qui per impatientiam propter persecutiones incipiebant cadere à fide, reuocet ad fidei firmitatem?

TERRA ENIM SÆPE VENIENTEM SUPER
SE BIBENS IMBRÆM. Similitudine terræ, quæ

baptismo non repetendo superiora exponit, continet pars ista probationem seu declarationem eius, quod proximè præcessit. Nam qui baptizatur, ipsa baptismi cæremonia configuratur Christo crucifixo; sicut docet Apostolus Rom. 6. *An ignoratis inquit, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Et infra: *Hec scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruaetur corpus peccati &c.* Quare sicut Christus non potest iterum mori, nec iterum crucifigi; quemadmodum eodem loco subiungit apostolus dicens, *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur:* ita baptismus non potest repeti. Quod si quis tentauerit: is filium Dei rursus crucifigi sibi metipsum, id est, ad suam ipsius renouationem, quam iterum ex baptismo sperat. Alij, partem hanc referunt ad illud, *prolapsi sunt;* & additam putant ad insignem exaggerationem peccati eorum, quos prolapsos dicit. Rursus enim filium Dei crucifigunt sibi metipsum, id est, quantum in ipsis est: vel quia relabuntur in peccata, propter quæ filius Dei affixus est cruci, ita vt si prior redemptio non satis esset, cogent eum rursus pati crucis supplicium; vel, vt nonnulli volūt, quia dum redeunt ad priorem vitæ turpitudinem, faciunt vt Christi nomen apud infideles blasphemetur; quod est Christum ignominia afficere, & iterum quodammodo crucifigere. Quamquam hæc interpretatio non quadrat, nisi in eos quorum valde magna sunt peccata, eademque publicè nota; qualis est apostasia à fide, & abiectio disciplina Christianæ. Fauet huic intellectui locus cap. 10. vbi dicitur huiusmodi peccator *filium Dei conculcare, & sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum ducere, & spiritui gratia conumeliā facere.* Illud quoque eiusdem cap. *Iam non relinquatur pro peccatis hostia.* Conuenit etiam quod hîc additur,

ET OSTENTVI HABENTES. Græcè ἀποδεικνύμενοι, id est, *infamantes*, aut, sicut Erasmus vertit, *ludibrio exponentes*. Pro quo legit Ambrosius lib. 2. de penitentia cap. 2. *Ostentatione triumphantes*. Habetur idem in Græco vocabulum. Matth. 1. *Cum nollet eam traducere*, id est, infamare. Ostentui habent Dei filium, & ludibrio exponunt, qui sic viuunt vt propter eos irrideatur & blasphemetur Christus; velut si adhuc in cruce penderet ludibrijs & maledictis Iudæorum expositus. Item, qui relapsi in peccata, quantum in se est, id agunt, vt pro eorum redemptione Christus iterum crucifigatur, & ludibrio habeatur. Potest & ad eos accommodari, qui volunt iterum baptizari. Nam hi, sicut rursus crucifigunt filium Dei; ita *ostentui habent;* quia baptismus est representatio crucis, in qua filius Dei fuit ostentui habitus. Porro quis sensus ex superioribus sit huic loco germanus, non est facile pronunciare: conferenda tamen hæc sunt cum ijs quæ dicuntur in

subinde pluuia caelesti perfunditur, atque rigatur, declarat ea quae dixit. *bibens* in Graeco est aoristus *πιβων cum biberit*; & illud saepe non cum verbo *bibens*, sed cum *uenientem* constituentum est, ut patet ex Graeco: Vnde Erasmus vertit; *Siquidem terra, quae imbrem saepius in se uenientem combiberit.*

ET GENERANS HERBAM OPPORTVNAM ILLIS A QUIBUS COLITVR. Graecè: *Et paries herbam accommodans illis per quos & colitur.* Quamquam Graecum magis sonat: *Propter quos*; quoadmodum & Syrus interpres & Faber verterunt: tamen Graecorum scholia de agricolis exponunt. Porro coniunctionem &, in sacris literis interdum redundare iam aliis admonuimus. Obiter obserua metaphorarum elegantiam in verbis, *bibere, & parere.*

ACCIPIT BENEDICTIONEM A DEO. Scilicet, ampliolem, dum praestatur ei a Deo ut herba quam produxit, ad segetis maturitatem perueniat. Nam, ut ait Dominus Mar. 4. *Terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.*

PROFERENS AVTEM SPINAS, AC TRIBULOS; REPROBA EST, ET MALEDICTO PROXIMA. Graecè, *Maledictioni, siue execrationi propinqua.* Si verò, inquit, postquam saepe uenientem super se biberit imbrē, pro herba bona & utili, spinas ac tribulos cultoribus suis adferat: tanquam ingrata reprobatur, ac deseritur, atque incendio destinatur. Hanc enim videtur intelligere maledictionem. Vnde sequitur,

CVIVS CONSUMMATIO IN COMBUSTIONEM. *Cōsummatio*, Graecè *τελευτησις*, id est *finis*. Hoc solū, inquit, ei restat, ut viciosis ac inutilibus herbis, quas protulit, ignis subijciatur. Alij combustionem interpretantur ipsius terrae. Solēt enim rustici lolium, & caetera agrorum vitia, stirpibus exurere; quoadmodum ex Georgicis Virgilij commemorat Plinius lib. 18. naturalis hist. c. 30. aut terram infrugiferam caespitū forma excindere, ac foco destinare. Similes sunt comparationes, quas in euangelio legimus de arbore & palmitē non ferente fructū, ideoque in ignem mittendo. Sed nunc dicendum quod spectet allata similitudo. Id enim non facile apparet; maximè si referri debeat ad proximè dicta, quatenus illa de nō iterando baptismo capiatur. Nō enim apta est haec similitudo. Sicut terra bene culta, & saepe cōpluta, si tantum inutiles proferat herbas, reprobatur & maledicitur, & igni destinatur: ita homo semel baptizatus, si relapsus fuerit, non potest iterum baptizari. Nisi addas, cum sine spe uenit abijciendum esse, utpote reprobatur & maledictus a Deo, & igni destinatur. Qui sensus Nouatianus est. Hęc absurditas mouisse uideretur quosdam, & in his Aquinatē, ut istam similitudinem referrent ad id quod dictū est initio cap. *Ad perfectionem feramur, non rursum iacentes fundamentum penitentiae, &c.* ut sit sensus: Si feramur ad perfectionē; consequemur a Deo benedictionē instar bonae terrae: sin minus; expectanda nobis erit maledictio, & ignis aeter-

nus. Verū nec hic sensus admodum cōuenit. Nā non solum perfecti & spirituales, verum etiā paruuli lactis participes, & adhuc animales, in eorum numero quos bona terra significat, habēdi sunt, tamen in eo genere imperfectiores; sicut ostendimus ad illud 1 Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei.* Caeterum ed tantū pertinere putat hanc cōparationem, ut prolapsi, de quibus sermo fuerat, intelligat sibi metuendū esse, ne si maneant infuētiosi, simile quid patiantur cum terra spinas ac tribulos ferente. Caeterum qui sententiam superiorē nō de baptismo, sed de penitentia ac reparatione post baptismū accipiunt; minus hīc laborat. Reddūt enim hoc pacto similitudinem; Sicut terra culta & cœlitus irrigata, si non gignat herbam uilē, sed spinas & tribulos; deputatur incendio: sic, qui baptizatus est, ac donorum caelestium particeps factus, si fructum bonorū operum non ferat; sed in grauiā peccata, quale praesertim est apostasiae crimen, prolapsus fuerit: vix est, ut renouari ac restitui queat; imò verò per magnum ei periculum est, ne cum praemiis suis operibus tanquam malis fruticibus, in ignem mittatur aeternum. Atque hic sensus nobis maximè probatur.

CONFIDIMVS AVTEM DE VOBIS, DILECTISSIMI, MELIORA, ET VICINIORA SALVTI. *Confidimus*, Graecè *πεισιμεθω, persuasi sumus*; quod plus aliquid est quam *confidimus*. De eius verbi significato pluribus egimus ad illa uerba Rom. 8. *Certus sum enim quia neque mors &c.* Quod ait interpres, *Viciniora saluti*; Graecè est *εγγυωτερως, haerentia saluti*; quomodo legit Augustinus lib. 3. cōtra Cresconium c. 74. Erasmus vertit, *coniuncta cum salute*. Temperat apostolus austeritatem superiorum verborum, quibus Hebraeos notasse videbatur quod eorū progressus non responderet initijs susceptae fidei. Hęc, inquit, ad cautelam a me dicta sunt, ne tales efficiamini, quales descripti; non quod vos tales arbitrer. Nam persuasi mihi de vobis meliora, quaeque salutem promittant potius, quam exitiū. Quasi dicat, In similitudine, quam posui, meliorem partem de vobis animo concepi; scilicet benedictionem terrae bonae.

TAMETSI ITA LOQVIMVR. Videlicet, adiungentes etiam mentionem terrae maledictio proxima. Cui opposuit quod iam dixit, *Viciniora saluti.*

NON ENIM INIVSTVS DEVS, VT OBLIVISCATVR OPERIS VESTRI. Reddit causam suam de illis fiducia; simulque eos in spem erigit maiorem, cōmemoratione bonorum operum quae fecerant. Dicitur Deus operū nostrorum obliuisci, quando vel bona relinquit irremunerata, vel mala, impunita. Esset autē iniustus, si bonorum operum obliuisceretur, non ea remunerans; non quod illa suapte natura talia sint, ut eis remuneratio debeatur a Deo. sed quia faceret contra fidem suae promissionis, qua constituit & ordinauit, operibus per

gratiam

gratiam ipsius factis redditurum se praemia uitae aeternae. Quare, ex hoc loco optimè statuunt doctores Catholici bonorum operum merita; non quidem ea gratiae Dei opponentes, sicut pessimè Calvinus calumniatur; sed docentes ac praedicantes tantam erga nos esse Dei bonitatem ut nostra uelit esse merita. quae sunt ipsius dona, quoadmodum uerbis Caelestini papae scribentis ad episcopos Galliae, declarat Tridentina synodus sess. 6. cap. 16. Queritur autem, utrum hīc loquatur Apostolus de operibus, quae Theologi mortificata uocant, id est, semel extincta per subsequens peccatum, iterum uiuificatis, quemadmodum sentire uidetur B. Thomas; an de ijs, quae uia semper remanserunt. Respondeo, quamuis non sit dubium, quin bonis operibus mortificatis, si per gratiam reuiuiscant, debeatur merces uitae aeternae; non tamen de ijs speciatim ac praesens loqui Apostolum; sed in uniuersum de bonis Hebraeorum fidelium operibus, quae exercuerant erga sanctos; ut mox sequitur; etiam si forte post illa quidam eorum per peccatum excidissent a gratia. Nam simul atque gratia restituitur; opera priora uitam ac meriti dignitatem recipiunt in oculis Dei. Et quidem ita generaliter Apostoli sententiam intellexisse uidentur patres concilij Trident. sess. 6. cap. 16; dum iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, inter alia proponi uolunt hanc Apostoli uerba: *Non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri.* Debent autem hae uerba ex ipsius Apostoli mente, quam statim declarat intelligi, modò perseueretis usque in finem. Nam si auerterit se iustus a iusticia sua, & fecerit iniquitatem: iustum est apud Deum, ut obliuiscatur omnium bonorum operum, quae prius fecerat, ut testatur ipse apud Ezechielem c. 18. Censetur autem & ille perseuerare, cuius peccata, quibus gratiam amiserat & iusticiae cursum interrupperat, per salutaris penitentiae donum abolita sunt, & obliuioni tradita coram Deo.

ET DILECTIONIS. IN GRAECO PLUS LEGITUR: *Et laboris dilectionis.* Quod Erasmus ita vertit, *Et laboris ex charitate suscepti.* Verum illa dictio *τῆς ἀγάπης, laboris*, nec apud Chrysostomum habetur nec apud caeteros interpretes Graecos, nec est in uersione Syriaca; ut planè existimem adiecticiam esse, uidelicet translatam ex 1. Thessal. 1. ubi sic in Graeco legitur; *Memores u. estis operis fidei, & laboris charitatis.*

QVAM OSTENDISTIS IN NOMINE IPSIVS. Graecè *ἐν τῷ ὀνόματι, in nomine.* Itaque Erasmus ita reddit hunc locum; *quam exhibuistis erga nomen illius.* At sciendum, in scriptura noui testamenti promiscuè interdum usurpari hęc duo. *ἐν τῷ ὀνόματι, & ἐν ὀνόματι.* Certè Matth. ult. ubi nos habemus: *baptizantes eos in nomine patris, &c.* Et 1 Cor. 1. ubi nos legimus, *aut in nomine Pauli baptizati estis?* Graecè est,

ἐν τῷ ὀνόματι, quod utriusque tamen idē Erasmus nō aliter uertendum sibi putauit, quam sicut in uulgata uersione legerat. Vnde, & hoc loco Faber uertit, *in nomine.* Dicamus ergo sensum esse, *Quam dilectionem ipso opere exhibuistis propter nomen Dei; id est, propter Deum, quem sincere colitis & amatis.*

QVI MINISTRASTIS SANCTIS. Suprà dixerat, *operis uestri*, non operum. Quamuis enim essent & alia illorum bona opera; unum tamen praecipuum commemorandum putauit, quod est *ministrare sanctis.* Loquitur autē de ministerio quodā peculiari, quo uidelicet indigentibus subministrantur uirē necessaria; siue largiendo, siue a largientibus accepta perferendo. *Sanctos* uocat Christianos. Nam et si laudabile est omnibus benefacere; arctior tamen erga cōiunctiores obligatio est. Vnde praecipit ad Gal. 6. *operandum esse bonum a omnibus; sed maxime ad domesticos fidei.* Porro huius ministerij sanctorū in Actis apostolicis, & in epistolis Paulinis, crebra mentio est; in his nominatim quae ad Romanos & ad Corinthios scriptae sunt. Est autem ex hoc loco nonnulla coniectura, non ad solos Hebraeos qui Hierosolymis erant, datā esse hanc epistolā, sed etiā ad alios. Nam sancti qui erant Hierosolymis, pauperes erant; quibus aliarum ecclesiarum fideles alimentaria subidia submittebant.

ET MINISTRATIS. Hoc addit, ut rationem amplioris suae de ipsis fiducia; quia nimirum in exercitio boni operis adhuc persistebant.

CVPIMVS AVTEM VNVMQVEMQVE VESTRVM EANDEM OSTENTARE SOLICITVDINEM. Graecè, *idem ostendere studium.* Nā ostentare Latinis uiciū sonat. Dicit autem ostendere, Hebraea phrasi, id est, exhibere, praestare.

AD EXPLETIONEM SPEI VSQVE IN FINEM. *Expletionē* Graecè *ἀπλοφορῆσι*. Erasmus & Hieronimus uertit, *ad plenā spei certitudinem*: tanquam eā uoce Graeca significetur, ut multi putant, certa de re aliqua persuasio, qua scilicet animo plena fiat fides. Sed id bene refellit Ribera. Vide quae de ea rescriptimus ad illud Rom. 14. *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Certè nostrum interpretem bene uertisse *expletionem*, ipsius Erasmi probatur exemplo, qui uerbu huic dictioni respondens 2 Tim. 4. uertit *explere.* *Ut per me praeconium expleatur.* Theophylacti quoque interpres hanc partem ita reddidit, *ad completionem spei.* Noster alibi eandem uocem uertit *plenitudinem*, ut Col. 2. 1. Thess. 1. & huius epistolae cap. 10. Quod sequitur, *usque in finem*, putamus non ad *expletionem spei* referendum esse; sed ad *ostensionem sollicitudinis.* Hanc enim uult esse perseuerantem usque ad mortem. Nam quod huius particulae loco uertit Erasmus, *usque ad perfectionē*; et si Graeca permittant (nam *τέλει* etiā perfectionem significat) est tamen praeter apostoli mentem, qui non aliud hīc uoluit significare, quam supra capere 3, ubi semel & iterum eadē particula usus est. Quibus utique locis, ipse

etiam

etiam Erasmus interpretatus est, usque ad finem. Itaque sensus verborum apostoli est; Quāvis optime de vobis sentiam & confidam, propter ea bona, quæ hæcenus cum Dei gratia egistis: non possum tamen quin etiā subijciam stimulos, quibus ad perseverantiam vos adhorter; ut qui vehementer cupiam vnumquēque vestrum deinceps idem prestare studium bonorum operum usque ad finem vitæ. Sic enim explebitur, id est, plena, certiorque reddetur spes vestra. Nam bonorum operum perseveranti studio compleretur, & (ut ita dicam) certificatur spes nostra; sicut & vocatio & electio: iuxta quod B. Petrus admonet: ep. 1. ut per bona opera certam vocationem & electionem nostram faciamus.

12. **UT NON SEGNES EFFICIAMINI.** Ad studium, inquit, & alacritatem bene agendi vos excito, ne segnes & torpentes efficiamini; sed ut assequamini promissiones. Nam qui præ torpore & ignavia cessant à bonis operibus, expertes erunt hæreditatis promissæ.

VERVM IMITATORES EORVM, QUI FIDE ET PATIENTIA HÆREDITABVNT PROMISSIONES. In Græco præsens tempus est; *Eorum, qui per fidem & longanimitatem hæreditant promissiones.* At in Syriaco præteritum legitur, *qui hæditauerunt.* Videtur enim respexisse Syrus interpres ad id quod paulò post de Abraham dicitur; *Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem.* Verum apostolus in hac parte non de vno quopiam loquitur, sed de pluribus in genere; nec vnam aliquam promissionem significare voluit, sed plures; siue præstitas, siue adhuc præstandas; tamen de vno homine, & de vna promissione exemplū subijciat. Vnde Erasmus inconsideratè vertit singulari numero, *hæditatem accipiunt promissionis.* Multæ enim promissiones Patribus factæ fuerant; partim terrenæ, partim cælestes ac spirituales: quarum illæ iam dudum impletæ erant; istæ verò iam cœperant impleri per Christum; perfectius implendæ temporibus futuris; ut proinde mediam temporis differentiam rectè elegerit apostolus. Hortatur enim Hebræos, ut exemplo maiorum, qui diuinis promissis indubitanter credentes, eadēque patienter expectantes, ea consecuti sunt & consequuntur: in fide & expectatione cælestium promissorum, inter huius tempestatis aduersa constanter perseverent.

13. **ABRAHÆ NAMQVE PROMITTENS DEVS.** Exemplum adfert de Abraham patriarcha, non eò solum, ut illud imitandum Hebræis proponat; sed etiam, ut ostendat eandē ipsam promissionem, quæ Abraham facta fuit, ad eos attingere, tanquam filios Abraham secundū fidem: quippe, qui per se omniū credentium. Ro. 4. Inde est quod promissionis Abraham factæ firmitatē tam impensè urgeat. Quod profectò opus non erat, si ad ipsos quoque quibus hæc scribit, tanquam ad Abraham filios & hæredes, eadem promissio non pertineret. Id verò etiā apertè significauit illis verbis sequentibus; In

quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus &c.

QUONIAM NEMINEM HABUIT PER QVEM IVRARET MAIOREM, IVRAVIT PER SEMETIPSVM. Deus, inquit, cū promitteret Abraham; ne nobis eius hæredibus vllus relinqueretur dubitandi locus, iureiurando corroborauit promissum. Iuravit autem per semetipsum, iuraturus per aliquē se maiorem, si maiorem haberet. Vbi meritò queritur, quomodo verū sit Deū iurasse, si nullius maioris testimonio confirmauit quod dixit. Nā iurare est ad confirmationem eius quod dicitur, testem adhibere, nec eū qualēcumque, sed maiore se, actale quem impossibile sit falli, aut fallere; cuiusmodi solus est Deus. Atqui nemo sibi ipsi propriè testis esse potest. Et quāvis Deus interdū vtatur hominū testimonijs, nullū tamē assumere potest testē se maiore. Sanè dicendum videtur, si propriè de iuramento loquendū sit, Deū non posse iurare. Quod quidē disertè docet Athanasius (seu quisquis author) Serm. in passionē & crucē Domini, ac probat argumentō iā allato. Sentit hoc ipsum Ambrosius lib. de Cain & Abel cap. 10. *Quoniam, inquit, nos verius solemus credere, quod iureiurando firmatur; ne nostra claudicat fides, ideo iurare describitur Deus: Qui ipse non iurat, sed iurantium iudex, & vltor est periurantium.* Augustinus etiam lib. de pastoribus cap. 9. tractans illud: *Vivo ego dicit Dominus,* sic ait: *Tanquam iuratio est Dei, testificatio vite sue.* Quasi dicat non propriè iurationem esse, sed aliquid iurationi simile; quia nimirum sic homines solent iurare, dicentes; *Viuat Dominus.* Quæ sententia, si placet; hic erit apostoli sensus, Cū nō haberet per quem propriè iuraret (is enim maior esse debet) semetipsum, id est, Deum, pro teste allegauit: quod dum faciunt homines iurant. Iuxta quē sensum iurare dicitur Deus, per tropū, quādo id facit, quod iurantes solent; sicut irasci & pœnitere dicitur, quando facit, quæ solent homines irati aut pœnitentes. Rectè autē ex hoc loco ostendit S. Thomas, iuramentū per se non esse illicitum; quia scriptura sacra nihil Deo attribuit, quod ex se sit peccatum. *Intendit enim scriptura nos ad Deum ordinare & ducere.* Sic ille. Sed ex sequentibus adhuc apertius constabit, ad componendas controuersias vsus iurandi licitum esse, & necessarium.

14. **DICENS; NISI BENEDICENS BENEDICAM TE, ET MULTIPlicans MULTIPlicabo TE.** Respicit ad scripturam Gen. 22. Vbi nos ex Hieronymi translatione sic legimus: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus: quia fecisti hæc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cali &c.* Verba sunt angeli referentis iuramentum & promissionem Dei. Quod ergo dicit Apostolus; *Iuravi per semetipsum, dicens;* id factum intellige internuncio angelo loquente ad Abraham. Cæterum in eo quod dicitur, *Nisi benedicens benedicam te &c.* Latini ferè iura-

mentum

mentum intelligunt execratorium; suppressa tamen per apostopelism ipsa execratione, propter reuerentiam Dei: sicut dictum est supra cap. 3. de eo iuramento, *Si introibit in requiem meam.* S. Thomas. post glossam ordinariam, hoc modo supplet: *Non mihi deinceps credatur, nisi benedixero tibi.* Veruntamen sciendum est, particulam *nisi* non haberi in Græcis exemplaribus, ut nec in Syriaco textu, nec in originali scriptura Gen. 22. Sed eius loco Græcè est, *ἢ μὴ*, id est, equidem, certè, quod Theophylactus & Oecumenius exponunt *ὄτως*, verè. Aduerbum est confirmandi; quo Græci in iuramentis, sponsonibus & promissionibus vti solent. Noster interpres videtur legisse *εἰ μὴ*, id est, *nisi*. Ac fortasse suspicabitur quis veram hanc esse lectionem. Sed reclamant non solum Græci codices & commentatores, verum etiam interpretes LXX. quos in hac epistola Paulus perpetuò sequitur, ut sæpe diximus. Apud eos enim in loco Gen. citato prorsus eadem habentur verba, quæ hoc loco, nisi quod breuitatis causa dixit Apostolus: *multiplicabo te*, pro eo quod in Genesi tam apud LXX quàm in Hebræo legitur: *multiplicabo semen tuum.* Porro veritas Hebraica nihil habet illi aduerbio respondens, nisi consuetum *וְ* id est, quia. Est igitur hoc iuramentum simplex nō execratorium. Iam hęc laboratur à nonnullis, ut doceant quomodo verbis ab apostolo recitatis Deus per semetipsum iurauerit, cū in eis ne forma quidem appareat iuramenti. Græci confugiunt ad particulam memoratam, *ἢ μὴ*, id est, verè; quæ dicunt veritatem significari, quæ Deus est. Itaque Deum dicendo verè, per semetipsum iurasse: quemadmodum & Christum, qui veritas est, aiunt iurasse per seipsum, quoties dixit, *Amen*, id est, verè dico vobis. Hęc responsio nobis non probatur. Non enim iurandi, sed affirmandi sunt aduerbia verè, certè, & alia huiusmodi; quamuis & in iuramentis adhiberi soleant. Vnde nec iurare censetur, qui dicit, *Verè ita est;* nisi forte addat, *per Deum;* aut aliquid tale. Quare, & quod Christus toties dixit: *Amen dico vobis,* aut ut apud Ioannem duplicato vocabulo, *Amen amen dico vobis;* non iuratio fuit, sed vehementior asseueratio: nisi fateamur Christum quàm frequentissimè iurasse, & quidem aliquoties in illo ipso sermone, quo docuit non iurandum omninò. Quod nō est verisimile. Verior ergo responsio est, quàm priori loco sui commentarij suggerit Theophylactus; iuramentum, de quo loquitur Apostolus, illis verbis contineri, quibus ait Dominus. *Per memetipsum iuravi.* Nam verba sequentia rem ipsam, de qua iuratur, significant. Quapropter hic locus sic interpretandus est: Iuravit Deus per semetipsum, quando dixit ad Abraham; *Benedicens benedicam te, &c.* Dixit enim ea verba cum appposito huiusmodi iuramento, *Per memetipsum iuravi.* Notandum est hanc geminationem, *Benedicens benedicam te, & multiplicans*

multiplicabo, tam in Hebræo legi, quàm apud LXX. licet eam Hieronymus sua versione non expresserit. Conduplicant autem Hebræi vocabula, quo sermonem intendant. Id autem hoc loco bifariam exponi potest: Vno modo, ut sensus sit, Omnino ac certissimè benedicam & multiplicabo te. Hanc enim vim habet interdum illa geminatio, ut 1 Reg. 25. *Faciens facies Dominus.* & cap. 26. *Faciens facies, & potens poteris.* & Hab. 2. *Veniens veniet, & non tardabit.* Alter sensus est: Largiter & copiosè benedicam tibi, ac vehementer multiplicabo te. Sic plerique omnes. Hic enim sensus talium geminationum in scripturis frequentior est: tamen si prior expositio suam habeat probabilitatem ex scriptura Genes. Nam modus, seu magnitudo multiplicationis satis illic explicatur verbis adiunctis; *sicut stellas cali, & sicut arenam, quæ est in litore maris.* Iam verò cū benedicere Deo attributum sit idem quod benefacere; consequitur hunc esse sensum iuramenti, Per meipsum iuro, me cumulaturum te beneficijs, & numerosam posteritatem daturum. Quoniā autem sequitur eodem loco: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terra;* quod semen Apostolus Christum interpretatur Galat. 3. idcirco promissionem hanc non de solis beneficijs terrenis, ac posteritate carnali debemus accipere; sed etiam ac præcipuè de beneficijs à Deo per Christum preparatis, atque exhibitis, non vni populo Israëlítico secundum carnem ex Abraham genito, sed omnibus Abraham fidem imitantibus, tanquam promissionis filijs; sicut id plenius Rom. 4 & 9. Paulus Apostolus exponit. Quanquam & hęc paulò post id ipsum insinuat, vbi nominat *pollicitationis hæredes.*

15. **ET SIC LONGANIMITER FERENS, ADEPTVS EST REPROMISSIONEM.** Id est, postquam patienter expectasset, cōsecutus est rem promissam. Nam benedixit ei Deus, & semen eius multiplicauit; sensu superius explicato. Quæ res etsi post mortē eius, ut plurimū completa fuerit, & adhuc hodie cōpleatur: ipse tamen adeptus dicitur promissionē; quia res ei promissa suis tēporibus præstita est, & præstatur; maximè cū Abraham etiā nunc coram Deo viuat. *Non est enim mortuorum Deus, sed viventium.* Matt. 22. Sed quoniā adhuc superest Abraham & omnibus filijs promissionis magna illa benedictio percipiēda, quæ est immortalitas ac beatitudo totius hominis: inde est quod de eo, sicut & de cæteris antiquis iustis, illud etiam dici possit, eos nōdū accepisse repromissionem; sicut infra c. 11. semel & iterū loquitur apostolus; tamen quo sensu id dicat, eo loco videbitur. Hic porro subintellige tacitam exhortationem; quasi dicat, Ita & vos exemplo patris Abraham, si patienter expectetis, nec animo deficiatis in afflictionibus, promissa bona consequemini.

16. **HOMINES ENIM PER MAIOREM SVI IVRANT.** Græcè. *Nā homines quidē per maiorem*

iuranti;

irant; tacito videlicet pronomine reciproco. Quod tamen etiam Syrus interpres, æquè ut Latinus, expressit. Dixerat Deū suā promissionē cōfirmasse iuramēto. Cur id fecerit, iā explicat à consuetudine hominū, qui volētes alijs certam fidē facere eorū quæ dicūt, iuramentum interponunt. Sed hi quidē, inquit, per eū qui maior sit, iurant, quia se maiore habent Deū: Id Deus non potuit, qui maiorem non habet, ideoque per semetipsum iuravit.

ET OMNIS CONTROVERSIÆ EORVM FINIS AD CONFIRMATIONEM EST IVRAMENTVM. Græcè ad verbū: *Et omnis ipfis cōtrouersia finis, &c.* Sensus est; Et omnis ferè quæ inter ipsos accidit aut interuenit cōtrouersia, iuramēto finitur, velut legitimo dirimēdis litibus remedio, quorū aliq̄ probationes deficiūt. Id enim certū apud eos habetur, quod iuramēti religione firmatū fuerit. Vnde Iuriscōsultus *de iureiurando*; Maximū remediū expediēdarum litū in vsum venit iuraturandi religio. Locus hic apertissimè refellit eos qui malè intelligentes euangelica præcepta, iuramentū damnant velut rem prorsus illicitam. Nam de eo loquitur hīc apostolus, non solum ut de relicta, verum etiam ut ad finiendas cōtrouersias, quibus humana societas perturbatur, necessaria; ad eō quidem, ut & Deus suam promissionem iuramento confirmare voluerit, ne quid ei deesse videretur, quod promissis & pactis firmitatem apud homines conciliare solet. Vnde sequitur,

17

IN QVO ABUNDANTIUS VOLENS DEVS OSTENDERE. Quod ait: *In quo*, nonnulli, quibus Syriaca fauet interpretatio, vertunt, propter quod; quasi dicat apostolus; Quoniā ira res habet apud homines, ut iuramentum cōtrouersijs finem imponat, & pacta confirmet; voluit & Deus suæ promissioni iuramentum adijcere. Sic etiam Theophylactus exposuit. Alij simplicius hoc modo; In quo, id est, qua in re, quo in genere promissionis, volēs Deus ostendere &c. Aduerbiū comparatiuum *abundantius*, Græcè *ὑπερβασιως*, multi, Syro suffragante, positiuè accipiunt; abundanter, insigniter, eximie. Atqui nihil prohibet accipi comparatiuè, *abundantius*, cumlatius; scilicet quā si esset nuda promissio; vel, *abundantius* quā in alijs plerisque promissionibus à Deo factis. Illud obiter admoneo, particulam, *abundantius*, non esse construendam cum participio, *volens*, sed cum verbo, *ostendere*.

POLLICITATIONIS HÆREDIBVS. Id est, hæredibus promissæ benedictionis. Intellige, in quorum numero vos estis. Id enim esse ex mente Apostoli, sequentia manifestè probant; vbi de promissione sermonem continens, verbis vtitur primæ personæ pluralis numeri: *Solatiū habeamus, confugimus, &c.* nimirū ea ratione, ut ipsos Hebræos ad quos scribit, doceat hæredes esse promissionis illius quæ ad Abraham interposito iuramento facta est.

IMMOBILITATEM CONSILII SVI. Id est, immutabilitatem ac firmitatem sui decreti. Quod vocatur *consilium*, quia Deus nihil nisi consulta ratione sapientiæ suæ, faciendum decernit. Dicit aliquis omne Dei decretum immutabile esse; ipso per Isaiam testante capite 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Quare si immobilitas consilij ratio est apponendi iuramenti; erat illud adhibendum omnibus Dei decretis, cum nullam eius consilium, nullum decretum sit mutabile. Respondeo consilium mutabile duobus modis intelligi posse: vel quia voluntas ipsa mutatur, dum aliquid occurrit considerandum, quod prius non occurrebat; ut sæpe contingit hominibus, qui pro re nata sæpe coguntur mutare consilia. Sed hoc in Deo, qui ab æterno omnia nouit & considerat, habere locum non potest. Vel quia res ipsa, quæ consilio statuitur, mutationem patietur; quando scilicet non ita statuitur, ut semper maneat. Hoc sensu, Dei consilium mutari, non est absurdum: veluti factum est in promissione terræ Chanaan, sacerdotij Aaronis, regni Saul. Hæc enim non ita promissa sunt, ut semper manerent. At benedictio posteritatis Abraham de qua hīc sermo est, item regnum & sacerdotium Christi, ita promissa sunt, ut maneat in æternum: & proinde decreta consilio, iuxta hunc posteriorem modum immutabili. Quare ad declarandam huiusmodi rerum immutabilem firmitatem, quæ prioribus illis non conuenit; appositum est in eorum promissione iuramentum. Quod in alijs factum non legimus. Tradit hanc rationem ipse Apostolus sequenti capite, vbi ait: *Et quantum est non sine iureiurando &c.*

INTERPOSUIT IUREIURANDVM. Græcè, *mediavit iureiurando*, vel, ut Theophylacti interpres, *intercessit iureiurando*. Ceterum interpres Oecumenij vertit hoc modo; *Mediator est iureiurando*. Siquidem hi duo commentatores post Chrysostomum, hīc significari putant filium Dei, ac verbum Patris, quo inter Deum & Abraham mediatore, facta sit hæc iuratoria promissio. Quem sensum pluribus explicatum videre est apud Oecumenium. Sed coactum id nobis videtur & longè peritum. Magis placet aliorum tam veterum quàm recentiorum simplex intellectus, vulgatæ versionis consentaneus, ut non aliud sit mediare iureiurando, quàm iusiurandum interponere, scilicet ad confirmandā promissionem. Quod interpres Syrus dixit, *iureiurando eam ligare, siue constringere*.

18

VT PER DVAS RES IMMOBILES. Sermonem seu promissionem intelligit & iuramentum. Quas duas res cur immobiles siue immutabiles vocet, rationem subiungit,

QVIBVS IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEVM. Græcè *in quibus*; sed Hebraismū rectè mutauit interpres: Nam sensus est, Deum nec

simplici

simplici promissione, nec iuramēto mentiri, aut fallere posse, cum sit ipsa veritas.

FORTISSIMVM SOLATIVM HABEAMVS. Græcè. *Fortè solatiū*. Quod Erasmus vertit, *Quaedam consolationem*. Quanquam pro *consolatione exhortationem* licebat reddere. Nam Græca vox *παράκλησις* utramque significat. Et quidem Græci interpretes exhortationem elegerunt: In textu autem Syriaco ea vox legitur, quæ non aliud quàm consolationem significet, cui tamen adiuncta sit adhortatio; ut cum homini mæsto dicitur, *Sis bono animo; luctus tuus in gaudium conuertetur*. Itaque sensus apostoli est: Idcirco Deus promissionē Abraham factam iuramēto cōfirmare voluit, ut nos Abraham filij & promissionis eius hæredes, de ea promissione, quæ certa sit & stabilis permāsura, nullo modo dubitantes; in his aduersis quæ mundus ingerit, inuicē animemus, & consolationē capiamus firmiſsimā, utpote certissimis promissis innixā.

QVI CONFUGIMVS AD TENENDAM PROPOSITAM SPEM. *Confugimus* præteriti temporis est. Græcè *καταφύγομεν*. Sensus est: Qui ex quo Christi fidem sumus amplexi, relicto fallacis sæculi amore, confugimus ad spem bonorum cælestium & æternorum, quæ nobis proposita est, firmiter ac mordicus retinendam. Nam Græcum verbum *καταφύγομεν* non significat quomodocunq̄ tenere, sed ita tenere & complecti, ut non patiaris eripi. Porro *spes proposita* dicitur obiecti ratione; quia per eam tendit animus in bona promissa, & loco præmij proposita.

19

QVAM SICVT ANCORAM HABEAMVS ANIMÆ TVTAM, AC FIRMAM. *Anima*, genitiuus est construendus cum accusatiuō *ancoræ*, ut hic sit ordo: *Quam spem habemus*, aut, ut alij vertunt, *tenemus, velut ancoram animæ, tutam ac firmam*. Sunt enim hæc epitheta ancoræ. Comparat apostolus spem Christianam cum ancora nauali, cuius proprietas est, tutam & firmam esse. Nam sicut ancora in fundum maris proiecta nauim sistit, & in statu retinet, ne vi tempestatis huc illuc agitata, conquassetur; ita spes in Deum & in bona inuisibilia, quæ Deus promissit, extensa, atque in eius promissione fixa, fulcit ac firmat animas nostras, ne tentationum procellis vndique pulsata succumbant & pereant. Est tamen aliquid dissimile, quo spei Christianæ præstantia magis eluceat; non solum quod ancora mittitur deorsum in terram, spes autem euolat sursum ad cælestia; verum hoc etiam quod nauis quamdiu retinetur ab ancora, non potest in portum tendere: At spes ita animas nostras firmat & stabilis, ut eas ad portum patriæ cælestis recto & continuo cursu perducatur. Cum autem spes, instar ancoræ tuta sit & firma, propter infallibilem certitudinem promissorum Dei, quibus ipsa nititur; nequaquam inde consequens est, quod volunt scētarij, quemque fi-

delem certò statuere debere peruenturum se esse ad salutem. Non enim certus est vnusquisque promissa Dei (de absolutis loquor) ad se pertinere. Valde enim secreta nobis est illa Dei voluntas, de qua scriptum est: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Rom. 9. Veruntamen, ex donis acceptis, quibus Deo propinquamus; iubemur & ea sperare quæ nos ei perfectè coniungent.

ET INCEDENTEM VSQVE AD INTERIORA VELAMINIS. Pro ad, Græcè est, *in*, quod etiā in ms. Laudēsi legitur *incedē e*, alij rectius *introeuntem*, siue *ingrediensē*. Refertur & hæc pars ad *ancoræ animæ*; quasi dicat, Sicut ancora naualis non in aquis hæret sed terram intrat sub aquis latentem, eiq̄e infigitur; ita ancora animæ spes nostra non satis habet in vestibulum peruenisse, id est, non est contenta bonis terrenis & visibilibus; sed penetrat vsque ad ea, quæ sunt intra velum, videlicet in ipsa Sancta sanctorum; id est, Deū ipsum & cælestia bona apprehendit, atque in ijs figurat. Agens apostolus cum Hebræis, à veteri tabernaculo, seu templo sumit allegoriam, in quo pars interior, quæ vocabatur Sanctum sanctorum, interiecto velo separabatur ab ea parte ad quam populus conueniebat. Et illa quidem typum gerebat cælestis habitaculi; ista verò bonorum præsentium: quemadmodum id cum apostolo latius exponemus, quū ad cap. 9 huius epistolæ peruentū erit. Nonnulli *incedentē* causatiuè exponunt, incedere facientē; sed ij non attenderunt ad metaphorā ancoræ nūc à nobis expositam, qua apostolus vtitur.

VBI PRÆCURSOR PRO NOBIS INTROIIT IESVS. Hoc est, In quæ velaminis interiora, siue Sancta sanctorum iam, velut præcursor, pro nobis introgressus est Dominus Iesus. Significat Christi ascensionem & introitum in regnum cæleste. Particula *pro nobis*, aut inſigipotest cum eo quod præcedit, *præcursor*, ut sit, præcursor noster; quem scilicet ipsi mox secuturi sumus: aut cum eo quod sequitur, ut sit, *pro nobis introijt*. Quod rursus bifariam accipi potest: Aut, introijt locum nobis paraturus; sicut ipse ait Ioan. 14. *Vado parare vobis locum*: Aut, introijt ut intercedat pro nobis ad Patrem. Qui sensus à Theophylacto traditus typo proposito pulchrè respondet: Quoniam & pontifex Aronicus ingrediebatur intra velū semel in anno, supplicaturus pro populo. Vocabulum *præcursoris* hīc non ministerium significat, velut dū Ioannes dicitur Christi præcursor fuisse, cui viam ut seruus Domino præparauit; sed potius dignitatem insinuat eius qui primus ingrediens ceteros adducit sequentes. Hac igitur parte nouum continetur argumentum spei nostræ confirmandæ. Si enim Christus præcursor pro nobis introijt in cælum; utique spes certa est, nos eum illuc secuturos esse; vel quia nos præcurrit ut sequamur, vel quia lo-

R r

cum

cum nobis parat, vel denique quia patre pro nobis, ut illuc pertinemus, interpellat.

SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH PONTIFEX FACTUS IN AETERNUM. Constructionem facile monstrat psalmi versiculus: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Confert autem & haec pars ad spei nostrae firmitatem. Ostendit enim Iesum priusquam introiret in caelum, pro nobis apud Patrem intercessurum; factum fuisse pontificem, non Aaronicum, sed qualem David praenunciavit, eoque nomine sacrificium aeternae virtutis pro nobis obrulisse, ut haberet quod in caelo Patri pro nobis exhiberet; sicut in sequentibus ipse Apostolus declarat, cap. 7 & 9. Quae res quantum ad spem nostram corroborandam valeat, per se manifestum est.

SYMMARIUM.

Docet Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cuius sacerdotium abrogato Levitico aeternum futurum sit; cum Christus semper vivat ad interpellandum pro populo, & necessitatem non habeat pro suis delictis offerendi.

CAPVT VII.

HIC ENIM MELCHISEDECH. Post longam digressionem redit apostolus ad id quod dicturum se promiserat de Melchisedech, tanquam Christi typo; scilicet eo loco capituli 5. *De quo nobis grandis sermo* &c. Redit autem non abrupte sed molli & artificiose quodam flexu orationis, cuius initium est ab ea parte superioris cap. *incedentem usque ad interiora velaminis*, &c. Vbi per commode mentionem iniicit Christi pontificis secundum ordinem Melchisedech. Vocula enim, non tam probantis est, quam exsequentis institutum. Erasmus primam hanc partem, quasi sit imperfecta, supplet hoc modo; *Nam hic erat Melchisedech*, &c. Sed nihil opus est supplemento: pendet enim oratio, & longa periodo decurrens, tandem finitur in ea parte; *manet sacerdos in perpetuum*. Quod ad historiam attinet, de Melchisedech brevis exstat narratio Gen. 14. qua ferè totam hoc capite diuinus Apostolus allegoricè in Christum interpretatur. Qua occasione quaeritur quis ille Melchisedech fuerit. Nam variae de eo olim ferebantur sententiae. Quidam, ex ijs quae ab apostolo dicuntur, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens; in eam opinionem inducti sunt ut dicerent Melchisedech non hominem fuisse, sed aliquid maius homine, videlicet aut angelum, sicut existimauerunt Origenes, & Didymus, Hieronymo teste in epistola 126 quae est ad Euagrium: aut Spiritum sanctum, ut sentit Hierax apud Epiphanium, quod & multis probare nititur author operis quaestionum veteris & noui testamenti q. 109. quem suspi-

cor eum esse, cuius meminit Hieronymus in eadè epistola: Aut filium Dei, cuius opinionis post Epiphanium meminit B. Thomas in commentatio: Aut magnam quaedam Dei virtutem; sicut alijs quibusdà visum est, Epiphanio, & Augustino referentibus. Quod ipsi de Theodoro quodam haeretico narrat Tertullianus sub finem libri de praescriptionibus, & Theodoretus lib. 2. fabularum haetic. Sed haec non tam opiniones sunt, quam errores sacris literis aperte contrarij; ut quae de Melchisedech non aliter, quam de homine loquantur. Describitur enim Melchisedech rex cuiusdà ciuitatis inter homines; idemque sacerdos Dei altissimi. Est autem omnis sacerdos Deo, cui supplicat & sacrificium offert, inferior. Impium igitur est Melchisedech aut Spiritum sanctum dicere, aut filium Dei. Sed nec angelis, ut pere substantijs incorporeis, cõperit externum offerre sacrificium; quod est officium sacerdotum. Ex quibus etiam refelluntur, qui Melchisedech dixerunt esse Dei virtutem quaedam, siue creatam intellexerint virtutem, id est, angelicam, siue incretam, quae utique non est alia à Deo. De his omnibus, si liber, Epiphanium consule, singula exactius persequentem. Quomodo autem ea quae Paulus in sequentibus de Melchisedech dicit, rectè & sanè de homine intelligatur, illic explicabitur. Cui igitur cõstet Melchisedech hominem fuisse: non tamè inter doctos cõuenit, quis homo fuerit. Vetus Hebraeorum traditio est, eodem Hieronymo tã in dista epistola ad Euagrium, quam in traditionibus Hebraicis referente, Melchisedech fuisse Sè, filium Noe. Vixit enim ille sexcentis annis; ex quo certa supputatione colligitur, eum non modò tunc, quando Abraham à cæde regum reuersus est, adhuc in viuis fuisse, ut benedicere ei potuerit; verum etiam ipsi Abraham superuixisse triginta quinque annis; quoadmodum eodem loco, deducta ratione temporum, colligit Hier. interrim tacitè, ut videtur, hanc Hebraeorum traditionem approbas. Hieronymi verba transcripsit in suum commentarium author innominatus expositionis huius epistolae apud Ambrosium. Secuti sunt eadè opinionem, partim ut simpliciter verà, partim ut probabilè, cõplures in Genesim scribentes; ut Liranus, Abulensis, Caietanus, Eugubinus, & alij. Itè Rupertus scribens in c. 1. Marthæi, & Genebrardus in Chronico. Sed hanc sententiam & Epiphanius olim, & hodie, inter alios, F. Ribera benè refutarunt. Nam primùm, nulla ratione cõsequens est, si probeatur (quod in veritate Hebraica dubitationem non habet) Sè vixisse tempore Abraham, atque ei superuixisse; idcirco fuisse eundem cum Melchisedech. Quod enim addit, Sem primogenitum fuisse, eoque nomine sacerdotem; nec constat, nec verisimile est primogenitis sacerdotium iure debitum aliquando fuisse; quãvis & hoc, ut multa alia, tradant Hebraei. Certè ex hac ipsa epistola cap. 11. vbi dicitur: *Fide plurimam hostiam Abel quam*

Cain

Cain obrulit Deo; satis liquet ius sacerdotij non fuisse primogenitis peculiare. Id quod alijs etiã argumentis ostendimus infra ad illud cap. 12. de Esau: *Qui propter unam escam vendidit primogenita sua*. Sed etsi demus verà esse traditionem; non tamè eam rem propositam confirmat, cum alij tam multi temporibus Abraham fuerint primogeniti. Iã verò nec cetera, quae de Melchisedech dicuntur, in Sem Noe filium satis congruunt, imò quaedam etiam repugnant. Nam describitur hoc loco Melchisedech, ut dictum est, sine patre, sine matre, sine genealogia; nec initium habens dierum, nec finem. At in Genesi Sem commemoratur & patrem habens, & matrem & proavos usque ad Adam; & posteritatem amplissimam, & quando natus, & quãdiu vixerit, & quando mortuus. Friuolum est autem quod huic argumento respondent, nihil istorum in scriptura narrari de Sem sub nomine Melchisedech, de quo apostolus loquitur: Neque enim apostolus tantum agit de nomine, sed de persona; licet etiam ex nomine petat allegoriam. Præterea Sem fuisse regem Salem in terra Chanaan, quod de Melchisedech scriptura affirmat; nullo modo fit verisimile. Fuit enim Sem vnus & precipuus trium patriarcharum, ex quibus post Noe genus humanum propagatum est: Quare vir tanti generis parens, si rex futurus erat; non vnus cuiuspiam ciuitatis angustia dominium eius & potestas erat coarctanda: Neque regnum inter Chananæos, alieni generis homines, id est, posteros Cham, accipere vel potuit, vel etiam debuit; ut benè ratiocinatur Procopius scribens in Gen. 15. sed inter suos potius, à quibus ut patriarcha colebatur. Atqui istis in possessionem obuēnit regio orientalis ultra flumen Euphratem sita, & à regione, quam Chananæi tenebant, admodum distita, quoadmodum pater legenti scripturam Gen. 10. & Iosephum lib. 1. Ant. Iud. cap. 7. An autè etiam ex illis apostoli verbis infra positus, *Cuius autè generatio non annumeratur in eis*, &c. sumi possit argumentum ad opinionem Hebraeorum refellendam; dicemus quum ad eum locum ventum erit. Nunc addo, si quicquid de genere Melchisedech pronunciate licet, de quo magni mysterij causa tacuit scriptura; prorsus apparere ex loco regni, fuisse eum ex posteris Chanaan filij Cham; quae fuit imprimis multorum veterum sententia quos recēser Hieronymus in epistola ad Euagrium, ut Hippolyti, Irenæi, Eusebij Casariensis, & Emisleni, nec non Apollinarij, & Eustachij. Atque his adiunge Iosephum lib. 1. ant. cap. 11 & lib. 7. de bello Iudaico cap. 18. Egesippum quoque lib. 3. de excidio Hierosolymitano cap. 9. & Theodoretum q. 63 in Genesim. Quibus omnibus subscribunt in huius epistolae commentarijs, Oecumenius, Sasboldus, & Ribera.

REX SALEM. Salem, cuius rex fuit Melchisedech, urbem fuisse terrae Chanaan, ex

historia Genesis perspicuum est: sed quoniam fuerit, dubitatur. Hieronymus in epistola saepe citata refert, eosdem auctores, qui Melchisedech hominem fuisse Chananæum dixerunt, etiam hoc addidisse, quod rex fuerit urbis Hierosolymae; quae primum Salem, postea Iebus, ad extremum Hierusalem appellata sit. Id ipsum tradunt Iosephus locis antè memoratis, & Chaldaeus interpres Gen. 14. & alij ex Hebraeis, quos Hieronymo teste sequuntur omnes nostri, id est, ecclesiastici scriptores. Huc facit quod ipsa Hierusalem etiã postquam hoc nomen accepit, & in sedè regni Israelitici instituta fuit; legatur appellata fuisse Salem. Nam pro eo quod in psalmo 75 dicitur: *Et factus est in pace locus eius*, Hebraicè legitur in Salem, id est, in Hierusalè. Hanc enim significari, declarat alterum eiusdem versiculi membrum: *Et habitatio eius in Sion*. At tamen haec sententia Hieronymo non placet. Existimat enim ille Salem, in qua regnavit Melchisedech, eam esse, de qua scriptura loquitur Gen. 33. quae alio nomine Sichem dicta est, metropolis postea Samaritarum pertinens ad sortem tribus Ephraim. Hanc enim & tempore Saluatoris apud Ioan. 3. vnus vocalis mutatione, Salim; & sua adhuc ætate, Salem vocatam fuisse: & monstrari solitum eo loco palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam. Non posse autem Hierusalem intelligi, probat ex situ loci, quoniam Abraham à cæde hostium reuertenti, quos persecutus est usque Dan, quae hodie, inquit, Pameas appellatur, non via de Hierusalem, sed de oppido metropoleos Sichem, in itinere fuit. Sed haec rationes propter quas ab omnium aliorum sententia discedit Hieronymus, quantum valeant, vide apud Riberam, qui rem totam accuratè tractat. Qui tamen non omnino fortè satisfaciet argumento de itinere. Certè quod de ruinis palatii Melchisedech post tot saeculorum mutationes suo adhuc tempore exstantibus, narrat, haud facile adducor ut credam, præsertim quoniam & ipse Hieronymus alibi fabulæ fidè derogare videtur. Nam in libro de locis Hebraicis refert eam urbem solo æquatam fuisse, & sale seminatam ab Abimelech rege. Hoc quippe de Sichima legitur Iudic. 9. Pro illa priore opinione etiam hoc facit quod in libro Iosue inter alios reges à Iosue victos commemoratur rex Ierusalem; de rege alterius Salem ibi non legitur: ergo illa altera Salem non habebat regem. Numerantur enim omnes reges per Iosue debellati; nec dubium quin & Rex Salem illius fuisset victus, & consequenter cõnumeratus alijs, si quis fuisset.

SACERDOS DEI SVMMI. Mirum quoddam pro sacerdote veteris pontificem, quum hinc Græcè non sit *ἀρχιεπὸς*, id est, pontifex, princeps sacerdotum, quod supra legebatur c. 3 & 5 & in fine sexti; sed nomē simplex *ἐπὸς*, id est, sacerdos. Quod & legitur apud Lxx. tã Gen. 14. quàm

psal. 109. Non quidem negamus Melchisedech pontificem fuisse; Quæ de re aliquid in sequentibus dicitur: Sed id Græca vox huius loci non significat. Facessant autem qui dubitant rectè ne Hieronymus & ante eum Lxx vocem Hebræam כהן Chohen interpretati sint sacerdotem. Quamuis enim alicubi pro principe sumatur, vt 2. Reg. 8. vbi nos legimus; *Filij David sacerdotes erant*, id est, principes; longè tamen vltarius sacerdotem significat. Cum verò additur ei vocabulum Dei, vel vt in Genesi, Dei altissimi, siue vt in Hebræo, Deo altissimo; tum profecto ea adiectio prorsus omnem tollit ambiguitatem, vt non aliter, quàm pro sacerdote accipi possit. Nobis certè fidem indubitatum huius interpretationis facere debet autoritas præsentis epistolæ, cum adiuncto testimonio Davidis; quod nullus interpretetur, tã Hebræorum, quàm Christianorũ aliter ausus est vertere, quàm hoc modo. *Tu es sacerdos in æternũ. Deus summus, siue altissimus, siue excelsus* (hæc enim eadem sunt interpreti) vocatam Moyses, quàm Paulus, Deum in excelsis habitantem; quæ passim in scripturis est notatio veri Dei; quomodo & nos dicimus in oratione Dominica; *Pater noster qui es in caelis*; nimirum vt ex summitate loci, summa dignitas habitantis, atque regnantis intelligatur. Additum est autem à Moysè hoc epithetum, ad discrimen falsorum Deorũ; quorũ eo tẽpore multi per orbẽ erant sacerdotes.

QVI OBVIAVIT ABRAHÆ REGRESSO A CÆDE REGVM. *Regresso*, Græcè, *reuerenti*. Atque ita postulat verbum *obuiandi*, siue *occurrenti*. Vnde illud; *Veniẽti occurrit morbo*. Narratur hæc Abrahæ victoria Gen. 14.

ET BENEDIXIT EI. Id est, benè precatus est ei, videlicet vt Dei sacerdos. Pertinet enim ad officium sacerdotis benedicere populo. Nu. 6. Porro verba quibus Melchisedech Abrahæ benedixit, hæcerant; *Benedictus Abraham Deo excelsus, qui creauit caelum & terram*; id est, Deus excelsus cæli terræque creator benedicat, benefaciat Abrahæ. Nã quod sequitur: *Et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt*; benedictio laudis est, & gratiarum actio ad Deum.

CVI ET DECIMAS OMNIUM DIVISIT ABRAHAM. *Omniũ* scilicet spoliõrũ quæ ceperat ex illa regum profligatione. Ostendit apostolus Melchisedech etiam Abrahæ opinionem sacerdotem fuisse; nec qualemcunque, sed quem ille se maiorem agnosceret. Id enim probat oblatio decimarum. Vbi rursus explodendum est quorundam Rabbiorum commentum; qui mysterium nobis in Melchisedech significatum obsecrare conantes, sensum scripturæ Gen. peruertunt, vt in illis verbis, *Et dedit ei decimas ex omnibus*; nõ Abrahã ipsi Melchisedech, sed Melchisedech Abrahæ dedisse decimas intelligatur; eo quod Melchisedech es suas, ab hostibꝰ ablatas, opera Abrahæ re-

cepisset. Sic enim illi fabulantur. Sed quàm vanè, atque ineptè; subsequens scripturæ narratio planè commonstrat: Vbi cum iuramento profiteretur Abraham se de vniuersa præda ab hostibus recepta nihil accepturũ, à filo subregminis vsque ad corrigiam caligã. Nam quod aiunt etiam Melchisedech ab hostibus spoliatum fuisse; quàm nihil habeat coloris, facilè perspiciet, qui totius historiæ seriem, & locorum situm considerauerit. Ac sanè, alioquin & ipse Melchisedech cum alijs quinque regibus iniuriã passis, aduersus hostes profectus fuisset. Fatetur quidem Hieronymus in illa epistola ad Euagriũ, vtrumque intelligi posse, & iuxta Hebraicum, & iuxta Lxx interpretes quoddã & Melchisedech acceperit decimas spoliõrum, & Abrahæ dederit decimas substantiã suã: Non tamen liberum facit vtrumuis intelligere; Tantũ sermonis amphiboliam significare voluit. Nã cõtinuò subiũgit, apostolũ in epistola ad Hebræos alterũ sēsũ apertissimè definiuisse. Iam nec illud recipiẽdũ, quod Caiet. in Genesim scribẽs, & alij nõnulli, *decimas* interpretantur nõ decimã partẽ, sed munera quædam honoris gratia ab Abrahã sacerdoti Melchisedech oblata. Nusquã enim in scripturis inuenitur hæc *decimarũ* significatio. Manifestè etiã repugnat apostolus, qui scripturã hãc ad Christi sacerdotium applicãs, de decimis propriè dictis eã in cõsequẽtibꝰ exponit: quales nimirũ Leuitici sacerdotes secũdũ legẽ à populo accipiebãt. Quod si decimarũ nomine munera tantũ honoraria significarẽtur, nihil ea res faceret ad apostoli institutũ. Vnde S. Tho. 2. sec. q. 87. art. 1. ad 3. loquẽs de propriè dictis decimis, ait quod Abrahã propheticè in finctu dedit decimas Melchisedech sacerdoti Dei sũmi. Et quod similiter Iacob Genes. 28. vovuit decimas se daturũ; in diuinum videlicet cultum, ad sacrificiorum consummationem.

PRIMUM QUIDEM QVI INTERPRETATUR REX IUSTICIÆ. Verbum *interpretatur* passiuè positum est ab interprete, vt & alibi interdum. Erasmus vertit; ex interpretatione dicitur. Incipit apostolus ea quæ de Melchisedech adduxit ex historia Genesim, ad eum accommodare, cuius gratiã hæc dixerat, id est, ad Christũ Dei filiũ, cuius typũ gessit Melchisedech. Orditur autem ab interpretatione nominum. Ex quã re obiter discẽ diuinatum scripturarũ excellentiã, vt in quibus sæpe etiã nomina propria seu personarũ, seu locorũ, nõ vacent à mysterijs. Primum, inquit, Melchisedech ipso nomine magnæ cuiusdã rei figuram prætulit: idem enim valet quod rex iusticiæ, id est, rex iustus, phrasi Hebræa; sicut exponit Hieronymus ad Euagriũ, & ante eũ Iosephus. lib. 1. Antiq. cap. 11. Quod quàm verè in Christũ cõpetat, in parte sequẽti exponemus. Quidã Hebraicè periti nomẽ hoc ita interpretãdũ cõsent; *rex meus iusticiæ*; propter iud mediũ, quod primam personã significat. Sed illi nõ attẽderũt apud Hebræos vsitatissi-

num esse, vt in medio compositionis duorũ nominum iud interponatur, non ad significandum aliquid, sed euphoniæ gratia dumtaxat: vt obseruare est in his & similibꝰ, *Abimelech, Adonisedech, Abisag* &c. Admonet hoc loco Caiet. *Melchisedech* non fuisse nomẽ propriũ illius viri, sed commune regibus illius ciuitatis; sicut *Cæsaris* nomen commune fuit Romanis imperatoribus; & *Pharao* regibus Egypti. Docet hoc idem scribens in psalmum 109. Vbi insuper addit, eiusdem ciuitatis reges pari ratione fuisse vocatos *Adonisedech*, quasi dominos iusticiæ, seu dominos iustos. His enim titulis, à iusticia sumptis, populum illum suos reges ornasse. Nam de Adonisedech quoddã Hierusalem fuerit, legitur Iosue 10. Similiter opinantur Abulensis in commentario super Gen. & Masius super Iosue. Sed huius opinionis, vt apud veteres nullum est vestigium; ita nec probabilitas vlla: nisi dicatur etiam aliorum regum nomina tam multa, quæ in libro Iosue, & alibi commemorantur; communia fuisse, non propria. Quod nemo dixerit.

DEINDE AVTEM ET REX SALEM, QVOD EST REX PACIS. Id est, rex pacificus. Non solum, inquit, in nomine proprio, verũ etiam in nomine ciuitatis regni sui, magnum aliquid de Christo, cuius erat figura, significauit. Verè enim, & excellentissimo quodam modo, Christus est Rex iusticiæ, & Rex pacis. Rex iusticiæ; tum quia iustissimum exercet imperium, iuxta versiculum psalmi 44. *supra citatum cap. 1. Virga equitatis, virga regni tui. Dilexisti iusticiam & odisti iniquitatem*: Tum etiam, quia iusticiæ nobis author est, nõ quia iusti modò reputemur, vt heretici volũt, sed quia secundum veritatem iusti nominemur, & simus. Rex autem pacis, vel propter felicem ac prosperum regni sui statum, quem pacis nomine solent Hebræi significare; qua quidem ratione, potissimum per Salomonem, ipso etiam nomine, præfiguratus est; Vel, quia pacificator noster est, reconcilians nos Deo, & angelis eius; & ex vtroque populo, Iudæo, & gentili, faciens vnum, vt latè docet apostolus Eph. 2 & alibi. Ad vtrumque Christi elogium pertinet hæc scripturæ. Zach. 9. *Eccerex tuus veniet tibi iustus, & Saluator*. Rom. 14. *Regnum Dei iusticia, & pax & gaudium in Spiritu sancto*. 1 Cor. 1. *Qui factus est nobis iusticia, & sanctificatio, & redemptio*. Iam quæri posset, an ex ista nominum Hebraicorum interpretatione rectè colligatur epistolam hanc non esse scriptam Hebraicè: nisi res ea satis esset à nobis in prolegomenis huius epistolæ disputata.

SINE PATRE, SINE MATRE. Græcè *ἀπατρως, ἀμήτωρ*, quod Erasmus vertit, *ignoti patris, ignota matris*. Sed ea versio nec Caluino probatur. Non enim dicere vult apostolus obscuris aut ignotis parentibus ortum esse Melchisedech; sed nec patrem habuif-

se, nec matrem. Quod eo sensu dictum est, quia scriptura diuina sic eum introducit, vt nec patris eius, nec matris vllam faciat mentionem. Igitur, *sine patre, sine matre*, videlicet in scripturis. Quod autem à quibusdã traditum refert Epiphanius, patrem eius Eraciam vocatum, matrem Astaroth, siue Asteriam; commentitium puto. Quamquam etsi verum sit, nihil obstat apostolico sensui iam explicato. Multò minus illud recipimus, quod ex Iudæis nonnulli fabulantur, idcirco de parentibus Melchisedech nihil scripsisse Moysem, quoddã ex fornicario concubitu natus esset. Tale etiam est, quod ait Eustachius Antiochenus, ideo genus Melchisedech taceri, quia maiores eius indigni erant, qui cũ viro tantæ virtutis nominarentur. Veram rationem nos docet apostolus, scilicet id tacitũ, ac prætermisum fuisse mysterij causã; de quo paulò post. Quamuis & ex cõsuetudine scripturæ sacræ ratio reddi potest; vt quæ non solet eorum scribere genealogias, de quibus obiter, ac velut in transitu loquitur; vt nec eorum, qui ad genus Abrahæ non pertinerent; velut Iob, & regum alienigenarum.

SINE GENEALOGIA. Græcè *ἀγενεαλόγητος*. Erasmus, *ignoti generis*; quod iam reieciimus. Alij rectius, *sine genere*; quomodo dictum est *sine patre, sine matre*. Verũ optimè noster interpret, *sine genealogia*. Nam Græcũ ita ferè sonat, quasi dicas, *non genealogizatus*; id est, cuius genealogia nusquam in scripturis textitur, cuius genus nusquam recensetur. Deductum est vocabulum à verbo *γενεαλογεῖν*, id est genus alicuius recensere. Cuius verbi participio mox vtitur ipse apostolus, vbi nos habemus: *Cuius autem generatio nõ annumeratur in eis*. Porro Syrus interpres hanc partem cum præcedenti ita connectit; *Cuius nec pater, nec mater scribuntur in generationibus, seu genealogijs*. Sed in Græco manifestè asyndeton est eam coniunctionem respiciens. At dicet aliquis; Quorsum addidit, *sine genealogia*, cũ iam dixisset, *sine patre, sine matre*? Quæ pars genealogiam satis videbatur exclusisse. Responderi potest, ea parte remoueri genus, à quo Melchisedech descendit, id est, maiores; non autem genus, cuius ipse princeps fuit, id est, posteros ac nepotes. Proinde huius generis gratia additum esse, *sine genealogia*. Nam vtroque modo *genus* accipi constat, etiam apud Græcos; vt & *generationem* apud Hebræos. Vnde est illud Gen. 5. *Hic est liber generationis e Adam*, & cap. 10. *Ha generationes filiorũ Noe*, & cap. 11. *Ha generationes Thare*; cũ posteros eorũ vellet recensere. Sic quidẽ Hieronymus hãc partẽ intellexit, quando eam interpretatur, *sine nuptijs*; lib. 1. contra Iouinianum. Per nuptias enim genº in posteros propagatur. Vnde & martyr Ignatius in epistola ad Philadelphios, Melchisedech recẽset inter sanctos qui cælibẽ vitã duxerũt. Fauet etiã hic sēsus mysterio. Nã sicut parte præcedente significatur æterni-

tas Christi sine principio: ita hac parte significatur eiusdem aeternitas sine fine. Quod si tamen hoc minus placet, propter illud quod infra dicit, *Cuius autem generatio &c.* ubi genus prioris modi videtur intelligi: licebit hac parte simul utrumque genus complecti; ut sensus sit, Cuius nec pater, nec mater, nec omnino maiores, aut posteri scripti leguntur.

NEQUE INITIUM DIERV, NEQUE FINEM VITAE HABENS. Videlicet in scripturis, ut dictum est. Nam scriptura de Melchisedech loquens, nec quando natus sit refert, nec quando mortuus. Imo natiuitatis & mortis eius omnino non meminit. Quod verò Tertullianus sub finem libri de praescriptionibus hanc partem paraphrastice ita reddit; *Cuius neque initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehendi possit;* ad rem per Melchisedech adumbratam, id est, ad Christum, proprie pertinet.

ASSIMILATUS AUTEM FILIO DEI; MANET SACERDOS IN PERPETUUM. Absolvitur hic periodus inchoata ab initio capituli. Melchisedech assimilatum filio Dei nonnulli intelligunt quòd, praeter omnia iam enumerata, etiam vita & actionibus suis Christum Dei Filium expresserit. Atqui verisimilius est apostolum ad superiora respicere; quasi dicat in illis omnibus eum gessisse figuram & similitudinem filij Dei. Refelluntur hac parte qui Melchisedech dixerunt esse filium Dei. Nam quomodo, si esset Dei filius, assimilatus diceretur filio Dei? Quod sequitur: *Manet sacerdos in perpetuum,* similem cum superioribus sensum habet. Sicut enim patris, ac matris, ac generis expers dicitur Melchisedech; & nec initium vitae, nec finem habere; quia nihil horum scriptum est: ita manere dicitur sacerdos in perpetuum, siue in aeternum (hac enim apostolo sunt eadem) quia de fine sacerdotij eius nihil scriptum invenitur. Hic iam quaerendum, quo pacto quae de Melchisedech dicta sunt ab eo loco, siue patre &c. applicanda sint ad Christum Dei filium. Nam quomodo Christus sine patre, sine matre; qui & patrem habet ab aeterno secundum naturam diuinam, & matrem accepit in tempore secundum naturam humanam? Quomodo, inquam, sine patre, quem ipsum hic nominat filium Dei? Item quomodo sine genealogia: cum longa serie eum describant Matthaeus, & Lucas; Nec secundum naturam superiorem genealogia careat, qui patrem habet? Multi respondent, Christum esse sine patre, sine matre; quod patre careat secundum naturam humanam; matre, secundum diuinam. Item, sine genealogia; quod nec diuina eius generatio mente comprehendere possit, nec humana per naturam cognosci. At verò apostolum hęc spectasse non est verisimile. Neque enim significat Melchisedech fuisse typum Christi peculiariter in eo quòd est sine patre, sine matre, sine genealogia; sed

in eo, quòd nec initium dierum habet, nec finem vitae: per hoc enim aeternitas manifeste significatur. Ut autem scriptura Melchisedech introduceret nec initium nec finem vitae habentem; oportuit patrem eius & matrem & genus rari. Nam si horum quicquid proditum fuisset: iam hoc ipso diceretur eum non esse principij & finis expertem. Sentit igitur apostolus, per hęc omnia silentio suppressa, quatenus seruiunt aeternitati significandae, Melchisedech praetulisse in se figuram Christi aeterni. Notandum obiter aduersus Arianos apostolicum dogma, filium Dei non habere principium, ex quo ceperit esse; licet principium, & ut Graeci loquuntur hoc loco, causam habeat, à qua sit genitus, ipsum scilicet Patrem.

INTVEMINI AUTEM QUANTVS SIT HIC. Attentionem excitat quum dicit, *Inuenimus.* Quamuis enim Graecum verbum, aequè ut Latinum, ambigui sit modi; contextus tamen sermonis imperatium magis postulat. Vnde Erasmus vertit considerate. Obseruant etiam Sasboldus & Galenus, Graecum *θεωπετιν* scholasticum esse verbum, Theologis accommodatum, qui scripturas allegoricè tractant. Quomodo Dionysius & Chrysostomus eo vocabulo vtuntur. Nam & in vniuersum, scientiae, quae in nuda veritatis contemplatione versantur, theoreticae dicuntur, id est contemplatiuae. Quasi ergo dicit apostolus; Hic mecum exercete theoriam vestram allegoricam, & considerate quantus sit Melchisedech; videlicet in typo & significatione; vt qui ipsi etiam Abrahamo videatur praelatus. Hoc enim est quod sequitur,

CVI ET DECIMAS DEDIT DE PRAECIPUIS ABRAHAM PATRIARCHA. Erasmus & Hentenius vertunt, *de spolijs;* Theophylacti interpres, *de primitijs;* quomodo etiam legit Augustinus lib. 10. de gen. ad literam cap. 19. Graeca vox *ἀποθιμια* significat praecipua quae siue ex frugibus, siue ex spolijs Deo solent offerri: tamen nonnulli putant ad ea proprie pertinere, quae propter liberationem est periculo quopiam, offeruntur. Cum autem in Genesi legatur Abraham dedisse decimas ex omnibus; quod & hic paulo antè dixit apostolus: nunc dicit, *ex praecipuis;* explicandi simul & amplificandi causa. Non enim sensus est, Abraham selegisse praecipua, quae habebat in spolijs, & ex ijs praecipuis decimam partem dedisse Melchisedech (nam hoc pacto non omnium spoliiorum decimas dedisset): sed, pro decimis elegisse ex spolijs praecipua & praestantissima, quae daret. Id enim & postea in lege praecipuum fuit, pro decimis meliora seligenda esse. Num. 18. Nam et si legi satisfaceret qui daret decimam secundum iustam aestimationem: tamen pietatis erat, ac promptae voluntatis, meliora dare; praesertim, quia cauendum omnino erat, ne deteriora daretur. hoc enim iniusticiae ac defraudationis crimen fuisset: medium autem,

quod

quod neque excederet, neque deficeret, exactè inuenire difficile erat. Abraham verò, qui ante legem fuit, quae animi liberalitate decimas dedit, lege non astrictus; eadem pro decimis obtulit, ac dedit praestantiora. Solum hunc indicauit Syrus interpres, quando vertit; *decimas & primitias:* exegeticè coniunctionem accipiens, quasi dicat; decimas, quae essent prima, seu praecipua. Porro epitheton *patriarcha,* manifestam emphasim habet in Graeco; tum propter articulum appositum, tum quia à nomine separatum, & post sententiam quasi completam, studiosè adiunctum. Sic enim dicitur: *Cui & decimas Abraham dedit ex praecipuis, ille patriarcha.* Nomen *patriarcha,* si etymon spectes, sonat aut *patrem principem,* hoc est, eum qui non quomodocumque pater est, sed princeps alicuius familiae, seu cognationis ex se genitae; aut *patrum principem,* id est, eum ex quo patres orti sunt. Quae duae interpretationes etiam parum differant; posterior tamen magis videtur consentanea scripturis. Nam 1. Par. 8. ubi noster textus habet: *Hi patriarchae & cognationum principes, qui habitauerunt in Hierusalem:* in Hebraeo legitur: *Hi capita patrum, generationibus suis capita.* Sed & in praecedentibus eiusdem loci, haec appellatio saepe repetitur; quae videlicet *capita patrum* dicuntur, qui familiarum sunt principes. Vnde & hoc loco, pro *patriarcha, caput patrum* Syrus interpres posuit. Cum igitur Isaac & Jacob, & huius duodecim filij vocantur patriarchae, vt Act. 7. Item David, Act. 2. eadè istius vocabuli significatio retinenda est. Omnes enim hi, propagatione generis, multorum patrum principes & capita facti sunt. Sed Abraham praeter aliud illud nomen ascribitur; quoniam inter patres, quorum nomine Iudaei gloriantur, Abraham supremus est, idemque praecipuus. Itaque sensus apostoli est: Perpendite quantus sit ille, cui, tanquam Dei Sacerdoti, magnus ille patriarches Abraham decimas liberaliter obtulit; ipsaque decimarum oblatione minorem se illo professus est: Atque hinc colligite, etiam sacerdotes vestros Leuiticos, ex Abraham progenitos, eodem Melchisedech inferiores esse: & proinde sacerdotium Christi, cuius typum gessit Melchisedech, sacerdotio Leuitico longe praecellere. Huc enim tendit apostoli disputatio, quemadmodum sequentia docent.

ET QUIDEM DE FILIIS LEVI SACERDOTIUM ACCIPIENTES. Hoc est: Et ij quidem qui ex filiis Levi sacerdotio funguntur. Ita loquitur, quia non omnes Leuitae sacerdotes erant; sed ex ijs soli filij Aaron. Quare praeter apostoli mentem est, quod Erasmus, hac in parte etiam à Caluino reprehensus, plano textu relicto, coacta quadam paraphrasi vertit: *Qui quod sint de numero filiorum Levi sacerdotij functionem sumunt;* quasi causa significetur. Quod non voluit apostolus.

MANDATVM HABENT DECIMAS SUMERE A POPULO SECUNDVM LEGEM. De-

decimas sumere, vnum in Graeco verbum est *ἀποθιμια*, id est, decimare. Quod & simpliciter *ἀεκατῶν* dicitur, vt hic infra, semel & iterum. Quare ad verbum è Graeco vertendum esset, *decimare populum.* Sed interpretes sensum optimè reddiderunt. Legitur idem vocabulum Matt. h. 23 & Luc. 11. *Vae vobis, qui decimatis mentem &c.* Verum ibi non significat accipere decimas, sed dare: sicut & Luc. 18. *Decimas de omnibus quae possideo.* Et apud Lxx. Deut. 14. *Decimam decimabis de omnibus fructibus, &c.* Licebit consulere Iansenium in c. 84 Concordiae euangel. de voce tam Graeca quam Hebraeae, quae nunc actiue nunc passiuè sumitur. Lex, cuius meminit apostolus, habetur Num. 18. *Filij Levi, ait Dominus, dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo foederis.* Et infra. *Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.* Vbi primum quaeritur, quomodo dicat apostolus sacerdotes habere mandatum accipiendi decimas à populo, cum lex non praecipiat accipere, sed dare. Respondent B. Thomas & Sasboldus, mandatum intelligi populo datum, sed pro sacerdotibus constitutum: vt sensus sit; Mandatum habent; quo populo praecipitur decimas ipsis dare: ex quo consequens fit eos habere potestatem accipiendi decimas à populo. Verum simplicius est, si dicamus mandatum sumi generaliter pro constitutione legis, siue praecipientis siue concedentis, ac potestatem facientis, siue tantum permittentis. Sic Act. 15 dicunt apostoli: *Quidam ex nobis exeuntes inurbauerunt vos, quibus non mandauimus,* id est, quibus à nobis non est facta potestas. Et Marc. 10 Pharisaeis dicitibus: *Moyse permittit libellum repudij scribere & dimittere, respondens Iesus ait; Ad duriciam cordis vestri scripsit vobis praecipuum istud,* id est, constitutione permissiuam. Ergo sensus apostoli est; Sacerdotes habere decretum legis, quo detur eis potestas accipiendi à populo decimas. Vnde ex hoc loco non habetur, sacerdotes praecipuo teneri ad accipiendum, siue exigendum decimas; aut alia iura sibi à populo debita. Quanquam non negamus reuera teneri, quatenus interest ecclesiae & successorum. Alioqui, tempore & loco dissimulandum esse ius huiusmodi, seu vitandi scandali, seu promouendi euangelij causa; praecclare suo exemplo nos docuit Paulus 1 Cor. 9.

Alia quaestio est, cur mandatum decimarum peculiariter assignet sacerdotibus, cum non soli sacerdotes, sed in vniuersum Leuitae, secundum legem Num. 18 supra citatam decimas acciperent. Huius duplicem adfert rationem B. Thomas, utramque in verbis ipsius legis satis euidenter fundatam. Vna ratio est, quia Leuitae non accipiebant decimas, nisi in quantum erant sacerdotum ministri; atque ita non propter ipsos, sed propter sacerdotes dabantur eis decimae. Altera ratio, quia Leuitae decimas accipiebant deciman-

das; vt qui decimam decimæ soluere debebant sacerdotibus. Itaque soli sacerdotes sic accipiebant, vt non soluerent. Nam quod lex statuit, vt Leuitæ decimam partem decimæ dent Aaroni sacerdoti; non ad solum pontificem putandum est pertinere, quod sentit Liranus, sed in Aaron, posteritas eius, quæ tota sacerdotalis erat, intelligenda venit: quemadmodum post Aquinatem Caietanus intellexit in commentario Num. & ante vtrumque B. Hieronymus, exponens illud Ezech. 45. *Et hæ sunt primitiæ quas tolletis.* Imò & Iosephus lib. 4. antiq. Iud. cap. 4. Qui sanè, cum sacerdos Leuiticus fuerit, vsum huius legis ignorare non potuit. Sed quoniam apostolus loquitur de decimis, quas sacerdotes accipiebant non à Leuitis, sed à populo; propterea magis placet ratio priori loco allata.

IDEEST, A FRATRIBVS SVIS. Exponit quem dixerit populum, quasi dicat, Non à populo diuersæ gentis, aut generis; sed à fratribus suis, id est, hominibus ex eodem Patriarcha progenitis. Hos enim scriptura passim fratres appellat. Cur adiecerit hanc partem, mox apparebit.

QUANQUAM ET IPSI EXIERINT DE LUMBIS ABRAHÆ. *Et ipsi* non est in Græco. Verbum *exierint*, in Latino, dubium quò referatur, ad sacerdotes, an ad fratres. Sed Græca manifestè referunt ad fratres. Sic enim habent; *id est, fratres suos* (scilicet decimant) *licet egressos à lumbis Abraham.* Hebræa phrasi, de lumbis alicuius egredi dicuntur, qui ex eo secundum carnem nascuntur. vt Gen. 35. *Reges de lumbis tuis egredientur.* Et 2 Par. 6. *Filius tuus qui egredietur de lumbis tuis.* Locutio similis illi, qua dicuntur Gen. 46. *egressus de femore Iacob sexaginta sex animæ.* Quarum quidem locutionum ratio potius ab honestate petenda, qua quod verecundū est, tegitur; vt facit Hieronymus in epistola 22 quæ est ad Eustochium cap. 5: quàm à causis physicis, quas hinc nonnulli proferunt. Nam & Syrus interpres hoc loco, & iterum pauld post, non lumbos, sed femur transtulit. Porro difficultatem hinc facit aduersariæ coniunctio *quanquam*. Non enim apparet, quem vsum habeat. Græci putant vrgeri sacerdotij dignitatem, quòd qui eo funguntur, altiores sunt proprijs fratribus, eundem secum progenitorem habentibus. Alij Græcam particulam *καί* non aduersariè accipiunt, sed ætiologicè; quasi dicat apostolus, à fratribus suis, vt pote, egressis, perinde vt ipsi, è lumbis Abraham. Qui sensus clarus est, & ab Erasmo redditus in paraphrasi; prior tamen videtur melior.

CVIVS AVTEM GENERATIO NON ANNUMERATUR IN EIS, DECIMAS SVMPIT AB ABRAHAM. Græca sic sonant: Qui autem non est genealogizatus ex eis &c. Syrus ita vertit: Qui non est scriptus in genealogijs ipsorum. Græci verbi significationem iam

antè exposuimus tractantes illud: *sus genealogia.* Quod autem in Græco est, *ex eis*, Salsboldus exponit, *inter eos*; vt conveniat cum vulgata versione. Potest etiam sic intelligi, *ex eis*, id est, ex eorum maioribus; vt sit sensus: Ille verò, qui nusquam in genealogijs illius populi recensetur tanquam ex ipsorum patribus ortus; accepit decimas ab Abraham. Hinc innuitur Melchisedech non prorsus caruisse genere. Qui enim dicit genus eius non recenseri inter illos, aut ex illis; tacitè significat eum aliunde genus habere. Nunc argumentationem apostolicam explicemus. Sacerdotes, inquit, Leuitici decimas accipiunt à fratribus, id est, Abraham posteris; nec vltra se ius eorum & dignitas extendit: At Melchisedech, quamuis alienigena, ab Abraham Patriarcha, ac totius generis auctore, decimas accepit. Item, Illi decimas accipiunt legis beneficio; idque non nisi probent genus suum: Atqui nihil tale Abraham à Melchisedech requisivit vt ei decimas daret; sed vltra obtulit, solam in eo dignitatem reueritus. Ex quibus omnibus facile est ratiocinando colligere quanto fuerit maior Leuitis Melchisedech; maiusque sacerdotium huius, sacerdotio aliorum. Quod si Melchisedech typus fuit & figura Christi, sicut ostensum est supra: quanto iam oportet ipsum Christum, eiusque sacerdotium Leuitis, & Leuitico sacerdotio præcellere!

ET HVNC, QUI HABEBAT REPROMISSIONES BENEDIXIT. Commodè subnectit alterum argumentum, à benedictione sumptum, quo doceat Melchisedech fuisse Abrahamo maiorem. Sicut enim sacerdoti competit ius accipiendi decimas; ita & officium benedicendi. Quasi ergo dicit; Adhuc intuemini quantus sit hic, qui Abraham benedixit viro tanto, qui promissiones haberet. Est enim epitalis in illa notatione, *qui habebat repromissiones.* Nā significatur eximia quædam dignitas Abraham; quem vnum ex omnibus elegisset Deus cui magnificas illas faceret promissiones, quas in Genesi legimus. Iam enim dicitur erat ei à Domino Gen. 12. *Faciame in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus.* Itē: *In te benedicentur vniversæ cognationes terræ.* Et cap. 13. *Omniem terram, quam conspicias, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum; faciamq; semen tuum sicut puluerem terræ &c.*

SINE VLLA AVTEM CONTRADICTIONE, QUOD MINVS EST, A MELIORE BENEDICTIVR. *Contradictione*, id est, controuersia. Sic enim eandem vocem Græcam vertit ca. superiori. Et quod habemus: *à meliore*; alij vertunt. *à maiore*, vel, *ab eo quod maius est.* Minus enim dicitur respectu maioris. Interpres Theophylacti transtulit, *à potiori.* Græcus comparatiuus *ὑπείτερος* ad hæc omnia facile patet. Illud obiter admoneo, quamuis dictio, *minus*, etiam in Græco sit neutri generis; obliquum tamē *meliore*, etiam in Græ-

co pos-

co posse ad vtrumque genus accommodari, neutrum scilicet, & masculinum. Ac fortè rectius masculinum intelligitur. Nam etli nō solum personæ, sed & res benedicuntur: benedicere tamen propriè solius personæ est. Itaque malim, *à meliore*, vel *à maiore*; quàm cum Erasmo, *ab eo quod maius est.* Porro perspicua est apostoli argumentatio. Minor est, qui benedicitur, maior qui benedicit: Atqui Melchisedech benedixit Abraham, ergo est eo maior. Ex qua conclusione quid vltèrius colligi velit, iā supra diximus; & ipse pauld post aperiet. Sed dicit aliquis; Quomodo sine controuersia verum est, id quod minus est, à maiore benedici; quum & homines Deo benedicant; & minores maioribus sæpe fausta precentur, quòd est benedicere? Respondeo, præter eam benedictionem, qua Deus benedicere dicitur creaturis quando eis benefacit; duplex esse benedictionis genus in scripturis. Est enim benedictio laudis, & gratiarum actionis; qua homines Deū benedicere dicuntur. Est & benedictio bonæ imprecationis qua scilicet homines hominibus ea quæ bona sūt & salutaria, precantur à Deo. Sed hoc secundum genus rursus duplex est. Alia namque vulgaris est benedictio; ad quam sufficit animus fauens & beneuolus: Alia solennis; ad quam requiritur vel officium publicum, vel autoritas. Priori modo non solum maiores minoribus, verum etiam æquales æqualibus, & minores maioribus benedicunt. Imo & pueri Hebræorum hoc genere benedictionis erga Christum vsi sunt, quando ei acclamauerunt, Hosanna: & Simeon senex erga Mariam, & Ioseph, quando eis benedixit, Luc. 2. & secundum quosdam etiam erga puerum Iesum. Posteriori modo, primum quidem sacerdotes tanquam ministri & vicarij Dei benedicunt populo, sicut eis præceptum fuit Num. 6. præscripta etiam verborum formula, quam sequerentur. Vnde & ratam eorum benedictionem se habiturum, Dominus ibidem pollicetur, dicens: *Inuocabuntq; nomen meū super filios Israël, & ego benedicam eis.* Itē, Christus omnium sacerdotum summus, hoc modo benedixit parvulis Marci 10. & discipulis suis Luc. 24. Deinde, pertinent huc benedictiones, quibus Isaac & Iacob filijs benedixisse leguntur Gen. 27 & 48. Necnon ea benedictio, qua Salomon benedixisse legitur omni ecclesiæ Israël, id est, populo ad dedicationem templi congregato. Iuxta hunc posteriorem modum, extra controuersiam est id quod minus est, à maiore benedici: licet contingat eum, qui vel officio, vel autoritate maior est, vt benedicere possit; alijs partibus esse minorem, vt sanctitate, vel potentia seculari. Quod autem hoc modo Melchisedech benedixerit Abraham, manifestum est ex historia, tū quia describitur sacerdos Dei altissimi, tum quia decimas ei dedit Abraham.

Quod verò obijcitur à nonnullis Romanum Pontificem consecrari ab episcopo O-

stiensis, & archiepiscopum ab episcopis suffraganeis; & corpus Domini à sacerdote; ac proinde quod maius est à minore benedici etiam solenni benedictione, quæ ex officio fiat: bene diluit B. Thomas in commentario. Responder enim, propriè nec episcopum consecrare papam; nec suffraganeos archiepiscopum: sed hunc hominem, vt sit papa vel archiepiscopus. Similiter nec sacerdotem benedicere corpus Christi, sed materiam, id est, panem, vt ex eo fiat corpus Christi.

Monetur hinc & alia quæstio; quomodo Melchisedech benedixit Abraham, & ab eo decimas accepit tanquam Dei sacerdos; atque hac ratione ostenditur eo maior; quum & ipse Abraham fuerit Dei sacerdos, idemque minimè subiectus Melchisedech, sed ex diuerso genere ac gente? Sacerdotem enim fuisse constat, non quidem ex eo, quia primogenitus fuit (hæc enim parum certa & firma nobis videtur probatio) sed quia scriptura Gen. 15. & ex ea Canon Missæ restantur eum obtulisse Deo sacrificium. Quod vtiq; proprium munus est sacerdotis. Vnde & S. Thomas 3 q. 31 ar. 2. non dubitat affirmare Abraham fuisse sacerdotem. Responder Abulensis scribens in Gen. Abraham non fuisse ex officio sacerdotem potius quàm alios; sed, cum lege non prohiberetur, licuisse runc ei, sicut & alijs promiscue, sacrificia offerre. Sed hæc sententia potestatem sacrificandi sub lege naturæ nimium laxat. Sacerdos enim, etiam ex ipsa naturæ lege, pro populo constituitur; non autem quiuis ex populo. Magis verisimile est huiusmodi potestatem ad principes familiarum aut ciuitatū pertinuisse; atque eos vel per se id muneri obiuisse; sicut fecerunt Noe & Abraham; vel certos aliquos designasse, quorum illud esset officium. Potius ergo dicendum videretur, Abraham, vt prophetam, agnouisse in Melchisedech panem & vinum offerente, singularem quandam figuram Christi sacerdotis, quàm nec in se, nec in alijs sacerdotibus agnosceret; & hac causa veneratum fuisse eum oblatione decimarum & acceptione benedictionis, tãquam se maiorem. Nam & inferior sacerdos à superiore benedictionem accipit; vt presbyter ab episcopo: Et vsus fidelium habet, vt benedictionem petant ab episcopo vel sacerdote, tametsi non suo. Non enim ad hunc actum iurisdictio necessaria est. Sic igitur & decimas obtulit honoris causa, non debiti; & quidem vt minor, non tamen vt subiectus. His accedit quòd Melchisedech non depingitur nobis qualiscunq; sacerdos, sed pontifex, siue (vt in Canone Missæ recitatur) summus sacerdos. Neque enim Christus vocaretur secundum ordinem Melchisedech pontifex, seu princeps sacerdotum, Græcè ἀρχιερεύς, vt habetur in fine capituli præcedentis, & alibi; si Melchisedech pontifex non fuisset. Ex quo apparet eum ita fuisse sacerdotem, vt etiam alijs quibusdam sacerdotibus præflet.

Quod

Quod non mirum; siquidem rex erat. Item, fuisse nominatum ac celebrem sacerdotem; ad quem sacrificij causa multi aliunde confluerent: ut ob hæc non immeritò Abraham, qui sacerdos erat, non pontifex, nec nisi suæ familiæ sacerdos; illum velut se maiorem ac digniorem honorandum putauerit.

8 ET HIC QUIDEM DECIMAS MORIENTES HOMINES ACCIPIUNT. Hac parte præstantiâ sacerdotis Melchisedech supra Leuiticum, asserit à perpetuitate. Iam enim dixerat, Melchisedech neque initium dierum, neque finem vitæ habentem, manere sacerdotem in perpetuum. Ex eo nunc collationem instituit cum Leuitico sacerdotio. *Et hic quidem*, inquit, hoc est, in lege, constituta Num. 18. qui decimas accipiunt, homines mortales sunt, quorum morte ius ad alios transit.

IBI AUTEM CONTESTATUR QVIA VIVIT. Multi Latinorum suppleunt, *contestatur scriptura*: tale quid enim videtur desiderari. Sed sciendum in Græco esse participium *μαρτυρουσιν* pro quo verisimile est interpretem vertisse, *contestatus*, vel *qui contestatur*, sensu passiuo. Sic enim & alibi verbis, & participijs deponentibus vitur interdum; ut supra in hoc capite, *qui interpretatur*. Sic etiam accipienda lectio quæ est apud Augustinum lib. 10 de Gen. ad lit. cap. 19. *Ibi autem qui testificatur se vivere*, id est, qui testimonium habet suæ vitæ. Porro clarius id ipsum verterunt Erasmus, & Hentenius: *is de quo testatur est, quod vivat*. Syrus autem addito nomine sic reddidit: *Is de quo testata est scriptura, quod vivat*. Sensus igitur est; *Ibi verò*, id est, in historia Genesis, decimas accepit is, cui testimonium perhibetur in scriptura, quod vivat; quatenus scilicet introducitur vivens, nulla de morte eius, aut successore, facta usquam mentione. Nam Aaronis, Eleazari, & aliorum sacerdotum Leuiticorum mortem, & successores in scriptura legimus: At de Melchisedech nihil eiusmodi; ut ipso silentio perpetuitas sacerdotij Christi, cuius ille typum gerebat, ostenderetur: quemadmodum expositum est illud superius, *sine patre, sine matre, & quæ sequuntur*. Sunt qui existiment apostolum respicere ad versum psalmi; *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Verum illic non Melchisedech, sed antitypon eius Christus prænunciatur sacerdos in æternum.

9 ET, UT ITA DICTVM SIT, PER ABRAHAM, ET LEVI, QV DECIMAS ACCIPIT, DECIMATUS EST. Pro *accepit*, in multis tam impressis, quam manuscriptis codicibus, & quorundam Latinorum commentarijs, legitur, *accipit*, præsentis tempore. Quæ lectio consonat Græco textui. Iuxta quem etiâ Augustinus loco supra citato legit ad hunc modum; *Propter Abraham & Levi accipiens decimam, decimatus est*. Vbi quod habet, *propter Abraham*, Græca quidem etiam admittit; sed, ut potius vertatur, *per Abraham*, sicut

habent omnes aliæ interpretationes; sensus Apostoli planè requirit. Est autem hæc extensio superioris argumenti, quo conclusum erat Melchisedech esse Abrahamo maiorem, propterea quod & decimas ab eo accepisset, & benedictionem impertisset. Poterat enim quæri, *Quid hoc ad Leuitas aut Leuiticū sacerdotium tanto post institutum; maxime cum Leuitici sacerdotes non soluant decimas, sed accipiant?* Id quomodo ad Leuitas pertineat, nunc docet: Quoniam, inquit, per Abraham, etiam decimas accipit decimatus est. Hoc est, In Abrahamo decimas dante sacerdoti Melchisedech, etiam Leuitica tribus, quæ secundum legem decimas accipit à fratribus, decimas dedit: & consequenter (quod apostolus intelligendum reliquit) etiam benedictionem accepit. Nam & ipsa decimarum pensione proficiuntur homines se vicissim expetere & expectare benedictionem à sacerdote ut Dei ministro. Quoniam autem obscure, minusque propriè dicitur eum, qui non est, decimari per alium; iudeo præmolli sermonem, inquit, *ut ita dictum sit; siue, ut ita dicam*; quasi dicat, *quodam modo loquendi*. Deinde quo sensu dictum sit explicat verbis subiunctis.

10 ADHVC ENIM IN LUMBIS PATRIS ERAT, QUANDO OBVIAVIT EI MELCHISEDECH. Dixi, inquit, Levi decimatum fuisse per Abraham: quia quando Melchisedech obuiam iuit Abrahæ, & decimas ab eo accepit; Levi cum tota sua posteritate adhuc erat in lumbis patris, id est proavi sui Abrahæ: ut propterea cum eo, & per eum, decimatus iure censeri debeat. Nam sicut mysterij causa factum est, ut Abraham decimas daret Melchisedech; ita quoque, eiusdem mysterij ratione, non tantum pro seipso dedit, ac dare se fortassis intellexit, sed & pro tota sua prosapia, quæ in lumbis ipsius esset: in qua erant & Leuitæ; præsertim cum tota dignitas illius generis, ut ait S. Thomas, ex Abraham esset. Quo proinde decimato, tota generis massa decimata intelligitur. Iam si Leuitæ decimati sunt à Melchisedech; sunt igitur eò minores, & per consequens eorum sacerdotiū inferius sacerdotio Melchisedech, ac multò magis sacerdotio Christi, per sacerdotium Melchisedech præfigurato. Sed dices, hac ratione Christum quoque Melchisedech minorem ostendi. Nā sicut tribus Levi decimata est in Abraham; sic & tribus Iuda ex qua ortus est Christus, ut infra dicitur. Erenim non minus Iuda, quam Levi, in lumbis erat Abrahæ, quando obuiavit ei Melchisedech. Hunc nodum ita nonnulli solvunt, ut dicant ab hac lege decimationis illum exceptum intelligi debere, cuius figura fuit ipse decimarum acceptor, id est, Christum. Aliter, ac nostro iudicio doctius, soluit Augustinus lib. 10 de Gen. ad lit. cap. 20. Respondet enim non ita Christum in lumbis Abrahæ fuisse, sicut Levi, & cæteros Abrahæ posteros. Nam, inquit, *secundum ratio-*

nem seminalem ibi fuit Levi; qua ratione; per concubinum, venturus erat in matrem: secundum quam rationem non ibi erat Christi caro. Et post pauca: *Levi in lumbis fuit Abrahæ secundum concupiscentiam carnalem; Christus autem secundum substantiam corporalem. Cum enim sit in semine & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio: utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam, usque ad corpus Mariæ; quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est. Christus autem visibilem carnis substantiam de carne virginis sumpsit: ratio verò conceptionis eius non à semine virili, sed longè aliter, ac desuper venit*. Hæc & plura eo loco Augustinus. Verum instabis adhuc, & quæres, cur Christus ob id saltem non possit dici decimatus in Abraham, quia in lumbis eius fuit secundum corporalem substantiam; quandoquidem hac ratione verè & propriè vocetur filius Abrahæ Matth. 1. & semen eius Gen. 22. & Gal. 3. sicut & filius David, apud euangelistas; & fructus ventris eius, psal. 131. Ad hoc respondet quidam Christum idcirco non esse decimatum in Abraham, sicut cæteros eius filios, quia non sic omnino filius Abrahæ fuit, ut cæteri; ut pote qui non solum nati fuerint ex ijs, quos Abraham per concubinum procreavit, verum etiam à proximis parentibus ipsi simili modo geniti. Quod à Christo alienum est: Is enim etsi natus sit ex matre per concubinum procreata; non tamen ipse ex ea sic genitus est. Summa responsionis est, decimatum servitutem sequi naturalem modum nascendi, non supernaturalem: quia qui hoc modo nascitur, sicut naturali lege nascendi superior est, ita & lege decimatum. Ita quidam, non malè. Sed plenior, ac profundior huius obiectionis solutionem, ut pote sumptam ex mystica ratione decimationis, indicat Augustinus eodem loco, verbis sequentibus; ubi ait: *Non autem & ille ibi decimatus est, cuius caro inde non feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertineat; illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur; non illud, unde curabatur. & quæ sequuntur*. Ex quibus intelligitur: solos illos Abrahæ posteros in eo decimatos fuisse, & benedictionem accepisse, qui secundum carnalem concupiscentiam ex eo geniti, iudeoque peccato, ac maledicto obnoxij decimatione egerunt, contra culpam; & benedictione contra maledictionem. Ideo namque decimæ sacerdoti offeruntur, ut ille pro peccatis offerentium deprecetur. Cum igitur Christus solam carnis substantiam ex Abraham traxerit, non etiam vicium carnis inde contraxerit: utique nec decimatus in Abraham dicendus est, nec benedictione donatus; nihilo magis, quam dicendus sit in Adam prævaricatus, in cuius idem lumbis secundum corporalem substantiam, non secundum carnalem concupiscentiam fuit. Hanc Augustini responsionem probant & explicant Hugo Victorii-

nus lib. 2 de sacramentis cap. 5. & Petrus Lombardus lib. 3. sent. dist. 3. & communiter sequuntur scholastici doctores.

Sed priusquam progrediamur in commentario, remouenda est quædam hæreticorum obiectio, quam ex Apostolo de Melchisedech differente mouent Catholicis, aduersus sacrificium Missæ, quod in ecclesia iugiter celebratur. Cum enim Catholica sit doctrina sacrificium hoc esse institutum à Christo in vltima cæna, quando sub speciebus panis & vini corpus suum & sanguinem Deo Patri obtulit, tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech; de quo legitur Gen. 14. quod protulit panem & vinum, nimirum sacrificij causa, propterea quod esset sacerdos Dei, altissimi gerens in se typum Christi: totum hoc euertere nituntur huiusmodi argumentis; nimirum quod si in illa oblatione Melchisedech mysterium aliquod erat pertinens ad Christi sacerdotium; nequaquam id hoc loco prætermisisset Apostolus, qui alia, in quibus etiam minus erat momenti, (inquit Calvinus) accuratè adeo, ac propemodum scrupulosè excurrit. Ut hoc argumentum refellatur, quod est ab authoritate negatiuum; tantum opus est, ut rationem reddamus, cur apostolus oblationis illius mentionem omiserit hoc loco. Vbi primum respondeo, nos iam dudum ex apostolo didicisse, non solum in verbis scripturæ, sed interdum etiam in silentio mysterium subesse. Sicut ergo silentium Moyfi de natiuitate, morte, parentibus, ac genere Melchisedech non caret mysterio: ita dicimus silentium Pauli de pane & vino à Melchisedech oblato, non carere iustissima ratione. Quare qui ex hoc Pauli silentio statuunt errorem suum, quo negant sacrificium Missæ, non dissimiles sunt antiquis hæreticis, qui ex memorato Moyfi silentio, colligebant Melchisedech esse vel Dei filium, vel Spiritum sanctum. Porro rationes, cur de sacrificio panis & vini, tacuerit apostolus; sunt duæ. Prior & præcipua, quia mentio illius sacrificij nihil faciebat ad apostoli institutum. Quoniam enim Hebræi ad quos scribit, quibus iam fidem amplexi, tamen adhuc in precio habebant sacerdotium Leuiticum, & ab eius ministerio per sacrificia purgatione peccatorum expectabant; studium apostoli est eos ab illo infirmo, iamque mani sacerdotio, renocare, atque ad Christi sacerdotium, & vim eius agnoscendam adducere. Multa igitur præfatus in præcedentibus de excellentia personæ Christi; tandem ad sacerdotium eius descendit. Cuius dignitatem ut commendet, profert in medium sacerdotem Melchisedech tanquam typum Christi sacerdotis, ut cui dictum sit à Deo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: atque ex ijs, quæ scriptura de Melchisedech tradit, Christi sacerdotis eminentiam supra Leuiticos sacerdotes ostendit. Huc ergo pertinebat ut diceret Melchisedech decimas accepisse ab A-

braham,

braham, & ei benedixisse. Per hoc enim ostenditur maior ipso Abraham, & Leui pronepote eius, ac tota Leuitica tribu; sicut ex superioribus patet. Eodem spectat quod nomen ipsius, & nomen ciuitatis, in qua regnabat, interpretatur. Denique quod docet, quodammodo æternum fuisse. Valent enim hæc omnia ad demonstrandam excellentiam Christi supra sacerdotes Leuiticos. Quod verò Melchisedech panem & vinum obtulisse legitur, tale non erat ex quo posset argumentum probabile sumi præcellentiae eius supra sacerdotes legis: tum quia si res in se spectetur non maius est offerre panem & vinum, quam sacrificare viuia animalia; tum quoniam & Aaronici sacerdotes secundum legem offerebant quædam eiusmodi. Non erat ergo, cur apostolus de pane & vino à Melchisedech oblati ingereret mentionem. Quin potius, ut eam rem silentio tegetet, altera ratio, quam promissi, suadebat. Etenim sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod illa prisca oblatione panis & vini præfiguratum est; mysterium erat sublimius & secretius, quam quod apostolus iudicaret lites committendum, videlicet, peruenturis, ut erat verisimile, etiam ad Iudæos infideles; quos ad Philip. 3. canes appellat. Scriptum est autem: *Nolite sanctum dare canibus.* Matth. 7. Et alioqui constat ecclesiae primitiæ proceres sollicitè cauissè ne mysteria Christianæ religionis (inter quæ, hoc eucharistiæ sacramentum, & sacrificium semper primum & maximū habitum fuit), infidelibus, & non initiatis proderentur. Vnde toties est illud apud Augustinum, & alios veteres, *Norunt fideles.* Ob quæ causam nec verba quibus sacramenta perficiuntur, facilè scripto proferebant, etiam si scriberent ad fideles: ut constat ex Dionysio eccl. Hier. cap. 1. & ex Innoc. 1. in epistola decretali. Nec incommodè huc refertur etiã illud quod apostolus cap. 5 dixit, *grandè secretum, & ad dicendum ininterpretabilem de Melchisedech sibi estare.* Neque enim putandus est omnia mystica, quæ de eo sunt, exposuisse. Verum hæc satis, ad diluendum argumentum quod ex mysterio tacito petunt aduersarij Nam ad aliud quod attinet, quo ex ipso contextu historiae Genesis ostendere conantur, in eo quod Melchisedech panem & vinum obtulisse legitur, nullum sacrificij Christiani mysterium latere; respondebitur infra suo loco.

II SI ERGO CONSUMMATIO PER SACERDOTIUM LEUITICVM ERAT: Postquam de officio & persona Christi sacerdotis egit apostolus; nunc propius ad institutum primariū accedit, ostensurus aduentu Christi, qui est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, abrogatum esse sacerdotium Aaronicum, & cum eo legem Moisaicam. *Consummatio* Græcè τελειωσις, id est, perfectio. Hoc nomine vocat iustificacionem, seu peccatorum remissionem; quod ea hominem perficiat apud Deū,

id est, amicum Dei, & regni eius hæredem constituat. Ita paulò post ait: *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Igitur hæc sententiæ, quibus perfectionem, seu consummationem adimit sacerdotio & legi veteri; conueniunt cum illis, quibus alibi vim iustificandi ab eadem lege remouet, ut Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Et Gal. 2. *Si per legem iusticia; ergo gratis Christus mortuus est.* Cæterum quod ait, *per sacerdotium Leuiticum*, id intellige potissimum de sacrificijs. Erat enim quæstio, num per sacrificia cultus Leuitici, verè & coram Deo remitterentur peccata. Qua de re ex professo disserit infra caput 9 & 10.

(POPVLVS ENIM SVB IPSO LEGEM ACCEPIT). *Sub ipso*, Græcè ἐν αὐτῷ. Quod interpretes Syrus, & alij nonnulli vertunt *in ipso*. Theophylacti interpretis modò, *ad ipsum*, modò, *super ipso*. Græci tractatores ita videtur exponere, quasi idem valeat quod *per ipsum*; faciunt enim hunc sensum: Populus eo sacerdotio vsus est, ut per ipsum erudiretur in lege, & omnia legis instituta seruaret. Verum nulla ratio est, cur ab eo quod noster interpretes vertit, quodque etiam Erasmo placuit, recedamus. Vtuntur enim Græci præpositione ἐν, quum volunt significare eum, cuius tempore aliquid gestum est, ut Marc. 2. Sub Abiathar principe sacerdotum. Luc. 3. Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha. Act. 11. Sub Stephano. Sub Claudio. 1. Tim. 6. Sub Pontio Pilato. Ita quod hæc dicitur, *Sub ipso*, id est, tempore eius, scilicet sacerdotij Leuitici, populus Hebræus legem accepit. Similis vel eadem potius locutio est infra c. 9. v. 15. *quæ erant sub priore testamento.* Sed dicces, Quomodo tempore eius; cum lex prius data sit, quam institutum sacerdotium? Lex enim data legitur Exo. 20 & sequentibus: sacerdotium autem institutum, c. 28 & sequentibus. Respondeo, legis nomine non tantum censi præcepta decalogi, & cætera decalogi subiuncta, quæ scribantur in Exodo ante sacerdotij institutionem; sed omnia Dei præcepta quæ populo per Moysen data sūt; quorum multa habentur in Leuitico, Numeris, & Deuteronomio, tradita post institutum sacerdotium. Porro simul innuit apostolus hac parenthesi, connexionem quandam legis & sacerdotij: Nam sacerdotium stabilendæ legis causa fuit institutum; Et qualis lex, tale sacerdotium. Oportet enim ut sacerdotium legi, propter quam instituitur, respondeat. Denique sacerdotium per expiatoria sacrificia veluti redintegrat quod contra legem fuit peccatum. Vnde consequenter intelligi vult ex abrogatione sacerdotij sequi legis abrogationem; vti mox apparebit.

QVADADHVC NECESSARIVM FVIT, SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH ALIVM SVRGERE SACERDOTE; ET NON SECVNDVM ORDINEM AARON DICI? Quod interpretes vertit *adhuc*, Græcè ἐτι, La-

tinus

tinus dixeris, *amplius, ultra, præterea, postea.* Quibus ferè modis alij transtulerunt. Eadem admonitio est de illo: *Noli adhuc aquam bibere.* 1. Tim. 5. Item pro verbo *fuit*, nihil legitur in Græco: relinquitur autem intelligendum *fuit aut est.* Totius periodi sensus est: Quod si, ut falsò existimatis, perfectio hominum Deum colentium, id est iustificatio, contingebat per sacerdotium Leuiticū; sub quo & cū quo populus legem accepit: quid præterea fuit opus alium ac diuersum exoriri sacerdotem, qui non secundum ordinem Aarò diceretur, sed secundum ordinem Melchisedech? Argumētatio potest sic explicari: Si Leuiticū sacerdotium imperficiēbat, ergo frustra promissus fuit à Deo per Dauidē, alius sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Hoc autē dici non potest; ergo vim perficiendū non habebat sacerdotium Leuiticum, & proinde cessare debuit ac cedere sacerdotio perfectiori; non ipsum solum, sed vnā cum lege sibi connexa. Hoc enim est quod sequitur.

12 TRANSLATO ENIM SACERDOTIO, NECESSARIUM EST VT ET LEGIS TRANSLATIO FIAT. Arbitratur Gaignæus, *enim pro autem vel atqui* positum esse, tanquā sic ratiocinetur apostolus: Si necesse fuit alterius ordinis surgere sacerdotem; ergo transferendum est sacerdotium Aaronicum: at qui translato sacerdotio, necesse est & legem transferri; Igitur, si necesse fuit alium surgere sacerdotem, legem quoque transferri oportuit. Potuit tamen retineri significatio causalis, ut hæc pars respiciat ad illā superiorem: *Populus enim sub ipso legem accepit* Quasi dicat apostolus; Ideo cum sacerdotio legem cōiunxi, ut intelligatis sacerdotium sine lege transferri non posse, sed dum illud transferretur, necessarium esse ut simul & ista transferatur. Est enim participium, *translato*, præsentis temporis in Græco: ne quis imaginetur prius transferri sacerdotium, deinde legem. Quamuis enim Christus ex quo factus est homo, sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedech; non tamen facta est veteris sacerdotij translatio, nisi quādo Christus sacerdotio functus est in cruce; quo tempore simul facta est translatio legis. Sed quare potius vtitur vocabulo *translationis* quā *mutationis*? Nimirum ut significet non quomodo eum; mutādū fuisse sacerdotiū in aliud, sed transferendū ex vna tribu ad aliā. Ex quo iam manifestius sequitur, vnā cum sacerdotio legem etiã transferri oportere: quia lege manente, non poterat sacerdotiū transferri ad aliā tribum. Porro translationem huiusmodi intelligi declarant verba sequentia.

13 IN QVO ENIM HÆC DICVNTVR, DE ALIA TRIBV EST. *In quo*, Græcè ἐν ᾧ, id est, *in quō*, vel *ad quem*. Priori modo ferè accipiunt interpretes, ut sensus sit, *in quō*, id est, *de quo*, hæc dicuntur. Sed, cum illa verba: *Tu es sacerdos in æternum* &c. (ad ea namque respicitur) non de aliquo, sed ad aliquem dicantur: nihil sanè vertat, quo minus ita vertatur, *Ad quem enim hæc dicuntur*. Explicat apostolus hac parte emphaticum vocabuli *alium*, in eo quod dixerat neces-

sarium fuisse *alium surgere sacerdotem*. Vbi Græcè est ἐρεπον, id est, alterum, diuersum. Itaque docet se alū intelligere planè diuersum, ut qui de alia tribu sit. Cū enim psalmus ille qui incipit: *Dixit Dominus Domino meo*, consentientibus etiã Iudæorum magistris, (ut ex euangelio patet) scriptus sit de Christo, quem filium esse Dauid iisdem magistri profitebantur; consequens erat eum cui dicitur in eodem psalmo, *Tu es sacerdos* &c. ad eandem tribum cum Dauide pertinere.

DE QVA NULLVS ALTARI PRÆSTO FVIT. Id est, altaris, accessit, ministravit; id est, sacerdotio functus est. Ad vnā enim tribum Leuiticam, & ad vnā stirpem Aaronicam, ius sacerdotij spectabat; idque tam exactè fuit obseruatum, ut ne eo quidem tempore, quo populus ille externis regibus parebat, vlla ambitione quisquā apud eos obtinere potuerit sacerdotiū, qui non esset de semine Aaron.

14 MANIFESTVM EST ENIM QVOD EX IVDÆIS SIT DOMINVS NOSTER. Hoc dici manifestū esse, quia res erat in confesso, non solum fidelibus, qui credebant Christum natum esse ex virgine Maria, quam constabat esse de tribu Iudæ; verum etiam Iudæis infidelibus, existimantibus Iesum esse filium Ioseph. Non enim ignorabant Ioseph esse de domo & familia Dauid.

IN QVA TRIBV NIHIL DE SACERDOTIBVS MOÏSES LOCVTVS EST. Græcè, *In quā tribu*, vel *ad quā tribum*, tamen si hic diuersa est præpositio à superiore. Nonnulli interpretantur, *de quā tribu*; quemadmodum & Syriaca translatio habet. Erasmus ita vertendum putauit: *Quod ad hanc tribum pertineat.* Alius quidā sic, *Cuius tribus respectu.* Verum & nihil hic obstare video, quo minus id quod Græca planè significat, retineatur; scilicet, *ad quā tribu*, quomodo vertit Hætenius. Moyses enim Dei iussu sacerdotes ac sacerdotiū instituens, non tribu Iudæ, sed tribum Leui allocutus est; quādo præcepit Aarōni & filijs eius, ut sacerdotio fungerentur. Ad eò verò ad tribum Iudæ nihil attinebat res sacerdotalis, ut rex Ozias, quū officij illius partē sibi vellent surpare, cōtinuò fuerit à Deo punitus. 4 Reg. 14. Norādū, in Græco & Syriaco non haberi *de sacerdotibus*, sed, *de sacerdotio*: quod cōmodiorem efficit sensum. Nā legis translationē probat apostolus ex translato sacerdotio. Porro sacerdotij translationem probat, quoniam is cui dicitur: *Tu es sacerdos* &c. de alia tribu est. Cōstat enim Christū Dominū ortū esse ex tribu Iudæ. Sed aduersus hanc apostoli probationē obijci potest, Christū non solum ex Iudæ, verum etiã ex tribu Leuitica, quæ sacerdotalis erat, genus duxisse; ideoque potuisse altari ministrare, non qua parte de tribu Iudæ erat, sed quā de tribu Leui; & proinde in firmatione cōcludi sacerdotij translationē ad aliā tribum. Etenim multorum Patrum tam Latiorum, quā Græcorum celebrata sententiā est, Christum qui rex erat & sacerdos, ad vtramque tribum pertinuisse; regiam & sacerdotale.

S C

Sic

Sic inter alios sentiunt Hilarius can. 1 in Matth. Ambrosius sub initium lib. 3. in Lucam. & lib. de benedictionibus patriarcharum c. 3 & 4. Augustinus lib. 2. de consensu euangelistarum c. 2. & q. 61. inter 83. & cum secutus Beda super Luc. 1. Denique S. Thomas p. 3. q. 31. a. 2. ad 2. Item in Græci, Nazianzenus in carmine de genealogia Christi, Epiphanius in heresi Antidicomaritarum, & Euthymius super Luc. 1. Et quidē Aug. priori loco citato dicit firmissimē tenendū esse, carnē Christi ex utroque genere propagatam. Huius sententiæ præcipuū argumentū est, quia Maria mater Domini, angelo teste, cognata fuit Elizabeth, quæ erat de filia-bus Aarō Luc. 1. Nā quod Hilarius & Ambrosius scribunt Nathā, qui apud Lucā ponitur in genealogia Saluatoris, fuisse de tribu Leui; manifestē falluntur, quū Lucas ipse de eo scribat, *Qui fuit David*. Est enim is, qui inter filios David ex Bethsabee procreatos numeratur, 2. Reg. 5. & 1. Par. 3. Quanquā etsi is esset Nathā propheta, qui Davidē reprehēdit, ut illi patres putarūt; non tamen liqueret sacerdotē fuisse. Nā extra tribū Leuiticā multi fuerūt prophetae. Lōgē minoris momenti est ea narratio, quā refert Suidas in verbo *Iesus*, ex confessione Theodosij cuiusdam Iudæi; videlicet Iesum à Leuiticis sacerdotibus in ipsorū numerū aliquādo ascriptū fuisse, quū probatum esset ex tribubus Iuda & Leui mixtū esse eius genus. Hæc enim fabulā, siue à Iudæo, siue à quoquā alio confictā; doctē refellit Hætenius ad calcē Euthymij in euāgelia, à se cōuersi. Taceo delirū Fausti Manichæi, qui ex apocrypho quodā affirmabat matrē Domini B. Mariam non ex genere David, neq; ex tribu Iuda progenitā, sed ex tribu Leui; vt quæ patrē habuisset sacerdotē quendā nomine Ioachim. Quod totū refert & ex scripturis cōfutat Augustinus lib. 23. contra Faustum c. 4. & 9. Cæterū ad objectionem respondetur; Primū, non constare, fueritne Christus aliqua parte de tribu Leui. Ita quidem opinati sunt patres memorati; sed nullo certo argumento id ab eis docetur; nec doceri posse arbitramur. Nam ad illud quod adfertur de cognatione B. Mariæ cū Elizabeth (quo argumento motus fuit S. Aug. ad illā vehementē asseuerationē) nō est difficilis respō-sio, fieri potuisse vt Elizabeth stirpis Aaronicæ mulier per matrem ad tribū Iuda pertineret. Neq; enim lege prohibebātur mulieres nubere viris diuersę tribus; nisi, sicut habetur Num. vltimo, per huiusmodi coniugium hæreditas transitura esset ad aliā tribum, & possessionū securura confusio. De ea re traditionem hanc referunt Driedo lib. 3. de dogmatibus c. 5. p. 4. Iansenius c. 3. in euang. & Ribera in commentario huius loci. Ajunt Mariam & Elizabeth filias fuisse duarum sororum de domo David, Annæ scilicet & Himeriæ; quātū illa genuerit Mariā ex Ioachim, viro eiusdem tribus ac familia; hæc autem iuncta fuerit sacerdoti, atq; ex eo suscepit Elizabeth. Quæ res si ita habet, vt certē potuit; iam apparet quomodo

cognatæ, imò cōsobrinæ fuerint inter se Maria & Elizabeth; nec tamen in parētib; Mariæ tribus Iuda cum tribu Leui quoquo pacto fuerit commixta. Suggester eandem respōsionem etiam B. Thomas loco suprā citato, licet in alteram opinionem, quæ matrē B. Mariæ ascribit stirpi Aaronicæ, magis propendeat. Sanē Chryostomus hunc locū apostoli tractans, asserit Christū nihil habuisse sacerdotij, videlicet Aaronici; quasi dicat, nulla parte sui generis attigisse genus sacerdotale. Quod & alij quidam sentiunt. Veruntamen neque id extra dubitationem est. Nā, vt probabile sit, aut etiam constet vtrumque parentem B. Virginis fuisse de tribu Iuda; fieri tamen potuit, vt quispiam ex eius maioribus, lege non prohibente, coniugē acciperet ex tribu Leui; præsertim cū inter tribum regiā & sacerdotalem satis vītata ac frequens fuisse videatur huiusmodi cōiunctio. Quare vt objectioni propositæ plenius satisfiat; dicendū est, etiā Christum ad tribū Leui pertinuisse aliquo modo, iuxta prædictorū Patrū opinionē: minimē tamē per hoc eneruari vim argumentationis apostolicæ. Nō enim absolūtē poterat quisquā apud Israelitas cēseri in aliqua tribu, nisi per patrem, lineāq; virilē; ne fortū ac possessionū, aut etiam dignitatū cuiusque tribus, permixtio fieret & cōfusio. Vnde in genealogijs textēdis viri soli nominabātur mulierū tantū obiter & ex obliquo mētio fiebat. Id quod etiā obseruare est in vtraq; genealogia Saluatoris ab euāgelistis cōscripta; necnon in omnibus alijs, quas scripturę recēsent. Tantū exceptio est in B. Virgine; quæ quia nō ex viro cōcepit & peperit, sed ex Spiritu S. nō potest à Christi filij sui genealogia remoueri, vt pote, qui non nisi per eam genus duxerit à maioribus: ita sanē, vt mater virgo, matris simul & patris vices in eius conceptione suppleret; quoniam & totam carnis Christi materiā præbuit, & vim generatiuam quā in aliarum mulierū vteris exercet semen virile, sanguinibus suis purissimis inditā accepit à Spiritu S. Ex his ergo consequitur, Aaronicum sacerdotiū ad Iesum Mariæ filium ratione generis nullo modo pertinuisse; quoniam etsi B. Maria vel matrem, vel aliquam superiorem progenitricem habuisset ex tribu sacerdotali, non ideo tamen eius filius secundum legem aut altari assistere, aut sacerdotale quicquam sibi vindicare potuit. Quare, cū scriptura per Dauidem deferat ei sacerdotium: transfertur utique sacerdotij dignitas ad hominem alterius tribus.

ET AMPLIUS ADHVC MANIFESTVM EST. Scilicet legem transferendam, atque mutandam esse. Hoc enim est quod infert quibusdam interpositis, cū ait: *Reprobatio quidem sit præcedentis mandati*. Nam instituit hic apostolus nouo argumento probare veteris legis abrogationem.

SI SECUNDVM SIMILITVDINEM MELCHISEDECH EXVrgAT ALIvs SACERDOS. Sciendū est prolixitatem periodi sequentis,

cum

cū parentesi media, à paucis animaduersam, sefellisse Erasmm & alios interpretes, imò & authorem Syriacæ translationis, vt in vertendo hoc loco minus assecuti fuerint mentem apostoli. Vnus vulgatus interpres, vt simplicius cæteris, ita & melius vertit; & quidem optimē, si textus bene distinguatur. Nam, (vt præ alijs doctē & subtiliter S. Thomas hunc locum expendit) tota oratio ab hoc initio vsque ad illud exclusiue, *Et quantum est, non sine iurciruando*, argumentatio conditionalis est, in qua sunt duo antecedentia & duo cōsequentia; Interferitur autem totius antecedētis probatio, quum dicitur, *Contestatur enim* &c. Quæ sententia si notis parentheticis intercludatur; erit cōtextus orationis apostolicæ multo clarior. Sed ad ipsius textus expositionē accingamur. Quod suprā aliquoties dixit, Christum esse sacerdotē secundū ordinē Melchisedech, id nunc dicit secundū *similitudinem* Melchisedech. Vbi non est estimandum voluisse Apostolum aliquid diuersum dicere, sed potius alterum per alterum explicare. Nam & Syrus interpres *similitudinem* vertit vbi cūque nos habemus *ordinem*. Quid verò per ordinem seu similitudinem tam propheta quàm apostolus intelligant, paulò post exponemus.

16

QVI NON SECVDVM LEGEM MANDATI CARNALIS FACTVS EST, SED SECVDVM VIRTVTVM VITÆ INSOLVBILIS. Relatiuum *qui*, sunt qui referant ad Melchisedech, vt & meminit Theophylactus; idq; nō prorsus ineptē. Nā ad Melchisedech facillē possunt hæc accommodari. Verū probatio subiuncta satis ostendit referēdum ad id quod proximē præcedit; id est, *ad alium sacerdotem iuxta similitudinem Melchisedech surgentem*, qui est Christus. Sed de partis huius intellectu non parua difficultas est. Quidam non aliud significatum putant, quàm nouum sacerdotem Christum, non secundum legem Mosaicā factum esse sacerdotem (nam ea prohibet sacerdotem fieri, qui non sit de semine Aaron) sed supra legem, virtute ac voluntate Dei, qui est author insolubilis vitæ. Alij verò sic exponunt vt præcipuē vrgeant illam partem, *mandati carnalis*; hoc nimirum sensu: Qui non sit creatus sacerdos secundum legem carnalem, id est, infirmam; vel, iuxta alios, secundum legem mandati carnalis, id est, in qua multa sunt mandata ceremonialium corporaliū, ad tempus correctionis imposita; sicut explicatur infra cap. 9. sed secundum virtutem seu potentiam vitæ indissolubilis; hoc est, accepta à Patre potestate conferendi suis vitam æternam. Ita ferē Chryostomus, & eius sequaces. Fauet etiam Syriaca versio, quæ pluraliter legit, *mandatorum carnalium*. Tertia est interpretatio Theodoretī, qui *legem mandati carnalis* intelligit dictam, propter carnalem successionem; cui iuxta præscriptum legis alligatum erat sacerdotium verus. Non enim Christus ita factus est sacerdos, vt vel ipse

priori succederet, vel alium post se relinquere; sed ex virtute diuina, quæ vitam ei præstat insolubilem, id est, immortalē, vt successori non sit locus. Senlum hunc meritō cæteris anteponit Galenus noster. Nam eum planē exigit consequentiā sermonis Apostolici. Atque eò spectat allegatio sacerdotij Melchisedech; quem dictum est neque initium dierum, neque finem vitæ habentem, assimilatum autem filio Dei, manere sacerdotem in perpetuum. Spectat eòdem probatio subsequens ex scripturā: *Tu es sacerdos in æternum*. Denique, gratior hoc modo redditur antithesis inter legem mandati carnalis, & virtutem vitæ insolubilis: Carnalis enim successio mortalitatis certissimum argumentum est. Ex his postremò liquet Apostolum sibi non esse contrarium, dum Rom. 7. legem esse docet spiritualem, hinc verò eam appellat legem mandati carnalis. Nam, quæ sensu iam explicato lex erat mandati carnalis; eadem spiritualis erat: maximē quoad præcepta moralia; quia præcipiebat ea quæ obseruata redderent hominē spiritualem & iustum.

CONTESTATUR ENIM. Græcē, *testatur enim*, subaudi, *Deum*, per Dauidem loquens ad Filium.

QVONIAM TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM SECVDVM ORDINEM MELCHISEDECH. Ex vno psalmi versiculo duplex est probatio partis præcedentis. Si enim Christus est sacerdos in æternum: non ergo successionarium, sed indissolubile habet sacerdotiū. Quod idē consequitur ex eo quod secundum ordinem Melchisedech sacerdos est. Nam in Melchisedech typum esse æternitatis Christi, satis superque declaratum est in superioribus.

Pro huius versus explicatione, quam in hunc vsque locum distulimus; duo sunt inquirenda: Quo sensu Christus appelletur sacerdos in æternum; & Quo sensu secundum ordinē Melchisedech. Ac prius quidem illud non ita difficile; quum ipsum Apostolum habeamus expōsitorem. Iā enim dixit de Christo, eum *factum sacerdotem secundum virtutem vitæ insolubilis*. Et infra expressius: *Hic autem, inquit, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotiū. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deū; semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Et iterum: *Sermo autem iuris iurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum*; scilicet, constituit. Huc etiam pertinet quod dixit cap. 5. Christum pontificem factum omnibus obtemperantibus sibi causam salutis æternæ. Quodque cap. 9. dicit eum per proprium sanguinem introiisse semel in sancta æterna redemptione inuenta. Et cap. 10. *Una, inquit, obligatione consummatis in sempiternum sanctificatos*. Ex quibus omnibus intelligitur Christum vocari sacerdotem in æternum, ratione personæ, officij & effectus. Personæ quidem ratione; quoniam ita sacerdos est, vt nec ipse cuiquam

S f 2

successerit,

successerit, nec ipsi quisquam successurus sit. Semper enim viuit: nec futurum, vt aliquādo transferatur eius sacerdotium. Officij autem ratione, quia semper apud Patrem in calis interpellat pro nobis. Est enim sacerdotis officium interpellare Deum pro salute eorum, quibus datus est sacerdos. Fungitur autē hoc officio Christus in aeternum, id est, vsque in finem saeculi; donec omnes suos electos adduxerit ad salutem. Nec verò hæc interpellatio est sine oblatione, quæ & ipsa ad sacerdotis officium pertinet: Nam continuò seipsum hominem, & vulnerum signa, quæ passus est, exhibet atque offert Patri pro salute electorū. Denique, ratione ipsius effectus; quia per sacrificium, quod semel obtulit in cruce, factus est nobis causa redemptionis & salutis aeternæ. Qua ratione ipsum etiam crucis sacrificiū vocari potest aeternum. His addi poterat ratio sumpta ab officio sacrificandi; quia nimirum Christus Dominus non solum interpellando causam electorum suorum etiamnum promouet apud Deum; verum etiam iugiter pro ijs sacrificando. Sed illud agit continuò per seipsum: hoc, per ministros ac vicarios suos sacerdotes, quibus commisit offerendum in ecclesia, vsque ad saeculi consummationem, visibile sacrificium corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini; quod tamē & ipse primus in vltima cœna obtulit. Ceterum, hæc ratio ab apostolo non est expressa, sed insinuata tantum in eo quod subiunxit; *Secundū ordinem Melchisedech*. Hoc igitur nobis explicandū restat: quo sensu secundū ordinem Melchisedech Christus sacerdos appellatus sit. *Ordinem* apostolus *similitudinem* interpretatur, vt paulò antè vidimus. Vox Hebræa, quæ in psalmo habetur, propriè *verbum* significat, sed vsurpatione generalis est, vt etiam rem, negocium, causam designet; interdum quoque morem, seu cōsuetudinem ac ritum. Hebræa sic habent, *al dibrathi Melchisedech*. Quod verbotenus ita sonat: *Super verbū meū Melchisedech*. Sed testantur doctissimi Hebræorum, & Sares Pagninus, alijque eius linguae periti, literam *al* odociolam esse, ac redundare: quod & multis nominibus cōtingit; vt addita sit euphoniæ gratia duntaxat; præsertim cum psalmi metris constent; si Hieronymo credimus. Vnde non habita ratione illius literæ, interpretes penè omnes ita trāserunt, *secundum ordinem, iuxta morem seu ritū Melchisedech*. Quod etiam Caietanus in commentario psalmodum legit aut vertit ex Hebræo, *Supra rem Melchisedech*; & exponit, *Supra sacerdotiū Melchisedech*; audacis cuiusdam imperitiæ videtur; vt qui sensum ingesse ritū a sensu apostoli, & omnium interpretū alienū. Vnus eorū quos legi, Ioannes Campensis *al* literæ rationem habendam putauit. Sic enim habet eius paraphrasis; *Tu eris sacerdos in perpetuum iuxta ritum a me præscriptū Melchisedech*. Quæ interpretatio mihi videtur magis apertè prodere mysterium in hoc versicu-

lo contentum, quàm si lit eram & neglectā dicamus. Significat enim ritum siue ordinem Dei voluntate constitutum atque præscriptū, in Melchisedech sacerdote; quem ritum elucere oporteat in sacerdote Christo. Verum quia neq; LXX quos apostolus sequitur, neque Hieronymus, neq; alij interpretes pro illo *al* affixo quicquam reddiderunt, sed absolute verterunt, *secundum ordinē Melchisedech*: Nos ea translatione cōtenti, sensum dicamus. Qui quidem brevis ac perspicuus est huiusmodi: *secundum ordinem siue similitudinem Melchisedech*; hoc est, more ac ritu qui sit similis illi, quem Melchisedech sacerdos obseruasse legitur. Quæres quis sit ille ritus à Melchisedech obseruatus, ad cuius similitudinem Christus dictus sit sacerdos. Rursum, breuiter ac planè respondetur, eum esse ritum, quo panem & vinum obtulit. Huic enim ritui simillimū est quod Christus egit in vltima cœna, quando sub panis & vini speciebus corpus suum obtulit & sanguinem. Porro, sacerdotem Melchisedech panem & vinum obtulisse Deo in sacrificium, atq; in ea re typum gessisse Christi sacerdotis, qui ad illius sacrificij similitudinem obtulerit in cœna corpus suum & sanguinem; idque significatum esse verbis Dauidicis, *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech* (quod totum hæretici, quibus abominationi est Missæ sacrificium pernegant): asseueranter & magno consensu tradūt Patres, atque ecclesiæ doctores, tam Græci quàm Latini; vt Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus & alij, quos hîc enumerare longum est, & non necessarium. Sententias eorum videre est apud eos, qui de controuersijs scripserunt. Nos vnus Cypriani martyris antiquissimi, sanctissimi, doctissimi que verba ascriptisse contenti erimus. Is in epistola ad Cæciliam, quæ numero est 67. postquam citasset psalmi versiculum hîc allegatum; *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*; ita subiunxit: *Qui oratio utique hic est, de sacrificio illo veniens & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus: qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum; suum scilicet corpus & sanguinem*. Sic ille. Quibus non possum non addere B. Augustini locum ex lib. 16 de ciuit. cap. 22. vbi recitans historiam quæ exstat Genes. 14 de victoria Abraham; hæc addit: *Eum benedixit est à Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi; de quo in epist. ad Hebræos multa & magna conscripta sunt. Ibi quippe primū apparuit sacrificiū, quod nunc Deo à Christianis offertur toto orbe terrarū; impleturque illud quod longè post hoc factum, per prophetā dicitur ad Christū, qui fuerat adhuc venturus in carne; Tu es sacerdos in aeternū secundum ordinem Melchisedech. non scilicet*

secundum

secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat aufertendus, illucescentibus rebus quæ illis umbris prænotabantur. Hæc & alia plurima in eadem sententiam de sacerdotio Christi secundū ordinē Melchisedech, passim apud antiquos ecclesiæ Patres extare, non ignorant sectariorū magistri; cum talia legantur etiam in cōmentarijs eorū super hanc epistolā: sed præ superbia & erroris obstinatione contēnunt. Vnde quidā eorum: Mirum est, inquit, tot veteres ecclesiæ doctores hac opinione occupatos fuisse, vt in oblatione panis & vini insisterent. Et iterum: Vnde hoc in mētē venit ecclesiasticis scriptoribus? Certè vt error errorē trahere solet, quū ipsi sacrificium in Christi cœna, nullo eius mandato finxissent, adeoq; cœnam adulterassent addito sacrificio; colores postea hinc inde accersere conati sunt, quibus errorem suum fucarent. Arrisit hæc panis & vini oblatio: &, nullo iudicio, protinus arrepta est. Deinde addit; Hinc constituimus, veteres sibi finxisse sacrificium, de quo nunquam Moyses cogitauerat. Hæc ille heresiarches intolerabili contemptu antiquitatis. Qua in re tamen ipsam doctrinā Catholicam, quam insectatur, non mediocriter adiuvat; dum rei conuictus euidentia fatetur tot veteres ecclesiæ doctores, è quibus nullum excipit, agnouisse sacrificiū in cœna Dominica; atque eiusdē sacrificij figurā in oblatione panis & vini, quam fecit Melchisedech. Sed finxerunt, inquit, de quo Moyses nunquam cogitauerat. Neque enim scribit Melchisedech panem & vinū obtulisse Deo; sed potius Abraham & comitibus eius attulisse. Regium enim erat, lassos ex prælio & itinere, reficere: Cæterum benedictio ad munus sacerdotale pertinebat. Probare autem nititur ex textu; quia non dicitur Melchisedech obtulisse panem & vinum, sed protulisse; sicut etiam habet vulgata versio. Tum quia in Hebræo non legitur, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*; quomodo vulgatus transtulit, quasi ratio significetur oblatis sacrificij, quia erat sacerdos: sed copulatiuè, *Et ipse sacerdos*. Addūt alij, LXX interpretes apposito casu expressisse cui protulerit. Sic enim habent; Protulit ipsi (scilicet Abraham) panes & vinum; videlicet, vt eum cum exercitu reuersum ex prælio refocillaret; quomodo Iosephus libro 1. Ant. cap. 11. & Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. id intellexerunt. Hæc obiectiones, quoniam versamur in explicatione illius partis, *secundum ordinem Melchisedech*; nobis refellendæ sunt: ac vera scripturæ intelligentia commonstranda; vel eo quod etiā ex Catholicis nonnulli, quamuis de sacrificio cœnæ sentiant catholicè, tamen historiam Melchisedech sacerdotis ita tractant, vt in ea nullus sacrificij Christiani typus appareat. Quod quidem ab illis sit parū catholicè. Cum enim ex scripturis certissimè constet, etiam hæreticorum cōsensu, Christum esse sacerdotem secundū ordinem Melchisedech: utiq; fatendū est ipsum Melchisedech, vt sacerdotē, aliquid

Deo obrulisse. Non enim aliter fingi potest Christus sacerdos secundū ordinē Melchisedech; id est, ritum ac similitudinem Melchisedech; nisi Melchisedech aliquid obtulerit, in quo Christus offerens sit ei similis. Si dicas Melchisedech dici sacerdotem, quod aliorum sacerdotū more boues & pecudes mactare solitus sit: primū, id extra scripturam dicitur; deinde, hac ratione nō Christus, qui nihil tale fecit, sed Aarō potius erat dicendus sacerdos secundum ordinem Melchisedech: imò verò vterque, tā Melchisedech quā Aarō, sacerdos secundum ordinem Abel, qui primus legitur cruentum ex pecude sacrificium obtulisse. Ac sanè Christus in cruce quidē semetipsum obtulit sacrificium cruentum Deo; sed nulla ibi ritus similitudo cum mactatione pecudū, vt ob id dici possit sacerdos secundum ordinem alicuius sacerdotis præcedentis, qui pecudes immolasset. Restat igitur, vt oblationem Melchisedech, quænam fuerit, accipiamus ex scriptura; & fateamur quod ipsa suggerit, Melchisedech obtulisse Deo panem & vinū: & consequenter similitudinem ritus significati per *ordinem* in versu Dauidico, cōstituamus in eo quod supra diximus; vt sicut Melchisedech panem & vinū in sacrificium obtulit Deo, sic Christus sub panis & vini speciebus obtulerit Patri in cœna corpus suum & sanguinem. Sed aiunt, Christum ideo vocari sacerdotē secundum ordinem Melchisedech, quia rex est iusticiæ, & rex pacis; & aeternum habens sacerdotium, idq; maius Leuitico. Hæc enim omnia de Christo fuerunt in Melchisedech præfigurata; quemadmodum ostendit apostolus in præcedentibus. Respondeo, per hæc benè quidem probari Christum in his omnibus significatum fuisse per Melchisedech, velut per typum quendam & figuram; id quod solum propositū fuit apostolo: non autem, Christum propter hæc appellatum sacerdotem secundū ordinem ac similitudinem Melchisedech; sed propter aliud quod apostolus ideo nō putauit explicandū hoc loco, quia grāde mysteriū erat; & ad probandū ipsius institutum nō pertinebat; sicut superius ostendimus. Etenim longè aliud est, quæpiam esse figurā Christi; vt fuerūt Abel, Isaac, Dauid, Salomon; aliud verò, secundum illius ordinē Christum esse sacerdotem. Quod de his dici nō potest; quia vel nō fuerūt sacerdotes, vel nō tale sacrificiū obtulerūt, cuius similitudo ritus conspiceretur in sacrificio Christi. At de Melchisedech, secundū scripturas, vtrūque nouimus & confitemur: nempe eum in seipso figurā Christi gessisse, quod etiā alijs est commune; & præterea, secundū ordinem Christum esse sacerdotem, quod illi est proprium. Vt autem nemo Catholicus dubiter, hoc modo intelligi debere, quod dicitur Christo sacerdos secundum ordinem Melchisedech; sciāt Patres concilij Tridētini sess. 22. cap. 1. apertè docere, quod Christus, sacerdotem secundū ordinē Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus &

sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obrulit. His ita declaratis: superest, vt ad hæreticorum obiecta respõdeamus. Primū, fatemur Moysen non vti vocabulo offerredi. Neq; enim verbum Hebraicū significat offerre, sed proferre, vel adducere, sicut vertit Chaldaeus interpres. Quare non dicimus scripturæ sensum esse, *Protulit*, id est, obrulit Deo panem & vinum; sed protulit siue adduxit, in eū vsū, vt, quia sacerdos erat Dei excelsi, primū offerret Deo in sacrificium gratiarū actionis pro tā insigni victoria Abrahæ concessa; & parte cremata, iuxta morem pacificorum, deinde reliquū sanctificatū apponeret Abrahæ & socijs eius in epulū solenne. Erat enim consuetudo tam apud Hebræos quam apud Ethnicos, vt quæ Deo sacrificata essent, epulo seu publico conuiuii mensis appolita consumerentur. De Hebræis exempla sunt 1. Reg. 9 & 16. vbi Samuel huiusmodi conuiuium de victimis præparasse legitur. Videatur lex Leuitici 7. & Deuteronomio 26. Ethnicos idem fecisse, non solum probant idolothya, de quibus Act. 15. & in 1 Cor. 8 & 10. & alibi; vnde est & illud Deut. 32. *De quorum victimis comedebant adipem, & bibebat vinum libaminū.* Verum etiam multa, quæ apud Homerū, Virgiliū, aliosque profanos auctores, de conuiuijs eiusmodi leguntur. Tale ergo fuit conuiuiū, nomine panis & vini significatum, quo Melchisedech sacerdos Abrahæ patriarcham excepit. Id quod etiam Clemens Alexandrinus vetustissimus scriptor intellexit, quum lib. 4. Stromatū sub finē de Melchisedech ait: *Qui sacerdos erat Dei altissimi: qui panem & vinum sanctificatum, dedit cibū, in typum ecclesie.* Quod & his versiculis eleganter expressit Prudentius præfatione in Psychomachiam: *Adhuc recētem cade de tanta virum donat sacerdos ferculis caelestibus; Dei sacerdos, rex & idem præpotens.* Patet igitur ex his Hebraicum verbum, *protulit* vel *adduxit*, oblationi Deo factæ prorsus nihil ob stare; vt nec ea quæ Iosephus & Damascenus, & si qui alij, de conuiuii scribunt. Nō enim excludunt oblationē. Imò Damascenus etiam includit; quū addit eodē loco, mensam illā præfigurasse mensam nostram mysticam; velut & sacerdos ille Christi veri sacerdotis figuram & imaginē præ se tulit. Quod verò ad LXX translationem attinet; quāuis nec casus additus excludat oblationē prius factā Deo; tamen verius arbitror additionē adulterinam esse. Nā & hodie multi ijq; meliores codices non habent; nec apud Chrysostomum, aliosq; veteres qui Genesim secundū LXX versionē aut interpretati sunt, aut citauerunt, casus ascriptus inuenitur. Iā quod obijciunt, in Hebræo non haberi causalem particulam; *Erat enim sacerdos*; sed copulatiuam: non vtiq; Hieronymus ignorauit author nostræ versionis, idemq; citra controuersiam Hebraicæ linguæ peritissimus. Cur igitur ita vertit; nisi quia nouerat in ea lingua frequens esse, vt copulatiua coniunctio pro causali ponatur; & quod sen-

tentia clarè ac disertè Latinis auribus reddi sepe non potest, nisi coniunctione & mutata in causalem; Sic idem Hieronymus in eodem lib. Gen. c. 20 scripsit: *En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum.* Et cap. 30. *Experimento didisti, quia benedixit tibi Deus.* Cū in Hebræo sit; *Et ipsa habens virum.* Et benedixit tibi. Similiter in psal. 59 & 107. vertit ex Hebræo, *Da nobis auxiliū in tribulatione: Vana est enim salus ab homine:* Cū vtroque legatur Hebraicè, *Et vana salus hominis;* quæ admodum & LXX transtulerunt. Interdū tamen idē Hieronymus coniunctionē retinuit, vbi mutari poterat in causalem: vt Gen. 22. *Nūc cognoui quod timeas Dominum, & non peperisti unigenito filio tuo propter me;* id est, quia nō peperisti. Ad eundē modū exponit Theophylactus illud Luca 1. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui;* id est, quia benedictus & c. eamq; expositionem alijs etiam exēplis declarat. Cū ergo videret Hieronymus etiam in hoc loco Genesis, circumstantiā postulare sensum causalem; optimè vertit, *Erat enim.* Nā nisi ratio seu causa significetur eius quod præcedit; *profrens panem & vinum,* non cohærebit oratio. Quod enim dicunt aduersarij sic orationē esse distinguendā, vt illa pars, *Et ipse sacerdos Dei excelsi,* à præcedētibus scindat, referatur ad id quod sequitur, *Et benedixit ei,* videlicet tanquā sacerdos; nouitiū est commentū. Non enim benedixit ei præcisè quia sacerdos; siquidem & Abrahā sacerdos erat: sed quia maior; sicut dictū est supra quod minus est, à meliore benedici. Sacrificiū autem offerre propriissima fūctio est sacerdotis. Adde quod aduersariorū nouitiā illā distinctionem respiciunt Hebræi codices; in quibus post illa verba, *Et ipse sacerdos Dei excelsi,* habetur accētus indicans ibi terminari verbum seu periodū; vt proinde pars ista sequētibus annecti minimè debeat, sed ad superiora sit referēda. Quæ quidē Hebræorum codicum distinctio non temerè perturbāda est; quod & vetus sit, & eadem inueniatur in Chaldaico textu. Sed hæc plus satis pro Dauidici versus explicatione. Nunc ad apostolum reuertamur.

18 REPROBATIO QUIDEM FIT PRÆCEDENTIS MANDATI. Suprà diximus hanc partē inferri ex illo antecedente: *Si secundum similitudinem Melchisedech & c.* Verū nō nihil obstrepit Græca coniunctio *μὲν γὰρ,* id est enim, vt Erasmus & alij verterunt; quæ profectō nō seruit illationi. Respondere possumus particulā *γὰρ* in Græco textu ascriptam fuisse à non intelligentibus; quod existimarent hīc esse nouā periodum, quæ contineret probationē superioris. Quā coniecturam probabilem facit, quod nec in textu Syriaco legatur causalis particula, nec in textu Ambrosiano, nec apud alios veteres Latinos. Quāquā & aliter ac facilius responderetur *τὸ γὰρ,* etsi per se causale sit, additū tamen vocabulo *μὲν,* sepe non tam significare aliquid, quā ornare sermonem, vt promptum est ex Platone & alijs Græcis scri-

ptoribus

ptoribus ostēdere: ideoq; verustos interpretes Latinos & Syriū meritō non habuisse eius rationem. Simile accidit in Latina cōiunctione enimvero. Reprobatio Græcè ἀθέτης, id est, abrogatio, quæ scilicet opponitur legislationi, quā Græci νομοθεσίαν vocant. Nō ergo reprobatio fit præcedentis mandati, id est, veteris legis, tanquam malæ & à malo Deo profectæ, sicut dixerunt Manichæi; sed abrogatio tanquam temporarię duntaxat, infirmæ, inutilis & imperfectæ. Quod sequentia declarant.

PROPTER INFIRMITATEM EIVS, ET INUTILITATEM. Abrogatur lex vetus tanquam infirma, hoc est, impotēs ad iustificandum hominem, iuxta quod dicitur Rom. 8. *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suū misit, vt iustificatio legis impleveretur in nobis.* Quæ infirmitas non solum erat legis moralis, verum etiam cæremonialis, quæ sacrificia complectitur. Id quod apostolus tribus sequentibus capitibus ex professo docet. Itē abrogatur tanquam inutilis; nō quidē simpliciter & per omnia inutilis, quod absit opinari de lege à Deo lata. Multæ enim fuerunt legis utilitates; velut quod per legem cognitio peccati. Rom. 3. Quod lex pedagogus fuerit ad Christum, Gal. 3. Quod per legē abundante peccato superabundauerit gratia. Ro. 5. Deniq; quod lex prophetica fuerit, & Christi præfiguratiua; videlicet *umbrā habens futurorū bonorū,* sicut infra dicitur c. 10. & ad Col. 1. Sed tamen inutilis fuit quoad effectū iustificationis: quæ nec per præcepta, nec per sacrificia præstare potuit. Hunc sensum probat quod sequitur.

NIHILEM AD PERFECTVM ADDVXIT LEX. Græcè & Syriacè: *Nihil enim perfecit lex,* id est, ad perfectionem adduxit. Perfectionem autem intellige veram iusticiam, quæ constituit hominem Deo gratum & acceptum ad vitā aternā. Nec moueat neutrum genus *nihil,* quasi de rebus loquatur, nō de personis: Sēsus enim est, *nihil,* id est, nullū hominē; vt patet ex tota disputatione apostoli. Sic Christus Io 6. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Quod continuò de persona exponit, cū subiicit: *Et cum qui venit ad me, non eijciam foras.* Item cap. 12. *Ego si ex altis suis fuero à terra, omnia traham ad meipsum;* id est, omnium gentium homines. Est enim neutrum genus aptissimum ad vniuersitatem significandam.

19 INTRODUCTIO VERO MELIORIS SPEI, PER QUAM PROXIMAMVS AD DEVM. Ex superiori parte repetendū est verbū; *Introductio verò fit melioris spei.* Spes alibi pro re sperata ponitur, id est, pro obiecto: hīc verò pro causa spei posita videtur; vt sensus sit: Loco præcedētis mādati, introducit aliquid multo melius, nepe lex & sacerdotiū Christi, spē nobis certissimā faciens appropinquādi ad Deū per verā iusticiā. Finitur in hac parte periodus, cuius initium erat ab illis verbis, *Si secundum similitudinem Melchisedech.* Quo magis autem tota sententia dilucida fiat, & vis argumentationis apostolicæ perspicatur; præter illā par-

tem, *Cōestatur enim,* & c. de qua superius monui; etiam istam proximam, *nihil enim ad perfectum adduxit lex;* cōuenit includi parēthesi. Est igitur hæc argumentatio; *Secundum ordinē Melchisedech surgit alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis: ergo reprobatio fit præcedentis mandati; introductio verò melioris spei.* Vbi vides id quod B. Thomas obseruauit, antecedens duabus partibus cōstare, quæ antithesim inter se habeant; similiter & consequens: ita vt prior pars cōsequenti respõdeat priori parti antecedenti; & posterior posteriori. Nam ex eo quod surgat nouus sacerdos, qui non secundū legem mandati carnalis factus sit; sequitur illius legis abolitio. Et ex eo quod factus sit secundum virtutem vitæ insolubilis; sequitur introductio melioris spei. Aliorū versiones & expositiones hīc non cōmemoro. Plærique enim decepti obscuritate sententiæ, quam & prolixitas & interpositæ probationes pariebant; totam periodū ineptè dissoluerunt in partes, & contortis suis interpretationibus vim textui fecerunt. Quod nominatim obseruare est in Erasmiāna versione, quam alij quidam incautè secuti sunt.

20 ET QUANTVM EST NON SINE IUREIVRANDO. Alia nunc ratione probat nouū testamentum vetere præstātius esse, & proinde hoc abrogandū, vt illud succedat. Nec refert, an legem nominet, an testamentum. Cōiuncta sunt enim hæc duo, & inseparabilia; vt altero nominato, alterum intelligatur. Lex enim nō sine fœdere seu testamento sancitur. Sumpta est hæc ratio à iureiurando: quo interposito Christus noui testamēti sponfor factus est, vt statim ex eodem versu Dauidico probatur. Quod ad syntaxin attinet: hæc pars prorsus separanda est à præcedente; sicut quā facit Erasmus, qui eam superiori sententiæ connectit, addens quædam, & mutans pro arbitrio, præter authoris mentē. Vbi rursus obscuritatē Erasmo & alijs fecit subsequens parenthesis haud animaduersa; post quā argumētatio hīc inchoata absoluitur in illis verbis, *In tantum melioris & c.* Quæ admodū bene à B. Thoma fuit obseruatum. Respõdent enim sibi mutuo in Græco *καὶ ὅσον,* in quātum, & *κατὰ ἴσους,* in tantum: vt ad intelligentiā, clarius hoc loco vertendum fuerit, *Et in quantum non sine iureiurando;* idque sine verbo, *est,* quod in Græco non habetur, nec quidē subauditur. Supplēda est enim ex antegressis sententia, hoc modo: *Et in quantum non sine iureiurando factus est sacerdos.* Quod supplementum etiam manifestè suggerit parenthesis, quæ tota subiungitur ad huius partis declarationem.

(ALII QUIDEM SINE IUREIVRANDO SACERDOTES FACTI SVNT. Græcè *οὐ μὲν γὰρ.* Nā illi quidem. Hanc enim expositionem cōiunctionis, de qua supra, locus nunc postulat. Significantur sacerdotes Leuitici, de quibus nusquam legitur, quod Deo iurāte sacerdotes facti sint. Hīc video quid obijci possit: illud

nimirum ex veteri testamento sumptū, quod canit ecclesia de confessore pontifice: *Ecce sacerdos magnus &c. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebē suam.* Sed respondeo ea nusquā scripta esse de Aarone, aut quopiā eius successore; sed sumpta esse ex Ecclesiastici cap. 44. ubi de Abraham patriarcha dicitur: *Ideo iureiurando dedit illi gloriā (aliās semen) in gente sua, crescere illum, quasi terra cumulum.* &c. Quæ verba, sicut & alia quædam eiusdem loci, nonnullis mutatis, ecclesia accommodat ad pontifices noui testamenti.

HIC AVTEM CVM IUREIURANDO, PER EVM QVI DIXIT AD ILLVM. *Hic autem*, id est, Christus, sacerdos factus est cum iureiurando eius qui eum sacerdotem fecit, videlicet Dei Patris; qui dixit, vel, vt in Græco, dicit ad eum:

IURAVIT DOMINVS, ET NON POENITEBIT EVM: TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM. Græci & Syri codices addunt, *secundū ordinē Melchisedech.* Sed quoniā ad id quod nunc agit apostolus, ea pars nihil confert; temerē à quopiā adiecta videri potest. Poitō nō sentit apostolus totum versum quē hīc citat, *Iuravit Dominus &c.* esse verba Dei Patris ad Christum: tantum enim illa pars; *Tu es sacerdos in æternum*, ex persona Patris dicitur. Verba autem præcedentia; *Iuravit Dominus, & nō poenitebit eum*, sunt prophete, testificantis Deū Patrē cum iureiurando filiū constituisse sacerdotē; quando ei dixit: *Tu es sacerdos in æternū.* Vnde sensus horū verborū apostoli hoc pacto reddi potest: *Per eum qui dixit ad illum, Tu es sacerdos in æternum.* Hoc enim cum iureiurando dictū esse, docet hemistychiū præcedens: *Iuravit Dominus &c.* Quæritur quando factum fuerit quod eo versū propheta factū affirmat; id est, quādo Deus hoc iurauerit. Nā id à propheta non est expressum. Respondeo, iureiurandum hoc non aliud videri, quā perpetuum & omnibus modis irrevocabile Dei decretum, quo Christū voluit esse sacerdotē. Ad quod significandum etiā addidit; *Et nō poenitebit eū*, id est, nunquā illud more poenitentis retractabit. Quia verō nō tale fuit decretū quo Aarō à Deo sacerdos est cōstitutus: ideo dicitur ille cū suis posteris sine iureiurando factus sacerdos. Quāvis autem Christus non fuerit sacerdos, imō nec Christus, ante incarnationem; decretū tamen illud iuramenti nomine significatū, fuit ab æterno. Huc vsq; parēthesis. Nūc sequitur redditio ad propositionē factā v. 20.

21 IN TANTVM MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR FACTVS EST IESVS. Dicitur *Iesus noui testamenti sponsor*, seu fideiussor, id est, exponente Theophylacto *mediator*: siquidē ipse apostolus infra c. 8. 9. & 12. Christum noui testamēti *mediatorem* appellat, eo nimirū sensu, quia Christus, tanquā sacerdos, inter homines & Deū mediū suo ipsius sanguine, quē fudit in ara crucis fœdus hoc nouū sanxit & confirmavit. Est autem hæc apostoli argumentatio. Christus cū iureiurando cōstitutus est à Deo sacerdos, Leuitici, sine iureiurando: ergo nouū

testamentum, cuius sponsor ac mediator est Christus, melius est atque præstantius vetere, cuius ministri fuerunt Leuitici sacerdotes; & per consequens, hoc superueniēte, illud cum sua lege est abrogandum. Valet collectio, quia iuramentum adhiberi nō solet, nisi ad ea quæ maioris sunt momenti, quæq; volumus omnino rata & firma esse, atque perpetua. De vocabulo *testamenti*, quid significet, & cur introductum pro fœdere, seu pacto significādo, dicemus infra in expositione cap. 8 & 9. Vnde etiam intelligetur non rectē quosdam Latinos interpretes in hac epistola pro *testamento fœdus* substituere; cum vox Græca *διαθήκη* propriē *testamentum* significet, atque hoc significatum vrgeat ipse apostolus cap. 9.

23 ET ALII QVIDEM PLVRES FACTI SVNT SACERDOTES. Græcē, *Et illi quidem*. Quod de testamento docuit ex illa parte versus Dauidi, *Iuravit Dominus*; id nunc docet de sacerdotio ex ea parte, *in æternum*: videlicet sacerdotium Christi præstantius esse Leuitico. Tāctū hanc rationē iam antē attigerat, ubi dixit; *Qui non secundum legem mādati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.* *Constat enim &c.* Verū plenius idem nunc explicat; vt alia quædā opportunē subiungat.

ID CIRCO QVOD MORTE PROHIBENTVR PERMANERE. Leuitici sacerdotes, inquit, etiam summi, plures facti sunt, alius post alium; quia mortales erant, & morte finiebatur cuiusque sacerdotium. Nam Aarōni in sacerdotio successit Eleazar, & Eleazaro Phinees; & ita deinceps.

24 HIC AVTEM, EO QVOD MANEAT IN ÆTERNVM, SEMPIVERNVM HABET SACERDOTIVM. Quū dicit, *eo quod maneat in æternum*, respicit ad illud superius citatū, *Tu es sacerdos in æternū.* Vnde apparet supplendam esse sententiam: *Hic autem eo quod maneat sacerdos in æternum, &c.* Ac ne quis dicat fore hoc modo petitionem principij in hac apostoli argumentatione: sciat pro isto, *sempiternum*, Græcē esse *ἀπείραστος*, quasi dicas, *intransibile*, id est, quod ad aliū transire non potest; seu *insuccessivum*, scilicet quod successione non transfertur: sicut cōtingebat sacerdotio Leuitico. Syrus interpres vertit: *sacerdotiū eius non praterit*, aut non transit. Igitur apostolus sic ratiocinatur. Æternum præstantius est eo quod subinde transfertur: Atqui Christi sacerdotium, Dauide teste, æternum est; Leuiticum autem translaticium, vt probat pontificum mors & successio; ergo sacerdotium Christi præstantius est Leuitico. Rē pulchrē declarat B. Thomas ex naturalibus, in quibus corruptibile fit multiplicatio sub eadem specie; nō autem in corruptibile. Vnde non est nisi vnus sol, vna luna &c. Verū dicit aliquis etiā Christū mortuū esse; & proinde finitū morte eius sacerdotium. Respondeo, non ita mortuus est, vt sacerdotium eius ad alios transiret, quæ admodum fiebat in sacerdotibus veteris testamēti; sed, vt paulō post, ipse vnus & idem ad

vitam resuscitatus, maneret sacerdos in æternum; nec id solū ratione personæ, verū etiā officij & effectus; sicut declaratum est supra. Sed obijcit hæreticus: Si Christus idem perpetuō manet sacerdos, & si perpetuum habet sacerdotium: igitur vicarios vel successores in sacerdotio nō habet. Responderet ecclesiam Christi nullos agnoscere Christi successores in sacerdotio, seu pontificatu. Nam successor is dicitur, qui in alicuius defuncti, id est, amoti vel abeūtis, aut certē demortui locum, officium, potestatem surrogatus est. At Christus sacerdotio nunquam defungitur: manet enim sacerdos in æternum. Successorem igitur non habet. Nec ita quisquā Catholicus loquitur, si benē & circumspectē loqui velit. Cæterū, vicarios eius ac ministros, tum in dispensandis sacramentis, tum in reliquo officio sacerdotali, agnoscimus; apostolo dicente: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorū Dei*, 1. Cor. 4. Per hos igitur Christus qui semel obtulit semetipsum in cruce; offert adhuc quotidie in ecclesia, pro eiusdem sacrificij commemoratione, corpus suum & sanguinem; sicut & per eos verbum prædicationis, & sacramenta fidelibus erogat. Quare sacerdotium Christi permanens ac perpetuū non excludit alios sacerdotes; modō subordinatos: Si enim Deus, æternus ac supremus iudex, habet suos vicarios ac ministros iudicēs; id est, per quos Dei iudiciū exercentur in terris, sicut dicitur Deut. 1. & 2. Par. 19. cur nō & Christus, æternus atq; primarius sacerdos ac pontifex noster; postquā receptus est in cælū, habeat vicarios suos sacerdotes, per quos visibile sacrificium ab ipso institutum offeratur in ecclesia militante super terram?

Est autem obiter obseruandum hoc loci diuinum Apostoli studium in scrutandis & excutiendis scripturis. Nam in vno versu Dauidico; *Iuravit Dominus & nō poenitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech* quinque partes, velut instituto suo seruientes, expendit. Primum, *Melchisedech*, deinde illud, *Tu es*, videlicet dictum ad Christum de tribu Iudæ: Tertio, *Sacerdos*; Quarto, *Iuravit*; Quinto, *In æternum*. Quibus & textum addere potuit, *secundum ordinem*: nisi hanc partem, ob rationes superius allatas, indiscussā relinquere maluisset. Ex quā te discimus scripturæ sacræ mirabile in sensibus ac mysterijs fecunditatē; nec vnquā deesse quod eruatur, modō non desit scrutator idoneus.

25 VNDE ET SALVARE IN PERPETVVM POTEST ACCEDENTES PER SEMETIPSVM AD DEVM. Multi vetusti, & probatæ fidei codices legunt *accedentes*: quibus astipulatur Græca cum suis cōmentatoribus. Neque enim in Græco tā facilis est vnus in alterum mutatio; quā in Latino, videlicet propter articulū præpositum. Græcis etiam Syra consonant; deniq; sensum, hæc lectio facit augustiorem: vt merito eam pro germana receperit editio Clementina. Sciendū quoque pro eo quod nos habe-

mus, *in perpetuum*, Græcē legi *eis τὸ πάντεως*, quod Erasmus & Hentenius vertunt, *ad plenū*, Stapulensis, *ad perfectum*. Id enim propriē Græca significant. Tameñ Syrus quoque interpres vertit, *in æternum*. Vfus est eadem voce Lucas euāgelij sui cap. 13. ubi tam vulgatus interpres quā Erasmus verterunt *omnino*. *Nec omnino*, inquit, poterat sursum respicere, siue erigere caput. Græci cōmentatores locū hunc de perfectā salute exponūt, nominatim Theodoretus. Nam quod Chrysostomus, & eum secuti Theophylactus & Oecumenius vocem Græcam sic interpretantur, non ad tempus tantum, sed etiam in futura vita; expositio est perfectæ salutis. Atque eo modo etiam accipiendum, quod noster interpres & Syrus verterunt, *in perpetuum*, aut *in æternum*. Non enim erit perfectā salus, si non in perpetuū extendatur. Declarat enim apostolus hac parte, & è proximo colligit fructum æterni sacerdotij Christi; tanquam dicat: Si Christus æternum habet sacerdotium, potest igitur ad perfectam & æternam salutem adducere eos, qui per ipsum, vt mediator, accedunt ad Deum. Hic sensus illam partem, *in perpetuum*, iūgit cum verbo, *saluare*. Quod si iungatur cū verbo, *potest*; sicut in loco euāgelij iam citato fecit interpres: etiam sic sensus erit non incommodus; scilicet, Christum, eo quod maneat in æternum, & sempiternum habeat sacerdotiū: non tantū potuisse quādo mortalis erat, verū etiā nunc, & continuo posse saluare per ipsum accedentes ad Deū, vt qui *semper viuat* (sicut sequitur) *ad interpellandum pro nobis*. Abuteretur huius loci testimonio Sectarij ad oppugnandā sanctorū intercessionem. Nam si Christus potest accedentes per ipsum ad Deū, perfectē saluare; quid opus est, aiunt, alijs intercessoribus, per quos ad Deum adducamur? Quibus responsū sit Christū haud dubiē posse & velle ad perfectā salutem adducere eos, qui per ipsum ad Deum accedunt; si tamen accedant legitime. Quod quidē faciunt si ipsi etiam pro se orent, ac præterea alios etiam cōprecatores adhibeant; siue viuentes adhuc in hoc sæculo, siue iam defunctos & cū Christo regnantes. Nam alios aliorū precibus apud Deum adiuuari, vniuersa scriptura clamat. Hoc autem vni mediatori Christo aded non derogat, vt vis omnis & valor talium orationum ad meritum Christi mediatoris sint referenda: id quod apertissimē profiteretur ecclesia catholica, quum orationes suas omnes ita concludit, *Per Christum Dominum nostrum*.

SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDVM PRO NOBIS. Græcē & Syriacē, *pro eis*. Quod & in Latinis manuscriptis legitur non paucis. Respondet ea lectio præcedenti verbo numeri pluralis, *accedentes*. Addit apostolus hanc partem vt explicet consequentiam superioris argumenti. Nam ex æterno Christi sacerdotio propterea rectē sequitur eum in perpetuū saluare posse; quia non ociosum gerit sacerdotiū. Est enim sacerdos semper viuens, vt sem-

per agat sacerdotis officium, id est, semper pro nobis apud Deum interpellat. Obijciat aliquis id ipsum dici posse de sacerdotibus Leuiticis. Nā Hieremias & Onias sacerdotes fuerunt, de quibus iam dudum mortuis scribitur 2 Mach. 15. eos assidue multumque orare pro populo Iudæorum & ciuitate sancta: Responderunt, eos non orasse ut sacerdotes, sed ut sanctos homines, seu potius ut sanctorum hominum animas absque respectu sacerdotij quod aliquando gesserant, aut sacrificij quod obtulerant. Christus verò permanens sacerdos in perpetuum, ab officio sacerdotali nunquā desistit. Nā & interpellat pro nobis, ut sacerdos; & seipsum, ut hostiā semel in ara crucis oblatam, exhibet Patri: & adhuc quotidie seipsum offert & sacrificat in altari per ministros & vicarios suos, sacerdotes; sicut declaratum est supra. Sed, quomodo Christus adhuc pro nobis interpellat Patrem, cui Pater omnia dedit in manus; cum præsertim humilitas orantis non deceat gloriam regnantis: quæri potest. Ad quod B. Thomas in commentario respondet, Christū pro nobis interpellare, tum quia assumptam pro nobis humanitatem Patri repræsentat, tum quia sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod pro salute nostra habuit, exprimit. Simili modo Gregorius hanc Christi interpellationem interpretatur lib. 1. moral. cap. 24. & lib. 22 cap. 13. necnon alij Patres; adeo ut Rupertus lib. 9 de diuinis officijs cap. 3. dicat interpellationem illam omnium doctorum vera assertione non summam esse postulationem, sed eius passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æternam commemorationem. Quin apostolus ipse cap. 9 huius epistolæ ita seipsum exponere videtur, dum ait, *Iesum introisse in celum, ut appareat nunc vultus Dei pro nobis*; id est, ut seipsum hominem pro nobis passum, Deo sistat ac repræsentet. Num igitur hæc veram & propriè dictam Christi pro nobis orationem excludunt? Minimè. Etenim si Christus etiam nunc aduocatus est noster, & mediator 1 Ioan. 2. & 1 Tim. 2. verè igitur adhuc orat & intercedit pro nobis. Hoc enim proprium est munus aduocati & mediatoris. Deinde, id satis per se probat Græcū verbum *επιπροσχαιειν*, pro quo interpretis hoc loco & Rom. 8. vertit *interpellare*. Significat enim interpellationem quæ fit cum oratione seu postulatione; quæ admodum ex alijs scripturæ locis facile est ostendere. Quod & Augustinus perspicue docet in epistola 59 ad Paulinum q. 5. affirmans apud apostolum *interpellare* positū esse pro eo quod est *postulare*. Quare si Christus (quod negari non potest) propriè interpellat: vique propriè orat; siue sola mente id faciat, siue etiam voce conceptum mentis exprimat atque exprimat. Quod sentire videtur B. Thomas, quum dicit Christum animæ suæ sanctissimæ desiderium, quod pro salute nostra habuit, exprimere. Nam interni desiderij expressio potissimū fit voce. Nec verò quicquā

horum inficiantur, qui interpellationem exponunt per humanitatis repræsentationem. Hæc enim repræsentatio, cum adiunctum habeat nostræ salutis desiderium, sine oratione, saltem interna, non consistit. Quod si qui veterum negant Christū nunc pro nobis orare; id de supplici ac summissa, ut Rupertus loquitur, oratione est accipiendum. Non enim Christo iam in gloriam Patris assumpto conuenit illa supplicandi humilitas, qua vsus est in diebus carnis suæ mortalis; sicut dictum est supra cap. 5. Sed nec illud obstat eius orationi, quod Pater omnia dedit ei in manus. Sequeretur enim, nec in carne mortali positum orare debuisse. Nam de Christo adhuc mortali dictum illud esse constat non semel, sed sæpius, ut Matth. 11. Ioan. 3 & 13. Cur autem non sequatur, Ambrosius docet lib. 5 in Lucam super illud cap. 6. *Exiit in montem orare. Nam est, inquit, posuerit omnia Pater in potestate Filij; Filius tamen, ut formam hominis impleveret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster*. Orat igitur pro nobis ut homo, sacerdos, aduocatus; qui cū Patre omnia potest, & omnia præstat, ut Deus. De hac quæstione nonnulla etiam diximus ad locum similem Rom. 8.

26 TALIS ENIM DECEBAT UT NOBIS ESSET PONTIFEX. Ostendit solum Iesum Christum fuisse, in quem conuenirent qualitates eius pontificis, qui nos per se, ac propria sua oblatione Deo Patri reconciliatos, & in perpetuum saluos redderet. Quare quod ait, *decebat*, non sic accipiendum, quasi per alium potuerit idem illud officium præstari; tamen minus decenter: sed quia per neminē alium omnino potuit. Nō enim id quod decet ab eo quod oportet, distinguere voluit apostolus.

SANCTVS, INNOCENS, IMPOLLVTVS. Sanctus, Græcè *ἅγιος*. Quo nomine, tam in sacris literis quam profanis, significatur is qui ob vitæ puritatem, apertus est ad diuina. Qui pro sancto, piū verterunt, vim Græci vocabuli non sunt assecuti. Innocens, Græcè *ἀνακτός*, hoc est, expers maliciæ, seu peccati. Nam vno verbo dixit, quod Petrus pluribus 1 ep. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Alibi quidem interdum *ἀνακτός* dicitur, qui ob simplicitatē animi expositus est fraudibus malorum, ut Rom. vlt. *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*. Sed ea significatio minimè quadrat huic loco. Denique *impollutus* vocat, id est, nulla peccati sordē coinquinatum. Igitur hæc tria, *sanctus, innocens, impollutus*, ratione magis quam re differunt; quemadmodum & id quod sequitur,

SEGREGATVS A PECCATORIBVS. Non ita segregatus a peccatoribus, ut aliquando fuerit vnus ex illis: qui sensus impius est. Sed nec eo sensu, quod cum peccatoribus olim cōuersatus, nunc eorum consuetudini subtrahatur sit. Quod etsi verum; non tamen ab apostolo significatum est. Sed *segregatum* dixit à

pecca-

peccatoribus, hoc est, ab eorum moribus & vita longissimè distans, ac nihil cum illis habentē cōmune. Nam certè alioqui ineptus foret qui se propiciatorē pro peccatoribus interponeret. Probat hic locus nullū purum hominem fuisse idoneū, cuius oblatione genus humanū Deo recōciliaretur: Nullus enim purus a peccato. Quāquā Apostolus id propriè agit, ut ab huius muneris dignitate Leuiticos sacerdotes excludat, uti mox patebit. Verū ijs exclusis etiam reliqui homines excluduntur.

ET EXCELSIOR CÆLIS FACTVS. Hoc est, Qui penetrauit omnes cælos vsq; ad summū: Qui secundū naturam assumptam supremū in rebus obtinet locū. Ex consequenti vult intelligi Christum esse omni creatura etiam angelica, superiorem. Vnde cū dicat talem oportere nobis esse pontificem; simul innuit, nec per angelos potuisse genus humanū propiciari Deo. Cur ex hac parte nō sequatur, id quod quidam sunt imaginari, Christum eleuatū esse supra conuexa cælorum; diximus in explicatione similiū locorum: Eph. 3. & huius epistolæ c. 4. Nec longè petenda probatio, cū paulō inferius in cap. sequenti legamus Christum *consedisse in dextera sedis magnitudinis in cælis*; non extra aut supra cælos.

27

QVI NON HABET NECESSITATEM QUOTIDIE, QUEMADMODVM SACERDOTES. Græcè *ἀπαραίτητος, ποιητής, ἱεροδότης*. Intelligit pontifices Aaronicos: atq; ex cōparatione non solū docet Christum ijs esse maiore; sed etiā officij oblationis placatoris quod Christus egit, prorsus ab illis agi non potuisse.

PRIVS PRO SVIS DELICTIS HOSTIAS OFFERRE, DEINDE PRO POPVLI. Pro suis delictis, Græcè, *pro proprijs peccatis*. Præceptū fuisse pontifici, ut prius pro suis, deinde pro populi peccatis hostias offerret; vitulū quidē pro se, hircum autē pro populo: legitur Leuit. 9 & 16. Quod præceptū nihil ad Christū pontificem, in quo nullum fuit peccatum; sicut iam declaratum est. Rursus de quotidianis sacerdotum Leuiticorum sacrificijs præceptum existat Num. 28. Sed nec illud ad Christum sacerdotem pertinere, iam docet.

HOC ENIM FECIT SEMEL SEIPSVM OFFERENDO. Ambigua distinctio non minus in Græco quā in Latino: *fecit semel; an, semel seipsū offerendo*. Priorē elegerunt Erasmus & Henneius, dū ita verterunt; *Hoc enim fecit semel, cū seipsum obtulit*. Eadem est distinctio Syri interpretis. Sic enim habet; *Hoc enim fecit vno tempore, in seipso oblato*. Ceterum Patres Tridentini sess. 22. cap. 1. posteriorē malle vidētur, quum ad hunc apostoli locum respicientes, dicunt Christū Dominū semel seipsum in ara crucis Deo Patri obtulisse. Similiter infra dicitur cap. 9. *Sic & Christus semel oblatus est*. & 1 Pet. 3. *Christus semel pro peccatis mortuus est*. Veruntamen vt vobis modo distinxeris, idem sensus tandem resultat. Pronomen *hoc*, nō totum refert quod præcessit; sed illud solum, *offerre pro peccatis populi*. Nā quomodo pro suis,

quæ non habuit? Itaq; duo sunt, quæ apostolus vrgit in hoc discrimine Christi & sacerdotū Leuiticorū: Primum, quod nō pro suis, sed tantum pro populi peccatis offerat Christus; Alterū, quod semel, non quotidie. Terriū discrimē innuitur, quū dicit illos offerre hostias, scilicet pecudum; Christum offerre seipsum.

Hic litem Catholicis mouent sectarij. Nam si Christus semel tantum pro peccatis nostris semetipsum obtulit: neque igitur, inquit, obtulit in cæna, neq; quotidie offert per manus sacerdotum in missæ sacrificio. Breuiter respōdeo, sermonē hīc esse de oblatione, quæ per se sit efficax ad tollēda peccata; cuiusmodi sola est cruenta Christi oblatio in cruce. Sicut autem sacramenta nouæ legis ad hoc sunt instituta, ut per ea virtus sacrificij crucis ad nos deriuetur; ita quoq; de quotidiano missæ sacrificio, quod Christus in vltima cæna instituit, existimandum est, nempe salutarem virtutem sacrificij in cruce peracti, per hoc in-cruentum & commemoratiuum sacrificium quotidie nobis applicari, in remissionem peccatorum, quæ a nobis quotidie cōmittuntur; quemadmodum id optime declarat Synodus Tridentina loco supra citato. Verū huius rei pleniorē explicationē seruamus in ca. 9 & 10.

28

LEX ENIM HOMINES CONSTITVIT SACERDOTES INFIRMITATEM HABENTES. Constituit præsentis temporis est, *ἡδυσθη*. Sacerdotes, iterum Græcè pontifices. Explicat necessitatem, de qua dixerat; sacerdotibus esse necesse, ut prius pro suis delictis hostias offerant. Lex enim non præcipit in sacerdotes seu pontifices assumi homines a peccatis immunes: Nam tales nec inuenit, nec facit. Vnde cogebatur admittere homines in infirmitate habentes, id est, peccatis obnoxios. Constat enim ex præcedentibus infirmitatem intelligi moralem; qua nimirum fit, ut quis sæpe labatur in peccatū, atque adeo peccatis carere nō possit: sicut & accipitur supra c. 5. vbi dixit *pontificem ex hominibus assumi, qui condolere possit ijs qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus sit infirmitate; ideoque etiam pro suis peccatis offerre debeat*. Hæc infirmitatis acceptio postulata etiam antithesis inter sacerdotes legis, & Christū, Nā quod ad infirmitatē attinet corporaliū defectuū; Christus ex infirmitate crucifixus est. 2 Cor. 13. Infirmitas autem hoc loco significata prorsus a Christo remouenda est.

SERMO AUTEM IVRISVRANDI, QVI POST LEGEM EST, FILIVM IN ÆTERNVM PERFECTVM. Supple, *constituit pontificem*. Græcus articulus *ἡς*, quæ relatiuo noster interpretis expressit, manifestè pertinet ad genitiuū *iurisiurandi*, ut vertendum fuerit. *Sermo autem iurisiurandi, quod post legem est, vel potius, s. u. Sermonem iurisiurandi* intelligit verbum seu decretum Dei significatum illo versū Psalmi, *Iurauit Dominus, & non penitebit eum. Tu es sacerdos in æternum* &c. Fuit autē hoc a psalmista dictū multo post legē latam, ut significaretur legale sacerdotiū, tanquam imperfectum, alio

meliore

melioze superueniente cassandum. Leges enim priores posterioribus abrogantur; ijs maxime quæ clausulas habent efficaciores, cuiusmodi hæc est iurandum. Minus rectè se habet quod Erasmius & alij quidam, textum Ambrosianum secuti, verterunt. *supra legem*. Id enim Græca præpositione *ὑπὲρ* peccatò significatur; nec faciliè reperias exemplum in sacris literis. Epitheton filio additum, *in æternū perfectum*, siue *confirmatum*, docet filio adesse omnes illas perfectiones quæ in pontifice Leuitico desiderabatur; ac proinde etiam illam, de qua proximè, quòd Jexpers sit peccati. Quare Græci hanc partem ita exponunt: Qui non nunc solum impeccabilis sit, sed talis semper futurus. Verùm magis placet aliorum generalis expositio, sub qua Græcorum etiam sensus comprehenditur; hæc nimirum: Qui non solum ab initio sanctus, innocens, & impollutus fuerit, atque à peccatoribus segregatus; sed & postea deuicta morte sublatus in cælos, atque excellior cælis factus, omnimodā semperquē mansuram adeptus sit perfectionem. Hinc collige, Christum, etiam immortalem, & in sublimi cælo regnantem, adhuc esse pontificem nostrum, ac pontificis munus obire. Nā alioquin non consisteret antithesis, quam inter Leuiticos pontifices & Christum, hac extrema parte facit apostolus. Sed quod munus obire? Interpellat pro nobis, & quodammodo seipsum offert Deo Patri: sicut in superioribus dictum est. De quo & infra dicitur.

SYMMARIUM.

O Stendit Christum esse verum non typicum Pontificem, & noui testamenti mediatorē; reprobato antiquato vetere, propter imperfectionem.

CAPVT VIII.

C APITVLVM AVTEM SVPER EA QUÆ DICVNTVR. Græca vox *κεφάλαιον*, quam interpretes *capitulum* vertit, ex vsu Græcæ linguæ magis significat id quod Latine *caput* & *summa* rei vocamus. Vnde verbum *κεφάλαιον*, in summam colligere, nihil aliud dicitur. Quò verbo vsus est Græcus author Ecclesiasticus 32. Vbi nos Latine habemus. *Habeat carum responsum tuum*. Nā Græcè est *κεφάλαιον τοῦ λόγου*, quasi dicat, *capitula sermonum*; id est, in *caput* & summam collige. Vnde sequitur: *In pauca multa*, id est, multa paucis comprehendere. Huius quoque verbi compositum est *κεφάλαιον*, id est, *capitulare*; multa quæ dixeris summam retere. Item, multa ac diuersa ad vniū caput reuocare. In qua significatione vsus est eò verbo Paulus Eph. i. vbi nos legimus, *in se habere*; sicut tibi declaratum est. Sensus: Hæc summa est eorū, quæ fusiū a nobis hæcenus dicta sunt de præcellentiā sacerdotij Christi supra Leui-

ticū; videlicet à capite quinto. Chrysostomus & post eū Theophylactus malunt significari id quod præcipuū est, & cardo rei. Nam & ea significatio est Græci vocabuli. Sed hoc eodē recidit. Qui enim orationem colligit in summam, ea solum repetit quæ præcipua sunt. Ad vtrumque sensum patet quod Erasmus vertit: *Capitulum eorum quæ dicitur, illud est caput*; nempe quod sequitur.

Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis. Caput & summa dicitur est, inquit, quod *talē*, id est, tantæ dignitatis & excellentiæ pontificem habemus, qui sedet ad dexteram solij maiestatis diuinae in cælo. Hæc enim lōgè sunt supra dignitatem pontificis Leuitici; ministrantis in tabernaculo. Respicit apostolus ad psalmum Dauidicum; in quo, ad vnum & eundē hæc dicuntur: *Sede à dextris meis*; & *Tues sacerdos in æternum*. Quid sit ad dexteram Dei sedere, satis explicatum est ad illud cap. i. *Sede ad dexteram maiestatis in excelsis*. Vbi etiam admonuimus, interpretem variasse vocabula, sedet, consedit; maiestatis, magnitudinis; cum in Græco sint eadem.

SANCTORVM MINISTER, ET TABERNACVLI VERI. Tā Græcis quā Latinis ambiguus est genitiuus *sanctorum*, ad sanctos & ad sancta. Vnde refert Theophylactus nonnullos interpretari Christū ministrū sanctorū, id est, hominū ab ipso sanctificatorum. Quā expositione Oecumenius & Caietanus postea secuti sunt. Sed absq; dubio melius est ac germanius, vt neutriū genus accipiat, id est, sancta; vel geminato nomine, Sancta sanctorum; de quibus in sequentibus, cap. 9 & 10. frequēs est mētio. Syrus interpres *dominum sanctum* vocat. Liqueat id ipsum ex adiuncto vocabulo *tabernaculi*. Vult enim apostolus per *tabernaculum* & *sanctam* eandem intelligi, quæ admodum ex ijs quæ sequenti cap. dicuntur, amplius patebit. Nimirū allegoricè respicit ad tabernaculū secūndum; nō ad primū. De quibus c. seq. Iā quod addit, *verū*, non minus ad *sancta*, quā ad *tabernaculū* referri debet. Intelligit autē sancta vera, & tabernaculū verum, nō quæ falsis opponuntur; sed quæ figuratiuis & vmbriaticis; secundū quod veritas opponitur figuræ. *Vmbra enim habebat*, id est, *formam honorū non ipsam imaginē rerum*; vt dicitur infra c. 10. Sed queritur quæ sint hæc sancta vera, seu tabernaculū verum, quorum minister est Christus. Quidā intelligent ecclesiā militantē in terris; eodē quod nō apparet, quomodo Christus nūc sit minister salutis eorū qui perducti sunt ad salutem, & regnant in cælo. Sunt etiam qui tabernaculum verū interpretentur corpus Christi; propter id quod sequenti cap. dicitur Christus per tabernaculum non manufactū introisse semel in sancta. Et quod c. 10. citatur ex psalmo: *Corpus autem aptasti mihi*. Sed de horum testimoniorum intellectu videbimus suo loco. Illud nunc dicimus ex apostoli sententia per *tabernaculum* & *sancta*, cælum significari. Primū,

quia

quia proximè dixerat in *cælis*. Igitur addendo, *sanctorum minister* &c. ad cælū respicit, quasi dicat, pōtifex noster Christus consedit in cælis, vt pote sanctorum cælestium minister. Deinde postulat hoc authoris disputatio de primo & secundo tabernaculo in capite sequenti. Probant item ea verba, quibus dicit Christus per proprium sanguinem introisse semel in sancta, id est, in cælum. Sic enim postea exponit, dicens, *Non in manufacta sancta Iesum introisse exemplaria verorum; sed in ipsum cælū*. Quòd pertinet etiam illud capituli 10. *Nos habere fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*. Quo loco etiā Christum vocat *sacerdotem magnum constitutum super domum Dei*, videlicet cælestem. Horū igitur sanctorū, & huius tabernaculi minister est Christus; non quod illis ministret, sed quod in illis: quomodo pontifex Aaronicus minister erat sanctorū, & tabernaculi veteris, quia ministrabat in illis: & quomodo ministros tēpli vocam⁹, qui ministrant in tēplo. Restat explicādū, quo pacto is qui cōsedit ad dexteram diuinæ maiestatis in cælis, *minister* vocetur, cū vtique ministri non sit sedere, sed astare. Pro *minister*, Græcè est *λεიტργός*, qua voce sepe significatur is qui sacris operatur, id est, sacrificis, sanctorū minister, siue administrator, vt Erasmus vertit. Vnde *λεიტργία*, vocabulū Patribus vsitatissimū pro sacrificio missæ; & *λεიტργεῖν*, sacris operari; Act. 13. Sicut igitur apostolus Christū nō ita sedere, & regnare cū Patre in cælo, quin adhuc pōtificè se nostrū meminerit, & vt pōtifex, in cælo tanquā in sanctis locis & in tabernaculo ministrat, id est, pontificis officij agat pro nobis apud Deum, videlicet interpellādo, & humanitatē in qua passus est illi representando; atque etiam verū per ministros & vicarios suos sacerdotes, offerendo sacrificiū.

QVOD FIXIT DOMINVS ET NON HOMO. In quibusdam codicibus legitur *Deus*, sed vera lectio est *Dominus*; quam & Græca habent & comprobata editio Clementina. Sensus est: Quod tabernaculum fixit ille, cui nomen est Dominus; Hebraicè Iehouah; quod Lxx sepe vertit *κύριον*, Dominum. In verbo *fixit*, alusio est ad morem figendi tabernacula. Nam tabernaculum Mosaicum, in quo Aarō & filij eius ministrabāt, more aliorū tabernaculorū operā hominum clavis in terra figebatur, vt loco firmiter cōsisteret. Qua de re vide Iosephum lib. 3. Ant. cap. 5. Sed non ita tabernaculum illud, in quo Christus pontifex ministrat, id est, cælum. Hoc enim non humana manu fixū ac firmatū est, sed iussione diuina; dicente psalmista: *Verbo Domini cæli firmati sūt*, psal. 32. Locū hunc Chrysostomus ita intellexit, tanquā significatū sit cælum esse prorsus & omnino immobile. Vnde ex eo subuertit putat eorum philosophiam, qui cælum dicunt moueri, & esse sphericæ figuræ. Quod & Theophyl. ex Chrysostomo monet obseruādū. Verū id nequaquam est consequens. Nam cælum quidem ita fixum est à Deo, vt è

loco suo numquam moueatur: at nihil repugnat quo minus orbiculariter, vt habet recepta philosophia, moueatur in loco. Quamquā nec huiusmodi motū extremo cælo, quod empyreū vocatur, & in quo Christus residet, Theologia attribuit. Hic postremò notādum, totam hanc partem, *Sanctorū minister*, &c. non minus quā præcedētē pertinere ad declarādā excellentiā Christi pontificis supra pōtificè legalē. Ille enim typici tabernaculi minister fuit, atque eius quod manibus hominū figebatur in terra, & subinde refigebatur, aliò trāsferēdū; vt significaretur mobilitas illius sacerdotij: Christus autē veri tabernaculi minister est, quod fixit manus Dei, id est, perpetuū atque immobile fecit. Quo simul innuitur, sacerdotium Christi perpetuum & immobile permanere.

3 OMNIS ENIM PŌTIFEX AD OFFERENDVM MVNERA ET HOSTIAS CONSTITVTVR. Quid hac parte probet apostolus, aut quid intēdat, à paucis explicatur. Re perpēsa, nobis cū S. Tho. viderur illud probari, quod proximè dictū erat, Christū, quāuis cōsederit ad dexterā Dei in cælis, adhuc esse sanctorū ministrum, id est, in ipso cælo tanquā sanctuario, ministrū pōtificis exercere. Vim argumenti mox exponemus. Interim huius sententiæ intellectū repete ex c. 5. cuius initio similia verba leguntur. Quo etiam loco dictū est; quid interlit inter *munera*, & *hostias*; pro quibus interpres illic *dona* & *sacrificia* vertit.

VNDE NECESSE EST ET HVNC HABERE ALIQVID QVOD OFFERAT. Argumentatio talis est: Omnis pōtifex cōstituitur, vt aliquid offerat, v. g. munera, & hostias: Atqui Christus etiā pōtifex est; ergo necesse est vt & ipse, (quāuis in cælū receptus, & sedens ad dexteram Patris) habeat aliquid quod offerat; ac proinde rectè iā dixi, eum in cælo sedētem esse sanctorū ministrum; videlicet non solum interpellādo pro nobis, verū etiā aliquid offerēdo. Quares quid offerat? Id quidē hoc loco nō dicit apostolus, sed aperit in sequentibus, ac nominatim eo loco c. 9 vbi dicit, *Iesū introisse in ipsū cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*; hoc est, vt seipsum hominē, quē semel in ara crucis obrulit hostiam Patri, deinceps atque continuò in cælis, tanquā eadem hostiam, Patri sistat ac representet; donec completus fuerit electorū numerus. Sed nec minus verum est, Christū, etsi in cælo regnatē, offerre quotidie seipsum adhuc in terris, per ministros, ac vicarios suos sacerdotes. Quod tamē vtrum hoc loco significatū sit, disputāt interpretes. Probabile est quod diximus, Apostolū loqui de ea oblatione, qua seipsum quondam in cruce passum, & oblatū, continuò nunc representat Patri in cælis. Nā de altera Apostolus prorsus tacet; quia mysteriū est, quod intelligēdū relinquit fidelibus mysteriorū cōscijs. Veruntāmen quia propositi onē alsū sit vniuersalē, scilicet, Omnē pōtificè ad offerendum munera & hostias constitui; con-

T t

senta-

setaneū vtique est, vt & de Christo, tā olim mortali, quā nūc immortalī, totā eā interpretemur. *Munera* erāt incruēta sacrificia; *hostia*, cruēta: sicut ex sentētia veterū interpretū hęc duo superius a nobis exposita sūt c. 5. Christus igitur, mortalīs quidē, obtulit munus, id est, eucharistiā in cœna nouissimā: obtulit & hostiā, seipsū in cruce. Nūc verò immortalis, offert idē munus eucharisticū ab ortu solis vsque ad occasum per vicarios suos sacerdotes: Offert & hostiam, quia seipsum olim in cruce suspensum, vulneratum, & occisum, adhuc pro nobis in cælo sistit ac repræsentat Patri. Propter quē causam, ipsa etiam passionis suæ vulnera Patētia suo in corpore referuauit; docente B. Ambrosio lib. 10. super Lucam.

SI ERGO ESSET SVPER TERRAM; NEC ESSET SACERDOS. In Græco non illatio est, sed probatio: *Si enim*. Porro eam partem, *esset super terram*, Caietanus interpretatur de re oblata, non de Christo offerente; quasi sensus sit: Si id quod Christus pontifex offert, esset aliquod animal, aut terræ fructus, cuiusmodi sunt ea quæ legales sacerdotes offerunt. Meminit huius expolitionis etiam Aquinas. Verum magis conuenit textui, vt ad personā referatur. Poteſt autem sensus hoc modo explicari: Euidēte ratione conclusi, Christum pontificem nostrum habere aliquid, quod offerat in cælo, residens ad dexteram Patris. Nam si super terram esset: ne sacerdos quidem esset, quanto minus pontifex? hoc est, si futurus erat ex illo genere sacerdotum, qui super terram offerunt victimas; vt sunt sacerdotes Leuitici: iam locus omnino non esset ei inter sacerdotes. Quidam sic exponunt: *Si esset super terram*; id est, si non moreretur; sed viuens super terram remaneret; *non esset sacerdos*; quia cū sit alienus a Leuitico sacerdotio, neque tamen in cruce offerret seipsum hostiam cruentam, vtpote non moriturus; neque in cœna hostiam incruentam, cū hęc sit cōmemoratio hostiæ cruentæ, & in ea fūdetur. Attramen prior sensus simplicior est; & ad eum propriè respicit ratio subiuncta.

CVM ESSENT QVI OFFERRENT SECUNDVM LEGEM MVNERA. Græcè ad verbum: *Existentibus sacerdotibus offerentibus secundum legem dona*. Sunt enim casus absolutè positi; quos Erasmus ita reddit; *Ubi sūt sacerdotes qui offerunt*, &c. Alij sic: *Quamdiu essent sacerdotes, qui offerrent*. Rectius interpretis noster causaliter; hoc sensu: Quandoquidem sacerdotes qui secundum legem hostias offerrent, iam erant à lege constituti: vt ad eas offerendas alio sacerdote opus non esset; eo præsertim, quem lex ipsa ab altari repelleret, vtpote extraneum à genere sacerdotali. Nam sicut dictū est capite superiore, *Ex Iuda ortus est Dominus noster: In qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est*. Ex hoc plano sensu apostolici, liquet quā futile sit argumentum, quod ex isto loco faciunt hæretici, quò Christū auferant de terra, & consequenter ex altari. Di-

cit Apostolus, inquit: Si Christus esset super terram, non esset sacerdos. Atqui Christus haud dubiè sacerdos est; ergo non est super terram, ac proinde nec super altare. Sed iam clarè explicatum est, quo sensu neget apostolus Christū esse super terrā. Alioqui, pari ratione Christus de cruce tolleretur, vbi vel maximè sacerdotis officio fūctus est. Nā si in cruce pepēdit, super terrā erat; nō min⁹ quā si dicatur esse in altari. Si super terrā erat: secundū istos nō erat sacerdos. Obiter admono, Paulū sola munera nominantem hoc loco, non confundere discrimen alibi datum a nobis inter munera & hostias; sed altero nominato, alterū inelligendum relinquere.

QVI EXEMPLARI, ET VMBRÆ DESERVIVNT CÆLESTIVM. Significatur seruitus quæ fit Deo. Græcè, λατρεύουσι. Nonnulli vertunt; *Qui quidē in exemplari & umbra ministrat caelestium*; vt in Græco subaudiatur præpositio ἐν vel ἐπι, ne significari videatur sacerdotes legales ipsis typis & vmbis λατρεύουσαν exhibuisse. Sed huiusmodi subauditio Græcis insolita est, & hoc loco nō necessaria. Dicuntur enim illi sacerdotes deseruissē exemplari, & vmbra cælestiū, improprio sermone; quia, cū talibus ceremonijs, quæ erāt cælestiū figuræ & vmbra, Deo seruibāt. Ac si diceret; Versātur in cultu typico, & vmbatico. Pro *exemplari* Græcè est ὑπόδειγμα, quasi dicas, *substitutionem*, id est, obscuram delineationem, vt exponit Theophylactus. Eiusmodi erant veteres ceremoniæ, respectu rerum per ipsas significatarum. Sed magis adhuc eas extenuat adiunctum *umbra* vocabulum. Vbi tamen dubium, an metaphora desumpta sit à pictoribus, qui imaginem, quam facere volunt, prius adūbrant, rudibus ductis lineamentis; an verò respiciatur ad vmbra, quā corpus in sole positū de se prōijcit, vt videlicet umbra corpori opponatur. Nā priori modo opponitur imagini expressæ. Atque hoc spectasse apostolum in vocabulo vmbra, quidā ex eo cōvincere se putāt, quia c. 10 sic loquitur; *Vmbra habet lex futurorū bonorū, non ipsa imaginē rerū*. At idē apostolus ad Col. 2. de Mosaicis obseruationibus agens, easq; vocans vmbra rerū in Christo implendarum; disertè vmbra corpori opposuit. *Quæ sunt*, inquit, *umbra futurorum: corpus autem Christi*. Quare & hęc eam vmbra acceptionem magis probamus. Nam & magis facit ad obscuritatem repræsentationis significandam. An autē vmbra diuersa sit metaphora cap. 10. illic expenderetur. Superest vidēdum quæ vocet apostolus *caelestia*. Chrysoſtomus extēdit ad totam ecclesiam. Quæ enim per sacerdotes Leuiticos agebantur, typū præferēbant eorum quæ aguntur in ecclesia, tam militante, quā triumphante: quemadmodū pulchrè declarat idem Chrysoſtomus. Quanquam non inde consequens est, nomē *caelestium* ex apostoli mēte ad ea omnia extēdi: cū ex superioribus vbi dictum est Christum sedere in dextera sedis magnitudinis in

cælis, sanctorum ministrum &c. ad quæ hoc loco respicitur; apparere cuiusmodi meritò queat *caelestia* dici quæ in cælis aguntur. Id. quod videatur postulare latens antithesis inter terram & cælum. Itaque sensus foret: Sacerdotes qui super terram sunt, id est, Leuiticos, esse constitutos vt suo ministerio, quo seruiunt in tabernaculo, nobis exhibeant obscuram quandam & vmbaticam repræsentationem eorum quæ Christus pontifex agit in cælesti sanctuario. Nam quod pontifex Aaronicus cæsa victima semel introibat in sancta sanctorum, victimæ sanguinem illuc inferens; typicè significabat Christum verum pontificem, hostia suæ carnis in cruce semel oblata, per proprium sanguinem ingressurum in cælum, vt appareret vultui Dei pro nobis. Hanc significationem ipse apostolus cap. 9 & 10. pluribus explicat & commendat. Et nihilominus, quòd nomine *caelestium* hoc loco comprehendantur illa quoque quæ geruntur & diuinitus sūt instituta in Ecclesia Christi militante; probant illa verba cap. 9. *Necessè est exemplaria quidē caelestium his mundari: ipsa autem caelestia melioribus hostijs quā i- stis*. Possunt etiam ea quæ per inferiores sacerdotes agebantur, applicari ad Christum: sed præcipuum apostoli institutum est pontificem conferre cum pontifice, legalem cum Christo; atque ex ea collatione Christi pontificis excellentiam ostendere.

SICVT RESPONSVM EST MOYSI. Hoc quod dixit, *Omnia quæ per sacerdotes in tabernaculo gerebātur, figuras & vmbas fuisse caelestium*; probat scripturæ testimonio. Græcum verbum, χρηματιστικόν, non significat simpliciter *respondere*, sed quomodo Deus respondet aut loquitur hominibus; id est, oraculum reddere seu dare, etiam si interrogatus non fuerit. & χρηματιστικόν, oraculū accipere. Idē infra cap. 11. *Fide Noe respoſo accepto*, &c. Et actiuo genere, c. 12. *qui super terrā loquebatur*, id est, oracula reddebat. Vfus est eodem verbo Matthæus cap. 2. sui euangelij semel & iterum. Et Lucas cap. 12 & Act. 10. Hinc alij vertunt: *Sicut oraculum accepit Moyses*; vel, *sicut oraculo responsum est Moysi*.

CVM CŌSVMMARET TABERNACVLVM. Græcè: *cū esset consummaturus tabernaculum*, id est, facturus. Nā verba quæ citare vult Apostolus, dicta sunt Moysi priusquam tabernaculum facere cepisset; vtpote quibus forma tabernaculi faciendi præscribatur.

VIDE, INQVIT, OMNIA FACITO SECUNDVM EXEMPLAR QVOD TIBI OSTENSVM EST IN MŌTE. Græcè, *Vide enim*, inquit, *facias omnia secundum exemplar &c*. Locus est Exo. 25. Vbi, quidē non additur, *omnia*; nec in Hebræo, nec apud Lxx, sed tantum dicitur: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Verum sensus vniuersalis est. Quod patet ex præcedētibus eiuſdē capitis; vbi dicitur: *Faciētq; mihi sanctuarium iuxta omnē simili-*

tudinē tabernaculi quod ostendā tibi & omnium vasorum in cultum eius. Quod autē interpretis vertit *exemplar* Græcè est τύπος, vocabulum diuersum ab eo quod modò præcessit, nec eiusdem profus significationis, hoc præsertim loco. Significat enim hęc *exemplar* nō vmbaticum aut præfiguratiuum, sed propositū ad imitandum. Quæ etiam magis propria est *exemplaris* significatio. Igitur hac allegatione diuini responſi docere vult apostolus illā veteris tabernaculi formam nō fuisse ab humano ingenio excogitatam, aut fortuitò oblatā; sed factam ad exemplar à Deo Moysi reuelatum ac propositū, quū esset in monte Sina, legem in tabulis accepturus. A quo exemplari ne artifices etiam ipsi vel minimum aberrarent; eos quoque legitur Dominus impleuisse spiritu suo ad vniuersum opus tabernaculi faciendum. Exo. 31. Cū enim per illud tabernaculum & quæ in eo gerebātur, velle Deus præfigurare ea quæ pertinent ad sacerdotium Christi: formam eius construendi præscripsit ad hęc significanda conuenientissimā. Iam simile quid etiam de Dauide legimus, scilicet ostensam ac præscriptā ei fuisse diuinitus ideā extruendi templi & vasorum eius. Ait enim cū de ijs loqueretur I Par. 28. *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me; vt intelligerē vniuersa opera exemplaris*. Ex his ergo primū patet, vetus illud sacerdotium per omnia figuratiuum fuisse. Debent enim figuræ coaptari suo exemplari; non contrā. Deinde, significatur illas fuisse figuras rerum cælestiū. Id enim vult exemplar in monte monstratum. Mons quippe cæli significationem habet, vt psal. 3. *Et exaudivit me de monte sancto suo*. Et 14. *Quis requiescet in monte sancto tuo?* & 23. *Quis ascendet in montem Domini?*

6 NUNC AVTEM MELIVS SORTITVS EST MINISTERIVM. Melius Græcè, *differentius*, hoc est, *excellentius*. Sic cap. 1. *Quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Sortitus autem*, id est, nactus est, obtinuit; Græcè, τέρωχνη, *contigit ei*: Ne quis hęc imaginetur aliquid de fortibus; quale nihil est in Græco. Doctè quidē B. Tho. annotat electionē diuinam in scripturis vocari sortem, vt Eph. 1. *Sorte vocati sumus*: eò quòd vbi deficit humanum iudicium, soleant homines se conferre ad electionem & dispositionem diuinam: sicut apostoli fecerunt in eligendo coapostolo, Act. 1. Sed ea annotatio præſenti loco non congruit. Quod attinet ad contextum; respondet hęc pars illi superiori, *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos* quasi diceret hęc, Atqui sacerdos est, iuxta testimonium David; sed longè meliore ac præstantiore potius sacerdotio. Id enim vocat *ministerium*, videlicet sacrū; Græcè λειτουργία. Hanc eius sacerdotij præstantiam poterat ex iam dictis ostendere, quia erat exemplar in monte monstratum, id est, cælestē: sed amplioris doctrinæ causa transire voluit

ad mentionem testamenti; atque ex eo noua argumentatione probare quod instituit. Hoc est quod sequitur:

QUANTO ET MELIORIS TESTAMENTI MEDIATOR EST. *Melioris* Græcè *ἄριστος*, vox diuersa à præcedente. Tantò excellentius est, inquit, sacerdotium Christi, quanto melius est testamentum, cuius ipse mediator est & intercessor. Sacerdotis enim officium est intercedere inter Deum & homines; & pacta inter eos conuenta oblatis sacrificij caeremonia confirmare: tum operam dare ut diuinis promissis homines potiantur. Quare quanto pacta meliora fuerint & præstantiora; tanto sacerdotium ipsum maioris censei dignitatis, consentaneum est. *Testamentum* vocat fœdus seu pactum; quod in proposito est lex cum promissis; Græcè *διαθήκη*. De qua voce plura dicemus infra & in capite sequente. Christum igitur vocat *melioris* hoc est noui, *testamenti mediatorem*; quia Christus velut Dei ad nos interpres, nouum fœdus, quod Deus nobiscum inire dignatus est, ad nos attulit, ac nobis, velut legislator à Deo datus, promulgauit. Quod quidem præstitit multò perfectius quàm Moyses in veteri testamento: cuius ipse mediator fuit. Nā Christus nouum testamentum suo ipsius sanguine sanxit & confirmauit; atque eiusdem testamenti promissa per obedientiam & humilitatem passionis ac mortis suæ nobis efficaciter promeruit. At Moyses vetus testamentum dedicauit in sanguine alieno, scilicet occisorum animalium; idemque in terram Chanaan, quæ illic præcipue promittebatur, nec populum introduxit, nec ipse ingredi potuit. Porro quod dixit, *melioris testamenti*, declarat.

QUOD IN MELIORIBUS REPROMISSIO-NIBUS SANCITUM EST. Tantò videlicet melioribus, quanto potiora sunt cælestia terrenis, æterna caducis, spiritualia carnalibus. Hæ namque differentia sunt promissorum noui testamenti ac veteris. Adde quod ipsam legis obseruationem qua peruenitur ad illa meliora promissa, nobis præstat gratia noui testamenti. Siquidem & ipsa continetur sub promissione, sicuti mox docebit ex Hieremia. Nihil autem tale præstitit aut præstare potuit testamentum vetus: quoniam etsi fuerint aliqui tempore legis Mosæicæ, qui præcepta legis, sicut oportet, obseruaret: nō tamen ex lege, sed ex fide Christi mediatoris; quos proinde non tam veteris quàm noui testamenti filios conuenit appellari. Notandus est Hebraismus in præpositione, *in*; Sensus enim est: Quod testamentum cum melioribus promissis datum est; quæ lex meliora promissa habet adiuncta. Nam Græcum verbum *νενομωσθησάντων*, quod interpretes vertunt *sancitum est*, proprie significat, *lege latum est*. Sed hoc ipsum est sancire legem, si pactis interpositis & cæsis hostijs confirmetur.

NAM SI ILLUD PRIUS CVLPA VACAS-

SET; NON VTIQVE SECVNDI LOCYS IN-
QVIRERETVR. Adhuc probat nouū testa-
mentum melius esse priore. *Culpa vacasset*,
Græcè, *irreprehensibile erat*, seu fuisset. Ire-
prehensibile autem negatur vetus testamen-
tum, id est, tale in quo nihil posset reprehendi;
non quod iuxta Manichæorum hæresim
mali aliquid in se haberet (etenim lex Domini
immaculata, tam vetus quàm noua) sed
quoniam imperfectū erat, ut pote quod sub-
ditos suos sanctificare non posset. Itaque nō
sic irreprehensibile, ut nihil ei deesset, aut
nihil in eo desideraretur; quemadmodū ex-
istimabant Iudæi, quærentes ex lege iusticiā.
Idem ergo hîc dicitur quod capite superiore;
*Reprobatio quidem sit præcedentis mandati, pro-
pter infirmitatem eius & inutilitatem; Nihil
enim ad perfectum adduxit lex: Introductio ve-
rò melioris spei per quam proximamus ad Deum.*
Nonnulli sic exponunt; *Si culpa vacasset*, id
est, à culpa liberasset. Sed hoc non est tam a-
postolum exponere quàm interpretem. Est
igitur hæc apostoliratio: Quod subro-
gatur alteri defectum habenti, melius esse o-
portet; atqui secundo testamento locus pro-
mittitur reiecto veteri propter ius defectum
(nisi enim aliquid ei deesset, secundi lo-
cus non quæreretur): ergo hoc illo melius
est. Assumptionem probat testimonio pro-
phetæ, versu seq.

VITUPERANS ENIM EOS, DICIT. Græcè
μεμψόμενος, id est, *reprehendens, inculpans*
eos, scilicet quibus datum est testamentum
prius. *Dicit*, propheta. Quæritur qualis
sit probatio; Reprehenduntur à prophe-
ta quibus datum est testamentum: ergo
testamentum ipsum reprehensione non ca-
ret. Neque enim iustum videtur, ut si quid
vicij sit in populo cui lex data est; eius culpa
in legem conferatur. Quidam ut hanc diffi-
cultatem effugiant, dicunt ex Græco potius
vertendum fuisse, *Vituperans enim, eis dicit*.
Est enim in Græco datiuus *ἀντοῖς*, qui ad
vtrumlibet verbum referri potest. Ac non-
nulla suspicio est interpretem nostrum hoc
casu, quem in Græco legit, vertisse; ut nimi-
rum sensus sit: *Vituperans testamentum prius,*
dicit eis, scilicet sacerdotibus (de quibus paulò
antè loquebatur) ac per eos omni populo
cui datum est illud testamentum. Qui sensus
post Stapulensem etiam Caietano placuit.
Verùm Græci interpretes Chrysostomus,
Theophylactus & Oecumenius datiuum
ἀντοῖς palam referunt ad participium præcedens.
Non dicit, inquit, accusans ipsum, videlicet
testamentum; sed accusans eos, id est, Iudæos.
Astipulatur & Syra versio; *Reprehendit enim eos,*
& dicit. Ac sanè testimonium subiunctum
non docet testamentum reprehendi, sed
populum cui datum fuerat testamen-
tum addita etiam causa reprehensionis.
Sic enim habet: *Quoniam ipsi non per-
manserunt in testamento meo: & ego neglexi*

eos, di-

vel erunt, possit intelligi.
ET CONSUMMABO SVPER DOMVM ISRAEL
ET SVPER DOMVM IYDA, TESTAMENTVM
NOVVM. Hebraismus est, pro eo quod nos di-
ceremus, *quando consummabo*. Græcè *ὅταν τελέ-
σω περὶ ἑαυτῶν*. Pro quo in Hebræo est, *excidam;*
aut, *feriam*, sicut vertit Hieronymus. Apud Lxx
ἀναθεστήσω id est, *disponam*. Quo verbo post
paululum etiā apostolus vitur; secutus Lxx:
cum dicit: *Quia hoc est testamentum quod dis-
ponam* &c. Atque ab eo descendit nomē ver-
bale *ἀναθήκη*, *dispositio, testamētum*. Quod ip-
sū hîc reddiderūt idem Lxx. Loco eius quod
in Hebræo est *fœdus*, seu *pactum*. Sed hæc om-
nia concurrunt in eundem sensum; quo sig-
nificatur Deū initurū cum populo nouū fœ-
dus. Verùm ideo forsitan hoc loco substituit
apostolus verbū quod *perficere* significat; ut
innueret nouum testamentum minimè fru-
strandum esse, sicut vetus; sed effectum ple-
nissimum in omnibus filijs promissionis ha-
biturum. Hoc certè verbum vrget Augusti-
nus in lib. de spiritu & litera cap. 19. Sciendū
est autem interpretes Lxx. non tantum in
isto prophetæ testimonio, sed & alibi passim;
ac more quodam perpetuo, pro eo quod in
Hebræo est *ברית* *fœdus*, posuisse *δια-
θήκην*, quod Græcis *testamentum* significat; nō
aliud tamē volētes intelligi quàm pactū, seu
fœdus, in genere. ut Gen. 9. *Ecce statuo testa-
mentum meum vobis*, id est, pactum. Psalm. 82.
Aduersum te testamentum disposuerunt, id est,
fœdus pepigerunt, conspirauerunt, *taberna-
cula Idumæorum & Ismaelita*. Ita etiā 1 Mach.
1. *Eamus & disponamus testamentum*; hoc est,
ineamus fœdus, cum gentibus, *quæ circa nos
sunt*. Et alijs locis innumeris. Rectè verò *pa-
ctum* appellari *testamentum*, docet Hierony-
mus in Hieremiâ scribens, quia volūtas in eo
atque testatio eorum qui pactum ineunt, cō-
tinetur. Adde, Græcè quoque *διαθήκην*, quasi
dispositionem, rectè vocari; quia pactis inter se
homines de rebus ordināt atque disponūt. Iā
quod ait, *Super domū Israel & super domū Iu-
da*; nō vno modo à tractatoribus exponitur.
Notū quidē est, in scripturis vbi distinguūt
domus Israël & domus Iuda; per domū Israël
intelligi decē tribus, quæ authore Ieroboam
à vero Dei cultu recesserunt; & per domū Iu-
da, duas tribus quæ cū Leuitis in cultu Dei
legitimo permanserunt. Sed quoniam hi po-
puli, rerum etiam ad ecclesiam pertinentium
figuram gesserunt (*omnia namque in figura
contingebant illis* 1 Cor. 10.) idcirco quidam
domum Israël hîc interpretantur ecclesiam
colligendā ex gentibus; & domum Iuda, re-
liquas colligendas ex Iudæis: eò quod gētilis
populus olim Deo relicto ad idola defluxit:
apud Iudæos autē Dei cultus permāsit. Hæc
Augustini expositio est lib. 22 contra Faustum
cap. 89 & lib. 18 de ciuit. Dei cap. 28. Alij
verò ab eo quod litera sonat, non putant
recedendum. Itaque domum Israël intel-
ligunt eos qui sunt ex decem tribubus Israē-

ECCE DIES VENIENT, DICT DOMINVS.
Testimoniū hoc desumptū ex Hierem. 31. pe-
nè totum citat iuxta versionem Lxx: tamen si
ab Hebræo permodica discrepantia est; quā
nos subindicabimus. Est autem illustris pro-
phetia de nouo testamento; quam totam in
primo Christi Saluatoris aduentu cōpletam
esse ex sententia omnium scriptorum eccle-
siasticorum Hieronymus affirmat in commē-
tarijs super Hieremiam. Hebræorum quidem
nonnulli referunt ad tempus quo lex ab Es-
dra fuit renouata; Cuius sententia meminit
Theophylactus; sed ea renouatio facta est in
membris, nō in cordibus: neque nouum
tunc institutum testamentum, sed vetus quo-
dammodo redintegratum. Igitur & Hebræo-
rum plerique nobiscum sentiunt, scilicet im-
plendum fuisse totum quod hîc dicitur, tem-
pore Mesiæ. Sed in eo vehementer à nobis
dissent, quod alium sibi Mesiā fingunt,
eundemque frustra tot sæculis expectant. Di-
cant autem Mesiā suum proprie non darum
nouam legem, id est, aliam ac diuersam
à lege Moyſi; sed eo sensu nouam, quia futu-
rum sit eius tempore, ut melius obseruetur,
quàm ab ipsis & eorum patribus obseruata
fuit: quando quidem, inquit, Messias, quū
venerit, imprimet legem menti, hoc est, me-
moriam Iudæorum, ut eius nunquam obliuif-
cantur. Sed hi, sicut aberrant à Christo, ita
beneficiorum eius magnitudinem non asse-
quuntur; & nominatim quid sit legem Dei
inscribi mentibus. Nam si id non aliud esset
quàm imprimi memoria: nequaquam hoc
satis esset ad implendam legem. Quam mul-
ti enim sunt, in quos competat illud; Video
meliora, proboque; deteriora sequor! Pro-
futuro, *venient*, in Græco est *ἐρχομαι* præsen-
tis temporis verbum. Hieronymus quoque
vertit ex Hebræo, *veniunt*, ut in textu
commentarijs eius inserto videtur. Idem tem-
pus reddit hoc loco Syrus interpres. Quan-
quam verbum hoc Græcum sæpe etiam futu-
ri significationem habet, præsertim in sacris
litteris; ut quum Christum vocatur *ἐρχόμενος*,
qui venturus est Matth. 11. & alibi. Sic Ioā. 4.
Mesiā venit, mesiā venit; id est, expectatur
ut veniat. Ita accipiendū quod hîc dicitur, ut
sensus sit, tempus illud omnino venturū. In
Hebræo participium est, *venientes*; ut vel sūt,

vel erunt, possit intelligi.
ET CONSUMMABO SVPER DOMVM ISRAEL
ET SVPER DOMVM IYDA, TESTAMENTVM
NOVVM. Hebraismus est, pro eo quod nos di-
ceremus, *quando consummabo*. Græcè *ὅταν τελέ-
σω περὶ ἑαυτῶν*. Pro quo in Hebræo est, *excidam;*
aut, *feriam*, sicut vertit Hieronymus. Apud Lxx
ἀναθεστήσω id est, *disponam*. Quo verbo post
paululum etiā apostolus vitur; secutus Lxx:
cum dicit: *Quia hoc est testamentum quod dis-
ponam* &c. Atque ab eo descendit nomē ver-
bale *ἀναθήκη*, *dispositio, testamētum*. Quod ip-
sū hîc reddiderūt idem Lxx. Loco eius quod
in Hebræo est *fœdus*, seu *pactum*. Sed hæc om-
nia concurrunt in eundem sensum; quo sig-
nificatur Deū initurū cum populo nouū fœ-
dus. Verùm ideo forsitan hoc loco substituit
apostolus verbū quod *perficere* significat; ut
innueret nouum testamentum minimè fru-
strandum esse, sicut vetus; sed effectum ple-
nissimum in omnibus filijs promissionis ha-
biturum. Hoc certè verbum vrget Augusti-
nus in lib. de spiritu & litera cap. 19. Sciendū
est autem interpretes Lxx. non tantum in
isto prophetæ testimonio, sed & alibi passim;
ac more quodam perpetuo, pro eo quod in
Hebræo est *ברית* *fœdus*, posuisse *δια-
θήκην*, quod Græcis *testamentum* significat; nō
aliud tamē volētes intelligi quàm pactū, seu
fœdus, in genere. ut Gen. 9. *Ecce statuo testa-
mentum meum vobis*, id est, pactum. Psalm. 82.
Aduersum te testamentum disposuerunt, id est,
fœdus pepigerunt, conspirauerunt, *taberna-
cula Idumæorum & Ismaelita*. Ita etiā 1 Mach.
1. *Eamus & disponamus testamentum*; hoc est,
ineamus fœdus, cum gentibus, *quæ circa nos
sunt*. Et alijs locis innumeris. Rectè verò *pa-
ctum* appellari *testamentum*, docet Hierony-
mus in Hieremiâ scribens, quia volūtas in eo
atque testatio eorum qui pactum ineunt, cō-
tinetur. Adde, Græcè quoque *διαθήκην*, quasi
dispositionem, rectè vocari; quia pactis inter se
homines de rebus ordināt atque disponūt. Iā
quod ait, *Super domū Israel & super domū Iu-
da*; nō vno modo à tractatoribus exponitur.
Notū quidē est, in scripturis vbi distinguūt
domus Israël & domus Iuda; per domū Israël
intelligi decē tribus, quæ authore Ieroboam
à vero Dei cultu recesserunt; & per domū Iu-
da, duas tribus quæ cū Leuitis in cultu Dei
legitimo permanserunt. Sed quoniam hi po-
puli, rerum etiam ad ecclesiam pertinentium
figuram gesserunt (*omnia namque in figura
contingebant illis* 1 Cor. 10.) idcirco quidam
domum Israël hîc interpretantur ecclesiam
colligendā ex gentibus; & domum Iuda, re-
liquas colligendas ex Iudæis: eò quod gētilis
populus olim Deo relicto ad idola defluxit:
apud Iudæos autē Dei cultus permāsit. Hæc
Augustini expositio est lib. 22 contra Faustum
cap. 89 & lib. 18 de ciuit. Dei cap. 28. Alij
verò ab eo quod litera sonat, non putant
recedendum. Itaque domum Israël intel-
ligunt eos qui sunt ex decem tribubus Israē-

litici populi; Domum Iuda, eos qui ex duabus non omnes quidē, sed qui erāt in Christi cteditur. Nam Israëlita, Christo & apostolis eius pradicantibus, ex omni tribu vocati sunt ad fidem, & venerunt. Vnde Act. 2. *Ludai viri religiosi, ex omni natione qua sub celo est*, prima Petri pradicatione audita, fidem recepisse leguntur ad tria milia. Sed & Iacobus epistolam suam scribit duodecim tribubus quæ in dispersione erant; vti que tãquam fidelibus. Et in Apoc. Ioannis cap. 7. centum quadraginta quatuor milia signati scribuntur ex omnibus tribubus filiorum Israël. Quare nihil necesse est, imo nec ratio patitur, vt, quod nonnulli faciunt, domum Israël restringamus ad eam partem decem tribuum quæ cum duabus tribubus remasit vsque ad tēpora Saluatoris; exclusis ijs qui per terras Assyriorum aliarumque gentium fuere dispersi. Cæterum, promissionem hanc directē pertinere ad populum Israëliticum; satis ostendit quod sequitur, *Non secundum testamentum quod feci patribus eorum*. Nam quibus primum testamentum datum est, nō gētilium, sed Iudæorum patres fuerunt: atque horum filijs nouum promittitur. Hunc sēsum apertē suggerit Hieronymi commentarius. Quæres num igitur hæc noui testamenti promissio nihil ad ecclesiam gentium? Respondeo, prorsus etiam ad eam pertinere; quoniam apostoli ac cæteri qui primi ex Iudæis in Christū crediderūt, magistri sunt ac veluti patres atque primitiæ eorū omnium qui postea perducti sunt ad legem Christi: vt quod illis promissum est ac præstitum, etiam filijs eorum vnde cunque ad fidem colligendis, promissum ac præstandum intelligatur.

NON SECUNDUM TESTAMENTUM QUOD FECIT PATRIBUS EORUM. Ita LXX. Nisi quod pro verbo *feci*, apud eos legitur *ἀπέδωκεν, dispensauit*. Hieronymus ex Hebræo vertit; *Non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum*. Sensus est, nouum hoc pactum seu testamentum nō futurum quale prius illud, sed eo longē perfectius atque excellentius. quam rem paulō post declarat.

IN DIE QUAE APPREHENDI MANU MEORVM, VT EDUCEREM ILLOS DE TERRA ÆGYPTI. Hoc est, quo tempore eos velut apprehensa manu eduxi ex Ægypto, vbi dura premebantur seruitute. *Dies*, pro tempore quamuis in longum extenso, vulgatissima phrasia est scripturæ. Non enim populo tunc, quando de Ægypto egrediebatur, lex data fuit; sed demum quinquagesimo post egressionem die, legis ferendæ factū est initiū. Ad dit autem hæc verba per prophetam Dominus, non tã vt tempus prioris pacti designet; quam vt beneficij cōmemoratione ostendat ingratitude populī, cū quo pactū illud inierat. Hæc enim cum exprobratione dicuntur pacti non seruati: quemadmodū patet ex eo quod sequitur.

QUONIAM IPSI NON PERMANSERUNT

IN TESTAMENTO MEO. Hebræa sic habent: *quia ipsi irritum fecerunt pactum meum*. Quamquam Hieronymus Hebræicum *ἴρριτον* non causaliter interpretatus est, sed relatiuē; dū verbis transpositis ita vertit: *pactum quod irritum fecerunt*. Nam reuera nō hīc causa redditur promissionis noui pacti; sed narratur antiqui frustratio. Pagnino tamen & alijs, sicut & ipsis Lxx. vltimū fuit coniunctionem causalem reddere; non quidem causaliter exponendam, sed expletiuē: quod Hebræis frequens est. Sunt qui causaliter exponant, referendo partem hanc ad sequentem; hoc modo: *Quoniam, seu, quandoquidem ipsi pactum meum non custodierunt, sed irritum fecerunt; ego quoque neglexi eos & abieci*. Sed cum sensum & constructionem, puto, non probabit, qui Hebræa diligenter expenderit. Probabilius dixeris, significari causam alicuius subintellecti; nimirum veteris pacti rescissi à Deo. Huius enim causa est quoniam ipsi priores illud violauerunt. Nobis sermo videtur esse simpliciter narratiuus; vt sensus sit: *Et ipsi pactum, quod cum eis pepigi, irritum fecerunt*. Id est, legem quam dedi eis cum luculētis promissionibus, præuaricati sunt: primū in deserto; deinde in ipsa terra promissionis, partim ac præcipuē per idololatriam; partim verò per alia multa & magna peccata. Loquitur enim propheta de peccatis totius temporis, quod hanc noui testamenti promissionem antecessit. Aquinas exponens hæc verba: *quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo*, hanc quasi rationem subiicit quia scilicet non erat scriptum in cordibus eorum. non quod hæc propriæ causa fuerit pacti non seruati; sed quia Deo non scribente legem in cordibus eorum, seruare eam non poterant. Itaque hæc eius ratio procedit à negatione causæ necessariæ ad negationem effectus. Tale est quod dicit Dominus ad Iudæos: *Vos non creditis, quia non estis ex omnibus meis*, id est, ex prædestinatis ad fidem. Ioan. 10. Notanda sūt hæc, aduersus opinionem quorundam, existimantium omnibus adesse sufficiens auxiliū gratiæ Dei ad seruandam eius legem.

ET EGO NEGLEXI EOS, DICIT DOMINVS. Hoc illatiuē dicitur, vt sit, Et proinde eos ego neglexi, curam eorum abiēcī; bona quæ promiseram subtraxi, videlicet pacti mei violatoribus. Est autem hæc lectio secundum Lxx. Nam in Hebræo sic habetur; *Et ego dominatus sum in eos*. Ita quidem etiam Hieronymus vertit, licet in commentario non exponat. Apud alios autem variè leguntur interpretationes. Vna, huiusmodi; Pactum meum irritum fecerunt; quamuis ego dominarer eis, & curā eorum, tanquam dominus & vir ac sponsus haberem, plurimisque eos auxissem beneficijs. Nam vox Hebræa propriè eam dominationem significat, quæ viro cōpetit in vxorem: de qua Gen. 3. *Et ipse dominabitur tui*. tamen si vocabulo in Hebræis diuerso. Quidam exponit per interrogationem, velut ab indig-

nante

nate profectam; hoc modo: Et ego coniugio iunctus mansissem eis? quasi dicat, minimè; sed abieci & repudiaui eos. Alijs verò, cum quibus sentit B. Thomas, magis placet hic intellectus; Quia pactum meum fecerunt irritum; idcirco dominatus sum eorū, id est, Dominum me esse ostendi, non passus impunè legem meam contemni: puniui eos pro meritis tanquam eorum Dominus; atque ita puniui vt abijcerē eos & pro neglectis haberem. Hanc expositionem probabilem facit locus similis apud Ezechielem cap. 20. Vbi post commemorationem multorum scelorum, quibus pactum Dei præuaricati fuerāt filij Israël; tandem subiungitur diuina comminatio: *Vino ego, dicit Dominus, quoniam in manu forti & brachio extenso & in furore effuso, regnabo super vos*. Nec dissimile est illud psal. mi 9. *Omnium inimicorum suorum dominabitur*. Et psal. 109. *Dominare in medio inimicorum tuorum*. Tertia expositio, sicut & secunda, conciliat Hebræicam lectionem cum versione Lxx. Porro sciendum in nonnullis Græcis codicibus editionis Lxx apud Hieremiā non haberi *ἡμέλησα, neglexi*; sed eius cōpositi verbum simplex, idque cōtrariæ significationis, *ἐμέλησα, curavi*. Quæ si vera sit lectio: facilis erit cōciliatio præsentis loci cū Hebræico textu, iuxta primam expositionem quam dedimus. Sed ego veram esse non arbitror: tū quia veteribus incognita est; tum quia nulli codices huius ad Hebræos epistolæ ei suffragantur, ne quidem versio Syriaca, quæ sic habet: *Et ego spreui eos*: tum denique, quia aoristus ille Græcus, *ἐμέλησα*, pro eo quod est *curavi*, aut *curam habui*; vix vltimū habet apud scriptores. Quod sequitur, *dicit Dominus*; adiectio est prophetica, qua claudere & confirmare solent verba ex persona Domini commemorata.

10 QVIA HOC EST TESTAMENTUM QUOD DISPONAM DOMVI ISRAEL POST DIES ILLOS, DICIT DOMINVS. Exponit quale sit quod promittit, nouum testamentum. Hieronymus ex Hebræo sic interpretatur: *Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, &c.* Vbi Hebræicum *אני*, id est, *quia*, vertit in *sed*. Quod & Pagninus facit. Quamquam hoc loco, quemadmodum & alibi frequentissimè, potius esse videatur particula redūdans, quæ vel ornatui sermonis seruiat vel consuetudini linguæ. Vnde & Syrus interpres ita vertit: *Hoc autem est fœdus quod &c.* Pro Græco verbo *διαθήσομαι, disponam*, verti poterat, *testabor*, vt agnatio seruaretur inter verbale & verbum, quæ conspiciuntur in Græco. Atque ita vertit infra cap. 10. vbi hæc scriptura recitatur. Quod autem hīc solum nominat domū Israël; breuitatis causa factum est à propheta, vt sub hoc nomine generalius nunc accepto domum Iuda comprehenderet. ne quis mysterium subesse putet quod hīc domus Iuda taceatur. Quod addit, *post dies illos*; nō liquet de quibus diebus, id est, de quo tempore

propheta loquatur Nam quod Oecumenius & S. Thomas intelligunt tempus datæ legis Mosaicæ, de quo paulò antè dictum est, *In die qua apprehendi manum eorum &c.* non cōgruit. Cum enim illa legislatio tempora Hieremiæ multis sæculis præcesserit: frustra, ne dicam ineptè, Hieremias annunciarer aliam legem dandam post illud tempus; cum vti que iam non posset nisi post illud tempus dari. Quare Theophylactus mauult intelligi prophetiam de illis diebus, de quibus antè dixerat: *Ecce dies veniunt*. quasi nunc dicat, Quum venerint dies illi; tunc feriam huiusmodi fœdus. Verum id non est testamentum dari post illos dies; sed illis ipsis diebus: nisi quis dicat, esse phrasim scripturæ, *post illos dies*, hoc est, postquam illi dies aduenerint. Aduenerint autem; quādo illorū initiū esse cœperit. Est qui putet tēpus designari quo vixit propheta; quasi dicat, posthac, deinceps. Sed obstat vis pronominis demonstratiui. Non enim dicit; *Post hos dies*; sed, *post dies illos*. vt sit necesse remotum aliquod tempus intelligi. Alius quidam vir doctus censet prophetam respicere ad tempus quo futurum sit quod dixerat Dominus, *Et ego neglexi eos*: id est, ad tempus reiectionis populi Iudaici. De hac enim accipi vult illa propheta verba. Proinde secundum eum sensus est; Postquā Iudæos abiēcero propter suam incredulitatē; dabo nouam legem filijs Israël, id est, electis ex gentibus. Sed & hic commentarius non vna parte laborat. Primū, Non fuere diuersa temporā reiectionis Iudæorum, & vocationis gentium, vbi locum haberet, *post dies illos*: sed eodem tempore cepit vtrumque fieri; quemadmodum ex Actis apostolicis clarum est. Deinde, Nouum hoc testamentum promittitur eidem populo cui datum erat verus; id quod superius ex ipsius prophetae verbis satis ostendimus, ipso etiam authore, de cuius sententia nunc agimus, ibidem stipulante. Quare quod dicitur, *Ego neglexi eos*, nō nisi valde incommodè potest exponi de eiusdem populi reiectione quæ tempore noui testamenti futura sit; præsertim quum, vt alibi diximus, in hac epistola studiosè caueat apostolus ne mentione secreti consilij diuini de Iudæorum reprobatione, & gentium vocatione, suos Hebræos offendat aut contristet. Adde, quod testimonium hoc propheticum ita contextum est, vt quædam in eo commorentur præterita; quædam promittantur futura. Atqui inter ea quæ referuntur vt præterita sicut est illud; *Ipsi non permanserunt in testamento meo*: sic & istud cohærens; *Et ego neglexi eos*. Non ergo pertinet hoc ad tēpus aduentus Christi, sed ad ea tempora quæ hanc ipsam noui testamenti promissionem antecesserunt; vti dictum est supra. Quid tandem igitur sibi vult, *post dies illos*? Arbitror hunc esse sensum, eumque planum ac simplicem; Post aliquantum temporis spacium; Vt ea locutione significetur in genere futu-

T t 4

rum a-

rum aliquod tempus hominibus quidem incertum, sed Deo certum ac definitum; quo transacto fiat quod prædicitur. Tale est quod propheta interdum dicunt, *post multos dies*; vt Isa. 24. Ezech. 38. Dan. 8. Nam & hæc apud eos frequentata, *in illo tempore, in illa die, vel in illis diebus*, sæpe ponuntur absque designatione certi temporis. Iam quod annotat nonnulli, partem hanc adungi posse sequentibus; hoc modo: *Post dies illos (dicit Dominus) dando leges meas in mentem eorum* &c. pene superuacuum est; cum recurat in eundem sensum hæc constructio eum priori: Nec dubium, quin prior, quæ omnium est interpretum, præferenda sit.

DANDO LEGES MEAS IN MENTEM EORVM. Græcè, *dans leges meas* &c. Sic enim etiam apud Lxx legitur. Licet quidam codices minus probati duplicent verbum; *Dans dabo*. Nam & in Hebræo sine geminatione scribitur; *Dabo legem meam in medio eorum*, siue, vt alij vertunt, *in interiora eorum*; vt Hieronymus; *in visceribus eorum*. Hæc propheta verba cum sequentibus, apertam continent atque dilucidam noui testamenti promissionem. Quæ vt plenius intelligatur, conferendus est hic locus cum alijs similibus: qualis imprimis est vnus & alter apud Ezech. cap. 11 & 36. *Dabo vobis*, inquit, *cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini*. Denique addit; *Non propter vos ego faciam; ait Dominus Deus*. Similia legere est Deut. 30. & Hierem. 24. Sensus igitur promissionis est: Legem meam inseram animis eorum, poterit in eis operando, vt eam cognitam obseruent. Quod quidem facere, Dei proprium est, ait B. Thomas in commentatio. Intelligitur autem lex quæ in decalogo scripta fuerat; & quicquid ad eam reducitur. Nam lex ceremonialis cessatura erat tempore noui testamenti. Quod verò Paulus secutus Lxx plurali numero dixit *leges*, non dissidet. Vnius enim decalogi plura sunt præcepta.

ET IN CORDE EORVM SUPERSCRIBAM EAS. Alij vertunt, *inscribam*. Nam in Græco repetitur, eadem præpositio *ἐπι*: tametsi Hebraico *על* proprie *super* significat. Sed hic pro eodem accipienda sunt, *inscribere* & *super scribere*. Sumpta est enim metaphora à membranarum aut tabularum in quibus aut super quibus aliquid scribitur. Allusio est autem manifesta ad tabulas lapideas, quibus lex veteris testamenti fuerat inscripta: tanquam diceret Dominus; Nouum hoc pactum feriam cum domo Israël, non iterum scripturæ legem meam in tabulis lapideis, sicut olim feci; sed eam scripturæ in cordibus eorum; siue, vt apostolus loquitur 2 Cor. 3. in tabulis cordis carnis; id est, per meam gratiam efficaciter inclinaturus eorum voluntates vt legem meam ament & impleant. Hæc gratia

noui testamenti est: ad quam commendatam, vt bene Chrysostomus annotat, author gratiæ Christus Dominus nihil in membranarum aut chartarum scriptis nobis relinquere voluit, ne his adminiculis ad imprimendam animis nostris legem suam opus habere videretur. Imo nec apostoli eius; nisi serò admodum, idque propter absentes & posteros, scribere ceperunt; vt testantur Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 1 & Eusebius lib. 3. hist. eccl. cap. 24.

Quidam inter hanc partem & præcedentem ita distinguunt, vt illic promitti intelligatur illuminatio mentis ad legem cognoscendam; hinc autem inclinatio cordis ad eandem implendam. Sed nostro iudicio non rectè. Nam agendorum & fugiendorum noticiam præstabat lex vetus: *Per legem enim cognitio peccati; & peccatum non cognouit nisi per legem*, inquit apostolus Rom. 3 & 7. Idemque eiusdem epistolæ cap. 2. Iudæum à gratia alienum & in sola lege requiescentem, ita describit, vt dicat eum *nosse Dei voluntatem, & probare utiliora, videlicet instructum per legem; qui possit etiam alios docere ea quæ legis sunt*. Nō debuit ergo nuda mentis illuminatio de ijs quæ agenda sunt, poni inter promissiones noui testamenti: Sed ira demum poterit ad eas referri, quatenus per Dei gratiam ordinatur ad actionem, qua lex impleatur. Quocirca potius dicendum est, hanc partem à priori, quoad sententiam, non distingui; quemadmodum satis etiam intelligitur ex vtriusque sensu iam dato. Neque enim infrequens est apud prophetas, inculcationis causa, rem eandem alijs verbis repeti. Ex dictis iam elucet verum, proprium atque præcipuum discrimen veteris legis ac nouæ. Quod enim ad præcepta attinet; moralia quidem vtriusque legis eadem sunt, etsi ceremonialia diuersa. Quare ex præceptis discrimen illud peti non potest: Sic enim solis ceremonijs differrent lex vetus & noua. Nec verò dicit Dominus per prophetam, *Dabo eis alia præcepta*: sed dabo, inquit, leges meas in mentem eorum; atque in eo ponit discrimen. Vnde patet, in testamento seu pacto nouæ legis, includi gratiam, quæ præstet efficaciter vt legem impleant omnes illi ad quos hoc pactum pertinet. Quæ gratia pacto veteris legis erat extranea: Hæc igitur est quæ nouam à veteri proprijsimè, & vt verè dicam, essentialiter discernit. Nam legem non nuda præcepta debemus intelligere; sed quatenus data sunt cum pactis & promissionibus.

Verum ex his emergunt duæ tresque dubitationes. Queritur enim quomodo valeat memoratum discrimen; cum tempore veteris testamenti in populo Israelitico non defuerint homines iusti, qui legem datam seruarent: sicut è diuerso, tempore noui testamenti multos esse constat in populo Christiano legis diuinæ transgressores. Responderetur, omnes iustos quotquot aduentum Christi, quacun-

quæ ætate, præcesserunt, participes fuisse noui testamenti; nec aliter iustificari potuisse quam eiusdem noui testamenti participatione: Cæterum Christianos ad nouum testamentum non pertinere, nisi quatenus in eis promissio gratiæ noui testamenti impletur. Itaque fatemur, tempore veteris testamenti quosdam fuisse noui testamenti filios: & contra, tempore noui testamenti non paucos censeret filios testamenti veteris, videlicet eos omnes qui carnalibus Iudæis similes, timore pænæ, non amore iustitiæ legem seruant; imò non seruant, sed sibi seruare videntur; vt loquitur Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pel. cap. 4. Sed quæres, quomodo potuerint antiqui iusti participes esse noui testamenti; quod per Hieremiam promissum, in Christi demum aduentu præstandum fuit. Respondeo, testamentum nouum, si primam eius originem repetamus, initium accepisse statim à lapsu primi hominis, quando promissum est semen quod contritum esset caput serpentis. Gen. 3. Hoc enim semen est Christus Saluator, per quem, etsi longè post venturum, promissa fuit omnium temporum hominibus è potestate diaboli liberatio, diuinæ legis obseruatio, & vita æterna. Quò pertinent aliæ similes de Christo venturo promissiones; siue ad Abraham & Dauidem factæ, siue per prophetas annunciatæ, siue etiam per ipsas antiquæ legis ceremonias significatæ. Quod enim promissio facta Abrahæ, pertineat ad testamentum nouum; docet nos Zacharias Ioannis Baptistæ pater in Cantico Luc. 1. vbi dicit Deum *memorari testamenti sui sæculi*; Idque explicans, subiungit: *Instruendum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris*. Quæ profecto noui testamenti promissiones sunt. Liqueat ergo nouum testamentum; si res ipsa spectetur, id est, pactum & promissio nouo testamento propria, tempore prius esse veteri testamento quod datum est per Moysen. Rectè tamen ac merito nouum dicitur à propheta: non solum quia hominem spiritualiter ex veteri facit nouum, id quod gratiæ proprium est; verum etiam ratione temporis. Nam & sancitum est posteriori tempore, scilicet in morte Christi redemptoris; & deinde mundo patefactum per apostolorum prædicationem. Denique, per idem tempus ac deinceps res promissa largius & copiosius præstita. Quod proinde noui testamenti tempus appellatur.

Alia dubitatio est, Quomodo nouum testamentum rectè vocetur pactum seu fœdus; quum promissionem contineat omnino gratuitam: fœderis autem ea sit natura, vt pactis hinc inde conditionibus ineatur. Nec est quod dicas, promissionem vitæ æternæ exire à nobis conditionem bonorum operum:

Nam & ipsa bona opera sub promissione noui testamenti continentur, Domino dicente; *Dabo legem meam in mentem eorum. & Faciam vt in præceptis meis ambuletis*. Ezech. 36. Vnde S. Prosper omnem conditionem à promissione noui testamenti remouet, lib. 1 de vocatione. cap. 9. ita scribens: *Manet prorsus, & quotidie impletur quod Abrahæ Dominus sine conditione promissit, sine lege donauit*. Hoc quippe est quod Dominus apud Ezech. dicit: *Nō propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum*. Ibid. Ex quibus etiam refellitur imaginatio, qua dicere quis posset, hanc ipsam promissionem qua dictum est, *Dabo legem meam* &c. ratam non fore, nisi etiam homo suum aliquid adferat præter id quod Deus se daturum promittit. Sic enim non absolute nec sine conditione promississet Deus. Quod si concesseris: poterit ergo noui testamenti promissio frustrari, perinde vt veteris; homine pactam conditionem non seruante; Et de nouo testamento dicitur, sicut de veteri, *quoniam nisi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos*. Quod est manifestè contra promittentis intentionem. Sed huius dubitationis facilis erit solutio; si aduertamus vocabulum Hebraicum Berith, pro quo nunc fœdus nunc pactum Latini reddunt interpretes, esse latæ significationis, vt non solum ea comprehendat quæ proprie fœdera seu pacta dicuntur; verum etiam promissiones gratuitas & ab omni conditione liberatas; imò & ordinationes Dei stabiles circa res inanimatas, à quibus nihil vicissim præstandum intelligi potest. Etenim promissio terræ Chanaan planè gratuita fuit, ipso Moysè teste Deut. 9. Quæ tamen passim in scriptura pactum vocatur: & quidem apertissimè eo loco vbi primum expressa ac distincta illius terræ facta est promissio; Gen. 15. *Tunc*, inquit Moyses, *pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram hanc à flumine Egypti* &c. Ita quoque Dominus Gen. 9. in typum noui testamenti statuit pactum cum genere humano, se nequaquam ultra deleturum eos aquis diluuij: eiusque pacti seu fœderis signum ponit in nubibus arcum cælestem: Nec vlla ibi conditio legitur. Rursum Hierem. 33. sic ait: *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in throno eius*. Vbi sanè priori loco ne fingi quidem potest conditio ex altera parte præstanda. Tale igitur pactum est hoc quod vocatur nouum testamentum; videlicet promissio Dei prorsus absoluta & gratuita; qua dignatus est homini in peccatum & interitum prolapsio, promittere Saluatorem, ac per eum peccatorum remissionem, legis obedientiam, huiusque mercedem vitam æternam. Nunc ad reliqua prophetici testimonij pergamus.

ET ERGO EIS IN DEVM, ET IPSI ERVNT

MIHI IN POPULVM. Phrasia Hebræa, pro eo quod Latine diceretur; *Et ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus*: quemadmodum alij transfulerunt. Hæc pars bifariam exponitur: Aut hoc modo; Ego re ipsa me declarabo esse eorum Deum, in curam & tutelam meam eos recipiam, prosperabo eos & beatos faciam. Iuxta illud psalmi; *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*. Et ipsi vicissim factis ostendent se esse populum meum, pure ac sincere me colendo, legesque meas observando. Aut sensu commutato; ad hunc modum: Illi me colent ut Deum suum, meisque mandatis obedient; & ego vicissim eos ut populum meum tuebor, & beneficentia mea complectar. Vterque sensus probabilis est; & Hebræa loquendi forma neutrum respicit: Mihi ramen verisimilius est, utroque membro significari affectum Dei in homines quibus sit promissio; ut breuiter hic sit sensus: Ego me eis præstabo Deum, & habebō eos pro populo meo. Id est, utroque nomine cōiuncto, & quoniam ego Deus eorū ero, & quoniam ipsi populus meus erunt; beneficiā eis. Hic sensus præ alijs placet: cuius rationem dedi, quum eiusdem sententiæ verba ex Leuitico deprompta exponerem in 2. Cor. 6. Ad quem locum lectorem remitto. Fauet etiam illud similis formæ, quod habetur huius epistolæ cap. 1. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*. Est autem eadem promissio, & eodem sensu accipienda, quæ, membris transpositis, legitur Apoc. 21. *Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*. Ex quo loco etiam intelligitur, hanc promissionem non solum esse temporis præsentis, sed extendi usque in futurum sæculum, vbi perfectè implebitur. Estque notandum, promissionem hanc non eandem esse cum præcedente, sed ex ea consequi. Prius est enim ut legem suam Deus scribat in cordibus hominum; quam ut eos tanquam populum sui cultorem, amplioribus beneficijs prouehat & ad felicitatem æternam perducat. Nā prius illud est donum iustificationis: hoc verò cōplectitur ea beneficia quæ iustificationem sequuntur.

II ET NON DOCEBIT VNVSQVISQVE PROXIMVS SVVM, ET VNVSQVISQVE FRATREM SVVM; Quidam Græci codices loco proximi, *παλιον*, id est, *ciuem* legunt: Atque ita vertit Stapulensis. Eadem varietas inuenitur apud Hieremiam in exemplaribus versionis interpretum Lxx. Augustinus etiam lib. de spiritu & lit. cap. 19 legit *ciuem*. Sed & interpres Syrus secundum proprietatem linguæ suæ, *filium ciuitatis* transtulit. Hebræica dictio *רעה*, significat *socium, amicum*, & in genere *proximum*, ut patet ex præcepto dilectionis proximi quod habetur Leuit. 19. & à Christo expositum est in euangelio Luc. 10. Quanquam hoc loco Hieremias strictius videtur accipi, pro eo qui est eiusdem ciuitatis aut reipublicæ. Addit enim,

quasi quod dixerat exponens: *Et vnusquisque fratrem suū*. Nā fratres more scripturæ dicuntur homines eiusdem gentis. Vnde & alibi coniunguntur hæc duæ voces, velut cognatæ significationis; ut psal. 121. *Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te*. Quocirca non est reiicienda lectio Græca, quæ habet *ciuem*: conuenit enim cum significatione *fratris*.

DICENS; COGNOSCE DOMINVM. Nullus erit, inquit, qui proximum seu ciuem seu fratrem suum doceat nosse Deum. Ratio sequitur:

QUONIAM OMNES SCIENT ME, A MINORE VSQVE AD MAIOREM EORVM. Græcè, *à paruo eorum usque ad magnum eorum*, id est, tam parui quam magni: quod nos dicemus, à minimo usque ad maximum. sicut & Hieronymus ex Hebræo vertit. Refertur autem ad ætatem, ut & alibi passim, etiam apud hunc ipsum prophetam, ut cap. 8. 42. & 44. Vnde & Syrus vertit, *usque ad senem*, sive (ut alius ex Syro Latine reddit) *decrepium*. Sed diligenter explicanda est hæc promissio. Nam ut præclara est; ita de sensu eius non modica difficultas: quod non appareat, quando aut quomodo vel impleta sit vel implenda. Quod enim tempus est noui testamenti quo non sit opus rudes cuiusque ætatis homines instruere ac docere quæ scire debeant, ut salui fiant? Quorum primum est in Deū credere, quod est *cognoscere Dominum*. Difficultatem cōpendio videntur effugere, qui promissionem hanc reiiciunt in futurum sæculum; vbi procul dubio omnis docendi cura cessabit. *Cum enim venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est* 1 Cor. 13. Sic Augustinus lib. de spiritu & lit. cap. 24 & 25. & eum secuti in commentarijs Primasius seu quisquis author, & Anselmus, & Caietanus. Sic & Theodoretus inter Græcos. Sed cum tam præcedentia verba prophetici testimonij, quam ea quæ sequuntur, ad statum sæculi præsentis pertineant; utique consentaneum est hanc quoque promissionis partem eodē referri: præsertim eōdem, Hieronymo teste, sicut initio monuimus, omnes ecclesiastici viri dicant hæc vniuersa in primo Saluatoris aduentu esse completa. Quare videndum quid alij commentatores senserint. Ipse Hieronymus interpretatur promitti filijs Israël futurum, ut nequaquam Iudaicos querant magistros, & traditiones & mandata hominum; sed doceantur à Spiritu sancto. Chrysothomus exponit de manifestatione legis euangelicæ per omnes gentes. Theophylactus & Occumenius negari putant laboriosam institutionem, eò quod facili negotio persuadeatur hominibus fides Christi. S. Thomas in solis primis noui testamenti fundatoribus, id est, Apostolis à Christo perfectè edoctis, censet impletam esse hanc promissionem, si quidem pertineat ad præsens sæculum: alioqui propensior in eam sententiam quæ refert ad statum beatorum.

rum. Nonnulli generalius exponunt, tanquam dictum de fidelibus ecclesiæ primitiua; quorum magna pars talis fuerit, ut in eos competeret illud quod ad Corinthios scribit Apostolus 1 ep. 1. *In omnibus diuites facti estis in Christo; in omni verbo & in omni scientia; ita ut nihil vobis desit in vlla gratia*. Rursus, alia quædam expositio refert ad totum tēpus gratiæ, non tamen ad totam fidelium multitudinem, sed ad maiorem & meliorem partem; cuius numerus Deo cognitus sit. Alia denique, quæ est Francisci Ribera, extendit ad omnes omnino fideles. Quoniam, inquit, de omnibus & singulis Christi fidelibus verum est, eos per fidem scire Deum & Christum eius. Ut autem in hac commentariorum varietate, verum prophetæ sensum assequamur: proferendæ sunt in medium alia scripturæ similes, quarum collatione præsens locus illustratur. Eiusmodi imprimis est illa Isa. 54. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*. Quæ esse noui testamenti promissionem, ad tempus gratiæ Christi pertinentem, certissimè constat ipsius Christi testimonio Ioan. 6. *Est scriptum, inquit, in prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei*. Deinde exponendo subiungit: *Omnes qui audiunt à Patre & didicunt, venit ad me*. Quod haud dubitè de gratia noui testamenti dictum est, & neque ad solos spectat apostolos, neque ad solos primi tēporis Christianos: sed ad totum tempus nouæ legis. Hoc autem Isaia testimonij in eandem conuenire sententiam cum isto Ieremiæ, docet Hieronymus in Isaia commentarijs. Per similes est locus apud eundem prophetam cap. 11. vbi post annunciatum Christi aduentum; de tēpore ecclesiæ consequenter addit: *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientes*. Vbi nota quod *terra* nominat, non *caelum*; ne quis ad ecclesiam in cælo regnantem remittat hoc vaticinium. Simile est & illud quod Ioannes 1 ep. 2 scribit generatim ad fideles: *Vos vñtionem habetis à Sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantes veritatem; sed quasi sciētibus eam*. Et paulò pōt: *Nō necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut vñctio eius docet vos de omnibus*. Hoc quid aliud est, quā quod per Ieremiā Dominus prædixit, *Nō docebit vnusquisque proximum; quoniam omnes scient me*: Eodem prorsus modo Paulus loquitur 1 Thess. 4. *De charitate fraternitatis, inquit, non necesse habetis* (ita in Græco est) *ut scribam vobis. Ipsi enim vos à Deo didicistis ut diligatis inimicem. Etenim illud facitis in omnes fratres*. His ita præmissis, ad intelligentiam præsentis loci tria notanda sūt. Primum est, prophetā loqui non de nuda cognitione Dei qualis fuit eorum de quibus dicitur Rom. 1. *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*: aut qualis Iudæorum, in Dei noticia & lege gloriantium; ibidem cap. 2. Nec de cognitione profundorum Dei mysteriorum, quæ Paulus loquebatur inter perfectos, spiritualibus spiri-

tualia comparans: 1 Cor. 2. Sed de noticia Dei quanta necessaria est ad salutem, eaque viuua, formata, & (ut ita dicam) affectiua: qua nimirum sic cognoscitur Deus ut affectus cognitioni respondeat; id est, ut etiam sicut diligendus est, diligatur. quomodo noticia Dei tum in prima epistola Ioannis, tum alibi in scripturis frequenter accipitur. Ad hoc indicandum, Ionathas Chaldaus illa prophetæ verba, *Cognosce Dominum; quoniam omnes scient me*; reddidit hac paraphrasi, *Sciote timere Dominum; quia omnes discunt ut sciant timorem mei*. Constant enim in scripturis per timorem Domini passim significari sincerum cultum & pietatem in Deum. Secundum, ex primo consequens est, promissionem hanc nec ad omnes homines (etli generali nomine proximos) pertinere, nec verò ad omnes Christianos, bonos & malos; sed ad omnes ac solos filios noui testamenti, qui sunt filij promissionis. Huc imprimis facit, quod *ciuem* ac *fratrem* nominat, id est, hominem eiusdem ciuitatis ac familiæ. Quæ ciuitas ac familia non alia est quàm ecclesiā credentiū. Deinde probatur, quia hæc promissio est noui testamenti, quemadmodum & duæ præcedentes, & ea quæ subsequitur: quæ proinde omnes filijs noui testamenti propriæ sunt, & à malis Christianis alienæ. Declaratur hoc ipsum ex differentia veteris ac noui testamenti. Nam vetus testamentum dabat quidē Dei legisque noticiam; sed sterilem atque fructu diuini amoris ac bonorum operum vacuam: Itaque qui sub veteri erant testamento, non permanserunt (ut hinc dicitur) in testamento Dei; quia pactum obseruandæ legis non custodierunt; sed opus erat illis dicere, *Cognosce Dominum*. nec tamen cognouerunt; quemadmodum supra cap. 3 dictum est de illis: *Ipsi autem non cognouerunt vias meas, & Tit. 1. Conscientur se nosse Deum, factis autem negant*. At nouum testamentum præbet spiritum gratiæ & charitatis, facitque legem impleri; iuxta promissionem superius expositam. Et ideo noui testamenti filij permanent in testamento, cognoscentes Dominum ea noticia, de qua nunc sermo est. Quibus proinde non est opus homine doctore qui dicat eis, *Cognosce Dominum*. Tertio notandum est, in verbis prophetæ significationem esse cuiusdam immensæ multitudinis eorum qui cognoscent Dominum. Dicens enim, *Omnes scient me, à minore usque ad maiorem eorum*; indicat hanc Dei noticiam, simul cum ecclesiā, latissimè per gentes propagatam iri. Id quod expressius significatum est supra citatis Isaia verbis; *Repleta est terra scientia Domini*. Ex dictis igitur hunc colligo sensum promissionis: Inter eos omnes quibus feriam testamentum nouum, nullus erit qui proximum seu fratrem suum, videlicet eiusdem populi ciuem, eiusdemque testamenti consortem, doceat noticiam, amorem & obseruantiam mei. Nec sanè opus erit. Omnes enim illi

quorum quidem erit maxima, longèque ac latè diffusa multitudo) cognoscent, amabunt, obseruabunt me. Ratio manifesta ex præcedentibus testamenti verbis; quia legem meam habebunt inditam & inscriptam in cordibus suis. Item quia, secundum alterum prophetam, erunt docti à Domino; & secundum Ioannem, habentes vnctionem magistræ à Sancto. Locum hunc Anabaptista pneumatici trahere solent ad patrocinium sui erroris, quo dicunt post aduentum Christi cessare debere externum verbi ministerium, velut superuacaneum, vbi intus aspirat & docet Deus. Verum facillè refellitur. Nam quomodo hinc submouetur externum ministerium docentis; quod ipsum Paulus sibi diuinitus iniunctum, tanto studio tantisque laboribus subiicit? Qui etiam pastores & doctores à Christo datos ecclesiæ testatur Eph. 4. Sed hoc loco negatur opus esse doctrina & institutione humana, quàm interior Spiritus sancti doctrina præuenerit. Ijs autem qui nondum didicerunt cognoscere Dominum, siue in ecclesiis sint siue extra; adhibenda est ab hominibus docendi cura vt discant; sicut & ijs qui didicerunt, vt perfectius discant; ita tamen vt fructus omnis expectetur à magistro intus dicente Spiritu sancto: quia, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* I Cor. 3.

12 QVIA PROPICIUS ERO INIQUITATIBUS EORVM; ET PECCATORVM EORVM IAM NON MEMORABOR. Plus est in Græcis codicibus; Sic enim habent: *Quia propicius ero iniusticijs eorum; & peccatorum eorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.* Cæterum quid veteres Græci legerint, ex eorum commentarijs non liquet. In fonte Hebræo & apud Lxx non plus legitur quàm quod hinc habent codices nostri Latini: quibus & Syriaca translatio consentit; vt verisimile sit in Græcis temerè seu casu quopiam additum esse illud, *& iniquitatum eorum.* Nec puto quærendum hoc loco discrimen inter *iniquitatem* & *peccatum*; vt quæ in prophetis & psalmis ferè pro eodem accipiantur. Porrò hanc promissionem multi interpretantur de remissione peccatorum quæ fit in baptismo, in quo sic abolentur peccata, vt nec ad æternam nec ad temporalem futuri sæculi pœnam Deus eorum recorderetur. Iuxta quem intellectum est hinc species quædam occupationis. Nam dici poterat, omnes esse peccatores; & per hoc indignos beneficijs ante commemoratis, & ad ea ineptos. Ad hoc quasi respondens promittit se omnium peccatorum impedimenta simul & semel ablaturum, vt eos cæteris suis beneficijs aptos reddat. Sed quia remissio omnium peccatorum etiam post baptisma commissorum, pertinet ad gratiam noui testamenti; nihil vetat eam in vniuersum sub hac promissione comprehendere. Nam etiam relapsoꝝ peccata remittens Deus; dicitur eorum non amplius recordari & ea non im-

putare. Ezech. 18 & 33. & psal. 31. quia nimirum ea non imputat ad pœnam æternam; quæ proprium est mortalis peccati stipendium. Quod autem huiusmodi peccatorum remissio etiam fit in promissione; probant hæ scripturæ. I Reg. 7. *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum: misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Psal. 88. *Si dereliquerint filij eius legem meam: vbi stabo in virga iniquitates eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Quæ loca mysticè de noui testamenti filijs accipienda non est dubium. Hic generalis sensus si placet; dicimus voculam quia nõ causaliter sumi, sed expletivè; quod in Hebræa lingua frequens est; vt sensus sit: Denique, vt nihil delit ad gratiam nihilque relinquatur impedimenti ad vitam æternam; omnia eis peccata tam priora quàm posteriora condonabo. Hactenus exposuimus verba propheta: sequitur apostolus,

13 DICENDO AVTEM NOVVM, VETERAVIT PRIVS. *Veteravit*; Latinius, antiquauit; vt est in textu Amb. sicut & interpres ipse mox vertit eiusdem Græci verbi passiuum, *antiquatur.* Adduxit apostolus propheticum testimonium, vt probaret aliud quoddam, id est, à priore diuersum, testamentum à Deo promitti; ideoque prius illud habituram finem; sicut diximus ad ea verba, *Non vniue secundum hoc testamentum à propheta appellatum est nouum; inde rursus argumentum sumit, quo doceat prius abrogandum.* Nam propheta cum dicit nouum; consequenter illud prius declarat esse vetus; nouum enim respectu veteris dicitur. Vbi de nouo nota singulare studium Apostoli in obseruandis & ponderandis scripturæ verbis. Etenim nusquam alibi in tota scriptura veteris instrumèti (quod & Augustinus animaduertit lib. de spiritu & litera cap. 20.) testamentum seu fœdus quod prioris loco Deus promittit, appellatur nouum. Quod ergo semel tantummodo legitur, id apostolus arripit, expedit, & pro nouo argumento assumit; aliud ex eo colligens quod nusquam in scriptura legerat, scilicet, prius testamentum esse vetus. Quidam *veteravit* interpretantur *abrogavit*, quomodo dicitur antiquatum quod abrogatum est: sed minus rectè. Nam abrogationem futuram, deinceps ex eo quia vetus est, concludit.

QVOD AVTEM ANTIQVATVR ET SENESCIT, PROPE INTERITVM EST. Pro *interitu*, Græcè ἀφαισις, deductum à verbo ἀφαισιζομαι, quod significat, dispareo, è conspectu euanesco. Vnde Erasmus & alij vertunt, *prope est vt euanescat.* Sensus tamen idè est. Nam quæ intereunt, euanescent. Vnde & verbale hoc pro *interitu* sumitur apud Græcos. Vtus est autem molliori vocabulo propter honorem fœderis antiqui, quod erat à Deo; tum ne suos Hebræos offendat. Est verò apostoli ratiocinatio talis: Hoc

testa-

testamentum nouum est, ergo illud vetus: porro quod vetus est, in dies magis magisque veterascit, & (vt in hominibus) senescit: quod autem veterascit aut senescit, ad interitum & mortem properat. Ex quo concludendum relinquit, prius testamentum tandem debuisse finire; atque in plenitudine temporis, id est, reuelato firmatoque per Christum nouo testamento, finem accepisse. Vim argumenti probat experientia. Consonant etiam scripturæ, Leuit. 26. *Vetera nouis aduenientibus proiecit.* & 2 Cor. 5. *Vetera transferunt: ecce facta sunt omnia noua.*

SUMMARIVM.

14 **C**onfert ritus sacerdotij veteris cum nouo; ostendens ritum sanctificare non potuisse; vt mirum non sit eius sacrificia sepe fuisse iterata: Christum autem semel duntaxat oblatum deesse peccata.

CAPVT IX.

15 **H**ABVIT QVIDEM ET PRIVS IUSTIFICATIONES CVLTVRÆ. Græcè. *Habebat quidem igitur & primum seu prius &c.* Videtur oculum reflectere ad id quod dixerat cap. superiori, sacerdotes Leuiticos exemplari & umbra celestium deservire. q. d. Quod breuiter attingi de ministerio sacerdotum in tabernaculo, nunc explicatius dicam; ab ipsius tabernaculi forma; & ijs quæ à sacerdotibus in tabernaculo agebantur, ostensurus infirmitatem prioris sacerdotij: cui proinde succedere debuerit aliud, ad sanctificandum efficax. Nam de comparatione sacerdotij Christi cum Leuitico, actum est in præcedentibus, eandemque disputationem Apostolus hoc & sequenti capite prosequitur. Quod in Græcis quibusdam exemplaribus addito substantiuo legitur ἡ πρῶτη σκηνή; *primum tabernaculum*, adulterina est additio, sensum Apostoli deprauans. Neque enim (vt apud Oecumenium Photius ait) tabernaculum cum nouo testamento conferebat; sed totum testamentum vetus. Nam tabernaculi mentio mox sequitur. Itaque subaudiendum est ex antecedentibus, vocabulum διαθήκη, testamentum. Quod etiam Chrysostronus & post eum Theophylactus studiosè admonent: Sentit enim Apostolus in priori testamento fuisse *injustificationes cultus*, seu cultus, vt alij vertere malunt id quod in Græco est λατρεία. Quamquam interpres consultò vertit *cultura*, genitiuo singulari, vt ambiguitatem tolleret quæ in Græco est, quæque in Latino remaneret, si verteret *cultus*. Possent enim aliqui Græca sic accipi, vt commate distinguantur *injustificationes & cultus*, vtrum-

que numero plurali: Sed id ab Apostoli mente alienum videtur. Non enim generatim loquitur de iustificationibus, id est, mandatis Dei, sed de ijs tantum quæ spectant ad ministerium tabernaculi. Vnde & Syrus ita transtulit: *In primo autem erant mandata ministerij.* Igitur *injustificationes cultus* sunt mandata ad cultum Dei pertinentia: velut de sacrificijs, eorumque ritibus. Porro *injustificationes*, Græcè ἀκαθαρταί, vocabulo à LXX translatoribus usurpato, dicuntur in scripturis mandata non hominum, sed Dei; propterea quòd in eorum obseruatione propriè consistat hominum iusticia; testante Apostolo Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur.* Quamquam, quum infra vers. 10 mentionem faciat Apostolus *injustificationum* (sic enim est g.) *carnis*: videri potest hinc de iisdem loqui, de legalibus scilicet illis obseruationibus & mandationibus: & tunc illa commatica distinctio foret ponenda, de qua dixi, reddendo illud λατρεία per quartum casum pluralem. Et glossa interlinealis ms. in eum sensum interpretatur etiam id quod noster interpres dedit; hoc modo: *Injustificationes carnis; non veras, sed pro modo cultus carnalis, carnales.*

ET SANCTVM SÆCVLARE. Quod Græcè est κοσμικόν, id est, mundanum; interpres vertit, *secularis*; quemadmodum & ad Tit. 2. *secularia desideria*, Græcè κοσμικὰς ἐπιθυμίας. Neque enim alibi κοσμικόν in scripturis arbitrò reperiri. Syrus etiam interpres vertit eo vocabulo, quod à *saeculo* non à *mundo* deductum est. Quærendum igitur quodnà ab Apostolo vocetur *sanctum seculare* seu *mundanum*. Nam quod quidam putant eo nomine significari templum, quia seculare, id est, temporale erat, non perpetuum; bene rejicit Thomas auctoritate Græci textus; qui, sicut dictum est *mundanum* habet, non *seculare*. Qua ratione etiam errare conuincuntur, qui è contrario seculare dictum templum putant, quod multis sæculis duraturum crederetur. Refellit etiam vtraque opinio, quia non de templo nunc agit Paulus; sed de tabernaculo quod iussu Domini factum est à Moyse secundum exemplar in monte monstratum; quemadmodum præfatus est capite præcedenti: tamen non negamus, templum quoad partium interiorum dispositionem fuisse factum ad similitudinem quandam tabernaculi Mosaiici. Chrysostronus *sanctum mundanum* interpretatur locum, seu templi seu tabernaculi, ad quem non solum vulgo Iudæorum, sed promiscuè cuiusvis nationis ac totius mundi hominibus accessus patebat. Inde enim vulgè dictum fuisse *mundanum*. Nam *Judei*, inquit, *non erant mundus*. Sequuntur hac in parte Chrysostronum Theophylactum, Oecumenium & Haymo. Contra quod tamè obijciunt alij, neque in tabernaculo neque in templo fuisse locum aliquem quòd fas esset

Vv

gentilibus

gentilibus ingredi. quod vel ex eo constare arbitrantur, quia sicut legitur Act. 21. grauius aduersus Paulum tumultus concitatus fuit à Iudeis, quòd hominem gentilem putaretur introduxisse in templum. Fatentur quidem, gentiles potuisse consistere & orare in loco patente & subdiali, qui erat ante atrium tabernaculi vel templi; atque de huiusmodi loco dicunt accipiendum quod dicitur in oratione Salomonis; Reg. 8. & 2 Paral. 6 de alienigena veniente ad templum orandi causa; & quod ad Caligulam Philo refert, fuisse locum ex quo gentiles possent adorare Deum, & quæ pro se offerrentur intueri: sed eum locum dicunt neque tabernaculi neque templi partem fuisse; nec omnino locum signatum gentilibus vllum ad orandum fuisse, præsertim circa tabernaculum. Denique, nec si signatus esset; sanctum dici potuisse. Non enim dicebatur locus sanctus sed profanus qui gentilibus patebat. Quare quod Theophylactus & Oecumenius, extra scripturæ autoritatem, distinguunt in tabernaculo tria loca velut tria sancta; vel, vt Oecumenius loquitur, tria tabernacula, quorum tertium sit locus ille de quo nunc agitur; non esse recipiendum. Quod si è diuerso obijcias exempla gentilium qui in templum pacificè leguntur ingressi, aut etiam honorificè à sacerdotibus introducti: (Scribit enim Aristæas libro de LXX interpretibus se, Ierosolymam missum à Ptolemæo rege, in eam templi partem fuisse admissum, quæ primæ parti tabernaculi respondebat. Refert item Iosephus libro 2 de bello Iudaico cap. 16. Politianum quandam à Cestio Præsidi missum, ascendisse in templum & orasse: De Nicatore & Heliodoro nihil dico; quòd magis per vim aut improbitatem, quàm quod ita liceret, templum ingressi legantur; 1 Machab. 7. & 2 Machab. 3 & 14.) Ad hæc, inquam, responderi potest, interdum dispensatione quadam datum hoc fuisse magnis & potentibus viris; vt in templum introirent. Atque id ipsum, quoniam extraordinarium erat, argumento esse, quod ordinaria lege non fuerit licitum. Et, vt de templo hæc ita aut secus se habeant; non tamen esse trahenda ad tabernaculum Mosaicum, de quo Paulus differit. Cuius certè nulla pars videtur vnquam iurè patuisse gentilibus. Ex his apparet expositionem Chrysostomi non tantulum habere probabilitatis. Nec magis probabilis opinio Caierani; qui *sanctum mundanum* interpretatur abstractiue, sanctitatem, id est, mundiciam, in oculis mundi huius. Quamuis enim *sanctum* Hebræi vocent *קדש*, *sanctitatem*: hoc ipsum tamen apud illos concretiue sumitur pro re sancta. Quare inter alios plerisque conuenit, ipsum tabernaculum (quod idem *sanctuarium* dictum est) aut eius partem; intelligi nomine *sancti secularis* sive *mundani*. Theodoretus abso-

lutè tabernaculum intellexit: idque censer appellari *mundanum*; eo quòd totius mundi figuram teneat. Velo enim interposito diuidebatur in duas partes, quarum vna vocabatur *sancta*; altera, *sancta sanctorum*. Et sancta quidem repræsentabant vitam quæ in terra agitur; sancta autem sanctorum formam ac rationem vitæ quæ agitur in cælis. Ipsum autem velum implebat vsu firmamenti, diuidentis hæc inferiora à supernis. Ita Theodoretus. Quam sententiam etiam Oecumenius suis collectaneis inseruit. Eandem breuiter indicat commentarius Ambrosio ascriptus, Iosephum citans auctorem. Locus apud Iosephum est lib. 3 antiquitatum Iudaicarum cap. 5. Cuius tamen speculatio, qua tabernaculi formam ad vniuersitatis naturam accommodat, non prorsus conuenit cum sententia Theodoretii. Nobis ratio Theodoretii speciosa magis quàm vera videtur. Quanquam illud amplectimur, quod *sanctum* hoc de quo Paulus loquitur, non partem tabernaculi, sed totum tabernaculum interpretatus est. Sic enim & capite superiori, vbi Christus pontifex noster, vocatur *sanctorum minister*, & *tabernaculi veri*; dictum est non aliud per *sancta* quàm *tabernaculum* intelligi. Certius hoc ipsum probat subiuncta partitio, qua mox Apostolus sanctum distinguit in partes, id est, in tabernaculum primum & secundum. Sed quare *κοσμικόν* dicitur? Vtique non ob aliud, quàm, quia iuxta morem quo Christus & Apostoli solent de mundo loqui, mundanum erat & sæculare; id est, terrenum, non cæleste: quatenus scilicet ministerium eius terrenum erat; ac ministri eius, super terram; & testamentum, in deterioribus, hoc est, terrenis, promissionibus sancitum. Quæ omnia superiori capite satis indicantur. Hoc modo *κοσμικόν* accipi in eo quod citauimus ex epist. ad Titum 2 manifestum est. Nam desideria mundana quid aliud sunt quàm terrenæ cupiditates, quibus nimirum terrena concupiscuntur? Ita verò Christum passim de mundo loqui, facile est ostendere. Matth. 5. *Vos estis*, inquit, *lux mundi*. Et capit. 16. *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur?* & Ioa. 5. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*. Sic & Apostolus 1 Corinth. 7. *Qui utuntur hoc mundo; tanquam non utantur. Præterit enim figura huius mundi*. Confirmat hanc expositionem antithesis tabernaculi cælestis, quod in capite præcedenti vocatur *tabernaculum verum*, & *sancta cælestia*; quorum exemplari & umbra deseruiunt qui super terram sunt: quodque rursum in hoc capite vocatur *tabernaculum*, & *sancta non manufacta*, sed *cælestia*. Ex his enim aperte datur intelligi, sanctuarium illud Mosaicum & umbratile, è diuerso *mundanum* propterea vocari, quia de hoc mundo est, quia terrenum, quia manufactum. Et hoc voluerunt interpretes Latinus & Syrus,

quando

quando pro *mundano* verterunt *sæculare*; quasi quod sit huius sæculi: quandoquidem *mundus* & *sæculum* in scriptura noui testamenti ferè confunduntur. Ad extremum moneo istud *κοσμικόν* per hypozeugma referri posse etiam ad *iustificationes cultura*. Nam & illæ *sæculares* erant; eodem sensu quo sanctum dicitur *sæculare*. Vnde & infra *iusticia carnis* appellantur.

2 TABERNACVLVM ENIM FACTVM EST PRIMVM. Quod dixi de sancto sæculari, nunc partibus explicat; vt paulò antè significauimus. *Primum*, non aduerbium est, vt apparet prima fronte, sed nomen. Græcè *πρῶτον*. Cæterum non tam ordinem temporis significat (vt doceri potest ex historia constructionis tabernaculi Exodi 37) quàm ordinem loci. Nam ea pars tabernaculi quæ hîc describitur, ingredientibus prior erat: Porro, *factum*, intellige non quomodocunque; sed instructum & adornatum. Id enim significat Græcum *κατεσκευασμένον*.

IN QVO ERANT CANDELABRA. Laborant hîc non pauci Latinorum, quomodo dicat apostolus in priore tabernaculo fuisse candelabra; cum in descriptione & structura tabernaculi Exodi 25 & 37 tantum vnus candelabri mentio fiat. Hæc difficultas auctorem commentarii titulo Primasij super hanc epistolam, vnà cum Haimone, in eam compulit opinionem, vt dicerent, Apostolum hîc non agere de tabernaculo quod Moyles fecit, sed de templo quod Salomon ædificauit; in quo fuere candelabra decem, vt habetur 3 Regum 7. & 2 Paralip. 4. Alij, vt Anselmus, Aquinas, Liranas, respondent, vnum fuisse candelabrum quantum ad stipitem; sed plura quantum ad ramos seu calamos è stipite surgentes, qui fuere numero septem, in quibus ponebantur totidem lucernæ. Hoc etsi verum sit, vera tamen & prompta solutio petenda est ex textu Græco, vbi singulari numero legitur *ἡ λυχνία*, id est; *candelabrum*; videlicet eadem voce qua LXX vsi sunt in Exodo. Falluntur enim Erasmus & Hentenius, qui Græca voce lucernam putant hoc loco significari. Græcis consentat interpret Syrus. Erat autem candelabri locus in australi parte tabernaculi; & quidem è regione mensæ in aquilonari parte collocatæ, de qua sequitur,

ET MENSÆ, ET PROPOSITIO PANVM. De his agitur Exodi 25. Vtus mensæ erat vt in ea ponerentur panes qui vocabantur propositionis. Ponebantur autem singulis hebdomadis noui. Cæterum panes propositionis vocati sunt, non quia ponebantur in mensa; sed quia ponebantur coram Domino. Quos enim LXX vocant *panes propositionis*, Hebraica veritas appellat *panes facierum*, id est, ante faciem seu conspectum arcæ, quæ præsentiam Domini significabat. Sic & Syrus eos vocat hoc

loco. Rationem verò quam dixi, Dominus ipse Moyli præcipiens assignat, Exodi 25. Nam pro eo quod Hieronymus vertit: *Et ponet super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*; in Hebræo sic ad verbum legitur: *Et dabis super mensam panes facierum, ad facies meas iugiter*. Quare quod quidam volunt dictos fuisse *panes facierum*, eò quòd ordine duplici collocati, se mutuo respicerent; præter scripturam dicitur. Notanda hypallage, in eo quod Apostolus *propositionem panum* dixit pro *panibus propositionis*.

QUÆ DICITVR SANCTA. Ambiguum est in Græco, vtrum ad id quod proximè præcessit, particula relatiua sit referenda, id est, ad *propositionem panum*, vel etiam ad *mensam*, an verò ad *tabernaculum primum*. Sunt enim hæc omnia feminei generis in Græco. Sed attendenti ad contextum sermonis Apostoli dubium esse non potest, quin *tabernaculum* respiciat; vt legendum videatur, quemadmodum alij transtulerunt, Imò quemadmodum nostrum interpretem vertisse probabile est, ex eo quod in codice Laudensi scriptum videmus: *quod dicitur sancta*. Est enim, *sancta*, numeri pluralis, respondens ad id quod mox sequitur, *sancta sanctorum*, tamen in his plurale per singulare exponendum est; vt paulò post docebimus. Vnde & Syrus interpres vertit: *Et vocabatur domus sancta*. Sensus igitur est, tabernaculum illud primum communi nomine vocati *sancta* vel *sanctum*, vel *sanctuarium*: vt pote ad cuius distinctionem tabernaculum secundum vocaretur *sancta sanctorum*. Vnde sequitur,

3 POST VELAMENTVM AVTEM SECUNDVM, TABERNACVLVM QVOD DICITVR SANCTA SANCTORVM. Quamuis hîc de secundo tabernaculo loquatur apostolus; in verbis tamen eius dictio *secundum*, non est ad *tabernaculum* referenda, sed ad *velamentum*. Nā in Græco *tabernaculum* & *secundum* genere differunt: Estque ibidem hic ordo verborum; *Post secundum autem velamentum, tabernaculum quod dicitur* &c. Vt mirū sit, interpretem metathesi dictionis sensum ambiguum facere voluisse. Syriaca translatio sic habet: *Habitaculum autem interius quod erat intra velum secundum, vocabatur sanctum sanctorum*. Sentit ergo Apostolus post secundum velum fuisse alteram tabernaculum, id est, eam totius tabernaculi partem, quæ Sancta sanctorum vocabatur. Dicit autem *secundum velum*: Nam Exo. 26. duo vela fieri iubentur: alterum interius, quod sanctū diuideret à sancto sanctorum; quod velum hîc vocatur secundum: alterum, exterius, quod sanctum separaret ab atrio foris posito; quod proinde ingredientibus erat primū. An autem præter hæc duo, fuerint adhuc alia tabernaculi vela; quemadmodum ex Leuitici locis inter se collatis, probari posse putat Galenus: studiosis

inuestigandum relinquo. Certè in templo Salomonis plura duobus fuisse, varijs vsibus aptata, satis credibile est. Obiter admoneo non esse velis annumerandas decem cortinas, & vndecim saga cilicina quibus operiebatur tabernaculum, vt nec reliqua duo eiusdem tabernaculi operimenta facta ex pellibus. Quorum omnium descriptio est apud Moysen Exodi 26 & 36. Nam operimenta propriè non dicuntur vela. Porro quæ Apostolus vocat *sancta*, & *sancta sanctorum*; in Hebræo dicuntur numero singulari, *sanctus* & *sanctus sanctitatum*: sed quia sanctitas pro re sancta more Hebræorum accipitur; rectè interpretes pro *sanctitate*, *sanctum*, vel *sanctuarium*; & pro *sanctitate sanctitatum*, *sanctum sanctorum* transtulerunt. Quemadmodum etiam in Exodo legitur apud LXX. licet alibi interdum plurale posuerunt; vt psalm. 133. *Extollite manus vestras in sancta*. & psalm. 150. *Laudate Dominum in sanctis eius*. Dicitur autem Hebræis sanctum sanctorum, tanquam eximie sanctum: quomodo dicunt canticum canticorum, id est, præstantissimum canticum; & cælum cælorum, id est, supremum cælum. Quod & nos imitatur, quibus B. Maria virgo virginum appellatur, id est, excellentissima virgo. Itaque prior quidem pars tabernaculi Sanctum erat, propter res sacras inibi contentas, candelabrum, mensam, & panes propositionis; & propter quotidiana sacerdotum ministeria quæ in ea parte fiebant: Interior autem pars sanctum sanctorum, quia continebat ea quæ sanctissima & secretissima habebantur, arcam testimonij, propitiatorium, Cherubim; tum quia solus pontifex illuc introibat semel in anno, sicut infra dicitur. Vnde & ad declarandam loci sanctitatem, Deus interdum ex eo responsa dabat.

AVREVM HABENS TURIBVLVM. De turibulo aureo quod erat in Sancto sanctorum, nihil habemus in scriptura. Leguntur quidem Exod. 25 & 37 iubente Deo facta turibula aurea, simul cum acetabulis & phiialis ac cyathis, itidem aureis: sed horum turibulorum aliquod in sancto sanctorum fuisse collocatum, nusquam legitur. Ergo quæstio est vnde Paulus habeat quod hic dicit. Sunt qui suspicentur id eum habere ex traditione non scripta. Alij dicunt; sermonem hic esse de turibulo in quo pontifex, ingressus in sanctum sanctorum, adolebat thymiamam; cuius ex fumo nebula excitata cooperiret oraculum: sicut præcipitur Leuit. 16. simul vt suffitu suauissimi odoris locus sacratissimus honoraretur. Apostolum autem dicere quod turibulum hoc fuerit in sancto sanctorum, eo quod pontifex illuc cum turibulo ingrediebatur. At hæc responsio scrupulum non tollit. Non enim Apostolus de singulari quodam turibulo loqueretur, tanquam de re memorabili, nisi Moy-

ses in descriptione tabernaculi singulariter illius meminisset: sicut meminit cæterorum quæ hic referuntur. Veriorem itaque censeo responsionem eorum, qui dicunt *turibuli* nomine significari hoc loco *altare thymiamatis* quod describitur Exodi 30. sicut intellexit Origenes homil. 9. super Exodum. Quam sententiam pluribus argumentis probat Abulensis in Exod. 25. q. 6. & in 3 Reg. 6. q. 16. Eandem doctè confirmat Franciscus Ribera lib. 2 de templo cap. 8. & in commentario præsentis loci. Sciendum enim, vocem Græcam θυμιατήριον non solum significare turibulum; verum etiam locum aut aram in qua fit suffitus. Et ita sine dubio Iosephus accepit lib. 3. antiq. Iud. cap. 7. & lib. 6 de bello Iudaico cap. 6. licet hoc posteriore loco Latinus interpret verterit turibulum. Nam & reuera non aliud erat illud altare, quam magnum turibulum: nec maius tamen quam cubitum habens longitudinis, & cubitum latitudinis; vt-pote cuius non alius esset vsus, quam vt in eo ignis imponeretur, & odores incenderentur. Huius sententiæ breuiter etiam meminit S. Thomas, nec refellit. Sed aduersus eam Liranus & alij nonnulli obijciunt, altare thymiamatis intelligi non posse, quoniam illud situm erat extra velum, vbi candelabrum & mensa; sicut habetur Exod. ultimo Quod & Theophylactus affirmat, exponens illud huius capituli; *Non sine sanguine*. Paulus autem loquitur nunc de his quæ erant intra velum, in sancto sanctorum. Nam quod B. Augustinus q. 133 & 174 super Exod. scribit altare incensi intra velum fuisse; ideoque sacerdotem quotidie debuisse ingredi in sanctum sanctorum, vt quotidie, iuxta legis præceptum, super eo altari incensum poneret; non consonat cum ijs quæ Exodi 30 & 40 cap. leguntur. Sed Augustinum fefellit obscuritas versionis interpretum LXX. quæ non distinguit vtrum exterius an interius, contra velum, altare collocatum fuerit. Igitur cum Ribera respondeo altare thymiamatis factum fuisse vt deseruieret sancto sanctorum. Cum enim soli pontifici fas esset illuc intrare; nec id nisi semel in anno: ne ea pars tabernaculi quæ sacratior erat, honore turis careret; iussit Dominus iuxta statui altare in quo thymiamata adoleretur, cuius fumus è proximo sanctum locum occupans obnubilaret. Quam ob causam, etiam *altare oraculi*, id est, sancti sanctorum, vocatur 3 Regum 6. & *altare quod erat coram Domino*, id est, coram arca testimonij; Leuit. 16. Notandum enim apostolum non sic dicere; *tabernaculum in quo erat aureum turibulum*: sed, *aureum habens turibulum*; videlicet proximè sibi admotum, vt ipsi seruiret ad vsus suprascriptum. Pro confirmatione huius sententiæ, plurimum etiam valet quod altare thymiamatis fuerit vnum ex præcipuis quæ in tabernaculo erant.

Vnde

Vnde non est vlllo modo verisimile, fuisse ab apostolo prætermisum vbi cætera recensuit. Cur autem ipsum numerauerit inter ea quæ erant post velum secundum, ratio iam reddita est. Verùm adhuc obijciat aliquis, turibulum ab Apostolo vocari aureum; quod in altare non competit. Neque enim altaria ex auro fieri solent, sed turibula. Deinde, constat ex memoratis locis Exodi, altare thymiamatis factum fuisse ex lignis setim. Respondemus, etiam altare illud aureum fuisse; sicque vocari à Moysè Exodi 39 & 40. & Num. 4. non quod ex auro solido constatum esset; sed quia totum auro tectum: sicut & mensa vocatur aurea; Reg. 7. quamuis ex lignis setim facta; quia nimirum tota auro cooperta erat. Atque ita de altari Augustinus ipse, quæstione vltima super Exodum. *Altare*, inquit, *incensi aliquando aureum dicit scriptura, aliquando deauratum: aureum utique appellans, quod erat inauratum*. Sic ille. Similiter autem & altare holocausti dictum est æreum, hoc est, ære circumvestitum. Eadem ratio de arca; de qua iam sequitur.

ET ARCAM TESTAMENTI CIRCUMTECTAM EX OMNI PARTE AVRO. Quod Græcè est περιεσθην *undique*, id interpret explicatius dixit, *ex omni parte*. Legitur Exodi 25 & 37. arcam Dei iussu factam ex lignis setim, & auro purissimo intus ac foris obductam; vt meritò etiam aurea dici potuerit; etsi scriptura sic eam non appelleret. Habet enim proprium nomen in scripturis, vt dicitur *arca testamenti* seu *federis*; quod in ea seruarentur duæ tabulæ legis, quæ vocabantur *tabula testamenti* (sicut & infra vocantur ab Apostolo) propterea quod testamento seu pacto interueniente, lex à Deo data erat. Dicebatur etiam *arca testimonij*; quia in ea repositum erat testimonium, Domino præcipiente Moysi, Exodi 25. *Panes in ea testimonium*. Et Moysè de se narrante Exodi vlt. *Posuit & testimonium in arca*. Hoc enim nomine lex vocabatur; quod per eam Deus restatam faceret hominibus suam voluntatem. Hinc & David in psalmo 77. *Suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel*. Porro sciendum arcam postea à Salomone illatam in templum, non perseuerasse nisi vsque ad tempus captiuitatis Babylonicæ. Tunc enim vel ablata fuit à Chaldæis, cum reliqua preciosa templi suppellectile, de qua 4. Reg. vltimo. 2 Paral. vltimo; & Jerem. vltimo; licet arca non nominetur: vel potius iuxta narrationem quæ habetur 2 Machab. 2. abscondita in monte Nebo. Nec de eius inuentione seu recuperatione post illud tempus, quicquam apud scriptores inuenitur. Itaque in templo per Zorobabel instaurato nec arca testamenti fuit, nec cætera quæ hic in secundo tabernaculo fuisse memorantur. Vnde 1 Machab. 1. vbi recensetur suppellex templi quam inde abstulit & comminuit

Antiochus Epiphanes, & pro qua nouam postea fieri iussit Iudas Machabæus, sicut refertur eiusdem lib. cap. 4. nominatur quidem inter alia vasa, altare aureum, quod est thymiamatis, quod iam ostendimus extra velum fuisse: de arca verò ac cæteris quorum locus esse debebat intra velum, nulla mentio. Verùm Apostolus non de templo loquitur vel primo vel secundo, sed de tabernaculo Mosaico.

IN QVA VRNA AVREA HABENS MANNA. Respicit ad historiam Exodi 16. vbi legitur Dominus præcepisse Moysi, & Moyses Aarone, vt de manna cælitus dato vas vnum implerent quantum posset capere gomor; idque reponerent coram Domino, ad seruandū in futuras generationes. Vnde & tubditur: *Posuit illud Aaron in tabernaculo seruandū*. Quod vtique per prolepsin dictum est: Non enim tunc extructum erat tabernaculum. Porro de materia huius vrne nihil Moyses scriptum reliquit. Hebræi sua proferunt commenta. Nos urnam auream fuisse indubitatè credimus apostolo: quem verisimile est id habuisse ex traditione maiorum. Sanè cum cætera vasa tabernaculi fuerint aurea vel auro tecta; conuenit idem intelligi de hoc vasculo ibidem reponi iusso.

ET VIRGA AARON QUÆ FRONDVERAT. Græcè ἡ ἐλασησουα, *qua germinauerat*. Locus est Num. 17. vbi virgam Aaron, quæ pro confirmatione sacerdotij eius, ad sedandas aliarum tribuum querelas, sola inter tredecim virgas germinauerat, floresque emiserat; iussit Dominus in tabernaculo testimonij seruari. Fuit autem hæc virga eadem cum virga Moysi: quemadmodum constat ex historia Num. 20. & aliunde. Communiter enim, ad edenda signa & prodigia, Moyses & Aaron hac virga pro instrumento utebantur; Deo videlicet per eam operante. Propter quod & virga Dei dicta est, Exod. 4 & 17. Iam ex eo quod scriptura Numerorū refert flores eius, dilatatis folijs, in amygdalas fuisse deformatos; bene colligunt interpretes amygdalinum baculum fuisse.

ET TABULÆ TESTAMENTI. Non priores illæ, quas Moyses populo propter adoratum vitulum iratus, confregit ad radicem montis; Exodi 32. sed posteriores, in quibus denuo verba legis suæ Dominus descripsit; vt habetur Exodi 34. Has enim tabulas in arca repositas fuisse legimus Exodi 40 & Deut. 10. Cur autem *tabula testamenti* dictæ fuerint, ratio superius reddita est. Sed hic exurgit quæstio quomodo dicat Apostolus in arca fuisse hæc tria, urnam habentem manna, & virgam Aaron, & tabulas legis: cum id de solis tabulis scriptura testetur. Nam duo priora coram Domino in tabernaculo posita fuisse Moyses scribit: At in arca locum eis datum non meminit. Imò scriptura alibi repugnat, vt 3 Reg. 8. & 2 Paral. 5. Quo vtroque loco expressè dicitur in arca non aliud

Vv 3

fuisse

fuisse quam duas tabulas lapideas quas Moyses in ea posuerat. Hic scrupulus multos torquet, & apud quosdam tanti est, ut eo inter alia argumento nitantur, quo diuinam auctoritatem huic epistolæ detrahant. Inter quos Caietanus suspicatur auctorem epistolæ scripturam Exodi & Numerorum non bene intellexisse; ut quæ iussa sunt reponi *coram Domino*, siue coram testimonio Domini, putauerit mandatum ut in arca seruarentur. Qui verò pro canonica scriptura, sicut oportet, hanc epistolam recipiunt, variè respondent; sed Theophylactus hoc modo conciliat; Vnam & virgam non à principio reconditas in arca fuisse; sed demum tempore Ieremiæ, quando necesse erat ut arca occultaretur: id quæ fortasse Paulum in sacris Iudaicis à Gamaliele institutum, ex traditione accepisse: *quandoquidem*, inquit, *hodieque pharisaorum sectam ex Hebraïstuentibus assensit ut rem ita se habere.* Huic responsioni vicinum est quod Melchior Canus lib. 2. de locis Theolog. cap. 11. & alij quidam dicunt, non quidem tempore Ieremiæ, sed tamen post Salomonem in arca fuisse repositas vnam & virgam; quo sic melius seruantur. Verum qui ita respondent non satis attendunt ad quod tempus respiciat Apostolus hoc loco. Iam enim supra admonui, & res ipsa loquitur, hic agi de tabernaculo, non de templo. Qua ex re manifestum est non de tempore Salomonis aut Ieremiæ; sed de tempore Moysi; quæ hic dicuntur, esse accipienda. Quocirca Catharinus inuertit responsionem, dicens hæc duo tempore Moysi fuisse in arca; sed inde educta tempore Salomonis, quando arca in templum erat inducenda. Atqui nihil adfert Catharinus, quo probet hanc suam responsionem. Nec enim vquam vel in scriptura sacra, vel apud Iosephum aut Philonem, aut quemuis alium rerum Iudaicarum scriptorem, legitur, aliud quicquam præter duas tabulas legis in arca testamenti positum à Moysse fuisse. Quin ex eo quod iussu est Exodi 16. vnam manna referant coram Domino reponere; consequens videtur non fuisse positam in arca, sed extra. Nam illud, *coram Domino*, tantundem est ac si dicas, *coram arca testamenti*, quæ Dominum representabat. Eadem consequentia est ex eo quod tam vna quam virga reponi iussa sunt *coram testimonio* siue *ante testimonium*: sicut in Hebræo legitur tam Exodi 16. quam Num. 17. vbi vulgata versio habet, *in tabernaculo*. Nam per *testimonium* ijs locis metonymicè significatur arca in qua erat testimonium. Alia responsio est, cum dicitur in historia translationis arcæ sub Salomone, *non aliud in ea fuisse nisi duas tabulas*; sensum esse non protus absolutum; sed tantum significari quod ex tota lege nihil aliud continebatur in arca, nisi decem præcepta decalogi duabus tabulis inscripta. Sic Vatablus in scholijs ad locum scripturæ 3 Reg. 8. Sed refellitur ex ijs quæ iam diximus. Exponenda est enim il-

la scriptura secundum ea quæ Moyses olim scripserat; qui sic tabulas arcæ includit ut excludat cætera. Per quod eliduntur & aliæ duæ responsiones: vna, S. Thomæ & aliorum quorundam, dicentium solas tabulas in arca fuisse principaliter, ut quæ propter eas conseruandas esset fabricata; per occasionem verò etiam vnam & virgam in ea fuisse repositas. Altera, eorum qui dicunt medium ac præcipuum arcæ locum deputatum fuisse tabulis testamenti; reliqua duo collocata ad latera in sinu quodam separato. Hæc, inquam, dici non possunt; quia cum Moysse, qui solas, ut dixi, tabulas arcæ includit, minimè consentiunt. Denique constat ex scriptura Exodi 25 & 37. longitudinem arcæ tantum fuisse duorum & semis cubitorum; ut proinde virgam Aaron verisimiliter capere non potuerit; erat enim hæc oblongior, ut solent esse virgæ pastorales. Si quidem ad oues foci sui pascendas in Madian, Moyses ea primum vsus fuerat. Atque hoc argumento in vniuersum destruuntur opiniones eorum qui putant virgam aliquando fuisse in arca. Sunt autem nonnulli qui virgam & vnam non intra arcam ponant sed extra, videlicet in arcula quadam ad eum vsu facta, quæ lateri arcæ coniuncta esset: ut quodammodo dici possent esse in arca. Sic enim post Litanum scribentem super 3 Reg. 8. etiam Caietanus glossari posse putat hunc locum epistolæ, si defendenda sit eius auctoritas. Sed & hoc meritò rejicitur velut commenticium: tum quoniam eiusmodi arcula virgam non caperet, nisi faceres eam ipsa arca longiorem; tum quia nec Moyses, qui nobis omnia quæ ad arcæ fabricationem pertinent exactè descripsit, nec Iosephus, aut alius quisquam veterum, huius arculæ meminerunt. Nam quod adfertur tanquam huic opinioni consonum, ex Deut. 31, vbi Moyses Leuitis præcipit, ut librum Deuteronomij ponant asseruandum in latere arcæ fœderis; id quomodo sit intelligendum infra dicemus. Aliam quandam solutionem adfert Iacobus Stapulensis. Cum enim existimet epistolam hanc Hebraicè scriptam esse, nec tamen Hebraicè uti scripta est, exstare; dicit nos nescire qua præpositione Paulus vsus fuerit: Græcum autem interpretem subinde præpositionem diuersam, aut minus propriam, reponere. Quare pro eo quod ex Græco habemus, *in qua*, putat Apostolum in Hebræo scripsisse, *cum qua*: & adeò putat, ut etiam ausit ita vertere: *cum qua vna aurea &c.* Quæ versio si valeret: haud dubiè tolleret omnem diaphoniam quæ videtur esse huius loci cum historia Regum. Sed epistolam hanc Hebraicè scriptam esse, Stapulensi non damus. Et si detur; non tamen est fidi interpretis, omisso textu quem vertendum suscepit, aliud quiddam reddere tanquam ex fonte, quem nusquam videris. Sunt igitur alij, quibus ex Græco textu vera difficultatis enodatio petenda videtur. Dicunt enim particulam, *in qua*, non ad *arcam* referri debere, sed

ad remotius vocabulum, nempe *tabernaculū*, quod & ipsum in Græco fœminei generis est, sicut *arca*, ut sensus sit: *In quo tabernaculo post velamentum secundum posito (quod dicitur Sancta sanctorum) vna erat aurea habens manna, & virga Aaron &c.* Qui sensus perspicuam habet veritatem. Verum nec ista responsio, quamuis eam ut plausibilem adducant Riberæ & Tremelius, nobis probari potest: Tum quia nulla ratio est cur apostolus in contextu mutet sermonem, ut cum de tabernaculo secundo dixisset, *aureum habens turibulum, & arcam testamenti*; postea de eodem dicat, *in quo vna aurea & virga Aaron*; ac non potius, *et vnam auream & virgam Aaron*, sicut consequentia sermonis postulabat: Tum verò, quia quod proximè sequitur, *super eam erant Cherubim*, non de tabernaculo sed de arca dictū est. Non enim super tabernaculum; sed super arcam testamenti, in ipso tabernaculo, Cherubim alas suas expandebant. Quare & illud præcedens, *in qua*, ad arcam referendum est, non ad tabernaculum. Etenim prius dicere voluit quid in arca fuerit; deinde, quid super arcam. Quod si ad diuersa referas, *in qua & super eam*; implexa & perturbata reddetur oratio; quemadmodum faciliè patet attentius consideranti. Restat adhuc vna solutio, quæ apud Heruæum in commentario legitur; ut *in arca* fuisse dicantur vna & virga, quia iuxta arcam erant. Nam more scripturæ quippiam in loco aliquo esse dicitur, si vel loco ipso cõtineatur, vel sit in loco contiguo. Sic enim dicit Dominus ad Ieremiam, 35 cap. de Rechabitis: *Et introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum; & dabis eis bibere vinum.* Sic & Ioannes cap. 10. *Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis*: quum tamen neque exedra, neque porticus, essent partes templi, sed structuræ foris adiunctæ. Nec secus accipiendum quod apud omnes euangelistas legitur Ioan. 2. Matth. 21. Marci 11. & Lucæ 19. eos qui erant ementes & vendentes *in templo* fuisse à Christo inde eiectos. Nam illa negociatio in porticibus templi fiebat. Simile & illud Lucæ 9. *Et dicebant (Moyse & Elias) excessum eius quem completurus erat in Ierusalem.* Et cap. 13. *Non capit prophetam perire extra Ierusalem.* Nam Christus, de quo vtrumque dictum est, non intra Ierolimam vitem occisus est, sed prope eam in monte Caluarie. Quod satis erat, ut excessum suum in Ierusalem completurus, & non extra Ierusalem periturus, diceretur. Hoc igitur sensu putat author ille dictum à Paulo, *in arca fuisse hæc tria, vnam, virgam & tabulas testamenti*: tabulas quidem, ut intra arcam inclusas; vnam verò & virgam, ut iuxta positas. quod alibi dicitur, *in latere arcæ*; ut Deut. 31. vbi Moyses præcipit Leuitis *ut librum Deuteronomij ponant in latere arcæ fœderis*, id est, foris iuxta arcam, non intus; ut malè quidam existimant. Expositio certè probabilis; quæ nec Francisco Riberæ displicet, & nobis præ-

cæteris arridet. Nam & pars illa præcedens, *aureum habens turibulum*, prout à nobis exposita est, hunc adiuuat intellectum. Diximus enim, ex mente apostoli tabernaculum secundum habuisse turibulum aureum, non quasi propriè turibulum in eo fuerit; sed quia proximè erat adnotum.

5 SUPERQUE EAM ERANT CHERUBIM GLORIÆ OMBRANTIA PROPICIATORIVM. *Cherubim gloria* dixit Hebræa phrasi, id est, Cherubim gloriofa. Quo epitheto vocantur, quod multum maiestatis ac venerationis, adferent illi loco, in quo Deus suam quodammodo præsentiam exhibebat. Erant autem effigies quædam ex mero auro conflata; habentes alas, ut quibusdam placet, quaternas, ut alij, binas: quæ quidem à dextra leuæque arcæ stantes, alis super propiciatorium quo arca tegebatur, expansis atque illud obumbrantibus; se mutuo, versis in ipsum propiciatorium vultibus; aspiciabant. Describit eas Moyses Exod. 25 & 37. Sed qua figura fuerint, ab eo non est proditum. Opinio vulgata est, humanam habuisse figuram, vultu iuuenili, quales pinguntur angeli; quem pingendi morem agnoscunt etiam & probant patres septimæ synodi, Nicenæ, Act. 4. Consentiant Hebræi quidam, sumpto argumento ex etymo vocis Cherub, quam dicunt esse compositam, & sonare, *sicut puer*. quamuis alij plerisque, teste Dionysio lib. cælestis hierarchiæ cap. 7. magis placeat ea voce significari multitudinem scientiæ. Quod & B. Hieronymus sequitur in commentarijs Isaiæ 6. & Ezech. 10. Fauet eidem opinioni plurale *Cherubim* masculini generis; quod eodem genere vertunt ex Hebræo Hieronymus ac cæteri Latini interpretes; tamen LXX tribuant eis adiectiua neutri generis. Quos & apostolus imitatus est hoc loco, dicens *κατασκιάζοντες*, id est, *obumbrantia*; non *obumbrantes*. At verò Iosephus lib. 3. antiq. Iud. cap. 8. de figura rem facit incertam. Dicit enim Cherubim fuisse animalia volucra, noua specie, nec vquam cuiquam hominum visa; quæ Moyses in Dei solio viderat figurata. Ac rursus lib. 8. cap. 3. vbi de structura sanctuarij Salomonici disserit, affirmat neminem, qua specie fuerint, vel conijcere posse vel eloqui: Verum nonnullis suspicio est, Iosephum calumnias aduersariorum veritum, studio dissimulasse de figura Cherubimorum: cum homo sacerdos Iudaicæ gentis eam, ipsum iudicio, ignorare non potuerit. Quidam sanè recens scriptor, coniecturis haud leuibus adductus, existimat ea vitulini vultus habuisse similitudinem, saltem quæ Moyses finxit. Nam quæ Salomō fabricauit, humani corporis speciem habuisse, ex ipsa eorum descriptione quæ legitur 3 Reg. 6. & 2 Par. 3. satis colligi videtur. Siue autem hominis, siue cuiuscunque animalis similitudinem habuerint: (ut id obiter admoneamus) rectè ex illis, iussu Dei factis, & in loco sacratissimo collocatis, argumētatur

Catholici contra Iudæos & hæreticos, non fuisse simpliciter vetitum Israëlitis ne quam haberent imaginem aut similitudinem eorū quæ vel in cælo vel in terra, vel in aquis sunt; sed, ne haberent ad colendum; sicut ipsa lex exponit. Neque enim ad cultum posita fuerunt Cherubin in sanctuario; sed tum ad significationem futurorum, tum ad augendam loci maiestatem, ut dictum est. Porro propiciatorium erat tabula aurea paris longitudinis & latitudinis cum arca testamenti, quam totam operiebat; ut patet ex locis Exodi paulò antè citatis. Dicitur autem propiciatorium, Græcè ἰλαστήριον, quòd ibi locus esset ubi propiciaretur siue placaretur Deus. Hieronymus interdum vertit oraculum; fortè significare volens quòd ex eo loco Deus responsa dare solitus fuerit. Quanquam Hebræa vox ambigua est significationis. Verbum enim primitivum duo significat; *expiare & operire*. Vnde plerique ex Hebræo vertere malunt *operculum*. Hoc enim nomine, usus eius significatur, qui erat operire arcam. Alij verò, coniungentes utramque significationem, vertunt, *operculum propiciatorium*.

DE QUIBUS NON EST MODO DICENDUM PER SINGULA. Non est, inquit, ut quis à me expectet horum omnium quæ iam enumeravi, mysticam interpretationem. Habet quidem illa singula suum mysterium, ad Christum aut ecclesiam eius pertinens; sed id explicare non est huius temporis, non est nunc oportunitas; quia disputatio instituta nos ad alia vocat. Sensem hunc expressit Syrus interpres; quado pro eo quod habetur in Græco, *non est nunc dicere, sic vertit, Non est tempus nobis dicendi*. Dum autem Apostolus negat sibi hanc epistolam scribenti, tempus esse de rebus memoratis singularim differendi; non utriusque negat allegorias ac mysteria sub ijs latentia posse inueniri; sed magis affirmat. Quare laudandi sunt Glossator, Anselmus, Aquinas, Liranus, Stapulensis & si qui alij conati sunt, in gratiam studiosi ac pij lectoris, allegoricam eorum quæ dicta sunt intelligentiam aperire. Quod quidem maximè videtur affectus Angelicus doctor: ad quem proinde lectorem remitto.

6 HIS VERO ITA COMPOSITIS. Id est, *apparatis, siue ordinatis*, ut alij transtulerunt. Ex omnibus præmissis illud sibi tractandum & interpretandum sumit Apostolus, quod ad suum spectabat institutum: quo nimirum vult ostendere veteris sacerdotij infirmitatem, ut nouum Christi sacerdotium stabiliat. Sensus: Cum igitur hæc quæ dixi fuerint ad hunc modum parata & ordinata:

IN PRIORI QUIDEM TABERNACULO SEMPER INTROIBANT SACERDOTES. Græcè, *In primum quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes. Semper*, id est, quotidie. Nam hoc opponit ei quod mox ait, *semel in anno*. Dicit autem, *ingrediuntur*, præsentis temporis verbo; sicut & paulò post, *quam offeri-*

non quasi loquens de tempore quo hæc scribebat; iam enim superius admonui, quæ hîc dicuntur, non ad templum (quod inconsideratè facit Erasmus in paraphrasi) sed ad tabernaculum Mosaicum esse referenda. Nam templo accommodari non possunt, quale præferim erat ætate Pauli, priuatum arca alijsque monumentis quorum hîc est mentio: sed verbo præsentis temporis vitur, ad significandam consuetudinem; ac si dicat in prius tabernaculum quotidie solitos ingredi sacerdotes.

SACRIFICIORVM OFFICIA CONSUMMANTES. Quod in Græco est τὰς λειτουργίας, id est, *cultus seu ministeria*, duabus vocibus interpretes reddidit, dicens: *Sacrificiorum officia*. Similiter Erasmus, dum vertit, *sacrorum ritus*. At simplicius est, *sacra ministeria*. Syrus nudè *ministerium* dixit: sicut & noster paulò antè, *culturam*. *Consummantes*, Græcè ἐπιτελεῖντες, quod alij vertunt, *perficientes*, siue *peragentes*. Atqui Græcum verbum non solum *consummare* siue *perficere*, sed etiam *facere* significat: eoque modo cum alijs in hac epistola, tum capite præcedente bis usurpatum est, *cum consummaret tabernaculum*. & *consummabo testamentum nouum*. sicut illic obseruauimus. Vnde quod hîc dicitur, ita propriè verti potest, *sacra ministeria obeuntis*. Sed quaeritur, quæ ministeria? Nam in priori parte tabernaculi nullæ victimæ offerebantur: tantum in ea erat candelabrum, & mensa cum panibus; & inter hæc duo medium altare thymiamatis, offerendis hostijs ineptum. Sacrificia verò mactabantur & offerebantur extra primum velum, & proinde extra tabernaculum ipsum sub dio, in ea parte atij quæ erat sanctificata, & in qua altare holocausti. Fortè respondebis ex Græco, Paulum hîc non loqui de sacrificijs, sed de ministerijs sacris in genere. Quippe constat sacerdotes alia quædam ministeria solitos obire in priori tabernaculo; ut erant lucernas componere, panes sabbatis mutare, aromata adolere. Huc accedit, quod in lege *sacrificium* dicitur non solum quando mactantur hostiæ, verum etiam cum incenduntur aromata, aut offeruntur panes, ac cætera inanimata, cuiusmodi diximus ab Apostolo dona seu munera vocari, cap. 5 & 8. Quocirca Latini ferè hunc locum exponunt de eo sacerdotum officio, quo bis quotidie, mane scilicet & vespere, adolebant incensum super altare thymiamatis; quando illuc intrabant ad componendum lucernas. De qua re Moyses Exodi 30. & plenius Philo Iudæus in libro de victimis. Hanc autem adolationem, inquit B. Thomas, simul & deuotionem offerentiū, Apostolus vocat *sacrificium*. Caietanus verò ut nodum expediat, virget vocabulum, *consummantes*. Incipiebat, inquit, *quotidie tam mane quam vespere, cultus in altari holocaustorum, quod erat ante tabernaculum, offerendo agnum in holocaustum, uti præcipitur Exodi 29. Perficiebatur autem cultus tam mane quam vespere*

in altari

in altari thymiamatis, quod erat in primo tabernaculo, sacerdotis videlicet ibi adolente thymiamata. Et propterea dicit apostolus, quod introibant in illud sacerdotes cultum consummantes: Sic ille. Verum, ut taceam præter mentem apostoli esse quod in verbo *consummantes* vim facit Caietanus, sicut ex dictis intelligi potest; hæc Latinorum responsio non omnino satisfacit intentioni Paulinæ. Sentit enim non solum ea sacrificia quæ munera vocantur, sed & hostias offerri solitas quotidie in priori tabernaculo. Huc enim respiciens ita dicit paulò post: *Quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostia offeruntur*. Ac sanè pertinebat ad Apostoli institutum loqui de cruentis sacrificijs veteris legis, ut ea conferret cum sacrificio cruento quod Christus obtulit in cruce. Quare potius dicendum videtur Apostolum ita loqui de priori tabernaculo, ut etiam comprehendat eam atij partem ubi erat altare holocausti. Nec obstat quod tabernaculum illud partibus suis definiens idem Apostolus, nullam fecerit mentionem altaris holocausti, quod utique tam memorabile est ut præteriti non debuerit: Potest enim responderi, propterea non esse nominatum cum cæteris, quoniam erat extra velum. Alioqui, nihil vetare quo minus cum ijs quæ in priore tabernaculo erant, censeatur. Nam instituto Apostoli satis esse, si inter primum & secundum tabernaculum distinctio seruetur. Quæ quidem manet, etiam si priori tabernaculo locum altaris holocausti adiungas. Nonnulli putant propositam difficultatem ita solui posse, si dicatur etiã cruenta sacrificia posse intelligi oblata intra primum velum tabernaculi. Quamuis enim mactatio & crematio animalium fieret extra velum, siue pontifex siue minores sacerdotis officio sacrificandi fungerentur; eam tamen officij partem quæ consistebat in externa quadam ceremonia sanguinis offerendi, dicunt fieri solitam intra velum, in ipso tabernaculo. Quod probant ex Leuit. 4. ubi de sacrificio quod offerendum erat pro peccato summi sacerdotis, ita præcipitur: *Et auertit quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij. Cumque intinxerit digitum in sanguinem: asperget eum septies coram Domino, contra velum sanctuarij, ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis*. Quod ipsum mox etiam iubetur fieri de sacrificio oblato pro peccato populi. Sed sciendum, hanc ceremoniam istis duobus sacrificijs propriam ac peculiarem fuisse; non omnibus cruentis communem; ut patet ex cæteris quæ ibidem sequuntur. Quocirca probabilius est quod priori loco dixi.

ADDITIO B. P.

In secundum tabernaculum semel in anno solum pontificem introiisse, ait apostolus verbis sequentibus; nec tamen propterea vult quod intra illud aliquã hostiã mactauerit vel cremauerit: quare in his quæ nunc dicit, non

est necesse intelligi quòd in priore tabernaculo vlla hostia fuerit cæsa aut cremata, ut propterea nomine prioris tabernaculi comprehendi debeat ea pars atij ubi erat altare holocaustorum. Sufficit enim verbis apostoli, quod sacerdotes quotidie, dū hostiam offerrent in atrio, non omittebant introire in tabernaculum illud prius. Faciebant nimirum hoc, saltem orationis fundendæ causã; Item causã offerendi thymiamatis, mane & vespere; ut est Exodi 30. Nam quãuis illic solius Aaronis fiat mentio: tamen usus & traditio interpretabatur de sacerdote quopiam Aaronico; ut manifestum est ex Lucæ 1.

7 IN SECUNDO AVTEM, SEMEL IN ANNO, SOLVS PONTIFEX, NON SINE SANGVINE. Rectius, *in secundum*, ut est in Græco, & apud Ambrosiastu, qui in v. præcedente legit quoque *primum*, conformiter Græco. De hoc ingressu pontificis in tabernaculum, id est, in sancta sanctorū, agit Moyses Exod. 30. sed multo clarius ac distinctius Leuit. 16. ubi præcipitur Aaroni pontifici, ut in solemnibus die expiationū, qui erat decimus septimi mensis, offerat vitulum pro se & pro domo sua; item hircum pro peccato populi: utriusque verò sanguinẽ inferat in sanctuarium, ut illud eo aspergat atque emundet. Vnde hîc dicitur, *non sine sanguine*. Qua parte etiã subindicare voluit Apostolus, sanguinẽ illum fuisse typū sanguinis Christi, quo emundanda erat ecclesia; sicut & pontifex ille typum gessit pontificis Christi. Mouet ergo hoc loco quaestionem Oecumenius, ex eo quòd Exod. 30 legitur præceptum pontifici, ut bis quotidie ingrediatur oblaturus incensum super aureū altare, quod erat, inquit, in sanctis sanctorū. Videtur enim hoc contrariū apostolo dicenti pontificem semel quotannis illuc ingredi. Respondet Oecumenius, quòd cū sanguine quidẽ ingrediebatur semel quotannis; quemadmodũ etiam memorato Exodi loco dicitur: *ad adolendum verò bis diebus singulis*; ideoque signanter additũ esse ab apostolo *non sine sanguine*; id est, cum sanguine. Similiter glossa ordinaria. *Sape quidem*, inquit, *sine sanguine introibat, sed cum sanguine non nisi semel*. Quæ glossa desumpta videtur ex Augustino super Exod. q. 133 & 174. Quibus locis hoc ipsum planè dicit. Eidem sententiæ subscribit Gaignæus. Sed eam meritò rejicit Theophylactus: ac bene docet, absolūtè verũ esse quòd hîc dicitur, pontificem quotannis semel tantum ingredi solitum in sancta sanctorū. Nam altare quòd vocatur incensũ, ad quod adolendum bis intrabatur quotidie, non intra velũ erat in sanctis sanctorū, ut auctores illi putarunt; sed exterius ei admodum: quẽadmodum & nos dudum ostẽdimus cum de aureo turibulo ageremus. Itaque nulla repugnantia est huius loci cum eo quòd in Exodo dicitur. Quam rem etiam clarè demonstrat B. Thomas, Liranus, & Franciscus Ribera in suis commentarijs; cum expressa refutatione glossæ: nec non idem Liranus scribens in Exodum;

vbi

vbi eandem rem plenius explicat. Annuit huic sententiæ etiam Caietanus.

QUEM OFFERT PRO SVA ET POPVLI IGNORANTIA.

ADDITIO B. P.

Græcè quidem est tempore præfenti, *offerret*: sed quoniam interpres versu præcedente reddidit *inroibant*, tamen & illic Græcè sit tēpus præfens; idcirco est verisimile eum hoc loco reddidisse *offerret*: quod habent quidam manuscripti, & Ven. Beda; quod erat etiam in prima correctione Sixtina; itē in Missali Romano, labb. 4. temp. mensis Septemb. Idem ibidem est in Miss. Leod.

Græca sic habent hanc partem: *Quem offert pro seipso & populi ignorantis*. Syrus quoque, *pro seipso*, transtulit. *Pro sua*, verti vix potest ex Græco, propter collocationē articuli, τῶν. Quanquam in sensu non est diuersitas. Nam *pro seipso*, intellige propiciando, quod patet ex loco Leuit. 16. vbi de hac pontificis oblatione dicitur; *Vitulum pro peccato offeret*. Porro Moyses describens hanc oblationem, nō nominat quidem ignorantiam siue ignorantias; sed peccatum aut peccata, etiam iuxta versionem LXX: Res tamen eadem est. Nam *ignorantia* passim in scriptura vocatur peccata, nō ea tantū quæ dicuntur ex errore siue ignorantia committi, verū etiam quæ ex infirmitate vel malicia; sicut ex professo ostendimus Cōment. ad Sententias lib. 2. dist. 22. Vnde & in Syriaco vocabulū habetur quod et si propriè significet errata siue stultitias; vsurpatur tamē pro delictis siue peccatis in genere. Cur autem peccata vocentur ignorantia; rationem hanc reddūt expositores, nominatim B. Thomas, quia omnis malus ignorat. Nullum est enim peccatū quod nō ex errore iudicij præfici procedat; vti latè probatum est à nobis loco iam dicto. Non posse autem ignorantias accipi propriè, scilicet pro peccatis quæ non scienter sed ignoranter admissa fuerint, (vt vult Oecumenius, dicens Apostolum hīc innuere discrimē sacrificiorū legalium & sacrificij Christi, quod illa quidē expiabat peccata per ignorantiam cōmissa, Christi verò sacrificium valeat ad expiationē omnium, etiam scienter admissorū: quā sententiā etiam refert Theophylactus, sed calculum ei suum non addit): Hoc, inquam, dici non posse, planum est ex Leuit. vbi Moyses loquitur omnino generaliter: *Et expiet sanctuarium ab immundicijs filiorū Israel, & à prauaricationibus eorum, cunctisq; peccatis*. Cuncta igitur peccata Apostolus vocauit ignorantias. Nam etsi quædā erāt in lege sacrificia peculiariter instituta pro peccatis ex ignorantia cōmissis; erant tamen & alia pro peccatis scienter admissis. De vtroque genere habes Leuit. 4. 5 & 6. Adde quod festū expiationum ad hoc erat institutum, vt in eo per oblationem vnus hirci, & emissionem alterius, remissio fieret omnium iniquitatum, delictorū atque peccatorū totius populi; sicut patet ex eodem loco Leuit. 16. Verū

omnis illa remissio legalis tantū erat. ac proinde conscientiam non purificabat; vti patebit ex sequentibus. Notandum obiter, Apostolū dicentem, *pro sua*, vel *pro seipso*; tacitè voluisse commendare Christi pontificis excellentiam; qui, quod esset sanctus, innocēs, impollutus, vt suprā dixit cap. 7. non habebat necessitatem pro suis delictis offerendi, sicut alij sacerdotes.

HOC SIGNIFICANTE SPIRITV SANCTO, NONDVM PROPALATAM ESSE SANCTORVM VIAM. *Sanctorum*, neutri generis est, sicut cap. præcedenti, *sanctorum minister & tabernaculi veri*; & paulò post v. 12. Incipit nunc Apostolus exponere allegoriam eorum quæ proximè dixit de primo & secundo tabernaculo. Ac primū aperit quid in eo fuerit mysterij quod solus pontifex ingrediebatur in secundum tabernaculum, quod erat Sancta sanctorum. Nam pleniorē declarationem prioris partis, qua dixit, *In priori quidem tabernaculo &c.* referuat in caput sequens, vbi dicit: *Et omnis quidem sacerdos præsto est quasi die ministrans &c.*

ADHVC PRIORE TABERNACVLO HABENTE STATVM. Id est, *st. ante* seu *consistens*; vt vertit Erasmus. Quæritur quod hīc vocet prius tabernaculum. Sunt enim qui velint id alio sensu accipi quā suprā, videlicet nō pro anteriore tabernaculi parte, sed pro toto corpore; quod dicunt ab Apostolo nunc vocari primum tabernaculum, ordine temporis, respectu spiritualis ac veri tabernaculi, quod postea foret exhibendum. Sed qui id volunt, sensum Apostoli non sunt assecuti. Nec ratio permittit, vt cū Apostolus in præcedentibus studiosè distinxerit inter primum & secundum tabernaculum: nunc subitō ea confundat & concludat vno nomine primi tabernaculi. Retinenda est igitur eadem *prioris tabernaculi* significatio. Sensus enim totius sententiæ talis est: Per illud quod in sancta sanctorum nemini patebat ingressus, præterquam vni pontifici; mysticè nobis significare voluit Spiritus sanctus, priore tabernaculo stante, id est, lege veteri, quæ per prius tabernaculum significabatur, adhuc durante; nondum manifestatam fuisse viam ad sancta sanctorum, hoc est, ad cælum, per illa sancta significatum; sed demum manifestandā postquam Christus pontifex noster illuc per sanguinem suum introgressus fuisset. *Sanctorum* nomine, cælum ex Apostoli sententiā typicè significari, iam pridem ostendimus, ad illud capitis præcedentis, *Sanctorum minister*; & manifestum est ex v. 12. huius. Porro *sanctorum via* gratia est noui testamenti, per quam nobis aditus est ad cælum. Hæc *via* tempore veteris testamenti nondum erat propalata seu manifestata: Nam etsi nemo fuerit vnquam iustificatus nisi per gratiam noui testamenti, cuius author est Christus; non tamen ante Christi aduentum manifesta fuit ea gratia, id est, palam cognita &

prædicata, sed latebat sub vmbri ceremoniarum veteris legis, & à paucis spiritualibus ad nouum testamentum pertinentibus, apprehendebatur. Denique post aduentum Christi, prædicato eius euangelio, ac legalibus vmbri per eius passionem remotis, manifestari cepit ac palam agnosci. Ad quod significandum, moriente Christo *velum templi scissum* fuisse legitur à *summo vsque deorsum*, Matth. 27. illud haud dubiè velum quod erat oppansum Sancto sanctorum, quodque typus erat velatæ gratiæ. Alij putant hoc dicere Apostolum; Durante statu veteris legis, hoc est, vsque ad mortem Christi, cælum hominibus quantumlibet iustus, manifestasse clausum; ipsa verò eius morte reclusum & apertum fuisse, vt ingressus pateret animabus sanctis. Verū, non dicit Apostolus; *nondum apertam sanctorum viam*, sed, *nondum propalata*, Græcè *manifestatam*; Syriacè, *reuelatam*. Hoc autem sensum habet quem dixi; quem etiam tradit Hasselanus. Nec ab eo longè recedit B. Thomas, dum *viam sanctorum nōdum propalata* interpretatur ipsum Christum, dicentem, *Ego sum via*, Io. 14. Qui, inquit, stante priore tabernaculo, id est, veteri testamento, non erat propalatus; quia adhuc latebat sub figuris literæ obumbratus.

9. QUÆ PARABOLA EST TEMPORIS INSTANTIS. Græcè, *Quæ parabola in tempus instans*; id est, quæ figuralis similitudo referenda est ad tempus instans seu præfens. Vbi relatiuum *quæ* si nudam grammaticam spectemus, pertinere potest vel ad *tabernaculum*, vel ad *statum*, vel ad *parabolam*. Sunt enim hæc tria fœminini generis in Græco. Sanè Theophylactus & Oecumenius ad *tabernaculum* referunt, hoc sensu: Quod prius tabernaculum fuit similitudo quædam ac figura temporis eius quod tunc erat præfens. Significabat enim, sicut antè dictum est, legem veterem; quæ tunc vigeat. Cæterum magis apparet referendum esse ad *parabolam*, prout refert textus Syriacus. Sic enim habet: Et erat parabola hæc temporis illius. Quanquam sensus propemodum idem est. Illud, inquit, quod priore tabernaculo significabatur, erat hoc ipsum quod eo tempore fiebat; quia tabernaculum illud erat typus veteris testamenti. q. d. Prius tabernaculum & res eo significata simul currebant. Quidam *tempus instans* intelligunt tempus hodiernum, id est, tunc præfens quando hæc scribebantur. Ita author glossæ interlinealis; quasi sensus sit, ijs quæ quondam gerebantur in tabernaculo similia fuisse ea quæ tempore Pauli adhuc fiebant in templo; vt pote res eiusdem institutionis. Quem sensum etiam volunt biblia regia, in quibus addito pronomine legitur: *in hoc tempus instans*. Sed ea lectio viciosa est; & facile refellitur ex consensu aliorum codicum, quibus & Syriaca versio suffragatur; atque ex ipsis Græcorum veterum commentarijs.

IXTA QUAM MVNERA ET HOSTIÆ OFFERVNTVR. Relatiuum in Græco non ad parabolam sed ad tempus refertur, καὶ ὅν scilicet καίρον, *iuxta quod, tempus*. Et hoc modo legisse Chryostomum & Theophylactum, perspicue docent eorum commentarij. Sic etiam legit Syrus interpres. Nec dubium, quin Græcum κατὰ regat interdum accusatiuum temporis in quo aliquid fiat. Ita sensus est: Quo tempore munera & hostiæ offerbantur, quæ non possunt &c. Scito tamen Oecumenium legisse καὶ ὅν, *secundum quam*. Dicit enim: secundū quam parabolam seu similitudinem, & secundū quem typum, oblationes donorū & hostiarum factę sunt. Ac verisimile est in Græco codice nostri interpretis ita etiam scriptum fuisse; nam vnus literæ tantum est differentia: tamen prior lectio mihi videtur magis germana. Iam ex eo quod Apostolus assidue coniungat *munera & hostias*; satis liquet ex eius sententia inter hæc duo agnoscendum esse discrimen. quod autem illud sit, ostendimus cap. 5.

QUÆ NON POSSVNT IXTA CONSCIENTIAM PERFECTVM FACERE SERVIENTEM, siue ministrantem. Græcè, κατὰ συνείδησιν. Quæ vox sacris ministerijs accommodatur. Erasmus vertit *cultorem*; non rectè: tum quia cultus non tantum est ministrorum sed totius populi; tum quia participium non erat mutandum in nomen, ob rationem quæ patebit ex sequentibus. Quid sit *perfectum facere*, quod Græcè est τελειῶσαι, dictum est ad illud cap. 7. *Nihil ad perfectum adauxit lex*. Est enim in Græco idem verbum: Pro quo nonnulli vertunt hoc loco, *sanctificare*; sed melius noster, *perfectum facere*, quod vtrique loco congruit. Vim significationis explicat adiuncta particula, *iuxta conscientiam*. Sensus enim est: Quæ sacrificia non poterant coram Deo, qui conscientiam intuetur, iustificare ministrantem, hoc est, non poterant veram conferre iusticiam. Vera namque iusticia est quæ Deo iudice probatur. Hæc conscientiam perficit, hoc est, animam, siue interiorem hominem; vt exponunt Theophylactus, Oecumenius & Caietanus. Dicitur autem ad differentiam *iusticia carnis*; de qua paulò post. Porro, si sacrificia legis non poterant iustificare eum qui ministrabat; certè nec eos poterant pro quibus ministrabat. Id quod colligendum relinquit Apostolus. Iustus est enim & legitimum vt qui ministrat altari, primus de eo participet. Quæres, Quomodo igitur homines illius temporis iustificabatur; si ad iusticiam veram sacrificia nihil conferebant? Respondeo, eos qui iustificabantur coram Deo (qui quidem in illo carnali populo valde pauci erant, via sanctorum nondum propalata) iustificatos fuisse per fidem Christi Saluatoris venturi; simul tamen adhibitis sacrificijs ac sacramentis illius temporis, non quatenus illa veteris erant institutionis,

sicut

sicut hinc ea considerat Apostolus, sed ut subferuebant veris fidelibus, id est, cum vera fide & pietate ea suscipientibus: quemadmodum fufius à nobis declaratum est super 4. sentent. distinct. 1. De qua re adhuc infra, in hoc & sequenti capite, sermo redibit.

SOLVMmodo IN CIBIS ET POTIBVS. Hæc pars difficultatem habet non modicam. Neque enim apparet quomodo cum antecedentibus cohæreat, aut quorsum dicatur. Adde, quod suspensa relinquitur oratio, nec desinit in sensum perfectum. Sed de hoc postea. Primum, quod ad contextum attinet: plerique partem hanc disiungunt à præcedentibus, suppletes aliquid; hoc aut simili modo; *Sed solummodo consistunt in cibis & potibus &c.* Quod & à Syro interprete factum est. Verum si hoc suppleendum est; nimis certè imperfecta ab Apostolo vel eius amanuensi scripta est oratio: quod non est verisimile, in hac præsertim epistola, cuius exactior est quam aliarum compositio. Deinde, nec probabilem sensum efficit ista additio. Nam quomodo munera & hostiæ consistebant, & quidem solum, in cibis & potibus & varijs baptismatibus? Alij aliud suppleunt, nihil maiori gratia. Nobis eorum sententia probatur, qui partem hanc pendere dicunt à proximo participio, *seruientem*: hoc nimirum orationis contextu: *Quæ sacrificia non possunt secundum conscientiam perficere seu iustificare eum qui ministrat solummodo in cibis & potibus &c.* Hæc constructio minimè coacta est, & nihil requirit supplementi. Quamquam adhuc obscurum est quis Apostolo dicatur ministrare solummodo in cibis & potibus & baptismatibus: cum tam multis alijs à lege præscriptis observationibus occupati fuerint tam sacerdotes quam reliquus populus; ut propterea legem illam ceremoniam S. Petrus appellauerit *ingum importabile* Act. 15. Aut, si cætera omnia intelligantur in particula subiuncta, & *iusticijs carnis*: cur *cibos & potus & baptismata* præ cæteris nominatim expressit? Igitur, ut res explicetur; illud statuo, sermonem hinc esse non de populo, sed de sacerdote, quem vocat, *seruientem*, λατρεύοντα, id est, *sacro ministerio fungentem*, sicut antè interpretari sumus. In quam sententiam etiam B. Thomæ commentarius, bene expensus, inuenietur inclinare. Dicitur autem sacerdos *seruire in cibis & potibus &c.* id est, cum certa obseruatione ciborum & potuum, ac similibus. Non enim hinc de tota lege ceremoniali agitur; sed de ijs quæ sacerdos munera vel hostias offerens, obseruare debebat, vel ante sacrificium vel post. Nam, præterquam quod exactior à sacerdote quam à plebe meritò exigebatur obseruatio discretionis ciborum, ut mundum se serualet exercendo suo officio, quemadmodum patet ex Leuitico,

præsertim cap. 17 & 22. etiam de potu peculiare datum fuit ei præceptum, Domino dicente ad Aaron, *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* Leuit. 10. Quem locum huc allegat etiam Theophylactus. Rursum, seruiebat in cibis sacerdos oblato iam sacrificio, quia præscriptum habebat de quibus muneribus & hostijs, & quam eorum partem, edere posset ipse & domestici eius; & quos ab eorum estu deberet arcere. Porro de baptismatibus mox dicemus. Cum ergo dicit Apostolus, sacerdotem Aaronicum *seruire solum in cibis & potibus &c.* argumento quodam ex actionibus adiunctis, quæ vel præparatoriæ sint vel consequantur oblationem sacrificij, probat quod dixerat, *munera & hostias ab eo oblatas non potuisse iuxta conscientiam perfectum facere seruientem*: quia scilicet, sicut sacrificia carnalia erant; ita & hæ actiones, tantum carnales, nimirum suis sacrificijs respondentes. Atque id declarat particula, *solummodo*; quæ excludit actiones cultus interni, de quibus in Leuitico nihil auditur. Nusquam enim lex præcipit sacerdoti ut corde contrito & munda conscientia ad offerendum sacrificium accedat; nec ibi legitur, *probet seipsum homo.* Legitur quidem ac subinde repetitur, *Sanctus esto, quoniam ego sanctus sum*: sed omnis illa sanctitas atque mundicia legalis erat, ac tota in externo cultu posita. Denique quid hinc velit Apostolus, à contrario potest intelligi. Nam ei quod nunc dicit, *solummodo in cibis, &c.* opponit in capite sequenti præparationem internam ac spiritualem, cum ait: *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, &c.* Nonnulli quod hinc dicitur de potibus, pertinere putant ad ceremonias Nazarorum; quibus, durante tempore suæ consecrationis, à vino abstinendum erat. Num. 6. Alij, ad liquorem seu potum fortè repertum in vasis aliquo casu immundis; de quibus Leuit. 11. Sed hæc magis conueniunt alteri loco, qui est Coloss. 2. *Nemo vos inducat in cibo & in potu.* Chrysostomus putat Apostolum hoc addidisse per contemptum; cum de potu nil fuerit in lege traditum. Quibusdam placet additum ornatus causa, propter iuendam Græcarum vocum paronomasiam, *βρώματα καὶ ποτάματα*. Sed hæ coniecturæ potius sunt quam opiniones. Illud maxime probabile, quod diximus de potu inebriatiuo sacerdotibus tabernaculum ingressuris interdico.

ET VARIIS BAPTISMATIBVS. Interpret Græcum vocabulum retinuit, sicut & Marci 7 semel & iterum. Latine veritas; & *diuersis lotionibus* siue *ablutionibus*. Multæ quidem erant lotiones à lege præscriptæ, quibus mundarentur qui immundiciam aliquam contraxissent: sed hinc de lotionibus agitur

ad sacri-

ad sacrificia ordinatis; quales erant illæ summi sacerdotis, ante & post ingressum sanctuarij in die expiationum, de quibus Leuit. 16. nec non aliorum sacerdotum, atque etiam eorum pro quibus oblationes fiebant, imò & victimarum & intestinorum ac pedū hostiæ casæ; de quibus omnibus passim in eodem libro. Unde & ad usum huiusmodi lotionum iussus est Moyses Exo. 30. facere labrum æneum. Cui successerunt in templo Salomonis mare fuitile & decem luteræ ænei, de quibus Reg. 7. Rectè B. Thomas annotat, eos apostoli mentem non assecutos, qui de pharisaicis lotionibus, quarum mentio est Matth. 23 & Mar. 7. locum hunc exponunt. Agit enim apostolus de sacrificijs & ceremonijs legis, non de institutis humanis.

ET IUSTICIIS CARNIS. Græcè *δικαιομασι* iustificationibus; quas initio capitis vocauit *iustificationis cultura*, id est, ceremonias ad Dei cultum ordinatas, sicut illic exposuimus. Ex quo etiam loco confirmatur quod dixi non agere apostolum de ceremonijs legis in vniuersum; sed de ijs quæ ad ministerium tabernaculi pertinent. Vocat autem *iusticia: seu iustificationes carnis*, id est, *carnales*; quia valebant tantum ad mundiciam corporalem & externam, quam lex exigebat ut quis esset aptus sacrificijs offerendis & sacris tractandis: ad animam verò nō pertinebant. Notanda antithesis inter *carnem & conscientiam*, iuxta quam negauit ea quæ in lege offeriebantur; hominem posse perfectum reddere. Addit apostolus hanc partem, & *iusticijs carnis*, non quasi diuersum aliquid dicat à præcedentibus: sed quod dixit per species, genere concludit. q. d. Et ut verbo comprehendam, iusticijs carnis. Erant enim & aliæ quædam obseruationes eodem pertinentes.

ADDITIO CENSORIS.

Ex his quæ iam proximè dicta sunt, videri potest quod ista, *in cibis, & in potibus, & varijs baptismatibus, & iusticijs carnis*, pendeant ab illo complexo, *perfectum facere*; ut scilicet tota hæc congeries istarum determinationū ex aduerso opponatur illi quod præcessit, *iuxta conscientiam*. Et cōformiter videtur quod per *seruientem*, indifferentem intelligatur sacerdos offerens, & populus vel laicus quilibet pro quo fiat oblatio seu qui curet offerri. Quæ hoc capite sequuntur, hæc sensui fauent.

VSQUE AD TEMPVS CORRECTIONIS IMPOSITIS. Græcè, *imposita*; quemadmodum etiam habet textus Ambrosianus. Iuxta quam lectionem hyperbaton est (ut monet Oecumenius) sententiam nonnihil obscurans. Sic enim referendum erit participium, *imposita*, non ad proximè præcedentia, sed ad *munera & hostias*; ut sensus sit: Illa veteris legis sacrificia, cum non possent iuxta conscientiam

perfectum facere seruientem, imposita fuisse vsque ad tempus correctionis. Habet tamen hæc constructio scrupulum in Græco: Nam genus non responder. Hinc enim neutrum est *ἐπιτελέμενα*, *imposita*; superius verò scemininum, *μη δύναμεναι*, *non potentes*, id est, *quæ non possunt*; quod ad *hostias*, id est, *hostias* refertur. Nisi quis dicat titulum iora vel in altero redundare vel in altero desiderari: aut certè contendat vtrumlibet dici posse secundum legem grāmaticam. Porro vulgata lectioni fauet Syrus interpres, participium referens ad proxima. Sic enim habet: *Quæ sunt mandata carnis, imposita vsque in tempus correctionis.* Hoc modo sensus est: cibos & potus legales, ac reliquas iusticias carnis fuisse impositas vsque ad tempus correctionis. Vtraque constructio probabilis est: Nec multum interest ad sensum, vtram eligas. Nam & ipsa sacrificia & ceremonias ijs subseruientes, ad vsque tempus correctionis impositas fuisse, constat. Est autem in hac postrema parte species quædam occupationis, ut annotat B. Thomas. Dicere enim quis poterat: Quorsum illa Deus instituit quæ non possunt vrentem perficere? Respondet Apostolus, non esse instituta ut perperuò seruentur; sed imposita tantum vsque ad tempus correctionis. Vbi indicat institutionis illorum hanc fuisse vtilitatem; ut ijs sibi impositis interim exerceantur, & in Dei cultu continerentur; aliquid tenent, tam sacerdotes quam populus, donec veniret Christus author perfectionis. Sic de vniuersa lege ceremoniali idem apostolus Gal. 3. *Prius, inquit, quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eandem fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo.* & cap. 4. *Sub elementis mundi eramus seruientes: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c.* Huc facit vocabulum, *imposita* aut *imposita*, quo apostolus vitur hoc loco; velut insinuans, ceremonias de quibus agitur, fuisse graue onus, quo seruiliter premerentur qui tabernaculo ministrabant. Nam & B. Petrus ita loquitur, Act. 15. *Quid tenatis Deum, imponere iugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus.*

Porro tempus correctionis apostolo est tempus aduentus Christi, qui vetera correcturus erat nouis ac melioribus institutis: correcturus, inquam, vetera; non ut mala, sed ut imperfecta. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Certè qua ratione vetus testamentum dicitur culpā seu reprehensione non vacasse: etiam instituta eius corrigenda rectè dicuntur, id est, mutanda in melius. Potest etiam *correctio* referri ad personas; hoc sensu: Vsque ad tempus noui testamenti, quo corrigantur seu perficiantur homines, id est, iustificentur. ut idem sit *corrigere* cum eo quod modò dixerat,

perfectum facere: & id tribuat nouæ legi, quod remouerat à veteri. Nam Græca dicitur ἀποδόσις, proprie significat redditionem; ut eo nomine iustificatio possit intelligi. Quod verò Latini correctionem dicunt, Græcis visitatus ἐπιδοσις appellatur. Quæ voce vtitur apostolus 2. Tim. 3 vbi nos legimus, ad corrigendum.

CHRISTVS AVTEM ASSISTENS PONTIFEX FUTURORVM BONORVM. Mysterium eorum quæ dixit agi in secundo tabernaculo, quo status noui testamenti representabatur; nunc plenius ac distinctius exponit, adeo quidem vt S. Thomas quinque peristyles seu circumstantias ministerij quod fiebat in secundo tabernaculo, colligat, hæc ab Apostolo applicatas ministerio Christi in nouo testamento. Quarum prima est, quis ministraturus intrabat; nempe solus pontifex. Secunda, quomodo intrabat; non enim sine sanguine. Tertia, quando intrabat; videlicet, sæculi in anno. Quarta, dignitas & sanctitudo loci quò intrabat; erat enim sancta sanctorum. Quinta, quare intrabat: vti que pro expiatione peccatorum. Quod significatum fuit illa parte, pro populi ignorantia. Addi potest sexta circumstantia, Per quid seu qua via intrabat; nempe per prius tabernaculum. Verùm id apostolus hic aperte non explicat, sed explicandi materiam præbet; vt modò videbimus. Primam circumstantiam applicat in eo, quòd Christum nominat, eumque pontificem futurorum bonorum. De Christi dignitate, eiusque comparatione cum pontifice Aaronico, multa in superioribus huius epistolæ dicta sunt. Idem futurorum bonorum pontifex dicitur, quia per ministerij sui sacerdotij nobis intercessor est & dux ad bona cælestia & æterna, quæ in futuro sæculo expectamus. Vnde & Isa. 9 pater futuris sæculi vocatur. Quamuis enim ecclesia per Christum interdum petat à Deo bona quedam temporalia; non alia tamen intentione petit aut petenda nouit, quam vt adminiculo nobis sint ad bona futura. Velut cum petit pacem reip. panem quotidianum, sanitatem corporis, pluuiam opportunam, salubritatem aëris, fructus terræ; & id genus alia. Ac multo propius ad illum finem respicit, quum petit gratiam, peccatorum remissionem, bonæ vitæ perseuerantiam, euangelij propagationem; & his similia: hæc enim per se ducunt ad bona futura, vt sub eis etiam comprehendendi possint. Hinc rursus è contrario disce, pontificem veteris testamenti non futurorum bonorum, sed tantum præsentium pontificem fuisse; ideoque nec gratiam, nec remissionem peccatorum, nec quicquam eiusmodi, per eius ministerium præstari potuisse. Quæ res expressius significatur infra capite sequenti, vbi lex dicitur umbram habuisse futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Idipsum ostendunt promissa veteris testamenti, quæ sunt

in Leuitico & Deuteronomio; in quibus nulla mentio bonorum futuri sæculi. Quod ad textum attinet, pro verbo, assistens, Græcè est παρὰπροσβύσιος, id est, accedens, adueniens; vel potius, cum accessisset, vt vertit Hentenius; aut cum aduenisset, vt Theophylacti interpres. Est enim aortus habens significationem præteriti: vt sensus sit; Christus aduenit & incarnatione sua factus pontifex. Non enim, aliorum more, prius natus & adultus & disciplinis instructus, pontifex factus est; sed aduenire, id est, incarnari, fuit ei pontificem fieri. Ita ferè Græci commentatores. Græcæ lectioni Syriaca consonat. Igitur hoc significatur, quod sequenti capite dicitur alijs verbis: Ideo mundum ingrediens dicit, Hostiam & oblationem noluisse; corpus autem aptasti mihi. Conueniunt etiam huic sensui quæ sequuntur.

PER AMPLIUS ET PERFECTIVS TABERNACVLVM. amplius, Græcè maior. Quod tamen vtrum ad quantitatem extensionis pertineat, an ad dignitatis excellentiam; pendet ex ipsius tabernaculi interpretatione, de qua mox agemus. Est autem comparatio mystici tabernaculi cum illo veteri atque umbratili.

NON MANUFACTVM, ID EST, NON HVIVS CREATIONIS. Dicitur hoc quoque ad differentiam veteris tabernaculi, quod hominum manibus & arte fabricatum fuisse scriptura memorat; quodque proinde erat huius, id est, terrenæ, creationis, Græcè κτιστός, hoc est, fabricatus, aut structura; vt alij vertunt. Non ita tabernaculum illud quod hic significatur. Quod autem illud sit, priusquam exponamus; (neque enim apostolus exponit) videndum quòd pars ista, per amplius & perfectius tabernaculum &c. referenda sit. Nam dubitari potest vtrum præcedentibus annecti debeat, hoc modo: Christus accedens pontifex futurorum bonorum, accedens, inquam, per amplius & perfectius tabernaculum &c. an verò sequentibus adiungi; vt sententia compleatur in verbo, introiit, infra posito. Quæ posterior constructio magis recepta est, eademque textui congruentior; propter sequentem particulam, neque per sanguinem &c. quæ sequentia præcedentibus copulat: cum alioqui prior etiam constructio probabilitate non careat, si diligenter attendamus quid hoc loco tabernaculi nomine significatum velit apostolus. Quæ de re non parua est opinantium varietas. Glossa tam ordinaria quam interlinealis nec nõ commentatores Ambrosij & Anselmi titulū gerentes, tabernaculum hoc interpretantur cælum. Eandem opinionem Aquinas adfert priore loco, nec improbat. Liranus autem omnino sequitur, adducto testimonio Isaïæ de cælesti Ierusalem loquentis cap. 33.

Oculi

Oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem operentem, tabernaculum quod nequaquam transferripotest. Potest & illud non minus apertum de eadē Ierusalē adferri, ex Apoc. 21, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Itē hæc scripturæ: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Psal. 14. Vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula, Lucæ 16. Magis autem, quod capite præcedenti dictum est, & de cælis expositum: Sanctorum minister & tabernaculi veri. Sed hæc non conuincunt. Neque enim necesse est eandem vbi que fingi mysticā aut figuratam tabernaculi significationē, ne Mosaiici quidem; vel ideo, quod eo nomine nunc prima tabernaculi pars significetur, nunc secunda, aliàs verò totum tabernaculi corpus. quæ singula suum ac proprium habent mysterium. Deinde refellitur ea sententia manifestè ex verbis apostoli, quibus dicit Christum per hoc tabernaculum introisse in sancta, id est, in cælum. Quare tabernaculum ipsum non potest cælum intelligi; nisi (quod absurdè sonat) fatearis Christum per cælum introiisse in cælum. Porro Caietanus significari vult ecclesiam: Catharinus, virginem Deiparam. Nec sanè dubiū quin tam ecclesia quam Deipara virgo sint tabernaculū, Mosaiico longè maius ac perfectius; idemque nõ manufactū, nec huius creationis. Sed hæc tabernaculi significationes nusquam à Paulo attinguntur. Igitur alij plerique existimant Apostolum loqui de corpore seu carne Christi; vel, quod eodē recidit, de natura Christi humana. Sic Græci omnes, & inter Latinos Primasius, & Haino, & Thomas posteriore loco. Denique Augustinus verbis à glossa citatis. Quæ sententia sicut multis recentioribus, ita & nobis quàm maximè probatur. habet enim in ipso apostolo fundamentum. Primum, quia mox sequitur de sanguine Christi; quem opponit sanguini hircorum & vitulorum, dicens, sed per propriū sanguinem. Vnde in hac parte nobis intelligendū relinquit corpus Christi, & quasi supplendum; hoc modo: Per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis, sed per proprium corpus. Nam corpus hoc mortale interdū vocari tabernaculū, ex eodē apostolo liquet. Ita enim scribit 2 Cor. 5 Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, quod paulò post exponit de corpore, dicens: Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Similiter Petrus 1 ep. 2 Quasi in hoc tabernaculo. Et iterum: Velox est depositio tabernaculi mei. Quin & de suo ipsius corpore Christus ita loquitur, Ioan. 2: Soluite tēplum hoc; & in tribus diebus excitabo illud. Hoc dicebat, ait euāgelista; de templo corporis sui. Est autē par ratio tēpli & tabernaculi. Nā & vetus tabernaculū domus Dei vocabatur, vt Iudic. 18. 19. 20. & alibi. Istud verò quod dixi, supplēdū reliquit apostolus ex ijs quæ erant infra dicturus. Nam cap. sequenti ex professo docet, Christum nos sanctificasse, & in cælum introisse, per oblationem

sui corporis; opponens illud hostijs veteris testamenti, & huc citans versiculū psalmi: Hostiam & oblationem noluisse; corpus autem aptasti mihi. Hoc ergo tabernaculum, id est, corpus Christi, maius est & amplius tabernaculo veteri; non mole corporea, sed dignitate re: quia viuū est habitaculū Spiritus sancti; nec id quaecunque, sed hypostaticè coniunctum Verbo Dei. Est quoque perfectius: tum quia diuini est operis, supra naturæ facultatē conceptū & formatū in vtero virginis; tum quia perficit & sanctificat accedentes ad ipsū. Itē, nõ manufactum; id est, non factū manu artificis; quomodo vetus illud factum legitur in Exo. Vnde exponēdo sequitur, id est, nõ huius creationis, siue structura; hoc est, non humano opificio aut arte elaboratum, quemadmodū & de cælo, conformiter, infra dicit: Non enim in manufacta sancta Iesus introiit. Ex quo tamen intellectu, ne colligas, Christum attulisse corpus suum de cælo: quæ quondam fuit hæresis Valentinianorum. Tantum enim negatur esse quiddam manibus aut arte humana factum; sicut templa, domus, circumcisio, totumque vetus tabernaculum erant; & in scripturis dicuntur manufacta Mar. 14 Act. 17. 2 Cor. 5 Col. 2. Quare nec ea quæ sola natura perficit; ad sensum scripturæ manufacta dicuntur, quāto minus Christi corpus; quod etsi terrenæ fuerit substantiæ, tamē supra consuetum naturæ modū de Spiritu sancto cōceptū est, & ex virgine natū. Verū aduersus hanc expositionem obiectio est vna & altera, breuiter dissoluenda. Vult enim apostolus, Christum per tabernaculum hoc de quo loquitur, introisse in sancta, quemadmodum olim pōtifex Aaronicus per primum tabernaculum intrabat in secundū; quod erat sancta sanctorū: Atqui primum tabernaculū, vt paulò antè docuit apostolus, typicè representabat statū veteris testamēti; Nō ergo rectè nūc refertur ad corpus Christi. Rursum: Christi caro significata fuit per velū, diuidens inter vtrumque tabernaculum; ipso apostolo teste cap. sequenti, vbi dicit Christum iniisse nobis viam nouam & viuētem per velamē, id est, carnem suam. Malè igitur hic exponitur significata per ipsū tabernaculū. Ad vtrumque responderi potest, nihil vetare, quo minus eadē res mysticè vel plura ac diuersa significet; vel pluribus ac diuersis rebus significetur; præsertim si diuersæ rationes spectentur. Ita Christus in eodē sermone modò se vocat ostium, modò pastorem qui per ostiū intrat. Ioan. 10. Quamquam non dicimus Apostoli mētē esse quod primum tabernaculum gesserit typum corporis Christi; sed quod cum eo habuerit aliquid simile: vt sicut per ipsum intrabat pontifex in sancta; sic Christus per corpus suum, velut per tabernaculum, introierit in cælum. Dicitur autem per corpus suum illuc introiisse, quia per passionem & oblationē sui corporis, ingressū sibi parauit in gloriā cælestem; iuxta ea quæ dicta

Xx 2

lunt

sunt cap. 2. de Iesu propter passionem mortis gloria & honore coronato. Quare etiam ex hoc loco statui potest Christum non nobis tantum sed & sibi ipsi meruisse: quod negat Caluinus.

NEQUE PER SANGVINEM HIRCORVM AVT VITVLORVM. Vera lectio, & vitulorum; quæ non modò Græcorum & Syrorum est codicum, verum etiã in multis est Latinis mss. atque in textu commentarij Ambrosiani. Deinde eam lectionem res postulat. Nã vtriusque sanguinem & vituli & hirci, pontifex inferebat intra velum in sancta sanctorum; vt præcipitur Leuit. 16. Dicit autem de vtroque pluraliter hircorum & vitulorum, non quod plures offerrentur eodem tempore, sed diuersis annis.

SED PER PROPRIVM SANGVINEM INTROIUIT SEMEL IN SANCTA. Ecce tres alias Christo, per comparisonem, applicatas circumstantias ministerij Aaronici; de quibus supra. Nam pontifex Aaronicus intrabat cum sanguine hircino & vitulino; Christus intrauit per proprium sanguinem. Ille, semel in anno; hic, semel omnino. Ille, in sancta manufacta; hic, in sancta celestia. Tacite verò nobis insinuat apostolis amoris Christi, pontificis nostri, erga nos magnitudinem: quòd & proprium corpus & proprium sanguinem impenderit nostræ salutis. Est enim emphasis in voce proprii. Quam adhuc ἐμφατικώτερος expressit interpretes Syrus, dicens, cum sanguine anime sue. Cæterum pro nobis hæc ab illo facta esse, declarat quod sequitur.

ÆTERNA REDEMPTIONE INVENTA. Id est, postquam, dato in precium sanguine suo, nobis ob peccata seruituti mortis obnoxij acquiuisset redemptionem æternam; id est, veram & solidam, semperque mansuram; vt altera passione vel redemptione non sit opus; quemadmodum plenius docet in sequentibus. Vel dicit, æternam, quòd æterna sit hereditas quam nobis acquiuisit; vt paulò post dicitur. Inueniam autem ideo dicit, vt vult Chrysostomus, quia res erat difficilis & preciosa, quamque nemo alius reperire potuerit. Vel ideo potius, vt significet Christum esse nostræ redemptionis ac salutis authorem; sicut locutus est cap. 2. Nam qui res nouas inueniunt, auctores earum vocantur. Hæc postrema periodi pars applicat Christo quintam, eamque postremam, circumstantiam Aaronici ministerij quæ erat de eo cuius gratia. Pontifex enim Aaronicus oblationem faciebat pro suis & populi peccatis expiandis: Christus sua oblatione æternam inuenit redemptionem. Vbi duplex indicatur discrimen. Vnum, Christum non pro suis, sicut legalis pontifex, sed tantum pro alienis peccatis sacrificium obtulisse. Alterum, Christi sacrificium valuisse ad æternam redemptionem, non item sacrificium Aaronicum. Id

enim intelligendum relinquitur ex antithesi.

SI ENIM SANGVIS HIRCORVM ET TAURORVM, ET CINIS VITVLÆ ASPERSVS, INQVINATOS SANCTIFICAT ADEMUNDATIONEM CARNIS. Probatio est eius quod proximè dixit: æterna redemptione inuenta. Græcè non est, aspersus, sed aspergens, παρτίζουσα, trahitque secum accusatiuum subsequenter, inquinatos; eumque separat à verbo, sanctificat. Quod & videre est in versione Syriaca. Quæ quidem lectio multum lucis adfert huic pericopæ. Non enim fuit apostolus sanguinem hircorum & taurorum sanctificare inquinatos; quod Græcè est, communicatos, id est, eos qui immundiciam aliquam legalem contraxerant. Nam sanguis animalium fundebatur ad expiandum peccata, non ad tollendas legales immundicias. Ad hunc enim usum peculiariter instituta erat aqua aspersionis commixta cinere vaccæ rufæ. Sed ordo sententia sensusque talis est; Quod si sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ super inquinatos & immundos aspersus, sanctificauit homines ad emundationem (Græcè puritatem) carnis; sanguis quidem animalium præstans ijs pro quibus oblatio fiebat, expiationem peccatorum legalem, qua nimirum legis comminationes euaderetur; conscientia verò nequiquam emundaretur, quæ proinde carnalis & externa tantum erat purificatio: cinis autem vitulæ aspersus, immundiciam tollens iridem legalem & æternam, qua impediabantur homines ne vel sacris interessent, vel cum alijs conuersarentur; animæ verò mundiciam nullam conferens. De sanguine taurorum, qui offerebantur pro peccato sacerdotis; & hircorum, qui pro peccato populi; locus est Leuit. 9 & 16. De cinere vaccæ rufæ & aqua aspersionis, Num. 19. Manifestè autem docet hic locus quid apostolus sentiat de virtute sacrificiorum & ceremoniarum veteris legis: quæ res amplius etiam patebit ex sequentibus huius epistolæ. Cæterum illud lectorem non turbet, quod hoc loco tauros dicat; apostolus quos paulò antè vitulos; ac rursus, quod vitulam seu iuuenam nominet, Græcè δάμαλις, quam Moyses vaccam appellat: Nam in his, propter etatū confinia, frequenter alterum pro altero ponitur. Ita Lucas Act. 20 Eutichum Troadensem modò νεανίαν adolescentem, modò παιδᾶ puerum vocat. Atque hunc scripturæ morem pluribus exemplis benè declarat Ribera. Quamquam apostolus pro vaccæ, vitulam scribens, secutus est Lxx, qui δάμαλις, id est, iuuenam transtulerunt. Sed & Hebraicum vocabulum ætatem non determinat. Hæc enim ex adiunctis intelligitur, Præcipe filiis Israel, inquit Dominus ad Moysen, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integra in qua nulla sit macula & car. vbi pro

vacca

vacca, alij iuuenam, alij buccam, alij iuuenam Latinè reddunt.

14 QUANTO MAGIS SANGVIS CHRISTI, QUI PER SPIRITUM SANCTVM SEMETIPSVM OBTVLIT IMMACVLATVM DEO. Argumentum est à minori, simul & à proportionem, paulo post à nobis explicandum. In Græco non legitur, Per Spiritum sanctum, sed per spiritum æternum, Pro quo Syrus vertit per Spiritum æternitatis. Theodoretus etiam & Theophylactus spiritum æternum exponunt. Inter Latinos quoque S. Ambrosius lib. de Spiritu sancto capite 8 sempiternum legit; eoque testimonio probat æternitatem Spiritus sancti. Quid verò Chrysostomus & Oecumenius legerint; ex eorum commentarijs non liquet; nisi quod Spiritum sanctum nominant, æterni mentione penitus omissa. Intelligi autem Spiritum sanctum increatum, id est, tertiam in diuinis personam, inter expolitores conuenit, tam qui Spiritum sanctum legunt quam qui Spiritum æternum; nisi quod vnus ex recentioribus existimat intelligi posse spiritum creatum Christi, id est, vel animam vel voluntatem eius humanam: adducens quædam scripturæ loca similia; sed quæ reuera id non probant. Nec verò vllum arbitror esse locum scripturæ in quo Spiritus sanctus de Spiritu creato dicatur. Græca autem lectio adeo repugnat, vt Theodoretus inde probet increatum esse Spiritum sanctum; quia quod æternum est, inquit, non est creatum. Intelligenda est enim æternitas absoluta, id est, tam initij quam finis experta: Alioqui nihil peculiare de Spiritu sancto diceretur, cum æternitas sine carens omni spiritui rationali communis sit. Quod autem ille neotericus scriptor, bonus alioqui & doctus, pro argumento adfert suæ opinionis, quòd hic in Græco codice non additur articulus; nihil probat: quia etiam cap. 2. huius epistolæ vbi dicitur, Et varijs Spiritus sancti distributionibus; & cap. 6. ibi, Participes facti sunt Spiritus sancti; nullus est in Græco articulus appositus. Dicitur sanè & alia Christus Dominus fecisse per Spiritum sanctum, aut in Spiritu sancto. veluti baptizare, dæmonia eijcere, præcipere. Hoc postremum, Actor. 1. Siue autem Spiritum sanctum legamus, siue Spiritum æternum; significat Apostolus Christum, mouente eum & incitante Spiritu sancto (Nam opera diuinæ bonitatis nostræque sanctificationis Spiritui sancto solent appropriari) semetipsum obtulisse Deo, velut hostiam immaculatam, id est, ab omni sordide peccati liberam; vtpote representatam sub typo vaccæ rufæ, quam lex immaculatam exigebat, vt supra dictum est. Quod enim nonnulli putant, per antithesim veterum sacrificiorum Christum dici immaculatum; quòd illa fuerint immunda & sordida, scilicet, sanguis hircorum & vitulorum, & cinis vitulæ combustæ, quorum videlicet con-

tactus & aspersio magis inquinaret homines quam mundaret: ea speculatio nobis aliena videtur à mente apostoli, nec fundamentum habere in scriptura. Porro emphasis habent in verbis apostoli, hæc tria; per spiritum sanctum, & semetipsum, & immaculatam (Græcè ἀμωμον, irreprehensibile): Quæ singula facile per se studiosus lector expedit.

EMVNDAVIT CŌSCIENCIAM NOSTRAM AB OPERIBVS MORTVIS. Legendum in futuro, emundabit. Ita enim habent meliores codices mss. Græco Syroque textu, & Clementina editione suffragantibus. Pro, nostram, quidam Græci ac Latini codices, vestram legunt. Nota varietas ex similitudine Græcarum vocum ἡμῶν & ὑμῶν. Veteres Græci legisse videntur, nostram: quod & sensum facit plenior. Opera mortua vocat peccata; quemadmodum & supra cap. 6. Non rursus iacientes fundamentum penitentia ab operibus mortuis. Cur autem ita vocentur ibidem exposita est ratio; quia nimirum finis & stipendium illorum mors est Rom. 6. Chrysostomus alludere putat Apostolum ad id quod fiebat in figura. Nam si quis corpus mortuum terigisset, polluebatur: Ita qui facit opus mortuum polluitur. Et illic quidē carnem à pollutione contacti cadaueris, emundabat cinis vitulæ aspersus; hinc verò, conscientiam, id est, animam seu mentem ab operibus mortuis expurgat sanguis Christi. Cōsciētia non potest intelligi propriè, quasi sensus sit; Efficiet vt non simus cōscij peccatorū: Nã sæpe cōtingit esse peccatū, vbi nō sit peccati cōsciētia; quin & apostolus dicit, Nihil mihi cōscius sū; sed nō in hoc iustificatus sū. 1 Cor. 4. Porro notādus hic locus contra Nouarianos. Scribit enim apostolus ad baptizatos; & tamen eorum conscientiam ab operibus mortuis, id est, peccatis Christi sanguine mundandam affirmat.

AD SERVIENDVM DEO VIVENTI. Id est, vt seruiamus Deo viventi. Rursus antithesim obserua inter opera mortua & Deū viventem. Chrysost. & Theoph. amplius aliquid legerunt, Deo viventi & vero. Sed apud alios nō reperitur, vt nec apud Syrum interpretē. Vnde plusquā verisimile est, additamētū esse aliūde acceptū; scilicet ex 1 Thess. 1 vbi simili sententia legitur in hūc modū: Et quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo vivo & vero: Porro notandū hoc loco, aduersus imputatiuam sectatorum iusticiam, Paulum iustificationis nostræ quæ ex sanguine seu passione Christi percipimus, duas assignate partes; emundationē cōsciētiæ ab operibus mortuis, id est, peccatorū remissionē, & seruitutē seu cultū Dei, id est, bonorū operū exercitiū: vt intelligamus vtrūque esse homini ad salutē necessariū; & vtrumque per Christi sanguinem à Deo expectandum. Restat nunc vt totam argumentationem Apostoli breuiter explicemus. Quondam, inquit, sanguis hircorum & vitulorum effusus & in sanctuarium illatus per pontificem, valebat ad expianda

Xx 3

populi

(sunt cap. 2. de Iesu propter passionem mortis gloria & honore coronato. Quare etiam ex hoc loco statui potest Christum non nobis tantum sed & sibi ipsi meruisse: quod negat Calvinus.

12

NEQUE PER SANGVINEM HIRCORVM AVT VITVLORVM. Vera lectio, & vitulorum; quæ non modò Græcorum & Syrorum est codicum, verum etiã in multis est Latinis mss. atque in textu commentarij Ambrosiani. Deinde eam lectionem res postulat. Nã vtriusque sanguinem & vituli & hirci, pontifex inferebat intra velum in sancta sanctorum; vt præcipitur Leuit. 16. Dicit autem de vtroque pluraliter hircorum & vitulorum, non quod plures offerrentur eodem tempore, sed diuersis annis.

SED PER PROPRIVM SANGVINEM INTROIUIT SEMEL IN SANCTA. Ecce tres alias Christo, per comparationem, applicatas circumstantias ministerij Aaronici; de quibus supra. Nam pontifex Aaronicus intrabat cum sanguine hircino & vitulino; Christus intrauit per proprium sanguinem. Ille, semel in anno; hic, semel omnino. Ille, in sancta manufacta; hic, in sancta cælestia. Tacite verò nobis insinuat apostolis amoris Christi, pontificis nostri, erga nos magnitudinem: quòd & proprium corpus & proprium sanguinem impenderit nostræ salutis. Est enim emphasis in voce proprii. Quam adhuc ἐμφατικῶς expressit interpret Syrus, dicens, cum sanguine anime sua. Cæterum pro nobis hæc ab illo facta esse, declarat quod sequitur.

ÆTERNA REDEMPTIONE INVENTA. Id est, postquam, dato in precium sanguine suo, nobis ob peccata seruituti mortis obnoxij acquiuisset redemptionem æternam; id est, veram & solidam, semperque mansuram; vt altera passione vel redemptione non sit opus; quemadmodum plenius docet in sequentibus. Vel dicit, æternam, quòd æterna sit hereditas quam nobis acquiuisit; vt paulò post dicitur. Inuentam autem ideo dicit, vt vult Chrysostomus, quia res erat difficilis & preciosa, quamque nemo alius reperire potuerit. Vel ideo potius, vt significet Christum esse nostræ redemptionis ac salutis authorem; sicut locutus est cap. 2. Nam qui res nouas inueniunt, authores earum vocantur. Hæc postrema periodi pars applicat Christo quintam, eamque postremam, circumstantiam Aaronici ministerij quæ erat de eo cuius gratia. Pontifex enim Aaronicus oblationem faciebat pro suis & populi peccatis expiandis: Christus sua oblatione æternam inuenit redemptionem. Vbi duplex indicatur discrimin. Vnum, Christum non pro suis, sicut legalis pontifex, sed tantum pro alienis peccatis sacrificium obtulisse. Alterum, Christi sacrificium valuisse ad æternam redemptionem, non item sacrificium Aaronicum. Id

enim intelligendum relinquitur ex antithesi.

SI ENIM SANGVIS HIRCORVM ET TAURORVM, ET CINIS VITVLÆ ASPERSVS, INQVINATOS SANCTIFICAT ADEMUNDATIONEM CARNIS. Probatio est eius quod proximè dixit: æterna redemptione inuenta. Græcè non est, aspersus, sed aspergens, ἄσπριζονσα, trahitque secum accusatiuum subsequentem, inquinatos; eumque separat à verbo, sanctificat. Quod & videre est in versione Syriaca. Quæ quidem lectio multum lucis adfert huic pericopæ. Non enim sentit apostolus sanguinem hircorum & taurorum sanctificare inquinatos; quod Græcè est, cōmunicatos, id est, eos qui immundiciam aliquam legalem contraxerant. Nam sanguis animalium fundebatur ad expiandum peccata, non ad tollendas legales immundicias. Ad hunc enim usum peculiariter instituta erat aqua asperfusionis commista cinere vaccæ rufæ. Sed ordo sententiæ sensusque talis est; Quod si sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ super inquinatos & immundos aspersus, sanctificauit homines ad emundationem (Græcè puritatem) carnis; sanguis quidem animalium præstans ijs pro quibus oblatio fiebat, expiationem peccatorum legalem, qua nimirum legis comminationes euaderetur, conscientia verò nequiquam emundaretur, quæ proinde carnalis & externa tantum erat purificatio: cinis autem vitulæ aspersus, immundiciam tollens itidem legalem & externam, qua impediabantur homines ne vel sacris interessent, vel cum alijs conuersarentur; animæ verò mundiciam nullam conferens. De sanguine taurorum, qui offerebantur pro peccato sacerdotis; & hircorum, qui pro peccato populi; locus est Leuit. 9 & 16. De cinere vaccæ rufæ & aqua asperfusionis, Num. 19. Manifestè autem docet hic locus quid apostolus sentiat de virtute sacrificiorum & ceremoniarum veteris legis: quæ res amplius etiam patebit ex sequentibus huius epistolæ. Cæterum illud lectorem non turbet, quod hoc loco tauros dicat; apostolus quos paulò antè vitulos; ac rursus, quod vitulam seu iuuenam nominet, Græcè ἀμάλιν, quam Moyses vaccam appellat: Nam in his, propter etatù confinia, frequenter alteri pro altero ponitur. Ita Lucas Act. 20 Eutichum Troadensem modò νεανίαν adolescentem, modò παιδῶν puerum vocat. Atque hunc scripturæ morem pluribus exemplis benè declarat Ribera. Quanquam apostolus pro vacca, vitulam scribens, secutus est Lxx, qui ἀμάλιν, id est, iuuenam transfulerunt. Sed & Hebraicum vocabulum ætatem non determinat. Hæc enim ex adiunctis intelligitur, Præcipe filiis Israel, inquit Dominus ad Moysen, vt adducant ad te vaccam vnafam atatis integra in qua nulla sit macula & cæc. vbi pro

VACCA

vacca, alij iuuenam, alij buculam, alij iuuenem Latine reddunt.

14

QUANTO MAGIS SANGVIS CHRISTI, QUI PER SPIRITVM SANCTVM SEMETIPSYM OBTVLIT IMMACVLATVM DEO. Argumentum est à minori, simul & à proportionem, paulo post à nobis explicandum. In Græco non legitur, Per Spiritum sanctum, sed per spiritum æternum, Pro quo Syrus vertit per Spiritum æternitatis. Theodoretus etiam & Theophylactus spiritum æternum exponunt. Inter Latinos quoque S. Ambrosius lib. de Spiritu sancto capite 8 sempiternum legit; eoque testimonio probat æternitatem Spiritus sancti. Quid verò Chrysostomus & Oecumenius legerint; ex eorum commentarijs non liquet; nisi quod Spiritum sanctum nominant, æterni mentione penitus omissa. Intelligi autem Spiritum sanctum increatum, id est, tertiam in diuinis personam, inter expasitores conuenit, tam qui Spiritum sanctum legunt quàm qui Spiritum æternum; nisi quod vnus ex recentioribus existimat intelligi posse spiritum creatum Christi, id est, vel animam vel voluntatem eius humanam: adducens quædam scripturæ loca similia; sed quæ reuera id non probant. Nec verò vllum arbitror esse locum scripturæ in quo Spiritus sanctus de spiritu creato dicatur. Græca autem lectio adeo repugnat, vt Theodoretus inde probet increatum esse Spiritum sanctum; quia quod æternum est, inquit, non est creatum. Intelligenda est enim æternitas absoluta, id est, tam initij quàm finis expers: Alioqui nihil peculiare de Spiritu sancto diceretur, cum æternitas sine carens omni spiritui rationali communis sit. Quod autem ille neotericus scriptor, bonus alioqui & doctus, pro argumento adfert suæ opinionis, quòd hic in Græco codice non additur articulus; nihil probat: quia etiam cap. 2. huius epistolæ vbi dicitur, Et varijs Spiritus sancti distributionibus; & cap. 6. ibi, Participes facti sunt Spiritus sancti, nullus est in Græco articulus appositus. Dicitur sanè & alia Christus Dominus fecisse per Spiritum sanctum, aut in Spiritu sancto. veluti baptizare, dæmonia eijcere, præcipere. Hoc postremum, Actor. 1. Siue autem Spiritum sanctum legamus, siue spiritum æternum; significat Apostolus Christum, mouente eum & incitante Spiritu sancto (Nam opera diuinæ bonitatis nostræque sanctificationis Spiritui sancto solent appropriari) semetipsum obtulisse Deo, velut hostiam immaculatam, id est, ab omni sorde peccati liberam; vtpote representatam sub typo vaccæ rufæ, quam lex immaculatam exigebat, vt supra dictum est. Quod enim nonnulli putant, per antithesim veterum sacrificiorum Christum dici immaculatum; quòd illa fuerint immunda & fordida, scilicet, sanguis hircorum & vitulorum, & cinis vitulæ combustæ, quorum videlicet con-

tactus & asperio magis inquinaret homines quàm mundaret: ea speculatio nobis aliena videtur à mente apostoli, nec fundamentum habere in scriptura. Porro emphasis habent in verbis apostoli, hæc tria; per spiritum sanctum, & semetipsum, & immaculatum (Græcè ἀμωμον, irreprehensibile): Quæ singula facile per se studiosus lector expedit.

EMVNDAVIT CŌSCIENIAM NOSTRAM AB OPERIBVS MORTVIS. Legendum in futuro, emundabit. Ita enim habent meliores codices mss. Græco Syroque textu, & Clementina editione suffragantibus. Pro, nostram, quidam Græci ac Latini codices, vestram legunt. Nota varietas ex similitudine Græcarum vocum ἡμῶν & ὑμῶν. Veretes Græci legisse videntur, nostram: quod & sensum facit pleniorum. Opera mortua vocat peccata; quemadmodum & supra cap. 6. Non rursus iacientes fundamentum penitentia ab operibus mortuis. Cur autem ita vocentur ibidem exposita est ratio; quia nimirum finis & stipendium illorum mors est Rom. 6. Chrysostomus alludere putat Apostolum ad id quod fiebat in figura. Nam si quis corpus mortuum tetigisset, polleebatur: Ita qui facit opus mortuum polluitur. Et illic quidē carnem à pollutione contacti cadaveris, emundabat cinis vitulæ aspersus; hic verò, conscientiam, id est, animam seu mentem ab operibus mortuis expurgat sanguis Christi. Cōsciētia non potest intelligi propriè, quasi sensus sit. Efficiet vt non simus cōscij peccatorū: Nã sæpe cōtingit esse peccatū, vbi nō sit peccati cōsciētia; quin & apostolus dicit, Nihil mihi cōscius sū; sed nō in hoc iustificatus sū. 1 Cor. 4. Porro notandū hic locus contra Nouatianos. Scribit enim apostolus ad baptizatos; & tamen eorum conscientiam ab operibus mortuis, id est, peccatis Christi sanguine mundandam affirmat.

AD SERVIENDVM DEO VIVENTI. Id est, vt seruiamus Deo viventi. Rursus antithesim oblerua inter opera mortua & Deū viventem. Chrysost. & Theoph. amplius aliquid legerunt, Deo viventi & vero. Sed apud alios nō reperitur, vt nec apud Syrum interpretē. Vnde plusquā verisimile est, additamētū esse aliunde acceptū; scilicet ex 1 Thess. 1 vbi simili sententia legitur in hūc modū: Et quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo vivo & vero: Porro notandū hoc loco, aduersus imputatiuam sectatorum iusticiam, Paulum iustificationis nostræ quæ ex sanguine seu passione Christi percipimus, duas assignare partes; emundationē cōsciētia ab operibus mortuis, id est, peccatorū remissionē, & seruitutē seu cultū Dei, id est, bonorū operū exercitiū: vt intelligamus vtrūque esse homini ad salutē necessariū; & vtrumque per Christi sanguinem à Deo expectandum. Restat nunc vt totam argumentationem Apostoli breuiter explicemus. Quondam, inquit, sanguis hircorum & vitulorum effusus & in sanctuarium illatus per pontificem, valebat ad expianda

X x 3

populi

populi peccata quadam expiatione carnali; Similiter & cinis vaccæ rufæ, quo aqua mixto respergebantur ij qui secundum legem erant immundi, valebat ad sanctificandos eos, id est, purificandos ab immundicia, vt secundum carnem & forinsecus mudi essent: Quâto magis igitur sanguis ipsius Christi, qui authore & impulsore Spiritu sancto semetipsum agnum immaculatum in mortē Deo pro nobis obtulit; emundabit animas nostras à peccatis mortiferis, vt Deo viuo in vera sanctitate & iusticia seruiamus? Ratio cōsequētiæ est, quia plus valet sanguis filij Dei ad purgandas & sanctificandas hominū animas; quàm valere potuerit sanguis animalium brutorum occisorum, ad emundationem carnis.

ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST. Redit ad mētionē testamēti, vt explicet promissa quæ per Christū cōsequimur (testamentū enim in promissis cōstitit): simul vt doceat ad ea cōsequēda opus fuisse morte Christi. Ratio pendet à præcedentibus, hoc modo: Quoniam Christus suo sanguine suo semetipsum obrulit Deo ad emundationem animarum nostrarum, & per hoc æternā nobis redemptionem inuenit; qui sunt effectus noui testamenti: consequitur ipsum noui testamenti, quod Deus per Ieremiam promisit, esse mediatorem; vt qui suo sanguine illius testamenti promissa nobis cōfirmarit & præstet. Is enim mediator testamenti seu fœderis dicitur, qui tanquam medius, inter partes intercedit, hoc agens vt pacta & promissa præstentur. Eam rem declarant verba sequentia.

VT MORTE INTERCEDENTE. Græcè, vt morte facta, scilicet ipsius Christi, hoc est, vt cum prius mortuus fuerit. Nec aliud volunt interpretes noster & alij, qui vertunt, morte intercedente.

IN REDEMPTIONEM HARVM PRÆVARICATIONVM, QUÆ ERANT SVB PRIORI TESTAMENTO. Viciosè quidam codices, in redemptione. Nam Græcè est, ἐν ἀπολύτρωσιν. Et cohæret hæc pars cum præcedenti. Sensus enim est, mortem Christi factam, id est, Christum mortuum esse, vt sua morte redimeret præuaricationes, Græcè παραβάσεις, transgressiones, sub priori testamento perpetratas; id est, vt nos ab illis redimeret, soluendo pœnas pro huiusmodi transgressionibus debitas. Addit, sub priori testamento, id est, durâte statu veteris testamenti; vt innuat, vetus testamentum adeo non profuisse ad verâ peccatorum remissionem, vt etiam occasionem dederit grauius peccandi. Lex enim propter transgressiones posita est. Gal. 3, Eademque subintravit vt abundaret delictum Rom. 5. Non sentit apostolus transgressiones illas antiqui temporis nō ante potuisse redimi, quàm Christus moreretur; sed eas non nisi morte Christi redimi potuisse. Cuius quidem mortis efficacia, simul cum nouo testamento, etiam ad priora tempora se extendit. Porro de peccatis eorum qui legem non acceperant, nihil hîc

dicit; non quin pro horum etiam redemptione mortuus sit Christus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, 1 Tim. 2: sed, quia scribens ad eos qui legem acceperant, tantum de eorum peccatis ac peccatorum remissione, sibi cenet hîc agendum.

REPROMISSIONEM ACCIPIANT QUI VOCATI SVNT ÆTERNÆ HÆREDITATIS. Syrus interpres ita vertit: *Ut accipiant promissionē qui vocati sunt ad hereditatem æternam.* Quæ versio genitiuum, æternæ hereditatis, accipit tanquam regatur à verbo, vocati sunt. Id quod Græcus textus agrè patitur. Multo certè cōmodius, iuxta Græcos & Latinos expositores refertur genitiuus ille ad promissionem; vt hic sic ordo: *Qui vocati sunt accipiant promissionē æternæ hereditatis;* id est, promissam æternam hereditatem. Vocatos, intellige vocationē Dei gratuita & efficaci; id est electos, prædestinatos ad vitam æternam; quos idem apostolus Rom. 8 secundum propositum vocatos appellat. Ita exponunt Aquinas & Caietanus. Notandum igitur quod non dicat apostolus, omnes; sed, qui vocati sunt: vtique volens significare promissionem æternæ hereditatis, quæ nouo testamento propria est, & inter eius promissiones præcipua, ad solos pertinere electos seu prædestinatos. Quod malè & parum orthodoxè negat Catharinus in huius loci commentario.

VBI ENIM TESTAMENTVM EST, MORS NECESSE EST INTERCEDAT TESTATORIS. Græcè τὸ διακυβερνῆναι, eius qui testatus est. Sic interpres ipse paulò post vertit. Probatio esteius quod dixerat, morte intercedente, sumpta ex vocabulo & propria ratione testamenti. Si enim Christus noui testamenti mediator est; vt autem testamentum valeat, suumque effectum sortiatur, necesse est vt mors testatoris interueniat: Igitur mori debuit Christus, vt qui vocati sunt, hereditatem testamento promissam acciperent. Supponit hæc apostoli argumentatio Christum ita mediatorem esse noui testamenti, vt idem ipse etiâ testator sit, id est, testamenti author, & hereditatis promissor, iuxta quod loquitur ad discipulos, Luc. 22: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum.* Quæ animaduersione adhibita; locus hic non obscure commendat diuinitatem Christi, quâ docet oportuisse vt testator, id est, Deus, moreretur.

TESTAMENTVM ENIM IN MORTVIS CONFIRMATVM EST. Cōfirmatum Græcè, ἐβεβαιώθη, firmum, ratum. Nam, inquit, testamentum ita demum iure ratum habetur, si mortuus fuerit testator. Illud, in mortuis, Græcè ἐπὶ νεκροῖς idem esse videtur quod in morte; vt sit Hebraica phrasus, qualis est, cum dicitur Christus à mortuis surrexisse, id est, à morte, siue à statu mortuorum. Quanquam Græca præpositio etiam causæ significationem habet; vt intelligi possit mortem testatoris causam esse firmitatis testamenti, idque ratum effi-

cere.

cere. Vnde Thomas interpretatur, in mortuis, id est, per mortem.

ALIOQVI NONDVM VALET, DVM VITÆ QVI TESTATVS EST. Nondum valet, id est, robur ac firmitatem non habet, ius nullum tribuit. Neque enim agere quis potest iure testamenti, testatore adhuc superstite, vt cui liberum sit dum viuuit, testamentum mutare. Dices; Igitur nec nouum testamentum valet ante mortem Christi testatoris. Quod si ita est; quomodo tam multi ante eius mortem iustificati? Respondeo, valuisse testamentum propter præscientiam & acceptationem Patris, quæ mortem filij sui futuram aspiciens, acceptauit vt factam; non sic quidem vt omnes testamenti partes impleteret in electis Christi mortem præcedentibus; sed vt eas saltem quas impleri contingit in hac vita; vt sunt omnes partes iustificationis nostræ, quas ex Ieremia recensuit apostolus in capite præcedenti. Nam cælestem hereditatē cuique dari ante mortem & glorificationē Christi, nequaquam fuit conueniens. Ex præsentis loco, vbi Apostolus vrget vocabulum testamenti, eiusque propriam significationem, vt doceat oportuisse Christum mori; validum mihi videtur argumentum sumi, quo doceatur hanc epistolam non Hebraicè sed Græcè primū scriptam fuisse. Nā vt ex Latina voce testamentum, ita ex Græca διαθήκη, benè procedit ratiocinatio; scilicet ratam non esse dispositionem nisi morte disponentis confirmetur. Atqui vox Hebræa, Berith, quæ legitur illis scripturæ locis, ad quæ Paulus respicit, vt Ieremia 31 & Exo. 24 non aliud significat quàm fœdus seu pactum, in genere; siue illud sit Dei cum hominibus, siue hominum inter se; & siue morte alicuius confirmetur & ratum fiat, siue non. quemadmodum ex innumeris scripturis ostendi potest. Itaque nulla consequentia est ex Hebræo vocabulo Berith, vt mori debeat, qui pactum fecit. At neque aliud exstat in sacris literis vocabulum Hebraicum, quo propriè significetur ea res quàm Latini testamentum, Græci διαθήκη nominant. Quod intelligens Syrus interpres; necessitate compulsum est, omisso Hebraico, Berith, quo aliàs semper vitur, etiam in hac epistola; Græcam vocem hoc loco retinere, eamque Syriacis literis exprimere. Sed de hac re satis egimus in prolegomenis huius epistolæ, adductis etiam authoribus qui nobiscum sentiunt. Verum hîc oritur magna difficultas. Nam si vox Hebræa quæ responderet testamento, non aliud significat quàm pactum aut fœdus, ex quo non liceat inferre mortem eius qui pacti sit author; valde igitur infirmo fundamento nititur Apostoli ratiocinatio, qua assumpto testamenti vocabulo colligit oportuisse Christum mori. Sumit enim quod in scripturis ab ipso citatis nō habetur, neque ex ijs colligi potest. Nam ex pacto non magis inferas testamentum; quàm ex animali, hominem. Motus hoc argumen-

to Erasmus in suis annotationibus, authori huius epistolæ peritiam detrahit Hebraicæ linguæ. Caietanus autem lōgius progressus, non solum dicit hanc epistolam nunquam Paulo visam fuisse; verum etiam dubiam reddidit eius auctoritatem, sicut admonuimus in prolegomenis; vbi inter alia quæ contra hanc epistolam obijciuntur, etiam hoc argumentū posuimus, ordine sextum; solutione eius in præsentem locum dilata. Multum certè in eo soluendo laborat neoterici Caietano posteriores. Nam à scriptoribus antiquioribus hæc difficultas non inuenitur tractata. Nonnulli vt huic obiectioni satisfaciāt, fatentur quidē Hebræū vocabulū Berith passim in scripturis ita generale esse, vt non aliud quàm pactū significet: cæterum interdum etiā specialiter illud accipi volunt pro pacto testamentario. Sed dum locus exigitur; reuera nihil adferunt quo probent hanc suam exceptionem. Quod enim scriptum est Zachar. 9 *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinclos tuos de aeu;* docet quidem pacta interdum sanciri sanguine; quod nemo negat: Non tamen ostendit in significatione vocis Hebraicæ Berith, quæ eo loco ponitur, eiusmodi sanctionem includi. Dices Hieronymū ita sensisse, qui testamentum verterit, nō pactum. Ad hoc optimè respondet Ribera, quoniam istæ Scripturæ locus erat vulgatus & ceber in ecclesijs, in quibus semper iuxta Lxx legebatur, *Et in sanguine testamenti & cæ.* retinuisse quidem Hieronymum testamenti nomen, sed quid intelligeret, expressisse in commentario, cum ait: *In sanguine testamenti sine pacti tui.* Vnde & ad illa verba Mal. 2, *Ut esset pactum meum cum Leui;* idem Hieronymus generaliter admonet, in plerisque scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuientium. Dicit autem plerisque, quia negare non voluit, quin ad voluntatem defunctorum etiam extendatur, vt proinde eam aliquo modo sonare possit; sed ad eam significatio vocis nusquam contrahitur. Sanè sicut in tota scriptura vocabulum Berith significet idem quod testamentum; erunt vtique ea loca quæ in hac epistola citantur, & ad quæ respicit apostolus, ex testamento ducens argumentum; videlicet Ieremia 31 & Exo. 24. Id autem esse præter mentem Hieronymi constat; vt qui utroque loco transtulerit fœdus aut pactum; non testamentum. Adde quod & alij doctissimi quique interpretes, non aliter eam vocem, vbi cumque positam, reddiderunt. Alij respondent tametsi Berith non aliud significet quàm pactum in genere; satis tamen ex circumstantijs intelligi Moysem Exo. 24 (qui locus hîc continuo post citatur) non agere de quocunque pacto, sed de eo quod morte & sanguine confirmatur. Nam sanguinis meminit, dicens: *Hic est sanguis fœderis.* Vbi Lxx. *Hic sanguis testamenti.* Sicut autem vetus illud pactū in sanguine & mor-

te pecudum sancitum est; ut hac ratione nō absurdē testamentum vocari potuerit: ita nouum, inquit, proprijsimē testamentum dicitur, eō quōd intercedente morte testatoris factum sit ratum & validum. Alij plus adiungunt, dicentes, de eadem re loqui Moysen & Paulum, scilicet de pacto dandæ hæreditatis; quæ non obuenit nisi post mortem testatoris: ac Paulum quidem apertis verbis id agere; Moysen verò, obscurè ac typicè sanguinem aspersisse in populum, qui figura erat sanguinis Christi pro nobis effundendi. Sed nec hæ responsiones difficultatem expediunt. Nam Paulus, in verbis iam explicatis, non argumentatur ex re gesta per Moysen, cuius adhuc non fecit mentionem; sed ex vocabulo & significatione *testamenti*: quamuis huic probationi mox aliam subiungat, ex eo scilicet quod scriptura narrat à Moysè factum in confirmatione veteris pacti. Quod ipsum tamen, etsi sancitum in sanguine; propriè testamentum non fuit: quia morte testatoris minimè confirmatum; id quod ad testamenti rationem exigit Apostolus. Deinde, nec illud propriè verum est, Moysen & Paulum de eadem re loqui. Nam Moyses de veteri testamento loquitur; Paulus de nouo. Sunt autem hæc testamenta re distincta; licet vetus ad nouum referatur, ut imperfectum ad perfectum. Non quidem negamus verus testamentum interdum vocari *promissionem hæreditatis*; sed more scripturæ, quæ de hereditate generaliter loqui solet; quemadmodum ostendimus ad illud cap. 1. huius epistolæ: *quem constituit heredem vniuersorum*. Neque enim cælestis hæreditatis promissio vetus testamentum fuit, sed terrenæ; quam & præstitit, iuxta illud quod de regnis Chanaan dicitur psal. 134. *Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel populo suo*. Quare nec ex eo quōd vetus pactum continet promissionem hæreditatis, sequitur *testamenti* proprietatem, quomodo hic accipitur, ei conuenire. Nondum igitur apparet quomodo valeat argumentatio Pauli, qua ex ratione testamenti colligit necessitatem mortis Christi. Quæ causa fuit Melchiori Cano, lib. 2 de locis Theol. cap. 11 vbi de hac re agit, ut tandem diceret, Apostolum in nomine Hebraico ludere potuisse Rhetorum more, & vocem à proprio significatō ad improprium flectere. Dicit autem, *in nomine Hebraico*; quōd existimet, ut & alij multi sentiunt, Hebraicè scriptam hanc epistolam. Cùm ergo nil istorum satis sit ad tollendam difficultatem; videndum possit quid probabilius adferri. Quod ut fiat, primum statuo, quod me puto satis in prolegomenis docuisse, Paulum Græcè hanc epistolam scripsisse, non Hebraicè; & proinde vsum Græco vocabulo *διαθήκη*, non Hebraico *Berith*. Atque ea in re secutum (sicut asseruè sequitur) Lxx interpretes, qui Hebrai-

cum *Berith*, vbi que vertunt in *διαθήκη*, id est, *foedus in testamentum*. Quamuis enim *διαθήκη*, si vocis etymon attendas, non plus sonet quàm dispositionem, & apud auctores Græcos interdum, Budæo teste in commentarijs linguæ Græcæ, significet in genere *pactum*, conuentum, pollicitationem: constat tamen vulgarem & receptissimam eius significationem esse, qua denotat idem quod apud Latinos, *testamentum*; id est, voluntatis decretum de eo quod quis post mortem suam fieri velit; quemadmodum illud Iuriconsultus definiuit. Deinde suppono ac statuo, non temere nec absque singulari Dei consilio factum, ut hæc Græcam vocem pro illa Hebræa memorati interpretes perpetuò redderent, cùm non deesset aliud Græcum nomen quo *pactum* aut *foedus* exprimerent; velut *συνθήκη*, quomodo vertere solet Aquila. Tertio, sciendum apostolorum tempore Iudæos ac proselytos, quod essent dispersi per varias orbis regiones, atque à temporibus Alexandri magni Græcæ linguæ consuetudinē habere cepissent, plurimum ac libenter vsos fuisse versionem Lxx interpretum virorum sapientum, suæque gentis ac religionis hominum; nec solum vsos, verum etiam propter auctoritatem tot ac talium interpretum, versionem ipsam in magno precio ac veneratione habuisse. Postremò, notandum est, Apostolo disputationem in hac epistola (quod tū in eius argumento, tum & aliàs admonui, nominatim ad illud capitis primi, *Ego ero illi in patrem*.) non esse institutam cum Hebræis infidelibus & præfractis, sed cum ijs qui Christum iam receperant, eiusque sacramentis iam erant initiati; sed tamen adhuc plenius instruendi de quibusdam Christianæ religionis mysterijs, ac nominatim de dignitate & officio eius in quem credidissent: apud quos proinde, tanquam benignos & propensos auditores siue lectores, non putauit apostolus sibi perpetuò vtendum esse argumentandi genere pugnaci & contentioso, ut vocant Rhetores; quo nimirum presus aduersarius vel inuitus cogatur in sententiam: sed interdum rationes adducit suasorias ac probabiles dumtaxat; interdum etiam argumentatur ex propositionibus concessis aut receptis apud eos cū quibus disputat, ut in earum probatione nō sit ei laborandum. Quam disputandi rationem in hac epistola non mirabitur; qui nouerit etiam in alijs Pauli epistolis similes argumentationes inueniri. velut Gal. 3. quum vrget numerum singularem in vocabulo *femini*, ut probe Christus intelligi in eo quod dictū est ad Abraham: *Et semini tuo*. Item 1 Cor. 11. vbi, quo doceat mulieri velato capite orandum esse; rationes adducit quasdam, non tam cogentes quàm suadentes. Vnde tadem subiungit: *Si quis videtur contentiosus esse &c.* Fallitur enim si quis existimet totum hoc genus argumentandi ex propositionibus tan-

tūm

tum probabilibus, aut concessis, à scripturis sacris esse remouendum. Iam his velut hypothesebus constitutis (quarum nonnullas, ac speciatim tertiam, lector debet Ioāni Hassellano, Cæsareo apud Louanientes Scripturæ Interpreti in Comm. nondum edito.) ad propositam difficultatem respondeo, Paulum non argumentari ex Hebræo & originali vocabulo *Berith*, sed ex eo quod illius loco reddiderunt Lxx interpretes, id est, ex Græca voce *διαθήκη*, quæ cū significet idem planè quod Latinis *testamentum*: ritè procedit Apostoli ratiocinatio, qua colligit necessariam fuisse Christi mortem vt valeret ac ratum esset testamentum ab ipso conditum. Quod si resistas adhuc, & dicas Lxx malè pro *Berith* vertisse *διαθήκη*, id est, pro *foedere testamentum*; quum *foedus* multò latius pateat *testamento*: occurrit tibi tertia hypothesi, ex qua intelligitur tantam fuisse Lxx interpretum apud Iudæos auctoritatem ac reuerentiam, præsertim tempore Christi & apostolorum eius; vt si quod testimonium ex ijs citaretur, nemo facilè putaret reiiciendum. Vnde non solum in hac epistola, verum in alijs quoque epistolis, imò & in euangelijs, multa citantur scripturæ testimonia secundum Lxx. Quodque propius facit ad rem præsentem, cū Christus in vltima cœna sacramentum sanguinis sui instituens diceret; *Hic est sanguis meus noui testamenti*: vtrique Hebraicè aut Syriacè loquebatur; nec credendum est alio vocabulo vsū quàm *Berith*: pro quo tamen euangelistæ, & Paulus ipse 1 Cor. 11. secuti consuetudinem Lxx interpretum, reposuerunt *διαθήκη*, *testamentum*. Erat igitur apud lectores huius epistolæ propositio concessa & probatu non necessaria, Lxx interpretes rectè vertisse *testamentum*. At fortè dices, Interpretes illos non aliud significare voluisse Græca voce *διαθήκη*, quàm quod Hebræum *Berith* significat, id est, *pactum* seu *foedus*; quoniam & ipsum Græcum vocabulum in hac generali significatione reperitur apud eius linguæ auctores; sicut ex Budæo obseruauimus. Ad hoc respondetur ex secunda hypothesi; non temerè, sed prouido Dei consilio factum, ut Lxx interpretes, quorum aliquando futura erat in ecclesia Dei non parua auctoritas, vbi que pro *Berith* scriberet eam vocem Græcam, quæ quamuis vsurpetur aliquando pro *pacto* seu *conuento* in genere; multo tamen frequentius & vsitatus accipiat pro *testamento*. Prouidens enim Spiritus sanctus Christum auctorem futurum noui & æterni fœdatis, quod ipse morte sua confirmaturus esset; voluit illud fœdus appellari nomine testamenti: Sicut vsque hodie vocatur in ecclesia; atque ad eam rem ordinauit Lxx seniorum interpretationem; cuius in eiusdem ecclesiæ primordijs, præcipuus vsus & auctoritas erat futura. Vt igitur concludā; Non argumentatur apostolus à pacto seu fœdere ad testamentum; sed supponens (ve-

lut rem concessam) nouum fœdus verè esse testamentum; ex huius propria notione docet & colligit Christum; eius auctorem & mediatorem, mori debuisse. Quæ quidem collectio firmissima est. Quod si dicas, paratione colligi, necessarium fuisse vt & auctor vetus pacti moreretur, quoniam & illud ab iisdem interpretibus vocatum est *testamentum*: Respondeo, vetus pactum non eo consilio Spiritus sancti vocatum fuisse testamentum, quōd morte sui auctoris esset confirmandum; sed quia pactum erat figuratiuum eius pacti quod auctoris sui morte confirmari debuit. Placuit tamen etiam illud in sanguine dedicari; non auctoris aut mediatoris, sed brutorum animalium: vt haberet quandam similitudinem testamenti propriè dicti, in eo quod non sine morte consummaretur; maxime quoniam ipsum etiam aliquando appellandum erat *διαθήκη* Græcis, testamentum Latinis. Id verò est quod iam sequitur:

18 Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Pro *dedicatum* est, Græcè legitur *ἐπέχειν αἷμα* q. d. *encaniam* est, id est, *initium, sancitum, confirmatum*, vt habet Syriaca versio. Repetit idem verbum capite sequenti, vbi sic legimus: *quam initiavit nobis viam nouam*. Sensus est: Non mirū quod dixi, nouum testamentum sine sanguine & morte mediatoris Christi non potuisse confirmari: quandoquidem nec primum illud & vetus testamentum, quamuis non ita propriè testamentum esset, sine sanguine fuit confirmatum. Nam in eo sanciendo cæcæ sunt victimæ, quarum sanguis præfiguraret sanguinem Christi. Sequitur probatio.

19 LECTO ENIM OMNIMANDATO LEGIS A MOYSE VNIVERSO POPULO. Græcum verbum non *legere* sed *loqui* significat, vt suspicari quis possit interpretem verbo inhærentem, tactū parū Latine, vertisse: *Locutio enim omni mandato legis &c.* quod alij barbariem refugientes postea mutauerint in verbum *lecto*. Aut certè interpres hoc modo vertens, ad rem gestam atpexit, prout ab ipso Moysè describitur Exo. 24. *Assumens*, inquit, *volumen fœderis, legit audiente populo*. Non ergo simpliciter locutus est aut pronunciauit Moyses, sed ex libro: quod nō aliud est quàm legere. Notandum etiam progenituo *legis*, in Græco haberi, *secundum legem*. Quod Theophrastus bifariam exponit. Vno modo: Secundum legem seu præceptū Moysi datum; hoc est, sicut Dominus iusserat Moysi, scilicet vt ipse mandata recitaret ad aures populi. Aliter: vt *mandatum secundum legem* nō aliud sit quàm *mandatum lege comprehensum*. Quod probabilius est, & vulgatæ versioni consentaneum: vt sit sensus; Postquam enim Moyses è libro recitasset vniuerso populo omnia mandata quæ lege continebantur: ea videlicet omnia quæ scripta sunt

Exo. 20.

Exo. 20. ab initio legis ubi dicitur, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. deinceps usque ad finem capituli 23.

ACCIPENS SANGVINEM VITULORVM ET HIRCORVM, CVM AQUA, ET LANA COCCINEA ET HYSSOPPO. Malim ex Græco: *accepto sanguine vitulorum* &c. Non dubiū quin ad historiam Exo. 24 respiciat apostolus. Quo tamen loco neque sanguinis hircorum mentio fit: nec de aqua, lana coccinea, hyssopo, verbum vllum: Tātūm de vitulis immolatis, eorumque sanguine effuso & in populum asperso scriptura meminit. Quæritur ergo vnde cætera hæc omnia Paulus habeat. Sunt qui putent eum hæc sumisse ex varijs locis scripturarum, vt ex Leuit. 14 & Num. 19 in quibus talia nominantur. Sed hoc dici non potest. Clarum est enim hîc agi de ceremonijs quibus dedicatum fuit vetus testamentum; quæ res non alibi describitur quàm eo loco quem diximus. Itaque melius alij respondent apostolum in lege nutritum ac paternarum traditionum peritum, probè sciuisse quod in eiusmodi solennibus expiationibus, ista, à se commemorata, partim offerri, partim assumi soleant. Verūm plenior erit responsio, si cum Ribera & alijs quibusdam dicamus hæc omnia posse intelligi ex ijs quæ tum eo loco, tum alibi, à Moysè sacrificiorum ritus exponente, scripta sunt; sicuti Paulum arbitramur intellexisse, hominem in lege doctissimum. Et quidem nō solum vitulos oblatos fuisse colligitur ex scripturæ verbis: *Et obtulerunt holocausta; immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos*. Vbi dicuntur quidem vituli oblati in hostias pacificas; sed quod genus animalis in holocausta fuerit oblatum, non exprimitur. Constat autem ex Leuit. 1, Num. 7 & aliunde potuisse hircos in holocaustū offerri. Quare consentaneum videtur etiam istam holocaustorū oblationem de hircis accipi. Quod si *vitulos* in verbis memoratis ad vtramque partem præcedentē referas, scilicet ad holocausta & ad victimas pacificas; nihil tamen verabit sub vitulis, id est, bobus iuuenis, tanquam victima principaliore, etiam hircos comprehendere, saltem vt oblatos pro peccato populi; sicut vituli offerebantur pro salute & gratiarum actione. Nec enim rarum erat, victimis pacificis & Eucharisticis coniūgi sacrificia pro peccatis, vt videre est Leuit. 9 & 16 & Num. 7. Idque etiam congruebat rei significatæ. Sanguis enim noui testamenti, quem veterum hostiarum sanguis præfigurabat; tam pro peccatorum remissione, quàm pro salute hominum effusus est. Porro aqua, ad vsum aspersionis, non defuisse, satis res ipsa loquitur. Erat enim sanguis victimarum late spargendus in populum: quod factu perdifficile erat, nisi sanguini commisceretur aqua, vt & liquidior esset ad aspersionem, & copiosior. Vnde Theodoretus sanguinem aqua commixtum interpretatur. Nam & simili fere ratione præceptum fuit vt ex cineribus

vaccæ rufæ fieret aqua aspersionis in vsum populi. Num. 19. Quanquam & alibi passim legimus ad purificationes legales aquam adhiberi solitam; vt pote elementum aspersionibus & abstergendis sordibus aptissimū. Ex hyssopo autem & lana coccinea colligatis fiebat aspergillum, quo sanguis aquæ mixtus in populum spargeretur. Nam lana humorem imbibit & aliquatenus retinet; hyssopus autem seruit aspersioni; quod significatur illo psalmi versiculo, *Asperges me Domine hyssopo*. Hæc verò tacitè intelliguntur in ijs scripturæ verbis quibus dicitur Moyses suptrum sanguinem resperxisse in populum. Non enim respergere potuit sine instrumento ad hunc vsum accommodato: quale iuxta præscriptum legis erat fasciculus ex hyssopo & lana coccinea compositus; vt intelligi datur ex alijs locis, velut Exo. 12. Leuit. 14. & Num. 19. Habebant autem hæc omnia suam mysticam significationem. *Sanguis* enim & *aqua* significabat sanguinem & aquam quæ non sine magnarum rerum mysterio de latere Domini profluxerunt. Ioan. 19. S. Thomas ideo sanguinem cum aqua fluxisse dicit, quia baptismus à sanguine Christi efficaciam habet. Nec malè ex hac sanguinis & aquæ commixtione quæ facta narratur in auspiciando veteri testamento, velut ex typo quodam sumitur argumentum aquæ miscendæ cum vino, in sanguinem noui testamenti conuertendo. *Hyssopum*, quæ est herba humilis & vim habet purgandi pectoris, Aquinas fidem typicōs interpretatur; Fides enim mentem Deo subijcit & corda purificat, teste Petro Act. 15. *Lanam verò coccineam*, quæ rubei est coloris, interpretatur flammantem charitatem. Alij per *hyssopum* significari volunt humanā Christi naturam, in qua & humilitas ostensa est, & virtus later ad purganda cordis nostri vitia. Per *lanam verò coccineam*, Christi carnē quæ per se candida velut lana, sanguine passionis velut cocco rubricatur.

IPSVM QUOQUE LIBRVM ET OMNEM POPVLVM. Græcè *Ipsūque librum*. Latine dicas, *Et librum ipsum & omnem populum*. Librum hunc Moyses vocat *librum fœderis*. Vnde satis intelligitur non alia fuisse in eo scripta quàm præcepta legis, quæ supra diximus. Id ipsum liquet ex narratione scripturæ. Cū enim populus auditis præceptis quæ Moyses à Domino retulerat, respondisset: *Omnia verba Domini qua locutus est, faciemus*: subiungit scriptura Moysen vniuersos Domini sermones, scilicet ad populum relatos, scripisse, hoc est, in librum redegisse; atque ex eo libro postea rursus eadem, audiente populo, recitasse, quando iterum acclamatum est à populo: *Omnia qua locutus est Dominus faciemus*. Quod igitur Hebræi quidam tradunt, in eo libro scriptam à Moysè fuisse totam historiam Genesis, itemque Exodi usque ad eum locum ubi hæc narratur; merito à Lirano & alijs doctis exploditur. Quamuis au-

tem de libro asperso nihil expressè legatur in Exodo, sed tantum de populo; facilis tamen coniectura est, ex eo quod facta solempni stipulatione super ijs obseruandis quæ libro continebantur, aspersus fuit populus; ipsum quoque librum eodem sanguine respersum fuisse. Significabat autem hæc sanguinis super librum & populum aspersionis; nec legem impleri posse, nec populum à peccatis expiari, nisi virtute sanguinis Christi.

20 DICENS: HIC SANGVIS TESTAMENTI, QUOD MANDAVIT AD VOS DEVS. In Hebræo quidem, vt patet ex ijs quæ supra distulimus, non est, *testamenti*, sed *fœderis*. Vnde Hieronymus ita vertit: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*. Sed *testamenti* vocabulum, instituto suo accommodum, Apostolus accepit à Lxx. Sensus autem horum Moysi verborum est: Hic est sanguis, quo dedicatur & confirmatur fœdus, quod Deus, suo mandato & meo ministerio, nunc vobiscum pepigit. Hoc autem erat fœdus, quod vocatur vetus testamentum. Additur in Exodo: *super cunctis sermonibus his*. Quod non est accipiendum, vt quidam exponunt, de promissis diuinis; quasi sensus sit; vt sciatis firma futura esse omnia, quæ vobis in hoc libro Deus promissit: sed intelligi debet de præceptis ex libro recitatis, à quorū obseruatione, velut conditione ex parte populi necessaria, fœdus illud pēdebat. Erat enim liber præceptorum non promissionum. Atque ea in re differt testamentum vetus à nouo: quod obseruandæ legis conditionem à nostra parte non exigit; sed eam, vt partem diuinæ promissionis includit ac præstat; quemadmodum ex ijs perspicuum est quæ dicta sunt capite superiori. Porro quoniam sanguis ille veteris pæcti, de quo testatur apostolus dictum esse à Moysè; *Hic sanguis testamenti* &c. figurā fuit sanguinis Christi, per quem nouum testamentum erat confirmandum: ideo Christus similibus cum Moysè verbis vti voluit; in instituendo sacramento sanguinis sui; vt diceret: *Hic est sanguis meus noui testamenti*. Matth. 26 & Mar. 14. Ex quo consequitur intellectum etiam verborum similem esse debere. Quare sicut verborum Moysi non est sensus, Hoc est signum sanguinis, sed hic est verè & propriè sanguis testamenti &c: ita nec verborum Christi sensus est, Hoc est signum sanguinis mei, vt volunt Sacramentarij, sed hic verè ac propriè sanguis meus est, noui testamenti confirmatiuus.

21 ETIAM TABERNACVLVM, ET OMNIA VASA MINISTERII SANGVINE SIMILITER ASPERSIT. Ministerij, intellige facti, Græcè *λεϊτερῳϊας*: *Tabernaculum & vasa ministerij* (quo nomine comprehenditur tota tabernaculi supellex) nondū erant fabricata, quando Moyses vetus testamentum dedicauit. Non ergo tunc ea sanguine potuerūt aspergi. Verūm sentit apostolus id factum à Moysè

posteaquam illa fabricata fuerunt. Sed tamen, quando factum fuerit, quæritur. Nam Exo. vltimo ubi tabernaculum erigendum & consecrandum præcipitur, nec sanguinis nec aspersionis vlla fit mentio, sed vntionis tantum quæ fiebat oleo. Putant nonnulli respicere apostolum ad locum Num. 19 ubi præcipitur Eleazaro sacerdoti, vt tincto digito in sanguine vaccæ rufæ septies aspergat contra fores tabernaculi. Verūm reijcit hoc B. Thomas, nec sine ratione; quamuis rationem ipse non adiunxit. Vna ratio est, quia Moyses ibi non aspergit, sed pontifex; Hic autem quid Moyses fecerit, narratur. Altera, quoniam illo loco præterquam quod de vasis ministerij nihil dicitur, sed tantum de tabernaculi foribus, vt quidem verba sonant; non tamen id significatur quod prima facie apparet, fores tabernaculi sanguine respergendas esse: Fiebat enim immolatio vaccæ rufæ extra castra procul à tabernaculo. Sed sensus est, quem alij interpretes clarius expresseerunt, præcipi sacerdoti, vt sanguinem digito spargat *è regione tabernaculi*, hoc est, versus eum locum ubi tabernaculū erat. Id enim significat Hebræa phrasis; *contra faciem tabernaculi*; quemadmodum in Machabeis *contra faciem Idumææ, Iudææ, Ptolemaidis*. Quo etiam sensu Daniel in Babylone constitutus; fenestris apertis contra Ierusalem adorasse legitur, Dan. 6. Iisdem ferè rationibus refelluntur, qui huc adducunt locum Leuit. 16. ubi præcipitur expiatio sanctuarij, tabernaculi & altaris facienda sanguinis aspersione. Nam nec ibi factum Moysi narratur, sed pontificis manus describitur: nec alia significari videtur aspersionis, quàm quæ, modo iam dicto, fieret contra propiciatorium ac cætera quæ ibi commemorantur. Aliter ergo responderet S. Thomas, scilicet Apostolum loqui non de expiatione tabernaculi, quæ quotannis fiebat; sed de prima eius ac vasorum sanctificatione. Quæ quidem Exo. vltimo fieri iubetur, sed Leuit. 8. quomodo facta sit, plenius exponitur. Probat hanc suam sententiam Aquinas; Nam ibi, inquit, de Moysè dicitur, quod vnxit tabernaculum oleo: & postea, quod aspersit. Oleum autem non est aspersuum. Vnde intelligit quod primò vnxit illud, & postea aspersit sanguine. Sic ille; quem Ribera sequitur. At nobis hæc sententia vera quidem videtur; sed non solidè probata. Quod enim dicitur *aspergit*, si fontem Hebraicum consulamus, inueniemus de oleo dici, non de sanguine: Sic enim habetur: *Et accepit Moyses oleum vntionis, & vnxit tabernaculum & omnia qua in eo, & sanctificauit ea. Et aspersit ex eo super altare septem vicibus, & vnxit altare & omnia vasa eius* &c. Vbi manifestum est illud, *ex eo*, quod vulgatus interpres omisit, sed ceteri reddiderunt, etiam Lxx, non aliò posse referri quàm ad oleum: quandoquidem nec de immolatione quicquam præcesserat, vt de sanguine

intelligi posset. Quod autem aiunt oleum non esse aspersum, non usquequaque verum est, licet asperisionibus minus fortè seruiat quam alij liquores. Nam & infra eodem capite Leuitici ad asperisionem assumitur oleum; uti mox audiemus. Illud etiam nota, Moysen in verbis memoratis non agere de asperisione tabernaculi, sed solius altaris. Quocirca dicendum arbitramur hoc quod Paulus dicit Moysen etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersisse; non esse scripto proditum ab ipso Moysè, nisi in parte; dum refert in eodem octavo capite Leuitici, se sumpto vnguento, & sanguine qui erat in altari, *asperisse super Aaron & vestimenta eius; & super filios israel ac vestes eorum.* Nam sacræ veltes pontificis & sacerdotum, meritò in *vasis*, id est, instrumentis, *ministerij* computantur. Quod autem in parte expressum est à Moysè, Paulus intellexit ad totum posse referri, sciuitque referendum esse; videlicet edoctus, ut verisimile est, à maioribus. Quod ne leuiter dixisse videar, fidem facit Iosephus, qui lib. 3 antiq. Ind. cap. 9 cum ea quæ in Leuitico scripta sunt de vestibus Aaronis ac filiorum eius vnguento sanguineque aspersis, commemorasset eodem còtinuò dilectis verbis subiungit de tabernaculo eiusque; *vasis*; scilicet ea vnguento iuxta præscriptum legis còfecto; & sanguine taurorum & arietum alternis diebus mactatorum, aspersa fuisse. Non dubium autem, quin ea Iosephus, ut pote sacerdos Leuiticus, acceperit ex progenitorum suorum traditione. Iam quod ad mysteriũ attinet; per tabernaculũ, ecclesia; per vasa, vel ministri vel mēbra ecclesię, id est, singuli quique fideles significatur. Hos enim Paulus 2 Tim. 2 *magna domus vasa* appellat. Nihil autè horũ sanctificatur nisi per asperisionem sanguinis Iesu Christi, ut loquitur Petrus apostolus initio primę suę epistolę.

22. ET OMNIA PENE IN SANGVINE SECUNDVM LEGEM MUNDANTVR. In Græcis hic ordo est: *Et fere in sanguine omnia purificantur secundum legem.* Queritur cur nõ absolute dixerit *omnia*, sed *fere omnia*. Hęc quęstio apud Græcos expositores nulla est. Nã particulam *σχεδόν*, id est, *pene*, aut *fere*, non referunt ad *omnia*, sed ad verbum, *mundantur*; faciuntque hũc sēsũ: *Omnia secundũ legem fere*, id est, *imperfecte*, mundantur in sanguine. quia nõ erat illa perfecta mundatio; quòd per eã peccata non tollerentur. At sanè nimium coacta est ista constructio. Rectius itaque Latini, *pene*, referentes ad *omnia*, respondent apostolũ dixisse *pene omnia*, quod essent quædam quę non sanguine, sed vel igne, vel aqua expiationis mundarentur. Sic enim de spolijs hostiũ præcipitur Num. 31, *Omne quòd potest transire per flammam, igne purgabitur. Quicquid autè igne non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.* Ceterum de aqua expiationis eiusque; multiplici ad sanctificandũ viu, locus est eiusdẽ li-

bri cap. 19. Sed & aqua vulgari, ad tollendam corporum ac vestimentorũ immundiciã, multæ fiebãt lotiones; ut patet ex varijs locis Leuitici. Vnde è diuerso nascitur quęstio, cur dixerit. *pene omnia*; cum tam multæ fierent sine sanguine mundationes. Sed huius responsonem indicat B. Thomas, quum dicit ipsam quoque expiationis aquam fuisse còfectam cum sanguine vitulę rufę. Respicit enim, ut opinor, ad id quod præceptũ erat ut illius vitulę tam pellis & carnes, quam sanguis & fimus flammę traderetur. Ex his enim in cinerem redactis fiebat aqua expiationis. His accedit quod pleræque purificationes quę per aquam fiebãt, vim habebant ex aliquo sacrificio præcedenti in quo sãguis fuerat effusus.

ET SINE SANGVINIS EFFVSIONE NON FIT REMISSIO, scilicet peccatorũ. Hoc absolute dicit. Quamuis enim nõnullæ mundationes legales, ut dictũ est, fierent sine sanguine; nulla tamen ad remissionem peccatorũ instituta erat ceremonia, quę sanguinis effusione non exigeret. Nam pro peccatis offerebantur sacrificia propiciatoria, in quibus animal mactaretur; quę proinde omnia cruenta erant. ut patet Leuit. 4 & sequentibus. Porro sicut in superioribus sermo fuit de mundatione & sanctificatione legali, quam appellauit *emundationem carnis*, & *insufficiam carnis*; ita & hęc legalem intelligit peccatorum remissionem, qua nimirum fiebat ut legis comminationes homo evaderet, nec peccatum ei ad eiusmodi pœnas imputaretur. Hic enim erat effectus illorum sacrificiorum. Nam de legali remissione eum loqui, palam est; quoniam & proximè nominauerat *mundationem secundũ legem*; & alioqui secum ipse pugnat, qui capite sequenti dicit *impossibile esse ut hircorum & taurorum sanguine peccata tollantur.* Qui verò sententiam hanc interpretantur de sanguine Christi, ut eam ad veram peccatorũ remissionem accommodet; sensum adferunt huic loco alienum. Verũ tamẽ iuxta apostoli institutum, ex his verbis optime colligas: Si in veteri lege non fiebat remissio legalis sine effusione sanguinis animalium occisorum; ergo nec in noua lege fit vera peccatorum remissio, sine effusione sanguinis Christi, quem sanguis ille victimarum veteris testamenti præfigurauit. Est enim hęc collectio planè similis ac penè eadem cum illa, quam apostolus ipse superius fecit illis verbis: *Si enim sanguis hircorum & taurorum &c.* Dicit aliquis; si vera peccatorum remissio non fit sine effusione sanguinis Christi, (quod ex hoc loco rectè colligi iam dictum est.) ergo sacrificium missæ, cum sit incruentum, sicque vocetur à patribus quòd in eo nulla fiat sanguinis effusio; non valet ad veram peccatorum remissionem. Respondetur, argumentum hoc nihilo magis facere contra sacrificiũ missæ, quàm contra baptismum & alia sacramenta nouę legis ad remissionem peccatorum instituta: Dicendum est enim, sicut baptismo

non re-

non remittuntur peccata sine sanguine Christi, fuso in cruce; ita nec per sacrificium missæ remitti sine crueto illo crucis sacrificio, cuius ipsum est commemoratiuum. Vtrumque enim, tam baptismus quàm missæ sacrificium efficax est in sanguine Christi, & non aliter.

23. NECESSE EST ERGO EXEMPLARIA QV-DEM CÆLESTIVM HIS MUNDARI. Infert ex ijs quę proximè dicta sunt, de mundatione tabernaculi & vasorum ministerij & ceterorũ; quę vocat *exemplaria* Græcè *ὑποδείγματα*. Quo nomine vltus est etiam ca. 8, ubi nos habemus: *Qui exemplari & umbra deseruiunt cælestium.* Significatur autem Græco vocabulo, sicut ibidem diximus, obscure quædam ostensiones ac delineationes rerum. Sic appellat figuras veteris testamēti, quòd obscure & umbraticè res noui testamēti illius temporis hominibus ostenderint. Ea *exemplaria mundantur his*, vel rebus vel hostijs, de quibus paulò antè locutus est, id est, vitulorum & hircorũ sanguine. Mundabantur autè ab immundicia corporali & externa, quã secundum legem tolli oportebat. Cælestia verò quę dicantur, paulò post exponemus. Porro quòd ait, *Necesse est*; indicat ordinationem diuinam; quam necesse fuit impleri tam in figuris, præcedentibus; quàm in rebus ipsis, sequentibus; de quibus subiungit,

IPSA AVTEM CÆLESTIA MELIORIBVS MOSTIIS QVAM ISTIS. Quamuis in Græco nõnulla sit diuersitas inter *cælestia* huius & præcedentis membri, (hęc enim *ἑρμηνείαι* dicuntur, hoc est, *cælestia*; illic verò *ἑρμηνείαι* dicitur, id est, ea quę in cælis sunt) rem tamẽ eandem significari, contextus sermonis aperte comonstrat. Quę sit autem res illa nomine *cælestium* significata, dubitationem habet. Chrysostomus ac ceteri Græci, quibus astipulantur commentarij Primasio & Anselmo ascripti, Item Haimo, Caeteranus, & alij Latinorum nõnulli, *cælestia* intelligunt ecclesiam Christi militantem, & quę in ea geruntur. Hęc enim etsi in terra sint, meritò tamen *cælestia* dici volunt, propter fidem & spem ad cælestia spectantem. Sed hanc expositionem *cælestium* minus probabilem esse dicebamus capite superiore, idque ex illius loci circumstantia. Plenius autem ostenditur ex eo quod Apostolus hoc loco; velut id quod dixerat explicans statim subiungit: *Iesum non in manufacta sancta introisse, sed in ipsum cælum.* Quare S. Thomas illa expositione reiecta; dicit per *cælestia* melius intelligi cælestem patriam; id est, cælum, seu habitationem cælestem. Quę eadem est Lirani sententia. Sed quomodo hæc *cælestia* mundentur Christi sanguine, cum in ijs nihil omnino sit quod mundatione egeat, queritur, ac difficilè explicatur. Thomas & Lirani eam mundationem declarant ex analogia mundationis tabernaculi Mosaici. Sicut enim tabernaculum illud dicebatur emundari, non quod ipsum haberet in se aliquam immundiciam;

sed quia tollebantur quædam irregularitates seu legales immundicię, quibus impediabantur homines quo minus ad tabernaculum accederent: ita dicunt, iuxta Apostolum mundari cælestia, quatenus homines mundantur à peccatis quibus impediuntur ab ingressu regni cælestis. Hanc verò explicationem Ribera non probat, eo quòd durius sonet, *cælum seu cælestem patriam mundari.* Itaque sentit per cælestia quidem rectè accipi cælum ipsum, id est, tabernaculum cælestis, & domicilium beatorum, quòd & rationibus probat: sed *emundationem horum cælestium* aliter interpretatur. Dicit enim Paulum verbis subsequētib; *Non omnia in manufacta sancta Iesu introiisse &c.* non alludere ad dedicationem tabernaculi, quando & ipsum & omnia eius vasa sanguine sanctificata fuerunt; sed ad introitum pontificis in sancta sanctorum, quando, sicut præcipitur Leuit. 16. pontifex illuc cum sanguine introgressus, aspergebat eum è regione oraculi; atque ea ceremonia expiabat sanctuarium ab immundicijs filiorum Israel, & à preuaricationibus eorum cunctisque peccatis. Quę verba utique declarant ibi non agi de mundatione hominum ab immundicijs, quas vocant irregularitates, quibus ab ingressu tabernaculi impediabantur; sed de mundatione ipsius tabernaculi, quòd quasi continuò polluebatur peccatis filiorum Israel; in quorum medio erat constitutum: non quòd ex eorum peccatis veram contraheret immundiciam; sed quia propter irreuerentiam hominum circumcirca morantium atque peccantium, ipsi loco detrahebatur suus honor; quomodo nunc loca Deo dicata pollui dicuntur, quum enormia quædam peccata in ijs committuntur. Eodem modo, inquit Ribera, cælum; quòd Dei locus est multò præstantior & venerabilior, pollutum fuit peccato primorum parentum, ac deinceps aliorum hominum peccatis continuò polluitur; quatenus illa in cælum ascendenti (sicut scriptura loquitur) teterrimo suo odore Deum cæli habitatorem grauiter offendunt, ipsumque eius habitaculum quodammodo inficiunt: emundari verò dicitur, cum per sanguinem Christi peccatorum fœtor tollitur, ac Deo placita opera ab hominibus exercentur. Hęc enim ratione cælo restitui censetur honor ablati. Sed contra hęc speculationem, etsi subtilem; primũ obijci potest quòd apostolus Christum opponens pontifici Aaronico, illiusque officia declarans ex antithesi eorum quę fiebant in veteri testamento; semper Christo ac sanguini eius, veram ac propriè dictam mundationem & sanctificationem tribuit, qua scilicet verè secundum conscientiam & coram Deo munda fiat ea res, quę mundari dicitur. Atqui mundatio iam exposita, non vera sed figuratè dicta est; cum sit in confesso, cælum, si de mundatione propriè, & secundũ

Apostolum loquamur, mundari non posse. Deinde, videretur apostolus ab instituto declinare, si à mundatione hominum de qua perpetuò disseruit, transitum faceret ad mundationem cæli, qualis hîc fingitur. Denique, nec ista subtilitas euadit duriciem sermonis qua dicitur cælum mundari; propter quam displicebat sententia B. Thomæ. Quamquam illud rectissime, quod dicit Ribera Apostolum in pericope sequenti non alludere ad dedicationem tabernaculi, sed ad introitum pontificis in sanctuarium, à peccatis filiorum Israël expiandum. Verùm illa tabernaculi expiatio non tam significabat mundationem cæli peccatis hominum polluti, quam mundationem ecclesiæ peccatis hominum, ex quibus constat, commaculatæ. His adde quod Apostolus per *caelestia* non tam intelligi vult locum ipsum caelestem, quam ecclesiam sanctorum qui sunt in cælis. Iam enim diximus, pro vocabulo *caelestium* Græcè haberi, *eorum quæ in cælis sunt*. Nemo autem dixerit ecclesiam quæ in cælis est, pollui peccatis hominum agentium in terris. Quare nobis videtur expositio S. Thomæ recipienda, cum eo tamen moderamine, vt Apostolus intelligatur loqui de ipsius tabernaculi & vasorum eius emundatione, cuiusmodi superius declarata est. Aut certe melior aliquis sensus quærendus. Quod si per *caelestia* totam ecclesiam placeat intelligi, quæ ab Apostolo Gal. 4 vocatur *Ierusalem quæ sursum est, mater nostra*; & Apoc. 21 dicitur *descendere de celo*, quia nimirum meditatione & studio semper in cælis versatur, etiam qua parte peregrinatur in terris: per commodè reddi poterit huius loci iste sensus; *Ipsa caelestia*, id est, tota ecclesia tam triumphantem quam militantem complectens, *mundatur*, id est, mundiciam ac sanctitatem suam omnem continuo accipit *ab hostia meliore*, quæ est Christus in cruce oblati. Non enim ita Christus ecclesiam suo sanguine mundat, vt mundare aliquando desinat; si mundare est mundiciam & sanctitatem impertiri: sed semper id facit, ac facturus est. In eo quod dicit Apostolus, *melioribus hostijs*, cum de vna Christi hostia loquatur; enallage numeri est, ad quam inuitabat numerus pluralis præcedens.

ADDITIVNCVLA B. P.

Nisi fortè Apostolus, quoniam ad Hebræos Christianos ista scribit, his verbis pluralibus vsus est ad tacite ipsis significandum hostiam cruentam semel oblatam; & incruentam quotidianæ oblationis: ratione duas, re vnicam. Credibile est idem mysterium ipsis innui per illa verba cap. 13. *Habemus altare, de quo edere &c.*

24 NON ENIM IN MANUFACTA SANCTA IESVS INTROIUIT, EXEMPLARIA VERORVM; SED IN IPSVM CÆLVM. *Iesus*, in Græco & Syriaco *Christus*. Declarat Apo-

stolus quod dixerat, *caelestia*. Nam pontifex quidem Aaronicus, inquit, introibat in sanctuarium manufactum, id est, humana arte fabricatum: Christus autem *non in manufacta sancta introiuit*, quæ verorum sanctorum erant tantum exemplaria seu figuræ; *sed in ipsum cælum*, à quo *caelestia* nominantur; id est, *in sancta vera, & tabernaculum verum*. Sic enim ea appellauit sub initium capituli octauo: Quo etiam loco admonuimus, *verum* non opponi falso, sed typico seu figuratiuo. Notandum, *exemplaria* Græcè hoc loco non dici *ὑποδείγματα*, quemadmodum in versu præcedenti, sed *ἀντίτυπα*: quam tamen vocem, perinde vt superiorem, omnes interpretes vertunt, *exemplaria*. Res quippe eadem vtraque voce significatur; tametsi secundum aliam atque aliam rationem. Erant enim figuræ veteris testamenti *ὑποδείγματα*, quatenus obscure significabant res figuratas. Erant autem *ἀντίτυπα*, quatenus ad similitudinem verorum, quæ Moyse ostensa fuerant, id est, caelestium, efformata, vt ea deinde representare possent. Dicitur enim *ἀντίτυπον* similitudo reddita ex prototypo, siue clarè, siue obscure ipsum representet.

VT APPAREAT NVNC VLTIVI DEI PRO NOBIS. Non dicit *vt emunet cælum*: sicut pontifex Leuiticus introibat in sanctum sanctorum, vt illud expiaret. Sed hoc interim differt, vt commodius de eo agatur in sequentibus. Hîc verò aliud quoddam munus pontificis Christo in cælum recepto assignat; quod tamen etiam ad emundationem pertinet: simulque alludit ad ritum veteris legis, vbi pontifex ingressus in sancta sanctorum stabat coram propitiatorio, vt oraret pro populo. Ita Christum dicit introiisse in cælum, vt vultui Dei se pro nobis sistat; id est, vt apud Deum pro nobis interpelleret. Quod quo sensu facere dicendus sit, expositum est cap. 7 ad illud: *Semper vivens ad interpellandam pro nobis*. Dicitur Christus *nunc apparere vultui Dei*, cui tamen ab initio suæ conceptionis semper presens fuit; nec quomodocunque, sed visione perfecta: quia nunc id agit apud Deum, quod apud terrenum principem nemo solet agere, nisi prius in eius conspectum admissus. Id est pro populo interpellare ac verba facere. Beatus Thomas sermonis tropum ita exponit; Intrauit locum vbi Deus manifestè videtur.

25 NEQUE VT SÆPE OFFERAT SEMETIPSVM. Quoniam præcipuum pontificis munus est offerre sacrificium; dubitari poterat nū Christus ingressus caeleste sanctuarium adhuc munus illud exerceat offerendo semetipsum, quomodo semel obtulit. Docet ergo non ideo Christum introiisse in cælum, vt iterum ac sæpius offerat semetipsum: nihil enim opus esse, cum, sicut antea dixit, & in consequentibus amplius declarat, Christus semel oblati æternam redemptionem inue-

nerit.

nerit. Quæres, Si desijt offerre, quomodo adhuc sacerdos est? Respondent, in officio vel persona sacerdotis non requiri cōtinuum sacrificandi actum: Siquidem & Leuitici sacerdotes non continuo, sed statis vicibus, diebus ac horis offerebant sacrificia. Christi verò sacrificium quod semel obtulit in cruce, semper vigere, adeoq; perpetuum esse quoad efficaciam; vt vel hac ratione sacerdotium eius æternum esse, semperque subsistere merito dicatur. Bona responsio; sed eadem plenior erit, si dicamus Christum postquam introiuit in sancta caelestia, nequaquam prorsus cessare ab actu sacerdotali. Nam & hostiam semel oblatam, id est, seipsum semel passum, continuo pro salute hominum sistit & offert Patri; quod significatum est verbis præcedentibus, *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*: & adhuc quotidie, manibus suorum ministrorum, per vniuersam ecclesiam, offert incruentum & commemoratiuum sacrificium corporis & sanguinis sui. Quæ res pluribus à nobis explicata est supra cap. 7. quum tractarem illud psalmi; *Tu es sacerdos in æternum*. Quod autem negat Apostolus Christum sæpius offerre seipsum, de ea dicit oblatione quæ per se valeat ad propitiandum Deum; qualis sola est illa, qua seipsum obtulit in cruce. ab hac enim, sicuti sacramenta, sic & missæ sacrificium vim suam omnem recipit.

26 QVEMADMODVM PONTIFEX INTRAT IN SANCTA PER SINGVLOS ANNOS IN SANGVINE ALIENO. Pontifex Aaronicus intrabat in sancta sanctorum cum *sanguine alieno*, scilicet hircorum & vitulorum, quos immolauerat vt eorum sanguinem sanctis inferret; idque faciebat non semel, sed singulis annis. Sed non ita Christus, inquit, oblati in cruce, sanguinem suum intulit cælo, vt huiusmodi oblatio sit ei subiinde repetenda.

ALIOQVIN OPORTEBAT EVM FREQUENTER PATI AB ORIGINE MVNDI. Græcè, *à constitutione mundi*, id est, *à mundo condito*. De hac phrasi vide quæ diximus ad illud Ephes. 1. *ante mundi constitutionem*. Quod dixerat, Christum non ideo introiisse in cælum, vt sæpe seipsum offerat; id probat, deductione ad absurdum. Cum enim oblatio illa non fiat sine sanguine & morte; oporteret eum sæpe pati ac mori: quod ordinationi Dei & gloriæ Christi planè repugnat, vt qui semel mortem morte sua superauit, & ad vitam æternam resurrexit, iterum atque sæpius repositur ad mortem. *Scimus*, inquit Apostolus, Rom. 6. *quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur; mors illi vitra non dominabitur*. *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel*. Addit autem, *ab origine mundi*, tum quia peccatum cœpit iam inde ab initio, in primis parentibus; tum quia si sæpe passurus erat, non minus id oportebat primis sæculis, quam

sequentibus; cum sit omnium temporum eadem ratio, supposita necessitate iterandi sacrificij.

NVNC AVTEM SEMEL IN CONSUMMATIONE SÆCVLORVM, AD DESTITVTIONEM PECCATI, PER HOSTIAM SVAM APPARVIT. Malè in quibusdam codicibus legitur accusandi casu, *in consummationem saeculorum*; quasi sensus sit: Christum apparuisse ad consummandum sæcula, hoc est, ad perficiendum & sanctificandum homines omnium sæculorum. Hunc enim sensum Græca non admittunt. Sic enim habent; *ἄπὸ σωτηρίας*, id est, *in vel sub consummatione*, quo modo superius dictum est, *ἄπὸ τῆς πρώτης διαθήκης*, *sub prioro testamento*; id est, tempore veteris testamenti. Quare & hîc sensus erit, *In consummatione saeculorum*, id est, tempore consummationis sæculorum, quando iam sæcula consummantur. Nec verendum, *sub consummationem*, hoc est, *instante consummatione*; quomodo vertit & exponit Erasmus, quandoquidem nec illic sensus esse potest, *instante prioro testamento*. Deinde, sciendum in multis ac vetustis exemplaribus, non *destitutionem* legi, sed *destructionem*. Quamquam maior codicum pars habet *destitutionem*, Clementinis etiam suffragantibus. Quin & Græca vox *ἀφαιρέσις*, melius exprimitur Latino vocabulo *destitutionis*, quam *destructionis*. Verbum enim *ἀφαιρέσις* significat *abigere, repellere, reprobare*. vt 1. Cor. 1. *Prudentium prudentiam reprobo*. Vnde Theophylacti interpres vertit, *ad reprobationem peccati*. Sicut & vulgatus eandem vocem reddidit supra cap. 7. *Reprobatio sit præcedentis mandati*. Hæc autem destitutio seu reprobatio peccati, quamvis proprie non sit destructio, tamen eam necessariò secum trahit. Illud porò quod sequitur, *per hostiam suam*, Erasmus vertendum putauit, *per immolationem sui ipsius*; vt opponatur ei quod de legali pontifice dictum est, *in sanguine alieno*. Hanc enim antithesim virget Apostolus in superioribus. At nobis ea versio plausibilis ac pia magis quam docta videtur; quia *θύσια* in sacris literis vbique accipitur pro hostia seu victima quæ immolatur; nusquam vero, quod sciam, pro ipsa immolatione. Neque enim est verbale nomen quod actum significet, sed rem circa quam actus versatur; sicut & nomen victimæ: licet interdum fortassis apud authores Græcos pro actu vsu petatur; quod puto esse rarissimum. Deinde non est in Græco *εαυτῶ*, vt verti possit *sui ipsius*, sed *αὐτῶ*, quod nullam reciprocationem significat. Vnde Hentenius Oecumenij interpres, solitus alioqui in vertendo textu plerumque Erasmus imitari, hoc loco vertit, *per victimam suam*. Hæc quidem hostia seu victima non alia erat quam Christus ipse, seu corpus eius immolatum in cruce; sicut amplius in sequenti capite docetur: sed id hac parte, in Græco, non videtur expressum.

De eadem parte dubitari potest, vtrum con-
strui debeat cum sequenti verbo *apparuit*; hoc
sensu; *Christus per hostiam suam apparuit*: an
verò connectenda (quod Oecumenius facit)
cum proximè præcedentibus; ut ordo ac sen-
sus sit; Christum apparuisse *ad desititionem*
peccati per hostiam suam, id est, ut peccatum
per hostiam qua seipsum pro nobis obrulit,
aboleret. Vtraque constructio probabilis; sed
prior magis obuia, magisque feruens inten-
tioni Paulinæ. Ex quo præterea potest intelli-
gi, verbum *apparuit*, quod hîc absolutè pon-
itur non ad Deum esse referendum. hoc
modo, apparuit Deo patri cælum ingressus;
sicut dictum est paulò antè, *ut appareat nunc*
vultui Dei pro nobis: sed ad homines; ut *ap-
paruit*, sit idem quod manifestatus est; quo-
modo vertit Theophylacti interpres. Est en-
nim Græcè *πεφανερωται*, diuersù ab eo quod
suprà dixit, *ut appareat*. Eodemque verbo
Paulus vsus est Col. 3. vbi nos legimus, *Cum*
*Christus apparuerit vna vestra, tunc est vos ap-
parebitis cum ipso in gloria*. Restat difficultas
de intellectu illius partis, *in consummatione sa-
culorum*. Nam quomodo Christus per ho-
stiam suam apparuit in sæculorum consum-
matione; cum ab illo tempore quo passus
est, sæcula iam penè sexdecim fluxerint; si
sæculum æstimemus vulgari more tempus
centum annorum. Neque enim dici potest
huius epistolæ scriptorem, quisquis is fuerit,
opinatum fuisse cum hæc scriberet, finem sæ-
culi instare; tamen si illo tempore eam fuisse
multorum opinionè, colligi potest ex ijs quæ
Paulus scribit 2 Thess. 2. & Petrus 1 ep. 3. nō
enim falsæ opinionis verba dictare potuit per
hunc authorem, veritatis magister Spiritus-
sanctus; ut nec per quenquam alium. Po-
testque eadem prorsus difficultas moueri
ex verbis Ioannis 1 ep. 2, *Filii nonissima ho-
ra est*; nec non ex alijs quibusdam scriptu-
ræ locis similibus. Quidam solui posse pu-
tant hunc nodum ex Erasmiã versione:
Sub consummationem sæculorum, id est, in-
stante consummatione. Sed ea responsio su-
perius exclusã est, dum ostendimus non be-
ne Erasmus ita vertisse. Quanquam nec ea
satisfaceret. Nam propriè nec instabat con-
summatio quando hæc scribebantur; cum
ipse etiam Apostolus id apertè neget, vbi
suos Thessalonicenses admonet ne terrean-
tur, quasi instet dies Domini. Igitur ab alijs
aliæ responsiones adferuntur. Ea multorum
est, qua dicunt tempus aduentus Christi
vocari nouissimum tempus, & finem sæcu-
lorum; quoniam et si quoad nos, longè
distet à mundi consummatione; tamen to-
tum hoc tempus Deo eiusque æternitati bre-
uissimum est; ante cuius oculos *mille anni*
tanquam dies h' *sterna que præterijt*. psal. 89.
Quæ responsio videri potest esse ipsius B. Pe-
tri loco iam citato; vbi, quibusdam dicen-
tibus, *Vbi est promissio aut aduentus Domi-
ni?* respondet, *quia vnus dies apud Dominum*

sicut mille anni; & mill' anni sicut dies vnus.
Sed eo loco Petrus tantum respondet ijs qui
existimabant Dominum tardare ac iusto lon-
gius differre suas promissiones; non autem
intendit explicare, quo sensu verè tunc dici
potuerit, nouissimam horam, aut sæculi con-
summationem esse præsentem. Et, si ista ex-
positio recipiatur; omnia quæcunque facta
sunt, dici poterunt facta in consummatione
sæculi, quia totum tempus durationis sæcu-
li, comparatum æternitati breuissimum est.
Alij putant Christum in consummatione
sæculorum passum dici, quia post eam le-
gem quam Christus attulit, non alia sit ex-
spectanda. Verum nec hoc satisfacit; cum
aliud longè sit legem non mutari vsque in
finem, & ipsum finem mundi adesse. Pos-
set enim lex immutata permanere decem
millibus annorum. Oecumenius exponens
illud Ioannis, *Nouissima hora est*; dicit, no-
uissimum & extremum cuiusque rei rectè
appellari id quod est post medium. At quo-
modo? Nam duodecim sunt horæ diei. Nemo
autem septimam aut octauam horam dixerit
esse diei nouissimam. Deinde nec illud extra
quæstionè est, quod Oecumenius supponit,
Christum venisse post mediū totius tēporis.
Valde quippe incertū est, tēpus quod sequi-
tur aduentum Domini, breuius sit an lon-
gius eo quod præcessit. Sunt alij qui cōsum-
mationem sæculi interpretantur ultimā æta-
tem mundi. Ita B. Thomas; qui rem expli-
cat huiusmodi inter alia verbis: *Ultima ætas est*
status præsens; post quem non est alius status, si-
cui nec post ierum alia ætas. Sicut aut. in ma-
lijs ætatibus est numerus annorum determina-
tus, non autem in senio; ita nō est determi-
natum, quantum iste status mundi debeat du-
rare, tamen est consummatio sæculorum, qua
non restat alius status. Sic ille, citans etiam
illud Apostoli 1 Cor. 10. *Nos sumus in quos fi-
nes sæculorum deuenerunt*. Eadem est senten-
tia Glossæ ordinariæ, & Litani, & aliorum
ferè cōmunis. Porro Caeteranus sic exponit: *In*
summatione sæculorum, id est, non in principio
mundi, sed in perfectione sæculorum definiti-
torum à diuina prouidentia. Quam exposi-
tionem Ribera, post recitatas aliorū opinio-
nes, suo calculo cōprobat; dicitque; hūc sensum
esse, Cū sæcula ac tempora consummata sunt,
quæ Deus præfinierat eius passioni. vult e-
nim, quod hîc dicitur idem esse cū eo quod
habetur Gal. 4. *Vbi venit p' enitudo temporis*,
& Ephes. 1. *In dispensatione plenitudinis tem-
porum*, id est, postquā impletum fuit tempus
præordinatū à Deo. At verò, si quis bene cō-
sideret, phrasæ sunt diuersæ in sacris literis:
plenitudo temporis seu temporum, & *consumma-*
tio sæculi seu sæculorum. Illud enim significat
tempus quoddam impletum esse, etiamsi a-
liud tempus sequatur: hoc verò, tempus fi-
nitum esse aut finiri, sic ut aliud postea non
sit expectandum. Quod patet ex alijs lo-
cis, vbi consummatio sæculi nominatur, ut

Matth.

Matth. 13 semel & iterum. & apud eundem, 24 & 28. Vnde & Syrus interpres hoc loco
trāstulit, *in nouissimo mundi*. Nec refert de nu-
mero, siue sæculum dicatur siue sæcula: Nam
in locis iam citatis vtrumque habes; *sæculū &
sæcula*; tempus, & tēpora. Quocirca S. Thomæ
sententia cæteris antepōnda nobis videtur;
utpote alijs scripturis admodū consentanea:
non obstante eo quod hæc vltima ætas in tē-
pus valde longum protendatur. quam obie-
ctionem satis ipse refellit, ab ætatis humanæ
similitudine. Quod ergo dicit Apostolus, *in*
consummatione sæculorum, tale est ac si diceret:
hoc nostro tempore quando iam agitur vlti-
ma mundi ætas, postquam non expectatur
alia. iam ut sensum præsentis loci plenius af-
sequamur; norandum est, hanc pericopen,
nunc autem semel &c. respondere illi parti su-
periori: *Neque ut sape offerat semetipsum*, con-
tinet enim rationem illius ostensiuam qua
docet cur non opus fuerit Christo ut sæpius
se offerret: eandem videlicet rationem quam
attulit capit. 7. dicens: *Hoc enim fecit semel*
se offerendo. & rursus hoc capite, *Introiit se-*
mel in sancta, æterna redemptione inuenta.
Cæterum vocula *nunc*, (ut id obiter adij-
ciam) vel tempus denotat, ut referatur ad
illud, *in consummatione sæculorum*; vel potius
expletiuã est, sicut alibi interdum. Est igitur
hic sensus Apostoli: Christus non est in-
gressus in cælum, ut sæpius offerat seipsum;
nihil enim opuserat: ut qui semel, idque tem-
pore consummationis sæculorum, apparuit,
ac manifestatus est mūdo per hostiam suam;
tunc scilicet quando palam obtulit semetip-
sum in cruce: sic, inquam, apparuit, ut illa sua
oblatione peccatum semel ac prorsus abole-
uerit atque contriuerit.

Quæri hîc posset, cur demum in consum-
matione sæculorum passus sit Christus, ac
non potius statim post hominis lapsum, ut
morbo confestim adhiberetur remedium.
Sed huic quæstioni proprius est locus apud
Magistrum lib. 3 sent. dist. 1. vbi nos eam tra-
ctauimus; & apud Thomam p. 3. q. 1. artic. 5.
Hîc autem breuiter respondeo, quāuis post
tam multa sæcula passus sit Christus; remediū
tamen salutis homini lapsō nunquam defui-
se, ex quo facta est ei promissio de Christo
venturo. Nam virtus passionis eius, quod ad
meritum atinet, extenditur ad omnia sæcula,
tam præterita quàm futura. Cur autem in-
carnationem eius & passionem tam diu dif-
ferri oportuerit, duæ potissimum sunt ratio-
nes. Vna, ut primū intelligeretur quid natu-
ra, deinde quid lex posset; atque harum im-
becillitate ad sanandū hominem comperta,
tandē veniret ille qui solus per suā passionem
poterat homini perditō salutē adferre. Altera,
ut idoneis testificationibus, cuiusmodi fuerūt
oracula prophetarum, & omnes figuræ legis
antiq̄æ, multo antè prænunciatus aduentus
& passio Christi, credibilior hominibus red-
deretur, ac paratioribus animis susciperetur.

27 ET QUOMODVM STATVTVM HO-
MINIBVS SEMEL MORI. Aliud argumen-
tum quo docet Christum non debere sæpius
immolari; sumptum à communi lege seu
conditione hominum, quibus semel mori-
endum est, & non sæpius. Nam & simili
argumento, suprà, cap. 2 docuit Christum
mori debuisse; illis verbis: *Quia pueri com-
municauerunt carni & sanguini; & ipse partici-
pauit esdem*. Græca sic sonant: *Et quatenus re-
positum est hominibus semel mori*. Attamen si-
militudinem significari, probat alterum
membrum; *Sic & Christus* &c. Syra quo-
que versio sic habet: *Et sicut constitutum est*
filijs hominum ut semel moriantur. Significatur
autem lex ordinaria. Nam extraordinarium
est, quod quidam bis mortui fuerunt; utpote
resuscitati ad vitam mortalem. sicut & il-
lud, quod iuxta quorundam opinionem ab
ecclesia non improbatam, qui in aduentu Do-
mini reperientur viui, sine morte mortalita-
tem exuent. Porro siue legas, *statutum est ho-*
minibus, siue *repositum*, quomodo noster
interpres alibi vertit, ut Luca 19. Col. 1.
2 Timoth. 4. siue, quod alij malunt, *ma-*
net homines ut semel moriantur: intelligen-
dum est hanc legem ac necessitatem emana-
re ex iusto Dei decreto, quo hominem trans-
gressorem cum tota posteritate morti subie-
cit Gen. 3.

POST HOC AUTEM IUDICIUM; Subau-
di, ex parte præcedente, *statutum seu repositum est hominibus*. tamen potest etiam ab-
solutè hæc pars accipi, *Post hoc autem iudi-*
cium erit; id est, Omnibus post mortem
expectandum est iudicium, quo iudicentur
à Deo secundum merita. Sermo est de
iudicio vniuersali futuro post omnium re-
surrectionem. q. d. Posteaquam semel mor-
tui resurrexerint, non iterum morientur; sed
iudicium tunc in eos exercebitur de factis vi-
tæ prioris.

28 SIC ET CHRISTVS SEMEL OBLATVS EST.
Verbum *est* in Græco non additur, imò nec
patitur Græca consuetudo, ut addatur; & sine
eo optimè constat huius periodi sententia;
ut dubium non sit quin ab imperito quopiã,
qui putauerit ad sensum deesse, fuerit adie-
ctum. Argumentatio Pauli talis est: Christus
factus homo, subiit conditionem humanam;
atque homines mori necesse est, sed non nisi
semel: igitur & Christus semel tantum mori
debit; & consequenter semel tantum offerri;
quia oblatio hæc non fit sine morte. Loqui-
tur enim Apostolus de oblatione cruenta,
sicut superius admonui.

AD MVLTORVM EXHAURIENDA PEC-
CATA. Alij quidem homines moriuntur
propter peccatum; Christus autem mortuus
est *ad exhaurienda*, vel ut alij vertunt, *ad iol-*
enda peccata. Nam Græcus infinitiuus *ἀ-*
νευρέν, cuius verbū est *ἀναφέρω*, variè exponi-
tur ab interpretibus. Significat enim *referre*,
sursum ferre, *offerre*; item *auferre*, seu *tollere*,

Y y 3

quomodo

quomodo vertit Erasmus. Quod consonat cum vulgata versione. Nam qui exhaurit, penitus tollit. Verum Chryostomus ac ceteri Græci de oblatione interpretantur, hoc sensu: Oblulit ea patri, remittenda, quomodo nos peccata nostra Deo offerimus, dicentes, *Dimitte nobis debita nostra*. Constat enim Græcum verbum, etiam in scripturis, interdum accipi pro eo quod est offerre; vt Iacobi 2. *Offerrens Isaac filium suum*. 1 Pet. 2. *Offerre spirituales hostias*. Et in hac ipsa epistola cap. 7. semel & iterum, dum ait: *Qui non habet necessitatem, quotidie prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo*. Et infra cap. 13. *Per ipsum offeramus hostiam laudis*. Fauet etiam huic intellectui versio Syriaca, quæ sic habet: *Et in seipso immolauit peccata multorum*. Sed tamen hæc interpretatio non parum habet incommodi. Primum, quia à lingua scripturæ sacræ alienum est dicere quod peccata Deo offerantur. Semper enim oblatio de bonis intelligitur. Deinde, quia sermo Apostoli erit inconcinnus, *Christus oblatus est vt offerret peccata*. Multo quippe conuenientius dicitur *oblatus vt auferret*, destitueret ac destrueret peccata; sicut paulò antè dictum est. Denique, si oblationem significare voluit Apostolus; quorsum attinebat verbum mutari in eadem sententia? Iam enim alio verbo dixerat Christum oblatum esse. Quare dicendum potius arbitror, Græcam vocem hinc positam pro eo quod est *fursum ferre, sustollere, supra se leuare*; hoc autem est *portare*: vt sensus sit, Christum oblatum fuisse, vt peccata multorum portaret, id est, pœnam peccatis eorum debitam in se reciperet, & per hoc ea tolleret atque deleret. Vnde, cum hoc sensu satis conuenit quod noster Interpres vertit, *exhaurienda*; Erasmus, *tollenda*: præterquam quod *tollenda* potest etiam intelligi *portanda*; sicut Erasmus intellexisse paraphrasis eius docet. Ad hunc autem modum scriptura loqui solet de Christo, vt Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Et iterum: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Denique in fine eiusdem capituli, *Ipse peccata multorum tulit*; vbi secundum LXX legitur idem verbum quod hoc loco: vt penè certum sit Paulum hæc scribentem ad illum Isaïæ locum respexisse; quemadmodum & Petrum verisimile, quando dixit 1 epist. 2. *Qui peccata nostra ipse per tulit in corpore suo super lignum*. Nam & eo loco idem est in Græco verbum. Pertinet eodem quod Ioannes Baptista de Christo dixit: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*. Tollit, id est, portat.

Iam illud quaeritur, cur Apostolus dixerit, *multorum* & non omnium. Breuis & bona responsio est, Christum, quantum ad sufficientiam passionis attinet, omnium hominū peccata tulisse; quia valebat ad omnium redemptionem: quantum verò ad efficientiam, non omnium, sed multorum. Non enim omnes

per eam redempti sunt & saluati; sed solum electi. Quod ergo dicit Apostolus, imò propheta, *multorum*, electos intellige, id est, oues Christi, pro quibus animam suam ponere se dicit Ioan. 10. quos ipse etiam *multorum* nomine designat interdum; vt quum dicit se venisse vt *daret animam suam redemptionem pro multis*, Matth. 20. & Marci 10. & quum de sanguine suo dicit: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. 26. Mar. 14. & in canone missæ. Quin ex hoc Apostolico loco concilium Valentianum in Gallijs habitum anno Domini 855 docet cap. 4. Christum non fuisse sanguinem pro omnibus omnino hominibus, sed tantum pro ijs qui credunt: damnatque erroris eos qui secus sentiunt. De quo errore locus ipse concilij consulendus est. Quod autem nonnulli *multos* interpretantur *omnes*; non satisfacit, nam improprietas illa sermonis, vt alicubi recipiatur, non est tam multis locis ascribenda.

SECUNDO, SINE PECCATO APPAREBIT EXPECTANTIBVS SE, IN SALVTEM. Istud membrum respondet illi, *Post hoc autem iudicium*. Hoc enim & Christo accommodatur, non vt iudicando, sed vt iudicando, & præmia redemptis atque electis suis reddituro. *Apparebit*, Græcè *ὀφθίσεται, videbitur, conspicietur*; scilicet palam ac manifestè. Quod ait, *sine peccato*, non est sensus, non habens peccatum; Nam & in primo aduentu peccatum non habuit: sed *non portans peccatum*. Primo enim aduentu, quando se obtulit in cruce, portauit ac sustulit in se multorum peccata; sicut iam dictum est: at in secundo aduentu nihil tale. Quoniam autem sine peccato apparebit; ideo & sine morte, nimirum immortalis iam & gloriosus. Sensem hunc illustrat antithesis huius locutionis cum ea quæ paulò antè dixit Christum *per hostiam suam apparuisse*. Opponit enim hæc duo, *apparere per hostiam suam, & apparere sine peccato*. Porro quod addit, *in salutem*, quamuis ad id quod proximè præcedit, referri possit, hoc sensu; Apparebit ijs qui ab ipso salutem expectant; commodior tamen sensus erit, si construat cum verbo, *apparere*, hoc modo: Quum iterū veniet, *apparere in salutem*, id est, palam conspicietur adferens salutem ijs qui patienter ac perseueranter inter huius vitæ persecutiones & aduersitates eum expectauerint. Nam incredulis, & proinde non expectantibus, apparebit ad damnationem & pœnam æternam. Loquitur autem Apostolus non de ijs tantum qui viui reperientur in aduentu Domini, sed generatim de electis. Omnibus enim electis communis est ista Christi Saluatoris expectatio, etiam ijs quorum animæ iam cum Christo regnant. Nam salus intelligitur non animarum sed hominum; eaq; perfecta, vt nec animæ quicquam beatitudinis desit, nec corpori. Quæ salus ordinaria lege nemini contingit ante secundum Christi aduentum.

S V M M A R I V M.

D Eclarata legis & sacrificiorum eius imperfectione, docet Christum vna oblatione consummasse sanctificatos. Horiatur vt spem firmam retineant, collectionem non deserant; cum voluntariè peccantibus non relinquatur pro peccatis hostia, sed scribibile iudicium Dei. Deinde ad patientiam cohortatur.

CAPVT X.

V MBRAM ENIM HABENS LEX FUTURORVM BONORVM, NON IPSAM IMAGINEM RERVM. Suprà docuit Christum semel oblatum aboluisse peccatum, & æternam parasse redemptionem: Nunc ex aduerso ostendit, legem per sua sacrificia nihil eiusmodi præstare potuisse, sumpto argumento ex ipsorum sacrificiorum annua repetitione. Coniunctio causalis enim supponit hanc aut similem illationem ex ijs quæ proximè dicta sunt; Ergo salus est à Christo expectanda, non ex lege. Nam *lex*, inquit, *umbram habens &c. perfectos facere non potest*. Quo plenior autem atque neruosior sit probatio; legem ita describit, vt ex ipsa quoque eius descriptione possit imbecillitas eius agnosci, id est, ex eo quod dicit, *legem habere umbram futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*; legem utique intelligens ceremonialem, præsertim quoad sacrificia. Sunt autem huius partis apud commentatores diuersæ expositiones; prout aliter atque aliter accipiuntur *umbra*, & *imago*, & *futura bona*. Quidam metaphoram *umbra* ductam putant ab arte pictoria. Solent enim pictores primū carbone vel creta delineare eam rem quam sibi proponunt exprimendam; quæ rudis pictura vocatur *umbra* sive adumbratio, propter obscuram representationem: Deinde autem viuos colores penicillo inducunt, vt iam sit distincta & expressa rei similitudo; quæ proprie dicitur *imago*. Censent igitur auctores illi legem veterem dici *umbram futurorum bonorum*; nouam verò legem *eorundem esse imaginem*: quod bona futura (quæ illi interpretantur bona cælestis patriæ) valde testè & obscurè significata fuerint per ea quæ agebantur aut promittebantur in veteri lege; nunc autem, apertè & clarè per ea quæ in noua lege aguntur, eadem bona significentur; imò & in ea expressè ac remoto omni velamine, promittantur. Verum, quia scriptura nusquam alibi metaphoram hanc spectat in vocabulo *umbra*, sed semper vmbam ad corpus refert, etiam vbi de ceremonijs agit Moisaicis; vt manifestè videre est ad Col. 2. (quod & de loco huius epistolæ cap. 8 ostendimus): idcirco magis placet legem propterea vocari *umbram futurorum bonorum*; quoniam sicut *umbra*, corporis à quo projicitur, imperfectissima similitudo est; ita lex per suas cere-

monias admodum obscurè & imperfectè significabat bona futura. Arque ita ferè Latini, Anselmus, Aquinas, Caietanus, Arias Montanus, & alij. Horum etiam plerique per *futura bona* intelligunt bona patriæ cælestis; vt sensus Apostoli sit; legem per suas ceremonias velut vmbas obscurè significasse bona cælestia; nouam autem legem, instar imaginis, eadem bona tum significare tum promittere signis ac verbis perspicuis & apertis. Qui sensus, etsi diuersa acceptione *umbra*, tamen quoad rem satis conuenit cum priore. Sed si non aliud voluit Apostolus his verbis, quam quod vterque hic sensus continet; scilicet legem veterem obscurè, nouam apertè representare futuri sæculi bona: non aliud ergo docet quam vtramque legem esse typicam & figuratiam; hoc discrimine, quod verus lex sit typus obscurus; noua, typus expressus. At ea res nihil facit ad ostendendam veteris legis præ noua imbecillitatem. Siue enim apertè, siue obscurè ceremonia quæpiam representet gloriam cælestem: non ideo plus aut minus efficaciter valebit ad eam præstandam; vt bene declarat Ribera. Deinde, nec verum apparerent omnes legis ceremonias institutas fuisse ad præfiguranda cælestis patriæ bona: sed earum institutio id habet vt omnes referantur ad Christum, velut *umbra* ad corpus; sicut dicitur Col. 2. *Quæ sunt umbra futurorum; corpus autem Christi*. Christum autem intellige secundum ea præcipuè, quæ pro nostra salute gessit; vt quod natus, passus, mortuus est &c. & secundum ea quæ nobis suo aduentu & passione contulit; vt sunt peccatorum remissio, iustificatio, & cætera nouæ legis promissa. Hæc igitur sunt *futura bona quorum lex dicitur umbram habere*. Quanquam ea omnia dici possunt; & ab Apostolo in superioribus dicuntur cælestia, quatenus ordinantur ad ea bona quæ in cælis expectamus. Porro cum *negat legem habere ipsam rerum imaginem*; nomen *imaginis* non usurpat pro expressa representatione rei alicuius: sed pro ipsa re exhibita ac representata; quomodo dicitur facies hominis esse imago hominis, cum in ea ipse homo secundum se videatur. Quomodo & Christus, cum sit Deus, vocatur *imago Dei*. 2 Cor. 4. & Col. 1. Sic & *species* accipitur interdum; vt 2 Cor. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speciem*; id est, Deum, vt in seipso est, & quomodo beatis representatur, necdum videmus. Quod ergo dicit, *non ipsam imaginem rerum*; idem est ac si diceret, *non ipsam speciem rerum*; id est, non res vt in seipsis conspiciuntur. Vnde & Syrus ita vertit; *In lege enim umbra erat bonorum futurorum, & non substantia ipsarum rerum*. Hæc *imaginis* explicatio est apud Chryostomum & Theophylactum, quos sequuntur Gaignæus, Arias Montanus & Ribera. Hi enim *imaginem rerum* interpretantur ipsam veritatem cuius vmbra præcesserunt. Et hic sensus confirmatur ex ipsis Apostoli verbis. Non enim sic dicit, *Umbra ha-*

bens lex futurorum bonorum, non eorum imaginem; quomodo secundum superiores sensus dicendum fuisse: sed ait, *non ipsam imaginem rerum.* Dicendo enim *ipsam*, & addendo *rerum*, significauit res ipsas presentes, atque in seipsis representatas. Præterea postulat hunc sensum scopus Apostoli, cuius disputatio tota in eo versatur, ut doceat legem ac vetus testamentum non præstitisse bona salutis, sed præfigurasse dumtaxat sub umbris quibusdam, id est, obscuris significationibus: cæterum ea bona conferri & exhiberi per legem nouam; hoc est, per Christum noui testamenti auctorem. Denique, iam patet quam appositè hoc ab Apostolo dictum fuerit ad declarandum legis imbecillitatem præ Christo; quod priores illi sensus non declarabant. Hinc etiam intelligere licet quam ineptè ratiocinentur sacramentarij, dum ex eo quod eucharistia vocatur interdum imago Christi aut corporis eius; concludunt in ea Christum ipsum non esse cum suo corpore præsentem. Sic enim illis nec Christus erit Deus, quia est imago Dei.

PER SINGULOS ANNOS EISDEM IPSIS HOSTIIS, QUAS OFFERVNT INDESINENTER, NVNQVAM POTEST ACCEDENTES PERFECTO SFACERE. Græcè vna dictione *πελειώσαι, perficere*. Sermo totus sic ordinandus & exponendus est; Lex ijs hostijs quas singulis annis eisdem indesinenter (vel ut Græcè est, assidue, & iugiter) offerunt sacerdotes, nūquam potest accedere siue offerentes, hoc est, eos ipsos sacerdotes, reddere perfectos, id est, sanctificare, iustificare. Quidam *accidentes* generaliter intelligunt; tum sacerdotes, tum alios pro quibus hostiæ offerbantur. Sed etsi soli intelligantur sacerdotes, quos & infra nominat *cultores*, id est, sacrorum ministros. (Sic enim & capite præcedenti dixit: *Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem*, id est, cultorem, seu ministrum suum): de alijs tamen idem relinquatur iudicium. Nam si lex non poterat perficere ipsos offerentes; certè nec alios pro quibus aliquid offerebatur. Et, si perficere non poterat pontifices; ergo nec inferiores sacerdotes. Respicit enim Apostolus, ut bene post Aquinatem Caietanus admonet, ad ea sacrificia, quæ singulis annis offerebantur à pontifice in die expiationis; qui erat decimus dies mensis septimi: de qua re Leuit. 16 & 23. Sed idem de cæteris collige. Nam si sacrificium peculiariter ad expiationem institutum, expiare non poterat: quanto minus alia sacrificia quæ toto anno offerebantur? Notandum autem in priori parte huius sententiæ contineri rationem posterioris. Ex eo namque quod illa sacrificia singulis annis eadem offerenda erant, nec vnquam recurrentibus annis offerri desinebant: inferri vult, ea non potuisse cultores suos perficere. Quam illationem probat sequentibus verbis:

2. ALIOQVİN CESSASSENT OFFERRI. Plerique codices Græci negationem addunt:

sed ita ut interrogatiue legendum esse moueant Theophylactus & Oecumenius; *Alioquin nonne cessassent offerri?* q. d. omnino. Sensus igitur idem est vtriusque lectionis; nempe, cessare debuissent sacrificia legis, si potuissent offerentes facere perfectos. Nostræ lectioni suffragantur Regia biblia, & interpretatio Syriaca. Sic etiam cohæret id quod sequitur,

IDEO QVOD NVLLAM HABERENT VLTTRA CONSCIENCIAM PECCATI CVLTORES SEMEL MVNDATI. *Peccatis*, Græcè & Syriacè *peccatorum*. *Cultores*, Græcè *λατρεύοντες, colentes, ministrantes*. Erasmus, qui *sacrificassent*; Anselmus quoque *sacrificatores* exponit: hic enim cultus intelligitur. Probatio talis est: Si legis sacrificia potuissent offerentes perficere, & à peccatis mundare; iam desissent offerri. Semel enim per eorum oblationem sanctificati & à peccatis mundati cultores, nullā amplius haberent conscientiam peccatorū, propter quæ sacrificia ipsis repetenda forent. At qui non desinunt offerri; Lex enim præcipit ea repeti per singulos annos; ergo nunquam possunt cultores siue offerentes, perficere & à peccatis mundare. Ita quidem Apostolus. Sed quod in hac argumentatione primū sumitur magnā ac difficilē habet quæstionē; quo pacto verum sit, & quā rectè probetur per rationem subiunctam. Dicent enim Hebræi, singulis annis, imò singulis diebus eisdem hostias secundum legem offerri, non quod offerentem à peccatis mundare nequeant, sed quia prioribus remissis noua subinde peccata committantur, quæ nouis sacrificijs sint expianda. Deinde, si vera est Apostoli propositio & bona eius probatio: pari ratione docebitur, Missæ sacrificium quod in ecclesia Catholica frequentatur, nullam habere vim sanctificandi, nec esse propiciatorium: id quod hæretici nostri temporis vehementer contendunt, hoc Apostoli loco potissimum nitentes. Nam, inquit, cū Apostolo sic ratiocinamur: Si Missæ sacrificium posset Deum homini peccatori propiciare; iam cessasset offerri, propterea quod homo semel à peccato mundatus nullam amplius haberet conscientiam peccati. Non cessat autem offerri; ergo non potest Deum homini propiciare.

Hanc posteriorem obiectionem sibi faciūt omnes ferè commentatores orthodoxi; nominatim Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & is qui titulum gerit Ambrosij, ac cæteri Latini, hos secuti. Qua ex re licet intelligere, neque nouam neque improuissam esse hanc hæreticorum obiectionem: & intelligitur hinc illud præcipuè, quam illustre testimonium antiquitatis habeat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod in ecclesia offertur; quando veteres huius loci tractatores tā sollicitè conātur diluere, quod aduersus illud ex his verbis poterat obijci. Priusquam autē his obiectionibus respondeatur; ostendendum quanta absurditas eos sequatur; qui

Pauli

Pauli sententiam, qua ex repetitione sacrificij colligit eius inefficiam, ita crudè accipiunt, ut verba primo auditu sonant. Etenim si repetitio sacrificij arguit eius inefficiam ad tollendum peccatum: eadem erit ratio de alijs remedijs ad purgationem peccatorum diuinitus ordinatis; ut sunt opera fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, misericordiæ, oratio Dominica, atque ipsum pœnitentiæ sacramentum. Quæ omnia frequentantur à fidelibus, ut per hæc iterum atque iterum à peccatis emundentur. Quoties enim peccauimus; remissionem peccati querimus, excitado in nobis fidē mediatoris cum fiducia impetrandæ veniæ, & ad opera charitatis, pœnitentiæ, misericordiæ recurrimus, pactum orationis Dominiq̄ obtemdimus, dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Denique confugimus ad sacramentum reconciliationis; quod nemo nisi Nouatianus repeti posse negat. Hæc autem omnia frustra; si remediū ex eo inefficax est ad remittendū peccatū, quia subinde repetitur: præsertim cū hæc omnia aut pleraque eorum, in scripturis etiā sacrificia vocentur; ut sacrificium orationis, spiritus contribulati, cordis contriti & humiliati, item beneficentiæ, laudis & cōfessionis, in hac ipsa epistola capite vltimo. Quid, quod hac ratione etiā ipsi baptismo sua virtus sanctificandi detrahetur; & malè à Petro dictum erit Iudæis, *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Act. 2. Malè etiā Saulo ab Anania; *Baptizare, & abluere peccata tua*. Act. 22. Nā etsi idem homo non sit iterum baptizandus: baptisimū tamen sacramentum nō semel dūtaxat peractum est, sicut Christus in cruce semel oblat; sed quotidie celebratur in ecclesia. Ne igitur ad hæc & huiusmodi absurda ducamur: videndum quo sensu vera sit & valeat Apostoli ratio de sacrificijs antiquæ legis; Si perfectos facerent offerentes, cessassent offerri. Respondent Chrysostomus & qui eum sequuntur, oblationem sacrificij nostri quotidiani non esse diuersam ab illa qua Christus semel obtulit seipsum in cruce; sed vnā & eandem. Idem enim Christus qui semel obtulit seipsum cruentē, quotidie in mysterijs incruentē per manus sacerdotum offertur: non alia atque alia oblatione, sed vnus & eiusdem oblationis semel factæ commemoratione; sicut ijs præceptum est: *Hoc facite in meam commemorationem*. In lege autem veteri non eadem semper hostia, sed diuersæ offerebantur, quotiescunque offerendum erat. Verū huic responsioni potest opponi, quemadmodum & Calvinus opponit; Apostolum expressè loqui de iisdem hostijs iteratō oblati. *Per singulos annos*, inquit, *eisdem ipsis hostijs quas offerunt indesinenter*. Et infra, *eisdem offerens hostias*. Respondet Theophylactus eandem fuisse hostias, quatenus eadem species offerebantur, velut agnus hodie, & cras iterum agnus; non autē eandem quoad numerū: Christū autē olim oblatum,

vnū prorsus & eundē offerri quotidie. Sed nec ea responsio pacabit aduersariū. Ut enim res oblata sit eadem; tamen causabitur oblationes esse diuersas, utpote actiones inter se distinctas. Quod enim ad rem oblatam attinet, siue illa sit eadē siue diuersa; modò oblatio eius iteretur, ex Apostoli ratione probari ineptā ad hominē perficiendum. Deinde manet adhuc obiectio de sacramēto pœnitentiæ, deq̄ sacrificijs spiritualibus, quæ sæpe repetenda sunt, etsi numero nō eadem. Responderetur, in quotidiano missæ sacrificio actiones quidē, ut in seipsis cōsideratur, esse diuersas, & proinde oblationes multas; imò & sacrificia multa, si sacrificij nomine intelligas non rē oblatā, sed actionem offerentis: Verū omnes illas siue actiones siue oblationes, reputari debere tanquā vnā; eo quod omnes ad vnā referantur ex qua dependent; omnes inquā, incruentā, ad vnā cruentā quæ facta est in cruce, à qua omnem suam vim & efficaciam hauriunt; perinde ut sacramenta noui testamenti. Sicut enim per ista nobis applicatur & ad nos deriuatur salutaris virtus passionis Christi: sic & per oblationes sacrificij missæ; non solū in remissionē peccatorū quæ à nobis quotidie committuntur, verū etiam ad alia diuine gratiæ beneficia consequenda: id quæ eo magis quod hoc sacrificium, ex institutione Christi, cōmemoratorium sit illius vnici sacrificij quo seipsum pro nobis obtulit in cruce. Similiter autē dicendum de sacrificijs bonorum operū. Reputantur enim omnia ut vnū sacrificium, propter vnā Christi oblationem, à qua dependent, & rationem habent sacrificij Deo placiti. At verò sacrificia veteris testamenti, ut talia, non referebantur ad vnā aliquam oblationem à qua vim sanctificandi acciperent; ne quidem ad sacrificiū crucis; sic enim ad nouū testamentum pertinuissent: sed singula per se ac seorsim exhibebantur; prout habebat institutio veteris testamenti. Itaque simpliciter & multa erant, & ad sanctificandum inutilia. Ex his igitur iam intelligi potest, quomodo rectè colligat Apostolus inefficiam sacrificiorum veteris legis, ex eorum repetitione: & cur simili argumēto nō expugnetur efficacia quotidiani sacrificij Missæ. Nam illa vetera repebantur ut diuersa, nec ad vnum aliquod sacrificium, ex quo dependerent & vnde vim suā acciperent, ordinata. Sacrificium autem Missæ nō offertur ut diuersum à sacrificio crucis, sed ut vnum cum eo. Semper enim offertur in illius cōmemorationem; ut nouerit sacerdos non aliunde quā ex illo vno sacrificio quod in cruce oblatum est, quotidiani sui sacrificij, fructum esse expectandum. Ad priorem verò obiectionē respondet B. Thomas & Liranus, peccatū, cū sit quoddam spirituale cælestibus oppositum, mundari nō posse, nisi per aliquid spirituale & celeste, quod proinde virtutem habeat perpetuam. Quod autē tale est, sufficere ad omnia peccata remittēda, tam futura quā præterita, ideoque non oportere

ut amplius

vt amplius ireretur. Hanc responſionem Ribera diuerſis ac pluribus verbis explicat. Summa eſt: ad noua peccata expianda non opus eſſe nouis ſacrificijs; quoniam nec priora remitti poterant niſi per ſacrificium aliquod inſinitæ virtutis, quod æquè valeret ad omniū remiſſionem tam præteritorum quàm ſequentiū: tale autem in veteri lege nullum fuiſſe. Porro Caietanus aliter reſpondet, & quidem conformiter textui. Dicit enim Apoſtoli probationem quæ eſt in his verbis, *ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati* &c. formaliter intelligendam eſſe; & vim rationis in eo conſiſtere, quod lex inſtituit vt cultores, etiam iſdem, ſingulis annis offerant idem ſacrificium. Quod ſanè lex non præciperet, ſi ſacrificium illud mundatæ à peccato; quandoquidem homines ſemel mundati non egebant iterato ſacrificio. Nec minuitur, inquit, efficacia rationis ex eo quod ſemel mundati poterant iterum peccare, per quod indigerent iterata oblatione: quoniam vis rationis conſiſtit in formali ratione cultorum ſemel mundatorum; quos lex nõ iubet ſingulis annis offerre, ſi fuiſſent mundati. Sic ille; quaſi diceret, ex præcepto legis iterandum fuiſſe ſacrificium poſtici non habita ratione relapſus in peccata. Nam ſiue peccaret iterum ſiue non peccaret: offerre debebat. Quæ res erat argumẽto, nõ fuiſſe præceptam oblationis iterationem propter remiſſionem peccatorum, ſed propter aliud, id eſt, propter eorum commemorationem; vt verba ſequentia declarant.

3 SED IN IPSIS COMMÉMORATIO PECCATORVM PER SINGVLOS ANNOS FIT. Verbum ſi interpres addidit de ſuo, explẽdæ ſententiæ gratia. Quoniam oſtenſum eſt, hoſtias quæ anniuersario die expiationis eadẽ ſemper offerbatur, non potuiſſe auferre peccata; nunc, ne fruſtra videantur inſtituta, docet quem uſum habuerint, nimirum commemorationis ſeu recordationis peccatorũ, quæ quotannis fiebat in ipſarum oblatione. Reſpicit enim ad conſeſſionem peccatorum totius populi, quã in die expiationis faciebat pontifex, vtraq; manu poſita ſuper hircum emiſſariũ; de qua Leuit. 16. *Conſeatur, inquit, omnes iniquitates filiorum Iſrael, & vniuerſa delicta atque peccata eorum.* Hanc conſeſſionem vocat *commemorationem peccatorum*; quia qui peccata ſua conſiteatur ea reuocat in memoriam. Cũ autem conſeſſio peccati ſit accuſatio ſui; vult intelligi Apoſtoli in illis hoſtias non fuiſſe peccatorum remiſſionem, ſed accuſationem; vt per hoc ſignificaretur eorum remiſſionem aliunde eſſe perendam. Dices, Scripturam, eodem loco, poſt conſeſſionem meminiffe remiſſionis peccatorum. Nam & hircus portabat omnes iniquitates filiorum Iſrael in terram ſolitariam: & poſtea ſic dicitur: *In hac die expiatio erit veſtri atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris. coram Domino mundabimini.* Reſpondeo, remiſ-

ſionem illam non veram fuiſſe, ſed legalem ac figuratiuam; ſicut & ceteras peccatorum remiſſiones, de quibus in Leuitico. legalem quidem, quia tantum valebat ad auertendas legis minas: figuratiuam verò, quia ſignificabat veram remiſſionem dandam per Chriſtum.

4 IMPOSSIBILE ENIM EST SANGVINE TAURORVM ET HIRCORVM AVFERRI PECCATA. In Græco & Syriaco locutio eſt actiua, ſed quæ eundem ſenſum faciat: *Impoſſibile eſt enim ſanguinem taurorum & hircorum auferre peccata.* Et ita legit Hieronymus in commentario Micheæ 6. Cumque ſit in Latino minimum diſcrimen: ſatis veriſimile eſt etiam noſtrum interpretẽ ita vertiſſe. Probatio eſt eius quod dixit, in hoſtias illis non fuiſſe peccatorum remiſſionem, ſed nudam commemorationem. Non enim fieri poteſt vt occiſorum animalium ſanguine peccata remittantur. Nominat autem *tauros & hircos*, quia vtrumque hoc animal offerrebat in die expiationis. Poſſet quidẽ Deus inſtituere, ſi veller, vt ſanguis brutorum auferret peccata; ſicut in baptiſmo aufert aqua: ſed impoſſibile hoc dicit Apoſtoli, eo ſenſu quo putabat carnalis Iudæus; ſcilicet, immolationem eiſmodi animalium ita per ſe gratam eſſe Deo, vt propter eam peccata remitteret ijs pro quibus offerrebat. Contra quem ſenſum clamant prophete. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à re malicias tuas in quibus gloriata es?* Ierem. 11. *Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in milibus millibus hircorum pinguium?* Micheæ 6. Hoc autem ſenſu nec aqua poteſt auferre peccata. Verũ filij nouæ legis, aſcribentes aquæ purgationem peccatorum, conſiderant eam vt ex inſtitutione diuina adhibetur & valet ad abluendum hominem à peccatis in ſanguine Chriſti. Quo ſenſu dicit infra hoc eodem capite, *Abluu corpus aqua munda*; qua nimirum conſcientia munda detur à peccatis. Quod ſi Iudæus aliquis ſpiritualiter ſapiens, cum fide mediatoris illa legis ſacrificia offerret; vti que ſenſum remiſſionis peccatorum percipiebat. Vnde tres pueri in fornace Babylonis ſic orant: *Sicut in holocausto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium; ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, vt placeat tibi.* Daniel. 3. Orat etiam ſacerdos Deum in canone miſſæ, vt ſuper propoſita myſteria propicio ac ſereno vultu reſpicere dignetur; & ea accepta habere, ſicut accepta habere dignatus eſt ſacrificia Abel, Abraham & Melchizedec. Nec ideo cõfunditur diſcrimen ſacrificiorum ſiue ſacramentorum veteris ac nouæ legis: nam ſacramenta veteris legis vt talia, id eſt, quatenus ad vetus teſtamentum pertinebant, nihil conferebant gratiæ ſpiritualis: ſed ſi quis, vt dixi, ad ea accederet vt filius noui teſtamenti, reſpicens in mediatorem; gratiam conſequebatur. Quanquam ſacrificia quæ Abel, Abraham & Melchizedec obtulerunt, nec veteris

nec

nec nouæ legis erant inſtituta; Deo tamen placita propter offerentiam deuotionem. At ſacramenta nouæ legis, vt talia ſunt, ad gratiam præſtandam valent.

Eſt autem notandum, quemadmodum in epistolis ad Rom. Gal. & Phil. apoſtoli docet, ex lege non eſſe iuſticiam; ita in hac epistola eum ex profeſſo docere, ex ſacrificijs legis haberi non poſſe purgationem peccatorum. Quare, ex apoſtoli ſententia, ſicut lex non iuſtificat; ita ſacrificia legis non propiciant: nimirum per ſe & ſecundum propriam inſtitutionem conſiderata. Sicut ergo de lege dixit Rom. 8. impoſſibile fuiſſe vt iuſtificationem per eam impleteretur in nobis; ita hinc dicit de ſacrificijs legis, impoſſibile eſſe, vt per ea auferantur peccata.

5 IDEO INGREDIENS MVNDVM DICIT. Hic iam teſtimonio prophetico confirmat ſtatum ſuæ diſputationis, nepe vetera ſacrificia propter ipſorum imbecillitatẽ abrogari debuifſe, ſuccedente vno & efficaci ſacrificio paſſionis Chriſti. *Ingreſſiens*, Græcè εἰσέρχου, quod etiam verti poteſt, *ingreſſurus*; ſicut ſimplex verbum, ὁ ἐρχόμενος, qui venturus eſt. Matth. 11. & alibi. *Mundum* vocat habitationem generis humani, vel ipſum genus humanum; ſic enim frequenter accipitur apud euangelistas. Dicitur autem *mundum ingreſſus* filius Dei, quando per incarnationem cœpit eſſe homo inter homines. Quomã, inquit, impoſſibile erat per ſacrificia legis Deũ hominibus propiciari: idcirco *φιλάνθρωπος* Dei filius, per aſſumptionẽ carnis in mundum veniens (ſeu venturus) cauſam ſui aduentus per prophetã declarat. ita loquens ad Patrem; *Hoſtiam & oblationem noluiſti.* Locus & pſal. 39. quem citat more ſuo iuxta verſionẽ LXX. Vbi ſtatim obſerua. prophetam enumerare quatuor genera ſacrificiorum veteris legis: ſcilicet hoſtiam & oblationem; & mox, holocausta, & pro peccato. De quibus omnibus agitur in Leuitico. Differunt autẽ hoc modo: Per *hoſtiam*, Græcè θυσία, cuius loco zebah eſt in Hebræo, ſignificatur victima pacificorum, ſeu gratiarum actionis; tamenſi Genebrardus putat hoc nomen eſſe commune ad tertium & quartũ genus. Per *oblationem*, Græcè προσφορά, Hebræicè מִנְחָה (quod alij *munus* vertunt) intelligitur quæuis inanimatarum rerum oblatio; velut ſimilæ, turis, panum, laganorum & primitiarum: de quibus Leuit. 2. vt *oblationes* hinc dicantur, quæ apoſtoli ſuprà cap. 5. 8 & 9 vocauit *δῶρα*, id eſt, dona ſeu munera. Per *holocausta*, quæ & *holocausta*, ſignificantur quæ ex animalibus tota cremabantur; vt ipſa vocabula ſonant. Denique poſtremum mēbrum ea ſacrificia comprehendit, quæ pro peccatis offerrebantur, id eſt, propiciatoria.

Sed, cum hæc omnia Deus ipſe data lege inſtituerit; atque etiam miraculo ignis cœlitus demiffi quo ſacrificium conſumeretur, approbauerit, vt Leu. 10. 1 Par. 21. 2 Par. 7. & 3 Reg. 18. cumque Dauid in pſalmis, nunc ea ſe ob-

tuliſſe dicat, nunc offerenda voueat: quomodo dicitur Deus *ea noluiſſe?* aut quomodo *ei nõ placuerunt?* Quidam reſpondent, illa ſacrificia non habuiſſe ex ſe vnde Deo placerent, ſed tantũ placuiſſe ex fide & deuotione offerentium: Chriſti verò ſacrificiũ per ſeipſum fuiſſe Deo acceptũ. Verũ hæc reſponſio cauſam non continet cur illa priora Deus *nolle*, id eſt, reijcere, dicatur. Quod enim placet & prodeſt ex offerentiũ fide ac deuotione, non apparet reijciendũ. Alia reſponſio eſt, nõ placuiſſe Deo vetera ſacrificia ſic vt omniũ hominũ peccata per ea tollerentur; ſiue, quod idẽ eſt, vt Deus humano generi reconciliaretur. At contra: Si valebant ſaltem ad aliquorum hominũ tollẽda peccata; poſſent vti que multiplicata tandem omniũ peccata tollere. Deinde, præter mentẽ apoſtoli eſt vt vel vnus peccati remiſſio ſacrificijs illis attribuat: id quod clarẽ patet ex antedictis. Eſt igitur vera reſponſio, nulla veteris legis ſacrificia, cuiuſcun que eſſent generis; quatenus quidem erãt eiſmodi, Deo placita fuiſſe: nec cuiquam potuiſſe prodeſſe ad iuſticiam vel ad vllam iuſticię partẽ. Loquitur enim apoſtoli, vt ex tota eius diſputatione, atque ex ipſa ſacrificiorum enumeratione, conſtat, de ſacrificijs veteris legis: ne quis hinc quaſtionẽ moueat de ijs quæ obtulerunt Abel, Abraham, atque alij ante legem. De quibus quid ſentiẽdum ſit, iam ſuprà dixi. Igitur, quo ſenſu in ſuperioribus dictum & replicatũ eſt, *legem veterem nihil ad perfectum adduxiſſe; vetus teſtamentum culpa nõ vacante; munera & hoſtias quæ ſecundũ legem offeruntur, non poſſe iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruitutem; impoſſibile eſſe vt taurorum & hircorum ſanguine peccata auferantur*: eadem ratione nunc (ad ſenſum Apoſtoli) dicitur ea ſacrificia legis noluiſſe; quã nimirum per ea quatenus ad legẽ pertinent, nec placatur Deus, nec quicquam verã ſanctiſtatis nobis impertitur.

ADDITIO B. P.

Fortaſſis propoſitæ quaſtionis ſufficit ſi dicatur, quod Chriſtus Dominus per illa verba, *Noluiſti, & non tibi placuerunt*, prægnat; ceſſaturam legem ceremonialem & quæ per eam præſcribebantur ſacrificia; ceſſatura autẽ omnia hæc ipſius aduẽtu; ſicut figura ceſſare debet præſente veritate quã prægnabat: vt pote quæ deinceps falſam ſignificationẽ ſit habitura, idq; in materia cultus diuini; eaq; de cauſa merito Deo diſplicitura. Huc videtur pertinere quod huius c. verſ. 8 & 9 ait apoſtoli, interpretas hæc verba, ac de Chriſto loquens; *Superius dicens, Quia hoſtias &c. tunc dixi: Ecce venio &c. aufer: primum vt ſequens ſtatuat.*

Ceterũ de toto hoc pſalmi loco, diſceptatur à nonnullis, vtrum ſecundũ literam ad Dauidis perſonã referendus ſit, an ad perſonã Chriſti. Sunt enim qui vehemẽter contẽdant totum pſalmũ de Chriſto iuxta literalem intelligentiã à Dauide conſcriptum eſſe. Nobis magis probabile eſt, id quod lanſenius & alij docti ſentiunt, Dauidẽ de ſeipſo loqui toto

pſalmo;

psalmo; sed ita ut in Christū respexerit, eiusq; in his quæ scribit, sicut in alijs multis, typum gesserit: ut proinde fateamur ea quæ hic ab Apostolo citantur, longè perfectius in Christum competere quàm in Dauidem; licet sensus in Dauidem, literalis sit; in Christum, mysticus tantū. Quid verò aduersus hanc sententiam obijciant alij, & quid ijs respondendum sit, ex sequentibus intelligetur.

ADDITIVNCULA B. P.

Videtur multo expeditius, si psalmum 39 accipiamus tanquam vocem ipsius Christi, literalis sensu: ita tamen ut prima & tertia illius parte, Christus de suo corpore loquatur; parte verò media, quæ completitur v. 7. & sequentes vsque ad 12. loquatur ex sua ipsius, tanquam capitis, persona. Quanquam etiam prima & tertia partes de Christo capite rectè & commodè possunt exponi.

CORPUS AUTEM APFASTI MIHI. In Hebræo legitur, *aves fodisti mihi*. Quomodo verterit Hieronymus ac cæteri Latini, quotquot ex Hebræo psalmos interpretati sunt. Verum Apostolus, ut dixi, sequitur LXX. qui sic trāstulerunt, *σωμα δὲ κατὰ τὴν μοῖν*, id est, *corpus autem aptasti*, siue perfecisti, *mibi*. Habet quidem vulgata psalmorum editio quæ ex Græco est, *aves*, non *corpus*; sed id ex Hebræo sumptum arbitror, vel ex alia quapiam Græca translatione. Nam qui hodie existant codices Græci, constanter legunt *σωμα*, id est, *corpus*: idque exponunt veteres tam Latini quàm Græci; Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius & Apollinarius paraphrastes. quam lectionem exhibent etiam Latina psalteria, vetus & Romanum. Dicitur autem psalterium vetus, certum quoddam, diuersum à Romano & Gallicano, cuius inter alia vsus erat apud Latinos, antequam Hieronymi. Textus quidem psalmorum qui apponitur commentarijs, apud Hieronymum, habet *aves*; verum in commentario nulla fit *aurium* mentio, sed *corporis* tantum. Itaque LXX interpretes vertisse *corpus*, non *aves*, non est cur dubitetur. Porro quod in Hebræo est, *Aures fodisti*, siue *perfecisti mihi*, dupliciter intelligi potest. Sunt enim qui putant alludere prophetam ad illud quod Exod. 21. præcipitur de seruo Hebræo, qui in anno remissionis seruitutem præfert libertati, cuius aurem iubet Dominus applicari ad postem domus, & subula perforari, in signum perpetuæ seruitutis: Ita symbolica erit oratio, *Perfodisti mihi aures*, hoc est, addixisti me tibi seruum perpetuum more dominorum qui seruos perpetuò secum mansuros aurium perfossione notant. Hoc autem rectè Dauid de se dicit, iuxta id quod alibi profiteretur, dicens: *O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancille tue*. Sed in Christū multò potius ac verius congruit, si cogitetur illa perfecta subiectio qua natura eius humana subijcitur Deo. Vnde frequenter, apud prophetas, eum Deus suū seruum vocat. Hanc autem eius ser-

uitutē esse perpetuā docet Apostolus 1 Cor. 15. his verbis: *Tunc & ipse filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia; ut sit Deus omnia in omnibus*. At verò alij, præsertim Hebræi, *fodere* seu *perfodere* interpretantur *aperire*; ut significetur illud quod dictum est ab Isa. cap. 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*. Sed & hoc rursus duplicem habet intellectum. Aperit enim Deus aures alicui, vel cum interius per Spiritum suum ei reuelat, quæ alijs velata sunt & incognita; quale est mysterium hoc de sacrificiorum veteris legis abiectione. Vel, cum facit hominem præceptis suis auscultantē & obedientem. Quem sensum Chaldaus expressit, ita vertens: *Aures autem ad auscultanda præcepta tua formasti mihi*. Vtrius autem modo aurium apertionem accipiamus; ea multo perfectius in Christum quàm in Dauidem competere, manifestum est; in quo Christo sunt omnes *th. sauri sapientia & scientia reconditi* Col. 2. quique Patri suo fuit *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Phil. 2. Iam verò ab hoc sensu, quo ad obedientiam refertur aurium apertio, nō omnino diuersum est, quod scripserunt LXX. *Corpus aptasti mihi*. Sicut autem Christo perfectissimè conuenit edoctum esse à patre, & obedientiam patri præstitisse: ita præ omnibus singulariter in eum competit ut Deo dicere possit, *Corpus aptasti mihi*, scilicet per incarnationem: quatenus in vtero purissimæ virginis formatum est ei corpus integerrimum, & ab omni labe corruptionis liberum, ac planè tale quod remota inutili multitudine sacrificiorum veteris legis, vnum Deo Patri in cruce oblatum placeret, ad omnium hominum salutem valiturū. Hunc enim esse sensum Apostoli in hoc loco, constat ex ijs quæ ipse postea declarando subiungit. Nec obscurè sensum hunc indicat Syriaca lectio: *Corpore me induisti*.

Quæres fortasse quid LXX mouerit interpretes, ut pro voce quæ significat *aves*, verterent *corpus*; aut, si ratio later (ut sanè later in quibusdam alijs, vbi secus quam in Hebræo est, trāstulerunt) quomodo saltem conciliari possit hæc versio cum originali. Genebrardus, cui Ribera subscribere videtur, *aves* dicit synecdochicè poni pro *corpore*; partem pro toto: Atque eam figuram LXX interpretes, & Paulum eos secutum, explicuisse. Cæterum prophetam aurium meminisse potius quàm alterius cuiuspiam membri, quia de obedientia agebatur. Subtilis quidem hæc conciliatio; sed vereor ne parum solida. Nam *aves* pro toto corpore per synecochen accipi, nescio an illius idiomatis ferat consuetudo. Plus coloris in eo, quod idem Genebrardus in verbo *fodere* metaphoram facit, ductam à figulis, ut idem sit quod aptare & perficere. Fauet enim Chaldaica paraphrasis, in qua pro *fodisti*, legitur *formasti*. Quanquam ex scriptura nullum ab illo profertur exemplum. Ianfenius scribit Paulum citasse hunc locum iuxta LXX, quod

ca lectio

ea lectio tunc multum recepta, suo proposito magis conueniret. Quod verum puto. Nam vnicuique se res habeat, de causa quæ Lxx mouerit ad sic vertendum: illud tamen non dubitatur, prouisum esse diuinitus, ut Lxx vitiorum editio venerationem haberet apud Iudæos; & Apostolo ad eos scribenti suppeditaret doctrinam materiā, etiā in eo vbi fortè videretur ab Hebraica veritate discrepare.

ADDITIO CENSORIS.

Notum est, quadam metalepsi has tres lectiones in eundem sensum venire; *Aures fodisti*, *Corpus aptasti*, *Aures perfecisti*; & quamlibet earū prægnūciare filij Dei incarnationē, & gratiæ quæ ipsi homini facta esset cōferēda, magnitudinē; obediētia speciatim, vsque ad mortē pro redēptione hominū subeundā.

HOLOCAV TOMATA, ET PROPECCATO NON TIBI PLACERVNT. LXX, non *que sicuti* Heb. non *postulasti*. Quæ sensu sunt eadem cum eo quod hic legitur, *ἐν ἁδὲν ἔδοξα*, id est, *non comprobasti*, ut vertit Eratimus; vel *non acceptasti*, sicut eandem Græcam vocem versam habemus in psal. 50 *Tunc acceptabis sacrificium iusticiae*. Quanquam non minus rectè vertit interpres hoc loco; *Non tibi placuerunt*: & paulò post: *nec placita sunt tibi*. Quod ait, *et pro peccato*; subaudi, *sacrificia*. In Hebræo tantum legitur, *et peccatum*; sed eo nomine per translationem significatur *hostia pro peccato*; ut Leuit. 4. & alibi. Porro quo sensu nō placuerint hæc Deo; superius expōsitū est.

TUNC DIXI, ECCE VENIO. Dixit hoc Christus quando incarnatus est: tamen si *voluntatem*, magis illationē quàm tēpus significare videtur; ut sensus sit. Quia vidi legis sacrificia nō tibi placere, nec illis placari te posse; ideo meipsū, assūpto corpore quod mihi aptasti, paratū obruli ad faciendā, sicut infra dicitur, tuā volūtātē. Sēsū hunc causalē ipse Apostolus in consequentibus suggerit. Aliqua difficultas est in eo quod sequitur,

IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME, UT FACIAM, DEVS, VOLUNTATEM TVAM. De ordine & constructione huius sententiæ primò videamus. Hebræi codices partem hanc posteriorem, *ut faciam voluntatem tuam*, separant à præcedenti, faciuntque noui verus initium, iungentes eam cum parte sequenti, *Deus meus volui*, quam apostolus omisit: ut hic sit ordo; *Deus meus, volui ut facerem, id est, volui facere voluntatē tuam*. Quod autem præcedit, *In capite libri scriptum est de me*, seorsum statuunt, ut quid scriptum sit, non apertè significetur. Sed hæc constructio quibusdam displicet, eò quod Hebræa & Græca non habent simpliciter *facere*, sed Hebræa quidem cum addita præpositione, Græca autem cum articulo genitiui casus. q. d. *ad faciendum*, vel, *causa faciendi*: quod optimè vertitur, *ut faciam*. Sic autem multò aptius putant coherere cum præcedenti parte, quàm cum ea quæ sequitur. Et passim in scripturis videre est huiusmodi infinitiuos præ-

cedentibus adiunctos, interdum etiam articulo nō addito; ut in canticis B. Virginis, & Zachariæ, Lucæ 1. vbi autem sequentibus adherent, haud facilè credunt reperiri. Certè manifestum est Apostolum referre partem hanc ad superiora; quippe qui nihil subiūgat ad quod referri possit. Sed adhuc restat quæstio cui parti præcedenti debeat annexi: Id enim nondum liquet. Planus quidem textus exposcere videtur, ut ad id referatur quod proximè præcedit, hoc modo; *Scriptum est de me ut faciam &c*, sed Apostolus videtur non permittiturus. Nā paulò post, omitta hac proximè præcedente parte, verba psalmi citat in hunc modum: *Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*. Ex quo loco apparet, ea verba, *ut faciam &c* cum illa parte, *ecce venio* cōstrui debere; ut pars interposita, *In capite libri scriptum est de me*, parenthesi sit includenda. Neque tamen hoc obstat quo minus ad eam quoque, saltem ex consequenti, pars subsequens referatur: ut significetur hoc ipsum ad quod venit Christus, quod est facere voluntatem Dei, de eo scriptum esse in capite libri. Quæres, addita particula *sicut*, dilucida fiet, hoc modo; *Ecce venio (sicut in capite libri de me scriptum est) ut faciam Deus voluntatem tuam*. Pro ea tamen constructione & distinctione quæ est in codicibus Hebræis, & in versione B Hieronymi ex Hebræo, necnō in 70 Roma impressis tam Græcè quàm Latine, facere potest etiam hoc quod ad verbū *facere*, nulla persona additur; deberet autem addi accusatiuus primæ personæ, si ista pars foret iungenda præcedentibus; id quod nō requiritur si iungatur sequentibus. Plenus sermo est, *Volui facere voluntatem tuam*, non est plenus; *De me scriptum est facere voluntatē tuam*.

Quare dicendum videtur, rectius iungi sequentibus: ad sensum tamen non referre, an præcedentibus. Nā saltem tacitè ad illa pertinere. Vult enim Christus dicere, hoc de quo consequenter loquitur, esse scriptum in volumine libri. Ita nihil mirum, si Apostolus præcedentibus eam clausulam anteferat; idque (ut apparet) non vno modo: sed prius quidem sic. *In capite libri scriptum est de me ut faciam (Deus) voluntatem tuam*, postea autem sic, *Ecce venio ut faciam voluntatem tuam*. In re ipsa nihil est dissensionis. At plus difficultatis est in eruendo sensu huius partis, *In capite libri &c*. Quem ut inueniamus, primò sciendum in Hebræo nō haberi; *In capite libri &c*, sed, *in volumine libri*. Sic enim ex Hebræo verterunt Hier. Pagnin. & alij. Dicitur autē *volumē libri*, liber plicabilis & inuolutus. Solēt enim veteres nō tantum Hebræi, verum etiam ethnici, ad scribendum vti membranis aut chartis quæ in corticis morem conuoluerentur. Vnde & *libri* nomē apud Latinos. Quin & hodie Iudæi (quod aliquando vidimus) in suis synagogis legē & prophetas ex huiusmodi voluminibus recitāt. Nō solum autē Latini trāstulerunt hoc modo; sed etiam antiqui

interpretes Græci Symmachus & Aquila, sicut de ijs testantur Chrysostomus & Theodoretus in enarratione psal. 39. simul exponentes rationem nominis quam dixi. Quod & post eos facit Euthymius. Quæ cum ita sint; illud miror, viros quosdam doctos aut insectari aut reprehendere hanc ex Hebræo versionem: Præsertim quæm Hebræa dictio frequens sit in sacris literis; nec aliud pro ea reddant interpretes quam *volumen*, aut quippiam simile quod fere tantumdem valeat; vt qui venterunt *paginam* aut *chartam*, à proprietate vocis Hebraicæ non nihil recedentes. Neque enim cum dicitur, *in volumine libri*, tale est ac si dicatur, *in libro libri*; vt quidam obijcit: sed sensus est; *in libro complicato & inuoluto*; sicut vertit Hieronymus Ezech. 2. aut, *in volumine, quod dicitur in eo scribitur, iam liber vocatur*, hoc est, *in volumine conscripto*. Sic ad Ieremiam dicitur cap. 36. *Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba quæ tibi locutus sum*. Ac deinde plus decies, eodem capite, dictio quæ *volumen* significat, repetitur: Vbi pro *volumine*, Lxx assidue vertunt, *χαρτίον*, id est, *chartam*. Etenim charta siue membrana, dum in ea scribitur sit liber. Igitur iuxta textum Hebraicum planus est sensus, *In volumine libri*, id est, in libro, *scriptum est de me*. Quod enim libri, more veterum, conuolui soleant; inde factum vt liber & volumen libri pro eodem haberentur.

Quæritur autem de quo libro loquatur psalmista: Quidam legem accipiunt, in qua seruis spontaneis præscribitur, vt seruiant in sæculum Exo. 21. Ita sentiunt qui partem illam præcedentem, *auris autem perfodisti mihi*, ad eandem referunt scripturam, eamque de perfecta obedientia interpretantur, vt supra diximus. Alij rursus legem, qua parte describit officia regis, vt Deut. 5. 6 & 17. Alij verò, in vniuersum legem & prophetas significari volunt; in quibus de Christo & eius erga patrem obedientia variæ continentur figuræ & prædictiones. Denique alij de libro diuinæ atque æternæ prædestinationis exponunt. Porro qui Lxx versioni, quam Paulus citat, inhærendum censent, plus etiam laborant, vt doceant in cuius libri capite scriptum sit vel de Dauide vel de Christo, vt faciat voluntatem Dei. Hieronymus initio libri traditionum Hebraicarum in Genesim, significari putat librum Genesim. Tractans enim illud, *In principio fecit Deus calum & terram*, referensque quosdam id interpretatos fuisse de filio: *Hoc*, inquit, *magis secundum sensum, quam secundum verbi translationem; de Christo accipi potest: quitam in ipsa fronte Genesios, quæ caput librorum omnium est, quam etiam in principio Ioannis euangelistæ, cali & terra conditor approbatur. Unde & in psalterio de seipso ait: In capite libri scriptum est de me*, id est, *in principio Genesios*. Sic ille. Cuius sententiam alij multi secuti sunt. Ve-

rùm vt detur illud initium Genesim ad Christum mysticè pertinere; non tamen ostendit isti authores ibi scriptum esse de Christo vt faciat Dei voluntatem; nisi voluntatem interpretentur de creatione mundi. Qui sensus huic loco non quadrat; nihilo magis quam sensus quem adfert Theophylactus, dum refert hunc locum ad illud Gen. 1. *Faciemus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quapropter Augustinus in enarratione psal. mi 39 & 150, mavult intelligi librum Psalmorum, In cuius capite, id est, in primo psalmo, scriptum est. *In lege Domini voluntas eius, &c.* Quod perfectissimè comperit in Christum. Verùm huic expositioni, præter alia, potest obijci, quod eo tempore quando David cecinit, *In capite libri &c.* psalmi nondum erant digesti in ordinem, vt eorum aliquis primus vocari posset, ac fortè primus psalmus tunc nondum erat conscriptus. Inter Neotericos Ribera putat psalmistam respicere ad illa verba Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem; & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne vna*. Quem locum in Christum & ecclesiã manifestè Paulus interpretatur, Ephes. 5. Rursus ad illa verba, Gen. 3. *Ipse conteret caput tuum*. Quæ prædictio completa est in aduentu & passione Christi Hæc autem *in capite libri*, id est, non longè ab initio libri Genesim, scripta sunt. At verò aliorum sententia est, totam scripturam sacram nomine libri significatam esse à Dauide, eo quod omnes scripturæ, vt ait Augustinus hanc opinionem referens in præfatione psalmi 150. valde mirabili & diuina vnitatem concordent; vt meritò vocentur vnus liber. Huius autem libri caput est Genesim; si caput intelligatur initium, siue quod ordine primum est, vt plerique caput hoc loco accipiunt. Secundum hos ergo scriptum est in capite libri, quia in Genesim multæ sunt de Christo promissiones. Cæterùm Genebrardus caput pro summa interpretatur, sicut accipitur cap. 8. huius epistolæ, *Capitulum super ea quæ dicuntur*. Et sensum esse dicit: *In capite libri*, id est, in tota scriptura scriptum est, vt expiem hominum peccata. q. d. Summa scripturarum hoc continet. Nam summa Moyli & prophetarum, Christus. Sic & ante eum Iansenius: *In summa legis tuæ scriptum est de me*. Id potissimum est quod tota lex tua à me exigit, vt faciam voluntatem tuam. Sed sciendum, in Græco non esse vocem omnino eandem hoc loco & cap. 8. Hic enim est *κεφαλή*; illic, *κεφαλαίον*. Et hoc quidè frequenter usurpatur pro summa, vt & verbū ab eo deriuatū significat, *in summam colligere*; quod legitur Eccles. 32. *κεφαλαίωσον in summam collige res solū tuas*; pro quo vulgatus vertit, *Habeat caput res solū tuas*. Cæterùm *κεφαλή* in hac significatione nusquam reperio. Sunt & alia expositiones huius partis apud inter-

pretes;

pretes; vt quod *liber iste* Christus est secundum humanam naturam, cuius caput est Deus: in quo capite ab æterno scriptum est filium eius debere incarnari & mori. Vel, quod intelligitur *liber vitæ*, id est, prædestinatorum ad vitam; quorum caput est Christus per quem omnes prædestinati saluantur. In huius libri capite, inquit B. Thomas, id est, in Christo secundum diuinam naturam, scriptum est, id est, præordinatum de Christo secundum humanam naturam, vt faciat voluntatem Dei, offerendo seipsum pro redemptione generis humani. In tanta diuersitate expositionum quid tanquã verius amplectendū sit, pronunciarè difficile est: tamen alij alij probabilius sunt locuti; quod facile ex dictis colligi potest. Vt autem de sensu psalmistæ & Apostoli, post tam multo alios ipse etiam aliquid quod sentio, cum modestia proferam: Primum existimo, quod Lxx venterunt, quodque ex eis apostolus citat, *ἐν κεφαλῇ βιβλῆς*, conciliari posse cum eo quod Hebræus legit, *In volumine libri*; Si dicamus Græca voce *κεφαλή* non solum significari caput aut capitulum; sed etiã capitis tegmen, quo nimirum caput obuoluitur. Hac enim significatione legitur apud Aristotelem lib. 2 Rhetoricorum. Vnde vltèrius usurpatur pro *inuolucro*; quod Græcè dicitur *ἐπιθήκη*, sicut exponit Suidas in suo lexico, & Euthymius super hunc locum psalmi. *Inuolucrum autem & volumen*, idem aut pene idem sunt. Iuxta hanc igitur Græci vocabuli significationem, non aliud scripserunt Lxx quam quod erat in Hebræo. Nec solum ibi; verum etiam apud Ezech. cap. 2 & 3 pro Hebræo *megillash*, quod omnes Latini vertunt *volumen*, iidem Lxx transtulerunt *κεφαλή*; non vtique caput aut capitulum significare volentes, quod Hebræa vox nullo modo significat, neque conuenit cum loco prophetæ; sed aliquid inuolucro simile, vt est volumen libri. Notandum est enim Hebraicum vocabulum istud in scriptura sacra quatuor omnino locis diuersis inueniri. Primum in psalmo de quo nunc agimus vbi *κεφαλή* dixerunt Lxx. Deinde Ieremias 39. vbi *χαρτίον*. Item Ezech. 2 & 3 vbi rursus *κεφαλή*. Denique Zach. 5 vbi iidem Lxx *ἀπέθανον*, id est, falcem transtulerunt, adducti seu decepti (si more Sancti Hieronymi loqui licet) similitudine vocis Hebraicæ, quæ vna litera dempta (quæ similis est, & nunc addi nunc detrahi solet) falcem significat. Alij verò Græci interpretes, Aquila & Theodoro, sicut Hieronymus testatur in commentarijs *διφθέραν* posuerunt; quod ab Hebræo sensu non dissonat. Erat enim antiquus *διφθέρα* pellis A maltheæ capræ, in qua res humanas Iouem scribere fabulabantur: Vnde cœpit usurpari pro cuiusque libri tegumento siue operculo. Item pro membrana in qua aliquid aut scribendū aut scriptum est. Porro Symmachus eodem loco *κεφαλή* vertit, nec ipse diuersū quid ab eo

quod in Hebræo legitur, significans, iuxta eã Græcæ vocis acceptionem, quam supra assignauimus. Atque hæc plana est & perspicua Græcorum interpretum conciliatio eũ fonte; vt nihil necesse sit in gratiam Lxx interpretū; Hebrææ vocis aliam quæ nusquam extet, huc inferre significationem. Iam quod ad sensum attinet; cum sint eadem *in volumine libri & in libro*; sicut antè monstratum est: tantum restat vt ostendatur in libro quopiam scriptum esse de Christo vel de Dauide qui fuit typus Christi, quod facturus esset voluntatè Dei. Nam secundum literam ad Dauidem pertinere hunc psalmum, cum Iansenio nonnulli opinantur. Atqui de Dauide Paulus Act. 13 sic loquitur: *Et amato illo, nempe Saule; suscitauit illis Deus Dauid regem, cui testimonium perhibens, dixit. Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Paulus autem more suo testimonium conflauit ex pluribus scripturæ locis Nam 1 Reg. 13 Samuel ait: *Quasi Dominus sibi virum iuxta cor suum*. Et cap. 16 dicit Dominus; *Providi in filijs tuis mihi regem*. Et psal. 88. rursus ait: *Inueni Dauid seruum meum*. & hinc intellige, *secundum cor meum*. Quod autem illic addit apostolus; *Qui faciet omnes voluntates meas*, explicatio est eius quod dixerat, *virum secundum cor meum*. Nec illud lateat, prophetas qui erant in illis diebus, vt Samuel, Nathan & alios quos significat Dauid eodem psalmo 88. dicens: *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti, Posui adiutorium in potente, &c.* quæ ad Davidis personam spectant: huiusmodi verba & facta memorabilia statim scripto consignare solitos; quod intelligerent ea omnia ad futurum Christi regnum esse referenda. Quare quod dicit Dauid in psalmo; *In capite seu volumine libri scriptum est de me &c.* tale est ac si diceret: Iuxta ea quæ tu, Domine, de me locutus es prophetis; iam ab illis in libro de me scriptum est, me esse hominem secundum cor tuum, qui facturus sim voluntatem tuam. Dixit autem hoc Dauid, non studio laudandi seipsum, qui interdum legitur Deum grauitèr offendisse; sed procul dubio morus spiritui diuino ad hæc dicenda, sicut ad multa alia, quatenus in illo regno terreno typum gerebat Christi regis æterni. Alioqui certè non tam præclare de seipso locutus: Quare ratione cap. 1 diximus, Dauidem scribere sibi à Deo dictum; *Filius meus es tu*: sicut & de Salomone: *Ipse erit mihi in filium, &c.* Cum igitur ad Christum, tanquam illius typi perfectū exemplar, hæc pertineat, quæ de Dauid prædicat: dubiū esse nõ potest, quin etiã longè perfectius in eũ quam in Dauide cõueniãt; nempe quod in libro, id est, in lege & prophetis, *de eo scriptum sit, vt Dei faceret voluntatem*, illa præcipuè qua Deus statuerat per filij sui incarnatione & passione electos suos sanctificare; sicut infra Paulus ipse exponit. Nã voluntas intelligitur nõ tã illa quæ in præceptis cõsistit,

Z z 2

quam

quam quæ in decretis, id est, absoluta; qualis apud Isa. 44. *Qui dico Syro, pastor meus es, & omnia voluntatem meam complebis.* Porro sequentibus verbis scripturam allegatam applicat apostolus instituto.

8 SUPERIVS DICENS, QUIA HOSTIAS ET OBLATIONES ET HOLOCAUTOMATA, ET PRO PECCATO NOLVISTI, NEC PLACITA SVNT TIBI. Hæc omnia Christum in psalmo dixisse iam audiimus. Suntque hæc sigillatim superius exposita. Porro significat apostolus esse eadem illa duo, quæ in psalmo diuiduntur: *noluit, &, non tibi placuerunt.*

9 QUA SECUNDVM LEGEM OFFERVNTVR. Hæc pars non est in psalmo, sed declarandi gratia ab apostolo additur. Vnde eam nonnulli claudunt parenthesi. Debet autem ad quatuor prædicta referri, scilicet hostiam, oblationem, holocaustata & sacrificia pro peccato. Id liquet ex Græco relatio fæminini generis, *εἰς τὴν*, quod necessarîo complectitur *θυσίαν καὶ προσφορὰν, hostiam & oblationem.* Id moneo propter quosdam, qui sic distinguunt Apostoli sententiã, ut illa verba *Nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur*, à superioribus diuulsa seorsum exponant; quod Græcus textus non patitur.

TUNC DIXIT, ECCE VENIO. Græcè & Syriacè, *Tunc dixit*, verbo tertie personæ. Quod & in Latinis quibusdam legi testantur Erasmus & Ribera. De Christo enim hæc dicitur: uti mox docebitur. Primæ personæ verbū huc arbitror irrepisse ex loco superiori psalmi.

VT FACIAM, DEVS, VOLUNTATEM TVAM. Quomodo partem hanc construat nunc apostolus cum verbo *venio*, Christum faciens dicentem; *ecce venio*, id est, præsto sum *ut faciam, Deus, voluntatem tuam*: quum in versu psalmi quem adduxit, pendere videatur ab eo quod proximè præcedit, *scriptum est de me*: iam supra discussimus. Restat ut sensum totius sententiæ breuiter dicamus. In his, inquit, verbis quæ citavi, cum prius diceret ac profiteretur Dei filius, ea quæ secundum legis Mosaicæ præscriptum offeruntur Patri suo nequaquam placere; tunc adiecit & intulit, de paratum facere eius voluntatem; id est, corporis sui sacrificium ipsi placitum, offerre. Nã de eo paulò post exponit.

AVFERT PRIMVM VT SEQUENS STATVAT. *sequens*, pro secundo. Nam *secundum* in Græco est, & Syriaco. *Primum* autem & *secundum* intellige, non sacerdotium, ut supplet Erasmus in paraphrasi; neque testamentum, ut Caietanus (non enim genus in Græco responderet) sed hæc ipsa quæ dicta sunt; *primum, offerre ea quæ iuxta legem offeruntur, secundum, facere voluntatem Dei*, id est, offerre sacrificium sui corporis. Adhuc enim hæc verba de Christo dicuntur. *Qui primum aufert, de legalibus sacrificijs dicēs ad patrem, Noluit, nec placita sunt tibi: ut secundum statuas, de quo subiungit, Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Itaque conclu-

dit Apostolus id quod principaliter instituit; nempe sacrificiorum veteris legis abrogationem: idque duplici argumento; tum, quia nõ erant Deo placita; tum quia locus esse non poterat sacrificio Christi, nisi prius illa tollerentur. Id enim vult cum ait, *ut sequens statuat.* q. d. Secundum statui non potest, nisi sublato priori.

10 IN QVA VOLVNTATE SANCTIFICATI SVMS PER OBLATIONEM CORPORIS IESV CHRISTI SEMEL. Explicat *voluntatem Dei*, de qua Christus in psalmo locutus est: ac docet eam esse, quæ Deus sanctificari nos voluit per oblationem corporis sui, quos sacrificia legis sanctificare non poterant. Ut perfectus sit sensus, plerique supplet, *semel factam, seu peractam.* Et id quidem rectè. Sed eo addito manet adhuc oratio imperfecta in Græco, propter articulum *ὁ* in medio positum; ut Latine dicendum fuerit, *qui per oblationem &c. quam particulam videntur interpretes ferè neglexisse tanquam superfluum.* Quamquam Theophylactus & Oecumenius, eorumque interpretes non putarint negligendam. Huius quidem interpretes Hentenius, authoris sui sententiã reddere volens, ita complet orationem: *Per quam voluntatem sanctificati sumus, qui illam per oblationem corporis Iesu semel peractam, consecrui sumus.* Theophylacti verò interpretes Lonicerus nuda posuit Apostoli verba; *Qui per oblationem corporis Christi semel.* Cæterum ipse Theophylactus supplet atque exponit hoc modo: *In qua voluntate patris sanctificati sumus, qui per oblationem corporis Christi semel factam, sanctificati sumus. Hoc enim, inquit, subaudiendum est. Nam credentes sanctificati per oblationem unigeniti, in voluntate patris sanctificati sumus.* Sic ille; cæteris melius. Nihil enim aptius suppletur quàm verbum quod præcessit. Oecumenij verò, siue interpretis eius, supplementum nimis coactum mihi videtur. Cum ergo dicit apostolus eos qui per oblationem corporis Christi sanctificantur, in Dei voluntate sanctificari; intelligendum præbet, hanc fuisse Dei voluntatem ut Christus corpus suum offerret pro nobis sanctificandis, id est, iustificandis. Corporis autè expressè meminit, cum alioqui satis esset dicere per oblationem Iesu Christi: quia in verbis è psalmo citatis hoc nomē expressū est, ubi ait: *Corpus autem apstasi mihi.* Ad hæc enim verba sine dubio respicit. Vnde præterea colligitur, hanc epistolam Græcè scriptam esse, nõ Hebraicè. Nam in Hebræo non est *corpus*, sed *auris*. Qua de re iam antè diximus.

11 ET OMNIS QVODIE SACERDOS PRÆSTO EST QVOTIDIE MINISTRANS. In superioribus ostendit Apostolus imperfectionē & infirmitatē legalis sacerdotij ex iteratione eorundem sacrificiorum, quæ fiebat per singulos annos, scilicet in die expiationis. Nunc eam rem amplius vrget, assumens argumentum ex iugi sacrificio, quod

per

per singulos dies offerebatur, manè & vespere, de quo Num. 28. Vnde & dicit, *Omnes quidem sacerdos.* Nam quotidianum hoc sacrificium cuius sacerdos Aaronicus offerre poterat; expiationis verò sacrificium pontifici proprium erat. Non igitur hic repetitio est eiusdem prorsus argumenti, ut quibusdam videtur, dicentibus Apostolum diuersis verbis eadem inculcare; sed noua confirmatio: sicut bene obseruatur Aquinas & Caietanus. Scio nonnullos esse codices Græcos, & in his biblia Regia, in quibus legatur *ἀρχιερεύς*, id est, pontifex summus sacerdos; atque huic lectioni suffragari versionem Syriacã, quæ habet *princeps sacerdotum*; sed, ut vera sit ea lectio; nihil prohibet quo minus ipse pontifex Aaronicus, si veller, quotidianum illud ac iuge sacrificium offerret. tamen magis mihi probatur *ιερεύς, sacerdos*, quæ est lectio per vulgata Græcorum codicum, quam & veterum exhibent commentarij. Iam pro eo quod nos habemus, *præsto est*; abj vertunt *astat, assistit*. At Græcè est, *ἑστῆκε* verbum simplex: quod non est necesse per compositum exponi. Sermo enim perspicuus est, *Omnes sacerdos stat quotidie ministrans.* Græcè, *λειτούργων, sacris operans. sacrificans.* Stat enim qui sacrificat, tanquam Deo ministrans. Nec refert siue particulam *quotidie* referas ad *stantem*, siue ad *ministrantem* cum sit ea coniuncta: tamen si malim ad ministrantem, sicut particula *sape* refertur ad offerentem, in eo quod sequitur,

ET EASDEM SÆPE OFFERENS HOSTIAS. Dicit *easdem*, quia semper agnum offerebat; bis quotidie.

12 QVA NVNQVAM POSSVNT AVFERRE PECCATA. Illatiuè hoc accipèdū ex eo quod præcedit; ac si dicat: *Quæ proinde nunquam possunt &c.* Nam easdem hostias quotidie ac sæpe offerri, argumentum est imbecillitatis earum ac expianda peccata, sicut supra dictum ac declaratum est ad illa verba, *Atioquin cessassent offerri.* versu 2. huius capituli.

HIC AVTEM VNAM PRO PECCATIS OFFERENS HOSTIAM. *Offerens*, Græcè *προσενεργῶς* participiū præteriti significationem habens; Latine, *quam obtulisset.* Non enim significatur, in præsentem pro peccatis hostiam offerre; sicut à nonnullis hic locus exponitur (quamuis id quodam sensu verum sit;) sed vnã hostiã quondam semel in peccatorum remissionem oblatã, nunc quiescere; prout sequitur,

IN SEMPITERNVM SEDET IN DEXTERA DEI. Antithesim obserua inter *stare & sedere.* Sacerdos legalis stat quotidie ministrans: Christus postquam semel obtulit, deinceps perpetuò sedet ad dexteram Dei Ille quia finem ministerij non assequitur; velut saxum voluens iterumque voluens ministrare non desinit: Hic verò, quoniam, ut statim audimus, vna pro peccatis oblatã victimã con-

summationem fecit; iam non amplius offerendo ministrat, sed receptus in cælum quiescit ac sedet ad dexteram patris, nõquam eam dignitatem ac felicitatem amissurus. Quid sit in dextera siue ad dexteram Dei *sedere*, diximus ad primum caput huius epistolæ, & alibi.

ADDITIVNCVLA B. P.

13 *Illud in sempiternum*, potest tanquam determinatio referri ad præcedens participium; & ita intelligit B. Tho. 1. sec. q. 102. art. 3. in fine c. & conuenit hæc distinctio tã præcedentibus, quàm sequentibus v. 14.

DE CÆTERO EXPECTANS, DONEC PONANTVR INIMICI EIVS SCABELLVM PEDVM EIVS. Non, inquit, inde rediturus est aliquando, ut iterum pro peccatis hostiã offerat: sed illic perpetuò relidet *de cætero*, siue, quod reliquum est (Græcè τὸ λοιπὸν) *ex peccatis* à patre, donec ponat inimicos ipsius scabellū pedum eius; id est, donec omnes eius aduersarios ipsi perfecte subijciat, velut pedibus calcandos ut vltiã nocere nequeat; quemadmodum ipsi promissum est in psal. 109. Nam eò respicit apostolus. Dicit autem, *expectans*; quia de Christo loquitur secundum eam naturam quæ & Christus est & sacerdos: secundum quam etiam sedet in dextera Dei Significatur ergo his verbis perfectum Christi hominis dominium ac regnum; ad quod, humilitatis & obedientiæ suæ merito, qua voluntati patris obiectus seipsū pro peccatis nostris hostiam obtulit, tandem prouehendus est.

14 VNA ENIM OBLATIONE CONSUMMAVIT IN SEMPITERNVM SANCTIFICATOS. Rationem reddit dictorum, nempe cur Christus semel obtulisse contentus, non amplius ministrat; sicut legalis sacerdos incessanter ministrabat; sed quiescit nunc assideat patri. Quoniam, inquit, nihil necesse est: eò quod vnica oblatione consummauerit in perpetuum sanctificatos. Porro *sanctificatos*, Græcè est *ἀγιασθέντες; eos qui sanctificantur.* Est enim præsentis temporis participium, sed amplè acceptum, ut ad omnium temporum electos, quotquot vnquam fuerunt aut futuri sunt, extendatur. Id quod planè significarunt Trid. concilij patres, quando sess. 22 cap. 1 sic aiunt: *Quoniam sub priori testamento, propter Leviticis sacerdotij imbecillitatem consummatio non erat: oportuit alium sacerdotem secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum; qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, & consummare eò ad perfectum adducere.* Igitur ex mente patrum concilij, *consummare eos qui sanctificantur*, est ad perfectum adducere omnes quotquot sanctificandi sunt. Id Christus præstitit vna oblatione; quia ad omnium sanctificationem hæc vna sufficiebat. Pro *consummavit*, sunt qui malint *consecravit*; arbitrâtes id Græca voce *τετελειωκεν* apud Apostolū significari. Sed falli eos, alibi osten-

Zz 3

dimus

dimus. Vox eadem quæ cap. 7. vbi dicitur, *Nihil enim ad perfectum adduxit lex: quæ & sæpius reperitur; nec aliud Apostolo, quam perficere seu perfectum reddere significat.* Quæres, si ita est; quomodo differant *consummare* & *sanctificare*. Sanè apparet, quod ad rem ipsam attinet, non differre. Nam apostolus indifferenter his vtitur in tota præcedenti disputatione. Nec tamen ideo ineptus est sermo apostoli, *consummavit*, id est, *sanctificauit eos qui sanctificantur*. Sensus enim est, vt paulò antè indicabamus, Christum omnes quotquot villo vnquam tempore sanctificantur, vna oblatione consummare, perfectos reddere, sanctificare; nec vllis sanctificandis, aliter quàm per hanc vnã oblationem contingere vt sanctificentur. Est enim sermo similis illi quo superius dixit; *In qua voluntate sanctificati sumus, qui per oblationem Iesu Christi semel factam sanctificati sumus.*

Ex his etiam intelligi potest quò pertineat illud, *in sempiternum*; non enim ad *sanctificatos* siue *sanctificandos*, sed ad verbum *consummavit* aptè refertur; hoc nimirum modo: Omnes eos qui sanctificandi sunt, consummavit & sanctificauit in perpetuum. q. d. Oblatio eius semel facta vim habet infinitam, vt & semper sanctificare possit, & sanctitatem conferre semper duraturam. Sic capite superiori dixit: *Aeterna redemptione inuenta*, & cap. 7. *Unde & saluare in perpetuum potest.*

Restat nunc vt obiectionem quam ex hoc rursus loco contra quotidianum altaris in ecclesia sacrificium mouere nobis solent aduersarij, diluamus. Si, inquit, vna oblatione consummavit, vtique ea quæ facta est in cruce: ergo frustra quotidie in altari iteratur oblatio; maxime cum apostolus hoc argumento vtarur contra legales hostias, quas ex eo quod offerebantur quotidie, docet nunquam auferre potuisse peccata. Iã supra respondimus, ad ostendendum quod huiusmodi sententiæ nihil faciant contra sacrificium missæ; non sufficere si dicamus missæ sacrificium vnum esse cum sacrificio crucis ea dumtaxat ratione, quod vtrique res oblata sit eadem; scilicet corpus Domini. Nam certè verum maneret quod hîc apostolus dicit, *Vna oblatione* &c. etiam si oblatio agni vel turturis vel panis in noua lege fuisset instituta tanquam sacrificiū propiciatorium. Non enim valeret nisi per sacrificium crucis; sicut ad sanctificandas animas valet aqua baptismi. At verò veteris legis sacrificia, considerata vt talia sunt & secundum propriam institutionem, non referentur ad aliquod sacrificium quod per se valeret, & à quo virtutem suam acciperent. Vnde, sic considerata, non valebant nisi ad sanctificationem legalem atque externam; ad quam videlicet per se erant instituta. Quocirca grauiter errabant Iudæi contra quos apostolus tum in hac epistola tum

ad Gal. scribens, disputat, qui ex sacrificijs alijs quæ suæ legis ceremonijs, ita seorsum ac per se consideratis, internam sanctificationem & veram iusticiam expectabant. Volebant enim legem & ceremonias eius retinere, tanquam ex illis esset salus, absque respectu ad oblationem & meritum Christi. Quem recipiebant quidem vt filium Dei, ad hoc missum vt præcepto & exemplo viam iusticiæ doceret; id est, vt cum insigni sanctitate vitæ legislatorem se ac magistrum exhiberet; non autem vt redemptorem. Vnde & in morte eius & cruce, velut ad salutem hominum minimè necessaria; plurimi eorum scandalum passi sunt. Dicendum igitur, quod & supra diximus, vnã Christi oblationem in cruce peractam, cuius virtute secundum apostolum sit omnis sanctificatio; nequaquam excludere quotidianum missæ sacrificium, sicut excludit veteris legis sacrificia. Nam sacrificium missæ cum ex sua institutione sit subordinatum sacrificio crucis, & quidem eo modo vt per ipsum virtus sacrificij crucis ad nos deriuetur, nobisque applicetur; non est habendum tanquam ab illo diuersum. Neque enim sanctificandi aut Deū propiciandi vim ei tribuimus, nisi dependenter ab illo cruento sacrificio, cuius est commemoratiuum; præcipiente Domino, *Hoc facite in meam commemorationem*. Vetera autem sacrificia, quoniam sacrificio crucis non erant subordinata, id est, non sic instituta vt ad vnã illam in cruce factam oblationem, à qua sanctificandi vim acciperent, referrentur; idcirco non debent vnum cum ea reputari, sicut missæ sacrificium, sed simpliciter diuersa. Quare ex vnã oblatione Christi consummatiuã, restè sequitur vetera sacrificia non potuisse peccata auferre; & proinde cessare debuisse: nec tamen eadem est de sacrificio missæ consequentia.

Sed quæret aliquis annè quod hîc ascribitur oblationi quæ facta est in cruce, *nempe consummare in sempiternum sanctificatos*, etiam competat in sacrificium quod in vltima cœna Christus obtulit: quandoquidem & illud oblatum est pro sanctificatione omnium electorum ab initio sæculi vsque ad finem. Primum respondeo, non constare apud Theologos Christum in vltima cœna sacrificium obtulisse pro sanctificatione omnium electorum. Sunc enim qui putent pro presentibus & futuris electis, non etiam pro ijs qui antecesserant, oblatum à Christo fuisse illud sacrificium. Quo tamen dato: responderetur, hîc intelligi *vnã oblationem* primariam & independentem, qua perficitur omnis sanctificatio. Quæ autem in cœna facta fuit oblatio, dependebat ab ea quæ in cruce facta est, & non nisi per eam fuit acceptabilis: sicut & baptismus & alia sacramenta, siqua per Christum fuerunt administrata.

CON-

15 CONTESTATUR AVTEM NOS ET SPIRITVS SANCTVS. Græcè, *μαρτυρεῖ δὲ ἡμῶν: testatur autem nobis & Spiritus sanctus*, id est, testimonium perhibet eius veritatis, quam pluribus iam inculcaui; scilicet veteris testamenti sacrificia non potuisse auferre peccata; sed hoc beneficium seruari nouo testamento, in quo remissionis peccatorum promissio conceptis verbis continetur. Obiter obserua dignitatem scripturæ sacræ etiam veteris testamenti, contra Manichæos; quam citaturus apostolus, Spiritum sanctum auctorem ac testem nominat. Locus est Ierem. 31 iam antè citatus cap. 8.

POST QUAM ENIM DIXIT. Græcè, *predixit*. Sed sciendum hanc partem in Syro paulo aliter legi: sic enim habet: *Testificatur autem nobis Spiritus sanctus, dicens: Hoc est testamentum* &c. Deinde nec satis liquet ex Græcorum commentarijs quid ipsi legitur; nisi quod Occumenij interpres habet, *nimirum, quum predixerit*. Nostra lectio, *postquam enim dixit*; id habet incommodi, quod nihil sequatur huic parti respondens. Nam illa particula *dicit Dominus*; non Apostoli est, sed propheta; & ad superiora refertur sicut & cap. 8. vbi hoc testimonium plenius adductum fuit. Huic incommodo quidam mederi volentes in Græco addiderunt aliquid ante illa verba, *Et peccatorum & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius*. Nam in quibusdam codicibus habebatur *ὄψεσιν λέγει, postea dicit*, vt refert Hasselanus. Quod & Erasmus significat in annotationibus; licet id in paraphrasi non sequatur. In alijs autem, Galeno teste, additum erat, *τὸν ἑσπέρα; vel προσέθηκεν τὸν* dixit, vel, *adiicit*. Sed hæc in melioribus codicibus non habentur; & cum tam varia sint, res ipsa loquitur adiecticia esse. Quod si à Paulo scriptum est: *Postquam enim dixit*, siue *predixit*; fatebimur orationem eius imperfectam esse, ac postulare supplementum, cuiusmodi ab alijs additum est.

16 HOC AVTEM TESTAMENTUM QUOD TESTATOR AD ILLOS, POST DIES ILLOS, DICIT DOMINVS. Voculam autem Græca & Syra non agnoscunt. Quod hîc interpres vertit *testator*, & cap. 8. *disponam*; in Græco idem est verbum *διαθήσομαι*, id est, *testamento disponam*. Cætera, cum ijs quæ sequuntur, sunt à nobis eodem cap. 8. copiosè exposita.

DANDO LEGES MEAS IN CORDIBVS EORVM, ET IN MENTIBVS EORVM SUPERSCRIBAM EAS. Græcè, *Dans leges meas in corde eorum, & in mentibus eorum inscribam eas*. Verba citata cap. 8. non nihil diuersa sunt etiam in Græco; sed res prorsus eadem.

17 ET PECCATORVM ET INIQUITATVM EORVM IAM NON RECORDABOR AMPLIVS. *Iam*, additum ex capite octauo; pro quo hîc vertit *amplius*. Quod autem hîc plus habemus, *& iniquitatum*; cum Græ-

cis conuenit vtroque loco. Quorsum apostolus iterum citet hanc scripturam ex Ieremia, quam dudum, & quidem plenius, citauerat cap. 8. superius indicaui. Nam prius eam adduxit propter illa præcipuè verba, *testamentum nouum*, vt ex noui testamenti promissione doceret oportuisse vetus abrogari, cui nouum succederet. Hîc autem, repetit tantummodo propter hanc postremam partem, *Et peccatorum* &c. Ex qua manifestum est peccatorum remissionem esse promissionem nouo testamento peculiarem. Quæ cum præstanda sit per oblationem eius qui conditor est ac mediator noui testamenti; sicut in superioribus abundè declaratum est; sequitur oblationes veteris testamenti iam debere cessare. quam sequelam continent verba subiuncta;

18 VBI AVTEM HORVM REMISSIO, IAM NON EST OBLATIO PRO PECCATO. Alij clarius ex Græco, *non est amplius oblatio pro peccato*. Ex hac quoque sententia pugnant aduersarij nostri contra missæ sacrificium; quod nos propiciatorium esse docemus, pro peccatis. Si enim, inquam, iuxta apostolum remissio peccatorum semel facta per vnã Christi oblationem, excludit omnem aliam oblationem pro peccatis: igitur & missæ sacrificium exploditur. Inprimis respondeo, sensum apostoli non posse hunc esse, omnium peccatorum remissionem, quæcumque commiserunt aut committent electi, propriè factam & peractam esse in cruce. Quam multa enim remissa fuerunt ante aduentum Christi? Quam multa etiam post eius passionem commissa sunt & committuntur quotidie? Quæ si quis dicat iam olim Christo patiente fuisse propriè remissa: consequens illi erit, peccata remitti priusquam fiant; nec quemquam nunc debere peccatorum suorum veniam à Deo petere. Denique, postquam mortuus est Christus, non esse in ecclesia remissionem peccatorum. Quæ omnia sunt absurdissima. Sed aiunt hunc esse sensum: *Vbi horum remissio*, id est, posteaquam precium remissionis semel oblatum est, nullum amplius esse vsum vllius oblationis pro peccato. Respondeo nec hunc sensum valere. Cum enim precium à Christo oblatum, tam fuerit efficax in tempora præterita quàm in futura: sequeretur hac ratione nec antiquos iustos, siue tempore legis, siue ante legem, in Dei cultu potuisse vti sacrificijs quæ pro peccatis offerrent; ne per hoc vni sacrificio Christi, quo omnium peccatorum facta est expiatio, derogarent. Deinde, si vnum illud sacrificium, vt nobis profit, applicationem requirit per fidem, pœnitentiam, orationem, sacramenta: cur respuit applicationem per sacrificia? quam vtique non respuebat antiquis temporibus. Quare dicimus, Apostoli sensum esse; Postquam remissio peccatorum quoad sufficientiam semel facta est; nimirum

Zz 4

rum

rum precio dato quod per se ad illam valeret, quale est quod Christus obtulit in cruce: iam cessat omnis oblatio propiciatoria ab illa Christi oblatione diuersa; id est, omnis ea quæ ad hanc non referatur, nec ei subordinata sit, iuxta sensum quem in similibus sententijs exponendis iam pridem dedimus.

19 HABENTES ITAQUE, FRATRES, FIDUCIAM IN INTROITV SANCTORVM IN SANGVINE CHRISTI. Græcè in *introitu*. quomodo S. Thomas legit 3. p. q. 22. art. 2. in c. Et quamuis textus eius commentario additus habeat lectionem communem: tamen commentarius potius sonat veram illam, quæ habet quartum casum. Ab hoc loco tertius incipit huius epistolæ tomus apud Theodoretum, & protenditur vsque ad finem epistolæ. Nobis etiam merito hic noui capitis initium esse deberet. Transit enim apostolus ad aliud. Nam hæctenus quidem disseruit de Christi sacerdotio, & virtute sacrificij eius quod vnicum obtulit patri in cruce, de quæ abrogatione veterum sacrificiorum: nunc suo more (quem in omnibus penè epistolis obseruat) à doctrina descendit ad exhortationem vitæ Christianæ. Quamquam potissimum in hoc immoratur, vt varijs scripturæ testimonijs, & sanctorum exemplis, Hebræos excitet ad perseverantiã fidei, & patientiam in aduersis: interdum etiam terrens inuitabiles & infirmos, proposita severitate iudicij diuini; veluti paulò post videbimus. Quod noster interpres vertit *fiduciam*, ex Græco *παρρησιαν*, Erasmus *libertatem* interpretatus est, quasi dicere velit apostolus: Cum iam habeamus liberum ingressum in sancta, per Christi sanguinem; hortor vos vt accedatis. Alij tamen existimant *fiduciam* nomen hic magis quadrare: qua significatione sæpe etiam alibi *παρρησιαν* usurpat Apostolus, & quidem hoc ipso capite, vbino habemus: *Nolite amittere confidentiam vestram*. Quo loco etiam Erasmus *fiduciam* vertit. Certè Græcorum commentarij magis pro *fiducia* faciunt quam pro *libertate*. Denique Erasmus in paraphrasi se contexit, & pro *libertate fiduciam* reposuit. Igitur sensus est: Cum igitur, fratres, data sit nobis fiducia & spes bona ingrediendi in sancta, per sanguinem Christi &c. Hęc nota sunt ex doctrina superiori, qua didicimus Christum pontificem per suum sanguinem nobis aditum patefecisse ad sancta vera, adumbrata per sancta sanctorum veteris testamenti; in quæ pontifici Leuitico non patebat ingressus nisi cum sanguine vituli & hirci. Illud addo, non solum Christi, verum etiam nostrum, id est, populi fidelis, introitum in sancta, in illo typo legali, quandam habuisse representationem. Nam etsi pontifex solus in illa sancta intraret; nomina tamen duodecim tribuum lapidibus insculpta; quæ in humeris & ante pectus gestabat, illuc secum inferbat. Quæ figura erat, omnes electos qui

in duodecim tribus Israël intelliguntur, per Christum pontificem introducendos in sancta caelestia.

20 QUAM INITIAVIT NOBIS VIAM NOVAM ET VIVENTEM. Relatum Græcum referri potest ad *introitum*, Græcè *εἰσόδον*, fœminini generis; vel iungi substantiuo sequenti *ὁδόν*, *viam*. Ad *introitum* referunt Theophylactus & Oecumenius. Idem vult Caietanus; ideoque putat fuisse vertendum, quem *initiauit*: in quo tamen falli ipsi, grammaticorum regula docet, quæ tradit rectè concordare sequenti. Ad *viam* retulit noster interpres: cui fauent Theodoretus & textus Syriacus; nec non Erasmi versio, quæ sic habet: *Ea via quam dedit nobis recentem ac viventem*. Et quamuis ad sensum non multum intersit vtrò referatur: arbitror tamen commodius ad *viam* referri posse, eo sensu, quem Erasmi versio suggerit. *Initiauit*, Græcè *ἐπέδειξε*, id est, *inmonuit*, si verbum è verbo exprimas. Atque ita verterunt nonnulli. Sed multò rectius noster interpres, *inmonuit*; & Erasmus, *dedit*. Ita capite superiori: *Nec primum quidem sine sanguine deditur est*. Vbi sunt eadem voce Lxx lib. 3 Reg. 8. *Dedit domum Domini Rex*. Hinc nomen enceniorum apud Ioannem c. 10. quo significabatur dies festus dedicationis templi siue altaris. Dicitur autem *ἐγκαινίων* proprie, qui rem quampiam novam & iam absolutam primum adhibet in usum. Vnde tempore Augustini *encainare* dicebatur etiam is qui noua tunica induebatur; vt ipse refert tract. 48 in Ioannem. Christus ergo nobis *initiasse* dicitur *viam novam ad sancta*; quia per eam primus ingressus est, vt nos post eum ingrederemur. Ea via est quam ipse sua passione stravit ad cælum. Hanc Apostolus vocat *novam*, Græcè *πρῶτον*, *recentem*, hoc est, recenter factam, nec vllius antea pedibus calcatam. Vocat *viventem*; vel quia ducit ad vitam æternam, vel quia non moritur, id est, non aboletur; quomodo via quæ ducebat in vetus tabernaculum, vnà cum legalibus, extrita est & mortua; sed semper manet ac sola sufficit introducendis in cælum omnibus electis vsque in finem sæculi.

PER VELAMEN, ID EST, CARNEM SVAM. Quemadmodum pontifex Aaronicus per velum intrabat in sancta, quod superiori capite dicebatur *velamentum* (secundum) ita Christus per carnem suam intravit in cælum, vt per huiusmodi ingressum *viam nobis initiauit*, qua nos eum sequeremur. *Caro Christi* rectè per velum significatur; quia sicut velum operiebat arcana sanctuarij, & tamen ingressum illuc præbebat: ita caro Christi diuinitatem obtexit quodammodo, latebat enim in homine Deus; & tamen per eam ad Deum adducimur. Quod pertinet quod in morte Christi velum templi scissum est in duas partes Matth. 27. quia nimirum carne Christi

per mortem conscissa, patere cœpit aditus in cælum. Quæri posset, quomodo nunc velum Paulus interpretetur carnem Christi; quam capite præcedenti ostendimus ex mente eiusdè apostoli præfigurata fuisse per tabernaculum. Sed ad hoc respondimus eo ipso loco, tractantes illa verba: *Per amplius & perfectius tabernaculum*.

21 ET SACERDOTE M MAGNUM SVPER DOMVM DEI. Pendet hæc pars à verbo *habentes*, & sensus est: Item, cum habeamus sacerdotem magnum præfectum domui Dei; hoc est, Christum, quem Deus constituit super totam ecclesiam, quæ est domus eius. Intellige *sacerdotem* adhuc agentem ea quæ sacerdotis sunt; id est, carnem suam in qua passus est, adhuc offerentem Patri, & in ea pro nobis interpellantem; denique, qui apud patrem omnia possit, vt cui pater omnia dederit in manus. Id enim vult ea pars, *super domum Dei*. Hęc autem ab Apostolo dicuntur ad excitandam & augendam in suis Hebræis fiduciam. Theophylactus: *Domum Dei* mauius cælum intelligi: sed prior expositio consentanea est Apostolo qui capite 3. domum cui præfectus est Christus, interpretatur ecclesiam: *Quæ domus*, inquit, *sumus nos*; id est, fidelium multitudo. Nec tamen ab ea separare intendit ecclesiam in cælo regnantem: Vno enim nomine *domus Dei* videtur comprehendere totum Christi regnū; quod partim militat, partim triumphat. Hic quippe toti Christi præfectus est, sicut & totius est caput.

22 ACCEDAMVS CVM VERO CORDE. *Verum cor*, more scripturæ, dicitur cor rectum & sincerum; cui opponitur cor fictum, & duplex, cum aliud ostenditur foris in sermone aut opere, aliud tenetur in cogitatione. Itaque remouet hic hypocrisis; Et sensus est: *Accedamus ad Deum*, vel tendamus ad sancta (nam vtumque potest subaudiri) purè & sincerè atque ex animo id agentes quod exterius profitemur.

IN PLENITVDINE FIDEI. *plenitudine*, Græcè *πληροφορία*, quam *certitudinem* alij interpretantur. Suprà cap. 6 ex eadem Græca voce legimus *expletionem*, id est, plenitudinem, spei. Vide quæ ibi sunt à nobis annotata. Sensus est: Cum plena certissimaque fide promissorum Dei. *Fidelis est enim*, vt mox sequitur, *qui promissit*.

23 AD SPERSI CORDA A CONSCIENTIA MALA, ET ABLVTI CORPVS AQVA MVNDA. Alludit ad aspersiones & ablutiones legales, velut typos quibus ista de qua loquitur aspersio & ablutio præfigurata sit. Vtraque memorauit cap. præcedenti; primum, baptismata; deinde, aspersiones. Sunt qui in posteriori membro putent apostolum respicere ad locum Ezech. 36 *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Sed verius arbitror quod dixi, in vtroque esse allusionem ad ceremonias legis.

Tota enim hæc apostoli exhortatio continet expositionem quandam allegoricam eorum quæ de legali pontifice, & sanctis, & ceremonijs superius dixit. Ita nimirum, etiam exhortando docet, ac legis figuras explicat. *Accedamus*, inquit, *aspergi corda a conscientia mala*; id est, emundatis ac purificatis cordibus, ita vt in eis nulla resideat conscientia peccati. Item, *abluti corpus aqua munda*, id est mundante animati. Qua parte baptismi sacramentum significat; in quo sic corpus abluitus aqua vt per eam anima mundetur. Hęc de baptismo communis est tam Græcorum quam Latinorum expositio. Quam puto omnino retinendam, hoc potissimum argumento, quia *corpus* nominat; quod baptismi lauacro necesse est ablui, vt animæ mundatio sequatur. Nam si non aliud hæc parte significare vellet quam priore, sicut nonnullis placet; non corpus sed animam nominaret, dicendo, *et abluti animam aqua munda*, id est, gratia Spiritus sancti. Certè corporis ablutio, licet mundatione animi typicè significet; nusquam tamen pro ea legitur posita in scripturis. Nec verò nostræ sententiæ obstat quod ij quibus hæc scribuntur, iam baptizati erant, ideoque ad baptismum minime cohortandi. Non enim apostolus his verbis hortatur vt baptizati se curent; sed vt accedant cum ea mundicia, quam ex institutione Christi præstat baptismus corpori adhibitus. Sed aiunt apostolum hæc parte exigere sanctificationem corporis, de qua 1. Thess. 4. sic loquitur, *Hęc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione*: quemadmodum priori parte exegerat sanctitatem mentium, dicens, *Aspergi corda &c.* Respondeo, non esse morem scripturæ vt illam corporis sanctificationem huiusmodi phrasî designet, *abluti corpus aqua munda*: Quin potius hoc vult apostolus, & hunc ordinem insinuat, prius esse vt animus mundetur ab affectu peccati; quod fit sine sacramento: posterius, vt à macula & reatu culpæ liberetur. Quod vt fiat, opus est sacramento vel eius voto.

TENEAMVS SPEI NOSTRÆ CONFESIONEM INDECLINABLEM. *Nostri* non addit in Græcis codicibus; quamquam in Syriaco legitur. Adiectum videtur explicandi causa. Hęc pars exhortationis seiungenda est à superiore. Non enim legendum continuo spiritu: *Et abluti corpus aqua munda teneamus &c.* Sed totum quod præcedit referendū est ad verbū *accedamus*. Itaq; sensus est: Retineamus quoque eam spem & fiduciam quæ professi sumus in baptismo; nec ab ea professione per diffidentiam declinemus. Non vacillet aut titubet spes nostra. *Confessionem spei* vocat ipsam fidei confessionem: non quod fidem cum spe confundat, vt scētarij faciunt; sed quia qui in baptismo fidem cōfiterur, simul etiam profiteretur ea quæ sperat, nempe remissionem peccatorum, carnis resurrectionem

& vitam æternam.

FIDELIS ENIM EST QUI REPRŌMISIT. Spes nostra qua speramus ac confidimus nos ingressuros in sancta caelestia, nititur fide qua credimus Deū esse fidelē, id est, veracē & cōstantē in suis promissis; vt qui mēriti non possit: Promisit autem introitum illum credētib; sperātib; bene operātib; denique perseverātib;. Quæ media quia nō omnibus promissa sūt, sed solis electis, quos solus nouit Deus: idcirco ex fide promissorū Dei minimē cōsequēs est vnique certō persuasum esse debere quōd sit accepturus vitam æternam; & ab huiusmodi persuasione spem nostram certam vocat; sicut contra apertissimas scripturas, & hanc ipsam qua ad perseverantiam suos Hebræos hortatur Apostolus, docent horum temporum Sectarij. Iam ex eo quōd Apostolus, ad spem nostram confirmandam, allegat fidem Dei promittentis; collige, bona opera non suapte natura vitæ æternæ esse meritoria, sicut quidam opinati sunt; sed ex decreto ac promissione Dei, qua mercedem ac præmium æternæ vitæ illis constituit.

24

ET CONSIDEREMVS INVICEM IN PROVOCATIONEM CHARITATIS ET BONORVM OPERVM. Obserua gradus in exhortatione apostolica. Primum enim hortatur ad fidei plenitudinem, deinde ad firmitatem spei, tertio ad opera charitatis. Quod interpres dixit *provocationem* Græcè est *παροξυσμόν*. Quæ vox propriè quidem significat *iritationem exasperationem, acrem disceptationem*; sed hîc in bonam partem sumitur ab Apostolo; sic tamē vt tacitè eos taxet de vicio propriè per hanc vocem significato; Monens vt illud veriant in contrarium. quasi dicat; Sunt inter vos qui fratrum infirmitatibus offensi, dissidia suscitant; conuentus deserunt, imò defectiōnem moluntur: Contrā, vos adhortor vt fratrum infirmitates ac vicia dissimulantes potius inuicē vos consideretis secundum ea, quibus ad charitatem & bona opera mutuō præstanda, prouocemini. Considerate proximorum virtutes, vt eas imitemini: miserias, vt subleuetis: animi verò infirmitates supportate, nec aliter in eas intendite quā vt corrigantur. Huc spectant exhortationes quæ habeantur infra, cap. 12. *Pacem sequimini cum omnibus.* & cap. 13. *charitas fraternitatis maneat in vobis.* Confirmat etiam hunc sensum quod sequitur.

25

NON DESERENTES COLLECTIŌNEM NOSTRAM. In Græco est tricompositum vocabulum *ἐπισυναγωγήν*, quod Erasmus transtulit, *aggregationem*. Eadem vox habetur 2 Thess. 2. vbi noster *congregationem* vertit. Fortè apostolus ad Hebræos scribens vti voluit hac Græca voce, alio qui rara, ne à vocabulo *synagoga*, quod Hebræorum cœtui quodammodo proprium erat, longius recedere videretur.

Quid autem hîc moneat apostolus non satis constat. Græci interpretes, authore Chry-

ostomo, sentiunt Apostolum monere ne cōuentibus ecclesiasticis se subducant; quōd per eos mutua charitas, de qua parte præcedenti, foueatur: & ad hoc adducunt scripturas: *Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum* Matth. 18. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna* Act. 4. Iuxta quem sensum, pertinet hæc admonitio vel ad eos qui metu persecutiōnū non audebant huiusmodi conuentus adire; vel potius ad homines morosos & fastuosos, præsertim diuites, qui cum fratribus humilioris conditionis, vt erant inter Christianos multi, congregari dedignabantur, nisi cohererentur præ cæteris, ac locus honoratior eis præberetur. Quod viciū etiam Iacobus apostolus notat cap. 2 suæ epistolæ. Huic sensui fauet reciprocum nomen *ἐαυτῶν*. Pro quo noster quidem interpres vertit *nostram*; sed significantius alij, *mutuam*. Erasmus, *nostram mutuam*. Quasi dicat Apostolus; non alienantes vos à cœtibus ad quos Christiani mutuō conueniunt. Porro Latini ferè exponunt de desertione ecclesiæ fidelium per schisma aut apostasiam; ad quam Iudæi nonnulli semel ad fidem conuersi, erant procliuēs. Pro hac expositione plurimum facere putant id quod statim pro ratione subiungit: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam noticiam veritatis, &c.* Hoc enim de ijs intelligi volunt, qui veritatem fidei semel acceptam & cognitam, destinata voluntate deserunt. Quod vt ita sit (de quo paulo pōst videbimus): non incommodè tamen hæc ratio Græcorum expositioni iam disclæ, poterit aptari. Nam qui conuentibus ecclesiasticis per fastum & superbiam se subtrahunt, proximi sunt grauiori ruinæ, qua vel sectas proprias pariant, vel per apostasiam in pristinas infidelitatis tenebras relabantur. Ita sanè martyr Ignatius in epistolis ad Ephesios & Smyrnegos hortatur ad frequentandū ecclesiasticos conuentus; causam hanc reddens: *quoniam*, inquit, *confirmabunt vos*: ac minatur, si ijs se subtrahant, futurum vt excidant à fide.

SICVT CONSVETVDINIS EST QVIBVS-DAM. Hæc etiam pars facit pro sensu Græcorum. Nam consuetudo frequentiam actuum designat: Apostasia verò vno actu completur. Notat ergo eos qui frequenter & ordinariè faciebant id quod hîc improbat.

SED CONSOLANTES. Græcè *παρηλατῶντες*. Quod etiam verti potuit, *exhortantes*. Vtrumque congruit huic loco. Supplendum est autem ex superioribus, *ἀλλήλους*, id est, alter alterum; vel *ἐαυτῶν*, id est, vos mutuō. Sensus enim est: Conuentus & synaxes ne deseratis: Quin potius inter huius vitæ pressuras & persecutiōnes, quoties conuenitis, adhortamini mutuō ad patientiam, consolantes vos spe futuræ retributionis. Erasmus vertit, *Sed adhortantes inuicem*. Quæ vocula *inuicem*, additur etiā in textu cōmentarij Ambrosiani.

ET TAN-

ET TANTO MAGIS, QUANTO VIDERITIS APPROPINQUANTEM DIEM. *Videritis* Græcè *ἐλπίζετε*, *videtis*. Diem autem intelligit aduentus Domini seu futuræ retributionis: cuius certa expectatione vult vt se mutuo consolentur. Id, inquit, eo magis atque libentius facite; quōd videatis appropinquare diem illum quo fidei, laboris ac patientiæ vestræ mercedem estis accepturi. Nam sicut rei speratæ dilatio animam affligit, Prouerb. 13. ita eiusdem appropinquatio recreat, & ad opus facit alacriorem. Vnde & quæ naturaliter mouentur, quo propius accedunt ad terminum, eò feruntur celerius. Sed quomodo dicit, *appropinquantem diem*; qui illis adhuc tam procul aberat, vt ne nobis quidem, post tot annorum secula, iam vicinum esse possimus affirmare? Hic scrupulus mouit quosdam vt diem non extremi iudicij, sed mortis, intelligendum putarent. quod non placet: tum quia non de singulari agit apostolus, sed de conuentu seu communitate fidelium, in qua alijs morientibus alij succedunt; tum verò quia dies solitariè positus, præsertim addito articulo, vt hoc loco (*τὴν ἡμέραν*) non alius ferè solet intelligi in scripturis apostolicis, quā dies vniuersalis iudicij ac retributionis. Exempla sunt, 1 Thess. 2. 2 Thess. 1. 2 Timoth. 1 & 4. Notandum igitur, Apostolum non dicere, quod dies, ille iam propinquus sit, quasi venturus erate eorum ad quod scribit; Huiusmodi enim sensum ipse alibi corrigit, vt 2 Thess. 2. monens eos ne terreantur tanquam inster dies Domini. Corrigit etiam Petrus 2 ep. 3. quum aduersus eos qui dicebant, *Vbi est promissio aut aduentus eius?* docet, *nulle annos apud Dominum esse sicut diem vnum*. Sed dicit hoc loco Apostolus diem illum *appropinquare*, id est, accedere magis ac magis, etiam si fortè procul adhuc ablit. Quod absque dubio verum est, & difficultatem non habet. Cæterum argumento dei appropinquantis vitur, tanquam idoneo ad spem acuedam. Quod eò plus valet; quoniam et si dies ille multū adhuc differatur; tamen dies mortis, qui vnique diem extremi iudicij, imò & retributionis, representat; longè abesse non potest. Adde, quod hic loquendi modus, quo dicitur *appropinquare dies Domini*, fundatur in eo, quod totum tempus à primo Christi aduentu vsq; ad secūdū, vocatur in scripturis *noctissima hora*, & *noctissimi dies*; item *consummatio sæculorum*, capite præcedenti. Quo monemur, post hoc tempus, velut vltimam mundi ætatem, non aliud in expectatione nobis esse debere quā dies retributionis. Loca similia sunt Rom. 13. *Nunc enim propior est nostra salus quā cum credidimus*. Et Phil. 4. *Dominus prope est*. Quibus locis vide Cōmentarium nostrum.

26

VOLUNTARIÈ ENIM PECCANTIBVS NOBIS POST ACCEPTAM NOTICIAM VERITATIS, IAM NON RELINQUITVR PRO

PECCATIS HOSTIA. Pro textu, nota has dictiones, *peccantibus nobis*, non esse datiuos qui regantur à verbo *relinquitur*; sed ablatiuos absolutè positos, sicut ex Græco manifestum est. Vnde alij resoluunt hoc pactō, *Nam si (vel vbi) voluntariè peccamus*. Illud quoque, *iam non relinquitur* &c. clarius ex Græco verti: *non amplius, vel, non ultra pro peccatis reliqua est hostia*.

Locum hunc apostoli, perinde vt illum qui est cap. 6 *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati* &c. Nouatiani quondam suo dogmati, quo lapsis pœnitentiam negabant, vendicare conati sunt. Quibus vtique prima facie non parum videtur suffragari. Quæ etiam causa fuit, vt apud quosdam Catholicos suspecta haberetur hæc epistola, fueritque tardius in autoritatem recepta: sicut in progomenis epistola ostendimus. Vt igitur intelligatur hunc locum Nouatiani nihil patrocinari; verum eius sensum exquiramus. Non enim in eo explicando omnes orthodoxi cōueniunt. Chrysostomus & eius sequaces intelligunt eos *voluntariè peccantes*, qui post baptismum in grauiora peccata sunt relapsi. Quibus, secundum eosdem, negat Apostolus *relinqui pro peccatis hostiam*, eo quod in ecclesia non sit locus secundo baptismati, quo iterū sicut prius à peccatis abluamur. Hi per *hostiam*, aut baptismum intelligunt, aut potius mortem & crucem Christi quatenus in baptismo operatur. Oecumenius quidem de vtroque exponit: At Chrysostomus, cum dixisset, *secundum auferit lacrumas*; ita subiunxit: *Non enim dixit, Non est amplius pœnitentia, neque est amplius remissio: sed non est amplius hostia, hoc est: non est amplius vix secunda. Hoc enim vocat hostiam*. Sic ille. Quæ eadem aut pene eadem verba, haud dubiè ex Chrysostomo sumpta, leguntur in cōmentarijs Primasij & Anselmi pseudepigraphis. Sentit cum his Augustinus in inchoata expositione epistolæ ad Romanos, ita scribens: Significat apostolus non posse deinceps eum qui peccauerit, iterum baptizando purgari. Probabilem facit hunc sensum locus sexti capitis, huic similis; quem de sacramento renouationis, id est, baptismi, non iterando, ferè omnes exposuerunt. Sed tamen est quod assensum nostrum (salua autoritate dictorum Patrum) auocet. Primum, quia profectò illa verba Apostoli, *Iam nō relinquitur pro peccatis hostia*, nullam habent significationem baptismi. Nusquam enim baptismus hostia vocatur, aut per hostiam significatur. Deinde, si voluntariè post baptismum peccantibus denegatur alius baptismus: nūquid ideo consequens erit illis relinqui terribilem expectationem iudicij & ignis æterni æmulationē? Nequaquam: Nisi cum Nouatiani pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam, tollere velimus. Quod argumentum maximè Græcos vrget, ac cæteros, qui in parte sequenti, *iudicium* intelli-

gunt

gunt æternæ damnationis. Nam quomodo non admittit lapsis pœnitentiam, qui dicit: *Voluntariè peccantibus*, id est, relapsis, nō relinquitur secundum baptismum, sed ignis æternus? Hac (arbitror) ratione motus Oecumenius, *voluntariè peccantes* interpretatur eos qui perseverant in peccato vsque ad mortem. Sed hoc meritò, post Hugonem, rejicit Aquinas; quia sic frustra adderetur, *post acceptam noticiam veritatis*. Quicumque enim in peccato perseverat, etiam si veritatem nūquam cognoverit: æterni ignis supplicio adiudicatur. Est igitur aliorum sententia, qui sic apostolum exponunt: Post baptismum & cognitam fidei veritatem relapsis in graua peccata, iam non est reliquum tale remedium, quale baptismus; quo videlicet ita simul ac semel liberentur à culpa & pœna, sicut baptismi remedio fuerant liberati; in quo, sine vlla conditione satisfactionis ab homine præstandæ, ei applicatur hostia crucis. Id enim significari volunt his verbis; *Iam non relinquitur pro peccatis hostia*: qua nimirum statim ac penitus ab omni debito pœnæ solvatur is qui peccauit. Nam post oblatas pro peccatis hostias non solet exigi satisfactio. Ac ne pars sequens eis obstit, quæ voluntariè peccantibus præterdit, non gratiam aut pœnitentiam, sed iudicium & ignem: id totum exponunt, vt eo loco dicemus, de pœnis ignis purgatorij, in quo exemplum quoddam est horrendæ punitionis ac vindictæ in reprobos exercendæ; quæ purgatorij pœnæ manent omnes relapsos, si non eas condignis satisfactiombus præuenite studeant in hac vita. Dicitur hæc probabiliter: nec dissentanea sunt ijs quæ cap. 6 dicta sūt, iuxta communem illius loci intellectum. Veruntamen ipse contextus & verba Apostoli, si præsius expendantur, ad alium sensum nos inuitant; cuius iam supra memini. Dixerat enim: *Non deserentes collectionem nostram*. Atque inde, terrendo, subiicit hæc verba: *Voluntariè enim peccantibus* &c. quasi *voluntariè peccantes* vel iidem sint cum *deserentibus collectionem*, vel ex illis nasci soleant, eò quod, vt dicebamus, ecclesiasticorum conuentuum morosi ac superbi desertores, ad grauiorem ruinam sint propensi; nominatim ad apostasiam. Quare, non de quocunq; mortifero peccato præsens locus accipiendus erit; sed de peccato apostasie, qua fides & religio Christiana semel suscepta, prorsus abiicitur. Id etiam insinuat pars illa, *post acceptam noticiam veritatis*. Similiter enim & B. Petrus de apostatis & hæreticis loquitur, 2 ep. 2. *Melius, inquit, erat illis non cognoscere viam iusticie, quam post agnitionem retrosum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato*. Qui locus cum isto conferendus est: sicut & alter qui est apud Io. 1 ep. 5 vbi de peccato ad mortem differens, ait, *Non pro illo dico vt roget quis*. Nam & illud peccatum rectissimè intelligitur, quo

Christiana fraternitas aut impugnatur aut deseritur. Est autem huic affine peccatum in Spiritum sanctum; quod Dominus neque in hoc sæculo neque in futuro remittendum pronunciat. Matth. 12. Sanè de grandi aliquo peccato loquitur Apostolum, declarant grauissimæ eius exaggerationes, illis paulo post verbis significatæ; *Qui filium Dei concuenerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & Spiritui gratia contumeliam fecerit*. Loquitur autem scriptura de huiusmodi peccato, velut de lapsu irreparabili; non quin verè pœnitenti pateat locus veniæ per sanguinem Christi, sed significans eos qui hoc modo peccant vix vnquam ad veram pœnitentiam adduci. Non enim ex infirmitate peccant aut ex ignorantia, sed ex malicia ac destinata voluntate; nec id quomodecunq; sed aut manifesta diuinitatis opera calumniantes, vt qui in euangelio blasphemasse dicuntur in Spiritum sanctum; aut à veritate fidei recedentes, posteaquam in ea fuissent satis instituti, eamq; suscepto baptismi in ecclesia, palam professi; quales erant, de quibus Petrus & Ioannes locis memoratis: quales & ij quos hoc loco Paulus vocat *voluntariè peccantes*. Quia quamuis omnis qui peccat, voluntariè peccet (non enim peccari potest nisi voluntate liberè eligente quod malum est): peculiari tamen ratione dicuntur *peccare voluntariè*; quibus neque passio, neque ignorantia peccandi causa est, sed praua atque in malum ex habitu proua, voluntas. Nam in ijs qui ex ignorantia vel passione peccant, per hoc peccandi causas voluntarium minuitur. Vnde & inuoluntariè quodammodo peccare dicuntur. Quod secus accidit in his qui ex malicia peccant. Addit autem, *post acceptam noticiam veritatis*, vt peccatum voluntarium determinet ad certum genus, quo nimirum à noticia veritatis semel accepta, receditur; & per consequens ad pristinas viciorum sordes reditur; iuxta illud Petri: *Canis reuertens ad suum vomitum: &, Sus lota, in volutabro luti*. Vt autem grauitatem peccati de quo loquitur apostolus, magis agnoscas: cogita eum loqui pro eo tempore quando plerique ætate iam adulti ad baptismum accedebant, prius diligenter instructi & catechizati in doctrina fidei. Quorum vtique peccatum, si postea deficerent à fide; multo grauius erat, quàm nunc sit eorum qui in infantia baptizati, nec postea admodum instructi, catholicam fidem deserunt & ad heresim defleunt. Hoc apostasie peccatū ab Apostolo significari, intellexerunt multi recentiores; vt Thielmannus, Catharinus Haselanus, Arias Montanus, Franciscus Ribera; Nec non Erasmus in annotationibus. Ac ne propterea recentem putes interpretationem; etiam Hugo Victorinus eam tradit quæstione 61 & 88 super hanc epistolam; affirmans & alijs quibusdam ita visum fuisse. In quam

senten-

sententiam etiam Aquinas tandem defleat. Que sanè nobis quoq; probatur, vt textui valde cōsentanea. Et quia præsens locus, omnium ferè iudicio, cōuenit cū eo qui est cap. 6 huius epistolæ: cōsequitur, etiam illic vbi dicitur, *Et prolapsi sunt*, idem apostasie crimen significatum esse. Qua de re latius eo loco disputatum est. Nec obstat nobis, quod hic sensus etiam reperitur apud seculares: illud modò caueamus quod ab illis vtroque loco studiosè inculcatur, solū apostasie, siue, vt loquuntur, vniuersalis ab ecclesia defectionis peccatum esse eiusmodi per quod à Christi gratia quis in totū excidat: cætera peccata non impedire quominus homo quotidie Christi sanguine irrigetur, ac Deū experiatur propiciū. Hoc enim non est apostolum exponere, sed suos errores obtrudere. Quia tamen in re, Caluinus talia dum scribit, incautus seipsum iugulat. Si enim hac vniuersali, quam vocant, defectione homo totus excidat à gratia Christi; quod verissimum est: quomodo passim docet, fieri non posse vt gratia semel habita amittatur?

Restat explicandum, quid sibi velit illud: *Iam non relinquitur pro peccatis hostia*. Nam per *hostiam* significari baptismum, ostēdimus nō esse verisimile. Si dicas sensum esse; Non amplius futurū vt Christus offerat se in cruce pro peccatis hominū: respōdebitur apostolo, non opus esse noua Christi oblatione, quicūque demum intelligantur *voluntariè peccantes*: quandoquidem vna & prima Christi oblatio sufficiat expiandis omnium hominum peccatis, quantumcunq; grauib. Existimat Ribera Paulum loqui de hostia à Christo diuersa; idq; hoc sensu: Si quis Christi noticiam semel acceptam abiecerit; nō est quod salutem speret, nisi ad Christū reuertatur. Non enim inueniet aliam hostiā per quā peccata sibi remittantur & pœnas effugiat æternas. At verò plerique omnes *hostiam* intelligunt, aliā quidem à priori, sed eiusdem Christi. A quorum sententia non puto recedendum. Habet enim fundamentum in apostolo, qui cap. 6 dicit, *prolapsos*, id est, *voluntariè peccantes, rursum crucifigere sibi met ipsos filium Dei*. Et tam hoc capite quàm præcedenti, multa disputat de ipsius Christi oblatione non iteranda. Quod ergo dicit apostolus, tale esse videtur. Siqui nostrū voluntariè peccauerint abiecta veritatis noticia; hi, quoniam Christi hostiā semel oblatā, sua apostasia penitus & omnino in se frustra uerūt; non est quod expectent hostiā Christi pro suis peccatis iterandā, id est, vt iterū crucifigatur filius Dei; quod grauitas & magnitudo lapsus eorum, si reparandus sit, videbatur exposcere. Non enim amplius moritur Christus, Rom. 6. Quin potius sciant, expectandum sibi esse terribile iudiciū. Non dicit, Si qui hoc modo peccauerint, ne desperent, sed corde cōtrito rursus accedant ad thronū gratiæ Dei, cum spe veniæ per hostiam semel oblatam accipiendæ: Non hoc, inquam, dicit:

tum vt peccati magnitudinem & periculum demonstret, cuius venia vix possit expectari; quasi dicat, inexpiable esse crimen; cum quia terere voluit stātes, vt sibi à lapsu cauerent; alioqui certè cum lapsis, si seriò locum veniæ quærent, aliter locuturus. Et fortassis alludit ad legem Mosaicam, quæ pro expiatione peccati per superbiam siue contumaciam commissi, nullam præscribit hostiam; sed simpliciter pronunciat eum qui sic peccauerit periturū de populo suo, propterea quod verbum Domini contemserit. Num. 15. Per hoc enim significatum est, eiusmodi peccatorum raram esse pœnitentiam ac difficilem veniant.

Porro quod nihil officiat etiam hic locus sacrificio Missæ, contra quod adduci solet ab hæreticis; facile potest ex dictis intelligi. Nam nec de omnibus peccatis agit apostolus, sed de certo quodam genere, de quo dicat; *Iam non relinquitur pro peccatis hostia*: nec quilibet hostiā relinqui negat, sed crucē mortēq; secūdā, sicut aperte veteres interpretati sunt.

27 TERRIBILIS AUTEM QUÆDAM EXPECTATIO IUDICII. *Terribilis*, Græcè, φοβερά, formidabilis, ad expectationem pertinet; tamen si locutio transitua est, pro eo quod diceret; sed relinquitur expectandum terribile iudiciū. Vbi nomine iudicij, damnatio seu puniatio videtur intelligenda; sicut cap. 6. Sed quæ damnatio, statim quæretur.

ET IGNIS AMVLATIO, QUÆ CONSUMPTURA EST ADVERSARIOS. Græcè, qui consumpturus, vel potius, comesturus, deuoraturus est aduersarios. Refertur enim ad ignem, non ad emulationem. Atque ita habet textus commentarij Ambrosiani; qui deuoraturus. Suffragatur & Syra versio. Quamquam pro vulgata faciunt commentarij Græcorum Chrylostomi & Theophylacti. Porro locus iste bifariam exponitur, velut iam antè indicaui: Quidam enim de pœnis purgatorijs accipiunt; alij de damnatione æterna. Secundum priores, sensus est, Qui fide semel suscepta relapsi fuerint in graua peccata; manet eos terribile iudicium Dei, quod exercet post hanc vitam; etiam si conuersi fuerint à peccatis. Seruantur enim igni purgatorio; qui est amulatio seu representatio quædam illius ignis qui consumeret impios, id est, ignis æterni. Quod totum intellige, nisi per spontaneam iustamq; satisfactionem, qua dum viuunt in se ipsis peccata sua vindicent, terribile illud futuri sæculi iudicium præueniant. Hunc sensum probant ex ipsis verbis. Nam in gehenna non est amulatio ignis aduersarios consumpturi: sed sicut ibi verè sunt aduersarij; ita est ipse ignis aduersarios consumens, id est, affligens & crucians. At in purgatorio, vbi non sunt aduersarij, sed filij tantū; est illius ignis aduersarios consumentis amulatio siue similitudo quædam, ob pœnæ grauitatē. Alij verò sic exponūt, Qui in graua peccata, præsertim in apostasiam, fuerint relapsi,

reliquum eis est vt expectent terribile Dei iudicium in impios exercendum, & igne gehennae saeuientem, qui deuorabit, id est, excruciat omnes Dei aduersarios, quoru in numero & isti censentur. Sciendum est enim in Graeco sic haberi, *καὶ πῦρ ἐστὶν ἄλλο*; quod Erasmus vertit, *Ignis uehementia*: Sed Hentenius & alij, Graeco vocabulo retento vertere maluerunt, *Ignis zelus*; idque ob peculiarem illius vocis significationem etiam a Graecis commentatoribus explicatam. Monent enim obseruandum esse, quemadmodum apostolus igne veluti animauerit, vitamque & vires ei tribuerit, qui instar iratae ferae, apprehendat & deuoret inimicos: vt sit in verbis Apostoli proseropopoeia quaedam, cum Hebraismo late. Nam Hebraeis zelare dicitur, qui dolore & iustae vltionis desiderio commouetur pro bonis aduersus malos. Exempla frequentia sunt in scripturis. Vnde & Deus zelotes vocatur, Exod. 20 & 34. Sic igitur ignem veluti fingit apostolus zelantem pro gloria Dei, & quasi dolentem ac vindicantem eius iniurias. Alibi vero e conuerso legimus *ignem zeli diuini*; vt Ezech. 36 & Sophon. 1 & 3. Ex quo suspicari quis posset, etiam apostolum ita scripsisse, *καὶ πῦρ ἐστὶν ἄλλο*; *Ignis zeli*, videlicet *exp. etatio*. Nam & LXX. quos libenter imitatur huius epistulae scriptor, apud Sophoniam, iisdem verbis, *ignem zeli* expresserunt.

Ex duobus sensibus memoratis eligat lector vtrum volet: Mihi posterior ad scripturae phrasim magis videtur accommodatus. Eundem adiuuat metio iudicij, quod cap. 6 vocatur aeternum. Quo etiam loco legitur comminatio combustionis, quae reprobos maseat. Ignem vero corporeum hoc loco intelligi non dubitamus; sicut & alibi, eum de poena damnatorum scriptura loquens, ignem nominat: vt Matt. 5. 18. 25. 2 Thess. 1. Apoc. 19. 20 & 21. Qua de regimus ex professo in 4 dist. 44. Itaque facessat Caluini commentum, qui ignem aduersarios deuoraturum exponit cruciatum male conscientiae: & quae Theologi de igne corporeo disputant, suo more false irridet. Nobis ex aduerso sufficiat, quod eam ignis interpretationem orthodoxi patres iam olim in Origene damnarunt.

IRRITAM QVIS FACIENS LEGEM MOYSI, SINE VLLA MISERATIONE DVOBVS VEL TRIBVS TESTIBVS MORITVR. *Irritam faciens*, Graece participium *ἀθετῶν*, id est, *qui irrita fecerit, qui abiecit legem Moysi*. Quod intelligi potest duobus modis: vel vnum aliquod legis praeceptum violando, velut, *Non occides*, *Non moechaberis*; vel ipsam legem prorsus abijciendo: quod fiebat si quis ad deos alienos declinaret. Priori sensui fauet Syra versio, quae habet: *Qui transgressus fuerit legem Moysi*. Tradunt eundem, qui voluntarie peccantes interpretati sunt de quocunque peccato mortali, quos necesse est & sequentia conformiter explicare. Posteriori sensui vox Graeca qua Paulus vsus est, expetere videtur: quae non simpli-

citer transgredi significat, sed, vt dixi, *irritum facere & abijcere*. Sic enim & alibi sumitur, vt Gal. 2, *Non abijcio gratiam Dei*. Itaque verisimile est apostolum respicere ad locum Deuter. 17. vbi lex statuit vt si qui ex populo reperti fuerint seruire dijs alienis; lapidibus obruantur: cui subiuncta hac sententia: *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficitur*. Hinc etiam apparet, totum hunc locum accipiendum esse de peccato apostasiae; vt sit comparatio hominis abijcientis legem Mosaicam, cum eo qui deserit legem Christi. Dicit autem, *legem Moysi*, more scripturae; non quod Moyses fuerit eius author (erat enim lex diuina non humana) sed quod Moysi ministerio promulgata fuerit. Illud porro *sine vlla miseratione*, Graece *sine miserationibus*; additum est ad ostendendam inexorabilem legis seueritate in eiusmodi scelere puniendo. Videtur enim alludere ad alterum Deuteronomij locum qui est cap. 13. vbi de seductore ferè eadem praecipiens Moyses, subiunxit: *Neque parcat ei oculus tuus vt miseraris & occides eum, sed statim interficias*. Tamen etiam cap. 19. vbi de voluntario homicida interficiendo agitur, addit: *Non misereberis eius*. Notandum denique, Graece legi cum praepositione *ἐν*, in, vel potius, *sub duobus aut tribus testibus*; quemadmodum habet textus Ambrosianus, id est, ex duorum aut trium testimonio. Quod idcirco adiecit, ne seueritas legis recedere videretur a forma iustitiae; quae exigit probationem criminis sufficientem.

29 QUANTO MAGIS PVLTATIS DETERIORA MERERI SVPLICIA. *Magis* redundat. Nam Graece est, *Quanto putatis peius mereretur supplicium*; aut, *peiore dignus habebitur supplicio*. Peius autem, id est, grauius, acerbius.

QVI FILIVM DEI CONCVLCAVERIT. Extremi contemptus iudicium est conculcare quempiam: Infandi autem sceleris, id comittere in filium Dei. Quavis igitur ad omnem eum qui post baptismum in graue peccatum reciderit, haec pars accommodari possit (nam filium Dei quodammodo vilipedit, qui morte eius redemptus, in pristina peccati seruitute sua sponte se reuoluit): proprie tamen ista sermonis exaggeratio pertinet ad eum qui Christi fide abijcit, & ad infidelitatem reuertitur. Vnde & B. Thomas hunc sensum posuit priore loco. Quod etiam facit in duobus membris sequq.

ET SANGVINEM TESTAMENTI POLLVTVM DVXERIT, IN QVO SANCTIFICATVS EST. *Sanguinem testamenti* intellige confirmatiuum, id est, quo sancitum & confirmatum est nouum testamentum. *Pollutum* Graece *κοινω* communem. Alij, *profanum* vertunt. Nam commune vocabant Iudaei quod ita erat in communi vsu hominum, vt ab eo tamen ipsis, tanquam populo Dei, vel lege vel maiorum traditione abstinentum esset. Itaque, *commune*, illis ferè idem erat quod *immundum*; & *communcare* idem quod *inquinare*. Quo verbo vsus est in cap. praecedenti. Porro hoc etiam membrum haud satis comode

de quo-

de quolibet relapso exponitur. Nam qui fide retinet, etsi in graua peccata subinde cadat, non tamen Christi sanguine pollutam aut immundum existimare censebitur, a quo sperat suorum etiam peccatorum purgationem. Sed qui Christum abijcit per apostasiam, is sanguinem Christi, in quo, id est, cuius virtute, in baptismo sanctificatus fuerat, hoc est, a peccatis suis emundatus, reputat vt communem, profanum & immundum; quasi non plus habeat virtutis ad conferendam mundiciam, quam sanguis brutorum animalium; imò verò minus; dum a sanguine brutorum in lege mundiciam expectat Iudaizans quispiam, quae denegat sanguini Christi. Hic rursus obserua contra Caluinum, eum qui semel Christi sanguine fuerit verè sanctificatus, posse eam sanctitatem peccando amittere.

ET SPIRITV GRATIAE CONTVMELIAM FECERIT. *Spiritum gratiae* vocat Spiritum sanctum gratiae authorem. Nam gratuita Dei dona in scripturis appropriatè tribuuntur Spiritui sancto. Hunc ergo contumelia afficit, qui eius beneficia contemnit: contemnit autem, vel quisquis gratiam in baptismo acceptam nouis peccatis expellit; vel potius, qui Christum ipsum, cuius merito spiritum sanctificationis acceperat, per apostasiam deserit ac repellit. Vt *gratia* potissimum hic intelligatur beneficium vocationis ad fidem Christianam. Explicanda nunc restat vis argumentationis apostolicae. Procedit autem non tam a minori, quam ab analogia seu proportione; qua nimirum ex comparatione legis cum lege, colligitur comparatio supplicij cum supplicio. Nam si desertor legis Mosaicae sine miseratione interficiendus erat: igitur apostata legis Christianae, eius, inquam, legis, cuius Christus Dei filius, non solum minister ac promulgator, sed etiam author fuit; longè grauius meretur supplicium, nempe mortis aeternae. Quod significabatur verbis praecedentibus: *Terribilis autem quaedam expectatio* &c. Auger argumenti vim circumstantia cuiusdam insignis ingratitude; quam pulcre exaggerat, dum ait, *Qui filium Dei conculcauerit*, & quae sequuntur.

30 SCIMVS ENIM QVI DIXIT: EXPRESSVS È GRAECO, *Nonimus enim eum qui dixit*. q. d. Vobis loquor Hebraeis qui in lege & scripturis instituti, mecum nostris eum quid dixit. Scitis hanc esse Dei vocem.

MIHI VINDICTA, EGO RETRIBVAM. Graece & Syriacè, *vindicta*, nominandi casu; tam hoc loco quam Rom. 12. vbi eadem citatur sententia; suffragante etiam correctione Clementina, sicut illic annotaui. *Retribuam*, *ἀνταποδοῦναι*, *rependam*. Pro quo, *reddam* in quibusdam est mss. inter quos codex Laudensis. Scripturae locus est Deut. 32 in cantico Moysi: quem, praeter morem, citat iuxta Hebraeum, eo fortasse quod sententia multum esset trita & celebris in ore fidelium. Alioqui

LXX sic habent; *In die vltionis retribuam*. Difficultatis causam ostendere non est huius loci. Sensus autem est: Mihi competit ius & officium vltiscendi aduersarios, atque illud exsequar suo tempore. Nam particula, *in tempore*, additur tam in Hebraeo textu quam apud LXX. Docet igitur hoc scripturae testimonio apostolus, certissime aliquando futurum vt supplicia quae ostendit eos mereri; qui noticiam veritatis abiecerunt, vindici Deo pendant, tanquam in filium Dei sanguineque ipsius & Spiritu sanctum grauius iniuriosi. Simul innuit, eos de quibus loquitur, cum ijs esse comparandos, aduersus quos facta fuit illa comminatio, *Mihi vindictam* &c. Facta est enim aduersus hostes populi Dei. Ex quo rursus colligitur, non de quibuscumque; magnis peccatoribus apostolo sermonem esse in praecedentibus, sed de ijs qui hostium loco habendi sint, id est, eorum quos paulò antè vocauit aduersarios.

ET ITERVM: QVIA IVDICABIT DOMINVS POPVLVM SVVM. *Et iterum*, subaudi scimus scriptum esse. Non enim haec Dei, sicut illa priora, sed Moysi de Deo verba sunt, in eodem cantico scripta paulò inferius: quauis & a Dauide reperita psalmo 134. Porro quia affirmatiuum est: Tamen enim in Hebraeo legitur & apud LXX tam in cantico quam in psalmo; Graeca tamen apostoli & Syra non addunt. Quaedam etiam Latina mss. non agnoscunt, vt nec textus Ambrosianus. Denique ad sensum planè redundat. Forsan autè cuiquam videatur hoc testimonium fauere eorum intellectui qui de temporarijs futuri saeculi poenis apostolum in superioribus exponunt: quasi iudicium hic intelligatur vindicatiuum in peccata populi Dei; quale illud de quo Petrus 1 ep. 4. *Tempus est vt incipiat iudicium a domo Dei*. Sunt autè alij non pauci, qui iudicium discussionis hic intelligat quo nimirum examinet Deus facta populi sui: vt quorum mala inuenierit, puniat; quorum bona, praemijs afficiat. Sed profectò verior & conuenientior sensus est, Deum facturum iudicium pro populo suo de aduersarijs, id est, iustas poenas de ijs sumpturum, tanquam de desertoribus & impugnatoribus populi sui. Qui sensus, vt germanus est scripturae Deuteronomij & psalmi; ita & huic loco optime quadrat. Et hoc modo frequenter accipitur huiusmodi phrasim, praesertim in psalmis, quoribus Dauid petit se vel causam suam iudicari. vt psalm. 25. 42. 53. 73. atque alibi. Tale est & illud Rachelis Gen. 30. *Judicauit mihi Deus*, id est, pro me aduersus aemulam meam. Id Lucas cap. 18 ita expressit sub persona viduae iudicem interpellantis; *Vindica me de aduersario meo*.

31 HORRENDVM EST INCIDERE IN MANVS DEI VIVENTIS. Hoc velut epiphonemate claudit sermonem, quo de voluntate peccantiu sine apostatarum scelere ac punitione dissertuit. Duo autem significat; supplicij grauitatem peccato respondentem, & eius euadendi

impossibilitate. Nam homo iudex flecti potest, aut falli, aut vi quapiam impediti, ne sonitem puniat, aut certe non quantum meretur: At horum nihil in Deo locum habet. Deinde mortalis homo punitionem ultra mortem extendere non potest: Deus autem, ut semper viuens, aeternas poenas seruat peccatoribus post mortem. Vnde Christus; *Timete enim, inquit, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Luc. 12. Sed quaeret aliquis quomodo non pugnet haec apostoli sententia cum illa Dauidis. 2 Reg. VI. & 1 Par. 21. *Melius est ut incidam in manus Domini, quam in manus hominum.* Huic quaestioni D. Thomas tres adhibet responsiones; quarum ea melior caeteris quam Dauid indicat, dum addit pro ratione, *Multa enim misericordia Dei sunt.* Itaque solutio est, Dauidem non absolute dicere quod melius sit incidere in manus Dei quam hominum; sed id poenitentiae, & de Dei misericordia speranti, melius esse, id est, optabilius. Vnde Hieronymus in Paral. vertit: *Melius est mihi ut incidam &c.* Nam impoenitentibus id vitium non est melius. Dauid ergo Deum respicit ut patrem, qui filium ab errore conuersum, & veniam petentem, cum misericordia punit: Apostolus autem solum ut iudicem considerat, cuius est peccatoribus condignas poenas irrogare. Loquitur enim de ijs qui verae spei misericordiae Dei, vna cum fide, abiecerunt. Ita vero qui superiora de poenis futuri saeculi temporarijs atque purgatorijs exponunt; iidem etiam hanc apostoli sententiam referunt ad illarum poenarum exaggerationem: quae quamuis misericordia temperentur, tamen si B. Augustino creditur scribenti in psalmum 37. longe grauiores sunt, quam quicquid potest homo pati in hac vita.

REMEMORAMINI AUTEM PRISTINOS DIES. Post iniectum terrorem suppliciorum quae manent fidei desertores; nunc ad institutam redit exhortationem: qua ad constantiam exstimulat, commoratione fidei ac patientiae, quam primis annis suae conuersionis exhibuerat. Turpe est enim si praeclearis inijs media & extrema non respondeant. Ad memoriam, inquit, reuocate *pristinos*, Graece, *priores*, dies; *τας προτερον ημερας*, id est, superiora tempora.

IN QUIBUS ILLUMINATI, MAGNUM CERTAMEN SVSTINISTIS PASSIONVM. Quae ratione vocet *illuminatos*, explicatum est ad illud cap. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati.* Breuiter, *illuminati*, id est, baptizati. Nam baptismus veteribus dicebatur sacramentum illuminationis: vel ob fidem professam, vel propter admirabile lumen gratiae Dei, in quod a tenebris, per baptismum, homines transferebantur. 1 Pet. 2. De baptismo primorum ex Hebraeis fidelium, habemus Act. 2 & 4. Sensus; Recordamini pristini temporis, quando primum facti Christiani dura & ardua pro Christi nomine certamina sustinistis, fortiter ferendo afflictiones a persecutoribus illatas.

ET IN ALTERO QUIDEM OPPROBRIIS

ET TRIBVLATIONIBVS SPECTACVLVM FACTI. Et coniunctio superflua est, nec Graece legitur. *In altero quidem*; Et mox, *in altero autem*: Graece, *τῷ μὲν, τῷ δὲ*. pro quo Latinius alij: *partim quidem, partim vero*. *Spectaculum facti*, Graece *θεατε, ζῶντες*, id est, palam, velut in theatro, ad spectaculum expositi. Quae metaphora vsus est etiam 1 Cor. 4. dicens: *spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus.* Sensus est; Partim opprobria & afflictiones publice passi, non sine graui ignominia.

IN ALTERO AVTEM SOCIJ TALITER CONVERSANTIVM EFFECTI. Hoc est, partim facti participes siue consortes (Graece *κοινωνοι*) eorum qui talia passi sunt. Participes autem, in eo quod alijs patientibus condolebant, & tam rebus quam verbis solatium adferebant. Vnde sequitur;

NAM ET VINCTIS COMPASSI ESTIS. Declarat vtrumque membrum, sed ordine commutato. Nam qui vinctis copatiuntur, id est, ex animo condolent, & eorum afflictiones suas putant: ijsque quoad possunt iubueniunt; socios & participes eorum se reddunt. *Vinctos* autem intelligit pro nomine Christi. Graeca sic habent; *N. m. & vinculis meis compassi estis*. Et quidem Graecos commentatores ita legisse constat. Atque ex ea lectione Laurentius Valla sumit argumentum, haud prorsus ineptum, (licet Erasmus contemnat) hanc epistolam esse Pauli. Non enim Clemens, cui potissimum tribui solet, legitur aliquando in vinculis fuisse apud Iudaeos. Sola potest esse exceptio in Barnaba; qui tamen alijs argumentis excluditur, vti suo loco dictum est. Quamquam dubitari potest, an illud, *vinculis meis*, sit accipiendum de vinculis quae aliquando passus fuerat in Iudaea; an de ijs quibus, dum haec scriberet, alligatus tenebatur; vti quidam volunt; hinc putantes ostendi quod Paulus hanc epistolam scripserit in vinculis. Atque prior intellectus textui magis est accommodus: Loquitur enim de antea acto tempore. Caeterum lectioni nostrae vulgatae patrocinatur Syriacus textus, qui sic habet: *Et doluit vobis propter eos qui erant vincti.* Nec sane video cur ei Graeca anteponantur. Si enim Pauli nomen Iudaeis etiam Christianis, qui plurimi legis erant aemulatores, Act. 21. adeo parum erat gratiosum, vti propterea plerique putent eum huic epistolae nomen suum noluisse praefigere: nescio quam sit verisimile eos Pauli vinculis condoluisset. Certè, laus generalior est vinctis condoluisset, quam vni vincto: magisque respondet praecipio quod infra datur cap. 13. *Memento vinctorum.* Porro facillimum fuit Graeca mutari, vnius literulae ablatione; vti scriberetur *θεομοις*, pro *θεομοις*, cui lectioni deinde addiderunt pronomen *μῆς*, eo quod Paulus alibi saepe suorum vinculoꝝ mentionem faciat.

ET RAPINAM BONORVM VESTRORVM CVM GAUDIO SVSCEPISTIS. Pertinet haec pars

ad de-

ad declarationem prioris membri. *Rapinam* seu direptionem *bonorum*, id est, facultatum, Graece *ὑπαρξάντων*, intelligit eam quae facta fuerat autoritate publica: quia nimirum bona eorum filco vendicabantur. Eam merito *rapinam* vocat, propter vim iniustam. Dicit autem, *cum gaudio suscepistis*; quod de rebus gratis & iucundis dici solet: quia licet animus naturaliter refugiat ac moerore contrahatur propter ea quae exterius hominem affligunt, in quibus est facultatum direptio, & inde consequens egestas; quia tamen eadem cogitantur ut virtutum exercitia, & maximorum praemiorum merita; gaudij materiam praebent: vti proinde laetis animis suscipienda sunt & amplectenda; iuxta id quod talia patientibus dicit Dominus: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Matth. 5. Respicere videtur quibusdam apostolus ad persecutionem fidelium Hebraeorum Ierosolymis habitantium, quae facta fuit sub Stephano; de qua Act. 8 & 9, quando & ipse Paulus nondum ad Christum conuersus, exercendae persecutionis in Christianos erat vnus ex praecipuis ministris. Vnde B. Thomas, in parte praecedenti, *vinctos* interpretatur eos de quibus ibidem dicitur; *quod Saulus per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* Neque sane ex Actorum libro apparet, ad quod aliud tempus haec commodè referri possint. Eandem porro verisimile est hanc esse persecutionem cum ea, cuius meminit idem apostolus 1 Thef. 2. ita scribens: *Imitatores facti estis fratres, ecclesiarum Dei quae sunt in Iudaea; quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, si ut & ipsi a Iudaeis.* Caeterum merito dubites, an congruum sit apostolum loqui de ijs persecutionibus quas ipsemet aduersus eos commouerat & exercebat. Potius igitur credendum de alijs quibusdam (varix enim fuerunt) ista dici, quae post conuersionem Pauli iam acciderant.

Iam ex eo quod dicit, illos primi temporis fideles rapinam bonorum suorum passos; illud etiam colligere promptum est, non omnes qui in Iudaea erant fratres, omnia sua reliquisset, & communè, apostolorum exemplo, vitam egisset; sed fuisse inter eos qui propria possiderent, quorum rapinam pati possent. Vnde & infra cap. 13 hortatur eos ad hospitalitatem, beneficentiam, communionem; quae exerceri nequeunt nisi ab ijs qui possessiones habeant. Ad singulos enim diriguntur illae exhortationes, & non solum ad praefectos, quibus dispensatio credita erat bonorum communium. Hoc autem quomodo non sit contrarium ei quod dicitur Act. 2. *Omnes qui credebant, erant pariter; & habebant omnia communia.* & capit 4. *Nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.* Et iterum: *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant; vendentes afferebant precia, & ponebant ante pedes Apostolorum:* hoc, in-

quam, requirendum apud expositores libri Actorum.

COGNOSCENTES VOS HABERE MELIOREM ET MANENTEM SVBSTANTIAM. Graeca sic ad verbum, *Cognoscentes habere in vobis ipsis meliorem substantiam in caelis, & manentem.* Quamquam, Erasmo teste, Graeci codices variant. Quidam enim particulam, *in caelis*, transponunt in locum illius, *in vobis ipsis*. Alij legunt, *habere vobis-ipsis*, omissa praepositione *in*. Sunt item qui pro *vobis ipsis*, *caelestis*; legant *vos-ipsos, caelestis*, vna tantum literula mutata. Quam veram esse lectionem, & Graeco sermone maxime consentaneam, arbitror. Atque haec ipsam esse Chrysostr. & Theophylacti, docent eorum commentarij; nec ab ea differt nostra Latina, nisi quod additum non habeat, *in caelis*. Quod videri potest vel ex margine in contextu irrepsisse, vti suspicatur Ribera; vel acceptum ex cap. sequenti, vbi dicitur: *Nunc autem meliorem appetunt, id est, caelestem.* Denique Syrus interpretis ita ut dixi, legisse videtur in Graeco; dum vertit: *Quoniam scitis quod est vobis possessio in caelo, quae melior est & non transiit.* Nam, *est vobis, &c.*, *vos habetis*, eadem sunt. Significat apostolus causam gaudij, id est, cur gaudentes susceperint bonorum suorum rapinam; Quoniam, inquit, sciebatis quanto melior ac certior substantia seu possessio vobis reposita sit in caelis; pro qua facile contemnebatis substantiam terrenam & caducam, quae vobis eripiebatur.

NOLITE ITAQUE AMITTERE CONFIDENTIAM VESTRAM. Graece, *Ne abieceritis igitur fiduciam vestram*; eam scilicet, qua subnixi tam graues antea tolerastis afflictiones. Nam nunc ab ea deficere, quid aliud foret, quam vna cum spe abijcere res ipsas promissas atque speratas; quas prope manibus tenetis: De quibus sequitur,

QUAE MAGNAM HABET REMVNERATIONEM. Graece *μεγαλοδοσιαν*, quam & repetit capite sequenti semel & iterum: Latine dicas, *mercedis remunerationem*. Quod notandum propter haereticos qui merita negant bonorum operum. Nam vbi merces, ibi meritum. Sunt enim haec ad inuicem relata. Quare frustra laborant, suamque imperitiam ostendunt aduersarij, dum a mercede, quam toties in euangelio nominatam negare non possunt, meritum separare conantur. Tantum nobis retinendum (qua in re calumniam illi faciunt Catholicis); omne nostrum meritum esse Dei donum. Quum autem dicit, *confidentiam* seu fiduciam eorum *habere magnam remunerationem*; simul intelligi vult opera ex fiducia ac spe caelestium bonorum profecta, cuiusmodi erant opera patientiae iam commemorata.

PATIENTIA ENIM VOBIS NECESSARIA EST. Patientia, Graece *ὑπομονή*, quae vox non simpliciter patientiam significat, sed patientem expectantem; quum videlicet spe praemij fortiter mala sustinemus. Vnde vulgatus interpretis interdum vertit *expectationem*: vti psal. 38. *τις ὑπομονή μου. Quae est expectatio mea?*

Quamquam hoc loco rectius, *patientiam* Ea necessaria erat Hebraeis, propter aduersa quae multa adhuc se ingerebant, ea maximè quae inferebantur à Iudæis infidelibus. Ait ergo; *Nolite spem abijcere, quod videatis multa vobis adhuc esse toleranda pro fide Christi; sed pergere patienter agere.* Nam patientia vobis admodum necessaria est. Ad quid autem necessaria?

VT VOLUNTATEM DEI FACIENTES, REPORTETIS PROMISSIONEM. *Faciens, ποιῶντες*, Aoristus præteritum significans: Itaque melius vertas; *U: postquam voluntatem Dei feceritis sine peregeritis &c. Voluntas Dei facere est facere ea quae Deus præcipit.* Intellegitur enim voluntas quae in præceptis consistit; quorum vnum est, idque non postremum, aduersa patienter ac perseueranter ferre pro Christi nomine. *Promissionem* autem intellige bona promissa, iuxta tritissimam scripturæ phrasim. Porro cum generaliter affirmet idem Apostolus, *Omnes qui per volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem passuros*, 2 Timoth. 3. satis liquet quemadmodum hæc ad patientiam exhortatio Hebraeis scripta, ad omnes etiam Christianos pertineat.

37

ADHUC ENIM MODICUM ALIQUANTULUM; QUI VENTURUS EST VENIET, ET NON TARDABIT. Occupatio est in his verbis. Nam dicere poterant; Hortaris ad patientiam: sed fatigat & tedium nobis facit in longum dilata promissio. Quibus obuiat Apostolus, adducto prophetae testimonio; quo doceat reuera non longum esse tempus promissionis dilatae, sed breue & modicum. Priora quidem verba Apostoli sunt: *Adhuc enim modicum, aliquantulum &c.* Pro quibus Græcè est; *ἐν γὰρ μικρὸν ὄσον ὄσον*, id est, *Adhuc enim modicum, quantum quantum* In qua geminatione quaedam imitatio est Hebraismi. Nam Hebraei, rem de qua sermo est, intendere volentes, geminant vocabulum; vt psal. 86. *Homo & homo natus est in ea*, id est, multi homines, alij post alios, in ea nati sunt. & Gen. 17 secundum & LXX. *Multiplicabit te valde valde.* & 30. *Crenis vir valde valde.* Pro quo Hieronymus prior loco, *vehementer nimis*; & posteriori, *ultra modum*. Tale etiam est illud Saluatoris, *Amen Amen dico vobis*, id est, certissimè vobis affirmo. Ita nunc Apostolus dicendo, *modicum quantum quantum*; significare voluit tempus valde modicum; & vt noster bene vertit, *aliquantulum*; vt Erasmus, *temporis perpulsillum*; vt Anselmus legit & exponit, *quantulum*. Mirum autem si non allusio est ad similem locutionem, quæ est Isa. 10. *Nam adhuc paululum paululum, & consummabitur ira.* Vbi quidem in Hebræo duo diuersa vocabula sunt; sed idem significantia: pro quibus vnicum *μικρὸν* LXX substituerunt; Hieronymus autem dixit, *Adhuc enim paululum modicum &c.* Porro verba posteriora, *qui venturus est veniet*, & cætera, vsque ad illud, *Nos autem*, desumpta sunt ex Habacuc prophetae cap. 2. iuxta versionem

LXX, sed ordine sententiarum mutato. de quo postea dicemus. Nec ab his, quod ad sensum attinet, discrepant Hebræa; licet in verbis nonnulla sit diuersitas, quam nos annotabimus. Ac primùm pro eo quod hinc secundum LXX legitur, *qui venturus est, veniet*, in Hebræo est, *ueniens veniet*; vel, *ueniendo veniet*. Quaphrasî constat Hebrais significari, pro rei circumstantia, vel certitudinem, vel assiduitatem, vel impetum, vel vehementiam, vel quid simile. Est enim phrasî cognata ei, de qua paulò antè locuti sumus. Exempla passim obuia sunt, vt *Visitans visitauit vos*. Exod. 3. *Expectans expectaui Dominum*, psal. 39. *Gaudens gaudebo in Domino*, Isa. 61. &c. Vfus est & Lucianus Græcus in dial. mari. *Videns equidem vidi*. Hoc sanè loco apud prophetam certitudo significatur; vt sensus sit; Omnino & procul dubio veniet. Sciendum est autem in Græco legi *ἐρχόμενος*, cui apostolus articulum præfixit *ὁ* *ἐρχόμενος*. Qua periphraî Messias designari solet, Ille nimirum qui venturus expectabatur. vt Matth. 11. *Tu es qui venturus es?* Vnde quamuis ad literam, exponente Hieronymo aliisque doctissimis, propheta loquatur de visione sibi ostensa; quam dicit omnino venturam: rectè tamen Apostolus, ex occasione vocabuli Græci, partem hanc refert ad Christum; præsertim cum in Græco transitus fiat à fœminino ad masculinum. Quæ res etiam ab Hieronymo fuit obseruata. Nec idcirco pures Apostolum recessisse à mente prophetae. Sunt enim hæc inuicem connexa, visio, promissio, res visa, res promissa, Christus ipse; sic adeò vt partim eadem sint secundum rem, partim aliud ex alio intelligatur. Quum ergo dicit propheta de visione, *expecta eam, quia veniens veniet*; vtique vult intelligi rem visam atque promissam, id est, Christum esse venturum; per quem & cætera bona promissa præstanda sint. Id autem expresserunt LXX. dicentes in masculino, *expecta eum; quia venturus veniet* Quod sequitur, *Et non tardabit*; hunc sensum habet: Non differet aduentum suum ultra tempus constitutum. Tardat enim, non qui citò non venit, sed qui procrastinat ultra conditum. Ita dictum est à B. Petro 2 ep. 3. *Non tarda Dominus promissionem suam.* & Exodi 22. *Decimas tuas & primitias non tardabis reddere*; id est, reddes eas suo tempore. Aliud igitur est *tardare*, aliud *moram facere*: Nam etsi non tardet Christus, moram interim facit. Hoc enim præcedit apud eundem prophetam; *Si moram feceris, expecta eum.*

Iam hinc querere non est necesse, de quo Christi aduentu loquatur apostolus. Perspicuum est enim non ad primum, qui iam præterierat, sed ad secundum Christi aduentum expectandum, apostolicam exhortationem pertinere. Sed, in quibus prophetæ loquitur de primo aduentu: Nam hortari ad expectationem secundi, supervacaneū erat; quando pri-

mus

mus nondū fuerat exhibitus. Respondemus, vtrunque se habeat literalis sensus prophetae, de quo consule commentatores Hieronymū & alios: rectè, iuxta mysticam intelligentiam, prophetae verba referri & ad primum aduentum Christi & ad secundum. Nam sicut ille ex fide erat expectandus; ita & iste. Nec quicquam prohibet quo minus vterque in eadem litera fundetur. At quæret aliquis, quomodo verè dicat apostolus; *adhuc modicum aliquantulum*: quum ab illo iam tempore fluxerint anni prope mille sexcenti, nec tamen adhuc appareat breui venturum Dominū. Hac difficultate moti quidam putant apostolum loqui non de generali aduentu Domini quo veniet in fine sæculi; sed de speciali, qui est in morte curusq; quando bonos statim sua quædam sequeretur remuneratio. Quem sensum etiam refert Aquinas. Verum si id vellet Apostolus; potius dixisset, *Habete patientiam usque ad mortem*. Atqui non sic loquitur. Quare sicut illud quod in præterit dicit, v. 25 huius, *Tanto magis quanto videritis appropinquantem diem*; ostendimus non de die mortis singulorū accipiendum, sed de tempore extremi iudicij; sic etiam de eo quod hinc dicitur, existimandum. Hoc autem tempus etsi longè distare videatur ab illo tempore quo Paulus hæc scripsit; reuera tamen, etiam tunc dici poterat breui venturum; tum quia comparatione æternitatis, qua remuneratio durabit, omne tempus finitum breue est & instar puncti; tum quia totum tempus quod decurrit à primo Christi aduentu vsque ad secundum, extrema mundi ætas est, post quam alia non sit expectanda. Alioqui, in hac ipsa breuitate moram futuram; docet ipse propheta à Paulo citatus: *Si moram fecerit*, inquit, *expecta illum*. Quod si fortè Hebræi tempus iusto breuius ex apostoli verbis imaginabantur: dissimulandus erat error innoxius, aut etiam vilis ad patientiam promptioribus animis retinendam.

38

IUSTVS AUTEM MEVS EX FIDE VIVIT. Mutat ordinem qui est tam in Hebræo quam apud LXX. quibus hæc pars ponitur post illam, *Quod si subtraxerit se &c.* Sed hæc transpositio sensui nihil derogat; & suam habet rationem, quam infra dicemus. Est autem constans omnium Græcorum codicum lectio, *ζῆσται, vivet, non vivit*; idque non hinc solū, verum etiam Rom. 1 & Gal. 3, vbi eadem hæc sententia citatur; & apud ipsos LXX. suffragante etiam textu Syriaco: vt dubium non sit, quin ea germana sit lectio; sicut & in duobus Apostoli locis iam dictis annotavi. Cæterum pronomen, *meus*, hoc dumtaxat loco additū habent Latini codices vulgatæ versionis, ijq; constanter omnes; pro quo nihil hinc est in Græcis qui hodie existant: tamen valde verisimile est olim in Græcis fuisse pronomen ei respondens. Etenim, vt sæpe dixi, in hac epistola scripturæ veteris instrumenti quasi perpetuo more citantur iuxta versionē LXX.

Hæc autem versio in Habacuc pronomen *meus* interponit; variatibus interim exemplaribus. Nam in Regijs & Sixtinis ex Vaticano codice expressis, necnon in alijs quibusdam sic legitur; *ὁ δὲ δικαίος ἐκ πίστεως μου ζῆσται. Iustus autem ex fide mea vivet*. Sic etiam habet Latina translatio LXX quæ est inserta commentarijs Hieronymi; qui & erroris causam cur pro sua verterint *mea*, dicit fuisse similitudinem literarum *μου* & *σου*, quæ mensura tantum inter se distant. Eadem lectio est apud Eusebium lib. 6 demonstrationis euangelicæ cap. 14 verba prophetae Habacuc commemorantem, & apud Theodoretum in commentario eiusdem prophetae. Sic etiā refert Cyprianus lib. 1 & 3 testimoniorum ad Quirinum. Syrus quoque interpres hoc loco ita vertit, *Iustus autem ex fide mei ipsius vivet*: Tamen Tremelius, diuerso forsitan vsu exemplari, scripsit, *ex fide sua*. At verò in alijs quæ nunc exstant exemplaribus editionis LXX. quod etiam testatur annotatio Sixtinæ editionis, ita legitur, *ὁ δὲ δικαίος μου ἐκ πίστεως ζῆσται*. Cuius lectionis meminit Theophylactus super Habacuc scribens. Atque ita nostrum interpretē hoc loco in Græco legisse planè crediderim. Vnde enim alioqui in eius versione particula *meus*; quam nec in Hebræis esse constat? Certè Eusebium, loco memorato, postquam prophetae verba citasset eo modo & ordine quem ante dixi; subiicit & verba apostoli loquentis ad Hebræos: In quibus hæc de qua agimus prophetae sententiā, eodem prorsus modo citat, quo citauerat in verbis prophetae. At verò sub finē capituli, eandem sententiā ex apostolo repetens, citat posteriori modo, *ὁ δὲ δικαίος μου*. Quæ res argumento est olim Græcos codices huius epistolæ habuisse additum pronomen *meus*; & quidem eo loco quo noster interpres scripsit *meus*. sicut etiam habet codex Græcus impressio Argentinenfis. Cur autem in Græcis hodie ferè non exstet; eam rationem arbitror, quod in epistolis ad Rom. & Gal. non habeatur. Sæpe enim obseruatū est, in scripturis, ac nominatim in epistolis Paulinis, locum vnum ex alio simili mutari. Porro sciendum est lectionem Græcam posteriori bifariam in Latinum verti posse: *Iustus autem meus ex fide vivet*; vel, *Iustus autem mea ex fide vivet*. Prior quidem intellectus magis obuius est; atque eū dedit Theophylactus in commentario super Habacuc, & vulgatus interpres hoc loco. Posterior autem licet coarctior videatur, non tamen illico reiiciendus. Nam Græci ab huiusmodi structura non abhorrent, qua genitium à nomine regente retrahant ad superiora, quamuis interposito articulo, vel interdum (vt hinc fit) præpositione. De articulo interposito passim occurrunt exempla, vt Num. 25. *ἐν τῷ ζῆλῳ σοὶ μετὰ τὸν ζῆλον*, id est, *dum zelat meum zelum*. & Lucæ 7 ter, in vna Domini oratione loquentis de peccatrice, vbi nos legimus:

Aaa 4.

Hæc

Hac autem lacrymis rigauit pedes meos. Non ces-
savit oculari pedes meos. Unguento unxit pedes
meos. Græcè semper est, *μὴ τὰς πόδας*. De præ-
positione, exemplum est apud Marcum euā-
gelistam. Quod enim Matthæus cap. 26 re-
cto ordine scripserat de unguento super caput
Saluatoris à muliere effuso, κατέχευεν ἐπὶ
τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, id Marcus cap. 14 scripsit
genitiuo reducto ad frontem præpositionis,
κατέχευεν αὐτῆς κατὰ τῆς κεφαλῆς. Utrobique
vertit interpres; effudit super caput eius: ut
& hîc vtraque Græca lectio sic verti possit,
iustus autem ex fide mea uiuet. Eusebius sane
posteriorem lectionem ad hanc modum
accepisse videtur; quandoquidem ita lectio-
nes duas memoratas confundit, tanquam
nihil interfit utro loco genitiuus *μὴ* collo-
cetur.

Iam quod ad sensum attinet, faciè diuer-
sitas iam dicta cum Hebræo fonte concilia-
tur; in quo legitur, *Iustus in fide sua uiuet*:
& cum quo omnes alij interpretes, Hiero-
nymo teste, consentiunt, Est enim eadem fi-
des & ipsius iusti, qui credit assensu suo; &
Dei, in quem credit, & quo donare habet ut
credat. Idem quoque est, *in fide*, & *ex fide*. Re-
cte etiam ex persona Dei dicitur, *Iustus meus*,
hoc est, per gratiam meam iustus factus, ait
Theophylactus super Habacuc. Quod & plu-
ribus exponit Anselmus in huius loci com-
mentario. *Per fidem*, inquit, *non per opera le-
gis iustificatur, quisquis meus iustus est. Quis
enim per opera legis iustificatur, non meus sed
suius iustus est; quia non à me sed à se iustifica-
tur, & non in me sed in se gloriatur. At qui per
fidem iustificatur, iustus meus est; quia dono
gratia mea iustificatur, & non sibi quod ius-
tus est tribuit, sed gratia mea deputat.* Hæc
ille. Porro quid sit Apostolo, *iustum ex
fide uinere*; petendum ex ijs quæ diximus
ad Rom. 1. & Gal. 3. Est sermo de fide qua
creditur diuinis promissis; quorum certa spe
concepta, modò ne cætera desint ad iustifica-
tionem diuinitus instituta, non solum homo
ex peccatore iustus, id est, ex mortuo uiuus,
efficitur, verum etiam in vita iusticiæ conser-
uatur ac proficit. Quanquam Apostolus hoc
loco, quemadmodum & propheta, præcipuè
spectat illud officium fidei, quod est erigere,
sustentare & solari hominem in medijs malis;
ne in ijs ferendis fatigetur ac deficiat, sed
cum patientia duret vsque in finem, donec
apprehendat bona promissa. Quod ipsum
ad secundam iustificationem pertinet. Fit e-
nim hac exercitatione fidei, ut homo iustus
in dies magis ac magis iustificetur. Nam sen-
tentiam apostoli & prophete ad primam ius-
tificationem restringere, quod nonnulli faci-
unt; ab vtriusque mente alienum est, ut
ostendimus etiam ad Rom. 1. Nihil autem ve-
tat sententiam ex se generale, ad diuersa,
prout res postulauerit, accommodare.

QVOD SI SVBTRAXERIT SE, NON PLA-
CEBIT ANIMÆ MEÆ. Græcè, *Non placebit*

anima mea in ipso, id est, *non mihi placebit, non
probabitur animo meo*; ut vertit Erasmus. To-
ta hæc pars iisdem verbis habetur apud LXX.
In Hebræo autem sic legitur; *Ecce elatus est*,
siue, *superbit*: *Non est recta anima eius in ipso*.
Pro quo Hieronymus, *Ecce qui incredulus est,
non erit recta anima eius in semetipso*. Quæ
estis verbis, imò & sensu quadantenus diuer-
sa sint ab eo quod LXX verterunt. (Hi nam-
que animam ad Deum referunt, Hebræa ve-
ritas ad hominem): in summa tamen conue-
niunt. Nam si cuius animus non rectus sed
prauus ac peruersus sit; consequens est ut
Deo non placeat. Rursus, idem significatur
per hominem elatum siue superbum, & per
incredulum, & per eum qui se subtrahit. Sicut
enim credere verbo Dei, est humilitatis; ita
nolle credere, elati ac superbi animi. Non
credens autem, subducit se, vel obedientiæ
diuine, vel (quod potius significatum puto)
præsentis vitæ malis & periculis, quæ fidelibus
propter spem vitæ æternæ toleranda sunt.
Nam Græcum verbum significat præ metu
& locordia suffugere ac subducere sese. Quo
eodem vsus est apostolus Act. 20, ubi nos le-
gimus: *Non enim subtraxi quo minus annun-
ciarem &c.* Denique sensum hunc nobis of-
fert pars sequens, uti mox videbimus. Est igitur
obseruanda latens antithesis inter eum qui
credit & sustinet, & per hoc iustus est, Deoq;
placens; & eum qui non credit, ideoque sub-
trahit se, & per hoc iniustus est ac Deo displi-
cens. Obiter notandum, propter pronomi-
na *meus*, & *mea*, quæ docent vtramque
hanc sententiam dici in persona Dei; sup-
plendum esse aliquid; ut hoc modo: *iustus
autem meus*, ait Dominus, *ex fide uiuet. Quod
si, &c.*

39 NOS AVTEM NON SVMVS SVBTRACTIO-
NIS FILII, IN PERDITIONEM: SED FIDEI, IN
ACQUISITIONEM ANIMÆ. Cui Apostolus
commutauerit ordinem duarum sententia-
rum præcedentium, hinc iam apparet. Hæc
enim pars commodius subiungitur proximè
postillam: *Quod si subtraxerit se &c.* quam si
aliud quippiam interpositum fuisset. Aliã ratio-
nem mutati ordinis vide apud Eusebiũ loco
suprà citato. Dicitio *filij*, nec in Græco est, nec
in Syriaco. Multi etiam Latini codices manu-
scripti non habent. Verisimile est additam à
quopiam, qui putaret ad sensum desiderari:
At qui sensus sine eo optimè cõstat; Nos autè,
inquit, qui in Christũ credimus, promissa eius
expectantes, non sumus qui per ignauiam &
impatientiam subducamus nos tolerandis æ-
rumnis vitæ præsentis; quod nobis cessurũ sit
in perditionem æternã: sed ad fidem pertine-
mus, qua suffulti ac roborati perferamus hu-
ius vitæ mala; quod nobis profuturum sit in
acquisitionem siue possessionem, id est, salu-
tem, a nimarum nostrarum; iuxta illud Salua-
toris. *In patientia vestra possidebitis animas ve-
stras.* Luc. 21. Tacita est ex præcedentibus ex-
hortatio; sed hoc efficacior, quia profertur

enuncia-

enunciatio modo; quod habet speciem lau-
dationis, tanquam loquatur de re iam con-
stituta. Porro cum hîc tam studiosè, ex pro-
phético testimonio, urgeat apostolus voca-
bulum *subtrahendi*, quod non est in Hebræo:
satis vtique apparet, hanc epistolam non
Hebræicè, sed Græcè scriptam ab ipso pro-
manasse.

S V M M A R I V M.

Fidei vim & efficaciam declarat varijs an-
tiquorum exemplis, qui per fidem multa &
mira operati sunt, & sustinuerunt: repromissio-
nes tamen sine nobis non sunt consequuti.

C A P V T X I.

I E S T AVTEM FIDES SPERANDARVM
SVBSTANTIA RERVM, ARGV-
MENTVM NON APPARENTIVM. Conne-
xionem habet hæc sententia cum su-
perioribus. Hortabatur enim ad patientiam;
quã in aduersis retinere nemo possit nisi in-
structus fide. *Nam iustus ex fide uiuit.* Vnde &
Ephesios admonet cap. 6. ut in omnibus su-
mant scutum fidei. Nunc igitur quomodo
fides ad patientiã proficit ac necessaria sit, ostē-
dit ex ipsa fidei notione, dicēs eã esse *substantiã
rerum sperandarum, &c.* Pro *sperandarum* verus
quãdã trãslatio habet *sperantiã*. Sic enim le-
git Augustinus tract. 79 & 95 in Ioan. & ali-
bi. Sed qui ita vertit, is participium medium
ἐλπίζομένων accepit actiuè; & consequenter
vocalam, *rerum*, iunxit sequentibus; quia res
non sunt sperantes, sed sperandæ. Verum idem
interpres, ut sibi constaret, etiam aliter
membra participium actiuè reddere debuif-
set, hoc modo; *argumentum seu conuictio non
videntium*. Nam & illud in Græco medium
est, οὐ βλέποντων. Id autem nec fecit, nec si-
ne absurditate facere potuit: Quare restat ut
vtrumque passiuè capiatur; *eorum quæ speran-
tur, & eorum quæ non videntur*. Quod quidem
vtrumque sensum habet manifestum & ap-
tissimum scopo apostoli. Illud moneo, ver-
ba media apud Græcos non semper esse eius-
modi, ut vtrique significationi seruire queat,
actiuæ & passiuæ; qua in re multi falluntur:
sed, pro vario eorum vsu, quædam passiuè
tantum accipi, quædam actiuè, quædam vtro-
que modo. Quod nouerunt qui in autori-
bus Græcis bene sunt versati. Dicitio, *rerum*,
Græcè *παραμύλλον*, ita posita est in medio, ut
vel sperandis, vel nõ apparentibus adiungi pos-
sit. Plurimiq; cū nostro interprete, quod aptius
est, elegerunt, ut cum *sperandis* cohæreat.

Quæritur autem quo sensu fides vocetur
*substantia rerum sperandarum, siue earũ quæ spe-
rantur*. Vbi primũ animaduerte, pro substantia
Græcè non esse *σὺστασις*, quo vocabulo primam
rerum categoriam nuncupat Dialectici, licet
essentiam propriè significet: sed *ὑπόστασις*, quæ

vox *substantiam*, siue *subsistentiam* sonat; quæ
vsus est apostolus etiã 1. & 3 cap. huius epist.
Itẽq; 2 Cor. 9 & 11. tamen non vna & eadẽ
vbiq; significatione; sicut in illis locis videre
est. Igitur quidã existimant fidẽ eo sensu dici
ὑπόστασις, id est, *substantiam rerum sperandarum*,
quod sit veluti basis ac fundamentũ, cui spe-
rata salus ita innitatur, ut absque ea haberi
nequeat: quomodo columna, basi; & domus
innititur fundamento; vel etiã quomodo ac-
cidentia à substantia sustentantur. Huc facere
putant eius vocis acceptionẽ in duobus locis
iam dictis ad Corinthios. In illis enim hypo-
stasis, id est, *substantia gloria* vocatur id quod
est materia seu fundamentum gloriãdi. Ab hoc
sensu nõ multũ recedit Aquinas, dũ, primũ
in commentario, deinde 2 sec. q. 4. a. 1. fidem
dici vult *rerũ sperandarũ substantiam*, quod ini-
tium rerum sperandarũ in nobis sit per assen-
sum fidei, quæ virtute cõtinet omnes res spe-
randas. Nã, inquit, *substantia* dici solet prima
cuiusq; rei inchoatio; maximè quãdo totã res
sequēs virtute in illa cõtinetur, vel in quo-
dã principio. Quod etũ subtiliter ac sapiẽter
dictũ sit; magis tamen germana mihi videtur
expositio Chrylostomi, quẽ Theodoretus ac
reliqui Græci secuti sunt; qui omnes hyposta-
sin intelligũt eã quã Latini vocamus *subsisten-
tiã* siue existentiã, qua quid in rerũ natura ex-
sistere dicitur: Ut fides hoc sensu dicatur eorũ
quæ sperantur, hypostasis ac substantia (nimirũ
per metonymiã ab effectu) quia quamuis spe-
pendẽte nondũ illa existant, tamẽ eorũ exis-
tentiã in nobis quodãmodo fides efficit ac
gignit, atque ipsa præsentia nobis exhibet; dũ
videlicet ad eõ certos de ijs nos facit, atque si
re ipsa iam præstita essent, ac manibus tehe-
rentur, certiores verò, quàm si vel oculis es-
sent conspecta, vel ratione demonstrata. Quo
fit ut hypostasin nonnulli *certitudinem* vel *cer-
tificationem* interpretentur. Quod eõdem re-
cedit. Neq; hæc Græcorum commentarius B.
Thomam præterijt: Nam refert eum securũdo
loco, nec improbat. Eundem Syra para-
phrasis expressit his verbis; *Est autem fides per-
suasio super ijs quæ sunt in spe, ac si essent ipsæ* (in-
tellige credentibus) *in adũ suo effectu*. Con-
gruit autem hæc hypostaseos acceptio cũ eo
loco ca. 3. *Si tamen initium substantiæ &c.* quẽ
admodum ibi declaratum est. Quin ex hoc
ipso capite quã maximè confirmatur hic in-
tellectus. Nam infrã, de Moyse, in commen-
dationem fidei eius, dicitur quod *inuisibilem
tanquam videns sustinuit*. Et, ut semel dicam,
omnia fidei præconia, quæ hîc longa serie re-
censentur, ad hunc sensum potissimè colli-
mant: cũ alioqui priores sensus non pertin-
de facere videantur ad institutum apostoli. De-
nique, sensum hunc explicat quod sequitur;
argumentum non apparentium, id est, eorũ quæ
non videntur. Dicitur enim fides *argumentũ*,
siue (ut apud Augustinum aliosque veteres
Latinos subinde legitur) *conuictio*, Græcè
ἐλεγχος, hoc est, ostensio ac demonstratio

earum

earum rerum quæ a nobis non videntur, id est, quas nec sensu percipimus, nec ratione comprehendimus; propterea quod eas tam certo oculis mentis nostræ repræsentet, ac si, re ipsa coram posite essent, itaque exhibita. Hæc quippe fidei laus est, propter autoritatē diuinam assensum firmissimum præbere ijs quæ non apparent; utcumque reclamet sensus noster carnalis. Quamquæ contingit & ea quæ apparent, si testimonium habent diuinum, a nobis credi: sed in ijs credendis non elucet virtus fidei; quia etiã sine eiusmodi testimonio recipiuntur, velut sensu vel experiētia, & humanis testimonijs, abudè cognita; ut Iesum crucifixum & mortuum esse; Dauidem regnasse; Paulum gentibus prædicasse. Quod referenda sunt etiam ea quorum haberi potest scientia demonstratiua: ut vnum esse Deum Optimum Maximum, & alia huiusmodi. Non ergo sentit apostolus id omne quod creditur, esse non apparent; sed fide esse eam animi qualitatē, qua propter Dei verbum ac testimonium certissime recipimus etiam ea quæ non apparent, quæque sensus humanus credere refugit. Hæc enim sunt quæ per se sub obiecto fidei continentur; cætera non ita. Porro notandum est, partem hæc posteriorē non solum explicationem esse prioris, verum etiam plura cōplecti. Non enim omnia quæ creduntur, etiã talia sunt quæ sperantur. Nam creduntur bona & mala; præterita, præsentia, & futura: Spes autem tantum de bonis ac futuris est. Igitur apostoli verba sic accipe, quasi dicat: *Est autem fides rerum sperandarum substantia; & omnino, argumentum non apparentium.* Atque hanc esse apostoli mentem, de fide differere non solum ut respicit ea bona quæ sperantur, sed generatim omnia quæ diuinitus reuelata creduntur; liquet ex sequentibus. Mox enim dicit; *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Et paulo post; *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est &c.* Et infra laudatur fides Noë qua credidit diluuium futurum; quæ non erat res speranda, sed metuenda etiã ipsi Noë; Nã de ipso dicitur; *Mentens aptauit arcam in salutem domus sue.* Laudatur & fides Moyſi celebratis pascha & sanguinis effusione, ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. Hinc ergo manifestè erroris cōuincitur illa Erasmi annotatio, qua dicit hoc loco fidem non usurari proprie pro ea qua credimus credēda, sed qua speramus, hoc est, ipsa fiducia. Quod quàm falsum sit iã ostendimus. Sed nec ijs assentiendum, qui fidē hinc ab apostolo cōmendatam, ita latè extendunt, ut etiam spem atque fiduciam cōprehendant. Non enim spes ac fiducia, iuxta datā ac probatam expositionem, aut rerum sperandarum substantia est, aut argumentum non apparentium; sed inde nascitur ac profluit, tanquã aliquid natura posterius. Nam fides spē gignit ac fouet; simulque cum ea profert fructus præstantissimorum operum; cuiusmodi Paulus hoc capite enumerat.

Quæres; Cur ergo non in omnibus credēti-

bus operatur fides opera tā præclara? Cur etiã in multis nihil operatur? In promptu ratio est, quia friget ac dormit in multis fides; nec frequenti meditatione recalescit aut excitatur: Tantaque est in plerisque presentium bonorum cupiditas, ut futurorum amorē in illis aut minuat aut etiã extinguat. Quod si fidē quisque suā iugi meditatione rerum creditarum ac sperandarum excitaret exerceretque: mirum in modum efficacē & operosā & fructuosā eā in se sentiret. Nã quod sectarij volūt, nec a fide fiduciã nec ab utralibet opera bona posse vllatione diuelli; ad dānata eorum dogmata pertinet.

Quæri etiam solet an apostolus his verbis tradat definitionem fidei; & an ea conueniat soli fidei formatæ. Breuiter respondeo, non tā definitionē quã descriptionē seu notationem quandã fidei his apostoli verbis contineri; tā etiã definitionē vocent Hieronymus, Theodoretus & Theophylactus, eo quod ad veram rationē fidei notificandã imprimis valeat. Deinde, non solã formatam fidem, sed etiã informē ea descriptione cōprehendi. Quod facillè ex dictis intelligi potest. Nec obstat strictior acceptio fidei in illa sententiã præcedente; *In iis autem mens ex fide viuunt.* Vbi fides spē ac fiduciã cū bona voluntate cōiunctã includit; ut ostensū est alibi. Nã ad huius fidei declarationē cū prius facit si bene cognitū & perspectū fuerit, quid sit fides in genere. Itaque transit quidã est doctrinæ accōmodus, à specie ad genus. Cætera quæ ad exactã intelligentiã dictæ definitionis fidei pertinet, pete si lubet, ab ijs qui scripserunt in Magistrum lib. 3. sent. dist. 23. quod & nos, Dei dono, fecimus.

2 IN HAC ENIM TESTIMONIUM CONSECVTI SVNT SENES. Græcè πρεσβύτεροι, seniores. Intelligit antiquos, id est, eos qui fuerunt antiquis temporibus: ut Abel, Enoch, Noë, Abraham, ac cæteros, quos hoc capite percenset. Nã deinceps vim ac proprietatem fidei præcedenti sententiã significatã, declarat atque illustrat varijs antiquorum patrum exemplis, qui per fidē magna & mira passi fuere & operati; ideoque per eam testimonium adepti in sacris literis, quod iusti essent ac Deo probati. Verbū enim Græcum μαρτυροῦν quo hinc vitur, passim in bonã partem accipitur, ut idem sit quod bonū habere testimonium, bene audire, laudari. Ita sumitur Act. 6. 10 & 16. Et rursum in hoc capite aliquoties. Ex hoc loco, atque adeo ex toto capite destruitur opinio quorundam qui putarunt antiquos iustos, ante legem & sub lege, non habuisse fidem explicitam immortalitatis animarum, ac resurrectionis corporum, & omnino retributionis bonorum & malorum post hanc vitam; pro argumento sumētes quod de his admodum obscure Moyses & cæteri prophætæ in suis libris locuti sint; imò & dubitasse nonnulli eorum videantur, ut Iob cap. 21. David psal. 72. & Hieremias cap. 12. Quibus locis legitur eorum querela & cum Deo quædã expositulatio super impiorum prosperitate & piorum ærūnis, quibus ab impijs opprimuntur. Quale nihil,

ut aiunt,

ut aiunt, ab ijs scriberetur apud quos vigeret fides vniuersalis iudicij ac retributionis futuri sæculi. Quasi non existent in libris prophetarum aperta & illustria testimonia resurrectionis mortuorum, & vniuersalis iudicij, vitæque futuræ. Tantum adicio etiam illorum sæculorum vulgo persuasum fuisse animas à morte corporum non interire, sed ad inferos descendere. Nam, vnde putabitur eas incantationibus ab inferis euocari posse, nisi quod crederentur apud inferos agere? Sed istius erroris & argumentorum quæ pro eo adferuntur, amplior refutatio non est presentis loci.

3 FIDE INTELLIGIMVS APTATA ESSE SÆCULA VERBO DEI. Priusquam ad exempla veterum iustorum veniat; ex fide ipsorum ad quos scribit, ostendit eam esse argumentum non apparentium; idque de præteritis: ut doceat etiam futura quæ promittuntur, pari certitudine fidei nobis esse tenenda. Per fidē, inquit, intelligimus nos Hebræi (quod philosophi naturalitate assequi non potuerunt, nisi per pauci & imperfectè) secula esse aptata, id est, mundum partibus inter se coaptatis factū esse atque constructum: idque verbo Dei, id est, solo Dei imperio, quo voluit ut ita fieret. Hoc enim scriptura diuina nos docet Gen. 1. Primum, non dicit absolute, intelligimus, sed fide intelligimus, id est, credimus. Nam intelligere, per se sumptum, refertur ad aliquid ratione perceptum. Porro secula apostolo quæ dicantur, exposuimus ad illud cap. 1. Per quem fecit & secula; Diximusque; secula synecdochicè vocari totum hoc vniuersum, quod sæculis, id est, temporum reuolutionibus, mēsuratur. Postremo, verbū Dei non intelligit filium, ut quidã exponunt; sed verbum voluntatis & imperij, tritissima in scripturis significatione. Nam Græcè non est λόγος sed βήματα, quod de filio Dei dici non solet. Alludit autem ad sermonem scripturæ. Sicut enim dixit Deus, *Fiat lux, fiat firmamentum,* & cætera huiusmodi, quæ refert scriptura Gen. 1. sic etiam dixit, *Fiat cælum & terra;* quamuis id eadem scriptura tacuerit.

VT EX INVISIBILIBVS VISIBILIA FIERENT. Hoc variè exponitur. S. Thomas in commentario & p. 1. q. 65. ar. 4. per invisibilia vult intelligi ideas seu rationes rerum quæ sunt in mente diuina, ex quibus, id est, secundum quas producta sunt visibilia, id est, res omnes creatæ. Alij ex invisibilibus, id est, ex nihilo, visibilia facta interpretantur. Nihil enim tam intuisibile, quàm quod omnino nihil est. Iuxta quæ expositionem dictum est hoc aduersus philosophos tā Græcos quã barbaros, quibus ex nihilo fieri quippiam, impossibile semper habitū fuit. Verū quia non est scripturæ cōsuetudo, ut ea quæ non sunt, inuisibilia vocet; Apostolus autē ad scripturam Genesis mundi sine dubio respicit: inde potius verū sensum petamus. Moyses, postquã dixit, in principio Deum fecisse cælum & terram; subiicit, *Terra autem erat inanis & vacua:* siue, secundum

LXX (quos assidue præ oculis habet huius epistolæ scriptor) *inuisibilis & incomposita. Inuisibilis* quidē, quia cooperta aquis, quas vndique tenebræ inuoluebant; Nondum enim erat lux condita: Incomposita verò, quia carebat ornatu, qui sequentibus diebus ei accessit. Sed & cælum, initio quidē luce vacuū, & per hoc inuisibile; deinde verò vsque ad quartum diem sole, luna, & stellis velut ornatu suo destitutum, ideoque incompositum fuit. Hoc ipsum voluit Sapiens, quum dixit Deum creasse orbem terrarum ex materia inuisibilia; vel, ut in Græco est, *mundum ex materia informi.* Sap. 11. *materia inuisibilia sue informi* vocans cælum & terram luce adhuc ornaturque carentem. Patet igitur quo sensu dicat apostolus *ex inuisibilibus visibilia facta esse ea quæ facta sunt;* nempe quia cælum & terra primum tenebris horrida atque informia facta sunt; deinde lumine illustrata, rerumque formis adornata fuerunt. Videtur enim sub inuisibili comprehendere duo illa quæ LXX expresserunt, inuisibile & incompositum, præsertim cū in Græco sit hoc loco, *non apparentibus:* quod commodè ad vtrumque refertur. Dixi, cælum & terram; non autem secula: quia quod ait; *ex inuisibilibus visibilia,* ad secula referri non potest; quia genus est diuersum, ut ex Græco manifestum est. Sensum hunc olim breuiter indicauimus in dictatis super Magistrum lib. 2. dist. 12. Eundemque tradit Cateranus in huius loci commentario. Sed est quod obstare ei videatur. Græcus enim textus sic habet: *eis τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὸ βλέπειν καὶ γινώσκειν,* ut non apparentiū ea quæ videntur fierent. Quod quidam ita vertit; *Ut non apparentium spectacula fierent.* Exponit autem hoc modo; *Ut ea quæ facta sunt, essent nobis spectacula quædam, in quibus inuisibilia Dei conspiceremus.* Nam *inuisibilia Dei* per ea quæ facta sunt *intellecua conspiciuntur.* Rom. 1. Vnde & mundus diuinitatis speculū appellatur. Speciosus hic quidem sensus; sed contortus & huic loco alienus. Nam Græcū βλέπειν, pro quo noster interpret *visibilia,* participium est, non nomen; ac plano sensu significat *ea quæ videntur,* sicut in primo versu huius capituli. *Spectacula* autem significari eo participio velut in classem nominum redacto; nullus scriptor tradidit. Igitur quod ad Græcam lectionem attinet, si vocabulum ἐκ φαινομένων accipitur ut vna composita dictio, quomodo scribitur in codicibus, quos secutus est author iam dictæ versionis; sensus ita reddendus erit: *Ut non apparentium,* id est, ex non apparentibus, *ea quæ videntur,* id est, apparentia seu conspicua *fierent.* Verum alij codices, & in his Regij, quod magis probamus, diuidunt. Nam compositum verbum ἐκ φαινομένων rarioris vsus est, ac nescio an vsquam extet in sacris literis. Iam si diuidas; videbitur ita vertendum: *Ut non ex apparentibus visibilia fierent.* Quod non facit sensum idoneum. Quare dicendum est duarum vocularum

in &

μη & εν ordinem esse commutatum, euphoniae gratia; sicque vertendum: Ut ex non apparentibus &c. quod idem est cum nostra lectione, ut ex inuisibilibus. Idque secuti sunt omnes alij interpretes, etiam Syrus paraphrastes; atque adeo Graeci commentatores; ut proinde nihil sit quod obstat expositioni quam dedimus, ac scripturis admodum consentaneam ostendimus.

4 FIDE PLURIMAM HOSTIAM ABEL QUAM CAIN OBTULIT DEO. Incipit apostolus ab Abel, Adamo praetermisso, quod de eo postquam peccauit nihil eximium Moyses narret. Plurimam, Graece πολλοια, id est, plurimam, si sic Latine loqui liceat. Itaque alij vertunt, maiorem, uberiorem. Quod intelligi potest vel de copia, vel de praestantia. Ac verum est utroque modo maiorem fuisse: sed Moyses rem gestam referens Gen. 4. solam praestantiam expressit. Cum enim dixisset Cain obtulisse de fructibus terrae munera Domino; deinde subiunxit, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum; id est, de primogenitis sui gregis, iisque pinguisimis. Est enim figura, quae hendyadis vulgo appellatur. Syrus etiam interpres praestantiam non copiam significauit, dum ita vertit: Fide offert Abel sacrificium melius multo quam Cain, Deo. Sed & Graeci disertè, maiorem interpretantur preciosiorum. Quod studiosius annoto propter Caietanum, qui Graecam vocem iusto pressius virgens, nec apostolum conferens cum Moysse, significari vult, Cain parum obtulisse de fructibus terrae, Abel verò multum de ouibus. Hoc enim Moysi verba non sonant. Sunt qui verba apostoli ita construant, Abel obtulit hostiam, fide meliorem, id est, quam fides eius commendauit ac meliorem reddidit. Sententia quidem vera; sed non est ea mens apostoli. Cum enim doceat antiquos iustos multa praecelara fecisse per fidem, primo loco statuit Abelem, quem ostendit fide edoctum, admonitum, atque incitatum fuisse ut de bonis suis pinguiora ac meliora, quae Deo offerret, eligeret; secus quam faciebat Cain frater suus; quem, ut hominem carnalem & avarum, vel deteriora, vel sine delectu obtulisse scriptura indicat, eo ipso quo non commendat. Tantum enim dicit de fructibus terrae, non de primis fructibus, eum obtulisse munera Domino. Quod & Ambrosius obseruauit lib. 1 de Abel & Cain cap. 7 & 10. Neque tamen sensus est; hostiam Abel fuisse praestantiorum hostia Cain: sed, Abel de melioribus obtulisse; quod Cain facere vel non curauit, vel noluit. Hunc enim sensum vult illa pars καὶ καὶ καὶ, id est, pra Cain, pra eo quod fecit Cain.

PER QUAM TESTIMONIUM CONSECVTVS EST ESSE IVSTVS. Vocula quam etiam Graecis quam Latinis referri possit ad hostiam, textui tamen est congruentius ut ad fidem referatur. Dixerat enim per fidem testimonium consecutus esse senes; Idque

probare contendit exemplis. Itaque sensus est, Abel per fidem, ex qua meliorem obtulit hostiam Deo, meruisse testimonium quod esset iustus. Cuius declaratio sequitur,

TESTIMONIUM PERHIBENTE MVNERIBVS EIVS DEO. Graecè & Syriacè de (vel super) muneribus (seu donis) eius Deo. Sensus enim est, Deum testificatum fuisse de donis ab eo oblatis, quod sibi grata essent. quod proinde erat testimonium iusticiae ipsius Abel. Nam oblatio grata non erat nisi propter offerentem. Testimonium hoc quidam ponunt in verbis quae Deus locutus est ad Cain: Nonne si bene egeris; recipies? Sin autem male; statim in foribus peccatum aderit. His enim verbis tacite, velut ex indirecto, laudatur Abel, ut qui bene obtulerit. At longè probabilius alij, tam Graeci quam Latini, referunt hoc testimonium ad illa verba scripturae; Respexi Dominus ad Abel, & ad munera eius; Ad Cain autem & ad munera illius non respexi. Quae verba, iuxta phrasim Hebraicam, significant Deum acceptasse munera Abel, repudiasse verò munera Cain; & quidem signo quopiam externo. Nam vnde alioqui Cain, de quo sequitur quod iratus fuit vehementer, & concidit vultus eius; id cognoscere potuit? Signum autem hoc aiunt fuisse, quod ignis de caelo veniens hostiam Abel consumpserit: quemadmodum in signum acceptationis legimus contigisse sacrificio Aaronis, Salomonis & Eliae Leuit. 9. 2 Par. 7. & 3 Reg. 18. Quam sententiam confirmat Hieronymus in traditionibus Hebraicis super Genesim, ex translatione Theodotionis, quae sic habet: Et inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium eius: super Cain verò, & super sacrificium eius non inflammavit. Nonnulli signum fuisse dicunt, quod fumus sacrificij Abei sursum ascenderit; sacrificij verò Cain, descenderit deorsum. Id quidem animo vtriusque designando bene congruebat; Nam Abel animo spectabat caelestia, Cain terrena: sed non perinde ex antiquitate documentum habet.

ET PER ILLAM DEFUNCTVS ADHVC LOQVITVR. Defunctus, Graecè ἀποθανών mortuus. Hanc partem Chrysostomus ac ceteri Graeci interpretes ita intellexerunt, ut per fidem Abel mortuus adhuc loqui dicatur quia fides fecit eum usque hodie viuere in hominum memoria cum laude iusticiae; tanquam si ipse loquatur & dicat, Imitamini me, mortales, ut & vos fide iustificati Deo placeatis, accepturi gloriae etiam in hoc seculo. Cur non enim, inquit, huiusmodi sensu mortuus loqui dicatur; cum etiam rebus inanimatis loquelam scriptura tribuat, ex eo quod oculis nostris oblatum aliquid doceat? Sic enim cali nobis enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum; & quae sequitur psal. 18. Reperitur hic sensus etiam apud Clemetem Alex. lib. 1 pædag. c. 6. Porro

Theophylactus refert in quibusdam codicibus pro λαλει, loquitur, haberi λαλειτα passivum, id est, in lingua ac sermone hominum versatur. Quod satis conuenit cum superiori sensu. At verò germanum sensum huius partis existimo petendum ex historia Genesis, ubi Dominus Cain, postquam occiderat fratrem, ita compellat: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Dicitur ergo per fidem Abel defunctus adhuc loqui, quia ad meritum fidei eius pertinet quod Deus testatus est sanguinem eius effusum in terram, ad se clamare, id est, vindictam a se expetere. Nam eo testimonio Deus ostendit Abel ob fidem, qua meliorem hostiam obtulerat, sibi vehementer acceptum & carum fuisse, cuius iniusta caede tantopere virgeri se dicat ad ultionem sumendam de interfectore. Est autem cura apostoli, docere quod per fidem testimonium in scripturis consecuti sunt antiqui. Sensus hunc Latini ferè amplectuntur: eundemque B. Thomas affuit hoc ipso argumento, quia apostolus omnia quae hic commemorat, sumit ex scripturis. Ac ne dubites quin hic verus sit sensus; repetit apostolus infra, cap. sequenti de Abel dicens, sanguinem Christi melius loqui quam sanguinem Abel. Quod ideo dicitur, Graecis etiam assentientibus, quia sanguis Abel vindictam clamabat; sanguis Christi veniam loquitur. Si quis obijciat apostolum non dicere, locutus est, sed loquitur, ideoque praesentem ac permanentem aliquam locutionem intelligendam esse, iuxta commentarium Graecorum: Responderi posset cum Ribera, sanguinem Abel etiam nunc loqui & vindictam petere tum aduersus Cain, cuius poena nondum ad summum peruenit, tum aduersus alios iustorum interfectores; secundum quod Dominus ad quosdam eorum locutus dicens: Et venio super eos, & sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae &c. Matth. 23. Verum hac responsione non est opus. Sicut enim in praesenti dixit, testimonium perhibente muneribus eius Deo, cum de re praeterita sermo esset: ita dixit, defunctus adhuc loquitur; ut nimirum particula adhuc, non ad Pauli tempora referretur, sed ad tempus quo iam mortuus erat Abel; quod sumitur tanquam praesens, velut infra, ubi dicit, Nunc autem meliore appetit; sicut ibi declarabitur

5

FIDE HENOCH TRANSLATVS EST NE VIDERET MORTEM. Hoc est, fidei merito translatus fuit Henoch ex oculis & consortio hominum, idque ea causa ne moreretur vel ceteri. Nam in Graeco apparet significatio causae, ἵνα μη ἴδωσιν θάνατον, subauditur enim ἐνεκα, quod causale est. Videre mortem, Hebraeis non aliud est, quam mori, mortem experiri. Quod Syr' Syriaco more dixit, mortem gustare. Lapsus est hoc loco Erasmi non leuiter, quum dicit in paraphrasi hunc Henoch impio patre progenitum; videlicet confundens Henoch filium Cain impij, cum Henoch filio Iared longè post genito, de quo hic agitur. Quamvis solet quod translatus sit Henoch. Id e-

nim Moyses tacuit. Legitur quidem Ecclesiastici 44. translatus in paradysum. Sed illam partem, in paradysum, Graeca non habent; nec agnouisse videtur August. ut qui lib. de peccato orig. c. 23. quaestione, ubi nunc sit Elias vel Henoch, inter eas numeret quaestiones in quibus, salua fide Christiana, quid verum sit ignoratur, & sententia definitiva suspenditur. A quo non dissentit Chrysostomus; sequaces Theoph. & Oecumenius. Dicunt enim in huius loci commentarijs, scire quidem nos ex scripturis quod viuens translatus sit Henoch, & quod viuatur: sed ubi viuatur, & quomodo; scripturam non patefecisse. Respondeo, Si quaestio sit de paradiso è quo pulsi fuerunt primi parentes: non illud dubitari num vel Henoch vel Elias malè fuerint translati, ibidemque nunc maneant. Id enim nec ratione nec certa auctoritate doceri potest. Atque id voluisse tam Augustinum loco iam citato, quam Graecos commentatores. Quae de re nos latius egimus in secundum serm. dist. 17. Sin autem de paradiso loquamur in genere; quemadmodum aliquoties scriptura loquitur: ratione non esse dubitandi quin translati sint Henoch & Elias in paradysum, id est, in hortum seu locum aliquem amoenum, quierum atque tranquillum, ubi à perturbationibus huius saeculi & ab omni re vana liberi sint. Oportet enim ut locus sit conueniens & aptus talibus habitantibus, qui, communi sorte hominum excepti, seruatur in vita usque ad ultimum ecclesiae tempus; quando rursus in cenam huius mortalitatis produceretur ut Antichristo resistat, & ruinas populi Christiani instaurat; eodem regnante Antichristo tandem interficiendi. Nam quod Hebraeorum quidam, atque etiam ex sectarijs nostris nonnulli illorum sententiam secuti, docent Henoch iam olim mortuum, id nobis Christianis, & omnino reijciendum est, non solum ut receptissima per ecclesiam opinio contrarij, verum etiam ut aperte pugnas cum verbis Apostoli, dicentis Henoch translatus esse ne videret mortem. Quod enim Tremellius in annotatione sua ad textum. Scire, cum, scribit, Apostolum reliqui mortales solent, communi ratione non fuisse, sed subita quadam immutatione translatus à vita hac misera in illam felicem, de qua Paulus 1. Cor. 15. commentum est eius, ad planum & perspicuum Apostoli sensum quem omnes interpretes tradiderunt, euertendum. Quid verò pro sua sententia adferant Hebraei, & quomodo ijs sit respondendum; paulò post dicemus. Tantum nunc remouendum est scrupulus qui mouere quempiam Catholicum posset ex libro Sapientiae (nam eius auctoritas ut sacra ac diuina nec Hebraei nec hodierni sectarij recipiunt) ubi cap. 4. de Henoch, tacito nomine, dicitur quod raptus sit ne malicia mutaret intellectionem eius. Breuiter enim respondeo, raptum intelligi sine morte: sicut raptus legitur Philippus, & inuentus in Azoto. Act. 8. Raptus enim ille non aliud est quam translatus. Qualis & fuit raptus Eliae; quem Hebraei non dubitant viuere.

ET NON INVENIEBATVR; QVIA TRAN-
SVLTIT ILLVM DEVS. Verba sunt ex Gē.
5. desumpta, versionis Lxx. Pro quibus ex
Hebræo transtulit Hieronymus, *Et non appa-
ruit; quia tulit eum Deus.* Ex quo liquet non
esse sensum, Non inveniebatur etsi diu mul-
tumque quæsitus; sicut de Elia scribitur 4.
Reg. 2. quod missis quinquaginta viris per
triduum quæsitus fuerit, nec inventus; sed tã-
tùm significari, quod nō amplius inter homi-
nes apparuerit; siue quæsitus siue nō, eō quod
ex hominū cōsortio Dominus eū sustulisset.
In Hebræo nāque ad verbū sic habetur; *Et nō
ipse; quia tulit eum Deus.* Atque hic locus est,
in quo fundant Hebræi suam opinionē, qua
negāt Henoch superstitē esse. Nam, inquit,
de mortuis vtrūque dicere solet scriptura, *Et
nō ipse; Et Tulit eū Deus.* Exempli causa Gē. 42.
Iacob dicit, *Ioseph non est super.* Heb. *Ioseph nō
ipse;* eūm vtiq; sētiēt ac dicere vellet Ioseph
esse mortuū. Itē psal. 36. *Transiit; Et ecce nō e-
rat.* & 38. *Præquam abeam Et amplius nō ero.*
Hebraicē, *Et non ipse.* Itē, *Et non ego.* Rursum
psal. 58. *In ira consummationis; Et non erūt,* He-
braicē, *Et non ipse.* Cōstat autem his locis mor-
tē significari, qua desinunt homines esse. De
altero proferūt exēplū ex Job. 32. *Nescio quā-
diu subsistam, Et si post modicū tollat me factor
meus,* scilicet per mortē. Sed ad hęc respōsio
nō est difficilis. Nā phrasī illa, *Et non ipse;* ge-
neralem habet vsū in scripturis. Dicitur enim
de eo qui nō apparet, & quouis modo subtra-
ctus est ex oculis; siue per mortem, siue aliter.
Id manifestum vel ex ipso loco Gē. 42. quem
isti pro se adducunt. Nō tantū enim de Io-
seph, sed & de Simeon (quē pater ciebat vi-
vū in vinculis teneri) ibi dicitur; *nō ipse.*
Vnde quod est in Lxx. *Ioseph non ipse, Si-
meon non ipse;* Hieronymus, sententiā
istam cōsiderans, ita vertit: *Ioseph non est su-
per. Simeon tenetur in vinculis.* Itēq; Chaldæus
paraphrastes; *Ioseph non super est; Et Simeon non
Henoch nō est; et enarrans locum scripturæ de
clusit. Sic enim ait: Et non cōmūm. nec etiam
occidit eum Deus.* Ex quo præterea patet au-
quitas nostræ sententiæ, etiam apud Hebræos.
Nam scriptor ille paucis annis sequutus est
tempus aduentus Christi. Iam ad alterum di-
luendū eadē valet respōsio. Nā & illa phra-
sis qua Deus aliquem tollere vel accipere di-
citur, similiter vsum habet generalē, vt etiam
ad eū referatur qui sine morte tollitur: quo-
modo sublatum fatentur Eliam. Cui etiā, abs-
que mortis significatione, dicitur 3. Reg. 18.
Spiritus Domini asportabit (Hebraicē tollit)
te in locum quē ignoro. Sic de Adam Gen. 2. *Tu-
lit Deus hominem, Et posuit in paradysum volupta-
tis.* Ac mirum sanē cum Moyse de cæteris
omnibus, quos Gen. 5. recenset, simpliciter ac
planē loquatur de vnoquoque eorū, *Et mor-
tuus est;* cur nō simpliciter de Henoch locutus
fuerit, si & ille reuera mortuus fuit. Quare
ipsa sermonis diuersitas arguit in eo excep-

tionē à lege cōmuni. His adde, quod nec A-
postolus ad Hebræos scribēs diceret Henoch
translatū *ne videret mortem,* nisi id vel sacris
literis proditū sciret, vel saltem Hebræis Pa-
trum traditione persuasum; multo autem mi-
nus, auribus eorū ingereret quod cum scrip-
tura pugnaret. Quid porro de hac re sentiant
orthodoxi, non est obscurum. Augustinus
loco dudū citato, eū dixisset, salua fide quæri
posse, vbi sit nūc Elias vel Henoch: ita subie-
cit; *Quos tamē non dubitamus, in quibus nati sūt,
corporibus vivere.* Eandem Græcorū interpre-
tum sententiā esse, iā supra audiuius. Quæ
quidem & ab alijs ecclesiasticis scriptoribus
magno cōsensu traditur; quos omnes huc in
mediū proferre cōmētarij ratio nō permittit.
Consule nostra, si placet, in 4. dist. 47.

ANTE TRANSLATIONEM ENIM TESTI-
MONIUM HABVIT PLACVISSE DEO. Probat
Henoch merito fidei translatū fuisse, ne mor-
tē videret: quia de eo scriptura testatur quod
ante translationem suam Deo placuit. Igitur
illud, *ante translationem,* non est ordinandum
cum proximiorij par. e, *testimonium habuit;* sed
cum remotiori, *placuisse Deo.* Rursus hęc ob-
serua Paulum respicere ad scripturā prout ha-
betur apud Lxx. Nā Gē. 5. vbi nos ex Hebræo
legimus: *Et ambulauit Henoch cū Deo;* Lxx trã-
stulerunt *εὐεργετοε δὲ εὐὼν τῷ θεῷ, Bene placuit
autē Henoch Deo:* videlicet sēsū potius quàm
verba reddentes. Quod & securus est inter-
pres Sapiētia filij Sirach. Etenim, *cū Deo am-
bulare,* phrasī scripturæ dicitur, quorū vita
cōcordat cū volūtate legeque diuina; iuxta
quod scriptū est Hamos 3. *Nūquid ambulabū
duo pariter, nisi cōuenerit eis:* Peculiariter autē
id dici solet de viris sanctitate præstantibus.
Vnde & de Noëca. seq. Gē. cum dixisset virū
fuisse iustū atque perfectū in generationibus
illis, *addidit, cū Deo ambulauit.*
Porro vitæ perfectionē Henoch significat et-
iā numerus annorū quibus vixit. Nā tot annis
vixisse memoratur, quot vnus anni sūt dies.
Annus autē, quo sol cursū suū peragat, perfe-
ctissimā tēporis designatio est. Iā quomoda-
valeat dicta probatio. Ante translationem
Deo placuit; ergo fide translati est, osten-
dit verbis sequentibus.

SINE FIDE AVTEM IMPOSSIBILE EST PLA-
CERE DEO. Non additur in Græcis, *Deo,* sed
subauditur; & supplēdum relinquitur ex eo
quod proximē præcedit, *placuisse Deo.* Nā & in
Latinis quibusdā probatæ fidei codicibus nō
legitur: etsi Syrus addiderit, more suo para-
phrasē agens interdū. Sumit hęc sententiā A-
postolus nō solūm vt demonstrēt Henoch fidē
habuisse, ex eo quia Deo placuit: sed etiā vt
probet cōsententiā quā paulō antē dixi; Pla-
cuit Deo Henoch ante trãlationē, ergo fide
translati est. Valet autē ad eius probationē,
quia quod dicitur, *sine fide,* sic exponen-
dum, Sine fide, velut fundamento totius
iusticiæ qua Deo placetur; ita vt in omni
opere iusticiæ, meritum fidei inclusum in-

telligatur. *Iustus enim ex fide vivit.* Quare, si
translati est Henoch quia iustus erat & Deo
placens: (hoc enim innuit scriptura quæ te-
statur eum ante translationem placuisse Deo)
igitur trãslatus est fide, id est, propter meritū
fidei. Hūc intellēctū ostēdit quod sequitur.

CREDERE ENIM OPORTET ACCEDEN-
TEM AD DEVM QVIA EST. Perspicua est
probatio. Nam si accedentem ad Deum; ali-
quid de Deo credere oportet: igitur nemo
potest ei placere sine fide. Nullus enim Deo
placet nisi ad eum accesserit: Acceditur autē
ad Deum ipsa fide, velut initio motus quo tē-
ditur in Deum vt finem ac terminum. Docet
autem, primū credendum de Deo, *quia est,*
id est, Deum esse. Quod & in symbolo fidei
primum ponitur. Cum enim fides circa Deū
relq; diuina versetur, hoc vtiq; est quod
omniū primō credēdū occurrit; esse Deum.

Sed dicit aliquis; Fides est eorum quæ
non apparēt, vt dictum est supra: Atqui Deū
esse cognosci potest ratione naturali per de-
monstrationem; sicut & cognitū fuit philoso-
phis, apostolo teste Rom. 1. Non ergo ponen-
dum est hoc inter ea quæ credere oportet.
Vnde & S. Thomas 1. q. 2. art. 2. ad 1. docet,
Deum esse, non esse articulum fidei, sed præ-
ambulum ad articulos. Respondet Caiet. hęc
doctrinā in cōmuni datā ab apostolo, ac mul-
titudini cōgruere; cum sint paucissimi qui
scientificē cognoscant Deum esse. Itaque,
iuxta Caietanū nihil erit absurdi, si fateamur
quosdam Deo placuisse & ad salutem perue-
nisse, sine ea fide qua crederent Deum ef-
se. Verū id contra mentem apostoli: qui
doctrinam instituit tradere prorsus generalē,
& quæ nullam admittat exceptionem; sicut
& prorsus generaliter dixerat impossibile ef-
se vt sine fide quis placeat Deo. Nam alio-
qui, sicut philosophi quidam excipiuntur; ita
& quosdā ex antiquis patribus, etiā hoc capite
recēditis, excipere licebit: vt exēpli causa Ab-
rahamū, quē tradūt insignē astrologū fuisse.
At verō huiusmodi exceptionē præsens apo-
stoli doctrina nullo modo recipit. Dicendum
igitur, sine fide nō posse Deū ab hominibus,
ne philosophis quidē vllis, cognosci sicut o-
portet, vt illa cognitio sit eis salutaris: tū quia
certitudo demonstrationis inferior est certi-
tudine fidei, quā proinde illa quoad certitu-
dinē supplere nō potest; tū quia lumē intelle-
ctus nostri ita peccato obscuratum est, vt
Dei noticiam per se assequi nequeat, nisi
cum multorum errorum admistione; sicut
docet B. Thomas 1. q. 1. art. 1. Adde, quod fides
à nobis exigitur vt est assēsus à voluntate im-
peratus, humiliter atque obedienter submit-
tente intellectum ad ea quæ Deus loquitur;
siue cognita nobis aliunde, siue non. Ex qua
re, etiam meritum fidei cōsurgit, sine quo
neminem statuit Deus ad iusticiā & salutem
perducere. Hoc autem locum non habet in
demonstratione sciētifica: per hanc enim ne-
cessitatur intellectus ad assensum.

ET INQVIRENTIBVS SE REMVNERA-
TOR SIT. Verisimile est interpretem vertisse
sit, non sic. Nam Græcē est *γίβηται* Nec causa
erat cur variaret modum. vt prius indicatiuē
diceret, *quia est;* postea subiunctiuē, *remune-
rator sit.* Sensus tamen optimē constat iuxta
vulgatam lectionem. Sepe enim Græcū *γίβη-
ται* vsurpatur pro verbo substantiuo cum
mōtu, aut significatione quadam futuri. Vn-
de Syrus interpres vertit, *Et ijs qui quærūt ip-
sum, futurus sit remunerator.* Quærere siue in-
quirere, vel, vt in Græco est, *exquirere Deum,*
vsu scripturæ dicuntur, qui Deum religiosē
colunt, studentque ei per omnia placere. Ra-
tio locutionis est, quia qui tales sunt, actio-
nibus suis in Deum velut scopum continuō
tendunt: quemadmodum ē diuerso, qui om-
nia ad suam ipsorū referūt vtilitatem, seipfos
& quæ sua sunt quærere dicuntur. *Remunera-
tor* Græcē *μειμαποδοτης*, id est, *mercedis red-
ditor.* Quæ vox hæreticos vrit, operum bono-
rum merita negantes, idque eo magis hoc lo-
co, quod nō simpliciter Apostolus dicat in-
quirentibus se remuneratorem esse; sed hoc
ipsum affirmer oportere credere; sic vt sine
ea fide placere Deo sit impossibile. Sed de ea
re iam diximus capite superiori, ad illa verba:
qua magnam habet remunerationem.

Nunc quæritur, an sicut oportet, ita etiam
sufficiat homini, credere hæc duo; Deū esse,
& inquirentibus se remuneratorem esse; suf-
ficiat (inquam) ad iustificationem & salu-
tem. Est autem sermo de homine lapsō, quē
ad salutem instituit sacra litera. Nam ante
lapsum non fuisse necessariam mediatoris fi-
dem, in confesso est. S. Thomas & alij ple-
rique post Magistrum sententiā lib. 3. dist.
25. respondent non sufficere. Primū, quia
post lapsum primi hominis, nec iusticia nec
salus contingere cuiquam potuit absque fi-
de Mediatoris. Deinde, quia sunt & alia
necessariō credēda: vt trinitas persona-
rum in Deo; passio, mors, & resurrectio
Christi, & cætera quæ vel in symbolo fi-
dei habēt expressa, vel ab ecclesia nobis cre-
dēda proponuntur. Quamquā hæc postiora
nō parē habēt necessitatē cum fide mediato-
ris. Nā ista credere nō fuit omni tēpore neces-
sariū homini lapsō, sed prout Deus ea reuela-
uit tēporū successione, sic paulatim credendi
necessitas & obligatio creuit; vt proinde nō tā
necessitate finis, quàm obligatione præcep-
ti ea distinctē credere oporteat. His si obji-
cias, Apostoli mentem esse, vt non tantūm
quæ fides ad salutē necessaria sit, doceat, ve-
rū etiam quæ sufficiat; præsertim cum de fi-
de iustificatē loquatur, de qua citauerat illud
ex propheta, *Iustus ex fide vivit.* Respōdēt, A-
postolū hoc loco non agere de fide iustificatē
ex toto genere, sed duo tantū hæc nominasse,
quo discam⁹ antiqui tēporis iustos potissimū
his duobus quæ fide tenebant, extimulatos
fuisse ad Deū piē colendū, & aduersa tolerā-
da; Quod & Deum ante oculos haberent &

remunerationem ab eo sperarent. Alij verò contrà sentiunt, Apostoli institutum esse, non solum docere & exponere quæ fides sit necessaria, sed etiam quæ sufficiat, semperque suffecerit homini ad salutem; quantum quidem attinet ad necessitatem finis, id est, salutis consequendæ. Quod nisi dicatur; aiunt doctrinam apostoli explicantis fidem sine qua nemo potest Deo placere, prorsus imperfectam fore, quod ei desit ille articulus, in quo tradendo & inculcando præcipue versantur euangelicæ & apostolicæ literæ, nempe qui est de mysterio Christi redemptoris. Igitur si partem illam; *inquirentibus se remunerator sit*; ita accipiunt ut etiam fidem mediatoris comprehendat, hoc nimirum sensu; & quod inquirentibus ipsum eumque rogantibus pro salute, pro iusticia, pro remissione peccatorum, eo modo & ordine præstatis, quo ipsi visum fuerit; remunerator est & exauditor. Hæc enim nisi à Deo petantur; non queritur Deus ut oportet. Et quævis ipsa iusticia & peccatorum remissio non possint proprie merces vocari respectu fidei, penitentiar, orationis & aliorum bonorum operum quæ iustificationis gratiam antecedunt; quomodo vita æterna merces est respectu bonorum operum quæ ab homine iustificato fiât: attamen veteres Theologi meriti nomen memoratis operibus respectu iustificationis ac peccatorum remissionis passim ascribunt; extenso videlicet meriti nomine ad illud quod recentiores congruum vocant; id est, ad impetrationem. Interim fatendum est, Apostolum principaliter considerare Deum remuneratorem in eo quod suis cultoribus retribuit bona promissa vitæ æternæ: quemadmodum satis patet ex ijs quæ habentur sub fine capituli præcedentis, nec non ex his quæ dicuntur in progressu huius capituli.

FIDE NOE RESPONSO ACCEPTO DE IIS QUÆ ADHUC NON VIDEBANTUR, METUENS. *Responso accepto*, id est, diuina reuelatione admonitus. Id enim significat Græcū participiū *χρηματισθεῖς*. De qua voce dudum egimus ad illud cap. 8. *Sicut responsum est Moysi*. Partem sequentē: *de ijs quæ adhuc non videbantur*, Erasmus iungendam putauit cum sequenti vocabulo, *Metuens*, dum vertit hoc modo; *Fide admonitus oraculo Noe ea quæ nondum videbantur veritas* &c. Et fauere videtur huic constructioni cōmentarius Chrysostomi. Verum Theophylactus & alij connectunt præcedentibus, hoc sensu: Noe, quū diuinū accepisset oraculū de ijs quæ nondū videbatur, adeoque incredibilia videri poterat, id est, de diluuiō, quo perdēdū erat genus humanū: ea re audita & credita, *metuens aptauit arcā* &c. Quæ sensum & cōstructionē, velut aptiorem, ipsē etiā Erasmus postea secutus est in paraphrasi, tacitè suā versionē retractās. Nec immerito; nā Græcū verbū, *εὐλαβηθεῖς*, pro quo noster interpres vertit *metuens*, vsū scripturæ sacræ non tam ad res quàm ad personas refertur, præsertim ad Deū; quemadmodū & nomē

ei respondens, *εὐλαβεία*, pro qua reuerentiam legimus, cap. 5. Adde, quod parum cōmodè idem hoc verbū cū præpositione *περὶ*, quæ in Græco est, constructur. Denique, connexionē ac sēsū memoratū Syriaca trāslatio palā exhibet; ut nimirū significetur Noe de futuro diluuiō diuinitus admonitū, ipsius Dei timore ac reuerentiā correptū fecisse, quod sequitur;

APTAVIT ARCAM IN SALVTEM DOMVS SVÆ. *Aptauit*, id est, apparauit, extruxit; Græcè *κατεσκευάσατο*. Ad hanc partem referendus est ablatiuus *fide*, positus initio sententiæ. *Fide aptauit*, id est, inductus atque impulsus ea fide qua credebat vera esse, quæ Deus ipsi reuelauerat, arcam fabricauit, qua *domum*, id est, familiam suam ex octo animabus cōstantem, ab aquarum inundatione seruaret immunem; ut legitur Gen. 6. Quod huc adfert Ambrosius, Catharinus ex Iosepho; scribente Adam prædixisse mundi vastationem semel atque iterum fore; primo per aquas diluuij, secundo per ignem in vltimis diebus: ad apocryphas narrationes reijciendū puto. Quod verò addit, Noe eā prophetiā fide amplexū, meruisse respōsum accipere à Deo quod ita futurū esset; ideoque electū ut cōstrueret arcā in salutē suæ domus; quasi de hac fide, qua Noe credidit prædictioni primi parentis, loquatur Apostolus: ab ipsius apostoli mente prorsus alienū est; qui sine dubio, sicut in cæteris omnibus, quæ hoc capite cōmemorat, ita in hac parte, ad historiam sacræ scripturæ respicit.

PER QUAM DAMNAVIT MUNDVM. *Dicitio quam*, referri potest vel ad *fidem*, vel ad *salutem*, vel ad *arcam*: quæ etsi *κεκρωτός* Græcè vocatur, feminini tamē generis est. *Ad salutē* nulli referūt; *Ad fidem*, Aquinas & Caiet. & alij ferè Latini, facientes hūc sensum: Per quā fidem mundum, id est, reliquum humanum genus condemnauit, hoc est, condemnatione ac interitu dignū ostendit, sui videlicet comparatione; dum cæteris oraculo diuino fidem abnuētibus, atque illud cōtinentibus, ipse solus credidit. *Ad arcam* referunt Theophylactus & Oecumenius nec non Erasmus tā in paraphrasi quàm in versione; in qua, ut ambiguitatem tolleret, relatiuo *arcam* ascripsit: *per quā arcā condemnauit mundum*. Ut hic sit sensus: Noe dum pro salute suæ domus arcā immensæ molis fabricat, & in eo opere multos annos consumit, palam verbo, factoque monens metuendū esse diluuiū; excusationem hominibus abstulit, eosque; exitio, quod credendo, & penitentiam agendo præcauere nolebant, dignos arguit. Hic sēsū non solum textui conuenientior est, verum etiā antithesi quadam iucundior: Arcā fecit, quæ familiā suā seruauit, & mundū cōdēnauit. Porro de eorū incredulitate qui fuerūt tēpore Noe, etsi Moyses aperte non meminit: res tamē ipsa loquitur, incredulos prædicationi Noe fuisse. Nā si credidisset: utique eius monitis & exēplo cauisset periculū. Et quidē id à Petro apostolo ex-

pre-

pressum est, ep. 3. *Qui*, inquit *increduli fuerunt aliquando, quando expectabat Dei patientia* (sic enim legendum) *in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Significat hoc ipsum Christus, quum dicit eos, omnia solita facientes, non cognouisse, donec venit diluuiū & tulit omnes. Matth. 24.

ET IUSTICIÆ QUÆ PER FIDEM EST, HÆRES EST INSTITVTVS. Græcè, *Et eius quæ secundum fidem est iusticia, factus est hæres*. *Iusticia quæ per fidem, vel secundum fidem, est*; notatio est veræ iusticiæ, quam alibi Apostolus iusticiam fidei vocat, de qua contra Iudeos operum iusticiam sectantes, multa dixerit in epistolis ad Rom. & ad Gal. & nonnulla ad Phil. c. 3. Est enim ea iusticia quæ per fidem obtinetur, sine operibus legis; id est, sine vilo merito nostro operum, quibus iusticia donum adstroemus. Nam opera verè bona & salutaria non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, ut loquitur Augustinus lib. de fide & bp. cap. 14. Hoc est, gratiam Dei, qua nos renouat non præcedunt, sed sequuntur, suntque eius effectus. Prima autem gratia fides est. Quo sensu huius iusticiæ hæres factus dicatur Noe, dubitatur. Latini ferè sic intelligunt; Atque ita factus est hæres iusticiæ præcedentium patrum suorum, eamque hereditatem in se & familia sua conseruauit (& ad posteros transfusi) alioqui diluuiō perituram. Nam præter eum iusticia nullum habebat heredem. *Omnis quippe caro corruperat vitam suam super terram*. Gen. 6. Hic cōmentarius virget propriam significationem heredis. Et videri potest ei fauere quod ibidem Dominus dicit ad Noe, secundum Lxx. *Et statim testamentum meum ad te*. Nam testamento quis constituitur hæres. Verum eo loco, testamentum, Hebraicè fœdus, quod Deus fecit cum Noe; non iusticiæ propagandæ promissio fuit, sed conseruandi generis ab instante exitio. Quocirca alij Hebraismum hūc agnoscunt, quo *hæres* generaliter vsurpatur pro possessore; & *heredem fieri*, pro eo quod est adipisci seu consequi aliquid, quocumque iure seu modo. Velut huius epistolæ cap. 1. vbi dicitur; *Quanto differentius præ illis nomen hereditauit*. Igitur hi non aliud apostolum velle dicere arbitrantur, quàm patriarcham Noe, dum ex fide qua Deo credidit, aptauit arcam in salutem domus suæ; consecutum esse iusticiam, quæ est per fidem, atque ex fide iustificatum fuisse, scilicet ea ratione qua iustificatus legitur Abraham, dicente scriptura, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusticiam*. Gen. 15. Non enim prima, sed secunda iustificatio significatur, qua per egregium opus fidei, iusticia vtriusque non solum declarata ac probata, verum etiam aucta coram Deo fuerit: quemadmodū ostēdimus Rō. 4. Sensum hunc breuiter & disertè tradit Theophylactus; nec amplius hūc virgendū putauit Chrysost. Quæ

sanè expositio nobis etiam placet; ut intelligatur allusio: quædam ad scripturā, quæ statim post verba prænunciati diluuij, testatur Noe coram Domino iustum atque perfectū fuisse: quasi ex eo iustum velit, quia Deo diluuiū prædicanti crediderit. Quod autem dictum est de vocabulo, *heredis*, largè sumptō; probabile etiam sit ex eo quod sequitur; Vbi similiter hereditatē non proprie sumi cōstat.

FIDE, QUI VOCATUR ABRAHAM, OBE-DIUIT IN LOCVM EXIRE, QVEM ACCEP-TVRVS ERAT IN HÆREDITATEM. Tria posuit exempla iustorum primæ ætatis mundi, quæ fuit ante diluuiū: Nunc ad sequentium ætatum iustos descendit, in quibus princeps est Abraham, omnium credentium pater, sicut eum appellauit Rom. 4. Hic verò in eius fide commendanda propter eā amplius immoratur, quod totius generis Hebræorum esset patriarcha, cui & promissiones factæ fuerant. *Qui vocatur*, Græcè *καλεῖται*, participium præsentis tēporis; tamen per præteritum verterunt alij; *fide vocatus Abraham obediuit* &c. ut vocatio iustionē significet, ac sēsus sit, Abraham, cum à Deo vocaretur ac iuberetur exire de terra sua, paruissē vocatū. Sensum hunc non obscure prodit Syriaca versio. Eundem tribuunt Theophylactus & Oecumenius; licet ex eorum verbis certò colligi non possit. Ac sanè non parum ei obstat præsentis, ut dixi temporis participiū, quod non rectè veritas, *cum vocaretur*, sed *qui vocatur*, ut noster fecit interpret. Nec deerant eiudem verbi Græca participia præteritum tempus significantia, *καλεῖσθαι* & *καληθεῖν*, quibus vteretur apostolus, si id dicere voluisset quod habet hæc versio, *Abraham vocatus obediuit*. Rectius itaque Theodoretus Græcus, item Anselmus, Aquinas, alijque Latini, censent illud, *qui vocatur Abraham*, dictum esse propter mutationem nominis. Cum enim *Abram* prius vocaretur; *Abraham* appellari iustus est: *quoniam*, inquit, *patrem multarum gentium cōstituit*. Atque hoc modo Græcū *καλεῖται* passim accipitur apud Lucam in euangelio, & in Actis apostolicis; ut nimirum ad nomen siue cognomē cuiuspiā inditum referatur. Porro nominis Abraham à Deo dati idcirco meminit apostolus; quoniam & hoc ad fidei eius commendationem pertinebat, tale nomen promeruisse. Sensus igitur est: Is qui vocatur Abraham, fide excitatus atque impulsus qua credebat Dei promissis, obediuit ei præcipienti ut exiret de terra sua, in eum locum quem, sicut Deus ei promiserat, accepturus erat in hereditatem, id est, possessionem perpetuam, non quidem ipsemet, sed semen ipsius; sicut infra declaratur.

Quærit hoc loco B. Thomas, quomodo Abraham obediuit exire, id est, ex præcepto Domini de terra sua fuerit egressus; cum Moyses scribat eductum inde fuisse à Thare patre suo; nulla facta mentione iustionis diui-

esse, Quam civitatem Deus & fecit, tanquam opifex; & faciendam disposuit, tanquam architectus. Et id sanè voluit noster interpret, quando *conditorum* dixit. Conditor enim civitatis dicitur non qui eam suis manibus extruit, sed qui extruendam mandat ac præscribit.

FIDE ET IPSA SARA STERILIS VIRTUTEM IN CONCEPTIONEM SEMINIS ACCEPIT. *Sterilis*, Græcè *στειρά* *ἄσπερα*, id est, *cum sterilis esset*; quomodo etiam habet textus Syriacus: tamen in quibusdam codicibus Græcis epitheton hoc omnino non legitur; ut nec legerunt Chrysostomus & Oecumenius. Quamquam illud quod sequitur, *etiam præter ætatis*, supponit prius dictam sterilem; quasi diceret Apostolus, Non solum cum sterilis esset, verum etiam præter tempus ætatis, concepit. Porro legitur ex correctione Romana (cui Rikelius astipulatur) in conceptionem seminis, quod Græcè est, *ἐν καταβολῇ σπέρματος*; non in conceptione seminis, ut vulgo multi codices habebant. Sensus enim est, interprete Chrysostomo, Saram ad recipiendum semen, idemque retinendum, fidei merito virtutem accepisse. *Καταβολή* Græcis proprie dicitur deiectionis; ut quum semen in terram projicitur ut ab ea suscepiatur fructificet; vel quum in imo iacitur fundamentum, ex quo domus cõstruatur. Hinc illa phrasıs scripturæ, *à constitutione mundi*. Græcè *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου*, id est, *à iactis mundi fundamentis*. Matth. 13, & 25. Ioan. 17. Eph. 1. Vocat ergo conceptionem seminis, *καταβολή*, ex eo quod semen in matricem velut in terram deiectionis, atque in ea susceptum, retinetur; quod dum fit, concipi dicitur. Itaque rectè Latini conceptionem seminis interpretantur. Rectè etiam hoc modo Syrus; *accepit vim ut conciperet semen*. Hunc Chrysostomi commentarium sequuntur Theophylactus & Oecumenius. Quod verò subiungit Theophylactus, affirmare philosophos & medicos, etiam mulierem veluti semen quoddam à se conferre; ideoque sic accipi posse quod hinc dicitur, *ad deiectionem seminis*, hoc est, ut & ipsa deijceret semen: alienum mihi videtur à consuetudine scripturæ, quæ ubique mulieri susceptionem seminis tribuit, non emissionem aut deiectionem.

Sed quæres, quomodo dicat apostolus Saram fide accepisse, quum eius incredulitatem satis aperte notet scriptura. Nam ut habetur Gen. 18. prænnunciata sibi conceptione filij, risit post ostium tabernaculi. Quem risum fuisse incredulitatis, ostendunt hæc scripturæ verba: *Dixit autem Dominus ad Abraham, Quare risit Sara dicens, Num verè paritura sum anus? Nunquid Deo quicquam est difficile?* Motus hoc argumento Liranus, affirmat fidem hinc non Saræ sed Abraham commendari. Vult enim sensum esse: Per fidem Abraham, etiam ipsa Sara vxor eius, quum sterilis, esset, virtutè accepit concipiendi fetus. Si-

militar id quod sequitur; *Quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat*; de Abraham, non de Sara, dictum interpretatur. Lirano subscribit Titelmãnus in paraphrasi: *Per fidem*, inquit, *idem ipse Abraham promeruit, ut acciperet Sara virtutem* &c. Nec abhorrent Aquinas & Rikelius; qui rem ponunt in dubio. Alij plerique, tam Græci quàm Latini, de fide Saræ non Abraham partem hanc interpretantur. Quamvis enim audita promissione filij sibi nascituri, riserit Sara tanquam incredula, quod satis probat illa iam dicta Domini increpatio: postea tamen eam credidisse dicunt, post increpationem repetita à Domino promissione. Paulo aliter Theodoretus. Dicit enim, Saram primò quidem non credidisse; eò quod nesciret à quo aut cuius nomine filius ipsi promitteretur: Postea verò credidisse, quum admonita animaduerteter diuinam esse promissionem. Abraham verò quamvis & ipse cap. 17. audita filij promissione, risisse legatur; minimè tamen hæsitasse putandus est. Nam risus eius, ut ait Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 4. non incredulitatis indicium, sed exultationis fuit. Aut certe quæcumque fuerit utriusque causa ridendi (potest enim dici risum illis, ut vetulis, obortum ex apprehensione concubitus, sine quo non poterat eis nasci filius promissus. Nam turpe senilis amor. Vnde Sara ridens dicebat: *Postquam consensui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?*) risus in illa cum incredulitate quadam coniunctus fuit; non autem in illo, de quo testatur Apostolus ad Rom. 4. *quod non infirmatus est fide, nec habitaui diffidentia* &c. In cuius loci commentario ostendimus nec id esse dicendum, quod nonnulli veterum sensisse videntur, etiam Abrahamo, statim audita promissione, aliquid hæsitationis obrepisse; licet postea firmissimè crediderit. Non mirum autem si aliter interpretemur risum Abraham quàm Saræ: quoniã & in euangelio Luc. 1. aliter interpretantur omnes orthodoxi verba Zachariæ, *Vnde hoc sciam?* quàm illa B. Virginis; *Quomodo fiet istud?*

Nunc si quis obijcat, Quandoquidem fides Abraham laudem mereret præ fide Saræ, quia statim credidit nec hæsitationem passus est: cur non illi potius, eiusque fidei Paulus ascribit conceptum & partum Saræ, dicendo; *Fide eiusdem Abraham Sara vxor eius sterilis accepit virtutem* &c. Responderi potest, cum alia essent præclara ex quibus Abraham fidem laudaret apostolus, ut patet ex præcedentibus & sequentibus; vnum hoc de conceptu filij, quoniam id propius Saram attingebat, eius laudi seruire voluisse; eo maxime, ut non solum ex patre totius gentis, verum etiam ex matre, haberent Hebræi quod imitarentur. Tamen tacitè etiam Abraham fides hinc intelligitur laudata. Mox enim de ipso addit; *Propter quod & ab uno orti sunt* &c. Veruntamen, ut quod mihi probabilius est

dicam; magis placet cum Lirano & alijs quos citavi, fidem Abraham hic intelligi, non autem Saræ: quàm utique in historia rei gesta qua de nunc agitur, id est, Gen. 18. reprehensam legimus, non laudatam; quemadmodum è diuerso; quæ hinc dicuntur, ad laudem Abraham pertinere, ex historia perspicuum est. Adde, quod iuxta hunc intellectum, sequenti melius cohærebunt, in quibus adhuc persistit apostolus in prædicanda eiusdem Abraham fide per aliquot versus. Nec videri debet expositio violenta, quæ fit tantillo supplemento; *Fide eius, & ipsa Sara sterilis* &c. Siquidè & in sequentibus inuenies non semper intelligi fidem eius de quo aliquid narratur; sed interdum aliorum; ut quum ait; *Fide Moyses natus occultatus est manibus tribens à parentibus suis. Fide transierunt mare rubrum. Fide muri Iericho corruerunt*. Quibus & illud annunzio: *Per fidem acceperunt mulieres de resurrectione mortuos*. Quæ singula vide suis locis.

ET PRÆTER TEMPUS ÆTATIS. Tempus, Græcè *καιρὸν*, quæ vox tempus aptum alicui rei significat. Quasi dicat, Quum ætatem iam excessisset aptam generationi; quum iam vetula esset. Vnde quidam vertunt, *præter ætatis rationem*. Significatur enim alterum miraculum in fecundatione Saræ. Nam primum erat in eo quod sterilis concepit; secundum, quod in ætate senili. Porro Græci partem hanc legunt cum addito verbo: *Et præter tempus ætatis peperit*. Item Syrus: *Et quæ non erat in tempore annorum suorum, peperit*. Quod etiam inueniatur in Græcorum commentarijs; additiciam tamen videtur. Nam sine eo sensus optimè constat: Videlicet Saram accepisse virtutem concipiendi, quum non tantum sterilis esset, verum etiam ætatem prætergressa. Hinc autem sequebatur, ut etiam parere posset; ut proinde non opus fuerit id exprimere. Addendi verbi dedit occasionem coniunctio *καὶ*, quæ indifferenter *et*, vel *etiam*, significat: Ac priori modo accepta, verbum postulabat; posteriore, non item. Itaque nostram versionem arbitror hoc loco sincerioram.

QUONIAM FIDELIEM CREDIDIT ESSE EUM QUI REPROMISERAT. Explicat illud, *fide*. Dixi, inquit, Saram accepisse vim concipiendi seminis, fide, scilicet Abraham; quia fidelem, id est, in promissis veracem, credidit esse eum qui filium ipsi ex vxore promiserat. In Græco non est, *credidit*, sed, *existimauit*, *ἤπιστο*. pro quo Erasmus, *iudicauit*. Quod tantum de eo iudicio, quo quid fide creditur, accipiendum; planè conuincit apostoli probatio. Nam & alibi certissimum iudicium Paulo significat hoc verbum, ut Philip. 2. ubi nos legimus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. & cap. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus sum, propter Christum, deridimenta*. Et iterum: *Propter quem omnia deridimenta feci, & arbitror ut stercorea*. Syrus quoque interpretes exponit certam persuasionem.

PROPTER QVOD ET AB VNO ORTI SVNT. Græcè *Quapropter & ab uno geniti, seu prognati sunt*. Intellige, filij, siue posterij. Quod in sua versione supplet Erasmus. Pertinet hæc ad amplificandam vim fidei memoratæ; qua docet effectum ut ex vno homine progigneretur innumera multitudo, cum vxorem haberet & sterilem & vetulam; & ipse sicut mox dicitur, iam emortuus esset. Hinc procul dubio non solum attendit apostolus fidem Saræ; sed Abraham fidem vel præcipuè vel, ut ego existimo, solam. Ut enim promissiones quæ hinc allegantur, ad Abraham factæ sunt, non ad Saram; ita fides quæ laudatur, eiusdem Abraham, non Saræ fides intelligenda videtur.

ET HOC EMORTVO. Hoc non ablatiui casus est, sed nominatiui. Græci pluraliter efferunt, *ὡς τὰυτα, & hæc*. Tollerit autem ambiguitas si dicas, idque *emortuo*, vel & quidem *emortuo*. Qua in re lapsi sunt Faber & Caietanus, dum Græca minus intelligentes, sensum ab apostoli mente diuersum secuti sunt. Amplius verò Caietanus; dum vocabulum *emortuo*, contra fidem Græci textus in duo diuidit, quasi dictum sit, *ex mortuo*; cum apostoli sensus sit huiusmodi; Sed & hoc accessit ad miraculi magnitudinem, quod etiam Abraham, ex quo illa concepit, vel ex quo hi orti sunt, iam erat emortuus, id est, effæctus, qui præ senectute filios suscipere non posset. Sic de eo Rom. 4. *Nec considerauit corpus suum emortuum*. Vtrum verò per ætatem absolutè fuerit ineptus ad gignendum liberos, an solum comparatione Saræ vetulæ, sicut quidam volunt; expendimus in commentario dicti loci.

TANQVAM SIDERA CÆLI IN MULTITVDINE: In præpositio non est in Græco.

ET SICVT ARENA QUÆ EST AD ORAM MARIS, INNUMERABILIS. Verti poterat, *quæ est innumerabilis*. Nam in Græco repetitur articulus. Est autem sensus: Ab vno orti sunt tanto numero, quantus est stellarum cæli, & quantus arenæ quæ est iuxta marginè, Græcè, *labium*, maris, quæ numerari non potest. In hac posteriori comparatione hyperbole est scripturis vñtata, quæ significetur numerus valde magnus. At prior comparatio non est hyperbolica. Neque enim numerus stellarum cæli excedit numerum eorum qui progeniunt ex Abraham: sed magis è diuerso hic illum longè superat. Vnde & dubitari potest, quomodo sit apta comparatio. Quidam putant semen Abraham, comparati stellis, quantum ad electos eius posteros; & arenæ maris, quantum ad reliquam multitudinem quæ reproborum est. Sed ea speculatio est præter scripturam; quæ de carnali semine Abraham loquens, nunc stellis cæli, nunc arenæ maris illud comparat, ac interdum vtraque comparationem coniungit ut Gen. 22. & Dan. 4. Sanè dici non potest Moysem, quum ait ad filios Israel Deut. 1. & 10. Deum multipli-

caste eos sicut stellas cæli, de solis ijs loqui, qui erant in illo populo electi: Nam vniuersum populum alloquebatur. Potius ergo dicendum hanc stellarum comparationem assumptam à Deo fuisse in promissione feminis Abraham, non solum ad numerum significandum, sed vt cum numero splendor ac nobilitas illius populi declararetur. Vnde ad significandum numerum aliarum rerum nusquam legimus in scripturis hanc comparationem adhiberam; sicut alteram de arena maris. Cæterum mysticè per stellas cæli, spirituales aut electos Abraham filios intelligi, nihil verat.

13 IUXTA FIDEM DEFUNCTI SVNT OMNES ISTI. Græcè: *Secundum fidem mortui sunt hi omnes*. Summaria collectio est, continens singularem materiam exhortationis. Studium enim apostoli est Hebræos excitare, ad fidei perseverantiam vsque ad mortem. Id egit, cum aliàs, tum vehementius in fine capitis superioris. Ad id verò persuadendum mirificè valent exempla sanctorum patrum; quorum fidem cum in superioribus commendauerit, nunc addit, eos *secundum fidem*, id est, in fide, vel cum fide, *defunctos esse, promissionibus non acceptis*, vt quæ in aliam feruenter vitam. Phrasim apostoli, *secundum fidem*, ex ipso apostolo interpretatur. Nam ad Rō. 8. pro iisdem habet, *esse secundum carnem, & esse in carne*. Item, *esse secundum spiritum, & esse in spiritu*. Ac rursum cap. 14. eiusdem epistolæ, *secundum charitatem ambulare*, dixit pro eo quod est, in charitate seu cum charitate conuersari. Syra quoque versio sic habet: *In fide mortui sunt omnes isti*.

Querunt interpretes, quomodo dicat apostolus omnes illos mortuos esse, qui non multo antè scripserit Henoch translatus fuisse ne videret mortem. Ad hoc non eadem est omnium responsio. Qui negant Henoch adhuc viuere, ex hoc loco suffragium petunt. Sed eius opinionis falsitatem supra commonstrauimus. Itaque videndum quomodo hic locus superiori non repugnet. Græci verba apostoli cum exceptione intelligunt hoc modo: Omnes mortui sunt, excepto Henoch, qui mortem non vidit. Equum enim illum exceptum intelligi, quem paulò antè alijs verbis disertè exceperis. Ribera distributionem facit accommodatam, vt sensus sit: Omnes qui mortui sunt ex ijs quos dixi, secundum fidem mortui sunt. Suggestit idem scriptor & aliam solutionem; vt nomine mortis etiam translatio comprehendatur: eo quod translatio Henoch, respectu cæterorum viuentium quasi mors quedam fuerit; quia per eam inter homines esse desijt. Addit & tertiam, Quod sicut vnus priuilegium non derogat legi cõmuni; ita nec cogit mutari verba legis aut locutionis, etiam si sint vniuersalia. Nam vniuersalitas in illis semper intelligitur saluo priuilegio. Locum habent hæ solutiones, ac me-

ritò sunt acceptandæ, si intelligamus apostolum vniuersè loqui de ijs, quorum fidem supra commendauit: Atqui sententia aliorum est, apostolum respicere tantum ad eos de quibus proximè fuerat locutus, scilicet ad patriarchas Hebræorum, Abraham, Isaac & Iacob; quia solum his tribus factæ fuerant promissiones, de quibus hic est sermo, quum ait consequenter, *non acceptis repromissionibus*. Nam & de iisdem antè dixerat, eos demoratos fuisse in terra promissionis tanquam in aliena. Deinde ad eos propriè pertinet illa sequentia; *Confitentis quia peregrini & hospites sunt super terram*. Itè; *Si quidem ipsius (patriæ) meminissent, de qua exierant; habebant vtiq; tempus reuertendi*. Item: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum*. Iuxta hunc cõmentariũ, nihil omnino facit hic locus ad Henoch. Quem quidem cõmentarium S. Thomas ita adducit, vt planè approbet, ac Græcorum responsioni præferat. Eundem sequuntur Liranus, Caietanus, Titelmannus, Catharinus, Gaignæus, Hasselantus, alijque recentiores. Quibus me libenter adiungo, videns eum textui maximè conuenire. Nam quod obijciunt, Apostolum non de terrena hereditate loqui, sed de cælesti, in cuius expectatione omnes iusti supra dicti defuncti sunt: an & quatenus id verum sit, ex sequentibus intelligitur.

NON ACCEPTIS REPROMISSIONIBVS. Nimirum ijs quæ ad ipsos factæ fuerant de terra Chanaan in possessionem accipienda. Non significat eos promissione frustratos fuisse, sed eam illos ipsos nõ accepisse; quia sic facta fuerat vt non in ipsis, sed in eorum posteritate completeretur; ipsis ad meliora, id est, cælestia promissa aspirantibus; sicut infra declaratur. Qui promissiones hic intelligunt cælestes, ij, ni fallor, apostoli mentem præcurrunt. Nam de ijs paulò post opportunè loquitur. Aquinas sine scrupulo de terrena promissione interpretatur; obijciens sibi locum ex Ezech. 33. & respondens eo modo quo nos supra respondimus, ad illud; *Tanquam in aliena*. Aquinatem Liranus per omnia sequitur. Et huc facit quod infra de quibusdam dicitur; *adepti sunt repromissiones*, videlicet eandem, aut similes cum illis, quas hic primi patriarchæ accepisse negantur.

SED A LONGE EAS ASPICIENTES ET SALUTANTES. In quibusdam Græcis codicibus inter *aspicientes & salutantes*, medium ponitur, *καὶ πιστεύοντες, & credentes*, siue *persuasi*. Verum Chrysoctomus & Theophylactus illud non agnoscunt. At neque Syrus interpretatus est, nec Regia biblia legunt, nec Faber transtulit: vt verisimile sit temerè à quopiam additum esse. Notandum autem, in Græco haberi continuos aoristos præteritum tempus significantes, quos Erasmus ita reddidit; *Cum non accepissent promissionis, sed procul eas vidissent, & salutassent. & confesississent* &c. Quod ait: *à longè eas aspicientes & salutantes*,

Chryso-

Chrysoctomus dictum putat ex metaphora nauigantium qui ex longinquo prospiciunt ciuitates desideratas, quas antequam ingrediantur & inhabitent, saluatione præueniunt. Refert autem ad cælestia promissa, quæ antiqui iusti per fidem procul aspicientes, salutabant. At verò si in parte præcedenti terrenas promissiones Apostolus intellexit, vt docuimus; oportet de iisdem etiam hæc partem interpretari. Quare sensus hic erit; Secundum fidem defuncti sunt sancti patriarchæ, cum promissiones illas sibi factas de terra Chanaan, non accepissent; contenti videlicet eas, in posteris suis implendas à longè aspexisse & salutasse. Hoc enim eis sufficiebat, non terrena sed cælestia quarentibus. *Aspiciabant autem & salutabant à longè*, quia quamuis in terra promissa habitauerint; non tamen vt in sua sed vt in aliena: credentes interim suam aliquando futuram, hoc est, suæ posteritatis; scilicet post quadringentos annos ab eo tempore quo Genes. 15 id ei promissum erat; atque vt talem venerantes. Igitur aduerbium *à longè*, seu procul, Græcè *πρὸ πολλῶν*, posteritatem respicit, in qua promissiones erant implenda: ad ipsos verò quod pertinet, attēde quod sequitur;

ET CONFITENTES QVIA PEREGRINI ET HOSPITES SVNT SVPER TERRAM. Græcis ordine conuerso, *hospites & peregrini*, siue *aduena*, *παροπίστοι*. Sic enim Græcam vocem vertit interpretes 1. Pet. 1. *electis aduenis dispersionis*. Hic iam Apostolus pulchro & cõsueto artificio sermonem transfert à figura ad rem figuratam; id est, à promissione terræ Chanaan quæ in posteris sanctorum patriarcharum complenda erat, ad promissionē patriæ cælestis, quam seiplos accepturos credebant. Id facit, argumento tampo ex eo quod *confesississent se peregrinos esse & hospites super terram*. Abraham quidem, quādo locutus est ad filios Heth dicens: *Aduena sum & peregrinus apud vos. Date mihi ius sepulchri vobiscum*. Gen. 23. Ad quem locum propriè respexisse Paulum satis verisimile est. Iacob verò, quando ætatem interrogatus à Pharaone, respondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ ceterum triginta annorum sunt, parui & mali; & nõ peruenierunt vsque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt*. Gen. 47. Quibus verbis non se solum sed & patres suos Abraham & Isaac peregrinos fuisse super terram confitetur. Sed queritur, *super quam terram?* Rectè Theophylactus & Oecumenius Chrysoctomum secuti, non solum Chanaan seu Palestinam intelligi dicunt, sed vniuersam terram. Quamuis enim Abraham dixerit Hethæis: *peregrinus sum apud vos*; idiplum tamen de quauis alia terra dicturus erat, vt qui Chaldæa quoque, in qua natus fuerat, ita profusus deseruisset, vt eam haberet pro aliena. Certè tota vita Iacob peregrinatio fuit. Nam etsi terra Chanaan esset ei natalis; tamen quod attinet ad terræ possessionem, erat in ea peregrinus.

Vnde & peregrinorum more tabernaculis vtens; locum subinde mutabat. Similiter & Isaac. Quod si in terra natali peregrini erant hi duo: quanto magis alibi, quocunque sese transtulissent? Cæterum omnes sic peregrini super terram, vt nec animo terram quæterēt; sed ad cælestem patriam semper aspirarēt. Ad hos & horum similes respexisse videtur & ille, qui dixit: *Aduena sum & peregrinus, sicut omnes patres mei*. Psal. 38.

14 QVI ENIM HÆC DICVNT, SIGNIFICANT SEPATRIAM INQVIRERE. *Significant*. Græcè *ἐπιζητοῦσιν*, id est, *deklarant, aperte significant*. Qui, inquit, hospites & peregrinos se confitentur, eo ipso palam ostēdunt se patriam querere, id est, regionem quam habeant loco patriæ. *Nullus enim est peregrinus*, ait B. Thomas, *nisi qui est extra patriam, & ad eam tendit*. Quomodo igitur dictum est Isaac & Iacob peregrinos fuisse in patria sua? Quia nõ habebant eam vt patriam, sed vt alienam.

15 ET, SI QVIDEM IPSI SVS MEMINISSENT, DE QVA EXIERVNT; HABEBANT VTIQVE TEMPVS REVERTENDI. Docet quam patriam inquisierint. Non enim Chaldæam vnde fuerant egressi: Nam si eius, vt patriæ; memores fuissent; facile ad eam reuerti poterant. Neque enim deerat illis tēpus & commoditas. *Memorem esse*, non nudam significat recordationem, sed eam quæ cum amore ac desiderio rei coniuncta est. Quomodo dicitur in psalmis; *Memor fui nominis tui*. &. *Dum recordaremur tui Sion*. Sic è contrario dicitur; *Obliviscere populum tuum & domum patris tui*, id est, ne desideres. Dicit autem, *de qua exierunt*, cum solus Abraham inde exiisset; quoniam & filij inde orti erant, ratione patriæ. Vnde & quodammodo censetur exiisse cum patre. Adeo verò ad illam patriam non retrospexit Abraham, vt seruo suo mandauerit, dicens: *Cave nequando filium meum reducas illuc*. Gen. 24.

16 NVC AVTEM MELIOREM APPETVNT, ID EST, CÆLESTEM. *Appetunt*. Græcè *ἐπιθυνοῦσιν*, quo verbo vehementior appetitus ac desiderium significatur. Idem legitur 1. Tim. 3 *Si quis episcopatum desiderat*. Illud, *nunc autem*, hoc loco non tempus significat; sed partim assumptiue, partim illatiuæ coniunctionis vim habere videtur; vt idē fere sit quod *atque, sed, igitur, itaque*. Quasi diceret Apostolus; Itaque fatendum est eos meliorem appetere patriam, id est, non terrenam, sed cælestem. Sic & alibi frequenter accipitur; vt psalmo 2. *Ei nunc reges intelligite*. Rom. 2. *Nunc autē sine lege iusticia Dei manifestata est*. 1. Cor. 12. *Nunc autem posuit Deus membra* &c. Ac rursum. *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus*. cap. 15. *Nunc autē Christus resurrexit à mortuis*. Quomodo & Latinos authores interdum loqui constat. Vnde liquet, quàm futile sit argumentum quo quidam ex hoc loco probare nituntur sanctorum Patriarcharum animas ne nunc quidem, id

est,

est, tempore nouæ legis, beatifica Dei visione frui, sed eam adhuc appetere & expectare.

IDEO NON CONFVNDITVR DEVS VOCARI DEVS EORVM. Græcè ad verbum: *Quapropter non erubescit eos Deus, Deus vocari eorum.* Minus dicit, ac plus intelligit. Est enim sensus: Hac fidei deuotione tantopere Deo placuerunt, vt Deus qui est vniuersorum Dominus, non eos reputauerit indignos, quorum Deus vocaretur; imo verò dignatus fuerit eos hoc honore, vt eorum Deum seipsum nominaret. Quod profecto ad maximam eorum dignitatem & honorem pertinebat. Respicit apostolus ad locum Exo. 3. vbi Dominus ait ad Moysen: *Ego sum Deus Abrahæ, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Item: *Hæc dicit filijs Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum; & hoc memoriale meum in generatione & generatione.* Ex qua etiam appellatione Christus in euangelio demonstrat illorum patrum futuram resurrectionem: quia *non est mortuorum Deus, sed uiuentium.* Non enim uellet specialiter se vocari Deum eorum, qui nec sunt nec futuri sunt, sed in perpetua morte mansuri; præsertim nomine assumpto ad æternam memoriã. Hinc porrò liquet Apostolum ab eo loco; *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti,* non agere de omnibus iustis quorum antè meminerat, sed tantum de tribus Patriarchis. Nam ceterorum Deus alicubi vocatus non legitur. Aquinas in commentario tres adfert rationes, cur Deus illorum triu Deus vocari uoluerit: quas apud ipsum videre est. Apostolus rationem indicat excellentem eorum fidem, qua meruerunt inter amicos & ciues atque domesticos Dei haberi præcipui. Quò spectat quod sequitur,

PARAUIT ENIM ILLIS CIVITATEM. Scilicet eam quam fide expectabant, id est, cælestem, cuius, vt antè dictum est, *artifex & conditor Deus.* Parauiit ergo, quoniam & fecit in tempore tanquam artifex, & facendam disposuit ab æterno tanquam conditor & architectus. Parauiit autem illis, non quidem solis, sed vt præcipuis; Vnde cum illis uelut primis atque honoratissimis Dei conuiuis recubitari dicuntur in regno cælorum omnes electi Matth. 8. & Luc. 13. Si igitur illis parauiit ciuitatem, tanquam ciuibus atque amicis suis primarijs, meritò sanè vocari uoluit eorum Deus.

FIDE OBTULIT ABRAHAM ISAAC, CVM TENTARETUR. Pergit trium patriarcharum commendare fidem: Idque facit per singulos. In Abraham autem immoratur, quod ille totius generis Hebræorum princeps esset, ac fidei uirtute ceteros antecelleret. Sensus est: Tanta fuit Abraham fides vt ea suadente & impellente non dubitauerit (cùm Deus obedientiam eius huiusmodi præcepto tentaret) Isaac filium suum Deo uictimam immolare;

quemadmodum refertur Gen. 22. *Obtulit ergo; quia offerre uoluit, re ipsa iam iam oblaturus, nisi fuisset ab eodem qui præceperat prohibitus.* Quo etiam modo loquitur B. Iacobus suæ epistolæ cap. 2. dicens Abraham operibus iustificatum, cùm obtulisset Isaac filium suum. *Tentare autem est probare, est experimentum capere.* Sed hoc improprie de Deo dicitur: tentat enim Deus non vt sciat, qui omnia nouit antequam eueniant, sed vt alios scire faciat. Dicitur autem *tentare,* dum facit quod homines tentantes solent: exempli causa, Pater filium tentat, & Dominus seruum, dum præcipit ei magnum aliquid & difficile, quo cognoscat eius obedientiam. Ita Deus tentasse dicitur Abraham, quando ei præcepit vt filium sibi immolaret; quamuis id non præceperit, vt ipse cognosceret, sed vt alijs notam ac manifestam faceret illius obedientiam. Sic enim intelligendū quod ait: *Nunc cognoui,* id est, nunc manifestum feci; vel, nunc apparuit, *quod timeas Dominum.*

ET VNIGENITVM OFFEREBAT. Quum dicit *unigenitum,* ostendit quanta fuerit tentatio. Non enim poterat cor paternum non grauissimè sauciari, quando iussus est filium unigenitum ac singulariter dilectum neci dare. Sic enim habent uerba iussiois: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac: & offer eum in holocaustum.* Sed quæres, quomodo fuerit Abraham unigenitus Isaac, quum & alterum filium haberet Ismaelem? Respondet Aquinas & Caietanus, unigenitū appellari Abraham filium ex Sara, & id quidem rectè. Quod uerò Caietanus addit; *Quæ sola erat proprie uxor, nam alia concubinae erant: nō satis perpense dictum uideretur.* Etenim Abraham illo tempore nullas habet concubinas, excepta Hagar, quæ iam tū erat dimissa: quæ tamen ita concubina Abraham fuerat, vt uerè ac proprie esset eius uxor; eoque nomine uocata legatur Gen. 16. Potius dicendum erat Saram solam pleno iure uxorem fuisse; à quo ob conditionem seruilem Hagar, quamuis reuera uxor esset, deficiebat. Atque hoc modo conuenit interpretari uerba Ambrosij lib. 1. de Abraham cap. 4. dicentis, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus coniugio. Nam coniugium cum ancilla legitimū non erat, quatenus sine pactis nuptialibus initium, quæ plenum darent ius coniugale. Quanquam non negamus Ambrosium in eo libro de coniunctione Abraham cum Hagar ancilla, variè disputantem, uelut in re difficili nec satis adhuc discussa, nihil definitum pronunciasse. Accedit ad superiorem responsionem; quod Ismael diuino oraculo iam abdicatus erat de familia Abraham, vt proinde quasi mortuus censeretur; ideoque solum Isaac haberet Abraham pro filio. Minus placet Græcorum responsio, qua uolunt Isaac unigenitum dici quantum attinet ad rationem promissionis; eò quod statim sequatur, *In*

Isaac

Isaac uocabitur tibi semen. Non placet, inquit, quia prærogatiua promissionis non efficit vt quis unigenitus uocetur, si plures alioqui fratres habeat. Vnde Iudas & Ioseph, quamuis inter filios Iacob prærogatiuis quibusdam donati, non tamen unigeniti dicti sunt aut dici potuerunt. Quod autem hîc de promissione subiungitur, non explicat rationem cur Isaac dictus sit unigenitus; sed adiunctio est nouæ circumstantiæ.

QUI SUSCEPERAT REPROMISSIONES. Quidam codices habent: *In quo suscepit.* Atque ita Bedâ. Aquinatè & Liranū legisse constat. Ita quoque uertit Erasmus, tamen cōtra suã ipsius annotationem, qua docet in Græco legi, *Qui promissiones acceperat.* Est igitur hæc uera lectio uulgatæ translationis, *qui suscepit;* quam Græcis consonam exhibent omnia penè manuscripta, suffragante etiam editione Clementina iam nec potest dictio, *qui,* referri ad *unigenitum,* repugnante structura Græci textus, sed ad Abraham necessariò refertur; vt hic sit ordo: Abraham fide obtulit Isaac filium suum, eundemque unigenitum, ille dico, qui promissiones acceperat, id est, cui promissiones à Deo factæ fuerant; intellige, complendæ in hoc ipso filio, quem iussus erat immolare. Id enim uolunt sequentiã. Nec alioqui ratio apparet additæ huius partis; nisi cum Syro paraphraste eam exponamus de promissione Isaac nascituri. Sic enim habet: *Et unicum suum obtulit super altare, is qui eum acceperat per promissionem.* Nam uel eo nomine charissimus erat Isaac patri, quod ex promissione natus esset. Verum hanc expositionem Græca nō admittunt; sed eam magis exposcunt quam prius diximus. Vnde sequitur.

AD QUEM DICTVM EST. *Ad quem,* scilicet Abraham, dictum est à Domino. Quibusdam placet ad Isaac referri; *Ad quem,* id est, de quo Isaac, *dictum est.* quomodo cap. 1. legimus: *Ad angelos,* id est, de angelis. Et cap. 4. *Ad quem nobis sermo,* id est, de quo. Uertitque ad hunc modum Stapulensis. Sed huc confugere non est necesse; cùm prior sensus nihil habeat scrupuli, & Græca legenti statim sit obuius.

QUIA IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN. Quia ad sensum redundat, vt sæpe alibi, iuxta proprietatem Hebraicæ linguæ. Vnde quidam interpretes omittunt. Locus est Gen. 21. vbi Abraham præcipitur vt Saræ dicenti: *Eijce ancillã & filium eius,* obsequatur; addita hac promissione, *quia in Isaac uocabitur tibi semen;* hoc est, sola posteritas ex Isaac propaganda uocabitur semen tuum, in quo completurus sim promissiones tibi pro semine tuo factas. Hæc promissionis circumstantia uel præcipua est quæ labefactare poterat animum sancti uiri, & ad diffidentiam inclinare, si non fuisset solide fundatus in fide ueritatis ac potentia diuinæ; uidelicet *plenissime sciens quia quacunq; promissit Deus, potens est & facere.* Rom. 4. Cùm autem

omnia cogitanti nullus alius occurreret modus, quo Deus impleteret promissa, quæ non dubitabat in Isaac implenda; uenit in mentem hoc quod sequitur,

ARBITRANS QVIA ET A MORTVIVS VSCITARE POTENSEST DEVS. *Arbitrās, Græcè λογισάμενος,* id est, *secum reputans, uel cum secum reputasset.* Quod proprie refertur ad modum implendæ promissionis; non ad potentiam Dei. Cùm enim certissimè sciret Deū posse etiam mortuos suscitare: ita cogitabat apud se; Poterit Deus, si uelit, filium meum extinctum reuocare ad uitam; idque omnino facturum credo, si non sit alius modus, quo tuam impleat promissionem. Et cū hoc animo & hac fide sese accinxit ad filium sacrificandum. Quæ fides eo laudabilior, quod eo sæculo nullum adhuc auditum esset exemplum hominis à morte resuscitati.

VNDE EVM ET IN PARABOLAM ACCEPIT. Græcè, *in parabola accepit,* siue recepit, recuperauit. Idem uerbum quod in fine capituli: *non acceperunt repromissionem.* Hentenus uertit, *per parabolam.* Hæc pars obscuritate sua, varios sensus peperit, vt uidere est apud Oecumenium, qui facillè sex aut septem enumerat, nec tamen omnes attingit. Inter eos unus est, quo uerbum, *accepit,* ad Deum refertur; & pronomen *eum,* ad Abraham: hoc modo; Vnde & Deus accepit ipsum Abraham uelut parabolam & figuram sui, id est, statuit in eo figuram Dei patris offerentis filiū suum pro salute hominum. Sed hic sensus uim facere uidetur textui, qui planè exigit vt uocabulum *accepit,* ad Abraham referatur; & *eum,* ad Isaac. Quo constituto: alij aliter exponūt. Chryostomus *parabolam* interpretatur artem quem uidit Abraham inter uepres habentem cornibus. Hunc enim dicit in ea oblatione figuram ac similitudinem Isaac fuisse; quo mactato ille seruatus sit ac patri redditus. Theophylactus uerò parabolam seu figuram constituit in re gesta, uelut indicante quod in Christo futurum erat. Vt enim tunc Isaac dimissus esset, aries autem cæsus; sic vnus Christus Deus & homo, secundum humanam naturam pro nobis immolatus est, Deitate manente impassibili. Porrò Theodoretus, parabolam exponit symbolum ac typum resurrectionis mortuorum; vt ex eo quod Isaac occisus quodammodo fuit, & reuixit (nam occisus quoad promptam uoluntatem patris, uoce Dei prohibentis reuixit) uelut à parabola disceremus mortuorum futuram aliquando resurrectionem. Ribera *parabolam* existimat hoc loco idem esse quod prouerbum, siue exemplum, quod uulgi sermone teritur. Sic enim *parabola* frequenter in scriptura ueteris testamenti sumitur; vt sensus sit: Vnde Abraham tantæ fidei merito recepit filiū suū saluū; idque in parabolâ, hoc est, in similitudine atque exemplū, vt cū Deus aliquid præceperit durū &

arduum, non dubitent homines ipsius exemplo illud aggredi, firmiter apud se statuentes Deum omnia in melius conuersurum: Verum etsi frequens est ea parabolæ acceptio apud prophetas; in scripturis tamen apostolicis haud reperitur. Et omnino sublimius aliquid apostolum hinc dicere velle, mihi persuadeo Proinde factus est, *parabolam* interpretari figuram seu typum mysterij cuiusdam significatiuum; sicut omnes ferè interpretati sunt; quomodo & superius in hac epistola cap. 10. accipitur in illis verbis: *Quæ parabola est temporis instantis.* Cum autem mysterium significatum variè exponatur, vt vidimus: nobis eorum sententia probatur, qui mysterium intelligunt resurrectionis, non quidem omnium mortuorum, sed Christi Domini. Nam quia credidit Abraham posse Deum mortuos resuscitare; ideo datum est ei, vt filium velut à morte viuum reciperet; idque in *parabola* seu figura; id est, cum significatione magni mysterij, nimirum resurrectionis Christi. Nam Isaac non tantum fuit figura Christi immolati; verum etiam à morte ad vitam reuocati. Indicauit hunc sensum Erasmus in sua versione, & apertius expressit in paraphrasi. Addo, quosdam aduerbium *ὅτεν*, unde, resoluere in relatiuum; hoc modo, *Vnde*, id est, *ex quibus*, scilicet mortuis; vel, *ex qua morte*, eum recepit. Sed hoc subtile magis quam verum crediderim. Nec enim solet vti scriptura eo aduerbio ad illum modum.

20 FIDE ET DE FUTURIS BENEDIXIT ISAAC IACOB ET ISAV. Illud & in fronte huius versus non est in Græco neque in Syriaco, neque in bonis mss. nominatim Laudensi cod. Historia est Gen. 27. Vbi legitur Isaac benedixisse duobus filiis suis Iacob & Esau. *De futuris*, id est, promittendo bona futura, quæ non videbat. Qua in re fides Isaac commendatur; quod cum in aliena terra consedisset, nihil in ea possidens: sola tamen Dei promissione fretus, filiis suis in tempora longè futura tam magnificè benedixit. Non enim nudæ erant illæ benedictiones, id est, faustæ imprecationes; sed prædictiones ac promissiones ex fide profectæ, ideoque certissimæ. Quod & filij intelligentes, certatim alter alterum in accipiendi benedictione præuere studuerunt. Porro futura illa bona, iuxta litteram terrena erant & temporalia; sed spirituum, caelestium & æternorum imaginem gerentia.

21 FIDE IACOB MORIENS SINGVLOS FILIORVM IOSEPH BENEDIXIT. *Singulos*, Græcè *ἑνὴν ἑκάστην* quæ filiorum, id est, singulos filios, qui duo erant, Manasses & Ephraim. Historiam vide Gen. 48. Quod, inquit, *Iacob moriens*, id est, ægrotus ac morti vicinus benedixit duobus filiis Ioseph filij sui, manus commutans, & minorem maiori præponens,

vtrique verò magna bona promittens, quorum nihil adhuc apparebat; fides effecit, qua illustratus certò credebatur ea ventura.

ET ADORAVIT FASTIGIVM VIRGÆ EIVS. Hæc pars separanda ab ea quæ præcedit, vt quasi nouo initio dicatur; *Fide Iacob adoravit*, &c. Non enim eodem loco hoc legitur, sed in capite præcedenti, vbi narrat scriptura Iacob exacto & accepto iureiurando à Ioseph quod sepulturus esset ipsum in sepulchro patrum suorum; *adorasse*, vel *ad caput lectuli*, sicut ex Hebræo vertit Hieronymus, vel *ad summitatem siue ad fastigium virgæ eius*, scilicet Ioseph, sicut hic in Græco legitur, iisdem verbis quæ sunt apud Lxx. interpretes. Quanquam olim ex Græco quidam Latini *virga sua*, non *eius*, legerunt, vt ad ipsū Iacob referatur: vt Augustinus commemorat q. 162 in Genes. Nam Græcum relatiuum *αὐτοῦ* vt utrumque admittit, variato spiritu. Atque eo modo sibi vertendum putauit Stapulensis. At sanè potius est vt de virga Ioseph intelligatur, maximè propter significationem mysterij quod apostolus videtur intendere; de quo mox dicemus. Sciendum est autem, diuersitatem versionis inde natam, quod vtraque vox Hebræa, *mittah*, id est, *lectus*; & *maateh*, id est, *virga*, scribatur iisdem literis, sed non iisdem punctis; quæ puncta satis constat olim apud Hebræos scribi non solere, vt proinde facile contingeret interpretes pro vna dictione aliam legere & transferre. Si quærat vtra sit vera ac germana scripturæ lectio; Vel vtram significationem in illis iisdem literis Moyses intenderit: Respondeo, quibusdam videri veram quam reddidit Hieronymus, *lectum* dicens; eumque secuti in ea re omnes recentiores interpretes: vt veteres taceam interpretes Græcos, Aquilam & Symmachum, qui eodem modo verterunt: Denique omnes omnino, solis Lxx. exceptis. Siquidem & statim post initio capitis sequentis idem vocabulum occurrit, vbi nos rursus ex Hieronymi versione legimus: *Qui confortatus sedit in lectulo.* Nec secus omnes alij hoc interpretati sunt, atque ipsi etiam Lxx. Neque enim eo loco, nisi absurdè, pro *lectulo virgæ* transferri potuit. Sensum autem prioris loci reddens Hieronymus in traditionibus Hebraicis, sic ait: *Et adoravit Israel ad caput lectuli; quod scilicet, postquam ei iurauerat filius, securus de petitione quam rogauerat, adoraret Deum contra caput lecti sui. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppressus senectute, sic habebat lectulum positum, vt ipse iacentis habitus absque difficultate vlla ad orationem esset paratus.* Sic illè. Ioannes tamen Hassellanus vir magnæ eruditionis, Cæsareus apud Louanienses Scripturæ sacræ quondam interpres, in huius loci commentario manus. docet rectius facturum fuisse B. Hieronymum, si suam versionem Gē. 47 in fine, conformasset interpretationi ipsorum Lxx. ac reddidisset *adoravit super* (aut *cōtra*, quomodo idè Hier. vertit ex Lxx. in Tradit.)

fastigium

fastigium virgæ eius. Et S. Augustinus q. illa 162 in Genes. ait, Quod Septuaginta interpretati sunt, nullum vel leuem sensum habere, putandum non est. Verum quo pacto cum hac responsione conciliari possit præfens apostoli locus, in quo non *lectulus*, sed *virga* nominatur (nam caput, summitas, fastigium eadem sunt in proposito, & eadem Hebraica voce significatur, nec de ea re quæstio est) Hieronymus nihil dicit. Inter commentatores autem nescio an quisquam sit qui lectoris animo satisfaciatur. Nobis videtur vtunque satisfieri posse, si respondeamus altero horum modorum. Vnus est, si cū F. Ribera dicamus vtrumque sensum verbis Hebraicis à Moysè scriptis, comprehendere; ac Spiritus sancti consilio factum, vt duo sensus in eadem oratione latentes exprimerentur, iuxta eiusdem vocabuli diuersam significationem. Dico, *eiusdem vocabuli*; quia punctis remotis, quæ Moyses non addidit, nullum est discrimen. Quæ responsio si non placet, propterea quòd absurdum habeatur in omni genere scripturæ, vt vocabulum æquiuocè duo significans simul stet pro vtroque significato, meritoque negent viri doctissimi eandem scripturam habere plures sensus literales: Restat alter modus, vt dicamus, id quod apud Lxx. legebatur, siue cum Hebræo fonte conueniret, siue non, opportunè allegasse, suoque instituto accommodasse Apollonem; quod ea versio apud eos ad quos scribebat, in autoritate esset ac veneratione, quæ admodum alio loco ostendimus: vt hæc sit allegatio non tam scripturæ, quam rei concessæ. Quod sine dubio rectè fieri potuit; & ad docendum atque exhortandum valet suo modo. Quasi igitur sic dicit; *Et adoravit fastigium virgæ eius, quæ admodum habetur in biblijs Græcis, quæ vos cum veneratione legitis.* Ac forte similis adhibenda est solutio ad locum. Luc 3. vbi præter fidem omnium Hebraicorum codicum ex sola versione Lxx. vna generatio interferitur. Et quidem Cornelis Iansenio præceptoris meo ita respondere visum fuit. Et qui aliter respondent torquent se miris modis. Quanquam quod ad rem præsentem attinet, vtrumque verum esse potest; Iacob adorasse versus caput lectuli, & adorasse fastigium virgæ Ioseph stantis ad lectuli caput. Non enim pugnant hæc duo. Nam quod nos legimus, *adoravit Dominum*; Hieronymus *Dominum* addidit de suo. Certè D. Tho. varietate lectionis, quam refert in commentario, non est offensus, tanquam inde consequens sit vel Paulum malè scripturam citasse, vel Hieronymum malè vertisse. Tatum conatur varietatem illa ita conciliare vt sensus simul consistant. Ceterum huic nostræ responsioni pro coronide illud adijcimus; directione Spiritus sancti factum esse, vt id quod Lxx. scripserunt, aliud fortassis pro alio reddentes, seruiret mysterio; sicut in alijs quibusdam factum

non negamus. Vt autem mysterium, quod apostolus exprimere noluit, assequamur; annotant qui in Genesim scribunt; Ioseph à rege proximum, virgam seu sceptrum, videlicet potestatis insigne, gestasse. Huius ergo summitatem adoravit Iacob; id est, ad eam incurauit se, potestatem honorans in filio. Sed cur id fecit? Vt ostenderet, inquit, veritatem somnij Ioseph, quo viderat se à sole, id est, parte suo adorandum. Gen. 37. Sed quomodo fide adoravit, (quod hic restatur apostolus) cum illam filij potestatem, somnio prænuiciatam, non iam fide sed oculis aspiceret? Quare multo rectius, in eo quod Iacob adoravit fastigium virgæ filij sui, id est, potestatem eius honoravit; intelligimus alicuius rei futuræ mysterium. Quod illi optimè explicant, qui dicunt, Iacob in Ioseph filio suo Christum significatum prospexisse, & in virga Ioseph regiam Christi potestatem agnouisse; denique eius virgæ fastigium seu caput adorasse, quia caput Christi Deus 1. Cor. 11. Quæritur hic potest cur Apostolus, qui duarum benedictionum meminit; tertiam, non minus memorabilem & mysteriorum plenam, qua Iacob benedixit filiis suis duodecim, prætermiserit. Respondeo, satis esse Apostolo, si è multis quæ per fidem operati sunt patres, pauca quædam delibet, eaque præcipua; nec rationem nobis reddendam, cur etiam è præcipuis nonnulla prætereat; cui non erat propositum omnia referre. Tamen prætermissa benedictionis duodecim patriarcharum, hæc potuit esse ratio, quod ea maledictionem haberet implicatam, vt patet legenti Gen. 49.

22 FIDE IOSEPH MORIENS DE PROFECTIONE FILIORVM ISRAEL MEMORATVS EST. Merito Ioseph prioribus subiungitur, qui & patriarcha fuit & propheta, multarumque virtutum exemplar; cuius animo nec potestas, nec bonorum affluentia qua potiebatur in Ægypto, obliuionem aut neglectum induxit promissorum Dei. *Moriens*, Græcè *τελευτών*, verbum à superiore diuersum, id est, *vitam finiens, termino vitam proximus*. Habetur idem verbum Matth. 2. vbi nos legimus; *defuncto autem Herode.* Nec est in Græco, *de profetione*, sed, *de exitu filiorum Israel*, scilicet ex Ægypto.

ET DE OSSIBVS SVIS MANDAVIT. Itidem ex Ægypto asportandis. Sic enim legitur allocutus fratres suos Genes. vlt. *Post mortem meam Deus visitabit vos. & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iuravit Abraham, Isaac, & Iacob. Cumq; adiurasset eos atque dixisset, Deus visitabit vos: asportate*

ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est. Igitur quod Ioseph mortuus mentionem fecit cum asseueratione de rebus futuris quæ nondum videbantur, id est, de egressione filiorum Israel ex Aegypto, quæ post ducentos annos secuta est, de quæ introductione eorum in terram Patribus promissam; quodque in huius rei testimonium mandauit ossa sua simul asportari; id totum ex ea fide processit, quam habuit diuinæ promissioni patribus factæ. Sed nec irritum fuit mandatum. Nam ossa eius, Moyses mandante, secum tulisse leguntur Israelitæ, Exo. 13. eademque postea in terram promissam intulisse, atque in agro paterno sepelisse; Iosue vlt.

23

FIDE MOYSES NATVS, OCCULTATVS EST MENSIBVS TRIBVS A PARENTIBVS SVIS. A patriarchis ad Moysen transit, in cuius etiam fide prædicanda immoratur, quod eius apud Hebræos, vt prophete maximi & Legislatoris, summa esset autoritas. O dicitur autem à natiuitate eius & fide parentum, qua eum, quum natus esset, contra regis edictum occultarunt in domo sua tribus mensibus, Exo. 2. & Act. 7. Pro parentibus Græcè est: *patribus*, Syrus quoque sic habet: *Fide patres Moysi occultauerunt eam* &c. Ex quo suspicatur quidam, non solos patrem & matrem de puero seruando sollicitos fuisse, sed & populum, & potissimum contribules. Quod non valde probabile est. Res enim tam multis nota non potuisset apud regis ministros celari. Quare *patribus* pro *parentibus* dictum accipimus, sicut omnes interpretantur. Sic enim interdum, etsi raro, Græcis vsurpatur. At quaeritur, qua parètu fide occultatus fuerit Moyses. Nam videri potest id eos fecisse naturali impulsos amore, quo parètes filios suos omniratione seruatos cupiunt: vt verisimile sit idem ab alijs quoque Hebræorum nonnullis fuisse tentatum. Respondeo, eam fide qua credebant, id quod à maioribus acceperant, futurum aliquando vt Deus educeret populum ex Aegypto, & introduceret in terram promissam: ideoque nec merendum quod Pharaon moliebatur, vt scilicet populus aut omnino extingueretur, aut seruitute oppressus vires & facultatem non haberet inuitis Aegyptijs fugam ineundi. Hac igitur fide instructi & animati, diuinæ promissioni de populo seruando cooperati sunt; quoniam puerum sibi natum, ne occideretur, occultarunt. Addatur huic responsioni, si lubet, id quod refert Iosephus lib. 2. antiq. Iud. cap. 5. Deum Amramo patri Moysi astitisse per somnium, ac promississe nasciturum ei filium, qui suo tempore Hebræos ex Aegypto seruitute liberaret. Virum idipsu narrasse vxori iam grauidæ. Vtrumque fidem oraculo adhibuisse: & ea fide inductos, postquam mulier tam facile fuisset enixa, vt obseruatores falleret, infantulum per tres menses clam apud se nutriuisse. Notandum est autem, etsi textum Hebræum legenti sola mater videatur occultasse puerum; Lxx. tamen interpretes, quos

Paulus sequitur, vtrique parenti factum hoc ascribere. Nec enim mulier infans aut repugnante marito facere id potuisset.

EO QUOD VIDISSENT ELEGANTEM INFANTEM. Græcè *παιδὸν, puellum*. Videri potest hæc pars contraria præcedenti. Nam si parentes ad occultandum & seruandum puerum mouit elegantia formæ quam in eo videbatur; quomodo ea res in laudè fidei referunt? præsertim cum legamus Isai reprehensum fuisse, quod filios suos offerret Samueli, prout quisque forma excelebat 1. Reg. 16. Sed dicendum parentes haudquaquam more vulgi permotos fuisse elegantia pueri vt cum cum tanto suo periculo seruatum vellere; sed quod in vultu tale animaduertere elegantiam seu pulchritudinem, quæ diuinam quandam indolem pueri promittere videretur; adeo vt quod certo credebatur de populi liberatione aliquando futura, considerent huius pueri virtute & opera, si in virum posset euadere, perfectum iri. Huc facit quod B. Stephanus in sua ad Iudæos oratione Act. 7. non simpliciter dicit puerum hunc fuisse *elegantem*, (Græcè *ἀγαστον*, eodem vocabulo quo post Lxx. Paulus hic vtitur) sed dicit, *elegantem Deo*: quod rectè non ster interpretes veritatem *gratum Deo*, & Syrus, *dilectum Deo*; vt nimirum illam vultus elegantiam significatam fuerit puerum futuram singulariter Deo gratum. Deumque velle per illum magnum aliquid ad populi sui salutem operari. In quam sententiam etiam Chrysostomus hunc locum interpretatus est. Quod si recipimus narrationem Iosephi supra dictam de somnio patris Moysi: plenior erit responsio. Sic enim dicemus, parètes eius, aspectu pueri tam elegantis fuisse confirmatos in fide oraculi quod diuinitus acceperant.

ET NON TIMERVNT REGIS EDICTVM. Præceperat rex omni populo Hebræorum, vt quicquid masculini sexus eis nasceretur, in flumen proiecerent Exo. 1. Hoc edictum timuisse negat Moysi parentes; quia quamuis timore puerum occultarent; non tamen ita timuerunt vt edicto parerent. Remouet ergo ab eis timorem efficacem, quo quis adductus id facit quod iubet is qui timorem incutit. Ita sæpe non timere accipitur in scripturis. vt Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. 1. Machab. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis*. Sed dices: Quomodo non ita timuerunt; qui tadem paruereunt edicto, puerum exponentes in ripa fluminis? Exo. 2. Quo argumento contendit Caluinus fidem in eis valde imbecillum fuisse, adeo vt non vacillauerit modò, sed collapsa fuerit. At qui immeritò eos culpat. Non enim iuxta edictum proiecerunt puerum in flumen: sed cum diutius celare non possent; id fecerunt, quod in tanto pueri ac sui periculo, faciendum inculcata prudentia dicebat. Nam fiscella bituminata inclusa, ne facile mergi posset, exposuerunt in careto fluminis ad ripam, vbi minus esset periculi, meliusque posset obseruari quod deueniret. Porro rei euentum diuinæ prouidentie cõ-

mitte-

mittebant, quemadmodum & Iosephus de eis scribit.

24

FIDE MOYSES GRANDIS FACTVS, NEGAVIT SE ESSE FILIVM FILIÆ PHARAO NIS. Græcè, *negavit dici filium*, id est *rennui vocari filium filie Pharaonis*: vt vertit Erasmus. Malè Faber, *Recusavit dicere, filius sum filie Pharaonis*. Quam versionem Caietanus, Græcè nescius, imprudenter secutus est. Constat ex historia Exo. 2. Moysen, postquam adoleuit, haud ignorasse se Hebræum esse, non Aegyptium. Educatus est enim à matre sua, ab infantia usque ad ætatem adultam; ac tum demum redditus filia Pharaonis; quæ eum non pro suo filio accepit, sed sibi in filium adoptauit. Non ergo dicere vult apostolus, Moysen fide, id est, reuelatione diuina admonitum, cognouisse se non esse filium naturalem filia Pharaonis; Hoc enim procul dubio sciebat tam ex matre quam ex adoptante: sed sensus est huiusmodi; fides effecit vt Moyses vir factus adoptionem filie Pharaonis ac regiam cognationem contemneret, malletque palam vocari Hebræus, & hominis Hebræi filius, quam filius reginæ aut filie regis. Non legitur eam adoptionem Moyses verbis respuisse; sed factò satis respuit, quado relicta aula regia ad fratres suos Hebræos in afflictione visitandos, egressus est; nec ad aule delicias ultra reuersus: vt legitur Exo. 2. & Act. 7. Ascribitur autem hoc eius fidei; quia tam præclaram adoptionem cum labore & afflictione non commutaret, nisi maiora bona, quæ fide intruebat, exspectaret. *Aspiciebat enim, vt statim dicitur, in remunerationem*. Dicit autem, *grandis factus*, non modo statuta, sed insuper ætatis prouectu; quia, vt refert S. Stephanus Act. 7. (idemque colligitur ex historia Exodi) quadragenarius erat; quando in coreius ascendit vt fratres suos visitaret. Sed cur tam sero ad eos se contulit: non quia fratrum salutem prius neglexisset, aut minus curasset, voluptatum Aegyptiarum illecebris occupatus; sed ideo forte quod expectandam sibi putaret eam ætatem, quæ ad res magnas gerendas idonea maximè iudicatur. Augur certe, quod rem tantam quam animo conceperat, non absque peculiari Dei instinctu, quem nondum deserat, aggredi nollet. Alioqui Moysen de liberatione populi iam antè cogitasse, probant illa B. Stephani de eo verba; *Existimabat intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis*.

25

MAGIS ELIGENS AFFLIGI, CVM POPVLO DEI, QVAM TEMPORALIS PECCATI HABERE INCVNDITATEM. Græcè *ἀπόλασιν*, id est, *fruitiorem*, seu *delectationem*. Nec est, *temporalis*, sed *temporalem*, *πρόκαιρον*, vt ad *incunditatem* referatur. Atque ita veteres etiam Græcos, Chrysostomum ac ceteros, legisse docent eorum commentarij. A quibus nec Syriaca dissentit editio. Sic enim habet; *Et non, modico tempore delectari in peccato*. Paulus quoque 2. Cor. 4. ad bona quibus

homines fruuntur, eandem vocem retulit: *Quæ videntur*, inquit, *temporalia sunt, quæ non videntur, æterna*. Verum siue temporale ad delectationem referatur, siue ad peccatum, legendo *πρόκαιρον*, quod in paucis quibusdam ac minus probatis exemplaribus Græcis legitur; in sensu non magnum est discrimen, & alterum faciliè ex altero intelligitur; vt *temporale* dicatur *peccatum* ab effectu, quia delectatio quæ peccato quaeritur, diuturna esse non potest. Quamquam magis consuetum est dici, dum quis peccat, delectationem transire, peccatum manere. Nam etsi cum delectatione transeat etiam actus peccati; manet tamen reatus; & conscientia mortuus. Quaeritur de qua afflictione, & de quo peccato loquatur Apostolus. Non enim Moyses aliquando cum cæteris Hebræis seruiuit in luto & latere. Et, si peccatum erat versati in affluentia bonorum aulae regiae: peccauerat igitur tot retro annis, quibus inter aulae proceres fuerat commoratus. Ad vtrumque respondeo, Peccasset Moyses, si voluptates & opes Aegyptias prætulisset salutem & liberationem suæ gentis; aut ita eis immeritus fuisset, vt de fratribus afflictis non curaret. Vnde Amos 6. grauius increpantur *opulenti in Sion, quod nihil paterentur super contritione Ioseph*. Afflictus autem fuit cum populo Dei, id est, cum Hebræis fratribus suis, non eadem cum illis, sed similia, propter illos, patiens; quado percusso Aegypto fugit & in exiliu abiit, vbi pascēdis ouibus vitam trālegit, qui dudum in Aegypto delictijs & opibus abundauerat. Quamquam nõ dicit Apostolus, eum cum populo Dei afflictum fuisse; sed affligi elegendisse potius quam momentaneis delictijs cum peccato fruere. Ex quo non est cõsequens, vt afflictus fuerit. Vt autem hæc præ illis eligeret, excitabar & roborabat eum fides; quemadmodum & in eo quod sequitur.

26

MAIORES DIVITIAS ESTIMANS THESAURO AEGYPTIORVM IMPROPERIVM CHRISTI. Neminè turbet quod Amb. lib. de paradiso pro *maioribus diuitijs*, legit *maiores honestatis*. Quidam enim vetus interpres, *πλούτων διουτιαν*, assidue vertit *honestatis*: ille nimirum, ex cuius versione habem⁹ libros Sapietia & Ecclesiastici. Neque enim idem est omnium sacrorum librorum vulgatæ æditionis interpres: vt norunt eruditi. Vide Sap. 7. 8. & 10. & Ecclesiastici 11. 13. 24. 31. & 37. Atqui idem Ambrosius lib. 2. de Abel cap. 4. pro *maioribus diuitijs maius patrimonium*, legit. Porro notandum participia *eligens*, & *estimans*, in Græco esse aoristos præteritum significantes. Vnde rectè pro *estimans*, alij vertunt *arbitratus*. Moyses, inquit, *thesauro Aegyptiorum* (Græcè, *θησαυρις qui in Aegypto erat*) id est, opibus Aegyptijs, quibus abundare & cum quiete frui poterat, improperium Christi prætulit, tanquam maiores diuitias: vel quia Christi improperium magis honorificum sibi ducebat, vel quod præsentem ignominiam sibi conuertendam sciret in cælestes diuitias & gloriam

Ccc 3

semper

semper mansuram. Sed quodnam dicat *improperium Christi* valde dubitatur. Non enim Moyse potuit improperari, quod Christianus esset, aut Christum coleret; quando nec natus erat Christus, nec auditum Christi nomen. Chrysostomus ac plerique post illum interpretantur improperium Christi in eo quod quemadmodum Christus ignominia affectus est à Iudæis, ad quos missus venit; ita Moyse à fratribus suis Hebræis, quibus se liberatorem insinuabat, contumeliosè fuit repulsus; cum ei diceretur: *Quis constituit te principem aut iudicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Exo. 2. De qua contumeliosa repulsa loquitur etiam B. Stephanus in Actis. Huic expositioni Theodoretus & Thomas addunt, benè id quod Moyse à fratribus passus est, improperium Christi vocari, quia typus & figura fuit eius quod Christus erat passurus. Verùm ista, si benè consideres, huic loco non quadrant. Nam apostolus ab eo loco, *magis eligens* &c. rationem reddit eius quod dixerat, Moyse negasse se filium filiarum Pharaonis. Atqui huius ratio esse non potest, quod thesaurus Ægypti præponeret improperium inferendum à fratribus Hebræis. Nam relinquens aulam, suoque visitans, non hoc expectabat ut probris ab ijs afficeretur; sed magis ut tanquam futurus liberator, susciperetur. Quocirca alij rectius improperium Christi interpretantur id esse quod in priori membro dixit, *affligi cum populo Dei*, ut improperium intelligatur, quod Ægyptij dicturi erant in Moyse, abdicantem à se regiam adoptionem, & profitentem se Israëlitam esse. Probrum hoc erat quod Hebræus esset; quam gentem abominabantur iam olim Ægyptij, ut patet Gen. 43. & 46. quamque dudum in seruitutem redegerant. Hoc autem vocat *improperium Christi*, id est, populi Dei Christum expectantis; quatenus iniuria membrorum in caput redundat. Et hoc pacto loqui dicunt Apostolum, ad consolandum suos Hebræos, qui propter fidem Christi non solum direptionem bonorum passi fuerant, sed insuper irrisionibus & probris infidelium erant expositi. Diversam ab his ac peculiarem explicationem adfert Ribera. Sentit enim, Moysem spiritu prophético intuentem Christi passionem & opprobria, optasse eius conformitatem; atque ex ea animi deuotione maluisse opprobrijs affici, id est, Christo quodammodo compari, quam honoribus ac diuitijs abundare in aula Pharaonis. Et hoc esse, quod dicit apostolus, cum *elegisse improperium Christi*: quomodo si dicamus, Petrum, quando crucifixus est, elegisse improperium crucis Christi, quia similitudinem mortis Christi Domini sui, in cruce passi, libèter ac deuotè amplexus est. Non dicitur autem quis eligere aut plurius æstimare id quod omni-

no non nouit: Quare improperium Christi notum esse Moyse oportuit, ut illud tanti æstimaret; sicut Petro nota fuit crux Christi. Quæ expositio rectè se habet, si *improperium Christi* propriè accipiendum sit: quod alijs non videtur. Porro, si coniecturæ locus esset; suspicari possemus apostolum scripsisse *ἀντὶ* non *χριστῶ*, id est, *latronis*, non *Christi*. Quod cum durè sonaret, nec intelligeretur quorsum dictum esset; mutatum esse in vocabulum sono vicinum, idemque pijs auribus gratum, *χριστῶ*: sicut accidit in nominibus *ἡσως* & *ἡσος*, Ecclesiastici 43. Sic ergo vera lectio esset, improperium latronis siue homicidæ. Nam Moyse postquam occidit Ægyptium, primum quidem ab Israelita audiuit opprobrium homicidæ, cum ei diceretur; *Nunquid occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Deinde, re diuulgata, multo magis apud Ægyptios, quibus iam exosus haberi cœperat, infamatus fuit tanquam sicarius aut latro. At Moyse huiusmodi improperium atque infamiam quam sustinebat causa populi Dei pluri fecit quam omnes thesauros Ægypti. Mutandæ lectionis in nomen *Christi*, dedisse potuit occasionem, quod infra cap. 13. legitur, *improperium eius*, scilicet Christi. Sed illic non de antiquis loquitur Apostolus, sed Christianos hortatur ut Iesu Christi improperium portent. Illud etiam obserua, apostolum toto hoc capite & sequenti, Christi vocabulum nusquam exprimere. Veruntamen de hac coniectura aliorum est iudicium.

ASPICIEBAT ENIM IN REMUNERATIONEM. Græcè, ἀπέλεπε, respiciebat. Probat, illud totum quod de Moyse dixit, fidei fuisse effectum. Primum enim credebatur post afflictiones quas cum populo Dei tolerabat, securitatem populi liberationem; quæ utique futura erat merces quadam patientiæ prioris. Deinde, ac potissimum fidei suæ oculos attollebat ad bona cælestia, quæ Deus cultoribus suis pro mercede ac præmio priorum laborum se redditurum promissit. Noranda sententia, propter sectarios, qui bonorum operum merita negant, ac seruire esse putant intuitu remunerationis Deum colere. Contra docet apostolus, Moyse afflictiones & opprobria ferentem in remunerationem aspexisse; & eius ac patriarcharum exemplis, Hebræos suos, ut idem faciant hortatur. Ne verò per hoc vel gratiæ vel gloriæ Dei derogatum quicquam videatur: certissimè teneamus hæc duo, Omne meritum nostrum esse Dei donum; & Omne præmium nostrum ad Dei gloriam esse referendum.

FIDE RELIQUIT ÆGYPTVM, NON VERITVS ANIMOSITATEM REGIS. *Animositatem*, Græcè τὸν θυμὸν, quod interpret *iram* & *furorem* vertere solet; quemadmodum etiam habet Syriaca translatio. Nam quod Erasmus *ferociam* vertit; vim vocabuli minus expressit. Significat enim Græcis impetum

animi

animi ebullientis ad vindictam; soletque versusari pro ea parte animi, quam irascibilem Philosophi vocant. Quærent Græci tractatores quomodo dicat apostolus Moyse fide reliquisse Ægyptum, nec veritum fuisse iram regis, cum ipse in Exodo timorem suum fateatur, his verbis; *Timuit Moyse, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud? Audiuisti Pharaonem sermonem hunc & querebat occidere Moyse. Qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian.* Exo. 2. Respondent autem Moyse timore quidem fugisse, ne Deum tentare videretur, si manifesto periculo non se subduceret; sed non ita timuisse, quin ausus fuerit postea reuerti ad populum liberandum. Liranus ut Moyse constantiam in hoc facto declaret, adducit fabulam quandam Iudaicam, scribens in Exo. 2. & 4. Sed verior responsio est, quam idem Liranus & alij huc adferunt; Apostolum non agere de fuga Moyse ex Ægypto post interfectum Ægyptium; sed de eo discessu, quo, cum vniuerso populo, Ægyptum reliquit, eidemque ad discedendum author & ductor fuit. Quia in re fides eius insigniter eluxit. Cum enim res esset difficillimi negocij tantam hominum multitudinem, magna ex parte imbellem, è sedibus suis educere in alienam & ignotam terram; sciretque regis animum à quo consensum vix tandem extorserat, mutabilem esse, sibi que imprimis infensum; ac proinde metuendum videretur ne consilio mutato mox collectis copijs abeuntem populum armata vi retraheret, vnà secum in perpetuam ac duriorē seruitutem redigendum: hac tamen iracundia regis contempta, rem aggressus est, sola fide subnixus, qua credebatur Deum populo ad ea quæ promiserat, impedimentis omnibus remotis, viam paraturum.

INVISIBILEM ENIM TANQUAM VIDENS SVSTINUIT. Latini verbum, *sustinuit*, ad Deum referunt; ut sensus sit: Iram hominis visibilis contempsit, quia fide Deum inuisibilem; tanquam videret, *sustinuit*, hoc est, expectauit, scilicet adiutorem & remuneratorem. Et si nonnulli *inuisibilem* exponunt, quantum ad promissa, quæ Moyse, etsi non videbat, fide tamen tanquam videret expectabat. Verùm in Græco nō est ἰπέμενεν, quo verbo sæpe alibi scriptura vitur, quodque Latinus interpres passim vertit *sustinere*, id est, patienter expectare; Vnde verbale nomen in scripturis frequens, ὑπομονή *sustinentia*, *patientia*: sed est verbū ἐπαρτέρησεν, quod ad rem, non ad personam referendum est. Significat enim tolerare, patienter ferre incommoda. Quocirca magis probo Græcorum expositionem; quæ talis est: Ægyptum reliquit atque inde populum eduxit, non veritus iram regis visibilis; quia Deum inuisibilem adiutorem suum ac remuneratorem, tanquam oculis videret, fide intuens; omnia illa dura tolerauit. Itaque metathesis ef-

se videtur in verbis Apostoli; ut rectus ordo sit: *Tanquam enim inuisibilem videns, sustinuit.* Quod alij verterunt, *obdurauit, forti animo fuit.* Erasmus sensum potius quam verba reddidit, hoc modo: *Perinde enim quasi vidisset eum qui est inuisibilis, ira obdurauit.* Est autem allusio quædam ad notionem fidei, quam definiuit *argumentum non appareatium*; Et proinde probatio eius quod dicit: *Fide reliquit.* 28 FIDE CELEBRAUIT PASCHA ET SANGVINIS EFFUSIONEM. Dicitur Moyse celebrasse, siue ut in Græco, *fecisse, pascha & effusionem sanguinis*; quia Dei iussu populo Israelitico faciendi author fuit, ut habetur Exo. 12. *Fecere pascha*, quidam interpretantur occidere pascha, id est, agnum paschalem. Non rectè, quia *facere* non solum hinc ad pascha refertur, sed etiam ad sanguinis effusionem: vbi illa expositio non quadrat. Sensem ostendit noster interpres, pro *fecit* vertendo, *celebrauit*; ut *pascha* non agnus intelligatur, sicut alibi quum pascha dicitur immolari; sed ipsius agni immolatio & eius cum ritu præscripto, quemadmodum benè exponit S. Thomas. Dicitur est *pascha*, non à Græco πάσχα id est, pari, sed ab Hebræo *pesach*; seu à Syriaco *phase*; ut scribit Hieronymus, quod transitum significat. Rationem nominis ipse Dominus adiecit, eodem loco dicens: *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiāque omne primogenitum in terra Ægypti.* Ac rursus: *Et videbo sanguinem, & transibo vos*, id est, præteribo. Non ergo nomē hoc inditum est à transitu filiorum Israel per mare rubrum; ut visum est quibusdam: sed à transitu Domini per Ægyptum, & præteritione Hebræorum in cædendis primogenitis. Porro *sanguinis effusionem*, agni immolari intellige. Nam de sanguine eius effuso linebant vel aspergebant quisque suæ domus vtrumque postem & superliminare; sicut eis fuerat præceptum. Et sunt qui vertendum putent, *asperfusionem*; sed Græca vox *effusionem*, seu profusionem significat, non *asperfusionem*. Ac prius oportuit effundi sanguinem, ut memoratis partibus domus posset aspergi. Suprà quoque cap. 9. sanguinis asperfusio & effusio tanquam diuersa nominantur. Facile tamen vtrumque comprehendi poterit si per tropum exponamus, hoc modo: *Celebrauit effusionem sanguinis*, id est, effusi sanguinis asperfusionem. Quæritur qua fide Moyse celebrauit pascha. Respondeo, fide promissionis diuinæ, quæ continebatur in pascharis institutione. Sic enim legitur: *Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Hoc autem populus facere non posset, nisi è seruitute liberatus, & in Dei cultu per sæcula conseruandus incolumis. Huius ergo beneficij præstandi fide, pascha celebrauit. Sed qua fide sanguinis effusionem? Id iam sequitur,

NE QUI VASTABAT PRIMITIVA, TAN-

GERET EOS. *Primitiva* Græcè *πρωτόγονα*, id est, *primogenita*. Sensus est; Ne angelus Ægyptum transiens, & omnia eius primogenita vastans (Græcè *δολοφύων*, id est, *perimens, exterminans*) ad homine usque ad pecus, quemquam læderet Israelitarum; utpote prohibitus sanguine, quo videret asperas eorum fœres. Promiserat enim Deus fore liberos à plaga, quorum ædes agni immolati sanguine essent insignitæ. Patet ergo qua fide sanguinis effusionem Moyses celebrauerit. *Eos* refert Israelitas, quamuis antè non nominatos. Nam intelligebantur in eo quod dixit Moyses celebraſſe pascha &c. Celebrauit enim nō solus sed cum populo. Nec dubium quin etiam ex populo fuerint qui fide celebrarent: Vastator autem angelus idem est cum eo qui I. Cor. 10. vocatur *exterminator*, *δολοφύτης*. De quo plura in eius loci commentario. Iam quid mysterij latentis in agno & sanguine viderit Moyses; quoniam ad sensum huius loci propriè non pertinet, pio lectori perquirendum relinquo.

29 FIDE TRANSIERUNT MARE RUBRUM, TANQVAM PER ARIDAM TERRAM. Scribitur Exo. 14. Græca non addunt, *terram*. Subauditur enim more Hebræis vsitato; ut in psalmo: *Et aridam fundauerunt manus eius*. Et Matth. 22. *Va vobis quia circueitis mare & aridam. Transierunt*, supple, *Israelitæ*, significati pronomine, *eos*, quod præcelsit. Sed quorum fidei: sua, an Moysi? Videtur ad utroſque referendum. Nam Moysi quidem fides illic singulariter eminebat, qui populo ductor & hortator ad transeundum mare fuit: Crediderunt tamen etiam è populo non omnes, quia *non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo* I. Cor. 10. sed aliqui, quorum fides cum fide Moysi coniuncta non solum eos impulit ut intrepidè transirent, Deo iubente & securitatem promittente: verum etiã meruit tantum miraculum, ut aquæ diuisæ trāsitus ipsi præberent, tanquam per siccam terram euntibus. Hæc enim duo fidei tribuit apostolus hoc loco; quemadmodum B. Thomas annotauit: alterum, quod fecit populus; alterum quod Deus. *Mare rubrum est*, quod Græci vocant *Erythræum*; Arabiam à meridie abluens, & Ægypto conterminum; Geographi sinum Arabicum appellant. Cur *mare rubrum* vocetur, variant scriptores. Qui enim reuera aquas eius rubere existimant, alij quidem id prouenire credunt ab arena quæ voluūt alij à fundo: At alij talem reddi colorem putant à radiorum solis repercussu. Sed vero propior est eorum sententia, qui dictum censent *Erythræum* ab *Erythra* rege, qui in illis locis regnavit. Quo nomine cum etiam *rubrum* Græcis significetur; errore factum putant, ut quod Græci vocant *Erythræum* mare, Latini *rubrum* appellarent. In Hebræo vocatur mare *Suph*, id est, mare iunci. Quod alij vertunt, *carethosum* siue *alga sum*: ita dictum, quod in eo

mari iuncorum & algæ copia sit, plusquam in alijs.

30 QVOD EXPERTI ÆGYPTII, DEVORATI SYNT. Græcè, *Cuius* (scilicet maris transeundi) *experimentum cum cepissent Ægyptij, absorpti sunt*. Tentarunt enim transire post Israelitas: sed quoniam temeritate id fecerunt, nō fide; meruerunt aquis ad depressa loca reuertentibus inuolui, & suffocari. Itaque hæc pars à contrario vim fidei declarat.

FIDE MVRI HIERICHO CORRVERTVNT, CIRCVITV DIERVM SEPTEM. Græcè, *circūdati*, vel, *postquam circumdati fuissent, ad septem dies*. Commendatur hic meritum fidei eorum qui terram promissionis ingressi sunt, in primis Iosue qui dux populi post Moysen fuerat constitutus; deinde Leuitarum atque ipsius populi. Crediderunt enim præcipienti ac promittenti Domino, si urbem Hiericho quamuis munitam & expugnari difficilem (quæ terram promissam ingressis prima erat obiecta, & ultra progredi eos non sinebat) circumirent septem diebus cum arca fœderis & tubis sacerdotalibus; futurum ut mœnia ciuitatis sponte corruerent. Crediderūt, inquam, & ita ut crediderunt, factum est. Historiam habes Iosue 6.

31 FIDE RAHAB MERETRIX NON PERIIT CVM INCREDVLIS. Pro incredulis, Græcè est participium *ἀπειθήσαντι*, id est, *ijs qui non obedierant*, quemadmodum & Syrus interpretatus est. Græca vox eos propriè significat qui nolunt persuaderi, vel ut credant quod dicitur, vel ut faciant quod præcipitur. Noster interpretis passim vertit *incredulos*, siue *nō credentes*. Et quidem rectè. Nam in scripturis plarūque de ijs dicitur, qui peruicacia quadam nolunt fidem dictis aut rebus iam gestis accommodare: sicut & hoc loco. Cum enim audiissent ac sciret Hierichitini, Deū Israel siccaſſe fluentia Iordanis coram populo suo, donec transiret; eamque eorum vehementer sibi suisque rebus meruerent: non tamen crediderunt potentiam eius tantam esse, quin ei resisti posset. Qua confidentia ausi fuerunt portas ciuitatis occludere, & ad repugnandum sese comparare. Quo factum est, ut omnes perierint; & ciuitas ipsorum anathemati fuerit subiecta. Sola Rahab meretrix cum domo patris sui, quia credidit, seruata est. Quid autem crediderit, ostendunt hæc eius verba quæ dixit ad exploratores à Iosue missos: *Noni quod Dominus tradiderit vobis terram*. Et ipsa rursus: *Dominus enim Deus vester ipse est Deus in celo sursum & in terra deorsum*. Iosue 2. Hac igitur fide meruit, ut cum incredulis non periret. Porro dubitant nonnulli fuerint à Rahab verè meretrix. Nam vocabulum quod in Hebræo legitur, *zonah*, si Rabbini Iudæorum creditur interdum *cauponam* significat interdum meretricem; pro diuersitate radicis à qua deducitur. Verum illi prioris significationis exempla non proferunt extra locum de quo nunc

quærimus.

quærimus. Vbique enim pro meretrice acceptum reperitur, ut Gen. 34. & 38. Iud. 11. Iosue 3. Vnde & Talmudicis antiquioribus adeo persuasum fuit Rahab meretricem fuisse; ut hinc contexta fabulâ tradiderint eam totis quadraginta annis, quibus Israelitæ egerunt in deserto, quantum corpore fecisse, & quidem ex quo decem annos nata fuerat: quinquagenariam verò percepta veri Dei noticia relipuisse. Retulit hoc Feuardentus in c. 2. Iacob. Ionathas quidem paraphrastes Chaldaus, qui ante Christi aduentum claruit, *hospitiam seu cauponariam* interpretatus est. Quæ sequuntur vno pene consensu Rabbini posteriores: Sed eos ad sic interpretandum mouisse videtur, quod turpe suæ genti ducerent, si dicerentur ipsorum exploratores vsi fuisse meretricis hospitio: Nec, si ita esset, à scriptore sacro debuisset exprimi. Quasi verò nihil hoc faciat ad lucem historiarum; cum propterea nominatim additum fuerit *meretricis* epitheton, ut intelligeretur exploratores clanculum ingressos ciuitatem, ne proderentur, vile hospitium, quale est meretricis, elegisset. Quocirca Pagninus & alij recentiorum nonnulli, non satis iustam habuere causam, cur ex Hebræo *cauponam* verterent, potius quam *meretricem*: præsertim cum non solum Paulus hoc loco, verum etiam Iacobus apostolus cap. 2. meretricem vocet, Græcè *πόρνην*, Lxx autoritatem secuti. A qua versione nec Tremellius sibi recedendum putauit. Neque tamè etiam *cauponam* fuisse negamus. Nam apud gentiles, quibus simplex fornicatio nō reputabatur peccatum; mulierculæ *cauponariam* exercentes, si viros non haberent, simul ex prostitutione corporum quantum faciebant. Atqui satis constat Rahab innuptam aut certè viduam fuisse: Tantum enim pacificur de salute patris ac matris & fratrum ac fororum. Iosue 2. Nec plures secum educit Iosue 6. Sed, cur visum fuit Apostolo, post Moysen & patriarchas: viros sanctissimos, mulierem meretricem in exemplum fidei producere? Nimirum, ut doceat nullis peccatis præcedentibus impediri posse gratiã Dei; cuius à fide est initium; Sic igitur hoc loco commendatur fides meretricis, sicut apud Lucam cap. 7. fides peccatricis; non ut illa meretrix, hæc peccatrix remanserit; sed quo significetur his nominibus, quid fuerint antequam crederent, & credendo pœnitentiam agerent. Nec indignum videri debuit huc adduci mulierem meretricem, eamque alienigenã; ut quæ per fidem insita populo Dei illustrè ac regiã proſapia germinauerit, ex qua Christus naceretur. Vnde & in genealogia Saluatoris à Matthæo nominatim posita est.

EXCIPIENS EXPLORATORES CVM PACE. Fidei adiungit opus ex fide profectum, per quod salutem meruit; quemadmodum & B. Iacobus ostendit, eam non ociosam habuisse fidem sed ex operibus iustificatam. *Excipiens*. Græcè *ἀεξάμενη*, cum *excipisset*. Et

(sensus est, iam fide viua & operosa consecutam ut non periret cum incredulis, eoquod exploratores hospitio susceptos, cum vitæ suæ periculo non dubitauerit occultare & dimittere. Hoc enim erat *excipere eos cum pace*, id est, habita cura salutis, ne deprehensi interficerentur. Nam *pacis* nomine salus in scripturis significari solet. Quæri potest, quomodo factum mulieris ascribatur fidei, cum mentita legatur, ut exploratorum saluti consuleret; mendacium autem non sit ex fide. Respondet, studium seruandi exploratores effectum fuisse fidei: mendacium verò ab humana prudentia suggestum fuisse. Neque enim qui fidem habent, omnia agunt ex fide.

32 ET QVADHVOC DICAM? Græcè *dico*. Desino, inquit, plura commemorare maiorum exempla, quibus fidei virtus declarata est; ne in longum abeat oratio.

DEFICIET ENIM ME TEMPVS ENARRANTEM. Seu *commemorantem*. Hyperbolen hæc agnoscunt Græcorum scholia; Sic enim loqui solemus, ubi multa prætermittimus, quæ dici possent: Tempus aut dies me deficiet. Nullus erit finis, si singula velim persequi. Aliter Syrus interpres, qui sic vertit: Exiguum enim est mihi tempus; id est, tempus quod mihi sumpsit ad hanc epistolam scribendam, breuius est, quam vt plura recenseam exempla. Sed prior sensus verior.

DE GEDEON, BARAC, SAMPSON, IEPHTE, DAVID, SAMVEL. Paucorum ex multis nomina profert: quorum primi quatuor in libro Iudicum scribuntur. Nec de ordine sollicitus est. Nam Barac Gedeonem præcessit; & Iephthæ Sampsonem; & Samuel Dauidem. Quamquam ordinis huius ratione, quo ab apostolo numerantur, S. Thomas & post eum Ribera satis probabilem reddunt; ad quos lectorem remitto. Ut autem nos, exponendo, de singulis dicamus: Gedeonis fides ex eo commendationem meretur, quod et si videri possit initio nō nihil dubitasse, quando missus fuit liberare Israel de manu Madiã, angelo, seu potius Domino ei dicente; *Seruo quod misisti te* (nam eo non obstante signū adhuc petiuit): ex fide tamen altare Baal destruxit, lucumque succidit, & aliud altare Domino ædificauit. Deinde (quod hic præcipuè spectat apostolus) fretus Dei præsidio qui victoriam promiserat, cum trecentis viris adortus innumerabilem Madianitarum exercitum, pugnavit & vicit; & populum suum in libertatem asseruit. Historiam vide Iud. 6. & 7. Barac fidem habens oraculo diuino quod acceperat per Deborah prophetissam, tameris in eo fiducia remissionis, quod absque Deborah comitatu nollet ad pugnam proficisci; congressus est cum instructissima acie Sisaræ ducis, & omnes ad internecionem deleuit. Iud. 4. Sampson sciens & credens se populo suo datum diuinitus ad retundendas vires Philistinorum, à quibus subactus & oppressus erat populus; multa gef-

fit ad-

fit aduersus eos non solum fortiter, sed etiam mirabiliter; ut quæ nullis humanis viribus, nisi Deo singulariter adiuuante, geri possent. Quæ describuntur Iud. 13. & tribus sequentibus. Certum autem in illo fidei signum erat, quod cum aggressurus erat aliquod eiusmodi facinus, modò dicatur in eum irruisse spiritus Domini, modò legatur oratione præmissa Dei auxilium inuocasse. Iephte qui Iephræ vocatur in Græco textu iuxta Lxx. quamuis ex matre meretrice natus atque à suis contemptus & abiectus, fide tamen animatus earum promissionum quas Deus populo suo fecerat; bellum suscepit aduersus hostes Ammonitas, & facto super se spiritu Domini cum eis congressus percussit eos plaga magna nimis, ut habetur Iud. 11. Dauid fide non armis instructus Goliath Philisthæum immensæ molis & roboris virum, agminibus Israël exprobrantē, singulari pugna aggressus, prostravit & occidit 1 Reg. 17. Sed & alia multa præclara gessit fide munitus; quæ describuntur lib. 1. & 2. Regum. Samuel oratione ex fide profecta victoriam impetrauit populo aduersus Philisthæos 1. Reg. 7. ut cætera taceam quæ ab eo per fidem laudabiliter acta sunt. Quod addit apostolus, *Et prophetis*, intellige cæteris. Nam & Dauid & Samuel prophetæ fuerunt. Constat autem multos ex prophetis multa bona fecisse, multa etiam aduersa perpeffos esse; præeunte & animante eos fide. Quæ quidem ex parte in consequentibus enumerantur. Porro cum Apostoli institutum hoc loco sit commendare fidem antiquorum, atque ea commemorare quæ ex fide vel gesserunt, vel acceperunt, vel passi sunt: non tamen negat fuisse in illis quædam digna reprehensione, velut in Dauide, Sampsonē & alijs; sed existimandum nobis relinquit, eorum peccata eadem ipsa fide, qua Deo placuerunt, expiata fuisse; sicut de Dauide legitur Ecclesiastici 47. *Christus purgauit peccata ipsius*. Atque hoc est quod Chrysostomus & post eum Theophylactus admonent, Apostolum hic non instituisse examen vitæ singulorum, sed fidem prædicandam sumpsisse. Proinde, si queratur, an hi omnes quos apostolus recensuit, habendi nobis sint in catalogo sanctorum & electorum Dei: S. Thomas quidem probabile id esse dicit; alij autem, quibus & ego assentior, adeo verum esse placet, ut omnino negari non debeat. Cuius rei potissimum argumentum est, quod sumitur ex vltimis verbis huius capituli: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem; Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Qui enim dicit eos omnes, et si testimonio fidei probatos, nondum accepisse promissionem, ut non sine nobis consummarentur: utique significat eosdem omnes nobiscum esse consummandos, id est, plenam retributionem aliquando accepturos. Ac sanè,

parum idonea, ne dicam, inepta, fuerit exhortatio apostolica, si ad fidei perseverantiam suos excitaret ab exemplis eorum, qui in fide & iusticia non perseverassent. Quare si quid ab illis aliquando peccatum fuit; credendum relinquit, ut dixi id eos fide & penitentia diluisse. Contra quod tamen obiectio mouetur de tribus, Gedeone, Sampsonē & Iephte. Nam Gedeon post adeptam victoriam, & libertatem populo restitutam, legitur fecisse ephod, id est, indumentum sacerdotale, & posuisse illud in sua ciuitate; *fornicatusque est*, inquit scriptura, *omnis Israel in eo*. Iud. 8. Fornicationis autem nomine, cum de religione sermo est idololatria solet intelligi; Quare idololatriæ causa Gedeon populo fuisse videtur. Vnde & sequitur: *Et factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam*. Ex quo apparet eum in letali peccato mortuum esse. Quod de Sampsonē magis etiam simile vero est, utpote sui ipsius interfectore. Nam seipsum vna cum Philisthæis ruina templi volens oppressit; his vsus verbis: *Moriatur anima mea cum Philisthæis*. Iud. 16. Porro Iephte votum quod temerè fecerat, paricido adimplens, filiam suam virginem mactauit in sacrificium. Iud. 11. Nec tanti sceleris vsquam legitur eum penituisse. Sed de singulis respondeo. De Gedeone, dico cum Augustino q. 41. super Iud. instituisse eum in ciuitate sua ornatum sacerdotalem (nam sub parte totum intelligit) ad sacrificandum, non idolis, sed vni Deo. Quamquam postea populus ipsidem ornamentis abusus est ad cultum falsum & idololatriam; idque post Gedeonis mortem, licet scriptura per anticipationem referat. Nam quod dicitur: *Et factum est Gedeoni & domui eius in ruinam*; exegeticòs accipiendum, hoc modo: *Factum est Gedeoni, id est, familia eius, in ruinam*; ut quæ paulo post pene tota fuerit deleta. Dices, ergo saltem peccauit ita grauiter, ut hanc in suis vltionem mereretur. Liranus factum Gedeonis defendit, & argumentum hoc soluere conatur. Alij respondent eum penitentiam huius facti egisse ante mortem. Quibus obijcitur, Si penitentiam egit, quomodo non destruxit quod fecerat? Vnde dicendum videtur, peccasse eum per ignorantiam, idque ex imprudenti & inordinato zelo pietatis in Deum. Nam scopus & studium eius erat, Dei cultum promouere: quod tamen isto modo faciendum non erat; lege nimirum prohibente sacrificium offerretur extra locum tabernaculi. Porro igitur excusari: qua ratione excusati postea sunt qui in excelsis immolabant vero Deo; præsertim templo nondum extructo; non ut omnino non peccauerint, sed non tam grauiter ut à gratia Dei exciderent. Nec diuersum probat punitio subsequens. Cum enim ea temporalis fuerit reatum mortiferi peccati non arguit. Voluit autem Deus graue scandalum, occasione facti illius

nec

nec sine eius culpa, subortum, grauiore aliqua vindicta prosequi; quo magis populū absterret ab idololatria. Atque hanc arbitror esse sententiam D. Thomæ in commentario; ubi cum prius dixisset Gedeonem nihil mali fecisse, postea tamen subiicit, eum peccasse faciendo Ephod. Nec aliam puto mentem esse Augustini q. 41. & 49. super Iud. Peccasse enim Gedeonem affirmat, sed magnitudinem culpæ non explicat. Verum qualiscunque eius culpa fuerit; attamen sanctè eum obijcisse non est quod dubitetur; attestante scriptura quod *mortuus est in senectute bona*. Hoc enim non nisi de sanctis vni scribitur; ut de Abraham Gen. 15. & 25. De Dauide 1. Par. vlt. &c. Cuius alterum accedit eiusdem scripturæ testimonium, quo sic dicitur: *Postquam mortuus est Gedeon auersi sunt filij Israël & fornicati sunt cum Baalim*. Hinc enim colligitur, Gedeonem in quoad vixit, continuisse populū in veri Dei cultu. Ad Sampsonem venio: pro quo respondet Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei c. 21. & 26. dicens, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit; id eum fecisse, spiritu latenter hoc iubente, qui per eum miracula faciebat: *Nec fas esse nobis aliter credere*. Nam ad id faciendum diuinitus ei reddita fuit amissa fortitudo. Sic enim ait: *Domine Deus memento mei, & redde mihi fortitudinem pristinam, ut uiscer me de hostibus meis*. Hanc responsionem plerique alij sequuntur; & rectè. Nec obstat quod dicit, *ut uiscer me de hostibus meis*, quasi priuatam iniuriam uiscerandi cupidus. Nam iniuria Sampsonis iniuria publica erat, ut qui Iudex esset populi, & pro eius salute pugnaret. Irrisio quoque eius irrisio Dei Israël erat; in cuius contumeliam Philisthæi pro capto Sampsonē Dijs suis solennes in templo gratias agebant. Præter hanc responsionem est & alia, quam adfert Franciscus à Victoria in relectione de homicidio, sub finem: *Non enim*, inquit, *interfecit se Sampson intentione; sed uoluit hostes opprimere & interficere; ad quod lecta est mors ipsius; cum aliquando optasset illos perdere se salvo, si fieri potuisset*. Hoc autem sine noua reuelatione habetur licitum. Hæc ille, & plura in eadem sententiam; adducto etiam exemplo Eleazari vnus militum Iudæ Machabæi, qui ut vires hostilis exercitus frangeret, acie penetrata subiit ventrem elephantis præcipui, eumque confodit, & ab eo cadente oppressus est, ut legitur 1. Mach. 6. Quamuis enim sint qui factum hoc reprehendant; scriptura tamen ita refert ut laudare videatur. Ambrosius certè lib. 1. off. cap. 40. magnificè commendat; ac eius verba legit ecclesia in Dom. 1. Octob. Quare & Sampsonis factum, etiam reuelatione cessante poterit hac eadem ratione excusari. Restat ut quæstionem quæ de Iephte mouetur, expediamus: Sunt qui factum eius excusent per ignorantiam: ut qui pararet se religione voti quod fecerat, astrictum ad fi-

liam immolandam. Sic enim ad illam ait: *Aperui os meum ad Dominum; & aliud facere non potero*. Quare licet factum eius, inquit Ribera, probandum non sit; animus tamen pius, & religiosus, & fortis, ad Deum colendum fuit. Ac probat autoritate Hieronymi, cuius in Hieremæ caput 7. scribentis hæc sunt verba; *Quod si Iephte obtulit filiam suam virginem Deo, non sacrificium plasuit, sed animus offerentis*. Addo eiusdem Hieronymi alterum locum qui est in epistola ad Iulianum: *Iephte*, inquit, *obtulit virginem filiam; & idcirco in enumeratione sanctorum ab apostolo ponitur*. Verum utcunque se habeat Hieronymi sententia: non videtur hic eius conscientia satis valere ad excusationem facti; videlicet reclamante notissima lege diuina simul & naturali: *Non occides*. Alia respenho est, id ab eo factum latenti quodam instinctu ac iussu diuino. Dicit enim scriptura, ubi de voto eius loquitur, *factum esse super eum spiritum Domini*. Quam sententiam Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 21. non quidem approbat, sed in medio relinquit, dum ait, meritò quæriturum pro iussu Dei sit habendum. quod Iephte filiã quæ patri occurrit, occidit; cum se immolaturum Deo id uouisset, quod ei redeunt de prælio victori, primitus occurrisset. Sed cum huiusmodi sacrificium scriptura nusquam alibi probet, nullus autem locis improbet, velut immane & impium, quo vel maximè gentes iram Dei prouocant; si quæ vnus Abraham priuilegium, quod obedientia probandæ causa iussus est Deo filium immolare, nec tamen exsequi permissus, ne inde quis alius exemplum caperet homicidalis ac parricidalis sacrificij: parum certè probabilitatis est in hac responsione. Et quamuis Augustinus in loco citato nihil definiat, alibi tamen hac de re ex professo differens, nempe q. 49. super Iudicium, in hoc propensior est ut censeat Iephte malè uouisse; & peius implese quod uouerat; rectèque admonet, id quod dicitur, factum fuisse super eum spiritum Domini, referendum esse non ad votum quod tenuit, sed ad ea quæ aduersus hostes fortiter gessit. Quod & Caietanus in eum locum scribens animaduertit. Quare potius cum B. Thoma dicendum videbitur, eum peccasse quidem hoc facto; sed penitentia peccatum diluisse, licet scriptum non sit. Vixit enim postea sex annis. Quo tempore discere potuit à sacerdotibus ex lege, quàm sint ingrata & inuisa Deo eiusmodi sacrificia. Est autem huius difficultatis & alia solutio. Dicunt enim Hebræi interpretes, Iephte filiam fuisse Deo oblatam non morte corporis, sicut offerbantur pecora, sed eo modo quo licitum erat hominem Deo offerri, scilicet consecratione quadam ad Dei cultum, quæ quoniam irrenocabilis erat, etiam mors vocabatur; ut Leuit. vlt. tam de homine quàm de agro. Siquidem & hodie, qui relicto sæculo se totos Deo manciparunt, mortui mundo

dicuntur:

dicuntur. Quamquam hoc loco de quo agimus, nulla mortis mentio; sed tantum dicitur: *Et fecit ei sicut vouerat, quae ignorabat virum.* Itaque iuxta horum sententiam fecit ei pater sicut vouerat, quia Deo oblatam & consecratam ad perpetuam virginitatem, reclusit. Quod significatur illis verbis, *Qua ignorabat virum*, scilicet deinceps, usque ad finem vitae. Quomodo dictum est à B. Virgine, *Quoniam virum non cognosco.* Ut significetur perpetuitas ac necessitas quaedam non nubendi; idque ex voto parentis; sicut illic ex voto Virginis. Atque hæc fuit causa doloris paterni. Cum enim alios liberos non haberet, dolebat hac oblatione filiae extinctam sibi spem posteritatis. Inde etiam est quod filia petit à patre bimestre spacium circum-eundi montes cum sodalibus suis, ut defleat non mortem suam, sed virginitatem; eo quod sobolem quam patri surrogaret, non esset habitura. Sciendum quoque pro eo, quod tum ex Lxx. tum ex Hieronymi versione legitur, conuenisse quotannis filias Israël *ut plangerent filiam Iephte*: Pagninum ac cæteros recentiores ex Hebræo vertere, *ad alloquendam filiam Iephte*: videlicet ut superstitem & reclusam, consolationis gratia, quemadmodum & hodierni motus est, inuisere & alloqui virgines sacras monasterijs inclusas. Pro qua versione facit locus eiusdem libri cap. 5. in cantico Deborah, ubi idem vocabulum non *plangere* sed *loqui* significat etiam auctore Hieronymo; qui sic vertit: *Ibi narratur iusticia Domini*; pro eo nimirum quod in fonte legitur eodem sensu, *Ibi loquentur, sive narrabunt, iusticias Domini.* Nec enim villa ratione planctus illic intelligi potest; Nec arbitror in ea significatione vocabulum hoc usquam alibi reperiri. Sunt enim diuersa ab hoc vocabula, quæ Hebræis planctum & æterum significant: velut hoc ipso loco paulò superius, ubi filia dicit patri; *Dimitte me ut plangam virginitatem meam.* Iam sunt & alia argumenta, quæ doceant quàm non sit verisimile Iephte virum iustum, & ut ex alijs eius factis apparet, prudentem, in animum induxisse, ut gentium mores imitatus, natam suam offerret in sacrificium. Primum, prohibitio legis. Deinde summi sacerdotis authoritas; qui utriusque consulendus erat, & consuli potuit spacio bimestri quo dilata fuit oblatio. Tum affectus patris erga filiam & genus suum. Qua ratione facile potuisset persuaderi, illicitum esse, nec præstandum quod vouerat. Sed nec populus passus fuisset eum exequi tale promissum: sicut aliàs non est passus Jonathan sorte deprehensum, à patre interfici: quamuis ille iuramento se ad id obtinxisset. 1. Reg. 14. Denique, saltem illud ignorare non potuit Iephte, non posse sacrificium offerri, nisi per manus sacerdotis. Nam nec Saul ipse, quamuis superbus ac reprobus, nec quisquam regum aliter obrulit. Atqui sciebant sacerdotes, sibi

lege non esse concessum, homines Deo sacrificare. Quocirca non est verisimile, virginem hanc oblatam Deo fuisse per mortem; sed per consecrationem eo modo quo dixi, quemadmodum & docet Litanus, ac iisdem penè rationibus declarat. Idem sentiunt Vatablus, Galenus & alij recentiores.

ADDITIO EX SCHEDIS AVTHORIS.

Sed contra postremam istam responsonem vehementer facere videtur ipse textus sacre scripturæ quo historia Iephte descripta est Iudic. 11. Votum certè eius non nisi de homine qui reuertenti primus è familia occurrisset, immolando, intelligi potest. Non enim pro tanta victoria bestiam immolare intendebat, quæ prima occurrisset, etiamsi lege offerri permittam. Videtur autem credidisse fore Deo gratissimum sacrificium humani corporis: tum quod Abraham Dei iussu filium immolare tentasset, & re ipsa immolasset si permissus fuisset; tum quod gentiles Israhelitis vicini in usu haberent, Deo suo homines sacrificare, etiam filios & filias; quorum exemplum & Israhelitæ aliquando sunt imitati, quemadmodum Psalmista ijs exprobrat psalmo 105. Quæ res arguit legis diuinæ, imò naturalis, magnam ignorantiam. Quæ ignorantia quum temporibus Iudicum multis ex populo Israhelico fuerit: quid mirum, si Iephte vir militaris, & ab ineunte ætate in terra aliena enutritus; leges sacrificiorum ignorauerit? Neque verò dici potest, quod postea, labentibus scilicet illis duobus mensibus quos filia ab eo impetrauerat, ipse melius edoctus, mutauerit cogitationem de filia immolanda, & spiritali quadam maceratione eam sacrificarit, consecrando eam Domino perpetuæ virginitatis obligatione. Obstat enim textus scripturæ sub finem dicti cap. 11. *Expletisq; duobus mensibus reuersa est ad patrem suum; & fecit ei sicut vouerat?* Videtur itaque omnino dicendum quod verè filiam Domino immolauerit: sed quod non nihil excusetur per ignorantiam, ac per Dei reuerentiam & timorem, licet indifferetum & cum errore coniunctum. Nec enim tenebatur temerario & illicito voto.

Credendum est autem quod postea errorem suum viderit, & penitentiam egerit. Iudicauit enim Israhel annos sex. Iudic. 12. S. Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 87. filiam Iephte, tanquam exemplum incredibilis pietatis & fortitudinis proponit, quæ immolari non recularit.

ET PROPHETIS. Subaudi, cæteris. Nam & priores plerique prophetæ fuerunt. Ita supplet Ambrosius lib. de paradiso cap. 3. Nominat autem Ananiam, Azariam, Misaelem, Danielem, & Eliaum. Constat enim hos significari in sequentibus.

QUI PER FIDEM DEVICERUNT REGNA. Ne prolixior sit, succincta enumeratione

mul-

multa complectitur, partim egregia & fortia antiquorum gesta, partim singularia quædam in eos Dei beneficia, partim etiam afflictiones & mortes quas pro iusticia sustinuerunt. Hæc autem omnia per fidem; scilicet Dei, ac promissionum eius; qua subnixi res arduas aggressi sunt, atque iniurias perpessi: qua etiam meruerunt successum in rebus gerendis, aliaque Dei beneficia. Cum autem indefinitè loquatur Apostolus; debemus hæc quæ recenset, partim referre ad iustos supra nominatos, partim ad alios; nec non enallagè numeri in quibusdã agnoscere. Sunt enim nonnulla quæ in singulos competat.

Inter eos qui per fidem regna deuicerunt sive expugnarunt, imprimis numerandus est Iosue, qui bello subegit omnia regna Chanaan non sine prodigijs diuinis; quæ ipsa quoque ad fidem eius meritò referuntur. Item Dauid, qui Moabitas, Ammonitas, Idumæos, & Syriæ regna perdomuit.

OPERATI SUNT IUSTICIAM. Operari iusticiam generaliter acceptum in scripturis idem est quod seruire Dei præcepta, iuste & pie viuere. Quomodo pars hæc intellecta communis est omnibus sanctis: ut & Theodoretus affirmat. Nobis probabilis est specialiter accipi pro eo quod est ius dicere, iusta exercere iudicia. Sic enim propriè pertinet ad iudices: cuiusmodi, præter alios ac præ cæteris indices fuere Moyse, Samuel, Dauid. De Moyse habemus Exo. ca. 18. Num. 16. & alibi. De Samuele 1. Reg. 2. De Dauide sunt hæc verba 1. Reg. 8. & 1. Par. 18. *faciebat iudiciũ & iusticiam omni populo suo & ipsius de se psal. 118. Feci iudicium & iusticiam.* Theophylactus exponit de iusta vltione relata ex hostibus. Sed, ut prima laxior, ita contractior mihi videtur hæc expositio.

ADEPTI SUNT REPROMISSIONES. Promiserat Deus Abraham, Isaac & Iacob se daturum semini eorũ terram Chanaan in possessionem. Et illi quidem defuncti fuerunt promissionibus nõ acceptis, sicut supra dictum est; Non enim promiserat se illis daturum: Adepta est autem posteritas, promerente fide non solum Patriarcharum, quibus facta fuerat promissio; verum etiam mutorum, quibus præstita fuit: quorum præcipui Iosue, Caleb, Eleazar, Phinees. Potest etiam hæc pars extendi ad promissiones particulares; ut cum Abraham Deus promissit filium, Dauidi regnum, Ezechia sanitatè. Quomodo autem nõ sit contrarium quod in fine captis dicitur, *has omnes testimonio fidei probatos non accepisse repromissionem*, ex eius loci commentario intelligetur. Est enim hic sermo de promissionibus temporalibus, illic de promissione bonorum futuri sæculi. Ad quod discrimen indicandum hic nominatur promissiones, numero plurali, & sine articulo; illic singulariter promissio, cū articulo præfixo.

OBTURAUERUNT ORA LEONVM. Ad Sampsonem & Dauidem plerique referunt;

quorum vterque leonè interfecisse legitur, ille Iud. 14. iste 1. Reg. 17. ut obturasse sive occlusisse dicantur ora leonũ; quia leonibus in pugna fortiores, effecerunt ne dentibus eorũ dilcerperentur. Magis propriè tamen ad Danielem pertinet; ad cuius declarandam iusticiam (sicut ipse loquitur, Dan. 6.) *misit Deus angelũ suum & conclusit ora leonum*; ita nimirum ut ad eum deuorandũ, quamuis urgente fame, nec ora sua possent aperire. Estque notandum, in Græco apud Danielem idem esse verbum quod hoc loco; ut prioris appareat illuc apostolum respexisse.

EXTINXERVNT IMPETVM IGNIS. *Impetum* Græcè δὲναιμν id est, vim, sive virtutem. Referendum hoc ad socios Danielis Ananiam, Misaelem, & Azariam: quos in ardentem fornacem coniectos ignis omnino non læsit, Dan. 3. Extinguerunt itaque non ignem, sed quod erat mirabilius, virtutem ignis, ne scilicet ipsos vteret: idque fecerunt ea fide, qua dicebatur ad regè: *Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardētis. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quia Deus tuos non colimus, &c.* Nonnulli putant apostolum respicere ad incendium murmuranti populo immisum semel & iterum, quod orantibus Moyse & Aarone, repressum & extinctum fuit. Num. 11. & 16. Sed de tribus pueris expositio magis placet.

EFFUGAVERUNT ACIEM GLADII. Vera lectio est, *effugerunt*, quam ex Græcis & manuscriptis Latinis emendationibus Romana correctio restituit. Græcè sic legitur ad verbum: *Fugerunt ora gladij.* Syriacè, *Liberati sunt ab ore gladij.* Nam os pro acie cultri seu gladij dicunt Hebræi, quod ea parte mordeat. Sensus est: Euaserunt hostiles gladios. Quod à 1. Dauidem videtur potissimum pertinere, toties à manu Saul & aliorum hostium, ope diuina ereptum, ut patet lib. 1. & 2. Regum. Quod & titulus psalmi 17. super hac re eucharistici, profitetur. Elias quoque gladium Iezabel effugit. 3. Reg. 19.

CONVALVERUNT DE INFIRMITATE. Hoc omnes Græci interpretes ad Iudæos referunt; quos ex infirmitate conualuisse dicunt, quando è captiuitate Babilonica reduces in suam terram, viribus & gloria rursus crescere cœperunt. Quamquam Theophylactus & Occumerius addunt posse etiam intelligi de Ezechia rege, cui ad mortem egrotanti Deus sanitatem reddidit, cum appendicè quindecim annorum vitæ 4. Reg. 20. & Isa 38. Atque hic sensus Latinis est acceptior; haud immeritò. Sic enim habet titulus cantici quod pro gratiarum actione cecinit Ezechias: *Scriptura Ezechia regis Iudæ, cum egrotasset & conualuisset de infirmitate sua.* Ac nescio cur eos qui sic exponunt, somnare dicat Erasmus; nisi forte ipse somniauit, quando hoc scripsit. Nam ad d. v. Græca dictio licet apud auctores

prophanos minus forte frequenter accipitur pro morbo; sacris tamen scriptoribus in hac significatione admodum familiaris est, vt Io. 11. Infirmetas hæc non est ad mortem. 1. Tim. 5. Propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates. & alibi passim. Si cui lubet etiam ad Dauidem referre, qui suatum ægritudinem ex quibus Dei beneficio restitutus est, interdum meminit, vt psal. 6. 37. & 40. non valde resisto.

FORTES FACTI SVNT IN BELLO. Ad iudices & Reges pertinet qui rebus bello fortiter gestis; in populo Dei claruerunt. Item ad fortes Dauidis, quorum nomina & heroica facta recensentur 2. Reg. 23. & 1. Par. 11. Denique ad Iudam Machabæum & fratres eius. Dicuntur autem facti fortes in bello, quia fortitudinem suam pugnando cum hostibus egregie declararunt, Deo animum addente. Ita dicunt Hebræi; *Esto vir fortis*, id est, fortiter age. 1. Reg. 18.

CASTRÀ VERTERVNT EXTERORVM. *Vertervnt*, Græcè ἐκλινάν, inclinaverunt. Quæ voce Lucas vsus est euangelij ca. 24. *Inclinata est iam dies*, id est, iam deficit, ad finem properat: Non dissimili sensu metaphorico sumitur hæc *inclinare*, pro eo quod est *deijcere, dissipare, euertere*. Vnde & Latini aciem inclinatam dicunt, cum in fugam verti cœperit. Et quamvis partem hanc alij in alios interpretentur: existimo tamen maximè germanum esse si accipiatur de Gedeone & Ionathra filio Saul, quorum ille cum trecentis viris castra Madianitarum ingressus, ea percussit & contriuit. Iud. 7. Hic verò, comitatus armigero suo, cum ad stationem Philistinorum transisset, multis prostratis tumultu ac cæde castra eorum compleuit. 1. Reg. 14. Utrobique autem, leguntur hostes conuersis in se mutuo gladiis occubuisse. Notandum sane viroque loco Lxx. scripsisse *παραβολάς*, id est, castra, scilicet eandem vocem quæ hic in Græco legitur: nisi quod apostolus pluraliter dixit *παραβολάς*, eo quod non de vnâ, sed vt minimum de binis diuersi temporis castris, loqueretur, vt iam ostensum est. Quæ res Erasmmum fefellit, vt aliud quiddam hic significatum putaret. Sic enim transtulit; *Incuriones auertentium exterorum*. Atqui bis peccat, dum *παραβολάς* interpretatur *incuriones*; & ἐκλινάν *auertentium*; idque reprehendens Fabrum Stapulensem, qui *euerterunt*, interpretatus sit; quum ipse suam versionem nullo Græci authoris exemplo possit probare. Nostro interpreti & Stapulensi suffragatur interpres Syrus, qui sic habet: *Euerterunt castra, siue munitiones, inimicorum.*

ACCEPERVNT MULIERES DE RESURRECTIONE MORTYOS SVOS. Sareptanam viduam & Sunamitidem mulierem intelligit: quarum illa ab Elia, hæc ab Elizæo filios suos mortuos receperunt viuos. 3. Reg. 17. & 4. Reg. 4. Id autem fidei ipsarum ascribit apostolus; iuxta commentarium magis ob-

uium. Nam vtriusque fidem, qua viros Dei benigno officio fouebant, prophetas in nomine prophetarum suscipientes, huiusmodi beneficium meruisse consentaneum est, præsertim Sunamitidis, quæ credidit hoc ab Elizæo fieri posse, & vt fieret instanter postulauit. Nobis magis est verisimile; referendum quod hic dicitur, ad fidem ipsorum prophetarum, qui mortuos suscitauerunt matribusque reddiderunt. Quorum vtrique fides ad hanc rem plus valuit, quam fides matrum, Sareptanæ præsertim, quæ filium ad vitam reuocandum non sperauit. Et hoc modo Chryostomus intellexisse videtur. Ita quoque Titelmannus exponit. Tale etiam est quod supra dixit: *Fide & ipsa Sara sterilitatis virtutem in conceptione seminis accepit*. Quod ad fidem Abrahæ potius quam Saræ pertinere eo loco ostendimus. Cæterum illud obscuritatem habet quod ait, *de resurrectione*; cū potius de morte dicendum videretur. Thomas exponit de resurrectione, id est, per resurrectionem. Glossa interlinealis interpretatur de resurrectione venientes, id est, resuscitados. Quod probabilius est, Græcè legitur, *ex resurrectione*.

ALII AUTEM DISTENTI SVNT. Subiungit nunc afflictiones, probra, persecutiones & mortes, quas sancti, fide cælestium promissorum eos animare ac sustentante, tolerant. Pro *distenti sunt*, Græcè est *εὐμπατισθησαν*, quasi dicas, *tympanizati sunt*, Hoc est, vt multi exponunt, ita distracti atque distenti, quemadmodum corium in tympano distenditur. Quidam teste Oecumenio intelligunt exoriationem: eamque ad Machabæos martyres referunt, quorum primis duobus cutem capitis abstractam fuisse testatur historia passionis eorum, 2. Mach. 7. Quod sane probabilius, quam vt ad Hieremiam referatur, cui postquam lapidatus erat à Iudæis pellem fuisse detractam, & vice corij super tympano extensam nonnulli fabulantur. Chryostomus *decollatos* interpretatur: & exempla ponit Ioannem baptistam & Iacobum Zebedæi. *ἡ ποτυμpanισμός* enim, inquit, est capitis amputatio. Verum hæc exempla parum apta videntur. Agit enim apostolus exemplis antiquorum qui Christi aduentum præcesserant, vt Hebræos in fide & patientia confirmet. Deinde, simplex vocabulum exponit Chryostomus per compositum. Quæ ratio exponendi sæpe fallit. Itaque sciendū est *τυμπανίζεν* propriè idem esse quod *tympanium pulsare*, quod Latine Suetonius, in Augusto, dixit *tympanizare*. Transfertur autem ad alia quæ tympani more percutiuntur. Vnde pro eo quod nos ex Hebræo legimus 1. Reg. 21. de Dauid; *Et impingebat in ostia portæ*, Lxx. vetterunt; *Et tympanizabat super foribus ciuitatis*; quemadmodum legit Augustinus scribens in psalmū 33. conc. 1. Eadē metaphora *τυμπανίζουσι* dicebantur homines qui fustibus aut similibus

instru-

instrumentis cædebantur, etiam Suida interprete, ipsumque pene genus vocabatur *τυμπανισμός* seu *τυμπανισμός*; idem cum eo quod Cicero *fustuarium* appellat, Galli vocant Bastonnade. Legitur autem pro huiusmodi supplicio 2. Mach. 6. semel & iteram, vbi de Eleazaro martyre sermo est; quamuis interpres Latinus communi vocabulo *supplicium* vteretur. Nam *fustuarium* significari, factis innunt scripturæ verba: *Sed cum plagis*, id est, verberibus, *perimeretur, ingemuit*. Et illa martyris, *Duros corporis sustineo dolores*. Confirmat hanc rem plenior eiusdem martyrij descriptio, quæ apud Iosephum (seu quisquis author) legitur in libro de Machabæis. Porro simile quoque septem fratrum fuisse supplicium eadem scriptura significat, cum dicit eos flagris & taureis cruciatos. cap. 7. Ex quibus omnibus, iam, ni fallor, manifestum est, quid Græca voce, quam interpres vertit, *distenti sunt*, significatum velit apostolus, nec non ad quos respiciat: nimirum ad martyres Machabæos, Eleazarum imprimis, deinde ad fratres septem, quibus & matrem adiungit Theodoretus. Neque displicet hæc sententia Theophylacto & Oecumenio. Accedit & Galenus noster, Syri textus interpres, qui Syriacæ voce significari dicit *fustuos*, seu *fustibus euectos*: & refert apostoli mentem ad nouem martyres iam memoratos. Sed hoc amplius patet ex eo quod sequitur,

NON SVSCIPIENTES REDEMPTIONEM. Id est, cum nollent admittere seu recipere conditionem oblatae redemptionis. Erat enim iniqua & impia, scilicet à Dei cultu recedere, & patrias leges præuaricari. *Tu scis*, inquit Eleazarus ad Deum, *quia cum à morte possem liberari, duos corporis sustineo dolores*. Similiter & de reliquis, ac nominatim de nouissimo fratre, ac matre, legitur, non solum potuisse eos à morte liberari, si tyranno vellent obsequi, verum etiam ad opes & honores euehi.

VT MELIOREM INVENIRENT RESURRECTIONEM. *Inuenirent*, Græcè *πύρωσιν*, consequentur. Rectè veritas hoc modo; *Vt melior eis obtingeret resurrectio*. Noluerunt, inquit, illicito pacto vitam redimere, sperantes, atque adeo palam in supplicijs professi, se suorum corporum occisorum expectare beatam resurrectionem. Hanc enim vocat meliorem, vel illius redemptionis comparatione, cuius proximè meminit, vt quæ tantum erat ad vitam mortalem, & vel comparatione vitæ, quam amittebant. Nam resurrectionem metonymicè dixit pro vita quam præstat resurrectio; sicut ait Christus in euangelio, *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitam*. Io. 5. Per commodè verò ad excitandam Hebræorum fidem, vtitur horum martyrum exemplis; nec admodum tunc antiquis: quod in illis, extincta iam spe vitæ præsentis, singulariter eluxisset fides fu-

turorum & non apparentium bonorum, quam initio capitis definiuit. Simul accipe ex hoc loco plusquam probabile argumentum pro sacra autoritate libri 2. Machab. Nam sanctos, quorum hoc capite vel expressè vel tacitè gesta refert Apostolus, omnes deprompsit ex sacris literis, id est, ijs quæ tunc à fidelibus erant pro sacris receptæ.

ALII VERO LVDBRIA ET VERBERA EXPERTI, IN SVPER ET VINCVLA ET CARCERES. In Græco verbatim sic legitur; *Alij verò ludibriorum & flagrorum experientiam ceperunt adhuc autem & vinculo- rum & carceris*, id est, passi sunt ista. Nam in malis, experiri siue experientiam capere, nihil aliud est quam pati. Minusque rectè visum fuit Erasmo vteretur, *Ludibrijs & flagris explorati sunt*, &c. Id enim Græca non significant. Est autem tota sententia quatuor membris distinguenda; hoc sensu: *Alij ludibrijs expositi fuerunt: alij verberibus affecti, alij vinculis astricti, alij carceribus inclusi*. Nam victos & incarceratos non est necesse eisdem intelligi. Christus enim victus legitur, non incarceratus. Et multi in custodijs detinentur non victi. Quanquam Syrus paraphrastes duo tantum membra facit: *Alij ludibria & flagella subierunt; alij in vincula & carceres traditi sunt*. Hæc autem intellige citra mortis supplicium. Non enim ad Machabæos martyres referenda sunt, vt aliqui volunt, sed ad alios. Ludibrio ac derisui sunt habiti Samson, effossis oculis à Philisthæis, Iud. 16. & Elifæus à pueris in clamantibus, *Ascende caluæ* 4. Reg. 2. Iob quoque & Tobias non solum irrisi, sed & probris impetiti sunt ab amicis, imò & à proprijs vxoribus. Iob. 2. & Tob. 2. Flagris cæsi sunt Israhelitæ ab Ægyptijs qui præerant operibus. Exo. 5. Item ille quicumque est quem Christus in parabola significauit Luc. 20. dicens: *Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cadeset & afficientes circumelia, dimiserunt inanem*. Vinculis alligati fuere tres pueri in fornacè mittendi. Dan. 3. In carcere clausus Ioseph Gen. 39. Victus & incarceratus & ad pistinum damnatus Sampson. Iud. 16. Cæsi, victi & incarcerati Michæas & Hieremias 3. Reg. 17. & Hierem. 20. & 37.

LAPIDATI SVNT. Vt Naboth Iezraelites 3. Reg. 21. & Zacharias Ioiadæ filius 2. Par. 24. Item Hieremias iuxta Hebræorum traditionem. Cui attestantur Tertullianus aduersus Gnosticos. ca. 8. Dorotheus in synopsi, Epiphanius in libro de vita prophetarū, & Hieronymus lib. 2. contra Iouin. cap. 17. Christus quoque Iudæis impropere Matth. 21. & 23. quod ex prophetis ad se missis quosdam lapidauerunt.

SECTI SVNT. De Isaiâ penè omnes intelligunt quem à Manasse rege terra lignea dissectum fuisse, apud Hebræos certissima traditio est, teste Hieronymo in fine libri 15. commentariorum super

Isaiam. Vnde, inquit, & nostrorum plurimi illud quod de passione sanctorum in epistola ad Hebraeos ponitur, serrati sunt, ad Isaiam referuntur passionem. Vbi nota pro secti sunt, Hieronymum legere, serrati sunt. Quemadmodum & legit super Matth. 26. Siquidem Graecum verbum *πρίον*, etsi interdum generalius sumatur, ut significet *secare*, quocumque instrumento id fiat; sicut accipitur in illis verbis historiae Susannae: *Manet angelus Domini gladium habens, ut fecet te medium*, Vbi Graecè est *πρίον*: plarumque tamen ac velut propriè significat eum secandi modum qui fit serrando. Quod & declarat vocabula ab eo deducta, *πρίον* & *πρίσις*, id est *serra*, & *πρίσματι*, *serramenta*, seu *serrago*, scobs ex serratura. Quare meo iudicio bene verti potuit, *serrati sunt*. Isaiæ serrà dissecti præterea meminerunt Origenes hom. 1. super psal. 37. & qui de vitis prophetarum scripserunt.

TENTATI SVNT. Ut Abraham, inquit Theodoretus. Atqui de tentatione Abraham iam superius audiuimus. Neque illa fuit persecutio, quales hic recenset Apostolus, sed probatio. Est igitur aptius exemplum sancti Iob, à Satana tentati; quod adfert Oecumenius, & secundo loco Theodoretus. Non enim *Iacob*, ut habet Latinus codex, sed *Iob* ab eo scriptum arbitror. Alij de iis intelligunt, qui vel ab hostibus vel a domesticis, pro religione & iusticia, persecutiones, odia, probra sustinuerunt, ut ferè omnes prophete, sicut testatur Christus Matth. 5. & Luc. 6. Nam tentationes aliquando sumi pro quouis genere afflictionum ostendunt illa Christi verba Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Et illa Iac. 1. *Omne gaudium existimate cum in tentationes varias incidistis*. At tamen est scrupulus, quomodo pars ista, cum sit generalis ac cæteras videatur complecti, inter eas connumeretur. Vnde non abs re suspicantur Erasmus & alij quidam, esse adiecticiam; ut primum, dum loco *ἐπιδοσαν* (secti sunt) imperitus quispiam substituerit vocem notiores, nec multum dissimilem *ἐπειδοσαν* (tentati sunt): deinde præpostera scribarum diligentia (sicut in alijs vidimus) vtraque dictio fuerit in textum recepta. Quam coniecturam nobis probabilem faciunt Chrysostomus & Theophylactus, qui partem hanc non interpretantur; & Syriaca versio, quæ non agnoscit. Nec obstat quod apud Hieronymum legatur scribentem in Matthæum. Nam illic diuerso loco legitur: *Lapidati sunt, tentati sunt, serrati sunt*. Quod ipsum iudicio est, vagum & aduentitium esse vocabulum.

IN OCCISIONE GLADII MORTVI SVNT. Hebraismus, pro eo quod diceret; *Gladio occisi sunt*. Huius complura sunt exempla. Sacerdotes in Nobæ Saul occidit, totamque ciuitatem percussit in ore gladij. 1. Reg. 22. Prophetas Domini Iezabel interfecit. 3. Reg. 19. Manasses sanguine innoxio repleuit

Hierusalem vsque ad os 4. Reg. 21. Vriam quoque prophetam (pro quo *Michaam*, lapsu memoriam scripserunt Theophylactus & Oecumenius) gladio percussit rex Ioakim. Hierem. 26.

CIRCUIERVNT IN MELOTIS, IN PELLIBVS CAPRINIS. *Melota*, Graecè *μηλωτή*, significat ouinam pellem, seu potius exuuium, hoc est, pellem corpore detractam vnà cum lana; nimirum simili derinatione qua *λεοντή* leonis exuuium significat. Nam *μηλον* Graecis inter alia etiam ouem significat. Ex ouinis autem & caprinis pellibus adaptatis & confutis, fiebant penulae viatorum, & alia tegmina, iis quos necessitas cogeat extra vrbes sub dio degere; Quod testatur Philo libro de victimis. Respicit apostolus ad prophetas; potissimum ad Eliam, & pallij eius hæredem Elifæum. Nam pallium Eliæ Lxx. interpretes *μηλωτήν* vocant 3. Reg. 19. & 4. Reg. 2. Vnde apud Origenem in homilia sexta de diuersis, dicitur Elias istu melotæ Iordanem transiisse. Qui etiam 4. Reg. 1. vocatur homo pilosus, & zona pellicea accinctus renibus; Quæ non tam de barba & coma quam de vestibus intelligenda Galenus existimat. Clemens Romanus in epistola quam dedit ad Corinthios, citante Clemente Alexandrino lib. 4. *Stromatum*, huic Apostoli loco velut alludens, ita scribit: *Propter patientiam & fidem in pellibus caprinis & ouinis, & ex camelorum pilis contextis vestibus, ambulauerunt; præcedentes regnum Christi. Dicimus autem Eliam & Elifæum, Ezechielem & Ioannem prophetas*. Sic ille. Porro quod apostolus dicit, *circuierunt*, id est, oberrarunt, loca subinde mutant; significat eos non habuisse certas sedes; vel ob fugam persecutionis, ut de Elia constat; vel quod viuerent ut peregrini super terram.

EGENTES, ANGVSTIATI; AFFLICTI. Possunt hæc vel de iisdem vel de diuersis intelligi. *Egentes* Graecè *ὑπερήμενοι*, id est, *desistunt*, nimirum ope ac rebus necessariis: velut David fugiens Saul & Absalonem, ac ciborum penuriam patiens, quos modò petit ab Achimelech sacerdote, modò à Nabal Carmelita. 1. Reg. 21. & 25. aliàs autem à Siba seruo aliisque externis accipere cogitur 2. Reg. 16. & 17. Item Elias, quem famas compulit primum ad coruos, deinde ad Sareptanā mulierem, pro vita sustentanda, confugere 3. Reg. 17. Itemque Iudas Machabæus qui cum sociis inter feras vitam degens scæni cibo vescitur 2. Mach. 5. *Angustiati*, Graecè *βλιβόμενοι*, id est, *angustis pressi*; ut David quando à Saule coarctatus desperabat se posse euadere 1. Reg. 23. Et Elias quando fugiens à facie Iezabel petiuit animæ suæ ut moreretur. 3. Reg. 19. *Afflicti* Graecè *κακωχόμενοι*, quasi dicat, *male habiti*. Quod alij ad animum referunt curis & anxietatibus oppressum; alij ad corporis malam & iniuriosam tra-

Etatio-

Etationem. Cuius exemplum adferunt Amos prophetam, quæ Epiphanius narrat ab Amasia sacerdote Bethel assidue vapulasse, tandemque ab eius filio secundum tempora fuisse percussum occubuisse. Legitur idem verbum infra cap. 13. Vbi interpretes vertit, *laborantes: Mementote*, inquit, *laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes*. Vbi videtur ad corpus referendum.

38

QUIBUS DIGNVS NON ERAT MVNDVS. Qui tot malis vndique pressi, & omnibus exossi, sic vagabantur ut inter homines locum vix inuenirent; videri poterant à Deo deserti, & hac communi luce indigni. Verum Apostolus id retorquet in contrarium, cum dicit mundum non fuisse dignum qui eos haberet. *mundi* nomine genus humanum intelligens, ut ab his talia passis distinguitur: quomodo Christus in suis sermonibus frequenter mundum accipit; nec non Ioannes in suis epistolis. Ratio huius paritatis est, quia mali eo ipso quo mali sunt, maxime si bonos persequantur, indignos se reddunt bonorum consortio, ac beneficijs, quorum propter bonos secum morantes fieri solent participes. Quomodo legimus domui Laban benedixisse Deum propter Iacob; & domui Phutiphar, propter Ioseph. Gen. 30 & 39. & pariter fuisse Sodomæ, si decem iusti inuenti fuissent in ea Gen. 18. Cæterum aliter hunc locum intellexerunt Chrysostomus & Theophylactus. Sentent enim negari cõparationem mundi cum sanctis que ad precium ac dignitatē. quasi dicat Apostolus; Etsi sancti fuerint adeo, sicut dixi, mundo despicabiles: vera tamen æstimatione totus mundus, id est, vniuersi reliqui homines, imò tota hæc mundi structura, si cum sanctis confetatur, vel saltem (ut ait Chrysostomus) cum vno eorum; non potest equare illorum precium, nec ijs dignitate respondere. *Melior est enim vnus timens Deum, quam mille filij impij*. Ecclesiasticus 16. Sensum hunc Grecorum probant nonnulli, quia more scripturæ *dignum aliquam re* dicitur id quod precium eius æquat, ac tantundem valet. ut Genes. 23. dicente Abraham de spelunca duplici; *Pecunia digna tradat eam mihi*. & 3. Reg. 21. Achab de vinea Naboth; *Dabo argenti precium quantum digna est*. Adducitur etiam illud Mich. 6. *Quid dignum offeram Domino?* Et quod Apostolus dicit Rom. 8. *Non sunt condigna*, siue ut est in Graeco, *digna passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Quamquam hæc reuera non probant. Nam quod ad tria priora loca pertinet, in Hebræo nihil est quod *dignum* significet, ut inde certus aliquid vsus huius vocabuli statui possit: sed hæc sunt interpretis, sensum non verba reddentis. Apostolus verò non dicit passiones huius temporis non esse dignas futura gloria; sed non esse dignas seu condignas ad eam. Quæ sunt locutiones diuersæ. Hic autem dicitur; *Quibus dignus non erat mundus: non ad quos; Quomodo dictum est, Dignus est*

operarius mercede sua. Luc. 10. Et, *Non sum dignus vocari filius tuus*. Luc. 15. Et, *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Matth. 10. Et alia passim his similia. Quo fit ut priorem sensum, non solum ut magis obuium, verum etiam ut consuetudini scripturarum accommodatum, libentius amplectar: certè posteriori postponere non ausim.

IN SOLITVDINIBVS ERRANTES ET MONTIBVS. Dauidem cum socijs à facie Saul profugum, in desertis & montibus errasse legitur 1. Reg. 23. 24. & 25. Elias quoque à Iezabel ad necem quaeritus fugit in desertum vastissimum, vsque ad montem Dei Oreb. 3. Reg. 19. Nec dubium quin etiam ad Antiochi tempora respiciat apostolus, quando Marthias eiusq. filij fugerunt in montes, relicti omnibus quæcumque habebant in ciuitate. Quos & alij multi secuti sunt; in deserta loca se recipientes. 1. Mach. 2. & 2. Mach. 5.

ET SPELVNCIS ET IN CAVERNIS TERRÆ. Non errantes, sed *errantes*. Hoc enim aut simile verbum suppleendum. Huius partis illustre est exemplum in centum illis prophetis Domini, quos sub persecutione Iezabel abscondit Abdias quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & paucos pane & aqua. 3. Reg. 18. Quamquam & Dauid non semel in speluncam sese abscondit propter Saul. 1. Reg. 22. & 24. Et sub Antiocho, Dei cultores ad speluncas coierunt sabbathi celebrandi causa; tametsi ne sic quidem latere potuerunt ut crudelibus hostium manus euaderent. 2. Mach. 6. Qui inter *speluncas & cavernas* distinguunt, quod spelunca, Graecè *σπηλαια*, dicatur quæ in petris excisæ sunt; cavernæ, foramina terre: solum etymon attendunt. Alioquin constat discrimen hoc confundi. Nam sunt etiam cavernæ petrarum, ut Iai. 2. & 7. & alibi. Ideoque hic dicitur cum adiectione, *& cavernis terræ*. Quare magis ex vsu loquentium est, ut spelunca dicantur receptacula maiora, cavernæ minora, siue in petris nata vel facta, siue in terra. Quod arbitror æquè in Graecis vocabulis obtinere.

39

ET HOMINES TESTIMONIO FIDEI PROBATI NON ACCEPERVNT RE PROMISSIONEM. Quod interpretes ait, *testimonijs fidei probati*, Graecè est, *μαρτυρηθέντες, testimonio probati* (siue ut supra vertit, *testimonijs cõsecuti*) *per fidem*. Erasmus, *testimonium promissionis per fidem*. Testimonium autem intellige Dei, vel scripturæ testificatis de eis quod iusti fuerint, Deoq. placuerint; sicut initio dictum est de Abel & Henoch. Nam quod dicit, *hi omnes*, cõplectitur omnes omnino supra memoratos: & non tantum eos quos nouissimè nominauit. Scelus est: Et quãuis hi omnes adepti sint ac promeriti testimonium iusticie, per fidem; sicut in præcedentibus declaratum est: nondum tamen acceperunt promissionem, hoc est, bona promissa. quasi dicat; Si illi post tantum temporis nondum acceperunt promissa: vobis molestum esse non debet;

si modicum adhuc expectetis, quemadmodum in fine capitis superioris vos hortatus sum. Nam illuc respicit: ut hæc sit tacita quædam illius exhortationis conclusio; propter quam adduxit tam multa de fide iustorum antiquorum. Loquitur autem proculdubio de promissione cælesti. Nam terrenæ promissiones iam præstitæ fuerant illis quibus secundum ordinem providentiæ Dei præstandæ erant. Sed quæ cælestis intelligatur promissio, pendet ex sequentibus.

40 DEO PRO NOBIS MELIUS ALIOQUID PROVIDENTE. *Pro nobis*. Græcè, *de nobis*: sensus tamen idem est. *Providente*, aoristus est in Græco, præteritum significans *προβλεψόμενος*. Ablatiuos absolutos, qui in Græco sunt genitivi, ferè exponunt causaliter; hoc aut simili modo: Eo quod Deus de nobis melius aliquid providerit. Ita & Syrus, *Quia Deus providit commodum nostrum*. S. Thomas quoque dicit hæc assignari rationem dilationis, de qua dixit, *Non acceperunt repromissionem*. Sed cum eiusmodi casus absolutè positi variâ admittant expositionem: non est necesse hæc causam intelligi. Neque enim, si propriè loquamur, ea fuit causa differendæ promissionis antiquis, ut nobis melius aliquid contingeret; sed quia hoc postulabat diuinitus ordinata temporum dispositio. Verùm ex illa dilatione, per Dei providentiam quoddam bonum nostrum consecutum est. Quod tamen etiam nonnullam potest habere rationem causæ: quia omne id ex quo bonum aliquod consequitur, à Deo ad illud ordinatur, ut ad causam aliqua ratione finalem. Sic ergo accipi potest quod apostolus ait, *Deo providente*; quasi dicat, Ex qua re, secundum ordinem diuinæ providentiæ, nobis obuenit singulare quoddam bonum: nimirum hoc quod sequitur.

UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR. Quæ sit hæc consummatio siue perfectio, quam non sine nobis acceperunt vel accepturi sunt antiqui iusti; & consequenter, quænam intelligatur in parte superiori promissio, quam negat eos accepisse: disputant interpretes. Et quidem Græci schismatici consummationem intelligi volunt, quæ in Dei visione consistit. Atque hinc statuunt suum errorem, quo docent sanctorum animas non fruituras visione Dei ante consummationem generalem omnium electorum; quæ futura est in fine sæculi. Quæ in re eos sequuntur hæretici nostri temporis. Cæterum orthodoxi de sensu variant. Nonnulli promissionem intelligunt patribus factam de incarnatione & aduentu Christi. Hanc enim promissionem siue nobis, id est, ante nos non acceperunt, quia demum in plenitudine temporis, & non ante oportuit incarnari filium Dei. Sensus hunc commendare volens Erasmus, ausus fuit aoristos commutare in tempora plusquàm perfectæ, dum ita vertit: *Non acceperant promissionem: quod Deus de nobis melius quiddam*

providerat, ne sine nobis consummati fuissent. Sed quomodo in Christi incarnatione nobiscum consummati sint aut fuerint, ab authoribus huius sententiæ non explicatur. Igitur alij exponunt apostolum de promissione cælestis beatitudinis, quæ consistit in Dei visione; sed hoc sensu: Patres antiqui non acceperunt illam promissionem statim à morte, sicut nunc sancti accipiunt; sed expectare debuerunt tempus novæ legis, ut non sine nobis, qui in tempora novæ legi incidimus, consummaretur, id est, beati fierent secundum animas. Pro quo sensu facere putant quod cap. seq. dicitur: *Et spiritus iustorum perfectorum*, id est, animæ iustorum consummatorum. Est enim idem in Græco verbum quod hoc loco. Ex quo apparet consummationem intelligi, quam nunc habet animæ sanctorum. Alij verò plerique, tam Græci quam Latini, sic exponunt apostolum: *Non acceperunt promissionem*, scilicet perfectè seu consummatè. Perfectè enim accipietur promissio, quando resuscitatis ad immortalitatem corporibus, sancti homines cum Christo regnabunt in cælis. Nam ante id tempus animæ solæ regnant & beatæ sunt, non homines; nisi synecdochicè: Loquitur autem apostolus de hominibus. Hic sensus, ut communior est alijs, ita & multo probabilior; quem & Augustinus tradit in epistola 99. ad Euodium, & tract. 49. in Ioann. Et Chrysostomus in commentario pulchrè explicat: & Erasmus; sententia in melius mutata, sequitur in paraphrasi. Probabilior, inquam, primum quia id vult extrema pars, qua non dicit, *Ne sine nobis remunerarentur*; sed, *ut non sine nobis consummarentur*, id est, consummatam ac totam quæ promissa est, acciperent remunerationem. Deinde, quia paulò ante de quibusdam dixit: *Vi melior est inveniunt resurrectionem*. Agit ergo de consummatione quæ per resurrectionem fieri debeat. Denique, sensum hunc postulat exhortatio capitis præcedentis, à qua transit ad fidei commendationem, & ad excitandam imitationem eorum qui per fidem Deo placuerunt. Erat enim illa exhortatio ad ferendas patienter afflictiones; contemplatione remunerationis in fine sæculi recipiendæ. Quod probant illæ sententiæ: *Tanto magis quanto videritis appropinquantem diem*. Item: *Patientia vobis necessaria est ut reportetis promissionem*. *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet & non tardabit*. Quæ verba pertinere ad remunerationem in glorioso Christi aduentu expectandam, eo loco ostendimus. Ex his iam patet refutatio argumenti Græcorum. Fatemur enim ac dicimus apostolum loqui de consummatione generali sanctorum hominum, futura in fine sæculi; sed quam præcedat beatitudo animarum, iuxta eiusdem apostoli doctrinam 1 Corinth. 13. 2 Cor. 5. Phil. 1. quam & aliæ scripturæ liquidò confirmant, quas omnes commemorare longum esset. Quod verò pro secun-

do sensu

SUMMARIUM.

Exemplo Christi & veterum iustorum hortatur Hebræos ad tolerantiam passionum; docens Deum filios suos afflictionibus exercere. Deinde ad pacem & concordiam inuitat; ostendens non ad montem terrenum, sed ad Ierusalem cælestem eos accessisse.

CAPVT XII.

I DEOQUE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM NVBEM TESTIVM. Quæ superiori capite disseruit de fide sanctorum patrum, nunc velut epilogo concludit, ac instituto accommodat, exhortans Hebræos ut illorū imitatione in cæpto cursu perseverent indefessi, ac patientiam seruent. Græcè non est, *impositam*, sed *circumpositam*, addito pronomine nobis. Quæ eadem est lectio Syriaci textus. *Nubem* metaphorice dixit copiosam multitudinem, scilicet ob densitatem. *Testes* verò sanctos memoratos appellat; quia præclaris suis actionibus palam testificati sunt, quanta sit virtus fidei tam ad beneficia Dei promerenda, quam ad ferenda fortiter aduersa: qui proinde loco grauissimorum testium nobis esse debeant. Horum itaque testium nubes imposita, siue circumposita ac circumfusa nobis dicitur, quia tam multi sunt, ut quocunque nos vertimus, obuia sint eorum exempla. Cum igitur, inquit, tanta nube testium sumus undique circumsepti: faciamus quod sequitur,

DEPONENTES OMNE PONDVS. Græca dictio *ὄγκος* interdum *pondus* seu massam significat, interdum *tumorem*. Vnde Lonicerus vertit; *Omni tumore deposito*: sed præter mentem Pauli, imò & Theophylacti, quem interpretatur. Is enim *ὄγκον* exponit terrestrium negotiorum sarcinam, & curas ijs admixtas. Quamquam in genere *pondus* intelligi potest omnis affectus terrenus, & omnino quicquid impedimento nobis esse queat ad cursum spiritualem, de quo statim meminuit. Qui enim currere vult, ab omni sarcina expeditus esse debet.

ET CIRCUNSTANS NOS PECCATVM. Nos, additum est ab interprete lucis causa. *Peccatum nos circumstans* quidam intelligunt concupiscentiam ex origine nobis insitam, aduersus quam perpetua nobis est pugna. Hanc enim apostolus aliquando peccatum vocat, etiam in renatis, ut Rom. 6 & 7. eo quod semper hominem ad peccatum sollicitet. Atque eam videtur Erasmus significare voluisse, dum sic vertit: *Et tenaciter inhaerente peccato*. De eadem interpretatur Ribera. Sed quia concupiscentia, dum viuimus, deponi & exui non potest: aliter, ac de vero peccato videtur intelligendus hic lo-

Ddd 4

cus.

cus. Est autem notandum pro participio, *circumstanti*, in Græco esse nomen tricompositum *επιπελαστων*, quod sonat, ac si dicas, *bene circumstantibile*. Bene autem, id est, facile. Quod Græci commentatores variè exponunt: Aut, ut actiue intelligatur, quia peccatum facile circumuenit ac vincit homines, utpote pronos ad peccandum; aut ut passiuè, quia facile vincitur, assitente Dei gratia; aut quia in angustias & pericula nos conijcit, ut ait Theophrastus. Nam *επιπελαστων* inter alia significat necessitatem & periculum. Authôr sermonis 97, de diuersis apud Augustinum, legit; *Et agile peccatum*. Exponit autem, quia subito surgit in cogitatione, & facit delectationem, & mox trahit animum ad consensum. Alia quædam versio habet, *aggrauans peccatum*; ut ad pondus referatur. Syrus interpres ita transtulit; *Et peccatum quod omni tempore nos demergit*; scilicet ut pondus grauissimum. Vel, ut alius vertit ex Syriaco; *quod omni tempore paratum est nobis*; hoc est, quod semper est in promptu, ut cursum nostrum ad vitam beatam impediatur. Qui sensus proxime videtur ad apostoli mentem accedere. Nam apostolus in hoc loco, sicut ante dixi, vititur metaphora currentis; quem oportet expeditum esse ab omni eo quod ipsum impediatur aut remoretur. Vnde in hoc vocabulo exponendo non est ab ea metaphora recedendum. Itaque existimo peccatum *επιπελαστων* ab apostolo vocari, quod hominem facile circumstet, id est, comprehendat, implicet ac teneat ne in cursu cœpro progrediatur. ut si quis currentem iniecto laqueo retineat. Est enim hic in peccato quædam fictio personæ; quæ, tanquam homini inimica & insidiatix, obstat eius profectibus: sicut Rom. 6. peccatum fingit ut dominam, cui seruire dicuntur qui peccant. Monet ergo Hebræos Apostolus, ut peccati laqueos & implicamenta quæ cursum remorentur, excutiant abijciantque.

PER PATIENTIAM CURRAMVS AD PROPOSITVM NOBIS CERTAMEN. Ad præpositionem multi codices vetusti non habent, ut nec in Laudensi est; nec in Græcis, nec in editione Syriaca; nec à Græcis interpretibus exposita. Addidit eam quispiam, qui putauit orationi deesse: cum reuera genuinum Apostoli sensum euertat. Hortatur enim Apostolus Hebræos exemplo testium supra dictorum, ut *per patientiam*, id est, patienter expectando caelestem remunerationem, decurrant stadium in quod ingressi sunt, ac decerent certamen susceptum; ut ad præmia promissa & sperata perueniant. Itaque *currere certamen* est curendo certare. Locutio similis cum illa 1 Tim. 6. *Certa bonum certamen fidei*, & 1 Timoth. 4. *Bonum certamen certauit, cursum consummavit*. Certamen hoc cursorum, illud est quod sibi propositum habet ac suscepit omnis Christianus, quando renuncia-

uit vitæ veteri, & professus est nouam. Vocatur autem *certamen*, quia non sine aduersario curritur; non qui etiam currat, sed qui quantum potest, currentem impediatur.

2 ASPICIENTES IN AVTHOREM FIDEI ET CONSUMMATOREM IESVM. Perstitit in metaphora cursus & stadij, in quo currentes, aspiciunt ad præfectum & agonothetam, qui præsens spectat, & animos addit præmio proposito. Ita monet ut aspiciant in Christum, velut certaminis sui præsidem ac præmiatorem. Tametsi non hoc solum agit Apostolus: sed etiam, si forte minus moueant exempla tot iustorum, ipsum Dominum Iesum, qui per ignominiam crucis ad summam gloriam euectus est, tanquam exemplar omnibus numeris absolutum, intuendum eis & imitandum proponit. Quem *fidei* vocat *authorem*; vel quia nobis fidem per gratiam suam inspirat. (Est enim fides Dei donum, Eph. 2.) Vel quia certamen hoc, in quo per fidem curritur ad brauium superuæ uocationis, instituit, eique præsidet. Tale quid enim significare videtur Græcorum vocabulum *επιχειρητης*, quod alij *ducentem* interpretantur, alij *principem*; Syrus, principium. Legitur autem & cap. 2. ubi noster eodem modo venit, *authorem salutis eorum* &c. Idem Christus *fidei consummator* est; vel quia fidem, cuius initia dedit, per eandem gratiam consummat in nobis ac perficit: vel quia certamen hoc fidei decurrentibus, postquam ad metam peruenierint, reddit constituta præmia. Potest etiam, & (in fallor) melius, dictio, *consummatorem*, seorsim accipi, non repetendo genituum *fidei*; ut intelligatur Christus esse *consummator noster*. Nam verbum consummare seu perficere, Græcè *πλειωσι*, quod toties in hac epistola legitur, semper ad homines refertur: velut in fine capituli præcedentis, *ut non sine nobis consummarentur*. Item cap. 2. *Authorem salutis eorum per passionem consummare*. Et cap. 5. *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Et cap. 9. *Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem*. Et cap. 10. *Nunquam potest accedentes perfectos facere*. Et iterum: *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos*. Nam & illud capituli 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex*: ad personas, non ad res, esse referendum, ibidem ostendimus. Denique in hoc capite infra legimus, *Spiritus in sanctorum perfectorum*. Dicitur ergo CHRISTVS *consummator noster*; quia per oblationem crucis nos consummat & perficit, non solum iustificando, verum etiam ad consummatam beatitudinem, (de qua proxime locutus fuerat) perducendo. Obiter obserua venustatem Græci sermonis, qui uocibus inter se velut contrarijs constat; quarum altera ex principio composita est, altera deducta à fine; quasi Christi-

stum

stium dicas *inceptorem* & *finalitorem*.

3 QUI PROPOSITO SIBI GAUDIO SVSTINUIT CRUCEM, CONFUSIONE CONTEMPTA. Græcè, *Qui pro proposito sibi gaudio* &c. Atque ita vertisse interpretem planè crediderim, ut alterum *pro* (quod in concursu similibus syllabarum facile contingit) oscitantia scribarum effluerit. Vitabis in commodū transpositione verborum; *Qui pro gaudio sibi proposito*. Quod ergo Latini sensum faciunt; *Qui gaudio vitæ æternæ, tanquam præmio, sibi proposito; crucem sustinuit: ex viciata prouenit lectione*. Nam, etsi doctrina verissima sit, Christum cum spe ac desiderio gaudij caelestis crucem subiisse, (non enim nobis solum, sed & sibi sua passione caelestem gloriam promeruit, Apostolo testante, quod *propter passionem mortis gloria & honore sit coronatus*; supra cap. 2.) non tamen id arbitror hoc loco significatum. Nam præpositio *æterni* apud Græcos non seruit causæ finalis; sicut interdum *pro* apud Latinos; ut cum dicimus, Iacob seruiuisse septem annis pro Rachel: sed proprium usum habet in commutatione, dū vnum tollitur & alterum reponitur, aut contrā: velut in hoc eodem capite, *Qui pro vna esca* (Nam Græcè est *ἀντι*) *vendit primogenita sua*. Sensus igitur est: *Qui loco gaudij, quo frui poterat, crucis passionem elegit. Gaudium, intellige à molestijs & doloribus secretum*. Neque enim Christus aliquando fuit sine gaudio; qui semper videbat faciem Patris, & iugiter in eius operibus oblectabatur. Sed quæres, quodnam fuerit gaudium, cuius loco crucem elegit? Quidam de gaudio diuinitatis exponunt, hoc modo; Cui quum liberum esset manere in propria gloria & diuinitate; non solum homo factus est mortalis, sed & crucis ignominiam pati voluit. Quam expositionem Gregorio Nazianzeno ascribit Oecumenius, Quam & Syrus interpres nobis insinuat, ita vertens: *Qui pro gaudio, quod sibi erat, pertulit crucem*. Sed cum Christus illud diuinitatis suæ gaudium propriè nunquam dimiserit; deinde, cum hoc loco sermo sit de Christo homine: videtur ea sententia potior, quæ Chrysostomi est & aliorum, ut *gaudium* intelligatur vitæ temporalis. Poterat enim Christus non mori, si vellet: poterat etiam se eximere omni molestia, vitamque degere fœlicem & omnibus bonis affluentem. Item poterat, ut ait B. Thomas, turbis regem se facere volentibus Io. 6. acquiescere & gloriosè regnare. Sed pro his omnibus crucem elegit ac pertulit; videlicet genus supplicij non modò acerbissimum, verum etiam præ cæteris infame ac probrosum. Quod significat pars adiuncta, *Confusione contempta*; hoc est ignominiam supplicij non reueritus. Nam pro *confusione*, Græcè est *ignominia*.

4 ATQUE IN DEXTERA SEDIS DEI SEDET. Græcè & Syriacè, *sedet*, nonnullis etiam Latinis astipulantibus: quanquam sensus

conuenit, ut alibi declaratum. Nam sedentem consedisse dicimus. Dicitur autem Christus *in dextera* siue ad dexteram *sedis Dei sedere*, quia Deus eum exaltauit supra omnem creaturam, ac summo honore dignatus est, dato ei nomine quod est supra omnem nomen. Philip. 2. Rationem huius locutionis exposui cum alijs, tum potissimum ad caput 1. huius epistolæ. Significat apostolus quò Christum perduxerit tolerantia passionis; ut eius exemplo non dubitent Hebræi se quoque peruenturos ad gloriam, si cum patientia susceptum fidei cursum absoluant. *Si enim compatimur*, inquit, *etiam conglorificabimur*. Ro. 8. Vnde adhuc exhortando sequitur,

3 RECOGITATE ENIM EVM QUI TALEM SVSTINUIT A PECATORIBVS ADVERSVS SEMETIPSVM CONTRADICTIONEM. *Recogitate*, Græcè *ἀναλογισθε* id est *reputate, ratione subducta perpendite*. Pro causali coniunctione *καθ*, enim, nonnulli Græci codices, & in his Regia biblia, collectiuam particulam habent *ἐν*, igitur: Quam & Syrus interpres dedit. Atque eo modo commodior erit huius partis connexio cum præcedenti: tametsi nec incommode hæret iuxta alteram lectionem; quæ & communior est & in Græcorum commentariis inuenitur. Nam ideo proposuit exemplum Christi passi & glorificati, ut illud recogitent. Sensus: Etiam atque etiam animo veritate exemplum eius qui a peccatoribus, id est, impijs & infidelibus, *talem ac tantam sustinuit aduersum se contradictionem*; ut qui eum seductorem vocarint, ac demoniacum, & legis transgressorem, denique post irrisiones & impropria (quæ omnia possunt accipi nomine *contradictionis*) aduersus eum inclarant Pilato præfidi, Crucifigant.

UT NE FATIGEMINI, ANIMIS VESTRIS DEFICIENTES. Hoc est, ne similia patientes à contradictoribus & irrisoribus Christianæ religionis, defatigemini præ languore & dissolutione animi. Nam Græcè est *καλομενοι*, id est, *absoluti*. Quod tamen optimè vertit interpres, *deficientes*. Nam animo deficit qui animum despondet, resiliens ab incepto propter difficultatem & molestias. Quod ait, *fatigemini*, ad metaphoranæ cursus pertinet.

4 NONDV M ENIM VSQVE AD SANGVINEM RESTITISTIS, ADVERSVS PECCATVM REPVGNANTES. *Enim* in Græcis & Syris codicibus non habetur, ut nec in omnibus Latinis, tametsi potest intelligi. Quamuis, inquit, multa pro Christi nomine tolerastis aduersa (nam & vincistis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis; supra ca. 10.) nondum tamen, sicut ille, sanguinem sudistis in hoc agone Christiano, nondum martyres facti estis sicut Iacobus frater Ioannis, sicut & alij, quos indicat cap. seq. dicens: *Quorum inuente,*

ex istis

exitum conuersationis, imitami fidem. Dicit autem *resistis, aduersus peccatum repugnantes*, quia non tam contra homines quam contra peccatū hoc certamen inuitur. Vbi rursus proloporæiam obserua; dum peccatū fingitur vt aduersarius quispiam, bellum aduersari nos commouens. Id autem fit dam peccati tentationibus impetitur & oppugnamur. Quibus nos non solum resistere debemus, bello, vt ita dicam, defensiuo ne nobis noceant, verum etiam repugnare, bello inuasiuo; vt à nobis expugnatē ad nihilum redigantur, regnumque peccati funditus euertatur. Agit autem præcipuē de peccato, quo à fide Christi receditur. Ad hoc enim varijs tentationibus sollicitabantur Hebræi. *Repugnantes*, Græcè est ἀνταγωνίζεσθαι, id est, in agone contrā certantes: vt intelligamus nos esse debere peccati antagonistas, id est, aduersarios, semper intentos ad vincendum & expugnandum peccatum: quomodo peccatum ex aduerso semper vigilat in perniciem nostram.

5. ET OBLITI ESTIS CONSOLATIONIS, QUÆ VOBI TANQUAM FILIIS LOQUITUR, DICENS. Pro consolationis in Græco est παρακλήσις, quod æquē verti potest, exhortationis, vt ab alijs factū est. Nā & Syriaca vox *instutionis* siue *doctrinæ* significat: & scriptura quā allegat, potius adhortatoria est quam consolatoria, tamen hīc ad consolandum Hebræos variè afflictos, adducitur. Quod ait, *obliti estis*, si accipiatur enunciatiuē; potest hunc sensum habere: Videmini obliti, nimirum propter animi torporem, qui vos occupauit. Ita segniter agitis, quasi obliti & immemores. Potest autem interrogatiuē legi; quasi dicat, Ad eone elanguistis, & animo estis deiecto propter afflictiones hactenus adhuc incruentus; vt non videamini meminisse verborum, quibus scriptura vos, tanquam mater filios, consolando & hortando alloquitur? Nam consolationem siue exhortationem dixit pro scriptura consolante & exhortante. Et Græcum διαλέγεσθαι non tam loqui significat, quam alloqui quempiam, sermocinari cum aliquo. Quanquam sunt qui passiuē interpretentur, hoc modo: *Quæ vobis tanquam filiis dicitur*, scilicet à Sapiente. Verum dubito, an verbum διαλέγεσθαι v̄turpetur aliquando in passiuā significatione. Quod autem Latini codices addunt, *dicens*: nec in Græcis est, nec in Syriacis.

FILI MI NOLI NEGLIGERE DISCIPLINAM DOMINI. Verba sunt Sapientis Prou. 3. quæ more suo citat iuxta translationem Lxx. minimè tamen ab ijs quæ in Hebræo leguntur, discrepantia, nisi ea parte: *flagellat autem omnem filium*, de qua paulo post agemus. Totus hic locus est ab vtili; quem persequitur multis versibus. Vt enim consoletur Hebræos, & amplius ad patientiam roboret; ostendit quā sit eis vtile & salutare, à Deo castigari. Supponit enim, omnia quæ

nobis accidunt aduersa, licet etiam à malis hominibus inferantur, esse Dei flagella nos percutientis: & nos ea accipere debere tanquam à manu Dei profecta. Huc igitur adfert testimonium scripturæ: cuius prior membro docet non esse reiiciendam Domini correptionem: posteriore causam reddit, ostendens quanta sit huius correptionis vtilitas. Nec sunt hæc verba accipienda velut dicta ex persona Dei, sicut quibusdam videtur; sed ex persona Salomonis, qui ea scripsit, ac de Deo in tertia persona loquitur. Dicens autem, *fili mi*, blanda appellatione lectorum allicit. Pro disciplina Græcè est παιδεία, vocabulum deductum à puero, quo propriè significatur disciplina siue institutio coniuncta cum castigatione viciorum eius qui instituitur; qualis est institutio puerorum. Vnde pro disciplina, alij reddunt castigationem, alij correptionem. Cui significationi respondet etiam vox Hebræa, *Masar*; quam Hieronymus quidem *disciplinam* verit, alij verò interpretes aut *eruditionem* aut *castigationem*. Monet ergo filium Sapientis, ne quis disciplinam Domini, qua scilicet ab eo eruditur, & vel dura increpatione vel etiam flagellis castigatur, negligat. Græcè *parupendat*. Hebræicè *spernat, abijciat*.

NEQUE FATIGERIS, DVM AB EO ARGVERIS. Rem eandem inculcat alijs verbis. *Ne fatigeris*, id est, *ne deficias*; vt vertunt Erasmus hoc loco, & Hieronymus in Proverbij: quemadmodum & noster interpretes idem Græcum verbum paulo antè verterat; *Animis vestris deficientes*. Significat enim, *animo dissolui, deficere*, sicut Hebræum, *radio affici*. *Dum ab eo argueris*, id est, increparis; quod à Deo potissimum fit flagellis. Porro vtrāque parte, minus dicendo plus significat: Vult enim vt non solum non displiceat nobis disciplina & increpatione, verum etiam grato animo acceptetur; vt ex sequentibus patet.

6. QVEM ENIM DILIGIT DOMINVS, CASTIGAT. En rationem planè efficacem; qua probet, disciplinam seu correptionem Domini non esse negligendam, neque grauatim admittendam, sed pro magno beneficio suscipiendam. Esse enim signum paternæ dilectionis erga eum quem castigat. q. d. Existimate afflictiones vestras non tam procedere ab ira Dei, quam ab amore; quippe qui propterea vos affligit & percutit, vt erudiat, purget & probet. Quare si vultis esse & permanere in numero eorum quos Deus diligit: non debetis eius castigationem subterfugere. Similis planè sententia Apoc. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo*. Sunt autem hæc sententiæ vtriusque vniuersales. Quoscumque enim Deus diligit, castigat; & quoscumque castigat, diligit. Nam castigatio pertinet ad emendationem eius qui castigatur. Quocirca infideles & impios, præsertim reprobos, Deus pertulit quidem, sed non castigat: percutit

iratus;

iratus; non castigat propicius. Vnde de illis dicitur: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non innocauerunt*. psal. 78. Debebant autem Hebræi, qui fideles erant & multa pro Christo passi, bona fiducia censere se inter eos quos Deus diligit; & vtrique cupiebant se à Deo diligi. Proinde rectè procedit Sapientis & Apostoli ratiocinatio, siue hoc modo eam instituas; Quemcumque Deus diligit, castigat, Vos diligit, ergo vos castigat; nec, si ab eo diligi vultis, castigationem eius debetis abijcere: siue isto modo, Quemcumque Dominus castigat, diligit; Vos castigat (debetis enim hæc flagella de manu eius accipere tanquam castigantis) ergo vos diligit. Verum apostolus priorem vniuersalitatē intendit; Eam enim probat verbis sequentibus;

FLAGELLAT AVTEM OMNEM FILIUM QVEM RECIPIT. De filijs adoptiuis sermo est; qui priusquam adoptentur, alieni sunt & filij iræ: non de filio naturali; qui flagellatus quidem fuit, sed non ad sensum Apostoli, cui *flagellare* est punire & castigare. Nam filij Dei naturalis flagellatio, non ipsius castigatio fuit, sed nostra. *Ipsæ enim vulneratus est propter iniquitates nostras, & disciplina pacis nostræ super eum*. Isa. 53. Sed nec ad angelos pertinet hic sermo, quamuis sint adoptiui filij Dei. Nunquam enim alieni fuerunt, vt opus haberent castigatione; sed ab initio filij. Sensus est: Flagellis afflictionum & aduersitatum erudit & corrigit Deus omnem filium quem recipit in disciplinam, atque ex eo tempore quo recipit. Quod statim post repetit illis verbis: *Quis enim filium quem non corrigit pater?*

Ex his & huiusmodi sententijs, primum collige, nullum iustum seu filium Dei, cuiusmodi hīc intelligitur, in hac vita esse aut fuisse sine peccato. Non enim propriè castigatur, nisi in quo peccatum inuenitur. Quæ collectio plenior erit, si castigationem intelligas non vnam, sed frequentem & quasi assiduam; quod declarant aliæ scripturæ his consimiles, vt Prouerb. 13. *Qui diligit filium suum, instanter erudit eum*. Hebræicè, *castigat*. Et Ecclesiastici 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella*. Cur enim assiduat illi flagella, nisi quia ille assiduat peccata, & in multis offendit quotidie, vt semper opus habeat dicere Deo, *Dimitte nobis debita nostra?* Deinde collige, omnes, etiam piorum, afflictiones, etsi varios vsus habeant, ad merita peccatorum esse referendas. Vocantur enim afflictiones piorum tam ab Apostolo, quam à Sapiente, castigationes & correptiones; quæ vtrique sunt peccatorum. Vnde Leo pontifex serm. 7. de epiphania Domini, *Quantum, inquit, nos humiles, quantum oportet esse patientes; qui si quid laboris incidimus, nunquam nisi nostro merito sustinemus*. Et iterum: *Quis inuenietur ita immunis à culpa; vt in eo*

non habeat vel iusticia quod arguat, vel misericordia quod remittat? Hæc ille. Quanquam non ideo dicendum est, omnes iustorum afflictiones esse peccatorum vltiones; & ad vindicanda eorum peccata, immittas à Deo: Nam hoc ira sonat, ac si in eorum flagellis principaliter Deus intenderet vltionem. Quod falsum est. Etenim castigationes filiorum, etsi fiant propter peccata quæ in eis sunt corrigenda & puniendā; tamen vltius ac principalius referuntur ad ipsorum vtilitatem; vt puniri & emendari & per patientiam probati, digni reddantur hereditate paterna. Quod in malis, dum tales sunt, locum non habet. An verò, quod quibusdam placeat, & apud Patres, interdum legitur, sancti quidam excellentiores plura passi fuerint, quàm eorū peccata iusto Dei iudicio merebantur, vt beatus Iob, alijque sancti prophetæ, apostoli, martyres, confessores: dubitari potest. Sed cum scriptura hīc & alibi, quæcumque filij Dei in hoc mundo aduersa patiuntur, correptiones & castigationes vocet; alibi quoque ad iustum Dei iudicium referat, vt i. Pet. 4. idque etiam sanctissimi in afflictionibus positi agnoscant, vt Tobias, Daniel, tres pueri in fornacem ardentem missi, Dan. 3. & septem fratres martyres, 2. Mach. 7. cūque sit vox publica totius ecclesiæ in tribulatione Deum orantis, *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti*; (vt ne adhuc adferam testimonia patrum Augustini, Gregorij & aliorum, quibus id disertè affirmant): in partem quæstionis negatiuam fateor me magis propensum. Nec arbitror obstare quod patres alicubi contrarium dicere videantur, scilicet plura passos quàm commuerint, id enim rectè dicitur spectando modum ordinariū quo Deus, tanquam misericors pater, solet filios suos in hac vita castigare. Quem ordinem, ad statuenda quædam insignia patientiæ ac fortitudinis exempla, aliquando prætergreditur, velut in martyribus, alijsque supra dictis. Alioqui certè iustorum omnium cum Dauide & Ieremia communis precatio est, ne à Domino in furore arguantur, neque in ira corripiantur. Psal. 6. Ierem. 10. Ad quem posteriorem locum Hieronymus, ex persona prophetæ, ita scribit: *Meremur quidem omnia quæ sustinemus; & multo meremur maiora quàm patimur: Veruntamen hoc obsecro, vt quasi pater me corripas, nō quasi aduersarius; vt me emendas quasi filium, & non punias quasi inimicum. castigas enim omnem filium quem recipis*. Sic ille. Quibus similia scribit in commentario epistolæ Pauli ad Ephes. super illud cap. 5. *Gratias agentes semper pro omnibus*. Vide quæ diximus ad 2. Thessal. 1. Tertiū discimus ex hoc loco, quā sit à veritate apostolica doctrinæ alienum, quod ad tollendas fidelium pro peccatis satisfactiones, & destruendum animarum purgatorium, docet Calvinus, Deum non punire iustorum peccata, sed im-

piorum

piorum tantum; ceterum iustus ad hoc solum pœnis temporalibus in hac vita affligi a Deo, ut ad virtutem exerceantur & probati appareant. Quasi ita Christus in se suscepit pœnas peccatis nostris debitas, ut nobis in gratiam receptis nulla iam reliqua sit pœna pro peccatis subeunda. Huius, inquam, doctrinæ falsitatem hic apostoli locus aperte redarguit. Quamvis enim expressè nihil dicat de peccatis Hebræorum ob quæ puniantur: ipsa tamen vocabula, *disciplina* siue *correctio* *castigatio*, *flagellatio*, & similia quæ hic audiuntur, punitionem (ut ante dixi) peccatorum significant, tamen destinatam ad emendationem & salutem eorum qui puniuntur. Unde etiam patet hunc locum appositè pro pœnis satisfactoriis à Catholicis allegari. Porro norandum pro eo quod Apostolus Lxx secutus, legit, *flagellat autem omnem filium quem recipit*; Hieronymum ex Hebræo sic vertisse: *Et quasi pater in filio complacet sibi*. Diversitas inde nata, quod Lxx. iud pro vau legerunt, quæ litera sola protensione differunt. Deinde quod Lxx pro Cheab legerint Chaab, quod totidem literis scribitur, sed punctis tantum postea additis variatur. Quarum vocum prior composita est ex *Caph* similitudinis & *Ab*, id est, pater; posterior significat, dolere faciet, flagellabit. Et si verò prior lectio, quam omnes habent Hebræi codices, & quam cum Hieronymo omnes alij interpretes exponunt, sincerior videatur; sensum tamen efficiet non valde diversum ab eo quem Lxx. dederunt; si cum Vatablo aliisque nonnullis, Ribera comprobante, ad hunc modum exponas. *Quem diligit Dominus, castigat, & qui tem ut pater filium*, (subaudi, castigat), *in quo sibi complacet*, siue cui bene vult, quem amat vnicè. Quantum enim differunt; *Flagellat omnem filium quem recipit*; &, *Castigat ut pater filium, eum quem vult*? Huc usque verba Sapientis ab apostolo citata: sequitur deinde exhortatio Apostoli.

IN DISCIPLINA PERSEVERATE. TANQUAM FILIIS VOBIS OFFERT SE DEVS. In Græco continua est oratio: *Si disciplinam sustinetis, tanquam filij vobis offertur Deus*, vel potius, *offert se Deus*. Nam quod legitur in Tractatu de tempore barbarico (qui falsò tribuitur Augustino) *sicut filij; ita vos aggredietur Deus*: durius dictum est, nec satis cum Græco conuenit. Græca sic possunt accipi: Si non subtrahatis vos disciplinæ seu castigationi paternæ, sed eam patienter feratis; Deus offert se vobis ut patrem, agnosceret vos filios, nec ab hæreditate excludet. Ita ferè Erasmus in paraphrasi. At verò Latinæ lectionis sensus magis perspicuus & commodus est. *Disciplinam Domini, inquit, nolite negligere, sed eam sustinere & in eâ perdurare, quia Deus vobiscum agit ut cum filijs, non ut cum alienis aut nothis: exhibet se vobis patrem potius quam vindic-*

cem; non pœnas cogitat, sed correctionem vestram, ut apter vos hæreditati percipiendæ. Sensum hunc voluit haud dubiè Syrus interpretes, quando sic vertit: *Sustinete ergo castigationem: quia tanquam erga filios agit circa vos Deus*. Mihi sanè plusquam verisimile est Græcæ lectionem esse mendosam, ac pro ei si, addito sigmate legendum *eis*, in vel ad. Nam *sustinete & sustinetis* in Græco nullum faciunt discrimen: vtrumque enim est *συνέχετε*. Certè Chrysostomum ita ut dixi, legisse palam loquitur eius commentarius: licet in eo textus scripturæ postmodum mutatus fuerit ad exemplaria viciata; cuiusmodi fuere quibus vsi sunt Theodoretus & Theophylactus. Commentarij ut in Latinum versus habetur, hæc sunt verba: *Si disciplinam, inquit, sustinetis, non ad pœnam neque ad supplicium neque ad hoc ut male patiamini*. Vbi si legas, *ad disciplinam sustinete*, planus ac dilucidus erit sermo; cum alioqui nullus sit sensus. Quod & Ribera doctè annotauit. Nec verò tecus legit Oecumenius, licet in textu scripturæ, similiter, apud eum, mendum irreperit. Nam Chrysostomum secutus, ita scribit: *Igitur & vos quoque ad correctionem vocat Deus, non ad supplicium*. Denique Stapulensis testatur se Græcè legere, *εὐσπλαγχνῶς*: quod quidem ille casu ablatiuo vertit, *in correptione*, sicut vulgatus, *in disciplina*; cum potius verendum videatur, *In vel ad disciplinam*; ut sensus sit quem indicat Chrysostomus, *Ad disciplinam sustinete*, id est, afflictiones quas Dominus immittit, sustinete ad disciplinam & correctionem vestri, ut filij; non ad supplicium, ut rei. Verum occurrit & alia ratio locum hunc exponendi, scilicet Græca lectione quam nunc probauimus; si nimirum hanc partem, *in disciplinam*, iungamus cum eo quod præcedit, hoc modo: *Flagellat autem omnem filium quem recipit in disciplinam*, id est, quem recipit instituendum disciplina paternæ. Nec obstat quod à Salomone hoc additum non legatur, ne quidem apud Lxx potuit enim apostolus hoc quasi supplemento explicare verbum *recipit*, quod Lxx scriperant. Ac deinde pro exhortatione subiūxit, *Sustinete*, vel ut nos legimus, *perseuerate*. Hoc enim verbum ita solitariè positum plus ponderis habere videtur ad exhortandum, quam si quid adderet: quemadmodum illud apud poëtam, *Durate*. Sic & apostolus alibi ad exhortandum efficacius vtitur verbis singularis, iisque asyntheticis; ut 2. Cor. ultimo, *χαίrete, κατηρτισθε, προσηλασθε*, id est, gaudete, perfecti estote, exhortamini seu consolamini. Sed hæc coniectura tantum est, de qua iudicet lector.

QUIS ENIM FILIUS QVEM NON CORRIPIT PATER? *corripit*. Græcè *παιδεύει*, id est, *castigat*, ut supra vertit. Amplificatio est argumenti superioris, ab eo quod homines patres facere solent. Dixerat enim, Deum quando nos flagellat, se nobis exhi-

bere

bere ut patre filijs. Id probat ex more & officio patrum. Nam patres, nisi aberrent ab officio, filios suos non relinquunt incorrectos. Fortè dices cessare correctionem paternam inter homines simul atque filij ex ephebis excesserint. Respondeo, nos quamdiu sumus in hac vita, nunquã sub Deo patre excedere ætatem puerilem, quã virgibus castigari oporteat. Durate enim hac vita paruuli sumus, loquētes ut paruuli, sapientes ut paruuli, & c. 1. Cor. 13.

3 QVOD SI EXTRA DISCIPLINAM ESTIS, QVIVS PARTICIPES FACTI SVNT OMNES: ERGO ADVLTERII ET NON FILII ESTIS. *Adulteri* Græcè *πόδοι*, id est, nothi, spurij, illegitimi; siue ex adulterio siue aliunde nati. Suspicio est interpretē scripsisse *adulterini*, ut speciem pro genere posuerit. Et ita citat Catech. Rom. in explicatione primæ particule Orac. Dominicæ. Cassianus quoque Collat. 6. c. 11. Quod si, inquit, o Hebræi, arbitramini vos immunes esse debere à disciplina seu castigatione paternæ; si vos subducere vultis disciplinæ, cuius participes facti sunt omnes filij Dei, id est, quicumque Deo placuerunt aut placent: ergo subtrahitis & abdicatis vos à numero eorum qui sunt germani filij Dei; & proinde censendi estis inter filios adulterinos ac degeneres & paternæ hæreditatis exsortes.

DEINDE, PATRES QVIDEM CARNIS NOSTRÆ ERVDITORES HABVIMVS. Cōparationem quam sumit à patre terreno, nouis argumentis amplificat. *Eruditores* Græcè *παιδευτοὶ*, quasi dicas, *disciplinatores*. Erasmus vertit, *castigatores*. Iam enim dictum est, Græca voce significari instructionem cum castigatione, qualis est, puerorum.

ET REVEREBAMVR EOS. Quamvis castigarent nos & cæderent, & durius interdū tractarent. *Reuerentia* significat subiectionem cum amore coniunctam: qualis esse debet omnium subditorum, ac nominatim filiorum erga parentes.

NVM MVLTQ MAGIS OBTEMPERABIMVS PATRI SVIRITVVM ET VIVEMVS? Bene monet Ribera pro *num*, legendū nō, iuxta codices emendatores, sicut & apud Aquinatē & Galetanum in textu legitur; & ex consequentia sermonis ita legendum constat. Et enim, ut tradunt Grammatici, vocula *num*, negantem vult responsionem; non si interrogatiue sumatur, affirmantem: qualis vti que exigitur hoc loco. Argumentatur enim apostolus à minori, ad hunc modū: Si patres carnis nostræ, quos pueri castigatores habuimus æquo iulimus animo, & reueriti sumus; an nō multo magis obtemperabimus (Græcè, *subyciemur*, id est, submittemus, ac permittemus) Patri spiritui Deo, atq; in eius beneplacito acquiescemus, persuasi flagella quibus nos cedit ab animo paterni, nostræq; salutis cupido, proficisci, & ad vitã nobis profuturã Vitã intelligit quæ est secundum spiritum, id est, vitã sanctificationis & iusti cætæ, sicut in se-

quentibus declarat. Et hanc vitã opponit vitæ carnali, quæ sita est in cōmodis huius sæculi; ad quã solent patres carnis erudire filios suos. Hic locus vnus est ex ijs quib' refellitur eorū dogma qui animas humanas ex traduce propagari dixerūt. Nā patres carnis appellat, ex quibus solā carnem traximus: Deū autem dicit patre spiritui, quia nō solā ab eo carnem habemus, quã subministrat per homines genitores, verū etiã spiritus, id est, animas corporib' infundit. Quod quidē ipse solus facit, & immediatè, per creationem. Hunc intellectū postulat antithesis apostoli inter *patres carnis*, & *patre spiritui*. Estque locus similis Ecclesiastæ vltimo, *Et reueratur pulvis in terram suã, vnde erat: & spiritus redeat ad Deū, qui dedit illū*. Nisi quod hic ad patres terrenos, illic ad terrã scriptura referat humani corporis originem. Sed tamen utrobique, solū Deū spiritus authorē ac datorem facit. Dicit aliquis, ex hoc loco probationem parum solidã videri, cū patres carnis intelligi possint qui nos secundū carnem genuerūt, id est, authores generationis nostræ carnalis, qua homines sumus ad carnis desideria propensi; & pater spiritui, qui nos regenerauit secundū spiritum, id est, author generationis nostræ spiritualis, qua sumus filij Dei, iuxta id quod dicitur Io. 3. *Quod natū est ex carne caro est: & quod natū est ex spiritu, spiritus est*. Quæ expositio est Theodoretī. Respondeo, textū non admittere eam expositionem. Non enim dicit, *patre spiritui*, sed, *patri spiritui*, numero plurali. Spiritus autem à quo denominatur vitã seu generatio spiritualis, tantū singulari numero legitur in scripturis. Significat enim spiritū illum contra quem caro cōcupiscit, Gal. 5. Quod si contendas, hoc loco enallagen esse numeri, sicque Spiritū sanctū intelligi posse putes: erit apostoli sermo intolerabilis, Deum esse patre Spiritus-sancti; ex quo consequens sit, duos esse filios in diuinis: quod nefas est dicere. Porro Theophylactus quidē, post Chrysostomum, interpretatur ab apostolo patrem spiritui dici, vel donorum, vel incorporarū virtutum; sed addit, Vel, quod magis propriū est, animarum. Siquidem & infra hoc ipso capite legimus, *spiritus in sanctorum perfectiorum, id est, animas*.

10 ET ILLI QVIDEM IN TEMPORIB' PAUCORVM DIERVM SECVNDVM VOLVNTATEM SVAM ERVDIEBANT NOS. Aliud argumentū ex eadem cōparatione ductū, quod valet ab vtili. Græca sic habent: *Et illi quidem ad paucos dies, prout visum illis, erudiebant siue castigabant nos*. Quod ergo dixit interpretes, *in tempore paucorum dierum*, non sic intelligendum, in ætate nostra puerili, post quam cessat castigatio paternæ: Sed sensus est, castigabant nos ad paucos dies, id est, propter vitã hanc temporalem, cuius pauci sunt dies, id est, breue tempus, phrasi Hebræica. Illud quoque, *secundum voluntatem suam*, pro quo vertit Erasmus, *pro arbitratu suo*; significat, patres carnales in castigandis filijs non semper spe-

Ecc Gart

clare quod verè sit vile & salutare; sed quod tale iudicant pro sensu suo carnali, utilitatem merentes à commodis vitæ præsentis.

HIC AVTEM AD ID QVOD VTILE EST IN RECIPiendo SANCTIFICATIONEM EVS. Græcè: *Hic vero ad id quod conducibile est ad participandum sanctimoniam eius.* Patres, inquit, carnales castigabant nos, ut bene nobis esset in hac vita caduca & mortali, scilicet aptantes nos ad id quod pro tempore nobis vile futurum iudicabant: Deus autem, ut verus pater, nos erudit & castigat ad veram nostram utilitatem; quæ in eo consistit ut participes simus sanctimoniam eius. Hic namque in electis præcipuus est visus flagellorum Dei, ut castigari purgentur & sanctificentur, & per hoc apti reddantur habitaculo caelesti, quò nihil nisi perfectè purgatum & omni ex parte sanctum introibit. Hinc tacite concludit, patienter & placide ferendam optimi patris castigationem, ex qua tanta nobis utilitas proveniat.

OMNIS AVTEM DISCIPLINA IN PRÆSENTI QVIDEM VIDETUR NON ESSE GAVDII, SED MŒRORIS. De Deidisciplinâ seu castigatione loquitur, admonens ne eam præsentis sensu metiamur, puerorum more, qui per ætatem non comprehendunt quàm sit ipsi vile castigari: sed ut ad fructum qui inde sequitur oculos reflectamus. Dicit autè, videtur, non quin reuera castigationes præsentis sint materia mœroris seu tristitiæ, non gaudij, si tantum in se spectentur ut sunt mala pœnæ, quæ vixque natura sua contristant hominem, non lætificant: sed, quia sic se habet commune iudicium; simul ut inuariat, alia consideratione (ad quâ nos vocat parte sequenti) potius contrarium esse iudicandum; dicente Iacobo apostolo: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Nihil autè verat, alia atque alia ratione de eadem re quiescens gaudere pariter & dolere.

POSTEA AVTEM FRUCTVM PACATISSIMVM EXERCITATIS PER EAM, REDDET IUSTICIAM. Reddet, Græcè & Syriacè reddis, quæ admodum & in multis Latinis mss. legitur. Quamquam in sensu nihil est diuersum: Nam verbum præsentis temporis reddis, ad futurum trahitur per aduerbium postea. Nec Græcè est pacatissimum, sed eiphinos, id est, pacatum, pacificum; quod Erasimus vertit, tranquillum. Sensus est: At eadem disciplina, suo tempore, ijs qui per eam exercitati & probati fuerint, adferet fructum pacatum iustitiæ: quem præ oculis habentes, merito de illa, velut matre huius præclarissimi fructus, gaudere debeamus. Sermo est non de iusticia prima, sine qua nec essent filij quos Deus castigat; sed de iusticia magis magis proficiente atque crelescente, secundum illud Apoc. vii. *Qui iustus est iustificatur adhuc, & sanctus sanctificatur adhuc.* Nâ quod versus proximè præcedente dixit *sanctificatus*, hic dicit *iustitiam*, videlicet eandem castiga-

tionis fructum utroque nomine volens intelligi. *Pacatum* vocat hunc fructum, cõparatione prioris tẽporis. Dum enim affligimur, turbamur & irrequieti fumus: sed afflictionibus aliquantum exercitati, discimus ex ipso profectu virtutum, quàm nobis vile fuerit à Domino castigari. Nam *patientia* eius perfectum habet. Iacobi i. Tunc itaque mente composita & tranquilla nobis gratulamur de eo quod ante molestum & acerbum videbatur. Alij *fructum iustitiæ* intelligunt, nõ ipsam iusticiam; sed qui ex iusticia prouenit, hoc est, præmium vitæ æternæ: sed ut nobis videtur, præter mentem apostoli; qui non agit de fructu quæ iusticia parit, sed quæ disciplina seu castigatio. Atq; eum fructum esse dicit sanctificationem & iusticiam, sensu iam à nobis explicato. Nam alioqui potius dicendum erat, *fructum patientiæ*. Dicitur ergo *fructus iustitiæ*, locutione transitiua, pro fructu qui est iusticia, sicut ad Philip. i. *Repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum.* Quod alijs verbis dicit Rom. 6. *Habitis fructum vestrum in sanctificationem.* Putat Hæselanus apostolum alludere ad locum Isa. 32. ubi in commendatione iustitiæ sub Christi regno dilatada, inter alia dicitur: *Et erit opus iustitiæ pax, vel secundum LXX, Et erunt opera iustitiæ pax*, hoc est: Cultores iustitiæ magna fruuntur pace conscientie. Porro notandum pro exercitiis haberi in Græco *γυμνασιον*, quod proprie de ijs dicitur qui nudi exercentur in palaestra; & ad omne genus vehementioris exercitij transfertur. Vigent hæc metaphoram Chrysostomus & Theophylactus, timentque castigationem vocari *γυμνασιον*, utpote quæ fideles, tanquam athletas quosdam, ipso patientiæ exercitio robustiores atque inuictos reddat.

PROPTER QVOD REMISSAS MANVS ET SOLUTA GENVA ERIGITE. Hæc exhortatione velut epilogo, superiora cõcludit; nec id tam suis quàm prophetæ verbis, interim perstans in metaphora athletarum; sicut bene obseruat Theophylactus. Verba sunt Isaie 35. sensu eadem cum ijs quæ sunt in Hebræo, sic ab Hieronymo reddita: *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Manus remissa seu dissoluta dicuntur manus torpentes ab opere. Item genua soluta ac debilia seu labantia, ut in Hebræo, quæ ad incessum & cursum ægra sunt aut stupida. Nam in genuto bur est cruris ad progressionem. Pellitur autè huiusmodi torpor & stapor, manu explicatione ac genuum surrectione; velut excitatione quadam; quod utrumque significauit verbo, *Erigite* siue *surgite*, ut alij vertunt. Igitur metaphoricè mohet his verbis, ut excussa ignauia que animos eorum obsederat, alacritate assumat, ac serio sese cõparent ad patientiam & pijs actiones, significatas parte sequenti.*

ET GRESSVS RECTOS FACITE PEDIBVS VESTRIS. Sum sit hanc partem ex Proverbi. 4. ubi loco eius quod ex Hebræo vertit Hieronymus *dirige seminam pedibus tuis*, apud

LXX

LXX. sunt eadem verba quæ hic legimus. Quod interpres vertit *gressus*, Græcè est *προχοας*. Dicitur autem *προχοας*. Teophylacto exponente, vestigium rotæ currus, vel terra subiecta currentium pedibus. Illam, *orbitam* vocamus Latini; hanc, *semitam*: & utroque modo vocè Hebræam *Maagal* reddunt interpretes. Vnde & hoc loco, tam ex Græco quàm ex Syro, alij *orbitas*, alij *semitas* vertunt. Sed Erasimo visum est addere calculum vulgatæ versioni. Sic enim transtulit: *Et facite ut recti sint gressus pedibus vestris.* Non malè. Nam hoc pacto sensus redditur eius quod tam in Heb. quàm apud LXX legitur. Non enim aliud est orbitam aut semitam rectam facere pedibus suis, quàm rectos facere ac tenere gressus actionum suarum. Locus notandus pro libero arbitrio seipsum mouete ad opera bona; cuius in his verbis est manifesta significatio.

VT NON CLAUDICANS QVIS ERRET, MAGIS AVTEM SANCTVR. Græcè, *Ut non quod claudum est aberret, sanetur autem potius.* Quod vel ad personam referri potest vel ad mores ipsos. Ad personam retulit noster interpres; cuius sensus est: Ne sit in vobis quisquæ claudus, qui proinde nõ rectos faciat gressus pedibus suis, sed aberrer à recta semita. Ad mores referunt Erasimus & alij nonnulli, qui sic verterunt: *Ne claudicatio aberrer à via, imo sanetur potius.* Hoc est; ut si quid in moribus vestris est obliquum & claudum, non longius aberrare vos faciat; sed potius corrigatur. Verum, quia incommodus est sermo quod dicitur claudicatio aberrare; magis certè placet sensus nostræ versionis: præsertim quum etiã id quod paulo post dicitur, *ne qua radix amaritudinis sursum germinans*, &c. melius ad personam referatur sicut ibi docebimus. Verisimile est autem nõ de quacunque gressu claudicatione loqui apostolum; sed de ea quæ contingit in semita fidei, dum incipit nutare & inclinare ad defectionem à fide suscepta, quales erant ex Hebræis multi. Minus autem est claudicare quàm errare. Nõ enim qui claudicat, cõtinuò aberrat de via. Monet ergo ut si qui inter eos sint claudicantes, id est, ad defectionem prouinciant propter afflictiones quas fidei causa patiebantur; statim adhibita paternâ cura per medicamenta doctrinæ, cõsolationis atque exhortationis, sanentur & confortentur: ne neglecti longius abducantur & corruant. Hunc locum obseruant Græci cõmentatores, pro pœnitentiâ lapsorum, aduersus Nouatianos. Ex quo simul ostèditur, eos falsos fuisse qui huic epistolæ propterea fuerunt iniquiores, quod putarent in ea lapsis post baptismum ipem recõciliationis adimi; videlicet malè intellectis duobus locis qui sunt in capite 6. & 10. Quamuis enim claudicans (ut hic accipitur) nõdum aberret à fide: peccat tamè grauiter eo ipso, quo voluntariè nutat & vacillat, tentationibus quibusdã cõmotus: à quo peccato sanandus est & pœnitentiam restituendus. Interpres ex Græ-

co, quo vsus est Caietanus, vertit; *Ne quod claudum est, abducatur*, Et rectè ut apparet. Nâ Græcum verbum actiuum est, significans abducere, errare facere. Quæ interpretatio bene conuenit cum eo quod paulo post sequitur, *Nequa radix amaritudinis*, &c. & cum his quæ supra sunt c. 3. versibus 12. & 13.

14. PACEM SEQVIMINI CVM OMNIBVS. Exhortationi quæ potissimum ad doctrinam fidei pertinebat, adiungit quædam præcepta vitæ Christianæ. Ac primò præcipit, ut *pacem sectentur*, id est, habere studeant, *cum omnibus*. Vbi Græcè est *διωκετε*, id est, *prosequimini*. Quo verbo magnum & vehemens studium allequendi & retinendi significare voluit. Eiusmodi & de charitate præceptum est 1. Cor. 14. *Seclamini* (Græcè, *persequimini*) *charitatem*. Quæ duo loca Syrus ita vertit, *Currite post pacem. Currite post charitatem*. Habemus autem huius præcepti de pace cum omnibus habenda claram expositionem apud ipsum apostolum Rom. 12. quum ait: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Vnde & quod de se canit psalmista: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*: sic intellige, quantum in me fuit. Alludit autem hic locus ad illud psalmi: *Inquire pacem, & persequere eam*. Est enim in Græco idem verbum.

ET SANCTIMONIAM SINE QVA NEMO VIDEBIT DEVM. Sanctimoniam vocat puritatem seu mundiciam cordis; de qua Dominus Math. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Huc enim apostolus respicere videtur. Constat autem sanctitatem hac significatione frequenter accipi in scripturis, præsertim apostolicis; velut 1. Cor. 7. *ut sit sancta corpus & spiritus*. Ephes. 5. *ut sit sancta & immaculata*. 1. Thess. 4. *Non enim vocauit nos Deus in immundiciam sed in sanctificationem*. Et quod in pluribus epistolis legitur: *Salutate inuicem in osculo sancto*. Græci quoque de castitate interpretantur, tam ea quæ in matrimonio quam quæ extra seruanda est. Græcum nomen verba est *ἀγιασμός*, proprie significans *sanctificationem*; sicut alijs locis interpres transtulit. Igitur hoc præcepto monet apostolus ut indes magis ac magis studeant sese emendare ab omni carnis inquinamento, omnemque fugere immundiciam. Hoc enim est *sanctificationem persequi*. Particulam, *sine qua*, plerique Latini communiter ad *pacem & sanctimoniam* referunt; quia sicut dictum est, *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*; ita dictum est, *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur*. Solis autem filijs, inquit Thomas; debetur hæreditas diuinæ visionis. Verum, simplicius est, ut tantum ad proximam referatur, id est, ad *sanctimoniam*, sicut exponunt Græci; maxime quum relatiuū Græcum genere cum *pace* nõ cõueniat. Estque de sanctimonia seu castitate peculiaris quædã ratio. Nam ut nihil æquè

mētis oculos obnubilat ac retundit atque immunda carnis delectatio; sic eos ē diuerso castitas, præcipue virginea, quam maximè purificat aptosque reddit contemplationi. In quo genere, visio Dei principem obtinet locum; ea nimirū qua Deus per essentiam videtur: quod scripturæ appellant, *facie ad faciem*, & *sicuti est Deum videre* 1. Cor. 13. & 1. Io. 3. Scio Græcos codices non habere *Deum* sed *Dominum*; quemadmodum & Syrus vertit, & veteres Græcos legisse docent eorum commentarij; Solet autem Paulus Dominū Christum significare: Nec id tamen obstat interpretationi iam datæ; quia Christus Deus & homo est, nec perfectè à nobis videbitur, nisi eum secundum vtramque naturam sicuti est videamus. Idque voluit scripturæ, 1. Io. 3. & Apoc. vltimo.

15 **CONTEMPLANTES.** Græcè ἐπισκοπῶντες, id est, *inspicientes, superintendentes*. Vnde est nomen episcopi. Erasmus vertit, *curam habentes*, scilicet alij de alijs, perfecti de imperfectioribus. Nam vt annotant Græci, monet apostolus vt non tantum seipsum quisque integrum seruet; sed vt pro cæteris etiam solliciti sint. Vnde potissimum ad præpositos pertinet hæc admonitio.

NE QVIS DESIT GRATIÆ DEI. Græcè. *Ne quis sit deficiens à gratia Dei*, id est, ne quis destituatur aut frustreretur gratia Dei, ne cui illa desit. Nā huiusmodi vim habet Græcum verbū ὑπερῶν, etiam alibi in scripturis; vt Math. 19. Marci 10. Lucæ 22. & huius epistolæ cap. 4. *Gratiam Dei* quidā interpretantur habituale donum gratiæ quo iustificamur: Alij, inspirationem bonarum cogitationum; vt sensus sit, cauendum esse ne quis vel gratiā peccādo amittat, vel bonas inspirationes negligat, vel gratiæ Dei ponat obstaculum. De quo postremo sensu, quomodo sanè debeat accipi, consule cōmentarium S. Thomæ, doctè eam rem explicatis. Sed magis germanū est, vt *gratiam Dei* intelligamus beneficentiā Dei, qua per Apostolorum prædicationem eos vocauerat ad salutē quæ est in Christo. Cū enim ad hoc beneficiū iam vocati essent; admonet, sedulo prouidendū esse ne quis hac gratia frustreretur, quasi relictus ab alijs quos affectat non possit, sed singulorum habeatur cura ne vel vnus pereat. Ita Chryso-stomus & alij post eum. Frustratur autē quis & excidit ab ea gratia, per peccatum; præsertim infidelitatis. Sensum hunc illustrat alia loca, quibus gratiā Dei vsurpat Apostolus eo modo quem dixi, vt 2. Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. & Tit. 2. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus*. Quod alijs verbis ibidem dicit capite 3. *Benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei*.

NE QVA RADIX AMARITVDINIS SVRSVM GERMINANS, IMPEDIAT. Græcè ἐνοχλῶν, id est, *obturber aut inturbet*, vt alij verterunt, ad etymō respiciētes. Dicitur enim hoc verbū à turba. Augustinus legit, *molestet,*

sermone 16. de verbis Ap. Locus hic ferè verbatim desumptus est ex Deut. 29. vbi secundum LXX, à quibus Hebræa quam minimū differunt, ita legitur: *Ne qua sit in vobis radix sursum germinans in felle & amaritudine*. Quo loco, notandum pro verbo ἐνοχλῶν, quod hinc legitur, haberi ἐνοχλῶν, id est, *in felle*; vt probabilis admodum suspicio sit, metathesi duarū literarum alterū pro altero iam olim hinc scriptum fuisse. Nam fellis veterum cōmētarij non meminerunt. Alioqui verbum ἐνοχλῶν alibi nusquam in scripturis occurrit. Hæc coniectura Francisco Riberæ non improbat. Nec verò obstat ei, quod hoc pacto sententia Apostoli videatur incompleta, vt pote verbo carens: supplendum est enim, *Ne qua sit radix, &c.* sicut & in præcedenti parte, & in sequenti, supplere necesse est. Iam ex loco Deuteronomij illud quoque discimus per *radicem amaritudinis* nō vicium aut peccatum, sed hominem peccatorem intelligi. Nā de personis ac familijs loquitur Moyses. Et de homine Chaldaeus paraphrastes interpretatur; *Ne forte sit, inquit, in vobis vir cogitans peccata aut superbiam*. Atque ita locum hunc Græci cōmētatores exposuerunt, adducta ad eius intellectum alia sententia simili, quæ est ad Gal. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. In qua de personis sermonem esse cōstat. Denique sic melius hæc pars conueniet cū sequentibus: *Ne quis fornicator aut profanus*. Hoc igitur est quod præcipit apostolus; aduigilate, ne quis sit inter vos, qui tanquā radix amaricans quæ fructum amarulentū ac fellis instar abominabilem proferre nata sit, sursum germinet ac pullulet; hoc est, fructus edat amarulētos viciōsū operū aut peruersorum dogmatum, quibus vnitas vestra quam habetis in Christo, turbetur: sed si quis talis sit; aut sanetur quam primū, aut extirpetur. Ad doctrinæ peruersitatem & fidei corruptelam pertinere hanc radicis metaphorā, potius quā ad alia vicia, probabile fit ex loco illo Deut. vbi aduersus cultū falsorum Deorum hæc Moyses concionatur.

ET PER ILLAM INQUINENTVR MULTI. Id est, inficiantur, velut contagio quodam. Quod vt in alijs vicijs, ita maximè contingit in prauis dogmatibus: de quorum magistris ita scribit apostolus 2. Tim. 2. *Multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpis*.

16 **NE QVIS FORNICATOR, AUT PROFANVS, VT ESAU.** Addit de vicijs sanctimonix contrarijs, à quibus tamen etiā ad fidei defectionē procliuus est via. *Fornicationis* nomine scripturæ vt plurimū cōprehendunt omnē concubitū maris & scēminæ extra torum legitimū; sicut alibi ostendimus: Porro fornicatorē fuisse Esau nō legimus, sed plures accepisse vxores: quod & Iacob fecit frater eius. Tamen si apud Chryso-stomū in homilia 2. de paciētia Iob, ita legitur: *Quis enim Esau erit: fornicator & profanus*. Sed hoc de plurib⁹

vxoribus

vxoribus videtur interpretari, cum postea dicit: *Esau ad multas mixtionem habuit mulieres* (sive vxores Græcè γυναικας); *insatiabilis ad luxuriam existens*. Nisi fortè putauit Chryso-stomus hoc illicitum fuisse ipsi Esau; licitum, Iacobo. Sed qua ratione? cū ambo essent filij patriarchæ Isaac. Certe scriptura vocat vxores; nec factum reprehēdit, nisi quod præter parentum voluntatem accepit de filiabus Heth. Et quidem tertiam duxit, filiā Ismael, cum parentum consensu, vt satis apparet ex Gen. 28. Verū de illo apud Chryso-stomum loco, non est quod laboremus. Non enim arbitror illarum homiliarum quæ de paciētia Iob circumferuntur, authorem esse Chryso-stomum, sed alium quempiam, doctrina & eloquentia cum Chryso-stomo non comparandum. Quāquam & Theodoretus & glossa ordinaria, quæ etiam B. Thomas sequitur, hanc adferunt rationem, ideo Esau fornicatorem dici, quod contra leges atque inuitis parentibus vxores duxisset alienigenas. Alia responsio est eiuſdem Theodoretī, *fornicationem* vocari ingluuiem; propter quam Esau primogenita sua prostituit: vt posterior pars sit expositio prioris. Cæterum verus Chryso-stomus hunc nodum vno verbo facile secat, docens illud, *vt Esau*, non ad vtrumque præcedens membrum esse referendum, sed solū ad proximum, *profanus*; vt post ea verba; *ne quis fornicator*, comma figatur; deinde iunctim legas, *aut profanus vt Esau*. Sic quoque Theophylactus, Oecumenius & Caietanus. Iam qua in re profanus fuerit Esau, pendet ex intellectu eius quod sequitur.

QVI PROPTER VNAM ESCAM VENDIDIT PRIMITIVA SVÆ. Græcè, *Qui pro vna esca (sive edulio) reddidit primogenita sua*. Quod alij sic vertunt, *Qui unico edulio permittit (sive vendidit) iuram ius primogeniti*. Sciendum enim in Græco non esse πρωτόγονον, quod legitur capite superiori, vbi sermo erat de vastante primogenita: sed πρωτόγονον, q. d. *primogenitina*. Quo videlicet nomine, etiam à LXX interpretibus vsurpato Genes. 25. vbi describitur hæc historia, significatur ius primogenituræ. Nunc quaeritur, quodnam illud ius fuerit; & quare ob illius venditionem Esau profanus censetur. Hebræorum traditio est, ante legem & institutum in populo Dei sacerdotium Aaronicum primogenitos fuisse suo iure sacerdotes. Meminit huius traditionis Hieronymus in libro quæstionum Hebraicarum super Genesim, & in ep. 126. ad Euagriū; testaturque Hebræos illud Gen. 27. *Et vestibus Esau valde bonis induit eum*: de sacerdotalibus interpretari. Dicunt ergo qui hanc traditionem admittunt, Esau propter vendita primogenita profanum fuisse, hoc est, irreligiosum ac sacrorum violatorem; eo quod ius primogenituræ, cui sacerdotium erat annexum, tam vile habuerit, vt illud precio venderet. Vnde & Simonix crimen ei impingit.

Ita sentiunt author glossæ ord. & eum secuti Thomas, Liranus, Caietanus & alij. Similia leguntur in cōmentario pseudepigrapho Primalij in hanc epistolā. Quibus si obijcias, pari ratione Iacob Simonix conuinci, qui ius illud emerit à fratre: respondent Thomas & alij post eum, Iacob non emisse, sed quod suū erat, ab iniusto possessore redemisse. Verū an solidè hæc dicantur, multa quæstio est. Primum enim, vnde probatur Esau fuisse illius iuris iniustum possessorē, qui verè primogenitus erat, nec à iure primogeniti per vllam sententiam deiectus? Nam oraculum redditū matri adhuc grauidæ, quo dicebatur, *Maior seruet minori*, nullū ius dedit minori filio præ maiore, sed nuda fuit prædictio eius quod erat aliquando futurū, nec tam in ipsis filijs implendū, quā in eorum posteris; vt planè liquet ex verbis oraculi prioribus; *Dua gentes sunt in vtero tuo, &c.* Quare & Isaac, etsi non ignarus oraculi, tamen Esau, tanquam primogenito suo & ius primogeniti habenti, benedicere volebat. Deinde si Esau vendens sua primogenita Simonix culpam incurrit; admodum certè difficile est, Iacob, qui fratrem ad vendendū expressis verbis sollicitauit, dicens, *Vnde mihi primogenita tua*; ab eodem crimine liberare: præsertim quū Esau ius illud salte bona fide possideret. Quod igitur ad traditionē illam Hebræicā attinet, Hieronymus quidem eam refert semel & iterū; sed refert tantū, nō etiam veram affirmat. Nec quisquam veterum expositorū, in huius loci cōmentario, eius rei meminit; quum alioqui maximè oporteret. Quia nec posterioris temporis scriptores, eam traditionem, quamuis vulgè receptā, pro certa tenent. Nam Thomas in 2. 2. q. 87 à 1. ad 3. velut de re dubia loquens, *Dicitur*, inquit, *quod primogeniti erant sacerdotes*. Caietanus autem scribens in Gen. 25. & Hieronymus ab Oleastro super Exo. 24. negant ex scriptura doceri posse. Addit Caietanus, Rubenitas aduersus Moysen, non pro sacerdotio, sed pro principatu, tanquam primogenituræ debito, cōtendisse; Num. 16. Accedunt etiam exempla scripturæ in cōtrarium. Nam Abel & Abraham, quamuis non primogeniti, tamen vt sacerdotes sacrificia obtulerunt. Gen. 4. & 15. Præterea si (quod multò probabilius ab ipsdem Hebræis traditur) ad primogenitum pertinebat principatus familie; non est verisimile, ad eundē pertinuisse ius sacerdotij. Nam etsi interdum idem fuisse legatur rex & sacerdos, vt Melchisedec; id tamen rarū erat, & quasi extraordinariū. Sunt enim officia valde diuersa regis & sacerdotis; nec in eandem personā, vt sunt mores, ingenia & occupationes hominū, facile cōueniunt. Itaque nullo modo credibile est, iure publico passimque recepto, hæc duo fuisse aliquādo cōiuncta. Hæc igitur Hebræorū traditio velut improbabilis reiecta; Græcorū sequamur expositionē, qui omnes *profanus*, Græcè βέβηλον, interpretatur Esau fuisse

hoc est, vsque adeo mundanum, carnalem & ventri deditum, vt spiritualia non curaret, sed negligeret ac parui penderet; imò gula irritatus, vno ac vili edulio vernalia haberet. Quem commentarium inter Latinos etiam Anselmus tradit, seu quisquis author. Hi primogenita vocant *spiritualis*, non propter annexum ius sacerdotij aut cuiusquam alterius rei, quæ, propriè loquendo, spiritualis esset: sed quod primogenitura singulare Dei donum haberetur illo sæculo; cum ob aliam, tum maximè propter prerogatiuam benedictionis paternæ, quam primogeniti quodam suo iure expectabant; siue per eiusmodi benedictionem intenderent consequi bona celestia ac verè spiritualia, siue (vt plerique) solà terrena. Et hoc est quod aiunt Chrysostomus & Theophylactus, Esau datum sibi à Deo honorem primogenitorum vili esca vendidisse. Denique sensum hunc confirmant ea quæ sequuntur de benedictione.

17 SCITOTE ENIM QUONIAM ET POSTEA CUPIENS HEREDITARE BENEDITIONEM, REPROBATUS EST. *Scitote*, Græcè *ἴσατε*, quod alij vertunt *sciitis*; vtrumque enim significat. licet hoc posterius magis quadret, propter causalem particulam *enim*, & quia Hebræos alloquitur scientes legem. Porro quod interpret dicit, *cupiens*, Græcè est *θέλων volens*. Illud verò, *hereditare benedictionem*, ita reddidit Erasmus, *hereditario iure benedictionem assequi*; videlicet vrgens proprietatem vocabuli: quum sit verisimilius, esse tropum quo species pro genere ponitur, vt *hereditare* sit idem quod consequi; sicut & alibi annotauimus. Non enim benedictio pars erat hereditatis expectandæ post obitum patris; sed beneficium quod à viuente præstatur. Historia est Gen. 27. vbi posteaquã Jacob matris consilio paternam benedictionem præripuisset; Esau sibi eam perenti pater respondit: *Benedixi ei, & erit benedictus*. Atque illi cum steru & clamore instanti, rursum dixit: *Dominum tuum illum construi*. & post alia, *Tibi vero post hæc quid faciam?* Ex quibus intelligitur, Esau hoc loco reprobatum dici, non à Deo, sicut in illis verbis, *Jacob dilexi, Esau odio habui*. Mal. 1. sed *reprobatum*, id est, repulsam passum à patre, nolente ei benedictionem impertiri quam vt primogenitus expectabat. Hanc enim penam merebatur homo profanus, qui primogenita suam vili vendiderat. Noluit autem pater datam alteri benedictionem reuocare, quamuis ignorans & deceptus eam dedisset; sed potius eam confirmavit: quia cognito eo quod Jacob fecerat, cum paululum obstupisset, statim tanquam propheta animaduertit rem à Deo geri, volente per hunc modum ostendere rarum se habere responsum quod olim Rebecæ vxori ipsius se consultanti reddiderat; de præminètia filij minoris. Ita docent Aquinas & Lirani. Hic quæri posset, an Esau fuerit à Deo reprobatus ex

meritis; quod ex hoc loco quidam asseuerare nituntur. Sed eam quæstionem discussimus, cum tractarem illa verba de Jacob & Esau dicta Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, &c.*

NON ENIM INVENIT PŒNITENTIÆ LOCVM; QUANQUAM CVM LACRYMIS INQUISISSET EAM. Hic tertius est locus eorum quos olim ex hac epistola depromptos Nouatiani Catholicis obiecerunt, contra pœnitentiam lapsorum. Vnde & Lutherus, quoniam his verbis pœnitentiam tolli putauit, hanc epistolam è canone sacrorum librorum sustulit. Sed horum prauus intellectus facile refellitur. Nam si sensum esse volunt, Esau non inuenit suæ pœnitentiæ locum, quia nimirum de venditis primogenitis, & per hoc amissa benedictione, doluit, quamuis eam pœnitentiam cum lacrymis quæsiuisset, id est, tamen profusis lacrymis testaretur sibi dolere quod fecerat: respondebitur, idcirco pœnitentiam Esau, quamuis lacrymosam, non fuisse admissam, nec fructum ei attulisse, quia non processit ex amore Dei quem peccando offenderat, sed ex cupiditate temporalis excellentiæ, quam ex benedictione sperauerat. Nam quomodo vera secundum Deum pœnitentia fuit eius, qui fratrem interficere voluit, & patris mortem optauit, dicens: *Venient dies luctus patri mei, & occidam Jacob fratrem meum*; Eadem erit responsio si pronomen *eum* referatur ad benedictionem; sicut faciendum admonet Theophylactus; vt sensus sit: Esau nihil profecisse hac sua pœnitentia, quamuis etiam cum lacrymis benedictionem requisuisset à patre. Neque enim obtinere eam potuit. Accepit quidem alteram benedictionem minorem; sed non illam quæ primogeniti erat. Qui posterior sensus melior est priore. Per vtrumque tamen abundè satisficit Nouatianis: quoniam Esau nec veram egit pœnitentiam, nec Deo reconciliari querebat, sed terrena tantum benedictione potiri. Potest autem & aliter hic locus exponi, vt pœnitentia non ad Esau, sed ad Isaac referatur; hoc sensu: Non potuit impetrare, vt pater sententiam retractaret, etiam si cum lacrymis eam, vel benedictionem vel potius sententiæ paternæ retractationem, quæsiuisset. Nam pœnitere in scripturis accipitur interdum pro eo quod est factum aut sententiam retractare; etiam absque significatione dolentis de præterito. Atque hæc expositionem arbitror esse maximè consentaneam historiæ Genesis; vbi de pœnitentia Esau nihil expressè proditum est. Quod autem patris pœnitentiam quam dixi, requisierit; nec tamen vllis aut precibus aut lacrymis eam potuerit extorquere; testatur apertè scriptura, narrans Isaac dixisse de Jacob: *Benedixi ei, & erit benedictus*, id est, sententiam, non muto: Valebit benedictio, quam dedi. Iuxta hanc expositionem multò iam minus argumentum

Noua-

Nouatianorum locus relinquitur. Denique sensus hic clarè explicat partem proximè præcedentem, *reprobatus est*.

Huc vsque ad sanctimoniam exhortatio; quam nobis concludendam relinquit huiusmodi epilogo: Fugite ergo non modò fornicationem, sed & gastrimargiæ vicium, & omnem voluptatum intemperantiam; ne cum profano Esau reprobemini: sed sanctimoniæ & sobrietati studete, vt cum primogenitis in celo conscriptis (quorum meminit infra) Deum videntes, benedictionis paternæ perpetua possessione gaudeatis.

18 NON ENIM ACCESSISTIS AD TRACTABILEM MONTEM. Rationem reddit exhortationis præcedentis, sumptam ex comparatione veteris ac noui testamenti. Nam, vt ait Augustinus, breuis differentia legis & euangelij, est timor & amor. Agit autem id apostolus hoc loco pluribus verbis, quod in epistola ad Rom. 8. paucis dixit: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. in quo clamamus, Abba pater.* & eiusdem epistolæ cap. 6. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Primum igitur ea quæ in legislatione terribilia acciderunt, remouet à iuis Hebræis, tanquam noui testamenti filijs. *Non enim*, inquit, *accessistis ad montem tractabilem seu tangibilem*, id est, eum qui manibus tangitur, aut tangi possit. Hoc est: Non pertinetis ad eos qui ad illum montem accesserunt, ad populum, in quâ, veteris testamenti. Montem Sina significat, in quo lex data est; qui tangibilis erat, quia terrenus. Huic enim postea *Sion montem calistem ac spiritualem* opponit. Faciebat autem terrorem mons ille corporeus, quatenus ex eius summitate lex populo dabatur procul infra stanti ad radices. Erasmus vertit, *ad contactum montem*, minus rectè. Non enim aduertit, participia more Hebræo sæpe nominaliter vsurpari, sicut annotauimus ad illud Gal. 2. *Quia reprehensibilis erat*.

ET ACCESSIBILEM IGNEM. Vera lectio est, *accessibilem*; & ita habent vetusti codices, & editio Clementina, congruenter cum textu Græco & Syriaco. Græcè quidem est, *ἄκτιστον*, siue *incensum ignem*; vt Erasmus vertit, sed hic quoque participium pro nomine positum videtur, vt *ignis accessibilis* intelligatur ignis corporeus; qui propriè accenditur & inflammatur. Nam ad spiritualia tantum metaphoricè pertinet accendi. Loquitur autem de igne illo in quo super montem descendit Deus, legem daturus: vt habes Exo. 19. Annotat Ribera posse hunc locum ex Græco ita legi: *Non enim accessistis ad montem tractabilem & accensum igni*. Si quidem mons Sina, tanquam igne succensus, totus fumabat, & vt dicitur Deut. 4. *ardebat, que ad calum*. Nec dubium quin ita verti possit: Verum iuxta versionem vulgatam oratio concinnior est, dum singulis sua epi-

thera respondent, monti & igni; dumque participia similiter exponuntur. Illud haud prætermittendū, quod & Erasmus admonet, *montem*, in multis Latinis codicibus deesse. Nam & cōmentarij Primasio & Anselmo ascripti non habent; Glossator, Aquinas, Lirani itidem non legerunt: Syrus interpret nō reddidit; Denique nullus Græcorum interpretum exponit, sed *tractabilem* aquè vt *accessibili* à ignem referunt. At qui Græci codices qui hodie sunt in manibus, satis cōstanter legunt, *montem*: Sed & Latini ex vetustissimis mss. emēdati, *montem* retinent. Huc accedit antithesis inter montem Sina & montem Sion; quam hic præ oculis habet apostolus. Item quod scriptura quæ respicit, tangi montem verat: *Cauete, inquit, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur*. Et quod hic paulo post citatur; *Bestia si tetigerit montem, lapidabitur*. Dū enim contactus montis prohibetur, tangibilis esse significatur. Quod pertinet etiam illud ex psal. 143. *Tange montes & fumigabunt*. Huiusmodi verò epitheton igni parum aptè aduenit; quia periculose tangitur. Cur autem dicitio *montem*, in tam multorum cōmentarijs non appareat; non alia ratio occurrit, quam quod codices, vt in alijs non paucis, ita hac parte iam olim variauerint; vt coniecturis opus sit ad veram lectionem inuestigandam.

ET TURBINEM, ET CALIGINEM, ET PROCELLAM ET TVBÆ SONVM. Vt hæc intelligas, consule scripturas Exo. 19. & 20. & Deut. 4. vbi legimus coniuua, fulgura, nubes, fumum, caliginem, clangorem buccinæ vehementius perstreperent: sub quibus facillè turbo & procella comprehendī possent; nam ignes nubibus inclusi turbines & procellas concitant: at non est opus. Habemus enim etiam hæc duo expressa, Deut. 4. secundum LXX. *γρόφοι καὶ θύελλαι*, id est, *turbines & procellas*; sicut hic transferuntur etiam ab Erasmo: Sed equidem non video quid probetur Græca voce *γρόφος* significari *turbinem*. Nam Græcis turbo *σπείραδος* vocatur, & in scripturis *λαίλαψ*, Sap. 5. & Ecclesiastici 48. Item *τροχός*, id est, rota, psal. 76. & 82. *σπυριός*, Naum 1. & *συσσιμός*, 4. Reg. 2. Cæterum *γρόφος* apud Græcos *caliginem* significat. Vnde Exo. 19. *νεφέλαι γρόφοδες*, *nubes caliginosa*. Quare putarem hunc locum ita vertendum, *Et caliginem, & tenebras, & procellam*. Ita veterunt Hieronymus Theodoretus interpretes, & Lonicus Theophylactus, & Henricus Oecumenij: nisi quod hic postremus loco *procella* nescio qua causa, *turbinem*, scripsit. Nec verò secus habet editio Syriaca. Iam nec in Hebræo turbine vlla mentio; sed nubes & caliginis. Legantur eadem tria. Exo. 10. vbi plaga tenebrarum describitur. Quo certè loco turbine intelligi nemo dixerit: & qui LXX. transtulerunt in Latinum, *γρόφος caliginem* non *turbinem* interpretati sunt.

19

ET VOCEM VERBORUM. Scilicet eorum quibus lex ad populum pronunciata est ac promulgata. Sic enim post descriptam legislationem, Moyses subiungit: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinae, &c.* Vbi obiter nota, *videre*, more scripturæ positum pro eo quod sensu percipere, id est, speciem pro genere. Non enim voces illas oculis videbant, sed auditu percipiebant, secundum id quod sequitur,

QUAM QUI AUDIERUNT, EXCUSAVERUNT SE, NE BIS FIERET VERBUM. *Excusauerunt se* Græcè *παρηγορηθησαν*. Quod alij verterunt *deprecati sunt*. Sic enim scribitur Exo. 20. *Et perterriti ac pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis & auaiemus; Nō loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Fuit ergo deprecatio, sed cū excultatione, qua dicebant, *ne forte moriamur*. Alibi verbū hoc nudam significat excultationem, vt Luca 14. in eo qui dixit, *uxorem duxi, & ideo non possum venire*. Non enim addidit sicut alij, *Rogo te, habe me excusatum*. Interdum verò significat, reculare, repellere, vt 1. Timoth. 4. & 5. & Tit. 3. tametsi noster interpres in illis locis vertit, *denotare*. Repetitur & infra semel & iterum, hoc capite, vbi quid significet, ibidem dicturi sumus. Pro ea parte, *ne eis fieret verbum*, Græca sic habent; *ne apponeretur eis sermo*. Quod tripliciter accipi potest. *Eis*, scilicet verbis prioribus, vel prodigijs quæ præcesserunt, vel *eis*, qui audierāt. Primo modo sensus est: Excusarunt se rogantes, ne ad verba priora quicquam amplius adderetur. Secundo modo: ne adiungeretur sermo talibus monstris iam visis. Et hoc voluit Erasmus, dum ita vertit: *Deprecati sunt, ne bis adiungeretur oratio*. Tertius sensus est, *deprecatos fuisse, ne sibi amplius fieret sermo*: sicut habet alia translatio. Atque hic intelletus sine dubio germanus est. Nō enim rogabant filij Israel, ne Dominus quicquam adijceret prioribus verbis; sed, ne ad ipsos pergeret loqui; quæ autem addere vellet, per Moysen ipsis traderet. Id patet ex verbis Exodi iam citatis. Clarissimè verò ex Deut. 5. vbi eadem plenius referuntur. Applaudit huic sensui interpretatio Syriaca: *Petierunt, ne adderetur, vt fieret sermo cum ipsis*; id est, ne amplius secum loquentem Deum ipsum audirent. Est enim latens Hebraismus, qualis ille Isa. 7. *Adiecit Dominus loqui ad Achaz*.

20

NON ENIM PORTABANT, QUOD DICEBATVR. Græcè, *τὸ διαπερὸν* quod dicebatur, promulgabatur, Syriacè, *quod mādabatur*, scilicet edicto publico. Faber minus rectè, *quod distinguebatur*; referens hoc ad varietates sonorum & verborum terribilium. Nam verus & perspicuus sensus est, Non ferebant seueritatem edicti. Graue & durum valde eis videbatur; nimirum hoc quod sequitur,

ETSI BESTIA TETIGERIT MONTEM, LAPIDABITVR. Non hoc totidem verbis

dictum est: sed continetur in edicto facto ante legislationem Exo. 19. Sic enim habet: *Omnia qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimentur, aut confodietur iaculis; sine iumentum fuerit sine homo, non viuet.* Igitur hoc loco distinctiue suppleendum est: *aut iaculis confodietur*. Et quidem hoc additum habetur in quibusdam Græcis codicibus, quos Erasmus vertendo secutus est. Sed malè. Nam meliores codices, & in his Regij, non habet; vt nec interpretatio Syriaca. Sed & Græcorum commentarij prorsus non meminerunt. Porro edictum hoc *intolerabile*, id est, extremæ seueritatis eis videbatur. Sic enim colligebat; Si etiam brutum & innoxium animal, ob solum montis contactū, morte plectitur; quid nobis futurum, quibus lex datur, si legis aliquid mandatum transgressi fuerimus: Obiter admoneo vnam esse dictionem *est*, non duas: Nam Græcè est *καὶ etiam si*. Nec diuersum est quod alij vertūt: *Si vel bestia, &c.*

Sed quæ res quomodo hac parte; *Non enim portabant*, reddatur ratio præcedens, quæ dictum est, eos qui vocem verborum audierunt, deprecati fuisse ne amplius eis fieret verbum: quando quidem ibi terroris causa ascribatur voci verborum Dei quam audierant, hinc autem edicto quod triduo ante datum erat. Græci partem illam *Non enim portabant quod dicebatur*, distrahunt ab ea quæ sequitur; & exponunt hoc modo: Non enim ferebant verba Dei præcipiens; adeo terrificæ vox erat: Ideo rogabant, ne sibi amplius loqueretur. Partem autem sequentem, *Etsi bestia tetigerit, &c.* accipiunt tanquam diuersum argumentum timoris. Verum coactior est hæc distinctio, & non necessaria. Nā ad scrupulum respondere possumus, Apostolum his verbis; *Non enim portabant, &c.* non præcisè dare rationem eius quod proximè præcedit; sed nouam adijcere causam timoris. Potest etiam dici, probationem esse à maiore: Si enim non portabant edictū per Moysen annunciatū de lapidatione bestię; quanto minus ipsius Dei vocem, tam terribiliter loquentis, sustinere poterant?

ET ITA TERRIBILE ERAT QUOD VIDEBATVR. Græcè *τὸ φανταζόμενον*, id est, visum quod apparebat; vt bene vertit Erasmus. Non intelligitur autē visum merè phantasticum, quod appareat & non sit; sed hoc nomine significare vult apostolus ea quæ sensibus obijciebātur, id est, ignis caliginem, procellam, tubę sonitum, & vocem verborū. Totum autem hoc vocat *φανταζόμενον*, quia non videbatur ipse Deus sed ad terrorem maiestatis eius ista exhibebantur. Hanc partem rursus Græci separare vidētur ab ea quæ continuò equitur. Seorsim enim collocant per modum epiphonematis: *Adeo terribile erat quod videbāt & audiebant*. Quam distinctionem etiam Latinorum nonnulli sequuntur. Sed ei primū videtur ob stare coniunctio

in

in capite posita, quæ redundaret. Non enim seruit epiphonemati. Deinde proximè nihil præcessit cui quadraret hoc epiphonema. Nam edictum occidendæ bestię, nō numeratur inter terrificæ visæ & audita; sed eò tantum adducitur ab Apostolo, vt ex illius seueritate doceat Israelitas habuisse causam vehementer timendi legislatorem. Quare magis placet aliorum sententia, qui partem hanc connectunt cum sequenti;

MOYSES DIXIT: EXTERRITVS SVM ET TREMEBNDVS. Non satis quidem videtur hæc pars coherere cum præcedenti: deest enim coniunctio. Verum supplemento opus est; quod etiam huic loco adhibet interpretes Syri, apud quem ita legitur: *Et adeo formidabile erat visum, vt Moyses diceret; Timeo ego & tremo*. Similiter supplet Hentenius in sua versione. Sensus autem est: Et adeo terribile erat quod in monte videbatur & audiebatur, vt non tantum populus perterritus fuerit, sed ipse etiam populi dux, ille, inquam, qui familiarius cum Deo colloqui solebat; fateretur se expauescere & contremiscere.

Quæritur vbi legatur hoc Moysen dixisse. Nam in Exodo & Deuter. nihil tale habetur: ac potius contrariū videri potest ex verbis Moysi dicentis ad populum, Exo. 20. *Nolite timere. Vt enim probaret vos, venit Deus; & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis*. Qui enim ipse timet & tremat, parum aptus est ad exhortandum alios ne timeant; vt argumentatur Caietanus. Qui proinde sic interpretatur hunc locum quasi Moyses tunc quando lex dabatur non verè fuerit terribus, sed animando populum perterritum suo exemplo, cōmemorauerit id quod olim sibi ipsi acciderat, quando apparuit ei Deus in rubo. Tanquā diceret; Ego quoque aliquando exterritus fui & tremebundus; & tamen super-vixi nec quicquam mali passus sum. Quare & vos nolite timere. Moysen autem quādo Deus ei in rubo apparuit, exterritum fuisse; liquet, quia legitur abscondisse faciem suam, nec ausus aspiceri contra Deum. Exo. 3. Vnde S. Stephanus Act. 7. *Tremefactus autem Moyses, inquit, non audebat considerare*. Sed illa Caietani responsio violenta est, adeoque textui repugnat. Non enim apud Apostolum vtitur Moyses verbis aut participijs quæ possent accommodari ad tempus præteritū; quæ sunt apud Latinos, *exterritus, & tremefactus*, addito *sum*, aut *fui*: sed assumit nomina, cum verbo substantiuo præsentis temporis, *exterritus sum, & tremebundus*. Quæ non aliter quam de tempore præsentis possunt intelligi. Nec quicquam valet in contrarium ratio Caietani. Nihil enim prohibet quō minus aliquis timens ac tremebundus, tum se tum alios exhortetur ad nōn timendum; sicut fecisse leguntur Philisthæi, 1. Reg. 4. quando audierunt arcam Domini allatam esse in castra Hebræorum.

Iuxta quem modum dicere possemus, Moysen populo perterrito ac tremefacto, cum deprecaretur vocem verborum Dei, dixisse; *Ego quoque perterritus sum ac tremebundus: Verumtamen nolite temere. Vt enim probaret vos, venit Deus.* &c. S. Thomas suspicatur apostolum vsum alia litera, vt loquitur, id est, alia versione scripturæ, quam nos nō habemus. At hoc dici nō potest. Nam Apostolorum tempore non exstabat alia ex Hebræo Græca versio præter LXX: qua etiam perpetuò apostolus vtitur in hac epistola. Constat autem apud illos hæc verba non legi. Sunt qui recurrant ad reuelationem: sed nulla necessitate. Facilis enim & prompta responsio est, apostolum hæc habere ex traditione maiorum; quomodo cognita habebat nomina magorum Pharaonis 2. Tim. 3. Atque hinc discimus etiam antiquos fideles multa fide digna per traditionem accepisse, quæ scripta non erant: vt ne mirentur aduersarij in ecclesia Christi præter sacros libros etiam traditionibus esse locū. Ioannes Calvinus, ne quicquam tale fateri cogatur; huiusmodi commentum huc adduxit: Moysen non sui sed populi nomine sic locutum; cuius mādara quasi internuncijs ad Deum referrebat; vt qui esset veluti cōmune os omnium. Primū hoc cōmentum non potest effugere Calvinus quod metuit. Nam siue populi nomine, siue suo Moyses ita locutus est; non tamen ostendere poterit Caluitius vbi scriptum sit hoc Moysen dixisse. Quare sic quoque traditionem agnoscat necesse est. Deinde friuolum planè est quod adfert. Nō enim Moysen Apostolus introducit tāquam aliquid dicentem nomine populi; sed distinctè de vtroque loquitur, prius de populo, deinde de Moysen: q. d. Non solum populus perterritus fuit horrendis illis visis; verum etiam Moyses, adeo quidem vt diceret, *exterritus sum & tremebundus*. Cæterum Lutherus, & si qui alij ex hoc loco conuellere nituntur epistolæ auctoritatem, tanquam citantis apocrypha; non vident se pari ratione detrahere epistolam ad Timotheum secundam, & Iudæ Apostoli, in quibus itidè aliqua quæ sunt extra canonē scripturæ referuntur. Nos itaque negamus quicquam horum apocryphum esse; sed omnia dicimus eiusmodi, quæ fidei maiorum traditione, per manus, ad apostolos vsque delata fuerunt.

SED ACCESSISTIS AD SION MONTEM. Hæc altera pars est comparisonis, quæ iam docet quonam per fidē accesserint; hoc est, ad quam pertineant societate, & cui populo sint aggregati, nimirū filiorum noui testamenti. Quo beneficio eos admonitos vult, vt norint hoc magis astrictos se esse ad tuendam vitæ sanctimoniam, fidemque retinendam, & ad cætera quæ continebat superior exhortatio. Eius verò societatis dignitatē ac splendore graui & eleganti ratione depingit. *Montem Sion* Theophylactus, Oecumenius

& alij

& alij nonnulli cælum interpretantur, id est, habitationem cælestem beatorum. Verùm alij rectius ecclesiam intelligunt, quatenus militantem simul & triumphatam comprehendit. Nam militantem excludi non permittit antithesis, quæ est inter duo membra comparationis. Sicut enim mons Sina allegoricè vetus testamētum significat, eiusque filios; ita mons Sion, & Ierusalem, quam cōtinuè nominat, significationem habet noui testamēti, & filiorum eius; ut docet apostolus Gal. 4. Huius autem testamenti filij partim militant in terra, partim regnant in cælo. Probant hoc ipsum scripturæ, in quibus Sionis mystici sit mentio, ut psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* & Isa. 2. *De Sion exiit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Idem amplius adhuc patefiet ex sequentibus.

ET CIVITATEM DEI VIVENTIS IERUSALEM CÆLESTEM. Ordo est: *& ad Ierusalem cælestem quæ est ciuitas Dei viventis.* Vbi notandum, illam partem, *Dei viventis,* a pō nouè reuocari posse etiam ad *Sion montem*; ut & mons Dei, & ciuitas significetur. Sicut enim Ierusalem passim Dei ciuitas vocatur; ita & de Sion dicitur in psalmo 67. *Mons Dei mons pinguis.* Porro Ierusalem cælestis eadem est cum ea de qua Gal. 4. *Qua sursum est Ierusalem, libera est.* Quo utique loco constat ecclesiam intelligi in ijs quorum conuersatio in cælis est, licet adhuc habitatio sit in terris. Quemadmodum illic plenius a nobis est demonstratum. Dicitur ergo *Ierusalem cælestis* propter originem & finem. Nam & de cælo descendit, Apoc. 21. *& quæ sursum sunt querit ac sapit, non quæ super terram.* Col. 3. Vocatur autem *ciuitas Dei viventis*, quod eius conditor & opifex sit non homo, quispiam mortalis; sed Deus viuus & verus: ut dictum est capite præcedenti.

ET MVLTORVM MILIVM ANGELORVM FREQUENTIAM. Græcè; *& myriadam angelorum cæcum* siue conuentū. Ambrosius, lib. 2. de Abel & Cain cap. 2. celebritatem vocat lætantium angelorum. Etenim vox Græca *μυριάς*, qua vtitur apostolus, conuentum significat, non quemlibet, sed publicum, celebrem, ac lætum; qualis erat cum ad diem festum, vel ludos solemnēs, vel mercatum (vnde nomen inditum) frequens vndique populus conueniebat. Hinc orationes panegyricæ, quæ in huiusmodi conuentibus habebantur. *μυριάς* etiam Græcis propriè significet numerum continentem *decem millia*, quem & Ambrosius expressit loco memorato; sæpè tamen indefinitè ponitur pro multis milibus. Quem tamen numerum vehementer intendit plurale, *μυριάδες*; ut non simpliciter multa milia; sed valde multa milia sanctorum angelorum significare voluerit apostolus: sicut expressius significauit Daniel ita scribens cap. 7. *Milia millium ministrabant ei, & decies milies centena milia assiste-*

bant ei. Nam ibi in Græco legitur posteriori loco, *μυριάς μυριάδες*, id est, decies mille myriades; ut videri possit apostolum eò respexisse. Nisi, quod magis puto, respexerit ad locum Deut. 33. qui sic habet; *Deus de Sinai ueniet, & cum eo sanctorum millia.* Vbi pro sanctorum *millibus*, LXX scripserunt, *angelorum myriades.* Versatur enim apostolus in antithesi eorum quæ in monte Sina gesta sunt, & quæ in spiritali Sion geruntur. In illum, vnà cum Deo legem daturò descenderunt angelorum millia, qui terrorem commouerent: In hoc, tanquam in ciuitate Dei lætus est multorum milium angelorum conuentus, qui nacti vnum caput nobiscum, quod est Christus, nos ut conciuēs suos amant, & ad eandem secum felicitatem prouehere student. Ostendit hic locus, etiam angelos pertinere ad ecclesiam Christi; & vnā nobiscum Dei ciuitatem constituere: sicut docet Augustinus lib. 10. de ciuit. Deicap. 7. non quod & ipsi redempti sint sanguine Christi (neque enim redemptione egebant qui non peccauerant) sed quia Christus sua passione promeruit ut tam angelis quam hominibus in vnā ecclesiam collectis, ipse tanquam omnium caput præficeretur. Ephes. 1.

ET ECCLESIAM PRIMITIYORVM QUI CONSCRIPTI SVNT IN CÆLIS. *Primitiuorum*, Græcè *πρωτόγονον*, id est, *primogenitorum*. Quos intelligat primogenitos, non vnā omnium sententia est. Theodoretus electos interpretatur. Theophilactus & Oecumenius fideles quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Quæ duæ sententiæ ferè in vnā conueniunt. Nam Theodoretum existimo loqui de electis fidelibus. Alij *primogenitos* dici volunt eos qui prioribus sæculis placuerunt Deo per fidem; ut sanctos patriarchas & prophetas, de quibus actum est in capite præcedenti. Rursus alij sanctos apostolos ac reliquos qui tempore reuelatæ gratiæ primiti crediderunt; tanquam credentium primitiæ. Sic S. Thomas & alij recentiores. Similem quandam expositionem adfert secundo loco Oecumenius, scilicet primogenitos dici sanctos qui habent aliquid excellentis præter alios fideles; more *primogenitorum*, inquit, *qui apud nos sunt, quibus ex iure primogenitura dantur aliqua præcipua legata.* Denique nonnulli propter id quod additur; *qui conscripti sunt in cælis*, significari putant sanctos cum Christo regnantes; quos dicunt primogenitos vocari, propter gloriam qua iam renati sunt. Vnde & dies quibus in cælum sunt recepti, Natales dicuntur. Hæc postrema sententia vel ob id non placet, quia de sanctis cum Christo regnantibus statim sequitur peculiare membrum, *& spiritus iustorum perfectorum.* Nec vero scriptura propter gloriam quam modò habent, vsquam eos renatos vocat, sed regenerationem tantummodo appellat vel eam quam in Baptismo consequimur, ut

Io. 3. Tit. 3. & 1. Pet. 1. vel beatam resurrectionem, ut Matth. 19. Inter reliquas verò sententias prima, quæ Græcorum est, nobis maxime probatur, ut *primogeniti* dicantur omnes boni fideles; primogeniti, inquam, non inter ipsos fideles, sed in genere humano: quia cum omnes homines per creationem sint filij Dei; specialiter tamen boni fideles, per adoptionem Dei filij sunt. Hoc autem ad solos electos contrahit pars adiecta, *qui conscripti sunt in cælis.* Non dicuntur autem *conscripti* in cælis, sicut apud Romanos erant patres conscripti, qui dignitate cæteros omnes anteibant, ut vult Aquinas; sed eo sensu quo scriptura dicere consuevit, aliquorum nomina vel in cælo vel in libro vitæ scripta esse; ut Lucæ 10. Philip. 4. Apoc. 13. & 17. Quæ locutione prædestinatio ad vitam æternam significatur, omnibus electis communis. Itaque non est cur ad solos excellentiores quosdam sanctos hanc partem restringamus. At neque scripturæ mos est, ut aliquam nominet apostolorum aut prophetarum ecclesiam, sed sanctorum in genere; cuiusmodi sunt omnes boni fideles. Totā igitur ecclesia Christi est ecclesia primogenitorum, videlicet eorum quibus debentur primogenita; quæ vendidit Esau: sicut supradictum est. Nam illuc apostolum hic alludere satis verisimile est. Et ut amplius probem quod dico: sicut de primitiis, sic de primogenitis loquitur scriptura. Iuxta quam Christus quidem primitiæ electorum 1. Cor. 15. electi verò primitiæ dicuntur creaturæ, id est, humani generis, ut Iacobi 1. *Genuit nos*, inquit, *verbo veritatis, ut simus iniustiam aliquod* (Græcè, *primitiæ quædam*) *creatura eius.* Et Apoc. 14. *Hi impii sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno.* Non dicit, *ex electis*, aut *ex populo Dei*; sed *ex hominibus*. Tale est quod Rom. 16. & 1. Cor. 16. quidam vocantur primitiæ vel Asiæ vel Achaïæ, id est, totius regionis. Ad eundem modum, Christus quidem est primogenitus inter electos; idque Christo proprium. Rom. 8. Col. 1. Apo. 1. electi verò primogeniti sunt inter homines; quatenus scilicet peculiari ratione præ alijs ex Deo geniti, nimirum, ut dixi, per adoptionem, quæ eos constituit hæredes vitæ æternæ. Atque hæc ita dixi, non quod ignorem diuersam, esse rationem de primitiis & de primogenitis. Nā primitiæ, per se non sonant excellentiam præ reliquis fructibus, sed tantummodo temporis præcedentiam. Id quod in fructibus, corporalibus est manifestum; & in spiritalibus eadem ratione est intelligendum. Contingit autem, primis fructibus adiunctam esse excellentiam præ reliquis; etiam in notione primitiatum ea excellentia non contineatur; & secundum hoc dicuntur ea quæ allegauimus ex 1. Cor. 15. ex Iacobi 1. & Apoc. 14. Nō autē illud Rom. 8. *Primitiis spiritus habentes.* neque quod ex eiusdem epistolæ c. 16. produ-

xi. & ex 1. Cor. 16. Sensus igitur huius partis est: Aggregati estis & adscripti in societatem eorū, qui præ cæteris mortalibus electi sunt à Deo & ab alijs separati, tanquam primogeniti; & in cælis, tanquam beatitudinis cælestis hæredes, conscripti. Hæc verò dicens significat, & ipsos esse primogenitos, & conscriptos in cælis.

ET IUDICEM OMNIYVM DEYVM. Chrysostrimus eiusque sequaces hoc additum putant ad terrorem; ne sint securi, sed timeant. At non est verisimile. Non enim staret antithesis apostolo proposita, inter vetus & nouum testamentum. Nec sanè congruebat ut inter terrores ac desiderabilia, ad quæ dicit eos accessisse, misceret aliquid terribile. Nominat ergo *iudicem omnium Deum*, ad ipsorum consolationem; ut ne dubitent se à iusto iudice, pro merito fidei suæ ac patientiæ si perseverauerint, accepturos promissam retributionem; eos verò, quos fuerant passi persecutores, condignis supplicijs addicendos. Confirmat hanc rationem locus 2. ep. ad Theff. qui similia cum istis Hebræis passi fuerant. Sic enim habet cap. 1. *Sic tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem ut qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum, &c.* Porro ipsdem Græci partem hanc de Christo loquuntur. *Neque enim Pater, inquit, iudicat quengquam; sed omne iudicium dedit filio Io. 5.* Contra S. Thomas affirmat patre significari; à quo est omnis autoritas iudiciaria in diuinis. Quod enim filius iudicet, habet à patre. Et ad argumentum Græcorū respondet eam scripturam intelligi quantum ad corporalem præsentiam; quia tota persona filij apparebit in iudicio. Quæ sententia profecto probabilior est. Nam de Christo non ut iudice loquitur nunc apostolus, sed ut mediatore ad iudicem; quæ admodum mox audiemus. Quamquā nihil vetat quod hic dicitur, ad totam trinitatem extendi; sicut & illud in capite sequenti, *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Ad huc iudicem accesserant, ait Thomas, per fidem & charitatem: quæ tum sit amicitia quædam hominis cum Deo; fecerat eos iudici Deo familiares, ut iam illis non tam metuendus esset quam amandus.

ET SPIRITVS IYSTORYVM PERFECTORVM. Meminit Aquinas triplicis lectionis; *spiritu, spirituum, & spiritus.* Et quamuis præferat primam lectionem, atque exponat de spiritu sancto; mediam verò qui sequuntur, connectant parti præcedenti; nobis tamen non est dubium, quin tertia lectio vera sit & germana. Nam *spirituum* nulla planè habent exemplaria vetustiora; *spirituum* complura; sed plurima, *spiritus*, legunt. Quibus & merito subscribit editio Clementina; quum tã codices quam tractatores Græci ita constanter habeant & exponant; denique Syrus etiam interpres astipuletur. Porro *spiritus iustorum perfectorum* rectè plerique omnes intelligunt

piorum hominū animas suis corporibus exu-
tas, & apud Deum viuentes. Nulla autē ra-
tio cogit vt restringatur hæc pars (quod qui-
dam faciunt) ad animas eorum qui Christi
aduentum præcesserunt. Quare generaliter
eam accipimus de omnibus animabus iusto-
rum perfectorum; qui vsque ad id tēpus quo
hæc ab apostolo scribebantur, emigrarant.

Sed quomodo perfectos siue consumma-
tos vocet, dubitari possit; cum in fine capitis
superioris dixerit eos omnes non sine nobis
consummandos; nisi nos eam dubitationem
dissoluissēmus eodē loco. Diximus enim, &
hic repetimus, iustos hac vita defunctos con-
summati secundū animas, quādo scilicet eorū
animæ (quos hic vocat *spiritus*) in cælum
receptæ clara Dei visione beantur. Per hoc
enim ipsi iusti synechdochicè perfici & con-
summati dicuntur, id est, accipere consumma-
tionem statui in quo sunt accommodatam.
Cum enim mortui sint & sine corporibus;
nondū eis competere potest illa iustorum
hominū absoluta consummatio, de qua ser-
mo est in capite præcedenti. Valet igitur hic
locus ad confirmationem catholicæ doctrinæ,
quæ tradit animas iustorum plenè purgatas,
statim admitti ad Deum clarè videndū. Hæc
enim est iustorum secundum animas consum-
matio. Valet etiā ad probandū purgato-
rium. Dicens enim *spiritus iustorum perfectio-
rum*; ostendit aliquos esse spiritus iustorum
nondū perfectorum. Qui quidem non alij
sunt quā quos iusticia Dei remoratur ac
detinet in pœnis; eo quod adhuc purgan-
dū aliquid habeant.

Sed quomodo Hebræi ad iustorum per-
fectorum spiritus accesserāt? Vtique per cha-
ritatē qua illis coniungebātur; & per spem,
quæ ad eandem felicitatē aspirabant. Ex
quibus patet distinctio huius partis ab illa:
Et ecclesiam primitiuorum, &c. Nam ibi de
hominibus sermo est; hæc de animabus: si-
mulque nobis insinuitur, ex hominibus in ter-
ra Christo militantibus, & animabus in cælo
cum Christo regnantibus, vnā constitui ec-
clesiam: Vt proinde per charitatē mutua sit
vtriusque communitio: qua sit vti & nos illa-
rum sanctarum animarum suffragia velut iu-
re amicitia requiramus; & illarū suam opem
ac patrocinium nobis non denegent; vti que
valitum per eum, de quo sequitur;

24

ET TESTAMENTI NOVI MEDIATOREM
IESVM. Dicitur *Iesus noui testamenti mediator*,
quia nouum testamentum; quod Deus no-
biscum statuere dignatus est; velut Dei inter-
pres ad nos attulit, & vt legislator promulga-
uit; sicut alibi declaratum est. Ad hunc acces-
sisse, eique, tanquā membra capiti, coaptatos
esse, maximæ dignitatis erat, simul & conso-
lationis. Accesserant autem per fidem; certa
concepta fiducia quod per illū mediato-
rē, amplissima bona nouo testamento pro-
missa, consecuturi essent. Nam *ideo noui te-
stamenti mediator est*, inquit, cap. 9. vt pro-

missionem accipiant qui vocati sunt, æterna hæ-
reditatis.

ET SANGVINIS ASPERSIONEM. Græ-
cè, & *sanguinem asperisionis*. Atque ita lege-
runt Theophylactus & Oecumenius. Nam
Chrysostrōmus & Theodoretus quid lege-
rint, ex eorum commentarijs non liquet. At
verò Syra versio consonat cum eo quod est
in Latinis. In quibus tamen suspicari liceat,
hanc casum commutationem factam ex
alio loco qui est 1. Pet. 1. vbi legimus, *asper-
sionem sanguinis Iesu Christi*. Siquidem huic lo-
co melius omnino quadrat Græca lectio, ma-
ximè propter id quod sequitur de sanguine
Abel loquente. Quanquam ad sensum non
ita multum interest, vtrum legatur, vti mox
intelligemus. Est autem allusio ad sanguinis
asperisionem quæ fiebat tempore veteris tes-
tamenti. Sed cum in Exodo duobus locis
mentio fiat asperis sanguinis; scilicet cap. 12.
vbi de sanguine agni paschalis iubeantur fi-
lij Israel aspergere super liminaria domorū;
Et cap. 24. vbi post datam legem, narratur
quæadmodum Moyses de vitulis oblati san-
guinē resperferit in populū, dixeritq; *Hic est
sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum*;
dubitari potest ad vtrum istorum respiciat
Apostolus. Plerique sentiunt, ac sanè proba-
bilis est, ad hoc posterius eum respicere, cu-
ius iam antea cap. 9. mentionem fecerat. Si-
cut enim illo sanguine dedicatum fuit vetus
testamentum; ita Christi sanguine dedicatum
est nouum; atqui in testamentorum compa-
ratione versatur hoc loco apostolus. Igitur
hac parte declarat præcedentem, ostendens
quomodo Christus noui testamenti media-
torem se nobis exhibeat; nimirum sanguine
suo pro nobis fuso. Quem propterea *sangui-
nem asperisionis* vocat; quia semel fustum fuisse
non prodest, nisi singulis asperisione qua-
dam, quæ per fidem & sacramenta fit, appli-
cetur. Si legas, *asperisionem sanguinis*; eodem
recidet intelligentia. Nam sensus est; eos ac-
cessisse vel ad sanguinem quo asperguntur;
id est, sanctificantur fideles, vel ad ipsum as-
perisionis huiusmodi, id est, sanctificationis,
beneficium. Huc autem accesserant Hebræi,
quando per fidem & baptismum incorpora-
ti fuerant Christo.

MELIUS LOQUENTEM QUAM ABEL.
Multi codices Græci legunt *meliorē*,
quod tamen loco aduerbij *melius* motè Græ-
co positū accipi potest. In alijs est ipsum sin-
gularē *melius*; quod & Syrus interpretes
expressit. Nec secus legisse videntur Græci
commentatores. Sicut autem Latinis, ita
& Græcis aduerbialiter sumitur; velut 1.
Cor. 7. *Qui non iungit, melius facit*. Illud quo-
que, *quā Abel*, variat in Græcis: *παι-
ον Αβελ. παρ' εγ' ο Αβελ*. Prioris lectionis
sensus est, melius loquentem quā lo-
cutus est Abel. Quod videtur congruere
cum eo quod de Abel dixit capite supe-
riori: *defunctus adhuc loquitur*. Posterioris

sensus

sensus: Melius loquentem quā loquebatur
sanguis Abel. Et hoc præsentī loco magis ac-
commodum est. Comparat enim apostolus san-
guinē Christi cū sanguine Abel, quoad vtrius-
que locutionem. Sanguis enim Abel vindictā
loquebatur, dicente Domino ad Cain: *Vox
sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Gen.
4. Sanguis autē Christi melius loquitur; quia
veniam loquitur & gratiam. Effusus est enim
in remissionem peccatorum, etiam ipsius pec-
cati quo fusus est; quoniam & orabat dicens;
Pater ignosce illis. Lucæ 23. Huic posteriori le-
ctioni fauent Græcorum commentarij, nec
non expositio Cyrilli, quam Theophylactus
& Oecumenius huc adducunt.

25

VIDETE NE RECUSETIS LOQUENTEM.
Comparisonem exhortatione cōcludit. Vti-
tur autē eodē verbo quo supra, quando dixit,
eos qui audierant, excusasse se, ne eis fieret verbum;
sed significatione nō nihil inflexa ad rem pro-
positam. Nam illi non aliud quā excusabant
se, cum deprecatione: Hic verò, si quis excu-
set se, non caret graui culpa recusati ac repu-
diati magni & necessarii beneficij. Vnde rectè
oster interpretes vertit, *recusetis*; Erasmus, *af-
pernemini*. Nam & hæc Græca voce significari,
suprà docuimus. Dicitio, *loquentem*, Græcè, *ὁ
λαλῶν* ad *sanguinem αἵμα* referri non potest:
Repugnat enim genus. Itaque vel ad *asper-
sionem*, *σπέρσιον*, referendum est, vel ad *Christū*.
Quod quidem secundum, multo probabi-
lius est, & omnino tenendum; vt ex sequētibus
patebit. Cum igitur, inquit, tanta vobis felici-
tas obtigerit, quanta iam superioribus verbis
explicita est; cum denique ad sanguinem me-
lius loquentem quā Abel accesseritis: omni
studio cauendum vobis est, ne eum qui per
sanguinem suum lōgè meliora loquitur, om-
nibus veniam proponens, omnesque ad salu-
tem per euangelij sui ministros inuitans; aut
simpliciter recusetis, aut (quod deterius est)
etiam contempnatis: sed vocem eius audite
perseueranter, donec hodie cognominatur, sicut
admonuit supra cap. 3.

SI ENIM ILLI NON EFFUGERVNT, REC-
USANTES EVM QUI SUPER TERRAM LO-
QUEBATUR; vel, *in terra*. Nam Græcè est, *ἦν
τὸς γῆς*, vt in oratione Dominica. Exhortatio-
nem confirmat pœna recusantiū: Atq; hanc
probat à minori, id est, ab eo quod magis erat
verisimile. Si enim, inquit, illi non effugerunt
commertitas pœnas, qui recusabant, asperna-
bantur, aut (vt nunc Erasmus vertit) auer-
bantur eum qui loquebatur in terra: &c. Non
dissimiliter argumentatus est cap. 2. *Si enim
qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus;*
*& omnis prauaricatio & inobedientia accepit su-
fficientem mercedis retributionem: quomodo nos effu-
giemus, si tantam neglexerimus salutem?* Lo-
quitur apostolus de ijs qui accesserant ad tra-
stabilem montem & accensibilem ignem, &
cætera superioris commemorata.

Sed quaritur, quomodo dicat *eos non effu-
gisse, recusantes eum* &c. cum in eorum verbis

nulla appareat recusatio, sed humilis tantum
excusatio cum deprecatione cōiuncta; atque
adeo cum promissione obedientiæ; sicut ipsa
verba declarant: nec verò propter hoc legantur
vilo modo puniti, sed magis laudati, di-
cente Domino: *Bene omnia sunt locuti*; quem-
admodum refert Moyses Deut. 5. Quaritur
etiā, quem dicat eum qui super terram lo-
quebatur; Deum an Moysē, an alium quē-
piam. Ad priorem quæstionem nōnulli, pres-
si ac persuasi rationibus iam allatis, respon-
dent Apostolum hīc non respicere ad eam
excusationem de qua supra locutus est, quā-
do dicebant: *Loquere tu nobis; Non loquitur
nobis Dominus*: sed ad id quod nō multo post
contigit, quando Moysen recusarunt ac re-
iecerunt, eundem scilicet quem prius elegerant
vt per eum Dei verba audirent. Recusa-
runt autem, quando contempnim de eo lo-
quentes dixerunt: *Moyse, huic viro qui nos
educit de terra Egypti, ignoramus quid accide-
rit*. Vnde & Stephanus Act. 7. *Cui noluerunt,*
inquit, *obedire patres nostri, sed repulerunt;*
& uersi sunt cordibus suis in Egyptum &c. Alij
verbum *recusantes* referunt generatim ad in-
obedientiam & incredulitatem veteris po-
puli, qui nec Moyse nec prophetis vnquam
auscultare voluit. Sed hæc videntur aliena à
mente apostoli; qui materiam exhortandi su-
mit ex supradictis, & ad ea procul dubio res-
picit. Dicendum igitur, apostolum cōsiderare
excusationem illam populi de qua Exod. 20.
non prout verba sonant, propter quæ dictum
est à Domino, *Bene omnia sunt locuti*; sed secū-
dū animos & facta subsecuta. Cū enim essent
filij veteris testamenti, putarentque solā legis
cognitionem sibi ad eam præstandā sufficere;
& ea præsumptione subinde repeterent illud,
Omnia qua locutus est Dominus, faciemus,
Exod. 19 & 24. non poterat excusatio eorum
coniuncta cum promissione obediendi, lau-
dem mereri apud Deum, sed reprehensionem
potius ac pœnam. Neq; enim erat in illis effi-
cax obediendi voluntas. Quod significabant
illa Dei verba, quæ proximè subiecit; *Quis des-
talem eos habere mentem, vt timeant me, & cu-
stodiant vniuersa mandata mea?* Sed & alibi
queritur Moyses, & refert B. Stephanus, eos
semper, ex quo fuerant egressi ex Egypto,
fuisse Domino rebelles & inobedientes. Ad-
de quod illa excusatio qua dicebant, *Non lo-
quitur nobis Dominus*; typicè significauerit id
quod reuera futurum erat; nēpe populū il-
lum non auditorum vocē Dei loquentis, hoc
est, non seruaturum legē ab eo sibi datā. Quē-
admodum & filius ille qui patri iubenti; *Va-
de, hodie operare in vinea mea: respondit, eo Do-
mine; & non iuit*. Matth. 21. parabolicè signi-
ficauit eundē populū, legis diuinæ professore-
m & nō factorē. Iam quomodo nō effuge-
runt inobediētia suæ pœnas; satis abunde que
docet historia sacra, maximè Nūmer. Ex quo
lib. quatuor plagas recesset apostolus 1. Co. 10.
Ad alteram quæstionē similiter non vna est

interpretū responsio. Quidā per eum qui super terrā loquebatur Moysen intelligunt, vt Chrysoſt. & Oecumenius. Sed hoc refellitur duplici argumēto: Primò, quia filij Iſraēl non Moysen, sed Deū, sibi loquentē recusarunt ea recufatione de qua in præcedētibus actū est. Nā Moysi dicebāt: *Loquere tu nobis & audiemus*. Deinde, quia participiū Græcū *χρηματισθησάντων*, pro quo nos habemus, qui loquebatur, in Moysen non cōpetit. Significat enim, *oracula reddentē*; præsertim vsū scripturæ sacræ: quod ostēdimus ad illud c. 8. *Sicut respōsum est Moysi*. Atqui Moyses non dabat oracula, sed accipiebat, vt locus iam citatus manifestat, & res ipsa loquitur. Deus autem est qui hominibus edit oracula. Quare Deū potius quā Moysen intelligere cōuenit per eū qui loquebatur super terrā. Atq; hūc sensum indicat Theodoretus; refert etiā, post priorē, Theophylactus vt magis probabile. Sed sciendum non soli Deo in scripturis attribui *χρηματισθαι*, oracula edere; verū etiā angelis; vt Act. 10. vbi Cornelius Cetero dicitur respōsum siue oraculū accepisse ab angelo. Idemq; de Magis & S. Ioseph satis intelligi datur, Matt. 2. Quin & Moyses in rubo & in mōte Sina, nō immediatē respōsa accipiebat à Deo; sed ab angelo, cuius ad eā rem ministerio Deus utebatur: vt cōstat ex oratione B. Stephani Act. 7. & aliūde. Igitur cū Lirano, angelū hūc intelligi puto, per eū qui loquebatur super terrā: & quidem angelum populi ductorē atq; custodem; de quo Dominus ita præcipit Exo. 23. *Obserua eū, & audi vocē eius, nec contēnendum putes: quia nō dimittet eū peccaueris* &c. Hūc erat Michaēl archāgelus, per quem lex data fuit: quē etiam exterminator em apostolus vocat. 1 Cor. 10. Ex quibus iā patet quomodo nō effugerint qui recusauerūt loquentē super terrā; quia nimirū eundē angelū quem in mōte, ex Dei persona loquentem audiuerāt & recusauerāt, dicētes: *Nō loquatur nobis Dominus*; postea seferunt vindicē suarū transgressiōnū. Cōfirmat hūc intellectū locus ille capitis 2. huic similis, quem diximus: *Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus* &c. Ex quo etiā loco S. Thomas probationem assumit pro hoc sensu quē ipse tradit secūdo loco. Meminit huius sensus etiam Titelmanus. Ac sanē maior ac ventosior est antithēsis, & fortius argumentum quod facit apostolus, si cōparatio fiat inter angelū super terram loquentem, & Christum de cælo: quā si inter Deum loquentem super terram, & Christum de cælo. Hoc enim ita sonat, ac si Christum de cælo loquentem apostolus præferret Deo loquenti super terram. Quod absurdum est. Sequitur illatio.

MULTO MAGIS NOS QUI DE CÆLIS LOQUENTEM NOBIS AVERTIMVS. Latinius, *auerſamur*; quomodo Græcā vocē reddidit idē interpretēs ad Tit. 1. Græcā sic habent: *Multo magis nos eū qui de cælis, auerſantes*. subaudi, *nō effuglemus*. Vbi adhuc ambiguum manet, quo verbo supplendū illud, *qui de cælis*; an verbo,

loquitur, vt noster facit interpretēs, & Syriacæ versionis author, repetētes *loquendi verbū* ex mēbro priorian verbo substantiuo, est; vt ceteri ferē interpretes: quod & magis habet vsus Græci sermonis; nisi quod ad supplēdū verbū in priori mēbro expressum, potius inuitat facies argumētationis; vt opponatur, loquēs super terrā, & loquēs de cælo. Nā & ante dixerat, *Vide ne recusetis loquentē*. Atq; ita supplēuit in suis cōmētarijs Chrysoſt. & eius sequaces. Vt sēsus sit: Multò minus nos effugiemus cōmeritas pœnas, si Christū de cælo nobis loquentē, & oracula reddentē, per incredulitatē fuerimus auersati. Dicitur autem *Christus loqui* & oracula dare *de cælo*; quia postquā in cælū ascendit, primū quidē Spiritū sanctum misit & per eū loquutus est; deinde per apostolos & eorū successores, quos misit ad euangelium prædicandum, loqui perſeuerat, non solū verbi prædicatione, sed etiā oratione miraculorū. Qui sensus rursus ex cap. 2 probabilis efficitur; vbi simili argumētatione, quē admodum dictum est, vsus apostolus, adiecit quomodo salutaris prædicatione à Domino cœpta, deinceps cōfirmata fuerit per apostolos; *Deo cōestante signis & portentis & varijs virtutibus & Spiritus S. distributionibus*. Hoc enim erat Dominū loqui de cælo. Denique, de cælo loquitur id quod paulò post citatur ex propheta. Si cui magis placet supplere verbū, est; sensū hunc habeat; Multò minus impunitos fore qui auersantur eū qui de cælo est, originae scilicet diuina; & qui de cælo venit, vt doceret nos verba salutis. Theodoret. insinuat ita supplendū: *Qui de cælo vēturus est iudex & peccatorum vindex*. Quod satis cōuenit cū seqq.

26. CIVIS VOX MOUIT TERRAM TVNC. Pertinet hæc pars cum ijs quæ sequuntur, ad declarationem eius quod proximē præcessit, nempe nō euasuros iusta supplicia qui Christū de cælo loquentē fuerint auersati. *Mouit*, Græcè *ἐκείλευσε*, id est, *concussit*. Loquitur autē de eo motu seu concussione terræ quæ facta est quādo lex dabatur; nō quod propriē terra tunc concussione passa fuerit, qualem patitur in terræ-motibus quos vocamus; Nā historia Exodi, repetita in Deuteronomio, quā accuratē singula tradit quæ terrorem populo legē accipienti faciebant, terræ-motus tamen non meminit: Sed quia scripturæ consuetudo est, vt moueri seu commoueri dicat ea, in quibus res nouæ, magnæ & admirabiles, seu lætæ seu tristes, accidunt; eo quod talium rerū subitus euentus atque aspectus vehementer animos hominum soleat commouere. Ita legimus in psalmo 67, *Deus cum egredieris in conspectu populū tuū, cum pertransires in deserto; terra mota est: Etenim cali distillauerunt à facie Dei Sinai* &c. Quo versu exitus filiorum Iſraēl de Agypto, & transitus in desertum decantatur: vbi tamen nullum terræ-motū accidisse proditum est. Rursus in psal. 95. *Latentur cali, & exultet terra; commoueat mare & plenitudo eius*. Vbi vehemens hominū futura exultatio

describitur, à cōmōtione rerū inanimatarum. Sic ergo vox illa verborū quibus lex lata fuit, cuius suprā meminit; terram concussisse dicitur, quia populū audientem ingenti terrore concussit. Porro vocula, *cuius*, ad quem referenda sit, haud planè liquet Sunt qui ad Deū referant. Nam Deus loquebatur populo. Vnde perterriti dicebant; *Nō loquatur nobis Dominus*. Alij peculiariter ad Christum applicāt: tū quia Christus intelligebatur in parte proximē præcedenti, neque contextus sermonis admittere videtur vt ad alium referatur; tum quia quod continuo sermone subiungitur, *nunc autē repromittit* &c. ad eundem pertinet. Itā Græci & alij plerique: secundum quos sensus est, Christum voce sua, quam angeli ministerio excitabat, tunc quando data est lex, terram cōcussisse. Cur autē illud Christo tribuat qui nōdum incarnatus erat; hæc ratio reddi potest, quod angelus ille Christi personam repræsentaret, adeoq; eius quodāmodo vultū gereret, quē postea in assumpta carne erat habiturus. Quæ veterū est opinio, nō leuiter in scripturis fundata. De qua copiosius egi, quum exponerē illa apostoli verba 1 Cor. 10. *Neque tenuimus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt*. Et rursus illa: *Et perierunt ab exterminatore*. Hic cōmentarius admodū probabilis est. Quò etiam insinuat eundē esse qui quōdam super terram loquebatur, & qui nūc loquitur de cælis. Angelus enim qui loquebatur super terrā, Christi in carne venturi personam & vultū, vt dixi, referebat. Vnde & B. Stephanus Act. 7. differēs de apparitionibus Moyſi factis in rubo & in mōte; nunc angelū, nunc Dominū, eū qui apparuit, appellat. Posset autē etiam hæc pars exponi de angelo, cuius ministerio vox illa terram cōmouens fuit excitata, sicut exponit Liranus; vt dictio *cuius* referatur ad prius mēbrum periodi præcedētis, id est, *ad eum qui super terrā loquebatur*. Sed fateoreo pacto minus cōmodam fore huius partis cum præcedenti connexionem.

NUNC AVTEM REPROMITTIT DICENS. Græcū verbū præteriti tēporis est *ἐπηγγέλται*. Vnde alij vertunt, *promisit*, alij *dennunciant*. Vtrumq; enim Græco verbo significatur. Ita sensus erit Christum apud prophetā promississe seu denūciasse hoc quod sequitur: *Adhuc semel* &c. Sed quia præteritū illud verbum neque actiuū est neque medium, sed passiuum; quod in actiua significatione non facillē reperias (Nā de exemplis quæ proferri possunt ex Ro. 4. & Gal. 3. dictū est suis locis): ideo videtur interpretandū passiuè, *Nunc autē promissus seu denūciatus est*, dicens: vel, *denūciatus est dicere*; vt iuxta Græci sermonis proprietatem, participium loco verbi infinitiui sit positum; quæadmodum Matth. 1. *Inuēta est in utero habens*, id est, *habere*. & cap. 10. *Cum cōsummasset Iesus præcipiens*, id est, *præcipere*. Sensus autem huius interpretationis est; Olim quidem vox eius terram concussit; nunc autem, id est, quod artinet ad tēpus instans, seu tem-

pus noui testamenti, per prophetam denūciatus est dicere quod sequitur. In vocabulo *dicēs*, allusio est ad id quod præcedit, *de calis loquentem*. Hic enim exponit quid (inter alia) cogitare debeamus Dominum de cælis loqui; nimirū aliquid quo nobis significetur, nō impunè laturōs qui cetera loquētes contēserint.

ADHUC SEMEL; ET EGO MOUEBO NON SOLVM TERRAM, SED ET CÆLVM. Græcè & Syriacè sine cōiūctione, *Adhuc semel ego mouebo*, siue *concuriam*, *nō solū terram* &c. Nisi quod multi Græci codices nō legūt *αὐτὸν κομῶν*; sed *αὐτὸν κομῶν*. Quidā igitur, cōiūctione sublata, continuā faciunt orationē, aduerbiū *semel* cōstruētēs cum verbo *mouebo*. Sed hi nō attendūt ad locū scripturæ ab apostolo citatū: qui est apud Haggaiū prophetam c. 2. vbi nos ex Hebræo sic legimus; *Adhuc unū modicū est: & ego cōmouebo cælum & terrā & mare & aridam*. Pro quo LXX verterūt, *Adhuc semel: ego cōmouebo cælum & terram* &c. Ex quo patet hanc partem, *Adhuc semel*, commate separandā à verbis sequentibus, & per se exponendā; sicut id quod in Hebræo ei respōdet: sicut & illud cap. 10. *Adhuc modicū, aliquantulumq;*. Quasi enim sic dicit: *Expectata adhuc modicum: & futurum est quod dico*. Sic Ioan. 14. *Adhuc modicum; & mundus me iam non videt*. Quamquam Apostolus hūc non vrget illud *modicum*; sed *semel*, quod pro vocula *unū* dederunt LXX.

Ceterū, pro loci huius intelligentia notandū est, apostolū ex scriptura cōsiderare & proponere nobis duas insignes cōmōtiones siue cōcussions: vnā minorem, qua terra cōcussa fuit in veteris legis latōne; alterā maiore, qua non solū terra, sed & cælum cōmouendū est. Quæritur ergo quādo hæc posterior cōmōtio facta fuerit, aut quando futura: non parum enim hūc dissidēt interpretes. Quod si locū prophetæ consideremus; videbitur facta in primo Christi aduētū. Nā de eo loqui Dominum apud prophetā, planum fit ex verbis, post ea quæ iā citata sunt, proximè sequentibus. *Et mouebo omnes gentes; & veniet desideratus eunclis gentibus, & implebo domum istā gloria*. Hæc enim ad primū Christi aduētū pertinere, & in eo cōpleta fuisse, res ipsa probat; est quæ ea constans expolitorum sententiā. Sed quomodo tunc cōmota sunt cælum & terra? Respondent, id factum in natiuitate Saluatoris, quando angeli de cælo in terram descēderunt, cum exultatione canētes, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus*. Sed his obijcio; Si motū est cælum in Christi natiuitate, quia angeli de cælo descēderunt in terram: cur non etiam motum est in legislatione; multis angelorum milibus de cælo descendentibus in montē Sina: Deut. 33. Dicunt alij, tunc factā hanc cōmōtionem, quando in cælo noua stella apparuit; & in terra Magis natum regem Iudæorum quærentibus, turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. His addunt signa quæ vel in

morte vel resurrectione Domini contigerit, ut solis obtenebratione, terremotū, petrarum scissionē, monumentorū apertionē. Liranus cæli cōmotionem constituit in Christi ascensione; quando, inquit, humanitati eius ascendentem cælum patuit. Nonnulli verò cōmotionem intelligunt cæli & terræ, id est, mundi, quæ facta est per euangelij prædicationem. Vehementer enim mundus commotus fuit noua Iesu Christi religione, per ipsum allata, ac deinde per eius apostolos disseminata in omnes gêres. Sunt etiam qui commotionem hanc interpretentur factam in eo quod per Christi mortem terrestria cælestibus, id est, homines cum angelis reconciliati sunt; iuxta apostolum Col. 1. Verum qui his modis interpretantur, nimium profectò apostolum a suo instituto abducunt. Versatur enim apostolus in exhortandis Hebræis, ne reculent Christum loquentem; alioqui non euasuros pœnas ab eo, ut iusto iudice, infligendas. Itaque facit Christum prophetæ verbis de cælo denūciantem hoc suum iudicium, in quo commouenda sunt cælum & terra. Dicitur enim hoc, ad significandum quàm sit iudiciū illud terribile. Huc facit quod loquitur apostolus de hac commotione, tanquam adhuc futura: quasi dicat vnam olim factam; alterā adhuc ex promissione expectādam. Proinde Chryostomus, imò Græci ad vnum omnes hunc locū exponunt de eā cæli & terræ commotione quæ futura est in fine sæculi, atque in secundo Domini aduentu, quando mūdus totus innouabitur. Nā & Cyrillus apud Oecumenium perspicuis verbis hunc intellectū tradit. Accedunt his Latini, Anselmus, Aquinas, Caietanus & alij. Verus igitur apostoli sensus est, Christum dicere, Adhuc vnum hoc restat, ut commoueam non solum terram, sed & cælum, scilicet aduentu meo ad iudicium. Tunc enim, vt totius mundi fiat innouatio, nec non ad terrore venientis iudicis, omnia elementa cōmouenda sunt, cælum, terra, mare. Hæc est ea commotio quam apertius explicat apostolus Petrus, 2 ep. 3. ita scribens; *Adueniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu transierint, elementa verò calore soluentur, terra autem & que in ipsa sunt opera, exurentur.* Et infra: *Properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentis soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nōnos verò calos, & nouam terram, secundum promissa ipsius, expectamus, &c.* Ex quibus B. Petri verbis etiam intelligitur hanc commotionem accipiendam de cælo aëreo. Quamquam & cælū sidereum suo modo transiurum, aliud discimus; dicente Domino, *Cæli & terra transibunt.* & Psalmista canente, *Opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt.* De qua re diximus ad 1 caput huius epistolæ.

Hic interim obserua, Apostolum libenter ingerere suis Hebræis mentionem aduentus Christi ad iudiciū: quum vt spe terribitionis futuræ patientiam feruent in aduersis, vt fecit

cap. 10. dicens, *Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet;* tum vt à defectione retrahantur metu futuri supplicij; quod facit hoc loco.

Restat diluenda obiectio, quæ alios interpretes auertit à sensu iam dato, & induxit in tā diuersas sentētiās. Nā si propheta de primo Christi aduentu loquitur, vt superius probatum est; quā, inquit, ratione licebit eius verba ab apostolo citata, de secundo aduentu interpretari? Vt hic præmittam quod B. Augustinus totū illum prophetæ locū intellexit de nouissimo Christi aduentu; lib. 18. de ciuit. Dei cap. 35 & 48. (quæ eius est singularis sententia) breuiter respōdeo, nihil vetare quominus testimoniū aliquod propheticū, siue per extensionem, siue per accommodationē, siue etiam per concessionem, ab Apostolo referatur ad id, de quo propriè propheta nō est locutus; præsertim vbi non disputantis, sed exhortantis partes agit: vt in præsentī. Ita respondet Gaignæus, dicens Apostolum non ineptè ad secundū Christi aduentum applicare, quod propheta de primo dixerat. Possumus etiā aliter respondere; nimirū, illa verba prophetæ, *Ego cōmouebo cælum & terrā & mare & aridam,* generatim pertinere ad totū tēpus quod decurrit ab initio regni Christi in terris, vsque ad eius completum. Per illud enim mirabiliter commotus fuit & commouetur mūdus. Sic igitur, impleta fuit illa prophetia secundū inchoationem, & metaphoricè intellecta, in primo Christi aduentu; tūc maxime quando cœpit euangeliū prædicari omni creaturæ: ceterū consummatè, sensuq; proprio, implebitur in secundo eius aduentu, quo veniet iudicare sæculum per ignem. Tūc enim, vt est in præcipis ecclesiæ, *cæli mouendi sunt & terra.* Huic sanè generaliori intellectui, in verbis prophetæ nihil est quod repugnet.

27 QVOD AVTEM ADHUC SEMEL, DICIT. Græcè, *Illud autem, Adhuc semel.* Sed bene sensum reddit interpret.

DECLARAT MOBILIVM TRANSLATIONEM TANQVAM FACTORVM. Græcè: *declarat siue significat eorum quæ concussentur, translationem,* velut iam factorum.

VT MANEANT EA QVÆ SVNT IMMOBILIA. Græcè, *Vt maneant ea quæ nō concussentur.* Sed meminisse oportet, quod alibi diximus, participia more Hebræo subinde vsurpari pro nominibus verbalibus. Est autē hic participiū *κατασκευασθαι*. Quare pro eo affirmato & negato, bene vertit interpret *mobilia & immobilia*. Nos *concussibilia & inconcussibilia* diceremus, si vltis pareretur. Quamquā non nego, etiā eos rectè vertisse, qui participia resolverunt in verba. Argumentatur Apostolus ex illa particula, *Adhuc semel;* & vt ait B. Thomas, magnam in ea vim facit. Qui enim dicit, *Adhuc semel;* significat aliquid iam præterijisse, & aliud futurum quod permaneat nec amplius in aliud quidquam commutetur.

Nam

Nam istud *semel* accipitur cum tacita exclusionē; semel tantum: id est, non pluries. Potest autem intelligi in verbis apostoli, duplex mysterium; iuxta duplicem intellectum, *mobilitum*. Nam si *mobilia* intelligantur quæ ad vetus testamentum pertinebant, vt tabernaculum, sanctuarium, arca, mensa, & cætera de quibus actum est cap. 9. (hæc enim typicè per terram in legislatione motam, significari possunt; vt pote terrena & corporalia); sensus erit prophetæ dicentem, *adhuc semel,* significasse quod illa priora trāsferenda essent, & mutationem subitura, tanquam facta manibus hominum (sic enim appellantur, eodē capite 9.) vt permancat ea quæ illis succedūt, & quorū immobilitas significatur per voculā *semel*. Hæc autē sunt quæ ad nouum testamentum pertinent, & prioribus illis adumbrata fuerūt; vt tabernaculum verum & non manufactum, & sancta caelestia; de quibus item cap. 8 & 9. Significauit huiusmodi translationem apostolus, cap. 7 dicens: *Translatio sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat.* Sin autem *mobilia* intelligantur cælum & terra, de quibus vtrique dixit, *Ego mouebo non solum terram, sed & cælum*: Sensus est, prophetam ea parte, *adhuc semel,* declarasse quod elementa (quæ nomine cæli & terræ comprehenduntur) concutienda sint, & in aliam faciem transmutanda; vt illa maneant in aliū statum non amplius cōmutanda quæ ijs succedent; id est, noui cæli & noua terra, in quibus iusticia habitat, vt loquitur B. Petrus 2 ep. 3. Per hæc autem intelligitur regnum Christi consummatum. Dicit autem, *tanquam factorum,* vt volūt interpretēs, ad significandum quod Christo (qui introducit ista loquens) facile sit commouere & transmutare cælum & terram, vt pote sua ipsius opera; sicut ex psalmo 101. docuit in cap. 1. huius epistolæ. Vtrumque mysterium iam dictum Caietanus in hoc loco contemplatur. Sed Aquinas solum hoc posterius tradit, & rectè. Nam hoc potius facit ad contextum & scopum Apostoli. Quo etiam commentario refellit Origenem, qui fabulatus est infinitas mundi renovationes.

28 ITAQVE REGNUM IMMOBILE SVSCIPIENTES, HABEMVS GRATIAM. Absoluit exhortationem cœptam illis verbis, *Videte ne recusetis loquentem:* simulq; declarat quid per ea quæ sunt immobilia, voluerit intelligi; nēpe regnū Christi immobile. Quo nomine, inquit Caietanus, proprijsimè appellatur regnum Christi futurū: participatione autē, status euangelicus. Pro verbo, *habemus,* in Græco & Syriaco, nec nō in quibusdam Latinis exemplaribus, legitur, *habeamus,* exhortādi modo. Quod & Ribera magis probat. *Habere gratiā,* iuxta Græcos interpretes idē est quod *agere gratias*. Nā & Latine dicitur quis habere gratiam, qui beneficium agnoscit. Sed hic sensus parū probabilis est: Primum quia non addit Apostolus cui gratia sit habenda, videlicet

Deo; quod aliās non solet omittere. Deinde, quia *εχρει χρεω*, habere gratiam, pro eo quod est gratias agere, non est styli apostolici. Vtūtur enim apostoli passim verbo *ευχαριστειν*. Postremò, quia nō bene quadrat huic sensui quod sequitur; *per quā seruiamus*. Vnde Græci in ea parte exponēda laborant, dū pro *gratiā* reponunt gratiarū actionē. Rectius itaq; per *gratiā* intelligitur hoc loco beneficiū quo facti sumus Christiani. Sic enim & supra, cap. 10. sumitur in illis verbis: *Et spiritus gratiæ cōsumeliā fecerit:* & hoc capite, vbi hortatus est, *Ne quis desit gratiæ Dei.* Quo loco, etiā alia huius acceptionis exēpla annotauimus. *Habere autem gratiā,* est eā apprehendere seu tenere; quæadmodum Syrus interpret trās tulit. Est igitur sensus perspicuus: Cū hæc ita sint, quæ dixi de Christo concussuro cælum & terram, vt sibi patet regnū immobile: nos regnum illud suscipientes (Græcè, *assumentes*) id est, spe certa capientes, gratiam Christiani simi firmiter retineamus, nec vllis tentationibus ab ea nos sinamus diuelli.

PER QVAM SERVIAMVS PLACENTES DEO. Loco participij *placentes*, in Græco est aduerbium *ευαρετως*, q. d. *beneplacenter*. Erasmus sensum reddidit, *Per quam ita colamus Deum, vt ei placeamus*. Quod enim in quibusdam Græcis pro *κατασκευασθαι seruiamus*, legitur *κατασκευασθαι, seruiamus;* meritò reijcitur, tāquam apostoli instituto contrarium. Non enim hic laudat Hebræos; sed hortatur, & terret: vt in superioribus. Quod etiam manifestè patet ex sequentibus.

CVM METV ET REVERENTIA. Græcum vocabulū *αυδω* priori loco positum, propriè significat *pudorem* seu *verecundiam*. Et ita vertit interpret, 1 Tim. 2. Græci quoque *pudorem* hic intelligunt; nec ad Deum referunt, sed ad homines. Dicit enim præcipi vt *verecundè* nos geramus erga omnes. Veruntamen accipitur ea vox interdū etiā apud authores profanos pro metu ac reuerentia, qua Deum aut principem quis veretur. Cū enim *verecundia* sit metus quidam dedecoris: rectè metus ille quo quis, conscius suæ indignitatis, metuit à Dei conspectu cum ignominia repelli, *verecundia* vocatur. Posteriori loco est *ευλαβεια*. Quo vocabulo significari solet in sacris literis timor & reuerentia quæ est hominis erga Deum; sicut ostendimus ad illud cap. 5. *Exauditus est pro sua reuerentia*. Debet autem hæc pars, *cum metu & reuerentia*, referri ad verbum, *seruiamus*; Estque similis admonitio cum illa Davidica; *Seruite Domino in timore*; & cum illa apostoli ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Quæ omnia palam damnant fidem hereticorum specialem.

29 ETENIM DEVS NOSTER IGNIS CONSUMENS EST. Scripturæ testimonio cōfirmat tā quod proximè dixit, *Deo seruandum esse cum metu & reuerentia*; quàm id quod antè dixerat, *nos non effugituros, si de cælis loquentem*

auerfati fuerimus. Desumptum est autem ex Deut. 4. vbi cum præcepisset Moyses populo, cauendum à cultu simulacrorum; subiunxit hanc pœnæ comminationem, *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Vnde coniectura est eam sententiã ab Apostolo adduci potissimum propter desertores fidei; sicut illic contra violatores religionis dicta sunt. Vocatur *Deus*, per tropum, *ignis consumens*; idque malorum hominum respectu: quia sicut ignis vehementissime agit & celerissime rem obnoxiam consumit; ita Deus aduersarios suos acerrime puniturus est, & in momento consumpturus; non ita quidem ut aliquando esse definant, sed ut nunquam deinceps ijs sit bene. Moyses quidem videtur loqui de perditione & morte temporali; qua sæpe celeriter & ex improviso consumpti fuerunt Dei contemptores; Nam & cap. 9 eiusdem libri, *Deum* vocat *ignem deuorantem atque conuidentem*, qui deleturus sit Chanaanos & perditurus velociter: Verùm illa mors & perditio temporalis typus erat mortis æternæ; quam hinc spectat Apostolus. Hanc igitur mortem malis inferre, est eos consumere. Similis est locus apud Isai. 33. vbi *Deum* vocat *ignem deuorantem, & ardores sempiternos.* Alludunt autem huiusmodi sententiæ ad id quod futurum est in extremo iudicio; quando Deus per ignem iudicaturus est mundum, & impios in ignem æternum missurus.

S V M M A R I V M.

Hortatur ad hospitalitatem, castitatem, obedientiam; & ad offerendum Deo hostiam laudis. Precatur eis profectum in bono, ac omnino Dei gratiam.

CAPVT XIII.

CHARITAS FRATERNITATIS MANEAT IN VOBIS. Iam finita, quoad præcipuum argumentum, epistola; pro coronide subiicit, ut in alijs epistolis solet, saluberrima quædam vitæ Christianæ præcepta; quibus Hebræi pro tempore videbantur instruendi. Incipit autem à charitate, tanquam à capite. In Græco tantum duo sunt verba: ἡ φιλαδέλφια μὲν ἐστίν, id est, *amor fraternus maneat.* Nec plus de textu est in commentarijs Græcorum. Quibus etiam suffragantur Latini mss. cõdices non pauci; ut cum viris doctissimis prorsus existimem illud, *in vobis*, ascriptum esse à sciolis, quod putaretur ad sententiã deesse. Legitur quidem in versione Syriaca: sed illi interpreti non est nouum paraphrasticè quippiam addere de suo. Qui eam partem recipiunt, sic ferè exponunt; Diligite vos mutuo tanquam fratres; ut sit idem præceptum cum illo Rom. 12. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.*

Verùm genuinus sensus est, quem Græci tradunt; In fraterna dilectione manendum ac perseverandum esse: quemadmodum continuo monet, ne deserant hospitalitatem. Nam quia frequentes patiebantur afflictiones; ait Theophylactus, periculum erat, ne circa studium harum virtutum languerent. Idè ad perseverantiam erant excitandi. *Charitatem fraternitatis*, ne intelligas qua fraternitas diligitur; sed qua ipsi se mutuo, tanquam fratres, id est, Christianos, diligunt. Nam *fraternitatis* dixit interpret, pro fraterna. Alio qui non magis hoc loco *φιλαδέλφια* interpretanda fuit charitas siue amor fraternitatis, quàm in eo quod sequitur, *φιλοξενία* verti debuit, *amor hospitalitatis.* Cùm autem charitatis erga fratres multa ac varia sint officia; respicit apostolus ad ea præcipuè quibus inopia fratrum subleuatur: ex quibus vnum erat, *vinctis compati*; quod eis tribuit cap. 10. de quo etiam mox specialiter præcipit. Si quæras, cur de sola fratrum charitate præcipiat, cùm ad omnes homines extendere se debeat charitas Christiana: Respondeo charitatis quidem affectum esse debere ad omnes; sed quoniam effectu & opere ad omnes pertinere non potest; idcirco primam habendam curam domesticorum fidei. sicut apostolus præcipit Gal. 6.

ET HOSPITALITATEM NOLITE OBLIVISCI. Hoc est, ab officio consuetae hospitalitatis nolite cessare. Id admonet, quia facultatibus attenuati ob persecutiones præcedentes, fortasse remissiores facti fuerant in hoc genere virtutis. Exigebatur autem hospitalitas potissimum à præfectis ecclesiarum; quibus curæ esse debebat ne fratres peregrini vel hospitio carerent, vel apud infideles diuertere cogerentur. Vnde Paulus, inter alias episcopi virtutes hospitalitatem recenset. 1 Tim. 3. & Tit. 1. Vbi etiam à nobis explicatum est, in qua re virtus hospitalitatis consistat.

PER HANC ENIM PLACVERUNT QUIDAM ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS. Ad hospitalitatem excitat exemplis sanctorum patrum, diuino testimonio probatis. Pro verbo, *placuerunt*, Græcè est ἐλάθησαν, *latuerunt.* Et quamuis hoc in paucissimis inueniatur biblijs Latinis; haud dubium tamen quin ea germana sit lectio; cùm in Græco nihil fingi possit cui respondeat ἵδ' *placuerunt*: sitque; vnius in alterum propter vocum similitudinem facillima commutatio. Cui quidem occasionem dedit obscuritas veræ lectionis: quam tamen adhuc videre est in concordantijs biblijs; vbi non ponitur hæc sententia sub verbo *placere*, sed sub *latere*. Quocirca meritò nuper hæc lectionem nobis restituit editio Clementina. Nec verò Græcam vocem aliter vsquam vertit noster interpret, quàm verbo latendi, sicut diligenter annotatum est à Franc. Ribera. Meminit Hugo. Carensis vetustæ cuiusdam versionis, quæ sic habet; *Per hanc*

enim latere quosdam hospites angelos. Valla quoque consimiliter vertit; *Per hanc latuit quosdam quos angelos in hospitium accepissent.* Quæ verio sensum apostoli propius attingit, non tamen assequitur. Vnde nec Erasmo nec mihi satisfacit. Neque enim sentit apostolus illud hospitalitati tribuendum quod ignorarint quos excepissent; sed quod acceperint angelos, cùm se putarent homines accipere. Nam verbum *λάθησαν* apud Græcos eum habet vsum peculiarem, ut cùm adiuncto participio significet quempiam nescientem aliquid fecisse, aut passum esse; ut nimirum actio vel passio participio significata lateat. Exempli causa, sic dicunt: *lateo senescens*, id est, nescio, non sentio me senescere. *Latuit transgrediens legem*, id est, ignorans contra legem feci. *Latuit percussus*, id est, non sensit se percuti. Quæ phrasid etiam apud Tertullianum alicubi occurrit. Igitur sensus Græcæ lectionis est, quemadmodum Erasmus, Hentenius & alij interpretes expresserunt: *Per hanc enim quidam in se exciperunt angelos hospitio.* Atque in hunc modum legit Augustinus multis locis, quorum tria adducit Beda, vel quisquis author, in collectaneis super hanc epistolam, quibus adde Aug. lib. 3. contra Maximinum, c. 26. Cuius Augustiniana lectionis etiam meminit author glossæ; & post eum in suis commentarijs, Lombardus, Carensis & Aquinas. Porò Syrus interpret, quamuis vtriusque lectionis sensum cõplexus videtur; tamen in Græco nihil diuersum ab alijs eum legisse constat. Sic enim habet: *Per hanc enim digni fuerunt quidam, quicum non sentirent exciperent angelos.* Ad hunc modum quem dixi verbum ἐλάθησαν, studiosè exponunt Græci patres, atque imprimis Chrysostomus tam in commentario quàm in concione secunda de Lazaro; vbi sensum hunc pulchrè prosequitur. Horum omnium sententia est, hospitalitatem ab apostolo commendari ex eo, quod olim quidam huius virtutis merito, cùm putarent se homines hospitio recipere, angelos excepissent. Quare explodendum puto, quod huc adferunt, & ex scripturis frustra probare conantur, Iac. Faber & Amb. Catharinus, nempe *latuerunt*, idem esse quod *occultati sunt*. & *non visi*: quasi dicere velit apostolus, quosdam ut Loth & familiaribus, ob meritum hospitalitatis, ita fuisse seruatis, ut Sodomitæ, quum vim facere vellet, videre eos non possent. Hic enim sensus nequaquam exprimit proprietatem Græci sermonis; quemadmodum Ribera doctè ostendit. Quocirca prior sensus, quem etiam Faber non rejicit, omnino est retinendus. Nō repugnat passim Græcæ lectioni verbum *latuerunt*, quidem ex præci, pro ignorati sunt; sed ita ut ipsum *ignorari* cadat in rem participio significatam; hoc sensu: *Per hanc quidam ab alijs ignorati sunt angelos hospitio recepisse*, q. d. Tantum bonum est hospitalitas, ut propter eam quidam angelos recepissent,

cùm alij putarent homines ab eis receptos. Sic enim interdum accipi Græcam phrasim de qua agimus; luculentè præcab adagium, *λάθη βίωσας*, id est, *ita viue, ut nesciaris vixisse.* Verùm hic sensus non perinde illustris est; nec ita directè ad historiam scripturæ sacræ referri potest, ut prior. Respicit enim Apostolus ad scripturam Genesis 18 & 19. vbi leguntur Abraham & Loth Angelos in humana specie venientes, hospitio recepisse, quos angelos esse nesciebant. Nam hospitium præbere, pedes lauare, & cibos apponere, ministeria sunt hominibus exhibenda, non angelis. Nec eis à turpitudine Sodomitæ liberandis Loth tantoperè laborasset, ad eò ut etiam filias suas pro eis prostituere vellet, si cognouisset angelos esse; qui seipfos facillimè liberare possent. Dices, Abraham non ignorasse quod angeli essent, ut qui venientibus iuerit in occursum, & adorauerit in terram, atque vni eorum dixerit: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas seruum tuum*, &c. Hæc enim maiora videri, quàm quæ hominibus peregrinis arque ignotis vir tantus exhiberet. Accedit quod de eo canit ecclesia; *Tres vidit, & vnum adorauit.* Vnde Hilarius lib. 4. de Trinit. circa medium, & Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 11. & 12. ita de hoc factò Abraham loquuntur, ut affirmet eum ex tribus vnum cognouisse Dominum; reliquos, angelos. Idem de Loth obijci potest. Nam de eo quoque scriptura testatur quod iuerit angelis obuam, & pronus in terram adorauerit, ac dominos appellauerit. His argumentis moti quidam, declinant ad sensum vltimò ailatum; sed nulla necessitate. Respondetur enim, Abraham & Loth angelos, quos homines putabant, adorasse, id est, corporis inclinatione & procubitu veneratos fuisse, eodem modo quo alibi legitur Abraham adorasse populum terræ. Gen. 23. quomodo & Iacob fratrem suum Esau adorauit pronus in terrâ, septies: ut habetur Gen. 33. Huc enim genus honoris passim legimus homines hominibus impendisse. Nec illud obstat quod dicitur: *Tres vidit & vnum adorauit*; Nam ex tribus vnum quem videbat maiestate vultus & habitu corporis alijs duobus præcellere; præ illis etiam honorandum putauit, appellatione Domini: quem fortè etiam solum adorauit. Non enim id exprimit scriptura; sed innuit tamen, cùm subiungit Abraham singulariter dixisse, *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis* &c. Quæ quidem in re mysterium procul dubio significatum fuit, vel trinitatis & vnitatis in diuinis, ut plerique existimant; vel potius incarnationis filij Dei. Non enim apparuerunt tres illi tanquam æquales, ut trinitas personarum significari posset; sed inter eos vnus ut princeps & Dominus, & de quo solo, tanquam Domino, deinceps scriptura loquitur. Cui etiam, ut Domino suo, reliquos duos obsequia præbuisse verisimile est; id quod erant aliquando facturi incarnato.

Matth. 4. & Ioan. 1. Quod mysterium est tunc Abraham non cognouit; paulò post tamen didicit; tunc maximè quando duobus angelis Sodomam digressis, ipse mansit stans coram Domino; atque illi, tanquam Deo, pro ciuitatibus perituris supplicauit tanta humilitate, ut se puluerem & cinerem profiteretur. Fuitque eo tempore implerem quod ipse Dominus in euangelio dicit ad Iudæos; *Abraham pater vester exultauit ut videret diem meum: & vidit & gauisus est.* Ioan. 8. Vidit enim, non tantum per fidem; sed etiam oculis corporeis, in ea specie in qua erat appariturus in carne.

Nunc, ut de opinione Hilarij & Augustini respondeam; ut de his Hilarij ita sensisse; quod Abraham ab initio cognouerit quinam essent, Augustinum tamen constat id non habuisse pro certo. Quin potius affirmat Abraham & Loth angelos excepisse ut homines; tantum disputat de mysterio per eos significato, utrumne illud statim Abraham cognitum fuerit. Loca sunt lib. 2 de Trinit. cap. 2. lib. 16 de ciuit. Dei cap. 29. & in questionibus, 33. 37 & 41 super Gen. Denique omnibus ijs locis, quibus citat scripturam presentem sub his verbis: *Per hanc enim quidam nescientes.* Sed obijciunt nihil ad rem facere quod dicitur, *nescientes*; maior enim fuisse laus hospitalitatis, si angelos cognouissent. Iam supra dictum est, non hoc referri ad meritum hospitalitatis quod nesciuerunt angelos esse; sed quod ad eos angeli tanquam hospites diuinitus missi sunt; cum ipsi solito more se putarent homines excipere. Nam si cognouissent eos; non utique ut homines excipissent, sed ut angelos fuissent venerati. Datum est autem ut postea agnoscerent.

3 MEMENTOTE VINCITORVM, TANQVAM SIMVL VINCTI. *Vincitorum*, nomen est, *δεσποτων*. Quo Paulus utitur ad Philemonem scribens, & alibi. Loquitur autem de *vinculis Iesu Christi*; qualis ipse aliquando fuerat, imò verisimiliter erat, hanc scribens: de quo infra agemus. An autem per hoc videri possit tacite etiam seipsum commendasse, sicut expressè facit Col. 4. dicens: *Memores estote vinculorum meorum*, non arbitror. Scribit enim ad eos quibus ipse solet subsidia procurare, non ab illis accipere. Sensus est: Eo affectu fratribus qui sunt in vinculis, compatimini & subuenite, ac si vos pariter vinciti essetis. Vos ipsos in illis cogitate. secundum illud; *Si quid patiuntur unum membrum, cõpatiuntur omnia membra.* 1 Corinth. 12. Mauult Ribera sic exponi: Benefacite vincitis, & pro eorum solutione satagite; memores quod & ipsi vinciti sitis, & captiui teneamini in corpore mortis huius, cupientes ex eo liberari. Huius sensus rationem accipit ex membro sequenti, quod consimilem sensum habere videtur. At non dicit apostolus; *tanquam & ipsi vinciti*; ut de alio genere vinculorum possit intelligi: Sed dicit, *tanquam simul vinciti*, Græcè *συνδεδεμένοι*.

vos, conuincti, id est, vnà cum illis vinciti; quomodo verterunt alij. q. d. tanquam in eodem carcere inclusi, & iisdem vinculis colligati. Ex quo apparet priorem sensum, qui omnium est interpretum, esse potiore; eidemque bene quadrat etiam membrum sequens.

ET LABORANTIVM, TANQVAM ET IPSI IN CORPORE MORANTES. *Laborantium*, Græcè *κατακλιμένοι*, quasi dicas, *male habitium*, id est, afflictorum, ut verit cap. 11. Quod de morbis & alijs malis corporalibus intelligendum videtur; præsertim quia dicit, *tanquam & ipsi in corpore morantes* siue *versantes*, Græcè *ὄντες*, tanquam qui *& ipsi sitis in corpore*, id est, gerentes corpus mortale iisdem malis obnoxium. Solet enim commiserationem mouere communis infirmitas. Qua ratione & Christum ostendit compati infirmitatibus nostris, supra cap. 2 & 4. Laurentius Valla restringit ad corpus ipsorum laborantium, hoc modo: Memores sitis afflictorum ac si essetis in ipsorum corporibus eadem patientes quæ illi. Sed hoc pacto redundabunt duæ dictiones, *& ipsi*; ac dicendum esset, *tanquam in corpore eorum essetis*. Nonnulli corpus ecclesiæ intelligunt; ut sit sensus: Cùm sitis eiusdem corporis membra; communiter affici vos decet alios aliorum malis. Verum, & hunc sensum alienum esse presenti loco, nec congruere cum membro præcedenti; facile studiosus animaduertit; præsertim qui didicerit quid sit apostolo esse in corpore. ut 2 Cor. 5. *Scientes*, inquit, *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.*

4 HONORABILE CONIUGIVM IN OMNIBVS, ET TORVS IMMACVLATVS. *Torus*, id est, cubile, Græcè *κοίτη*. Vnde tori conuers & socia, pro coniuge apud authores Latinos. In huius partis expositione variant interpretes. Quidam enunciatiue exponunt, alij præceptiue. Priores quoque non vnus sunt sententiæ. Sectarij quidem contendunt sensum esse; Nullum esse genus hominum, nullum ordinem, qui à coniugio prohibeatur. Ex quo consequenter inferunt, omnibus illud esse licitum & honorabile; etsi quis aut continentiam Deo vouerit, aut legi cœlibatus sponte sua sese submiserit. Sed eos mittamus cum hoc damnato sensu; contra quem pluribus disputare non est huius instituti. Ex orthodoxis nonnulli interpretantur *honorabile esse coniugium in omnibus*, id est, omnino atque perfectè, & omnibus modis; ut loquitur Oecumenius. Id alij explicant, omni ex parte, & in omnibus quæ sunt ipsius coniugij propria; siue sacramentum spectes, siue fidem, siue prolem: sunt enim hæc tria coniugij bona. Alij sic exponunt: Honorabile est coniugium in omnibus legitime conjunctis; id est, Omne verum ac legitimum coniugium honore dignum est, minimeque damnandum: tanquam hoc dictum sit aduersus hæreticos, qui nuptias damnabant. Hi omnes subaudiunt verbum *est*. Ac plerique interpretes id exprimunt

mun

munt in sua translatione; ut Erasmus, Hentenius & alij, sic verterent: *Honorabile est in omnibus vel inter omnes, coniugium*. Verum his modis intellecta sententia, parum opportuna est huic loco, ubi præcepta vitæ traduntur, non dogmata fidei. Quamobrem nec illa quorundam placet expositio; *In omnibus*, id est, apud omnes homines: ac si dicat, Non debere coniugium à quoquam sperni, etiam si ipse ab eo se contineat. Huc accedit quod nullus horum sensuum satis commode adaptari possit alteri membro, *& torus immaculatus*. Quæ res ab illis ferè dissimulatur. Itaque existimamus optimum & maximè expeditum huius loci sensum esse, si præceptiue exponatur; & particula, *in omnibus*, ad personas referatur: hoc modo; *Coniugium sit in omnibus vobis honorabile, & torus immaculatus*. Hoc est, Præcipio ut omnes qui in coniugio estis, seruetis honorem coniugij, & torus sine macula. Id autem præstat, quando nec violatur coniugij fides per adulteria; nec ab ipsis inter se coniugibus quicquam admittitur quo tori iugalis puritas commutetur. Hunc sensum indicant Chrysostomus & Theophylactus; cùm dicunt in his verbis esse repetitionem eius quod supra præceperat de sanctimonia sectanda, & vitanda fornicatione. Est autem frequens in sacris literis, ubi verbum modi præceptiui debeat subaudiri: ut Rom. 12, *Dilectio sine simulatione*. & ad Tit. 2, *Verbum sanum irreprehensibile*. Item in eo quod hic mox sequitur; *Sint mores sine auaricia*. Nam nec ibi verbum in Græco expressum est. Vnde & Erasmus in paraphrasi, tacite retractans suam versionem, ita loquentem Apostolum facit: *Coniugium sit apud vos honorabile; neque cubile villo stupri genere contaminetur*. Denique sensum hunc manifestè ostendit comminatio subiuncta.

FORNICATORES ENIM ET ADVLTEROS IVDICABIT DEVS. In Græco & Syriaco non enim sed autem legitur. Fornicatoris nomen in scripturis generalius est quàm adulteri; ut proinde omnis adulter fornicator sit, non contra. Ita Dominus Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*. Videtur igitur hic esse sensus; Omnes quidem fornicarios, sed speciatim adulteros iudicabit, id est, condemnabit Deus; scilicet æternæ mortis supplicio. sicut ibi; *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum; sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est* Io. 3. Hinc ergo sequitur, ex omnium interpretum sententia, fornicationem etiam simplicem, esse peccatum æterna damnatione dignum.

5 SINT MORES SINE AVARICIA. Dehortatur ab auaricia: quod ea sit omnium malorum radix. 1 Timoth. 6. Ac fortè id præcipit, quod videret quosdam, prætextu egestatis ad quam redacti erant iniuria persequetium, plus satis studere rei de nouo augendæ. Caie-

tanus à Fabro Stapulensi deceptus putat ex Græco legendum esse; *Sit sine auaricia modus*: additque hoc scholion; Turpe est, quod auaricia modum imponat. Atqui vox Græca, *μέτρος*, quamuis *modum* plerumque significet: non tamen modum qui rei imponitur ne immoderata sit; ut intellexit Caietanus Græcè imperitus; sed modum, id est, agendi rationem aut rei qualitatem. Cæterum, constat etiam pro *more*, & pro *moribus*, vsurpati non sine elegantia, apud authores Græcos, Platonem & alios. Nec dubium quia ea significatio, quam & alij omnes retinent, huic loco sit aptissima.

ADDITIO B. P.

Modus bifariam sumitur. Interdum enim significat quandam mensuræ determinationem: & huic significationi respondent illa, Moderari, Moderatus, Modestus; & quæ ijs sunt coniugata aut contraria. Aliàs verò *Modus* generaliter idem valere quod cuiusque actionis seu operationis accidentaria qualitas. Quo pacto, *Modus* inter circumstantias recensetur. Priore significatione semper in bonum sumitur: at posteriore, est vocabulum medium. Priore significatione sumitur in secunda parte sententiæ illius B. Bernardi, lib. de diligendo Deum; posteriore verò, in prima: illius dico sententiæ, specie quadam contrarietatis pulchrè figuratæ; *Modus diligendi Deum est sine modo diligere*.

Iam quid sit auaricia; ne in ea re fallant se ipsos, docet ex virtute contraria, dicens:

CONTENTI PRÆSENTIBVS. Non ad mores, sed ad homines hoc referendum; ut patet ex Græco, ubi rursus subauditur verbum, *sitis vel estote*; sicut in præcedentibus. *Nec presentia* hic opponuntur futuris aut crastinis; quasi sensus sit; Ne cogitetis in crastinum, sed vramini presentibus bonis; quod præceptum habemus in euangelio Matth. 6. Nam Græcis *παροντα* vocantur ea bona quæ adsunt, id est, quæ habentur & in promptu sunt; ad differentiam eorum quæ non habentur. Vnde Erasmus & Hentenius verterunt: *Contenti ijs quæ adsunt*. Itaque sensus est: Contenti sitis ijs quæ habetis, quæque sufficiunt necessitati vestræ; nec velitis ditiores fieri. Est igitur contentaneum hoc præceptum illi exemplo apostolico, aut, si maus, mandato Apostoli, 1 Tim. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*, aut simus. Atque hæc est plana huius partis intelligentia. ex qua iam sequitur, eum qui non est contentus presentibus (iuxta sensum datum) auariciæ vicio subiacere.

IPSE ENIM DIXIT: NON TE DESERAM NEQVE DERELINQVAM. Occurrit auaræ cogitationi eorum qui semper metuunt egestatem, ideoque plus semper expetunt. Fallitur autem Erasmus, quum verit in presenti: *Non te desero neque dere in quo*. Quamuis & hoc Caietanus imprudens sequitur. Nam in Græco non sunt verba presentis temporis

indicatiui

indicatui modi, ἀνά & ἐγκαταλίπω, quod minus attento videri patet: sed acrisli futuro tempore feruientes in modo subiunctiuo; quos ita Latine vertere liceat; *Non te derelinquo, neque te derelinquo*. Conuenit & Syriaca versio, futurum reddens. Notandum etiam in Græco conduplicari negationes; quo vehementior sit pollicitatio: tanquam si dicat; Nulla ratione futurum est vt te deseram. Nā duæ pluresue negationes apud Græcos fortius negant. Quo item pertinet eiusdem repetitio in duobus verbis idem aut penè idem significantibus. Inuenitur autem hæc sententia totidem omnino verbis, solâ mutata persona, apud LXX. Deut. 31. vbi Moyses Iosue sibi successurum ita compellat, *Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet te, nec derelinquet te*. Habetur etiam Iosue 1. vbi Dominus sic eum alloquitur: *Non dimittam, nec derelinquam te*. Sed verbis in Græco non nihil diuersis. Theophylactus refert ad locum Isai. 41. Sed ibi tantummodo legitur; *Non derelinquam eos*. Quare non aliò quàm ad locum Deuteronomij referendum puto. Sed quæres, quomodo huc rectè citeretur; quum illic sermo sit de ducatu & regimine populi; hîc verò, de rebus ad vitam necessarijs. Respondeo, Apostolum vti, sicut alibi dictum est, accommodatione scripturæ; vel, si mauis, extensione, qua à specie transitur ad genus. Quod enim Iosue promissum fuit, non eum à Deo desertum iri in populo regendo; id Apostolus, ob similitudinem rationis, extendit ad omnes iustos, & ad omnem temporalem necessitatem. Omnibus enim iustis atq; in Deo confidentibus, scripturæ promittunt Deum in necessitatibus, etiam temporalibus, adiutorem. Quod pertinet illud quod David ait psal. 36. *Iunior fui; etenim serui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem*. Et Salomon Prouerb. 10. *Non affliget Dominus fame animam iusti*. Et Dominus Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iusticiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis*. Sed huiusmodi promissiones intelligendæ sunt, nisi Deus hæc temporalia meliori bono compenset. Non enim censetur frustrari promissio, quando res promissa in aliam meliorem commutatur.

6 ITA VT CONFIDENTER DICAMVS. Græcè participium *παρρησιασθε*, confidentes. Et ita scripturæ interpretem verisimile est. Sensus: ita vt cum bonâ spe & fiducia possimus dicere,

DOMINVS MIHI ADIVTOR: NON TIMEBO QUID FACIAT MIHI HOMO. Versus est psalmi 117 quem eò adducit, vt non solum confidentes Deum ipsis non defuturum in suppediandis vitæ necessarijs; quod egit parte præcedenti: verum ne dubitent etiam adiutorem se eum habituros, exemplo Davidis (cuius illa sunt verba) aduersus omnes malorum hominum impugnationes, qui cum facultatibus etiam vitam auferre moliantur. Singulare enim *homo* pro plurali positum est.

Sentit autem, non timendum ne mali homines nobis præualeant, etiam temporaliter affligendo; quasi per hoc admodum nobis noceant: Id enim non futurum, nisi, quem admodum supra diximus, compensatione maioris ac melioris boni, cuiusmodi sunt, exercitium patientiæ, purgatio peccatorum, gratiæ & gloriæ augmentum.

7 **MEMENTOTE PRÆPOSITORVM VESTRO- RVM, QUI VOBIS LOCVTI SVNT VERBVM DEI.** Quia dixerat homines non timendos: iterum occasionem arripit exhortandi Hebræos ad fidei constantiam aduersus persecutores; idque exemplo præpositorum suorum qui decesserant. Nam quod Erasmus verit: *Memores estote eorum qui præfuerunt vobis*, ac si de viuentibus esset sermo; pugnat cum parte sequenti, vti mox videbimus. In Græco quidem participium est præsentis temporis *ὑπομνήσκοντες*, sed usurpatur loco nominis; sicut & apud Lucam cap. 22 euangelij, vbi nos habemus: *Et qui præfuerunt est, sicut ministrator*. Nam & apud Plutarchum in Galba, sic legitur, *ὑπομνήσκοντες τῆς γερμανίας*, Germaniæ ductor. Hic autem intelligit episcopos, siue, vt ex Syriaco Galenus verit, *amistuos*. Sic enim & infra accipitur, vbi dicit; *Obedite præpositis vestris*. & *Soluate omnes præpositos vestros*. Rectèque Latinus interpres *Præpositi* vocabulum hæc adhibet (etsi nonnulli malint *præfectorum*): Nam præfectorum ecclesiæ temporibus ijdem appellabantur episcopi & præpositi; vt ex Tertulliano & Cypriano bene obseruauit Pamelius. Vide annotationes eius in Tertulliani librum ad martyres; & Cypriani epistolam 4 & 75. Quin & apud Augustinū episcopi præpositi vocantur, conc. 3 super psalmum 103. Præcipit ergo vt episcoporum suorum memores sint, *qui eis locuti fuerant verbum Dei*, id est, doctrinam fidei tradiderant. Cum autem Iudæorum multæ essent ecclesiæ, præsertim in Iudæa & Syria constitutæ, quæ singulæ suos habebant episcopos, quorum aliqui iam martyrio vitam finierant: de his potissimum nunc loquitur. Nec verò dubitem inter eos numerandum esse Iacobum fratrem Domini, Ierosolymorum episcopum; atque ad eum vel præcipuè Paulum hîc respicere. Nam Iacobus Ierosolymis occisus est (vt refert in catalogo Hieronymus) septimo Neronis anno: post quem Paulus sex ferè annis adhuc supervixit. Itaque Iacobi interfecti recens erat memoria, quando scripta est hæc epistola.

Sed ad quid vult esse eorum memores? Tanquam enim hoc desideretur in verbis apostoli, quidam inquirunt; & suas adferunt coniecturâs. Ex quibus est illa de præbendis honorarijs; vt quemadmodum episcopi verbum Dei ministrabant Hebræis, ita vicissim ipsi memores essent illorum in subministrandis vitæ necessarijs. Refert hanc sententiam Theophylactus priori loco; potestque ei color aliquis addi ex superioribus, vbi dictum

est:

est: *Mementote vincitorum & laborantium*, scilicet, vt eorum corporali necessitati subueniatis. Sed cum ex ijs quæ sequuntur constet de mortuis apostolum loqui; de quibus nihil istiusmodi nisi ridiculè præcipi potest: merito Theophylactus hac dimissa, alteram subiungit, eamque meliorem declarationem verbi, *mementote*, quam & alij interpretes tradunt, eam videlicet quam exprimit apostolus verbis sequentibus,

QVORVM INTVENTES EXITVM CONVERSATIONIS, IMITAMINI FIDEM. *Intuentes*, Græcè *ἀναθεωροῦντες*, id est, *considerantes, contemplantes*. Significat autem considerationem iteratam ac prius intermissam; quali diceret; *reconsiderantes*; velut innuens quod ab huiusmodi consideratione cessatum fuisset. Ad hoc ergo memores illorum estote, inquit, vt etiam atque etiam considerantes quem sortiti fuerint exitum ac finem suæ sanctæ conuersationis, fidem eorum, fideique constantiam imitemini. Iam supra dixi, eos præcipuè significari qui doctrinam à se traditam sanguine suo obsignauerant; qualis apud Ierosolymam Iacobus frater Domini, post alterum Iacobum Ioannis fratrem; & alij in locis alij. Est illud profectò magnum sinceræ doctrinæ argumentum, & persuadendi vim maximam habet; post commendatam sancta conuersatione doctrinam, morte denique & sanguine, tanquam sigillo, eam consignasse.

8 **IESVS CHRISTVS HERI ET HODIE, IPSE ET IN SÆCULA.** Duobus modis distingui potest hæc sententia. Nam pronomen *ipse*, Græcè *ὁ αὐτός*, quod alij vertunt *idem*, vel præcedentibus adiungi potest, vel sequentibus. Latini ferè cum parte sequenti contrahunt, comma figentes post *hodie*. At Græcorum cōmentarij subiudicant altitudinem esse præcedentibus, hoc modo: *Iesus Christus heri & hodie ipse*; (vel *idem*) subaudi est: vt deinde addatur, *& in sæcula*, scilicet *idem* futurus. Sic cap. 1 huius epistolæ, ex psalmo, *Tu autem idem ipse es*; Græcè *ὁ αὐτός εἶ*. Vbi in Hebræo, tantum habetur *Es tu ipse*; vt videatur & huic loco similis Hebraismus sabellicus. Certè B. Ambros. lib. 3 de fide cap. 2. & S. Maximus in ho. 3. de paschate, citant huc in modum: *Iesus Christus heri & hodie ipse est*; nec amplius addunt, tanquam ibi sit orationis cæsura.

Verum de sensu maior est interpretum varietas. Græci per aduerbium *heri* significari putant omnè præteritum tempus, adeoque omnè spacium æternitatis quod ante mundi originem fuit. Itaque hac scriptura vruntur ad probandum, aduersus Arianos, Christi diuinitatem: quod & faciunt Ambrosius & Maximus locis supra citatis. Alij hoc idem probari putant ea parte, *& in sæcula*. Intelligunt enim *sæcula* tam præterita quàm futura. Sed neutrum istorum nobis probabile est. Nām vōcula *heri* nūquam in scripturis æternitatem significat, sed potius af-

sumi solet ad significandum tempus non longè præteritum; quemadmodum *cras*, ad tempus non longè futurum. Ea quoque phrasis, *in sæcula*, more scripturæ solum extenditur ad futurum, non etiam ad præteritum. Quare simplicior erit sensus si sic exponatur hic locus, vt etiam ad humanam Christi naturam adaptari possit; licet alioqui sermo sit de persona sine determinatione naturæ. Qui sensus huiusmodi est: Iesus Christus, in quæ credidistis, & quæ pro Christo accepistis, non est alius atque alius; non subinde mutatur: sed qui fuit superiore tempore, idem & nunc est, idemque permanens in omne tempus & sæculum futurum.

Quæritur autem quomodo sententia sic intellecta, cohæreat cum præcedentibus? Plerique sic connectunt: Iure vos adhortor ad imitandam fidem fideique constantiam præpositorum vestrorum qui exierunt ex hac vita: Nam idem est Iesus Christus, qui sicut illis adiutor fuit, ita & vobis adiutor sperandus est. Alij pertinere putant hæc verba dumtaxat ad declarationem fidei, quam imitandam proponebat. q. d. hæc fidem mordicus tenere, Iesum Christum semper mansurum, id quod est; nec alium Christum, nec aliam pontificem aliquando expectandum. Nobis contextum huius loci propius intuentibus, videtur apostolus ita ratiocinari: Fides vestra est in Iesum Christum, sicut & fuit vestrorum præpositorum. Atqui Iesus Christus semper idem est; ergo & fides vestra eadem esse debet cū fide illorum: ideoque necesse est vt illorum fidem imitemini. Quæ explicatio, non solum aptè coniungit hanc partem cū præcedente; verum etiam cum eo quod continuo sequitur, de fugiendis doctrinis varijs ac peregrinis. Si enim Christus semper idem est; ac proinde fides eadem: non ergo debetis mutare doctrinam fidei semel acceptam; nec aures præbere magistris alias doctrinas adferentibus. Valer hoc argumentum etiam ad docendum quod eadem sit fides antiquorum & nostra. Nam licet tunc nōdum esset Christus homo; et tamen in præscientia Dei; & in fide illorum qui credebant in eum venturum.

9 **DOCTRINIS VARIIS ET PEREGRINIS NOLITE ABDUCI.** Græcè, *μη περιφρασεσθε, ne circumferamini, circumferamini*. Verbum idem cum eo quod est Ephes. 4. *Ne circumferamini in vento doctrinæ*. Significat autem temerè moueri ac fluctuare huc illuc: quod accidit ijs quibus non est vnum aliquid fixum in animo, quod sequantur. Quamquam interpretes Syrus etiam *abanci* transtulit. Et annotat Galenus in nonnullis exemplaribus Græcis legi *περιφεροσθε*, quod est *perperam & in diuersum moueri*; item *aberrare & abduci à recto*. Sed prior lectio veterum est Græcorum, & ab iisdem diligenter exposita. *Varias doctrinas* appellat quæ diuisæ sunt atque inter se dissident. *Peregrinas* verò,

forinsecus

forinsecus aduectas, aduenticias, & à doctrina domestica, ecclesiastica, apostolica alienas; vt vocantur peregrinæ merces quæ non sunt domi nata.

OPTIMUM EST ENIM GRATIA STABILIRI COR, NON ESCIS. A genere descendit ad certâ speciem; ex varijs doctrinis quas seminabât errorû magistri, vnum adferens exemplum, idque ijs ad quos scribit accommodatum. Nam Iudæi, quamuis ad Christum conuersi, tamen supersticiosius inhærebant obseruationi legalium, ac nominatim discrimini ciborû præscripto à Moysè: quemadmodum patet Rom. 14. Gal. 2. & Col. 2. Eratque ea doctrina peregrina; quia alienum est à doctrina apostolorum, quæquam Christianum teneri institutis legis Mosâicæ. Tamen si locum hunc quidam restringunt ad cibos sacrificales, in quorum vsu magnam religionis partem Iudaizantes collocabant. Igitur ab huiusmodi errore reuocat Hebræos hac parte. *Optimum*, Græcè *καλόν*, bonum, præstans, sicut 1 Cor. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*. Sed non infrequens est interpreti vulgato, positium conuertere in superlatiuum, vt pro bono reddat optimum, pro malo pessimû, pro magno maximum; sicut annotatis aliquot locis ostendimus ad illud Rom. 11. *Carissimi propter patres*. Verum, quia comparationem hîc facit apostolus inter gratiam & escas; rectè bonum exponas comparatiuè, hoc modo; Melius est gratia stabiliri cor quàm escis: ita tamen vt impropiam agnoscas comparationem; quâ escis stabiliri cor, absolute non sit bonum. Porro verbum *stabiliri*, opponit fluctuationi significatæ verbo *circumferri*. Nec admodum refert, siue legas passiuè *stabiliri*, siue actiuè *stabilire*, quemadmodum legerunt B. Thomas & Liranus: quod & recepit editio Clementina Nam Græcum verbum *βεβαιώδην*, medium est, & vtroque modo Græcis usurpatum. Sed & vtraque lectio in eundem sensum concurrat. Nomine *gratia* Græci fidem; S. Thomas gratiam iustificantem intelligit. Atqui nihil verat generatim significari interna ac spiritualia Dei dona, quibus homines sanctificantur, id est, fidem, spem, charitatem ceterasque virtutes. Magis tamen placet vt significetur doctrina Christiana fide suscepta, hoc est, gratia Christianismi. Hanc enim gratiam appellauit in capite præcedenti illis verbis: *Habemus gratiam per quam seruiamus*, &c. & alijs locis ibidem à nobis indicatis. Dicit ergo, multò melius esse, si cordis stabilitamentum ac firmitatem quærant in gratia Dei, quam noui testamenti mediator Christus attulit; quàm si in obseruantia ciborum, quam tradidit Moyses. Hæc enim ad stabilendum cor hominjs nihil conducunt; quia lex non iustificat: In illa verò, stabile bonum animæ suæ inuenient. Potest etiam dici, orationem esse eclipticam, atque supplendam hoc aut simili modo: Melius est gratia stabiliri cor, quàm escis operam dare, aut in eis am-

bulare; vt in parte sequenti dicitur, continente rationem eius quod iam dictum est;

QUÆ NON PROFVERUNT AMBVLANTIBVS IN EIS. Participium in Græco præteriti temporis est. Sic enim Græca sonant: *In quibus qui ambulauerunt, nihil utilitatis cõsecuti sunt*. *Ambulare*, pro eo quod est vitam agere, versari cum assiduitate; phrasis est Hebraica, scripturis admodum vsitata. Sensus igitur est. Quæ nihil contulerunt ijs qui in huiusmodi obseruatione multû versati sunt, qui in talibus consenserunt. Nam totum illud genus nihil facit ad stabilitatem cõscientiæ veramque sanctitatem. Eadem sententia est, si referas ad cibos sacrificales; de quibus Ierem. cap. 11. *Nunquid carnes sancta auferent à te malicias tuas*: Sunt qui putent apostolum loqui non de cibis legalibus, sed de lautijs epularum quas sectabantur Nicolaitæ, velut noui apud Christianos Epicurei: quorum illecebrosa doctrina multi inficiebantur. Ita sensus esse poterit: Quæ non profuerunt frequentantibus eas. Siquidem ad exemplum statuendum istis prostrati fuerunt in deserto qui escarum delicias appetiuerunt. 1 Cor. 10. Num. 11. & psal. 105. Refert hunc sensum Aquinas secundo loco; sed priorem magis probat: ac meritò; Nam & sequentibus melius congruit.

HABEMVS ALTARE, DE QVO EDERE NON HABENT POTESTATEM, QVI TABERNACULO DESERVIVNT. *Potestatem* Græca quædã non exprimunt; tantum enim legunt, *ex quo edere non habent*: sed sensus est; *ex quo edere non possunt*. Nã habeo, pro eo quod est *possum*, adhærente verbo infinitiuo, Græcis vsitatum est. Quod & Latini imitantur interdum. *Potestatem* autem resoluitur in *habere potestatem*: Itaque rectè vertunt etiam ex illis codicibus interpretes Latini; de quo edere (sive edendi) non habent potestatem. Pro quo Erasmus: *De quo non est fas edere ijs qui &c.* Sciendum tamen alios Græcos plerosque omnes codices addere *ἐξουσίαν*, id est, *potestatem, facultatem*, scilicet eam quæ iure competat. Igitur hac sententia docet apostolus, ad Christi gratiam transire volentibus, necessariò relinquendam esse legem Mosâicam. Neque enim eos qui legi inhærent, habere ius edendi de altari quod habent Christiani. In quo simul ostendit, nec Christianis deesse suum altare, cuius participes fiant Iudæi si ad Christum transeant, ne querantur derelicto Moysè sine altari futururos. Fauet hæc pars ijs, qui in eo quod præcedit, escas interpretati sunt sacrificales. Nam tabernaculo deseruientes, seu ministrantes, Græcè *λατρεύοντες*, non erant quilibet de populo, sed soli sacerdotes. Quanquam ex parte totum intelligendum est. Si enim sacerdotes non poterant esse participes altaris quod nos habemus; ergo nec populus utens sacerdotum ministerio.

Sed queritur de quo altari loquatur apostolus. Quod quidem Chrysostomus in suo

commentario inexplicatum reliquit. Plerique tam veteres quàm recentiores significari volunt mensam Dominicam, ex qua sumitur à fidelibus corpus & sanguis Domini: vt sicut de eâ dictum est ab Apostolo, 1 Cor. 10. *Non potestis mensa Domini participes esse, & mensa demoniorum*; ita hîc quasi dicatur, Non possunt edere de altari Dominico, qui adhuc tabernaculo deseruiunt in cibis & poribus; vt habetur supra cap. 9. Tradunt hunc sensum in primis Græci Theodorëtus, Theophylactus & Oecumenius: & inter Latinos Primasius, Sedulius, Anselmus; item author glossæ ordinariæ, Caietanus, Hasselanus & alij. Qui sensus confirmari videtur ipsi Apostoli verbis: Nullum enim aliud altare habent Christiani de quo edant, nisi mensam Dominicam. At verò S. Thomas, altare hoc interpretatur crucem Christi, vel ipsum Christum. De quo altari edere, inquit, est fructum passionis Christi percipere, & ipsi tanquam capiti incorporari. Crucem Christi rectè proprieque vocari altare, nulla dubitatio est. Non enim aliud altare fingi potest, super quod Christus cruentè pro nobis fuerit immolatus. Vnde & ecclesia nominat *aram crucis* in diuinis officijs. Ipsum quoque Christum esse altare, probat idem doctor, quia ipse est in quo & per quem preces nostras Deo offerimus. Idemque significatus est per altare aureum, quod vidit Ioannes Apoc. 8. Priorem S. Thomæ expositionem amplectitur Liranus, posteriorem Titelmannus. At Gaignæus vtramque miscere videtur, dum hoc altare dicit esse hostiam in ara crucis oblatam, ipsum scilicet Christi corpus. Harum porro trium expositionum prima, quæ altare mensam Domini interpretatur, opponi solet hæreticis, qui sacrificium incruentum corporis & sanguinis Christi pernegant. Si enim apud nos est altare, ex quo hæc sumantur; est & sacrificium, quo eadem hæc offerantur. Et rectè quidem opponitur. Nam etsi non constet hunc esse sensum præsentis loci; tamen vrget aduersarios auctoritas & testificatio patrum qui sic intellexerunt. Non enim sic exponerent, si eiusmodi sacrificium & altare nullum in ecclesia agnoscerent. Cæterum arbitrò expositionem S. Thomæ quam priori loco posuit, esse magis germanam. Innuit enim eam nobis ipse Apostolus, cum paulò post dicit *Iesum extra portam passum esse*, id est, in ara crucis oblatum. Et, vt taceam quod toties in hac epistola atque ex instituto per antithesim comparat sacerdotem ministrantem tabernaculo, cum Christo offerente seipsum in cruce: sane, cum in superiori disputatione, quæ tam copiosè egit de sacrificijs veteris legis per Christum abolitis, deque sacrificio noui testamenti per eundem introducto, nullam facere voluerit mentionem incruenti sacrificij nouæ legis (cuius rationem dedimus suo loco); non multum verisimile

est, eum, nunc aliud agentem, velut ex abrupto voluisse de sacrificio incruentò sermonem ingerere; sed potius cruenti in cruce oblato, memoriam ex antedictis renouare. Quo sensu autem, de altari crucis edendi nos potestatem habere dicantur, & non illi qui tabernaculo deseruiunt; intelligitur ex verbis S. Thomæ supra positus. Nos enim ex eo edimus, dum fructum salutis ex cruce Christi, tanquam viuifico ligno, percipimus. Illi non possunt; quoniam (vt explicat Liranus) qui legalia custodiunt (quod designatur in seruitute tabernaculi) non habent partem in efficacia passionis Christi. Hinc idem Apostolus ait: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Et iterum: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis*. Gal. 5. Huc etiam pertinet quod corpus Christi in cruce oblatum, panis vocatur, fide manducandum. vt Ioan. 6. *Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*, scilicet in cruce.

II QVORVM ENIM ANIMALIVM INFERTVR SANGVIS PRO PECCATO IN SANCTA PER PONTIFICEM, HORVM CORPORA CREMANTVR EXTRA CASTRA. Poterat Apostolus probare quod dixerat ex antithesi veteris legis & nouæ; Nō enim potest quis noui testamenti particeps esse, nisi recesserit à veteri: Sed maluit ex ipso Moysè probationem adferre. B. Thomas Apostoli rationem valde subtilem vocat; quam & ipse valde subtiliter explicat. Scriptura ad quam respicit Apostolus, habetur Leuitici 16. vbi præcipitur summo sacerdoti, vt decima die mensis septimi, quæ erat dies expiationis, offerat vitulum pro peccato suo, & hircum pro peccato populi: tum vtriusque sanguinem inferat intra velu in Sancta sanctorum; corpora verò cremari iubet extra castra. Nam quia erat oblatio pro peccato sacerdotis, vel etiam multitudinis, in qua comprehenditur sacerdos; nihil ex ea cedebat in cibum sacerdotis, sed totum sacrificium extra castra combutendum erat: vt statuitur Leuit. 4 & 6. In eo sacrificio tam vituli quàm hirci, & ritu vtriusque offerendi, multa considerari possunt mysteria; quæ ab Aquinate & alijs enucleatè sunt exposita. Sed allegoria quam hîc intendit Apostolus, in eo sita est, quod, sicut veteris legis pontifex de sacrificio quod pro suo populiq; peccato obrulerat, non comedebat; sed animalium immolatorû corpora cremabatur extra castra: sic quicumque tabernaculo deseruiat, edere nō possunt de altari crucis, id est, fructu percipere de sacrificio super illud altare oblato, præsertim quum extra portam fuerit igne passionis consumptum. Est itaq; duplex probatio rei propositæ: & ex eo quia de illo sacrificio sacerdos nō edebat; & quia cremabatur extra castra. Nō enim sacerdos egrediebatur ad locum vbi immolata corpora combutabantur. Quanquã vis præcipua probationis

est in illo priore. Videtur enim Apostolus ita velle dicere; Quod ij qui tabernaculo deseruiunt non possunt edere ex nostro altari, id probo ex lege; quia nostrum altare ac sacrificium crucis potissimum fuit significatum per ea animalia quorum sanguis inferebatur in Sancta per pontificem in die expiationis. Atqui ex his Pontifex veteris legis non edebat; quia eorum carnes cremabantur tota extra castra: ergo qui adhuc veteri legi deseruiunt, non habent potestatem edendi ex nostro sacrificio. Vis consecutionis est in correspondentia figuræ & figurati, quatenus talia sunt. Ex eo autem quod hic Apostolus addit, *extra castra*; capit materiam sequentis allegoricæ doctrinæ, & subiunctæ exhortationis. Dicit porro, *extra castra*; sicut & lex loquitur: quia populus nondum habebat civitatem cultui diuino deputatam; sed agebat in deserto, castris dispositis; in quorum medio erat tabernaculum. Qui huc ascribunt locum Numer. 19, ubi de sacrificio vaccae rufæ agitur; tanquam Apostolus eò respiciat: procul dubio falluntur. Non enim sanguis vaccae rufæ inferebatur in sancta; sed de eo sacerdos, extra castra positus, aspergebat contra fores tabernaculi septem vicibus; & sic eam totam comburebat eodem loco.

12 PROPTER QVOD ET IESVS, VT SANCTIFICARET PER SVVM SANGVINEM POPVLM, EXTRA PORTAM PASSVS EST. Propter quod, id est, vt impleretur illa figura quæ est de carnibus extra castra cremandis; etiam Iesus, vt per suum (Græcè, proprium) sanguinem populum sanctificaret, extra portam ciuitatis Ierusalem passus est. Populum, dicit Istaëliticum; sicut in tota epistola, memor se scribere ad Hebræos: & quia ad solum hunc populum factæ fuerant promissiones. Alioqui pro gentibus etiã sanctificandis passum esse Christum, abunde docent aliæ Paulinæ epistolæ. Quanam hic sanctificatio intelligatur; & quomodo fiat per sanguinem Christi, satis quoque dictum est alibi.

13 EXEAMVS IGVTVR AD EVM EXTRA CASTRA. Quod dixit de Christo extra portam passu, quadam allegoria conuertit ad exhortationem de Christo, in eo ipso quod extra portam passus est, imitando. Igitur, inquit, egrediamur ad eum extra castra, vel extra ciuitatem; vitæ scilicet ac morum conformatione faciamus quod ille fecit; patiamur quæ passus est. Hæc enim duo considerat in præsententi sententia. Quorum vnum exponit parte continuo adiuncta,

IMPROPERIVM EIVS PORTANTES. Eius, inquam, qui extra portam passus est. Nam qui ducebantur extra portam, ignominiosa morte mulcebantur. *Portare Christi improperium*, ferè exponunt, vt sit pati qualia passus est Christus; crucem, irisiones, opprobria, persecutiones. Posset etiam intelligi, *improperium Christi*, id est, pro Christi nomine toleratum; iuxta quod ipse ait Matth. 5. *Beati*

estis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Sed verius milius est, improprium Christi proprie illud Apostolo dici, quo vocabantur Christiani. De quo Petrus Apostolus 1 ep. 4. Si autem vs Christianus: non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Erat enim magnum probum vocari sectatorem ac discipulum Christi crucifixi. Ita, si quis filius patrem habuit publica ignominia notatum aut supplicio affectu; patris improprium portare dicitur, si hoc ei loco probri aliquando obijciatur.

14 NON ENIM HABEMVS HIC MANENTEM CIVITATEM, SED FVTVRAM INQVIRIMVS. Hoc alterum est quod diximus Apostolum considerare in illis verbis: *exeamus igitur &c.* Docet enim quid sit mysticè exire extra castra, siue (quod pro eodem habendum) extra ciuitatem. Neque verò coniunctio causalis enim referenda est ad partem proximè precedentem, *improprium eius portantes*; sed ad exitum extra castra. Ad quem ideo hortatur, quia non habemus; inquit, nos Christiani, in hoc sæculo manentem, id est, fixam ac stabilem, ciuitatem; sed, inquit, velut in tabernaculis agentes, ad eam ciuitatem tendimus quæ nobis in futuro promittitur, id est, ad Ierusalem cælestem. De qua ciuitate iam supra aliquoties cap. 11 & 12 facta mentio est. Tacite monitos vult his verbis, vt, tanquam peregrini in hoc mundo, semper animo tendant atque aspirent ad patriam cælestem: ita futurum vt non multum turbentur, si vel opprobrijs impetantur à ciuibus terrenæ Ierusalem, vel reum temporalium damna patiantur. Nonnulli suspicantur Apostolum propheticè his verbis innuere deuastrationem terrenæ illius ciuitatis, haud multo post futuram; & submonere fideles de ea mature derelinquenda. Sed nobis constat aliud agere apostolum: nec illud recipi posse, nisi duos diuersos sensus huic loco assignamus.

15 PER IPSVM ERGO OFFERAMVS HOSTIAM LAVDIS SEMPER DEO. A sacrificijs carnalibus eos paulò ante reuocauit; nunc inuitat ad sacrificia spiritualia, non per intervalla, sicut illa Mosaica, sed semper Deo offerenda. Quale imprimis est sacrificium laudis; de quo Dominus in psalmo 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et Dauid ad Dominum, psalm. 115. *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Nec temerè huc delabitur, sed orationis serie quodammodo id postulante: quasi dicat, Exeamus ad Iesum extra portam, ubi passus est; vt & nos patiamur cum eo: Et quoniam illic seipsum pro nobis obtulit Deo; habeamus & nos aliquid quod, eius exemplo, similiter Deo offeramus. Quid verò potius, quam sacrificium laudis & gratiarum actionis; quod & Deo gratissimum est, & nobis maxime promptum ad semper offerendum; eodem psalmista dicente: *Benedicam Dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo.*

Sed

Sed pro quo beneficio? Generatim quidem pro omnibus; sed specialiter, ac potissimum (vt bene notat Theophylactus) pro eo cuius supra meminit; quod per sanguinem filij sui nos sanctificauit. Dicit autem, *per ipsam*; quia nec sacrificium laudis à nobis oblatum Deo gratum esse poterit, nisi per filium eius offeratur, vt pontificem ac mediatorem nostrum.

16 ID EST, FRVCTVM LABIORVM CONFITENTIVM NOMINI EIVS. *Hostiam laudis* exponit *fructum labiorum confitentium nomini Dei*, hoc est, laudantium Deum; iuxta illud psalm. 62. *Labia mea laudabunt te.* Nam confessio laudis intelligitur; qua etiã legitur ipse Christus patri confessus, dicens, *Cofiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, &c.* Matth. 11. Hanc laudis hostiam vocat *fructum labiorum*; quia labijs hoc bonum opus, tanquam fructum, reddimus: sicut vocantur fructus terræ, fruges quas terra reddit; & fructus manuum, pecunia quam manus lucratur & quasi proferunt operando. Vnde Prouerb. ultimo de muliere forti dicitur; *De fructu manuum suarum plantauit vineam.* Videtur autem aludere Apostolus ad legales oblationes fructuum terræ; tanquam dicat: Pro fructibus terræ, quorum iam cessat oblatio; fructum offeramus labiorum semper laudantium Deum. Porro manifestè respicit ad locum Osee 14. secundum LXX. Nam pro eo quod nos illic ex Hebræo legimus, *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*; LXX verterant: *Reddamus fructum labiorum nostrorum.* Et sensus propheta est; Adducemus Deo vitulos offerendos, seu quodcunque aliud sacrificij genus; quod in angustijs constituti, labijs nostris distinctè vouimus nos oblatores. Ita namque scriptura loquitur Deut. 23. *Quod semel egressum est de labijs tuis, obseruabis; & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Sic voluntas labiorum, vocatur petitio labijs pronuntiata, & è labijs egressa. psalm. 20. *Voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Permissum est autem verbis prophetae illud psalm. 65. *Reddam tibi vota mea qua distinxerunt labia mea.* Hoc enim quid aliud est quam quod propheta breuiter dixit, *Reddemus vitulos, seu fructum, labiorum nostrorum?* Cæterum Apostolus, vt dixi, tantum alludit ad verba prophetae: vt proinde non mirum sit, si ijs vtatur in sensu paululum diuerso.

16 BENEFICENTIÆ AVTEM ET COMMVNIONIS NOLITE OBLIVISCI. Duplex est sacrificium, inquit B. Thomas, quod super altare Christi offerre debemus: scilicet deuotionem erga Deum, & miserationem erga proximum. De priori iam egit: Alterum nunc subiicit. *Beneficentia* nomine complectitur vniuersam externam charitatis officia, quæ proximis impediuntur, ea præsertim quibus eorum inopia subleuatur. Ad hæc autem sola pertinet communio seu communicatio,

qua nimirum quis res suas indigentibus communes facit, reputans se eas non sibi soli accepisse à Deo, sed in vsum communem erogandas. Sic præcipit Romanis cap. 12, vt necessitatibus sanctorum communicent. Dicit autem, *nolite obliuisci*, sicut & supra de hospitalitate; tanquam nolit vel non audeat præcipere: quia cum pauperes essent Hebræi; satis habebat eos admonere ne istiusmodi operum, ob tenuitatem suarum facultatum, penitus obliuiscerentur.

TALIBVS ENIM HOSTIIS PROMERETVR DEVS. *Promeretur*, passiuè dixit interpres, etli parum Latine. Proinde quod in Græco est *εὐαρεσται ὁ θεός*. Erasmus ita vertendum putauit, *placatur Deus*. Siquidem & Augustinus ita legit lib. 10 de ciuit. Dei cap. 5. Cum hoc ferè idem est quod vult Caietanus; *concliatatur Deus*. Sed tamen rectius illi, qui vertunt, *delectatur Deus, placetur Deo*. Nam Græcum verbum non placari significat, sed delectari & hilariter affici re quapiam, eamque habere sibi placitam: quemadmodum è diuerso verbum actiuum *εὐαρεσέν*, quo passim vtitur scriptura, significat placere: quo & Apostolus vsus est supra cap. 11. semel & iterum, ubi nos legimus: *Testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Fauet Syriaca translatio, quæ sic habet: *His sacrificijs placet homo Deo.* Subest autem hic tacita antithesis inter hoc genus hostiarum & eas quæ secundum legem offerebantur; quas scriptura testatur Deo non placuisse; vt supra, cap. 10 ex psalm. 39. *Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt.* & psalm. 50. *Holocausis non delectaberis.* Iam nec dissonat quod habet vulgata versio, *promeretur Deus*, id est, nos promeremur Deum; ijs enim operibus homines promereri siue demereri Deum dicuntur, quibus ille delectatur, & quæ ei placent. Nam alioqui, *promerendi & merendi* vocabulis Latinis, nescio an Græca dari possint quæ proprie respondeant. Porro notandum, illud, *salibus hostijs*, referendum esse ad vtrumque sacrificium de quo locutus est; laudis scilicet ac beneficentia; sicut expressè referunt omnes Græci, & inter nostros Aquinas. Etenim totum hoc genus opponit apostolus legalibus sacrificijs; quibus (vt iam dictum est) nemo potuit Deo placere. Vocantur autem hæc sacrificia, & quidem vera generali ratione, quatenus ad Deum colendum fiunt. Quomodo B. Augustinus lib. 10 de ciuit. Dei cap. 6. verum sacrificium definit omne opus quod agitur vt sancta societate inhaereamus Deo.

17 OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS, ET SYBIACETE EIS. Duabus superioribus hostijs addit tertiam; quæ est obedientia; de qua 1 Reg. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas? & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam vltima.* Sicut autem Deo, sic & præfectis ab eo constitutis obediendum est; dicente

Ggg 2

Domino:

Domino: *Qui vos audit, me audit* Luc. 10. Demonstrat igitur hic locus (quod noui hæretici negant) ecclesiarum prælatos habere potestatem præcipiendi, ac leges ferendi, quibus obedire teneantur eorum subditi. Sunt enim ad inuicem relata, obedientiæ lege teneri, & præcipere. Constat autem Apostolum loqui de præpositis ecclesiasticis, id est, episcopis: tum ex his quæ sequuntur; *Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddaturi pro animabus vestris*; tum ex eo quod de iisdem antè præcepit: *Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei*. Hæc enim episcoporum sunt atque pastorum. Hoc argumentum ut effugiat Caluinus, apostolum sic interpretatur: Iubet piorum episcoporum doctrinam obedienter amplecti, sanisque consilijs obtemperare. Sed in hoc breui interpretamento tres sunt corruptelæ. Prima dum restringit apostolicum præceptum ad pios seu bonos episcopos. Quamuis enim dicat apostolus eos vigilare pro animabus, quod bonorum est episcoporum; non tamen si minus id faciant, exceptionem admittit in præstanda obedientia; nihilo magis quam in parentibus aut dominis carnalibus, quibus etiã duris, morosis, ac discolis obediendum præcipitur Eph. 6. Col. 3. 1 Pet. 2. Cùm ergo dicit, *Ipsi enim pervigilant*, officium eorum designat; à quo si deflectant, non ideo vult statim obedientiam subtrahi, sciens Dominum etiã de scribis & Pharisæis præcepisse populo, *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere*. Matth. 23. Quem locum huc allegant interpretes Græci, ut doceant obediendum esse episcopo, etiã si moribus & vita peruersus fuerit: illud tamen addentes; Quod si doctrinam fidei publica prædicatione pervertat, iam non esse cur amplius ei pareatur. Nec mirum. Sic enim potestate se ipsum exspoliatur, ut qui ecclesiæ hostem se declaret. Altera corruptela est, Apostoli præceptum ad obedientiam doctrinæ coarctare. Nam obedientia propriè præcepta agendi vel faciendi respicit, non doctrinam. Docere enim potest etiã qui non præest. Tertia, præceptum per consilium interpretari: quasi hoc sit *præpositis obedire*, relictis eorum consilijs acquiescere: cùm utique Apostolus 1 Cor. 7. & 2 Cor. 8. & in epistola ad Philemonem, præceptum à consilio manifestè distinguat; affirmans se posse quædam præcipere, quæ malit consuleret. In eo quod addit apostolus, *& subiaccete*, Græcè ὑποτασσέσθε, Theophylactus & Oecumenius indicari dicunt exactam obedientiam, ut si operibus etiã seruiendum illis sit, non detractent. Significat enim vox Græca cedere, locum dare, submittere se, & obsequijs subiectionem ostendere. Erasmus vertit, *concedite*.

INSI ENIM PERVIGILANT, QUASI RATIONEM PRO ANIMABUS VESTRIS REDDITURI. Non dicit quid omnes faciant, sed

quid boni; quidque omnes facere oporteat; quid denique de suis episcopis & pastoribus sentire debeant fideles. In Græco talis est ordo: *Ipsi enim vigilanti pro animabus vestris, tanquam rationem reddaturi*. Sed res eodem recidit. Nam illud, *pro animabus vestris*, secundum sensum utròque pertinet. Vigilant enim pro animabus sibi commissis, tanquam pro ijs ipsis rationem reddaturi Deo in die iudicij. *Vigilare*, curam & sollicitudinem significat, estque maximè proprium episcoporum. In illo sermone *rationem reddere*, metaphora est ab ijs qui res alienas dispensant. Tales se cogitare debent omnes pastores & episcopi: ut quibus à Christo commissæ sunt animarum cura, quas ipse suo sanguine redemit, & suas fecit: de quibus proinde rationem ab ijs exacturus est. Igitur hac parte, *quasi rationem*, &c. significare voluit Apostolus periculum in quo versantur qui præstant animabus regendis; ut hoc attendentes subditi, non eos contristent, sed promptè & libenter obediãt. Est enim hoc (inquit B. Thomas in commentario) maximum periculum, hominem de factis alienis rationem reddere, qui pro suis non sufficit. Vnde & Chrysostomus vehementer hunc sermonem & pulchrè exaggerans, dicit inter cætera verbum terribile: *Miror an fieri possit, ut aliquis ex rectoribus sit saluus*. Verùm hoc dicit respiciens ad multitudinem eorum qui per ambitionem sese conijciunt in illam tanti momenti functionem, quemadmodum patet ex verbis circumstantibus. Nam legitimè vocato, & fideliter atque ex charitate sacrum illud munus exercenti, qualis fuit ipse Chrysostomus; periculum esse non potest.

VT CVM GAUDIO HOC FACIANT, ET NON GEMENTES. Hæc ratio refertur ad præceptum: *Obedite præpositis vestris &c.* Quamuis enim potissima ratio cur præpositis obedire oporteat, ea sit ut Deo placeatur ac seruiatur, qui potestatem illam instituit; debet tamen à subditis & ista ratio præ oculis haberi, ne præpositis suis pro ipsorum salute vigilantibus mœrorem & gemitum adferant, sed gaudium potius ac voluptatem. Pronomen *hoc* omnium ferè sententia demonstrat curam pervigilem de qua dixerat, *Ipsi enim pervigilant*. Ita sensus est: Ut curam vestri agant cum alacritate & gaudio, & non gemant sub onere, sed leuius illud ferant, dum vident se non inaniter in vobis laborare.

Cæterum glossa ordinaria subiungit & alterum sensum, quo refertur hæc pars ad istud proximum, *rationem pro animabus vestris reddaturi*. Verba sunt: Ut reddant rationem Deo, securi de premio, & non gementes, anxij vel hæsitantes de vestra damnatione. Quæ eadem leguntur etiã apud Primasium. Sed & Anselmus hunc sensum adfert priori loco, ita scribens: Et quia student rectè vos ducere per viam iusticiæ, ut cùm

vos perduxerint ante tribunal Christi, non accensentur non rectè vos duxisse: idcirco nunc obedite illis. At verò sensus iste sanam intelligentiam requirit. Constat enim subditorum maliciam non posse iure imputari bonis præfectis ad detractionem mercedis. Nam *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. 1 Cor. 3. non secundum fructum laboris. non igitur existimandum est auctores sensus memorati, significare voluisse, bonos pastores cùm pervenerint ad tribunal Christi vel reos agendos, vel de sua mercede periclitaturos esse, propterea quod oves habuerint minus dicto audientes: sed dupliciter huiusmodi glossa potest explicari. Vno modo, si suppleas, *quantum est in vobis, si forè pereatis*. Nam vestra perditio faceret illos gemere & periclitari in die reddendæ rationis, nisi cordium inspector Deus sciret eos fuisse extra culpam. Sic intelligi solet illud Eph. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum*, scilicet quantum in vobis est, dum peccando eum à vobis expellitis. Aliter accipi potest de frustratione gaudij cuiuspiam quod accidentale vocant Theologi. Nam quasi gement in reddenda ratione Præpositi, qui, cùm multum laborauerint, non tamen gaudium percipiunt ex fructu laboris, consistente in sancta conversatione & perseverantia eorum quibus præfuerint. Similis est locus in ep. 2 Ioannis apostoli secundum lectionem Græcam: *Videte vosmetipsos, inquit, ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam accipiamus*. Eodem spectat quod Paulus eos apud quos cum magno fructu laborauerat, ut Philippenses & Thessalonicenses, vocat *spem suam & gaudium & gloriam, & gloria coronam*. Philip. 4. & 1 Theff. 2. videlicet ad diem aduentus Domini respiciens; sicut ipse explicat posteriori loco iam citato. Ex quibus iam etiã apparet, quàm hic sensus, etsi scrupulosior, non improbabiler ascribatur huic loco: maximè quum allusio sit ad dispensatores, à quibus dum exiguntur rationes suæ administrationis, culpari solent, si quid Domino perijt.

HOC ENIM NON EXPEDIT VOBIS. Scilicet *ut gementes id faciant*. Quod si referatur ad verbum *pervigilant*, iuxta communem expositionem: sensus est, Nam nec vobis expedit, illos cum dolore ac gemitu vigilare pro vobis. Quamuis enim illis non liceat vindictam expetere vestræ inobedientiæ; Deus tamen eorum gemitum exaudiet, & pro illis vlciscetur. Ipsi quoque potestate sua quam Christus eis tradidit, vtenitur aduersum vos. Sin autem referatur ad eam partem, *rationem pro animabus vestris reddaturi*; sensus erit, Haudquaquam vobis expedit illos cum gemitu rationem reddere pro animabus vestris. Id enim esset signum inobedientiæ vestræ & perditionis.

Adducens hunc Apostoli locum Prosper

lib. 2 de vita contemp. cap. 3. postrema verba recitat absque negatione, *Hoc enim expedit vobis*; & refert ad illud, *ut cum gaudio hoc faciant*. Sed mendosam esse lectionem Græca facile conuincunt, in quibus est vna composita dictio ἀδυσπλόως, inutile. Vnde plerique vertunt, *Hoc enim inutile est vobis*. Quanquam fieri potest, ut quedã Græca habuerint ἀδυσπλόως, omiſsa priuante particula αἰ; iuxta quam lectionem procul dubio referenda esset hæc pars ad illud, *cum gaudio facere*.

ORATE PRO NOBIS. Apostolus, more suo, sub finem epistolæ commendat se precibus eorum ad quos scribit. Insaniunt ergo hæretici, dū clamitant iniuriam nos facere Christo Mediatori quoties vicissim Paulum ac cæteros sanctos rogamus, dicentes, *Orate pro nobis*. Posuit autem plurale pro singulari, *nobis*, pro *me*; quod liquet ex verbis sequentibus, quæ ad ipsius personam pertinent.

CONFIDIMVS ENIM QVIA BONAM CONSCIENTIAM HABEMVS, IN OMNIBVS BENEVOLENTES CONVERSARI. Orandum quidè pro omnibus, quia charitas ad omnes se extendit: sed illi magis hoc merentur, cum quibus est charitatis communio, quique bonæ vitæ exemplis ecclesiæ ædificant. Talem se declarat Paulus, modestè tamen, dum vitæ vocabis, *confidimus & volumus*. Quod ergo dicit: *Confidimus quia bonam conscientiam habemus*, sic intellige: Bene mihi conscientis sum; & confido me in ea re non falli. De significato Græci verbi πιστεύω, quod modò, *certus sum*; modò, *confido*, noster vertit interpres; ne quis illius occasione certitudinem infallibilem hoc loco putet significari, videat quæ diximus ad illud Rom. 8. *Certus sum enim quia neque mors &c.* Neque enim plus certitudinis hic sibi vindicat Apostolus quàm in eo loco ubi dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. 1 Cor. 4. Quod & à B. Thoma diligenter annotatum est. Porro quod Erasmus vertere maluit in præterito, *confissi sumus*, non probo. Nam præteritum, tam medium quod hic legitur, quàm passiuum quod in ep. ad Rom. & alijs; vim quandam habet præsentis, etiã apud auctores profanos; nec aliter id exponunt docti interpretes. Particulam, *in omnibus*, ἐν παντί, Græci præcedentibus iungunt, & ad personas referunt. Est enim tam in Græco quàm in Latino genus ambiguum. Itaque faciunt hunc sensum: *Confidimus nos habere bonam conscientiam inter omnes; id est, non solum inter gentes, sed etiã apud vos: ut qui non possitis ignorare quàm nihil vnquam per auariciam aut hypocrisim à me factum sit in prædicando Dei verbo*. Igitur hos secuti Erasmus & Hentenius, verterunt *inter omnes*. Verùm meo iudicio rectius Latini sequentibus annexerunt, & de rebus exponunt; hoc modo: *In omnibus*, id est, per omnia studentes bene conuersari; ut ne cuiquam dictis aut factis meis vllum præbeam offendiculum. Sic ait 1 Cor. 10. *se per*

omnia omnibus placere, non querendo quod sibi utile sit, sed quod multis, ut salvi fiant. Hunc sensum reddidit Syrus interpres, dum ita vertit: *Confidimus enim quod conscientia bona sit nobis, quia in omni re cupimus bene versari.* Annotant Stapulensis & Caietanus Græcos codices variare; nam in alijs legi *ἔχουσι, habemus*, primæ personæ; in alijs, *ἔχετε, habetis*, secundæ. Quæ posterior lectio ipsdem quoque magis placet, ut & Stapulensis verterit *habetis*. Sed cum huius lectionis apud veteres interpretes nullum extet vestigium; prior autem lectio, quæ etiam hodie plurimorum est codicum, sensum habeat apertum & huic loco percommo- dum: non video cur ab ea nobis sit recedendum.

19 AMPLIUS AUTEM DEPRECOR VOS HOC FACERE, QVO CELERIUS RESTITVAR VOBIS. Pronomen *vos* non exprimitur in Græco, sed intelligitur. Aliam addit causam cur petat ut pro se orent. *Amplius autem*, inquit, hoc est, magis atque impensius, *obsecro vos hoc facere*, id est, pro me orate, *quo citius possim vobis restituui*. q. d. etiam vestri causa peto ut pro me oretis. Non enim apud vos inutilis ero, si vobis restituatur. *Vobis* autem intellige, in Iudæa morantibus. Nam epistola ad Hebræos scripta quò perferenda erat, nisi in Iudæam? Dicit autem *celerius*, quia multo iam tempore ab illis abfuerat. Porro nonnulli ex verbo *restituatur*, colligunt scriptam esse ex vinculis. Nam vinciti, cum liberantur, suis restituntur. Sed parum firma collectio est. Facile enim *restituendus* intelligi potest à negocijs quibus detinebatur. Quamquam & simpliciter exponi potest, *Orate ut restituatur*, id est, reddat vobis, reuertat ad vos. *Non enim est hominis via eius*. Ierem. 10. sed *Domini est dirigere gressu eius*. Prouerb. 16. Quod si scriberet è carcere, faceret apertam eius mentionem; sicut in alijs omnibus epistolis quas è carcere misit. Rectius ex eodem hoc loco colligit Caietanus auctorem huius epistolæ Hebræum esse, & proinde Clementem dici non posse. Cum enim dicit, *restituatur vobis*; de eorum gente se esse significat. Quod verò Caietanus addit, hæc verba non sonare Paulum, quem Hebræi seruantes legalia non expectabant sibi restituendum; quum Paulus ad euadendum eorum manus Cæsarem appellasset: haud solida coniectura est. Nam ad Iudæos fideles hæc epistola scribitur: Qui autem persequebantur eum, potissimum infideles erant; ut ex Actis & Paulinis epistolis promptum est intelligere. Ceterum fideles Iudæi (tamen non omnes) ei bene volebant, ac deferebant, tanquam apostolo Christi; & reditum eius desiderabāt.

20 DEVS AUTEM PACIS, QVI EDUXIT DE MORTVIS PASTOREM MAGNUM OVIUM. Vicissim bene eis precatur ac pro eis orat. Et quidem initio precatiois, *Deum pacis* nominat; ut eis pacem & doctrinæ consen-

sensum inprimis commendat: ac si dicat; Quia Deus pacis est; non oportet vos à me, vel inter vos mutuo; de lege & sacrificijs dissidere; sed in vnam veram, quam vos docui, conuenire sententiam. *Qui eduxit*, Græcè, ἀναγαγών, id est, qui reduxit. Significat enim Christi resurrectionem à morte ad vitam. Deinde notanda emphasis in vocabulo, *magnum*: quod in Græco postponitur, & cum articulo legitur, τὸν μέγαν. Vnde vertit Erasmus, *pastorem omnium illam magnum*. Vocatur Christus *magnum ovium pastor*, ut & alibi, *pastorum princeps* 1 Pet. 5. quia supremus & primarius est pastor, cuius ceteri pastores sunt vicarij. Nomine *ovium*, electos significari rectè docet Anselmus, videlicet eosdem quos Ioan. 10. vbi se prædicat ovium pastorem. Nam electos propriè Christus pascit, ut quos efficaciter ad vitam æternam perducit. Sed cur hic meminit *magni pastoris à morte reducti*? Ideo *magni pastoris*, quia de paruis & secundarijs pastoribus, hoc est, præpositis iam semel & iterum verba fecerat. Tum, quia pacem nominauerat; cuius inter Deum & homines conciliandæ causa; pastorille magnus pro omnibus mori dignatus est. Meminit autem eiusdem *à morte resuscitati*: ut ostendat eum adhuc viuere, semperque victurum. *Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur*. Rom. 6. Ut proinde fidem ab eo mutare non debeant; sicut & ante monuit, illis verbis: *Iesus Christus heri & hodie, & in sæcula*.

IN SANGVINE TESTAMENTI ÆTERNI. Hanc partem variè tractant. Quidam placet, *in sanguine*, dictum, id est, cum sanguine, ut sensus sit: Deum excitasse filium suum à morte; sed ita ut sanguis, quem in morte fudit ad sanctionem fœderis æterni, post resurrectionem adhuc vigeat vnà cum ipso rediuiuo, perinde ac si semper flueret. Vel certè, ut intelligatur eo excitato sanguis eius nobis donatus in testamentum seu fœdus sempiternum. Quem vtrūque sensum adseruit Theophylactus & Oecumenius. Sunt qui illud, *in sanguine* iungant cum accusatiuis *pastorem magnum*; idque hoc sensu: Reduxit è mortuis eum, qui quàm sit magnus pastor, cernitur in sanguine testamēti æterni, quem in morte effuderat. Alij volunt, *in sanguine*, idè esse quod per sanguinem: ut Anselmus, Aquinas, ac ceteri ferè Latini; referētes hanc particulam ad verbum *eduxit*, ut sensus apostoli sit, Christū à morte reductum ac resuscitatum esse, virtute ac merito sanguinis ipsius in morte effusi, quo confirmatum est testamentum æternū. Ipse enim, inquit Thomas, per suam passionem meruit sibi & nobis gloriam resurrectionis. Denique potest illud, *in sanguine*, eodem modo acceptum, sic construi, ut pendeat à verbo subintellecto: Deus qui reduxit à morte pastorem ovium, quas redemerat sanguine testamenti æterni. Quæ duæ postremæ expositiones præ cæteris placent; primum, quia

quia

quia phrasis illa, *in sanguine*, passim hoc modo in sacris literis accipitur, nominatim in epistolis Paulinis & in Apocalypsi, quoties aliquid factum aut præstitum in sanguine Christi dicitur. Tum, quia videtur apostolus alludere ad verba Zachariæ prophætæ, qui cap. 9 sic ait: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinetos tuos de lacu*. præsertim cū etiam cap. 11. magni pastoris ovium mortem prænunciet, dicens: *Percutite pastorem & dispergentur oves*. ut & illuc, prioribus apostoli verbis allusum videatur, non autem ad locum aliquem Isaïæ; quod vult Theophylactus. Constat autem apud prophetam, *in sanguine*, dictum more Hebræo, id est, *per sanguinem*. Porro *testamentum* hoc vocat æternum, ad differentiam testamenti veteris: vel quia promissionem continet hereditatis æternæ, vel quoniam ei non succedet aliud. Obiter obseruatum S. Thoma in tribus euangelijs, & apud Paulum 1 Cor. 11. Christi sanguinem vocari *sanguinem novi testamenti*; hic autem *æterni testamenti*: ideoque in verbis consecrationis calicis, quæ recitantur in canone missæ, rectè coniungi vtrumque epithetum, dicendo, *novi & æterni testamenti*.

DOMINUM NOSTRUM IESVM CHRISTVM. Græca *Christum* non addunt. Bene *Dominum* vocat, post factam mentionē mortis eius & sanguinis, quo nos redemit ac seruos suos fecit. 1 Cor. 6. *Non estis vestri: impi enim estis pretio magno*.

21 APRET VOS IN OMNI BONO. Græcè & Syriacè, *perficiat, absolutus vos reddat, in omni opere bono*. tamen rectè etiam vertit interpres, *apret*. Nam vox Græca ἀπαρτίειν significat *perficere* non quomodocunque, sed apta compositione partium seu mēbrorum; quomodo supra cap. 10 dictum est: *corpus autem apertum mihi*. Nam & alibi vtitur eo verbo Apostolus quum ad concordiam hortatur, ut 1 Cor. 1. *Sitis autem perfecti in eodem sensu*. & 2 Cor. ultimo, *perfecti estote*. Sensus igitur est; Deus pacis vos, tanquam vnus corporis mēbra, componat, apret ac perficiat in omni genere bonorum operum, sic ut alius in hoc, alius in alio opere iuxta suam vocationem sedulo se exerceat. Si quæras, quomodo Deus apret homines ad bonum: respondet tibi S. Thomas in commentario. Quado quis, inquit, voluntatem habet benefaciendi; dicitur aptus ad illud. Deus autem quando immittit ei bonam voluntatem, aptat eum, id est, facit eum aptum. Et ideo dicit Apostolus: *Apret vos in omni bono*, id est, faciat vos velle omne bonum. Et infra. Dupliciter aptatur homo ad bene faciendum. Vno modo, exterius operando: Et sic vnus homo aptat alium, persuadendo vel comminando. Alio modo aliquid interius exhibendo. Et sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus eam potest immutare, iuxta illud Prouerb. 21. *Cor regis in manu Dei; quocunque valuerit inclinabit illud*. Hæc ille. Non ergo dicamus

Deum mouere voluntates hominum, sicut aptum nouit ut sequantur; tanquam in eo sita sit efficacia gratiæ Dei: sed fateamur Deum facere homines aptos ipsa bonæ voluntatis immissione; sicut sanctus Doctor loquitur. Quæ doctrinā amplius patebit ex consequentibus Apostoli verbis.

VT FACIATIS BIVS VOLVNTATEM. Voluntas intelligitur præceptiua, in qua exsequenda consistit bonitas voluntatis nostræ. De qua Ephes. 5. *Intelligentes quæ sit voluntas Dei*. & 1 Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Vnde Ecclesiastici 3. *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*, scilicet ut facias. Supplenda est Apostoli sententia, hoc modo: *Deus apret vos in omni bono*, præstans nimirum, *ut voluntatem eius faciatis*. Ita seipsum exponit verbis subiunctis.

FACIENS IN VOBIS QVOD PLACEAT CORAM SE. Hoc est, per gratiam suam efficiens, efficaciter operans in vobis, opera sibi placetia. Manifestè docet hic locus, gratiam Dei non ex eo efficacem censeri quod voluntas nostra per suum assensum sese accomodet vocanti aut suadenti Deo; sed efficacem esse per seipsam & à seipsa, dum Deus potenti sua operatione nos aptat, & in nobis efficit omne bonum per quod ei placemus. Sub quo bono, ipsum etiam assensum & cooperationem voluntatis nostræ, contineri; nemo qui sanus sit in fide dubitauerit: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere*. Phil. 2. & qui omnia opera nostra nobis operatur. Isa. 26. Porro viderit Erasmus, cur verterit: *efficiens ut quod agit acceptum sit in conspectu suo*. Nam Græca ad verbum sic habent: *faciens in vobis beneplacitum coram se*. Quod omnes alij verterunt in eum sensum quem dedimus.

PER IESVM CHRISTVM. Hoc addit, quia, sicut dicit sanctus doctor, nihil à patre impetratur nisi per filium. Quæri potest quò sit referendum; vtrum ad verbum, *apret*, an ad *faciens*, an ad *beneplacitum coram se*. Maximè, ni fallor, conuenit ut ad verbum, *faciens*, referatur. Opat enim & precatur Apostolus ut Deus hæc in illis efficiat & præstet per meritum Christi filij sui. Quod & ecclesia passim in suis orationibus imitatur.

CVI EST GLORIA IN SÆCYLA SÆCVLORVM. AMEN. Hanc partem Græcorum expositorum nullus attigit; ut videantur non legisse. Græci tamen codices, æquè ut Latini, constanter habent: à quibus nec editio Syriaca discrepat. Ambiguum est autem, vtrum ad Deum, an ad IESVM CHRISTVM referri debeat. Illud minime dubium, non minus verè ad IESVM CHRISTVM, qui & ipse Deus est, quàm ad Deum patrem referri posse. Porro verbum est de suo noster interpres adiecit. Alioqui magis congruit sensus optatiuus,

Cui sit gloria, sicut in multis alijs clausulis huic similibus, quæ apud eundem Apostolum leguntur, vt Rom. 11 & 16. Gal. 1. Ephes. 3. Philip. 4. 1. Timoth. 1. 2 Tim. 4. nec non apud B. Petrum 1 ep. 5. & 2 ep. 3. & in epistola Iudæ. Denique in Apoc. 1. 5 & 19. Quale etiam est illud angelorum cantantium, *Gloria in altissimis Deo*. Luc. 2. & illud puerorum acclamantium, *Gloria in excelsis*. Luc. 19. In his enim omnibus verbum quidem nullum expressum est: interpretes autem plerique sensum reddunt orationem. Vnus est locus 1 Pet. 4. vbi in Græco verbum indicatum expressum habetur, *ᾧ ἐστὶν ἡ δόξα, Cui est gloria*. Ex quo videri posset idem verbum in omnibus similibus locis esse subaudiendum: nisi peculiaris esset ratio, cur illic à Petro verbum *est* additum fuerit: sicut ibidem videbitur. Amen, Hebræa dictio est, omnibus notam habens confirmandi id quod dicitur vel optatur; vt si dicas: Ita fiat.

22 **ROGŌ AVTEM VOS FRATRES, VT SUFFERATIS VERBUM SOLATIÏ.** Græcè, *Sufferete sermonem consolationis, vel exhortationis*. Nam Græca vox *παρηγορησις*, vt sæpe dictum est, tam exhortationem significat, quàm consolationem, quemadmodum & vox Syriaca. Quamquam Græci disertè exponunt de consolatione. Sic enim Oecumenius: Non dicit, *consilij aut exhortationis*: sed propter afflictiones in quibus erant, *consolationis*, inquit. Similia scribunt Chrysostomus & Theophylactus. Atqui Faber & Erasmus, *sermonem exhortationis* verterunt. Quod etiam Caietanus & alij nonnulli magis probant; hæc non improbabili ratione adducti, quia rogandi non erant Hebræi vt sermonem consolationis equo animo ferrent: Nam consolatio per se grata esse solet, etiam si consolator non perinde sit gratus. Sed quia Paulus sumserat partes exhortantis ac docentis, idque præstiterat non sine aculeis reprehensionis: idcirco nunc eos demulcet, obsecrans vt boni consulant hanc ipsius audaciam. Ex hoc loco mouentur, qui putant hanc epistolam præcipuè scriptam ab apostolo causa consolationis simul & exhortationis ad patientiam. Sed de ea re egimus in argumento.

ETENIM PER PAUCIS SCRIPSI VOBIS. *Per paucis*, Græcè, *διὰ βραχυίων, per breuia*, id est, *breuiter, paucis*. Ita B. Petrus in fine prioris suæ epistolæ *δι' ὀλίγων, per modica*, quod interpretes vertit, *breuiter scripsi*. Forsitan hoc loco duabus vocibus vertit interpretes, *per pauca*. Non enim sensus est, Valde paucis, vt Latini quidam exponunt. Dicit autem se paucis scripsisse, quod exhortatio minus molesta sit ac lubentius admittatur, si non obtudat verborum multitudine. Sed quomodo paucis; cum sit epistola bene proluxa? Respondet Chrysostomus paucis esse quæ scripsit, si conferantur cum ijs quæ dicturus erat si præsens fuisset. Quod etiam sic accipi potest, Paucis eum scripsisse, collata cum ijs quæ scri-

pturus erat, si illos habuisset discipulos satis idoneos & non *imbecilles ad audiendum*; sicut loquitur capit. 5. Sanctus Thomas dicit, pauca esse respectu mysteriorum quæ in hac epistola perstringuntur. Nam in ea, inquit, ferè omnia mysteria veteris testamenti continentur. Et addit verbum notabile; *Sermones breues valde acceptos esse: quia si sunt boni, auidius audiuntur; si mali, parum grauantur*. Potest etiam dici pauca esse quæ scripsit, non pro modo epistolæ, sed pro modo libri seu tractatus. Nam, vt in initio admonimus, exordium magis est libri quàm epistolæ; licet extrema, iuxta morem epistolæ, salutatione claudat.

23 **COGNOSCITE FRATREM NOSTRVM TIMOTHEVM DIMISSVM.** Græcè *ἀπολειμμένον*, id est, *solutum, vel absolutum*, vt alij verterunt. Atque hinc colligunt Timotheum in vinculis fuisse; à quibus eum solutum Paulus scribat, velut rem lætam nuncians. Erat enim Timotheus apud Hebræos bonæ existimationis; qui & in eorum gratiam à Paulo fuerat circumcisus, vt habetur Act. 16. Non tamen vsque aded certa est collectio. Nam Græcum verbum non raro generaliter accipitur pro eo quod est dimitti, vt Matth. 14, *ἀπολυσον τὰς ὄχλους, dimitte turbas*. Vnde alij *dimissum* intelligunt, id est, expeditum à negocijs quibus alicubi detentus fuerat. Vtriusque commentarij meminerunt interpretes Græci. Porro sciendum, pro *cognoscite* quod Græcè est, *γινώσκετε*, verti potuisse, *cognoscite aut scite*. Quamquam rectius se habet, *cognoscite, scite*; sicut etiam est in textu Syriaco. Nam Iudæis transmarinis indicare voluit, quod nondum sciebant.

CVM QVO (SI CHERIVS VENERIT) VIDEBO VOS. Cum illo, inquit, comite, si maturè ad me venerit aut redierit, vos inuisam: Alioqui, sine eo ad vos iturus, moræ longioris impatiens. Indican hæc verba magnum in Paulo desiderium inuisendi fratres suos Iudæos. Hinc etiam apparet, Paulum non fuisse vincum, quum hæc scriberet: non enim vincus, etsi spem habens liberationis, ita absolutè diceret, *videbo vos*; sed, spero me vos visurum; sicut in ep. ad Philem. *Spero per orationes vestras donari me vobis*. Verisimile est autem quod eos non inuiserit; siue grauioribus ecclesiæ negocijs, siue persecutione quapiam impeditus. Nulla enim historia prodit Paulum post Romanam profectioem, de qua Act. vltimo, reuersum aliquando fuisse in Iudæam; sed verba apostoli sunt assertiua propositi non euentus. Cuiusmodi leguntur etiam 1 Cor. 16. Cæterum ex isto loco, vbi Timothei facit mentionem, tanquam comitis, cum quo cuperet reuifere Iudæam; non leue sumitur argumentum, hanc ipsius Pauli esse epistolam. Neque enim alius quisquam est, in quem potius hæc competant. Conatur quidem hoc argumentum diluere Caietanus, sed id

facit

facit parum solidè. Quod verò obijcit, hanc promissionem qua dicit autor se visurum Hebræos, non sonare Paulum; eo quod alienum à ratione videatur, vt posteaquam appellasset ad Cæsarem, iterum se in Iudæorum manus dare velit: non conuincit; primùm, quia hæc epistola multis annis post illam appellationem scripta est, rebus apud Iudæos interea non parum mutatis. tum, quia Paulus Iudæorum persecutiones timere non debuit, vbi fructus poterat sperari. Vt illud etiam addam; apostolicæ prudentiæ fuisse, ita cautè in Iudæa conuersari inter fideles, vt non facilè in manus hostium incideret. Porro nec illud alicuius momenti est, quod obijcit Caluinus, Paulum solere Timotheum in suis epistolis appellare filium; non fratrem. Responderetur enim, Timotheum à Paulo filium vocari, in ijs epistolis quas Paulus ad eum scribit; nec non 1 Cor. 4. In cæteris autem epistolis, perinde vt hîc, fratrem appellari, vt 2 Cor. 1. Col. 1. 1 Thess. 3. & ad Philemonem.


24 **SALVATE OMNES PRÆPOSITOS VESTROS.** Id est, episcopos ecclesiarum, maxime per Iudæam & Syriam.

ET OMNES SANCTOS. Id est, omnes fideles, qui apud vos sunt. Cur omnes fideles sancti dicantur; in exordijs aliarum epistolarum satis expositum est.

SALVTANT VOS DE ITALIA FRATRES. Græcè, *Salutant vos qui ex Italia*, id est, Itali; nec additur, *fratres*; vt nec in Syriaco. Latina quoque complura mss. *fratres* additum non habent, tamen intelligendum est. Significat enim Iudæos Christianos per varias vrbes Italiæ dispersos. Vnde plus dicit quàm si scriberet; Salutant vos Romani. Vtrum autem Romæ scripta sit epistola, an in alia quapiam Italiæ parte, non liquet.

25 **GRATIA CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN.** Concludit epistolam appreciatione gratiæ; significans eo nomine beneficentiam Dei, quatenus ab ea nobis omnia dona salutis proueniunt. Græci codices subscripta habent hæc verba; Missa ab Italia per Timotheum. Sed huiusmodi subscriptioni non est cur fidem habeamus: nam ex superioribus constat Timotheum abfuisse quando scripta est. Nec multum refert scire per quem sit missa.





IN EPISTOLAS
CATHOLICAS
PRÆFATIO.



OST explanatas Apostoli Pauli epistolas, sequitur ut ad reliquas Apostolorum epistolas, quæ septem numero sunt, exponendas, accedamus. Est autem de ijs multorum vsu receptum, ut *canonica* dicantur; siue quod æquè ut Paulinæ epistolæ, ad canonem pertineant librorum scripturæ sacræ, siue (quæ ratio magis est propria) quia canones, id est, regulas ac præcepta continent instituendæ vitæ Christianæ. Sed veteri inscriptione, cum in Latinis codicibus, tum maximè in Græcis, *Catholica* vocantur, non *canonica*; eoq; vocabulo passim eas appellant antiqui scriptores: ut Origenes apud Eusebium lib. 6. historiae eccles. cap. 19. & Dionysius Alexandrinus apud eundem lib. 7. cap. 20. ac ipse Eusebius lib. 2. cap. 22. Item Cyrillus Hieros. catech. 17. illuminatorum, & Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis in Petro, Iacobo & Iuda. nec non Sophronius Græcus Hieronymi interpres. Sic autem vocantur, non à Catholica doctrina quam tradunt (quæ ratio omnibus scripturis sacræ est communis) verum quia non ad vnam aliquam ciuitatem scriptæ sunt; ut Pauli epistolæ, ad Romanos, Corinthios, Ephesios &c. aut ad vnum hominem, ut quæ ad Timotheum, Titum, Philemonem: sed quia generatim scriptæ ad fideles dispersos in varias regiones. Nam Iacobi epistola duodecim tribus quæ erant in dispersione compellat. Prior Petri mittitur ad electos aduenas dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ. Secunda, ad fideles in vniuersum; aut certè ad eosdem qui nominantur in prima. Quod arguere videtur illud capitis 3. *Hanc ecce vobis carissimi secundam scribo epistolam*. Prima Ioannis apud nos nullam habet inscriptionem, utpote generalis; quamuis olim vocaretur epistola ad Parthos scripta. Nec ideo non erat Catholica. Nam qui eum titulum dedit, Parthorum nomine comprehendere voluit ceteros orientales populos, in quibus dispersi erant fideles, ut Medos, Elamitas, incolas Mesopotamiæ, qui Parthis subiunguntur Act. 2. Est itè generalis ad fideles inscriptio epistolæ S. Iudæ, sicut secundæ Petri, cū qua maximā habet argumenti cōsensionem. Tantū scrupulus restat de secunda & tertiā epistola Ioanis, quæ ad singulares homines missæ fuerunt. Sed dicēdū,

has

has propriè nō esse Catholicas; nec in nostris codicibus ita appellari. Vnde nec grauatim concedimus quinque tantum esse Catholicas epistolas: Obtinuisse tamen ut & illæ duæ sic vocarētur, eo quod in vnum volumē cum alijs quæ propriè tales sunt, essent inclusæ. Sed quid de epistola ad Hebræos scripta, quæ nō minus quàm Iacobi epistola, generalis videtur, data nimirū ad omnes ex Hebræis fideles? Respondeo, peculiariter scripta esse ad Hebræos qui Ierolymis & in Iudæa morabatur; de quibus dicit, *quod rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinuerint*. Heb. 10. licet intentio scribētis fuerit, ut & cæteris in dispersione positis communicaretur. Tamen etiam dici potest, ideo non numerari inter Catholicas, quod alijs epistolis Pauli quæ non sunt Catholice, debuerint accenseri.

Quod ad ordinem attinet harum epistolarum: iuxta codices quidè hodiernos, tã Græcos & Syriacos quàm Latinos, prima Iacobi est; eaq; suo ordine sequitur epistola Petri, Ioannis, & Iudæ. Atque hunc ordinem videre est etiam in cōcilio Laodiceno can. vltimo, & apud Hieronymum in epist. ad Paulinum præfixa biblijs. Nec nō apud Gelasium in concilio LXX episcoporum; c. Sancta Romana dist. 15. Veruntamen olim nonnulla varietas exstitit. Nā in can. vltimo eorū qui vocantur apostolici, recensentur hoc ordine, Epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ. Sic & Augustinus de fide & oper. cap. 14. Quod secuti sunt Florentini concilij patres in decreto Armenis dato, ac nouissimè Tridentini sess. 4. in decreto de canonicis scripturis. Habetur idem ordo in concil. Carthaginensi 3. can. 47. ac rursus apud August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 8, nisi quod his locis epistola Iacobi vltima ponitur, quæ admodum & apud Innocentium primū in ep. 4. ad Exuperium, qui tamen Ioannis epistolas cæteris antepōnit. Meminit etiā diuersi ordinis inter codices Græcos & Latinos, prologus quidam harum epistolarum, rectè ascriptus Hieronymo, tã in biblijs vetustioribus quàm apud Liranum. Hæc de varietate ordinis. Ex qua satis intelligitur patribus nō admodum fuisse curæ quo ordine recenseret has epistolas; etsi nō dubitem quin singuli suæ collocationis rationem habuerint. Nam qui Petri epistolis primum locum attribuerunt, principatum eius inter apostolos spectarunt, simul & ipsarum epistolarum maiestatem tanto apostolo dignam. Qui Iacobi epistolam extremam collocarunt; id ea ratione fortasse fecerunt, quod post ceteras ab ecclesijs recepta fuerit. De qua re infra dicemus. Qui verò eam ipsam reliquis antepōnunt, ordinem temporis quo scriptæ sunt, attendisse videntur: ut vult Liranus, nec malè probat. Alijs tamen placet ideo positam primo loco, quia Iacobus Ierolymitanæ ecclesiæ ac Iudæorum fuit episcopus, id est, ecclesiæ primitiæ, & eorum qui fuerunt primitiæ fidelium. A quo loco & populo deinceps in alias regiones ac gentes propagandum erat euangelium.

De argumento harum epistolarum in genere, id breuiter adijcimus, argumentum non vnum esse, in eo tamen omnes ferme cōuenire, quod, aduersus insurgentes hæreses Simonis, Nicolai, ac similibus qui satis esse ad salutem fidem sine operibus prædicabant, Pauli etiam quibusdam dictis quæ legebantur in eius epistolis ad hoc abutentes; tradant

bonorum

bonorum operum necessitatem, & grauius infectentur eos qui secus aut docent aut sentiunt. Qua de re B. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14 sic post alia scribit: Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta; aliæ apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi; Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse; sicut & ipse Paulus non quamlibet fidem qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. *Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur.* Ac paulò post: Vnde euidenter in secunda epistola Petrus, cum ad vitæ & morum sanctitatem hortaretur, sciens de Apostoli Pauli quibusdam subobscuris sententijs nonnullos iniquos accepisse occasionem vt tanquam securi de salute quæ in fide est, bene viuere non curarent; commemorauit, quædam ad intelligendum difficillima esse in epistola eius, quæ homines perverterent, sicut & alias scripturas, ad proprium suum interitum: cum tamen & ille Apostolus, de salute æterna, quæ nisi bene viuentibus non daretur, eadem sentiret, quæ ceteri Apostoli. Hæc Augustinus. Quanquam nec his etiam epistolis sua deest obscuritas & difficultas: de qua sic rursus Hieronymus in epistola ad Paulinum: *Iacobus, inquit, Petrus, Ioannes, Iudas septem epistolas ediderunt, tam mysticas quam succinctas; & breues pariter ac longas, breues in verbis, longas in sententijs; vt rarus sit qui non in earum cacutiatur lectione.* Sic ille. Quod annotandum duxi propter Erasmus, qui pene cum sensu pugnant, in nuncupatoria quam suæ paraphrasi in primam Catholicam præmisit, epistolarum Iacobi & Ioannis, & (quod magis mirandum) etiam eius quæ scripta est ad Hebræos, difficultatem studiosè extenuat.

ANNOTATIO DE AVTHORE PRIMÆ
EPISTOLÆ CATHOLICÆ.

IACOBVM esse huius epistolæ authorem ipsa loquitur in frontispicio: sed cuius sit Iacobi, cum eius nominis duo fuerint Apostoli; alter Zebedæi filius & frater Ioannis; alter Alphæi filius & frater Iudæ, qui & Minor appellatus est; quibus nonnulli tertium addunt Iacobum quem fratrem Domini fuisse volunt: id est quod in quæstione versatur. Et quidem Iacobum fratrem Ioannis authorem esse huius epistolæ disertè negat Hieronymus scribens in cap. 1 epistolæ ad Gal. Nec vllus interpretum affirmat: nisi quod versio Syriaca tribus epistolis Catholicis (neque enim plures exhibet) præmittit hæc verba: *Tres epistolæ trium Apostolorum, ante quorum oculos Dominus noster se transfigurauit, id est, Iacobi, Petri & Ioannis.* Id verò reiiciunt quidam hoc argumento, quia Iacobum hunc paulò post Domini resurrectionem Herodes occidit, Actorum 12. At hi falluntur in temporum ratione. Nam iuxta veram supputationem (de qua consule Baronium tomo primo annalium) reperiuntur intercessisse decem anni, plus minus, inter mortem Christi & martirium huius Iacobi.

Quo

Quo tempore scriptam ab eo fuisse epistolam aliquam ad fratres post Stephani necem dispersos, fortè non videbitur absimile vero. Hanc enim dispersionem graues quidam expositores intelligunt eam cuius in exordio epistolæ mentio est. Contigit autem illa dispersio, vt & b. Stephani lapidatio, anno primo post mortem Saluatoris, & proinde multo ante obitum Iacobi memorati: Sed tamen hæc non admodum suadent. Primum quia sicut Irenæus docet lib. 3. aduersus hæreses cap. 1. serò cœperunt apostoli doctrinam suam literis consignare, principio interiti in prædicationem verbi, quemadmodum ijs præceperat Dominus dicens: *Prædicate euangelium omni creaturæ.* Marc. vlt. Deinde nec verisimile est, quamdiu Petrus apostolorum princeps adhuc in Iudæa agebat, alium quempiam ex apostolis eam autoritatè sibi sumpsisse, vt ad fratres per Iudæam dispersos, catholicam, id est, vniuersalem epistolam scriberet. Accedit, quod hæc epistola sicut & aliæ catholice, dirigit intentionem, vt loquitur Augustinus antè citatus, contra opinionem eorum qui fidem sine operibus sibi putabant ad salutem sufficere, ex quibusdam epistolarum B. Pauli sententijs accepta occasione; & earum pervertum intellectum corrigat. Atqui, viuente Iacobo fratre Ioannis, Paulus nondum gentibus prædicare cœperat, nedum epistolas scribere. Quenam verò dispersio in hac epistola intelligatur, id suo loco dicemus. Cui igitur ex his satis appareat authorem epistolæ nõ esse Iacobum fratrem Ioannis: superest vt eam assignemus Iacobo Alphæi fratri Domini, & Ierosolymorum episcopo, qui & Iusti cognomen meruit; & à Paulo inter columnas nominatur, Gal. 2. Est enim vnus idemque. Nam sententiam eorum qui diuersos faciunt, & per hoc tertium Iacobum introducunt; bene firmis rationibus euerimus in expositione epistolæ ad Gal. 1. vt nihil opus sit hic ad ea quicquam adijcere. Sed respondendum Erasmo & Caietano; quorum ille in Annotationibus, tam initio quam in fine, hic autem in principio commentarij, vocant in dubium siue hæc epistola Iacobi apostoli vnus ex duodecim, aut etiã fratris Domini: propterea quod Hieronymus in catalogo de Iacobo fratre Domini agens, cum dixisset eum vnã scripsisse epistolam, quæ de septem Catholicis est; continuò subiicit: *Quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Verum non negat his verbis Hieronymus, neque dubitat hanc epistolam esse Iacobi fratris Domini; sed, cum prioribus verbis id planè affirmasset, adiunxit quid alij nonnulli hac de re senserint; editam scilicet esse ab alio quodam sub illius nomine. Certè quid ipse Hieronymus senserit, satis etiam ex alijs locis manifestum est; in quibus ex hac epistola sub nomine Iacobi apostoli testimonia adducit, vt lib. 1. & 2. aduersus Pelag. Et in commentarijs super Isai. 16. atque alibi. Nec vsquam ambiguit de epistolæ authore locutus inuenitur, vt interdum loquitur de authore epistolæ ad Hebræos. Huc etiam facit quod in epistola Epiphaniij ad Ioannem Ierosolymitanum (quam Hieronymus ex Græca Latinam fecit) cap. 4. Iacobus huius epistolæ scriptor, nunc apostolus vocatur,

H h h nunc

nunc coniunctè simul apostolus & frater Domini. Sed aiunt: Au-
thor ipse non se nominat apostolum, nec fratrem Domini; sed
tantum seruum Iesu Christi. Respondeo; nec Iudas, qui nemine du-
bitante inter duodecim fuit; apostolum se nominat, sed tantum
Iesu Christi seruum, & Iacobi fratrem. Quin nec Ioannes vs-
quam, nec Paulus in omnibus epistolis apostolum se scribit, sed
interdum non aliud quam seruum Iesu Christi. Cur autem fra-
trem Domini non se nominet Iacobus vti nec Iudas; perspicua ra-
tio est. Non enim Christum, sed seipsum potius honorasse vide-
rentur, si se scriberent fratres eius cuius erant apostoli & serui; ma-
ximè quando id facerent in literis publicis, quas mittebant ad ec-
clesias. Imò per hoc existimationem Christi Domini, cuius glo-
riæ seruire debebant, non parum minuerent; sicut faciebant ci-
ues eius, quando dicebant: *Nonne fratres eius Iacobus & Simon &
Ioseph & Iudas?* Matth. 13. Porrò sciendum de Iacobo fratre Do-
mini multa ex Hegesippo vetusto scriptore narrari ab Eusebio
lib. 2. hist. cap. 22. & Epiphano hæresi 79. Quorum nonnulla etiam
refert Hieronymus in catalogo; quæ an omnia vera sint, non im-
meritò quis dubitauerit: atque hæc præsertim, Quod illi soli lici-
tum erat ingredi sancta sanctorum; quodque solus ingrediebatur
templum; & quod ad eius iudicium scribæ & Pharisei Christianæ
religionis aduersarij, retulerint quæstionem quid de Iesu sentiendum es-
set; tanquam Iacobus ad id vsque tempus non satis apertè ac liberè
Iesum Christum prædicasset, qui Ierosolymitanam ecclesiam triginta
iam annis rexerat. Quod de sanctissimo viro, & Christi apostolo, sen-
tire, per absurdum videtur. Sed quoniam huiusmodi dubiorum expli-
catio maioris est operæ, nec præsentis instituti; tantum hîc nobis suffi-
ciat admonuisse: quo studiosis ansam daremus inquirendi quid ad ea
responderi posset.

HANC EPISTOLAM ESSE CANONICAM
SCRIPTURAM.

DE hac epistola fuisse aliquando dubitatū an sacris libris esset annu-
meranda, iā intelleximus ex verbis Hieronymi supra citatis, in qui-
bus dicitur eam paulatim tempore procedente obtinuisse au-
thoritatem. Quod etiam ante eum testatus est Eusebius lib. 2. hist.
cap. 22. Sic enim de ea epistola scribit: *Etsi à quibusdam tanquam adulte-
rina ac minimè germana propterea iudicetur, quod non adeo multi ex veteribus,
illius epistolæ, sicut nec eius quæ dicitur Iudæ, mentionem faciunt: tamen
nos istas, cum reliquis, in quamplurimis ecclesijs publicè receptas approba-
tasque cognouimus.* Hæc ille. Ex quibus patet eam dubitationem vel
paucorum hominum, vel paucarum ecclesiarum fuisse; quas tamen in
communem aliarum ecclesiarum sententiam conuenisse, ex eo palam
ostenditur, quod ab illo tempore & deinceps, nec vlla ecclesia nec vllus

ecclesiasticus scriptor inuenitur hac de re amplius hæsitasse. Quin-
è contrario omnes indices librorum scripturæ sacræ, siue editi à con-
cilijs tam generalibus quam particularibus, atque etiam à Romanis
episcopis; siue ab alijs orthodoxis scriptoribus traditi, vt ab Atha-
nasio, Gregorio Nazianzeno, Augustino, Cassiodoro, Isidoro,
Damasceno, hanc Iacobi epistolam suo nomine expressam & cæteris
canonicis scripturis annumeratam, exhibent. Quæ probatio ad
certam fidem faciendam cuique Catholico sufficere debet. Verum
quia non defuerunt hoc sæculo, qui huius epistolæ autoritatem aut
contemnerent, vt Martinus Lutherus cum nonnullis suis sequacibus,
aut eleuarent dubiamque redderent; vt Erasmus & Caietanus: idcir-
co breuiter ad argumenta quæ eos mouerunt, est respondendum. Lu-
therus epistolam hanc ob id rejicit, quod hominem iustificari doceat
ex operibus, & non ex fide tantum, contra quam Paulus, vt
ait, docuit in epistolis ad Rom. & ad Gal. iusticiam statuens ex fi-
de sine operibus. Hinc igitur eam nec apostoli Iacobi esse censet,
nec apostolico spiritu dignam. Imò stramineam, per contemptum,
aliquando vocauit & scripsit. Respondeo, Lutherum huiusmodi ar-
gumento non epistolam hanc probare spuriam, sed seipsum hæreticum
declarare, qui sincerè doctrinæ in ea traditæ vsque adeo repu-
gnet, vt propterea totam epistolam abijciat & condemnet. Quod
ne facere cogeretur Calvinus, maluit epistolâ saluâ doctrinam iusti-
ciæ operum in ea contentam, ad alium sensum detorquere. Sed nos
veram conciliationem huius doctrinæ cum ea quam Paulus tradidit, in-
frâ suo loco adferemus. Secundò obijciunt Lutherani, hanc epistolam
vt rectè commendat opera, tamen, præter morem apostolicum, mu-
tam esse de doctrina fidei, & tantum de operibus concionari. Quibus
respondeo; non opera tantum sed & fidem hac epistola luculentè
commendari; non solum in eo quod ad iusticiam vtrumque requi-
rit, tam fidem quam opera; verum etiam dum ait, cap. 1. *Volunta-
riè genuit nos verbo veritatis.* Quæ sententia, siqua alia, prorsus aposto-
lica est. Sensus enim est, quem eo loco plenius explicabimus, *Gratis iu-
stificauit nos per fidem.* Nec aliud vult quum paulo post ait; *Suscipite in-
firmum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Sed & illud quod di-
cit statim ab exordio epistolæ; *Probatio fidei vestra patientiam opera-
tur: & mox, Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Et cap. 5. *Oratio fidei
saluabit infirmum:* nonne manifestam continent fidei commenda-
tionem? Sed ideo magis occupatur in operibus commendandis,
quod (vt ante diximus) aduersus eos agat qui neglectis operibus ex
sola fide salutem sibi pollicebantur. Deinde, sicut ipse Calvinus res-
pondet; non ab omnibus exigendum vt idem argumentum tractent.
Multa enim (exempli causa) inter Euangelium Ioannis & reliqua tria
diuersitas est: & tamen hæc omnia equè recipimus vt à Dei spiritu
profecta. Porrò Caietanus ex salutatione sumit argumentum, ad
conuellendam autoritatem epistolæ. Quoniam, inquit, saluatio

tam pura est, vt nulli salutationi cuiusquam alterius apostolicæ epistolæ conformis sit. Nam nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ, nihil paci sonat; sed, profano more, salutem. Hæc ille, verbis (quod sane mirum est) à Luthero mutuatis. Nam eadem pene Luthero Sixtus in bibliotheca sacra attribuit. Ex ijs autem colligit Caietanus, minus certum reddi authorem huius epistolæ; & consequenter authoritatem: sicut argumentabatur de epistola ad Hæbræos. Ad argumentum verò hoc facilis est responsio. Non enim apostoli semper eadem aut simili formula salutandi in suis epistolis utebantur; atque interdum in ea re, vt in multis alijs, morem sequebantur vulgò receptum. Quod perspicuum est ex epistola quæ habetur Act. 15. cuius initium est: *Apostoli & seniores, fratres, his qui sunt Antiochia & Syria & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem.* Quin potius, hæc salutationis in vtraque epistola similitudo suadet vt præsentis epistolæ non alium Iacobum queramus authorem, quàm eum, quo suggerente memorata epistola ad gentium ecclesias ab apostolis missa fuit, vti narratur eodem loco. Nec verò putandus est gratiam & pacem tacuisse, qui salutem nominauit. Nam salus Christiana omne bonum salutare comprehendit. Nec Apostolo necesse fuit Deum & Iesum Christum cum verbo salutationis repetere, qui Dei & Iesu Christi seruum se iam dixerat.

ARGUMENTVM HVIVS EPISTOLÆ.



NON simplex huius epistolæ argumentum est, sed multiplicem ac miscellaneam continet doctrinam. Tametsi duo principaliter agere videtur: alterum vt instruat eos qui volebant aliorum esse magistri; veloces ad docendum & pronuntiandum, iactantes suam sapientiam, aut sapientiæ inordinato modo studentes; & ad malos fines hoc suum studium referentes, vt ad gloriam, opes, voluptates, quod maximè patet ex cap. 4. Vnde, statim ab initio docet vnde petenda sapientia, monetque vt malint esse discipuli quàm magistri, & deterret ab ambitione magisterij. Viciū enim hoc regnabat apud Iudæos; qui sibi scientiam legis vendicabant, & omnium volebant esse doctores, Rom. 2. Vnde Iudæis fidelibus illud viciū adhuc magna parte adherescebat. Alterum, de quo iam in prolegomenis admonuimus, vt ostendat bonorum operum necessitatem, ne quis sibi de sola fide blandiatur tanquam ea satis sit ad salutem; quemadmodum Simoniani, recentes tunc hæretici, docebant. Nam inter alias hæreses Simonis eam fuisse, quod opera iusta non sint ad salutem necessaria, testatur Irenæus lib. 1. sui operis aduersus hæreses conscripti cap. 20. De Nicolaitis etiam alijsque nonnullis eius ætatis hæreticis à quibus orti postea Gnostici, quàm se totos voluptatibus carnis immerferint, ostendunt

ca quæ

ea quæ idem Irenæus & post eum Epiphanius & Augustinus de hæresibus scripta reliquerunt. Aduersus hanc igitur pestem, quæ in locis Iudææ ac Samariæ, Simone authore, iam dudum ceperat pullulare, & quam non parum adiuuabat perversus intellectus epistolarum Pauli apostoli, in quibus de gratuita per fidem iustificatione disserit; præcipuè suam intentionem dirigit apostolus Iacobus, quemadmodum Augustinus docet verbis supra citatis ex lib. de fide & oper. nec non in præfatione suæ enarrationis in psalmum 31. Agit apostolus de ea re per totam epistolam, commendans opera, sed speciatim cap. 1. vbi præcipit vt sint factores verbi, & non auditores tantum, & quæ sequuntur. Plenius autem atque expressius cap. 2. ab eo loco: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* & cetera vsque ad finem capituli. Eodem pertinet illud cap. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Ceterum traduntur & alia saluberrima præcepta: cuiusmodi sunt, retinendam in aduersis patientiam, iræ temperandum, personarum acceptionem vitandam, linguæ vicia cauenda, reprimendas esse prauas animi cupiditates, infirmos oratione & sacra vnctione refocillandos, iustorum preces plurimum valere apud Deum, aberrantes in viam reuocandos: & id genus alia. Nec malè Caietanus submonet libri speciem potius esse, quàm epistolæ; præsertim cum eam, quod in epistolis ferè perpetuum, nulla saluatio claudat. Verisimile est scriptam esse Ierosolymis, in qua vrbe Iacobus episcopus erat, & ferè continuò resedit. De tempore nihil certè habetur: nisi quod existimem ab eo scriptam non multò ante suum obitum, vt haberent Iudæi fideles sui apostoli & episcopi doctrinam scripto consignatam, qua etiam post ipsius mortem instrueretur. Nam ad Iudæos scriptam esse, liquet ex ipso statim eius exordio.

CAPVT I.

IACOBUS DEI ET DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI SERVVS. Officij sui dignitatem hoc titulo manifestat. Nam Dei ac Iesu Christi seruum se nominat, ea speciali ratione, qua passim id facit in suis epistolis Paulus: Nimirum ratione muneris apostolici, quo sicut Paulus & Barnabas apud gentes, ita Iacobus, Cephas & Ioannes fungebantur in circumcisione, id est, apud Iudæos, vt habetur Gal. 2. Vocabulum *Dei* quidam referunt ad eandem personam cum sequentibus, hoc sensu, Seruus Iesu Christi qui est Deus ac dominus noster. Qui sensus haud dubiè catholicus est. Verum apostolico scribendi stylo magis conuenit vt prior pars ad patrem referatur. Sic Oecumenius, *Dei patris, inquit, & Domini filij.*

DUODECIM TRIBVVS QVÆ SVNT IN DISPERSIONE, SALVTEM. Hoc est,

(Iudæis per varia loca dispersis salutem dicit, aut scribit. Nam populus Israeliticus duodecim tribubus constabat. Vnde liquet ad solos Iudæos scriptam esse hanc epistolam. Pro salute Syrus pacem transtulit, rem tamen eandem significare volens; quomodo in euangelijs eadem sunt, *Auete Matth. ult. & pax vobis* apud Lucam & Ioannem. Porro dispersionem hanc plerique interpretantur eam quæ sub Stephano facta est, de qua Act. 8. quando fideles qui erant Ierosolymis ob persecutionem dispersi fuerunt per regiones Iudææ & Samariæ. Alij verò (quod magis placet) intelligunt dispersionem Israelitici populi in varias nationes olim factam, scilicet ex eo tempore quo in Assyriam, Babiloniã, Ægyptum, inque alia regna per captiuitates & bella vel abducti vel sponte profugi discesserunt. Ad hanc enim dispersionem sine dubio pertinet Petri saluatio in exordio suæ prioris epistolæ, cum ait, *electis, aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, &c.* eandemque significauit Lucas

Act. 2. & 6. ubi mentionem facit Iudæorum qui Ierolymam conuenerant ex diuersis mundi plagis, etiam valde remotis. Huc prætere facit, quod hæc epistola vna est & prima Catholicarum, id est, earum quæ scriptæ sunt generaliter ad fideles in varijs ac longinquis regionibus morantes. Atqui Iudæa cum Samaria vix vnâ Palestinæ regionem constituēbat. Pro vocabulo salutem Græcè est *καίρειν* quod *gaudere* & *saluere* significat. Nec tamen aliter verti debuit quam quomodo noster interpret & alij vetterunt, *salutem*. Quod enim Græci in exordijs epistoliarum precantur *καίρειν*, id *salutem* Latini dicunt, nihil diuersum significare volentes. Sed tamen apostolus etiam ad alterum significatum, *gaudere*, quod eius verbi primarium est, attendit. Hinc enim occasionem sumit inchoandæ suæ epistolæ. Nam quasi dicerent Iudæi fideles, ad quos scribit; Quomodo iubes nos gaudere, qui tot malis pressi, in continuo mœrore versamur? sicut angelo Tobiam cæcum salutanti his verbis, *Gaudium tibi sit semper*: respondit Tobias, *Quid gaudium mihi erit, qui in tenebris sedem? Et lumen celi non video?* Tob. 5. Iacobus ostendit eos iustam & amplam habere gaudendi materiam, ita scribens:

2 OMNE GAUDIUM EXISTIMATE, FRATRES MEI, CVM IN TENTATIONES VARIAS INCIDERITIS. Dicit, *fratres mei*, quia ad solos scribit fideles. Auspicatur autem à consolatione, coniuncta cum exhortatione ad patientiam. Iudæi namque, vel ipso nomine Iudæicæ gentis, odio erant & contemptui cæteris populis: quod si etiam Christiani essent, hoc amplius opprimi se sentiebant infidelium iniurijs & persecutionibus: vt proinde tam consolationis verbo quam exhortationis, animi eorum fuerint erigendi. *Omne gaudium*, Hebræa phrasi dixit *pro magnum & perfectum gaudium*. Vnde vertit Erasinus: *Pro summo gaudio ducite*, id est, ingentis gaudij materiam vobis oblatam existimate. Importunè Catharinus inculcat hoc loco suum dogma de certitudine gratiæ, quasi sine ea non possit esse in homine perfectum gaudium. Cui breuiter respondeo; Sicut perfectum gaudium, quale hic intelligitur, non excludit omnem tristitiam (*Beati enim qui lugent*, Matth. 5.) ita nec omnem incertitudinem gratiæ; quamuis multum adferat serenitatis. Nam vt perfectio iusticiæ, sic & gaudij, quæ in hac vita haberi potest, plurimum distat ab ea quam speramus in futuro. Porro *tentationes* apostolus vocat, non incitamenta peccandi, quâuis ita videatur intellexisse Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei cap. 9. sed afflictiones; quod per eas Deus homines tentare, hoc est, probare soleat, vt quales sint innotescat. Ita Christus Luc. 22. *Vos estis, inquit, qui permanistis mecum in tentationibus meis*. Et Paulus Heb. 4. de Christo: *tentatum autem per omnia*. Atque eam significationem

declarat quod infra dicitur in hoc eodem capite, *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, &c.* Est autem in scripturis locus frequens, in afflictionibus & persecutionibus esse gaudendum. Vt Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus*. Et 1. Pet. 4. *Communicantes Christi passionibus, gaudete. & ipse Dominus Matth. 5. Cui persecuti vos fuerint propter me, gaudete & exultate*. Hinc illud Act. 5. de apostolis: *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliarum pati*. Quod verò ad tentationes peccatorum attinet, an & quatenus expeti possint, ac iusti gaudij materiam præbere; disputatum est à nobis in lib. 2. sent. dist. 23. Sed cum naturale sit, in malis dolere; adeo vt & filius Dei carnem passibilem gerens, in tante passione dixerit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*: docet apostolus sequentibus verbis, qua ratione in iisdem malis, ac de ijs, gaudendum nobis sit; quatenus scilicet magna quædam bona nobis pariunt. Quod & Paulus docet Rom. 5. & Heb. 12. & Petrus 1. ep. 1. & 4. & magister eorum Christus, Matth. 5. & Luc. 6.

3 SCIENTES QVOD PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATUR. Ac si dicat, Scire enim & persuasum habere debetis, quod probatio fidei vestræ, &c. Hac parte, primùm ac tacite significat probationem fidei effectum esse tentationum. Nam per eas fides nostra probatur siue exploratur. Etenim facile cedere in tentationibus, argumentum est imbecillitatis fidei; sicut è diuerso firma fides roborat animum in aduersis. Affirmat deinde, probationis fidei effectum, quem *operatur*, Græcè *κατεργάζεται*, esse patientiam. Sed hoc difficultatem habet; maximè cum videatur contrarium verbis Pauli dicentis, Rom. 5. quod *patientia probationem operatur*. Nam quæ fieri potest vt patientia & fidei probatio se inuicem pariant? Respondeo, verum esse vtrumque, diuerso sensu. Et quidem patientia quo sensu probationem operetur, expositum est suo loco; quia scilicet per tolerantiam aduersitatum homo sibi & alijs, qualis sit, ostenditur, simulque ea exercitatione purgatur in dies ab amore huius sæculi, sicut aurum in fornace probatur ac purgatur. Quomodo autem è conuerso, iuxta hunc apostolum, probatio fidei patientiam operetur, satis obscurum est, nec vno modo ab omnibus explicatur. Complures metonymicè per *fidei probationem* intelligunt tribulationem qua fides probatur. Nam *tribulatio* (sicut in loco memorato Paulus ait) *patientiam operatur*: eo quod sit patientiæ exercendæ & augendæ materia. Sunt qui velint transitivam esse locutionem loco intransitiuæ; *Probatio fidei*, id est, fides tentationibus probata, patientiam gignit; scilicet auctiorem: vel impetrando à Deo, vel etiam efficiendo. Nam simili locutione dictum est à Petro Apostolo 1.

ep. 1. vt probatio vestra fidei multò preciosior aueroinueniatur, &c. Alijs denique *probatio fidei patientiam operatur*, id est, declarat ac prodit quanta sit patientiæ virtus in ijs qui multis aduersis probati & explorati, à fide cuius gratia patientur, non recedunt. Mihi videtur hoc loco non esse necessarium ad improprietates confugere: cum possit apertus & commodus dari sensus, huiusmodi; Dum Deus varijs afflictionibus fidem vestram probat, interim eo ipso exercet & perficit in vobis patientiam. Græcè *επιμονήν*, id est, eam virtutem qua patienter expectatis bona vobis in celo reposita, *sustinentiam* vocat interpret vlt. capite huius epistolæ; estque ea quam Pauli & Petri epistolæ passim commendant.

4 PATIENTIA AVTEM OPVS PERFECTVM HABET. Legendum *habeat* quod in plerisque est emendationibus; quodque exhibent veteres concordantiæ, & editio Louanienfis. Nam & Oecumenius Græcus studiosè obseruat apostolum non dixisse *exerere*, sed *exerere*, *habeat*. Syrus quidem vertit in hunc modum: *Ipsi autem in patientia erit opus perfectum*. Sed hoc ab Hebræicæ linguæ consuetudine descēdit, qua verba futurum tempus indicantia ponuntur pro imperatiuo; vt *Non occides*, id est, *Ne occidito*, & alia innumera. Sic, *Ipsi patientia erit*, id est, ipsa patientia habeat, opus perfectum. Est igitur exhortatio: sed cuius sensum variè reddunt. Quidam hoc modo; Patientia vestra gaudium & alacritatem annexam habeat. Sed ita nihil diuersum diceret apostolus ab eo quod dixit, *Omne gaudium existimate, &c.* Alij opus patientiæ perfectum interpretantur, quod coniunctum est cum dilectione eorum qui nos affligunt. Caritas enim est, quæ reliquarum virtutum opera format ac perficit: estque ei qui læditur; ne aduersus lædentem ira aut odio commoueat, imptimis necessaria. Tertius sensus est quem inuenit Oecumenius; Patientia vestra ne deficiat, sed opus suum perducatur usque ad finem. Sic enim erit opus absolutum atque perfectum, & re & fructu. Nam *qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit* Matth. 10. Hi duo sensus postremi merito probantur; & vtrique potest aptari quod sequitur.

VT SITIS PERFECTI ET INTEGRI, IN NVLLO DEFICIENTES. *Integri*, Græcè *ἀλόκωτοι*, dicuntur omnibus membris seu partibus constantes. Quod & explicatur per illud sequens *in nullo deficientes*, id est, *nulla in parte diminuti*, vt vertit Erasinus. Non enim hic deficientes intelliguntur qui succumbunt afflictionibus, sed quibus ad integritatem aliquid deest. Græcè *λειπόμενοι*, verbum idem quod mox interpret vertit *indigere*. Iam si in parte superiori, *opus perfectum* intelligas cum dilectione coniunctum; sensus huius partis erit, Ita futurum vt quod ad virtutes attinet vobis necessarias, non sitis imperfecti

aut mutili, sed integri, sic vt nulla earum vobis desit. Nam *caritas est vinculum perfectiōnis* Col. 3. Sin autem *opus patientiæ perfectum* interpreteris ratione perseverantiæ; tum hic sensus reddi poterit, Vt in aduentu Domini inueniamini perfecti & integri, nec vllō genere boni operis destituti. Hanc enim integritatem ac perfectionem secum adducit patientia perseverans; id quod longa bonorum operum enumeratione docet B. Cyprianus in tractatu de Bono patientiæ. Aliam deinde exhortationem subiicit, dicens;

SI QVIS AVTEM VESTRVM INDIGET SAPIENTIA. *Sapientiam* hoc loco vocat eandem, quam c. 3. dicit *sapientiam de, iursum descendentem*; piam scilicet veram diuinarum scientiam. Multū autem occupatur apostolus in hac epistola reprehensione eorum qui sapientiam sibi arrogabant, & profliciebant ad sacra docendum: ponissimum c. illo 3. Præmonet ergo hic, vnde petenda sit sapientia, de qua postea plura dicere cōstituit; & quo animo: & quales esse debeant qui eam vel petant vel exerceant. Sed cur velut dubitans dicit, *Si quis vestrum indiget sapientia*? Quis enim sapientia non indiget? neque enim quisquam est mortalium tam sapiens cui non adhuc multum sapientiæ desit. Aiunt nonnulli de ijs loqui apostolum, qui nondum eò progressi sunt, vt sibi in afflictionibus gratulentur; secundum id quod dixit: *Omne gaudium existimate, &c.* Atqui doctrina apostoli generalis est, monstrans vnde petenda sit sapientia omnibus qui indigent. Itaque potius dicendum voculam *si* non dubitantis esse hoc loco, sed supponentis, vt de re certa & confessa, q. d. Si quis vestrum indiget sapientia, vt certè omnes indigeris, alius plus, alius minus, ac ferè plus illi qui minus egere se credunt; sed ostendo vobis vnde petenda sit. Sæpe namque ad hunc modum vituperatur illa communitio; vt Mal. 1. *Si pater ego sum: ubi est honor meus?* & Rom. 13. *Et si quod est aliud mandatum*. Ec. 2. Theff. 1. *Si tamen iustum est apud Deum, retribuere, &c.* Item apud profanos auctores: *Si Deus est animus. Si qua est celo pietas* Sicutiam à quibusdam exponitur illud huius epistolæ cap. 5. *Et, si in peccatis fuerit, remittentur ei*, quemadmodum ibi videbimus Deo duce.

POSTVLET A DEO: QVI DAT OMNIBVS AFFLUENTER. Græcè, *postulet à dante Deo omnibus simpliciter*. Syra quoque editio *simpliciter* habet, non *affluenter*. Suspiciatur Gaignæus interpretem nostrum pro *ἀπλῶς*, in Græco legisse *ἀπλῶς*, id est, cumulatè. Mihi verisimilius est eum respexisse ad rei consequentiam. Qui enim dat simpliciter, dat liberaliter & affluenter. Nam simpliciter & purè dare dicitur, qui in dando non aliud spectat quam iustas causas dandi, cuiusmodi præsertim sunt inopia & humilitas petentis. Id autem non faciunt qui vel tergiversatio-

nes quarunt quod vel non donec, vel par-
ticipet: vel qui ex illorum commodum aliquod
reciprocum expectant. Ita Paulus loquitur
Rom. 12. *Quis vult in simplicitate quam vir-
tutem etiam ab his circumlocutionibus commen-
dat: ut i. Cor. 3. & 9. Dicit autem b. Iacobus,
possitiles a Deo; quia omnis sapientia a
Domino Deo est. Beatus Iacobus i. Et omne
datum optimum de seipso est descendens a patre
luminum, sicut in his docet. Nec ideo tamen
non sunt invocandi sancti pro sapientia adi-
piscenda; quod obijci hereticis: non
enim invocantur ut eam a seipsis dent, sed
ut a Deo nobis impentent. Porro quod ad
omnibus, intellige postulandis, nec his
propterea omnibus, sed his qui sic petunt &
tantum petunt, quomodo & quantum res
illa petenda est, inquit Augustinus lib. de
natura & gratia cap. 17. Id apostolus ipse
statim post iudicat docens in fide postu-
landum.*

ET NON IMPROPERAT. Hoc addit, vel
ad exponendum illud simpliciter, quia qui
testificant subinde quid dederint (quod est
tacite exprobrare) videntur retributionem
quærere vel certe ideo addit, ne quis Deum
sapienter adire vereatur. Non enim dicit, iam
toties dedi: quid adhuc me obtundis: ut so-
lent homines, etiam qui maxime liberales.
Sed, ut est fons inexhaustus: ita ad dandum,
modò petas sicut oportet, paratissimus:
imo ipse vitro nos ad semper petendum in-
uitans, adeoque id præcipiens. Luc. 18. Bene-
monet Caletanus, hanc partem intelligen-
dam esse, quantum ex parte Dei: quomodo
iam explicata est: Nam ex parte hominum
ingratorum, sapienter sic ut improperet
Deus beneficia collata; quod multa scriptu-
ra testantur.

ET DABITUR EI. Non dubitat aposto-
lus assumere, quod Christum toties promit-
tente audierat; *Petite & dabitur vobis Om-
nis enim qui petit accipit*, Matth. 7. & Luc. 11.
*Omnia quaecumque poteritis in oratione, cre-
dentes, accipietis.* Matth. 21. & Mar. 11. *Quod-
cumque petieritis in nomine meo hoc faciam*
Io. 14. & 16. Sed quia solis credentibus hæc
promissio facta est, ideo subiungit.

POSTULAT AUTEM IN FIDE, NIHIL
HÆSITANS. Græcè *διανοήσας*, id est, dis-
cernens, iudicans. Item *discipians, hæsians*. fit
enim ut cui rationes hinc inde oppositæ suc-
currunt, nesciat vtram in partem iudicium
suum inflectere debeat: itaque disceptat apud
se, & hæret dubius. Rectè igitur inter-
pretem nostrum securus Erasmus, & alij, ver-
terunt, *nihil hæsians*. Sic enim & alibi Græ-
cum verbum accipitur, ut Act. 10. *Vade cum
eis nihil dubitans*. & Rom. 4. *Non hæsitant
dissidens*. & cap. 14. *Qui autem discernit; id
est, hæsitat; si manducaverit, damnatus est*. Ita
quoque apud Matthæum cap. 21. (qui locus
huic similis est) Domino dicente: *Si habue-
ritis fidem & non hæsiteritis; non solum de fi-*

*entibus facietis, sed & si monti hinc dixeritis,
Ecce. Quæ postrema sententia, sicut & alia si-
miles quæ habentur locis ex euangelio pau-
lo ante curatis, id etiam ostendunt, fidem hinc
non poni pro fiducia, quod vult Erasmus,
ita veritas: *Postulat vero cum fiducia; sed
pro fide Christiana qua attenditur verbo
Dei: quemadmodum & supra accipitur, ubi
dicit probationem fides patientiam operari; imò
per totam hanc epistolam. Nam ut in verbis
Domini, hæc & hic, intelligitur fides veritatis
ac promissionis divinæ, qua dicit, *Petite &
accipietis*. & *Omnia qui petit, accipit*. ut sensus
sit: *Petate a Deo, nihil dubitans de eius pro-
missione; sed firma fide illi hæsians*. Verum
quia promissio conditionem habet hanc,
modo petas sicut oportet; de qua nemo cer-
tus est: inde fit, ut cum ea fide promissionis
divinæ consistat, te haud plane certum esse,
num sis impetratur quod petis. Unde locus
hic & similes nihil omnino faciunt pro fide
speciali festinationum nostri temporis, qua sta-
tuunt se certo exaudiendos in omnibus qua
a Deo petunt; non advertentes illud multis
accidere quod Apostolus infra dicit, cap. 4.
Petitis & non accipitis, et quod male petitis.
Sed tamen etiam adesse debet petitionibus
nostris, non modò spes qualicumque, sine
qua nihil verè petitur; verum etiam bona fi-
ducia impetrandi quod petitur; cum præfer-
tim ipsa fides doceat eam fiducia petendum
esse. Quocirca calumniatur Caluinus, quò
ait, Catholicorum esse dogma, quod dubi-
tante orandum sit. Nam impetrandi fiducia
cum fide promissionis divinæ coniuncta
(malè enim hæc duo confundit) credentis
animum applicat in alteram partem, ut dici
non possit eum qui sic orat, dubitare. Non
enim continuo qui de successu non est infal-
libiliter certus, dubitare dicendus est. Is e-
nim propriè dubitat cuius animus inter
vitumque fluctuat, iuxta id quod sequi-
tur.**

QUI ENIM HÆSITAT SIMILIS EST
FLUCTU MARIS, QUI A VENTO MO-
VETUR ET CIRCUMFERTUR. Rem decla-
rat eleganti similitudine, ducta a fluctu ma-
ris, qui ventis agitur & huc illuc impetu
rapitur, ut Græca sonant. Talis est in sua pe-
titione, qui hæsitat, id est, qui non firmiter
credit Deum daturum quod petit, quasi sci-
licet vel non promiserit, vel parum constans
sit in promissis: ut solent hæsitare, qui ab ho-
minibus aliquid petunt, de quorum fide aut
voluntate dubitant. Est autem cum hac A-
postoli monitione conferenda illa Ecclesia-
stici sententia, c. 18. *Ante orationem prepara-
 animam tuam; & noli esse quasi homo qui ten-
tat Deum*. Tentat verò Deum qui de poten-
tia vel promissis eius dubitat.

NON ERGO ESTIMET HOMO ILLE,
QUOD ACCIPIAT ALIQUID A DOMI-
NO. Græcè, *Non enim existimet homo ille quod
accipiet*, &c. Mutato conjunctione interpre-

sensum

sensum voluit exprimere, quò loco illatius
particulæ causalis posita videatur, ut fit in-
terdum. Concludit enim apostolus, eum
qui non ex fide orat, quum animo fluctuet,
indignum esse qui impetret quicquam a Do-
mino Deo. Dicit aliquis exauditum fuisse
regulam orantem pro sanitate filij Io. 4. cui
tamen a Domino dictum est, *Nisi signa &
prodigia videritis, non creditis*: Et de quo Gre-
gorius hom. 28. super euang. scribit quod in
fide dubitavit. Respondeo, exauditum fuis-
se, non tam quod oratio eius hoc mereretur,
quàm quia Christo, ad gloriam suam mira-
culo manifestandam, ita visum fuit. Quan-
quam non omnino sine fide oravit, qui cre-
didit Christum posse salutem filio suo da-
re; licet nondum crederet id posse absentem:
ut eodem loco Gregorius docet.

VIR DUPLEX ANIMO INCONSTANS
EST IN OMNIBUS VIIS SVIS. *Duplicem
animo*, Græcè *διψυχον*, quasi dicas *bianimem*,
vocat non eum qui simulatus est, aliud lo-
quens, aliud cogitans: sed qui nihil certi fi-
xum habet in animo quod sequatur. quales
erant quibus ab Elia dictum est: *Vt quæquo
claudicatis in duas partes* 3. Reg. 18. & ille
cui dicitur. *Vitium frigidus es, aut calidus*.
Apo. 3. quales item in rebus humanis qui
non dedunt se certo generi vitæ, sed semper
ambigunt quid eligant, nunc in hoc pro-
pensum, nunc in illud. Tales, in omnibus viis, id
est, actionibus suis, inconstantes sunt; quoniam
eas in certum scopum non dirigunt; sed prout
diuersis feruntur affectibus, ita sunt in actio-
nibus varij: Ideoque nec proficiunt. Ex hac
generali sententia colligi vult apostolus,
eum qui hæsitat in postulatis suis ad Deum,
ut aut dubius sit de illius promissis, aut fidu-
ciam non adferat; in ipsa sua petitione lub-
ricum & inconstantem esse; & proinde
nihil impetraturum. Idem vocabulum ha-
bet infra cap. 4. *Purificate corda duplices ani-
mo*. Videtur autem hoc loco respexisse Apo-
stolus ad quasdam sententias Ecclesiastici 2.

GLORIETUR AUTEM FRATER HY-
MILIS IN EXALTATIONE SVA. Græcè
ἐν τῷ ὑψίστῳ αὐτοῦ, id est, in altitudine sive subli-
mitate sua; quod & vox Syriaca significat.
Atque id arbitror interpretem voluisse no-
mine *exaltationis*. Superius hortatus fuit
apostolus ad patientiam; hoc argumentum
nunc prosequitur; ponens afflictis fratribus
ante oculos felicitatem vocationis suæ, de
qua merito debeant non gaudere solum, sed
etiam gloriari. Si quis, inquit, inter vos Chri-
stianus humilis est, id est, pauper, abiectus &
mundo contemptibilis, ne doleat vicem suam,
nec animum despondeat; sed suam cogiter
sublimitatem ac felicem statum ad quem
euectus est, & in eo gloriatur. Ea sublimitas
est, Christianum esse: Hoc enim nomine
impressa dignitas significatur, ut filium esse
Dei, consortem Christi, hæredem regni. Alij
exaltationem hanc intelligunt in eo ipso,

quod pro Christo spoliatus, inopia pre-
mitur; tanquam ea ipsa sit gloriandi mate-
ria. ut consolatio hæc similis sit cum illa, 1.
Petri 4. *Si quis patitur ut Christianus; non
erubescat: glorificet autem Deum in isto nomi-
ne*. Verum antithesis huius partis ad eam quæ
sequitur, magis exigit priorem sensum.

DIVES AUTEM IN HUMILITATE SVA.
Potest verti, in humilitate sua; quomodo
vertit Erasmus. Sed quamvis verbale sit
ὑποταξίας, passim tamen pro humilitate ac-
cipitur; ut in cantico B. Virginis. Item Act.
8. Philip. 3. Loquitur hic apostolus de diui-
te; nec solum de infidelibus, ut nonnulli expo-
nunt, sed etiam de Christiano. Erant enim
inter Christianos quidam diuites qui Chri-
stianæ charitatis obliti, fratres suos paupe-
res, tametsi pro Christi nomine in paupertate
redactos, superbe despiciebant, nec eis
de sua abundantia communicabant. Hæc
enim eis improperat, infra cap. 2. & 5. ut ista
fuerit vna ex causis scribendæ huius episto-
læ. Partem hanc imperfectam partique, Be-
dam secuti, suppleunt addito verbo, *gloriatur*,
ex parte præcedenti; ut sit ironicus sermo:
Dives gloriatur in humilitate, id est, vilitate &
miseria, sua: quæ consequentibus verbis de-
scribitur. Quasi dicat: Certè non habet unde
gloriatur aut in quo sibi placeat, sed ma-
gis unde doleat ac sibi vilescat: sicut eis di-
cit ca. 5. *Agite nunc diuites, plorate, ululantes
in miserijs vestris quæ adueniunt vobis*. Alij
dicunt antiphrasim esse in verbo *gloriatur*, ad
hanc partem relato. Mihi probabilius est id
quod Oecumenius subindicat, eclipticum
esse sermonem, qui suppleendus sit verbo
contrariæ significationis: quomodo locutus
est Paulus 1. Tim. 4. *Prohibentium nubere, ab-
stinere à cibis, subaudi, præcipientium*. Sup-
plendus, inquam, & exponendus hoc modo:
Dives autem confundatur in humilitate sua, id
est, pudeat ac sibi displiceat, cogitans ac
secum reputans suam vilitatem; ac rerum in
quibus confidit inconstantiam. In his tribus
expositionibus summam idem est sensus.
A quo diuersum adfert Erasmus in paraphra-
si, ita scribens; Contra, diues hoc nomine
sibi gratuletur, quod quibus falsa huius mun-
di bona magni fiebat apud mundi cultores,
nunc ob Christi confessionem sprete sit &
contemptus, &c. Sed hic sensus nihil ad sco-
pum apostoli, de quo supra. Vult enim diui-
tibus ante oculos ponere suam ipsorum vi-
litem; qua considerata desinant superbe
sapere & aduersus pauperes, sese insolenter
efferre. Et eò pertinent quæ sequuntur.

QUONIAM SICUT FLOS FOENI, TRAN-
SIBIT. *fenum*, virens intellige, id est, gramen,
herbam, Græcè *χόρτον*. Unde alij clarius ver-
terunt: *Quoniam vultus flos herbe præteribis*.
Et sensus est: Quomodo flos herbæ res pul-
cherrima est, sed cito gratiam suam venustatis
amittit: ita homo diues cum omni gloria sua
quam ei diuitiz pepererunt, breui admo-

dum

dum euanesceat. Certè non ultra hanc vitam, quæ breuis & momentanea est, durare poterit. Comparatione floris & sceni, ad significandum aliquid in rebus humanis pulchrum quidem, sed caducum & breue, frequenter vitur scriptura: vt Isa. 40. Iob. 14. psal. 36. & 102. & 1. Pet. 1.

EXORTVS EST ENIM SOL CVM ARDORE, ET AREFECIT FOENVM; ET FLOS EIVS DECIDIT, ET DECOR VULTVS EIVS DEPERIIT. Descriptio est floris herbæ citò transeuntis. In vocabulo *vultus* metaphora est, quæ Erasmo & Gaignæo subdura videtur, quod vultum tribuat herbæ. Proinde Erasmus aspectum vertere maluit. Gaignæus censet molliorem fore metaphoram, si pro *vultus*, *facies* legatur, quod hæc vox solet etiam ad res inanimas transferri. Sed ea reprehensio, si iusta est, interpretis est, non apostoli; qui Græcè scripsit *πρόσωπον*, id est, *faciem*, vsus metaphora Hebræis familiari; qua *facies* de externa specie cuiusque rei dici solet. Hinc *facies* cæli, terræ, templi, & multa eiusmodi in scripturis. Igitur decor vultus seu faciei floris est pulchritudo eius qua blanditur oculis hominum. Notandum, in sole, qui exortus cum ardore scenum & florem eius marcescere facit; typicè Christum intelligi posse, qui ignifero splendore sui aduentus (*Ignis enim ante ipsum procedet*, psal. 96.) omnem mundi opulentiam & gloriam in fauillam rediget.

ITA ET DIUES IN ITINERIBVS SVIS MARCESCET. *Itineribus*, Græcè *πορεία*. Pro quo nonnulli codices *litera* è dempta, legunt, *πορεία*. Et ita haberi in antiquo codice bibliothecæ Dionysianæ refert Gaignæus. Significat autem *πορεία* facultatem, abundantiam. Iuxta quam lectionem vertendum esset; Ita & diues in abundantia sua marcescet, id est, in opibus vel cum opibus suis euanesceat: nihil ei diuitiæ suæ, quibus fidit, ad felicitatem proderunt. In hanc lectionem Erasmus quoque propendet. Equidem à lectione vulgata, quæ omnium penè codicum est, haud puto recedendum. Nam abundantia *πορεία* nomine significata nescio an alicubi in sacris literis inueniatur. At *πορεία*, id est, iter seu via, legitur apud Lucam ca. 13. Et verbum *πορεύομαι* iter facio, passim obuium est. Nec verò quicquam incommodi habet hæc lectio, sed consuetudini scripturarum optimè congruit. Nam *via*, pro actionibus & studiis, frequentissimum est in scripturis. Ita paulo antè, virum duplicem animo dixit *inconstantem esse in omnibus vijs suis*. Vnde sicut Hebræa phrasi prosperari quis dicitur in vijs, id est, actionibus suis; atque in ijs à Deo dirigi & custodiri: ita, congruenter scripturis à B. Iacobo dictum est, quod *diues in itineribus seu vijs suis marcescet*. Quasi dicat: Adeo non prosperabitur in actionibus & studiis suis, vt tandem cum omni spe

sua quam in diuitijs collocavit, emarcescat & pereat. Hunc sensum Beda tradit, itinera actus exponens. Similes scripturæ Iob 24. *Subuerterunt pauperum viam*. Thren. 3. *Seminis meos subuertit*. psal. 1. *Iter impiorum peribit*. Et 34. *Fiat via illorum tenebra & lubricum*. Et 145. *Vias peccatorum disperdet*.

BEATVS VIR QVI SYFFERT TENTATIONEM. Suam ad patientiam exhortationem nunc velut paradoxo quodam concludit; beatum pronuncians eum qui patitur, non autem diuitem illum de quo modò loquebatur, cui omnia putantur ex voto succedere. *Tentationem* intellige vt supra, id est, afflictionem, persecutionem, aduersitates huius sæculi; quibus tentantur, id est, probantur homines. *Suffert tentationem*, qui cum spe & expectatione præmij cælestis, sustinet afflictiones, non obmurmurans, nec vindictam cogitans; sed de manu Dei, cum approbatione voluntatis eius, suscipiens quicquid aduersi visum ei fuerit, siue per seipsum siue per homines malos, ipsi immittere. Hunc *beatum* dicit, ob spem felicitatis æternæ, cuius iam pignus quoddam accipit ipsam patientiam: vt hac ratione non solum in spe dicendus sit beatus, verum etiam re ipsa quadantenus; vt qui meritum in se iam habeat, pro quo præmium beatitudinis sit accepturus. Quod declarat subsequens probatio;

QVONIAM CVM PROBATVS FVERIT, ACCIPIET CORONAM VITÆ. *Probatum*, Græcè *δοκιμος*, nomen non participium. Itaque sensus est: Cum in hoc certamine patientiæ fortis & constans atque in fide perseverans, inuentus fuerit, tanquam igne probatus; accipiet sui certaminis atque victoriæ coronam seu præmium, vitam æternam. Est enim transitiva locutio pro intransitiva. *Coronam vitæ*. Locus manifestus pro meritis bonorum operum. Vbi enim corona, præmium, merces auditur; ibi sine dubio meritum intelligitur. Nec ob id non gratuito (quod obiicit Calvinus) destinatur ac datur nobis vita æterna: Nam etsi fateamur, ac verum sit, prius nobis à Deo destinari vitam æternam quam opera, quatenus intentio finis prior est voluntate mediorum: quia tamen eadem Dei prædestinatione etiam ipsa opera, quibus, vt medijs ac meritis, vitam consequamur æternam, præparata nobis sunt; hinc in vtroque gratuitum Dei beneficium agnoscimus, & quod vitam nobis destinavit æternam, & quod ad eam assequendam merita nobis præparauit. Merita vetò hæc, sunt id quod dicuntur, non ex operum natura, sed ex promissione diuina. Sequitur enim,

QVAM REPROMISIT DEVS DILIGENTIBVS SE. *Quam* scilicet coronam, vt liquet ex Græco. *Promissionem* vero eam significat, qua promisit & pactus est Deus pro operibus

patientia

patientia se daturum coronam vitæ. Cuiusmodi promissio est illa ad angelum Smyrnenis ecclesiæ scripta, quæ ei variè tribulato atque tentato dicitur; *Esto fidelis vsque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ*. Apoc. 2. Vnde Paulus eam vocat coronam iustitiæ, à iusto iudice Christo expectandam. 2. Tim. 4. Iam quod ait, *diligentibus se*; non autem (quod consequens videbatur, vt diceret) *patientibus pro se*; fontem aperite voluit omnis boni meriti, id est, dilectionem Dei, quam vocamus charitatem. Hæc enim est quæ operibus à se profectis eam conferat dignitatem, qua fiat vt in Dei iudicio compensentur retributione vitæ æternæ. Alioqui, *si tradidero corpus meum vt ardeam*, inquit ille, *charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest*. 1. Cor. 13.

13 NEMO CVM TENTATVR, DICAT QVONIAM A DEO TENTATVR. Græcè, *Nullus qui tentatur, dicat, quia à Deo tentor*. Sed in hoc postremo Hebraismus est, ita reddendus Latine, *dicat se à Deo tentari*. In tentatione de qua superius egit, tria fere concurrunt: afflictio, probatio & peccandi incitamentum. Afflictio plerumque ab homine est, semper à Deo: Probatio est à solo Deo: Peccandi incitamentum à mundo & diabolo; sed præcipue à carne seu concupiscentia nobis intestina, quæ fomes peccati vocatur à Theologis. Igitur de tentatione secundum hanc vltimam qualitatem nunc agit Apostolus, admonens fideles, ne quum se sentiunt afflictionibus commoueri ad impatientiam, murmurationem, diffidentiam, aut etiam ad fidem deserendam; huiusmodi tentationem Deo ascribant: sed neque culpam suam in diabolum aut homines malos conferant, vbi peccauerint hoc modo tentati; sed in seipos. Accipitur ergo hic, & in sequentibus, tentatio, sicut in oratione Dominica: *Ne nos inducas in tentationem*. Et sicut Marth. 26. *Orate vt non intretis in tentationem*. Et alibi sæpe. Ex quibus iam patet huic apostolicæ doctrinæ non aduersari scripturas in quibus Deus homines tentasse legitur: vt Abrahamum Gen. 22. & populum suum Exo. 16. Deut. 13. Nam ijs in locis, *tentare* non est ad peccandum sollicitare, quomodo hæc accipitur; sed probare, experimentum capere. Quamquam & hoc ipsum Deo, qui nulla nostri indiget experientia, sed omnia nouit antequam fiant; non nisi per tropum tribuitur; vt probare dicatur homines, quando eos tum sibi-ipsis tum alijs per alicuius facti experientiam notos facit quales sint. Non est autem improbabile quod quidam annotant huius loci doctrinam vsque ad illa verba; *Sciitis fratres mei dilectissimi*; à beato Iacobo dirigi aduersus eos, qui ex epistolis Paulinis; vbi legerant quosdam à Deo tradi in de-

sideria cordis eorum, & in passiones ignominia, & in reprobum sensum; Ro. 1. Item obdurari & excæcari; ibidem cap. 9. & 11: occasione erroris sumptis, vt putarent homines à Deo ad peccandum impelli. Hunc enim errorem (nam errorem b. Iacobus appellat, dicens: *Nolite errare*) totus iste locus ex professo destruit; peccatorum causas à Deo remouens ac è diuerso omne bonum ad eum auctorem referens. Quis verò sensus sit dictorum Pauli Apostoli, satis à nobis expositum arbitror in commentarijs. Ex quibus breuiter repeto, hæc & his similia multa de Deo dici in scripturis, non quod ipse peccatorum ac scelerum auctor sit (quam doctrinam, vt impiam, ecclesia semper est detestata) sed quia peccatores iusto suo iudicio amplius deserit, ac positus etiam offendiculis in alia grauiora peccata cadere permittit; & hac permissione priora eorum peccata punit ac vindicat.

DEVS ENIM INTENTATOR MALORVM EST. *Intentator*, negatiuum; Græcè *ἀπειθετός*, id est, *inuentabilis*. Quod accipi potest actiue & passiue. Noster interpret actiue intellexit; si tamen codices non sunt viciari. Nam fieri potest, vt ille scripserit, *intentatum*; pro quo non intellexit subrepsit, *intentator*. Alij certè interpretes passiue exponunt, hoc modo: *Deus malis tentari nequit*. Syrus quoque, *Deus enim non tentatur in malis*. In quem sensum & Oecumenius Græcus exposuit. Nec facile Gregam vocem alibi reperias in actiua significatione. Denique, si actiue sumas, bis idem dicitur. Nam sequitur,

IPSE AVTEM NEMINEM TENTAT. Hanc partem cum priori sic explicatè reddidit Erasmus: *Nam Deus vt malis tentari non potest; ita nec ipse quemquam tentat*. Queritur, quibus de malis sermo sit. Oecumenius mala afflictionis intellexisse videtur. Adducit enim hanc cuiusdam ethnici scriptoris sententiam velut similem; Dei naturam neque molestias sustinere, neque alijs præbere. Vsum res ipsa postulat vt de peccatis accipiatur: Tale enim est quod dicit: Deus nec induci potest ad peccandum, nec inducere. Quomodo dicere solemus, Deum nec falli posse, nec fallere. Valet igitur Apostoli probatio. Nam eiusdem naturæ est, incitari posse ad peccandum, & alios incitare: Quare si illud non potest Deus, nec istud poterit. Dices: Si Deus neminem tentat; si neminem ad peccandum inducit: quomodo nos ab eo petimus, ne nos inducat in tentationem? Sed ad hoc iam ante responsum est. Inducere namque in tentationem dicitur eos quos in peccatum, ad quod tentantur, cadere permittit, dum non adiuuat. *Necesse est enim*, ait Innocentius primus in

epistola

epistola ad Carthaginensē concilium, ut
quo auxiliante vincimus, eo rursus non adiu-
uante vincamus.

24

VNSQVISQVE VERO TENTATUR,
A CONCVPISCENTIA SVA ABSTRACTVS
ET ILLECTVS: Græcè, à propria concu-
piscencia abstractum & illectum; id est, dum
à propria concupiscencia abstrahitur &
inescatur. Sunt enim in Græco partici-
pium præsentis temporis: ac satis apparet
cum ijs esse construendum illud in medio
positum à sua concupiscencia, non autem
cum verbo, tentatur; præsertim cum &
præpositio diuersa à superiore, vbi di-
xit, à Deo tentatur; magis ad ista pro-
pendeat. Hic enim legitur υπό, illic ἀπό.
Quamquam ad sensum nihil refert, vtram
construentionem eligas; cum altera sit ex
altera supplenda. Sentit enim apostolus,
vnumquemque tentari à sua ipsius concu-
piscencia, dum per eam abstrahitur à bo-
no & allicitur ad malum. Quod tunc fit,
quando concupiscencia excitat in homine
desideria peccandi, quæ motus ipsius ve-
cantur: quibus si animus nullo modo
consentiat, peccata non sunt. Vt nec ipsa
concupiscencia, quamuis peccatorum fo-
mes & illecebra, ex peccato originali in-
renatis ad agonem relicta, peccatum in
ijs propriè dici potest: quemadmodum
aduersus hæresiarchas Lutherum & Cal-
uinum luculenter docuit ac definiuit sy-
nodus Tridentina sess. 5. can. 5. Quid au-
tem concupiscencia nomine significetur in
scriptis apostolicis, plenius explicatum
est à nobis ad illud, Ro. 7. Concupiscen-
tiam nescibam: & rursus ad illa verba
Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum.
Vbi ostendimus eos falli, qui concupis-
centiam pertinere volunt ad solum appeti-
tum sensitiuum: cum eodem loco Pau-
lus inter opera carnis recenset inimici-
tias, contentiones, hæreses; ad quæ
vicia sensitiuus appetitus non attingit.
Quamuis etiam ex hac ipsa apostoli Ia-
cobi sententia, qua peccati tentationem
ad propriam cuiusque concupiscenciam
refert; refelli possunt. Loquitur enim
vniuersè de peccatis, siue quæ carnalia
dici solent; siue quæ spiritualia: adeo
vt ex hoc loco probabiliter statui possint
hæc duo: Post lapsum primi parentis
omnia hominum peccata committi ex
tentatione carnis seu concupiscencia: &
Non omnia committi ex tentatione Dia-
boli. Quorum prius assertur à S. Au-
gustino sermone 6. de verbis apostoli,
dicente, ex carnali concupiscencia cuncta
peccata oriri, quod & docet Sanctus Bo-
nauentura scribens in 2. sent. dist. 21. ar.
2. q. 2. Posterior, communiter à Theo-
logis tenetur. De vtroque nos ex in-
stituto tractauimus in commentario dictæ
dist.

DEINDE CONCVPISCENTIA
CVM CONCEPERIT, PARIT PEC-
CATVM. Gradatione quadam ostendit
ortum & progressum peccati in nobis ex
concupiscencia, ac deinde genituram mor-
tis ex peccato. Aduerbium, deinde, refe-
rendum ad verbum, conceperit: ac si di-
cat, Deinde concupiscencia concepit, & post-
quam conceperit, parit peccatum. Plerique
partem hanc ita exponunt: Post concu-
piscencia tentationem, quæ fit vt animus
tangatur aliqua delectatione peccati (id
enim erat ab ea abstrahi & illici) concu-
piscencia concepit, hoc est, consensum
aliquem eblanditur, sed imperfectum.
Quod contingit dum animus aliquan-
tum immoratur delectationi peccati; ne-
gligens eam repellere, aut ei resistere.
Nam hoc ipso consentit aliquo modo,
licet imperfectè: & per hoc, concupis-
centia parit peccatum. Siquidem consen-
sus eiusmodi sine peccato esse non potest.
Iuxta hanc expositionem, conceptus & par-
tus quos concupiscencia ascribit aposto-
lus, sola videntur ratione distingui. Quod
an rectè dicatur, in sequenti parte expen-
demus.

PECCATVM VERO CVM
CONSUMMATVM FVERIT, GENE-
RAT MORTEM. Pro huius partis si-
mul & præcedentis intelligentia, colli-
gendi sunt gradus ab apostolo indicati,
quibus à concupiscencia tentante peru-
nitur vsque ad mortem. Vbi primò no-
tandum est, Apostolum his gradibus non
aunumerare Suggestionem, quæ inter gra-
dus tentationis solet prima poni à Theo-
logis, Augustinum & Gregorium secutus;
sicut ostendimus in 2. sent. dist. 21. Cu-
ius gradus etiam Beda meminit in huius
loci commentario: Sed hunc prætermi-
sit b. Iacobus, quod præsentis loco sit im-
pertinens. Nam etiam sine suggestione
dæmonis aut mundi, concupiscencia si-
bi sufficit ad excitandas in nobis tentatio-
nes ac desideria peccati. Quod si sugge-
stionem etiam ad carnem referas: im-
propria est locutio. Et hoc pacto sugge-
stio non erit diuersa à tentatione concu-
piscencia, quæ hic prima ponitur. De-
inde, notandum hic agi de tentationi-
bus ad grauiora peccata; cuiusmodi sunt
fornicationes, & cætera libidinum fla-
gitia: Item homicidia, furta, rapinae,
periuria; & alia id genus, quæ homi-
nem priuant gratia & amicitia Dei. Nam
de leuioribus peccatis, vt sunt visus im-
moderatus, verbum ociosum, menda-
cium officiosum, dici non potest quod
consummata mortem adferant. Tertio,
notanda est metaphora, à nemine, quod
sciam, satis explicata, in hac tota Apo-
stoli sententia. Fingit enim hominem, vt
virum; & concupiscenciam, vt feminam,

quæ

quæ virum blandicijs ad amorem & ample-
xum sui sollicitet. Quod significant illa ver-
ba quibus dicit, Vnumquemque tentari, à
concupiscencia sua abstractum & illectum. De-
inde fingit, ex hominis amplexu concupis-
centiam concipere & parere sobolem, id est,
peccatum: quæ soboles ex eodem viro, id
est, patre suo, grauidara, postea mortem pro-
pignat: vt quemadmodum concupiscencia
mater est peccati; ita peccatum (quod &
ipsum Græcis fœmininum est, ἀμαρτία) ma-
trem mortis intelligi velit. Nam sicut de
concupiscencia dicitur tentari, parit; ita de pec-
cato, γεννάει, id est, enitur, pro quo inter-
pres generat. Quod vtrumque fœminarum
est. Hanc metaphoræ explicationem paucis
verbis indicatam reperies apud Beatum Au-
gustinum homil. 42 inter 50. cap. 8.

Iam his præmissis ad ipsorum graduum
enumerationem & explicationem venia-
mus. Quidam in hoc processu Apostoli
tres tantum gradus agnoscunt, alij qua-
tuor, alij quinque. Sunt enim qui concu-
piscencia tentationem à conceptu non distin-
guunt; quasi concupiscencia eo ipso quo
tentat, concipiat. Alij à tentatione quidem
conceptum distinguunt; sed cum partu con-
fundunt; vt in expositione supra dicta. Rur-
sus alij, vel etiam iidem, consummationem
peccati cum generatione mortis in eodem gra-
du collocant: alij gradibus diuidunt etiam
hæc duo. Ex qua varietate, facile est videre,
quemadmodum alij ab alijs dissentiant in
numero graduum. Nobis ea probatur sen-
tentia quæ quinque gradus ponit. Videtur
enim id omnino postulare series verborum
Apostoli, vt & tentationem distinguamus à
conceptu peccati; quia interponit aduerbium,
deinde: & conceptum à partu; quia dicit: cum
conceperit, seu posteaquam concepit, parit;
Græcè, οὐκ ἀβύσσα πύται: & consummationem
peccati à generatione mortis; ob similem in
Græco sermonem. Partum verò peccati ab
eius consummatione distingui, nemo est qui
neget: licet in ijs distinctè exponendis non
omnes conueniant, Nam neoterici ferè, vt
Catharinus, Titelmannus, Hasselanus & al-
lij, partum peccati constituunt in consensu
eius imperfecto; consummationem autem,
in consensu perfecto, siue in opus exeat siue
non. Verustiores autem, quos modò citabi-
mus, partum peccati intelligunt in absoluto
consensu; consummationem verò in exter-
no opere: excepto quod nonnulli partum in-
tellexisse videntur in opere, & consumma-
tionem, in consuetudine. Quæ quidem vete-
rum expositio nobis est probabilior: tum
quia partus peccati à conceptu distinguen-
dus est, id enim exigit metaphora; tum quia
consummatio peccati in externo opere solet
intelligi, nisi quid addatur ad significandum
consummationem quæ fit in animo seu vo-
luntate, vt Matth. 5. dicente Domino, Qui
viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam

mœchatus est eam in corde suo. Gradus igitur
quos indicat Apostolus, hi sunt: Primus, in
tentatione concupiscencia; vbi nullum ad-
huc peccatum est. Secundus, in conceptu pec-
cati per consensum imperfectum; cuiusmodi
suprà descripsimus. Tertius, in partu peccati
per consensum plenum ac perfectum: Nam
partu perfectum animal in lucē editur. Quar-
tus, in consummatione peccati per opus ex-
ternum. Quintus ac postremus, in generatio-
ne mortis ex eo ipso peccato. Intelligitur au-
tem mors æterna, peccati stipendium, Rom. 6.
ei scilicet vitæ opposita, de qua paulò antè
dixerat; Cum probatus fuerit, accipiet coronam
vitæ: sicut bene notat Beda.

Iam in his gradibus obseruandum, vnum-
quemque priorem consistere sine posteriori;
adè vt etiam tēporis ordine præcedere pos-
sit: vt patet eunti per singulos. Nam & pecca-
ti consummatio (de qua dubitari posset) ram-
entū mortis æternæ reatum secum necessariò
trahat, ipsam tamen mortem non statim ad-
ducit; sed ad eam tandem perducit, nisi pen-
nitentia deleatur, vt explicat Occumenius.
Atque hunc ordinem etiam Græca significat,
vt paulò antè submonui. Participium enim
δοτελεσθῆναι significationem habet temporis
præteriti. Proinde non significatur, peccatum
dum consummatum, sed, posteaquam cōsum-
matum fuerit, mortem gignere. Nec secus
hoc intellexit Augustinus in homilia supra
citata. Dicit enim peccatum perducere ad mor-
tem. Atque his consentanea sunt, quæ de oc-
cupiscencia scribit Apostolus Paulus Rom. 7.
& 8. vbi legem peccati & legem mortis eam vo-
cat, vtique mortis æternæ, quæ peccati stipen-
dium est; quemadmodum illic exposuimus.
Porro quod dixi, nomine peccati cōsummati,
quod mortem generat, significari externum
opus peccati; primùm id colligitur ex eodem
Augustino ser. 43 de verbis Domini ca. 11. vbi
cum post alia dixisset: In animo tuo faciendū
esse adulterium, decreuisti; subiūxit; Iā quod
absit, si & mēbra fuerint operata: in mortem
deuolutus es. Beda verò in huius loci cōmen-
tario non solū consummationem, verū etiam
partum ad opus externū referre videtur. Air
enim: At si delectationē concepti corde faci-
noris, etiam partus prauæ sequitur actionis;
nobis iā mortis reis victor hostis abscedit. At-
que hæc eius verba in glossam ordinariam re-
lata sunt. Sed & glossa interlinealis peccatum
consummatum exponit per actum & consue-
tudinem. Liranus quoque disertè partum pec-
cati interpretatur in consensu perfecto; con-
summationem, in opere exteriori. Similia tra-
dit commentarius Thomæ Aquinati ascri-
ptus, & inter recentiores Ioannes Gaignæus,
Franciscus Feuardenius. His accedat anti-
quissima Synodus Neocæsariensis, quæ ca-
none 4 peccatum non consummatū ponit in
eo, qui concupita muliere, etiam si concu-
bitus eius desiderium habeat, non peruē-
nit ad effectum. Nam titulus canonis est,

De concupiscentia non consummata. Ad-
dit autem canon, eiusmodi hominem per di-
uinam gratiam fuisse liberatum. Cæterum
aduersus istam expositionem parata est obie-
ctio. Si enim peccatum tunc demum generat
mortem, postquam opere consummatum fue-
rit; aut, secundum alios, in consuetudinem
venerit: consequens videbitur solo consensu
voluntatis nulla committi peccata morte di-
gna. Quod ad pharisaicam doctrinam perti-
net; quam ex hoc ipso apostolo refellere fa-
cile est. Nam infra cap. 3. grauitur damnat
*zelum avarum & contentiones que sunt in cor-
dibus*. Et cap. 4. præcipit dicens: *Purificate
corda duplices animo*. Respondent aliqui, pro-
pterea Apostolum peccato cõsummato mortis
effectum attribuere, quod in opere ex-
teriori magis appareat peccati deformitas,
quodque per illud etiam culpa augeatur &
scandalum alijs detur. Alij rationem hanc
reddunt, quia posteaquam semel quis ob-
iecto Dei timore, quo deterrebat, in opus
peccati proruperit; non contentus est il-
lud semel fecisse, sed audacior factus sub-
inde repetit; vnde in frequentationem &
consuetudinem peccandi venit: quo fit vt
tandem ducatur ad mortem. Quod non ita
contingit, si peccatum animo conceptum,
premat ne exeat in opus. Facilius enim
sanatur peccatum, si nondum fuerit opere
perpetratum. Legitur huiusmodi respon-
sio in commentario qui S. Thomæ inscribi-
tur. Et consonat ijs quæ scribit Augus-
tinus in sermone memorato de verbis Domi-
ni, cap. ultimo. Congruit etiam expositioni
quam supra dedimus. Non enim dicitur
peccatum consummatum generare mortem,
quia facit hominem dignum morte; sed
quia hominem re ipsa ducit ad mortem:
Quod de peccato nondum consummato
non perinde verum esse, iam declaratum est.
Porro quod dicit canon Neocæsariensis,
eum qui mulierem concupiuit, si ad opus
non peruenit, diuina gratia fuisse liberatum:
(ne cui scrupulum faciat) non sic est acci-
piendum, quasi ille taliter concupiscendo,
non incurrerit peccatum mortale: sed sensus
canonis est, gratiæ Dei deputandum esse,
quod non fuerit permissus malum malo cu-
mulare, id est, peccato cordis superaddere
peccatum operis, maxime quod perpetrati
non posset sine alterius peccato vel iniuria.
Vnde Augustinus volens ostendere etiam
hoc ipsum quod quis ab opere peccati impedi-
ditus est, ad Dei gratiam esse referendum: in
homilia 22 capit. 6. Deum ita facit homini
loquentem: *Vt adulterium non committeres,
suasor defuit; vt suasor deesset ego feci*. Locus &
tempus defuit: vt hac deesset ego feci. Sic ille.
Huc facit illustre exemplum Davidis, qui,
sicut habetur 1 Reg. 25. cum iret armatus
ad perdendum funditus Nabal & vniuersam
eius familiam; occurrente sibi coniuge il-
lus Abigail, à facinore prohibitus, gra-

tias egit Deo, dicens: *Benedictus Dominus
Deus Israel, qui misit hodie te in occursum
meum*, &c.

16 NOLITE ITAQUE ERRARE, FRA-
TRES MEI DILECTISSIMI. Græcè
& Syriacè sine nota illationis: *Ne erratis
fratres mei dilecti*. Respicit tamen præce-
dentia; quasi dicat: Igitur fratres mei ab-
sit à vobis error tam destitabilis, vt tenta-
tiones peccatorum in Deum reiiciatis; cum
ille sit author & fons omnis boni. Quod
iam docet sequentibus verbis.

17 OMNE DATVM OPTIMVM, ET OMNE
DONVM PERFECTVM, DESVRVSVM EST.
Græcè: *Omnis datio bona, & omnis dona-
tio perfecta è supernis est*. Sed rectè inter-
pres verbalia per *datum* & *donum* expres-
sit. *Optimum* autem pro *bono* dixit, more
suo; sicut *dilectissimi* pro *dilecti*. Quomo-
do differant ex Apostoli sententia *donis* &
donatione, *datum* & *donum*; non liquet. Sunt
qui velint esse synonyma, vt sit eiusdem
repetitio, ad inculcationem doctrinæ ve-
hementer necessariæ. Quod non improbo.
Quamquam alijs malunt distinguere; vt *da-
tum* ad naturam, *donum* ad gratiam refera-
tur. Nam in vocabulo *doni* seu *donationis*
magis apparet gratuiti significatio. Dona-
tur enim quod gratis datur. Quod pertinet
etiam epitheton *perfecti*. Nam gratia perfici-
cit naturam. Quod ait, *desursum*, *à vobis*,
è supernis, id est, è caelo; metonymicè
Deum significat, cæli habitatorem. Quem
tropum explicabunt verba sequentia. Di-
citur autem Deus habitare in caelo, quia
gloriam suam ibi manifestat. Porro sen-
tentia Apostoli generalis est, qua docet
Deum omnis boni, quodcumque in nobis
est, authorem esse & datorem: siue natu-
rale sit bonum, siue naturæ conditionem
superans; & siue in habitu consistat, siue
in actu; præsertim cum de peccatis ante
fuerit locutus, quibus ex aduerso bonæ a-
ctiones respondent. Vnde Beda annotat,
Apostolum ostendere, *quia quicquid boni
agimus, hoc Deo donante percipimus*. Citat-
que illud Pauli, *Quid habes quod non acce-
pisti?* 1 Corinth. 4. Valet igitur egregiè hic
locus aduersus dogma Pelagij, negantis bo-
nam voluntatem & bona opera esse Dei do-
na. Nec est quod Pelagianus quispiam no-
bis obijciat, non aliud Apostolum velle his
verbis, quam omnia bona data & dona, esse
à Deo dante & donante: nostra autem bona
opera non esse data aut donata, sed esse no-
bis à nobis ipsis. Respondetur enim, phrasim
esse scripturis familiarem, qua vel actio, vel
affectus pro re obiecta ponitur, vt Iob 3.
Timor quem timebam, enenit mihi. Sequitur
enim: *Et quod verebar accidit*. Et psal. 105.
*Concupierunt concupiscentiam in deserto, cum
de carni concupiscentia loqueretur*. Ita
dicit Iacobus, omne datum bonum, &
omne donum perfectum esse desursum; &

vtique

vtique significare volens omne bonum quod-
cumque habemus, esse datum à Deo; & om-
ne perfectum, esse donum Dei. Simile est
illud Lucæ 11. *Si vos cum fuis mali, no-
stis bona data* (id est, res bonas) *dare filijs
vestris*.

DESCENDENS A PATRE LVMINVM.
Variè hoc exponitur. Quidam significari
putant lumina increata, id est, Filium &
Spiritu sanctum à Deo Patre proceden-
tes: siquidem vterque eorum est *Deus de
Deo*; & *lumen de lumine*. Sed refellitur hic
intellectus ex vocabulo *Patris*. Nam est
Spiritus sanctus æquè vt Filius dici possit
lumen de lumine; non tamen admitti de-
bet hic sermo, Deum esse Patrem duorum
luminum, Filij & Spiritus sancti. Sic enim
in diuinis essent duo Filij. Quod est à sana
fide alienum. Item refellitur hic Commen-
tarius, quia in Deo non sunt ponenda lu-
mina, pluraliter; sed vnum lumen: sicut est
vnus Deus, & vnus Dominus. Multo igitur
rectius intelligitur de luminibus crea-
tis; vt totius Trinitatis epitheton sit, *Pater
luminum*; quamuis specialiter ad primam
personam accommodari possit, vt quis est pater
luminis increati, idem etiam dicatur crea-
torum luminum pater, id est, author, fons,
& origo. Sed quorum luminum? Nonnulli
generaliter tam spiritualium, inquit, quam
corporeorum. Spiritualia exponunt reuela-
tiones, collustrationes & inspirationes, qui-
bus hominum mentes illuminantur; ac di-
riguntur inter tenebras huius vitæ. Corpo-
rea verò solem, lunam, & alia, à quibus illu-
minatur hic mundus corporeus. Alij sola
intelligunt lumina spiritualia, maxime ea
quæ peccatis opponuntur. Passim enim
scriptura noui testamenti peccata tenebras
vocat, vt Ioan. 3. *Dilexerunt homines magis
tenebras quam lucem*. Et cap. 8. *Qui sequi-
tur me, non ambulat in tenebris*. Et Rom. 13.
*Abijciamus opera tenebrarum, & induamur
arma lucis*. Item has tenebras scriptura ad
diabolum authorem refert: *Hæc est*, inquit,
hora vestra, & potestas tenebrarum. Luc. 22.
Si ergo peccata tenebræ sunt, quarum pater
est diabolus; certè & bona opera lumina
sunt, quorum pater est Deus. Etsi nihil ve-
tat eo nomine etiam cætera spiritualia bona
comprehendere. Quod facit Beda, dum
lumina interpretatur charismata spiritualia.
Dicuntur autem *lumina*, quia à lumine in-
creato, velut radij quidam in nos effundun-
tur; quemadmodum è diuerso peccata tene-
bræ vocantur, quia omne peccatum ex erro-
re procedit, & ab erroris magistro diabolo
ortum habet.

APVD QVEM NON EST TRANSMVTA-
TIO, NEC VICISSITVDINIS OBVMBRATIO.
Vicissitudinis, Græcè, *ἰσότης*, id est, *conuersio-
nis*, vt legit Hieronymus lib. 1. contra Iovin.
Nam Græca vox vsurpatur pro conuersione
seu reciprocaione solis, quæ fit in solstitijs.

Vnde ab astronomis circuli tropici dicuntur,
ex quibus sol reflectitur. Notum est autem
solem quanto magis ad nos accedit, tanto
vmbas facere minores; contra verò, quum
recedit. Hanc apostolus vocat *obumbratio-
nem vicissitudinis seu conuersionis*, id est, eam
quæ fit maior aut minor à sole, per vices an-
nuas recedente, vel accedente. Docet ergo
non ita Deum esse patrem luminum spiritua-
lium, quomodo sol author est luminis cor-
poralis, vt sicut sol mutatur è loco in locum,
& conuersiones patitur, & obiectis corpori-
bus vmbas facit; ita Deo accidat. *Nulla e-
nim apud eum est transmutatio*; cum sit natura
sua prorsus immutabilis: *Nulla quoque con-
uersionis obumbratio*; cum nullo obiectu rei
cuiusquam vis luminis eius impediri possit,
quo minus quocumque voluerit penetrat ac
radios spargat; ideoque paratum & exposi-
tum sit omnibus, humili petitione ipsum re-
quirentibus; secundum id quod supra dixit:
*Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo
quis dat omnibus affluenter*. & iuxta quod Da-
uid hortatur, dicens: *Accedite ad Deum, &
illuminamini; & facies vestra non confundentur*: psal. 33. Simul innuit apostolus hac par-
te, bona tantum esse à Deo, non mala: quod
sit ipse immutabilis è bono in malum. Obi-
ter notandum est, Augustinum pro *vicissitu-
dine legere momentum*. *Apud quem*, inquit,
non est immutatio, nec momenti obumbratio.
Loca sunt lib. 11 de ciuit. Dei cap. 21. & li-
bro de natura boni contra Manichæos, cap-
it. 24. & sermone 11 de verbis Apostoli.
Sed interpretis cuius translatione vsus est
Augustinus, legisse videtur in Græco *ῥοπή*
loco *ἰσότης*. Significat enim *ῥοπή* nu-
tum, momentum. Ita sensus erit: Deum ne
momentaneam quidem, id est, nec mini-
mam pati sui luminis obumbrationem. Ve-
rùm prior lectio, quæ ad solis conuersione-
nes alluditur, quæque omnium est codi-
cum, quam & Syra lectio reddit; multo est
probabilior.

18 VOLUNTARIE ENIM GENVIT NOS
VERBO VERITATIS. Causalem par-
ticulam enim Græca & Syriaca non ha-
bent. Multi etiam & probati codices La-
tini non agnoscunt. Pertinet tamen hæc
pars ad declarationem doctrinæ præce-
dentis. Nam Deus, quam sit erga nos
bonus & beneficus, in eo vel præcipue
ostendit, quod *voluntarie nos genuit verbo
veritatis*. *Voluntarie*, Græcè *βουληθεῖς*,
volens, seu potius, *quia voluit*; id est,
vt Erasmus vertit, *destinata voluntate*.
Putat Oecumenius Apostolum hic agere
de beneficio creationis; vt sensus sit:
Cum non essemus, Deus sponte sua nos
genuit, id est, creauit, homines fecit
ratione præditos ac suæ noticiæ capa-
ces; idque *verbo veritatis*, hoc est, per
verbum sibi consubstantiale, quod est
ipsa veritas. De quo Verbo Ioannes:

Omnia per ipsum facta sunt. Hic sensus etiam apud Athanasium exstat oratione 4. contra Arianos. At verò Beda, cui ceteri ferè omnes consentiunt, exponit hunc locum de beneficio regenerationis & iustificationis nostræ. Quæ sententia præterquam quod magis Apostolica est; satis etiam proditur ipsis verbis; si ea conferantur cum alijs scripturæ locis, in quibus de hoc beneficio agitur. Ut sunt ista 1 Pet. 1. *Secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vitam.* Et iterum: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.* Item Ioan. 15. *Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Act. 15. *Fide purificantur corda eorum.* Ephes. 5. *Mundans cum lauro aqua in verbo.* Et quod hinc post pauca subiungitur; *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Ex quibus scripturis & similibus, partim potest intelligi, de qua generatione loquatur B. Iacobus, nimirum de spirituali, qua nascimur filij Dei, de qua & Paulus 1 Cor. 4. dicit: *Per euangelium ego vos genui:* partim de quo verbo loquatur. Non enim sermo est de verbo increato, quod quidam huic etiam sensui adhibent; sed de verbo veritatis euangelicæ, de quo Paulus Rom. 10. *Hoc est verbum fidei quod predicamus.* Et Petrus 1 ep. 1. *Hoc est verbum quod euangelizatum est in vobis.* Intelligitur autem hoc verbum fide susceptum. Vnde scripturæ sanctificationem nostram nunc verbo, nunc euangelio, nunc fidei asseribentes; idem significat. Id quod addit, *voluntarie;* gratuitam declarat iustificationem: ac si dicat, Nullo nostro merito prouocatus, sed omnino gratis atque ex mero beneplacito suæ voluntatis, nos sibi genuit ac filios suos fecit per fidem. Atque hoc est beneplacitum, quod Paulus Apostolus modò propositum, modò consilium diuinæ voluntatis appellat. ut Eph. 1. R. 0. 8. & alibi. Non igitur est sensus, Voluntate, nõ necessitate, genuit nos; quasi intèdat discrimen inter nostram & filij Dei naturalis generationem, ut nonnullis visum est: sed voluntatem meritis opponit, ut si diceret, Genuit nos, quia voluit, non quia nos digni eramus; Et, ut Beda loquitur, non nostris meritis, sed suæ beneficio voluntatis. Ita Dauid psal. 17. *Saluum me fecit quoniam voluit me.* Et Dominus apud Osee prophetam cap. 14. (quod Beda huc citat) *Diligam eos spontaneè.* Ex his iam perspicue patet Iacobi sententiam hoc loco eadem esse cum eo quod Paulus docet & inculcat in epistolis ad Rom. & ad Gal. nos gratis iustificari per fidem. En quomodo sibi consonant in doctrina gratuita iustificationis apostolica tubæ.

UT SIMVS INITIVM ALIQVOD CREATVRÆ EIVS. Græcè, *Ut essemus primitiæ quædam creaturarum ipsius.* Beda testatur quædam ita vertisse, *Ut simus primitiæ creaturarum eius.* Atque eam versionem suo commentario explanat. Etenim Græca vox ἀπαρχῆν non tam

initium quàm primitiæ significat, id est, primos fructus, qui Deo offerebantur in lege: & ab his ad alia quæ in suo genere prima sunt & præstantissima, transferruntur. Quam metaphoram innuit, dicens, ἀπαρχῆν τῶν, *primitiæ quædam,* id est, quodammodo primitiæ. Ostendit igitur hac parte quid eximium nobis præstet generatio Dei. Poterat autem vno verbo rem maximæ dignitatis exprime-re dicendo, Generavit nos sibi filios: sed quia hoc inerat in verbo *genuit,* ut ex eo facillimè posset intelligi; aliud quidam adiecit valde præclarum, scilicet esse primitiæ creaturarum Dei. Qui priorem partem interpretantur de generatione, qua facti sumus homines; eodem referunt hanc partem, & sensum faciunt huiusmodi: Creavit nos ut essemus inter creaturas eius visibiles atque corporeas præcipui, ac cæterarum Domini, secundum illud: *Omnia subiecit sub pedibus eius.* Psal. 8. At iuxta vtiorem intellectum, qui est de generatione spirituali, sensus huius partis est: Ea generatione nobis hoc inigne beneficium contulit, ut humani generis essemus primitiæ quædam, id est, præstantissima & selecta portio, quæ Deo offeratur. Nam *creatura:* restringi ad hominum genus, in sacra scriptura non est insolitum. Sic enim accipitur Marc. ult. *Prædicare euangelium omni creaturæ.* Et Coloss. 1. *Quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub celo est.* Ac ne dubites creaturam humanam significari; manifestus est locus Apoc. 14. *Hi emoti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno.* Quod æquè de electis dicitur. Nec dissimili ratione electi vocantur *ecclesia primitiuorum,* siue primogenitorum, Heb. 12. Denique, nota fideles atque electos ita vocari primitiæ humani generis; sicut electorum primitiæ Christum dixit apostolus Paulus 1 Cor. 15. Quod sanè amplissimam declarat electorum dignitatè. Sentium apostoli minus affecti sunt, qui hoc initium suæ primitiæ referunt ad ecclesiæ primordia, id est, ad eos qui primi ex Iudaica gente crediderunt in Christum; ut dicantur fuisse velut primitiæ totius ecclesiæ decurrentis usque ad finem sæculi. Minus, inquam, hoc placeat, quia doctrina apostoli generalis est, ad omnes pertinens regeneratos. Confer autem commentarium nostrum ad verba proximè citata ex c. 12 ad Hebræos.

SCITIS FRATRES MEI DILECTISSIMI. Græcè, *Itaque fratres mei dilecti.* Syriacè: *Et vos fratres mei dilecti.* Latinus interpres pro *scitis;* legit *scitis,* quod huic loco non admodum congruit, licet Beda exponat. Sed & verbum Græcum *scitis* nescio an alibi reperitur in scriptis apostolicis. Certè passim legitur *didicistis,* pro eo quod Latine *scitis.* Igitur transitum facit apostolus ad exhortationem sequentem.

SIT AVTEM OMNIS HOMO VELOX AD AUDIENDVM. *Autem,* non additur in Græcis & Syriacis: Et quidem iuxta eorum

lectionem,

lectionem, quàm dixi, redundat. Quoniam mentione fecit Apostolus de verbo veritatis per quod fuerant renati; nunc, ut in eo quod renati erant, permaneant, atque proficiant, hortatur ad eiusdem verbi audiendi velocitatem, id est, promptitudinem & diligentiam. Nam sicut fides ex auditu est, Rom. 10: ita necesse est eam auditu foueri, nutriri & augeri. Non igitur ad quilibet audiendum vult nos esse veloces; cum tam multa noxia & inutilia ab hominibus dicantur, à quibus auertendæ sint aures: sed ad audiendum Dei verbum, quod potest, ut paulò post dicit, animas saluare. Sub quo comprehenditur omne verbum, quoquò modo spectans ad ædificationem tam fidei quàm vitæ Christianæ. Pulchrè B. Augustinus ad Dulcitium quæst. 3. Ego plus amo discere quàm docere. Nam hoc admonetur etiam dicente Iacobo Apostolo, *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Ut ergo discamus, iuitate nos debet suauitas veritatis: ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis.

TARDVS AVTEM AD LOQVENDVM. Intellige de rebus ad doctrinam fidei, morumve pertinentibus. Vnde dicit cap. 3. *Nolite plures magistri fieri.* Tutius enim, inquit Beda, veritas auditur, quàm prædicatur. Cùm enim auditur, humilitas custoditur: Cùm autem prædicatur, vix est ut non subrepat homini iactantia. Et, ut Beda verbis hoc addam, vix est ut amanti cathedram non subrepat errores loco veritatis, quàm docere debeat. Monet igitur Apostolus fideles ne citò ac facillè pronuncient de rebus diuinis; sed prius bene discant quæ doceant. Quo consilio quondam Pythagorici, ut post alios idem Beda refert, auditores suos per quinquennium iubeant silere; quo sic demum vtiliter aliquid loqui possent. Quamquam exhortatio Apostoli rectè extenditur etiam ad quotidianum sermonem; ut in eo parci & circumspecti simus; ac linguam non à noxijs tantum verbis, sed etià ab ociosis & superfluis cohibeamus. Huc enim pertinet quod nõ multò post subiicit de refrænanda lingua. Cuius & vicia acrius infestatur cap. 3.

ET TARDVS AD IRAM. Notandum, in Græco sermonem a syntheton esse: *Velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.* Adiungit Apostolus tertium hoc præceptum duobus superioribus, eo quod disputantibus facillè soleat iracundia suboriri; qua dum mens obnubilatur, inuentio veritatis impeditur, quæ finis esse debet disputationis. Non sic ergo præcipit tarditatem irascendi, quomodo præcepit tarditatem loquendi; quasi bonum sit irasci, sicut bonum est loqui; modò tardi & prouidi simus ad vtrumquè: sed ab ira reuocat tanquam ab affectu viciolo; quod passim facit Apostolus Paulus, iram annumerans inter alia peccata fidelibus absolutè cauenda. ut Gal. 5.

Ephes. 4. Coloss. 3. 1 Timoth. 2. Quò pertinet etiam illa Domini sententia Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Cùm enim ira sit appetitus vindictæ; nemini profectò licet irasci, cui non licet aut vlisci, aut vltionem ab eo cui licet, faciendam, desiderare. Vlisci verò non licet nisi Deo; qui dixit, *Mihi vindicta, & ego retribuam,* Rom. 12. & quibus à Deo data est potestas aliorum delicta puniendi, id est, solis iudicis ac præfectis. Desiderare verò non licet nisi iuxta dictamen iusticiæ & charitatis. Sensus igitur huius præcepti est, quoniam difficile est homini, seu potius impossibile, nunquam irasci; saltem ei cauendum esse, ne sit ad iram præceps, sed ab ea sibi temperet quantum potest. Hunc sensum & hanc iræ acceptionem confirmat ratio subiuncta.

IRA ENIM VIRI IUSTICIAM DEI NON OPERATUR. Declarat deinceps tria præcepta quæ proximè dederat; incipiens à postremo. *Iusticiam Dei* Caletanus intelligit quam Deus exercet in puniendis malis; ut sensus sit: Ira hominis non exsequitur iusticiam Dei. Neque enim Deus ad exsequendam suam iusticiam ordinavit iram hominum volentium se vindicare; sed iudices ad eum finem instituit. Alij *iusticiam Dei* interpretantur, qua quis verè & coram Deo iustus est, quæque Deum habet authorem. Qua significatione *iusticia Dei* passim accipitur apud Paulum in epistola ad Rom. ut cap. 1. 3. & 10. Ita sensus est, Vir iratus, præ cæco animi impetu multa committit iusticiæ Christianæ contraria: tantum abest, ut contentiosa disputatione veram, quæ querere videtur, assequatur iusticiam. Hic sensus textui conformior est, & probabilitatem accipit ex simili sententia, quæ est Ecclesiastici 1. secundum Græcam lectionem: *Non poterit iracundus vir iustificari.* Nam videri potest Apostolus ad eum scripturæ locum alluisse.

PROPTER QVOD ABIICIENTES OMNEM IMMUNDICIAM, ET ABVNDANTIAM MALICIÆ. *Abicientes,* Græcè *ἀποβαίνοντες* deponentes, seu potius, *depositi omni immundicia &c.* Quamquam pro *immundicia,* Græcè est *πορνεία,* quæ vox in Apostolicis literis alibi non reperitur: ac propriè significat sordes ac spurciatiam corporibus adhaerentem. Traslata verò ad animum significat auariciam; quas etiam Latini *sordes* vocant; ut auarum, sordidum: tamen Oecumenius impudiciam intellexisse videtur. Nobis verisimile est, Apostolum eo vocabulo comprehendere voluisse quilibet animæ sordes, id est, quodcunque genus peccati. Nec enim apparet ratio cur hinc specialiter impudiciam faceret mentionem. Nam & quod sequitur, *Et abundantiam maliciæ,* generale est. Vocat autem *abundantiam maliciæ,* maliciam redundantem ac superfluam (id vult Græca vox *περισσειά,* *redundantia,* *superfluitas*) id est, vicia, quæ instar malarum herbarum, quæ inutiles ac

proinde superflua sunt, agrum nostri cordis occupant, impediunt exortum & incrementum boni seminis. Est enim in hac apostolica exhortatione, metaphora ab agricolis sumpta, qui ex agris conferendis vel etiam confitis, quoad possunt, herbas viciosas extirpant, lapides, & quicquid sordidum, inutile & noxium est, auferunt.

IN MANSVETVDINE SVSCIPITE INSITVM VERBVM. Mansuetudinem opponit iræ & contentioni. *Insitum*, Græcè ἐπιφυτευ, nomen est non participium, quasi dicat, insitium. Rectè tamen participialiter exponitur. Scribit enim ad fideles, in quorum cordibus iam seminatum & insitum erat apostolorum prædicatione verbum Dei: quos hortatur ad eius audiendi & suscipiendi assiduitatem, quo nimirum firma radice hæreat, fructumque multiplicem referat, tanquam quod inciderit in terram bonam; iuxta parabolam euangelicam Matth. 13. Præcipit autem ut cum mansuetudine verbum suscipiant; quia sicut contentionis studium indociles reddit; ita mansuetudo, dociles, præsertim ad ea quæ caprum ingenij nostri superant. Hinc Saluator se missum testatur ad annunciandum mansuetis euangelium. Isa. 61. Conuenit cum hoc loco præceptum Ecclesiastici s. *Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas.* Quidam scriptor ἐπιφυτευ λόγον interpretatur *insitum rationem*, id est, naturale lumen rationis; sed malè; non attendens ad phrasim apostolicam: maximè cum tam in præcedentibus quam in consequentibus huius capituli, per λόγον intelligatur *verbum euangelij prædicatum*, non ratio. Deinde, ratio non inferitur, sed connascitur: at verbo euangelico proprium est inferi, quemadmodum bene declarat Caietanus.

QVOD POTEST SALVARE ANIMAS VESTRAS. Id est, ad aeternam salutem perducere. Præstat id verbum euangelicum fide susceptum; si tamen ad eam opera accedant fidei congruentia: sicut docet verbis subiunctis, & latius sequenti capite. Ex hac parte probabile sumitur argumentum, animas sanctorum adipisci salutem quæ in Dei visione consistit, quamvis nondum corporibus redditas. Ita B. Petrus I ep. I. *Reportantes finem fidei vestra salute animarum.* Quanquam nihil vetat & illum locum & hunc præsentem intelligi de salute quæ hinc habetur in via.

ESTOTE AVTEM FACTORES VERBI, ET NON AUDITORES TANTVM. Redit ad tractationem præcepti, *Velox ad audiendum*; monetque non satis esse, si quis auditor sit verbi, quantumlibet velox & promptus; nisi & factorem se exhibeat, id est, factis exsequatur ea quæ verbum euangelicum faciendæ docet. Hæc doctrina pulchrè consonat cum ea quam tradit Paulus Rom. 2. tum illis præcipuè verbis: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*; tum reliquo capite, Iudæos compellans

(perinde vt hinc Iacobus) qui gloriabantur in lege tanquam magistri, nec eam seruabant. Sicut autem illo loco Paulus præmunit lectorem aduersus malam intelligentiam doctrinæ, quam erat traditurus de fide sine operibus iustificante: ita B. Iacobus, hinc & in sequentibus, præsumptum intellectum eiusdem doctrinæ Paulinæ corrigit. Qua de re egimus in præfatione. Erasmus annotat, in Græcis codicibus à se visis non haberi particulam *tantum*; sed nec in Latinis emendationibus. Atqui codices tam Græci quam Latini qui in nostris sunt manibus, constantè legunt: Græci quidem hoc ordine; *Et non tantum auditores.* Quod si fortè apostolus non expressit, haud dubiè tamen intelligi voluit.

FALLENTES VOSMET IPSOS. Græcè, παραλογίζοντες εαυτούς, *paralogizantes vosipsos*; id est, captiosis quibusdam ratiunculis ex scriptura vel aliquade peritis vosmetipsos illaqueantes atque fallentes, sophistarum more. Vtebantur autem, inter alias, hac scriptura, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Nam argumentum ex ea desumptum soluit cap. sequenti.

QVIA SI QVIS AUDITOR EST VERBI ET NON FACTOR. Poterat apostolus grauiori comminatione percellere eos qui auditores sunt verbi & non factores; quemadmodum facit cap. 4. dicens, *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi*; sed hoc loco contentus est ostendere, quod inutile sumat operam, qui tantum studet audire & non facere; idque adhibita commoda similitudine.

HIC COMPARABITVR VIRO CONSIDERANTI VLTVM NATIVITATIS SVÆ IN SPECVLO. *Comparabitur*, Græcè, ἀνακριν, præteriti temporis verbum, quod tamen vim præsentis habeat. Vnde rectè vertunt alij; *Similis est*. Sic enim & noster interpretans supra vertit. *Similis est fluctui maris. Vultum nativitatis*, Hebraismus est, pro vultu seu facie nativæ: quæ ita dicitur ad differentiam larvæ aut faciei fucatæ.

CONSIDERAVIT ENIM SE, ET ABIIT, ET STATIM OBLIVS EST QVALIS FVERIT. Non probat, sed explicat; quasi dicat: Illi, in quæ, similis est *qui consideravit se, & abiit* &c. Est autem huiusmodi comparatio: Quemadmodum homo vultum suum contemplans in speculo, si id negligenter & incuriosè faciat, continuo postquam discessit, obliuiscitur qualem se viderit; ideoque nec curat abstergere sordes aut maculas abluere: sic auditor verbi, si tantum accedit vt audiat, videt quidem in euangelij speculo formam vultus sui interioris ab euangelica doctrina discrepantem, videt ibi sordes ac maculas suas, id est, peccata; sed postea, tanquam eius quod audiuit oblitus, non est sollicitus vt deformitatem sui vultus, quam ei speculum repræsentavit, corrigit, ac vitæ suæ faciem ad illius speculi pulchritudinem componat. Vnde fit vt inutile & sine fructu efficiatur ei verbum

audirum.

audirum. Ad sensum huius similitudinis certius accipiendum, nonnulli præmunt illud (viro). Nam mulieres non solent sese in speculo negligenter considerare.

25 QVI AVTEM PERSPEXERIT IN LEGEM PERFECTAM LIBERTATIS. Locus à Romanis correctoribus restitutus. Nam in multis codicibus legebatur, *in lege perfecta libertatis.* In nonnullis (quod germanæ lectioni vicinius est) in lege perfecta libertatis. Sed Græca nullam habent ambiguitatem. Sic enim sonant, *In legem perfectam quæ est libertatis.* Nec ab his Syriaca translatio dissidet. Pro verbo *perspexerit*, alij malunt *prospexerit*; haud temerè suspicantes ita vertisse nostrum interpretem. Sic enim alibi vertit, I Pet. I. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Rursus alij vertunt, *introspexerit.* Nam Græcum verbum ἐπισκοπέω, propriè de ijs dicitur, qui intuenti studio ac penitus introspicendi sese inclinant, vt doctè Gaignæus annotavit. Porro membrum hoc superiori respondet per antithesin; qua auditori ocioso opponit auditorem operosum; & inani speculatore verbi, eum qui legem Christi introspicit cum effectu bonæ operationis. Nam legem Christi vocat *legem perfectam*; & hanc exponit, *legem libertatis.* Perfecta quidem lex est, quia perficit ac iustificat: quod vetus lex non potuit. *Nihil enim illa ad perfectum adduxit.* Heb. 7. *Libertatis autem lex est*, vel quia ludæos credentes exemerat iugo legis Mosaicæ; vel potius, quia lex charitatis est, quæ liberos facit, id est, Dei filios; cum lex vetus, quæ lex timoris erat, non nisi in seruitutem generare potuerit. Quod discrimen novæ legis ac veteris sub nomine duorum testamentorum tradit Apostolus Paulus Gal. 4. Estque tam eo loco, quam Heb. 8. plenius à nobis expositum.

ET PERMANERIT IN EA. Hoc opponit ei quod in priori membro dixerat, *Et abiit.* Permanet autem in lege Christi contemplanda, qui sic eam contemplatur vt opere impleat. In Græco tantum habetur, *Et permanserit*; tamen Syrus addit, *in ea.* Sunt qui putent ex Græco legendum: *Et permanserit se*, vt pro vocabulo ὄντος quod proximè sequitur, & ad sequentia pertinet, adeoque redundare videretur, (nam postea suo loco repetitur) legatur ἔσως, huic parti annectendum. Atque eam lectionem in Græcis obseruavit Erasmus & Gaignæus. Eandem eligit Caietanus, sensu tamen à vulgata nihil differentem.

NON AUDITOR OBLIVIOSVS FACTVS, SED FACTOR OPERIS. Græcè, *non auditor oblivionis.* Sed Hebraismus est, quem bene exposuit interpretes.

HIC BEATVS IN FACTO SVO ERIT. *Facto* Græcè ποιήσει, id est, *operatione*, vel vt ita dicam, *factione.* Neque enim vnum aliquod factum intelligit, sed legis executionem per opera. *Beatum* dicit vel beatitudine patriæ cælestis, quæ merces est bonorum operum,

quam paulò antè *salutem animarum* vocavit: vel potius beatitudine viæ, quæ consistit in iusticia & cetera expectatione felicitatis aeternæ; quomodo supra beatum dixit eum qui suffert tentationem: vt totius periodi iste sit sensus; *Qui verò studiosus intenderit oculos mentis in legem Christi, quæ est lex perfecta, lexque veræ libertatis; & non recesserit, nec auerterit se ab ea, sicut ille qui vultum suum contemplabatur in speculo, sed fixus in ea contemplanda permanserit; id est, si non obliuiosus ac negligens auditor verbi fuerit, sed opere præstiterit quod audiuit; is ex bona sua operatione beatus erit, iustus erit, iustificabitur, scilicet eo sensu, quo sequenti capite docet ac pluribus declarat, *bonum ex operibus iustificari & non ex fide tantum.* Nam & Paulus iustificationem appellat *μακαρισμόν* beatitudinem, seu beatificationem. Rom. 4.*

26 SI QVIS AVTEM PVSTAT SE RELIGIOSVM ESSE. Hæc pars facit ad declarationem præcepti: *tardus ad loquendum.* Græca addit, *ἐπιφυτευ, in verbis*, id est, *inter vos.* Sed in Syriaco textu non legitur; vt meritò videri possit adiectivum; tamen sensui non officit. Vertit autem Erasmus ex Græco, verbum verbo reddens; *Si quis videtur religiosus esse*: Atqui noster interpretes vim Græcæ locutionis melius affectus est, dū vertit addito reciproco nomine: *Si quis putat se religiosum esse.* Vide quæ annotauimus ad illa sententiæ I Cor. 8. *Si quis sibi videtur religiosus esse, id est, verus Dei cultor, ac bonus Christianus.*

NON REFRENANS LINGVAM SVAM. Scilicet à loquacitate, contentionibus, obrektionibus, maledictis, & alijs linguæ vicij, quibus ferè sunt obnoxij, qui volunt religiosi videri. Aduersus hæc latius agit infra cap. 3. Ex quo etiam intelliges cur vtatur verbo *refrenationis.*

SED SEDVENS COR SVVM. Simile ei quod supra dixit: *Fallentes vosmetipsos.* Seducit enim cor suum, & fallit seipsum, dum huiusmodi vicij involutus adhuc sibi placet, quasi sit religiosus.

HIVS VANA EST RELIGIO. Quamvis enim professione, ac fortè etiam re ipsa Christianus sit, & Dei cultor; inutilis tamen & infructuosus ei redditur ille cultus qualiscunque, quem Deo exhibere videtur; eo quod Deum quem colit istiusmodi peccatis in sensum sibi reddat. Hinc ergo disce, non leuiter peccare eos, qui, ad sensum Apostoli, linguam suam non refrenant. Nisi enim mortalis in his esset culpa: non diceret vanam esse eorum religionem. Adfert autem hoc pro exemplo doct. in superioris, qua docuit non auditores verbi, sed factores, Deo placere.

RELIGIO MVNDA ET IMMACVLATA APVD DEVM ET PATREM HÆC EST. Quasi quæreret aliquis, Num ergo mihi sufficere refranare linguam, vt non vana sit mea reli-

gio: Respondet quid amplius & principalius exigat. Non enim satis est ad religionem, proximo factis aut verbis non nocere; nisi studeas etiam prodesse, denique & teipsum ab inquinamenti purum conferues. *Mundam & immaculatam* vocat religionem, quæ non obfuscatur peccatis eius in quo est; vel, quod eodem recidit, quæ à corde puro & immaculato proficitur. *Apud Deum & Patrem*, id est, apud Deum, qui idem est pater noster. Sensus autem est, religionem puram coram Deo, vel quæ Deo exhibetur, hanc esse:

VISITARE PUPILLOS ET VIDVAS IN TRIBULATIONE EORUM. *Visitationis* nomine synecdochicè subuentio significatur, hoc est, pecuniarum ac rerum necessariorum subministratio; siue præsens hæc facias, siue absens. Sic & illud accipiendum. *Infirmus eram & visitastis me. In carcere; & venistis ad me.* Matth. 25. Cæterum ex specie genus intelligi vult Apostolus; id est, afflictorum cuiuscunque generis solatia & subsidia; præsertim corporalia; quæ sola Dominus commemoravit loco citato. Hæc quippe sunt à quibus exercendis rarus est qui se possit excusare; tum quibus maximè declarari, foueri que solet charitas Christiana. Dicit autem *religionem mundam hanc esse*, non quod in his essentialiter virtus religionis consistat; sed quia per hæc potissimum sese prodit Deo placita religio. Vnde & frequentissimè sunt in scripturis exhortationes ad hæc misericordie opera. Caietanus in commentario post Aquinatem 2. sec. q. 81. ar. 1. ad 1. hanc adfert rationem, quia virtus religionis hos actus imperat. Verùm hæc ratio mihi nimis generalis videtur.

ET IMMACULATVM SE CVSTODIRE AB HOC SÆCVLO. Græcè sine coniunctione, *incontaminatum seipsum seruare à mundo*, id est, à peccatis quibus solent homines sæculo dediti, inficere eos qui secum versantur. Necessè est enim eos qui pupillorum & viduarum curam gerunt, in sæculo versari; quibus proinde difficile est, ait Caietanus, pupillorum curare bona, sine aliqua lucri macula; nec minus difficile viduas visitare absque macula carnis. Equidem potius arbitror hanc partem specialiter accipiendam de secularibus inquinamenti, gulæ potissimum ac luxuriz. Cùm enim dixisset Apostolus, quid officij religio munda postulet erga proximos; adiunxit & de puritate, quam quisque sibi debet, vt perfectus sit homo Christianus: Deo, religionem exhibens; proximo, iusticiam atque misericordiam; & sibi ipsi, temperantiam.

SUMMARIVM.

Personarum acceptionem damnat. Pauperes à Deo electos esse inculcat. Docet legem integre esse seruandam. Ad misericordiam inuitat. Ratione & scriptura testimonijs ostendit fidem absque operibus esse mortuam.

CAPVT II.

FRATRES MEI, NOLITE IN PERSONARVM ACCEPTIONE HABERE FIDEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI GLORIE. Apostolus superiori capite inter alia consolatus est pauperes mundo cõtemptibiles, iubens eos gloriari in sua exaltatione: ditibus autem, quos mundus honorat, è contratio suam vilitatem ante oculos posuit. Nunc pro maiori consolatione pauperum, & depressione diuitum, ad hos se conuertit à quibus & pauperes contemnebantur, & diuites in precio ac honore habebantur, præsertim in confessibus ac ministerijs ecclesiasticis: ac graui increpatione docet eius peccati magnitudinem. Nam de personarum acceptione quæ fiebat in conuentibus sacris, Apostolum loqui, valde probabile est, vt sequentia declarabunt. Igitur hinc sermo videtur esse ad presbyteros & diaconos, quorum erat in ecclesie conuentu loca conuenientia singulis attribuere. Fortè etiam ad episcopos; quorum est homines idoneos ad ecclesiastica ministeria promouere. Est autem *personarum acceptio*, quum in distribuendis honoribus aut præmijs non causa attenditur, sed personæ respectus habetur. Quoniam autem vnumquodque peccatum tanto grauius est, quanto in maiori materia versatur: constat vtique tanto grauius eos peccare qui iniquè spiritualia dispensant, quam qui temporalia; quanto sunt spiritualia temporalibus potiora. Græcè vicium hoc vocatur *προσωποληψία*, de cuius vocis origine ac ratione vide quæ diximus in epistolam ad Rom. 2. Sensus Apostolici præcepti est: *Nolite fidem Christianam habere*, id est, ea quæ Christianæ religionis sunt, agere, cum acceptione personarum. In ijs quæ fidelium propria sunt, locum nõ habeat respectus personarum, quasi dicat: In vulgaribus ac profanis cœtibus vt cum que tolerari potest hoc malum; at in conuentibus rebusque Christianis intolerabile est. Dicitio *glorie* in fine addita sententiam non nihil obscurat. Nec enim satis apparet quò referenda sit, aut quid sibi velit. Erasmus eius loco vertit, *ex opinione*, vt referatur (sicut in annotationibus dicit) ad *personarum acceptionem*; sicque sensus; Ne habeatis fidem Christi in discretionem personarum, iuxta rerum mundanarum æstimationem. Sed hæc interpretatio violenta est, vt pote, qua nimis longè separatur genitiuus à nomine regente, ac præter morem Græci sermonis exponitur. Adde, quod et si significet

significet interdum opinionem; non tamen arbitror in apostolicis scripturis ea significatione reperiri. Porro nonnulli genitiuum *glorie* referunt ad *fidem*; sicque verba Apostoli construunt & exponunt: Nolite cum personarum acceptione habere fidem glorie Domini nostri Iesu Christi; id est, fidem Christi gloriosam; Vel, vt alij, fidem glorie Christi nobis communicandæ. Quippe indignum est vt humanam gloriam aut quærat; aut admiretur is qui participationem expectat glorie Christi Domini. Qui posterior sensus probabilis est, siue Græca spectes, siue consuetudinem scripturæ. Pleque tamen alij malunt dictionem glorie referre ad proximè præcedentia hoc sensu, *Domini nostri Iesu Christi gloriosi*. Quamquam alij peculiariter ad vocabulum, *Domini*, referunt, hoc modo: Fidem Domini nostri Iesu Christi, Domini, inquam, glorie. Nam hoc epitheton etiam Apostolus Paulus attribuit Christo 1 Corinth. 2. *Si enim*, inquit, *cognouissent; nunquam Dominum gloria crucifixissent*. Atque hunc sensum Erasmus sequitur in paraphrasi, *Dominum gloria* exponens omnis glorie principem. Nos quid ea phrasi significetur, explicare conati sumus in commentario loci iam citati. Congruit autem hic sensus instituto. Nam si Christus est Dominus glorie; magis igitur ille glorificandus est à nobis & honore prosequendus, qui Christo propinquior est.

ETENIM SI INTROIERIT IN CONVENTVM VESTRVM VIR AUREVM ANNVLVM HABENS IN VESTE CANDIDA, Exemplo rem illustrat. In quo non reprehendit ornatum vestitum, si modò congruat personæ; sed tam diuitis quam pauperis habitum describit: tametsi in hoc genere sanctissime peccatur à diuitibus, dū mirabili vanitate ex splendore vestium honores captant. *Candida*, Græcè *λευκή*, id est, *splendida*, quomodo vertunt Erasmus & alij. Significatur enim non tam coloris genus, quam splendor & pulchritudo. Vox eadem Luc. 23. vbi legitur Herodes Iesum indutum veste *alba*, id est, *splendida*, remississe ad Pilatum. Huiusmodi veste solebant vt non solum qui erant ex genere regio (quod nonnulli putarunt) verū etiam qui ex opibus potentiam nacti erant, vt in tali veste prodire possent. Nam de diuite loquitur Apostolus; non speciatim de eo qui sit claro genere natus. Quæ autem Herodi causa fuerit induendi Christum candida veste, petendum ab ijs qui euangelicam historiam enarrant: iam quod ad *annulum aureum* attinet, existimat Cardinalis Baronius Annalium ecclesiasticorum tom. 1. ad annum Domini 34. vbi de veste alba, qua Saluator illusit fuit, disputat; *annulum*, cuius hinc mentio, non manus aut digiti, sed ipsius vestis ornamentum fuisse. Nam, inquit, *annulus in veste candida* idem erat quod aurea fibula, qua vestis stringeretur.

Atque hunc vestis astringendæ morem probat, cùm ex eo quod dicitur Exod. 28. *Sringatur rationale annulis suis*, tum maximè verbis Iosephi lib. 13. antiq. cap. 8. vbi narrat Ionathæ missam fuisse à rege fibulam auream, gestamen solis cognatis regis concessum. Addit Baronius, hoc annuli ornamentum fuisse eius ferè modi, quale apud Romanos nobilissimos latus clauus. Censet igitur hoc loco designari virum quempiam regium, cui huiusmodi ornamentum gestare liceret in veste candida. Sed de viro regio commentarium iam exclusimus. Quod autem annulum interpretatur fibulam, primùm Græca dicitio *χρυσόδακτύλιον* id non recipit. *Δακτύλιον* enim significat annulum qui digito inseritur: & *χρυσόδακτύλιον* eum qui annulum aureum in digito gestat. Nec vsquam *δακτύλιον* puto reperiri pro fibula, nisi fortè per catachresin inusitam. Etenim nec apud Iosephum nec apud LXX. loco Exodi citato, iuxta Sixtinam editionem, quæ sincerior est, *δακτύλιον* legitur; licet alij quidam codices habeant. Nec inuat dictam interpretationem quod dicitur, *in veste candida*; quasi annulus intelligatur vesti affutus. Nam Hebraismus est; qualis item cùm dixit, *in personarum acceptione*; nimirum pro eo quod diceret, cum veste candida, id est, splendide vestitus. Cæterum constat apud Romanos, sub quorum imperio debebant hi ad quos scribit Apostolus, aurei annuli gestandi vtum fuisse in populo frequentem. De qua re vide Feuardenium scribentem in hunc locum. vt non sit necesse propter insignia hinc nominata, *annulum aureum & vestem splendidam*, coartare sermonem Apostoli ad hominem primæ nobilitatis; præsertim quum etiam generis defectum pecunia suppleri solet. Proinde, cum alijs plerisque sentimus hinc describi hominem diuitem, qui opibus ac potentia fretus splendide vestitur, qualicumque sit generis. Cuiusmodi & ille diues euangelicus, qui induebatur purpura & bysso. Luc. 16. *Conueniunt* quidam interpretes generaliter accipiunt pro cætu publico, tam profano quam sacro: Vnde & reprehensionem apostoli de personarum acceptione, æquè generalem faciunt. Sed sciendum pro conuentu Græcè legi *συναγωγὴν*. Quo vocabulo propriè significari solet in scriptura noui testamenti, locus publicus ad quem Iudæi certis temporibus conueniebant legis audiendæ ac discendæ causa. Habebant autem eiusmodi loca multis in ciuitatibus. Vnde hic idem apostolus Act. 15. sic ait; *Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui cum prædicent in synagogis; vbi per omne sabbatum legitur*. Ex quibus apostoli verbis, id etiam colligitur, Synagogas à Iudæis ad Christum conuersis non fuisse derelictas, sed commutatas in ecclesias Christi, sic vt in ijs & Moyses more veteri legeretur, & euangelica

doctrina traderetur, & religionis Christianæ mysteria peragerentur. Igitur huiusmodi *conuenium* etiam hinc ab eodem apostolo significari, plusquam verisimile est: præsertim quod Iudæi qui erant in dispersione (nam ad eos hæc epistola scribitur) alios cæteris publicos in ciuitatibus habere vix fuerint permisi. Hinc iam manifestius apparet (id quod supra dixi) de personarum acceptione quæ contingebat in conuentibus ecclesiasticis, Apostolum præcipuè loqui. Quod & Liranus, & multi neotericorum sentiunt, vt Hasselanus, Baius, Cunerus; imò & sentire videtur Augustinus hunc apostoli locum tractans in epistola 29. scripta ad Hieronymum. Exponit enim de honoribus ecclesiasticis: tamen nec generalem sensum rejicit.

INTROIERIT AUTEM ET PAVPER IN SORDIDO HABITU. Græcè, *in sordida veste*. Vocabulum idem cum superiore.

ET INTENDATIS IN EVM QVI INDVTVS EST VESTE PRÆCLARA. Græcè, *Et respexeritis in eum qui gestat vestem splendidam*. Est enim hinc rursus λαμπρῶν. Significatur affectus hominum admirantium splendorem externum. Quod enim admirantur & magnificiunt, intentè aspiciunt. Nec enaphasi caret articulus in Græco inculcatus ad denotandam causam admirationis, τὴν ἐοικῆσαν τὴν λαμπρῶν, *vestem illam præclaram*. Quanquam id Latine pari sermonis gratia reddi non potest.

ET DIXERITIS EI, TV SEDE HIC BENE. Græcè καλῶς: quod alij vertunt, *honeste*. Vult enim apostolus significare sessionem honorificam. Nam de honoribus hinc agitur. Idem patet ex antithesi partis sequentis.

PAVPERI AUTEM DICATIS, TV STA ILLIC, AVT SEDE SVB SCABELLO PEDVM MEORVM. Græcè & Syriacè; *aut sede hic* &c. Nam quod ex Græco vertunt, *subter scabellum meum*, noster interpretes dixit explicatis, *sub scabello pedum meorum*. Est enim Græcè ὑποπόδιον, id est, scamnum humile quod sedentiū pedibus subiicitur. Versio Syriaca sic habet, *Ante scabellum pedum nostrorum*, intellige, loco inferiori. Cæterum in hac mimèsi verborū, quæ ad diuitem & pauperem dicuntur; obseruanda sunt antitheta: *Sede, sta; hic, illic; bene, sub scabello pedum meorum*. Quæ omnia seruiunt exaggerationi.

NONNE IVDICATIS APVD VOSMETIPSOS? Græcè, *Et non iudicatis estis in vobisipsis?* quomodo vertit Erasmus, tamen potest etiam actiue verti Græcus aoristus διεκρίθητε, *iudicatis*; quod video pluribus placere; quibus & Syriū interpretem annuero: vt sensus sit; Nonne discrimen fecistis apud vos inter diuitem & pauperem; cum in Christo Iesu, sicut non est distinctio Iudæi & Græci, serui & liberi; ita nec diuitis & pauperis? Horum eundem nihil est quod hominem magis aut minus in Christo honorabilem reddat. Si passim legas, *iudicatis estis*, sensus erit: An non

propria conscientia vos ipsos redarguit & conuincit malè agere? Coniunctionem, & in Græco redundare, sicut & alibi interdum; rectè Græcus author Oecumenius admo-

net. ET FACTI ESTIS IVDICES COGITATIONVM INIQUARVM? Græcè πονηρῶν, *malarum, peruersarum*. Periphrasis est iniquorum iudicium. Dicuntur enim *iudices malarum cogitationum*, quia prauis affectibus imbuti & impulsu peruersè de alijs iudicant: quasi videlicet melior & honore dignior quis sit, quia ditior aut potentior, aut genere clarior, aut sanguine coniunctior. Et ita locum hunc Augustinus dicta epist. 29 intellexit. Notandū est Oecumenium hæc absque interrogatione legere; quem & alij nonnulli secuti sunt. Non enim in Græco est ἐν; sed ἐν, *non*. Facit autem hunc sensum; Dijudicandi vim, quæ in vobis erat, corrupistis, nullam facientes inquisitionem, vter suo merito potius honorandus esset, pauper an diues: imò facti estis iniqui iudices, alterum honorantes diuitiarum intuitu, alterum ob paupertatem aspernantes. Verum interrogatiua lectio, quam & textus Syriacus habet, magis profectò ardet. Nec obstat Græcum ἐν. Nam & illud interrogationi subseruit haud rarò, ac nominatim hoc ipso capite in sequentibus aliquoties; vbi nos legimus *nonne?* Vtrumque legis apud Paulum 1 Cor. 9. *Non sum apostolus?* &c.

Ex huius loci doctrina patet non inter leuia peccata numerandum esse, si in confessibus ecclesiasticis, vbi sanctæ fidei nostræ mysteria tractantur, præ cæteris honorentur diuites, eo tantum nomine, quia diuites sunt; maximè si id fiat cum contemptu pauperum. Vnde consequenter intelligitur, lōgè grauius esse peccatum, si ad sacra ministeria gradusque ecclesiasticos, præ pauperibus diuites assumantur: licet id apostolus non expresserit, contentus exemplo vulgariore rem de qua agebat, declarasse. Quis ferat, ait Augustinus ad Hieronymum scribens, eligi diuitem ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore? Quod verò ad cōfessus & salutationes quotidianas attinet; si in illis, vt sit, diuites præ pauperibus honorentur: aut veniale peccatum est, dum humano quodam affectu ad diuitias habetur respectus; aut nullum peccatū, si spectatur in diuitē quod potest diuitijs bene vri, & ad hoc inuitatur tali honoris exhibitione. Nam sine peccato id fieri posse, satis apertè significat Augustinus in epistola memorata 29.

AVDITE FRATRES MEI DILECTISSIMI. Excitat attentionem, ostensurus à persona pauperis & diuitis, quam non sit ille præ isto contemnendus. Vtutur autem erotematis, ad exaggerandam facti indignitatem; inueniens,

NONNE DEVS ELEGIT PAVPERES IN HOC MVNDO, DIVITES IN FIDE? Græcè,

pauperes mundi huius. Et sensus est, Deum elegisse & vocasse pauperes huius sæculi vt faceret eos fide, cæterisque donis spiritualibus diuites. Non quod diuites huius sæculi prætermiserit omnino; sed quia à pauperibus exordium facere voluit, vt diuitum superbiam retunderet, & (quod secretioris fuit consilij) vt euangelij fructum atque progressum non humana potentia præsidij, sed virtuti gratiæ ipsius sciremus ascribendum. Vnde Paulus 1 Cor. 1. *Videte vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi, & infirma, & ignobilia mundi & contemptibilia, elegit Deus*. Et concludit hac ratione: *Vt non gloriatur omnis caro in conspectu eius*.

ET HÆREDES REGNI QVOD REPRŌMISIT DEVS DILIGENTIBVS SE. Hoc expriori sequitur. Qui enim diuites sunt in fide, ipsi sunt hæredes regni cælestis, quod Deus promisit in ipsum credentibus & sperantibus ipsumque diligentibus. Non tamen dixit, *credentibus in se*; sed diligentibus se: ne quis ex fide ociosa & dilectionis vacua regnum sibi polliceretur.

VOS AUTEM EXHONORASTIS PAVPEREM. Id est, *contempti habuistis*, quasi dicat, quod minimè oportuit. Argumentum tale est; Non sunt contemnendi quos Deus elegit ad regni sui consortium; atqui pauperes hac electione dignatus est Deus; non sunt igitur illi vobis contemnendi.

NONNE DIVITES PER POTENTIAM OPPRIMVNT VOS? Alij vertunt, *tyrannidem exercent in vos*. sed eodem sensu: Tale quid enim significat verbum Græcum καταδυναστεύουσιν.

ET IPSI TRAHVNT VOS AD IVDICIA? Ipsi, Græcè αὐτοὶ, quod hinc melius vertitur, *ipsi*, scilicet, diuites. Vt & in versu proxime sequenti. Alterum argumentum à diuitis persona, quo ostendit quàm sint diuites honore indigni, vt pote, fratrum oppressores. Loquitur enim de diuitibus Christianis, vt bene obseruat Gaignæus. Nam, vt supra monstratum est, reprehendit eos ad quos scribit, quod in ecclesiasticis suis conuentibus honorent diuites contemptis pauperibus. At illuc soli admittebantur fideles. Sic & infra cap. 5 in diuites avaros atque iniustos inuenitur, tanquam in malos Christianos. De his ergo dicit: *Nonne diuites opibus suis confisi vos opprimunt;* & pauperiores qui inter vos sunt, titulo debiti alicuius, ad iudicia seu tribunalia trahunt? tribunalia dico, non quacunquē, sed iudicium infidelium. Nam fideles, sive ex Iudæis in dispersione constitutis, siue ex gentilibus qui suas ciuitates incolebant, propria tribunalia secularium causarū non habebant: ac proinde citabantur ad iudices infideles. Qua de re Paulus etiam

Corinthios grauitè increpat 1 Cor. 6. Per hoc autem fiebat vt malè audiret apud infideles nomen Christianum; quod & indicat Paulus eodem loco. Sed hinc apertioribus verbis id ipsum à Iacobo significatur, in eo quod sequitur;

NONNE IPSI BLASPHEMANT BONVM NOMEN QVOD INVOCATVM EST SVPER VOS? Non sentit proprie blasphemus, id est, maledicos fuisse in Deum aut Christum, vt multi intelligunt: quos bene refellit idem Gaignæus: iam enim ostendimus Christianos fuisse de quibus hæc dicitur. Sed blasphemant, inquit, hoc est, blasphemari faciunt malis & improbis suis moribus; & eo maxime quod fratres suos pauperes, nulla misericordia moti, ad tribunalia traherent. Quæ res, quia apud iudices ethnicos & infideles agebatur; nō parū deformabat nomen Christianum. Ità Paulus Rom. 2. Iudæum alloquens ait: *Per præuersionem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes*. Et de Iudæis Ezechiel c. 36. *Inter gentes polluerunt nomen sanctum meum; cum diceretur de eis, Populus Domini iste est, & de terra eius aggressi sunt*. Ex quibus prophetae verbis aperitur intellectus eius etiā quod hinc dicitur; *Bonum nomen quod inuocatum est super vos*, id est, nomen Domini Dei, à quo vos appellamini populus Dei, seu populus Domini; vel, secundum alios, nomen Christi, à quo vocamini Christiani. Nam Hebræa phrasi nomen alicuius super aliquē inuocari, est hunc ab illius nomine nuncupari; si præsertim honoris agnominatio sit: vt in locis subiunctis. Hierem. 14. *Nomen bonum inuocatum est super nos*, id est, populus Domini vocamur. Ecclesiastici 36. *Miserere plebi tuæ super quam inuocatum est nomen tuum*, id est, quæ vocatur plebs Domini. 3 Reg. 8 orante Salomone: *Et probent quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc*, id est, experientia beneficiorum discant hoc esse templum Domini. Gen. 48. dicente Iacob de Ephraim & Manasse: *Inuocetur super eos nomen meum*, id est, vocentur filij mei. Isai. 4. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos*, id est, dicamur vxores tuæ. Rursus Hierem. 15. *Inuocatum est nomen tuum super me*, id est, propheta aut seruus tuus appellor. Porro Iacobus non simpliciter dixit *nomen*, sed *bonum nomen*; sicut Ezechiel, *sanctum nomen*: vt grauitatem ostēderet peccati, dum blasphemant bonum & sanctum: illud nomen, quod præ omnibus honorari debuit, & sanctificari; iuxta id quod primo loco petimus in oratione Dominica; *Sanctificetur nomen tuum*. Ergo quod hinc dicitur, *blasphemant*; id est, reddunt odiosum, faciunt vt malè audiat. quo modo & illud B. Petri 2 ep. c. 2. accipiendum est, *Per quos via veritatis blasphemabitur*. Argumentum autem huius partis tale est; Diuites Dei nomen exhonorant; igitur indigni sunt qui à vobis honorentur. Illud sciendum,

de diuitibus Christianis non toto genere loqui Apostolum: sunt enim inter Christianos quidam huius sæculi diuites, obedientes Apostoli Pauli præcepto, *Non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo*, &c. I Tim. 6. Sed diuites quales permulti sunt, depingit.

8 SI TAMEN LEGEM PERFICITIS REGALEM SECUNDUM SCRIPTURAS: DILIGES PROXIMUM TVVM SICVT TEIPSUM, BENE FACITIS. Hac parte iam seipsum declarat Apostolus, ac docet non omnino se damnare si quis diuitem præ paupere honoret: posse enim id fieri salua lege charitatis, si nimirum id faciat quis honesti officij causa, quod pertinere videatur ad bonum commune; non autem ideo præcisè, quoniam hic diues sit; ille, pauper. Nonnulli codices, *secundum scripturam*, legunt numero singulari, vt in Græco est & Syriaco. Exstat enim hoc præceptum vno tantum loco veteris instrumenti, Leuit. 19. Repetitur autem à Christo in euangelio, & à Paulo Rom. 13. Cuius in loci commentatio, nos sensum eius præcepti exposuimus. Eam vocat Apostolus *legem regalem*: vel quòd obsecutores suos spiritualiter reges faciat, id est, Dei filios; Vel quod lex ipsa sit via regia, id est, plana & æquabilis, & quæ recta ducat ad regnum cælorum; Vel quia lex est charitatis, quæ virtutum omnium regina est; Vel quia à Deo profecta, qui est rex regum; Vel denique, quia charitatis præceptum summum ac præcipuum est in lege, ad quod cætera sint referenda, Matth. 22. & per quod impleantur cætera. *Qui enim diligit proximum, legem impleuit*. Et, *Plenitudo legis est dilectio*. Roman. 13. Quæ autem in rebus præcipua sunt, regia dici solent. Hanc expositionem, quod scripturis valde consona sit, arbitror esse germanam. Sunt qui legem regalem accipiant pro lege regum ac principum de honorando magistratu à se constituto; qualis illa regis Assueri pro Mardochæo, *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*. Esther 6. (nam hoc exemplum adducit Caietanus) vt sensus sit; Si diuites honoratis tanquam in magistratu constitutos, quos principes suis legibus honorari præcipiunt: bene facitis. At nobis ista expositio non probatur. Primum, quia sermo est de diuitibus Iudæis, iisque Christianis, in dispersione positus: qui utique ad magistratus ciuitatum non assumebantur. Deinde, quia non diceret Apostolus, *secundum scripturam*, *Diliges proximum tuum*, &c. sed, *secundum scripturam qua præcipit regibus esse obediendum*. Tertio, quia lex hoc loco non alia quærenda est, quam de qua in sequentibus; vbi & lex libertatis appellatur. Est igitur hic sensus Apostoli, Si tamen in eo quod diuites honoratis, legem seruatis regiam; id est, mandatum illud magnum quod tradit scriptura, dicens, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*:

bene facitis, nec ad vos pertinet superior reprehensio. Nam ea lege sicut acceptio personarum prohibetur; ita præcipitur vt quisque iuxta statum, dignitatem, & merita sua honoretur; siue diues sit, siue pauper. Id enim secundum rectam rationem vnusquisque sibi fieri velit. Aut certè, sic intellige: Si tamen honorando diuites non peccatis in legem regiam, quæ præcipit diligendos proximos vt nos ipsos; Id est, Si diuites honoratis sine cuiusquam iniuria; rectè facitis, non vos reprehendo. Hic obiter nota Apostoli verba, *legem perficitis, bene facitis*. Per quæ, & similia, validè refelluntur illa sectatorum placita, Legem à nobis impleri non posse; & Iustum in omni opere peccare mortaliter.

9 SI AVTEM PERSONAS ACCIPITIS; PECCATVM OPERAMINI. Sed si, inquit, diuites honorando personas respicitis, non causas, (quod arguit pauperum neglectus atque contemptus, de quo supra): peccatum committitis in legem. Vnde sequitur,

REDARGVTI A LEGE, QVASI TRANSGRESSORES. *Redarguti* Græcè *ἐλεγχομένοις*, temporis præsentis: quod simili participio Latinè reddi non potest. Erasmus mutauit in verbum, *Ei redarguimini à lege*. Commodius ita veritas, participio passiuo in actiuum mutato; *Peccatum facitis, lege vos redarguentem velut transgressores*. *Legem*, intelligit non eam quæ dicit: *Non accipies personam*; Deut. 1. & 16. vt quidam volunt; sed legem charitatis modò dictam, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. In qua etiam hoc præceptum de personis non accipiendis, continetur; vt iam ostendimus. *Transgressores* autem dicit, non huius aut illius præcepti; sed absolutè; id est, transgressores legis: vt patebit ex sequentibus.

10 QVICVNQVE AVTEM TOTAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDAT AVTEM IN VNO; FACTVS EST OMNIVM REVS. Græcè, *Quicumque enim*: coniunctione causali; quam etiam Syriacus textus exhibet. Nam adducitur hæc sententia ad probationem eius quod proximè dictum est, *quasi transgressores*, scilicet legis. tanquam si dicat: Ne miremini me eos qui personas accipiunt, simpliciter vocare transgressores: *Quicumque enim totam legem*, id est, omnia legis præcepta, seruauerit, vno excepto; factus est omnium reus. Nam ista pars, *offendat autem in vno*, exceptionem facit ab illa, *totam legem*. Solet enim ad hunc modum scriptura exceptiones significare; vt Matth. 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur*. Hoc est; Omne remittetur, excepta blasphemia spiritus.

Quoniam autem hic Apostoli locus partim fauere videtur Stoicorum paradoxo, quod docebant omnia peccata esse æqualia & pari supplicio punienda: partim verò ab hæreticis allegari solet aduersus discrimen peccatorum

catorum

catotum venialium & mortalium (Volunt enim illi, peccata omnia esse mortalia; cumque nemo sit hominum in hac vita à peccatis immunis; hinc vltius colligunt, ex obseruatione legis neminem iustum dici posse, sed ex sola diuina imputatione): necesse est, vt verum ac germanum huius scripturæ sensum diligenter exquiramus; præsertim quod hic locus etiam S. Augustino visus fuerit adeò difficilis, vt super eius intellectu consulendum putauerit S. Hieronymus; vti videre est in epistola satis proluxa ad illum scripta, quæ in numero epistolarum B. Augustini est 29. Primum igitur sciendum est, *offensionem* hic intelligi non quamcūque, vt quidam voluerunt, etiã leuem, quã veniale vocamus; de qua dicit cap. seq. *In multis offendimus omnes*. Et iterum; *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Nam quomodo verū est eum, qui totam legem seruauerit, si in verbo ociofo, aut risu immoderato offendat; omnium reum fieri? Sed eam intelligit *offensionem* qua præceptum aliquod legis vnum ex præcipuis violatur; quæ est grauis & mortalis offensio. Nam de huiusmodi offensione sermonem esse, constat ex subiuncta declaratione; *Quod si non machaberis, occides autem: factus es transgressor legis*. Sed & supra monstratum est, eam personarum acceptionem, quam hoc capite insectatur Apostolus, in magnis peccatis esse numerandam. Vtitur quidem B. Iacobus verbo *machaberis*, quod significat impingere, ac minus est quã cadere; vt patet Rom. 11. v. 11. vtiturque eo cap. seq. *In multis offendimus omnes*: sed non idcirco leuem lapsum hic vult significare; verū ij contra quos agit, ita putabāt & loquebantur, scilicet non admodum Deo displicere, nec ideo quenquam danandum, si vnum aliquod præceptum transgrediat. Hoc posito: iam querendū quo sensu dicat apostolus, eum qui vnum legis præceptū, reliquis omnibus seruatis, transgressus fuerit, factum esse omnium reū. Hoc enim est, in quo cum Augustino interpretes ferè omnes laborant, alij aliud adferentes. Sunt qui istud *omnium*, interpretentur de bonis operibus; hoc sensu: Qui vel vnum præceptum legis violauerit, dignus est qui omnia bona quæ fecit amittat. iuxta scripturas, Ecclesiastæ 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*. Et Ezech. 33. *Omnes iusticia eius obliuioni tradentur*. Sed hæc coacta est interpretatio. Non enim more scripturæ quis dicitur reus bonorum operū; sed vel peccati, vel pænæ, vel (quod eodem recidit) legis violatæ. Patet etiam has voces, *vno & omnium*, ad idem genus referendas esse, scilicet præcepti; hoc modo: Qui offendit in vno præcepto, factus est omnium præceptorū reus. Igitur alij reū fieri dicunt *omnium* præceptorum, quia ex vnus præcepti transgressione pronus efficitur ad cætera violanda. Verum sequentia satis ostendunt alienam esse à mente Apostoli hanc expositionem. Li-

ranus, *reum omnium* intelligit, quantum ad pœnam damni, quæ est carètia diuinæ visionis. Hanc enim pœnam putat æqualem esse omnibus damnatis, siue in vno, siue in multis peccauerint. Quod etiam verum esset: Apostoli tamen verbus eū sensum non continere; bene docet Paulus Burgenfis. Idemque, pro huius loci intellectu, commemorat Pharisæorum fuisse doctrinam (quam & Rabbi Moyles postea tradidit, & Calvinus Catholicis calumniosè impingere non est veritus) hominem reputari iustum apud Deum, si maiorem partem legis seruet, etiam si in paucioribus transgressor sit legis. Hoc simile est ei, quod quidam stultè imaginatur de appendendis in statera bonis & malis meritis; & si quidem bona præponderent, saluatam iri hominem; si mala, periturum. Itaque censet scriptor ille, B. Iacobum hac sententia perstringere eiusmodi Iudaicum errorem, ac contra docere Iudæos fideles, vnus præcepti transgressionem, etiam si cætera omnia seruetur, satis esse ad amittendam iusticiam, & incurrendam pœnam seu maledictionem legis. vt hoc ipsum velit Iacobus, quod post Moysen Paulus illis verbis: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*. Gal. 3. ex Deuter. 27. Hic intellectus multis etiam alijs placet; ac nobis quoque probatur. Vbi tamen obseruandum, dictionem, *omnium*, non posse exponi distributiue, vt qui in vno offendit, dicatur omnia & singula transgressus; aut vt talis puniendus: sed collectiue; quia videlicet transgreditur legem, quæ est collectio omnium præceptorum. Ac nisi sic intelligas; sententia secum ipsa pugnabit. Nam quomodo totam legem obseruat vno excepto, qui reus est transgressionis omnium & singulorum? Sit igitur hic sensus: Qui ceteris seruatis vnū transgreditur; reus est totius legis non seruatæ, & obnoxius pænæ quæ transgressoribus legis constituta est, id est, æternæ maledictionis. Sensum hunc ostendit id quod infra, velut explicando, dicitur; *Factus es transgressor legis*: ac per illud probat Hieronymus lib. 1 dialogi contra Pelagianos cap. 7. Porro faciunt ad hunc sensum illustrandum; quæ ad Hieronymum scribit Augustinus in epistola memorata, Beda repente in commentario; quorum summa est, eum, *qui in vno offendit*, esse omnium reum, quia contra charitatem facit, ex qua tota lex pendet & propheta: *Nam, inquit, merito sit omnium reus, qui contra illam facit in qua pendent omnia*.

Iam ex his patet Apostolum Iacobum hoc loco nec Stoicis patrocinari, pauatè peccatorum astruentibus; nec hæreticis, tollentibus discrimen peccatorum mortalium & venialium. Non Stoicis; quia non dicit (vt bene respondet Augustinus) æqualiter esse reū, qui in vno offendit, & qui in alio vel in pluribus. Nec hæreticis; quia non de omnibus agit peccatis, sed tantum de transgressionibus præceptorū

K k k

legis:

legis: vt ante dictum est. Patet insuper male colligi ex hac sententia, quod qui vnum legis præceptum transgreditur, etiam aliorum omnium sit transgressor. Apertè enim significat totam legem seruari posse, vno excepto; sic nimirum vt aduersus reliqua non peccetur. Tamen verissimum sit, hoc casu reliqua seruari non posse eo modo qui necessarius est ad promerendam vitam æternam; id est, ex charitate. Quod vult expositio B. Augustini.

II QVI ENIM DIXIT, NON MOECHABERIS; DIXIT ET, NON OCCIDES. Probatio est & declaratio sententiæ præcedentis. Eiusdem, inquit, legislatoris, atque eiusdem legis hæc sunt præcepta. Quodcunque ergo legis præceptum solueris; & in Deum peccas & in legem, & per hoc constitueris diuinæ legis transgressor. Hoc enim est quod sequitur;

QVOD SI NON MOECHABERIS, OCCIDES AVTEM; FACTVS ES TRANSGRESSOR LEGIS. Inferendum relinquit; *Et proinde omnium reus.* Hinc satis apparet, Apostolum habere pro iisdem, aut certè pro reciproce sese consequentibus, esse transgressorem legis, & esse reum omnium: prout superius expositum est. Potest autem probari sequela per illud supra citatum, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus* &c. Vnde eodè loco Deuter. etiam dicitur: *Maledictus qui facit sculptile & conflatile; Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem;* & ita de alijs. Nec ideo tamè eadem, aut æqualis significatur omnium transgressorum maledictio; sed eadem tantum secundum genus maledictionis. Nā in speciali pœnæ erant diuersæ pro diuersitate transgressionum.

12 SIC LOQVIMINI, ET SIC FACITE; TANQVAM PEC LEGEM LIBERTATIS INCIPIENTES IUDICARI. Doctrinam superiorem quæ erat de acceptione personarum, concludit generali admonitione; qua tamè etiam viã aperit doctrinæ sequenti de fide & operibus. *Incipientes iudicari,* Græcè *μειδιοντες κειβεσθαι*, id est, ad verbum futuri iudicari. Latinius vna voce, *iudicandi*; sicut & Beda exponit. *Legem libertatis* eandè hinc intelligit, quā superiori capite, nēpe legē charitatis, quā & paulò antè citauit scripturæ verbis; *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Igitur sensus est: Deinceps sermones & actiones vestras instituite, tanquam à Deo iudicandi secundum legem ipsius, qua præcipit vt proximos sicut nos ipsos diligamus. Nam si iudiciū hoc Dei semper habere mus ante oculos: neque pauperes fratres nostros verbo aut facto contemneremus; neque suspiceremus, aut honoraremus diuites cū iniuria pauperum, ipsiusq; ecclesiæ. Rursum si cogitaremus nos secundum eam legem iudicandos; non esset fides nostra ociosa & operum misericordiæ vacua; nec dicta nostra essent à factis dissoluta. Cui sensui optimè conuenit probatio sequens; qua explicat iudicium, de quo locus est.

13 IUDICIUM ENIM SINE MISERICORDIA ILLI QVI NON FECIT MISERICORDIAM. Subauditur, *erit.* Nam, inquit, ille qui nō præstiterit proximis suis misericordiam; ac multò magis qui fecerit iniuriam: experietur in iudicio suo Deum iustum ac seuerum, & (vt ita dicam) immisericordem. Nam Græcè est *ἀνήμεος* (Teutonice dicitur valde significanter, *ongenadich*). Non enim misericordia dignus est, qui misericordiam non fecerit. Docet id Christus, quando propter opera misericordiæ neglecta sententiam æternæ dānationis in extremo iudicio se laturum ostendit; quemadmodum & propter opera misericordiæ exercita, sententiam æternæ saluationis. Matth. 25. Quāquam hinc non solū significatur damnatio; sed excluditur omnis misericordia. Vnde valde probabiliter ex hoc loco statuitur (quod apud Theologos cōtrouerti solet) reprobos non infra meritū, sed secundum exactam & rigidam Dei iusticiam esse puniendos. Alioqui enim cum aliqua misericordia iudicarentur, qui misericordiam non fecissent. Sed de ea re egimus ex professo ad dist. 46 lib. 4. Sent. Hinc etiam apparet iudicium hoc loco non significare damnationem, vt alibi saepe, sicut nonnulli volunt; tanquam duplex futura sit damnatio, altera sine misericordia, altera cum misericordia: sed esse vocabulum medium, & commune ad iudicium sine misericordia, quod est damnationis; & ad iudicium cum misericordia, quod est saluationis; De quo iam sequitur,

SVPEREXALTAT AVTEM MISERICORDIA IUDICIUM. Græcè; *Et contragloriatur misericordia iudicio*, id est, gloriatur aduersus iudicium. Sic infra cap. 3. *Nolite gloriari aduersus veritatem.* Et Paulus Rom. 11. *Nolite gloriari aduersus ramos.* Est enim in his locis idem verbum *καταγλαυχάζω*, id est, aduersus aliquem gloriari seu exultare. Nec temerè suspicatur Erasmus viciatos esse codices, ac legendum, *superexultat*. Nam ita legitur ac tertio repetitur apud Augustinum epistola 29 ad Hieronymum. Et iterum epistola 89 ad Hilarium quæst. 4. Eamque lectionem arguit etiam locus apud eundem in enarratione psalmi 143. Nam Iacobi sententiam exponit hoc modo: *Superponitur misericordia iudicio.* Eodem modo in bonis exemplaribus legitur apud eundem, De pecc. mer. & rem. libro 2. c. 3. & 7. Et contra Iulian. lib. 4. c. 8. Item Confess. lib. 9. ca. 13. Sic quoque Bedam in commentario legisse, quamuis deprauati sint codices, palam ostendunt hæc expositionis eius verba: *Quia quemadmodum damnatus in iudicio Dei dolebit, qui non fecit misericordiam; ita qui fecit, remuneratus exsultabit & gaudebit.* Iam nec erit sensus commodus, si legamus, *superexultat*; nisi suppleas reciprocum, *se*; quasi dicat, Misericordia exaltat se supra iudicium; id est, superponit ac præfert se

iudicio

iudicio. Est apud Fulgentium locus lib. 1. ad Monimum cap. 25, vbi sic legitur: *Sciebat enim (propheta) cunctos pari retinendos punitionis vinculo; nisi Deus in quibus vellet misericordiam fecisset, superexaltaret iudicio.* Locus sine dubio mendosus; quem puto sic restituendum. *Nisi Deus in quibus vellet, misericordiam fecisset superexaltare iudicio.*

Porro bifariam exponitur hæc pars: Vno modo de misericordia Dei iudicis; vt sensus sit, in iudicio Dei, misericordiam eius præuilituram esse iusticiæ, atque ea superiorem fore. quod intellige, de electis qui omnes cum misericordia, iudicandi sunt. Nam, seclusa misericordia, non iustificatur in conspectu Dei omnis viuens. Psal. 142. Et, Si iniquitates obseruauerit; quis sustinebit? Psal. 129. Altero modo, de misericordia hominis iudicandi; vt hic sit sensus: Misericordia, quam quis fecerit erga proximos, opponet se iusto Dei iudicio, & aduersus illud quodammodo gloriabitur: quia gratiam veluti extorquebit, qua is seueritate iudicij euadat. Hunc sensum arbitror magis germanum. Et huc pertinet scripturæ: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. *Dimittite, & dimittentur vobis.* Luc. 6. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Ecclesiastici 16. Denique, id clarè sonat sententia iudicis, qua vocantur ad regnum electi, quia fecerunt opera misericordiæ Matth. 25.

Ex quibus etiam apparet ne electorum quidem hominum distinguendum esse duplex iudicium; alterum cum misericordia, alterum sine misericordia. Nullus enim sine misericordia saluabitur. Quin verò tota salus nostra Dei misericordia est.

14 QVID PRODERIT FRATRES MEI, SI FIDEM QVIS DICAT SE HABERE, OPERA AVTEM NON HABEAT? Quid proderit, Græcè, *τι πρὸς φελος.* *Que viluas?* Transit apostolus ad pleniorē commendationem operum misericordiæ; docens fidem sine ijs nihil prodesse: & huic doctrinæ immoratur vsque ad finem capitis. Potestque inferri hæc pars ex superiori; sic: Iudicium sine misericordia erit ei qui non fecerit misericordiam: Nihil ergo cuiquam proderit in Dei iudicio, habuisse fidem sine bonis operibus; vt sunt opera misericordiæ, quæ fides ipsa facienda præscribit. Locus hic apertissimè monstrat, fidem nō semper cum operibus esse coniunctam; ideoque distinctionem illam fidei informis & formatæ, quam Catholici tradunt, & sectarij insectantur, esse verbo Dei consentaneam. Locus, inquam, adeo apertus & euidentis; vt propter eum Martinus Lutherus aliquando censuerit hanc epistolam resecandam esse e catalogo scripturarum. Sed stolidè; quasi non & aliæ scripturæ id ipsum clarè conuincant vt Io. 13. *Ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos*

non confitebantur, ut in synagoga non egerentur. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Et 1. Cor. 13. *Si habuerō omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuerō; nihil sum.* Hinc Paulus eam fidem commendat quæ per charitatem operatur. Gal. 5. vtiq; significans in quibusdam esse fidem, quæ non per charitatem operatur. Atque hinc pertinent omnes scripturæ in quibus fideles increpantur de grauibus peccatis; vt maximè in priore ad Cor. epistola, & in b. Iacobi ferme tota, Cum enim dicit (vt alia præteream) huius capitis initio; *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi;* & quæ sequuntur: nōne palam declarat quosdam esse qui fidem habeant cum personarum acceptione; & proinde legis esse transgressores? Vanum est autem & futile, quod ad locum hunc Iacobi Caluinus & alij (patrocinante etiam Erasmo in sua paraphrasi) respondent: partim, *fidei* nomine hinc intelligi professionē; fidei partim, Apostolum vti concessione rhetorica, quod de nomine nolit cum aduersario cōtendere. Facile enim ista refelluntur: primum, ex ipso contextu sermonis apostoli. Non enim de nuda professione potest exponi, aut per concessionem dictum intelligi, illud; *Tu credis quoniam vnus est Deus? Bene facis: & demones erudunt, & contremiscunt.* Deinde, ex collatione præsentis loci cum duabus scripturis iam citatis; quæ huiusmodi effugia nullo modo admittunt, ac in priori, qui est Ioannis 12. discrete fidei professio excluditur. Adde quod iuxta hanc istorum expositionem, licebit etiam dicere: Quid proderit, si charitatem quis dicat se habere, opera autem nō habeat? Nunquid poterit charitas saluare eum? Nam vtiq; charitatis professio sine operibus æquè nihil prodest. At de charitate nō ita Ioannes: *Qui habuerit, inquit, substantiam mundi, & viderit fratrem suum necessi habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo.* 1. ep. 3. Non dicit, *Quid proderit es charitas? aut nunquid poterit eum saluare charitas?* absurdè enim diceret; sed apertè negat charitatem manere, id est, esse in eo: quamuis, vt ibidem subiicit, verbo & lingua diligat. Quod si b. Iacobus sentiret tales fidem non habere; non eos fratres vocaret, id est, fideles; sed hypocritas; ac prius ad fidem recuperandam hortaretur, quàm ad opera charitatis exercenda. Nunc autem, vt iacto dudum fidei fundamento superstruant opera, cohortatur. Id verò etiam inde liquet, quia dicit *ex operibus fidem consummari*, id est, perfici ac formari. Igitur sine operibus existit fides, sed imperfecta & informis. Quo autem sensu fidem sine operibus, cum fide demonum cōparet, ac mortuā vocet; inferius exponemus. Porro quod hinc dicitur, tale est: *Quid proderit cuiquam si fidem habeat, ac de ea sese iactitet; opera autem fidei respondentia nō*

kkk 2 habeat

habeat? Nam quod de ipsa fide, ac non solum de iactantia seu professione fidei loquatur; arguit plane quod sequitur.

NUNQUID POTERIT FIDES SALVARE EVM? ac si dicat, *Non poterit*. non quia non est; sed quia infructuosa est. Hinc etiam collige, quod ante, quasi absolute dixit, *Quid proderit?* intelligendum, ad salutem. non quod fides informis ad eam omnino sit inutilis, (nā & propter huiusmodi fidem dicitur infra, *Bene facis*) sed quia hominem in statu iustitiæ & salutis constituere nō sufficit, ne quidem secundum inchoationem si sit omnino informis, cuiusmodi est fides quæ totam iustificationem præcedit, nihil habens veræ & Christianæ dilectionis.

15 SI AUTEM FRATER ET SOROR NVDI SINT, ET INDIGEANT VICTU QVOTIDIANO. Rem declarat exemplo, seu malis, à simili, sumpto tamen à re præsentī. Nam in commendandis operibus misericordiam versatur. *Frater & soror* intelligit Christianos. Cum enim operari bonum oporteat erga omnes; maximè tamen erga domesticos fidei. Gal. 6.

16 DICAT AUTEM ALIQUIS EX VOBIS, ILLIS; ITE IN PACE, CALIFACEMINI ET SATVRAMINI. Id est, Si bene precemini illis, dicentes; Abite, & bene sit vobis: Deus vos adiuet; vestitum & victum provideat. *Abire in pace*, Hebraismus est pro eo quod Latine dicitur, Discedere cum animi tranquillitate, cum hilaritate, animo pacato. Ita Simeon ille senex apud Lucam cap. 2. *Nunc dimittis seruum tuum in pace.*

NON DEDERITIS AUTEM IIS QVA NECESSARIA SVNT CORPORI, tegendo & cibando.

QVID PRODERIT? Græcè, *Quæ utilitas?* supple, prouenit fratri aut sorori indigenti, ex eiusmodi verbis? nulla profecto.

17 SIC ET FIDES, SI NON HABEAT OPERA, MORTVA EST IN SEMETIPSA. Græcè καὶ ἑαυτῆς, secundum seipsam; aut, per se, vt vertit Erasmus, id est, sola, & ab operibus seiuncta. Sic & Syriaca versio: *mortua est sola*. Est enim allusio ad corpus; quod mortuum est, si sit solum, id est, actionibus vitæ destitutum, ab anima desertum. Caterum cōparationis hæc summa est: Quemadmodum verba illa diuitis ad pauperes, *Ita in pace &c.* verba quidem sunt, sed pauperibus nihil cōferunt: ita fides, nisi opera habeat, fides quidem est, sed habet nō prodest; vt pote mortua, quia solitaria. Non ergo fidem absque operibus mortuam vocat, tanquam reuera fides non sit; sed quia vita caret charitatis ac bonorum operum, sine quibus ad salutem nō prodest.

18 SED DICIT QVIS, TV FIDEM HABES, ET EGO OPERA HABEO. Corrigendi codices, in quibus dicit, adhuc legitur. Est enim ipse Græcè, futuri temporis verbum. Nec tamen occupatio est, vt forma sermonis præ se ferre videtur; sed introducit apostolus eum

qui opera habet, insultat ei qui fidem iactat operum vacuus; ac dicentem hæc verba: *Tu fidem habes, & quæ sequuntur*. vt per hæc ostendat inaniter illum de fide gloriari apud homines, quibus eā probare nō potest. Nam sensus est: Merito dicat bonus Christianus ei qui fidem sibi arrogat sine operibus: Tu fidem habes; non nego: at ego opera habeo.

OSTENDE MIHI FIDEM TVAM SINE OPERIBVS: ET EGO OSTENDAM TIBI EX OPERIBVS FIDEM MEAM. Græca sic habet: *Ostēde mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam*. Quamquā in nonnullis exemplaribus Græcis prior loco legitur *ἀπὸς* pro *ἐκ τῶν*, vt verti possit, *sine operibus*. Et ita legisse videtur interpretes vulgatus; nec non Syriacæ versionis author. Nam Beda nō attingit hanc partem. Verū mihi suspecta est ea lectio. Nam *ἀπὸς*, pro *sine*, nusquam apparet in sacris literis, sed fere semper in Græco est *χρησὶς*, interdū *ἀπὸ*, nonnuquam *ἀπὸ*, vt Luc 22. semel *ἐκ* iterum. Et quidem præpositio *χρησὶς* hoc ipso capite, in sequentibus, tertio reperitur: eademque habetur Ro. 3. & 4. vbi de iustificatione ex fide sine operibus, Paulus disserit. Denique sciendum est, apud Oecumenium & in codice Veronensi Græco, quem Gagnæus citat, neutrum haberi: sed tantummodo legi, *Ostēde mihi fidem tuam, & ego ostendam &c.* Sed hæc lectionum varietas in eundem fere sensum concurrunt. Nam sensus est, fidem, quod in animo lateat, ostendi & manifestari apud homines non posse, nisi per opera sensibus conspicua; cuiusmodi sunt opera misericordiam proximis impensa. Proinde, eum qui fidem sine operibus habeat, frustra iactare quod nequeat ostendere. Estque sermo ironicus: Nō enim potest fides ostēdi, nisi ex operibus.

Erasmus tam in annotationibus quam in paraphrasi huc alium inuehit sensum. Putat enim Iacobum proponere duos colloquentes, quorum alter sola fide fretus negligat opera; alter opera iactet sine fide; atque hinc illi dicat, Tu fidem habes; sit hoc tibi satis. Et ego opera habeo; hoc mihi satis est. Deinde Iacobum facit vtriusque verba refellentem, cum ait: Ostende mihi fidem tuam ex operibus, id est, factis ipsis doce te fidem habere: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Sed multis modis peccat hæc interpretatio. Primū, quia Iacobus vnum tantum facit loquentem vt patet. Tum, quia nulla hic disputatio est de operibus sine fide: Nā ad fideles hæc scribuntur; nec vllus sermo dirigitur ad eum qui sola habeat opera. Præterea, nec cōuenit Iacobū in sua persona (quod vult Erasmus) dicere, *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Et, vt semel dicam, sensus iste non nisi coactè & violentè ex verbis apostoli exprimitur; ideoque nullo loco habendus.

Sed quæres, quo pacto ex operibus ostēdatur fides; cum etiam infideles multa faciant opera verè, vel in speciem bona.

Respondeo, Iacobum hinc tantum comparare duos fidem Christianam profitētes, quorum alter opera habeat professioni consentanea, alter non habeat: ac docere, eum qui opera habet, fidem quam profitetur ostendere per opera illa; quod non potest qui opera non habet, vt cumque fidem profiteatur & iactet. Quamuis igitur infideles aliqui opera habere videantur; non tamen ex illis fidem ostendunt, aut ostendere volunt, quia fidem non profitentur. Et tamen inter opera bona Christianorum & opera quæ videntur bona paganorum, magna differentia est. Hæc enim seruiunt honestati vel necessitati vitæ præsentis, nec vltra porriguntur. Vnde qui ea faciunt, non abdicant occulta dedecoris: vt loquitur Paulus apostolus 2. Corinth. 4. Illa vero, fide intentione dirigente seruiunt gloriæ Dei, & spem operantis extendunt in vitam æternam. Vnde & qui ea faciunt, immaculatos se custodiunt ab hæc sæculo: vt loquitur hic apostolus in fine c. 1. Quæ quidem differentia tanta est, tāque notabilis, vt sanctitas per externa opera sese prodens, iure censetur inter notas ecclesiæ quibus ab infidelium cœtibus distinguitur.

19 TV CREDIS QVONIAM VNVS EST DEVS. Græcè, *Quod Deus vnus est*. Adhuc verba sunt eius qui opera habet, ad eum qui non habet. Tu credis, inquit, Deum vnū esse, non plures. Respicit ad illud Deut. 6. repetitum à Christo Marci 12. *Dominus Deus noster, Deus vnus est*: ita scilicet Deus, vt præter eum non sit alius. Hunc autem articulum adfert pro exemplo, vel quod in eo maximè Iudæi differrent à paganis; vel quia in symbolo fidei nostræ primus est. ac si dicat, Tenes symbolum, & dicis; *Credo in Deum, & cætera*. Nam de cæteris articulis idem est iudicium. Hinc, etsi Deum esse vnum, ratione naturali demonstrari possit & cognosci; quemadmodum illi cognouerunt, contra quos agit Paulus Ro. 1: id ipsum tamen credere licet cætera creduntur, & sicut credere oportet, homines non possunt, nisi ex dono fidei.

BENE FACIS. Est enim actus suo genere bonus, imo actus Christianæ virtutis, tametsi imperfectæ in eo qui non habet opera; si tamen adsit aliquis Christianæ dilectionis affectus: vt esse potest. Neque enim homo peccator in omni opere peccat, quod volunt sectarij; sed quædā bene facere potest, non moraliter solum, sed etiam Christianè, modò fidem habeat. Quamquam an actus fidei possit ex aliqua circumstantia malus esse, alia quaestio est, tractanda in tertio Sent. dist. 23. Iam & illud patet, apostolo credere non idem esse in hac disputatione, quod profiteri fidem. Non enim bene facit, sed male & fallaciter, qui profitetur ore quod corde respuit.

ET DEMONES CREDVNT ET CONTREMISCVNT. Et, priori loco pro etiam: quasi

dicat, Tu credis quod Deus vnus est: Arqu etiam demones hoc credunt, adeoque & cætera symboli nostri, vt Iesum esse Christum & Dei filium, & tam hominum quàm angelorum iudicium venturum, eumque sibi imprimis formidabilem. Hæc enim eos credere satis ex euangelica historia & actis epistolique apostolicis intelligi potest. Vide Matth. 8. Marc. 5. Luc. 4. Act. 16. & 19. & Philip. 2. *Credunt* autem, nō fide diuinitus infusa; sed ex subtilitate naturæ: nec voluntariè, sed coactè. Conuincuntur enim euidenti rerum experientia, tum per vera miracula pro fidei articulis facta; quæ quidem à falsis miraculis optimè discernunt, eademque sciunt esse testimonia certissima veritatis, ex eo quod vident per fidem illorum articulorum homines subtrahi suæ potestati, & transferri in regnum Dei. Quare nec repetendum hinc fuit; *Bene faciunt*. Nullus enim inuitus bene facit: Nec omnino quicumque est quod demones bene faciant, quorum voluntas semper intenta est in malum. Vnde manifestū est multum esse discriminis inter fidem hominum etiam informem & fidem dæmonum. Nec tamen ideo vacillat comparatio quam facit apostolus: Constitit enim in eo, quod quemadmodum dæmonibus ad salutem nihil prodest omnis illa noticia, quæ de rebus diuinis habent, quia non adest bona voluntas; ita Christiano, quamdiu non studet bonis operibus, fides ad salutem prodesse non poterit. Quod attendens Augustinus, & tamē sciens non nihil interesse, dixit fidem malorum hominum prope esse fidem dæmonum. Ierm. 31. de verbis apostoli ca. 9. Porro *cōtremiscere* dicuntur demones, metaphoricè; vt & angeli boni, iuxta illud ecclesiasticum, *tremunt potestates*: diuerso tamen sensu. Nam bonorum angelorum tremor aliud non est, quàm reuerentia quam in amante parit consideratio maiestatis eius quem amat. Dæmonum autem tremor, verus ac vehemens timor est, quo refugiunt eum, quem certissimum ac seuerissimum iudicem expectant.

20 VIS AUTEM SCIRE, O HOMO INANIS, QVONIAM FIDES SINE OPERIBVS MORTVA EST? Huc vsque verba eius qui opera habet, ad non habentem: Nunc eundem apostolus ex sua persona aggreditur, exēplis institutū probaturus; nisi quis malit apostolum suis verbis loquentem facere ab eo loco, *Tu credis &c.* In multis codicibus pro *mortua*, legebatur *ociosa*; sed ex melioribus, quibus applaudunt tam Græca, quàm Syriaca, bene restitutum, *mortua*. Vocat autem *mortuam sine operibus fidem*, non quod reuera fides non sit, sed mortuum fidei simulacrum, vt exponunt sectarij; verum idcirco, quod ociosa sit, vt habebat altera lectio; hoc est, quod actione & motu careat. Ex his enim vita æstimari solet. Agitur autem & mouetur atque exercetur fides à charitate per bona opera: proinde

sine his mortua reputatur. Ipsum autem hominem inanem appellat, id est, bonis operibus vacuum. Ita Petrus 2. ep. 1. cum ad opera bona exhortaretur: *Hac enim*, inquit, *non vacui nec sine fructu vos constituitis*, &c.

21 ABRAHAM PATER NOSTER, NONNE EX OPERIBUS IUSTIFICATUS EST, OFFERENS ISAAC FILIUM SVVM SVPER ALTARE? Hoc primum ponit exemplum petiitum ex Gen. 22. propterea quod in Abraham, qui Iudeorum est patriarches (id enim est quod ait, *pater noster*) idemque omnium credentium pater, propositum sit omnibus fidelibus exemplum & idea quaedam iustificationis; etiam apud Paulum Ro. 4. & Gal. 3. Tametsi & ea fuit causa petendi exempli ab Abraham ex operibus iustificato, quod ij contra quos agit, ab eiusdem Abraham exemplo suum confirmarent errorem; dicentes: Abraham sola fide iustificatum fuisse, quia scriptum sit; *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam*. Hanc enim scripturam Iacobus hic repetit tanquam ab aduersarijs vsurpatam. Pro offerens, in Græco est *ἀνεβήκας, cum obtulisset*, id est, offerre voluisset, ad offerendum sese cōparasset, ac manu gladium arripuisset percussurus, nisi prohibitus fuisset ab eo qui præceperat. Ita Paulus quoque loquitur Heb. 11. *Fide obtulit Abraham Isaac*. Virtur autem apostolus præteriti temporis participio, respiciens ad rem gestam. Nam Abraham postquam obtulit, accepit diuinitus testimonium iustitiæ quæ ex illo opere esset, dicente Domino: *Nunc cognoui quod timeas Dominum*. Et iterum: *Quia fecisti hanc rem; benedicam tibi*, &c. Atque hoc est quod 1. Mach. 2. dicit Marathias sacerdos: *Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis*; id est, obediens; & *reputatum est ei ad iustitiam*? Vtique reputatum à Deo; cuius iudicium falli non potest, quique per Ioannem apostolum 1. ep. 3. testatur dicens, *Qui facit iustitiam, iustus est*. Imo & per apostolum Paulum, Ro. 2. *factores legis iustificabuntur*. Quamquam non id solum sentit apostolus Iacobus; sed ita fuisse declaratum Abraham quæ ex operibus esset, iustitiam; vt sine illis iustus non esset; vtque ex illis etiam, aucta, prouecta & perfecta fuerit eius iusticia: iuxta illud Apoc. ultimo, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*. Id enim inlinuat parte sequenti, cum dicit, ex operibus fidem Abraham fuisse consummatam. Non enim id factum est, sine iustitiæ augmento & consummatione. Quocirca recte presentem scripturæ locum adducit Tridentina Synodus, inter alia; quibus ostendit iustitiam augeri per opera bona. Sess. 6. cap. 10. Similis locus est psal. 105. *Stetit Phinees, & placuit; & cessauit quassatio; & reputatum est ei in iustitiam*. Notandum verò est, ex operibus hominem iustificari, etiam formaliter. Nam sicut quis formaliter iustus est in habitu, per habitua-

lem iustitiã: ita formaliter iustus est in actu, per iustitiam actualem; quæ sunt opera iustitiæ. Quod similiter in omni virtute & actibus eius potest declarari. Et ita dictum videtur, *Qui facit iustitiam, iustus est*. 1. Ioan. 3.

Iam igitur hoc intellectu probè constituto, facile tolli potest apparens diaphonia doctrinæ huius loci, cum doctrina Pauli in epistolis ad Romanos & ad Galatas; vbi docet hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Neque enim Paulus à negotio iustificationis opera quælibet excludit, cuius in eadem ad Rom. epistola tam aperta sententia est, *Factores legis iustificari*. Hoc enim quid aliud est, quàm quod b. Iacobus pronunciat, *hominem ex operibus iustificari*? Sed negat apostolus Paulus iustificari quemquam posse *ex operibus legis*, id est, ex ijs operibus quæ fidem mediatoris antecedunt, & ex sola legis cognitione proficiscuntur. Nam contra Iudeos illi instituta erat disputatio, qui legem sibi ad iustitiam & salutem sufficere arbitrabantur. Iacobus verò de operibus, agit fidem consequentibus, & ex fide pullulantibus, atque à fide directis: sine quibus vtique sterilis & infructuosa, ac proinde inutilis, est fides. Ex huiusmodi igitur operibus homo iustificatur; tum quia per ea, tanquam per actualem iustitiam est & declaratur vere iustus, eoque nomine Deo gratus; tum quia per ea necesse est iustitiam conseruari: denique quia per opera augetur & perficitur iustitia. Hanc b. Iacobi Cum Paulo apostolo conciliationem multis locis tradit S. Augustinus: vt in libro de fide & op. ca. 14. De prædestinatione sanctorum ca. 7. In præfatione enarrationis in psal. 31. & quæst. 76. inter 83.

Quod autem aliqui pro conciliatione dicunt, Paulum agere de prima iustificatione; & Iacobum de secunda; parum solidè videtur dici. Nam & ad primam iustificationem opera fidei requiruntur; de quibus loquitur Iacobus: & ad secundam iustificationem inutilia sunt opera legis, de quibus Paulus. Nihilò rectius illi qui opera legis apud Paulum interpretantur ceremonias & sacramenta veteris legis, quæ vim iustificandi non habuerunt. Constat enim Paulum in epistola ad Rom. quemadmodum hoc loco Iacobum; ad moralia legis præcepta respicere, cuiusmodi sunt: *Non concupisces, Non furaberis, Non mœchaberis*. Restat videndum, quale sit argumentum apostoli, quo ex facto Abraham probare contendit fidem sine operibus mortuam esse. Sic enim argumentatur: Abraham ex operibus iustificatus est, & sine illis iustificari non potuit: Nam si noluisset obedire Deo præcipienti, vt filium sibi immolaret, iustus non fuisset: igitur & nos oportet ex operibus iustificari; ac proinde sine operibus ad iustitiam fides non valet, sed mortua est. Posterior sequela per se est manifesta: Prior dupliciter probari potest;

test;

test; vel à causa exemplari, quia iustificatio Abraham fuit idea quaedam iustificationis nostræ: vel à nudo exemplo; quia de omnibus iustificandis eadem est ratio. Vnde & alterum exemplum mox profert de Raab meretrice ex operibus iustificata.

22 VIDES QUONIAM FIDES COOPERABATUR OPERIBUS ILLIUS? Colligit, Abraham fidem operosam fuisse, non ociofam nec mortuam. Ex eo namque quod filium suum obtulit super altare (quod quidem fecit ea fide incitatus, de qua scriptum est Heb. 11. *Fide obtulit, &c.*) patet fidem eius progerminasse bona opera, atque iisdem bonis operibus fuisse cooperatam, dirigendo videlicet intentionem operantis, vt essent Deo accepta. *Cooperabatur*, Græcè *συνήργησεν*, quod Erasmus interpretatur, *adiumento fuit*. Sed bene noster interpres ac propriè vertit, *cooperabatur*. Vult enim apostolus innuere societatem quandam indiuiduam inter fidem & opera; vt sicut fides sine operibus esse non debet; ita nec opera sine fide: tametsi partes fidei potiores sunt; vt pote dirigentis, vt dixi, & imperantis.

ET EX OPERIBUS FIDES CONSUMMATA EST. Sicut fides charitate formatur; ita subsequenter operibus non modò declaratur & conseruatur, verum etiam augetur, roboratur & perficitur. Non solum igitur opera sunt fructus & signa fidei, quod volunt hæretici; sed insuper eam, totamque hominis iustitiam auget & perficiunt, hominemque Deo gratiorem reddunt.

23 ET SUPPLETA EST SCRIPTURÀ, DICENS; CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPUTATVM EST ILLI AD IUSTITIAM. 24 *Suppleta*, Græcè, *impleta*. Queritur, quomodo tunc impleta, quando filium obtulit; cum scripta sit de eo quod multo antè contigit. Cum enim Moyses narraisset Deum Abraham promississe semen eius futurum numerosum vt stellas cæli: Gen. 15. subiunxit verba hic citata: *Credidit Abraham Deo, &c.* Respondetur imprimis, Apostoli sensum non esse, quod illa scriptura velut propheta fuerit prius dicta aut scripta, quàm res eueniret; ac post impleta. Certum est enim historicè scriptum hoc esse à Moysè, sicut & reliqua eius libri: de rebus scilicet olim gestis. Deinde nec sensum esse quod illa scripturæ pars: *Et reputatum est illi ad iustitiam*; retrorahi debeat ad illud tempus quo Abraham filium obtulit; quasi non prius quàm opus illud faceret, fides ei fuerit ad iustitiam imputata: Nam æquè certum est ex apostolo Paulo ad Ro. 4. & ex ipso textu scripturæ Gen. tunc quando credidit diuinæ promissioni, ipsum credere fuisse ei reputatum ad iustitiam, id est; tanquam insigne opus iustitiæ, Deo placitum ac probatum fuisse. Sed *impletam dicit hanc scripturam tunc quando filium obtulit*: quia tunc de-

claratum est, ad iustitiam hominis requiri non solum opus fidei, qua Deo creditur, verum etiam opera aliarum virtutum; vt obedientiæ, religionis, fortitudinis, &c. ex fide tamen profecta. Quo in genere valde excelluit illud opus Abraham. *Suppleta est ergo*, sicut noster interpres loquitur, quia quod in ea non fuerat expressum, ex alio loco docetur quodammodo supplendum; scilicet etiam opera fuisse Abraham ad iustitiam reputata, nec solum fidem sufficere, vt homini ad iustitiã reputetur. Hoc sensu suppleuit hanc scripturam Matathias 2. Mach. 2. quâdo hoc ipsum opus Abraham, de quo nunc agitur, commemorans; adiecit ex priori loco, *Et reputatum est ei ad iustitiam*.

ET AMICVS DEI APPELLATVS EST. Non hoc adiungit tanquam partem scripturæ; sed vt sua, id est, apostoli verba: probans quod superioribus continetur, scilicet, illud opus immolationis filij fuisse reputatum Abraham ad iustitiam. Si enim propter illud amicus Dei vocatus est; nec quisquam est amicus Dei nisi iustus: igitur illud opus ei reputatum est tanquam opus iustitiæ. Quamuis autem eo loco vbi res gesta narratur, non legamus Abraham fuisse vocatum Dei amicum: satis tamen id continetur in verbis Dei, ad ipsum loquentis, quibus factum eius vt sibi gratissimum, collaudat; ac nouarum promissionum cumulo profecit. Alibi verò disertè scriptura Abraham Dei amicum nominat; vt 2. Par. 20. Isai. 41. & Iudith 8. Vbi sic legitur admodum accommodatè ad locum præsentem: *Pater noster Abraham iustus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est*.

24 VIDETIS QUONIAM EX OPERIBUS IUSTIFICATVR HOMO, ET NON EX FIDE TANTVM? Græcè, *Videtur igitur quod ex operibus &c.* tametsi verti potest: *Videtur igitur*. Vtrius autem modo veritas; conclusio est rei propositæ, qua scilicet ab exemplo Abraham colligit non sola fide iustificari hominem; sed etiam opera ad iustitiam hominis esse necessaria. Quod enim ait: *Ex operibus iustificatur homo*; sic omnino accipiendum ex mente & doctrina apostoli, vt sine operibus (intellige vel re ipsa, vel in animi præparatione factis) non iustificetur. Itaque fidem vult esse formatam charitate, qua voluntas prompta reddatur ad opera, dum opus est, exercenda.

25 SIMILITER AVTEM ET RAAB MERETRICE NONNE EX OPERIBUS IUSTIFICATA EST, SVSCIPIENS NVNCIOS, ET ALIA VIA EICIENS? *Suscipiens & eiciens* in Græco sunt aoristi, ita commodè reddendi, *suscipiens nuncios, & alia via emissis*. Prius exemplum sumptum erat à principe generis: cui nunc alterum subiicit, à muliere gentili, quæ tamen meruerit adiungi generi Abraham, & inter progenitrices saluatoris inueniri, eiusque genealogiæ inseri, Matth. 1.

In qua & ecclesiae typus fuit, secundum Augustinum enarrantem illud psalmi 86. *Memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Ad cuius mulieris iustificationem commendandam, illud quoque pertinet, quod *meretricem* nominat. Nam verè metricem fuisse, idque iuxta propriam significationem vocis Hebrae zonah, contra quam sentiunt nonnulli interpretes, luculentè monstrauimus ad illa verba Heb. 11. *Fide Raab meretricis &c.* Neque vero manens meretrix iustificata est, nec sine fide: sed ad Deum verum conuersa, per fidem bonis operibus cooperantem illi placuit. Credidit enim & confessa est, Deum Israel esse Deum in caelo sursum & in terra deorsum; atque ex ea fide processit ad opera quae hic referuntur, vt exploratores à Iosue missos susciperet, absconderet, ac diuersa via quam venissent emitteret, non sine vitae suae discrimine. Legitur historia Iosue 2. Sed quia sine fide mediatoris nemo iustificari potest: vtique existimandum est illam nec ea fide, saltem implicita, caruisse. Concepit autem huiusmodi fidem eo modo quo plerique alij in populo Dei, siue post legem latam, siue ante; Deo per externum & humanum aliquod ministerium (quia fides ex auditu est, Ro. 10.) intus eos docente. Porro quod dicit apostolus *Raab fuisse iustificatam ex operibus*, similiter est accipiendum, quomodo de Abraham id ipsum dixit. Iustificata est enim, nuncijs susceptis, & alia via dimissis: quia ex illo tam benefico opere, quod non tam nuncijs illis, quam populo Dei praestitit, laudem virtutis ac iustitiae meruit in scripturis. Iosue 2. & 6. Quo nimirum opere iustitia eius non solum declarata fuit, sed & augmentum ceperit, & ad perfectionem quandam peruenerit. Siquidem & hic addi poterat quod de Abraham dixit: *Et ex operibus fides consummata est.* Ex his apparet, apostolum, ad secundam iustificationem potius quam ad primam respicere, etiam in hoc exemplo: tamen nec prima iustificatio, quae completur in remissione peccatorum, contingit sine operibus, quorum à fide est initium, vt supra dictum est. Iam, vt hoc quoque exemplum, quemadmodum prius, valeat ad probandum apostoli institutum: ex eius mente subaudiendum est, ita ex hoc opere iustificatam fuisse Raab, vt si illud facere detrectasset, iustificata non fuisset. Sic enim sequitur etiam nos ex operibus iustificari debere; & proinde sine operibus inanem & mortuam esse fidem nostram.

26

SICVT ENIM CORPVS SINE SPIRITU MORTVVM EST; ITA ET FIDES SINE OPERIBVS MORTVA EST. Aptissima similitudine concludit suam de fide & operibus doctrinam. *Spiritus* intelligit, non halitum seu flatum, vt vult Caietanus, sed animam. Hanc enim scriptura passim significat nomine *spiritum* vt psal. 30. *In manus tuas commen-*

do spiritum meum. Ecclesiastae 10. *Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* 1. Cor. 2. *Quis hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Nec ideo parum apta videri poterit haec apostoli comparatio; quod veretur Caietanus, hac ratione motus, quia opera non sunt forma fidei, sed effectus quidam concomitantes, anima verò forma est corporis. Respondetur enim, apostolum opera considerare in sua radice, id est, in bona voluntate seu charitate, quae forma est fidei, sicut anima corporis. Sentit enim, fidem operandi voluntate delectatam mortuam esse; sicut corpus anima priuatum mortuum est. Et obserua, non dicere apostolum, *Sicut homo sine spiritu mortuus est;* sed, *Sicut corpus sine spiritu mortuum est.* Vnde euanescit haereticorum obiectio: Homo mortuus non est homo, sed cadaver hominis; ergo fides mortua non est fides, sed quoddam fidei cadaver. Non enim comparat apostolus fidem mortuam cum homine mortuo, sed cum corpore mortuo. Sicut ergo corpus mortuum verè & propriè corpus est; ita fides mortua verè & propriè fides est. Neque enim magis in ratione fidei continetur charitas; quam in ratione corporis, anima: sed sicut anima perfectio corporis est; ita charitas perfectio fidei. Proinde, ex hac ipsa similitudine apostolica, quam sectarij nobis obijciunt, optimè statuitur illa, non scholastica modò, sicut eam vocant, sed Catholica distinctio fidei in informem & formatam. Est enim fides informis apostolo, velut corpus inanime; & fides formata, velut corpus animatum. Sic ergo vtrimque vera fides; sicut vtrimque verum corpus. Quin etiam sequitur, contra quosdam Catholicos aliter opinantes, quemadmodum idem numero corpus est nunc viuens, nunc mortuum: sic eandem numero fidem esse nunc animatam charitate, nunc sine ea mortuam. Vbi tamen notandum, ex sententia apostoli non esse fidem mortuam in bono catechumeno, & in fideli poenitente, dum per bona opera dignosque poenitentiae fructus aspirant ad gratiam baptismi vel reconciliationis. Non enim est illa fides sine operibus, quam solam apostolus mortuam vocat. Viuens igitur est, atque formata; & si nondum illa charitate, quae est amicitia hominis cum Deo; tamen ea saltem, qua Deus tanquam iusticiae fons, & quidem sicut oportet, diligitur; vt loquuntur patres synodi Tridentinae. Quae obseruatio necessaria est ad plenam intelligentiam distinctionis, quae, se eundem scripturas, agnoscenda est inter fidem formatam & informem, id est, viuam & mortuam: ne fidem hominis nondum iustificati, sed per opera poenitentiae sese parantis ad iustitiae donum accipiendum, pro mortua reputemus; cum nec ociosa quidem dicenda sit eiusmodi fides, sed operosa; ac sub ea fide comprehensa quae per charitatem operatur; ideoque in

Chri-

Christo Iesu valet. Gal. 5. Quamquam respectu charitatis gratificantis, quae amicitia cum deo est, & ab isto nondum habetur; informem eam dici posse non negamus. Confer quae de Charitatis notione diximus ad 1. Cor. 13.

SYMMARIVM.

IN lingua vitia graniter inuehitur: auocat à contentionibus & amulationibus: animalis & spiritualis sapientia discrimen explicat.

CAPVT III.

NOLITE PLVRES MAGISTRI FIERI FRATRES MEI. Plures, Graecè *multi*. Potestque etiam sic verti, *Ne sitis multi magistri*. Quae primo capite breuiter apostolus praecipit de refrananda lingua, dicens, *Sit omnis homo tardus ad loquendum*; Et iterum: *Si quis putat se religiosum esse, non refranans linguam suam, huius vana est religio*: nunt alijs verbis repetit cum amplificatione quadam qua linguae intemperantis noxam vehementius exagitat. Et quia maximè periculosus est linguae casus in magistris; incipit ab hoc praecipito; *Nolite plures magistri fieri*. Quod à nonnullis in hunc sensum accipitur: Nolite diuersa docere; ne sitis opinionum ac sectarum auctores, suos quisque post se discipulos trahentes. Quod in haereticos maximè quadrat: tamen reperiantur & alij ab hoc studio non aleni. Sic intellexit Augustinus in Prologo suarum retractationum, ita scribens: *Magistros autem plures nunc fieri existimo, cum diuersa atque inter se aduersa sentiant. Cum verò id ipsum dicunt omnes, & verum dicunt; ab vniuersi veri magistri magisterio non recedunt.* Huic sensui etiam Bedae commentarius alludit, & fauere putant illud Domini praecipitum: *Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Matth. 23. Alij verò sic exponunt: Ne per ambitionem crescat in vobis numerus magistrorum. & vt Erasmus breuiter in paraphrasi: *Ne passim ambrosius esse magistri.* Solet enim ambitio creare multos magistros, qui cathedram appetant, aliosque docere velint, ipsi parum aut malè docti. Peculiariter autem Iudaei (nam ad Iudaeos haec scribuntur) gaudebant saluari Rabbi. Matth. 23. facileque sese ingerebant ad docendum alios. Vnde Iudaeo dicitur Ro. 2. *Confidis teipsum esse doctorem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium &c.* Hic sensus simplicior & probabilior est: Nec ab eo diuersum postulat locus ex euangelio citatus, prout eum doctissimi interpretes exponunt. Ex hac tamen ambitione plerumque etiam illud consequitur, vt ad cathedram euecti non amplius discipulos se cogitent, sed magistros; nec iam maiorum doctrinam, sed propria placita studeant au-

ditoribus instillare; nec eos Christi, sed suos facere discipulos. Hinc itaque plures ac inter se diuisi magistri sectarumque auctores existunt. Vt in sententia apostoli metalepsis quaedam sit, quae ex posteriori id quod prius est, velit intelligi. Nam vt dixi, multitudinem magistrorum creat ambitio.

SCIENTES QUONIAM MAIUS IUDICIUM SVMITIS. Graecè *λυψόμεθα* *sumemus*, *accepturi sumus*. Cōsonat editio Syriaca. Iuxta quam lectionem, (quam veram arbitror) apostolus sese coniungit illis quos admonet; ita suadente modestia, quo magis persuadeat, sicut & infra, de lingua loquens; cum ait: *In ipsa maledicimus homines.* Sumere siue accipere iudicium, pro quo Paulus Gal. 5. *portare iudicium*; est puniri, poenas luere. Et legitur apud tres euangelistas Matth. 23. Marc. 12. & Luc. 20. *λυψόνται περισσώτερον κριμοι, accipiant amplius iudicium*; siue vt interpretes apud Lucam vertit; *accipient maiorem damnationem*, id est, grauius punientur. Igitur apostolus proposito periculo deterret ne magistri munus affectent, neue ad docendum temere prosiliant: ac si dicat; Si id facimus: scire debemus nec dubitare, quin poenas nobis accumulemus in Dei iudicio; cum alioqui satis multa sint in quibus peccemus. Id est quod sequitur.

IN MVLTIS ENIM OFFENDIMVS OMNES. *Offendimus*, praesentis temporis est. Vult enim assiduitatem quandam & frequentiam significare. Graecè *πταίμεν*, *labimur*, *impingimus*. Est enim *πταίμεν* minus quàm cadere. Vnde est illud Rom. 11. *Nunquid sic offenderunt vt caderent?* Significatur ergo minora seu leuiora peccata quae venialia vocamus; & sensus est, in actionibus nostris saepe nos labi, impingere, peccare per ignorantiam, imprudentiam, affectiones varias & intentiones non puras; & per haec obnoxios reddi iudicio Dei. Cauendum proinde ne rearum hunc nostrum augeamus dum magistri esse volumus; quod in eo munere exercendo grauius ac periculosius labi contingat.

Haec apostoli sententia vna est ex ijs quas opposuerunt Patres errori Pelagianorum, affirmantium posse hominem viuere sine peccatis. Eadem valet aduersus haereticos nostri temporis, eos, qui dicunt hominem etià iustificatum in omni opere peccare. Non enim dicit Iacobus in omnibus nos offendere, sed *in multis*.

SI QVIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTVS EST VIR. Hic iam, occasione praecedentis admonitionis, agere incipit de commodis & incommodis linguae. Cum in multis, inquit; offendamus omnes, tamen in verbis facillimus est lapsus, adeo vt qui verborum offensas vitare potest, perfectus sit pronuntiandus. Innuat doctoris officium neminem suscipere debere nisi perfectum se agnoscat. Nam si vsquam alibi,

maximè

maximè in doctrina religionis (de qua hic sermo) periculum habet lapsus verborum. Videri potest hanc sententiam Iacobus accepisse ex Ecclesiastici 14. vbi sic legitur: *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Si que- ras, sit ne quispiam talis: affirmatiuè respon- deo Nam id & apostolus hoc loco, & Eccle- siasticus, satis significant. Nec enim sentit apo- stolus, eum demum *verbo non offendere*, cuius lingua nunquam labitur: Talis enim, opinor, nullus est eorum, qui sermone vtuntur. Nam quod de Ioanne baptista canit ecclesia, *Ne leuis saltem maculare vitam fame posses*; conatum potius ac profectū significat quàm plenarium effectū. Sed sensus apostoli est, eum esse perfectum in conuersatione, id est, etiam reliquas suas actiones bene dispo- nere, qui linguā cohibere nouerit, ita scilicet vt loquēdo nusquam grauius impingat; raro, leuius. Nam mininas verborum offensas & culpas omnino vitare homini inter homines versanti, impossibile est. Hic sensus manife- stè patet ex sequentibus. Itaque nō *perfectum* vocat à sola linguæ cōtinentia; sed ex ea docet optimam sumi coniecturam, quod quis etiā reliquum corpus suarum actionū bene gubernet, & hac ratione perfectū esse; nimirum perfectione totius comparati ad partes, quemadmodū Paulus 2. Tim. 3. partiū enu- meratione perfectum hominē Dei describit.

POTEST ETIAM FRÆNO CIRCVMDV- CERE TOTVM CORPVS. Græca sic habent: *Potens fræno ducere*, seu moderari, *etiam totum corpus*. In nonnullis item Latinis legitur *potens*, quod Græcè est *δυνατός*. Sermo meta- phoricus est, quo significatur, hominem lin- guæ temperantem posse etiam ceteras actio- nes suas moderari. Nam qui potest quod est difficillimum; potest & alia faciliora. *Corpus* igitur actionum hic intelligitur. Quamquam sint qui *corpus* propriè accipiāt, vt sensus sit, eum qui linguam regere norit, posse etiam cætera corporis mēbra regere, vt oculos, au- res, manus. Verum apostolus nondum lin- guam nominauit, sed de actionibus locutus est.

SI AVTEM EQVIS FRÆNA IN ORA MITTIMVS AD CONSENTIENDVM NOBIS; ET OMNE CORPVS ILLORVM CIRCVMFERIMVS. Græcè, *circumagimus*. Duas deinceps adfert comparationes: alteram à fræno quo reguntur equi, cuius iam meminerat in verbo cōposito Græco *χαλιναγωγῆσαι*, alterā à gubernaculo quo naues diriguntur: quibus ostendat dominatum linguæ super reliquum corpus; ideoquē magnam habendam curam linguæ moderandæ; si volumus vt totū cor- pus actionum nostrarum bene se habeat. In hac parte variant codices. Ac primum refert Beda, in commentario, quosdam pro, *Si au- tem, legere, sicut autem*; vt pendeat sermo vsq; ad illud, *ita & lingua &c.* Sed huic lectioni nec Græca suffragantur, nec vlla Latina, quæ nunc sunt, in manibus. Ceterum in Græcis

ple risq; legitur *ide* siue *idē. ecce.* Quod & Sy- rus interpres reddidit. Huic autem proximè accedit *ei dē, Si autem*, quod nos habemus, vt dubium nō sit interpretem nostrū ita in Græ- co legisse. Nam & hodie ea lectio quorundā est exemplariū. Illud tamē quod in pluribus est Græcis, congruit cū parte sequenti. *Ecce & naues &c.* Sed & sensum, habet commodiorē, vt satis verisimile sit hoc ab apostolo scriptū esse. Quod autē in Latinis vetustioribus le- gitur: *Si autem equorū frænos in ora mittimus*, exhibet quidem ad verbum quod in Græco est *τῶν ἵππων τὰς χαλινὰς*: sed admonet Oe- cumenius ea verba sic ordinanda (quemad- modum & Syrus ordinauit), *Ita ora equorum mittimus fræna*. Quod quidem sensu idem est cū nostra lectione. Denique coniunctio, *Et*, non est commutanda cum *etiam*, sicut in multis codicibus factum est; licet per *etiam* exponi debeat à legentibus. Porro sensus planus est, nos immittere solere equis fræ- num in ora, vt nobis obediant, eoquē exiguo ferro totum beluæ corpus, pro nostro arbi- tratu, circumagere.

4 ECCE, ET NAVES CVM MAGNÆ SINT, ET A VENTIS VALIDIS MINENTVR. Hæc altera comparatio est. Benè autem restituta lectio, tam Græcis quàm nostris antiquis, ip- sique Bedæ, consentanea: cum prius in mul- tis codicibus inuerso ordine legeretur, *Et ecce*. Sic autem habent Græca: *Ecce & na- ues, cum tanta sint, & à duris ventis impel- lantur. Duros ventos* vocat sauos & validos. *Minare* autem pro eo quod est agere seu ducere huc illuc, vix est prisca Latinitatis, vulgato interpreti vsitata.

CIRCVMFERVNTVR A MODICO GV- BERNACVLO, VBI IMPETVS DIRIGEN- TIS VOLVERIT. Alij plenius ex Græco, *Circumaguntur à minimo gubernaculo, quo cumque impetus &c.* Quod autem addita coniunctione legebatur passim in Latinis co- dicibus, *circumferuntur autem* vel *tamen*, me- ritò correctum habemus ex melioribus, in editione Romana. Nam nec Græca nec Sy- riaca tale quid addunt.

5 ITA ET LINGVA MODICVM QVIDEM MEMBRVM EST, ET MAGNA EXALTAT. Voculā *quidē* interpres addidit de suo. *Ma- gna exaltat*, Græcè cōposito verbo *μεγαλυνῆσαι* id est, *magna gloriasur* siue *salet*; vt alij ver- terunt. Verisimile est ab interprete scriptū fuisse; *exultat*; pro quo apud Hieronymum in expositione secunda psalmi 119. corruptè legitur, *exulserat*. Certè Venerabilis Beda testatur in quibusdam codicibus inue- niri, *& magna exultat*; eamque lectionem etiā interpretatur. Eandē & hodie libri qui- dam exhibent, diuerso tempore Parisiis ex- celsi, & nonnulli M. S. vbi Erasmo & Isido- ro Clario. Itaque iactantia viciū hac parte notari plerique existimant: vt sensus sit, lin- guam, etsi pusillam in corpore membrum, magna tamen loqui, multūque præsumere.

Verum

Verum hic sensus parum responderet ad simi- litudines allatas fræni & gubernaculi; qui- bus ostendere vult Apostolus, quanta sit lin- guæ potestas in corpus reliquum; quæ non ostenditur ex vicio inanis iactantia, sed ex eo quod magnarum rerum sit effectrix; vt Græco verbo videatur abusus, pro eo quod est, *magna vi pollere, plurimum posse in utram- que partem; malis & bonam*. Id sensit Græcus, Oecumenius, ita Apostolum exponens; *Et si lingua pusillum sit membrum, inquit, magna ta- men operatur, bona videlicet & mala*. Quamquæ faretur non ad eò explicitum esse sermonem hunc Apostoli. Porro hinc collige, si tanta linguæ potestas est; summa cura frændam eam esse ac moderandam, ne se effundat ex- tra limites recti & boni. Quod pertinet com- paratio sequens.

ECCE QVANTVS IGNIS QVAM MAGNAM SILVAM INCENDIT. *Quantus ignis*; Græcè *ὅλιγον πῦρ ἐξίχθη ἰσχύος*. Textus quidem Ve- rionensis habet *ὄλιγον πῦρ, quantum ignis*; sed mutatione, quod suspicor, ex Latino facta. Nam *ὄλιγον* nusquam paruitatem indicat, vt verti possit *quantulum*; sed semper magnitudinem. Sed & Beda testatur codices sic ha- bere; *Ecce modicus ignis*. Et Hieronymus Itæ caput vltimum exponens, ad hunc mo- dum citat: *Parvus ignis quàm grandem succen- dit materiam*; dicit *materiam*; quia Græca vox *ύλη* & *silvæ* & *materiæ* significat; & utrumque quadrat sententiæ; tametsi neo- terici interpretes Erasmus & alij, *materiam* malint.

ET LINGVA IGNIS EST. Intellige per comparationem iam dictam. Sicut enim exi- guus ignis, nisi cautè seruetur, magnum facit incendium: ita lingua pusillum membrum, nisi bene coërceatur, ingentes excitat tur- bas, & magnorum multorumque malorum causa est. Vnde sequitur forma Appositio- nis.

VNIERSITAS INIQVITATIS. Græcè, *Mundus iniquitatis*. Syriacè, *Mundus pec- catis*. Sed noster interpres sensum attendit. *Mundus* enim vniuersum & vniuersitas vo- catur, quod in eo sit rerum omnis generis collectio. Sic igitur & lingua viciorum ac scelerum mundus & vniuersitas quædam est: causatiuè nimirum, quia nullum est peccati genus quod lingua non pariat: aut perpetuando, vt detractiones, maledicta, periuria; aut præcipiendo, suadendo, prouocando, cō- cinnando; denique occasiones & fomenta ministrando; vt sunt ebrietates, adulteria, supra, rixæ, cædes, schismata & hæreses. *Arius in Alexandria vna scintilla fuit* (ait Hieronymus super epistolam ad Gal. 5.) *sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est*. Quod de Luthero, qui in Ger- mania vna scintilla fuit, toridem verbis dicere nobis liceat. Sciendum in Syriaco textu sic legi; *Et mundus peccati veluti ramus est*. Vult enim Syrus interpres duplicem hinc esse

comparationem: alteram linguæ cum exiguo igne; alteram mundi peccati cum ramis, id est silua seu materia: vt quemadmodum igni- culus corripit lignorum materiam, & consumi- tur; ita lingua mundum peccati, id est, cor- ruptum hoc sæculum & ad omne genus vi- ciorum procliuè, velut aridam materiam, & huic igni concipiendo aptissimam, compre- hendat atque incendat. Quæ sententiam etiam ex recentioribus quidam huc adfert. Sed de eo suum cuique sit iudicium.

LINGVA CONSTITVITVR IN MEMBRIS NOSTRIS, QVÆ MACVLAT TOTVM CORPVS. Græcè, *Ita lingua constituitur &c.* Illud quod dixerat, Linguam esse vniuersitatem iniquitatum, videtur hac parte explicare. Est autem metallage quædam in verbis Apo- stoli. Sic, inquit, lingua, quæ constituta est inter alia membra, atque eorum penè mi- nimum est; malè custodita, totum vnde- quaque vicij inficit & commaculat homi- nem.

ET INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRÆ. Hæc ad metaphoram ignis perti- nent. *Nostra*, non est in Græco: tamen Syrus paraphrastes ascripsit tam hinc quàm in mē- bro præcedenti. Sic enim habet: *Et ipsa lin- gua existens in membris nostris, maculat totum corpus nostrum, & inflamat pronemū gene- rationum nostrarum, quæ currunt veluti rota*. Sensum autem hunc reddunt Beda & alij: *Lingua, tanquam ignis, incendio vastat to- tum vitæ nostræ cursum, quo à die natiuitatis vsque ad mortem; velut semper currente rota, continuè voluimur*. Notandum tamen in Græco non haberi *γεννησῶς* *νατιuitatis*; sed *γενεσῶς* *generationis*; quomodo vertit Syrus. Atqui *generatio* sæpe in scripturis accipitur pro sæculo quod transit. Vnde est illa phra- sis in psalmis & alibi; *à generatione in genera- tionem, ferè eadem cum ista, à sæculo in sæculū*. Quoniam verò *sæculum* & *mundus* pro eodem accipiuntur interdum, præsertim in scriptu- ra noui testamenti: videri potest Apostolus hoc loco *generationem* vocare, quàm prius *mundum iniquitatis*, iuxta sensum ab inter- prete Syro indicatum; id est, sæculum hoc ne- quam: ac si clarius dixisset; *Et inflamat cur- sum sæculi*. vt eadem sint, *inflammare rotam generationis*, & *incendere mundum iniqui- tatis*. Huc spectat illa cuiusdam versio, *Et inflamat orbem conditum*. Hic sensus, si ve- rus est, confirmat supplementum Syriacæ versionis, de quo supra. Sed quoniam in sa- cris literis *generatio* interdum significat ea quæ homines facere solent, negocia, actio- nes, mores, vitæ modum; vt cum dicitur Lu- cæ 16. *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*; seu vt Græcè legitur, *in generationem suam*; id est in his quæ gerunt, seu, ad negocia sua: idcirco & hic locus ad il- lum modum rectè potest accipi; vt sensus sit, *Inflamat totum veluti orbem totumque circulum atque cursum actionū nostrarum*.

Qui

Qui intellectus affinis est ei quem dat Beda cum suis, etiam si ex diuersa lectione Græca, ut dictum est.

INFLAMMATA A GEHENNA. Ex Græco consequenter cum duobus membris superioribus vertendum esset, *Et inflammatur à gehenna*. Docet linguam in hoc incendio esse instrumentum diaboli. Vnde pars hæc causaliter accipiendâ est, quasi dicat, utpote, quæ inflammatur à gehenna, id est, à diabolo, qui gehenna vocatur per metonymiam, qua locus pro loco sumitur: Vel quia gehenna sedes & aula est Satanæ; vel quod gehennam, id est, pœnam gehennalem semper circumferat quocumque se mouet. Quem sensum pluribus ac doctè explicatum vide apud Venerabilem Bedam. Sic autem & angeli sancti ubicumque sunt in cælo esse dicuntur; eo quod à Dei visione nusquam recedant, Domino testante Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Potius autem dicit Iacobus, à gehenna, quàm à diabolo, quia de igne loquebatur ac de incendio, cuius causam & originem pulchrè in gehennam refert, id est, ad ignem vsque tartareum. Et hinc disce, non ita vnumquemque tentari à sua concupiscentia, sicut dixit cap. 1. quin etiam assidue sua fomenta per se, suosque ministros suggerat diabolus.

OMNIS ENIM NATURA BESTIARVM, ET VOLUCRYM, ET SERPENTIVM, ET CÆTERORVM DOMANTVR, ET DOMITA SVNT A NATURA HVMANA. Græcè, *domatur*, & *domita est*. Item pro *caterorum*, in Græco est *ἐναλίω*, id est, *marinorum*. Quidam suspicantur interpretem legisse *ἀλιων* aliorum. Mihi verisimilius est, eum scripsisse *ceterorum*: quod ipsum adhuc in nonnullis exstare codicibus testatur Erasmus; & ipse codices vidi qui sic habent: ut *ceterorum* nomine, velut à specie præcipua, significare voluerit Interpretorum genus marinarum belluarum.

ADDITIONCVLA B. P.

Correctio Clementina dat *ceterorum*: quod ipsum ex vetustis libris sumptum esse credas. Interpretem hoc verentem est manifestum rem dedisse, non vocabulum. Postquam enim commemorata sunt animalia irrationalia quæ gradientur, quæ volent, quæ repant; qui cætera dicit, quænam alia significat quàm marina?

Igitur exaggerat Apostolus hac parte maliciam humanæ linguæ, collatione aliorum animalium: quorum nullum natura tam ferum est aut sæuum, quod non hominum ars & industria domare possit: siue terrestris sit animal, siue volatile, siue reptile, siue marinum. Hac enim distributione vtitur Apostolus. Nam *in eia* pro quo *bestias* interpret verit, ea proprie sunt inter terrestria, quæ feritate aut veneno nocent. Quod autem ait, *domantur, & domita sunt*: præsens quidem tempus posuit ad potentiam significandam; præ-

teritum verò refert ad rei factæ experientiam, ac si dicat, Nullum est genus animalium quod domari non possit ab homine. Siquidem experientia docet multa sæpe, etiam quæ ferocissimi sunt generis, domita ab hominibus accicurata fuisse: ut leones, vrsos, pardos, tygrides, aquilas, vultures, dracones, aspides, delphines. Exempla suppeditant historiae.

LINGVAM AVTEM NULLVS HOMINVM DOMARE POTEST. Hanc Apostoli sententiam olim Pelagius, addita interrogationis nota, torquebat in sensum alienum; tanquam diceret Apostolus; Si quod maius est, faciunt homines; quod minus est, facere non poterunt? Si domare possunt omne genus bestiarum; quanto magis linguam quisque suam? Referunt hoc de Pelagio Augustinus lib. de natura & gratia cap. 15. & Paulus Orosius in apologia, quam aduersus Pelagium scripsit. Quanquam hic sensus etiam apud Oecumenium legitur. Respondent autem Augustinus & Orosius Apostolum non dicere, *linguam nullus domare potest*, sed, *nullus hominũ*: ut quum domatur, id Dei gratia fieri fateamur. Rectè etiam ex ipso contextu huius loci, sensum Pelagij refellit Augustinus, ostendens sequentia cum eo non coherere. Sententiam verò Apostolicam intelligit; Linguam suam nullus hominum per se sui que viribus domare potest; sed Deus id potest, & per gratiam suam homini præstat ut faciat. Alij quidam id ipsum accipiunt absolute, Neminem posse suam ipsius linguam domare; id est, ita refrænare, ut non aliquando prorumpat in verbum ociosum. At reuera probabilius est Apostolum hinc non agere de propria lingua domanda, sed de aliena; ut sensus sit, Cum possint homines omne genus animalium domare, neminem tamen esse qui frænum alienæ linguæ possit injicere, prohibendo eam à detractionibus, contumelijs, rixis, mendacijs, fraudulentijs, susurrationibus, murmurationibus, & alijs id genus. Est enim sermo de lingua mala; quæ non solum indomabilis est, verum etiam inevitabilem & insanabilem plagam infert; quemadmodum pluribus & pulchrè docet Ecclesiasticus cap. 28. Tale est & illud psalmi 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatorijs.* Huc sensum arguit comparatio ferarum iam adducta, quæ ab alijs domantur. Item confirmant ea quæ sequuntur;

INQUIETVM MALVM. Potest hæc pars appositivè iungi cum præcedenti accusatiuo *linguam*; hoc sensu: Nemo potest linguam domare, utpote malum inquietum & indomitum. Potest etiam seorsim accipi, casu nominandi; sicut membrum sequens, *plena veneno* &c. Et ita supplenda erit sententia: Est enim lingua malum inquietum. Græcè, *ἀνεπαύτως*, id est, *incoercibile*, ut alij verterunt. Hieronymus lib. 2. dialogi contra Pelagium legit, *incoercibile malum*: quod intellige pas-

siue,

siue, pro eo quod contineri non potest. Senti ergo B. Iacobus linguam, quamvis ei natura duplex septum opposuerit labiorum & dentium; coerceri tamen non posse quin solutis repagulis erumpat, & grassetur in hominum perniciem. Allusio est ad feras, quæ dentibus & ungulis infestæ sunt; & ne noceant, cancellis inclusa tenentur: quemadmodum membrum sequente alluditur ad ea animalia quæ venenum fundendo noxia sunt.

PLENA VENENO MORTIFERO. Id est, parata semper ad noxas, etiam grauissimas & lethales, alijs inferendas, ac si mortifero veneno plena sit, quod retinere nequeat. Huc pertinet illud psalmi 139. *Acuerunt linguam suam sicut serpentis: venenum aspidum sub labijs eorum.*

IN IPSA BENEDICIMVS DEVM ET PATREM: ET IN IPSA MALEDICIMVS HOMINES, QUI AD SIMILITVDINEM DEI FACTI SVNT. In ipsa, & in ipsa, id est, in eadem, per eandem linguam. Quantum lingua sit malum deinceps ostendit ex eius absurda ac prodigiosa deformitate. Quasi dicat, Lingua monstrum quoddam est, cui simile non facile reperias. Sed nos huius monstri sumus authores, dum linguam nostram facimus organum contrariarum actionum, inter quas nulla consensio est: Dum, inquam, *linguam Deum benedicimus*, id est, laudamus, *Patrem* cum appellantes; & eandem linguam mox conuertimus ad *maledicendum hominibus*, ad Dei imaginem factis; siue mala imprecando, quod proprie est maledicere, Græcè *καλέγοντες*, siue conuicijs aut obrektionibus (quæ etiam maledicta vocantur) honorem & famam aliorum lædendo. Sic enim efficitur lingua portento similis, habenti duo capita, alterum humanum, alterum ferinum; aut duas manus, quarum vna sit in digitos formata, altera unguibus armata. Porro taxatur insignis hominum hypocrisis; quum eandem linguam vertunt in Dei laudem & proximorum execrationem: simulque innuitur, benedictiones & laudes Dei profectas à lingua in proximum maledicæ, Deo place-re non posse, iuxta illud psalmi 49. *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iusticias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et infra: *Os tuum abundauit malicia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris* &c. Et Ecclesiastici 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Rationem indicat Apostolus, addita illa parte, *qui ad similitudinem Dei facti sunt*. Nam si laudandus est Deus in omnibus operibus suis, ad quod hortatur scriptura psalm. 145. Dan. 3. maxime in eo opere laudandus est, in quo peculiariter eius imago relucet, id est, in homine. Nec sanè inultam finet iniuriam imagini suæ itrogaram; ut quæ in ipsum maxime redundet. Sicut enim imaginis honoratio, sic & igno-

minia, ad prototypum vtique refertur. *Dei similitudinem* interpretatur eius imaginem; quæ consistit in facultatibus animæ, intellectu & voluntate; & quod ex his consequitur, rerum dominio quod initio datum est homini. Sic enim accipitur etiam Genes. 1. & alibi, quoties Scriptura velut eandem rem significare volens, nunc imaginem Dei nominat, nunc similitudinem; alias verò vtrumque coniungit. Patet igitur ex hoc loco, imaginem & similitudinem Dei, secus quàm Origenes docuit, in homine per peccatum non periisse. Nisi enim similitudo ad quam factus est homo, vsque hodie in eo permanisset; ociosè adderet Apostolus, *qui ad similitudinem Dei facti sunt*: cum responderi posset, imaginem, quæ iam olim periit, nostram nunc hominum maledictione deformari non posse.

EX IPSO ORE PROCEDIT BENEDICTIO ET MALEDICTIO. Id est, ex eodem ore hæc duo tam contraria & pugnantis profisciscuntur. Verba sunt exaggerantis absurditatem rei.

NON OPORTET, FRATRES MEI HÆC ITA FIERI. Hæc, inquam, quæ proximè dixi de vsu linguæ ad contraria. Porro minus dicens plus intelligi vult; quum de re summopere fugienda dicit, *Non oportet*, aut *non conuenit ita fieri*. Sic Paulus 1. Timot. 5. *Loquentes quæ non oportet*. Et Tit. 1. *Docentes quæ non oportet*.

NUMQUID FONS DE EODEM FORAMINE EMANAT DVLCERM ET AMARAM AQVAM? Exemplis aliquot à natura petitis ostendit quàm non oporteat, imò quàm sit absurdum ex eodem ore procedere pugnantia. Argumentatur enim ab eo quod est impossibile secundum naturam, ad absurdum in moribus; ac si dicat: Quammodo natura non patitur ut ex eodem fontis foramine emanet dulcis aqua & amara; sic ratio non finit ut ex eodem ore procedat benedictio & maledictio; pietas & impietas; veritas & mendacium. Et ita in exemplis reliquis. Notandum pro eo quod nos habemus, *Emanat dulcem & amaram aquam*: Græcè legi, *σκαυρίζ* siue *ebullit dulce & amarum*, vel, *dulcem & amarum*, subaudi *aquam*; ut *ιδωρ*, quod neutri generis est in Græco, subintelligatur. Id enim paulò post exprimitur. Sentit autem Apostolus, ex eadem fontis scaturigine dulcè & amaram aquam profluere non posse, ne quidem diuerso tempore: Hoc enim ad comparisonem sufficit. Nam lingua non simul, sed diuersis temporibus, profert benedictionem & maledictionem.

NUMQUID POTEST FRATRES MEI FICVS VVAS FACERE, AVT VITIS FICVS? En alia duo exempla quibus idè docet quod supra. Neque enim ficus vvas gignere naturaliter potest, sed solù ficus; neque vitis ficus gignere, sed vvas solùmodo. Quamquam in Græco & Syriaco non *vvas* legimus, sed *olivas*; astipulante etiam Beda, & antiquis quibusdã etiã manuscriptis

exemplaribus. Verum res eodem recidit. Significat enim Apostolus hac parte, nec ea quæ diuersi sunt generis, etsi non contraria, ex eodem gigni solere: vt nos doceat, imitatione naturæ, in loquendo simplicitatem amare; nec diuersa, quæ non consistunt, expromere; multo minus contraria, cuiusmodi sunt benedictio & maledictio.

SIC NEQUE SALSA DULCEM POTEST FACERE AQUAM. Græca, quæ hodie existant, non parum hinc à nostris dissident. In illis enim ita legitur: *Sic nullus fons salum & dulcem facere aquam.* Quæ si vera est lectio, dicendum erit, id quod præcessit, nempe fontem ex eodem foramine non emittere dulcem & amarum aquam; hinc iam concludendo repeti, atque ad eius probationem interpositum esse ficus & vitis exemplum. Sic enim ex neotericis quidam tractant hanc partem. Nā Oecumenius Græcus omnino non attingit. Verū, cum illa parum concinna probatio sit, & non necessaria (Quorum enim exemplum tam euidenter notum, aliorum rursus exemplorum sustentaculis apostolus confirmare vellet?): vulgatam nobis lectionem retinendam cenfeo. Primum, quod eam constanter habeant Latini codices, & exponant Latini tractatores, nisi quod in vno aut altero exemplari non *salsa*, sed *salam* legatur; mutatione casus inducta, quod suspicamus, ex Græco. Deinde, quod Syriaca versus Latinæ lectioni parocineretur. Verba sunt; *Sic nec aqua salia possunt effici dulces.* Quod idem est sensu cum Latino. Atque hinc probabile fit, etiam Græcos codices aliquando hunc sensum dedisse. Neque enim Syriacam interpretationem aliunde habemus, vt arbitror, quam ex Græca scriptura. Quocirca libenter assentior viro doctissimo Francisco Lucæ (qui locum hunc in suis notationibus egregie illustravit) existimanti Græca hinc aucta esse tribus voculis, *μια, πηγη, νεη*, quibus ablatis eadem protulit erit Græcorum lectio quæ Latinorum; nisi quod Latinus interpret, supplenda sententiæ causa, verbum *potest*, ascripsit, ex superioribus repetitum. Hoc pacto sanè pars ista pulchre conuenit Apostoli instituto. Quatuor enim exemplis, siue, vt ita dicam, parabolis, suam doctrinam declarat: quorum primū à fontibus desumptum est, quartum à mari; secundum & tertium à plantis fructiferis ficu & vite. Et quidem tria priora iam exposita sunt, & difficultatem non habent: quartum verò quamuis idē penē cū primo videatur, ideoque præmittatur à quibusdam eius expositio; differt tamen, vt dixi; quia nō à fonte, sed à mari petitur est, cuius aquæ salæ esse solent. tanquam diceret; Idem mare non posse præbere salum & dulcem aquam: quemadmodum inuerso ordine de fonte dixit, per scaturiginem vnā & eandem non posse emittere dulcem & amarum aquam. Vnde & eo distinguuntur, quod primum exemplum magis proprie bonis ho-

minibus accommodatur; quartum verò, malis. Fontes enim dulcem aquam fundere solent, non amarum aut salum: maria verò salum dare, non dulcem. His porro consonant aliæ scripturæ, vt Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Et cap. 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: Aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Item: *Quomodo potestis bona loqui, cū sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Et iterum: *Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.*

13 QVIS SAPIENS ET DISCIPLINATUS INTER VOS? *Disciplinatus*, Græcè *επιτηδευς*, id est, *sciens*, *scientia prædictus*. Egit huius capituli initio B. Iacobus aduersus ambitiosos doctores, quorum occasione multa de lingue vicij differunt. Redit nunc ad institutum; & eum cui scientia magistro necessaria non deest, informat, docens quibus moribus esse debeat, si bene & cum fructu, suo velit munere fungi. Et quia magistralis illa scientia paucorum est; ideo querit: *Quis sapiens &c.* Nominat autem duo, *sapientiam & scientiam*, tanquam Christiano doctori ad officium docendi necessaria: quæ ita differunt, quod *sapientia* sit rerum ad religionem pertinentium, per causas superiores accepta noticia: *Scientia* verò, earundem rerum noticia per ea quæ sunt humanæ scientiæ vel experientiæ. De vtraque Paulus 1. Corinth. 12. dicens: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum.* Nec enim magistro ad officium satis est, sapientia & scientia instructum esse; nisi & sermonem vtriusque habeat; id est, ea quæ sapienter & scienter intelligit, etiam verbis conuenientibus nouerit ad auditores proferre. Plenior vtriusque descriptionem pete ex commentario loci iam dicti.

OSTENDAT EX BONA CONVERSATIONE OPERATIONEM SVAM IN MANSVETVDINE SAPIENTIÆ. Docet, vt sine *sapientia & scientia* magister quis esse non potest; ita non posse munus illud obire in ecclesia Dei cum ædificatione & fructu; si non etiam hæc duo præter atque ostendat, *exercitium bonorum operum, & mansuetudinem*. Vbi bona opera (nam *opera*, non *operationem* in Græco & Syriaco legimus) ea potissimum significat quæ sunt beneficentiæ erga proximos. Nam *mansuetudinis* est aduersantium vel obloquentium iniurijs haud facile commoueri. Moderatur enim mansuetudo passionē iræ. Quam virtutem etiam Paulus in episcopo, id est, ecclesiæ magistro, singulariter requirit, dum præter alia vult eum mansuetum esse *ad omnes, & cum modestia corripientem eos qui resistunt.* 2. Tim. 2. Dicitur autem quis ostendere *ex bona conversatione operationem suam sine opera sua*: dum bene conuersando facit opera sua lucere coram hominibus; iuxta præceptū

Domini,

Domini, vel maximè pertinens ad magistros: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Porro quod dicit, *In mansuetudine sapientia*, Syrus ita reddit, *In sapientia mansuetia*. Nobis videtur ita potius exponendum, cum mansuetudine sapientia coniuncta. Hæc enim virtus, vt dixi, sapientem, id est, doctorem, mitificè commendat. Vnde, sicut in superioribus repetitio fuit præcepti illius; *Sit omnis homo tardus ad loquendum*; sed cum amplificatione ita hinc repetitur, quod illic adiunxerat; *Et tardus ad iram*. Hoc enim est esse mansuetum. Id verò etiam latius diducit, annectens reprehensionem illius contrarij, iræ videlicet, dum subiungit:

14 QVOD SI ZELVM AMARVM HABETIS, ET CONTENTIONES SINT IN CORDIBVS VESTRIS. Verbum, *sint*, in multis manuscriptis non legitur: Græca quoque & Syriaca non habent. Græcè est: *Et contentiones in corde vestro*, vt hinc *ἐν τῷ καρδίᾳ* repetendum sit verbum *habetis*. Et ita quidem Venerabilem Bedam legisse, commentarius eius haud obscure significat. Sed & hic paulò post vtrumque, *zelus* scilicet & *contentio* repetuntur, numero singulari. Zelus æmulatio est. Zelum autem amarum inuidiā vocat, quam Paulus Eph. 4. *amaritudinem* appellat; quum videlicet animus inuidia velut felle tinctus, amarescit aduersus proximum. *Contentio* est verborum pugna studio vincendi suscepta. Sed hinc videtur accipi pro ipso vincendi studio, quod latet in animo. Dicit enim, *in cordibus vestris*. Exprimit Apostolus hæc vicia, zelum amarum & contentionem; quod ex ambitione & cenodoxia soleant oriri.

NOLITE GLORIARI ET MENDACES ESSE ADVERSVS VERITATEM. Græca sic sonant: *Ne contrā gloriemini & mentiamini contra veritatem*. Ex quo liquet illam partem, *aduersus veritatem*, referri debere ad vtrumque verbum præcedens: *ne gloriemini contra veritatem; & ne mentiamini contra eam*. Porro sensus Apostoli talis est: Quod si in animo geritis inuidiā & contiones alius aduersus alium: nolite vos iactare & dicere sapientes. Id enim esset gloriari & mentiri aduersus veritatem. Nam qui animum habent istiusmodi vicij affectum, sapientes esse non possunt, nisi falso nomine. Sensus hic clarior fiet ex sequentibus.

15 NON EST ENIM ISTA SAPIENTIA DESVRSVM DESCENDENS. Voculam enim, quæ in Græco non est, interpret addidit, vt connexionem ostenderet huius partis cum præcedente. Probat enim sapientiam quam venditabant improbi magistri, non esse veram sapientiam, sed falsam; quia non est desursum descendens, id est, à Deo profecta; quum, vt dictum est supra cap. 1. *Omne donum perfectum desursum sit, descendens à Patre lumine. Et sapientia, si quis ea indigeat, non aliunde*

postulanda sit, quam à Deo.

Cum autem hic iam consequenter discrimen statuatur Apostolus inter sapientiam veram & falsam, notis proprijs, suis vtramque pingens epithetis, ceu coloribus, & laudabilem & vituperabilem: queritur quid vtriusque sapientie nomine significatum velit. Nam multi non explicant. Qui verò explicant, plerique per veram sapientiam intelligi putant eam quæ omnibus bonis fidelibus communis est, id est iusticiam Christianam, quæ omnes virtutes complectitur. Sic enim concludit hanc de sapientia disputationem Apostolus: *Fructus autem iusticie in pace seminatur, &c.* tanquam videlicet sapientia sit ipsa iusticia. Quod præterea facit, quod hoc modo sapientiam videtur accepisse primo capite, dicens: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo*. Vel certe (quod ferè eodem recidit) *sapientiam* intelligunt iudicium rectum & practicum de omnibus agendis. Nec verò ab his admodum dissentit S. Thomas 2. 2. quæst. 45. artic. 6. vbi sapientiam hanc interpretatur eam, quæ prima est inter dona Spiritus sancti, quo etiam loco eius epitheta singularim explicat. Et eiusdem quæstionis artic. 1. de falsa sapientia, quam huius sæculi sapientiam vocat, eiusque notis ab Apostolo designatis, conformiter differit. Sed hic an verus ac germanus sit huius loci sensus, meritò dubitatur. Agit enim Apostolus, vt iam dixi, de sapientia magistrorum; quæ ad intellectum pertinet & voluntatem non necessariò afficit; ita tamen vt *sapientiam* nominans, etiam *scientiam* comprehendat. Hanc sapientiam facit duplicem: quæ à Deo est, & quæ non est à Deo; id est, veram & falsam; quæ secundum Deum est, & quæ secundum sæculum. Non quidem significare volēs aliquam esse rerum diuinarum noticiam quæ Deum non habeat authorem; sed eā, quæ possidet aut sibi vendicant homines ambitiosi ac moribus corrupti, vtentes ea ad contentionem, & ostentationem, aliove malos fines; indicans non esse dignam sapientie nomine: dū seruire cogitur viciosis ac peruersis hominū cupiditatibus. Quomodo virtutes philosophorum falsæ dicuntur, & vicia à patribus interdū appellatur; quatenus ab illis ad fines indebitos referbantur: quod & de malorum Christianorum virtutibus dici potest. Nō igitur Apostolus negat malos habere posse veram & à Deo datam sapientiam & scientiam, abstractiue consideratam; quam certè in malis & charitate destitutis hominibus agnoscit Paulus 1. Corinth. 13. Imò & beatus Iacobus in fine capituli sequentis, dicens: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi: sed sapientiam, vt in malis est, & vicij seruit, id est, concretiue consideratam, sapientiam esse, ac desursum descendere negat. Vt si dicam scientiam inflantem, aut voluntatem peccantem, non esse à Deo, sed à diabolo, vel à vitio hominis.*

Hunc sensum, etsi verbis obscurioribus, tradit Caietanus: Nec dissentit Hassellanus, & in sua paraphrasi Titelmannus. Illud tamen addendum, sapientiam ac scientiam, quæ in hominibus est ambitiosa, aut auaris, aut alia quavis cupiditate corruptis, plerumque multis esse permixtam & infectam erroribus ac pravis opinionibus, ad carnalem sensum accommodatis; Etiam si fundamentum, quod est Christus, retineri videatur. Vnde tales magistri dicuntur *super fundamentum adificare ligna, fenum, stipulam.* 1. Cor. 3.

SED TERRENA, ANIMALIS, DIABOLICA. *Animalis*, Græcè ψυχική, ab anima, non ab animali. Quomodo Paulus animalem vocat hominem, dicens: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* 1 Corinth. 2. Et quomodo Iudas (quod cum hoc loco magis conuenit) in sua epistola quoddam insectatur hoc nomine quo essent animales. Solet enim scribere in homine animam à spiritu distinguere; ut animæ tribuantur quæ sensitiuæ sunt partis, spiritui verò quæ spectant ad partem intellectuam. Vnde animales dicuntur, qui carnis ac sensuum voluptates sequuntur. *Diabolica*, Græcè δαιμονιώδης, id est, *demoniaca*, vel potius *demoniosa, demone plena*. Dicit ergo sapientiam malorum magistrorum esse *terrenam*; quia seruit auariciæ quæ circa res terrenas versatur: dicit esse *animalem*; quia seruit voluptatibus carnis: dicit esse *diabolicam*; quia seruit ambitioni & superbiz, quod propriè diabolicum est vicium. Itaque hinc obseruare est tripartitam diuisionem mundanæ sapientiæ: sicut apud Ioannem 1 epist. 2. *Omne quod in mundo est, trifariam diuiditur, in concupiscentiam carnis; & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.* Nam concupiscentiam oculorum spectat sapientia terrena; concupiscentiam carnis, sapientia animalis; & superbiam vitæ, sapientia diabolica.

VBI ENIM ZELVS ET CONTENTIO; IBI INCONSTANTIA, ET OMNE OPVS PRAVVM. Cum supra tantum de inuidia & contentione, quæ superbiorum vicia sunt, malos magistros inculauerit; nunc rationem addit, cur eorum sapientiam omni genere viciorum oneret, vocando eam non solum diabolicam, sed etiam terrenam & animalem. Quoniam, inquit, vbi *zelus*, id est, inuidia est, & *contentio*; faciliè etiam cætera vicia subnascuntur. *Inconstantia*, Græcè ἀνστάσια, quod etiam verti potest, *seditio, tumultus*. Nam grauius aliquod vicium hoc vocabulo significare voluit. Erasmus *perturbationem*, reddit, hoc est, turbatum rerum ordinem; qui inuidiam & contentionem consequitur, dum per ambitionem quisque maiora præoccupat. Legitur apud Paulum numero plurali, pro seditionibus non semel. Vide quæ diximus ad illud 2 Corinth. 6. *In seditionibus.* Omnino namque apparèt hic significari tu-

multuationem seditioni similem; qualis esse solet hominum vehementer ac superbè inter se contententium.

17 QVÆ AVTEM DESVRVSVM EST SAPIENTIA, PRIMVM QVIDEM PVDICA EST. Nunc è diuerso veram ac cælestem sapientiam, quæ videlicet bonorum est magistrorum, suis proprietatibus explicat, iisque septem numero. Nam *sapientia*, id est, rerum diuinarum cognitio, si non solum intellectum format, sed etiam voluntatem afficit, omnes virtutes comites secū adducit. *Primū*, inquit, *pudica est, seu casta*; Græcè ἀγνή, id est, pura ab illecebris carnis ac sensuum. Qua proprietate opponitur sapientiæ animali.

DEINDE PACIFICA, MODESTA, SVADIBILIS. *Pacifica*, id est, abhorrens à contentionibus. *Modesta*, Græcè ἐπιεικής, quod verti etiam potest, *aqua, humana, moderata*. *Suadibilis*, Græcè εύπειθής, id est, persuasui facilis, ac cedens rationi. *Tractabilem* alij vertunt. Per has tres proprietates opponitur hæc sapientia sapientiæ diabolicæ.

BONIS CONSENTIENS. Hæc pars nec in Græco est nec in Syriaco: Quidam etiam vetusti codices Latini non habent. Verisimile est, huc ascriptam esse ex alia translatione, in qua pro vocabulo *suadibilis*, legebatur, *bonis consentiens*. Nam Græca vox ἐπιεικής etiam hanc interpretationem non respuit; ut *bonis consentire*, sit acquiescere bonorum monitis & consilijs.

PLENA MISERICORDIA ET FRVCTIBVS BONIS. Hac proprietate sapientia cælestis à falsa sapientia, quatenus ea terrena est, discernitur. *Misericordia* virtus est, qua inclinamur ad succurrendum egenis & miseris. *Fructus* autem *bonos* dicit opera exteriora, quæ à misericordia procedunt, velut boni fructus à bona radice. Cuiusmodi sunt, pascere famelicos, vestire nudos, visitare pupillos & viduas in ipsorum tribulatione. Quæ omnia commendata habemus in superioribus huius epistolæ.

NON IVDICANS, SINE SIMVLATIONE. In Græco nomina composita sunt ἀδίκων τῶν καὶ ἀνυποκρίτων: Quod ita verti potest; *Nihil dijudicans, & nihil simulans*. Vel, *sine dijudicatione, & sine simulatione*. Et quidem hoc posterius, nempe sapientiam, quæ è supernis est, expertem esse simulationis, difficultatem non habet. Atque hæc notā rursus vera sapientia pugnat cum sapientia diabolica: nam hypocritis cenodoxiz filia est. Cæterum prior dictio variè exponitur. Oecumenius hunc dat sensum: *Non discernens obseruationes ciborum & variarum lotionum*. De quibus scilicet Paulus agit in epistola ad Coloss. 2. Caietanus putat significari constantiam in iudicando, oppositam illi inconstantiz, quæ ponebatur inter effectus falsæ sapientiæ, ad quam pertinet, inquit, contraria iudicia efficere. Posset etiam sic intelligi; Non discernens inter personas, id est, non

habens

CAPVT IV.

habens respectum personarum: In quo vicio reprehendendo versatus est cap. 2. Quem sensum probabilem facit quod illic dicitur; *Nonne indicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Nam ibi pro verbo *indicatis*, in Græco est διέκρινε, id est, *dijudicatis, discretionem fecistis*, scilicet inter personas; honorando dititem & contemnendo pauperem: sicut ibi expositum est. At verò plerique sic accipiunt hanc partem, ut compositum ster loco simplicis: *non dijudicans*, id est, *non iudicans*, quemadmodum vertit noster interpres; ac proinde significetur sapientiam cælestem alienam esse à sinistris & temerarijs iudicijs proximorum; iuxta præceptum Saluatoris: *Nolite iudicare, nolite condemnare.* Luc. 6. Quamuis autem hic sensus multis arideat, idemque ex Latina lectione maxime sit obuius: sciendum tamen, Græcam dictionem multo magis inuitare ad sensum quæ tertio loco attuli; hunc autem postremum agrè posse ex ea accipi.

18 FRVCTVS AVTEM IUSTICIÆ IN PACE SEMINATVR FACIENTIBVS PACEM. Concludit hac sententia admonitionem eorum qui sapientiam profitebantur: in quibus id specialiter reprehenderat quod *zelum haberent amarum, & contentiones inter se*, id est, ijs vicijs laborarent, quæ paci sunt quàm maxime contraria. Igitur hoc epiphonemate pacem commendat; simulque viam facit ad increpationem continuè sequentem; illam, *Vnde bella &c.* Potest autem *fructus iusticiæ* duobus modis intelligi: Vel fructus qui ex iusticia colligitur, id est, vita æterna; Vel fructus qui est ipsa iusticia: ut sensus sit, ex pace, tanquam semine, provenire vitam æternam, quæ est fructus ac merces iusticiæ; vel, ipsam iusticiam, tanquam fructum, colentibus pacem. Quod posterius videtur esse magis ex mente Apostoli; sed ut iusticiam accipiamus secundum incrementa sua, & perfectionem. Hac enim transitiva locutione *fructus iusticiæ* etiam alibi sumitur: ut Philippens. 1. *Repleti fructu iusticiæ per Iesum Christum.* Et Hebr. 11. *Fructum pacatissimum reddet iusticia.* Cuius loci nostrum vide commentarium. Ratio huius doctrinæ est, quia pax charitatem fouet; quam contentiones & dissidia minuunt aut extinguunt.

SVMMARIVM.

Concupiscentiam ostendit causam esse dissensionum & litium. Monet ut repudata mundi amicitia humiliter se Deo subijciant; detractionem vitent; & ut facturi aliquid, de via sua instabilitate cogitent.

VNDE BELLA ET LITES IN VOBIS? Id est, inter vos. A specie transiit ad genus; hoc est, ab emulatione & contentione magistrorum inter se, ad similia vicia passim inter fideles grassantia, bella scilicet & lites. Quamquam Oecumenius etiam quæ hinc dicuntur, specialiter ad magistros refert. Hæc autem vicia B. Iacobus ita castigat acri obiurgatione, ut statim eorum fontem & originem commonstret. *Bella* vocat conflictus & concertationes de ijs rebus, quas malè concupiscebant; ut de pecunijs, honoribus, aut etiam de his quæ ad solam voluptatem facerent. Idem ferè per *lites* significatur. Nam Græcè est μάχα, pugna. Poterat alioqui *lites* intelligi forenses; de quibus Paulus 1 Cor. 6. *Iam omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.* De quibus & in hac epistola Iacobus cap. 2. *Nonne diuices per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?*

NONNE HINC? EX CONCVPISCENTIIS VESTRIS, QVÆ MILITANT IN MEMBRIS VESTRIS? *Concupiscentijs*, Græcè ἡδονών, *voluptatibus*. Sed interpretes ad sensum Apostoli respexit, qui *voluptates* dixit concupiscentias, id est, carnalia desideria; per tropum, quo obiectum ponitur pro actu qui in ipsum fertur. Interrogatio hæc Apostoli, responsiua est; ac si dicat: *Certè hæc causa est contentionum vestrarum ac dissidiorum, quam nunc indico; nimirum concupiscentiæ vestræ; quæ militant in membris vestris*, id est, tanquam milites membris vestris, ut armis, vtuntur ad opera peccati; cuius imperio & regno militant. velut oculis ad malè appetendum, manibus ad fraudandum, lingua ad maledicendum. Metaphora est à re militari sumpta, quia etiam Petrus & Paulus vsi sunt: Ille 1 epist. 2. dicens, *Abstinete vos à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam.* Hic verò Rom. 6. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo.*

2 CONCVPISCITIS ET NON HABETIS. Causam contentionum & pugnarum quam dixit, explicat. Qui enim concupiscunt quod non habent, ut opes, honores, voluptates; insurgunt & incenduntur aduersus alios qui habent, aut à quibus impediuntur.

OCCIDITIS ET ZELATIS, ET NON POTESTIS ADIPISCI. *Zelatis*, ζήτετε, id est, *emulamini*: sed emulationem intelligit amaram, ut supra. Porò noster interpretis dum vertit, *Occiditis*, haud dubiè legit in Græco φονεύετε, vel φονέτε utrumque enim dicitur. Sic etiam legit & exponit Oecumenius Græcus: *Nec diuertum reddit translatio*

Syriaca. Rursus, eandem lectionem *φονεύετε* exhibent biblia Complutensia, & alia ex illis expressa. Porro alij quidam codices habent *φθονεύετε*, id est, *inuidetis*. Atque ita vertit Erasmus, & alij ex recentioribus. Quam & Caietanum veram esse lectionem censet. Ac facile potuit, cum sint vicina vocabula, ab oscitante librario alterum pro altero scribi. Quamquam nonnullis suspicio est, Erasmus fuisse primum authorem mutandae lectionis. Nam in annotationibus hac de re agens, nullum pro se codicem allegat, sed tantum dicit: *Forzè scriptum fuit φθονεύετε*. Nō improbabile quidem est, imò satis verisimile, B. Iacobum ita scripsisse: sed non debuit ex sola coniectura, sine codicum ope, lectio consueta mutari. Dico satis verisimile: quia non hīc agit Apostolus aduersus homicidas ac miserorum oppressores; quales illi diuites, quibus sequenti capite dicit, *Addixistis & occidistis inustum*: sed contentiones & æmulationes quæ inter fideles Iudæos erant, reprehendit. Unde & Oecumenius hanc partem exponens, confugit ad occasionem spiritualem, qua quis sectando cupiditates, suam occidit animam. Quæ tamen expositio parum conuenit. Est enim communis omni mortaliter peccanti. Quod si B. Iacobus scribere voluisset *occidistis*; ordinem commutasset, dicendo, *zelatis & occidistis*, vt à minus graui faceret gradum ad id quod grauius est. Deinde, quid est, *Occidistis, & non potestis adipisci*: cum occidere non sit via ad adipiscendum quippiam; nisi apud homines valde sceleratos? *Inuidetis* autem hīc maxime quadrat: Inuidet enim plerumque qui adipisci volunt quod vident alios habere. Docet autem Apostolus hoc loco, cur ea quæ petunt, non accipiant; quia nimirum affectibus inuidiæ & æmulationis aguntur. Inter *inuidiam & æmulationem* hoc discriminis esse vult Caietanus, quod inuidia referatur ad tristitiam interiorem; æmulatione ad conatum conformem inuidiæ. Verum magis placet ira distingui, quod *inuidus* proprie doleat de bono alieno, volens illud non esse: *emulus* autem proprie suum velit boni, æquandum alieno. Certè nisi differrent hæc duo, etiam dum in malo accipiuntur; non vtrumque poneret Apostolus Paulus in enumeratione operum carnis. Gal. 5. Porro si quis contendat germanam esse lectionem, *occidistis*; non repugnabo: sed dixero, sensum hūc esse; *occidistis*; id est, odio habetis alius alium: *Omnis enim qui odit fratrem suum homicida est*. 1 Ioan. 3. Notandum verò, etiam apud Paulum loco iam citato, tam in Græcis codicibus quam Latinis, legi hæc duo, *inuidias & homicidia*: sed & eam lectionem Hieronymus in commentario viciōsam esse confirmat, negans homicidia ad textum pertinere, quemadmodum illic annotauimus.

LITIGATIS ET BELLIGERATIS. Repetit ordine conuerso quæ initio dixerat *bella & litigata*. Sunt enim hæc verba, quorum illic nomi-

na. Græcè; *pugnatis & bellatis*; scilicet verbosis & clamorosis contentioneibus.

ET NON HABETIS; PROPTER QVOD NON POSTVLATIS. Oecumenius negationem posteriore loco omittit. Sic autem habet, interprete Hentenio: *Et non accipitis id propter quod postulat*. Verum apparet eam lectionem esse mendosam: esset enim tautologia; Nam hoc ipsum sequitur, *Petit & non accipitis*. Est igitur sensus: Ad ea bona quæ desideratis, non ea via conamini qua oportuit. Si quid vobis deest quod merito desideretur; id non pugnis aut contentationibus querendum, sed à Deo postulandum, qui dat omnibus affluenter. sicut dictum est cap. 1.

PETITIS ET NON ACCIPITIS; EO QVOD MALE PETATIS. Præoccupat quod dicturi erant, Imò verò petimus à Deo precibus quotidianis. Atqui, inquit, male petitis: ideo non accipitis. Ergo quod Dominus in euangelio promittit, *Omnis qui petit accipit*; Matth. 7. ita accipiendum vt non satis sit bona petere, nisi & bene petantur, alioqui nec petere censendus est, qui non petit quo modo Saluator in sua promissione verbum petendi intellexit. Iam autem ad bene petendum in primis necessaria est bona intentio; quæ istis defuit. Sequitur enim,

VT IN CONCVPISCENTIIS VESTRIS INSVMATIS. *Concupiscentijs*, Græcè *voluptatibus*; vt supra. Sensus: Ea quæ petitis, siue pecunias, siue honores, siue scientiam, eo fine petitis vt habeatis vnde voluptates vestras expleatis. Nomine *voluptatum* comprehendere videtur omnem illicitam delectationē: qualis etiam ea est, quam ex pecunijs auari, ex honoribus ambitioni, ex scientijs querunt curiosi: licet proprie verba B. Iacobi pertineant ad voluptates sensuum, quibus saturandis solent homines sæculo dediti facultates suas impendere, quod Græcè est *δανεισθῆναι, in sumere, sumptum facere*. In summa, vult Apostolus frandandas esse cupiditates, vt moderate sint & ordinatæ; Deinde, quæ moderate cupimus, à Deo postulanda esse: ita futurum, vt remotis contentioneibus atque æmulationibus pacem colant & fructum iusticiæ proferrant.

Hīc monendus es lector, quosdam interpretes, Oecumenij commentarium secutos, totum hunc locum restrictè exponere de magistris, seu magistralis scientiæ cupidis; contra quos in fine capitis præcedentis agebatur. Exponunt autem hoc modo: Vnde pugnas verborum & contentiosæ disputationes inter vos, dum quisque videri vult alio doctior & sapientior; nisi ex concupiscentijs vestris? Non enim Christo Domino seruitis, sed alius suo ventri studet, id est, voluptatibus carnis; alius opes & ex opibus splendorem querit; alius honores ambit; alium gloria titillat. Et hæc consueque speratis excitata apud discipulos opinione magnæ scientiæ. Hinc inter vos

odia,

odia, inuidiæ, æmulationes: Nec sic tamen obtinetis ea quæ concupiscitis. Si dicatis sapientiam vos experere: ne illam quidem consequimini; quia non eam petitis à Deo, sicut vos initio docui esse faciendum; aut si petitis, malè petitis, vt ea abutamini ad quæstum, ventrem, honores &c. Grauis hæc increpatio est aduersus doctores & concionatores, qui in sua professione ac munere aliud spectant quam gloriam Christi. Ad hunc sensum, quem non improbo, possunt etiam accommodari quæ sequuntur.

ADVLTERI NESCIIT VIA AMICITIA HVIVS MVNDI INIMICA EST DEI? Græci codices sic habent: *Adulteri & adulteræ, nescitis quod amicitia mundi inimicitia Dei est*; Eadem lectio est apud Oecumenium: Nec dissonat editio Syriaca, nisi quod additum non habet illud, *Et adulteræ*. Quod sanè adiecticum videri potest. Nusquam enim mulierem sexum alloquitur Apostolus tota hac epistola. Sed & proximè dicta, ad viros proprie dirigebantur. Non dissimilis huic sententia est apud Paulum Rom. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo*. Vbi similiter in Græco & Syriaco legitur *inimicitia*.

Præfens obiurgatio tangit & castigat eum affectum, quo laborare solent ij, in quibus est aliquid excellens; vt sunt sapientiæ magistri. Volunt enim esse magni in sæculo, ideoque querunt hominibus placere magis quam Christo seruire: quam vocat Apostolus *amicitiam mundi*; videlicet mundi nomine significans homines, vt plerique sunt, id est, quales ex Adam nati, non quales in Christo renati. Hæc amicitia est *inimicitia Dei*, vel, vt Paulus loquitur, *in Deum*, aduersus Deum; quia hominem constituit à Deo auersum, Deoque contrarium: vt pote tendens ad diuersum & contrarium finem: item quia est amicitia cum eo qui est hostis Dei, id est, cum mundo & diabolo mundi principe. *Adulteros* autem appellat metaphoricè; tum quia voluptatum fecerat mētione, quarum immodicus & exēstans appetitus adulteros facit; tum quia à Deo fornicatur, atque adulteratur, quisquis amorem, quem Deo debet, ad mundum transfert.

QVICVNQVE ERGO VOLVERIT AMICVS ESSE SÆCVLI HVIVS, INIMICVS DEI CONSTITVITVR. *Sæculi huius*; Græcè, *mundi*, vt in parte præcedenti. Inferat autem hanc conclusionem argumento expresso à coniugatis. *Amicitia mundi est inimicitia Dei, ergo omnis amicus mundi constituitur inimicus Dei*. Terribilis valde sententia aduersus eos qui suas actiones & studia componunt ad gratiam humanam. Hoc enim verè est esse amicum huius sæculi.

AN PVSTATIS QVIA INANITER SCRIPTVRA DICIT: AD INVIDIAM CONCVPISCIT SPIRITVS QVI HABITAT IN VOBIS? *Aut potatis*, habent antiqui codices. Pro verbo, *habitat*, in Græco est aoristus na-

ἔκαθησεν, id est, *habuit*, vt quidam verterunt; vel potius, *habitationem accepit & fixit*: vt significetur actus præteritus in presentem continuatus; quemadmodum verbo *ἐκάθισεν* Marc. ult. Heb. 1. 10 & 12. quod alij *sedit*, alij *sedet* transferunt; de quo diximus suis locis. Eam esse vim huius aoristi docent alia loca, maxime si Græca consulantur; vt Matth. 2. *Veni & habitauit in ciuitate que vocatur Nazareth*. & cap. 4. *Veni & habitauit in Capharnaum*, id est, ad eas ciuitates commigrauit, & in ijs habitationem constituit. Vnde rectè noster interpret, quemadmodum & Syrus verbo præsentis temporis Græcam vocem hoc loco reddiderunt. *In vobis*, Græcè & Syriacè *in nobis*. Sicque legisse Oecumenium commentarius eius indicat: tamen parum id refert ad sensum. Nam modestiæ est Apostolicæ coniungere se eorum personæ quos increpat; sicut vidimus capite præcedenti.

Cæterum de intellectu totius sententiæ nō parua difficultas est; multumque in ea tum distinguenda, tum explicanda, variant tractatores; quod non appareat de qua *Scriptura* loquatur Apostolus, nec de quo *spiritu*. Vnde & *inuidiam* alij aliter interpretati sunt, & ad diuersa rerulerunt. Illud in primis adimoneo, *Scripturam* intelligi debere veteris instrumenti. Nam ubicunque in libris Apostolicis Scriptura citatur; ad legem & prophetas respicitur, non ad ea quæ Apostoliam scripserant: *Habemus*, inquit Petrus, *firmiorem propheticum sermonem*, 2. ep. 1. Est autem distinctio maxime obuia, quam nostri codices exhibent, quamque Syrus interpretes secutus est, vt post verbum, *dicat*, stygime ponatur, & interrogationis nota totam sententiam claudat. Ita significatur, Scripturam nō inaniter nec frustra dicere hæc verba, saltem quo ad sensum; *Ad inuidiam concupiscit &c.* Quod tamen adhuc variè exponitur. Plerique, quorum & Beda meminit tertio loco (tres enim adfert expositiones), dictum accipiunt de *spiritu* humano, per se prono ad malè concupiscendum: Et scripturas citant Genes. 7. & 8. vbi dicitur quod *sensus & cogitatio cordis humani ab adolescentia sua sit intenta ac prona ad malum omni tempore*. Sed ibi nulla inuidiæ mentio. Alij *Spiritum* Dei intelligunt; quem dicunt concupiscere vsque ad inuidiam, id est, zelotypiam, dum more viri zelotypi non patitur cultores suos amorem transferre ad mundum, & ea quæ mundi sunt; & id si fiat, zelo vindictæ aduersus eos commouetur. Prosequitur hunc sensum pluribus verbis Caietanus; & Scripturam adfert Exod. 20. vbi Deus in legislatione zeloten se vocat. Sed alijs istud non probatur; ac merito. Nusquam enim in sacris literis inuidia accipitur in bono. Et vtique superius inuidiæ & pugnas grauius culpatas audiuius. Hinc alij, quos Beda memorat secundo loco, *ad inuidiam* exponunt, aduersus inuidiam; vt sensus sit, Inuidiæ morbum debellari atque à

LII 4

vestris

vestris mentibus exstirpari desiderat Spiritus Dei per baptismum habitans in vobis. Id enim scriptura dicit ijs locis quibus inuidiam damnat. Nec refugit hanc significationem Græca præpositio *πρός*. Porro Oecumenius aliter distinguit. Nam partem illam; *Ad inuidiam*, annectit interrogationi præcedenti: reliquum affirmatè legens, & *in uerbo* quarto casu accipiens, *concupiscit spiritum*: tamen si id interpret eius non animaduertit. Facit enim hunc sensum Oecumenius: An putatis scripturam inaniter, & ad inuidiam (id est; tanquam nobis inuideat) dicere, præcipere; id est, difficilia humilitatis præcepta nobis præscribere? Nequaquam: sed id facit exaltationis nostræ causa. Concupiscit enim siue expetit spiritum, id est gratiam in nobis per suam exhortationem inhabitare, per quam exaltemur: ut sequentia Iacobi verba declarant. Alius vir doctus eandem distinctionem secutus, notam interrogationis in fine collocat; & hoc modo exponit: An existimatis frustra scripturam dixisse, eo quod vobis inuideat; Spiritum carnis vestræ præuè concupiscere, nec bona esse ea quæ desiderat? Non ita sanè quod vobis inuideat; Quinimo maiorem (ut sequitur) gratiæ cælestis pollicetur opulentiam, quàm quæ cunctis carnis desiderijs queat comparari. Sic ille. Sed mihi coactæ videntur hæc expositiones. Est autem & alia huius sententiæ distinctio, siue potius pronuntiatio, quæ vtrumque membrum facit interrogatiuum. Exponitur autem dupliciter. Vno modo, ut posterius membrum continet in se scripturam allegatam; ut pote sensum hunc habens negatiuum: Non concupiscit (id est, concupiscere facit) Spiritus sanctus, quem in baptismo accepistis, ad inuidiam, sed magis ad beneficentiam. Id enim docet Scriptura, Sap. 1. *Benignus est Spiritus sapientia*. Quæ Litani expositio est. Altero modo, ut allegatiæ scripturæ referatur ad præcedentiæ; ac sensus sit huiusmodi: Num putatis scripturam inaniter dicere ac docere hoc quod modo dixi; mundi scilicet amicitiam Deo aduersari, nosque Dei inimicos constituere? (id enim docent omnes scripturæ quæ à malorum conuersatione & amicitia fideles reuocant) Nunquid spiritus gratiæ quo signati estis in die redemptionis, hoc concupiscit, ut inuideatis alterutrum; ac non potius ad charitatem & pacem inuitat atque impellit? Ipse enim est qui, ut sequitur, *maiores dat gratiam*. Hic sensus, quem Beda probat & alij post eum, instituto apostoli non malè quadat: ut qui contra simulates & dissidia quæ inter fideles erant, concionatur hoc loco. Verùm non est ea negligenda pronuntiatio, quæ posteriorem sententiæ partem; *Ad inuidiam* &c. legit absque interrogatione. & est obseruandum, huic parti in Græco non præmitti voculam *ὅτι* quia, quod; quæ tamen ferè præmitti solet ubi de scriptura testimonium aliquod assumitur, ut Marc. 11. *Nōne scriptum*

est, quia domus mea domus orationis vocabitur? Rom. 3. *Sicut scriptum est, quia non est in istis quisquam* &c. Vnde nihil necesse est hanc partem; *Ad inuidiam* &c. accipi ut Scripturam, quam velit Iacobus citare. Nam fieri potest ut aliò respiciat: velut ad id quod præcedit; iuxta Bedæ expositionem quam dixi; vel ad id quod paulò post sequitur, *Deus superbis resistit* &c. quod suspicatur Emanuel Sa; vel ad aliam quamlibet Scripturam. Pro cuius inuestigatione mihi videtur illud benè considerandum, quod hæc pars, *Ad inuidiam concupiscit Spiritus qui habitat in vobis*; admodum conueniat cum verbis illis superioribus: *Concupiscitis & non habetis. Occiditis, siue inuidetis, & zelatis, & non potestis adipisci*. Item: *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis ut in concupiscentijs vestris insumatis*. Continet enim similem cum illis exprobrationem; similemque rationem cur petentes non accipiant; quia scilicet eorum spiritus ad inuidiam concupiscit ac petit. Itaque sententiæ ita suppleo & expono: An putatis inaniter scripturam dicere, *Petite & dabitur vobis*? Non. Sed ad inuidiam concupiscit spiritus vester; ideo non datur quod petitis. Cùm enim Scriptura passim dicat & moneat ut à Deo petamus quicquid boni desideramus; neque id sine promissione impetandi, ut psalm. 24. *Vniuersi qui sustinent te, non confundentur*. & 33. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestra non confundentur*. & 36. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*. Et Ecclesiastici 2. *Nullus sperauit in Domino, & confusus est*. Et iterum: *Quis inuocauit eum, & despectus illum?* Denique cùm Dominus noster planissimè promittat, *Petite, & accipietis. Omnis enim qui petit, accipit*. Matth. 7 & alibi: in vobis tamen contrarium apparet. Petitis enim & non accipitis. Sed non ideo putatis Scripturam inaniter & falsò hæc dicere, aut vanam esse Christi promissionem: Defectus enim ex vestra parte est, ut antè dixi; quia malè petitis. Nam spiritus qui in vobis sedem habet, spiritus vtrique viciosus ac malus, ad inuidiam & æmulationem concupiscit, id est, ad ea concupiscenda vos incitat, pro quibus consequendis inuicem inuidetis & æmulamini; siue sint opes, siue honores, siue sapientia atque scientia. Sic autem efficiuntur Dei inimici, ea videlicet quæ mundi sunt, amando & concupiscendo, mundi quæ amicitiam ambiendo. Cùm igitur & pessimè petatis, & Dei sitis inimici: cur miramini vos non exaudiri? Non enim simpliciter omnes aliquid à se petentes exauditurum se promisit; sed Deum timentes, & in veritate ipsum inuocantes, & ea quæ Dei, non quæ mundi sunt, quærentes. *Voluntatem*, inquit, *timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate*. psalm. 144. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. psalm. 36. Hæc expositio perspicua est;

& quàm

& quàm maximè videtur inhzere cõtextui Apostolico. Cui & sequentia probè respondent: ut mox docebimus. Eodem redibit sententia, si scripturam dicamus intelligi eam quæ fuit insinuata in superiori illa occupatione, *Petitis & non accipitis*. Nam sensus erat; Miramini vos non accipere, cùm Scriptura sacra toties promittat petentibus exauditionem. Vnde quod ibi sequitur, *eo quod malè petatis*; sicut illic explicatur, addendo, *ut in concupiscentijs vestris insumatis*, ita nunc amplius declaratur, hac parte, *Ad inuidiam concupiscit spiritus* &c. Quod iam de spiritu vicioso interpretati sumus; siue per hunc spiritum intelligatur animus hominum deprauatus, siue spiritus mundi, de quo Paulus 1. Cor. 2. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus*, siue malum habitans in nobis, de quo Rom. 7. id est, concupiscencia, ab ipso ortu penitus insidens Adæ filijs, & in eis excitans desideria quæ militant in membris ipsorum, ut supra dictum est. Qui commentarius est Hassellani, idemque nobis præ cæteris probatur.

6 MAIOREM AVTEM DAT GRATIAM. *Gratia* nomen in scripturis comprehendit omne datum gratuitum & salutare: nec aliter hoc loco accipiendum. Qui partem proximè præcedentem de spiritu Dei interpretantur, hic non laborant. Nam eundem spiritum in hac parte commodissimè subaudiunt. Qui verò de spiritu vicioso partem illam exponunt; eos necesse est hic aliud querere suppositum verbi, *dat*. Cùm autem scriptura sit verbum Dei; & quod scriptura promittit, ipse Deus promittat: rectè hic subintelligitur *Deus*, ut pote tacitè nominatus ibi, *dicat scriptura*, videlicet diuina. Certè, inquit, Deus qui promisit; si benè rogetur, atque ex humili corde petitio vestra procedat, etiam *maiores dabit gratiam*, id est, beneficia tribuet maiora petitis: ut pro terrena sapientia, cælestem; pro splendore sæculi, gloriam sui regni. Aut *maiores* intelligit eâ quam dedit: quasi dicat, gratiam ante datam augebit, aliquid ad eam adijciet, maiorem eam & cumulationem reddet. Cui sensui benè congruit quod sequitur.

PROPTER QVOD DICIT: DEVS SVPERBIS RESISTIT, HVMLIBVS AVTEM DAT GRATIAM. *Propter quod*, nempe significandum, *dicat* Deus vel scriptura. Totam hanc partem Græci quidam codices præmittunt. Oecumenius quoque non interpretatur; nec in sua versione exhibet Erasmus; qui & suspicatur à studioso quopiam annotatam in margine ex epistola Petri priore cap. 5. vbi eadem habetur sententia; postea in contextum irrepsisse. Verùm illic non est additum, *Propter quod dicit*. Latini omnes & legunt & interpretantur: Habent & Græci codices multi ac vetusti; & ex his editiones Aldina & Complutensis. Nam de Aldina Erasmus ipse fatetur: ideoque in sua paraphrasi sententiæ

hanc restituit. Denique dat eam Syrus interpret. Vnde non dubitamus quin à B. Iacobo scripta fuerit. Occasionem eius prætermittendæ fuisse puto, quod similiter desinat cum parte præcedente: quæ res scribam oscitantem fefellit, ut omittis verbis medijs ad sequentia transiret. Tale quid enim & aliàs fuit à nobis obseruatum. Desumpta est autem sententia ex Prouerbijs Salomonis cap. 3. iuxta antiquam translationem; ut ait Beda; id est, eam quam primi quod Hebræo fecerunt interpretes LXX. nisi quod hic dicitur, *Deus*, in Prouerbijs, *dominus*, scribitur. Atqui ex Hebræo sic transtulit eam Hieronymus. *Ipsa deludet illufores, & mansuetis dabit gratiam*. Quod tamen sensu non est diuersum. Nam *illufores* siue *derisores* iidem sunt qui *superbi*. Inde enim quis alium irridet; vnde se illo meliorem reputat. *Mansueti* quoque & *humiles* iidem ferè in scripturis intelliguntur. *Resistit* autem *Deus superbis*, dum eos humiliat, & humiliando contemptibiles reddit: quod proprium est deridentis. Conuenit tamen *resistendi* vocabulum; quia superbi sunt velut inuasores gloriæ diuinæ, dum sibi rapiunt quod Dei est. Inuasoribus autem & raptoribus vis opponitur; quod est resistere. At verò *mansuetis & humilibus*, qui Deo iam grati sunt, & ab eius gratia præuenti; *gratiam dat*, scilicet maiorem, ut dictum est; dum auget gratiam prius datam, ac noua subinde gratiæ munera prioribus adijcit. Humilitas enim non tantum gratia est; sed etiam vas gratiarum. Dat enim Deus humilitatem, cui tanquam vasi alias virtutes infundat, ut in eo cõferuentur. Vnde humiles typicè per valles significantur, quæ aquas cælestes suscipiunt ac retinent, ideoque frugiferæ sunt. Lucæ 3. *Omnis vallis implebitur*. psalm. 64. *Valles abundabunt frumento*. Pulchrè S. August. serm. 27. de verbis Domini, loquens de Maria sorore Lazari: *Sedebat ad pedes capitis nostri. Quanto humiliter sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis; defluit de tumoribus collis*. Ex qua declaratione huius scripturæ, liquet eam haudquaquam patrocinari Pelagianis, qui gratiam dari dicebant secundum merita nostra. Nam merita intelligebant quæ ex nobis sunt, quæque gratiam Dei præueniunt. At è diuerso confirmat eadem Scriptura Catholicam doctrinam, quæ tradit hominem iustificatum, bonis operibus ac in primis humilitate mereri gratiæ augmentum. Hæc enim merita nobis ex Deo esse profiteamur, à quo, *omne datum optimum, & omne donum perfectum*, sicut dictum est capit. 1. Docet autem hæc Scripturæ sententia, quemadmodum aliæ multæ similes, quid Deus agat ut iudex ac metitorum discretor. *Resistit enim superbis ac deprimit eos*; quia hoc eorum superbia meretur: *Humilibus autem dat gratiam*, eoque exultat; quoniam id meretur eorum

humilitas.

humilitas. Verum quia malis non semper rependit Deus quod merentur: non huic repugnat sententia quod aliquando superbos deprimit & humiliat salubriter; conuertens eos ad se, & gratiam humilitatis inspirans, per quam cetera Dei dona recipiant. Sed id misericordiae est, non iustitiae. Porro significat Apostolus, ex superbia fuisse natas contentiones & emulationes, ac cetera vicia, contra quae superius egit; eamque ob causam in postulatis suis non fuisse exauditos: Idcirco superbos eos hic vocat. Hortatur autem ad humilitatem amplectendam, si velint exaudiri & exaltari a Deo. Quod quidem in sequentibus agit expressius.

7 SYBDITI ERGO ESTOTE DEO. Id est, per veram humilitatem vos illi subternite, confitentes peccata vestra, & agnoscentes quam sine illo nihil possitis. Ita fiet ut gratiam ampliorem consequamini.

RESISTITE AVTEM DIABOLO; ET FUGIET A VOBIS. *Autem* de suo adijciunt interpretes. Innuit Apostolus a diabolo, qui est rex super omnes filios superbiae, Iob 41. suscitatas fuisse lites & contentiones, de quibus supra. Hinc verò patet non ita tentari vnumquemque a propria concupiscentia, quod dixit capit. 1. ut non etiam diabolus in tentandis hominibus suum negocium agat. Ipse enim suis suggestionibus concupiscentiae fomitem excitat atque incendit. Resistitur autem diabolo, dum eius tentationibus opponuntur arma, quibus nos instruit Paulus Ephes. 6. dicens: *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Et infra: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* De quo & Petrus epist. 5. *Cui resistite, fortes in fide.* Potest igitur & B. Iacobi praecipuum sic accipi: *Resistite diabolo, per fidem.* Sed nihil verat etiam ceteras armaturae Dei partes intelligi, praesertim humilitatem, & ex ea profectam orationem ad Deum. Nam de humilitate nunc sermo versatur. Nec vlla alia re magis fugatur diabolus, quam humilitate; quippe quam maximè oderit ipse superbissimus. Sed, quomodo fugiet a nobis, si ei resistamus; qui nuaquam nos oppugnare desinit; imò aduersus resistentes vehementius insurgit? Respondeo. Fugere dicitur dum repellitur ac vincitur; etiam si victus subinde redeat & pugnam instauret. Est enim in verbo *fugiendi* metaphora, sic explicanda. Fugit diabolus, quatenus debilitatur; Nam debilius est fugere: Debilitatur autem quatenus homini, quem impugnat, vires crescunt ipsa victoria, qua meretur atque consequitur augmentum virtutis. Quamquam nec permittit illum Deus nos tentare quantum & quoties vult; sed interdum tentatis, post grauiorem impu-

gnationem, ferias ab immani hoste concedit: quemadmodum docet exemplum sancti Antonij apud Athanasium.

8 APPROPINQUATE DEO, ET APPROPINQUABIT VOBIS. Deo qui vbique est & omnia implet, *appropinquamus*, non gressibus corporis, sed motibus animi. Sensus igitur est: Appropinquate Deo per humilitatem; & appropinquabit vobis per gratiam: secundum quod antè dixit: *Humilius da gratiam.* Et infra dicit: *Humiliamini in conspectu Dei, & exaltabit vos.* Veruntamen nemo appropinquat Deo, nisi tractus ab eo. Vocat quidem Christus & inuitat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis.* Matth. 11. Sed idem ipse testatur & dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ioan. 6. Praclare sanctus Hieronymus in commentario epistolae ad Eph. 2. *quod absque cruore Domini Iesu nemo appropinquat Deo.* Quare nec ista Iacobi sententia fauet supra dicto Pelagiano dogmati.

EMUNDATE MANUS PECCATORES; ET PURIFICATE CORDA DVPLICES ANIMO. Generalem nunc subijcit rationem appropinquandi Deo; scilicet per mundiciam operum & cogitationum. *Manuum* nomine comprehendit omnia membra, quibus exterius aliquid operamur; inter quae principatù obtinent manus. Ceterùm à corde cogitationes procedunt. Praecipit ergo ut tam opera quam cogitationes habeat mundas ac repurgatas à prauis cupiditatibus; ijs potissimum, de quibus eos in superioribus reprehendit; & quae contentioinum inter eos erant feminaria. Nondum enim ab eo argumento discedit. *Peccatores* vocat, propter opera foris conspicua, quae supra nominauit bella & lites. *Duplices autem animo* vocat, propter ancipites cordium affectiones & cogitationes, quibus fluctuabant inter amicitiam Dei & mundi. Volebant enim esse Dei amici, quò fides urgebat: sed cupiditatibus impliciti mundo valledicere nequibant. Vnde & in suis actionibus erant instabiles ac varij; sicut dixit cap. 1. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis.* Est enim idem vocabulum Graecum διψυχος.

Porrò si iubentur homines emundare manus, & purificare corda; nec iubetur quid impossibile: consequens est eos posse hanc praestare. Quod dum faciunt, vtiue cooperantur suae iustificationi, qua corda purificantur à Deo: ac quodam etiam sensu se ipsos iustificanc: quomodo dictum est à Dauide: *Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas.* psal. 72. Quamquam & illa cooperatio effectus est gratiae diuinae. *Quid enim habes quod non accepisti?* 1 Cor. 4.

9 MISERI ESTOTE, ET LVGETE, ET PLORATE. Peccatores quos dixit hortatur ad opera poenitentiae. *Miseri estote*, Graecè *καταλιπώσατε*. Erasmus, *affligimini*; id est, *af- fligite vos ipsos*, opera poenalia subite; quod

Hebraea

Hebraea phrasi dicitur, *affligite animas vestras.* Id fiebat ieiunijs, supplicationibus; item luctu, ploratu, cilicij gestatione, & alijs id genus operibus, quibus Deum iratum sibi placare studebant. Est enim adhortatio persimilis ei quae est apud Ioei prophetam cap. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, &c.* Eodem pertinet quod sequitur.

RISVS VESTER IN LVCTVM CONVERTATUR, ET GAVDIVM IN MOEROREM. Hoc est, Pro risu & gaudio luctum & moerorem assumite. *Risum & gaudium* intelligit, in quae sese effuderant, ijs ex parte positi bonis, quae malè concupierant.

10 HUMILIAMINI IN CONSPECTV DOMINI; ET EXALTABIT VOS. Peccatoribus, praesertim superbis, Deo reconciliandis maxime necessaria est humilitas. Ideo rursus hac velut superiorum clausula, ad humilitatem eos reuocat; idque addita promissione exaltationis. Quasi dicat; Ut concludam, haec vna ratio est amicitiae & gratiae Dei recuperandae, & altitudinis, quam queritis, adipiscendae; si vos humilietis in conspectu Dei. Sententia eadem est cum illa, quam ex ore Saluatoris toties audierat: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Nec diuersum significat ab illa superiore. *Humilibus dae gratiam.* Exaltat enim humiles Deus, adijciendo eis ampliora suae gratiae beneficia, quibus veram consequantur sublimitatem & gloriam. Illud, *In conspectu Domini*, dupliciter intelligi potest: Vel, ad significandam humilitatis veritatem ac sinceritatem. Nam ad veram sublimitatem non nisi per veram humilitatem peruenitur. Quicquid autem coram Deo tale est, id verè tale est. Vel potius, ad significandum quod supra dixit; *Subditi estote Deo.* Ut sensus sit: Cum omni humilitate vos Deo submitte. Sic enim & B. Petrus exponit 1. ep. 5. dum eandem sententiam effert his verbis: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Ex quo etiam loco dicimus exaltationem hic promissam, etsi per augmenta beneficiorum Dei inchoetur in hoc saeculo; non tamen perficiendam nisi in gloria saeculi futuri.

11 NOLITE DETRAHERE ALTERVTRVM FRATRES. Multi codices addunt *mei*. Sed meliores Graecis consentanei non habent. Praecipuum hoc cauendae detractionis superioribus subiungit; quia detraçtio linguae vicium est affine contentioinibus, de quibus iam egit, & cum his ex eadem radice surgès, nempe radice superbiae & ambitionis. Nam ideo detraçtor fratri obloquitur, & famam eius conuellit & maculat, ut illo depresso & contempto ipse melior ac honoratior habeatur. Nec improbabile est, Apostolum hic quoque speciatim ad magistros respicere, qui per emulationem & arrogantiam mutuo detrahebant, alij aliorum seu doctrinam, seu vitam

moremque carpentes. Est autem Graecè κατὰ γλῶσσαν, id est, *obloqui*. Quo verbo non solum obtreçtationis vicium quo fama læditur absentis (quamquam hoc potissimè); verum etiam *conuicium* & *calumnia* significari solent. *Altervtrum*, Graecè ἀλλήλων, id est, alter alteri; etiam si non sit detraçtio reciproca. Nam mali bonis plerumque detrahunt, non contra.

QVI DETRAHIT FRATRI, AVT QVI IUDICAT FRATREM SVVM. Graecè, *Detrahens fratri suo & iudicans fratrem suum*; copulante nimirum coniunctione, qua significetur eundem qui fratri suo detrahit, fratrem iudicare.

DETRAHIT LEGI, ET IUDICAT LEGEM. Quomodo is qui fratri detrahit, fratrem iudicat; facile est intelligere. Iudicat enim fratrem, priuato suo iudicio talem aut talem eum pronuncians atque condemnans; & hoc suum de eo iudicium alijs ingerens. Nam *iudicium* pro condemnatione sumitur more scripturae. Sed quomodo detrahat legi, & iudicat legem; non satis apparet. Venerabilis Beda duobus modis id explicare conatur. Vnus est, eum qui detrahit fratri, detrahere legi, quasi ipsa non rectè fecerit, quae detractionem reuertit, dicens: *Non eris criminator & sessor in populo.* Leuit. 19. Simile quid innuit Oecumenius; citans legem Christi, Matth. 7. *Nolite iudicare, ut non iudicemini.* Et versiculum psalmi 100. *Detrahentem secretum proximo suo, hunc persequerbar.* Nec dissimiliter Aquinas 2. sec. quaest. 74. art. 2. ad 3. ita scribens; *Illo qui detrahit fratri, in tantum videtur detrahere legi, in quantum contemnit praecipuum de dilectione proximi.* Alter modus, eum qui detrahit fratri legis iussa facienti, detrahere legi & iudicare legem, quae talia iussa dedit. Sic & Cæteranus docens hanc Apostoli sententiam directè verificari de detractione & iudicio quo bonum opus, quod lex probat, vituperatur ac damnatur: Nam eo damnato; damnatur ipsa lex: Eandem reddit sententiam Titelmannus in sua paraphrasi. Igitur iuxta hunc intellectum de eantantum detractione sermo est; qua de proximo cum vituperatione narratur quod verè bonum est & laudandum. Sed hæc videtur nimium restricta ratio praecipii apostolici; cum illud sensum habeat generalem. Alij proinde sic explicant; Qui detrahit fratri, detrahit legi; quia dum fratrem iudicat & damnat, legis officium & partes praecipuum pat, ac si legislator siue iudex (hunc enim legis nomine comprehendunt) in iudicando & damnando eo qui deliquit, tardior esset. Qui sensus etsi probabilis sit; eum tamen quem adfert S. Thomas, ceteris anteposendum cenfeo: Tum qua parte legem exponit de praecipuo dilectionis proximi. Nam de hac lege iam ante locutus est Iacobus cap. 1. & expressius cap. 2. Tum in eo quòd detrahen-

rem

tem fratri interpretatur huic legi detrahere, eamque iudicare, quatenus illam contemnit. Quod quidem maximè locum habet in magistris, qui non quomodocumque, sed cum autoritate & supercilio dicta, factaque aliorum sibi iudicanda sumunt; quasi ipsorum iudicium sit pro lege. Quod non fit sine contemptu quodam legis Dei, qua mutuam charitatem præcepit. Ratio dicti Apostolici videtur hæc esse, Quia qui fratri detrahit, iudicium condemnationis in fratrem statuit, contra legem charitatis quæ id vetat. Itaque consequenter ipsam legem iudicat & condēnat.

SI AUTEM IUDICAS LEGEM; NON ES FACTOR LEGIS, SED IUDEX. Ad manifestum in commodum ducit detractorem. Nam ex eo quod iudicat legem; sequitur eum esse iudicem legis, non factorem. Iudicē quidem, non vera potestate, sed usurpata quodammodo; sicuti declaratum est. Iam si iudex est legis; non ergo factor, id est, obseruator eius est. Nam iudex superior est eo quem iudicat: Quare qui iudicem legis se facit, eo facto supra legem se collocat; & per hoc ad eius obseruationem se non teneri declarat. Id autem in Christiano perabsurdum est.

12 VNUS EST LEGISLATOR ET IUDEX, QUI POTEST PERDERE ET LIBERARE. Malè quidam codices addita causali particula, *Vnus est enim legislator* &c. quæ nec in Græco est, nec in emendationibus Latinis. Sed nec ad sententiam facit: Est enim assumptio potius quam probatio, quemadmodum mox patebit. Sed nec illud, *Et iudex*, in Græcis inuenitur: quanquam Syrus interpret, nisi paraphrasten agit, vtrumque legisse videtur. Sic enim habet: *Vnus est enim ponens legem & iudicium*. Denique in Græco & Syriaco conuersus est ordo verborum; qui potest saluare & perdere: tametsi id ad sensum parum aut nihil refert. Porro sensus est: Tu qui detrahis fratri, iudicem legis te constituis: Atqui vnus est legislator & iudex, qui potest vnumquemque pro meritis aut saluare aut perdere, Deus videlicet; quem proinde metuere debebas, non ei te æquare, multo minus superponere: quod tamen facis, dum legis ab eo latæ iudicium usurpas. Nota dupliciter intelligi posse eam partem, qui potest saluare & perdere: Vel hoc modo; Qui potest in æternum saluare & perdere, id est, æternam dare salutem, & æternas irrogare pœnas. Cui sensui congruit illud: *Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Matth. 10. Vel sic: Qui nullo impediēte potest homines siue in æternum siue temporaliter saluare & perdere; id est, qui supremam habet in homines potestatem vitæ & mortis, salutis & interitus. Hic sensus generalior est, idemque Scripturis consentaneus, quæ potestatem seruandi & perdendi in genere, passim Deo tribuunt. vt Deuter. 32. 1. Reg. 2. & alibi. Patet ex his, B. Iacobum non ab-

soluē dicere vnum esse legislatorem & iudicem, tanquam nullus sit alius in quem legislatoris ac iudicis nomen verè proprieque comperat; quod perspicuè falsum est: sed cum restrictione, qui potest saluare & perdere; idque sensu iam explicato: Nam alioqui, constat etiam iudices Deo inferiores suo modo posse seruare & perdere; dum absoluunt aut condemnant, & pro meritis aut præmia reddunt aut supplicia. Legislatores quoque, tam ecclesiasticos quam sæculares, suis legibus & constitutionibus subditorum conscientias obstringere, sic vt peccent ac pœnis obnoxij sint coram Deo, qui non obtemperant; iuxta scripturas: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum in calis*. Matth. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Luc. 10. *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Rom. 13. Quod annotandum fuit, propter Ioannem Caluini, qui hoc loco insurgit, hæretico planè spiritu & ore maledico, aduersus legislatiuam potestatem prælatorum ecclesiæ; dicens, totam Dei maiestatem ad se rapere eos qui sibi ius ferendæ legis vendicant: ideoque Papam, qui id faciat, esse Antichristum. Quasi non idem totidem verbis eodem colore dicere potuerit aduersus legislatiuam potestatem regum ac principum terræ: Cui tamen nequissimus hypocrita se nolle derogare, cum protestatione confitetur; vt intelligas quo animo feratur, dum hæc scribit in Romanum Pontificem; & quam nulla sit illi in verbo Dei explanando sinceritas.

13 TV AUTEM QVIS ES QUI IUDICAS PROXIMUM? Græcè, *Tu quis es qui iudicas alterum siue alium?* τὸν ἕτερον. Sed eo nomine proximus intelligitur, imò quis proximus intelligendus sit, exponitur; scilicet omnis homo alius à te. Quapropter & Syrus *proximum* vertit. Ita legimus Leuit. 20. *Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui*. Vbi clarè videmus alterum & proximum eundem significari. Ita Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implet*. Græcè est, *Qui diligit alterum*. Argumentum huius partis est à communi natura hominis. Cum enim omnes homines natura sint pares: non debet alius in alium sibi sumere iudicandi potestatem, nisi eam à legislatore, qui sit vtroque superior, id est, à Deo acceperit. Similes sunt obiurgationes apud Paulum ad Rom. 14. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit*. Et iterum: *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?*

ECCE NUNC QUI DICITIS, HODIE AVT CRASTINO IBIMVS IN ILLAM CIVITATEM. Transit ad aliud genus superbiæ & præsumptionis; eorum videlicet qui de suis actionibus ita confidenter statuunt, dicentes hæc

& illa

& illa sese facturos, ac si futurorum domini essent, & à Dei voluntate ac prouidentia non penderent; sine qua tamen non modo non actiones suas & actionum euenta, sed nec vitam suam vel ad momentum in potestate habeant. Horum autem verba per mimesim refert, quo acrior sit admonitio. Græcè non est, *ecce*, sed ἰδὲ, *ages*, quod idem habetur initio capituli sequentis, estque aduerbium excitantis attentionem. Quodque mox sequitur, in Græco sic habetur; *Hodie & cras camus in hanc civitatem*: & ita deinceps cætera verba quæ nos legimus enunciatiuè, *faciemus, mercabimur, lucrum faciemus*; subiunctiuu modi sunt in Græco, *faciamus, mercemur, lucremur*. Verum interpres ad mentem apostoli respexit, qui non voluit ponere verba mutæ cohortationis ad aliquid faciendum; sed verba propositi firmi, & indubitati. Cui significando seruit etiam apud Græcos interdum modus subiunctiuus. Vnde & in editione Syriaca leguntur indicatiui modi verba. Est autem apostoli oratio (quantum apparet) imperfecta, supplenda hoc aut simili modo: *Qui hæc dicitis, superbe & stulte facitis*; nisi, quod mauult Gagnæus, Græcum participium λέγοντες, *dicentes*, Hebræorum more pro verbo positum dicatur: *Age nunc*, dicitis, &c.

ET FACIEMVS IBI QVIDEM ANNUM. Græcè: *Et faciamus ibi annum unum*. *Facere annum*, id est, agere, transigere annum, vt alij vertunt.

ET MERCABIMVR, ET LVCIVM FACIEMVS. A mercatoribus exemplum adducit, quod ij non raro cupiditate excæcati, ac suæ industriæ confisi, postponere soleant cogitationem prouidentia diuinæ; vt & aliarum rerum honestarum. Itaque, præter superbiam etiam auariciæ castigatio est in hac parte. Neque tamen mercaturam seu negociationem damnat; sed potius approbat, si cum timore Dei exerceatur. Approbat enim, qui docet à quo successus eius expectari debeat: quemadmodum Ioannes Baptista publicani & militis officia probauit, vt licita; quando regulam præscripsit ea exercendi. Verba sequentia parenteticè legenda sunt.

QUI IGNORATIS QVID ERIT IN CRASTINO. Sensum expressit interpres: Nam Græcè est: *τὸ τίς ἀύριον, quid diei crastina*, id est, quid postera die futurum sit; an etiam victuri. Quo spectat quod sequitur.

15 QVÆ EST ENIM VITA VESTRA? Quæ, Græcè ποία, *qualis cuius*.

modi. Nam de breuitate vitæ sermo est: quam cum vapore comparat dicens:

VAPOR EST AD MODICVM PARENENS, DEINCEPS EXTERMINABITVR. Græcè, *exterminatur*, seu potius, *evanescit, dissiparet*. Est enim in Græco grata vocum affinitas φανόμεν, ἀφανίζομεν: *apparens, disparsens*. Habent Græca repetitam in hac etiam parte causalem particulam γάρ. *Vapor enim est &c.* sed eodem referendam quò præcedentem; hoc sensu: Benè dico vos nescire quid cras futurum sit vobis; quum nec illud sciatis, an cras sitis futuri superstitēs. Nam vita vestra similis est vapori è terra surgenti; qui ad exiguum tempus apparet, & deinde evanescit in auras. Porro sub breuitate incertudinem comprehendit. Nam & illud breue censetur, quod ita casibus vndique expositum est, vt de eius diurnitate nihil sibi polliceri quis possit. Cum ergo vita ipsa, quæ basis est omnium humanarum actionum, sit nobis incertissima: an non stulta præsumptio est, de ipsis actionibus earumque successu definitionem absolutam in longum etiam tempus extendere? Huc vsque parenthesis. Nam quæ sequuntur, respondent prioribus: *Ecce nunc qui dicitis &c.* Quæ res ab Oecumenio diligenter enucleata est.

PRO EO VT DICATIS. Id est, loco eius quod dicere debuistis. Vel, Cum ita potius dicendum vobis sit. Corrigit enim sermonem superius reprehensum, admonens loquendum vt sequitur.

SI DOMINVS VOLVERIT; ET, SI VIXERIMVS; FACIEMVS HOC AVT ILLVD. Græcè, *Si Dominus voluerit & vixerimus, & faciamus hoc aut illud*. Sed posterius & redundat; ideoque ab interpretibus omissum. *Faciamus* autem pro *faciemus* est positum, id est, subiunctiuus indicatiui loco: sicut annotatum est supra. Quanquam etiam sic veri posset, *Si Dominus voluerit: & vixerimus & faciemus hoc aut illud*. Vt intelligas nec victuros nec facturos aliquid; nisi Dominus voluerit. Sed apostolum id velle quod interpretes dederunt, verisimilius est: vt duplex sit conditio nominata ab apostolo; & ita quidem vt vtramque coniunctam exigere videatur. *Si Dominus voluerit, & vixerimus*; sicut in Græco dictum est haberi. Verum non ita accipiendum est hoc apostoli præceptum, vt semper lingua dicamus vtrumque vel aliquid istorum (Neque enim sancti leguntur tale quid expressè semper

adiesset) : sed in primis ut diuinæ prouidentiae, nostraque mortalitatis cogitationem animo semper geramus. Deinde, ut eiusmodi conditionem interdum etiam voce, exprimere, prout opportunitas tulerit, haud negligamus. Id enim nobis valde expedit, pietatis ac modestiae causa. Nam cum dicimus, *Si Dominus voluerit* : profiteremur omnes nostras actiones Dei nutu ac prouidentia gubernari. Cum autem dicimus, *Si vixerimus* : nosipfos commonefacimus nostrae mortalitatis, quae tanta est, ut nihil prorsus de futuro, quantumcunque illud sit, certum habeamus. Etenim ex quo peccatum intravit in hominis naturam; fecit eam omni hora atque momento morti obnoxiam, ut nullus habeat quod conqueratur, cur minus diu vixerit. Unde qui de suis actionibus in futuram sine Deo statuunt; perinde faciunt, atque si quis post acceptam mortis sententiam, veller absque voluntate iudicis, de quibusdam adhuc in posterum agendis, disponere. Quam vero sanctis visitata fuerint istae loquendi formulae quas Iacobus praescribit, aut similes; vnius Pauli nos exemplum docet, qui Act. 18. sic loquitur: *Iterum reuertar ad vos, Deo volente*. Et 1. Cor. 4. *Veniam ad vos cito, si Dominus voluerit*. Et 16. *Spero me aliquantum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit*. Item Heb. 6. *Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus*. Tale est & illud, Rom. 1. *Si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei, venient ad vos*. Et Philip. 2. *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos curis*. Sed Paulum quid refero? cum, & Socrates Philosophus à Christo alienus, ita suum Alcibiadem dicere iusserit, *εάν θεός ἐθέλη. Si Deus voluerit*.

16 **NUNC AUTEM EXULTATIS IN SUPERBIIS VESTRIS.** Quum, inquit, haec vita tam brevis & euanida sit, & tam incertae prouidentiae vestrae, ut merito de vobis ipsis humiliter sentire, deque futuris actionibus vestris cunctanter & modestè loqui debeatis: tamen perinde quasi satis immortales, & certi de futuris, animos erigitis; stultè exultantes ac vobis placentes *in superbijs vestris*, id est, in his quae superbè facitis ac dicitis. Nam superbia est quum seruus agit aut loquitur ut Dominus.

OMNIS EXULTATIO TALIS MALIGNA EST. Si malum est superbè quicquam agere aut dicere: multo certè peius, in huiusmodi factis aut dictis exultare, sibi que placere. Addit Apostolus.

17 **SCIENTI IGITUR BONUM FACERE ET NON FACIENTI, PEC-**

CATVM EST ILLI. *Scienti bonum facere*, id est, scienti bonum sibi faciendum. Nam de bono practico eoque debito sententia loquitur. Quae quidem dupliciter connecti potest superioribus. Priore modo, ut ad eos referatur de quibus proximè egit. Nam dicere poterant, Scimus nos sine Dei nutu ac voluntate nihil posse; fideles enim sumus: ideoque Dei voluntatem in sermonibus & cogitationibus nostris semper praesupponimus. Atqui, inquit Apostolus, hoc scire non sufficit, nisi & factò praestitis, id est, eam quam dixi loquendi formulam vobis familiarem reddatis, opportuno tempore ea videntes. Alioqui nihil proderit scire aut credere quod dicitis. Nam fides sine operibus ociosa & mortua est. Imo verò scire illud vestrum magis in peccatum vobis imputabitur. Alter modus est, isque maxime probabilis, ut Apostolus hac sententia, velut epiphonemate, totam claudat huius ac praecedentis capitis exhortationem: ac si dicat; iam de his omnibus satis vos admonui; nec deinceps poteritis ignorantiam praetexere: Proinde, si non pareatis, peccabitis. *Nam scienti & non facienti peccatum est.* Peccatum, intellige grauius ac maius; iuxta illud Luc. 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius; vapulabit multis: Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis; vapulabit paucis.* Ad hanc enim Domini sui sententiam videretur apostolus alludere. Igitur quod ait, *peccatum est illi*; emphasim habet: quemadmodum & illa Domini verba Ioan. 15. *Si non venissem & locutus fuisset eis; peccatum non haberent.* Vbi magnum illud incredulitatis peccatum significatur. Non ergo sentit B. Iacobus eum peccato non teneri qui non facit quod faciendum nescit: sed eum multo grauioris peccati reum fieri, qui sciens quid faciendum sit, non tamen facit. Nam illius culpam ignorantia eleuat; huius, scientia grauat.

SUMMARIUM.

Inuehitur in diuites pauperum oppressores, proponens eis vindiictam Dei. Hortatur fideles ad patientiam. Prohibet iurare. Praecipit infirmos oleo ungi à presbyteris. Efficaciam orationis ostendit: & quantum boni praestet qui fratrem auerterit ab errore viae suae.

CAPVT. V.

AGITE NUNC DIVITES. Opportunè post auariciam & superbiam taxatam eorum qui student acquirendis diuitijs; hic totum se ad diuites obiurgandos conuertit, diuites, inquam, auaros, iniustos, superbia tumidos, ac voluptatibus immerfos: quibus & mala superuentura denunciat. Egit quidem aduertens eos dudum per aliam occasionem cap. 2: sed hic iam rursus, ac multo acrius, velut ex instituto eos aggreditur; inhumanitatem eorum in pauperes, & imminentem eis diuinam ultionem, verbis pene tragicis, describens. Existimat Beda sermonem esse ad diuites infideles pauperum Christianorum oppressores. Verum, si locus capitis 2. ad diuites Christianos pertinet, quod illic ostendimus; pari ratione etiam hunc locum de ijs accipi consentaneum est. Neque verò in epistola quae propriè scribitur ad fideles, conueniebat admisceri verba, quibus eos qui foris sunt, apostolus compelleret. Nam & quaecumque lex loquitur, ijs qui in lege sunt, loquitur. Rom. 3. Porro censet Ioan. Caluinus, hac Iacobi oratione diuites non ad poenitentiam inuitari; sed terreti tantum, absque spe veniae. Quaecumque enim, inquit, dicuntur, non nisi ad desperationem spectant. Cui responsum sit, ipsam illorum increpationem quantumuis duram, esse admonitionem agenda patientiae. Nisi forte Caluinus putat etiam Christum diuitibus abstulisse spem veniae, quibus dixit: *Ua vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram*: ac non potius terretur voluisse, ut poenitentiam agendo, Ua illud euaderent. Neque enim aliud hic dicit Iacobus, etsi pluribus verbis, quàm quod illic Christus. Terret enim vterque & minatur; ut à peccatis reuocet. Nec ignorabat apostolus, homines peccatores, dum adhuc viuunt, non tantquam demones increpandos esse, sed veniae spem omnibus proponendam: quum ipsa charitas, quam omnibus debemus, veret nos de quoquam desperare. Certè Petrus Apostolus Simonem magum peffi-

num hominem, qui Spiritus sancti gratiam emere voluit, ut venalem faceret, ita increpauit, ut tamen ad poenitentiam hortaretur. Act. 8. Et Paulus corripit vult eos qui resistunt, si quando Deus det illis poenitentiam. 2. Tim. 2. Sic igitur & b. Iacobus spem veniae per poenitentiam obtinendae nequaquam adimit diuitibus, in quos tam acriter inuehitur: ut sequentia doceant. *Agite, Graece ἀγῆ, de cuius significatione paulo antè dictum est.*

PLORATE VLVLANTES IN MISERIIIS VESTRIS, QUAE ADVENIENT VOBIS. *Græcè, super miserijs vestris superuenturis.* Has intelligit non temporales, ut quidam interpretati sunt; sed sempiternas, id est, cruciatus gehennae. Et sensus est: Ponite vobis ob oculos aeternam miseriam certissimè superuenturam, nisi poenitentiam egeritis; & eius rei cogitatio vos ad fletum & vlularum prouocet; id est, ingentem animi dolorem in vobis excitet, ut eo metu ac terrore concussi, & ad Dei misericordiam confugientes, poenitentiam agatis vitae praeteritae. Inest igitur huic parti exhortatio ad poenitentiam; quemadmodum est & in illis verbis capitis praecedentis: *Miseri estote, & lugete, & plorate &c.*

DIVITIÆ VESTRAE PUTREFACTAE SUNT. Exprobratio est extremae tenacitatis & immisericordiae diuitum istorum, ut qui paterentur opes suas computrescere potius & perire sine aliqua vtilitate, quàm ut eas erogarent in usum ac necessitates indigentium. *Putrefactionem* posuit pro corruptione, speciem pro genere. Aut *diuitias* intelligit ea parte qua putrefactioni sunt obnoxiae; ut sunt congesta ligna, & agrorum, atque arborum fructus. Nam de alijs sequitur.

ET VESTIMENTA VESTRA A TINEIS COMBUSTA SUNT. Rectius, *exesa seu corrosa sunt.* In Graeco nomen est compositum *οὐροφάγος*, id est, *a tinea esca*. Sed quia sequitur in Graeco verbum *γέρονεν*: verti commode potest hoc modo, *in earum esca facta sunt*. Luxus vestium notatur; qui tantus in quibusdam est diuitibus, ut mutatorias, quas sibi multiplicant, a tinea defendere nequeant.

AURVM ET ARGENTVM VESTRVM ARVGINAVIT. Id est, arugine viciatum est. Hoc in diuites auaros maxime competit; quos non solum sacrae literae damnant; verum etiam profani scriptores passim insectantur; velut indignos qui communem hauriant aerem, quod ipsi rerum suarum nihil alijs faciant, commune, malintque pecunias suas arugini;

erodendas ; interdum & furibus auferendas , seruare , quàm bonis vsibus impendere.

ET ERUGO EORVM IN TESTIMONIUM VOBIS ERIT , ET MANDUCABIT CARNES VESTRAS SICVT IGNIS. Figuratus est sermo , quo *erugo* fingitur & testis & carnifex. Sensus autem est , aliquando futurum , nempe in Dei iudicio , vt testimonium aduersus eos dicat ipsorum conscientia , videlicet eis representans aurum suum & argentum auarè seruatum ; & æruginè corruptum ; adeo vt quemadmodum agrugo quondam pecunias eorum exèdit , ita tunc eadem ipsa memoriam obsidens & conscientiam mordens , exesura sit eorum carnes , non leui cruciatu , sed tanquam ignis. Nam his verbis non tam consumptio quàm pœnæ magnitudo significatur ; quæ non solum animos afficiat verum etiam corpora cruciatura sit , etsi nunquam consumenda . Non enim placet eorum commentarius , qui partem hanc interpretantur de curis immodicis , quibus ob studium diuitiarum conficiuntur homines auari : quam ob causam & edaces curæ dicuntur. Nam apostolus non quid nunc diuites pariantur , sed quid ab extremo iudicio passuri sint , ostendere vult ac docere ; sicut declarant etiam ea quæ sequuntur.

THESAURIZASTIS VOBIS IRAM IN NOVISSIMIS DIEBUS. Variant in hac parte codices . Venerabilis Beda legit vt nos habemus . At Græca quæ nunc in manibus sunt , tantum habent ; *Theaurizastis in nouissimis* , siue *in extremis diebus* . Ad eundem modum aliquot vetusti codices Latini ; nec non Augustinus in Speculo . Consentit & Syrus interpres , nisi quod addat *vobis* , fortè de suo , paraphrasten agens . Porro apud Oecumenium Græcum textus quidem plane conuenit cum eo quod est in nostris : verum expositio satis arguit , eum non amplius legisse quàm quod nunc in Græcis est . Ex quibus fit verisimile voculas illas , *vobis iram* , pro glossemate à quopiam huc adiectas fuisse ex epistolæ ad Ro. cap. 2. vbi sic legitur ; *Theaurizastis tibi iram in die ire & reuelationis iusticiæ Dei* . Quæ verba saltem pro commentario sint huius loci ; vt sensus sit ; Gaudeatis & gratulamini vobis de thesauris pecuniarum quas auarè recondidistis in multos annos . Atqui , id faciendo coarctastis vobis iram & maledictionem in diem nouissimum , id est , in diem extremi iudicij . Quidam quod in Græco est ita exponunt : Cumulatis vobis pecuniarum thesauros in nouissimis diebus ; id est , in extrema senectute iam constituti ; videlicet eo plus viatici quæ-

rentes quo minus restat viæ . Rursus alij significatum volunt , diuites quasi semper victuros , nunquam satiari ; sed semper congerere quod in multos annos , imo vsque in finem sæculi , satis esse queat . Ita quoque Caietanus qui iuxta hunc sensum statuit antithesim inter hanc partem & proximè sequentem : ac si dicat apostolus , Vos asseruastis pecunias vestras in tempus futurum ; & interim operarios vestros præsentem mercede fraudastis . Verum quod primò dixi magis congruere videtur , vt verba sint denunciantis iustum Dei iudicium ; quemadmodum & ea quæ præcedunt , & quæ mox sequuntur .

Notandum denique quod Oecumenius illud extremum partis præcedentis , *ὡς πῦρ* , quod Latinus interpres vertit , *sicut ignis* , ad sequentia referat , diuerso casu : *Tanquam ignem thesaurizastis in extremis diebus* ; faciatque hunc sensum : Diuitiæ vestræ , quas tanquam ignem pro thesauro recondidistis in extremos dies , id est , in aduentum Domini ; exedent carnes vestras . Eadem distinctio conspicitur etiam hodie in nonnullis codicibus (inter quos Complutensis) Græcis : Eadem est & in Syriaco textu ; nisi quod in eo supprimatur similitudinis nota . Sic enim habet : *Ignem congeffistis vobis in dies ultimos* . Quæ quidem distinctio non prorsus improbanda est .

ECCÆ MERCES OPERARIORVM QVI MESSERUNT REGIONES VESTRAS , QUÆ FRAUDATA EST A VOBIS , CLAMAT. Auaricia diuitum plarumque comites habet inhumanitatem , iniusticiam , violentiam , & his cognata vicia . Hinc merces operariorum iniquissimè detenta : quam iniuriæ speciem ex multis vnam hinc attingit , tanquam in primis odiosam , & aduersus quam expressum in lege præceptum datum fuerat : vt Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane* . Quod ipsum pluribus verbis explicatur Deut. 24. cum subiuncta hac comminatione : *Ne clamet contra te ad Dominum ; & reputetur tibi in peccatum* . Ad quem locum Deuteronomij S. Iacobum alludere , quoniam clamoris meminit , admodum verisimile est . Quæ etiam causa , cur peccatum hoc detentæ mercedis ac frustrati laboris pauperum , inter peccata in cælum clamantia vulgo ac rectè numeretur . Dicitur autem *merces quæ fraudata est* , id est , mercedis defraudatio seu detentio , *clamare* in cælum , vel ad Deum ; propter insignem ac manifestam huius peccati maliciam , adeo vt in cælum ascendere , & Deum ad vltionem sui prouocare videatur . Porro speciètim loquitur apostolus de operarijs segetum messoribus , agricolas synecdochicè vo-

lens

lens significare : quia valde indignum est eos qui panem ex suo labore nobis suppeditant , pane sibi debito fraudari . Quamquam sciendum Græco vocabulo *ἀρροφνημένους* , non solum significari *subtractionem* siue *detentionem* , fraude factam ; sed quomodocumque , etiam sola tenacitate . Quod facit ad maiorem huius criminis accusationem : quando etiam absque fraude facta mercedis detentio , modò iniusta , clamat in cælum . Quare simpliciter verti potuit , *quæ subtracta (seu detenta) est à vobis* .

ET CLAMOR EORVM IN AVRES DOMINI SABAOTH INTROIUIT. Græcè : *Et clamores eorum qui messerunt , in aures Domini Sabaoth introierunt* . Syriacè , *Et vociferatio messorum in aures Domini Sabaoth introiuit* . Prius dixit *mercedem operariorum fraudatam clamare* ; nunc ipsos operarios . Quomodo etiam in Deuteronomio , de operatio paupere dictum est , *Ne clamet contra te ad Dominum* . Sed res eodem recidit . Nam iniuria violenta sæpe etiam ipsos quibus inferitur , ad clamandum impellit . Vnde per metonymiam *clamor* interdum eiusmodi iniuria vocatur , vt Isa. 5. *Expectant vt faceret iudicium ; & ecce iniquitas : & iusticiam ; & ecce clamor* . Sed siue qui patiuntur iniuriam clamant , siue taceant ; vltionem Dei propriè non istorum prouocat clamor , sed causa clamoris ; id est , iniuria , vis , oppressio , quam patiuntur . Igitur cum dicit *clamorem eorum in aures Domini Sabaoth introisse* ; schemate scripturis familiari significat Deum grauius illorum iniurias vlturum . Dicit autem *Domini Sabaoth* , id est , *Domini exercituum* ; vt hoc epitheto significatam Dei potentiam , opponat ijs qui potentes sunt in sæculo , nec humana curant tribunaia . Cæterum vsurpat vocem Hebræam *Sabaoth* , siue quod Hebræorum auribus , ad quos scribit , gratum id esset , siue ex imitatione LXX. interpretum , qui fere vbiunque epitheton hoc Dei in Hebræo occurreret , eandem vocem inuariatam Græcis literis expresserunt . Nomine *exercituum* quidam accipiunt vniversam creaturam , quæ tota seruit & militat Dei voluntati . Sed scripturæ magis consonum est angelorum copias intelligi ; qui peculiari modo militat Deo , mente scilicet ac voluntate obsequentes diuinis imperijs . In quibus etiam hæc sunt militia nomina : Principatus , Potestates , Virtutes . Vide quæ diximus ad illud Ro. 19. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen* .

EPULATI ESTIS SUPER TERRAM. Diuitum alij ita tenaces sunt vt opibus congestis vti non audeant , ne pecuniarum acervus minuatur ; De quibus iam dictum est : alij profundunt eas in

luxum & epulas ; adeo non solliciti pauperum inuandorum , vt eos etiam calumniosis artibus perdere nitantur . In hos nunc inuehitur b. Iacobus . *Epulati estis* , Græcè , *ἐπιπονησάτε deliciati estis* ; *delicijs indulgistis* , vt vertunt ex Syriaco : *In delicijs vixistis* , vt transtulit Erasmus . Noster vertit , *Epulati estis* , quod delicia diuitum potissime consistant in epulis . Addit apostolus , *super terram* ; quod omnis hæc delectatio sit in bonis terrenis & fluxis ac breui perituris : cum Christianorum professio sit querere ac sapere *quæ sursum sunt* , id est , cælestia , non ea quæ super terram . Coloss. 3. Vel , *super terram* , id est , in hac vita mortali quæ super terram agitur . Per quod significat eos immemores esse vitæ futuræ .

ET IN LUXURIIS ENUTRISTIS CORDA VESTRA. Græcè ; *Et lasciuistis* . *Enutristis corda vestra* . Vt illud , *Et lasciuistis adhæreat parti præcedenti ; Deliciati estis super terram & lasciuistis* : Deinde noua sequatur pericope ; *Enutristis corda vestra &c* . *Delicia* pertinent ad epulas ; *lasciuia* ad Veneream : iuxta illud Amos prophætæ increpantis opulentos in Sion cap. 6. *Qui dormitis in lectis eburneis , & lasciuistis in stratis vestris* . tamen si Græcum verbum *ἐπιπονησάτε* hoc loco positum , alijs videatur eiusdem esse significationis cum priore , & per auxesim à b. Iacobo adiectum . Nam *ἐπιπονησάτε* Græcis delicati cibi genus est ; quod tamen etiam pro voluptate accipitur . *Enutrire corda* est sibi indulgere in cibis & potu , non ad mensuram necessitatis , aut regulam rationis , sed quantum cor expetit & concupiscit , id est , in corpore pascendo suæ concupiscentiæ satisfacere . Syrus paraphrastes *corda* interpretatur *corpora* ; quasi dicat apostolus , Corpora vestra lautis epulis egregiè saginastis .

IN DIE OCCISIONIS. Græcè , *sicut in die mactationis* , *ὡς φάγης* . Syriacè , *tanquam ad diem mactationis* : Vel , *sicut in die vltima* . Quod bifariam exponitur . Vno modo , vt comparatio sumpta sit ab epulis sacrificialibus , quæ lautiores esse solent magisque geniales epulis vulgaribus ; vt pote ex victimarum immolarum carnibus extinctæ . Quasi dicat apostolus , Quotidiana agitastis conuiuia , tanquam omnes dies essent vobis festi , in quibus vltimæ cædi solent . Sic alibi scriptura à victimis epularum apparatus significat , vt Isa. 34. Prou. 7. & 17. Quibus adde locum Nehem. 8. Alter sensus est , Diuites , dum more diuitis illius euangelici Luc. 16. epulantur quotidie splendide , sese pascere ac saginare , tanquam in diem mactationis , id est , tanquam in illud tempus quo mactandi sint : quomodo pecora solent diligenti cura saginari ad victimam . Vt dies mactationis intelligatur dies iudicij , quando de carnibus impiorum parabitur

epulum omnibus auiibus cæli & bestiis terræ, id est, dæmonibus. Quod epulum post Ezechielem prophetam ca. 39. describit Ioannes apostolus Apo. 19. ita concludens: *Et omnes aues saturata sunt carnibus eorum.* Quod referri potest etiam ille versiculus psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt; mors depascet eos.* Probabilem facit hunc sensum locus Ieremiæ 12. ubi de impijs sic ad Deum loquitur: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* LXX. *εἰς ἡμέραν σφάγης, ad diem mactationis.* Nec obstat huic intellectu quod dicitur *in die, nō in diem* (quanquam hoc in Latinis quibusdam manuscriptis legitur): Constat enim apostolos interdum usurpare præpositionem *in* pro *eis*: ut hic paulo antè: *Theaurizastis in nouissimis diebus*; id est, in nouissimos dies. Et Ro. 2. *Theaurizas tibi iram in die iræ*, id est, in diem iræ. Huic interpretationi affine est quod Oecumenius dicit apostolum respicere ad expugnationem Iudeorum à Romanis; ad quam velut mactationem & victimam solemnem, epulis & delicijs impinguandos sese præparabant. De qua Iudeorum cæde videtur etiam Ieremias propheticè loqui in verbis supra dictis: Plerisque tamen neotericis prior sensus magis allu-bescit, propter aduerbium similitudinis in Græco textu appositum. Porro non desunt qui *victimam* intelligant iustum occisum, siue pauperem oppressum; super quo diuites oppressores, tanquam voto potiti, lætantur & epulantur. De quo iusto sequitur,

6 ADDIXISTIS ET OCCIDISTIS IUSTVM. Partem præcedentem, *in die occisionis*, multi Latini codices initium faciunt huius versus; *In die occisionis addixistis* &c. Quam distinctionem etiam expolitores non pauci secuti sunt. At minus rectè: Nā multo commodius adiungitur ea pars superioribus. Quod in multis codicibus legitur *adduxistis*, pro *addixistis* mēdum est ab imperitis inuectū, qui quid sit addicere quempiam non intellexerūt. Alioqui, constat legendū (vt in plerisque manuscriptis habetur) *addixistis*, pro quo Græcè est *κατέδικαστε*, id est, *condemnaastis*; quod & Syriaca voce significatur. Nam *addicere* pro condemnare non est alienum à consuetudine sermonis Latini; tamen si magis vītate dicitur addito casu dato, addicere supplicio, morti. Sed id hoc loco satis suppletur per verbum adiunctum, *occidistis*: quasi dicat, addixistis iustū morti, qua & affecistis eum. Quanquam absolute etiam apud Latinos dicuntur addicti qui Græcè *καταδικασμένοι*, id est, condemnati. De quo Valla lib. 5. elegant. c. 28. Ipsum quoque verbum absolute posuit Gregorius in homilia 17. super euangelia, cum ait: *Ne apud iustum iudicem nostra nos taciturnitas addicas.* Imo & Cicero in Pisonem: *Huius, inquit, ipsius domum enervasti, cuius sanguinem*

addixeras. Potest autem etiam ex Græco verti, *accusastis, reum egistis, dicam scripsistis*; idque sanè probabiliter. Non enim hic iudices apostolus compellat, sed diuites priuatos, qui *iustum* agebant mortis reum in iudicio. Sed quem iustum? Beda & Oecumenius Christum Dominum intelligunt, de quo scriptum est: *Prope est iustus meus.* Isa. 51. Et de quo Stephanus ad Iudæos Act. 7. *Quæ prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuunciabant de aduentu Iusti, cuius nunc vos proditores & homicidæ fuistis.* Addit Beda, totam comminationem præcedentem ab initio huius capituli, ubi dicitur, *Agite nunc diuites, plorate* &c. prædictionem quandam esse euerisionis ciuitatis Ierusalem, & horrendæ cladis ac internecionis quam passi sunt Iudæi; in vltionem mortis Dominica. Sensus hic etiam recentioribus quibusdam placuit, Tietlmanno, Gaignæo, Stapulensi, & aliis: quorum etiam nonnulli *diem occisionis* interpretantur de die solemni paschæ, quo legales immolandæ erant victimæ, quo eodem iustum, id est, Christū condemnare & occidere non sunt veriti. Verum huic sensui multa sunt quæ videantur obstat. Primum, quod scriptura mortem Christi non diuitibus imputat, sed principibus ac sacerdotibus Iudeorum. Hic autem speciatim aduersus diuites increpato dirigitur. Deinde, quia scribitur hæc epistola ad Iudæos fideles duodecim tribuum in dispersione positos: In quos iam Christi fidem amplexos, ac pœnitentia (si ex illis partidifuerant) ductos, noluisse b. Iacobus hac exprobratione vti. Item, cum à Christi morte iam anni ferme triginta fluxissent: verisimile est paucos ac vix vltos mortis illius authores, cum hæc scriberentur, superfuisset, in quos stringi posset hæc comminatio. Sed & cætera, aduersus auariciam & luxum diuitum hæctenus à b. Iacobo dicta, parum ad hunc sensum conferunt. Quocirca probabilis est, quod alij sentiunt, in numero singulari emphaticum esse sermōnem, quo significetur vnumquemque pauperem iustum, quamuis solitarius ac desertus videatur, ideoque diuitum prædè expositus, è diuerso tamen, atque si solus & vnicus esset, singulariter à Deo curari. Sic enim & alibi, *iustum* diuitibus ac potentibus opponit scriptura, vt Isa. 57. *Iustus perit; & non est qui recogitet in corde suo.* Et psal. 93. *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Et alibi in psalmis. *Iam quod ait, addixistis & occidistis*: siue *addicere* sit condemnare siue accusare, synecdochicè sic accipi potest vt comprehendat omne genus calumniæ, violentiæ, & oppressionis; quemadmodum & *sanguis* sæpenumero sumitur in scripturis. Vnde qui innocios quouis modo prosequuntur, *viri sanguinum* dicuntur, quibus & dicitur Isa. 1. *Manus vestre sanguine plena sunt.* Ac notum est illud, *Omnis qui*

odit

odit fratrem suum homicidæ est. I. Io. 3. Sicut ergo in superioribus, alia diuitum vicia taxata sunt, vt auaricia, & luxus, & mercedis operariorum detentio; ita hic notat quod pessimum est, violentiam scilicet, atque calumniosam iustorum pauperum oppressionem; quæ interdum etiam vsque ad mortis machinationem procedit.

ET NON RESTITIT VOBIS. *Restitit*, Græcè *ἀντιτάσσειται*, id est, *resistit*; quod & in Latinis manuscriptis non paucis reperitur, & Erasmo teste (dissentit enim meus codex) apud Bedam legitur. Quæ lectio rursus ad Christum minus aptari potest. Dicitur enim quis iniurianti non resistere, tunc quando patitur, non posteaquam passus est. Atqui passio Christi Iacobo hæc scribente, iam dudum præterierat. Significantur ergo diuitum violentiæ quotidiana in pauperes, ob inopiam amicorum resistere non valentes. Quo magis certè metuere debent diuites vltimam manum eius cui dicitur; *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adiutor.* Psal. 9. Porro quod Erasmus vertendum putauit impersonaliter, *non opponitur vobis*; id præter usum est verbi Græci. Deinde nec probo quod Caietanus annotat verbum *resistit*, non ad *iustum*, sed ad Deum referri. Nam de Deo potius affirmanter & comminatiuè dicendum erat, *resistet vobis*: secundum id quod antè dixit, *Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Nec quicquam incommodi si ad *iustum* referatur; hoc modo: *Occidistis iustum non resistentem vobis.* Postremò, notandum in Græco totam sententiam sic legi: *Addixistis, occidistis iustum: non resistit vobis*: nulla scilicet addita coniunctione; quam tamen ad pleniorum sensum rectè Latini interpretes, itemque Syrus ascripserunt.

7 PATIENTES Igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini. Nunc pauperibus afflictis & oppressis consolationem adhibet, exhortans eos vt patienter ferant iniurias, vsque in illud tempus quo & ipsi suæ patientiæ præmium accepturi sint, & diuites condignas suis sceleribus pœnas daturi. Hoc enim tempus significat per aduentum Domini; videlicet Christi, ad iudicium. Quamuis enim iudicia particularia præcedant: ea nobis interim occulta sunt, nec vno tempore fiunt; eademque non hominum sunt, sed animarum tantum. Idcirco passim iudicium vniuersale proponitur in scripturis, ad quod omnes spectent; vt in quo manifestè simul vniuersum genus hominum indicandum sit. *Patientes estote*; Græcè, *μακροθυμήσατε*, *longanimes estote, perdurate.* Significat enim patientiam perseuerantem. Sed ad consolationem, terminum figit aduentum Domini: Nam etsi post huius vitæ terminum mali non habeant amplius quid faciant bonis, Luc. 12. plena tamen retributio tam bonis quam malis seruatur in illum

diem, quo reddet Dominus vnique secundum opera sua. Porro quem Oecumenius aduentum Domini intelligat, paulo post dicemus.

ECCE AGRICOLA EXPECTAT PRECIOSVM FRUCTVM TERRÆ, PATIENTER FERENS. Exhortationem confirmat exemplo agricolæ, qui labores quos impendit in colenda terra, patienter tolerat spe percipiendi ex ea fructum preciosum, id est, sibi vtilem, quum tempus aduenerit; Neque molestè fert quod non statim terra fructum reddat. Ita vobis, inquit, longanimitè ferendæ sunt iniuriæ & cætera huius vitæ mala, vt fructum laboris ac patientiæ vestræ super omnia preciosum, id est, æternæ vitæ coronam, à Deo promissam, quum ad iudicium venerit, accipiatis. Sciendum pro eo quod nos habemus, *Patienter ferens*, ita legi in Græco, *μακροθυμῶν ἐν ἀντιῶ*, id est, *longanimitè ferens super eo*, nempe fructu precioso terræ. Idem verbum cum superiore, quod & statim infra repetitur. Erasmus vertit, *patienter expectans illum*: At Græca non hoc significant, sed id quod dixi; vt sensus sit, agricolam in laboribus patientem esse ac durare propter fructum quem sperat. Hunc enim sensum etiam Syrus interpretes expressit.

DONEC ACCIPIAT TEMPORANEVM ET SEROTINVM. *Fructum* subintelligit Liranus. Quoniam, inquit, terra promissionis, de qua loquitur apostolus, duplicem fructum reddit quotannis; *temporaneum*, id est, primitiuum, in Aprili; & *serotinum*, in Septembri. Sed hoc reijcit Paulus Burgensis, quoniam nec scriptura in illius terræ commendatione vsquam huius rei meminit, nec à peregrinis inde reuertentibus quicquam tale narratur. Itaque manuit ille *temporaneum* dici de fructibus qui prius maturefcunt, eadem tamen anni parte; & *serotinum*, de ijs qui posterius. Id ipsum sensit author glossæ interlinealis, dum *temporaneum* exponit fructuum primitias. Atqui verus intellectus tum ex Græco textu, tum ex alijs scripturis petendus est. In Græco sic legitur; *Donec accipiat pluuiam temporaneam, siue tempestiuam* (vt alij vertunt) & *serotinam*. Nec secus in Syriaco. Scriptura verò frequenter vtriusque pluuiæ meminit: vt Deut. 11. *Dabit Dominus pluuiam terræ vestræ, temporaneam & serotinam.* Ierem. 5. *Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo.* Item Hosee 6. & Ioelis 2. mentio fit imbri temporanei & serotini. Alibi solus imber serotinus nominatur, tanquam optatissimus atque vtilissimus: vt Ierem. 3. Amos 7. Zach. 10. Vnde & ab eo comparatio sumitur rei gratissimæ. Iob. 29. & prou. 16. Est autem *pluuia temporanea* seu primiti temporis, quæ terram rigat iacta semente. *Serotina*, qua seges ante naturitatem & mensē grandescit ac spicæ tur-

gescunt. Malè quidam *pluuiam temporaneam* & *serotinam* interpretati sunt matutinam & vespertinam: Hæc enim temporum in pluuiis distributio, nihil aut parum ad vota agricolatum, forte eos fefellit dictio, *matutinam* quæ legitur apud Ioelem. Sed interpreti ibi *matutinam* pro *temporaneo* posuit. Est enim in Hebræo idem vocabulum quod alibi.

PATIENTES ESTOTE ET VOS. Quemadmodum, inquit, agricolæ patientia commendatur, non in eo solum quod expectat fructum; verum etiam quod pluuias opportunas ad fructum consequendum: ita vos oportet inter afflictiones huius vitæ cum patientia à Deo expectare non solum fructum vitæ æternæ, sed & spirituales pro tempore consolationes, quibus velut pluuijs è cælo datis irrigati, & mala præsentia leuius feratis, & ad fructum æternitatis assequendum fiat aptiores.

ET CONFIRMATE CORDA VESTRA: Scilicet aduersus tentationem impatientiæ & desperationis. Nihil enim æquè ac certa spes prærij roborat animum in aduersis.

QUONIAM ADVENTVS DOMINI APPROPINQVAUIT. Viciose legitur in multis *appropinquabit*. Græcè enim est *ἤγγικε* præteriti temporis verbum. tamen de eo dicitur non qui iam accessit, iamque peruenit; sed qui cœpit accedere & propinquare. Sic Math. 3. & 4. *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*, id est, *appropinquat, in propinquo est*, vt alij vertunt. Vnde & hoc loco non malè Erasmus & Hentenius *appropinquat*. Oecumenius in superiore expositione persistens, quam dedit ad illud, *in die occisionis, aduentum Domini* vult intelligi, quando per Romanos deleta est Ierosolyma, & populus in captiuitatem ductus. Nam tempus illud multum appropinquabat, quando Iacobus hæc scribebat. Sed facile refellitur hic commentarius. Non enim in illo aduentu receperunt fideles fructum laboris & patientiæ suæ, sub parabola agricolæ promissum; sed cū adhuc expectant accipiendum in illo Domini aduentu quem apostolicæ scripturæ nobis passim annunciant: Hunc igitur aduentum Christi Domini hic & superius significari, rectè censent omnes alij interpretes: Dicitur autem *aduentus ille appropinquasse*, siue appropinquare: quia dies eius paulatim fit propior; & quum venerit intelligitur quàm reuera propinquus fuerit, & nō tardauerit; quamque breue fuerit omne tempus quod eum præcessit; quum præsertim apud Dominum mille anni sint sicut dies vnus. 2. Pet. 3. Hinc & Paulus Philip. 4. *Dominus prope est*. Sumitur ergo præsens ad patientiam exhortatio à breuitate temporis quo ferenda sunt mala, & à propinquitate retributionis.

NOLITE INGEMISCERE, FRATRES, IN ALTERVTRVM; VT NON IUDICEMINI.

NI. Græcè, *Ne ingemiscite aduersus altervtrū*, id est, alius aduersus alium, *fratres, vt non condemnemini*. Nam Caietanum, qui ex Græco reddendum putat, *iuxta altervtrum*; falli perspicuum est. *Gemitum*, intelligit apostolus accusatorium; cum quis animo ac gemitu (quod libera voce non audeat) proximū, quem sibi molestum sentit, accusat & condemnat. Quia in re dupliciter peccatur: per impatientiam, & per vsurpatum de proximo iudicium. Itaque præceptum hoc simile est illi præcepto Dominico; *Nolite condemnare, & non condemnabimini*. Luc. 6. Docet ergo non solum exhibendam esse patientiam in ferendis manifestis improborum iniurijs; de quibus hæctenus: verum etiam in tolerandis ac dissimulandis minutionibus offensis; quales esse solent fratrum ac domesticorum inter se. Sunt enim, qui in aperta persecutione fortes; dum sibi placent, infirmitates eorum quibuscum versantur, impatientius ferant: contra quos apostolus Paulus Ro. 15. *Debemus*, ait, *nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*. Sunt alij, natura suspiciosi & ad proximorum facta iudicanda prompti; maxime quibus aliquo pacto læsos se existimant. Vtrique hic admonentur vt offensas fratrum æquo ac placido animo ferant; nec eos apud se, suæ iudicio condemnent, ne simile iudicium & ipsi apud Deum experiantur, fiatque eis quod talibus minatur Dominus: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini*. Matth. 7. intelligitur autem *iudicium* siue *condemnatio*, vel ad pœnam æternam, vel ad temporalem, pro ratione peccati eius qui aduersus fratrem ingemiscit, eumque iudicat. Sæpe enim in his, tantum venialiter peccatur.

ECCE IVDIX ANTE IANVAM ASSISTIT. Id est, in proximo est. *Iudicem* intelligit Christum, de quo iam dixit: *quoniam aduentus Domini appropinquauit*. Sunt enim eadem hæc duo, aduentum Domini appropinquare, & iudicem astare pro foribus. Porro duas ob causas intelligi potest hanc partem à Iacobo additam; vel vt significet fratrem non esse à nobis iudicandum, quod iudicem habeat Deum, breui venturum, cuius iudicio sit relinquendus; de quo superiori capite, cum similiter de fratre non iudicando præciperet, adiecit: *Vnus est legislator & iudex*. Vel (quod probabilius) vt ipsi qui aduersus fratres ingemiscunt, Christum iudicem metuunt iam iam adfuturum; ne scilicet ab eo condemnentur. Hoc enim præcessit; *Vt non iudicemini*. Significat Apostolus, aduentum Domini non solum his qui nos opprimunt formidabilem esse debere; verum & nobis qui patimur iniurias; si vel impatientia peccemus, vel temerario in illos iudicio.

EXEMPLVM ACCIPITE FRATRES, EXITVS MALI, LABORIS ET PATIENTIÆ.

TIA, PROPHETAS QUI LOCUTI SUNT IN NÖMINE DOMINI. Exhortatio est ab exemplis sanctorum; quam vt efficacissimam vltimo loco seruauit. Vt enim optabile est cum sanctis remunerari: ita durum esse non debet similia cum illis pati. Vtitur huiusmodi exhortatione etiam Christus, Matth. 5. dicens: *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in calis*. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. Hic notanda varietas Latinorum codicum. Nam in multis quidem leguntur hæc tria, *Exitus mali, laboris & patientiæ*. Et apud Bedam, addito quarto, *Exitus mali, & longaminitatis, & laboris & patientiæ*. Vbi etiam, ne textum eius forte quid amplius habere suspiceris ab eo quod ipse legit, eadem omnia ordine exponit. At verò multi codices duo tantum legunt: nonnulli quidem, *exitus mali & longaminitatis*; complures autem, *laboris & patientiæ*; quod in biblijs est castigationis Louaniensis, & in prima correctione Sixtina: item in missali Leodiensi, feria 4. hebdom. 1. Aduentus. Nec plus est in Græco & Syriaco. Nam Græca sic habent: *Exemplum accipite laboris, fratres mei, & longaminitatis, prophetas &c.* Itaque verisimile est, cum Græcas voces *τῆς μακροβουλίας* alij aliter in Latinum vertissent; intempestiuâ scribarum diligentia factum vt diuersas interpretationes in iisdem codicibus haberemus coniunctas. Quamquam *μακροβουλία* non *exitum mali* significat; sed *malorum perpeffionem*, id est, *afflictionem, laborem*. Etque hic sensus: Sint vobis pro exemplo sancti propheta, qui graues afflictiones patienter vsque ad finem pertulerunt. Addit autem, *Qui locuti sunt in nomine Domini*; id est, qui iussu & mandato Dei verba habuerunt ad populum; seu futura prænunciantes, seu reuocantes eos à peccatis ad Deum ac verum eius cultum: Hoc, inquam, addit b. Iacobus, vt causam indicet ob quam passi fuerint persecutiones, scilicet propter iusticiam; quomodo passos legimus Eliam, Amos, Isaiam, Ieremiam, & alios. *Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* ait b. Stephanus ad Iudæos Act. 7.

ECCE BEATIFICAMVS EOS QUI SVSTINERVNT. Græcè *τῶν ὑπομένωντων*, id est, *eos qui sustinent*. Confirmat quæ dixit, à communi sermone fidelium. Solemus enim beatos prædicare eos qui pro iusticia sustinent afflictiones; Idque facimus edocti à Christo dicente: *Beati qui persecutionem patientur propter iusticiam*. Et quare beati? quoniam, inquit, *ipsorum est regnum cælorum*. Matth. 5.

SUFFERENTIAM IOB VIDISTIS. *Sufferentiam*; Græcè *ὑπομονήν*, id est, *sustinentiam, patientiam*. In exemplum adduxit prophetas qui populo Israël locuti fuerant: Nunc exemplum adfert hominis extra populum illum geniti quidem & con-

uersati, sed apud eos patientiæ nomine plurimum celebrati; cuius etiam historiam in canone suarum scripturarum habent. Nam quod quidam, nescio quid secutus, pro *Iob* substituit *Iacob*; nimia temeritas est. Senfus: Habetis in sacris literis inigne exēplum patientiæ sancti Iob: ad quod moneo vt respiciatis. Hinc duo discimus, aduersus sectarios quosdam notanda. Primum, ea quæ de sancto Iob scribuntur, historiam esse rei gestæ; non argumentum confictum exhortationis aut doctrinæ causa, veluti fit in comædijs ac tragædijs; vt Anabaptistæ volunt & veteres quidam Hebræi. Nam ficta exempla ferè non monent. Nec, si ficta narratio esset, coniungeret hunc virum Dominus Ezech. 14. cum alijs duobus, quorum iusticiam sibi vehementer acceptam fuisse declarat his verbis: *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi iusticia sua liberabunt animas suas*. Alterum; non esse audiendum blasphemum Calvinum, calumniantem beatum Iob, quum dicit eum cæco impetu abreptum multa impatientiæ signa edidisse. Nam si ita est; quomodo Iacobus apostolus remittit fideles ad exemplum patientiæ eius, tanquam illustre & singulare? Non quidem negamus sanctum virum in tanta afflictione positum, & amicorum disputatione exagitatum, passum fuisse aliquid humanum, vt præ carnis infirmitate diceret aliqua non dicenda; de quibus à Domino reprehensus ca. 40. ipse etiam se reprehendit ac pœnitentiam agit, ca. 42. Sed ea verbis atrocibus exaggerare, quod Calvinus facit, ab apostolico spiritu valde alienum est.

ET FINEM DOMINI VIDISTIS. Hæc pars duas aut tres recipit expositiones. Prima est de sancto Iob: Vidistis oculis mentis vestræ, spectastis velut in tabula animis vestris obiecta, quemadmodum Deus illius viri patientiam remunerauerit, omnibus quæ amiserat, in duplum ei restituit, in typo retributionis cælestis. Secunda de Christo; in quo propositum nobis est absolutissimum exemplar & forma patientiæ. *Vidistis exitum*, id est *passionem & mortem Christi Domini*; quanta patientia eam sustinuerit. Quasi dicat; Dixi quod audistis, olim gestum: Addo, quod vidistis recenter exhibitum; scilicet exemplum Saluatoris: Nam ex fidelibus adhuc supererant qui spectatores fuerant afflictionum Christi. Vocat autem *finem*, passionem eius; quomodo Lucas *excessum* siue *exitum*, Græcè *ἔξοδον*. Dicebant (inquit cap. 9. de Moyse & Elia) *excessum eius quem completurus erat in Ierosalem*. Tertia expositio, nihilominus de Christo. *Vidistis finem Domini*; hoc est, gloriosam eius resurrectionem, quam sua morte patienter & obedienter tolerata promeruit. Vidistis quàm beato fine oranis eius passio termi-

nata fuerit & conclusa. *Videmus Iesum*, ait Paulus ad Heb. 2. *propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*. Secundam expositionem tradit & cum tertia coniungit Beda in commentatio; & ante eum Augustinus lib. 1. de symbolo ad catechumenos cap. 3. Sed primam fere amplectuntur recentiores, Caietanus, Gagnarus & alij, pro argumento sumentes hoc quod sequitur,

QUONIAM MISERICORS DOMINVS EST ET MISERATOR. *Misericors* Græcè *πρόσπλαγνός*, quod sonat, *multum viserosum*, id est, *valde misericordem*, ut alij verterunt. Nam in sacris literis vehemens ac pius affectus, *viscerum* nomine significari solet. Sed & altera vox, *ὀμιήμων*, *miserator*, eum significat qui propensus est ad commiserendum. Porro iuxta primam expositionem partis præcedentis, hic est sensus, & connectio: Sicut Dominus misertus est iusti Iob, tribuens ei felicem exitum suarum afflictionum; ita & vestri miserebitur, tandem à præsentibus malis vos liberaturus & præmia patientiæ redditurus: quippe vehementer misericors est. Quasi dicat, Id superabundans eius misericordia promittit. Quod si magis placent daræ expositiones de Christo (quæ sanè probabiles sunt): poterit quidem hæc pars etiam ad illum accommodari, quia misertus est ei Deus, mortem ab eo auferens per gloriam resurrectionis: verum commodius accipietur pro noua confirmatione superioris exhortationis; ac si dicat: Merito vos exhortor ad patientiam exemplis sanctorum. Non enim debetis diffidere. Nam sicut illis adfuit misericordia Dei, liberantis ac remunerantis: ita & vobis ad-

12

ANTE OMNIA FRATRES MEI NOLITE IURARE. Quoniam superius cap. 2. & 4. multa disseruit aduersus vicia linguæ: nunc, supplementi causa, pro coronide doctrinam adijcit eodem pertinentem, de vitando iuramento; ad quod multorum linguæ sunt, & omnibus sæculis fuerunt, nisiium propensæ. Dicit autem, *Ante omnia*, vel quia peccatum hoc irreuerentiæ est in Deum, qui est super omnia. Nam & in lege prohibetur cum adiuncta graui comminatione; *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super te vana nomen eius assumpserit*. Deut. 5. Vel, secundum Augustinum serm. 28. de verbis apostol. quia, propter consuetudinem contrariam, magna vigilantia opus est ad hoc præceptum seruandum, ac si dicat apostolus: Plus ad hoc intenti estote quam ad alia. Maior enim consuetudo superanda, maiorem intentionem flagitat. Porro non dubium quin hoc apostoli præceptum sitidem

cum præcepto Saluatoris Matth. 5. *Dico vobis non iurare omnino*, & quæ sequuntur: ac proinde eodem modo exponendum. Nam & verba totius præcepti pene eadem sunt: Nec credendum est Discipulum alio sensu ea referre quam quo Magistrum docentem audierat. Cum autem ex scripturis constet, sanctos tam noui quam veteris testamenti iusiurandum dictis suis interdum adhibuisse; ut Abraham, Isaac, Iacob. Gen. 14. 21. 26. & 31. Moysen, Exo. 2. Eliam 3. Reg. 17. & Paulum in suis epistolis; nec quisquam orthodoxus eos propterea culpandos putet: quærendum, quo sensu Christus & discipulus eius Iacobus ventent ne omnino iuremus: simul ut respondeatur nouis & antiquis hæreticis, qui propter hæc duo scripturæ loca, negarunt fas esse cuiquam Christiano aliquando iurare. Fuit enim is error quondam Pelagij, deinde Ioannis Wiclefij, & hodie Anabaptistarum. Quidam igitur respondent iurare positum virobique pro peierare; nec aliud prohiberi, quam ne quis fallat iurando, ne quidem si iuret per creaturas: & ob hoc additum esse, *neque per calum, neque per terram* &c. eo quod Pharisei docebant iuramenta quæ per creaturas fierent, non habere vim obligandi. Sed de Phariseorum doctrina dicemus infra. Refellit autem hæc interpretatio. Nam Christus hoc præceptum tradens, aperte distinguit inter iurare & peierare. *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Non periurabis: Ego autem dico vobis, Non iurare omnino*. Sunt alij qui dicant Christum illis verbis non præceptum dare, sed consilium. Verum nec hi satisfaciunt villo modo. Primum, quia hic apud Iacobum nulla species est consilij. Grauius enim prohibet; ut in superioribus alia multa linguæ & morum vicia. Deinde, quis dixerit Paulum qui toties hortatur fideles ad sui imitationem, ut 1. Cor. 4. & 11. & Philip. 3. hoc Domini consilium neglexisse, imo negligendi in epistolis suis exemplum reliquisse? Addo, quandoque necessitatem occurrere etiam viris perfectis, quæ cogat eos iurare. Iam nec illud conuenit quod alij respondent Hieronymo authore, solam prohiberi iurationem per creaturas; eo quod sequatur; *Neque per calum, &c.* Non conuenit, inquam; quia sicut per Deum, ita & per Dei creaturas licite iuratur, quatenus in illis veritas & gloria Dei opificis refulget. Sic enim creaturas se considerare, etiam Christus apud Matthæum declarat dicens: *Neque per calum, quia thronus Dei est &c.* Restat igitur, ut cum Augustino & alijs doctissimis interpretibus, dicamus hoc Domini præcepto simpliciter & absolute, quemadmodum sonat, prohiberi ne iuremus, quantum scilicet in nobis, est, & quoad eius à no-

bis

bis fieri potest. Ita nimirum ut à iuratione semper & omnino abstinemus, nisi ad eam iusta aliqua necessitas compellar; quum videlicet alioqui proximus adduci non potest ut id credat quod expedit & recta ratio exposcit ut ei persuasum sit. Ita docet Augustinus locum Matthæi exponens lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 17. & in serm. 28. de verbis apostoli. Item lib. de mendacio cap. 15. ubi sic ait: *Intelligendum est illud quod positum est, omnino ad hoc positum, ut quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas, iusiurandum*. Hæc ille. Quæ res ut amplius explicetur, obseruandum est scripturam sacram non ponere iuramentum in bonis. Alioqui enim hortaretur nos ad iurandum: quod nusquam facit. Non enim sicut dicit, *Orate, Vigilate, date, dimittite*: ita dicit vsquam, *Iurate*. Nam quod dicitur Deut. 6. *Per nomen illius iurabis*; hunc sensum habet, Quum iurandum erit, non nisi per nomen illius iurabis: ad exclusionem scilicet alienorum Deorum. Sed nec ponit in medijs & adiaphoris: quia de iuratione non loquitur, sicut de ambulatione aut cursu aut sessione. Ponit ergo iuramentum in malis, id est, fugiendis; non tamen per se fugiendis, ut sunt mendacia, furta, adulteria; sed ita fugiendis, ut admitti non debeant nisi boni necessarii & secundum se expetendi, compensatione. Quo in genere maiorum est hominem occidere, mutilare, percutere. Cur autem huiusmodi malum sit iurare, ea ratio est, quia qui iurat, Deum assumit in testem: quod qui facit absque necessitate, per irreuerentiã peccat diuini nominis; siue iuramento utatur assertorio, siue promissorio. Peccat autem eo magis, si subsit etiam periculum periurij. Nam hoc modo Deum faceret falsum testem. Exponit autem sese periculo periurij, qui assuescit temere ac leuiter iurare. Quanquam & sine eo, peccatum est magnæ irreuerentiæ: velut si quis aut regem aut quemlibet virum honoratum testem rogaret pro re leuicula aut non necessaria. Sed hic tanto grauius peccatur, quanto grauiora sunt peccata, quæ in Deum committuntur, quam quæ in homines. Hinc est quod Patres, præsertim Græci, maximè Chrysostomus in homilijs ad populum, dum inuehuntur in pessimam facile iurantium consuetudinem; ita loquuntur interdum de hac Christi prohibitione, quasi nullam admittant exceptionem: quum tamen non aliud sentiant reuera, quàm quod iam diximus, ac potissimum virgeat, in quotidiano & familiari sermone nunquam prorsus utendum esse iuramento. Vnde & habet bonorum fidelium consuetudo, ut

iuraturi caput aperiant, diuinæ reuerentiæ causa. Sed & canones ecclesiæ certas personas à iureiurando vel prohibent vel eximunt; & ut à ieiunio præsteret, saltem ex honestate requirunt. Porro sensum Dominici præcepti iam datum confirmat lex ipsa, cuius veram intelligentiam aduersus scribarum & Phariseorum corruptelas aperire voluit Dominus. Non enim ut illi interpretabantur, solum periurium lex prohibebat, sed ne nomen Domini assumeretur in vanum. Assumitur autem in vanum, quoties in testimonium extra necessitatem adhibetur, etiam si verum sit quod iuratur. Quamquam ipsa quoque lex naturalis nos docet ne sine iusta causa Deum testem adhibeamus; ac ne tunc quidem sine magna reuerentia.

NEQUE PER CALVM, NEQUE PER TERRAM, NEQUE ALIVD QVODCVMQVE IVRAMENTVM. Iudaicus error erat, ex traditione Scribarum & Phariseorum profectus, in ea iuratione quæ per creaturas fieret, vsque adeo culpam non agnosceret, ut eum qui sic iurasset, ad præstandum promissum crederent non teneri, etiam si per templum aut altare iurasset. Tantum excipiebant quædam creaturas suæ avaritiæ accommodas, per quas iurantem, teneri dicerent: Id totum patet ex verbis Christi, sic illos increpantis Matth. 23. *Ve vobis dnces cæci, qui dicitis; Quicumque iurauerit per templum, nihil est: Qui autem iurauerit in auro templi, debet. Et, Quicumque iurauerit in altari; nihil est: Quicumque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet*. Apparet autem huius erroris reliquias apud Iudæos fideles illo adhuc tempore hæsisse: quos proinde docet apostolus, generale esse Christi præceptum, *non iurare omnino*; id est, non solum non peierare, sed nec omnino iurare idque non solum expresso Dei nomine, sed ne per vllam quidem creaturam. Cuius rationem Christus ipse adiunxit; Matth. 5. *Neque per calum, inquit, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: Neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis, &c.* Quasi dicat; Quicumque per hæc iurat, per Deum iurat, cuius maiestas & veritas in his creaturis agnoscitur. Et si verò non omnium creaturarum par sit præstantia: nulla tamen est, cui non veritatis ac gloriæ suæ notas Deus impresserit; ut per illas iurans, per Deum iurasse censeatur. Partem illam: *Neque aliud quodcunque iuramentum*, aut generaliter accipere possumus de quocunque genere iuramenti; aut restrictè, hoc modo; Neque per quamcunque aliam creaturam.

SIT AVTEM SERMO VESTER, EST, EST; NON, NON. Vocabulum *sermo*, vi-

detur

detur ex Matthæo additum. Nam Græca sic habent: *Sit autem vestrum est, Est, siue, ut alij vertunt. Vestrum etiam, etiam.* Est enim in Græco *vai*, aduerbium affirmandi; quod & noster interpretis alibi reddit per *etiam*. vt Act. 5. & 22. Ordo verborum: *Vestrum est, sit Est, & vestrum non, sit Non.* Sensus autem: Sermo vester quo quid affirmatis, sit simplex & nuda affirmatio: & sermo quo quid negatis, sit simplex & nuda negatio. Dicit hoc ad exclusionem iuramenti. Nam affirmatio vel negatio iurata non simplex affirmatio vel negatio est. Alioqui, non verat quo minus addita ratione quis probabile faciat id quod affirmat aut negat. Eandem sententiam habent Christi verba apud Matthæum; licet in Græco non nihil diuersa. Nam apostolum his verbis idem velle quod Christum; non potest dubitari. Quamquam alij sensum vtriusque loci hunc esse malunt, constanter & vera affirmate, & falsa negare: Vanitatem & inconstantiam in dictis & promissis fugite. Ita nimirum fiet vt absque iuramenti fidem mereamini. Confirmant hunc sensum ex epistola Pauli 2. Cor. 1. vbi per *Est & Non*, dictorum inconstantia denotatur. Ex quo apparet, per *Est, Est, & per non, non*; significari dictorum constantiam. Quod non improbo. Veruntamen de sensu Paulino consulatur illius loci commentarius.

VT NON SVB IVDICIO DECIDATIS. Græca sic habent: *Ut non in simulationem incidatis.* hoc est, Ne efficiamini hypocritæ; simulatores. Nam hypocritarum est non simpliciter loqui: dum aliud sunt, aliud videri volunt. Sed parum congruit hic sensus. Non enim hypocrisis ex inconstantia sermonis oriri solet; sed contra hæc ex illa. Proinde Oecumenius adfert & alium sensum. Dicit enim apostolum *ὑποκρίσιν* dixisse κατὰ κρίσιν, id est, *condemnationem.* *Ut non in condemnationem incidatis.* Quod conuenit cum nostra lectione. Nam *iudicium* intelligitur condemnationis. Sed vbi *ὑποκρίσιν κατὰ κρίσιν* significet non reperio. Quocirca probabilis admodum coniectura est, in Græco non *ὑποκρίσιν*, sed diuiso vocabulo, *ὑπὸ κριῶν* legendum esse (quomodo certe legit noster interpretis, dum vertit *sub iudicio*, fortè, *sub iudicium*) abijciendam verò præpositionem *eis*, vt superuacaneam, ac verisimiliter suppletam ab ijs qui legebant *ὑποκρίσιν*. Argumento est textus Syriacus; *Ut non condemnemini sub iudicium.* Denique hanc quam dixi lectionem annotatam habent in margine biblia regia, & Robertus notat vetus exemplar Græcum quod eam habuerit, sibi conspectum. Sit igitur germana scriptura Græca, *Ut non sub iudicium*

cadatis, id est, Ne condemnemini, ne fubeatis iudicium condemnationis, ne iudex in vos animaduertat, vosque puniat; si videlicet legem ipsius de non iurando, minus seruaueritis. Videtur respicere ad legis comminationem, præcepto annexam: *Qui non erit impunitus &c.* Deut. 5. Et hinc liquet non esse consilij tantum, sed præcepti; *non iurare omnino.*

TRISTATUR ALIQUIS VESTRVM? ORET. Græcè: *Affligitur aliquis inter vos? oret.* Est enim verbum *κακοπαθεῖ*: cuius verbale nomen paulo antè vertit *laborem*, id est, *afflictionem.*

ÆQVO ANIMO EST? PSALLAT. Græcè, *εὐθυμῆ τις*; bono animo est aliquis? Significatur animus hilariter affectus; vt est ijs quibus res prosperè succedunt. quamquam bene vertit interpretis, *Æquo animo est?* Suprà compefcuit apostolus afflictorum ac dolentium fratrum mutuas querelas, prohibens ne ingemiscerent aduersum se mutuo: nunc quid iisdem agere debeant, quid item prosperitate gaudentes; breuiter admonet. Et quidem afflictos tristefque, ad orandum hortatur: prosperè agentes & hilares, ad psallendum. Illis enim, vt consolatione ac malorum leuamine egentibus, oratio conuenit: his, vt Dei benigntate fruētibus, laus & gratiarum actio, quæ psalmodiarum cantu reddi solet. Notandum, quosdam Latinos codices ita legere; *Oret æquo animo & psallat.* Quam lectionem etiam Beda habet, & interpretatur. Sed viciosa esse constat, refragantibus optimis quibusque exemplaribus, & tam Græco textu quam Syriaco.

INFIRMATUR QVIS IN VOBIS? Decendit ad speciem afflictionis, quæ est aduersa corporis valetudo: docetque quid in ea Christiano homini sit agendum. Quæ doctrina nequaquam prætermittenda fuit, eo quod spirituali remedio maximè opus habeant infirmi, potissimum ij qui ad finem huius vitæ appropinquant, Deo iudici (quem ante ianuam astare dixit) iam iamque sistendi. Nam (vt loquuntur Tridentini concilij Patres sess. 14. in doctrina de sacramento extremæ vnctionis) *eius aduersarius noster occasiones per omnem vitam querat & capiet, vt denotare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes sue versutia neruos intendat ad peridendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, diuina misericordie deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vita prospiciet.*

Igitur ex hoc apostoli Iacobi loco eiusdem concilij Patres, & cum ijs omnes orthodoxi, rectissime statuunt & probant eam vnctionem quæ, perpetuo more Catholice ecclesie, infirmis adhibetur, ab apostolica traditione manasse, adeoque verè & proprie

sacramen-

sacramentum esse nouæ legis. Tradit enim hic Apostolus omnia ad huiusmodi sacramentum necessaria: materiam, formam, proprium ministrum, & effectum gratiæ; ac primo loco eum qui suscipere debeat. Quæ res aduersus contradictores hæreticos (qui vt sacramentum hoc Catholicis eriperent, partim ademerunt huic epistolæ spiritum Apostolicum, vt ostendimus in prolegomenis, partim nouas & contortas in hanc Scripturam expositiones ingesserunt) erit nobis in progressu commentarij demonstranda per singula. Primum ergo quum dicit: *Infirmitur quis in vobis?* eum designat cui sit administrandum hoc sacramentum; videlicet infirmum, id est, corporali morbo detentum, eumque præsertim qui tam periculosè decumbit, vt in exitu vitæ constitutus videatur. Nam vox Græca *ἀσθενῆς* de grauiore morbo intelligitur. Confer quæ dicta sunt ad illud 1. Corinth. 11. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles.* Vnde & sacramentum hoc, executionum nuncupatur. Ita Patres Tridentini capite tertio eiusdem doctrinæ. Quæ de re etiam sic legitur in decreto Florentino; *Hoc sacramentum nisi infirmo de cuius morte timesur, dari non debet.* Denique huiusmodi statum morbi insinuat vox Græca *κακῶν*, qua paulò post Apostolus vitur.

INDUCAT PRESBYTEROS ECCLESIE. Inducat, Græcè *προσκαλεσθῆναι*, aduocet, accersat. Ecclesia presbyteros variè interpretantur sectarij. Nam alij, simpliciter ætate seniores in quavis communitate fidelium, intelligunt; alij, primores in populo. Et sunt qui medicos illis annumerent; vt B. Aretius. Porro Caluinus eo vocabulo generaliter comprehendit vult omnes qui regendæ ecclesie præstant, siue pastores sint, siue delecti ex plebe quasi censores ad tuendam disciplinam. At verò Tridentini Patres & omnes Catholici, *presbyteros ecclesie* non alios intelligunt quam sacerdotes ab episcopo ritè ordinatos; siue iisdem sint episcopi siue non. Nam quod ad ætatis attinet significationem; vix vsquam in scriptura noui testamenti *πρεσβύτερος*, presbyter, senior, ætatis nomen est: Passim verò aut populi magistratus eo vocabulo designatur; vt in euangelijs, & interdum in Actis Apostolorum; aut ij significantur *presbyterorum* nomine qui ad episcopalem aut sacerdotalem functionem ordinatione sacra promoti sunt. Hoc autem modo accipitur, vbicumque de ecclesie ministerijs agitur; vt in Actis Apostolorum & epistolis Paulinis, ac nominatim etiam in his epistolis quæ Catholice vocantur. vt in prima Petri epistola cap. 5. & in epistola Ioannis secunda & tertia. Similiter autem & hoc loco: primum, quia non simpliciter *presbyteri*, dicuntur, sed *presbyteri ecclesie*; tum, quia iubentur orare super infir-

rum; deinde, quia per eos vnctio facienda præscribitur in nomine Domini; deniq; quia per eorum ministerium remissio peccatorum obtinenda promittitur. Ac sanè quin huius generis presbyteros B. Iacobus significare voluerit, apud totam antiquitatem nulla fuit vnquam dubitatio. Hinc igitur habemus ministrum huius sacramenti, *presbyterum ecclesie* ritu consecratum. Sed quæres cur dicat *presbyteros* plurali numero, cum de vno loquatur infirmo. Non enim consuetudinis est vt à pluribus vni sacramentum hoc administraretur, sed ab vno; quemadmodum & cætera ecclesie sacramenta. Respondent quidam, apostolum loqui secundum consuetudinem ecclesie primitiue, quando tanto studio curabatur fidelium salus; vt plures presbyteri, & interdum etiam episcopus presbyteris comitatus, ad infirmum accurrerent. Quorum etsi vnus tantum vnctionem adhiberet; omnes tamen vngerere quodammodo dicebantur, quatenus vno vnctio ceteri assistebant ac preces iungebant. Aliter, ac fortasse melius, responderetur, enallagen esse numeri; *Accersat presbyteros*, id est, *aliquem ex presbyteris.* quomodo dicuntur latrones qui cum Christo crucifixi erant, ei conuicti fuisse. Marc. 15. cum alter latronum id fecerit. Ita loquitur etiam S. Augustinus serm. 33 de diuersis, quum ait, mulierem quandam, quæ vitam infanti suo mortuo precibus à B. Stephano impetrauerat, tulisse eum ad presbyteros baptizandum, id est, ad aliquem presbyterorum. Nam lib. 1 miraculorum S. Stephani cap. vlt. apud eundem August. tom. 10. vbi res eadem narratur, tantum fit mentio *presbyteri*, numero singulari. Veruntamen, nisi in vna ecclesia plures essent presbyteri, non diceret B. Iacobus pluraliter, *presbyteros ecclesie*. Vt hinc etiam colligatur aduersus Arianos hæreticos, non eundem esse presbyterum & episcopum. Neque enim vna ecclesia plures habebat episcopos.

ET ORENT SVPER EVM. Cuiusmodi debeat esse hæc super infirmum oratio, docet ecclesie traditio; secundum quam, à presbytero plures quidem pro infirmo sunt orationes, quibus illi sanitatem animæ & corporis precatur à Deo; sed ea præcipua est, quæ cum ipsa vnctione coniungitur, presbytero dicente, *Per istam sanctam vnctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus &c.* vt habetur in decreto Florentino: vel alijs verbis, idem tamen valentibus, vtente; iuxta morem cuiusque ecclesie. Quamquam, quid oratione super infirmum, petendum sit, satis ipse beatus Iacobus ostendit infra, referens huius orationis effectus, sanitatem, alleuacionem, & peccatorum remissionem. Igitur hac parte, quemadmodum & ea quæ statim sequitur, *Et oratio fidei saluabit infirmum*; indicat Apostolus, presbytero certis ac præscriptis à CHRISTO

Nun vel

vel ecclesia verbis utendum esse; quam Sacramenti formam vocamus. Nam & illud quod dicit, *super eum*, & non, *pro eo*; significationem ingerit ritus ceremonialis. quomodo & ab Augustino dictum est libro 3 de baptismo capit. 16. manus impositionem non aliud esse quam orationem super hominem.

VNGENTES EUM OLEO IN NOMINE DOMINI. Hic iam aperte materia declaratur huius Sacramenti, videlicet oleum oliuæ. Nam illud solum proprie est oleum; sicut vinum solum proprie vinum est. Atque hæc unctio, quemadmodum loquuntur Patres Tridentini, Spiritus-sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, aptissime representat: præsertim quum oleum in scripturis etiam misericordiae significationem habeat, quam ipsis verbis suæ orationis infirmo precatur sacerdos: ut ita probe sibi respondeant verbum & elementum. Porro quæ membra corporis ungenta sint, ex ecclesiastica traditione & consuetudine petendum. Quod additur, *in nomine Domini*, triplicem admittit constructionem. Vna est, ut ad dictionem *oleo*, referatur, & sensus sit; Vngentes eum oleo benedicto in nomine Domini, id est, consecrato cum inuocatione diuini nominis. Non enim nisi oleo per episcopum benedicto fas est hanc sacram unctioem peragi: tametsi disputant Theologi, num ea benedictio solâ præcepti vel diuini vel ecclesiastici necessitate requiratur, an etiam sacramenti. Altera constructio est, qua refertur ad totum istud complexum, *Vngentes eum oleo*; id est, ad actionem presbyteri infirmum ungentis. Hoc enim facere debet *in nomine Domini*. Huius & superioris constructionis meminit Beda. Verum hæc posterior multo probabilior est, ut sit sensus; *Vngant eum oleo in nomine Domini* Iesu Christi; id est, vice Christi, tanquam eius ministri: & ut Paulus loquitur 2 Cor. 2. *in persona Christi*. Sic idem Paulus 1 Cor. 5. *iudicauit*, inquit, *in nomine Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi hominem Satana*. Sic ipse B. Iacobus non multo superius dixit *prophetas locutos in nomine Domini*. Tertio potest extendi ad totum illud quod præcedit; *Orent super eum ungentes eum oleo*, id est, ad totam actionem presbyteri, quæ orationem & unctioem complectitur: ut significetur non solam unctioem, quæ est materia applicatio, verum etiam orationem, quæ est formæ recitatio, fieri à presbytero tanquam Christi ministro; ut dictum est: quemadmodum similia faciendo, vice Christi fungitur ei que ministrat, in baptismo & alijs sacramentis.

Porro quæ ad huius loci interpretationem ab hæreticis adferuntur, ut hoc infirmorum sacramentum Catholicis extorqueant; fa-

cillinaum est refellere. Primus Ioannes VVicleffus B. Iacobi sententiam huiusmodi verbis conatur eludere. Quoniam, inquit, in Palæstina præstans erat oleum; & cum primis vitæ sanandis corporibus quibus adhibitum esset: idcirco de recreando ægrotato verba faciens Apostolus, unctioem olei præscribit. Non dissimiliter quidam sectariorum nostri sæculi; quorum penè nouissimus Benedictus Arctius in suo commentario scribit ad hunc modum: *Olei usus fere in omnibus morbis locum habet, præsertim in Orientalibus regionibus, & ad meridiana, ubi olei est magna copia. Oleo igitur iubet ungere, quasi expedito remedio, & comparatu facili*. Sic ille. Sed hi primùm non attendunt ad titulum siue inscriptionem huius epistolæ. Nam inscribitur non Ierolymitis aut Iudæis in Palæstina, aut in Oriente vel Meridie habitantibus: sed duodecim tribubus in dispersione positis. Quam dispersionem explicans beatus Petrus initio prioris suæ epistolæ, primo loco Pontum nominat, frigidam Septentrionalis Asiæ regionem, nec vini nec olei feracem. Deinde si de naturali virtute olei sentit Apostolus; cur ecclesiæ presbyteros, ac non potius corporum medicos aduocari iubet? Nam quod medicorum est, promittunt medici. Quocirca sapienter Ecclesiasticus capit. 38. ad curanda ægrotantium corpora non presbyteros, sed medicos & vnguentarios accersendos admonet. Iam quid absurdius quam vnum idemque medicamenti genus morbis omnibus adhibendum præcipere; quando olei usus in quibusdam morbis etiam noxius sit ac perniciosus? Denique, si commentarium de naturali per oleum sanatione recipimus hoc loco: licebit & euangelicam apud B. Marcum historiam sic interpretari capit. 6. ubi narrat, Christi discipulos ab ipso ad prædicandum euangelium missos, oleo multos ægros unxisse & sanasse. Quod si nimis absurdum est (non enim per curationes morborum naturales, sed per opera vim omnem naturæ excedentia, doctrinam suam caelestem mundo commendatam facere voluit CHRISTVS Dominus): utique nec Beatum Iacobum qui idipsum fidelibus commendat atque promulgat, quod à CHRISTO apud Marcum insinuatum est, de naturali curatione loqui, vlla ratio permittit. Quo argumento etiam Calvinus istum commentarium rejicit, scribens in Marcum. Est igitur aliorum quorundam responsio, figuratum esse sermonem Apostoli, quo significatum sit, ecclesiæ ministros debere Euangelij prædicatione consolari infirmum; ut hoc sit ungere eum oleo in nomine Domini, ægrotum illius animum verbi Domini-

ci sua-

ci suauitate delinire. Sic illi commenticio tropo, qui mos est hæreticorum, callare nituntur Christi sacramentum. Atqui tropicum hunc sensum vt nullus Patrum agnouit; ita planè refugit simplicitas verborum Apostoli, qui utique præcipere vult aliquid quod intellectu sit obuium; quemadmodum & in præcedentibus fecit, & in sequentibus. Hic autem tropus sententiam prorsus obscurat; maximè quod insolitum sit, neque ex vlllo alio scripturæ loco probabilis reddatur: Nam quod à Marco refertur, historicum esse, ac sine tropo intelligendum, inter omnes constat. Restat ea interpretatio quam auctore Caluino multi sectariorum tenent. Dicunt enim Iacobum Apostolum loqui secundum ea tempora, quibus adhuc vigebar in ecclesia donum sanationis. Eo namque manifestè pettinere, quod Marcus scribit de ægrotis unctioem olei sanatis. Posteaquam verò donum illud cessauit: stultè ac ridiculè nos agere, qui ritum illum unctioem, vt pote iam inanem & inutilem, adhuc retinendum putemus. Igitur beatum Iacobum interpretantur de unctioem olei qua sanabatur infirmus per gratiam curationis; quam multi tunc præditi erant. Qui commentarius etiam plus aliquid coloris habeat, quam duo superiores; optimis tamen rationibus refellitur. Primùm, quia gratia sanationis, atque in vniuersum gratia miraculorum non se extendebat ad effectus spirituales, sed ad corporales dumtaxat. Hæc autem unctio spirituale effectum infirmo conferebat; vt ex sequentibus patet. Deinde, quia diuisiones gratiarum sunt, quas operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis pro vt vult. 1 Corinth. 12. Nec igitur soli presbyteri, nec omnes, gratiam sanationis habebant. Quare non dicendum fuisset, *Accersat presbyteros ecclesiæ*; sed, eos qui præditi sunt dono pellendi morbos. Quæ ratio procedit, etiam si (quod quidam sectariorum volunt) presbyteri intelligantur aut ætate seniores, aut primores in populo, Tertio, quia loquitur Apostolus de infirmo fratre seu fideli, inter fideles inungendo. Atqui miraculorum usus potissimum erat ad conuertendum infideles. Quocirca Paulus qui patrem Publij febribus & dysenteria vexatum sanauit, A&. vlumo, carissimum tamen Timotheum suum stomachi vicio ac frequentibus infirmitatibus obnoxium, non miraculo restituit, sed ad naturale remedium misit. 1 Timoth. 5. Vt nec Epaphroditum ægrotantem vsque ad mortem; Philippens. 2. nec Trophimum Mileti infirmum à se relictum; 2 Timoth. 4. quamuis homines ecclesiæ necessarios, per miraculum sibi sanandos existimauit. Quar-

to, quia quod generaliter à Domino fuerat promissum in se credentibus, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Marci vlt. id non debebat B. Iacobus aut mutare, aut ad unctioem olei restringere, si de sola ageret sanatione corporali. Postremò, cum cætera præcepta quæcumque tradit in hac epistola, pertineant ad omnium temporum Christianos: nullo modo credibile est hoc vnum. (vt vult Calvinus) temporarium esse, & vix vnus sæculi. Itaque meritò commentarium hunc expressè damnandum censuit Tridentina Synodus sessione 14. capit. 3 doctrinæ de Sacramento Extremæ unctioem. & cano. 2. Porro testimonia Patrum qui huius sacræ unctioem tanquam ecclesiastici sacramenti meminerunt, si quis requirat; ea plurima diligenter & ordine collecta reperiet apud Franciscum Feuardentium in commentario loci præsentis. Nobis iusticiat ex antiquitate vnum ac præcipuum indicasse, Sanctum videlicet Innocentium papam eius nominis primum, Sancto Augustino synchronon, qui in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum, de hoc Sacramento eiusque ritu ac ministro, ceterisque illuc pertinentibus, accuratè pertractat; non nouum aliquid instituens, sed ecclesiæ Romanæ consuetudinem ex Apostolica traditione manantem, decreto suo explicans. Quod eius decretum passim à posterioribus Theologis citatur; ac nominatim à Venerabili Beda locum hunc exponente, in testimonium adducitur. Ac ne de sola Romanæ ecclesiæ consuetudine videamur præscribere: morem celebrandi huius sacramenti à maioribus acceptum etiam Græcorum ecclesiæ, quamuis schismaticæ, vsque hodie retinent; vt locuples testis est ipsorum Patriarcha Ieremias, qui consultus à Lutheranis, tam de hoc Sacramento quam de alijs, quæ Protestantes controuertunt, idipsum quod ecclesiæ Romana seruat ac docet, etiam apud suos seruari ac doceri, disertissime profiteretur.

ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMVM. Græcè, *ἡ πίστις ἐργάζεται* laborantem; vt vertit Erasmus, atque etiam legit Innocentius. Quo verbo periculum ægrotantis insinuat, tanquam deficientis ac morbo succumbentis. Declarat Apostolus hac parte & sequentibus, effectum huius sacræ unctioem. *Oratio fidei* dicitur oratio à fide profecta, fideque subnixâ; si non ipsius ministri (quod ad effectum Sacramenti non est necessarium) saltem ecclesiæ, cuius ille personam in administrando sacramento sustinet, & cuius fides nunquam deficit. Verbo *oratio saluabit*, saluum reddet, sanitas corporis significatur, iuxta omnium fere interpretum expositionem.

nem. Cum enim de corporali infirmitate loquatur Apostolus; consentaneum est hoc quod sequitur, *saluabit*, de eiusdem generis salute intelligi: non excludendo tamen intellectum de salute ac sanatione animæ; maximè quia salus corporis ad salutem animæ hinc referenda est. Tum quia non dicit, *sanabit*, quod magis ad corpus solet referri; sed *saluabit*, quod tam de anima quam de corpore dicitur, ac frequentius in sacris literis ad animam refertur, ut in fine huius capituli; *Saluabit animam eius à morte*. Quò pertinet quod Patres Florentini, respicientes ad hæc Apostoli verba, definiunt effectum huius sacramenti esse mentis sanationem; in quantum autem expedit, etiam corporis. Addunt autem, *in quantum expedit*, sicut & Patres Tridentini, *Ubi saluti animæ expedit*: quia cum id quod salutaribus agitur sacramentis (ut ait Augustinus enchirid. 66.) magis ad spem futurorum bonorum, quam ad refectionem vel adeptionem præsentium pertineat: non debuit absolutè fidelibus per hoc ecclesiæ sacramentum, nec per vllum aliud, promitti corporis salus; sed ita demum quatenus ad animæ salutem & adipiscenda cælestia bona, conduceret. Vnde hunc effectum meritò secundarium minulque principalem huius sacramenti, nuncupant Theologi. Notandum tamen, sub hac sanatione corporali, quamlibet etiam modicam morbi releuationem comprehendit; velut motum aliquem ad sanitatem. Vnde, licet rarius contingat hominem periculosè agrotantem, sacra hæc vnctione adhibita restitui sanitati; sæpenumero tamen euenit, ut morbi leuamen aliquod agrotus sentiat. Id quod varijs de causis ad salutem animæ potest conducere; Hunc autem effectum significat oleum; quatenus est sanatiuum. Sed obijcit aduersarius, effectum hunc, quicumque significetur, non vnctioni ascribi, sed orationi. Respondeo, quod antè iam dixi, orationem quam facit presbyter super infirmum, comprehendere formam huius sacramenti: Cum igitur in sacramentis principalior sit forma quam materia; nihil mirum si potius orationem nominauit Apostolus, quam vnctionem, vbi sacramenti effectum exponere voluit: tamen et si quod de oratione dixit, de vnctione, velut altera sacramenti parte, iam proximè non ociosè vtique nominatà, reliquit intelligendum. Alioqui sanè, si quis solam orationem adhiberet, vnctione neglecta; nihilo plus efficeret, quam fecissent Apostoli, si, quando iussi fuerunt vngere ægros oleo & sanare, quemadmodum scribitur Marci sexto, omissa vnctione solam adhibuissent vel orationem vel manus impositionem. Quod si verè &

inoffensè dixit Apostolus Paulus ecclesiam mundari lauacro aquæ: cur offendit, si ex doctrina Apostoli Iacobi dicatur infirmus saluari vnctione olei?

ET ALLEVIABIT EVM DOMINVS. Nempe Christus, in cuius nomine fuerit vnctus. *Alleuiabit*, Græcè *εξεργει*, id est, *eriget*, ut alij vertunt. Pro quo legit Innocentius, *suscitabit*. Quidam codices habent, *alleuabit*; Sed verisimile est interpretem scripsisse, *alleuiabit*, et si minus Latine; quemadmodum & Actorum 27. *Satiati cibo alleuiabant nauem*. Erat enim vocabulum illo seculo receptum apud ecclesiasticos scriptores, pro releuare, exonerare, & ad animum relatum, pro eo quod est, dolorem mitigare, leuiorem reddere. Quo verbo etiam Hieronymus vsus est in translatione veteris testamenti, ut Isaia 9. & Iona 1. Hinc verò sic est exponendum ut Græco respondeat. Constat autem Græcum verbum *εξεργει* in scripturis Apostolicis ita ferè sumi ut ad animum pertineat, ac idem sit quod torporem, tristitiam, negligentiam pellere; aut quid simile. ut Roman. 13. *Hora est iam nos de somno surgere*. Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*. 2 Petr. 3. *Vestram excito in commotione, sicut etiam mentem*. Sic & apud Lucam capit. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Cæterum hoc loco, vbi de infirmo agitur ad salutarem exitum parando, nihil aptius intelligi potest ea voce significari, quam liberatio à torpore, macore & anxietate, qua plerumque grauantur ægrati morte vicina, sic vt mentem ad diuina non facile queant attollere. Atque iste est huius sacre vnctionis alter effectus. Quem plenius explicat Synodus Tridentina, dicens, vnctionem spiritus sancti in hoc sacramento ægroti animam alleuiare & confirmare, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus & morbi incommoda ac labores leuius ferat, & tentationibus demonis calcaneo insidiantis facilius resistat. Sed & huius effectus significationem habet oleum; cuius nimirum hæc sunt proprietates, lenire, discutere, exhilarare & confortare.

ET SI IN PECCATIS SIT REMITTENTVR EI. Græcè: *Et si peccata sit operatus, remittetur ei*; id est, si peccata fecerit; commiserit; fiet ei remissio. Nam videtur Apostolus verbum *αφεθηται*, impersonaliter accipere. Exprimuntur hac parte tertius effectus huius vnctionis, videlicet remissio peccatorum. Cum enim vt plurimum causæ morborum sint peccata: conuenienter admodum, pro consolatione infirmi, promissionem adiungit remissionis peccatorum; innuens futu-

rum

rum vt causâ remotâ morbus cesset, aut ad salutem cedat. Sic enim legimus & Dauidem morbo afflicto, veniam peccatorum à Deo petiisse. psalm. 6. & 37. Verum effectus hac parte significatus non vno modo ab omnibus explicatur. Quidam de remissione venialium intelligunt. Nam mortalium remissio post baptismum non aliter quam per sacramentum reconciliationis obtineri potest. Nec verò solet infirmus nisi reconciliatus iungi. Cui intellectui si obijcias conditionem à Iacobo appositam, *Si in peccatis sit*; quæ vtique in venialibus locum non habet (nam sine peccatis nemo viuit, ipso etiam Iacobo teste, qui supra cap. 3. dixit: *In multis offendimus omnes*): Respondent, particulam (si) sæpe sic vsurpari, etiam in sacris literis, vt non tam conditionem incertæ ac dubiæ rei significet, quam concessionem rei certæ & indubitatæ. vt Malach. 1. *Si pater ego sum; vbi est honor meus? Et, si Dominus ego sum; vbi est timor meus?* & 1 Thessal. 1. *Si tamen iustum est apud Deum retribuere &c.* Quale etiam esse volunt quod ab ipso Iacobo dictum est capit. 1. *Si quis vestram indiget sapientia; postulet à Deo*. Maximè verò confirmari videtur hic sensus ex oratione Salomonis 3 Reg. 8. qua dicit: *Quod si peccauerint tibi non est enim homo qui non peccet*. Vbi clarè videmus, particulam, *si*, nihil ob stare, quo minus vniuersaliter & indubitatè etiam hoc loco vera sit affirmatio; ac si dictum esset à beato Iacobo: *Si in peccatis sit*; non est enim homo sine peccatis. Denique probant ex verbis quæ formæ locum habent; *Ignoscat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum &c.* Nam *delicti* vocabulo minora peccata significari solent in Scripturis. Porro alij, quibus inconueniens videtur aliquod sacramentum institutum esse ad remissionem peccatorum venialium; quibus expiandis alia tam multa sunt in promptu remedia: putant peccata hinc intelligi prauas inclinationes ex peccatis relictas, quas, tanquam peccatorum reliquias abstergi dicunt hac sacra vnctione; id quæ significari hoc loco per remissionem peccatorum. Si enim teste Cyrillo libro 4 in Ioanem capit. 17. sacre eucharistiæ digna perceptio sedat in nobis sequentem membrorum nostrorum legem: nihil ob stare videtur, quo minus huic sacramento tribuatur prauarum inclinationum, quas anima peccando contraxit, ablatio seu diminutio. Rursus alij de peccatis mortalibus Apostolum exponunt; quæ per obliuionem aut ignorantiam apud sacerdotem in confessione sacramentali non fuerant detecta. Sunt enim mortalia quædam occulta; in quibus plerique hærent rudiores, maximè quibus bona deest institutio & cura pastorum; cum sint aliqui bonæ voluntatis: quibus probabile est;

per hoc sacramentum diuinitus prouisum esse remedium. Denique sunt qui venialibus interpretentur, non quibuscumque, sed crassioribus & non quotidianis; à quibus sollicitè sibi cauere solent perfectiores. Sed cum beatus Iacobus generaliter nominet peccata: non apparet ratio cur vel ad hoc genus venialium, vel ad illud mortaliū, vel ad solas peccandi inclinationes, vocabulum hoc restringatur. Quin potius ad omnia cuiuscunque generis peccata, comprehensis etiam inclinationibus & affectibus viciosis, extendendam videtur; quatenus extendi potest salutem aliorum sacramentorum institutione ac necessitate. Quod arbitror voluisse Patres tam Florentini concilij quam Tridentini. Illos quidem, quum effectum huius sacramenti statuunt, in genere, mentis sanationem: Illos autem, quam effectum hac parte significatum, exponunt per gratiam Spiritus sancti, cuius vnctio, delicta siqua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit: Nam et si delictum minus aliquid in scripturis significare videatur, quam peccatum; non tamen de solis dicitur venialibus; sed etiam mortalia, saltem ea quæ per ignorantiam fuerint commissa, complectitur: vt videantur Patres, quum *delicta* nominant, respexisse ad illum psalmi 18 versiculum, *Delicta quis intelligit? ab oculis meis munda me*. Vnde & conditionem quæ apud Apostolum est, *si in peccatis sit*, non omitunt tanquam non necessariam, sed exponunt, dicendo, *si qua sunt adhuc expianda*. quod etiam de mortalibus possit intelligi; & tam ad culpam quam ad pœnæ conditionem referri. Nam vtroque modo fit peccatorum expiatio. Nec dubium, quin mortalibus quoad culpam remissis, sæpe grauissimæ referuentur pœnæ luendæ ijs qui non satis dignos fecerunt fructus pœnitentiæ. Quod indicat Paulus 2 Corinth. 12. dicens: *Et ligeam multos ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunitia &c.*

Ex quibus omnibus intelligitur, quam sit hoc vnctionis sacramentum infirmis, quos sæpe multorum peccatorum reatus grauar, salute ac minimè negligendum.

Iam quod addunt peccati reliquias hac vnctione abstergi; significare voluerunt, ni fallor, etiam ad tollendas aut minuendas inclinationes prauas ex primo peccato relictas, alijsque peccatis subinde confirmatas, hoc sacramentum valere. Vocant autem *absterfonem*, alludentes ad olei proprietatem, quæ est abstergere. Sed hæc satis ad explicationem loci præsentis. Cætera quæ ad hoc extremæ vnctionis sacramentum pertinent, ab ijs petenda, qui de sacramentis ecclesiæ ex professo disseruerunt. Quod argumentum etiam à nobis

Nnn 3

aliquando

aliquando tractatum fuit in scripto super Magistrum lib. 4. dist. 23. Multa ibi diximus de peccatorum reliquijs; ac inter eas torporem quoque posuimus, non qui sit ex morbo, de quo supra in secundo effectū, sed qui ex peccato.

16

CONFITEMINI ERGO ALTERUTRUM PECCATA VESTRA. Particulam ergo Græca non habent, nisi pauca quædam. Tantum enim legunt, *Confitemini alterutrum peccata; seu maus delicta*. Nam in Græco non est *μαρτίας, peccata*, quod in parte præcedente; sed *ἀσώματα, lapsus, errata*; cum quis per infirmitatem aut ignorantiam peccat. Vt Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*. Tamen his nominibus indifferenter alijs vtuntur Apostoli, nominatim Paulus Rom. 5. Nec verisimile est B. Iacobum in huius loci contextu de alijs & alijs peccatis loqui; præsertim cum pars ista præcedenti quadantenus respondeat. Sunt autem huius Apostolici præcepti tres expositiones; omnes aliquo modo probabiles. Quidam intelligunt de ea peccatorum confessione, qua culpam agnoscunt, & veniam petunt fideles ab ijs quos aliqua iniuria affecerunt: vt faciendum præcipit Christus Matth. 5. illis verbis: *Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid a te sumptum; Vade, & conuincere fratri tuo*. Et quia multorum mutua sunt iniuria & offensæ: dicunt Apostolum iubere, vt eas mutuo libenter & fateamur & condonemus. Alij malunt eam intelligi peccatorum confessionem, qua peccata reteguntur fratribus, petendi consilij vel auxiliij causa. Consilij; vt quum viri spirituales consuluntur de morbis peccatorum curandis atque in posterum euitandis, sicut intellexisse videtur Augustinus, seu quisquis author, homil. 12 inter 50. Auxilij; quum fratrum intercessione veniam consequi cupimus à Deo. Quam causam non obscure significauit Apostolus, dum subiunxit, *Et orate pro inuicem vt saluemini*. Huiusmodi confessionis exemplū habemus in B. Gregorio, qui in fine suorum Moralium profiteretur se peccatorum suorum vulnera fratribus detegere, vt ab illis subsidium orationis recipiat. Estque huius confessionis quædam formula quotidiana, in eo quod ante missæ Introitum sacerdos & minister sibi mutuo peccata confitentur, mutuaque petunt & reddunt orationes. Porro non pauci catholici scriptores interpretantur hunc locum de confessione peccatorum sacramentali, quæ scilicet apud eos fiat, qui in ecclesia potestatem habent remittendi & retinendi peccata. Ioan. 20. Censent enim B. Iacobum commune facere fideles seruandæ legis, quam sciebant à Christo præscriptam, vt quos conscientia peccatorum grauaret, pro eorum expiatione ad presbyteros, ipsius vicarios, recurrerent. Idque hoc loco peropportune; vbi de infirmis agebat. Cum enim morbi plerumque ex peccatis accidant; merito mo-

nentur infirmi, vt ante omnia sese peccatorum vinculis, præuia eorum confessione, curent absoluedos. Fauent huic expositioni Origen. hom. 2 in Leuit. & Chrysostr. lib. 3. de sacerdotio; qui verba B. Iacobi proxime præcedentia, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*; acceperunt de ea peccatorum remissione quæ fit ministerio sacerdotum. Iuxta quam intelligentiam, aptè subiungitur illud, tanquam de confessione sacramentali dictum: *Confitemini ergo &c.* Nam & confessionis apud sacerdotem faciendæ Origenes eodem loco disertè meminit. Cæterum apertissimè Venerabilis Beda; tam superiora verba quam ista exponens; confessionem peccatorum quæ sacerdoti faciendæ sit, astruit: quanquam & secundam expositionem à nobis allatam admiscet in huius partis commentario. Sic enim scribit: *In hac sententia illa debes esse discretio, vt quotidiana leuius peccata alterutrum coequalibus confiteamur; eorumque quotidiana credamus oratione saluari. Porro grauioris lepro immundiciam, iuxta legem sacerdoti pandamus: atque ad eius arbitrium, quali & quanto tempore iusserit, purificari curemus*. Sic ille. His accedunt Hugo de S. Victore lib. 2 de sacramentis part. 14. cap. 1. & sub nomine Bernadti liber Medit. capit. 9. & his verustior author opusculi de visitatione infirmorum (quod fertur inter opera Augustini) lib. 2. cap. 4. Item Callistus papa citatus à Burchardo lib. 18 Decreti cap. 2. Qui omnes hoc B. Iacobi præceptum referunt ad eam peccatorum confessionem quæ pro more sit ecclesiæ presbyteris. Nec obstat, vt multi putant, huic expositioni, quod ait, *alterutrum*; quasi mutue tantum confessiones hinc præcipiantur; sicut præcipiuntur orationes mutue: Nam Græcè est *ἀλλήλοις*, id est, *alijs alijs*; quemadmodum ipse etiam Erasmus interpretatus est. Vt sit sensus, exponente Hugone, *Confitemini non soli Deo, sed homines hominibus, scilicet ijs quibus potestatem remittendi peccata à Deo concessam nouistis*. Nam Græca dictione, pro qua nunc *alterutrum*, nunc *inuicem*, vertit interpres, nihil amplius significari, patet ex alijs scripturæ locis passim obuijs. Vt Roman. 15. *Suscipite inuicem*, id est, firmi infirmos; vt liquet ex eiusdem capituli initio. & 1 Thess. 5. Ita dum ait idem Paulus Ephes. 5. *Subiecti inuicem in timore Christi*; non vult vt omnes omnibus promiscuè subiecti sint; sed vt quique superioribus; id est, vxores viris, filij parentibus, serui dominis; quemadmodum ibidem consequenter declarat. Item Col. 3. *Nolite mentiri inuicem*, id est, nemo alteri mentiar. Non enim solas fraudes mutuas prohibet. Et Petrus 1 ep. 4. *Hospitalites inuicem*, id est, quidomum & facultatem habent, hospitio recipiant inopes ac tecto indigentes. Huc facit quod narrat Gregorius lib. 3 dialogorum, cap. 36. quosdam in periculo maris constitutos, sibi met pacem dedisse, corpus & sanguinem redemptoris accepisse. *Subiecti,*

id est,

id est, alios alijs; quod noster interpres diceret, *sibi inuicem*. Sentit enim Gregorius presbyteros, qui in nauis erant, reliquæ multitudini sacramentum pacis, seu reconciliationis impendisse; ac deinde viaticum corporis & sanguinis Domini præbuisse simul & accepisse. Et quidem hæc sufficiunt ad stabilendam probabilitatem huius tertiæ expositionis. Sed quia prioribus etiam, præsertim secundæ, sua probabilitas non deest; atque eã alijs, peræquè Catholici scriptores, tradiderunt; idcirco lectori libera sit potestas è duabus, vel etiam ex tribus, eligendi quam voluerit. Quod enim ad veritatem attinet doctrinæ Catholicæ, de vtu ac necessitate sacramentalis confessionis, ea satis abundeque ex alijs Scripturæ locis, ac potissimum ex Christi verbis; *Quorum remiseritis &c.* Ioan. 20. denique ex Apostolica perpetua traditione, confirmatur.

ET ORATE PRO INVICEM VT SALUEMINI. Græcè *ἑαυτοῖς, sanemini, sani sitis*. Qui in parte præcedenti volunt esse præceptum presbyteris confitenda esse peccata; sic exponunt hanc partem; *Orate pro inuicem*, id est, alijs pro alijs, presbyteri pro infirmis peccata sua confessis; vt sanitate recipient. Et ita videtur Beda accepisse. Verum plerique malunt generale esse præceptum, quo iubeatur fideles orare pro sese mutuo; maxime firmiores pro infirmioribus, iusti pro peccatoribus; vt à peccatis, quibus implicitos ex ipsorum confessione cognouerint, Dei misericordia liberentur. Ita futurum, vt pariter vtrique ad salutem perueniant. Nam *sanitas* in Scripturis sæpe ad animam refertur: vt in psalmis. *Sana me Domine & sanabor*. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*. Et 1 Pet. 2. *Cuius liuore sanati estis*. Hunc sensum commendat sequentia de oratione iusti; & illud extremum: *Qui conuerti fecerit peccatorem, saluabit animam eius à morte*. Similiter autem & Ioannes Apostolus sub finem primæ suæ epistolæ, exhortationem adiunxit ad bonos fideles, vt pro peccatoribus orent.

MULTUM ENIM VALET DEPRECATIO IUSTI ASSIDUA. Hinc satis apparet, partem præcedentem potissimum ad iustos seu perfectiores dirigi. Voculam enim, Græca non habent. Addendam tamen putauerunt interpretes, quod intelligerent hinc causam reddi, cur alijs pro alijs, id est, iusti pro peccatoribus, orare debeant: causam dico ab utilitate & effectū. *Assidua*, Græcè *ἐνεργημένη*, id est, *efficax*, secundum Erasmum & alios quosdam eum secutos; sed minus rectè. Nam efficax Græcè dicitur *ἐνεργής*: hinc verò participium est *passuum*, quodque passui tantum significationem habet, quemadmodum & ipsum verbum *ἐνεργείσθαι*, sicut ostendimus ad illud epistolæ ad Gal. 5. *Fides que per charitatem operatur*. Vnde dicti *ἐνεργησθε*, qui à demonibus agitantur. Est igitur Apostolo *ἀένος ἐνεργημένη*, deprecatio incitata, & quasi mo-

tu & impetu quodam agitata; id est, vehemens & feruens, & vt dicere solemus, deuota. Nec aliud videtur voluisse noster interpres, dum *assidua* vertit. Nam assiduitas apud Latinos diligentia significationem habet. Est autem oratio diligens quæ fit cum magno deuotionis affectu. Quæ quidem ab homine iusto oblata, *multum valet*, id est, magnam vim habet ad impetrandum à Deo quod petitur; attestante Ioanne Apostolo 1 ep. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea que sunt placita coram eo, facimus*. Ratio perspicua est, quia iustus amicus est Dei, & proinde ius apud eum habet impetrandi, si quid pro alio petat quod ad salutem pertineat. Peccatoris autem oratio, nisi iam à peccato recesserit, tanquam ab hoste profecta, ingrata est Deo.

ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS. Exemplo confirmat quod dixit de virtute orationis hominis iusti; vt potest, qua cælum claudi possit & aperiri. *Similis nobis passibilis*, Græcè *ὅμοιωτός ἡμῶν*, id est, *similiter vt nos passibilis*. Quæritur quomodo passibilis, animo an corpore? Quidam ad solas animi passiones referunt. Beda de vtriusque interpretatur, ita scribens: *Homo namque erat, tamen nulli hominum virtute secundum, similis nobis origine carnis; passibilis, vt nos, & mentis fragilitate & carnis. Nam quod carne fragilis esset; apud Sareptanam viduam viduum querendo, monstrauit. Quod mente quoque passibilis fuerit, ostendit cum post redditas terras aquas, exstinctosque prophetas & sacerdotes idolorum, vniuersa muliercula minis exterritus per desertum diffugeret*. Hæc ille. Quæ expositio, licet ex scripturis declarata, videri potest maximè probabilis; præsertim quum significatio Græcæ vocis ad vtrumque passionum genus pateat. Sed tamè obstat non nihil, quod alibi ad solam corporis passibilitatem hoc vocabulum referatur, vt Act. 14. vbi pro eo quod in Græco legitur, Paulum & Barnabam ad Lycaonios dixisse; *Et nos similiter vobis passibiles sumus homines: nostra versio sic habet; Et nos mortales sumus similes vobis homines*. Visum fuit interpreti potius vertere *mortales* quam *passibiles*, vt ea voce corporis passibilitatem, de qua loquebantur Apostoli, exprimeret. Nam hoc sermone negare voluerunt se esse Deos, quod esse putabantur. Atqui Deos ab hominibus fecerbat iuxta gentium opinionem immortalitas corporum, non vacuitas passionum animi. Quare & huius loci sensus esse videtur, *Eliam more ceterorum hominum fuisse obnoxium passionibus, id est, molestijs & afflictionibus corporis*. Patiebatur enim famem, sitim, æstū, algotem; denique mortalis erat, etsi priuilegio singulari mortem vsque hodie nondum expertus. Si cui tamen placet etiam animi passiones hoc loco comprehendendi; non resisto: dum sciamus non ita nobis hac parte

Nnn 4

similem

similem fuisse Eliam, ut non eas passiones habuerit vitiosissimas multo magis ratione frangatas minisque turbulenta, quam habeat communis modus iustorum.

ET ORATIONE ORAVIT UT NON PLVERET SUPER TERRAM. Hæc particula *super terram*, à Græcis rejicitur in partem sequentem. At Syra nobiscum faciunt: tamen nihil refert ad sensum, ut ponatur loco. *Oratione oravit*, id est, vehementer & magna animi contentione Deum precatus est. Hæc enim congeminationo vehementiam significare solet in scripturis; ut Isai. 24. *Commotio commovebitur terra*. Luc. 22. *Desiderio desideravi*. Significatur ergo oratio, quam prius vocavit *εὐπροσῆχον*, id est, *incitata, vehemens*, & ut noster interpres vertit, *assidua*. Nam eiusmodi orationis exemplum adducere voluit. Historia est; Regum 17. ubi tamen non aliud legitur quam Eliam dixisse: *Si erit annis his ros & pluvia, nisi iuxta verba mea*. Sed hæc verba nobis exponit Iacobus orationem ad Deum. Non enim talia prophetæ faciebant imperio, sed impetrabant oratione; ut liquet de alijs ab Elia gestis. Sic ergo cælum clausit oratione, sicut oratione postmodum aperuit.

ET NON FLUIT ANNOS TRES ET MENSES SEX. Græcè, *Et non pluit super terram annos tres &c.* Significatur effectus orationem statim consecutus; id est, siccitas terræ Israeliticæ. Tempus quidem definitum siccitatis in historia Regum discrete non exprimitur. Imò videri potest minus triennio fuisse. Nam initio capit. 18 dicitur in anno tertio factum fuisse verbum Domini ad Eliam, ut daretur pluvia super faciem terræ. Sed dicimus expressum fuisse tempus à Christo Lucæ 4. loquente de diebus Eliæ: *Quando, inquit, clausum est cælum annis tribus & mensibus sex*. Nec repugnat quod in historia dicitur: *in anno tertio*. Nam illud tempus supputatur, ut annotat Liranus, non à prohibitione pluvie, sed ab egressu Eliæ de terra Israël. Prius enim latuit in torrente Carith, donec eo siccato abiret in Sareptham Sidoniorum; ut proinde ex ipsa historia tempus illud definitum, quod expresserunt Christus Dominus & Apostolus eius, utcumque colligi possit.

ET RURSVM ORAVIT. Narratur hoc eiusdem libri capit. 18. his verbis: *Elias autem ascendit in verticem Carmeli; & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*, scilicet orandi causa: Nam hæc corporis abiectio, membrorumque compositio erat humiliter orantis. Putat Beda prophetam semel tantum, & prius & postea orasse; statimque una oratione quod voluit, impetrasse. Quod ut de priori oratione verum sit; de posteriore tamen non adeo probabile est: quin potius apparet

eum pro impetranda pluvia septies orasse. Nam totidem vicibus misit puerum ad proficiscendum contra mare, nura inde nubes aliqua ascenderet; ipse interim orandi repetens vices, donec exaudiretur.

ET CÆLVM DEDIT PLVVIAM. *Cælum*, utique aëreum, in cuius media regione gignuntur nubes, ex quibus pluvie in terram descendant.

ET TERRA DEDIT FRVCTVM SVVM. *Dedit*, Græcè, *ἰβλάτισσε*, *germinavit*, *prodixit*. Ex his quæ de Elia orante iam dixit Apostolus, id nobis intelligendum relinquit: Si tanta vis est ferventis ac devote orationis, ut per eam cælum claudi & aperiri possit; nobis omni studio orationi incumbendum esse; ut fratrum salutem à Deo impetremus: rem profectò longè Deo gratiorem, quam sit pluvia terræ fecundandæ necessaria. Porro ne quis existimet sola oratione procurandam esse fratrum salutem: consequenter ostendit etiam monitis & correptionibus agendum, ut frater aberrans in rectam viam reuocetur.

FRATRES MEI, SI QVIS EX VOBIS ERRAVERIT A VERITATE, ET CONVERTERIT QVIS EVM. *Ex vobis*, Græcè, *ἰνὸς υἱῶν υἱῶν*, id est, *inter vos*. *Veritatem* vocat rectam vivendi regulam; quæ complectitur hæc duo, sanam fidem & sanctam conversationem. A sana fide aberrant heretici; à sancta conversatione, avari Christiani. Igitur *errare à veritate*, periphrasis est peccatoris. Hunc autem *convertere* dicitur, qui ea foris adhibet admittenda subsequente effectu, quæ reuocandis ab errore peccatoribus adhibenda Deus instituit; ut preces ad Deum, doctrinam, exhortationem, correptionem, castigationem: cum alioqui solus Deus sit, qui hominum corda propriè possit ad se convertere.

SCIRE DEBET. Græcè *γνωσκῆτω*, *sciat*. QVONIAM QUI CONVERTI FECERIT PECCATOREM AB ERRORE VIE SVÆ. Græcè, *Quod qui converterit*. Est enim *ἄπιστος*, participium verbi quod proximè reddidit uno verbo, *converterit*. Dicit autem Apostolus, *ab errore viae sue*, metaphora sumpta à viatoribus de via aberrantibus: Omnis enim qui peccat, iudicio mentis aberrat ab eo quod rectum est.

SALVABIT ANIMAM RIVS A MORTE. *Eius*, autè in Græcis non est, nisi paucis. Et sanè emphasim habet *animam* solitariè positam. Ut enim res admodum preciosa est anima; ita sciat, inquit, se rem magnam præstitisse, qui *animam à morte*, id est, interitu damnationis æternæ, vindicaverit. Beda scribit quosdam Latinos codices habere, *animam suam*; Est enim ambiguus ad utrumque, genitius *αὐτοῦ*: Verùm in quibus legitur, rectius omnino vertitur hoc loco per *eius*. Hoc enim vult Apostolus quod Dominus ipse, Matth. 18. *Si te au-*


dierit

dierit frater tuus corripientem; lucratus eris fratrem tuum. Iam quo sensu dicatur *homo saluare animam fratris à morte*; cum & id propriè soli Deo competat: ex ijs patet quæ paulò antè dixi. Sic autem & Paulus loquitur 1 Timoth. 4. *Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*.

ET OPERIET MVLTITVDINEM PECCATORVM. In multis codicibus legitur *operiet*: sed verior est lectio, *operiet*; quæ non solum est in textu Græco & Syriaco, verùm etiam reperitur apud Bedam, & in codicibus Latinis probatoribus. Irrepsit autem mutatio ex alijs locis, statim citandis. *Multitudinem peccatorum*; quæritur cuius? suorumne an eius quem converterit? Beda cum nonnullis alijs suorum intelligunt. Sed sciendum est Iacobum alludere ad illud Sapientis Prou. 10. *Vniuersa delicta operis charitas*. Quod & beatus Petrus recitat 1 epist. 4. his verbis: *Charitas operis multitudinem peccatorum*. Loquitur autem Sapiens de peccatis alienis; quæ charitas tegit, dissimulat, & quatenus potest, tollit. Igitur & beatum Ia-

cobum intelligamus hîc loqui de peccatis alterius; scilicet eius qui abductus à veritate, multa & graua peccata commiserit. Nam in Hebræo non simpliciter est *peccata*, sed *peccationes*. Quo minùs etiam ad ipsum corripientem, qui iustus ponitur, hæc multitudo peccatorum referri potest. Quare & hîc supplendum, quod in priori membro: *Et operiet multitudinem peccatorum eius*. Videretur autem coniunctio & causaliter exponenda; ac si dicat Apostolus: Qui peccatorem à via sua praua conuerterit; is animam eius à morte æterna, cuius reatum peccando incurrerat, eripiet, saluamque reddet; quia nimirum hoc opere charitatis illi impensio efficiet, ut verè & coram Deo per penitentiam eius peccata deleantur. Interpretamur Apostolum de morte æternæ damnationis; non de morte peccati: quia de morte loquitur ut de effectu & stipendio peccati; quemadmodum Paulus Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Sic enim & huius epistolæ cap. 1 accipitur, ubi dixit, *peccatum cum consummatum fuerit, mortem gignere*.





DE AVTHORITATE

PRIMÆ EPISTOLÆ

BEATI PETRI

APOSTOLI,

ET AD QVOS SCRIPTA.

DVAS epistolas à Petro Apostolo scriptas agnoscit, & in Canonem Scripturæ sacræ, iam inde ab initio, recepit ecclesia. Et quidem de hac priore (quod testatur Eusebius lib. 3. eccl. hist. cap. 3. & 4.) nulla fuit vnquam controuersia, quin & ipsius Petri esset, qui in fronte nominatur, imò seipsum nominat; & proinde libris canonicis accenseri deberet: Sed de posteriore à quibus & quam ob causam aliquando dubitatum fuerit, suo loco dicemus. Existimat Erasmus in argumento quod præmisit paraphrasi huius epistolæ, ac rursus in ipsa paraphrasi capitis ultimi; Petrum ante has duas aliam adhuc, & ad eosdem, epistolam scripsisse: propterea quod in fine huius dicat, *Per Siluanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breuiter scripsi.* Sed manifestè eam opinionem redarguunt illa verba posterioris epistolæ cap. 3. *Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam.* Non enim secundam sed tertiam dicere debuit; si duas iam antea scripserat. Porrò dicens se per Siluanum scripsisse, non de alia sed de hac ipsa loquitur epistola. Sicut Paulus in fine epistolæ ad Hebræos, *Per paucis scripsi vobis.* vtiq; de illa ipsa loquens epistola.

Ad quos autem hæc scripta sit, ipsa statim initio declarat epigraphe, qua dicitur: *Aduenis dispersionis Ponti, Galatia &c.* Vbi quia primo loco Pontus, inter regiones ad quas missa est, nominatur; à veteribus *Epistola ad Ponticos* appellata fuit; vt à Tertulliano in fine Scorpiaci aduersus Gnosticos, & à Cypriano lib. 3. testimoniorum cap. 36 & 37.

Quæritur autem vtrum ad Iudæos, an ad gentiles, scripta sit. Ad gentiles scriptam fuisse, ex eo videtur ostendi quod cap. 2. dicit: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: Qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Hoc enim testimonium ex Osee propheta sumptum, Paulus ad Rom. 9. de vocatione gentium interpretatur. Huc & alia quædam faciunt: vt illud eiusdem capitis;

Et ipsi

Et ipsi tanquam lapides vivi superedificamini. Quasi dicat, Non tantum qui ex Iudæis, sed etiam vos qui ex gentibus: quomodo fermè Paulus loquitur Ephes. 2. Deinde, quod dicitur cap. 1. *Quem cum non videritis, diligitis.* Item: *Non configurati prioribus ignorantia vestra desiderijs.* Ac rursus: *Redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis.* Hæc enim ad gentes propriè pertinere videntur. Rursus quod dicitur cap. 4. *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxurijs.* Denique addit; *Et illicitis idolorum cultibus.* Quod vtiq; ad gentiles, qui idololatræ fuerant, dictum apparet. Hæc Augustini sententia est lib. 22. contra Faustum cap. 89. & Ioannis Hesselij in commentatio. At verò alij complures in diuersa sunt sententia. vt Eusebius lib. 3. hist. cap. 4. Et Hieronymus in catalogo scriptorum eccl. Item commentatores, Didymus, Oecumenius, Caletanus, Titelmanus & Erasmus; ac præterea Canus lib. 2. de locis Theologicis, Baronius tom. 1. annalium, & Ribera in præmio super epistolam ad Hebræos. Hi omnes scriptam esse volunt hanc epistolam ad Iudæos: quòd id palam ostendant memorata verba inscriptionis, *Aduenis dispersionis.* Nam *dispersionis* nomine Iudæos per orbem dispersos etiam Iacobus significauit in exordio suæ epistolæ: quamuis illic addat, *duodecim tribubus.* Sed eius loco Petrus dicit, *aduenis.* Neque enim gentiles aduenæ erant earum regionum, quas Petrus ibi recenset, sed Iudæi in illis commorantes. Accedit quod secundo capite dicit: *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam.* Et cap. 3. de Sara ad mulieres: *Cuius estis filia, beneficientes, id est, sic respondebitis generi vestro.* His addi potest argumentum ex 2. epistola, quæ ad eosdem scripta est. Nam quod in ea dicitur cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem,* ad Iudæos propriè spectat, apud quos etsi iam fideles, adhuc tamen prophetarum erat maior authoritas quàm Apostolorum. Quin & ex priori epistola cap. 1. simile argumentum accipi potest: quum & ibi in ipso adhuc exordio prophetas in testimonium vocet salutis per Christum promissæ. Est autem & tertia sententia, quorundam qui scriptam putant ad profelytos, velut significatos *aduenarum* vocabulo. Ita Venerabilis Beda, glossator & Liranus. Sed falluntur. Neque enim vllæ erant ecclesiæ profelytorum propriæ, sed cum Iudæis quorum religionem susceperant, communes. Nec erat ratio cur ad eos specialiter scriberet, quando iam euangelio gentibus prædicato fas non erat quemquam ex ijs circumcidi & profelytum fieri. *Aduenas* autem quos Petrus dicat, iam indicauimus, & amplius exponetur in commentario. Hac igitur opinione reiecta; primùm illud satis arbitror ex inscriptione constare, scriptam esse epistolam hanc, saltem principaliter, ad Iudæos, qui erant in dispersione; sicut & epistolam Iacobi. Verùm quia Iudæi fideles in dispersione constituti, cum gentilibus eorundem locorum in Christum credentibus, tanquam fratribus, comunicabant; imò etiam episcopos & ecclesias cum eis habebant communes (erat enim vnus ciuitatis vnus tantum episcopus: idcirco etiam ad gentiles scriptam esse probabile est,

coque

coque pertinere ea loca quæ pro prima sententia adducebantur. Inscritbit autem epistolam ad Iudæos, vt Apostolus circumcisionis: quemadmodum è contrario Paulus vt Apostolus præputij & doctor gentiũ, præcipuè suas epistolas ad gentiles dirigit; quamuis & Romæ & Corinthi & alibi essent etiam Iudæi inter fideles illos ad quos scribit. Vnam excipio epistolam ad Hebræos, quæ ad Iudæos, eosque solos à Paulo scripta est. Hac igitur ratione prima sententia cum secunda probè conciliari potest: tametsi non desint qui contendunt ad solos Iudæos hanc epistolam, equè vt illam B. Iacobi, scriptam esse; & quæ in diuersum allata sunt, diluere conentur. Qua de re aliquid in commentario, cum ad ea loca ventum erit, dicturi sumus, Deo propitio.

ARGUMENTVM EPISTOLÆ.

IN hac epistola potissimum id agit Apostolus Petrus, vt Iudæos ad Christum conuersos, qui gentium regiones, vt dictum est, incolebant, in fide Christi confirmet; docens eos in professione suscepta constantes esse debere, eamque vita & moribus exornare: ita futurum vt hæreditatis cælestis, ad quam vocati essent, participes fiant. Huc autem varias adhibet exhortationes & præcepta, de retinenda in rebus aduersis patientia, de seruanda vitæ innocentia ac puritate, de obedientia præstanda magistratibus, de honesta & Christiana coniugum inter se conuersatione, de vitanda profana gentium consuetudine. Tum inuitat ad vigilantiam, sobrietatem, orandi studium, humilitatem, hospitalitatem, ac cetera officia charitatis in proximos. Atque his præceptis passim admiscet rationes & suasiones à fidei nostræ mysterijs petitas. Vltimo capite, tanquam ipsorum etiam pastorum pastor, seniores, id est, episcopos ac presbyteros hortatur, quomodo in ecclesiarum suarum regimine gerere se debeant.

Est autem epistola, quemadmodum de ea verè & grauius testatur Erasmus, profectò digna Apostolorum Principe, plena authoritatis ac maiestatis Apostolicæ; verbis parca, sententijs differta. Porro qui volet cognoscere quàm consentiant in doctrina Petrus & Paulus; percurrat huius epistolæ sententias & præcepta quæque præcipua; & inueniet ea mirificè conuenire cum ijs quæ Paulus tradit in varijs epistolis; nec dubitabit ab vno spiritu profectam esse vtriusque doctrinam.

Quod ad locum attinet; è Babylone scriptam esse significat ipse in calce epistolæ. Sed *Babylonis* nomine Romam typicè illic esse designatam, propter confusionem idololatriæ, quæ Romæ tunc vigeat; communis est & valde probabilis opinio: vt in vrbe Romana scripta esse non sit cur magnopere ambigamus. Sed hac de re plura in eius loci commentario. Quando scripta sit, non liquet, nisi quod ex iam dictis satis intelligitur nõ prius scripta esse, quàm Petrus Romam venerit. Illud etiam constat ex 4. capite, vbi dicitur, *Si autem vt Christianus*; scriptam esse postquam discipuli iam inceperant cognominari Christiani. Quod quo tempore factum sit, indicat historia Act. 11.

S V M M A R I V M.

DEo gratias agit qui eos, quibus scribit, vocauerit per Christum ad æterna bona à prophetis prænnunciata. Hortatur eos ad sanctam conuersationem, & charitatem mutuam.

CAPVT I.

PETRVS APOSTOLVS IESV CHRISTI. *Petrus*, Syriacè *Cephas*, id est, *petra*, seu *rupes*. Quod nomen ei, cum antea Simon vocaretur primò quidem promissum fuit à Domino, dicitur Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas*: deinde & ab eodem datum atque impositum; vel tunc quando duodecim sibi Apostolos selegit, Marc. 3. Sic enim ibi dicitur; *Et imposuit Simoni nomen Petrus*: Vel potius quando ei dixit Matthæi 16. *Tu es Petrus; & super hanc petram edificabo ecclesiam meam*. &c. Nam verba Marci per anticipationem dicta commodè possunt accipi. Quanquam & prius nomen illi mansit deinceps; vt proinde binomius fuerit, quemadmodum constat, cum ex euangelij & Actis Apostolorum, tum ex epigrapha posterioris epistolæ. *Apostolum*, id est, legatum *Iesu Christi* se scribit; vt id quod facit, ex officio se facere significet. Erat enim muneris Apostolici, non solum verbo, verum etiam, vbi videretur opportunum, scripto per epistolas euangelij negocium agere & promouere. Illud verò modestiæ est, quod simpliciter *Apostolum* se vocat: non autem, quod iure poterat, *Apostolorum principem*. Quo titulo, etiam sectarijs fatentibus, veteres ecclesiæ patres eum honorarunt: non, vt illi volunt, hac ratione, quod ceteris ardentior primas ferè in agendo dicendoque apud Dominum in ordine Apostolorum teneret; sed quia totum ouile Christi (in quo vtiq; erant & Apostoli) vni Petro commissum fuit, ijs verbis Ioan. 21. *Pasce oves meas*.

ELECTIS ADVENIS DISPERSIONIS. Subaudi, *scribit hanc epistolam*. *Electos* vocat eos ad quos scribit, admodum honorabili ac beato titulo: qui tamen non in omnes eos & singulos competat, sed in ecclesias eorum, quæ *electa* dicuntur, quod electis constant tanquam membris præcipuis. Dicuntur autem *electi*, quos alij derelictis ac reprobatis, elegit Deus ab æterno ad hæreditatem regni cælestis. Estque hoc nomen etiam bonis angelis commune. vt 1. Tim. 5. ver. 21. *Aduenas* quidam interpretati sunt Iudæorum profelytos. Nam *προσφυτοι* & *aduenticium* significat: quod & Interpretes noster alias *aduenam* transtulit, vt Actor. 6. *Et Nicolaum aduenam Antiochenum*. Sed nos iam antecorum improbauimus sententiam; qui ad

profelytos scriptam volunt hanc epistolam. Nec verò Græcè est hoc loco, *προσφυτοι*, quo nomine in Scripturis significari solent gentiles ad Iudaicam religionem traditi; sed *παροπιθημοις*, id est, *aduenis*, siue *incolis*. Nam & Act. 2. vbi numerantur variarum gentium ac generum homines, qui Ierolymis habitabant, diuersi ponuntur *aduenæ* & *profelyti*. Porro quibusdam placet, *aduenas* intelligi metaphoricè eos qui tanquam peregrini in hoc mundo versantes; ad cælestem patriam tendunt: quomodo sancti patriarchæ confitebantur se peregrinos & hospites esse super terram, vt dicitur Hebr. 11. Quod & Dauid de se fatetur psalm. 38. Sed hic intellectus refellitur ex nomine *dispersionis*, quod proximè sequitur. Nam *aduenæ dispersionis* Hebræo morè dicuntur aduenæ dispersi, id est, sparsim per diuersas prouincias habitantes, scilicet in ijs locis quæ continuò post exprimuntur: Erant autem ij Iudæi qui quondam, per captiuitates & bella, patrijs sedibus eieci aut sponte profugi, varias toto orbe regiones incolebant. vt declaratum est ad illud Iac. 1. *Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione*. Etenim de dispersione eodem sensu loquuntur Iacobus & Petrus.

PONTI, GALATIÆ, CAPPADOCIÆ, ASIÆ ET BITHYNIÆ. Oecumenius coniunctè legit & exponit, *Ponti Galatiæ*, id est, eius regionis quæ vocatur Galatia Ponti: quod sit & alia iuxta Celtas Galatia, quæ est Gallia Celtica. Hinc Oecumenij interpret ad mentem authoris vertit: *incolentibus Ponti Galatiæ*. Verum nusquam alibi legitur Galatia Ponti. Neque enim Galatia, quæ alio nomine Gallogræcia dicta, Ponti regio est, sed à Septentrione Pontum habet adiacentem. Igitur Pontus hinc nominatur, sicut & Act. 2. inter eas regiones quas incolebant Iudæi. Ac huiusmodi quinque numerat B. Petrus hoc loco: Ex quibus Lucas Act. 2. tres nominat, Cappadociam, Pontum & Asiam. Quum autem constet, Pontum, Galatiam, Cappadociam & Bithyniam fuisse regiones Asiæ minoris (nã maior Asia intelligi hinc non potest): quæritur quomodo Petrus, imò & Lucas, Asiam illis annumeret tanquam distinctam. Respondeo, specialius adhuc Asiam fuisse appellatam eam regionem quæ circa Ephesum est; qua, præter alias, comprehendebantur septem illæ ciuitates ad quarum ecclesias scribere iubetur Ioannes Apocal. 1. Atque hanc strictiorem significationem Asiæ facile est colligere ex reliqua historia Act. præsertim cap. 16. vbi Phrygiam, Galatiam, Mysiam & Bithyniam, quæ omnes sunt Asiæ minoris regiones, inuenies ab Asia distingui; hac vtiq; specialiore. Quò pertinere etiam arbitror illud capit. 19. de Paulo Ephesi per biennium docente: *Ita vt omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque gentiles*. Iam quæ causa fuerit

Beato Petro propriè ad harum prouinciarum fideles scribendi, non liquet. Hieronymus libro primo contra Iovinianum causam indicat quod eas prouincias Petrus ipse peragrasset, & sua prædicatione ecclesiæ Christi conuinxisset. Epiphanius quoque in hæresi Carpocratitarum: *Petrus*, inquit, *sæpe Pontum & Bithyniam* uisitauit. Et Leo papa sermone primo quem habuit in natali Apostolorum Petri & Pauli, Petrum alloquens: *Iam*, inquit, *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam* legibus euangelicæ prædicationis impleras. Sed cum Alia & Galatiæ populos Pauli prædicatione conuersos ad Christum fuisse, sacra Scriptura testetur; eam potiore causam existimo, quod ob graues persecutiones aduersus fideles maximè ludæos in illis partibus excitatas, Petro, uel Apostolo circumcisionis omniumque fidelium pastori, uisum fuerit eos necessariò per epistolam exhortandos ad patientiam, & in fide confirmandos. Obiter nota genitios *Ponti, Galatiæ* &c. non regi à genitio *dispersionis*, sed à datiuo *aduenis*. Significat enim fuisse *aduenas* illorum locorum, *aduenas*, inquam, *dispersos*.

2. SECUNDVM PRÆSCIENTIAM DEI PATRIS. Partem hanc Oecumenius, & ante eum Cyrillus in libro de recta fide, connectunt cum illa; *Apostolus Iesu Christi*: ut Apostolum Christi se dicat Petrus, ex Dei Patris præscientia & voluntate constitutum: quomodo Paulus in multis epistolis se uocat Apostolum Iesu Christi per uoluntatem Dei. Verum quæ hinc continuò sequuntur, omninò cogunt ut referatur ad uocabulum, *electis*. Quod & Beda facit; & Liranus ac cæteri probant. Sed & Syrus paraphrastes uerbum *electis* hic repetit, dicens: *Qui electi fuerunt in præscientia* &c. *Præscientiam*, siue *præcognitionem*, Græcè *προγνωσιν*, uocat prædilectionem, uel quod eòdem recidit, prouidentiam seu benignam ordinationem. Erasmus uertit *præscitionem*: Liranus *prædestinationem* exponit, Augustinum securus, qui libro de dono perseverantiæ capit. 18. docet præscientiam Dei quam in bonis ponitur, eandem esse cum prædestinatione. Nihil enim boni præuidet Deus, quod ipse non sit facturus. Ita Petrus infra, Christum *agnum immaculatum* dicit *præcognitum*, id est, præordinatum ante mundi constitutionem. Nec secus uisitur hac uoce Paulus Roman. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit* &c. & capite 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit*. Idque conuenienter uerbo simplici *scire* seu *cognoscere*; quod uisitatissimè in Scripturis accipitur pro diligere, approbare, tanquam suum agnoscere. *Electos* ergo dicit *secundum præscientiam Dei*; id est, electos æterna Dei præordinatione & prædilectione; ut omnis cogitatio merito-

rum qualiumcunque hanc electionem præuenientium, quæ ex parte nostra fingi possent, excludatur: utque cum gratiarum actione fideles intelligant se sola Dei gratiâ ad salutem esse prædestinatos. Quod idem pluribus docet Paulus Roman. 9. & Ephes. 1.

IN SANCTIFICATIONEM SPIRITVS. Græcè, *In sanctificatione spiritus*. Et ita uertisse interpretem uerilimile est: quandoquidem & Beda sic legit; & in nonnullis adhuc codicibus Latinis ea lectio reperitur. Et alibi interpret sic uertit, ut 2. Thessalon. 2. ubi similiter est Græcè *ἐν ἀγιασμῷ πνεύματος*. Potest autem exponi uel de spiritu humano, uel de spiritu sancto. Priori modo sensus est; Electis ut spiritus uester sanctificetur. Nam etsi corpus etiam sanctum esse debeat: eius tamen sanctitas à spiritu tanquam principaliore dependet. Altero modo: Electis per Spiritum sanctum ut ille uos sanctificet. Ac si dixisset, *In spiritu sanctificationis*, id est, in spiritu sanctificante. Videtur enim esse hypallage. Nam & alibi legimus *spiritum sanctificationis*, ut Roman. 1. Et hic sensus melius explicat usum Græcæ præpositionis *ἐν*, quem ex idiomate Hebræo passim habet in sacris literis. Unde Erasmus uertit: *per sanctificationem spiritus*. Attamen conferendus est hic locus cum illo Pauli iam allegato 2. Thessalon. 2. qui sic habet: *Elegit uos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus & fide ueritatis*. Est enim sententia similis. Cæterum utroque sensu declaratur effectus electionis. Nam ut ait Paulus Ephes. 1. *Elegit nos Deus ut essemus sancti*. Posterior sensus, quem ferè omnes tradunt, etiam hac ratione præferendus est, quod compleat in B. Petri uerbis mysterium Trinitatis. Nam Deum Patrem in parte præcedenti nominauit; in sequenti, Filium. Et quidem accommodatissimè Patri nostram electionem ac dilectionem tribuit; Spiritui sancto, sanctificationem; Filio redemptionem. Sequitur enim,

IN OBEDIENTIAM ET ASPERSIONEM SANGVINIS IESU CHRISTI. Hæc quoque pars dependet à uerbo *electis*; potestque duobus modis construui: *In obedientiam sanguinis Iesu Christi, & asperionem eiusdem sanguinis*; uel, *In obedientiam Iesu Christi, & asperionem sanguinis eiusdem Iesu*. Quæ posterior constructio magis placet. Nam obedientiam sanguinis nusquam legimus. Quæritur autem quam uocet obedientiam Christi: num eam qua Christus obediuit Patri usque ad mortem crucis; an eam qua nos Christo obediui. De priore quidam intelligunt. Sed ijs obstat quod non rectè dicimur electi in (uel ad) obedientiam qua Christus obediuit Patri; sed potius per eam; At uerò rectè conuenienterque dicimur electi ad obedientiam CHRISTO

præstandam. Huius autem obedientiæ meminit scriptura, quoties commendat obedientiam euangelij, & fidei; interdum & Christi, passiuam uidelicet, ut grammaticè loquamur. Act. 6. Rom. 1. 10. & 16. Item 2. Thessal. 1. & Hebr. 5. Hæc obedientia est credere & opera fidei consentanea exercere. Ad hæc igitur à Deo electos Petrus dicit: quem admodum & Paulus Ephes. 2. *Creasti*, inquit, *in Christo Iesu in operibus bonis; quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus*. Addit sanctus Petrus *asperionem sanguinis Iesu Christi*, id est, expiationem peccatorum sanguine eius factam; quæ est altera pars nostræ iustificationis: ut inuuet, totam nostram iusticiam, quæ partim in fide & operatione uirtutum, partim in remissione peccatorum consistit, esse diuinæ electionis effectum. Vocatur autem remissio peccatorum *asperio sanguinis Christi*; quia per Christi sanguinem nemo mundatur à peccatis, nisi fuerit eo aspersus; id est, nisi applicatum ei fuerit Christi patientis meritum. Quæ quidem asperio siue applicatio fit per obedientiam fidei; iuxta illud Roman. 3. *Quem proposuit Deus propiciationem per fidem in sanguine ipsius*. Cæterum manifesta hic est allusio ad asperionem sanguinis brutorum animalium, quæ factæ leguntur in ueteri testamento; ut quæ figuræ fuerint istius asperionis de qua loquitur. Erant autem asperiones uariæ; de quibus uide Ioannem Hesselium in commentario: sed respicit potissimum Beatus Petrus ad eam asperionem quæ describitur Exod. 24. De qua & Paulus agit Hebr. 9. referens Moysen sanguine uitorum & hircorum, quo dedicabatur uetus testamentum, asperisse librum legis & populum & tabernaculum & omnia uasa eius; ac dixisse: *Hic sanguis testamenti quod mandauit ad uos Deus*. Hæc enim typicè significabant nouum testamentum dedicandum esse in sanguine Christi; nec eo mundari posse quicquã, cui non fuerit aspersus.

GRATIA VOBIS ET PAX MULTIPLICETUR. Salutatio est, quæ fidelibus gratia Dei iam præuentis, augmentum ac multiplicationem eiusdem gratiæ, simul & pacis, impetratur. *Gratia* nomen complectitur omne Dei beneficium quo prouehimur ad salutem; quod totum *gratia* uocatur, quia gratis datur. *Pacem* multi interpretantur reconciliationem & amicitiam cum Deo. Alij, quietam & securam bonorum in Deo possessionem. Rursus alij salutem in genere. Sunt enim Hebræica salutandi formulæ, *Pax uobis; Pax uobis*. Vide quæ à nobis annotata sunt ad similem salutationem epistolæ Pauli ad Romanos.

3. BENEDICTVS DEVS, ET PATER DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Exordium epistolæ sumit à laude Dei & gratiarum actione; iisdem uerbis quibus & Paulus exorsus est epistolam ad Corinthios secun-

dam, & epistolam ad Ephesios. Nam *benedictio* laudis intelligitur. Unde Erasmus uertit hoc loco: *Laudandus est Deus*. Sensus est: Deus, idemque Domini nostri IESU CHRISTI Pater sit benedictus, id est, laudetur à nobis, propter beneficia in nos collata; nominatim propter illud quod sequitur;

4. QUI SECUNDVM MISERICORDIAM SVAM MAGNAM REGENERAVIT NOS IN SPERM VIVAM. Hæc quamuis etiam de Deo Filio uera sint; constat tamen ad Deum Patrem referenda esse, de quo dixerat: *Benedictus Deus* &c. Qui, inquit, cum sit ab æterno Pater Domini nostri Iesu Christi per naturam; nos in tempore filios habere uoluit per adptionem. Cui enim essemus in peccatis geniti, & per hoc natura filij in ac mortis æternæ; nouam ac tecudam nobis in baptismo (quod est lauacrum renouationis ac regenerationis. Tit. 3.) contulit natiuitatem, qua nos sibi ipsi genuit filios; ut pote per iusticiam sibi similes: idque *in spem uiam*, siue ut legit Augustinus libro 1. de peccatorum meritis capit. 27. *in spem uia æternæ*. quasi dicat, facta nobis certissima spe consequendæ uitæ æternæ, tanquam hereditatis filijs promissæ, atque ex promissione debitæ. Quod totum immensè est *miseriordia*. Non hic à negocio salutis simpliciter excluduntur merita, quod uult Caluinus; sed ipsa etiam merita gratiæ & misericordiæ eligentis Dei accepta feruntur. Non enim electio est ex meritis, sed merita ex electione.

PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI EX MORTUIS. Potest hæc pars referri uel ad uerbum, *regenerauit*, uel ad *spem uiam*. Si ad prius referas; significabitur resurrectionem Christi à morte, causam esse nostræ regenerationis, qua à morte peccati resurgimus ad uitam iusticiæ: *Resurrexit enim propter iustificationem nostram*. Rom. 4. Cuius autem generis causa sit, ad eum locum Pauli plenius explicarum reperies. Sin autem referas ad *spem uiam*: tale erit quod dicit; *Spem nobis fecit uitæ æternæ*. & immortalis per resurrectionem Filij sui quem à morte resuscitauit ad uitam æternam & immortalem. Quoniam enim Christus resurrexit; & nos resurgemus: ut quod caput præcessit, membra sequantur. Hoc enim argumento Paulus quoque resurrectionem mortuorum astruit. 1. Corinth. 15. & 1. Thessal. 4. Itaque sensus iste probabilis est: tamen si prior qui partem hanc refert ad uerbum *regenerauit*, germanior uidetur. Sic enim & infra loquitur Beatus Petrus capite tertio, dicens *baptisma nos saluos facere per resurrectionem IESU CHRISTI*. Atque hic sensus etiam apud interpretes magis receptus est.

4. IN HÆREDITATEM INCORRPTIBILEM, ET INCONTAMINATAM,

ET IMMARCESCIBILEM. Explicatio est illius partis, *regeneravit nos in spem vitam*; eidemque coheret. Nam sicut generatio, ita & regeneratio, filiorum est; filij autem, hæredes. Docet ergo ad quam hæreditatem regenerati simus: & sensus est; Regeneravit nos in spem vitam: quæ vita est hæreditas ad nos ut filios petentura; hæreditas, inquam, *incorruptibilis*, quia corrumpi, perire, & semel habita auferri non potest; est *incontaminata* siue incontaminabilis, quia nullas fordes aut maculas admittit; *Non enim intrabit in eam aliquid coinquinatum*. Apocal. 21. Vel potius ideo incontaminata, quod ipsa in se sit omni ex parte purissima, nihil habens quod offendat. Immarcescibilis denique est, quia vigorem suum ac gratiam, instar amaranti floris, semper retinet; ut nullo vnquam tempore possessori fastidium tediumve subrepat. His epithetis *hæreditas* illa cælestis discernitur ab hæreditatibus terrenis, ad quas suos filios generant patres carnales. Harum enim nulla est, quæ non perire & auferri; nulla quæ non sordescere & contaminari; nulla quæ non tandem vilescere possit & displicere.

CONSERVATAM IN CÆLIS IN VOBIS. Addit *conservatam in cælis*; ut huius hæreditatis excellentiam simul & certitudinem declararet. Excellentiam, quia cælestis est. Certitudinem, quia in cælo conservatur, non in terra. Tanquam si dicat: Hæreditas vestra in tuto est; nam apud Deum custoditur, è cuius manu nemo potest eripere. Quod & Dominus in euangelio significavit, ita præcipiens Matthæi 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo; ubi neque arugo, neque tinea demolitur, & ubi furcs non effodiunt nec furantur*. Vfus est autem Apostolus participio præteriti temporis *conservatam*, id est, *conservatam, aservatam*; non autem presentis temporis *conservatur*, quæ conservatur: ut innuat non novam esse hanc Dei curam pro suis electis; sed eum iam olim ab origine mundi, ex quo cælos fecit, hanc futuris suis filijs hæreditatem in cælis repositam conservasse. Qua in re significatio est singularis providentiæ diuinæ circa suos electos. Particula sequens; *in vobis*, pro qua Erasmus, *erga vos*; Hentenius *ad vos* (nam Græcè est *eis vobis*), ita videtur accipienda ac si dixisset, *in vos*; quomodo legit Hieron. libro 1. contra Iovinian. capit. 24. aut si dixisset tertio casu absque præpositione (quomodo citat Augustinus) *servatam vobis in cælis*. Ab hoc loco beatus Petrus personam mutat, primam in secundam. Dixerat enim, *regeneravit nos*: nunc autem dicit, *in vos*. Quam personam deinceps longè continuat, eo quod serviat exhortationi. Quanquam nonnulli Græci codices etiam hinc legunt *eis vobis*, in nos. Sed illi ipsi quoque statim ver. 6 secundam habent personam.

5 QVI IN VIRTUTE DEI CUSTODIMINI PER FIDEM. Commendatio est gratiæ Dei, qui quos regeneravit, eosdem custodit; idque potenti virtute gratiæ suæ, quæ facit eos perseverare. Nam donum perseverantiæ significatur. Rursum, sicut regeneravit per fidem, teste Iacobo capite primo. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis: ita & per fidem custodit*; quia iustus quamdiu vivit in hoc sæculo, semper ex fide vivit. Vtitur Apostolus peculiari verbo *conservatam*, id est, *qui custodimini* non quomodocunque, sed *vigilantissima cura*; qualis est militum qui in excubijs collocantur ea parte qua metuitur hostilis irruptio. Nam *conservatam* militare præsidium significat. Hanc Dei pro nobis vigilantiam & curam ostendit illud psalm. 120. *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*. Observanda quoque relatio huius partis ad præcedentem. Nam ne dicant; Quid iuvat hæreditatem nostram conservari in cælo, si nos quotidie periclitamur in terra? docet utrumque Deo esse curæ, adeoque alterum ex altero impleri. Per hoc enim hæreditas in cælo nobis conservatur, quod in terra Dei virtute custodimur. Hæc porro ad electos pertinent; non ad vnumquemque fidelium. Singulis enim dicitur: *Tu si de fide: noli alium sapere, sed tunc*. Roman. 11. Quare locus hic & similes alij nihil faciunt pro fide speciali, id est, perniciosa securitate salutis; quam sectarij passim inculcant.

IN SALVTEM PARATAM REVELARI IN TEMPORE NOVISSIMO. Hanc partem alij aliò referunt. Quidam ad verbum *regeneravit*, ut per appositionem iungatur cum eo quod dixit, *in hæreditatem*, & ceter. videlicet hoc sensu: Regeneravit nos ad hæreditatem incorruptibilem, hoc est, ad salutem in ultimo tempore reuelandam. Alij construunt cum verbo *custodimini*. Custodit enim nos Deus per fidem ad salutem æternam. Sunt autem qui referant ad fidem, ut sensus sit: Per fidem, qua creditis salutem seu vitam æternam venturam, Deus vos custodit. Sicut dicitur Actorum 14. *Videns quia haberet fidem ut saluus fieret*. Omnes hæc expositiones probabiles sunt; sed secunda præ cæteris obvia & expedita. Quod ait, *paratam reuelari in tempore novissimo*; significat hanc salutem & hæreditatem ita nobis esse repositam in cælo, ut iam parata sit, exhibenda tamen suo tempore, videlicet *in tempore novissimo*, id est, in fine sæculi. Loquitur enim de hæreditate cælesti, tanquam de thesauro reposito, qui non adhuc comparandus sit, sed iam dudum partus & paratus; ut tempore constituto tradatur ei cui servabatur. Dicit autem, *revelari*, quia nunc latet illa salus quæ in fine sæculi patefiet. *Novissimum tempus* alibi

vocatur

vocatur ultima mundi ætas; quæ præceditur ab adventu Christi vsque ad diem iudicij. ut I. Ioan. 2. *Filioli, novissima hora est*. Hic verò significat illius ætatis extremum, id est, ipsum iudicij diem. Tunc enim demum salus illa reuelabitur, omnibusque palam innotescet; non ipsis solum electis, sed toti mundo. Nunc quidem interim animæ iustorum regnant cum Christo; sed regnum hoc non est vniuersale, nec hominum, sed (ut dixi) animarum; nec adhuc manifestum, imò à multis non creditum.

6 IN QVO EXSULTABITIS. Græcè *ἀγαλλιάσθε*, *exsultatis*; atque ita legisse Oecumenium constat. Sic & multi Latini codices manuscripti: ut vix dubium sit, quin Latinus interpres ita scripserit. Sed futurum tempus loco presentis irrepserit, quod sensus ita postulare videretur. Vnde & Oecumenius præfens pro futuro dicit accipi. Quod & alij quidam sequuntur. Idque non male; si istud *in quo*, referret *tempus novissimum*, ut illi volunt. Nam in tempore novissimo non exsultamus; sed exsultabimus. Moverat etiam antilogiæ species in verbis Apostoli alioqui futura. Sequitur enim, *Nunc contristati*. Quomodo ergo eis diceret, verbo presentis temporis, Exsultatis; ac non potius in futuro, Exsultabitis? Quo modo Saluator ait, *Beati qui nunc fletis, quia videbitis*. Lucæ 6. Atqui dicendum est, particulam, *in quo*, non referre *tempus novissimum*; sed totum complexum quod præcessit de spæ nostra conservata in cælis, deque salute parata reuelari in novissimo tempore. Hæc enim sunt quæ maximam nobis, etiam in hoc presentis tempore, exsultandi materiam præbent. Ita; ut dixi, illud, *in quo*, exponunt Beda & alij. Nec vlla repugnantia est, eos qui tristes sunt, exsultare; dum attendunt rationes diuersas. Tristantur enim propter afflictiones presentes; exsultant autem in spæ retributionis futuræ. secundum illud Pauli Roman. 12. *Spes habentes*. Ut etiam hic locum habeat, quod idem Apostolus scribit in persona ministrorum euangelij 2. Corinth. 6. *Quasi tristes; semper autem gaudentes*. Ita Dominus Matth. 5. cum dixisset: *Beati qui lugent*; ipsidem postea dicit, *Gaudete & exsultate; quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Igitur beatus Petrus hæc scribit fidelibus electis; congratulans eorum felicitati: tanquam diceret, Eorum quæ dixi consideratione merito gaudetis & exsultatis. Sunt enim maxima bona; quorum certa spæ ingens gaudium excitat in animis credentium; etiam inter medias afflictiones. Confirmatur hic commentarius ex eo quod paulò post sequitur eodem sensu: *Credentes autem exsultatis leticia inenarrabili &c.* Non ignoro posse etiam verti modo præceptiuo: *In quo exsultate*. Quæ versio quibusdam placet: nobis non item. Nondum enim venit ad præcepta; sed ad-

huc in exordio versatur, quo benevolentiam excitat.

MODICVM NVNC, SI OPORTET, CONTRISTATI IN VARIIS TENTATIONIBVS. Legendum arbitror *contristati*, non *contristari*; tamen etiam Bedam hoc pacto legisse commentarius eius arguit. At Græcè est, *λυπηθέντες* non *λυπέσθαι*: Vbi nec tanta est similitudo vocum, quanta in Latino, ut alteram pro altera quis facillè scribat aut legat. Sed & sensus commodior est; modò memineris eam partem, *si oportet*, commate, seu mauius clausula parenthetica separandam à sequenti dictione *contristati*. Missale Romanum in quibusdam impressionibus, etiam Antuerpiensibus, habuit *contristati*: velut anni 1577. Interpretes alij quo seimò dilucidior sit, sed eam partem, *si oportet*, reijciunt in finem, hoc modo: *Modicum nunc contristati in varijs tentationibus, si opus sit*. Adverbiū *modicum*, Græcè *ὀλίγον*, secundum quosdam magnitudinem dimittit; secundum alios, durationem. Quod est probabilius. Sentit enim Apostolus *tentationes*, id est, afflictiones huius temporis, etsi multas & alias alijs grauiore, non diu duraturas, sed breui finiendas. Sic infra capit. 5. *Modicum passos ipse perficiet*. Hinc alij vitantes ambiguitatem, verterunt: *paulisper, parumper, ad breue tempus*. *Tentationum* nomine significantur afflictiones; quod per eas Deus tentare seu probare solet homines, ut plenius expositum est ad illud Iacobi 1. *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incidertis*. Igitur *contristati in varijs tentationibus*, idem est quod dolere seu mœrore affecti ob varias & multiplices afflictiones. Addit autem, *si oportet*, quia quamuis piè viuentibus tribulationes nunquam desunt, imò *per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei*; Actorum 14. non tamen semper, nec omnibus quæ graues incumbunt. Tamen quoties ea occurrunt; æquo animo ferendus est dolor. Hoc est quod ait; *si oportet*; si opus sit; si ita res ferat. Præ quo dicit infra cap. 3. *Si voluntas Dei velit*.

7 VT PROBATIO VESTRÆ FIDEI MVLTQ; PRECIOSIOR AVRO QVOD PER IGNEM PROBATUR. Tentatis & contristatis ponit ob oculos fructum tentationum. Græca plus aliquid habent: *multo preciosior auro quod perit, per ignem autem probatur*. Id est; quod etsi percat seu corruptibile sit, tamen tanti sit ab hominibus ut velint igne probari, quo suum apud ipsos præcium obtineat. Similiter infra, *corruptibilia vocat aurum & argentum*. *Probatio fidei* locutione transitiua dicitur, pro *fides probata, explorata*, nempe varijs tentationibus. Eam *aurum per ignem probato* dicit esse *multo preciosiorem*, non quod comparabile sit aurum cum fide; sed ad declarandam

hoc schemate comparationis, excellentiam fidei: quomodo Dauid *iudicia Domini* prædicans, ea dicit esse *desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum & dulciora super mel & fauum*. psalm. 18. Subest igitur in his verbis argumentum à minore: Si aurum quod corruptibile est elementum, probatione per ignem redditur hominibus preciosum & carum; cur non Deus fidei probationem exigit per afflictiones, ut ea coram ipso resplendeat, graviorque fiat?

INVENIATUR IN LAUDEM ET GLORIAM ET HONOREM. Id est, inueniatur digna laude, gloria & honore, scilicet in iudicio Dei. *Laudē* quidem; quia *tunc laus erit unicuique à Deo*. 1 Corinth. 4. Tunc enim audiunt qui bona egerunt, has voces iudicis: *Euge serue bone & fidelis &c. Venite benedicti Patris mei &c.* Matth. 25. *Gloria & honore*; quia *quicumque honorificauerit me, glorificabo eum*, ait Dominus 1 Reg. 2. Et quia *gloria & honor omni operanti bonum*. Roman. 2. Est autem ad aurum, de quo locutus est, allusio. Nam ut auro non antè suus habetur honos, quam purgatum & probatum fuerit; ita significat, fidem posteaquam vitè fuerit examinata & probata, gloria & honore coronandam à Deo; id est, ipsum hominem merito fidei coronandum; sicut dicit Beatus Iacobus capite primo: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ*.

IN REVELATIONE IESU CHRISTI. Id est, in die iudicij, quum apparuerit qui nunc latet Iesus Christus veniens in gloria.

Potest tota oratio construi & breuiter explicari, ad hunc modum: ut fides vestra tentationibus probata, reperiat in aduentu Christi iudicis longè preciosior auro per ignem probato, proindeque laudem, gloriam, & honorem apud eum consecutura. Suggestit hunc ordinem Caietanus. Dicitur autem fides inueniri in die iudicij secundum effectum laudis & gloriæ; ut iam declaratum est.

9 QVEM CVM NON VIDERITIS, DILIGITIS. *Videritis*; vertendum esset, *non videritis*; est enim in Græco participium *eidotes*: sed noticiam hinc accipiunt interpretes quæ per sensum fit principalem, id est, visum; quod verisimile sit Petrum respicere ad dictum Saluatoris, *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Ioan. 20. Sed cum vox illa Græca contrahi non soleat ad sensum videndi, sed magis ad mentem referatur; neque apud Ioannem in sententia citata legatur *eidotes*, sed *idotes*, quod ad visum propriè pertinet: poterit pars ista sic exponi; Quem cum antè ne quidem cognoueritis, annunciatum tamen diligitis. Porro si omninò non cognouerant; sequitur ut nec viderint: Nam qui videt, aliquo modo cognoscit: Itaque

completur hic intellectus priorem. Sanè vetus quædam translatio, iuxta quam citat hunc locum Augustinus lib. 1 de pec. mer. cap. 27. pro *non videritis*, habet *ignoratis*, id est, non cognoscebatis. Igitur Petrus hac parte fideles electos collaudat, quod Christum antea nec visum nec cognitum, ita fide receperint; ut etiam dilexerint, utique ea dilectione quam fides exigit, quæque conuenit eum diligi qui Deus & homo est, idemque hominum Saluator. Ex hoc loco nonnulli coniecturam sumunt hanc epistolam scriptam esse ad gentiles. Quorum fides in hoc specialiter commendatur, quod in eum crediderunt quem non viderunt. Nam Iudæi Christum habuerunt præsentem. Sed parum firma est coniectura. Scribit enim Petrus ad Iudæos non in Iudæa commorantes, ubi Dominus in carne fuit conuersatus; sed ad eos qui erant in dispersione; quorum plurimi Iudæam non viderant. Vnde ad illos etiam, meritò pertinet laus illa: *Quem cum non videritis, diligitis*.

IN QVEM NVNC QVORVM NON VIDENTES, CREDITIS. *Creditis* non est in Græco, nec in Syriaco. Tantum enim legitur: *In quem nunc non videntes*. Vbi Græcè est *opwtes*, diuersum vocabulura superiore. Pendet autem adhuc sententia.

CREDITENTES AVTEM, EXULTABITIS LÆTITIA INENARRABILI ET GLORIFICATA. Legendum *exultatis*, ut suprâ; quemadmodum habent Græca & Syra, consentientibus exemplaribus Latinis penè omnibus quæ apud nos sunt tam scriptis quam impressis. Repetit enim Apostolus & declarat fructum fidei superius indicatum, ubi dixit, *In quo exultatis*: ostendens quanta sit ea exultatio, præsertim in cordibus eorum qui fidem suam frequenti meditatione exercent. Est igitur sensus: At cum ne nunc quidem eum videatis; credentes tamen in eum, exultatis ob spem promissæ felicitatis gaudio ineffabili & glorificato. *Ineffabili* quidem; quia de bonis est ineffabilibus, & quæ superant omnem sensum. *Glorificato* autem; id est, glorioso (nam Hebraismus est, participium pro nomine) magnifico, stabili item ac solido. Est enim hoc gaudium de gloria cælesti & æterna, ab eo promissa, quæ fallere non potest. Porro sciendum, hinc quoque verti posse, *exultate* pro *exultatis*, scilicet modo præceptiuo. quomodo citat Augustinus libro 2. de symbolo ad Catechumenos cap. 7. *Gaudete inenarrabili gaudio*. Sed melius vertitur enunciatiuè. Cuius ratio superius reddita est. Causam tanti gaudij deinceps exponit.

9 REPORTANTES FINEM FIDEI VESTRÆ, SALVTEM ANIMARVM. Plurique de salute futura interpretantur; quia post mortem corporum, salutem exspectamus animarum, ac nouissimè totius hominis. Verum, quia nō dicit, *reportaturis*, sed *reportantes*. Græcè *nomi*

10 Quos potius accipiendum videtur de salute in genere, cuius initium in hac vita; quomodo Paulus loquitur ad Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem*. Et ad Tit. 3. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit*. Et Iacobus in fine suæ epistolæ: *Saluabit animam eius à morte*. Saluatur enim dum iustificatur: sed ea salus primùm imperfecta, deinde paulatim augetur, ut in futuro sæculo perficiatur. Dicit autem *animarum*, quia salus hæc in præfenti vita ad solas animas pertinet, non ad corpora. Nam hac vita durante, *is qui foris est noster homo corrumpitur: sed is qui intus est renouatur de die in diem*. 2 Corinth. 4. Item nominans *salutem animarum*, Iudæos, ad quos scribit, reuocat à sensu carnali; ne salutem per Christum promissam imaginentur talem, qualis erat felicitas in veteri testamento per Moysen promissa. Porro *finem* vocat fructum; qui idem causæ finalis habet rationem, etsi non vltimæ. Fructus enim & finis fidei nostræ est animarum nostrarum salus; quæ hinc inchoatur & in futuro perficitur: tamen Paulus de *fructu & fine* distinctè loquitur, Roman. 6. *Serui*, inquit, *facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò, vitam æternam*. Nam finem ibi intelligit vltimum, post quem nihil aliud exspectatur.

DE QVA SALVTE EXQUISIERVNT ATQVE SCRVTATI SVNT PROPHETÆ. Salutis de qua loquitur, magnitudinem amplificat à studio veterum prophetarum, qui diuino spiritu moti de ea diligenter inquiserunt. Horum autem meminit, quemadmodum & in secunda epistola cap. 1. quod ad Iudæos scriberet, quorum fides ex prophetis erat confirmanda. Studium hoc ad desiderium prophetarum significauit Christus Dominus Matth. 13. cum ait: *Multi propheta & iusti cupierunt videre que videtis, & audire que auditis*. Tale fuit desiderium Isaïæ clamantis: *Rorate cali desuper, & nubes pluant iustum: aperietur terra & germinet Saluatorem. Vinam dirumpes calos, & descenderes*. Isa. 45 & 64. Intelligit autem B. Petrus prophetas ea de quibus scrutati sunt, scripto consignasse; ut Iudæis in manibus essent. Nam ad scripturas propheticas respicit: sicut & in secunda epistola; Idque satis declarant ea quæ hinc sequuntur.

QVI DE FVTVRA IN VOBIS GRATIA PROPHETAVERVNT. Græcè, *eis nūqs*, in vos: Nec additur *futura*; sed supplementum est interpretis. Erasmus & Hentenius ita reddiderunt: *Qui de ventura in vos gratia uaticinati sunt*. Alius ita supplet; *Qui de effusa in vos gratia &c.* Potest etiam nudè sic verti; *Qui de gratia quæ erga vos est prophetauerunt*, id est, de gratia quæ nunc vobis impensa atque exhibita est, & mundo palam manifestata. Est autem expositio *salutis*, quam dixerat: Eam quippe gratiam vocat, ut intelligant esse beneficium

planè gratuitum.

SCRVTANTES IN QVOD VEL QVALE TEMPVS SIGNIFICARET IN EIS SPIRITVS CHRISTI. In eis; Græcè, *τὸ ἐν αὐτοῖς*, qui in eis, subaudi erat: ut rectè ab alijs versum. *Tempus*, Græcè *καιρὸν*, quo propriè significatur tempus aptum rei gerendæ, vel exsequendæ. Supplendum autem, *salutem* (siue gratiam) *uenturam*. Et sensus est, prophetas attentos & auscultantes ad reuelationem Spiritus sancti quo præditi erant, pio studio inquisiuisse quo tempore, post quot annos, quo mundi aut rerum Iudæicarum statu venturam salutem, gratiam, regnum CHRISTI, Spiritus eius significaret.

Videtur potissimum respicere Petrus ad locum Danielis 9. ubi legimus, Daniele cupidum cognoscendi temporis quo veniret salus (qui propter hoc vir desideriorum ab angelo appellatus est); oratione, ieiunio, sacco & cinere se præparasse ad visionem, qua ei reuelatum fuit, post quot annorum hebdomadas venturus & passurus esset Christus, Sanctus sanctorum; per quem delero peccato adducenda esset iusticia sempiterna. Reuelatum, inquam, verbis adeò clavis & perspicuis; ut inter vulgares etiam Iudæos, sub illud tempus quo Christus veniit, celebrer fuerit sermo de Messia, velut exorto, aut iam iam adfuturo. Quare & à multis creditum fuit, Ioannem Baptistam, in quo magna vitæ sanctitas relucebat, esse Messiam. Vnde nec leguntur Iudæi Iesum propterea repulisse, quod Messia tempus à prophetis prædictum nondum venisset (erat enim etiam vulgo persuasum, tempus illud iam impletum esse): sed quia lucem veritatis ab eo prædicatæ ferre non poterant. Ioan. 3. Porro alij propheta alia attulere signa temporis aduentus Christi. ut Isaïas cap. 2. pacem generalem. Iacob Gen. 49. sceptrum à Iudæ ablatum.

Dicit autem *spiritus Christi*, ut Christi Domini innuat diuinitatem: qui ipse iam olim suo spiritu prophetas afflauerit & impleuerit ad ea prænuncianda quæ ad ipsum pertinerent. Ex quo etiam, contra Græcos, ostenditur Spiritum sanctum à Filio procedere. Nec illud improbabile; quod apud quendam legi, Petrum hinc alludere ad apparitiones angelicas tempore veteris testamenti, in persona Christi factas. De quibus egimus ad illud 1 Corinth. 10. *Neque tentemus Christum; sicut quidam eorum tentauerunt*.

PRÆVNCIANSEAS QVÆ IN CHRISTO SVNT PASSIONES, ET POSTERIORES GLORIAS. Græcè ad verbum: *Præstificans eas quæ in Christum passiones, & quæ post eas* (scilicet passiones) *glorias*. Sensus autem planus est; Spiritum Christi per prophetas testatum fuisse priusquam acciderent, id est, prædixisse, venturas in Christum passiones siue afflictiones; nec non gloriam passioni-

bus successuram. Dicit autem *glorias* plurali numero; quia gloria Christi passionem & crucem consecuta, multiplex est; ut gloria resurrectionis, ascensionis, sessionis ad dexteram Patris; gloria nominis exaltati, potestatis iudicialis. Has autem Christi passionem, & subsequentes glorias, à prophetis fuisse prædictas; ipse Christus testatur semel & iterum. Luc. ultimo. Vbi notandus ordo à Deo constitutus, ut passiones præcedant, gloria sequatur. *Nonne hæc*, inquit, oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Hæc verò commemorat beatus Petrus, ut fideles sciant, exemplo Christi capitis sui, se ad gloriam non peruenturos nisi per afflictiones & cruces. Continet igitur hæc pars tacitam consolationem fidelium, qui propter Christum variè affligebantur. Porro quod apud Didymum lib. 2. de Spiritu sancto citantem hunc Apostoli locum, ex versione S. Hieronymi legitur pro *glorias, decreta* (sic enim habet; *Et ea quæ post erant secutura decreta*): non arbitror recipiendum. Quamvis enim *ἀπόφασις* Græcis etiam *decretum* interdum significet; huic tamen loco ea significatio non quadrat.

12 QVIBVS REVELATVM EST QVIA NON SIBI METIPSIS, VOBIS AVTEM MINISTRANT EA QUÆ NUNC NUNCIATA SVNT VOBIS. *Vobis autem*, Latinius, *sed vobis*; tamen quidam Græci codices priori loco non *vobis*, sed *ipsum* legunt, id est, *nobis*. Et ita apud Didymum Latinum legitur. Sed textui magis convenit aliorum codicum lectio, quæ etiam Oecumenij esse videtur; estque omnium Latinorum; ut persona non mutetur. Erasmus in annotationibus particulam, *quibus*, exponi posse docet quadrifariam. Verum nobis unus sensus, apud eam ordine tertius, quem & ipse sequitur in sua versione & paraphrasi; retinendus est; ut potè clarus & persè obuius, & à Syro paraphraste expressus; ut ad *prophetas* ea particula referatur: hoc modo; Quibus quidem prophetis revelationes de his quæ dixi factæ sunt, non tam ipsorum causa, quam vestri, qui eratis eorum libros lecturi. Non enim sibi met ipsis, sed vobis ministraverunt, annunciantes ea futura, quæ nunc vobis annunciata sunt esse completa; scilicet ut ex comparatione & consensu eorum quæ prædicta sunt à prophetis, cum istis quæ nos vobis annunciauimus, fides vestra confirmetur. Nonnulli istam particulam: *Ea quæ nunc nunciata sunt vobis*, faciunt suppositum verbi, *ministrabant*; sed sensu minus commo. Nec eam constructionem admittit pronomen reciprocum *ἑαυτοῖς*, *sibi ipsi*, quod non de alijs quam de prophetis accipi potest. Sub quibus tamen & ceteri eiusdem temporis homines intelliguntur. Porro non sentit Apostolus Petrus ea quæ prædicta sunt à prophetis, nihil ad ipsos pertinuisse; cum idem ipse dicat uniuersè

de Patribus Act. 15. *Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*; sed usum significat reuelationum prophetarum. Non enim prophetis factæ sunt propter ipsos: quibus utique sua fides, aut obscura aut aperta, sicut alijs iustis illorum temporum sufficere poterat; sed propter eos, quorum tempore implenda erant, quæ illi prædixerant: ut videntes, ea quæ fiebant & facta nunciabantur, olim à prophetis fuisse prædicta; crederent in eum de quo prædicta erant: aut si iam credidissent, amplius in eâ fide roborarentur. Ita CHRISTVS suos discipulos ex prophetis ad fidem instruxit Lucæ ultimo, & illi ceteros; ut in Actis frequenter.

PER EOS QUI EVANGELIZAVERVNT VOBIS. Id est, per nos Apostolos, alioquin evangelij ministros. Non enim (ut quidam suspicantur) indicat se non fuisse eorum ad quos scribit, evangelistam; sed non fuisse solum. Alioqui nec quod sequitur, ad Petrum pertineret.

SPIRITV SANCTO MISSE DE CÆLO. Græcè; *In Spiritu sancto*, id est, per Spiritum sanctum è cælo missum: Refertur autem ad verbum *euangelizandi*. Nam postquam Apostoli per Spiritum sanctum quem acceperunt in die Pentecostes, ut scribitur Act. 2. plenissimè fuerunt edocti de his quæ alios docere debebant; mox eiusdem Spiritus virtute, primùm ipse Petrus, deinde & ceteri cœperunt euangelizare Christum, & redemptionis eius mysteria. Hoc autem dicit, ut ostendat eodem Spiritu nunciari euangelium per Apostolos; quo fuerat prænunciatum per prophetas; ideoque fide dignissimum esse.

IN QVEM DESIDERANT ANGELI PROSPICERE. Ita ferè Latini codices. Et quidem Beda illud; *In quem*; dupliciter exponit: Vel ut ad Christum referatur; (quamquam hoc longius præcessit) in quem, etiam ut hominem; præsertim nunc glorificatum, angeli prospicere gaudent; quia per Christum instaurantur omnia quæ in cælis & quæ in terra sunt. Ephes. 1. Vel ut ad Spiritum sanctum; quem cum Patre & Filio unum Deum angeli summa cum voluptate inuentur, desiderio videndi nunquam cessaturo. Gregorius hom. 8 super Ezechie. absolute de Deo interpretatur. At verò Græca constanter habent *ἐν ᾧ*, *in qua*. Quod & in Latinis nonnullis legitur. Annuit & Syra versio. Sic & Ambrosius legisse videtur libro 4. de Sacramentis cap. 2. licet pro Petro nominet Paulum memoriæ lapsu. Verba sunt: *Audi ergo Apostolum Paulum dicentem, ea nobis esse collata, quæ concupiscunt & angeli videre*. Et de Christi Sacramentis accipit hunc locum etiam Beatus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 119. Sensus huius lectionis, quam veram arbitror, iste est: In

qua.

qua, scilicet ea quæ nunc nunciata sunt vobis, hoc est, in mysteria salutis ac redemptionis humanæ à prophetis prædicta & ab Apostolis annunciata, etiam angelis penitus introspicere desiderant. Quamvis enim ea non ignorent, ut quorum ministerio ipsis etiam prophetis reuelata fuerint: tamen cognitis adeo delectantur, ut plenius etiam atque perfectius ea nosse, vehementer cupiant. Quod mysticè significabant duo Cherubim expansis alis operientes propiciatorium, & in illud versis ad se mutuo vultibus, respicientes Exod. 25. Nam in propiciatorio typus erat nostræ per Christum redemptionis. Porro voluptatis huius ac desiderij sanctorum angelorum, causa est, tum quod illic agnoscant admirabilem Dei sapientiam, in ordine ac modo redemptionis nostræ declaratam; tum quia de electione & salute hominum, quos ex charitate diligunt, ineffabiliter gaudent. Unde & in principio redemptionis ipsi primi de ea laudem Domino cecinerunt, dicentes; *Gloria in excelsis Deo*. Lucæ 2. Conuenit hic sensus cum ijs quæ à Paulo dicuntur Ephes. 3. *Ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam, multiformis sapientia Dei*. Et 1. Timoth. 3. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum; quod apparuit Angelis, prædicatum est gentibus*. &c. Atque in hunc sensum reducitur etiam prior expositio Venerabilis Bedæ, illa videlicet de Christo homine. Est autem hæc magna euangelij dignitas, quod eius sacramenta cognita etiam angelos lætificant, & ad amplius cognoscendum excitant. Sicut ergo prius à prophetarum studio; ita nunc ab angelorum cognoscendi desiderio, euangelium commendat. De Græca voce *ἀποκάλυψις*, pro qua Noster hic dat verbum *prospicere*, quam vim habeat, vide commentarium nostrum ad illud Iacob. 1. *Qui autem perpexerit in legem perfectam libertatis* &c. Hactenus exordium epistolæ, idque sanè tanto Apostolo dignum; ut potè graue & illustre, constans rerum amplitudine cum maiestate verborum: ut non immeritò scripserit quidam, exordium hoc facile certare posse cum quouis epistolarum Pauli exordio. Sequitur nunc propositio principalis, velut summam in se continens totius exhortationis, quam instituit facere hæc epistola.

13

PROPTER QVOD SVCCINCTI LUMBOS MENTIS VESTRÆ, SOBRII, PERFECTE SPERATE IN EAM QUÆ OFFERTVR VOBIS GRATIAM. *Perfectè*, Græcè *τελειως*, pro quo viciose legitur in quibusdam Latinis, *perfecti*. *Offertur*, melius ex Græco, *feritur, adfertur*. Est enim participium simplex, *φερομένη*. Erasmus vertit, *In eam quæ ad vos deferitur gratiam*. Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. cap. 24. ita legit: *in eam quæ deferenda est vobis gratiam*. Vtitur autem Apostolus statim initio metaphora valde ad rem

apposita, qua & Christus usus est, cum ait Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti*. desumpta nimirum ab ijs, qui vel iter facturi, vel operis aliquid aggressuri, quoad illud expeditiores sint, lumbos succingunt. Declarat verò metaphoram quum addit, *mentis*. Itaque *lumbos mentis succingere* est mentem refrænare ac restringere ab omni cupiditate, qua impeditur atque implicata tenetur, ne expeditè & liberè Deo seruiat. Non enim hic (ut quidam putant) sola castitas præcipitur; sed omnium carnalium cupiditatum repressio. Quemadmodum & sequenti dictione, *sobrii*, non sola prohibetur intemperantia cibi & potus; sed omnis immoderatus rerum delectabilium usus. Nam Græcè est participium *ὑπογρησ*, id est, *vigilans*, ut legit Hieronymus contra Iouinian. Quod Syrus vertit *excitantini*. Passim verò usurpatur de ijs qui casti & sobrii sunt. Itaque videtur *ἐγκρητικὸς* additum ad explicandam metaphoram. Notandum quoque, Oecumenium & Syrum interpretem coniungere hæc duo, *sobrii perfectè*, vel *excitantini perfectè*; quæ alij omnes distinguunt, ut adverbium *perfectè*, ad verbum *sperate* pertineat, quod est probabilius: ut hæc sit adhortatio; Quum igitur vocati sitis ad tantam gratiam; ne sitis desides, sed mentem ac sensus vestros ab omni noxia cupiditate continentes, sobrii & casti, spe perfectè & perseverante apprehendite, amplectimini ac retinete eam gratiam quæ per euangelij prædicationem hoc tempore ad vos deferitur, imò iam delata est. *Gratiam* vocat gratuitum illud beneficium salutis, de qua superius locutus est; & cuius semper aliquid, etiam in hac vita, restat sperandum. Interpres Syrus in Græco pro *χαρὴν* legit *χαρῶν*, id est, *gaudium*. Sic enim vertit: *Sperate in gaudium quod obuenturum est vobis*, &c. Verum nec Oecumenius huius lectionis meminit, nec in vlllo Græco codice reperitur. Repugnat etiam participium *φερομένην*, præsens tempus indicans, non futurum: in quod Syrus illud conuertit, propter hoc quod sequitur:

IN REVELATIONEM IESV CHRISTI. Plures ac meliores codices legunt: *In revelatione*. Et ita citat Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. Nam & Græcè est *ἐν ἀποκάλυψι*; Nec aliter in Syriaco legitur: tamen non nouum est Apostolis præpositionem *ἐν* pro *eis* accipere; ut verti possit, *in revelationem*. Etenim duobus modis exponi potest hæc pars iuxta diuersam syntaxim. Nam si referas ad verbum *offeritur*, vel *affertur*; sensus erit, gratiam ad illos quibus scribit, deferri in reuelatione Christi, id est, dum Christus eis per euangelium reuelatur ac manifestatur. Quod vult Erasmi & Hentenij translatio. *Dum vobis patet* (seu manifestatur) *Iesus Christus*. Verum alij referunt ad verbum, *sperate*; ut sit sensus: In hanc

gratiam

gratiam nunc vobis oblatam perfectè, constantè & perseveranter sperate usque in reuelationem Christi; id est, usque in diem quo Christus reuelabitur, ac palam omnibus apparebit veniens ad iudicium. Huius enim reuelationis Christi iam supra meminuit; ac rursus infra, capit. 4. Nec aliam Paulus intellexit Christi reuelationem. 1. Corinth. 1. & 3. & 2. Thessal. 1. Itaque sensus hic probabilior est. Excitat enim Apostolus fideles ad perseverantiam spei, proposita gloria, cuius cum Christo participes sint futuri. Sic & Paulus Colossenses 3. *Cum Christus a parueri vstra vestra: tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria.* Et Ioannes primæ epistolæ 3. *Scimus quoniam cum apparerit, similes ei erimus.*

14 QVASI FILII OBEDIENTIÆ. Hebraismus; id est, filij obedientes, ut alij vertunt. Et hoc referendum ad verbum sperate. Nam spes hæreditatis paternæ competit filiis: filios autem ostendit obedientia; qua & hæreditatem promerentur. Igitur obedientiam intelligit Deo, ut Patri, debitam in omnibus quæ præcipit.

NON CONFIGURATI PRIORIBUS IGNORANTIÆ VESTRÆ DESIDERIIS. Configurati participium est præsentis temporis in Græco *συγγνωμένων*. Nec est, ignorantia vestra, sed *ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν*, in ignorantia vestra. Quare sententia reddi potest hoc pacto: *Non conformantes vos*, id est, non accommodantes vos, non obsequentes, pristinis cupiditatibus, quibus eratis subiecti, dum adhuc versaremini in tenebris infidelitatis & ignorantia vestra; priusquam vobis affluisset lux euangelij. Nam infidelitas & ignorantia fons est omnium peccatorum. Admonet igitur eos ne repetant vicia vitæ prioris, neque conformentur veteri homini quem semel exuerunt. Dicit autem vestra, quia ignorantia propriè nostra est, & in ea omnes nati sumus.

15 SED SECUNDVM EVM QVI VOCAVIT VOS SANCTVM, ET IPSI IN OMNI CONVERSATIONE SANCTI SITIS. Clarius ex Græco: *Sed quemadmodum ille qui vos vocavit, sanctus est; ita & ipsi sancti in omni conversatione efficiamini.* Græcè *ἁγίου*. Erasmus, reddamini. Hortatur ad imitationem eius à quo vocati erant. Quomodo Deus, inquit, qui vos vocavit & adduxit ad gratiam suam (efficax enim vocatio intelligitur) totus sanctus est, & ab omni coinquinatione purus: sic & vos in omni vestra conversatione sanctitatem, id est, mundiciam, sectamini, & operam date ut semper in ea proficiatis. Hinc apparet Apostolum fuisse locutum de cupiditatibus peccatorum carnalium: his enim propriè sanctitas opponitur. Vnde & Paulus 1 Thessalon. 4. *Non vocavit nos Deus in immundiciam; sed in sanctificationem.* Quamquam & alia cuiuscunque generis pec-

cata, suo modo coinquant hominem & immundum reddunt; ut disertè testatur Dominus Matth. 15. Nam vti res vnaquæque sordida fit & impura naturaliter ex admixtione rei deterioris; velut argentum, si ei stannum aut plumbum admisceatur: ita moraliter anima sordescit, & immunda redditur, quoties peccati commixtionem per consensum admittit.

16 QVONIAM SCRIPTVM EST. Græcè, *ὅτι, propterea quod scriptum est,*

SANCTI ERITIS; QVONIAM EGO SANCTVS SVM. Erui præceptivè accipiendum. Nam Græcè est *ἁγιάζεσθε*, estote, vel, efficiamini; sicut in parte præcedenti. Scriptum est hoc Levit. 11. & repetitur capit. 19. 20. & 21. Quibus quidem locis partim sermo est de sanctitate, id est, mundicia legali, in cibis, ut capit. 11 & 20. partim de mundicia cæremoniali, quæ in sacerdote requiritur, ut capit. 21. partim verò de mundicia à peccatis, ut capit. 19. & iterum 20. Quæ postrema sanctitas huius est loci; & per sanctitatem legalem ac cæremonialem fuit adumbrata. Ratio quam adjicit: *quoniam ego sanctus sum*: ita est explicanda. Quoniam & populus Deo quem colit; & sacerdotes, Deo cui ministrant; & filij, Patri à quo creati sunt, & per quem regenerati; vitæ conversatione debent assimilari. Qua ratione & CHRISTVS præcipit Matthæi 5. *Estote perfecti; sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Non autem æqualitas præcipitur, (est enim Deus per essentiam sanctus) sed similitudo & participatio sanctitatis, quanta per imitationem haberi potest. Hinc verò collige, sanctitatem nostram atque iusticiam non in sola consistere peccatorum remissione, quod volunt sectarij; sed etiam, ac præcipuè in ornatu & operatione virtutum. Id enim est quod præcessit, *In omni conversatione sancti sitis.*

17 ET, SI PATREM INVOCATIS EVM, QVI SINE ACCEPTIONE PERSONARVM IUDICAT SECUNDVM VNIVERSVSQVE OPVS. Hortatus est ad innocentiam & sanctitatem vitæ: nunc modum sanctæ conversationis adiungit; ut scilicet in timore conversentur, suamque salutem operentur; ne vana securitate seipos fallant. Particula *si* non dubitantis est, sed supponentis rem notam. Est enim omnium renatorum communis oratio: *Pater noster qui es in calis.* Dicitur Deus iudicare sine personarum acceptione, tum hoc loco, tum alibi; ut Deuteronom. 10. Roman. 2. Galat. 2. quia in exercendo iudicio solum respicit ad merita causæ, non ad personæ qualitates à causa alienas. Atque hoc est quod exponendo addit; *secundum uniuscuiusque opus*, id est, pro cuiusque merito. Ut etiam hinc merita bonorum operum, quemadmodum

dum

dum malorum, rectè statuatur. Illud totum, *sine acceptione personarum*, Græcè eleganter exprimitur vno adverbio tricomposito *ἀνεξαρτητως*. Interim vide quæ de hac phrasi, *accipere personas*, cuius ab Hebræis origo est, annotauimus Roman. 2. Porro sensus huius loci est, Si tanquam filij in oratione quotidiana Patrem inuocatis & inuocando nominatis (Græcè *ἐπιμαλῆθε*) eum qui citra personarum respectum iudicat vnumquemque secundum opera; id est, qui non tantum Pater, sed etiam iudex est, idemque iustissimus: igitur cum timore ei seruire debetis. Hoc est quod sequitur.

IN TIMORE, INCOLATVS VESTRI TEMPORE, CONVERSAMINI. *Incolatus*, Græcè *παροικίας*. Est autem *παροικία* vicinia multorum inquilinorum. Propriè verò significat commorationem aduenarum, eorum scilicet qui alibi nati sunt. Vnde qui pro incolatu vertunt *commorationem*, vim Græcæ vocis, adeoque mentem Apostoli, non satis explicant. Significat enim Apostolus nos tanquam peregrinos versari in mundo; ut qui non sumus de hoc mundo, Ioan. 15. & 17. proindeque ab ijs quæ mundi sunt, amorem & appetitum auertere debere, totos in patriam cælestem intentos. Vnde & sequenti capite, *tanquam aduenas & peregrinos obsecrat abstinere à carnalibus desiderijs.* Summa admonitionis est, ut per omne tempus sui incolatus, quod longum esse non potest, conversentur cum timore Dei, velat Iudicis, quem nouerint vbique præsentem, & omnia quæ agunt, intuentem; necnon redditurum cuique quod meretur, sine vilo personæ cuiusquam respectu.

18 SCIENTES QVOD NON CORRVPTIBILIBVS AVRO VEL ARGENTO REDEMTI ESTIS. Græcè & Syriacè, *argento vel auro*. Nam conueniebat in exaggeratione præcij prius nominari quod minus est, deinde quod maius. Exhortationem superiorem noua ratione confirmat, desumpta à magnitudine præcij quo redempti sumus. ac si dicat, exponente Vener. Beda: *Quantum maius est præcium quo redempti estis à corruptione vitæ carnalis: tanto amplius timere debetis, ne fortè ad corruptelam viciorum reuertendo, animum vestri redemptoris offendatis.* Hæc ille. Neque enim vltionem Dei effugiet, *qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.* Heb. 10. Porro verba Apostoli sic explana: Præsertim quum sciatis vos non rebus corruptibilibus aut caducis, tamen iudicio mortalium valde præciosus, ut argento vel auro, fuisse redemptos.

DE VANA VESTRA CONVERSATIONE PATERNÆ TRADITIONIS. Græcè *πατρωνεγάδων*. Quasi dicat, *conversatione à patribus tradita.* Sic enim legunt Hieronymus

in commentarijs Isaïæ, & Augustinus in expositione psalmi 146. Erasmus ita vertit: *Quam ex Patrum acceperatis traditione.* Significat Apostolus vanam conuersationem paternæ traditionis fuisse seruitutem quandam; à qua fuerint redempti.

Sed quam vocet *conuersationem paternæ traditionis*, laud liquet. Qui hanc epistolam scriptam volunt ad gentiles, significari putant vitam carnalem; ut audimus verbis Bedæ, id est, positam in operibus carnis, de quibus Galat. 5. Et hanc dici *paternæ traditionis*, quod à maioribus longa serie fuisset obseruata, filijsque tanquam bona & honesta per manus tradita. Nihil enim gentilitas in actionibus suis nisi carnem sapiebat. Est hic sensus etiam apud Augustinum loco iam citato. Qui verò censent ad Iudæos scriptam epistolam; non vno modo hanc partem exponunt. Caietanus quidem interpretatur de *conuersatione legali*, id est, obseruatione legis Mosaicæ. Quam conuersationem *vanam* esse docet ad finem vitæ æternæ. Siquidem opera legalia tam moralia quàm iudicialia & cæremonialia secundum se non iustificabant animas. Alij *conuersationem* intelligunt, qua studiosè retinebant & obseruabant traditiones à suis maioribus institutas; easque partim vanas, partim noxias; de quibus Iudæos reprehendit Dominus Matthæi 15. & Marci 7. vbi & *traditiones seniorum* vocantur. Sub quibus comprehendì potest quicquid errorum & superstitionum sensim ac longi temporis ductu in illum populum irreperat. Primus sensus, qui de gentilibus, non admodum congruit. Nam vita carnalis gentilium non solet significari nomine *paternæ traditionis*; sed potius vocabulis ignorantia, cæcitatibus, infidelitatis. Nec tam sequebantur gentiles in vita sua carnali, instituta maiorum; quam inclinacionem naturæ corruptæ, ad quam non opus erat paternæ traditione. Caietani quoque expositio non multum habet probabilitatis. Non enim Petrus ad Iudæos, quamuis fideles, scribens; obseruationem legis Mosaicæ vocaret *vanam conuersationem*: maxime quando adhuc erant eorum plurimi zelatores legis, nec eam prohibebantur obseruare. Quippe necdum tempus maturuerat, quo lex cessare deberet: quemadmodum satis patet ex Actis Apostolorum. Tantum docendi interim erant, ne spem salutis in lege ponerent. Restat igitur tertius sensus, cæteris probabilior. Nam traditiones illas Iudaicas, quas vocabant *traditiones seniorum*, passim insectatur & damnat Scriptura. Rectèque Petrus harum obseruationem appellat *vanam conuersationem*, quia non solum ad iusticiam nihil proderat (ut & lex Moyfi sine Christo; quæ tamen erat pædagogus ad Christum: Galat. 3.) verum simpliciter inutiles

inutilis erat; & in multis noxia, legique diuinæ contraria. Quod ex euangelio clarum est. Rectè etiam redemptos dicit ab hac conuersatione, tanquam videlicet à seruitute quadam: Nam si lex Moysica iugum erat importabile, eodem Petro teste Act. 15. quanto magis illa sarcina paternarum innumerabilium, atque inutilium traditionum, velut iugum quoddam importabile, Iudæorum ceruices premebat?

19

SED PRECIOSO SANGVINE, QVASI AGNI IMMACULATI, CHRISTI, ET INCONTAMINATI. Ordo commodior in Græco: *Velut agni immaculati & incontaminati, Christi.* Constructio tamen est: *precioso sanguine Christi, velut agni immaculati & incontaminati.* Manifesta allusio est ad typum veteris testamenti; eumque diuersum ab eo, ad quem supra respexit, nominans *asperisionem sanguinis Iesu Christi.* Nam illic respicitur ad sanguinem vitulorum & hircorum, quo populus aspergebatur: hic ad sanguinem agni paschalis, quo non aspergebantur homines, sed postes ostiorum linebantur. Historia est Exod. 12. Docet ergo Petrus, eos ad quos scribit, ita redemptos esse Christi sanguine à seruitute vanæ suæ conuersationis; quomodo quondam patres eorum à seruitute Ægypti liberati fuerant & redempti illius agni sanguine, quo Christus præfigurabatur. Huius sanguinem *preciosum* vocat, quia sanguis est filij Dei, cui nullum aliud precium comparari potest. Porro Christus *agni* comparatur, propter innocentiam simul & patientiam; illam, exhibitam in vita; istam, in morte. Est enim agnus animal innocentissimum; idemque tantæ mansuetudinis, ut etiam dum matationi admouetur, taceat. Addit autem, *immaculati & incontaminati*; ad significandam summam puritatem huius agni qui est Christus. Nam & agnum illum legalem absque macula esse oportebat. Dicitur autem Christus *immaculatus & incontaminatus*, quia de Spiritu-sancto conceptus, & ex virgine natus, nec maculam contraxit originalis peccati, nec vlllo peccato actuali fuit attaminatus: Denique ita purus, ut peccatum in illam personam nullum omnino cadere posset. Nec verò, nisi purus ab omni labe peccati placabilis hostia pro peccatis nostris esse potuisset. *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, idemque hostia, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Quamuis autem & alias sæpe per agnum Christum in lege fuerit adumbratus; ut per eum qui offerebatur in purificatione puerperæ. Leuit. 12. & qui in mundatione leprosi, Leuit. 14. & qui mane & vespere quotidie, singuli; plures autem in festis solennioribus, Numer. 28. propriè tamen ad agnum paschalem respicit Beatus Petrus, in quo admodum apertè præfigurata fuit Christi passio, eiusque effectus, ac præcipuum sacramentum. Nec dubium quin eodem præcipuè respexerint, etiam alij

tam prophetæ, quam Apostoli, quoties de Christo Salvatore ac redemptore sub nomine *agni* loquuntur. ut Isaias capit. 53. (quem locum etiam Philippus de Christo exponit Act. 8.) Ieremias cap. 11. Ioannes Baptista Ioan. 1. Paulus 1. Cor. 5. & Ioannes Apostolus in Apocalypsi frequentissimè.

PRÆCOGNITI QVIDEM ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM: *Præcogniti*, id est, *præordinati*; quemadmodum alij rectè vertunt. Significatur enim præscientia Dei practica, qua nimirum ita quippiam præcognoscit, ut id ipsum suo tempore velit extequi. Nec de quavis præordinatione dicitur, sed benigna ac salutari: quemadmodum supra; *secundum præscientiam Dei Patris.* Vnde Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. prædestinatum legit. *Ante mundi constitutionem*, id est, antequam mundus esset conditus, ante iacta mundi fundamenta. Hoc enim significat vox Græca *πρὸ βολῆς*; de qua vide commentarium Ephes. 1. Hac autem phrasi notari solet æternitas. Nam creationem nihil præcedit nisi quod æternum est. Significat ergo, Christum æterno Dei consilio præordinatum ad tantum nostrum bonum, scilicet, ut effuso sanguine suo nos redimeret. Neque enim vlla temporaria sunt in Deo consilia: sed quicquid faciendum statuit, ab æterno statuit. Hoc autè quorsum dicat, ex eo quod sequitur, intelligemus.

MANIFESTATI AUTEM NOVISSIMIS TEMPORIBVS. Quamuis, inquit, Christus ante mundum conditum, & ab æterno, fuerit ad opus redemptionis à Deo præordinatus; non tamen ab initio mundi missus est ad hoc opus: sed demum his vltimis temporibus exhibitus est, & redemptionis opere peracto, per euangelij prædicationem mundo manifestatus. Non defui quidem vlli temporum ætati salus quæ per Christum redemptorem est (extenditur enim eius redemptio ad omnia sæcula): sed postquam ipse venit & opus redemptionis executus est, moxque prædicantibus Apostolis mundo declaratus; multò copiosior redemptionis eius fructus ad homines pervenit. *Novissima tempora* vocat totum hoc tempus quod ab aduentu Domini tendit vsque ad finem sæculi. Quod ideo *novissimum tempus*, & à Ioanne 1. ep. 2, *novissima hora*, vocatur, quia quantumcunque longum sit, tale est ut post illud vsque ad mundi finem non restet aliud tempus, cui priora prophetarum tempora subseruiant. Est enim vniuersum hoc tempus *gratia* manifestatæ. Theologi postremam mundi ætatem appellant; sumpta metaphora ab ætate humanæ vitæ, quarum vltima est senectus, sola morte finienda, etiam si in annos quamplurimos producat. Vide quæ de hac phrasi annotauimus ad illud Heb. 9. *Nunc autem semel in consummatione sæculorum, &c.*

PROPTER VOS, QUI PER IPSVM FIDELES ESTIS IN DEO. Græcè, *qui per ipsum creditis*

in Deum.

in Deum: tamen in nonnullis exemplaribus legitur præteritum *πιστεύοντες, qui creditis*. Dicit, *propter vos*, ut quibusdam videtur, quia quisque fidelis sic debet affectus esse erga beneficium redemptionis; ut quavis illud aut omnibus aut multis sit commune, sibi tamen propriè præstitum agnoscat, & pro eo tanquam sibi soli impensum esset, Deo gratias agat. Quo affectu dictum est à Paulo. Gal. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Nam & reuera sic curat vnumquemque nostrum Deum, tanquam solum curet, & sic omnes, tanquam singulos: ut scribit Augustinus lib. 3. confess. cap. 2. Alij, *propter vos*, inquit, id est, propter electos, penes quos, ut ait Prosper ad primam respondens, obiectionem Vincent. redemptionis est proprietas. Verùm, nec hi nec illi docent cur dictum sit; *manifestati propter vos*. Id enim erat explicandum: sed ita commentantur ac si dixisset Petrus, *traditi in mortem propter vos*. Igitur meminisse rursus oportet, hæc ad Iudæos scribi; quibus factæ fuerant promissiones de Christo; quemadmodum docet Paulus Rom. 15. Vnde & ipse Christus profitetur dicens: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Et Paulus ad Iudæos, Act. 13. *Vobis oportebat primam loqui verbum Dei.* Venit ego principaliter ad Iudæos Christus: & propter eos in dispersione positos, mundo fuit manifestatus; scilicet ut credentes in eum salui fierent. Hoc igitur est quod ait, *propter vos*. Nam quod addidit, *novissimis temporibus*; significat eis plus præstitum quam patribus eorum, quibus Christi redemptoris mysterium adhuc obscurum erat, imo plerisque incognitum. Porro quod dicit, *Qui per ipsum fideles estis*; indicat manifestationem Christi non omnibus eis prodesse, sed solum credentibus in Deum, autorem tanti beneficii. Addit autem, *per ipsum*, id est, Christum, ut sciamus & ipsam fidem qua in Deum credimus ut authorem salutis nostræ quæ in Christo est, non nisi per Christi merita haberi posse. Quod notandum, contra quosdam imperitos catholicos id reuocantes in dubium; quos bene refellit in huius loci commentario Ioannes Hesselius.

QUI SVSCITAVIT EVM A MORTVIVS, ET DEDIT EI GLORIAM. Initium glorificationis Christi fuit in eius resurrectione; progressus & augmentum, in ascensione eius in cælum & missione Spiritus-sancti: deinde in Euangelij per orbem prædicatione. Per hæc enim mundo manifestatum est, Christum esse Dei filium ac verum Deum; ipsumque, ut hominem, exaltatum esse super omnem creaturam vsque ad dexteram Dei. De hac sua gloria sic ait, Ioan. 5. *Et omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.* & cap. 12. *Venit hora ut clarificetur filius hominis.* Pro qua rursus orat patrem, cap. 17. *Clarifica me claritate quam habui priusquam mundus esset.*

VT FIDES VESTRA ET SPES ESSET

IN DEO. Græcè & Syriacè, *in Deum*. Quem casum nonnulla etiam exhibent Latina mss. Erasmus ita vertit: *Ut vos fidem ac spem haberetis erga Deum.* Ratio est eius quod proximè præcedit. Quæ quidem exponi potest duobus modis. Vnus sensus est: Deus pater gloriam diuinitatis dedit Christo, id est, mundo declaravit Christum esse filium suum, verumque Deum; ut dum creditis & speratis in Christum, non sit ea fides & spes vestra in puro homine, sed in Deo. Nam nisi Christus esset verè Deus; maledicti essent, iuxta prophetam Ieremiam cap. 17. quotquot in eo confidunt & sperant. Alter sensus: Deus idcirco Christum à morte suscitavit & ad gloriam prouexit; ut vos in ipsum velut exemplar resurrectionis ac gloriæ, aspicientes, crederetis Dei promissis, atque ab eo speraretis vos etiam, ut illius capitis membra, beate resurrectionis & gloriæ participationem adepturos. Hic sensus, meo iudicio, potior est. Nam ex resurrectione & gloria Christi potissimum apostoli suam de Christo Salvatore prædicationem confirmabant. Vnde ait B. Petrus in prima sua concione Act. 2. *Hunc Iesum resuscitavit Deus: cuius omnes nos testes sumus*; ad hoc scilicet ut in eum credatis. Et idem apostolus cap. 5. *Hunc principem & Salvatorem Deum exaltavit dextera sua, ad adædam penitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Propter hoc ergo, *virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Act. 4. Quod pertinet & illud Io. 7. *Nondum erat Spiritus datus; quia Iesus nondum erat glorificatus.* Deinde consonat hic sensus cum eo quod superius dixit, *Deum regenerasse nos in spe viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*

ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES IN OBEDIENTIA CHARITATIS. Græcè & Syriacè, *in obedientia veritatis*. quemadmodum & Hieronymus legit lib. 1. contra Iouem. Addunt Græci, *διὰ πνεύματος, per spiritum*. Quod nec Syri codices habent, nec Latini, nec additur ab Hieronymo. Notandum etiã pro *castificantes* in Græco esse participium præteriti temporis *ἡγνικότες*, id est, *qui purificasti, vel cum purificaueris*. Vnde vertit quidam, *Animabus vestris purificasti*. Itidem ex Syto vertit Latinus interpres, *Quum sanctificaueritis animas vestras*.

Iam ut textus fiat clarior, obseruandum est, B. Petrum hic redire ad exhortationem nuper inchoatam, ut ab eo loco, *Scientes quod non corrup.* vsque ad hanc partem sit parenthesis quædam verborum, quibus ad explicandum & commendandum redemptionis nostræ beneficium, paululum digressus est. Itaque potest hæc pars atteri illis verbis superioribus, *In timore incolatus vestri tempore conuersamini, purificatis animis &c.* Potest etiam initium esse nouæ pericopes, cuius verbum sit, *diligite*; quod statim sequitur. Sensus est: Quum per fidem, qua obeditis & acquiescitis veritati, purificaueritis animas vestras, utique

secundum hoc quod idem apostolus dicit Act. 15. *Fide purificans corda eorum*: nisi quod hic actiuam illam purificationem attribuit hominibus, illic, Deo. Qua in re nulla est repugnantia; sed cooperatio significatur humanæ voluntatis cum Deo & sub Deo. Non enim credere quisquam posset, aut animam suam credendo purificare, nisi Deo ad hæc agenda efficaciter eum mouente: quod vult additio Græcorum codicum, *per Spiritum*, videlicet sanctum, qui Deus est. Porro dicitur quis animam suam castificare seu purificare per fidem; dum credens in Christum, & secundum eius legem viuere paratus, impetrat à Deo peccatorum suorum purgationem, veramque iusticiam, vel eius augmentum. Nā & iustificati quotidiana adhuc indigent per fidem purificatione. Quis enim est in hac vitæ mundus, vt non sit magis magisque mundandus? ait Augustinus tract. 80. in Ioannem. Fandem hanc fidem statim post commendat sub nomine *Verbi Dei*. Sunt autem scripturæ similes: *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. Io. 15. *Mundans eam lacu aqua in verbo*. Ephes. 5.

IN FRATERNITATIS AMORE SIMPLICI, EX CORDE INVICEM DILIGITE ATTENTIVS, Græca sic habent: *In fratrum amorem non simulatum, ex puro corde, alius alium diligite impense siue continue, non interrupte*. Quod Græcè est ἐκτενῶς. His respondet Syriaca paraphrasis. Noster interpret pro, *non simulato*, vertit *simplici*. Nam Græcè est ἀνυπόκριτον, quod aliis aliter reddit, vt Rom. 12, *dilectio sine simulatione*. Tim. 1. *ex fide non ficta*. Liqueat igitur epithetum *simplici* cum amore iungendam esse; non cum corde, cuius adiectiuum est *puro*, quod interpret omisit, fortè ratus id satis intelligi in dictione *simplici*. Nam quæ simplicia, pura sunt. Pro *fraternitatis amore*, Græcè est φιλαδελφία: qua voce, ex amore & fratre composita, significare solent apostoli mutuum Christianorum inter ipsos amorem. Nam legitur etiam Rom. 12. 1. Thess. 4. & Heb. 13. Petrus autem in vtraque epistola identidem inculcat. Addit autem *simplici*, non *simulato*; vt significet eam dilectionem de qua Ioannes 1. ep. 3. *Nō diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate*. Rursus cum dicit, *ex puro corde*, excludit amorem impurum & carnalem, ac semel omnem eum quo proximus noster non propter Deum diligitur. Cæterum quia Græcè non est ἐν φιλαδελφίᾳ, in amore fraterno, sed ἐκ φιλαδελφίᾳ, in vel ad amorem fraterno: videtur hic sensus esse, Diligite vos inuicem ex puro corde in fraternam societatem, ac si diceret, in vnum corpus (aut collegium) fraternæ charitatis. Id enim intelligi potest nomine φιλαδελφίας. Et hæc interpretatio parum differt ab Oecumenij commentario: qui præpositionem ἐκ pro διὰ positam putat; quasi dixisset: *propter charitatem fraternam*. Porro summa totius exhortationis est:

Sicut purificati estis fide; sic etiam puram deinceps exhibete charitatem in vestra conuersatione; vt actiones respondeant generationi, tanquam vita secunda vitæ primæ; de qua sequitur,

RENATI NON EX SEMINE CORRUPTIBILI, SED INCORRUPTIBILI. Quoniam fraternitatis meminerat; ostendit ex qua natiuitate nos fratres dixerit, scilicet ex secunda, non autem ex prima. Nam prima quidem nostra natiuitas est ex semine corruptibili, cui etiam fœditas & immundities attribuitur, vt Num. 15. & Iob 14. Secunda natiuitas quam Paulus ad Tit. 3. *παλιγγενεσίαν*, id est, *regenerationem* vocat; ex semine est incorruptibili. Hoc autem semen ipse Petrus interpretatur, ἐξ ἀρχηγενεσίᾳ ita subiungens,

PER VERBUM DEI VIVI ET PERMANENTIS IN ÆTERNUM. Græcè, *per verbum viuens Dei & manentis in æternum*. Quod etiam sic verti posset, *Per verbum viuens Dei & manens in æternum*. Nam manere in æternum, post paululum ipsi verbo tribuitur. Sed tamen hæc Græcæ orationis structura coarctior est. Docet apostolus *semen incorruptibile ex quo renati sumus*, esse *verbum Dei*. Quid autem per *Dei verbum* Petrus intelligat, ipse rursus paulo post exponet: hic vero congrua, pro loci circumstantia, Deo epitheta ascribit, *uiuens & manentis in æternum*. Nam de verbo Dei agit, in æternum mansuro; vt mox dicitur. Similis huic locus est Io. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*.

QUIA OMNIS CARO VT FOENVM, ET OMNIS GLORIA EIUS TANQVAM FLOS FOENI; EXARVIT FOENVM ET FLOS EIUS DECIDIT. Verba sumpta sunt ex Isaia 40. iuxta versionem LXX. Quæ quidem ab Hebræo non distant nisi quod pro *flore foeni seu graminis*, Græcè χόρτος, in Hebræo est *flos agri*. Quod in sensu nihil mutat. Adducitur autem propheta locus ad declarationem vtriusque seminis, corruptibilis & incorruptibilis. Nam verba iam recitata docent, hominem carnaliter natum (qui proinde carnis nomine significatur) quamuis ad tempus floreat, caducum & mortalem esse, instar herbæ crescentis in agro; quæ pulcritudinem suam cito amittit. Quod si homo corruptibilis est & mortalis: igitur & semen eius corruptibile est, & consequenter id quod ex eo nascitur esse corruptibile & mortale, nobis intelligendum reliquit apostolus.

VERBUM AVTEM DOMINI MANET IN ÆTERNUM. Probat eiusdem prophetae verbis, alterum membrum; nempe *semen* ex quo renati sumus, esse incorruptibile. Nam semen illud est verbum Dei, quod Isaia

testa-

SUMMARIUM.

Monet vt propius accedant ad Christum lapidam electum & angularem; tanquam peculiaris Dei populus: vt sancte inter gentes conuersentur; principibus pareant; & tametsi innoxij, exemplo Christi iniurias patienter ferant.

CAPVT. II.

DEONENTES IGITUR OMNEM MALICIAM, ET OMNEM DOLVM, ET SIMVLATIONES, ET INVIDIAS, ET OMNES DETRACTIO NES. Deponentes, in Græco est ἀποθέμενοι. Sic veritas; *Deposita igitur omni malicia & omni dolo &c.* quomodo legit Augustinus hom. 20. inter 50. Postquam interposuit apostolus mentionem regenerationis, qua renati erant Deo, & per hoc fratres effecti inter se; subinfert hanc breuem admonitionem ad ea vicia fugienda quæ fraternæ dilectioni contrariantur. Enumerat autem quinque: *Maliciam*, Græcè κακίαν, cum quis data opera nocet alteri. tametsi quidam faciunt genus sequentium viciorum, quod non probo. Nam Paulus Rom. 1. κακίαν medio viciorum inferuit. Quatuor reliqua per se nota sunt: *Tantum aduerte simulationes*, quæ sunt mendacia quædam in factis; potissimum hic intelligi, cum quis amorem aut benevolentiam vultu præfert, quam non habet in animo. *Deponere*, pro derelinquere, phrasia apostolica est, vbi de vicij agitur. Ita Paulus præcipit *deponere veterem hominem, mendaciam, iram, indignationem &c.* Denique *omne pondus & circumstantans nos peccatum*. Ephes. 4. Col. 3. Heb. 12. Quod addit, *omnem*, significat omnino atque perfecte his vicij renunciamandum esse. Et quibus hoc non addit, ex proximo relinquit intelligendum.

SICVT MODO GENTI INFANTES RATIONABILE SINE DOLO LAC CONCVPISCITE. Viciose in multis codicibus legatur, *rationabiles*. Nā Græcè est τὸ λογικόν, id est, *rationabile*, seu potius *rationale*. Sic & Latini legunt: Augustinus loco citato, Hieronymus in cap. 55. & 60. Isaia. Beda, Carthusianus in commentarijs, & alij. Fauet & Syriacus. *Sine dolo* Græcè ἀδολον, id est, *expers doli*. Augustinus legit, *innocens*. Itaque patet referendum esse ad lac non ad suppositum verbi *concupiscite*. Sunt enim ambo lactis epitheta, λογικόν & ἀδολον. Perstat autem apostolus in allegoria nouæ natiuitatis, cepta cap. superiori. Renati estis, inquit, ex semine verbi Dei; igitur omni viciorum vetustate deposita, velut infantes nuper nati, lac rationale & sincerum appetite. Comparatio ab infantibus sumpta referri potest ad præcedentia & ad sequentia. Nā & alieni sunt infantes à vicij quæ hic nominantur; id est, à malicia,

testatur in æternum manere. Et sanè, si Deus viuere & manere in æternum vt iam dixit; consequens est vt & verbum eius semper maneat. Notandum, esse quidem in Græco diuersa vocabula, λόγον καὶ ῥῆμα; quorum illud, superius; istud, hoc loco positum est: & quosdam interpretes, vt ea distinguant, illic, *sermonem* interpretari; hic, *verbum*: sed hoc non esse necessarium. Constat enim B. Petrum hæc duo pro eodem vsurpare. Sed quæres, Quod est hoc verbum? sequitur:

HOC EST AVTEM VERBUM QVOD EVANGELIZATVM EST IN VOS. Malè quidem codices, *in vobis*. Nam Græcè est, εἰς υμᾶς, id est, *in vos* vel *ad vos*. Et sensus est quem expressit Erasiana versio; *Hoc autem est verbum quod per euangelium delatum est ad vos*. Caietanus & alij nonnulli *verbum hoc euangelizatum* interpretantur ipsum Iesum Christum Deum & hominem, qui est Verbum Dei Patris, manens cum eo in æternum: quem etiam esse dicunt *semen incorruptibile ex quo renati sumus*. At rectius alij *verbum* intelligunt euangelicæ prædicationis, de quo & Paulus ad Rom. 10. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*. Nam & Christus quando dixit, *Semen est verbum Dei*; non seipsum dicere voluit, sed verbum euangelij. Quod vocatur *verbum Dei*, quia Deus illud nobis loquitur per suos apostolos; tanquam præcones. Docet igitur Petrus hominem renasci velut ex semine, verbo prædicationis euangelicæ; quod idem est verbum fidei, quatenus fide suscipitur. Quare non aliud huiusmodi sententijs significatur, quam renasci, mundari, iustificari, saluari hominem per fidem qua credit euangelio sibi annunciat. Sic Paulus Ephes. 5. de ecclesia, *Mundans eam lacu aqua in verbo*. Et Iacobus cap. 1. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*. Explicat hunc sensum Paulus ad Rom. dicto c. 10. Vbi cum dixisset, *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*; subiicit, *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis: saluus eris*. Eundem sensum declarat Augustinus tract. 80. in Ioan. *Manet autem hoc verbum in æternum*; quia euangelium, id est, prædicationis Christi pro nostra salute crucifixi, & à morte resuscitati, fide percepta; ex certa, firma & immutabili Dei promissione efficax est vt credentibus tribuat eternitatem, id est, vitam æternam. Hoc igitur est quod ex dictis colligendum B. Petrus relinquit, eos qui renati sunt ex semine incorruptibili, id est, ex verbo Dei incorruptibiles & immortales futuros. Ita Ioannes 1. ep. 2. *Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum*.

dolo, simulatione &c. & lactis appetentes sunt. Vnde Beda refert ad vtrumque: tamen si probabilius existimem, ad sequentia referri. Nam infantes, etsi careant illis vicijis, non tamen ea deponunt. *Lactis* nomine doctrinam indicat euangelicam, id est, fidei morumque præcepta. Considerat autem in hac metaphora, lactis candorem & puritatem; quia vocat *ἀδοκον*. Talis verò est euangelica doctrina, pura, sincera, immaculata. Considerat etiam vim nutriendi; quoniam addit, *ut in eo crescatis*. Quod autem lac infantibus aptum sit, non viris; hic non attendit. Vnde non pugnat quod Paulus lactis alimentum attribuit carnalibus & imperfectis. ut 1. Cor. 3. *Tanquam paruulus in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* & Heb. 5. *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* &c. Petrus autem ad lac appetendum hortatur fideles in genere, tam perfectos quam imperfectos. Non, inquam, pugnat; quia Petrus non opponit lac cibo perfectorum, sed verustati vitæ. Lac quippe eorum est qui sunt noui homines. Quamquam alioqui, quamdiu hic viuimus omnes paruuli sumus, comparatione virilis ac perfectæ ætatis quam assequemur in futuro sæculo. quemadmodum. Paulus docet illis verbis 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus, loquebar ut paruulus &c.* Sunt qui nomine lactis significatum velint omne genus Christianarum virtutum: quod eodem recidit. Sed cur vocat *rationale*? Quidam ab usu rationis hoc epithetum deducunt; ac si dicat apostolus: Non exhortor ad infantiam rationis expertem, sed ita lac dolo vacuum iubeo vos appetere, ut tamen intelligentia conditum sit. secundum illud Pauli, 1. Cor. 14. *Nolite paruuli effici sensibus, sed malicia paruuli estote.* Quod & Christus admonet dicens: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Matth. 10. Alij plerique, meo iudicio rectius, censent apostolum addendo, *rationale*, significare se metaphoricè loqui; videlicet de lacte non corporis sed animi. Quod & Erasmus paraphrasticè in sua versione putauit exprimendum. Vnde & Syrus interpres, reddidit, *spirituale*. Confirmat hunc sensum locus similis Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum.* Vocat enim ibi Paulus, oblationem corporum nostrorum qua Deo offeruntur à nobis ad sanctimoniam, *obsequium seu cultum rationalem*, id est, spirituales; ad discernen hostiarum corporalium: quemadmodum & hic paulo post, legimus *domum spirituales*, & *spirituales hostias*. Ita nunc B. Petrus ad concupiscendum *lac rationale*, id est, mysticum ac spirituale, fideles hortatur.

3
UT IN EO CRESCATIS IN SALUTEM. Græca pleraque non addunt, in salutem; legitur tamen in Syriaco, & nonnullis Græcis; nec non apud Augustinum & Bedam. Ut autem non fuerit additum ab apostolo: rectè tamen intelligi potest, in salutem,

in virum perfectum; vel aliquid tale. Nam motus incrementi tendit ad quantitatem perfectam. Itaque sensus est; Lac euangelicæ doctrinæ quam semel accepistis, quotidie adhuc more infantium appetite & sugite; ut per illud adolescatis, id est, magis ac magis in vita hac noua, ad quam estis renati, proficiatis, donec virile robur, id est, perfectam æquaminem salutem.

SI TAMEN GUSTASTIS, QUONIAM DULCIS EST DOMINUS. Particula, *tamen* in Græco & Syriaco non habetur; nec in omnibus est Latinis. Augustinus quoque non addit: tamen quod Græcè est *ἐπεὶ ἐγέσθησθε, si quidem gustastis*; etiam verti potuit, *si tamen gustastis*, nisi *ἐπεὶ* hoc loco non tam esset dubitantis, quam supponentis quod verum est; vti patebit ex sensu. Cæterum mēdo sè quidem codices legunt, gustatis præsentem tempore. Est autem manifesta allusio ad versum psalmi 33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Græcè, tam in psalmo, quam hoc loco, legitur *ὁ ἡγεῖς ὁ κρησῖος, quia benignus Dominus*. At Hebraicè est *toḇ, bonus*. Ergo *dulcedinem* intelligi oportet bonitatem ac benignitatem Dei erga homines; quæ dum ab illis agnoscitur atque gustatur, dulcedo vocatur. Iam hoc quoque ad metaphoram lactis & infantium pertinet. Nam infantes dulcedine lactis gustata, rursus ipsum gustare cupiunt. Est igitur exhortationis confirmatio, à dulcedine prius percepta: quasi dicat; Iam antè perceptis gustu palati spiritualis (tunc scilicet quando fide suscepistis euāgelium, tãquam salutis vestræ nūncium lætissimum & omni acceptione dignum) quæ bonus & suauis est Dominus: igitur huius tam salutis doctrinæ succū amplius adhuc appetite, quo magis eo delectati plenius æquaminem perfectionē in Christo. Qui sensus etsi bonus ac verus sit; attamen haud est improbabile, sub istorum verborum velamine mysterium latere, quod Petrus aperte eloqui noluerit; participationem dico sacre eucharistiae, qua dulcedo bonitatis & gratiæ Dei in suo fonte gustatur. Etenim primis Ecclesiæ temporibus solet neophytis statim à baptismo dari sacra eucharistia. Sed & inter ipsas baptismi ceremonias lac & mel gustandū præbebatur: ut verisimile sit apostolum Petrum ad ea mysteria respexisse hoc loco; quæ admodum & Paulum Heb. 6. illis verbis, *Gustauerunt etiam donum caeleste*. Vnde & ecclesia locū hunc recitat in officio diuino illius Dominice, qua neophytorum habitus olim commutari solet; quando & illud ex neophytorū persona canitur, haud dubiè quin de Eucharistia sacramēto; *Cuius corpus sanctissimum in ara crucis torridum, cruore eius roseo gustando viuimus Deo*. Denique constat, *Dominum* hic intelligi Christum. Nam sequitur;

4
AD QVEM ACCEDENTES, LAPIDEM VIVVM. Exhortationem superiorē confirmat ab excellenti dignitate Christianorū; quam

verbis

verbis magnificis, & ut ita dixerim, heroicis deprædicat, immorans huic argumento, vsque ad illum locum, *Carissimi obsecro vos &c. Accedentes*, id est, dum acceditis. Acceditur autem ad Christum etiam ab ijs qui iam in Christo renati sunt, dum quotidianis virtutum profectibus magis magisque se ei coniungunt. Christum vocat *lapidem vivum*; lapidem propter firmitatem, metaphora sumpta à lapide præsertim angulari qui firmitatem præstat ædificio: cuius ad instar, Christus suam ecclesiam sustinet ac firmat. Acceptum nomen à prophetis; quorum verba refert, paucis interpositis. *Vivum* seu *viuentem*; ut tropus agnoscat: quomodo supra dixit *lac rationale*: quia non solum ipse in se vitam habet, sed etiam omnes sibi adherentes viuificat.

AB HOMINIBUS QVIDEM REPROBATVM. Iudæi significantur, qui tradiderunt *eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum*. Matth. 20. Respicit apostolus ad locum Psalms, ex quo paulo post plura.

A DEO AVTEM ELECTVM, ET HONORIFICATVM. Græcè, *Apud Deum autem electum, preciosum* siue *honorabilem*; quod idem Interpres paulo post vertit, *preciosum*. Sunt enim nomina, non participia, *ἐκλεκτός, ἐψημωτός*. Quæ eadem scripta sunt à LXX Iſai. 28. verbis hic infra repetendis. Consonat his etiam Syriaca versio. Est autem allusio ad lapides præstantes, qui apud homines sunt in precio. Nam quod præstans est, *electum* vocatur more scripturæ. Sensus igitur est, hunc lapidem, etsi reprobatum ab hominibus, tanquam vilem & reiectaneum: tamen apud Deum atque in oculis Dei valde preciosum atque honorabilem esse; ut quem testatus sit Deus suum esse filium, regemque constituerit super omnem creaturam, & in cælis ad dexteram suam collocarit; nomenque ei dederit quod est super omne nomen.

5
ET IPSI TANQVAM LAPIDES VIVI SUPERÆDIFICAMINI. Metaphoram de lapide Christo, etiam ad fideles accommodat, ostendens quemadmodum & ipsi sint lapides viui, Christo lapidi coagmentandi. *Superædificamini*, Græcè *ὀικοδομηθεῖτε, ædificamini*. Vbi tam Græcum quam Latinum ambigui modi est, indicantis scilicet aut imperantis; quomodo Io. 5. *ἐπειδὴ ἔρασαν, scrutamini scripturas*. Erasmus & Hentenius imperatiuum elegerunt, vertentes, *ædificamini*. Qui modus etiam Syro paraphrastæ placuit. Alij verò, ut Beda, Caietanus, Hesselius, enunciatiuè dictum accipiunt; idque rectius. Nam (ut dixi) versatur hoc loco B. Petrus in declaranda & commendanda dignitate Christianorum, quam à Christo auctore participant. Etenim quod dicit, tale est: Merito vos exhortatus sum ad incrementa capienda in vi-

ta spirituali, dicens: *ut in eo crescatis &c.* quia dum ad Christum profectibus quotidianis acceditis, qui est lapis viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò in precio & honore habitus; ipsi quoque, tanquam viui lapides, ædificamini. supple, super eo; videlicet lapide fundamentali, qui sustinet totam spiritualis ædificij molem. Igitur *lapides* vocat, quia ædificatio firma & solida fit ex lapidibus. *viuentes* autem; ad significationem metaphoræ, simul ut insinuet, eos non ita collocari in ædificio, quomodo lapides insensibiles, qui seipso mouere non possunt; sed ut vitam in se habentes, ipsi sese bonis actionibus & studijs, adiuuante Deo, promoueant, ut ædificio perfectius inhæreant. Quod & significatum est verbo, *accedentes*. Nam lapides materiales non accedunt, sed alienis tantum manibus portantur. Verisimile est autem B. Petrus hac respicere ad locum Iſai. 54. vbi prædicitur ac describitur ecclesia ex lapidibus preciosis construenda.

DOMVS SPIRITVALIS. Variant exemplaria iam olim, Beda teste; qui legit pluraliter & accusandi casu, *domos spirituales*. Annotat autem, quosdam codices habere in singulari, *superædificamini domus spiritualis*: alios autem, *superædificamini in domum spirituales*. Sed hæc explicatio est veræ lectionis, *domus spiritualis*; ut nos legimus ex castigatione Romana, suffragantibus Græcis, nec non Latinis tam manuscriptis quam impressis melioribus. Ad quem modum & Augustinus legit epistola 57. ad Dardanum. Nec verò conuenit plurale, *domos* (aut ut in quibusdam est *domus*) *spirituales*, etiam si in præpositio addatur aut intelligatur. Non enim singuli lapides ædificantur in singulas domos, sed multi in vnam. Et sensus est, fideles ita ædificari, id est, componi instar lapidum, super Christo tanquam lapide fundamentali, ut constituent vnam domum spirituales, quæ est ecclesia. Vocatur autem ecclesia *domus spiritualis*; non quod sit occulta & inuisibilis, qui est hæreticus commentarius pugnant cum manifestissimis scripturis: sed tum ad differentiam domus materialis, quæ ex materia corporali constat; tum verò propter significationem mysterij. Nam *spirituale*, Græcè *πνευματικόν*, vocabulum est scholæ Christianæ, quo significatur quid allegoricum, id est, allegoricè siue mysticè significans aut significatum. Significans, ut 1. Cor. 10. vbi manna & aqua de petra fluens, & ipsa petra vocantur spiritualia. Significatum; ut Apo. 11. vbi ciuitas magna, Christi & martyrum eius interfectrix, vocatur spiritualiter Sodomam & Aegyptum. Sic ecclesia *domus spiritualis*, id est, mystica dicitur, quia per domum materialem & propriè dictam, ut per

tabernaculum Moysi, & templum Salomonis, præfigurata.

SACERDOTIVM SANCTVM. Edificatur fideles non solum vt domus spiritualis, sed etiam (quæ magna dignitas eorum est) vt sacerdotium sanctum. Vbi nomine sacerdotij, velut collectiuo, significari videntur cœtus, collegium & chorus sacerdotum; ita vt singuli sint sacerdotes. Verum sicut illa domus figuratè, non propriè intelligitur, quod significabatur epitheto, spiritualis; ita & hoc sacerdotium, non propriè dictum, sed metaphoricum est; quod insinuat epitheto, sanctum. Nam qui propriè sacerdotes dicuntur, videlicet ad externa sacrificia offerenda deputati, non omnes sunt sancti, id est, interna animorum sanctimonia & puritate præditi; etiam dum suo funguntur sacerdotio; vt Ophni & Phinees 1. Reg. 2. & alij multi in veteri lege. Qui verò ad hoc, de quo Petrus loquitur, sacerdotium pertinent, nisi sancti sint, hostias suo sacerdotio proprias offerre non possunt. Ex quo patet eos vehementer falli, qui hac Petri sententia & similibus nitentes, simpliciter affirmant omnes Christianos esse sacerdotes; dum non distinguunt inter id quod propriè dicitur, & id quod figuratè. Nam vt sacrificium specialiter & propriè vocatur quod externo ritu cum aliqua sui immutatione Deo offertur, vt supremo Domino; generaliter autem & impropriè, omne id quod agitur vt sancta societas Deo inhæreatur; quo modo describitur ab Augustino lib. 10. de ciuit. Dei cap. 6. Ita peculiariter & propriè sacerdotes dicuntur quorum officium est sacrificia prioris generis offerre; cuiusmodi quidem in ecclesia nullum est præter incruentum sacrificium corporis & sanguinis Domini. Impropriè verò ac generali ratione; qui posterioris generis offerunt Deo sacrificia, id est, quicunque pia & sancta opera, siue religionis siue misericordie seu cuiuscunque virtutis, exercent. Sicut autem virtutumque sacrificium suo modo verum dicitur; externum quidem verum proprietate sermonis, quomodo dicitur vera vitis quæ fert uvas; internum autem verum, quia per se Deo placitum, quomodo Christus dixit, Ego sum vitis vera, Ioan. 15. sic etiam de sacerdotio, & sacerdotibus, distinguendum. Porro de sacerdotio impropriè ac generaliter accepto, B. Petrum loqui, manifestè declarant eius verba subiuncta;

OFFERRE SPIRITVALES HOSTIAS. Id est, ad offerendum hostias siue sacrificia spiritualia. Exponit sacerdotium spirituale per actum proprium, qui est offerre spirituales hostias, id est, opera virtutum; quæ quidem omnia quatenus ad Dei referuntur honorem, vt authoris ac Domini vniuersalis; hostie dicuntur: spirituales autem, ad differentiam carnalium hostiarum, quæ in veteri lege offerebantur, & per quas mysticè fuerunt

significatæ: vel generatim ad discrimen cultus externi, qui ad interiorem cultum in animo consistentem referri debet. Subest igitur in hac parte, exhortatio tacita ad opera bona, tanquam ad spirituales hostias, ad quas Deo offerendas consecrati sint sacerdotes in baptismo.

ACCEPTABILES DEO PER IESVM CHRISTVM. Hanc partem, per Iesum Christum, V. Beda refert ad cuncta præmissa: quia per Christi gratiam & superificamur in domum spiritualem, & sacerdotio sancto participamus, & hostias Deo acceptabiles offerimus. Alij referunt ad solam partem proximam; acceptabiles Deo: Nam spirituales hostie quamuis per se gratæ sint & placitæ Deo, quatenus sunt opera pietatis; tamen sicut haberi non possunt nisi per Iesum Christum, ita nec acceptantur à Deo ad salutem & gloriam nostram, nisi per eundem Iesum Christum. Hæc constructio satis est accommodata textui. Veruntamen alij referre malunt ad verbum offerre. Nam per Christum offerimus spirituales hostias, in quantum ille, tanquam mediator & sacerdos noster, eas velut à nobis susceptas offert Deo patri, suaque intercessione commendat. Huic constructioni fauent alia scripturæ. Nam Heb. 13. de Christo sic dicitur: Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo. Et Apoc. 8. Data sunt illi (angelo) incensa multa, vt daret orationibus sanctorum omnium super altare aureum. Per quem angelum Christum significatur. Quamquam huius constructionis sensus pene idem est cum sensu secundæ. Offert enim Christus orationes nostras ac cætera bona opera Deo patri; quia per suum meritum grata ei facit & accepta.

PROPTER QVOD CONTINET SCRIPTVRA. Græcè, Ideo & continet in scriptura. Quod quia obscurum est; variè exponitur. Erasmus in annotationibus duas refert coniecturas verius quam expositiones. Primò verbum continet ad Christum lapidem refert, hoc modo: Lapis ille de quo locutus sum, continet in scriptura, id est, scripturæ testimonio describitur continens & connectens in se duos populos tanquam duos parietes; dum vocatur lapis angularis. Quia verò Græcum verbum περιέχει interdum excellere significat, hinc alteram addit de eodem lapide Christo expositionem, huiusmodi: Excellit in scriptura, id est, excellens declaratur hic lapis subiuncto scripturæ testimonio. Porro apud R. Stephanum annotatur vnus codex Græcus in quo scriptum sit περιέχει ἡ γραφή, continet scriptura, quemadmodum habet nostra versio. Sed vereor ne locus studio sit efformatus, vt in alijs quibusdam factum, ad versionem Latinam. Mihi rem attigisse videtur Io. Hasselanus, qui submonet περιέχει hic accipi posse vt sit verbum scholasticum, à quo deducitur περι-

χῆ, id

χῆ, id est, summa, argumentum; item comprehensio paucorum verborum aut veruum ex aliquo libro; quam Ecclesiastici scriptores Latini Capitulum vocare solent: Exemplum est A. 8. vbi nos habemus: Locus scripturæ quam legebat eunuchus, erat hic; Tanquam ovis ad occisionem ductus est &c. vbi locus, Græcè περιόχη, id est, capitulum. Cui significationi congruenter etiam ipsum verbum hic positum exponere licebit ad hunc modum: Quia de re locus seu capitulum exstat in scriptura, videlicet accepto verbo περιέχει neutraliter (nam & hoc suggerit Erasmus); ac si dixisset B. Petrus: Coniunctur seu habetur in scriptura. Quod & velle videtur Syriaca versio: Dicitur enim in scriptura. Nam quia dixerat Petrus Christum lapidem viuum, à Deo electum & honorificatum; ad id probandum adducit ex scriptura prophetica testimonium.

ECCE PONO IN SION LAPIDEM SVMMVM ANGVLAREM, ELECTVM, PRECIOSVM. Summum angularem, Græcè compositio nomine ἀπογωνιάου, quasi dicas, summum-angularem. Erasmus periphrasi reddit, in summo ponendum angulo. Ita Græcis vocatur lapis qui in extremo angulo fundamenti duos parietes ex diuerso venientes coniungit & continet. Citat autem apostolus prophetæ testimonium, nec verbis omnino istidem, nec eodem ordine seruato, prout leguntur vel in Hebræo vel apud LXX. Nam Hebræa sic habent, Hieronymo interprete. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angulum, preciosum. LXX. verò sic: Ecce ego immitto in fundamenta Sion, lapidem preciosum (Græcè πολυτελής) electum; summum-angularem, preciosum siue honorabilem, Græcè ἐτιμιον. De sententia tamen prophetæ nihil mutatum est. Ea verò est huiusmodi: Ecce ego, dicit Dominus Deus ad populum Israel, faciam in vobis rem nouam ac longè præter merita vestra, nam in Sion, hoc est, in ecclesia, quæ ortum habebit in monte Sion in Ierusalem, ponam loco fundamenti Christum saluatorem, vt lapidem angularem, electum, preciosum. Lapis vocatur Christus, ob firmitatem, vt supra dictum est. Angularis autem siue summum-angularis cur vocetur, sciendum Hebræa phrasi principes ac primores in populis vocari angulos populorum, quasi fundamenta eorum & sustentacula præcipua, vt Iudic. 20. 1. Reg. 14. Isa. 19. & Sophon. 1. & 3. Christus igitur dicitur angularis ecclesie lapis, id est, primum ac principale eius fundamentum; quia princeps & caput eius est, spiritus sui gubernatione eam firmans, fulciens atque sustentans. Deinde etiam ob hoc lapis summum-angularis, quia sicut lapis angularis in ædificio duos inter se parietes connectit; ita duos populos Iudaicum & gentilem ipse in se coniungit. Quam rationem sine dubio spectauit Paulus Ephes. 2. illis verbis, Ipse summum angularis

lapis de Iesu Christo; in quo omnis edificatio constructa, crescit in templum ædificatum in Domino; in quo & vos coedificamini &c. Nam & prius dixerat: Ipse enim est pax nostra, qui fecit vt æque vnus &c. Verum simile est autem & B. Petrum huc spectasse, vt pote scriberem: Iudais per gentium prouincias dispersis & gentibus in Christo per fidem adunatis. Electus autem hic lapis est, siue vt in Hebræo, probatus; scilicet præ omnibus alijs: quia non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub calo datu hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. A. 4. Ideoque & preciosus ac summo honore dignus; adeo vt in nomine eius omne genitū stentur celestium, terrestrium & infernorum. Philip. 2.

ET QUI CREDIDERIT IN EVM, NON CONFVDETVR. Græcè, Et qui credit in eo, nequaquam pudescit. Verba posuit profus vt sunt apud LXX. nisi quod horum quidam codices omittunt illud, ἐν αὐτῷ, in eo. Hebræa verò sic habent; Qui credit, non festinabit: quomodo reliqui etiam Græci interpretes ex Hebræo transfulerunt. Sensus tamen vtriusque lectionis eodem redit, est quæ huiusmodi; Qui crediderit, quæ dico de lapide in fundamentis Sion mittendo, & salute per eum speranda; ne festinet ad rem promissam, impatiens moræ, quasi statim ea debeat exhiberi; neque si differatur, spem abiciat; sed patienter expectet. Non enim pudescit, non frustrabitur expectata salute. Nam certissime ea ventura est tempore definito à Deo; quam & certissime cōsequetur qui credit sicut oportet; id est, fide sperante, diligenter, perseverante. Citat hanc scripturam etiam Paulus Rom. 9. & 10. Vide quæ illic annotata.

VOBIS IGVTVR HONOR CREDENTIBVS. Erasmus vertit, Vobis igitur preciosus est qui creditis. vt subaudiatur lapis; de quo in præcedentibus. Vult enim hunc esse sensum: Vobis est preciosus, qui in illum credidistis: Iudais, & non credentibus vilis est. Verum si id voluisset Petrus; non mutasset ἐτιμιον in τιμιον; sed prius vocabulum etiam huic loco aptum, retinisset. Nam τιμιον non significat preciosum, sed honorem aut premium. Rectius proinde Hentenius: Vobis igitur qui creditis honor est. Beda deducit hanc illationem ex eo quod proximè præcessit; Ille nimirum honor, inquit, vt non confundamini ab eo in aduentu eius. Sed sicut ipse ait; Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus. Potest nihilominus deduci, per allusionem, ex vocabulo ἐτιμιον, quod ex honore compositum est: Vt hæc sit illatio; Dixi, lapidem illum esse ἐτιμιον, id est, preciosum, honorabilem: Atqui vos tanquam lapides viuus super eo ædificamini, illique coadunamini, per fidem, in domum spiritualem: igitur & vobis credentibus honor, scilicet in iudicio Dei. De quo honore etiam Paulus Rom. 2. Gloria & honor & pax omni operanti bonum.

NON CREDENTIBVS AVTEM, LAPIS QVEM REPROBAVERVNT AEDIFICANTES. *Non credentibus*, Græcè vno verbo ἀπειθεῖς, id est, nolentibus credere, persuaderi; fidem repellentibus. Significatur enim infidelitas positiva, quam vocant. Illud porro, *Lapis quem reprobaerunt aedificantes*, sumptum est ex psalmo 117. cum eo quod sequitur.

HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI. Hebræa phrasis, pro eo quod diceretur, *factus est caput anguli*, id est, lapis angularis; quem superius ex Isaiâ Græco vocavit ἀγκυρωπέτρων.

ET LAPIS OFFENSIONIS ET PETRA SCANDALI. Hoc assumit ex Isaiâ cap. 8. quod & Paulus citat Rom. 9. Vide nostrum eius loci commentarium.

Iam verò ut totus hic locus intelligatur, primum exponendus est versus psalmi; Deinde verba Apostoli ordinanda, & sensus reddendus. Quod ad psalmi locum attinet, sumpta metaphora est ab aedificantibus, id est, architectis, qui aedificio extruendo lapides aptos quarunt, & quos ineptos arbitrantur rejiciunt; quibus fortè contrigit vt lapis reiectus, postea aptus inueniretur qui collocaretur in angulo fundamenti. Igitur lapis aedificantibus reiectus, & denique factus anguli caput, Christus est; quem aedificantes siue architecti, id est, pontifices & magistratus populi Iudaici, quorū erat docere & gubernare populū, reprobaerunt, dicentes, *Quoniam inutilis est nobis* Sap. 2. & adeo reprobaerunt, vt non solum regem eum habere nolent; *Nolumus hunc regnare super nos* Lucæ 19. & ad Pilatum, *Non habemus regem nisi Cæsarem* Io. 19. verum etiam crucifigendum procurarent. Idem tamen ille, repentina facta conuersione, nō modò receptus est in partem aedificij spiritualis, quod est ecclesia, sed mirabili Dei consilio & dispositione (nam vt in psalmo sequitur; *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*) etiam factus est lapis angularis, id est, totius ecclesiæ fundamentum longè primarium, duos illius parietes, Iudaicum scilicet populū & gentilem, in seipso firmissima iunctura connectens. Et quia lapis angularis; ideo rex populi: siquidem per angulos significantur principes, vt supra dictum est. Hinc ipse loquitur psalmo 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*. Sensus hunc versus Dauidici, Christus ipse nobis insinuat Matth. 21. declarat autem Petrus Act. 4. & hoc loco, & Paulus Ephes. 2.

Nunc de ordinando contextu videamus. Quidam vt eum illustrent, illa verba, *Hic factus est in caput anguli*, claudunt parenthesi, ac separatim exponunt. Nam absurdum eis videtur Christum non credentibus dici factum in caput anguli. Itaque sensum hunc periodi faciunt; Non credentibus Christus

factus est lapis ab aedificantibus reprobatus, (scilicet idem ille, qui postea factus est caput anguli, id est, fundamentum & princeps ecclesiæ): factus etiam iisdem lapis offensionis & petra scandali. Hęc constructio probari posset, nisi obstarat quod in Græco non legitur, *lapis*, sed *lapidem*, λίθον, accusatio casu; quemadmodū & in psalmo, nec non Matth. 21. Mar. 12. & Luc. 20. Qui casus aptari non potest parti præcedenti, si quod sequitur parenthesi claudas. Notatur quidem apud Robertum Stephanum vnus codex in quo legitur λίθος, nominandi casu: sed fidem apud doctos non meretur. Igitur recta constructione seruata, sensus hic reddi potest: Incredulis autem, lapis ille quem reprobaerunt aedificantes, id est, quem reiecerunt Iudæorum principes; factus est in caput anguli, hoc est, eis quantumvis inuitis & renitentibus datus est Iudex & Rex, qui rebelles duro ac iusto imperio coerceat atque puniat. Ierem. 31. *Dominatus sum coram*. & Ezech. 20. *In furore effuso regnabo super eos*. Promotus est in caput aedificij & regem populi; atque in eo gradu collatus à patre, nunc regnat donec eos ipsos inimicos suos qui nolebant ipsum regnare, ponat aliquando scabellum pedum suorum. Quibus interim iisdem lapis est offensionis, quod in Hebræo est, *percussionis, & petra scandali*; id est, lapis in quem ipsi grauitur impingant, ab eodem collidendi & coterendi, sicut dicitur Matth. 21. Hoc autem propriè ad Iudæos pertinet, quibus Christus crucifixus scandalum factus est, 1. Cor. 1. Nam gentibus incredulis, stulticia potius fuit Christus quàm scandalum; vt ibidem dicitur. Vnde, ex hoc etiam loco sumitur argumentum hanc epistolam ad Iudæos scriptam esse. Laudat enim apostolus Iudæos fideles, ex comparatione Iudæorum qui credere noluerunt. De quibus adhuc sequitur.

HIS QUI OFFENDVNT VERBO, NEC CREDVNT. *Nec credunt*, Græcè ἀπειθεῖς. Idem vocabulum quod supra; id est, *non credentes*, non acquiescentes persuaderi, & credere nolentes. Sensus est: His qui impingunt in verbum euāgelij sibi annunciati, nolentes illud recipere; sed eo offensi, contradicentes & blasphemantes: vt de ijs dicitur Act. 13. ijs, inquam, Christus (qui est verbum Dei increatum) factus est lapis offensionis & petra scandali. Offendentes enim & impingentes in verbum euāgelij, impegunt in Christum, quem euāgelium annunciat. Aut certè ideo impegunt in verbum euāgelicum, quia impegunt in Christum crucifixum.

IN QVO ET POSITI SVNT. In quo, Græcè ἐν, in quod, vel ad quod. V. Beda legit, in quod; licet etiam alterius lectionis meminerit, & vtramque exponat. Sed & mss. quædam probatissima, nec non veteres concordantiæ, quartum casum exhibent. Porro de sensu variant interpretes. Multi iungunt

cum

cum complexo verbi præcedentis & casus qui in eo subauditur; & hunc sensum reddunt: *Nec credunt verbo euāgelij; ad quod audiendum & fide suscipiendum positi erāt, id est, ordinati, per legem & prophetas Christum prænunciantes & promittentes*. Vnde Paulus ad eos ait: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei* Act. 13. Sed sciendū in Græco genus non respondere. Nam λόγος masculinum est; relatiuū δ, neutrum: quod proinde λόγον referre non potest. Quia ratione etiam illa cuiusdam improbat expolitio, qui relatiuū ad lapidem refert. Nam & lapis in Græco masculinum est, λίθος. Igitur alij relatiuū indeterminatè sumunt, ad quod, id est, ad quam rem: vt possit ad diuersa referri. Beda refert ad credendum; In hoc, inquit, positi sunt, per naturam facti sunt homines, vt credant Deo & eius voluntati obtemperent. Sed hic sensus nimium generalis est; Loquitur enim apostolus specialiter de Iudæis. Alij proinde sic exponunt; *Ad quod*, id est, vt crederent euāgelico sermone, præparati erant & instructi per legem Mosaicam; quæ Christum multipliciter prænunciabat. Ita Liranus, Richelius & Caietanus. Item Erasmus tam in annotationibus quàm in paraphrasi. Quò respicit etiam eius versio; *neque credunt id ad quod & instituti fuerant*. Et quidem hic sensus, si res ipsa spectetur, coincidit cum primo. Verum nihil istorum cum textu coheret: Nec omnino particula in quod, ad verbum credere potest referri, quod in Græco non præcessit. Nam (vt dixi) Græcè est ἀπειθεῖς, ac si dicatur vno verbo, *diffidentes*, aut *refragantes*. Cui respondere non potest ista expolitio relatiui, in quod, id est, ad credendum. Ac sanè miror nec ab Erasmo id fuisse animaduertum. Est igitur alius sensus, à dictis longè diuersus ac pene contrarius; quo videlicet relatiuū quod non ad verbum euāgelij, neque ad credendum; sed ad non credendum, & ad offendendum referatur: hoc modo; *Ad quod*, id est, vt offendant in verbum; & non credant, positi & ordinati sunt à Deo; videlicet permitte, propter eorum peccata præcedentia, & propter gloriam suam, quam ex illorum iusta condensatione sibi parat. Hic sensus mihi videtur germanus. Non solum enim conuenit cum scripturis in quibus Deus dicitur aliquos tradidisse in desideria cordis eorum, in passionem ignominia, in reprobum sensum; Ro. 1. sed & cum alijs, in quibus idem hoc verbum legitur. vt Rom. 9. *In hoc ipsum excitauit te* (pro quo in Exodo c. 9. *posui te*) *vt ostendam in te virtutem meam*. & 1. Thess. 5. *Non posuit nos Deus in iram; sed in acquisitionem salutis*. Et cap. 3. loquens de tribulationibus: *Ipsi enim scitis*, inquit, *quod in hoc positi sumus*. Deniq; sensus hic præsentis instituto maximè est accommodus: Loquitur enim Petrus de Iudæis à Deo reprobatis. Quam eorum reprobationem hic sensus explicat, ea parte qua

dicuntur à Deo permitti cadere in peccatum infidelitatis. Adferunt eum Didymus, Oecumenius, Gaignaus, Salmeronus, Lorinus, & in Notationibus suis Franciscus Lucas.

VOS AVTEM GENVS ELECTVM. Ad fideles orationem reflectit; quorum rursus insignem felicitatem amplissimis epithetis ac velut dignitatum titulis, prædicat & commendat. Mirificè enim assurgit hic sermo; qui quamuis partim ex Moyse desumptus sit; totus tamen, vsque ad versum 11. apostolicam refert ac spirat maiestatem. Dicuntur autem hæc ad Iudæos, vel solos vel præcipuè. Notandum enim, quatuor epitheta quæ hic ordine ponuntur, in veteri testamento fuisse attributa populo Israelitico; quem Deus ad sui cultum præ cunctis gentibus elegerat, ac sibi peculiarem fecerat, multisque prærogatiuis ornauerat, itaque verò quidem illa, iuxta sensum literalem; competeabant illi populo: Verum quia omnia in figura contingebant illis, 1. Cor. 10. non dubium quin sensu mystico, eoque longè sublimiori, conueniant eadem populo Christiano. Id igitur est quod hic intendit ac docet B. Petrus. Israelitas quidem fuisse genus electum, passim testantur scripturæ, quæ vocant eos *populum & semen electum à Deo*. vt Deut. 4. 7. 10. & 14. & alibi. Gratuitam quoque eiusdem populi electionem significat Moyses, Deut. 7: his verbis: *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus & elegit vos; cum omnibus suis populis pauciores; sed quia dilexit vos Dominus*. Ac rursus cap. 9. vbi populum monet *Ne dicat*, *Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem*; Cum, inquit, durissima cervicis sis populus: sed vt completer verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac & Iacob. Cæterum multo magis ac verius Christiani genus sunt electum; quia non ad terrenam possessiōnem, sed ad cælestem, ex toto hominum genere & absque villo meritorum respectu, sunt electi & vocati à Deo, q. d. Apostolus, *Maiori iure in vos competunt omnes hi tituli, quàm in illos quibus olim ascriptos fuisse legitimus*. Vocat autem *genus*, propter regenerationem factam in baptismo *ex semine incorruptibili per verbum Dei*, quemadmodum dixit capite præcedenti.

REGALE SACERDOTIVM. Sumptum ex verbis quæ Deus iussit ad populum dici, Exo. 19. idque iuxta versionem LXX. vbi nos habemus interprete Hieronymo, *regnum sacerdotale*; pro eo quod in Hebræo est, *regnum sacerdotum*. Vnde euāescit argumentum, quod ex hoc loco faciunt nonnulli pro discrimine; quod statuendum putant inter sacerdotium vetus & nouum; dicentes, in veteri testamento regiam potestatem fuisse sacerdotali superiore, quia dictum sit in

Exodo,

Exodo, regnum sacerdotale: Nunc autem sacerdotium regali potestate esse prius ac potius, quia Petrus sermone conuerso dicat, sacerdotium regale; tanquam illic sacerdotium fuerit accessorium regno, hic autem regnum sit accessorium sacerdotio; atque hanc esse prerogatiuam noui testamenti prae veteri. Euangelicit, inquam, hoc argumentum: quia Petrus ipsa Moyli verba quae ad veterem populum dicta fuerunt, referre voluit; sed retulit vt habebantur in Graeca versione, quae erat in vfu fidelium. Quae res & a Lorino obseruata est. An autem verè consistat illud discrimen, ac non potius cum alijs doctissimis Theologis, dicendum sit, etiam sub lege veteri, sacerdotium fuisse regali potestate prius ac dignius; nõ huius est loci disquirere. Conferendus est autem hic locus cum eo quod Apo. 1. & 3. dicitur Deus nos fecisse regnum & sacerdotes; Graecè, reges & sacerdotes; non sine allusione ad locum Exodi. Nam & in Exodo Chaldaea versio habet, reges sacerdotum. Ex quibus apparet, etiam B. Petrum id ipsum velle significare, scilicet omnes Christianos esse reges & sacerdotes. Et quidem quo sensu sacerdotum sint omnes; ipse Petrus iam ante exposuit, dicens: sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias. Reges verò sunt omnes Christiani, vel quatenus Deo subditi, cui seruire regnare est, vt habet oratio ecclesiae: vel quia suorum affectuum Domini sunt ac reges, in mente suã in eis obtinentẽ principatum: vt quidam exponunt: vel ideo maximè; quia praedestinatione ac vocatione reges sunt, vt pote filij & haeredes Dei, cohaeredes autem Christi, & cum eo regnaturi in aeternum: sicut ipse testatur, dicens ad suos discipulos, Luc. 22. Et ego dispono vobis, sicut disposui michi patrem meum, regnum. Et dicitur omnibus suis electis in extremo iudicio: Venite, possidete paratum vobis regnum. Est autem & alijs modis secundum quem omnes Christiani dici possint & sacerdotes & reges; quatenus scilicet omnes membra sunt Christi sacerdotis & regis, cum quo vnum corpus constituunt. Quem sensum pluribus prosequitur Hesselius scribens in hunc locum. Vide S. Aug. de Ciuit. lib. 20. c. 10. Quo autẽ sensu verus ille populus Israeliticus, appellatus fuerit à Deo regnum sacerdotale Exod. 19. petendum ex illius scripturae commentarijs. Porro iam ex his patet, valde ineptè quosdam abuti hoc scripturae loco & similibus, vt doceant omnes Christianos verè & propriè esse sacerdotes. Nam scripturae vtrumque eis attribuunt, & quod reges sint, & quod sacerdotes. Ex quo cum non sit consequens, propriè reges esse; profecto nec consequitur esse propriè sacerdotes.

GENS SANCTA. Hoc sumptum est consequenter ex eodem loco Exodi. Israelitae quidem dicti gens sancta, propter externam & legalem sanctitatem. Erat enim populus a

gentiliũ immundicijs, praesertim Idololatriæ segregatus; & legalis mundiciæ, quæ in delictu ciborum & lotionibus alijsque similibus consistebat, studiosus. Quò, secundum literam, pertinebat illud aliquoties in lege repetitum; Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: vt ostendimus capite superiori. Christiani verò dicuntur gens sancta, & apud Isaiam. cap. 62. populus sanctus; propter internam & veram sanctitatem, id est, puritatem à contaminatione viciorum. Hac enim ea est sanctitas, à qua propriè ecclesia sancta vocatur in symbolo fidei. Nam qui sanctitatem hanc definiunt à religione, doctrina, sacramentis ac reliquo cultu externo; non sufficienter eam explicant, nec attingunt quod in sanctitate ecclesiae praecipuum est. Oportet enim eam intelligi sanctitatem quam Christus sanguine suo contulit ecclesiae; secundum scripturas: vt Ioan. 17. Pro eis ego sanctifico me ipsum; vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Ephes. 1. Elegit nos in ipso, vt essemus sancti & immaculati. Et cap. 5. Christus dilexit ecclesiam; & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aquae in verbo. Et Heb. 13. Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Nec obstat quod hæc sanctitas non sit in omnibus ecclesiae membris. Nam nec illa veteris populi sanctitas quam dixi, in singulis erat. Sed sancta dicitur ecclesia à sanctitate praecipuorum membrorum: quæ tamen omniam esse debeat, vt vocationi respondeant.

POPVLVS ACQUISITIONIS. Graecè λαός εις περιποίησιν, populus in acquisitionem: siue in vendicationem. Id quoque sumptum ex eodem capite 19. Exodi, vbi ante verba superiora, sic habetur in Hebraeo: Eritis michi in peculium de cunctis populis. Pro quo LXX. εἶσεσθε μοι λαός περιήσος. Id est, Eritis michi populus peculiaris. Ad quam versionem respexit Paulus in epistola ad Titum 2. dicens: Et mundaret sibi populum, acceptabilem; Graecè περιήσος, peculiarem. Vide quæ in illius loci commentario diximus. Cæterum vox Graeca quam Petrus vsurpat hoc loco, legitur etiam apud Paulum Ephes. 1. In redemptionem acquisitionis. Vbi Erasmus; in redemptionem acquisita possessionis; melius sanè quam hic, populus qui in lucrum accessit. Sensus enim apostoli est, Quomodo filij Israel vocabantur & erant Deo populus acquisitionis, seu vendicationis; quòd Deus illum è tyrannide Pharaonis ereptum & in manu valida ex Aegypto eductum in suam vendicasset possessionem, ac suum fecisset è cunctis gentibus peculium: ita, ac potiori ratione, Christianos esse Christo Deo suo populum acquisitum, vendicatum & peculiarem; quia, sicut dictum est capite praecedenti, precioso sanguine suo eum è potestate diaboli redemit, atque ex vniuerso hominum genere electum, suum peculium fecit. Quæ certè ma-

xima dignitas est Christianorum. Quo modo & Paulus eos vocat ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Act. 20. Notandum est apud Ambrosium in expositione psalmi 118. octonario 6. & apud Augustinum lib. 1. de peccatorum meritis cap. 27. hanc partem ita legi: populus in adoptione. Sed & Ephes. 1. veteris editionis hæc erat lectio, In redemptionem adoptionis; quemadmodum Hieronymus testatur in eius loci commentario. Sed eam versionem corrigi ibidem Hieronymus; ac docet è Graeco legendum, acquisitionis seu possessionis. Quod & nos eo loco annotauimus. Quanquam potius existimem non adoptionis, sed adeptus ab illo interpretate scriptum fuisse: quòd scribarum oscitantia mutatum postea fuerit in adoptionis. Nam adeptio ferè idem est quod acquisitio.

VT VIRTUTES ANNUNCIETIS EIUS QUI DE TENEBRIS VOS VOCAVIT IN ADMIRABLE LUMEN SVVM. Virtutes, non dicitur Graecè, quod alibi passim, id est, potentias; vnde dicitur Deus virtutum: sed adeptus (tarum alioqui in scripturis vocabulum) id est, virtutes quæ vicij opponuntur; vt sunt in Deo sapientia, iustitia, bonitas, caritas, misericordia, denique φιλαδελφία. Tit. 3. Quidam addunt patientiam, obedientiam, humilitatem; videlicet de virtutibus Christi hominis accipientes hunc locum; quod nõ est necesse. Sunt enim in Deo virtutes omnes excellentissimo modo; aliæ quæ de formaliter, aliæ verò eminenter; vt loquuntur & docent Theologi. Declarat Petrus his verbis causam finalem acquisitionis praedictæ; nempe gloriam Dei. Ad hoc enim Christianos, id est, populum suum nos fecit Deus; vt de hoc tanto beneficio eum laudemus, & virtutes eius; quæ in opere nostræ redemptionis & sanctificationis mirabiliter eluxerant, quibusque laudabilem se ostendit, vbi que praedicemus, quemadmodum ipse testatur Ita. 43. dicens: Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creauit eum. Et infra: Populum istum formaui michi: laudem meam narrabit, id est, formaui vt laudem meam nartet. Ad has enim scripturas alludere videtur apostolus: tamen Beda refert ad historiam Exodi 15. in qua legimus, Hebraeos postquam ex Aegypto liberati mare rubrum transierant, canticum gratiarum actionis & laudis Domino cecinisse. Porro vocationem hinc intellige efficacem, quæ diuinæ praedestinationis effectus est, & vocatio secundum propositum appellatur à Paulo, Rom. 8. Lumen ad quod vocatos dicit, quidam Christum exponunt, de quo Io. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. Qui & de seipso ait, Ego sum lux mundi Ioan. 8. Estque sanè admirabile hoc lumen, quia tam magnum vt à nemine comprehendi possit. Iuxta què intellectu lumen suum, id est, Dei dixit apostolus, quia Christus vt est Deus de Deo, ita lumen est de lumine. Alij tamen, inter quos Caieta-

nus, de lumine fidei exponunt, quia Deus resque diuinæ cognoscuntur. Quæ cognitio licet obscura sit, propter ineuidiam; lumen tamen, atque adeo lumen Dei rectè vocatur, ob certitudinem reuelationis diuinæ. Quanquam alioqui omnis cognitio lumen quoddam est. Rursum, fides ipsa lumen est admirabile; quia notitia est eorum quæ à sensibus nostris remotissima sunt, & quorum rationes assequi mentis non possumus: restante Paulo, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ praeparauit Deus ijs qui diligunt illum 1. Cor. 2. Ab hoc lumine, qui baptizati erant, Illuminati vocabantur; vt Heb. 6. & 10. Et baptizatus, sacramentum illuminationis, apud veteres. Affectat hanc luminis acceptionem antithesis inter tenebras ac lumen, quam facit apostolus: ac si dicat, Qui de profundis ignorantiae tenebris vos vocauit ad sui cognitionem.

Ceterum videri potest hoc propriè dictum ad fideles ex gentibus, quæ diu iacuerant in tenebris ignorantiae veri Dei. Vnde & Christus lumen ad reuelationem gentium vocatur à Simone iusto, Luc. 2. Sed ea res non conuincit. Nam & ad Iudæos similia dicta legimus, vt Itaiæ 60. Surge, illumina Ierusalem, quia venit lumen tuum. & Matth. 4. ex eiusdem prophetae cap. 9. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Sed & ista Iudæos haud dubiè comprehendunt: Lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt. Lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem Io. 1. & 3. Nam etiam Deum aliquo modo populus ille veteris testamenti cognoscebat; non tamen vt saluatorem, id est, veræ iustitiæ & salutis auctorem. Hoc enim modo nosse Deum, promittitur filiis noui testamenti. Ierem. 31. Heb. 8. & Ita. 11.

QVI ALIQVANDO NON POPVLVS, NVNC AVTEM POPVLVS DEI. Versum hunc totum desumit B. Petrus ex Osee cap. 2. sub finem, vbi sic habetur: Et miserebor eius quæ fuit absque misericordia: Et dicam non populo meo, populus meus es tu. Sed ordinem commutat Petrus, ideo fortè quia vult explicare & commendare quod dixit, populus acquisitionis; tamen Paulus quoque, citans eundem prophetae locum Rom. 9. ordinem transposuit. Citat autem Paulus vt doceat à Deo vocatos esse non Iudæos solum, sed etiam gentiles. Ex quo apparet etiam à Petro hæc eadem scribi ad fideles ex gentibus; si prophetae testimonium ab utroque apostolo eodem sensu intellectum est. Quo argumento praecipue mouentur, qui putant hanc epistolam ad eos qui ex gentibus erant fideles, scriptam esse. Cuius contrarium nos ostendimus in argumento epistolæ. Primum igitur respondeo, non aliud ex hoc loco colligi posse, quàm non ad solos Iudæos scribi hanc epistolam; sed etiam ad gentiles, quibus per-

mixti Iudæi in dispersione positi, fide & sacramentis communicabant; ut propterea partim ad Iudæos, partim ad gentiles, aliàs verò simul ad utroque sermonem dirigat apostolus. Deinde, nec id quidem necessariò nobis fatendum esse. Nam quæ de populo gentili prædicta sunt à propheta, potuit ea Petrus suis verbis (quod sentit Caietanus) populo circumcissionis accommodare. Non enim dicit Apostolus, prophetâ hæc scripsisse de ijs quos alloquitur. Quin etiam illud dici potest, prædictionem prophetæ vel ad solos pertinere Israelitas in gentibus dispersos; quibus propheta, post indictum repudium, gratiam reconciliationis promittit; quam promissionem Petrus nunc impletam esse docet; Hic enim sensus prophetæ verbis & contextui valde consentaneus est: Ved, ad utrumque populum pertinere, Iudaicum & gentilem; sensu quidem literali ad Iudæos, mystico autem ad gentiles. Quæ sententia est Hieronymi prophetam hunc exponentis. Quam & Franciscus Ribera amplectitur in proœmio sui commentarii, super epistolam ad Hebræos, retractâs ea quæ prius in diuersam sententiam dixerat in commentario prophetæ. Rectè igitur B. Petrus Iudæis dispersionis id ascribit, quod de eis à propheta, secundum literam, prædictum fuerat. Rectè & Paulus id ipsum ad gentiles refert; ad quos secundum mysterium pertinebat: vti suo loco declarauimus. Restat ut verba B. Petri exponamus. Quod ait, *Qui aliquando non populus*; sic absolutè dictum accipi potest: quia populus dispersus reuera non est populus. Significat enim hoc nomen collectionem hominum in vnâ rempublicam. Potius tamen apparet, ex posteriori membro suppleendum esse *Dei*. Nam & apud Prophetâ Deus loquitur, *Et dicam non populo meo*. Sensus igitur est; Qui hætenus fuistis non Dei populus; quia veram & salutem Dei rerumque diuinarum notitiam non habuistis; quia mandata Dei propter traditiones paternas (de quibus capite superiori) irrita fecistis; insuper & gentium corruptelis ac superstitionibus impliciti fuistis. Nunc, Christo per suos apostolos in vnâ fidem & ecclesiam vos colligente, facti estis populus Dei.

QUI NON CONSECVTI MISERICORDIAM, NVNC AVTEM MISERICORDIAM CONSECVTI. Commendatio est vocationis gratuite. Sensus; Qui quondam & antehac à Deo derelicti fuistis in tenebris ignorantie vestræ; nunc per eius misericordiam & gratiam, non autem vestris meritis, quæ nulla erant, adducti estis ad lumen fidei, & assumpti ad eam dignitatem ut sitis genus electum, & cætera, quæ supra commemorauit.

CARISSIMI, OBSECRO VOS TANQVAM ADVENAS ET PEREGRINOS. Rediit ad exhortationem aliquantisper intermissam;

admonens ut tantæ dignitati suæ vocationis, de qua hætenus, sancta conuersatione respondeant. *Obsecro*, Græcè *παρακαλώ*, quod etiam verti potest, *adhortor*. Pronomen *vos*, quod Græca non exprimunt, additum ab interprete, vel potius à scriba quopiam: Nam nec in omnibus est Latinis. *Aduenas & peregrinos* Græcè *παρακλῆτες καὶ παρεπιδημοί*; quarum vocum posteriorem interpretes initio epistolæ vertit *aduenas*; tamen ferè, idem ambæ significēt, videlicet eos qui ut aduenticij & peregrini commorantur in aliquo loco. Alludit autem Petrus ad id quod in principio dixit, *aduenas dispersionis*; ac si dicat: Vos qui estis aduenæ dispersionis, extorres è terra patrum vestrorum, exhortor & obsecro tanquam spiritualiter aduenas & peregrinos, id est, huius mundi hospites, qui debeat cogitare nihil vobis, etsi inter homines sæculo deditos agentibus, commune esse debere cum desiderijs & vanitatibus sæculi: sed animis & studijs semper tendere ad caelestem patriam; exemplo sanctorum patriarcharum, qui contentes se peregrinos & hospites esse super terram, significabant se patriam inquirere, vti que caelestem. Heb. 11.

ABSTINERE VOS A CARNALIBVS DESIDERIIS. Græcè, *abstinate a carnalibus desiderijs seu concupiscentijs*. tamen quidam Græci codices pro *ἀπέχεσθε*, *abstinate*, habent *ἀπέχεσθαι* *abstinere*, quemadmodum & legit Clemens Alexandrinus lib. 3. Siromatum cap. 6. Quæ lectio sanè probabilior est. Cohæret enim hæc pars cum præcedente; tanquam *aduenas & peregrinos abstinere*, ut sensus sit: Obsecro vos, ut tanquam aduenæ & peregrini in hoc mundo velut in terra aliena, ab ijs concupiscentijs quæ mundus admiratur & concupiscit, abstinèatis: ut sunt voluptates, opes, honores. Nam peregrinorum & aduenarum est, haud sese miscere negocijs ciuitatis aut regionis in qua peregrinantur. *Carnalia desideria* dicuntur à carne, id est, concupiscentia, seu fomite peccati, ea in nobis excitante. Ab ijs autem *abstinere* iubemur, non ut prorsus ijs careamus, quod in hac vitæ corruptione fieri non potest; sed ut nec opere nec consensu ea sequamur.

QVÆ MILITANT ADVERSVS ANIMAM. *Anima* nomine vita & salus intelligi solet in scripturis. Hinc *animam perdere & inuenire* passim in euangelijs. Igitur *militare* dicuntur *desideria carnis aduersus animam*; quia quantumlibet sensibus animæ grata sint & iucunda; tamen exitiale bellum homini inferunt, ut pote vitæ eius salutique contraria. Non enim sentit apostolus pugnam esse inter carnem & animam, cuiusmodi est inter *legem membrorum & legem mentis*, Ro. 7. aut inter carnem & spiritum, Gal. 5. Nusquam enim hæc pugna inter carnem & animam statuitur. Sed à carnalibus desiderijs

reuo-

reuoat, proposito salutis eterne periculo.

12

CONVERSATIONEM VESTRAM INTER GENTES HABENTES BONAM. Loco participij *ἐχόντες habentes*, apud Oecumenium legitur *ἐχόντες habere*; ut dependeat ab illo *obsecro vos*, sicut & verbum *abstinere*. *Bonam*, Græcè *καλήν*, id est, *honestam*, ut alij vertunt. Precepit apostolus ut animi seruent puri à carnalibus desiderijs: nunc, quod proximum est, exigit ut apud homines honestè se gerant; ac non solū non offendat improbitate morum; sed etiam bona conuersatione moribusque rectè compositis amorem proximorum erga se prouocent; ac religionem quam profitentur, commendent. Quod ait, *inter gentes*, arguit epistolam hanc ad Iudæos scriptam esse. Nam ad gentiles scribens non diceret, *inter gentes*; sed *inter incredulos*, aut *eos qui foris sunt*; aut cum addito, ut alibi, *inter gentes quæ Deum ignorant*.

VT IN EO QVOD DETRECTANT DE VOBIS TANQVAM DE MALEFACTORIBVS. *Detrectant* seu potius *detractat*, ut legitur in multis codicibus, Græcè *καταλαλεῖν obloquuntur*, *detrabunt*, *obtrectant vobis tanquam maleficio*, id est, sceleratis hominibus, ac reipublice noxijs. Quidam istas detractiones interpretantur, quod dicerentur Christiani humanas carnes edere, videlicet occasione sumpta ex mystica participatione corporis & sanguinis Domini. Cuius calumnie meminert Iustinus Martyr in prima apologia, Eusebius lib. 5. hist. eccles. cap. 1. & sequentibus; & Oecumenius in commentario. Rufus quod diceretur in mysterijs vti promiscua Venere. Cuius meminit idem Iustinus in secunda apologia. At huic criminationi materiam præbuerant heretici cognomento Gnostici, reuera in suis conuenticulis turpia quædam & nefanda exercentes: De quibus Epiphanius in heresi Gnosticorum. Alij locum hunc ad alias referunt calumnias paganorum aduersus Christianos; de quibus Tertullianum cōsule in Apologetico, & Ioan. Hesselium in commentario. Sed cum hæc epistola scripta sit ad fideles ex circumcissione Iudæos; verisimilius est hîc intelligi detractiones quibus obnoxij erant Iudæi, ac nominatim de eo quod religionis ac libertatis prætextu principibus ac magistratibus ethnicis minus essent obsequentes, parumque ciuiler ijs inter quos vivebant sese accommodarent. Huc sanè B. Petrum respicere satis ostendunt verba sequentia.

EX BONIS OPERIBVS VOS CONSIDERANTES, GLORIFICENT DEVM. Vos supplementum est interpretis. Alij sic: *Ex bonis operibus quæ considerarint, inspexerint*; Nam Græcè est aoristus *ἐπιθεωρήσατε*, id est, *conspicite, cum inspexerint*. Cyprianus lib. 3. testimoniorum capit. 11. totum hunc locum citans, ita legit: *Peccatum detrectant de vobis quasi de malignis; bona opera vestra aspicientes, magnificent Deum*. Sensus Apostoli: Benè & honestè inter gentiles

conuersamini; ut si qui malè de vobis loquuntur, malè persuasi vos esse maleficos & tranquillitatis publicæ turbatores; opera vestra bona videant & considerent, atque ex ijs recto iudicio vos estimantes, Deum qui tales habeat cultores, glorificent; sicque detractionem vertant in laudem & gloriam Dei. Qui scopus esse debet bonarum nostrarum actuum: Domino præcipiente, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in calis est*.

IN DIE VISITATIONIS. *Diem visitationis* Oecumenius, Aria Montano suffragante, exponit inquisitionem hominum mundanorū, scilicet eorum qui malè de Christianis loquebantur. *Quum enim*, inquit Oecumenius, *fit ab eis inquisitio de vita nostra: ubi res contraria modo se habere reperimur, quam fuerit eorum suspicio; non salua prædesunt, sed & ipsi corriguntur, & Deus glorificatur*. Hic sensus accipit probabilitatem ex vocabulo *visitationis*, Græcè *ἐπισκοπή*, id est, *inspectionis*: quasi respiciat Apostolus ad id quod dixit, *ex bonis operibus vos considerantes, inspicientes*. Alijs magis placet, *visitationem* intelligi diuinam; qua scilicet Deus visitat homines. Sic enim *visitatio & dies visitationis* familiaris accipiuntur in scripturis. Igitur nonnulli de die iudicij seu retributionis interpretantur; quando impij cōspecta iustorum gloria, Dei iusticiam agnoscent vel inuiti. Sic infra cap. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*. tamen illic *visitationis* non additur in Græco. Obstat huic sensui, quod dicit, *ex bonis operibus vos considerantes*. Id enim est huius sæculi. Proinde alij plerique diem intelligunt diuinæ *visitationis* in hoc sæculo; cum scilicet Deus per suam gratiam obtrectatores illos visitare dignatur, conuertens eorum corda à detractione & odio ad beneuolentiam. Nunquā enim sancta Christianorum vita ad infidelium & maleuolorum conuersionem proficeret; nisi Deus speciali gratia, tanquam benigna vultus sui illuminatione, eos respiceret; quomodo Petrus Christus respexit Luc. 22.

SVBIECTI IGVTV ESTOTE OMNI HVMANÆ CREATVRE, PROPTER DEVM. A generali exhortatione ad particularia præcepta sanctæ & honestæ conuersationis descendit: & quia Iudæi, ut antè dictū est, vulgo malè audiebāt inter gentiles, tanquā legū refractarij; primo loco subiectione præcipit præstādā regibus ac ciuitatū præfectis, ne in ordinē politie quoquo modo peccent. Atque hinc amplius probabile fit ad Iudæos hanc epistolā scribi: propter quos etiam Paulus similia dat præcepta Rom. 13. & ad Tit. 3. quemadmodū suis locis est annotatum. *Creaturā humanam* Oecumenius post Didymū intelligit humanam constitutionem seu creationem, concretiuè tamen, id est, homines qui à regibus creati seu designati sunt præfecti & in potestate cōstituti: aut ipsos etiam reges; eo quod

Q99

& ipsi

& ipsi ab hominibus constituti ac politi sint. Caietanus ipsum officium regiminis intelligit, eo quod humanis suffragiis creatur. Alij creaturam humanam, non dissimiliter quidem accipiunt, sed abstractiue, vt vocabulum sonat; id est, ordinationes, constitutiones seu leges humanas. Verum his obstat quod statim sequitur, *sive regi &c.* quod primam illam, id est, concretiuam postulat magis acceptionem. At enim sciendum, Græcâ vocē *ἡγεμονία* qua Petrus vitur, nusquam alibi in scriptura significare constitutionem siue ordinationem, præsertim talem qualis est legum; sed passim accipi pro *creatura*, id est, rebus à Deo creatis; quemadmodum ostendimus ad illud Rom. 1. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, &c.* Nec verò necessitas vlla est quæ cogat aliter accipi hoc loco; quandoquidem & apud Marcum Petri discipulum c. vlt. sic accipitur in simili locutione, vbi memorat Dominum suis apostolis dixisse: *Euntes in mundum uniuersum predicare euangelium omni creaturae*, vtique humanæ; id est, omnibus hominibus; non Iudæis tantum, sed & gentibus, vbique & indiscriminatim. Quod & factum fuisse, simili sermone testatur Paulus, Col. 1. dicens de euangelio: *quod prædicatum est in uniuersa creatura qua sub celo est*. Sicut autem in illis scripturis primum opus est restrictione quæ hoc loco exprimitur, id est, vt intelligatur *creatura humana*; deinde, vt ea cui prædicatio fieri potest (neque enim infantes aut amentium prædicandum erat euangelium): ita quod hic dicitur, *omni humana creatura*, debet accipi restrictè & ipsi materiam accommodatè, de omnibus hominibus qui sunt in potestate constituti, quicunque & qualiscunque sint. vt sensus sit: *Subditi estote, obedite cuicumque homini superiori; siue Iudeus ille sit, siue gentilis; & siue Christianus, siue infidelis; denique seu bonus seu malus. Nam certè de hominibus accipi oportere, constat ex distributione sequenti, siue regi; siue ducibus. Hunc eundem sensum Syrus interpretes Hebraismo reddidit, Estote subiecti omnibus filiis hominis. Propter Deum, Græcè, propter Dominum. Quod & in Latinis quibusdam legitur. Ac verisimile est Dominum intelligi Christum; vt ferè alibi in scriptis Apostolicis. Qui Deum legunt, sic exponunt: Propter Deum, cuius gerunt vices: vt in homine iubente non hominem consideretis, sed Deum à quo potestatem accepit, & cuius personam sustinet. Quod diligenter inculcat Apostolus Paulus Rom. 13. concludens inde, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, debere principibus subiectionem. Si cum Græcis legamus, Dominum; sensus erit: Quia Dominus Christus hoc iussit, dicens: Reddite qua sunt Cæsaris, Cæsari. Matth. 22. Notandum, hæc intelligi de legitima potestate; quamuis ea fortè, vt sæpè fit, à tyrannide & malis artibus initium duxerit: nec non de iustis legibus. Iustas autem leges bene definit Hesselius: *qua nec***

contraria legi Dei præcipiunt; nec priuata auctoritate feruntur, nec ad priuatum commodum; nec inaequaliter onerant aequales.

SIVE REGI, QVASI PRÆCELLENTI. Quo tempore scripta fuit hæc epistola, princeps imperij Romani erat Domitius Nero, Christianorum grauissimus persecutor; sub quo Petrus ipse qui hæc scribit, & Paulus martyrium subierunt. Liquer ergo ex doctrina Apostolica, principibus etiam infidelibus & valde malis obediendum esse. Etsi verò Romani suum principem non regem, quod nomen illis exosum erat, sed vel Cæsarem, vel Augustum, vel Imperatorem appellarent: Græci tamen eum, consueto populorum more, βασιλέα vocitabant. Vnde & Iudæi dicebant Ioan. 19. *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Addit, *tanquam præcellenti*, Græcè ὑπερέχοντα, id est, supremam habenti potestatem in republica, atque in rebus ad politiam externam pertinentibus. Nam in his quæ ad ecclesiæ regimen, & (qui illius regiminis finis est) salutem spectant animarum; Christus suum habebat vicarium Petrum Apostolum; & habet nunc quoque, eius successorem Romanum pontificem: cui sine exceptione omnes suas oues pascendas & regendas commisit, Ioan. 21. Quidam illud, *tanquam præcellenti*, putant ad omnes magistratus pertinere; sicut extendit Paulus, Rom. 13. dicens, *Omnis anima potestatibus sublimioribus, id est, eminentibus, Græcè ὑπερέχουσιν, subdita sit.* Et expressius 1. Timoth. 2. vbi vult orationes fieri pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt. Græcè ἐν ὑπεροχῇ in eminentia. Nihil tamen vetat hoc loco significari titulum ita regi proprium, vt cæteris præfatis, de quibus alterum membrum subiungit, non sit communis.

SIVE DUCIBUS, TANQVAM AB EO MISSIS. Ducibus Græcè ἡγεμόνων, quos interpretes in euangelij & Actis Apostolicis præfatos interpretatur. Neque enim belli duces significare vult B. Petrus, sed Præsides prouinciarum quæ Romanis erant subiectæ: Cuiusmodi in Iudæa Pilatus, Felix, Festus. Sunt qui putent hoc nomine designari quoslibet magistratus rege inferiores: At scripturæ magis consentaneum est quod dixi; ita tamè vt sub nomine speciali etiam reliqui magistratus intelligantur comprehensi. Vnde non malè Syrus interpretes vertit, *Iudices.* In eo quod additur, *tanquam ab eo missis*; pronomen *eo* ad regem referunt nonnulli. Quod non placet. Nam Apostolus vult hoc in Præsibus istis considerari quod Deus eos miserit; id quod ad obediendum mouere debet. Ac vt taceam quod præfides prouincijs præficiébatur, non tam auctoritate Cæsaris quam senatus; illi alteri relationi non quadrat quod sequitur, *ad vindictam malefactorum &c.* quæ scopum mali reges non vsquequaq; habebant propositum. Rectius igitur ad Deum refertur, qui hunc finem

omnibus

omnibus magistratibus præscribit. Vnde & Paulus de potestate Rom. 13. *Dei enim minister est, tibi in bonum.* ac rursum: *Det minister est, vindex in iram ei qui male agit.* Ex quo etiam apparet, missos à Deo hic intelligi debere non solum duces seu præfides, sed etiã regem ipsum: ad quem per syllepsin illa pars, *tanquam ab eo missis*, etiam pertineat.

AD VINDICTAM MALEFACTORVM, LAUDEM VERO BONORVM. Græcè, *Ad vindictam quidem κακοποιῶν, malum agentium; laudem vero ἀγαθοποιῶν, bona agentium.* Hos interpretes nominat bonos; quia qui bona agunt, boni merito reputantur in repub. ciuili. Illos, maleficos siue nocentes liceat appellare. Significat Apostolus officium principum ac magistratum, propter quod à Deo sint missi: sicut & Paulus verbis supra citatis. Hoc officium est; ad tuendam reipublice pacem & tranquillitatem, malefacta supplicijs, & benefacta præmijs prosequi. His enim duobus, reipublice status continetur. *Laudem* dixit pro premio; quemadmodum & Paulus dicens: *Bonum fac & habebis laudem*; vel quia laus ipsa præmium quoddam est; vel quia præmium laudis est signum. Est autem præmijs pars non minima, sub tutela magistratum quietam & tranquillam vitam agere, vt dicitur 2. Timoth. 1. Quod si ne hoc quidem præmium assequantur in terrena republica boni, propter improbitatem & tyrannidem eorum qui præfunt; laude tamen sua ac premio condigno in Dei iudicio nequaquam defraudabuntur.

QVIA SIC EST VOLVNTAS DEI, VT BENEFACIENTES OBVTESCERE FACIATIS IMPRVDENTIVM HOMINVM IGNORANTIAM. *Obvtescere faciatis*, Græcè φημι, id est, obstruere, os obligare. Vnde illud apud LXX Deut. 25. citante etiam Paulo 1. Cor. 9. *ὁ φημι, non alligabis os boui trituranti.* Verbum deductum à nomine φημι, quod inter alia significat camum, instrumentum aptum non ad frænandum modò, sed & ad constringendū forinsecus ora bouum, equorum, mulorum. Erasmus hoc modo vertit: *Vt benefaciendo obtentis os hominibus stultis & ignorantibus.* Potest etiam ad sensum etiam ita verti: *Vt benefaciendo cohibeatis ac reprimatis amentium hominum ignorantiam. Amentiam siue imprudentiam cū ignorantia coniungit; quia qui Deum ignorant, facile per imprudentiam impingunt. Vel imprudentiam ponit tanquam matrem ignorantie, id est iudicij & sermonis irrationabilis ac stulti; quo ceterabant & inter se loquebatur infideles de Christianis Iudæis, tanquam de his qui legibus essent refractarij. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum cap. 6. non ἀγνοσίαν, id est ignorantiam legit, sed ἐρησσίαν, id est, occupationem. Ita sensus erit: vt, dum benefacitis, aduersaria lingua non habeat quod dicat & in quo occupentur. Illud obseruandū, voluntatem Dei non esse referendā ad id quod dixit, *subiecti estote &c.* quasi sensus sit, Hoc vult & præcipit Deus, vt sitis subditi regibus*

& magistratibus; ita namq; futurū, vt obvtescere cogantur increduli qui solent de vobis malè loqui, quauis vera sint hæc: Sed referri debet voluntas Dei ad sequentia; quæ sic habet in Græco; ἀγαθοποιῶν τῶν φημι, benefacientes obtinere &c. quasi dicat; Voluntas Dei est vos benefaciendo cohibere maledicentiam infidelium. Vbi tamè præceptiua Dei voluntas quæ absolutā potestatem intelligi. Nā & præcipit Deus, vt benefaciendo, quantum in nobis est, obstruamus ora maledicis; & ita disposuit, vt malorum lingue elanguescant per innocentiam bonorum. Nec id solum, verum etiam excitentur ad eos laudandos; & Deū glorificandū: vt dictū est v. 12. Similis admonitio Pauli ad Tit. 2. *Verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex aduerso est, veatur; nihil habens malum dicere de nobis.*

QVASI LIBERIS; ET NON QVASI VELAMEN HABENTES MALICIÆ, LIBERTATEM. Construeda est hæc pars cū superiori verbo *subiecti estote*; quod facit Oecumenius auctore Chrysostomo: non; vt Beda, cū participio benefacientes, quod in Græco diuersi est casus. Notandum, duplicis libertatis prætextu quosdam qui Christo nomen dederant, abusos fuisse ad peccandum. Nam Iudæi quidem, quod essent Dei populi peculiari, liberos se esse volebat à legibus alienorum principum, & à tributis pendendis. Nonnulli verò, libertatem qua per Christum donati sumus, peruersè interpretates, existimabant ita se esse à lege liberos vt quicquid liberer, agere possent. Contra quos Paulus Rom. 6. *Permanebimus in peccato ut gratia abundet?* & iterum: *Peccabimus quoniam non sumus sub lege sed sub gratia? Absit.* & ad Galat. 5. *Vos in libertatem vocati estis: tantum ne libertatem in occasione dæis carnis.* Inde nati Gnostici; de quibus B. Petrus in 2. epist. cap. 2. *Libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.* Et S. Iudas in sua epistola: *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.* Verisimile est autem, Petrum hoc loco respicere potissimum ad prætextum illum priorè libertatis. Scribit enim ad Iudæos, & versatur in inculcandè præcepto obedientie magistratibus exhibedæ. Sensus: *Subiecti estote tanquam liberi; id est, liberaliter, & non seruilliter legibus principum parentes. Vel, tanquam liberi, id est, à peccatis per Christum liberati; qui proinde iusticiam colere debeatis, & facere quod Paulus præcipit, Reddite omnibus debita.* Rom. 13. non autè libertatē, quasi velū, prætexere maliciæ & inobedientie vestræ.

SED SICVT SERVI DEI. Ac si dicat: In hoc quod principibus obeditis, Deo seruitis, qui id præcepit. Itaque hominibus obediendo propter Deum, non hominibus sed Deo vos vt seruos subijcitis. Atqui Deo seruire summa libertas est. Deinceps aliquot præcepta subiungit, eodem ferè pertinentia.

OMNES HONORATE. Accommodatè hoc intellige; sicut illud præcedens; *Subiecti estote omni humana creatura.* Nā sensus est. Omnes honorandos honorate, etiam si gentiles sint aut infideles. Est enim idē cū eo quod Paulus

præcipit; Cui honorem, honorem. Rom. 13. Neque enim vult Petrus omnes homines sine exceptione à nobis honorari, etiā pessimos; sed eos quibus honor debetur ratione potestatis; quā hic præcipue spectat. Alioqui tenendum illud psal. 14. *Ad nihil deductus est in conspectu eius malignus; timentes autem Dominum glorificat.*

FRATERNITATEM DILIGITE. *Fraternitatis* nomē collectiue sumitur pro fratribus, id est, Christianis: quos specialiter præ infidelibus amore ac beneuolentia vult prosequēdos. Idem postulat ordo charitatis. Vnde Galat. 6. *Operemur bonū ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Præcipit igitur vt qui regeneratione fratres sunt, sele mutuo omnes amore cōplectantur; sic vt neque ditites despiciant pauperes, de quo vicio Iudæos acculat Iacobus apostolus; neq; Iudæi gēiles dedignētur habere in sacramētis & cōuersatione socios, quos caelestiuū promissionū habet cohæredes.

DEVM TIME. Interferit hoc præceptum de Deo timēdo; vt si quid homines quantūuis potētes aut præcipiat aut velint quod Dei voluntati cōtrarium sit; ab eo reuocemur timore Dei, qui potest & animā & corpus perdere in gehennam. Matth. 10. Sciētes illud eiusdē apostoli; *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Act. 5. Deū ergo timendum præcipit, vt Deū; id est, Dominū ac iudicem supremum; de quo Iacobus cap. 4. *Vnus est legislator & iudex qui potest perdere & liberare.*

REGEM HONORIFICATE. Idem in Græco verbū cum superiori, *honorate; τιμάτε, τιμήσατε.* Quod igitur præcepit de omnibus in potestate cōstitutis, vt eis honor debitus reddatur; id specialiter exprimēdum putauit de Rege; tum propter eius præ cæteris eminentiam, tum ne propter insignē illius qui tunc regnabat maliciam (erat is Nero, Romani imperij princeps) cuiquam fortē videretur minus honorandus. Porro cum honor sit testimonium excellentiæ; principes honorari censentur, quum eorum excellentia, quam inter homines habent, agnoscurus obseruatione legū, & præstatione tributorum.

SERVI SUBDITI ESTOTE IN OMNI TIMORE DOMINIS. A genere subiectionis politicæ ad quosdam alias subiectionis formas descendit: vt sunt, seruos parere dominis, & vxores maritis: quā vtrāque partem grauitè & Christianè persequitur. Necessaria fuit hæc ad seruos admonitio: ne propter eos, si prætextu libertatis Christianæ seruitia detrectarent, aut minus essent obsequentes, malè audiret apud ethnicos Christiana religio. Quæ causa fuit etiam Paulo apostolo idem hoc præceptū in suis epistolis inculcatum. vt Ephel. 6. Colof. 3. 1. Tim. 6. & ad Tit. 2. In Græco sic legitur: *Famuli subditi* (subaudi sint) *in omni timore heris.* *Famulos* dicit, non seruos; item *heros*, non dominos; quia ad Iudæos scribit, quibus quod essent populus Dei, valde molestum erat vocari seruos, & habere dominos. Itaque rem odiosam innuit lenitate vocabulorum.

In omni timore, id est, cum multa reuerentia. Nam *timorem* intelligit non seruilem, sed cum amore coniunctum, quæ reuerentia vocatur.

NON TANTVM BONIS ET MODESTIS. Græcè *ἐπιεικῶν*, id est, *humanis & commodis*, quique æquos sese præbeant seruis. Bonos autem vocat vulgi more, eos qui non cædunt nec affligunt iniuste.

SED ETIAM DYSOQLIS. Græcè, *σκληροῖς*, id est, *prauis*, seu *morosis*. Noster interpret Græcam vocem alia Græca reddidit, quæ fortè Latinis erat in vsu. Quadam vetus versio, referente Beda, legit, *difficilioribus*. Vult B. Petrus seruos Christianos, etiā si durè & iniquè tractentur à dominis, ac iusto grauiora imponantur onera; non tamen imperium recusare, sed nec fugam arripere. Nā seruo fugere propter qualibet iniuriam nō licet, imò iniuste id est; cū seruus sit possessio domini sui. Secus si vitæ, vel incolumitatis membrorū, vel innocentiæ periculum ei à Domino immineret.

HÆC ENIM EST GRATIA, SI PROPTER DEI CONSCIENTIAM SUSTINET QVIS TRISTICIAS, PATIENS INIVSTE. *Consolatio est* seruorum qui prauos & iniustos patiebantur dominos; sumpta à mercede & laude patientiæ. *Hæc enim est gratia*; Græcè *τὸ γὰρ χάρις*, hoc enim gratia. Vbi nomine gratiæ quidā intelligunt laudem seu gloriam, de qua statim sequitur: *Quæ enim est gloria*. Alij significatum putant effectum gratiæ, id est, opus à gratia Dei profectum, idēque eximia laude dignū. Quod Paulus 1 Cor. 9. *gloriam* vocat. Quæ tamen duæ expositiones ferè eodem redeunt. Rursus illud, *Dei conscientiam*, nō vno modo omnes interpretantur. Caietanus sic: *Propter applicationem scientiæ quam habet de ijs quæ sunt grata Deo.* Sed hunc sensum non immeritò rejicit Gaignæus. Ipse verò sic exponit: *Propter Deum qui & sua patientia & illorum nequicia conscius est.* Alij rectius hoc modo: quia conscius est id Deum velle & Deo gratum esse, vt *conscientia Dei* dicatur, id est, de Deo. Nam si quis sustineat tantum ne grauiora incurrat incommoda, aut vt heri sui gratiam sibi conciliet; non erit *hæc gratia* de qua Petrus loquitur, id est, gratia apud Deum sicut infra dicit. Nonnulli sic exponunt: *propter Dei conscientiam*, id est, quia veri Dei estis cultores; videlicet eo nomine dominis vestris exosi. Sed nondum agere videtur Petrus de Christianorum afflictione propter iusticiam & quia Christiani sunt: de qua demum agit post medium capitis sequentis, ac rursus capite 4. Sensus igitur est: Opus esse Deo valde gratū & singulari laude dignum, si quis Dei respectu, id est, vt Deo placeat quem animo gerit, tristia & molesta patienter ferat, dum iniuste ac præter meritum affligitur.

QVÆ ENIM EST GLORIA. Malè quidam codices *gratia*. Nam Græcè sic habetur: *τιὸν γὰρ χάρις*; *Qualis enim laus & χάρις*

verò

verò *laudem* significat non qualemcumque, sed quæ fit à multis; vnde gloria nascitur. Itaque rectè *gloriam* vertit noster interpret. Sic enim legitur passim in omnibus exemplaribus mss. Syrus interpret *laudem* dedit.

SI PECCANTES ET COLAPHIZATI SUFFERTIS. Dilucidius ex Græco: *Si quum peccatis colaphis cedimini, sufferatis?* Sensus: Quid magnum aut singulare, vt de eo laudem quis expectet aut gloriam; si propter delictum aliquis ceditur? Hoc propter seruos; quia dominis iratis solent alapis cedi.

SED SI BENEFACIENTES PATIENTER SUSTINETIS. Græcè, *Sed si benefacientes & patientes, sustinetis.* quemadmodū & in Latinis quibusdā mss. legitur, & apud Bedā: Cui lectioni etiam Syrus annuit. Et ita respōdet parti præcedenti, *peccatis & colaphizati*. Cōgruit etiam his quæ sunt c. 3. v. 17. Verū imperitus scriba, quod nō intellexit mutauit in id quod promptius videbatur. Sensus est: Sed si sufferitis, si sustinetis equo animo, quū benefacitis & tamē patimini, id est malis afficimini; gloria vobis est, ea sustinentia laudē & gloriā vobis pariet. Est enim hic supplendum ex præcedenti parte, *est* (vel erit) *gloria*: idēque iuxta Græcam lectionem, vt statim videbimus.

HÆC EST GRATIA APVD DEVM. Græcè in multis codicibus, *Hoc enim gratia apud Deum*. Latina lectio partē hanc annexit præcedenti, ad hūc modū: Sed si benefacientes ac nihilominus mala patientes sustineatis; ea gratia est apud Deū, id est, opus huiusmodi vehementer gratū est Deo. Græci verò partem priorem suppletes, vt dictū est; hūc eius causam siue explicationem subiiciūt. Ideo namque gloria est benefacienti & mala patienter sustinenti; quia facit opus Deo gratissimum. Non ergo significat B. Petrus, cum qui pro delictis suis, in republica, meritis patienter sustinet pœnas, patientiæ suæ mercede cariturum apud Deum: sed negat esse ex suo genere magnum & singulare opus patientiæ, cui gloria debeatur; quale si quis benefaciens ac præter meritum afflictus, patientiam conseruet.

IN HOC ENIM VOCATI ESTIS. Hortatur ad patientiam, à vocatione Christianis omnibus cōmuni; eamq; adhortationē mox cōfirmat alio argumēto, ab exemplo Christi. Sensus: Hæc enim lege vocati estis; Ita se habet vocatio & professio vestra, vt bene agētes mala patiamini & patienter sustineatis. Hęc via ad regnum est: testante Paulo; *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. 14.

QVIA ET CHRISTVS PASSVS EST PRO NOBIS, VOBIS RELINQVENS EXEMPLVM, VT SEQVAMINI VESTIGIA EIVS. Variat hoc loco pronomina *nobis & vobis*, tam in Græcis codicibus, quā in Latinis; vt quæ, in vtraque lingua, vna sola litera differant. Pleriq; Latini codices habent *nobis, vobis*: Pleriq; Græci, *nobis, nobis*; altipulante versione Syriaca. Sunt

alij Latini codices nō pauci, ijque probatissimi, Græcis etiā nonnullis, & inter hos Oecumenij textu, suffragantibus; in quibus legatur, *vobis, vobis*. Quā quidem veram ac germanā esse lectionem, non abs re censent castigatores Nicolaus Zegerus & F. Lucas. Est enim textui reuera ceteris accommodatior. Nam seruos alloquitur Petrus, admonēs vt equo ferāt animo, si à dyticolis dominis plagas referant, dum bene fecerint. Hanc enim esse Christianorum vocationem. Quoniam, inquit, etiā pro vobis passus est Christus (habet enim emphasim vocula &) pro vobis, inquam, seruis, non minus quam pro liberis; (Nā in Christo Iesu non est seruus neque liber. Gal. 3. & Col. 3.) eadēque sua passione etiā vobis exemplū reliquit quod imitemini, insequētes eius vestigia. Ad eundem modum legisse V. Bedam, commentarius eius, si bene discutiat, satis indicat. Occasio mutadē persone secundē in primam esse potuit, quod, non aduertentibus seriem orationis, videretur ingrati & arrogantis animi, dicere in secunda persona, *Christus passus est pro vobis; vobis relinquens exemplum* &c. Sed cur ita locutus sit B. Petrus, iam patet ex sensu dato.

QVI PECCATVM NON FECIT: NEC INVENTVS EST DOLVS IN ORE EIVS. Sumptū est hoc ex Isa. 53 capite, quod totū de Christi passione est; vbi versus iste ex Hebræo sic legitur: *eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius.* Apud LXX. *nec dolum in ore suo*; sed repere ex præcedenti, *fecerit*. Quod ergo Petrus dicit; *Nec inuentus est dolus in ore eius*; non aliud dicit quam Isaias, sed Hebraismo vsus est, quo dicitur *inueniri*, id quod est; non inueniri, id quod non est. vt Philipp. 2. *Habitu inuentus vt homo.* & Ecclesiastici 4. 4. *Non est inuentus similis illi.* Sensus tā Apostoli quam prophete est, Christi tantam esse innocentiam vt nec facto nec verbo peccauerit. Sub quibus omne genus peccati comprehenditur, etiam originale. Etenim vt de eo scribit Augustinus lib. 5 contra Iul. cap. 15. *Profecto peccatum etiam maior fecisset; si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Sic ille. Porro Christum peccati expertem dicit B. Petrus, vt, quemadmodum indicatur in sequentibus, intelligatur idoneus fuisse qui sua passione genus humanum patri reconciliaret; quod vtiq; facere idoneus non esset, si ipse etiam aliquādo peccato subiacuisset. Inest autem verbis Apostoli huiusmodi argumētum: Si Christus planè innocens passus est; quid graue si vos, quorū nemo sine peccato est, patiamini? Et, si Christus innocens passus est pro vobis, vt exemplum patientiæ vobis relinqueret: debetis & vos, peccatores, pati; vt eius vestigia sequamini. Porro quod de perfecta Christi innocentia minus expressè fortè dictū est in his Petri

& Isaiæ verbis; alibi scriptura plenius & expressius loquitur, omne profus à Christo peccatum remouens. vt Io. 14. 2. Cor. 5. Heb. 7. I. Ioan. 3. Imò nec omnino peccare potuisse Christum, rectè docent Theologi, ex eo fundamento, quia Christus persona erat diuina, quam peccare impossibile est.

23 QVI EVM MALEDICERETVR NON MALEDICEBAT. Græcè *ἐν ἀντιπροσώπῳ* non maledicebat; quomodo Cyprianus citat non vno loco. Erasmus vertit: *Qui cum maledictis incesseur, non recessit maledicta*. Manifestum id ex historia euangelica. Nam subinde vocatus à Iudæis dæmoniacus, Samaritanus, vtens opera Beelzebub, blasphemus in Deū, vorax ac vini potor; item subuersor genis, & seditiosus in Cæsarem: nusquam recriminatus fuisse legitur, nec malum pro malo reddidisse. Nam quod dixit Iudæis, Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis*; non recriminatio fuit, quia nihil simile prius tunc ei fuerat obiectum; sed vera & iusta accusatio. Videtur autem etiam hic respicere Petrus ad Isaiam, de Christo dicentem eodem capite 53. *Non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ductus* &c.

CVM PATERETVR, NON COMMUNICABATVR. Hoc est, Non minas regerebat in eos qui plagis aut alijs malis ipsum afficiebant. Legitur quidem Christus aliquando minatus fuisse, & vā denunciāsse ciuitatibus quæ doctrinam ipsius non reciperent; vt Matth. 10. & 11. Item scribis & pharisæis hypocritis, & doctrinam à Deo traditam corruptentibus; sed non minatus fuit tunc quando patiebatur; ne non ex zelo iusticiæ, sed affectibus iræ & odij commotus id fecisse videretur.

TRADEBAT AVTEM IUDICANTI SE INIVSTE. Ita legunt plerique omnes Latini codices; vt sensus sit: Tradebat se, nihil contradicens nec obmurmurans, Pilato iudicandum iniusto iudici. At in Græcis omnibus omnino diuersa lectio est, *Tradebat autem iudicanti iustè*. Quam & Syrus interpres paraphrastice sic reddit, *Sed tradebat iudicium suum iudici iusticiæ*. Sensus igitur Græcæ lectionis est: Christus non seipsum vindicabat, sed tradebat seu committebat causam suam Deo, qui iustè iudicat, iudicandam & vindicandam. Iuxta illud Deut. 32. à Paulo repetitum Rom. 12. & Heb. 10. *Mihi vindicta, ego retribuam*. Videri potest alluisse B. Petrus ad illud in persona Christi dictum à Ieremia capit. 11. *Tu autem Domine sabaoth, qui iudicas iustè, & probas reos & corda; videam visionem tuam ex eis. Tibi enim reuelavi causam meam*. Ita & David in psalmis; *Iudica me Domine, & discerne causam meam. Iudica Domine nocentes me*. Id verò est dare locum iræ, scilicet diuinæ; quemadmodum præcipit Paulus Roman. 12. Verisimile est interpretem nostrum nō aliud vertisse, quā quod in omnibus Græcis legitur; sed cum non intelligeretur, libra-

riorum inscitia iam olim fuisse mutatū in sensum magis obuiū. Alioqui, certè Augustinus tract. 21 in Ioan. cum Græcis conuenit, ita legens: *Sed commendabat illi qui iustè iudicat*. Similiter Fulgentius ad Trasimundum cap. 11. *Commendabat autem iudicanti iustè*.

24 QVI PECCATA NOSTRA IPSE PERTULIT IN CORPORE SVO SVPER LIGNVM. *Pertulit, ἀνήνεγκεν, sustulit*: à verbo ἀνεφέρω, *portasse, sustulit*. Hic iam personam secundam mutat in primam; vt nō seruos solū, sed omnes ad quos scribit fideles, & in eis totam ecclesiam, tanti beneficij memorè reddat. Respicit autem ad voces Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit: Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum*. Item: *Iniquitates eorum ipse portabit: Et ipse peccata multorum tulit*. vbi LXX *ἀνήνεγκεν, iustulit*; idè verbum quod hoc loco. Deinde etiā ad illud Ioannis Baptista præconium de Iesu: *Ecco agnus Dei, ecce qui tollit peccatū mundi*. Ioan. 1. Sed & illud emphaticum, *ipse*, à propheta sumptum est; apud quem toties repetitur. Itaque sensus est: Qui ipse per se peccata, non sua sed nostra, tāquā pondus graue, sustulit; ac portauit in suo corpore super lignum crucis, cui erat affixus; id est, pendens in cruce pœnas ipse recepit ac persoluit peccatis nostris debitas.

VT PECCATIS MORTVI IUSTICIÆ VIVAMVS. *Mortui*, Græcè *ἀπὸ νεκρόν*, id est, *defecti, seu defuncti*. Qua voce mortuos intelligi, docet antithetū *vivamus*. Significat Christum passum & mortuū esse in cruce, non solū vt peccata nostra tolleret; verū etiam vt ad vitā iusticiæ & sanctæ conuersationis nos reformaret; quæ est altera pars iustificationis nostræ; ad quā, velut finem, prior pars (quæ in remissione peccatorum consistit) ordinatur. Continet autem hæc pericope tacitā exhortationem: *Ut peccatis, inquit, mortui, id est, à peccatorū dominio a creatu soluti, iamq; nihil amplius cum peccatis habentes commercij; deinceps, iusticiā vivamus*, id est, opera iusticiæ exerceamus. Quid sit peccato mortuū esse, plenius à nobis expositū est ad illud Ro. 6. *Qui enim mortui sumus peccato* &c.

CVIVS LIVORE SANATI ESTIS. Et hoc sumptum ex eodem cap. Isaiæ, vbi dicit interprete Hieronymo, *Disciplina pacis nostra super eum; & livore eius sanati sumus*. Pro livore Græcè est *μάλωψ*. Qua voce vti sunt etiā LXX. Significat autē vestigium plagæ in cute; Latini *vibicem* vocant. In Hebræo legitur *shabburah*. Quo vocabulo tumor ex plaga surgēs significatur. Sed hæc affinia sunt, & ad idem significandum abhibita.

Notandum etiam, verba B. Petri sic habere; *Cuius vibice eius sanati sumus*. Quod Erasmus ita reddidit; *Cuius eiusdem vibice sanati sumus*. At meo iudicio nō rectè, nec secundum usum Græci sermonis. Potius dixerim, vel ad emphasim additum esse *autē, ipse*; veluti superius, *ἀυτὸς, ipse*; vel (quod magis verisimile) pleonasmū esse Hebræis peculiare; cuiusmodi

passim

SUMMARIVM.

Viros & uxores admonet mutui officij. Hortatur ad virtutum opera; ac specialiter vt linguam contineant, pacem sectentur, propter iusticiam afflictiones ferant. Deinde, Arcam Noe docet baptismi figuram fuisse.

CAPVT III.

SIMILITER ET MULIERES SVBMITÆ SINT VIRIS SVIS. A seruis ad mulieres transit, instruens eas de officio suo & subiectione erga viros: Deinde & viros commonet officij erga suas uxores. De his etiā apud Paulū extant præcepta Eph. 5. & Col. 3. Sed hic quærit potest, cur post tradita seruis præcepta, nō etiam dominos vicissim admoneat quid seruis debeant; quæadmodum fecit Paulus Eph. 6. & Col. 4. Causam hanc puto, quia Petrus scribit Iudæis in dispersione positus; quorum multi quidem serui erant, perpauci verò domini qui seruos haberent.

In Græco verbū non exprimitur; Sic enim habet: *Similiter uxores subditæ proprijs viris*, vt vel *sint* vel (quod alij *ssint*) suppleri possit. Nec refert vtrum subaudias, cum subinde peronomam mutet Apostolus. Dicit autem *idiotis, proprijs*; sicut & Paulus locis citatis: vt castitatis eas submoneat, auocetque à suspectis obsequijs virorum alienorum. Ipse interpres infra versu 5 vertit *proprijs*. Quod ait, *similiter*, non æquat uxores seruis in iure subiectionis (Nam vxor sociā est mariti, non ancilla) sed similitudinem indicat præcepti. Sicut enim serui debent obedientiam dominis, ratione subiectionis seruilis; sic & uxores maritis ratione subiectionis vxoriæ; quæ vtique diuersa est à seruili. Sequitur præcepti ratio à fine vtili.

VT ET SI QVI NON CREDVNT VERBO. Græcè, *Ut etiam qui in increduli sunt verbo*, nam Græcè est *ἀπίστων τῷ λόγῳ*, q. d. *discredunt verbo*. Significatur enim animus fidei repugnans. Vide capite superiori versu 7. & 8. Porro *verbum* intelligit euangelicæ prædicationis.

PER MULIERVM CONVERSATIONEM SINE VERBO LVCIFIANE. Sensus Apostoli: Vt si quæ mulieres viros habent qui nondum credunt nec acquiescunt euangelio, sed auditum repellunt; ij Christo *lucifiane*, ad credendum induci per vxorum suarum obedientiam & bonam conuersationem, idque *sine verbo*, id est, iam cessante prædicatione verbi, quia illud repulerunt. Vel sic; etiam si ipsæ uxores non eis ingerant doctrinam euangelicam; quod molestè ferant viri ab vxoribus doceri. Vult enim vxoram sanctam conuersationem esse viris tacitam quandam ad credendum suasionem. Nam cuius conuersatio placet, non facile potest displicere re-

Q q q 4

ligio.

ligio. Non ergo contrarium est hoc quod ait, sine verbo, Pauline sententię, *fides ex auditu*, Rom. 10. Nam & hi de quibus Petrus, non credunt nisi verbo aliquando audito: Nec *ἀπὸ βιβλίου* recte dicerentur, nisi verbum eis annunciatum & auditum fuisset.

2 CONSIDERANTES IN TIMORE CASTAM CONVERSATIONEM VESTRAM. Clarius ex Gręco, *Vbi inspexerint seu considerarint castam vestram in timore, seu cum timore, conuersationem*. Timorem intellige reuerentiam; quomodo vertit Erasmus. Hunc timorem etiam Paulus ab vxoribus exigit, dicens: *Vxor autem ut timeat virum*. Eph. 5. Ad huius loci intelligentiam notandum, Iudęis non fuisse insolitum cum gentilibus & infidelibus miscere connubia. Nam Timotheus, vt scribitur Act. 16. filius erat mulieris Iudęę fidelis, patre gentili. Et Felici Pręfidi Romano vxor Drußilla Iudęę. Act. 24. Monet igitur Apostolus, vt si quę mulieres viris infidelibus nuptę erant, studeant eos Christo lucrifacere, modum & artem prescribens qua id faciant. Quod ait *castam*, intellige non solum abhorrentem ab adulterio, sed etiam a corruptelis libidinum, quę sint præter naturam aut honestatem.

3 QVARVM NON SIT EXTRINSECVS CAPILLATVRA AVT CIRCVMDATIO AVRI AVT INDVMENTI VESTIMENTORVM CVLTVS. Docet quo præcipiē cultu & ornatu mulieres se viris suis cõmendare debeant; videlicet interiore potius quã exteriorē, qui in sumptu & splendore vestiũ consistit, ac viris plerumque dispendiosus & grauis est. Simile præceptum extat apud Paulũ 1. Tim. 3. Vocabulum *cultus* Gręcè *κόσμος*, mundus, id est, ornatus, ad tria præcedentia referri debet; hoc modo: *Quarum cultus non sit extrinsecus*, &c. Id patet ex Gręcis; quę commodius ita transferas: *Quarum ornatus sit (ęσω) præceptiuum) non externus ille, qui situs est in plicatura capillorum, & circumpositione auri, aut amictu palliorum*. Quibus verbis etũ non veter Apostolus ornatum corporis exteriorē (nam, vt dixi, quis ornatus cui præferendus sit, ex instituto docet) obliquę tamen notat immodicum studium & luxum muliebrem in ornãdis corporibus; species quãsdã huius vanitatis designans: quarum est prima, capillos arte crispare, aut in cincinnos componere. Secunda, reticula, siue id genus alia ornãmẽta, auro intexta capillis aut capiti apponere. Quanquam hoc etiam ad alia corporis membra, quibus curiosior adhiberi solet ornatus, referri potest. Tertia, reliquum corpus seu pallio seu quocumque alio indumento precioso ac splēdidiore, vestire. Quas easdem species etiam in Pauli verbis, 1 Tim. 2. obseruare est. Verũ sub his cætera cuncta ad cultũ muliebri pertinetia comprehendẽ; quę quidem lougo ordine recenset Iſaias cap. 3.

Cæterũ, huiusmodi præceptis apostolicis non simpliciter prohiberi ne vxores sese viris

suis ornent exterius; sed id notari tantũ quod in eiusmodi cultu superfluũ, immoderatũ & indecorum est, pulcrẽ docet Augustinus in epistola 73 ad Possidiũ scripta: *Nolo tamẽ, inquit, de ornamentis auri vel vestis, præproperam habeas in prohibendo sententiam; nisi in eos qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeat Deo. Illi autem cogitant quę sunt mundi, quomodo placeat vel viri vxoribus vel mulieres maritis. & quę sequuntur.*

4 SED QVI ABSCONDITVS EST CORDIS HOMO. *Absconditus*, Gręcè, *ὁ κρυπτός*, occultus: Est enim nomẽ non participiũ. Potestq; sic verti; *Sed occultus ille, id est, cordis homo*. Addit enim *cordis*, vt declaret quem dicat absconditũ hominem, id est, eũ qui in mente seu parte rationali cõsistit, qua propriẽ homines sumus. Eũdem Paulus vocat *interiorem hominẽ*; & ab exteriorē distinguit 2 Cor. 4. dicens: *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.*

IN INCORRVTIBILITATE QUIETI ET MODESTI SPIRITVS. Gręcè, *mansueti & quieti spiritus*. Sensus Apostoli: Quarũ ornatus sit non ille exterior & corruptibilis qui adhibetur & circũponitur homini exteriori, itẽ corruptibilis: sed qui versatur circa hominem interiorẽ, dum is ornatur *incorruptiõne mansueti & quieti spiritus*, id est, virtutibus non perituris, mansuetudine & quietudine animi, quam posteriorem, vel *modestiam* vel *raciũriãtatem* possis interpretari. Nominat has speciatim virtutes, tanquam ornamenta mulierũ; quia de subiectione & obedientia agit quam viris debent. Obseruanda antithesis inter hominẽ exteriorẽ & interiorẽ; & inter ornatũ vtriusque: illum, corruptibilem & foris conspicuũ; istum, incorruptibilem & hominibus occultũ, sed Deo manifestum. Hoc enim sequitur,

5 QVI EST IN CONSPECTV DEI LOCVPLES. *Qui est*, Multi codices, *Quod est*, vt in Gręco, vbi *πνευμα* legitur, neutri generis. Sed Latine vertendum fuit, *qui est*, vt respondeat vocabulo *spiritus*. Nec enim aliõ referri potest. Vnde Erasmus exprimendum putauit; *Qui spiritus in oculis Dei &c. Locuples*, Gręcè *πολυτέλης*, sumptuosus, id est, vt alij vertunt, *preciosus*. Et sensus est: Qui spiritus siue animus, cuiusmodi virtutibus exornatus, res est in conspectu Dei preciosa, id est, Deo valde grãta. Proinde mulieres, vt Deo placeant, hæc ornamenta consecrentur, nec viris suis importunę sint aut graues, vt corpori cultum suppeditent sumptuosum, magnoque emptum.

SIC ENIM ALIQVANDO ET SANCTÆ MULIERES SPERANTES IN DEO, ORNABANT SE. Hortationem suam confirmat exemplis sanctarũ mulierum veteris testamẽti; ex quibus erant progenitę. Nã huiusmodi a maioribus ducta exẽpla multũ mouent, præsertim sexũ muliebri. *Sperantes in Deo*, verti poterat, *quę sperauerunt in Deo*; propter articulũ appositũ in Gręco. Sẽsus: His enim virtutibus olim

sanctæ

sanctæ mulieres progenitricis vestrę, quarũ spes erat in Deo, & cura Deo placere, sese ornabant. Prout sequitur;

SVBIECTÆ PROPRIIS VIRIS. Scilicet cũ mansueti & quieto spiritu, quasi dicat: Ita demum reputabant se pulcrẽ comptas & ornatas, si viris suis subditas & obedientes se metipsas exhiberent.

6 SICVT SARA OBEDIEBAT ABRAHÆ. *Sicut*, hoc est, exempli gratia. Ex omnibus Sarã nominat, vt totius generis parentem, cuius exẽplum meritõ attendere debeant: ac si verbis prophetę eas alloqueretur, dicẽs; *Attendite ad Sarã quę peperit vos*. Iſa 51. Obedientia Sarę cõmendatur in eo quod virũ ad exterã & remotas regiones proficiscentem, ac subinde loca mutatẽ, semper secuta est: quodque, eo iubente, etiam periculo pudoris sese pro illo exposuit, dicens se sororem eius esse. Quod imperanti ac dicenti, *Accelera, tria (ata) similia commisce*. Gen. 18. statim obtemperauit. Denique magnam ac promptam subiectionem viro suo ostendit;

DOMINVM EVM VOCANS. Ijs verbis quę habentur eodem loco: *Postquam consensui, & Dominus meus vetulus est &c.* Exẽplum cum primis laudabile; quod, cũ ipsa vocaretur Sara, id est, domina; tamen virum dominum suum vocare non abnuic: eo nomine & illius agnoscens potestatem, & suam proficens subiectionem, non seruilem quidem illam, sed quam vxor viro debeat; iuxta illud, *Sub viri potestate eris* Gen. 3. Nam quod sequitur, *& ipse dominabitur tui*; non ius dominij viro tribuit in vxorẽ, sed significat durum ac molestum mulieri futurum imperium viri, quale esse solet dominorum in seruos. Nam mulier virum dominum suum vocãs, non aliud quã caput ac rectorẽ suum eum agnoscit. *Caput enim mulieris vir*. 1 Cor. 11. Sic aliquando scriptura loquitur de filio respectu parentum. *Et quasi Dominus seruiet his qui se genuerunt*, Ecclesiastici 3.

CVIVS ESTIS FILIÆ, BENEFACIENTES: Cuius, Sarã refert, non Abrahã; vt patet ex Gręco. *Estis*, Gręcè *ἐσθητε*, facta estis. Sicut enim bifariam dicuntur filij Abrahę; carne & spiritu seu imitatione: ita significat mulieres ad quas scribit, & quę carne erant filię Sarę, etiam spiritu filias eius fieri; dum virtutes ipsius imitantur. Id enim est quod addit, *benefacientes*; hoc est, dum benefacitis, dum bonas eius actiones ac virtutes, præsertim obedientię promptitudinem, moribus vestris exprimere studetis.

ET NON PERTIMENTES VLLAM PERTVBATIONEM. Gręcè, *non timentes vllum pauorẽ*, vel, *non territa villo pauore*. Quo in sermone nõ tam Atticisus est, quod vult Erasmus, quã Hebraisus; quo solet vocabulum actus vel affectus poni pro obiecto, vt Iob 3. *Timor quem timebam euertit mihi*, id est, malam quod verebar, accidit. psal. 90. *Non timebis à timore nocturno*. Et hęc paulõ inferius: *Timorem eo-*

rum ne timueritis. Sic in alijs actibus vel affectibus, vt psal. 105. *Et laudauerunt laudem eius*. Et mox: *Et concupiscunt concupiscẽtiam in deserto*. Item psal. 138. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis*. Et ad Titum 2. *Expectantes beatam spem*. Itaque sentus est: Quod dum facitis; non est quod metuatis quicquam mali: velut, ne maritis vestris displiceatis, si minus corruptę inceditis; aut ne seruiler vos tractent, si faciles ad obsequium vos præbeatis; vt solet sexus mulieris vanis pauoribus esse obnoxius. Sed & si forte nacti estis maritos iniquiores; silentio potius ac patientia, quã multis verbis studeat eorum animos lenire.

7 VIRI SIMILITER COHABITANTES SECUNDVM SCIENTIAM. Viros sui nunc admonet officij, quod vicissim vxoribus debeant. Idque significat particula *similiter*: ac si dicat, *vicissim, è diverso*. Cohabitanter, subaudi *sint* aut *suis*, vt initio capitis. Primum ergo præcipit *ut cohabeant* cum vxoribus (hoc enim supplendum) id est, conuersentur & cõuiuant cum ijs, *secundum scientiam*, hoc est, prudenter, & cum ratione; vt in quibus rationale iudicium magis vigeat; ob quod etiam constituti sunt coniugum suarum rectores. Hanc partem quomodo Occumenius exponat, infra dicemus.

QVASI INFIRMIORI VASCVLO MULIERI IMPERTIENTS HONOREM. *Vasculo* Gręcè *σκελες vasi*. Quo nomine corpus tam viri quã mulieris in scripturis significari solet. vt 1 Reg. 21. *Et fuerunt vasa puerorum sancta*. 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum istum in vasculis fictilibus*. Et 1. Thessal. 4. *Visciet unusquisque vestri vas suum possidere in sanctificatione & honore*. Vocantur autem vasa, phrasi Hebręę, id est, instrumenta; propter vsum ad varias actiones: atque inter eas ad actum coniugibus proprium. Nam eõ Petrũ respicere in hac parte præcepti, verisimile est, ex eo maxime quia subiungit de non impediendis orationibus. Et ita accepit Hieronymus lib. 1. cõtra Iouinianũ cap. 4. & Aug. in enar. psal. 146. eundemque sensum probant Occumenius & Io. Hesselius. Itaque præcipit Apostolus tẽperanter vtendum esse vxoribus, nõ ad superfluas, nedum infandas libidines abutẽdum. Deinde certis etiam temporibus a congressu abstinendum. Id totum vocat *honorem impertiri vasculo muliebri*; id est, honestẽ & castẽ illo vti. Addit autem, *quasi infirmiori*; quia sexus mulieris & corpore & mête infirmior est. Sic igitur infirmiori sexui vult Petrus honorem à viris adhiberi, ad tẽgendam earum infirmitatẽ; quomodo Paulus 1. Cor. 12. dicit mēbris ignobilioribus & inhonestis maiorẽ impedi solere honorem; scilicet ad pudorem eorum tẽgendũ. Alij tamen (quorum cõmentariũ non omninõ reijcimus) putant hac parte generaliter præcipi viris ne viles habeant vxores suas, nec vt mancipijs vtantur, sed honestẽ & comiter tractent; earumque infirmi-

tati

tati prudenter obuiant; memores eas non ad feruitutem, sed in adiutorii simile sibi, datas esse Deo. Gen. 2. Addit Oecumenius, ad hanc viro- rum admonitionem id etiam pertinere, ne exacte repetant ab vxoribus rationem eorum quæ circa familiam tradita illis erant in custodiam; id quæ ne à largiendis in pauperes elemosynis abstrahantur, sed magis in ijs perseverent.

TANQUAM ET COHÆREDIBVS GRATIÆ VITÆ. Ratio est à coequatione, qua Deus illas viris pares fecit. Si enim sic eas honorauit Deus, vt viris cohæredes & participes faceret illius excellens gratiæ quæ est vitæ æterna (nam in Christo Iesu non est masculus neque femina Gal. 3.): debent igitur etiam viri eas hoc nomine honorare; ac proinde honeste eis vii, siue ad opera domestica, siue quod ad torum attinet. Notandum, in Græco non legi συγκαληρόμοις, cohæredibus; sed συγκαληρόμοις, cohæredes; vt ad viros referendum videatur, & sensus sit; viros meminisse debere quod etiã ipsi, perinde vt mulieres, vocati sint ad hereditatē vitæ æternæ; vt ad eam, bene & sancte viuendo, pariter contendere debeant; ideoque coniuges vbi ipsis non fordidè, neque turpiter, sed honeste secundum Dei legem tractandas esse. Quanquam possunt & Græca ad priore sensum aptari, addito supplemento: tanquam & cohæredes sint gratiæ vitæ, scilicet ipsæ mulieres. In quem sensum Syrus pataphrastes Græca interpretatus est: nisi forte is legit in Græco συγκαληρόμοις. Est enim minima differentia. Apud Hieronymum loco supra citato legitur: Et sicut cohæredibus multiplicis gratia. Quod nec cū Græcis nec cū Latinis consonat. Credibile est B. Hier. de memoria citantē, accepisse partem verborū istorum ex ca. 4. v. 10.

VT NON IMPEDIANTVR ORATIONES VESTRÆ. Impediuntur, Græcè interrumpantur, scilicet ijs temporibus quibus orandum est. Simile cū eo quod Paulus de abstinentia tori cōiugalis scribit 1 Cor. 7. Ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Hinc apparet, vt antè dixi, de opere coniugali etiam Petro sermonē esse; vt merito dicat Hieronymus, eodem sensu, quia eodem spiritu, dictum esse ab vtroque apostolo, impediri orationes officio coniugali. Etenim distinguenda sunt tempora orationis & complexus cōiugalis; iuxta illud Ecclesiastæ 3. Tempus amplectendi; & tempus longè fieri ab amplexibus. Quæ tempora religiosè obseruabant fideles ecclesiæ primitiue. Vide quæ de ea re copiosius annotauimus ad locū 1. Cor. 7. Porro vtriusque apostoli locum Oecumenius ita cōparat, vt dicat, Paulū apertius loqui de actu coniugali, Ne fraudetis inuicem &c. Petrum autem verecundius & castius, dicendo; cohædantes, secundum scientiam &c. Quod totū huc pertinere putat Oecumenius sensu non improbabili. Nam sicut Hebræis, cognoscere; & Græcis eo tropo sermonis, qui altissimus dicitur, ὁμιλεῖν, colloqui, aliquando significat concubitu; vt Dan. 14. bis teruē: sic

etiam συνοικεῖν, cohædare, dicitur interdum de contubernio cōiugali. Iam qui præcedentia generaliter intelligunt de domestica conuersatione coniugum; huius partis adiectæ rationem adferunt istam, quod ritè Deus inuocari nequeat, nisi tranquillis ac sedatis animis. Nam iurgia, rixæ, dissidia puritati & feruori orationis vehementer contraria sunt. Vnde & Paulus viros ad orandum exhortas, 1. Tim. 2. adiecit; Leuantes puras manus sine ira & discipatione.

IN FINE AVTEM, OMNES VNANIMES. Subijcit generalia quædam præcepta quæ ad omnes pertinent. Pro eo quod in multis exemplaribus legebatur, in fide, bene Romani correctores restituerunt, In fine, quæ vera est lectio, quam exhibent meliores codices. Nam Græcè est, πρὸς τὸ τέλος, finis autem; quod verti potest, denique, postremo, quemadmodum & Syrus vertit. Quanquam alij quidam translulerunt, Summa, siue In summa. Quod autem in nonnullis, post unanimis, additur, in oratione estote; vt in Græcis non est, ita nec Latini codices vetustiores agnoscunt, id quod etiam Litanis & Carthusianus annotarunt. Sumpsum est autem ex lectione apostolica Dom. 5. post Pentecosten, quæ sic incipit. Fratres, omnes unanimis in oratione estote &c. Visum enim fuit ecclesiæ, ad vocem solitariā unanimis, illud adijcere quod congregatis ad orationem fidelibus opportunè conueniret. Neque verò hoc addendum putasset, sublata particula, In fide, si eam apud Petrum legisset. De qua re vide notationes F. Luca. Denique, ait Apostolus, omnes unanimis, subaudi, fidei; id est, idem sentite, idem sapite; sit vobis cor vnum, & anima vna. Exhortatio est ad cōcordiam: quæ & apud Paulum frequens; vt Rom. 12. & 15. 2. Cotint. 13. Philip. 2. & 4.

COMPATIENTES. Græcè συμπαθεῖς, quod Erasmus vertit, similiter affecti; vt tam ad bona quam ad mala proximorum referatur. Est enim animorum sympathia inter eos qui mutuis bonis & malis afficiuntur, tanquam proprijs: sicut & Paulus præcipit, Rom. 12. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Igitur hoc præceptum etiam ad concordiam pertinet. Nam de commiseratione, quam cōmpassionem vocant, mox sequitur.

FRATERNITATIS AMATORES. Græcè φιλάδελφοι, id est, fratrum amantes. Alij vertunt, Fraterna prædii charitate. Fratres intellige Christianos. Itaque præcipit vt Christianos tanquam ex regeneratione fratres, eundem habentes patrem Deum, peculiari complectantur amore. Eadem est præceptio apud Paulum, & quidem sub eodem nomine φιλάδελφιας, Rom. 12. & Heb. 13.

MISERICORDES. Græcè ἐὸςπλαγχοι, q. d. bonorum viscerum. Vocabulum est sacræ Scripturæ proprium, & ab Hebræorum consuetudine sumptum, qui viscera pro affectibus usurpant. Igitur hac voce significatur ij quo-

rum viscera, vt mote scripturæ loquar, super aliorum miseria commouentur, videlicet ad eam tollendam. Eademque ferè est etymologia Latini vocabuli misericordia. Porro misericordiæ præceptis, tanquam summè necessarijs, refertæ sunt scripturæ.

MODESTI, HUMILES. Hic Græcè tantum legitur, φιλόφρονες, id est, affabiles, humani, & ad vitæ consuetudinem faciles commodique. Quanquam Oecumenius hoc loco duas separatim virtutes exponit: alteram, quam Latinus interpret, affabilitatem; alteram, quam humilitatem siue animi modestiam vocat. Sed & Robertus Stephanus annotauit quatuor codices Græcos, in quibus pro φιλόφρονες scriptū legitur ταπεινόφρονες. Quod vtrūque sibi putauit Oecumenius exponendum; vt vel hæc duo coniuncta legisse videatur, vel singula in diuersis codicibus. Similis coniectura de versione vulgata. Aut enim interpres vtrūque Græcum vocabulum legit; & vertit his vocibus, modesti, humiles; aut (quod est probabilius) ex diuersa quapiam translatione alterum accessit. Nec enim in omnibus codicibus inuenitur, humiles. Siquidem, vt testatur Erasmus, in vtroque codice S. Donatiani additum nō erat. Isidorus etiam Clarius notat veteribus codicibus abesse. Est autem humilitas, quæ Latini modestiā vocat, cū quis non alta de se sentit, sed verissima sui cognitione sibi apud semetipsū vilescit, talēque se etiam apud alios gerit. Virtus rara: quæ tamen in scripturis commendatissima.

NON REDDENTES MALVM PRO MALO: NEC MALEDICTVM PRO MALEDICTO. Græcè, ἀνὸς κενὸν κατὰ τὸν νόμον. Præcipit, vt iniuria affecti, nec facto nos vlciscamur, si facto læsi sumus; nec verbo, si verbo quis læsit. Sub quo continetur omnis vindictæ priuatæ prohibitio. Sic & Paulus Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes. Et iterum, Non vosmetipsos defendentes, id est, vlciscentes. Nam quod ad vindictam publicam attinet, eius potestas & ius ad Deum spectat eiusque ministros. Id enim est quod apud Paulum sequitur; Sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mibi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.

SED E CONTRARIO BENEDICENTES. Id est, bene precantes. Hoc enim opponit secundo membro præcepti superioris: ac si dicat; Si qui maledictis & contumelijs vos impetunt; vos e contrario bene eis precemini, bene velitis & optetis; etiam orando pro eis. Ita quoque Paulus Rom. 12. Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. De vocabulo εὐλογεῖν benedicere; quem vsum habeat in scriptura sacrâ, vide quæ annotauimus ad eundem Pauli locum.

QUIA IN HOC VOCATI ESTIS, VT BENEDITIONEM HÆREDITATE POSSIDEATIS. Græcè, Sciētes quod ad hoc vocati estis &c. Bisariam autē id exponunt. Quidā sic; In hoc, id est, ad benedicendū vocati estis quādo facti estis Christiani; vt benedicendo promerea-

mini hæreditatē benedictionis futuræ. Plerique verò sic explicat; Vocati estis in hoc siue ad hoc quod sequitur, id est, vt benedictionem hereditate possideatis. Qui sensus germanus est. Hortatur enim Petrus ad benedicendū proximis, etiã maledicentibus, argumēto sumpro non ex officio Christianorum (nā ad officium hortatur) sed ex ipsorū fine ad quæ sint vocati. Est autē vocatio Christianorū ad hæreditatē benedictionis cælestis; à Deo percipiendæ, quādo eis dicitur, Venite bened. Et patris mei, percipite regnū &c. Matth. 25. Nā ad ea Christi verba apparet Petrum alluisse; præsertim cū illic idē quoque verbum positū sit quod hoc loco, κληρονομήσατε, hereditate possidere. Tale igitur est quod dicit. Quod si benedictionem quæ in possessione cælestium bonorum consistit, ad quam vocati sumus, consequi cupimus; vtiq; debemus & nos proximis, quātum in nobis est, benedicere; Deū precantes vt à peccato cōuersi, ad illius cælestis benedictionis hereditatem vnā nobiscum perueniant. Regnum cæleste vocatur benedictio, quia effectus est benedictionis ac beneficentiæ diuine erga nos. Nam Dei benedicere benefacere est. Vocatur etiã hereditas; quia iure adoptionis eam velut hæreditatem accepturi sumus.

QUI ENIM VULT VITAM DILIGERE, ET DIES VIDERE BONOS. Ad benedicendum proximis hortatus est, proposito præmio benedictionis cælestis. Id ipsum nunc confirmat verbis è psalmo 33 desumptis; quibus homini bene lingua sua vtēti, & bene viuenti, felicitas promittitur. Recitat autem verba prout apud LXX leguntur, nisi quod ea quæ psalmista dicit in secunda persona, mutet in tertiā. At neque inter Hebræa & Græca quicquam, quod ad sensum attinet, est discriminis. Hic quidē versus sic in psalmo legitur: Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Veruntamen potest quod hic habemus, hunc habere sensum: Qui vult & diligit vitā, aut, Qui diligendo diligit, id est, vehementer diligit vitam, vt phrasis sit non dissimilis illi, Exspectans expectans Dominum psal. 39. Gaudens gaudebo in Domino Isa. 61. Vitam & dies bonos intellige felicitatem. Norandum enim, quod David secundum literā dixisse videri potest de longuitate & felicitate temporali, quā seruātibz legem promittebat vetus testamentum; id à Petro, iuxta sensum spiritalem, transferri, seu maui extēdi, ad felicitatem vitæ æternæ, quam promittit nouum testamentum. Qui sensus etiam (& quidem principaliter) à Spiritu sancto fuit intentus, necnon ab ipso Davide, tanquam noui testamenti filio. Hæc qui vult & desiderat, faciat quod sequitur;

COERCEAT LINGVAM SVAM A MALO, ET LABIA EIVS NE LOQVANTVR DOLVM. Labia eius, verti potuit & quidem melius labia sua; quæ admodum alij translulerūt. Regitur enim ab eodē verbo, coerceat; vt sit sensus: Cohibeat linguam suam à maledictis, seu cōtūcijs; & labia sua cohibeat, ne per ea proxi-

mo suo loquatur cum dolo. Constructionem hanc postulant tam Hebraea quam Graeca. Proinde labia casus est accusatiui, non nominatiui. Prohibet hic versus duo lingue peccata: maledictoria, quae manifesta lingue aduersus proximum iniuria est; & sermonem dolosum, quae est iniuria latens eoque nocetior. Sub his autem caetera omnia locutionis peccata prohibita debent intelligi; quae admodum est diuerso praecipit virtutes illis contrariae; nominatim ευλογία seu benedictio qua proximus ex animo bene precatur. Nam ad eam suadendam, spectat haec B. Petri probatio ex psalmo petita.

DECLINET A MALO ET FACIAT BONUM. Ita declinet a malo, id est, peccato; ut ne pro malo quidem malum reddat, nec maledictum pro maledicto: Faciat autem & operetur quod bonum est, etiam usque ad dilectionem inimicorum; reddens bona pro malis, & benedictionem pro maledictione. Duas expressit absolutae iustitiae partes: quae sunt declinare a malo, & facere bonum. Neque enim satis est a malo declinare, sed oportet etiam quod bonum est, facere. Verbi gratia, non satis tibi fuerit non rapere aliena; nisi & tua misericorditer indigentibus tribuas. Omnis enim arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3 & 7.

INQUIRAT PACEM ET SEQUATUR EAM. Graecae: *Quaerit pacem & persequatur eam. Quae* rere pacem, Hebraismus est, pro eo quod Latine dicimus, paci studere. ut Ierem. 29. *Quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci.* Et 38. *Homo iste non quaerit pacem pro populo huic, sed malum. Persequi pacem, est totis viribus incumbere paci consequendae ac retinendae. Non enim sufficit pacem quaerere; nisi inuentam fugientemque, omni studio prosequamur:* ait Hieronymus in epistola ad Rusticum. Interpres Graecum verbum *διωκειν* alibi vertit *sectari*: ut Rom. 12. *Hospitalitatem sectantes.* 1. Corint. 14. *Sectamini charitatem.* 1. Timoth. 6. *Seclare iustitiam.* Pax intelligitur hoc loco, quemadmodum & in psalmo, quae cum proximis haberetur; de qua Paulus Rom. 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentibus.* Quamquam deo qui extendit ad pacem quem quisque; cum Deo & cum semetipso habere debet.

QVIA OCULI DOMINI SUPER IUSTOS; ET AVRES EIUS IN PRECES EORUM. Graecae, *ad deprecationem eorum.* Haec pars ostendit supradictae promissionis veritatem; ac si dicat. Qui haec fecerit quae proximè dicta sunt; vitam consequetur & dies bonos, id est, felicitatem. Is enim iustus est. Atqui Dominus eos qui iustitiam colunt, benignis oculis respicit, curam eorum gerens, & ad felicitatem prouehens: Sed & benignas ac faciles aures praebet eorum precibus; promptus ad exaudiendum & praestandum quod petunt, id est, vitam quam volunt, & dies bonos quos diligunt. *Oculos & aures* figuratè Deo ascribi, metaphora ab hominibus sumpta; notissimum est.

VULTUS AUTEM DOMINI SUPER FA-

CIENTES MALA. *Vultus*, Graecè *ὄψων*, facies, aspectus. Addit huic versiculo psalmista: *Ut perdat de terra memoriam eorum.* Qua parte explicatur quae *vultum* siue aspectum Domini intelligat; nempe qualis esse solet hominis irati & concitati ad vindictam. Quamvis enim tam Hebraica dictio, quam Graeca *ὄψων* mediae significationis sit in scripturis, ac frequenter in bona parte accipitur; ut Num. 6. bis in eadem benedicendi formula, *Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: Converterat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Interdum tamen in malo sumuntur; ut psal. 20. *Pones eos ut libanum ignis in tempore vultus tui,* id est, iracundiae tuae. Vt autem modo accipiatur, declarat scripturae circumstantiae: ut hoc loco; maximè quia in psalmo sequitur, *ut perdat de terra &c.* Sensus igitur est: Dominum respicere quidem etiam eos qui mala faciunt; verum non benigno vultu, sed toruo suae indignationis aspectu: non ut seruet & exaudiat, sed ut aliquando perdat & aboleat de terra, id est, ex hominibus, memoriam eorum, adeo ut viventium nemo sit qui de eis honorificè loquatur. Quod ut plerumque contingit malis in hoc seculo; ita perfecte & sine exceptione contingeret in futuro.

ET QVIS EST QUI VOBIS NOCEAT, SI BONI EMULATORES FVERITIS? *Boni*, Graecè *τῶ ἀγαθῶ*, id est, bonitatis. Substantiivè enim sumitur, quae admodum apud Ioannem in 2. ep. *Noli imitari malum, sed quod bonum est.* Nam & hic legitur *imitatores.* Graecè *μιμηταί*, quod interpres vertit, *emulatores.* Hanc partem quidam sic intelligunt: Nemo est qui nocere vobis possit, id est, verum inferre nocumentum, si sectemini quod bonum est; quia ut dictum est, *oculi Domini super iustos.* Etenim ut ait Paulus Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quibus *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum;* etiam aduersa, quaecunque patiuntur a malis hominibus. Et huc referunt illud Chrysostomi, *Neminem ledi nisi a seipso.* Verum alij accipiunt, hoc dictum a Petro ad confirmationem praecedentium: ac si dicat, promissionem illam a Dauide scriptam, *Quis est homo qui vult vitam &c.* et si principaliter referenda sit ad vitam futuri saeculi; pertinere tamen etiam suo modo ad praesens saeculum. Fit enim ut plurimum, ut qui linguam suam bene moderantur, & pacem amant, omnibusque student benefacere, laedere neminem, tranquille & feliciter agant, certè minus obnoxij sint hominum improborum iniurijs: quod est *dies videre bonos* iuxta modum vitae praesentis. Est igitur argumentum a communi experientia sumptum, maximè extra tempora persecutionis fidei. Nam quod ait Paulus, & huic contrarium videri potest, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo lesu, persecutionem patientur:* 2. Tim. 3. potissimum accipi debet de tempore quo propter religionem commouetur persecutio. Tunc enim praecipue patiuntur ij qui verè pii sunt. Et hanc exceptionem videns Petrus, subiunxit.

SED ET SI QUID PATIMINI PROPTER IUSTICIAM; BEATI. Graecae: *Sed si etiam patiamini &c.* Voculam *quid* interpres addidit de suo. Dicit hoc Petrus, quod ex ore magistri audiuerat; *Beati qui persecutionem patientur propter iustitiam,* id est, pro iusticia retinenda. Vbi *iusticia* quidem significat quodcunque opus virtutis: respicit tamen Petrus ad confessionem fidei Christianae; uti sequentia declarat. Vnde & sequenti capite loquitur sententia simili: *Si autem patiatum quis ut Christianus; non erubescat &c.* Tale igitur est quod dicit; *Quod si etiam contingat vos affligi propter iusticiam & pietatem: non ideo minuetur vobis felicitas quam promittit psalmographus; imò sic quam maximè eritis beati, videlicet ipse certissima regni caelestis.* Sic enim Christus ipse eam beatitudinem exponit, inquit, *Quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Matth. 5.

TIMOREM AUTEM EORUM NE TIMVERITIS. *Eorum* refert illos qui praecedenti parte intelligebantur in voce *patiamini*; scilicet a malis seu persecutoribus. Sunt qui partem hanc ita interpretantur; *Vester timor non sit qualis esse solet timor illorum, id est, mundanus, quo timètes amittere temporalia bona deserunt virtutis ac iusticiae bonum, & sic amittunt aeterna bona.* At verior sensus est: *Ne timeatis persecutores vestros, terrorè vobis immittentes propositis supplicijs & danis temporalibus.* Est enim Hebraismus, *timere timorè alicuius,* id est, ea formidabilia metuere quae quispiam minatur vel adhibet. Sic psal. 63. *A timore inimici eripe animam meam,* id est, a periculis quae intentat inimicus. Vide etiam quae superius annotata ad illud; *Non pertinetes vlla perturbationem.* Monet ergo S. Petrus, ne metuant eos qui se propter iusticiam persequuntur, tanquam auferre ipsi possint suum bonum quo felices sunt; quum è contrario viam potius ipsis parent ad beatitudinem.

ET NON CONTURBEMINI. Quod in quibusdam codicibus legitur *ut pro, & corrigendum est.* Graecè *μὴ δέ, neque conturbemini,* id est, ea res vos non turberet; sed animi constantiam tenete. Ita Christus suos confirmat Io. 14. *Non turbetur cor vestrum.* Patro non dubium quin apostolus in hac tota sententia imitatus sit Isaiam prophetam. Cuius haec sunt verba populum Iudaicum consolantis, cap. 8. *Timorè eius* (scilicet hostilis exercitus) *ne timeatis, neque pauca.* Sūt enim Graeca profus eadem. Quin ad eundem locum alludit etiam quod sequitur.

DOMINUM AUTEM CHRISTUM SANCTIFICATE IN CORDIBVS VESTRIS. *Christum*, Graecè *Deum*; tamen in translatione Syriaca legitur *Messiam* seu *Christum.* Quae lectio etiam in nonnullis est Graecis. Apud Isaiam, tam in Hebraeo quam in Graeco, sic habetur: *Dominum exercituum ipsum sanctificate.* Fortè B. Petrus idcirco Christum nominare voluit, ut eius innueret diuinitatem; quum sit ille dominus exercituum de quo propheta loquitur. *Sesus apostoli est: Ex intimo corde Christi*

15

stium Dominum sanctificate, id est, sanctum ac verè metuendum agnoscite; & talem, ut ab omnibus agnoscat, praedicate; non sermone tantum, sed & rebus ipsis. Sanctificatur enim a nobis Deus seu nomen Dei, iuxta illud, *Sanctificetur nomen tuum,* quando id agimus verbis & factis, & rota nostra conuersione, ut nomen Dei glorificetur.

PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM OMNI POSCENTI VOS RATIONEM DE EA QVAE IN VOBIS EST SPB. Quod quidam codices addunt, *& fide;* quamuis etiam Beda legisse videtur; nec in Graecis est, nec in Latinis castigationibus. Gregorius quoque parte 2. cure pastoralis cap. ultimo citas hunc locum, non addidit. Syra quidem verio sic habet: *De spe fidei,* siue ut in mss. codice legitur, *de spe fidei vestra:* Sed id addidit Syrus, ut paraphraestes, explicare volens mentem B. Petri. *Satisfactio* dixit interpres quod Graecè est *ἀπολογία*, id est, *defensio*, responsum ad ea quae obijcit aduersarius. Quodque vertit *rationem*, in Graeco est *λόγος*: pro quo Syrus & Latini quidam, *sermonem* translulerunt. Quamquam sensus eodem redit, qui huiusmodi est: *Quoniam infideles spem vestram quam in Christo habetis de vita & gloria futura, iactitant inanè esse: propterea moneo ut semper habeatis in promptu, velut ex meditato, responsum, qua spem vestram seu fidem gloriae speratae rationabilem ostendatis; siue sit aduersarius, siue quispiam discendi ac sciendi cupidus, qui rationem a vobis exigat cur in praesenti vita tam dura patiamini, contententes bona vita huius. Sed hoc non ita accipiendum, ac si velit Petrus omnes Christianos esse Theologos, qui norint de fidei dogmatibus, aut docedo aut respondendo, differere. Numquid enim omnes doctores? Minimè. *Divisiones enim gratiarum sunt. Et alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum.* 1. Cor. 12. Nec ab omnibus, sed ab episcopo requirit Paulus, *ut potens sit eos qui contradicunt arguere.* Tit. 1. *Qua scientia,* ait Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. *non pollent fideles plurimi; quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam; aliud autem, scire quemadmodum hoc ipsum & pijs optuletur, & contra impios defendatur.* Haec ille. Non aliud ergo Petrus exigit ab vnoquoque fidelium, quam ut de ijs quae ex fide Christiana sperat, & omnino de ijs quae fidei sunt, interrogantibus ac rationem poscentibus, iuxta suum quisque modum respondere ac satisfacere possit. Sunt enim rationes quaedam generales, quibus utcumque tueri se poterat quilibet Christianus aduersus paganos, & quaerentibus satisfacere: veluti quod religio Christiana praenunciata sit a prophetis; quod innumeris miraculis a Christo & apostoli eius confirmata; quod*

doceat iusticiam, innocentiam, ac beneficentiam usque ad dilectionem inimicorum; quod sit religio castissima. Item, Mundum vnus Dei providentia regi, quæ postulat vt vnusquisque eandem recipiat secundum opera sua. Deo nihil esse impossibile. Nec mirandum, si quæ credimus & speramus, humanum superent intellectum; quoniam in ipsa etiam rerum natura plurima sunt quæ consequi ingenio non valemus. Ad hunc modum, etiam hodie nequaquam desunt rationes & argumenta generalia velut principia quædam, quibus instructos esse oportet fideles (instruendos vtique à suis parochis) aduersus hæreticos fidem nostram Catholicam oppugnantes, aut de ea disputare volentes. Ea sunt: Ecclesiam Christi esse vnâ, eamque visibilem manifestam; ab apostolis ad nos vsque successione episcoporum continuatam; in qua tot sancti fuere diuersis temporibus martyres & confessores, quorum sanguine, doctrina, miraculis fides Catholica iam olim consignata sit atque sancita. Ad eam ecclesiam audiendam, quod ipsa columna sit & firmamentum veritatis, scripturam sacram nos remittere. Ita sanè Ioannes apostolus 1. ep. 4. suos fideles instruit: quibus cum dixisset, *Probate spiritus si ex Deo sint*; hanc generalem probandi regulam paulò post eis prescribit; *Qui nouit Deum, audit nos*, id est, apostolos & eorum discipulos ac successores. *Qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* Quamquam & rationes siue argumenta quædam magis specialia, fidelibus, ad respondendum in promptu esse, prout talium capaces sunt, vehementer expedit. Quod autem Petrus vniuersè dicit, *omni poscetur*, sic intellige, modò fructus inde speretur, vel in eo cui respondeas, vel in alijs. Alioqui tenendum illud Saluatoris, *Nolite dare sanctum canibus.* Matth. 7.

6 SED CVM MODESTIA ET TIMORE. Græcè, *cum mansuetudine & timore*, non addita vocula aduersante sed. *Timorem*, Dei quidam hîc intelligunt: alij timorem hominum; quod est probabilius, vt ad eandem referatur *modestia* seu *mansuetudo*, & *timor* seu *reuerentia*; quemadmodum Erasmus vertit. Itaque præcipit apostolus, fideles interrogatos de fide, non contentiosè nec arroganter aut proteruè respondere; sed cum mansuetudine ac modestia, deinde & cum reuerentia, prout ea cuique personæ debetur; maximè si apud iudicem aut quemcumque dignitate superiorem sit ratio spei nostræ reddenda: secundum illud Pauli, *Cui timorem, timorè.* Ro. 13. Huiusmodi namque responsio non solum decet Christianam professionem; verum etiam minus inde periculi est, ac maior fructus. *Responsio mollis*, ait Sapiens, *frangit iram*; *sermo durus suscitaturorem.* Prover. 15.

CONSCIËNTIAM HABENTES BONAM.

Profitentibus fidem Christianam, ac de ea cum interrogantur respondētibus, imprimis necessaria est bona conscientia; quam exterius prodat vita sancta & inculpata. Hæc enim loquendi præbet fiduciam. Quod si vita professioni non respondeat: non modò nullus erit profectus ex disputatione quantumuis docta; sed etiam dispendium sequetur, apud eos qui de sermone ex moribus iudicant.

VT IN EO QVOD DETRAHUNT VOBIS, CONFVNDANTVR, QVI CALVMNIANTVR VESTRAM BONAM IN CHRISTO CONVERSATIONEM. *Vobis*; addunt Græca, *tanquam malefactoribus.* Syra, *tanquam hominibus malis.* Sed additum videri potest ex capite præcedenti, versu 12. vbi sic legebamus; *vt in eo quod detrahunt de vobis tanquam de malefactoribus.* Quæ verba prorsus eadem hoc loco sunt in Græco. Quamquam e contrario Syrus illud, *tanquam de malefactoribus*, in superiori capite omnino non legit. Referenda est hæc pars ad præcedentia ab eo loco vbi dixit: *Parati semper ad satisfactionem* &c. Nam sensus est: Si de spe vestra interrogati, respondeatis cum ratione; si placidè ac reuerenter; si denique ad hæc vitam adfertis integram & inculpata: ita futurum est vt obrectatores vestri, qui *conuersationem vestram*, id est, vitam quam agitis iuxta Christi doctrinam, *calumniantur* vt maleficam ac fucata, suæ sycophantiæ & improbitatis tandem conuicti, pudeant & obmutescere cogantur. Sensum tamen non paulò commodiorem suggerit textus Syriacus, in quo particula similitudinis, *tanquam*, secundo loco repetitur; ad hunc modum: *tanquam viri qui calumniantur conuersationes vestras bonas quæ sunt in Christo.* Sic enim sensus est: Ita fiet, vt qui malè de vobis loquuntur tanquam de maleficis & sceleratis hominibus; ipsi vicissim, tanquam calumniatores sanctæ vestræ conuersationis, malè audiant & erubescant. Probabilis certè lectio: fierique potest vt particula *vs* in Græco textu iam olim vel incuria vel imperitia scribētium, qui superfluum putarent, omiſsa fuerit. Cõuenit hic locus cum eo qui est in capite superiore: *Vt beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Nec enim piger apostolum rem necessariam sapius inculcare.

17 MELIUS EST ENIM BENEFICIENTES (SI VOLUNTAS DEI VELIT) PATI, QVAM MALEFICIENTES. Consolatio est, ab eo quod magis optabile; simul & à voluntate Dei, cui acquiescendum est. In multis codicibus legebatur, *vt beneficientes*, adiecta videlicet particula *vt*. Sed ea meliorum codicum ope merito reiecta est à correctoribus Romanis. Nam & in Græco nihil ei responder. Porro melius esse dicit *beneficientem pati quam maleficientem*, quod ad eum attinet qui patitur (id enim hîc spectat apostolus) non

quod

quod ad eum qui infert passionem; vt qui beneficentem lædens, contra iusticiam agat; sibi que ipsi noceat longe magis. Addit autem, *si voluntas Dei velit*; non solum vt innuat malos nihil posse in bonos nisi Deus permiserit: verum etiam vt intelligamus, nullam afflictionem nobis inferri ab homine quocumque, ac ne quidem à diabolo, nisi Deo volente, & non tantum permittente. Nam ad id significandum loquitur geminatè; *si velit voluntas Dei*, id est, si Dei voluntas, siue Deus per suam voluntatem, statur parandum esse. Quod verò apud Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 20. pro voluntate legitur *spiritus*: *Si spiritus Dei velit*; (quamquam eundem sensum facit) vel mendoso codici Græco imputandum arbitror, vel oscitantæ interpretis qui *περὶ* legerit vbi *ἐκ* scriptum erat.

18 QVIA ET CHRISTVS SEMEL PRO PECCATIS NOSTRIS MORTVVS EST, IVSTVS PRO INIVSTIS. *Nostri*, in Græco & Syriaco non additur: Multi quoque Latini codices mss. non agnoscunt. Nec Græca habent, *mortuus est*, sed *ἐπέβη πάσους*. Dixerat enim apostolus, *melius est beneficientes pati.* Quod nunc confirmat exemplo Christi, qui iustus cum esset, passus fuit pro iniustis. Non dubium tamen quin de passione mortis loquatur Petrus; maximè quia addit *semel*. Sic enim & Paulus Rom. 6. *Peccato mortuus est semel*; & Heb. 9. *Per proprium sanguinem introiit semel in sancta.* Et iterum: *Christus semel obatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Sed & Syrus hoc loco *passionem mortis* expressit. *Pro peccatis*, intellige abolendis ipsa Christi passione, velut solutione pænæ que pro illis debebatur. Id enim significat hic sermo, *Christus passus est, mortuus est pro peccatis.* Sed quorum peccatis? multorum; vt Paulum iam dicentem audiimus, id est, electorum, sicut & ipse Dominus dicit; *Hic est sanguis meus qui pro multis*, id est, pro omnibus electis, *effundetur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. Dicit autem *semel*; vt efficaciam mortis Christi declaret, quæ vna; nec vnquam iteranda, valet ad omnia omnium seculorum peccata delenda. Denique addit, *iustus pro iniustis*, ad confirmandam exhortationem, vt dixi; nec non ad commendandam immensam Christi erga nos charitatem, *Quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus est.* Rom. 5.

VT OFFERRET DEO. *Offerret*, Græcè *προσφέρειν*, *adineret*, scilicet aberrantes: sicut dixit capite præcedenti, *Erratis sicut oves errantes*; sed *conuersi estis nunc ad pastorem* &c. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 27. & in ep. 99. sic legit: *Vt nos adducat ad Deum.* Potest tamen, *ad iunctio* intelligi per modum oblationis & doni: quomodo legimus *passim* in Leuitico & Numeris; de adducendis hostijs ad offerendum. *Christus enim*, ait Hesselius, *nunc of-*

fert nos Deo tanquam sacrificium; dum gratia sua concupiscentiam nostram mortificat: in futuro autem, offert tanquam holocaustum; quando toti pari toto corde Deo seruiemus. Quamquam simplicior sensus est, ab eodem autore traditus; Christum ad Deum nos adducere, digni eum ob peccata nobis offensum, propitium reddat; dumque similitudine morum & affectuum Deo propinquos facit.

MORTIFICATVS QVIDEM CARNE, VIVIFICATVS VTEM SPIRITV. Sic lego ex caligatione Romana, cum prius in plerisque libris haberetur, *Mortificatus, vivificatus*, accusatio plurali. Sed veram lectionem probant tam Græca quam Syriaca; fauentque Latini codices mss. probatores, & veteres concordantur. His adde Græcos scriptores Clementem Alexand. lib. 6. Stromatum, Epiphanium hæresi 51. & 77. & Oecumenium in commentario. Imò & Latinos, Hieronymum in Isaie caput 54. vbi pro *mortificatus*, legit *occisus*. Rufinū in expositione symboli, & Augustinū sermone 14. de verbis apostoli cap. 16. & ep. 99. Quare præter nullis eorum commentarijs, qui pluralem numerū legerunt, velut impertinentibus; verè lectionis sensum requiramus; qui ferè pender ab intellectu vocabuli *spiritus*. Quidam enim *spiritum* interpretatur vel diuinitatem vel Spiritum sanctum; Alij verò animam Christi, de qua moriens dixit Patri, *In manus tuas commendo spiritum meum.* Luca 23. Priori modo sensus est: Qui Christus dum pateretur, carne quidem quam mortalem & infirmam gerebat, occisus est & mortuus; sed virtute diuinitatis, quæ per mortem ab eo non fuit separata, vel (quod idem est) virtute Spiritus sancti, viuificatus est, id est, ad vitam resuscitatus. Sic Oecumenius, & locis iam citatis Augustinus. Item Athanasius à V. Beda allegatus. Conuenit hic sensus cum eo quod Paulus scribit de Christo, 2. Cor. vlt. *Nam effusus est ex infirmitate, sed vixit ex virtute Dei.* Posteriori modo, potest intelligi *viuificatus spiritus*, quia secundum spiritum, id est, animam non est mortuus, sed viuus permanfit. Nam *viuificare* pro eo quod est viuū seruare, non occidere; phrasia est scripturæ, vt 1. Reg. 27. *Virum & mulierem non viuificabat David.* & Act. 7. *Vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.* Sed quid magnum, si anima Christi, moriente carne, viuens permanfit; quando nec in pessimis hominibus anima moritur? vt quæ natura sit immortalis: Quare nec facit ad consolationem piorum qui hîc affliguntur, quod post mortem super sint eorum animæ; nisi beator aliqua vita secutura sit, exemplo Christi quod hic proponitur, Præinde melius intelligitur Christus *viuificatus spiritus*, id est, anima; quia factus est in spiritum viuificantē, tunc scilicet quando à morte resurrexit ad vitam immortalē: quemadmodū Paulus loquitur 1. Cor. 15. *Factus est primus Adam, in animam viuentem.*

nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Quo loco, quamuis Græci tractatores per spiritum significari putent Spiritum-sanctum: Latini tamen ferè interpretantur de anima humana; vt factus dicatur Christus in spiritum viuificantem, id est, habens spiritum viuificantem, quando anima eius cepit perpetuam & immortalem vitam corpori ipsius subministrare; absque subsidio alimenti; tanquam per se ad vitam corpori præstandam conseruandaque sufficiens: vt quod prius erat corpus animale, factum fuerit hac ratione spirituale; quemadmodum id à nobis expositum est in eius loci commentario, & in 2. sent. dist. 19. Qui sensus huic loco bene conuenit, vt viuificatus spiritum Christus intelligatur per resurrectionem; quia tunc viuere cepit vita immortalis, ad quam sola sine ciborum adminiculis ei sufficiebat animæ præsentia. quod & in reliquis futurum est electis, quorum primitiæ Christus, vt ibidem dicitur. Indicat hunc sensum Epiphanius hæresi 51. Quomodo autem hic sensus etiam quadret cum eo quod sequitur, paulo post videbimus. Certè per spiritum, hic intelligi animam Christi, docet nos ipsa antithesis quam facit Apostolus, carnis & spiritus; docet etiam id quod continuò sequitur, Christum in suo spiritu profectum fuisse ad animas quæ erant in carcere.

19 IN QVO ET HIS QUI IN CARCERE ERANT SPIRITIBVS VENIENS PRÆDICAVIT. Locus hic omnium pene interpretum iudicio difficillimus, idemque rariè expositus, vt nouem eius interpretationes recenseat Io. Lorinus; quibus ipse suã addidit decimam; tamen nec omnes attigerit. Vnus Arias Montanus locum intellectu facile esse contendit, nec tamen suum commentarium nouum ac singularem quem adfert, alijs facile persuaserit. Nos quidè paucioribus recitandis erimus contenti: Sed primum ipsius textus vera lectio constituenda est. Pro carcere quidam codices carne legunt, eamque lectione Beda exponit; licet alteram quoque non prætermittat. Sed tamen mendosam esse, constat; reclamantibus non solù plerisque, præsertim uerustis, Latinis exemplaribus, Item Hieronymo, Augustino & alijs authoribus supra citatis; verum etiam textu Græco, qui habet εν φυλακή, in custodia seu carcere. Quod verò Io. Calvinus φυλακήν interpretatur speculam & alij quidam excubias; etsi non negamus hæc etiam Græca voce significari; vt Matth. 14. vbi legitur quartã vigiliam noctis, & Lucæ 12. vbi secundam & tertiam vigiliam: multò tamè vstratus in scripturis accipitur pro carcere. Et alicubi etiam de carcere infernali dicitur, velut Apoc. 20. Soluetur Satanã de carcere suo. Nec ob aliud Calvinus ad speculam confugit, quã quia non ei placet Catholicũ dogma; aliquas fidelium piorum animas, siue quondam ante Christi aduentum, siue nunc,

apud inferos detineri. Nam specule significatio præsentis loco parum aptè quadrat, vt infra demonstrabimus. Notandum præterea, in Græco tantum legi τοῖς εν φυλακή πνεύμασι, ijs qui in carcere spiritibus. vt vel erant vel sunt in Latina versione suppleri, necesse sit. Et quamuis nonnulli sunt suppleendum putent: multò melius tamen noster interpret, vt & alij ferè omnes, erant suppleuerunt. Nam verbum præteriti temporis predicant supplementum postulat temporis consimilis, erant vel fuerunt, eo scilicet tempore quo predicant. Rursus, quod in quibusdam codicibus addito participio legitur, in carcere conclusi erant, quamuis & Beda sic legat, idque etiam Syriacæ paraphrasi conformè sit; in melioribus tamen Latinis, quorum & Beda meminit, non habetur; vt nec in vllis Græcis, vnum si demas à Rob. Stephano annotatum; sed fidei non magnæ, quod existimetur ad Latinos codices esse accommodatus, tamen ista additio sensum non mutat: imò facta videtur ad sensum explicandum. Tertia lectionis varietas est in vocabulo, spiritibus pro quo multi codices etiam mss. legunt spiritum. Verum Græca constanter exhibent numerum pluralem πνεύμασι, spiritibus; pro quo Syrus transtulit, animabus. Ea quoque lectio est veterum patrum tam Latinorum quàm Græcorum: vt hanc velut sinceriores meritò præ altera elegerint Romani correctores. Cum autem πνεύμασι & πνεύματι tantum literula distent: fieri sanè potuit vt interpret, vel noster vel alius quispiam, alterum pro altero legeret ac transferret. Denique sciendum loco participij veniens, in Græco legi προεβόησεν, præteriti temporis participium, id est, profectus, vt alij vertunt; & ipse interpret paulo post, profectus in calum. Erasmus autem Hentenio suffragante, resoluere maluit in verbum; hoc modo reddens sententiam: In quo etiam abijs, & spiritibus qui erant in carcere predicant. Ruffinus sensum secutus reddidit per verbum, descendit.

20 QVI INCREDVLI FVERANT ALIQVANDO. Græcè ἀπισθῆσαι ποτε, hoc est, ijs qui credere noluerant olim, quondam, aliquando. Erasmus vertit, inobedientibus. Verum Græca vox passim in scripturis vsurpatur de ijs qui fidem veritati satis declarata adhibere pertinaciter renuunt.

QUANDO EXPECTABANT DEI PATIENTIAM IN DIEBUS NOE, CVM FABRICARETUR ARCA. Græca multa sibi habent: Quando semel expectabat Dei patientia, seu longanimitas (μακροθυμία) in diebus Noe, dum apparabatur arca. Quamquam vocula semel in textu Syriaco non legitur; & Græca variant. Nam multi quidem codices habent vt dixi ὅτε ἀνέξεδεχεν, quando semel expectabat, vt etiam legille videtur: Oecumenius & tamen nonnulli pro ὅτε, quando, legant ὅτι,

quia,

quia, quod minus placet. At alij non pauci, etiam à Roberto notati, legunt ὅτε ἀπέδεχεν, quando expectabat. Qua Græca voce etiam Paulus libenter vtitur: vt ter in eodem capite 8. ad Rom. Item 1. Cor. 1. Gal. 5. Philip. 3. Heb. 9. Nec verò particula semel agnita videtur à vriteribus Latinis hunc locum citantibus. Nec ad rem propositam facere videtur; nisi dicas significari id quod olim semel Deus fecit in figura, nunc eum facere in re per figuram significata. Cæterum male Erasmus, passiuè vertit, expectabatur, licet id alij quidam imitati sint. Nam Græcum verbum ἐδέχεσθαι, siue ἀπέδεχεται siue simplex ἐδέχεσθαι, quod Erasmus in quibusdam codicibus haberi testatur, etsi voce medium sit; tamen actiuè semper accipitur: vt multa eius generis alia. Planè verisimile est irrephisse mendam in vulgatam versionem, vt pro eo quod ex Græco transtulit interpret, expectabat Dei patientia, scriptum sit ab indoctis, expectabant Dei patientiam. Ac profecto in Missali Romano per Clementem octauum correcto, in epistola feræ sextæ paschalis, legitur, expectabat Dei patientia. Quo modo legunt Hieronymus & Augustinus, item Idacius episcopus libro scripto contra Varimadum; imò & inter recentiores Dionysius Carthusianus. Bedam quoque eo modo legisse, commentarius eius haud obscurè significat. Dicitur autem patientia Dei expectare, quia Deus patienter expectat. Quomodo de eo dicit hic Apostolus in secunda epistola cap. 3. Patienter agit propter vos. Alioqui, dicere quod homines expectant Dei patientiam; nec vsitatum est in scripturis, nec sensum habet commodum. Quam ratione etiam Erasmi versio, de qua dixi, improbat.

IN QVA PAUCI, ID EST, OCTO ANIMÆ SALVÆ FACTÆ SVNT PER AQVAM. Pauci, Græcè pauca, vt ad animas referatur. Per quas tamen homines significantur synecdochicè. Nota est historia Gen. 7. Deum propter hominum peccata mundo diluuium induxisse, eoque omnes periisse, exceptis octo quos arca seruauit. Qui quidem per aquam salui facti dicuntur, quia aqua; quæ cæteros exstinxit, arcam eleuans in sublime effecit ne qui in ea erant vnà cum alijs extinguerentur. Nonnulli per aquam, exponunt, in aqua saluos factos, cæteris in aqua pereuntibus. Verum prior sensus magis conuenit cum antitypo, id est, baptismate saluifico, de quo statim audiemus.

Nunc ad totius loci sensum explicandum veniamus. Vbi primum cauendus error eorum, qui B. Petri verba in hunc sensum interpretati sunt, Spiritus impiorum Christi ad inferos descendens prædicatione conuersos, & liberatos fuisse. Cuius erroris Beda meminit; eumque tacito nomi-

ne ascribit Hilario: qui enarrans illa verba psalmi 118. Quando consolaberis me? siue, vt ille legit, exhortaberis me? post alia sic ait: Scit, propheta, hanc exhortationem sanctos quiescentes in inferno desiderare. Scit, restante Petro, descendente in inferna Domino; etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noe, exhortationem predicatam fuisse. Verum quomodo sanè & catholicè possint hæc verba accipi, pluribus declarat Hesselius, & nos infra breuiter dicemus. Leguntur similia apud Hieronymum in questionibus super Genesim ad illud cap. 6. Non permanebit spiritus meus in homine &c. Pro quo dicit in Hebræo legi: Non iudicabit spiritus meus homines istos in aeternum; quia caro sunt. Sic autem exponit: Quia fragilis est in homine conditio; non eos ad aeternos seruabo cruciatos: sed hic illis restituum quod merentur. Ergo non seueritatem sed clementiam Dei sonat; dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Hæc ille. Quæ eadem Eucherius in Genesim scribens suo commentario inferuit. His affine est, quod de ijs quorum corpora ceciderunt in deserto, quosque Paulus Heb. 3. & 4. accusat incredulitatis; idem Hieronymus, Ezechielis prophætæ caput 20. explanans, dicit, eos apud Deum viuere; nec aeternis supplicijs reseruos esse, nec delatos de libro viuentium, nec consumptos ante faciem Domini. Porro B. Augustinus in epistola ad Euodium, prædicto errore refutato, suggerit hunc sensum, vt spiritus in carcere conclusi intelligantur homines: quorum spiritus, id est, animæ erant in carne; atque ignorantie tenebris velut carcere claudabantur, Christumque ijs, non in carne, quia nondum incarnatus erat, sed in spiritu, id est, secundum diuinitatem, visis congruis alloquendo quos volebat, prædicasse. Sequitur hanc expositionem Beda in commentario, & Thomas 3. q. 52. ar. 2. ad 3. cum paucis alijs. Non dissimilis sententia est Io. Hesselij, qui putat vocationem gentium hic à Petro describi, velut explicante quod dixerat, Christum pro iniustis mortuum. Nam prophætæ describunt gentes infideles tanquam vincetos, obtenebratos, vectibus ferreis & portis aereis conclusos & incarceratos; vt psal. 106. & Isa. 42. & 49. At verò vtrique expositioni, tam Augustini quàm Hesselij, multum obstitit vocabulum spiritibus. Obstat etiam locus capituli sequentis vbi Petrus seipsum exponit; dicens mortuus euangelizatum esse. Quibus argumentis etiam Arias Montanus refelliit, qui nouo sensu spiritus in carcere conclusos interpretatur octo animas inclusas in arca. Quem sensum etiam contextus apostoli refugit. Veniendum igitur ad illud in quo cæteri omnes consentiunt, etiam sectarij; spiritus accipi propriè; & quidem non alios hic intelligi quàm spiritus humanos, id est,

animas hominum mortuorum : Christum- que *ij* in carcere, id est in inferno, constitutis prædicasse. Nisi quod Calvinus, ut antè dixi, pro carcere mauult speculam in qua aguntur vigilæ, ac sensum hunc facit, piorum animas in spem salutis promissæ fuisse intentas, quasi eminus è specula eam expectarent. Verùm inepta hæc metaphora est. Nam vsus speculæ & vigiliarum non est expectare, sed obseruare ne quid insidiarum hostis moliantur. Sed nec vsquam *φύλακην* pro expectatione ponitur. Tota igitur quæstio est, quibus spiritibus apud inferos, & quid prædicauerit Christus, *in spiritu*, id est, secundum animam, ad eos profectus. Sic enim illud, *in quo*, exponimus, consequenter ei quod præcessit, *uisificatus autem spiritu*; sensu videlicet obuiuo. Nam quod Oecumenius eam particulam casualiter interpretatur, *in quo*, id est, *ideo*; minus vsitatum est. Sunt autem de ea quæstione tres generatim opiniones. Quidam enim solos bonos spiritus intelligunt, quibus prædicata sit & præstita ex infernis locis liberatio; alij solos malos, quibus denunciata & confirmata damnatio; alij denique tam bonos quam malos; quorum alijs liberationis sententia, alijs damnationis annunciata fuerit. Primæ opinioni fauet vocabulum *prædicandi*; pro quo sequenti capite reponitur *euangelizandi*. Nam mali in inferno cum sint æternis pœnis irreuocabiliter addicti, nullius iam euangelij sunt capaces. At pro secunda opinione facere videtur quod incredulos fuisse dicit eos quibus Christus prædicauit. Denique, pro tertia adducitur vtrumque: hinc, verbum euangelizandi; inde, nomen incredulorum. Nam apud inferos euangelizari non potuerunt nisi boni. Inter has opiniones, prima plus cæteris habere videtur probabilitatis, ita tamen ut ex parte totum intelligatur; id est, quod dicitur prædicatum fuisse spiritibus qui fuerant olim increduli, extendatur ad omnes spiritus salutis capaces in inferno positos quando Christus illuc aduenit; tam eos qui erant tunc in sinu Abrahæ (quorum receptaculum limbum patrum Theologi vocant) quæ qui pœnis adhuc detinebantur purgatorijs; inter quos erant illi olim increduli, non omnes, sed aliqui. Etenim valde credibile est, iuxta illud psalmi 77. *cum occideret eos quærebant eum*; multos ex ijs qui prædicationem Noë denunciantis interitum peccatoribus, contemserant aut neglexerant (quod hic Petrus vocat incredulos fuisse); superveniente & inundante diluuiio pœnitentiam ex timore concepisse, veram sed imperfectam. Quorum proinde spiritus in carcerem apud inferos detrusi fuerint, & in eo detenti, donec Christo ad eadem loca descendente liberarentur. Ad quem sensum etiam Hilarij & Hieronymi verba supradicta possunt aptari. Nam Hilarius distinguit sanctos in inferno quiescentes, id est, in sinu Abrahæ

tunc positos, ab ijs qui in carcere erant ut in loco pœnali, vetera adhuc peccatorum suorum debita luentes; quem locum purgatorium vocamus. Hieronymus quoque non sentit aliquos sine pœnitentia discedentes ex hac vita, posse saluari, quod est semperque fuit alienū à doctrina & sensu ecclesiæ, atque inter hæreses recensetur ab Epiphano hæresi 46. & ab Augustino hæresi 79: sed Hieronymi verba procedunt ex hypothesi pœnitentiæ ante mortem cœptæ: & non aliter. Nam, ut dixi, verisimile est multos aquis diluuij comprehensos, ad cor rediisse, ac Dei misericordiam impetrasse, ne in æternum perirēt. Quod idem liceat dicere de ijs quos incendium Sodomiticum corripuit. Multo magis verò de Israelitis in deserto prostratis, qui lege diuinitus accepta iam instructi erāt, nec simul omnes vna plaga percussī, sed paulatim per annos quadraginta mortui, interierunt. Quanquam & de ijs qui diluuiio perierunt, tale quid dici potest, fuisse veni Dei cultores, sed moribus ac studijs perdiuissimos. *Omnis quippe caro corruerat viam suam super terram.* Gen. 6. Non enim vsquam legitur quod falsos Deos coluerunt, aut idola tibi fabricauerunt; quando nec constat idolatriam habuisse initium ante diluuium; licet Genebrardus in sua chronologia id dicat, sed nullo auctore. Quare, veri Dei cultum retinentes facilius potuerunt, inuocato eius nomine, veram animo pœnitentiam concipere, in extremo periculo constituti.

Itaque locus iste Petri sic nobis construendus & explicandus videtur: Christus qui homo hominibus in carne euangelizauit, idem carne mortuus, *in spiritu*, id est, secundum animam, profectus ad inferos, *prædicauit*, & ut infra dicitur, *euangelizauit*, id est, latum attulit nunciū, *spiritibus*, hoc est, animabus, quæ apud inferos *in carcere*, velut pœnarum loco, conclusæ detinebantur: Qui quidem spiritus olim carne induti, increduli fuerant, tunc nimirum quando Deus patienter ac longamiter (ceterum videlicet annos) eos expectabat ad pœnitentiam; idque quo tempore Noë iussu diuino fabricabat arcam, in qua ipse cum sua familia (quæ in octo hominibus consistebat) seruaretur, & seruatus fuit ab aquis diluuij, quod peccatoribus superuenturum, tam verbo prædicabat quam facto. Nam & ipsa arca fabricatio quædam prædicatio erat. Cui tamen prædicationi ac prædictioni credere noluerunt, (sicut & de generis Lotæ, admonitis ab eo super eueisione Sodomæ, legitur quod *visus est eis quasi ludens loqui.* Gen. 19.) donec venit diluuium & consumsit omnes. Ex quibus tamen multi, ipsius rei quam credere noluerant experientia, & presenti periculo communiti; tandem, Deo inuocato, ad pœnitentiam conuersi sunt, & cum spe salutis mortui: propter peccata tamen sua quoad pœnam ad-

huc

huc expianda, apud inferos, carceri & cruciatibus addicti remanserunt, vsque ad Christi redemptoris aduentum. Vnde, si quæras quid læti nunciij Christus eis prædicauerit; respondeo, nunciassè se redemptorem, & ad hoc venisse ut eos è pœnis & carcere liberaret, atque ex inferis eductos, vnà secum & cum sanctorū patrum spiritibus eueheret ad cælestia. Ut etiam ad eos accommodari siue referri possit illud Isaïæ 61. & Lucæ 4. vbi Christus se missum dicit, *prædicare captiuis indulgentiam, seu remissionem, & clausis apertionem.* Nam etsi quibusdam illorum pœnæ fortassis adhuc aliqua soluendæ restarent; potuit tamen Christus quicquid huiuscæ debiti residuum erat, prorsus condonare. Quod & fecisse eum, vel ex hoc loco probabile fit; ut hoc pacto, potestatis indulgentias conferendi, quam ecclesiæ suæ relicurus erat, quasdam velut primitias, suo ad inferos aduentu, consecraret. Qua de re vide quæ diximus ad dist. 22. lib. 3. sent.

Quæret aliquis cur Petrus hoc loco mentionem faciat prædicationis à Christo factæ apud inferos? Respondeo, rationem hanc esse, ut ostenderet virtutem passionis Christi, de qua loquebatur, non solum ad viuos pertinere, sed etiam ad inferos penetrare; tanquam videlicet eius qui paratus est indicare viuos & mortuos; ut dicitur cap. sequenti. *Propter hoc enim, inquit, & mortuis euangelizatum est.*

Rursum quæres, cur de spiritibus eorum qui diluuiio perierunt, speciatim mininerit Petrus, ac non potius vniuersè loquatur de omnibus in carcere purgatorio conclusis. Vna ratio est, quia nunquam tanta hominum multitudo simul perijt, & secundum animas ad inferna descendit, ut meritò ex parte tam notabili, totum intelligatur, uti supra dixi. Altera ratio, quia viam sibi facere voluit Apostolus ad digressionem quam mox subiungit de sacramento baptismi, cuius insignis figura in diluuiio & arca præcessit. Hoc enim est quod sequitur,

21. QUOD ET VOS NUNC SIMILIS FORMÆ SALVOS FACIT BAPTISMA. *Similis formæ*, Græcè *ὁμοίωμα*, id est, typo respondens exemplar. Sentit enim, in arca & diluuiio typum existisse baptismi, tanquam antitypi; id est rei per typum illum significatæ ac prænunciatæ. Vt ut ea voce etiam Paulus Heb. 9. vbi *manufacta sancta vocat ἀντίτυπον*, id est, *exemplaria verorum.* Quod quo sensu dicat, manente eadem huius vocis significatione; in eius loci commentario à nobis expositum est. Eodem sensu mysteria corporis & sanguinis Domini in altari posita, passim à Græcis patribus antitypa vocantur. Porro Græca sic habent: *Quod & nos antitypon nunc solos facit baptisma.* Nam nos potius quam vos legendum esse, sicut & in mss. quibusdam codicibus habetur, Latinus saltem textus exposcit; in quo paulo post legi-

tur in prima persona, *ut vita æterna heredes efficiemur.* Licet ea verba non sint in Græco. Notandum tamen, in editione Complutensi seu Regia non legi, *quod, sed, cui*, mutato etiam ad hunc modum ordine verborum: *Cui antitypon nunc etiam nos saluos facit baptisma*; ut vocula *quod, cui*, referat aquam quæ proximè præcessit, Græcè *ὕδωρ*, neutri generis. Quæ lectio clarior quidem est, sed haud scio an sincerior; alijs tam multis libris reclamantibus. Quorum lectio sic potest explicari; Quod *ὕδωρ*, quæ aqua, in re illo typo seu figurâ significata, hoc est, ipsam eius antitypon, quod est baptisma, nunc tempore noui testamenti nos saluos facit salute spirituali; quemadmodum illa aqua, ab interitu corporali seruabat eos qui in arca erant. Hic obserua baptismi sacramento attribui quod saluos nos faciat; quemadmodum & Paulus ipsam vocat *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.* Tit. 3. Attribuntur enim huiusmodi effectus sacramentis non ut causis per se & ex natura sua efficacibus, sed velut quibusdam signis atque instrumentis, ad nostram sanctificationem à Christo institutis.

Iam quomodo in historia arca & aquarū diluuij, typus ac representatio fuerit baptismi; breuiter explicandum. Ipsa quidem aqua diluuij baptismum significat; arca ecclesiā, vel secundum alios, crucem Christi. Nam ut arca fabricata ex ligno; ita crux ex ligno, & per vtrumque salus. Rursus familia Noë arca inclusa significat eos qui sunt in ecclesia. Qui extra arcam, eos qui extra ecclesiam. Ut enim extra arcam nemo saluatus fuit; ita nec salus est extra ecclesiam. Et tamen etiam submersio eorum qui erant extra arcam, bonæ significationis mysterio non caret. Significat enim peccatorum omnium in baptismo extinctionem atque interitum. Nam & ipsa mersio quæ in baptismo fit, veteris hominis sepulturam adumbrat, Paulus docuit ad Rom. 6. Et ob hanc causam, eorum qui in aquis diluuij fuerunt extincti, Petrus mentionem fecit fortasse in bonum. Item, sicut per aquam Noë cum suis in sublime eleuatus est; ita per baptismum, sursum ferimur, & ciues efficiamur regni cælestis, ut dicere possimus: *Nostra conuersatio in cælis est.* Phil. 3. Postremo, sicut illic per aquam pauci (quod Petrus hic vrget) seruati fuerunt, id est, soli illi quos arca continebat: ita, ex toto genere humano pauci salui fiunt, nec quidem omnes ij qui aqua tanguntur baptismatis, sed ij soli qui sese intra ecclesiam continent. Hæc ferè & similia arca & aquarum diluuij sacramenta, fusius exposita vide apud Augustinum lib. 12. contra Faustum cap. 14. & multis sequentibus, & lib. 15. de ciuitate Dei cap. 26. & 27.

NON CARNIS DEPOSITIO SORDIDVM, SED CONSCIENTIÆ BONÆ INTERRO-

GAT O IN DEVM. Ordo est; Non depositio sordium carnis, sed interrogatio bonae conscientiae in Deum, vel ad Deum. Graece, εις θεον, quod alij vertunt, ad Deum. Quidam depositionem sordium carnis interpretantur circumcissionem; quae erat ablatio sordium carnis, id est, Hebraea phrasi sordidæ carnis & immundæ, nimirum præputij. Volunt enim hunc Petri sermonem similem esse cum eo quo Paulus Col. 2. circumcissionem vocat expoliationem corporis carnis. Verum de germano loci illius intellectu vide ibi commentarium. Sanè constat non illam esse B. Petri sententiam in his verbis. Explicat enim quod dicit, *baptisma nos saluos facere*; vtens correctione quadam thetorica, qua doceat, in ipso baptismiti sacramento non tam externam abluionem (quæ per se tantum valet ad fordes corporis auferendas) spectandam esse, quam conscientiae bonæ in Deum interrogationem. Non dicit autem baptismum esse bonæ conscientiae interrogationem, sicut hoc nonnulli intellexerunt; sed, cum in baptismiti bene & Christianè suscepto, duo sint, exterior ablutio & conscientia bonæ interrogatio: declarat vtri potiores partes ad salutem sint tribuendæ; nempe *interrogationi bonae conscientiae*. Sed hanc interrogationem non vno modo omnes exponunt. Multi simpliciter intelligunt animum bene conscium; vt qui per internam interrogationem facto sui ipsius examine, nihil in se reperiat quod indignum reddat fructu baptismi. Alij, ipsum baptismi effectum significari putant, qui est *asperio* siue *mundatio cordis à conscientia mala*; vt loquitur Paulus; Heb. 10. Nam baptismus bonam facit conscientiam. Remittit enim peccata præterita; vt iam non debeat hominis conscientia propter illa metuere ac trepidare. Nobis verus ac germanus sensus esse videtur, quem tradit Beda, Apostolum loqui de *interrogatione* quæ fit in ceremonijs baptismi; dum interrogatus is qui baptizari vult, an credat in Christum; & renunciet Satanæ ac pompis eius: bona conscientia, id est, serid, ex animo respondet se credere, & abrenunciare. Quam *interrogationem* B. Petrus apposite vocat *επερωτησια*, id est, *stipulationem*; qua inter duos, vno interrogante & altero respondente, contractus fieri solet. Additur autem, *in Deum*, siue *ad Deum*; vel quia res agitur coram Deo, id est, Deo teste; vt referatur ad *interrogationem*: vel quia conscientiam respondētis, an bona sit & sincera, solus videt Deus.

Igitur apostoli Petri doctrina hoc loco est, fidem internam exteriori professione, dum quis baptizatur, expressam, id esse quod in baptismiti nos saluos facit. Non quo hunc effectum ab externa abluionis ceremonia remoueat; sed quo doceat quid sit præcipuū. Sic enim loqui solet scriptura, cum aliud præ alio commendat, vt Osee 6. *Misericordiam volumi; & non sacrificium*. Sequitur enim; *Et*

scientiam Dei plus quam holocausta. Item 2. Reg. 15. *Numquid vult Dominus holocausta & victimas: & non potius vt obediarur voci Domini?* Nam sequitur: *Melior est enim obedientia quam victima*. Ita hoc loco non sic commendatur fides, vt aqua repudietur: Tam enim dixerat *baptisma nos saluos facere*: sed vtrum ad salutem potius sit; ostendit. Nam si vtrumque ab altero separet: fides saluare poterit sine baptismiti; non autem baptismus sine fide. Nec fides à baptismiti suam vim habet; sed baptismus à fide, saltem vt dispositione per se necessaria ad baptismi effectum. Hoc enim est quod Augustinus dicit tract. 80. super Ioannem; *Unde ista tanta virtus aqua, vt corpus tangat & cor abluat: nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur*. De quo mox subiungit: *Hoc est verbum fidei, quod predicamus*. De eodem & paulo antè: *De trabe verbum: & quid est aqua nisi aqua?* quia videlicet sine fide aqua corpus quidem tangere poterit, sed cor abluere non poterit: quod tamen facit interdum fides sine aqua. quemadmodum Petrus insinuat Act. 15. cum de Cornelio eiusque familiaribus dicit; *Fide purificans corda eorum*. Vide eundem Augustinum lib. 19. contra Faustum cap. 12. & serm. 3. de verbis Domini. Item Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 12. & 15. & Io. Hesselium in commentario. Porro de stipulatione quæ est in ceremonijs baptismi, consule Dionysium lib. de eccl. hierarch. circa finem. Ambrosium de ijs qui mysterijs initiantur cap. 3. & 4. Augustinum epistola 23. & Cyrillum lib. 12. in Ioannem cap. 14.

PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI. Hæc pars coheret cum illa, *Saluos nos facit baptisma*. Nam quod intercedit; *non carnis depositio &c.* parentheticum est, signis parentheseos includendum. Quomodo baptismus nos saluet per resurrectionem Iesu Christi, petendum ex interpretatione eius quod dixit primo capite, Deum regenerasse nos per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Quodque Paulus scribit ad Ro. 4. *Christum resurrexisse propter iustificationem nostram*. Est enim hic locus similis: vt sensus sit; Baptisma nos saluos facere per Christi resurrectionem; eo quod Christi resurrectio quandam nobis formam exhibeat resurgendi ad iusticiam ac vitæ nouitatem, ad quam regeneramur in sacramento baptismi; vt quomodo *Christus surrexit à mortuis per gloriam patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus* Rom. 6. Hic sensus probatur etiam Ioanni Lorino præ alijs quos refert. Nam quod Hesselius sic exponit; *Per resurrectionem Iesu Christi, id est, virtute Christi mediatoris, qui mortuus est & resurrexit; non videtur satis esse ad explicandam mentem apostolorum horum duorum Petri & Pauli, qui regenerationem & iustificationem & salutem nostram ascribunt resurrectioni Christi*.

QUI EST

22

QUI EST IN DEXTERA DEI. Hoc est, ad dexteram Dei, quomodo vertit Rom. 8. Id autem dicens non negat Christum esse Deum, sed indicat de eo se loqui secundum naturam quæ non est Deus, id est, humanam. Dicitur enim *Christus esse ad dexteram Dei*; quia post Deum supremam in Dei regno potestatem, gloriam, & dignitatem obtinet; tanquam à Deo secundus. Quod vtiq; non secundum naturam in qua genitus est ex patre, proindeque æqualis est patri; sed secundum naturam creatam, id est, humanam qua patre minor est, ei competit. Sed de hac locutione eiusque sensu plenius actum est à nobis in commentarijs epistolarum Pauli Rom. 8. Ephes. 1. & Heb. 1.

DEGLUTIENS MORTEM; VT VITÆ ÆTERNÆ HÆREDES EFFICEREMUR. Hæc pericope in Græcis & Syris codicibus non habetur. Latini tamen omnes exhibent: Fulgentius quoque citat libro de fide ad Petrum cap. 2. Sed & Beda interpretatur. Quamquam Rufinus non videtur agnouisse, dum in expositione symboli, ad articulum, *Ascendit in celos &c.* citat hæc B. Petri verba dicens de Christo: *Qui est in dextera Dei, sedens in calis*. Nam, *sedens in calis*, dixit pro eo quod hic sequitur, *profectus in calum*; medijs, quæ in Græco non habentur, omissis. Et quidem parum commodè post illud, *qui est in dextera Dei*, subiungitur, *deglutiens mortem*; nisi præsens accipias loco præteriti, quasi dictum sit, *absumpta morte*; Vt sensus sit, Christum ad illam gloriam quam habet ad dexteram Dei sedens, euectum fuisse, posteaquam passione & morte sua, velut causa meritoria; deinde & resurrectione ad vitam immortalem; velur exemplari causa, mortem nostram deglutiuit, absumpsit ac penitus sustulit, vt vitæ æternæ nos faceret hæredes. Quemadmodum de eo canit ecclesia; *Qui mortem nostram moriendo destruxit; & vitam resurgendo reparauit*. Quod totum in nobis, id est, electis, complebitur per resurrectionem beatam, quando *noissima inimica destruetur mors*: vt dicitur 1. Cor. 15. Caterum allusio est ad locum Isaie 25. *Præcipitabit* (Hebraicè, *absorbent*) *mortem*. Quod & Paulus citat in eodem capite ad Cor. dicens: *Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria*.

PROFECTVS IN CÆLVM. Aptè connectitur hæc pars cum illa, *Qui est in dextera Dei*. Estque sermo sic ordinandus, *Qui profectus in calum, est in dextera Dei*, vt hoc dicat Petrus quod habet articulus fidei: *Ascendit ad calos: sedet ad dexteram Dei*. Vtrumque verò secundum naturam humanam. Obserua, Petrum nunc dicere *profectum in calum*, quem paulo antè dixerat *profectum ad inferos*. Vtiur enim vtrouque eodem Græco vocabulo *ὑψωθη*. Ex quo collige contra Caluinum, etiam priorē locum secundum assumptam naturam exponendum esse.

SUBIECTIS SIBI ANGELIS ET POTESTATIBVS ET VIRTVTIBVS. Hæc quoque pars coheret illi, *qui est in dextera Dei*, & eam explicat. *Subiectis sibi angelis*, Græcè *υποταξεν αυτοις των αγγελων &c.* id est, *subiectis ei angelis*: non autem *υποταξας αυτοις των αγγελων*; *subiectis sibi angelis*. Itaque non est sensus; cum ipse sibi subiecisset angelos; sed, cum ei subiecti essent angeli, scilicet à Deo patre. Loquitur enim apostolus, vt dictum est, de Christo secundum naturam humanam: cui, vt in Christo erat, Deus pater omnem subiecit creaturam, vt ipse Christus homo omnibus superior in dextera Dei sederet. Ita Paulus passim docet Deum Patrem omnia filio subiecisse, etiam angelicos spiritus; vt 1. Cor. 15. Ephes. 1. Heb. 2. & ad hoc; iisdem in locis, refert illud Dauidicum, *Omnia subiecisti sub pedibus eius* psal. 8. Porro sub nominibus trium ordinum angelicorum quæ hic exprimiuntur, reliquos etiam omnes comprehensos voluit B. Petrus; vt principatus; dominationes, thronos; quos alibi nominat Paulus; denique omnē nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo; sed etiam in futuro: sicut idem Paulus ait Eph. 1. An verò comprehendantur etiam aduerfarij potestates; id est, mali angeli, non appareat. Nam illorum perfecta subiectio, tanta scilicet vt regno Christi nocere amplius non permittantur, demum futura est in die iudicij, secundum illud patris ad filium, Psalmo 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Quod & Paulus, ad eundem psalmi versiculum respiciens, docet 1. Cor. 15. *Oportet*, inquit, *illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus &c.* At verò ista subiectio de qua Petrus loquitur, facta quidem est, quantum attinet ad potestatem Christo homini datam, quando *Verbum caro factum est*; id est, in vnione hypostatica verbi cum carne; Nam & angeli ministrabant ei adhuc mortali; Matth. 4. Sed in eius potestatis plenū quodammodo usum introductus fuit, postquam ascendit in calum, sessurus ad dexteram Patris, & cum eo in æternum regnaturus. *Angelorum* nomen etsi commune sit omnibus incorporeis substantijs; quatenus omnes nuncij Dei sunt & spiritus administratorij, Heb. 1. hic tamen vnum certum ordinem significare videtur ab alijs distinctum; quem infimum in 3. hierarchia cælesti facit Dionysius. Quomodo autem potestates & virtutes differant inter se & ab alijs ordinibus; idem Dionysius, & post eum Scholæ doctores scribentes in librum 2. sent. dist. 9. accuratè tradiderunt, ad quos lectorem remitto.

SUMMA

SVM MARIVM.

Monet ut deponant veteris vite conuersationem, & charitati studeant; ac dona a Deo data dispensent ad utilitatem Ecclesie. Non dolendum, sed gaudendum potius ob afflictiones pro Christo.

CAPVT. IV.

CHRIStO Igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini. Post aliquantam digressionem, qua egit de prædicatione spiritibus facta, deque mysterijs arcæ, diluuij & baptisimi; reuertitur nunc ad mentionem passionis Christi, colligens inde materiam exhortandi ad sanctam vitæ conuersationem. Græca sic habent: *Christo igitur passo pro nobis carne &c.* Ad quem modum etiam Hieronymus legit lib. 1. contra Iouinianum. Sed & Syrus codex addit *pro vobis. Passus carne, vel in carne Christus dicitur, hoc est, secundum carnem*: id verò est, secundum naturam humanam; quia qua Deus est, mori non potuit. Sensus: Christo secundum carnem passo & mortuo vos conformate: simili cogitatione vos armate, id est, eam velut arma quædam induite. Sicut ille carne passus est & mortuus; ita vos quoque existimate mortuos esse debere carni, id est, carnali concupiscentiæ ac desiderijs eius; sicut infra declaratur. Nam (quod notandum est) Christi crucifixio, passio, mors, præterquam quod redemptio nostra fuit; etiam nostram typicè significauit peccatorum & affectuum mortificationem. In qua tropologia, id est, mysteriorum nostræ redemptionis ad mōres accommodatione, frequens est Paulus, vt Rom. 6. Col. 2. & 3. & alibi. Vtitur Petrus armandi vocabulo; quia talis cogitatio nos armat ac munit contra peccatum.

Quia qui passus est carne, desit a peccatis. Græcè, *a peccato*. Sic & Hieronymus, *quiescit a peccato*. tameris Syrus paraphrasticè reddidit, *ab omnibus peccatis*. Ceterum *quia*, non causam hic denotat, sed expositiuè sumitur. Exponit enim Petrus cogitationem illam qua præcipit nos armari. Quocirca malè vertit Erasmus, *qui patiebatur*; ad Christum hoc referens; quamuis & alij quidam de Christo partem hanc interpretati sint, sed prorsus repugnante eo quod sequitur; *Ut non iam desiderijs hominum &c.* Deinde nec illi mentem apostoli sunt assecuti, qui interpretantur (quemadmodum Beda) de martyre passo pro Christo. Nam sensus est: Hac, inquam, cogitatione vos armate, hoc apud vos reputate, quod qui conformatus similitudini passionis & mortis Christi, quam in carne sustinuit, ipse

quoque carne mortificatus est; iam destitit a peccatis; velut actionibus vitæ carnalis. Mors enim actiones vitæ excludit eius cui quis mortuus est. Ita Paulus Rom. 6. *Qui mortuus est, iustificatus est a peccato*. Senti autem vterque apostolus; ex quo mortui sumus carne, nihil amplius cum ea nobis esse negocij. Notandum, *carnem* hic non eodem modo sumi quoin parte præcedenti. Nam illic substantiam carnis significat; hic carnalem concupiscentiam: Verum in eo consistit conformatio ad quam hortatur apostolus, vt sicut, in Christo patiente caro mortua fuit, ita in nobis vicia carnis mortificentur.

Vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Modum explicat desistendi à peccatis: vt scilicet omne tempus quod nobis in carne hac mortali reliquum est (nam caro rursus hic pro substantia carnis accipitur, non pro vicio) viuamus, transigamus; impendamus, non implendis aut sectandis cupiditatibus hominum, id est, quas homines sectari solent; sed implendæ voluntati Dei, quæ præceptis declaratur. Notanda antithesis inter *desideria hominum*, & *voluntatem Dei*. Nam homo sine Deo totus carnalis est; & non Dei, sed carnis voluntatem exsequitur, de qua Ioan. 1. *Neque ex voluntate carnis &c.*

Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam. Græca sic habent: *Sufficit enim nobis, præteritum tempus vitæ voluntatem gentium operatos siue executos fuisse*. Sensus est quem reddit Erasmi versio; *Satis enim est vobis, quod antea vitæ tempore voluntatem gentium parauerimus*. Quanquam magis placeat quod in alijs codicibus, nominatim Regio, legitur *ipiv, vobis*. Nam vt Petrus sub prima persona, velut ex humilitate, se coniungat ijs qui aliquando gentium voluntatem secuti, ambulauerunt in luxurijs & cæteris quæ deinceps enumerantur; ratio non permittit. Adde quod infra secundæ personæ pronomen exprimit, *non concurrentibus vobis &c.* Porro *gentium voluntatem* vocat quæ prius desideria seu cupiditates hominum, id est, quas sectantur & amant homines à Deo alieni; cuiusmodi erant gentiles. Iam in eo quod dicit, *sufficit enim*; asseisus quidam est, seu lipstoten malis, qua mitigat exprobrationem antea vitæ; quum omnino nullum tempus fuerit daudum consum; mandæ voluntati gentium; & quicquid ei datur, non satis, sed nimium sit. Ita Dominus loquitur, apud Ezechielem, cap. 44. *Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel*. Porro ex eo quod dicit: *ab voluntatem gentium consummandam*; intelligitur Petrum hæc ad Iudæos scribere, quibus exprobrat quod gentium voluntati ac moribus sese accommodassent; ijsque similes se fecissent

à qui-

à quibus eos Deus segregauerat. Aliter verò Paulus, ad gentiles scribens; *Scitis*, inquit, *quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta &c.* I. Cor. 12.

His qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, comessationibus, potationibus. His qui ambulauerunt, in Græco participium est, *πεπορευμένοι, euntes, incedentes*, accusandi casu; qui construitur cum præcedenti verbo *κατεργασμένοι, operatos fuisse*. Resoluitur autem in verbum vel tertiæ vel primæ vel secundæ personæ, iuxta variam lectionem eius quod præcessit, *sufficit enim &c.* Noster interpres, qui pronomen non addidit, re & tertiam elegit personam, *qui ambulauerunt*. Qui verò pronomen illic ex Græco legunt, aut primæ aut secundæ personæ; etiam verbum illi respondens hic reddere debent; *qui incessimus, ambulauimus*; aut, *qui incessistis, ambulauistis*, id est, verati fuistis. Exponit apostolus quam dixit *voluntatem gentium*, enumeratione aliquot eius partium, id est, viciorum quæ ab ea procedunt. In luxurijs, Græcè, *ἐν ἀσέλγειαις in lascinijs*. Interpres alibi ferè *impudicijs* vertit. Eo nomine comprehensum vult apostolus omne genus oblcenitatis ac libidinis. Subiungit autem *desideria* seu concupiscentias, vt significet etiam interna peccandi desideria (de voluntarijs sermo est) licet in opus externum non exeant; ad voluntatem & vitam gētium pertinere. Nec verò minus peccati reus est corā Deo qui voluit & non fecit, quia nō potuit; quā si illud opere perpetrasset. *Omnis enim*, ait Dominus, *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo* Matth. 5. Sequuntur vicia gulæ, quibus velut fomentis quibusdam excitari & nutriti solent lasciniæ, & lasciendi motus ac desideria. Primum *vinolentia* (nam malè *violentijs* in quibusdam codicibus legitur) id est, vini ingurgitationes, ebrietates ex vino; sub quo omnis potus inebriatius comprehenditur. Deinde, *comessationes*, Græcè *κωμοί*, id est, conuiuia quæ nō ad honestam recreationem, sed ad luxum, voluptatem & petulantiam instituntur: cuiusmodi post cœnā, vel aliās extra tempora pastui destinata, ab hominibus venari deditis agitari solent. De quibus & Paulus Rom. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus*. Sequuntur *potationes*, seu comporationes, vt alij vertunt, Græcè *πότοι*, quum potando certatur, & ad numerum bibitur. Hæc vicia seu peccata non adduceret B. Petrus pro exemplis in catalogo gentium viciorum, si non ea suo genere graua ac morte digna iudicaret. Multi codices addunt, *ebrietatibus*, sed non est in Græco, nec in Latinis melioribus: & satis in *vinolentijs & potationibus* continetur.

Et illicitis idolorum cultibus. Oritur hoc peccatum ex præcedentibus; velut olim in populo Hebræorum, de quo scri-

ptum est: *Sedit populus manducare & bibere; & surrexerunt ludere*. Exo. 32. & I. Cor. 10. *Illicitis* Græcè *ἀθεμιτοίς, nefarijs*, vt vertit Erasmus. Sed cum ad Iudæos hæc scribat B. Petrus, quæritur quomodo superioribus annumeret *εἰδωλολατρίας* (hoc enim vocabulum in Græco est) à quo crimine Iudæi vbicunque terrarum agerent, studiosè seruabant sese immunes. Quidam hoc argumentum satis esse putant, ad probandum quod hæc epistola ad gentiles scripta sit. Qui verò scriptam ad Iudæos & gentiles promiscuè opinantur, membrum hoc pertinere volunt ad gentium admonitionem, non autem Iudæorum. Rursus alij dicunt Petrum *idololatrias* appellare quasi superstitiones, quarum tunc pleni erant Iudæi. Sed verior est solutio, Iudæos per orbem dispersos in *illicitis idolorum cultibus ambulasse*, etiam si idola non adorarent; quod, cum exules & plerique inopes essent, à gentilibus inuitati, conuiuijs eorum, in quibus & gentiles promiscuè opinebantur, sese miscerent, ac forte etiam facris interessent. Hæc enim ad idololatriam imputari, nobis insinuant illa apostolorum præcepta: Pauli I. Cor. 10. *Neque idololatra efficiamini*. & iterum, *Carissimi, fugite ab idolorum cultura*. & Ioannis, in fine primæ epistolæ, quæ itidem ad Iudæos scripta fuit, *Filioli, custodite vos à simulacris*. Hinc rursum Paulus I. Cor. 5. ita scribit: *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, &c.* Nam quomodo frater & idolis seruiens, nisi eo modo quo dixi? Quæ responsio colligitur etiam ex sequentibus.

In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes. *Admirantur*, Græcè *ἐπιζῶνται*, id est, *peregrinantur*, vt quidam habent codices; quemadmodum & infra vertit eandem vocem noster interpres, *Nolite peregrinari*. Sed qui vertit, *admirantur*, sensum reddidit: Græcis enim *ἐπιζῶνται* dicuntur, qui ob rem aliquam nouam, insolentem aut perigrinam, cum admiratione turbantur. Augustinus ep. 99. *legit stupefcunt*. Multi etiam Latini codices huius epistolæ, sed ex alia ratione, legunt, *In quibus nunc obstupefcunt*. Et eam lectionem enarrat Thomas Anglicus. Syrus quoque sic habet; *Et ecce nunc admirantur, siue obstupefcunt*. Recentiores sic interpretantur; *Atque id nouum, insolens, absurdum illis videtur*. Sed & vulgaribus linguis rem quæ nouitate admirationem excitat, extraneam & peregrinam vocare solemus. *In quo*, id est, de quo, *admirantur*. Spectat autem sequentia; *non concurrentibus &c.* Similis Hebraismus Io. 9. *In hoc mirabile est &c.* id est, de ea re subit mirari. Pro *luxuria* in Græco non est *ἀσέλγεια*; quod superius, sed *ἀσῶτια*, quod propriè *luxuriam* seu *luxum*, id est, profusionem quæ fit ad voluptatem, significat. Nec in

Græco

Græco est ἀνάχυσιν, *confusionem*; sed ἀνάχυσιν, *refusionem*: pro qua alij *profusionem* transtulerunt. Quanquam hoc sensum non variat; qui quidem huiusmodi est: Gentiles, quorum voluntati & studiis aliquando fuistis obsecuti, nunc, ob hanc repentinam in vobis vitæ mutationem, obstupescunt & rei nouitate turbantur, videntes vos non vnâ cum ipsis solito more curere ad epulas & symposia luxu confusa: nec id sine probris & maledictis quæ iactant in vos, tanquam homines à communi humanitate alienos, ac velut monstra quædam inter homines. Hoc est quod addit, *βλασφημῶντες*, id est, *maledicentes, execrantes*. licet etiam ad blasphemiam quæ Deo ac religioni Christianorum maledicerent, extendi possit. Hæc per quandam occupationem à Petro dicuntur; qua admonet ne frangantur animo, dum talia audiunt, sed cum patientia causam suam Deo iustè iudicaturò committant. Id enim vult pars sequens.

5 QVI REDDENT RATIONEM EI QUI PARATVS EST IUDICARE VIVOS ET MORTVOS. *Ei qui paratus est*, Græcè τῷ ἐτοιμῶς ἔχοντι, id est, *Ei qui in promptu habet*, cui promptissimum est; qui expeditus est ad iudicandum viuos & mortuos. De Christo dictum videtur; qui in hoc mortuus est & resurrexit, ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Rom. 14. Et qui, iuxta fidei nostræ confessionem, *sedet ad dexteram patris, venturus iudicare viuos & mortuos*. Reddituri autem dicuntur Deo seu Christo *rationem* operum suorum, etiam mali & infideles; quia velint nolint Dei iudicio listendi sunt, & pro meritis operum suorum iudicandi. Metaphora sumpta ab ijs qui dominis suis rationem reddere coguntur suæ dispensationis. Sic ad Rom. ibidem, *Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*. *Viuos autem & mortuos* quos dicat scriptura, quoribus Deum testatur iudicaturum viuos & mortuos; variant quidem sententiæ; sed illa maximè probabilis, *viuos* intelligi quos iudex adueniens viuos reperiet, *mortuos*, autem, quicumque iam antè mortui fuerint, morte videlicet corporis. Quam expositionem cæteris esse præferendam, ostendimus ad illud 2. Tim. 4. *Testificor coram Deo & Iesu Christo qui iudicaturus est viuos & mortuos*. Cui etiam probè consonat quod sequitur,

6 PROPTER HOC ENIM ET MORTVIS EVANGELIZATVM EST. *Propter hoc*. Græcè non est διὰ τῆτο, sed εἰς τῆτο, ut hoc, siue ad hoc, ut causalitas ea voce significata, non ad partem præcedentem referatur, sed ad sequentem; uti postea declarabitur. Similis sermo est Io. 18. *Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Verbum *εὐγγελισθῆναι*, *euangelizatum est*, ponitur im-

personaliter pro eo quod dicas, *euangelij prædicatio facta est*.

Iam secundò meminit apostolus huiusmodi prædicationis; ut non videatur dubitandum quin eundem sensum virobique spectet, ut vterque locus ex altero sit illustrandus. Quod igitur superiori capite dixit *Christum prædicasse spiritibus qui in carcere erant*, idem est cum eo quod hîc dicit, *euangelizatum esse mortuis*: nisi quod hanc partem ad plures extendi posse, quidam existiment, scilicet ad omnes mortuos qui fructus euangelij sibi prædicati capaces essent; siue illiam in Abrahæ sinum recepti fuissent, plenè purgati, siue pœnis adhuc purgatorijs subiecti: cum in sententia priore de solis ijs spiritibus qui in carcere erant, expressa mentio facta fuerit. Nam quod ad damnatos ac reprobos mortuorum spiritus attinet, nihilo magis illis quàm dæmonibus, quorum consortes facti fuerant, euangelium à Christo ad inferos profecto, prædicandum fuit. Verùm magis arbitror esse ex mente Apostoli, de ijs tantum hîc agi, de quibus antè egerat; id est, de spiritibus in carcere purgatorio constitutis, qui in diebus Noe increduli fuerant, de quæ alij quorum similis erat causa, cure eo carcere detinerentur. De varietate expositionum vtriusque loci, multa diximus cap. superiori; quæ non opus est hîc repetere. Tertium addo, Ioannem Hesselium huc adferre singularem quendam commentarium, quo *mortuis* interpretatur *morituros*: tanquam ex eo doceat *Petrus Christum iudicaturum mortuos*, quia per pios viros, inquit, *euangelizatur quotidie, etiam ijs qui propter scelera sua ad iudicium sunt mortui; hoc sine videlicet ut etsi apud homines condemnentur, ut secundum carnem moriantur, viuunt tamen apud Deum in anima, propter fidem & conuersionem quam in extremis habuerunt. Nunquam autem euangelizaretur huiusmodi hominibus; nisi Christus mortuorum curam haberet*. Sic ille; suam hanc expositionem confirmans potissimum ex loco Pauli 1. Cor. 15. vbi is simili argumento, hoc est, *ex morientium baptismo, mortuorum arguit resurrectionem*, ita scribens: *Alioquin, quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt*. Quæ doctissimi viri commentatio, etiam colorem probabilitatis habeat; non tamen germana videtur; tum quia non conuenit cum loco præcedentis capitis, ne quidem secundum ipsius expositionem; tum quia non dicit Apostolus, *mortuis euangelizatur*, velut de re quotidiana, sed *mortuis euangelizatum est*, tanquam de re semel facta, scilicet à Christo, quod in priori loco fuit expressum. Ut omittam nimis improprie mortuos per *morituros* exponi, præsertim cum in eo quod proximè præcedit, ij qui proprie mortui sunt, intelligantur. Minus pla-

cet

placet quod alius quidam ad solos spiritus damnatos hæc partem referens, quibus suam damnationem dicit à Christo declaratam & ingestam fuisse: verbum, *euangelizatum est*, exponit *prædicatum est*. Quod certè nimis est violentum; nec villo vel exemplo vel autoritate probari potest ea catachresis, qua *euangelizari* capiatur in malam partem.

Vt igitur quod hîc dicit Apostolus, cū eo quod dixit capite superiori cōueniat; videtur exponendū hoc modo: Cogētur impij illi & maledici rationē reddere Christo Domino, qui veniet iudicaturus viuos & mortuos. Nā ut intelligatis non solū viuos sed & mortuos iudicaturum; non viuis tantum ab eo prædicatum est euangelium, sed etiam mortuis; tunc nimirū quando mortuus ad mortuorū loca descendit. Quod nā euangelium mortuis prædicauerit, si quæras; respondemus, in genere quidem prædicasse idem quod viuis, nēpe se Messiam esse, & filium Dei, qui sua passione & morte genus humanum redemerit: speciatim verò, se ad ea loca descendisse, ut, tanquam mortis & inferni victor, ipsos è carcere quo tenebantur eriperet, atque vnâ secum ad cælos subueheret, *captiuam ducturus captiuitatem*. Sic enim & priorem locum nuper exposuimus.

VT IUDICENTVR QVIDEM SECUNDVM HOMINES IN CARNE: VIVANT AVTEM SECUNDVM DEVM IN SPIRITV. *In carne*, Græcè *σάρκι*, *carne*; absque præpositione. Similiter *in spiritu*, πνεύματι, *spiritu*; quod & in Latinis nonnullis legitur. Ad hæc partē referendum est illud causale, *propter hoc, siue, in hoc*, ut oratio ordinetur. *Nam & mortuis euangelizatum est, id est, in hoc*, id est, in hunc finem, *ut iudicentur* &c. Verùm & hæc pars variè exponitur: Nam *iudicium* & in bonam partem accipi potest, & in malam. Deinde, vel præsens iudicium potest intelligi, vel præteritum, vel futurum, denique *vita*, vel animæ solius, vel totius hominis, quæ præstabit resurrectio. Nos quod maximè probabile putamus, & supradictis consentaneum; breuiter hoc sensu cōplectimur. Ad hoc, inquit B. Petrus, etiam mortuis euangelizauit Christus, ut, quamuis *iudicati fuerint*, id est, puniti, carne seu corpore, quando eos aquæ diluuij suffocarunt; & id, *secundum homines*, hoc est, publicè, & in hominum noticia (sunt enim illa punitio omnibus hominibus manifesta, nec discernebat electos à reprobis): *viuant tamen feliciter & beatè per Christi redemptionem, spiritu*, id est, anima; quam Christus annunciat ipsi euangelio, gloriæ suæ participem fecit, etiam carne adhuc corruptionem patiente; & id *secundum Deū*, id est, corâ Deo, licet mūdus eos apud Deū viuere nesciat aut nō credat. Hunc sensum de iudicio seu punitioe iam olim facta, confirmat verbū Græcum *καθίσωσι*, quod non futuri tēporis (ut quidā putant) sed præteriti potius habet significationem. Est enim aoristus, ita propriè reddendus. Vnde nec prius

hoc membrum, *ut iudicentur secundū homines in carne*, ponitur tanquā causa prædicati euangelij, sed supponitur, exponendū per aduersatiuā coniunctionem, uti fecimus. Sic enim & Paulus loquitur Ro. 6. *Gratijs Deo, quod fuistis serui peccati, id est, quod cum fueritis serui peccati, nunc obedistis ex corde in eam formam* &c. Et Isaias cap. 12. *Cōfitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi*, id est, quod postquā iratus mihi fuisti, *conuersus est furor tuus, & consolatus es me*. Hæc interpretatio vtriusque loci, nobis omnium maximè probatur; quod & à consueto sensu verborum quàm minimum recedat, & ad stabiliendum Catholicum dogma, quo credimus animas eorum qui cum pietate dormitionem acceperunt, haud proflus puri culparum, pœnis purgatorijs in altera vita expiari; non exiguum habeat momentum.

7 OMNIVM AVTEM FINIS APPROPINQUAVIT. Male quidam codices, *appropinquabit*. Nam in Græco & optimis quibusque Latinis, præteritum est, ἤγγικε. Syra quidem versio tempus habet præsens, *appropinquat, instat*; sed eodem cum Græcis sensu: significatur enim sic appropinquasse, ut iam vicinus sit atque immineat. *Finem omnium*. Oecumenius interpretatur, in quo omnium prophetarum vaticinia complentur; & de quo Paulus Ro. 10. *Finis legis Christi*. Rectius alij simpliciter dictum accipiunt, *verum omnium finem*, id est, mundi consumptionem, *esse in propinquo*. Qua nunc ratione suadet Apostolus patientiam esse seruandam in aduersis; quod ea cum mundi fine iam in instate, finem sint acceptura. Sic Paulus 1. Corinth. 7. *Præterit figura huius mundi*. Quæ admonitio, est non tam ad singulos fideles (nam singulis suæ aduersitates finiuntur in morte) quàm ad totam ecclesiam, velut vnâ personam; quæ non prius desinet affligi ab impijs, quàm sæculum hoc finitur.

Quæri tamen potest, quomodo verum scripserit Beatus Petrus, *omnium finem appropinquasse* & instare, quum ab eo tempore quo id scripsit vsque nunc effluerint anni plus mille quingenti; nec adhuc finem conspiciamus? Respondeo, rectè id dictum à Petro; quia iam tum incipiebat mundi senectus; id est, ætas eius vltima, quam Ioannes 1. epist. 2. *nonissimam horam* vocat, post quam non aliud quàm consummatio, velut mors quædam, mundi sit expectanda; cui cælum nouum & terra noua succedant. Apocal. 21. Quanquam & generalis responsio est ex ipso Petro Apostolo in 2. epistola capit. 3. *Quoniam*, inquit, *vnus dies apud Dominum, sicut mille anni; & mille anni, sicut dies vnus*. quasi dicat, non debere longum videri quantumcumque tempus quo finis mundi differtur; quum æternitatis comparatione breue sit omne tempus quod aliquando finitur. Vide quæ diximus ad illud

S f f

Iacobi

Iacobi 5. *Quoniam aduentus Domini appropinquavit.*

ESTOTE ITAQVE PRVDENTES. Græcè, Σωφρονῶστε ἔν. Erasmus, *Sitis igitur sobrii*, pro quo alij, *temperantes*. Nam σωφρονεῖν propriè & vñtatiſſimè dicitur, qui temperanter ac moderatè se gerit tam animo quàm corpore. Paulus ad animum retulit, Rom. 12. præcipiens σωφρονεῖν, id est, *sapere ad sobrietatem*. Aliàs ad corpus refertur; estque verbum commune sobrijs & castis: vt hoc loco. Vnde & ex Syriaco, alius vertit, *estote casti*; alius, *estote sobrii*.

ET VIGILATE IN ORATIONIBVS. Græcè, Ἐσπεύετε τὴν προσευχάν. Nisi quod pro vigilate Græcè est νηφάρω, quod etiam, ac magis propriè, significat, *Sobrii estote*; quemadmodum id vulgatus interpret, ac cæteri, reddiderunt in capite sequenti. Quo etiam loco, quod sequitur, *vigilate*, Græcè est γρηγορήσατε, verbum in ea significatione passim obuium. Sed & 1. Timoth. 3. νηφάλεον, quod nomen est ab illo verbo deriuatum, noster interpret vertit *sobrium*; licet Erasmus & alij quidã, *vigilantem*. Vide nostrum eo loco cõmentarium. Veruntamen cõstat vtrũque eo verbo significari, & sobrium esse, & vigilare; quod ad vigilias apti non sint, nisi sobrii. Quã ob causam Paulus coniunxit vtrumque 1. Theſſ. 5. γρηγορήσατε καὶ νηφάρω, *vigilemus & sobrii simus*. Conuenit tamen huic loco *vigilandi* significatum, quia præcessit de sobrietate præceptũ; quemadmodum sequenti capite conuenit *sobrietatis* significatio, quia de vigilando præceptum illic sequitur. Sensus est, Sobrietatem colendam esse, vt vigilēs & apti simus ad frequentem orandum, etiam horis nocturnis. Est enim oratio exercitiũ homini Christiano maximè necessariũ, ideoque frequentandũ. Porro significat Apostolus considerationem finis mundi appropinquantis, nõ solum valere ad retinendam in aduersis patientiam; sed etiam excitare in nobis debere studium sobrietatis & orationis, vt paratos nos Domini aduentus inueniat.

ANTE OMNIA AVTEM MVTVAM IN VOBIS METIPſIS CHARITATEM CONTINVAM HABENTES. Legendũ potius, (ita tamẽ vt sit reciprocatio diminuta) *mutuam in vobismetipſis*; vt habent codices emẽdationes. Nam Græcè est, τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγάπην, id est, *ea qua erga vos mutuè est, charitatem*. Cui & Syra versio cõsonat. Augustinus lib. de gratia & lib. arb. cap. 17. legit, *inter vos*, quomodo vertit etiã Erasmus. Quod si noster interpret scripsit, *in vobismetipſis*; id ita exponendũ est, *inter vos ipsos*; non autẽ *intra vos*, in cordibus vestris, vt quidam minus scitè exposuerunt. Continva, Græcè ἐπιπύνη. Erasmus *vehementem* vertit; atq; ex Syriaco, alius *vehementem*, alius *promptam*. Habetur eadem vox Act. 12. vbinos legimus, *Oratio fiebat sine intermissione* &c. Quo loco nec Erasmus aliter vertendum putauit: nec aliter interpretes ex Syriaco. Nã vterque ver-

tit *assidua*; estque ea propria Græcæ vocis significatio: quam attendit Oecumenius, dum sic interpretatur, *perseuerantem ac durantem, & in longum protensam*. Ideoque & interpret eius *extensam* vertit. Nec discrepat quod Augustinus legit *perpetuò*, id est, *continuo*; tãetsi non negamus ἐπιπύνηs etiã pro *vehementi* vsurpari. Hortatur ergo Petrus ad charitatis mutuę continuationem & perseuerantiã; quemadmodum Paulus Heb. 13. *Charitas fraternitatis*, inquit, *maneat in vobis*. Itaque sensus est: Ante omnia, charitatem quam mutuam inter vos habetis, habete continuam; fouete eam & conseruate; caute ne dissidijs vllis interrumpatur. Dicit, *ante omnia*, quia nec abstinentiæ nec vigiliæ, nec orationes, nec alia quæ putantur pietatis opera sine charitate placent; & vt placeant à charitate habent. Congruit illud Pauli Coloss. 3. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Et quidem hæc ab Apostolis dicuntur non tantum de charitate Dei, sed & proximorum, quæ tamen in Dei charitate fundata sit. Quæ res planius liquet ex ijs quæ de charitate disserit Paulus 1. Corinth. 13.

QVIA CHARITAS OPERIT MVLTITVDINEM PECCATORVM. Operit, Græcè καλύπει, *operiet*. quomodo legitur in fine epistolæ Beati Iacobi, iuxta castigationem Romanam. Quanquam hoc loco in aliquot codicibus Græcis à Roberto Stephano annotatis legitur presentis temporis verbum καλύπει, *operit*. Sed ea diuersitas parum aut nihil ad sensum. Sumpta est sententia ex Proverb. 10. vbi ex Hebræo sic legimus: *Odium suscitatur rixas; & vniuersa delicta operit charitas*. Nam LXX multo aliter habent. Charitatem significari fraternam, id est, eam qua proximus diligitur; ex parte præcedenti constat: Nec minus ex antithesi quam facit Sapiens inter odium & charitatem. Non enim odium, ad homines; charitatem, ad Deum refert: sed ad homines vtrumque. Ostendit eadem Sapientis sententia sermonem esse de delictis proximorum; non autem eius, cuius charitas commendatur. Nam quod Sapiens dicit, tale est: Sicut odium suscitatur rixas & dissidia cum alijs quos odio quis habet: ita charitas è diuerso, non solum rixas & dissidia non ferit aut suscitatur, sed etiam suscitata componit ac sedat; & delicta atque offensiones, quæ rixarum causæ esse solent, tolerando ac dissimulando, atque excusando, operit; denique, quicquid in se peccatum est, condonat, & vt Deus condonet intercedit & impetrat. Hinc illa charitatis epitheta 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est; omnia suffert, omnia sustinet*. Iam verò collige: Si charitas, id est; homo per charitatem operit aliena delicta, ad eum modum quem dixi; quanto magis per eandem charitatem impetrabit ac merebitur apud

Deum,

Deum, vt sua ipsius peccata operiat & condonet? Idque iuxta pactum orationis Dominicæ. Non igitur hac sententia propriè significatur charitatem operire peccata eius in quo est; quomodo passim intelligi solet: sed peccata proximorum; tametsi ex ea consequens est, etiam propria per eandem charitatem remitti. Porro non est diuersum quod Sapiens dicit, *vniuersa delicta*, ab eo quod Petrus, *multitudinem peccatorum*. Nam sensus est, charitatem operire omnia fratris peccata, quantumuis multa sint. Ita namque Dominus interroganti Petro; *quoties dimittam? usque septies?* respondit: *Non dico tibi, usque septies; sed usque septuagies septies*. Matth. 18. Quod totum tamen intellige, salua iusticiæ disciplina; quam charitas non impedit, sed dirigit. Vide etiam quæ diximus ad extrema verba epistolæ B. Iacobi.

HOSPITALES INVICEM SINE MVRMVRATIONE. Charitatis opus est, inter cætera, peregrinos egentes recto recipere, reficere, atque fouere; quod est hospitalitatis in Scriptura sacra multum commendatæ, tam præceptis, quam sanctorum exemplis. Vt Genes. 18. & 19. Isaia 58. Matthæi 25. Roman. 12. Heb. 13. & in epistola Ioannis tertia. Dicit inuicem, *eis ἀλλήλους*, id est, *alij erga alios*; diuites erga pauperes. Non enim requirit vicissitudinem beneficij; quàm prestare non possunt pauperes, & qua diuites non egent; quibus tamen ipsis *retribuetur in resurrectione iustorum*. Luca 14. Addit, *sine murmuratione*, sicut & Gregorius legit homilia 7. super Ezechielem; Id, inquam, addit; eadem ratione qua Paulus opera misericordiæ vult exerceri *in hilaritate*, vt Roman. 12. & 2. Corinth. 9. Nam qui non libenter, sed inuiti, & vt Paulus loquitur, *ex tristitia aut ex necessitate*, hospitium præbent, aut elemosynam tribuunt; facillè queruntur vel de sumptu quem faciunt, vel de moribus eorum quibus impendunt; quod hinc est murmurare.

VNVSQVISQVE SICVT ACCEPTIT GRATIAM, IN ALTERVTRVM ILLAM ADMINISTRANTES. Nunc generali sententia admonet, vt quisque iuxta donum & facultatem sibi datam à Deo, proximos adiuuet, tanquam vnus corporis membra, conferens id quod habet in vsum communem: quemadmodum id pluribus verbis docet Paulus Roman. 12. & 1. Corinth. 12. *Gratiam*, Græcè χάρισμα, *donum*, vt alibi vertit. Interpret. Quo Græco nomine, tametsi generalis gratiæ, quas Theologi gratis datas appellant, appropriatè significari solent. Sensus: Prout quisque præditus est aliqua facultate qua utilis esse possit alijs (quam vtiq; non habet nisi donatam à Deo);

ita alius in alium qui opus habeat; illam administret, seu ministrando expendat. Est enim Græcè, διακονῶντες, *ministrantes*. Quo verbo innuitur non solum promptè; sed & cum humilitate ac modestiã, donis huiusmodi quibus alij adiuuentur, vtendum esse. Simul indicat Apostolus duas rationes, cur proximis ea dona debeamus impendere: tum quia Dei dona sunt, ideoque etiam alijs liberaliter communicanda; tum quia non domini illorum sumus, sed ad ea vtenda Dei ministri ac dispensatores, quæ proinde ad eius arbitrium sunt eroganda. Posteriorem hanc rationem amplius declarat id quod sequitur.

SICVT BONI DISPENSATORES MVLTIFORMIS GRATIÆ DEI. *Multiformis*, significantius Græcè dicitur, ποικίλος, id est, *varius*; inquit Hieronymus lib. 1. contra Iouin. cap. 4. Et hoc loco, *gratia*; non χάρισμα Græcè, sicut prius, sed χάρις; promiscua. tamen significatione. Sicut Apostolus, hac lege Deum sua dona, quæ varia sunt & multiplicia, distribuisse per singulos; vt quisque quod accepit, non sibi vendicet, nec in terram talentum abscondat, nec in sudario repositum seruet, more serui illius inutilis ac pigri, de quo in parabolis euangelicis Matthæi 25. & Lucæ 19. sed, tanquam Dei dispensator, in alios qui non habent & indigent, vtiliter expendat. Eam Dei legem continent dicit parabole de talentis in seruos à Domino distributis ad hoc, vt lucrum ex eis Domino referrent. Pœnam verò legis non obseruare, probat inutilis serui condemnatio & eiectio in tenebras exteriores: *sibi fletus & stridor dentium*. De ea re sic Augustinus tractatu 10. in Ioannem ad illud capitis secundi. *Zelus domine tua comedit me: Si fueris, inquit, frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi sibi sufficiens, & dicens in corde tuo: Quid mihi est curare aliena peccata: Sufficit mihi anima mea. Ipsam integram seruem Deo. Eia, non tibi veni in mundum seruus ille, qui abscondit talentum, & noluit erogare: Nunquid enim accusatus est quia perdidit; & non quia sine lucro seruauit? Hec ille. Notanda quoque Gregorij verba: *Qui scientia & virtute præditus, seculum speculationis appetunt, ut animarum recedisse poterunt*. Recitat hæc inter alia ex Gregorio, Guilielmus Peraldus in Summa viciorum, differens de auaricia scientiæ, de qua ijs qui talentum abscondunt.*

SI QVIS LOQVITVR; QVASI SERMONES DEI. Ad species donorum descendit, non quidem omnes eas aut multas particulatim commemorans, vt à Paulo factum est; sed duo velut genera profert, sub quibus multa dona specialia comprehenduntur. Ea genera sunt: alterum, sermonis; alterum, ministerij sine actionis,

Iacobi 5. *Quoniam aduentus Domini appropinquauit.*

ESTOTE ITAQUE PRVDENTES. Græcè, *Σωφρονήσατε* ἔ. Erasmus, *Sitis igitur sobrii*, pro quo alij, *temperantes*. Nam *σωφρονεῖν* propriè & vltimatissimè dicitur, qui temperanter ac moderatè se gerit tam animo quàm corpore. Paulus ad animum retulit, Rom. 12. præcipiens *σωφρονεῖν*, id est, *sapere ad sobrietatem*. Aliàs ad corpus refertur; estque verbum commune sobrijs & castis: vt hoc loco. Vnde & ex Syriaco, alius vertit, *estote casti*; alius, *estote sobrii*.

ET VIGILATE IN ORATIONIBVS. Græcè, *Ἔσπετε τὰς προσευχάς*. Nisi quod pro *vigilate* Græcè est *νήφαστε*, quod etiam, ac magis propriè, significat, *Sobrii estote*; quemadmodum id vulgatus interpretès, ac cæteri, reddiderunt in capite sequenti. Quo etiam loco, quod sequitur, *vigilate*, Græcè est *γρηγορήσατε*, verbum in ea significatione passim obuium. Sed & 1. Timoth. 3. *νήφειν*, quod nomen est ab illo verbo deriuatum, noster interpretès vertit *sobrium*; licet Erasmus & alij quidam, *vigilantem*. Vide nostrum eo loco cõmentarium. Veruntamen cõstat vtrūque eo verbo significari, & sobrium esse, & vigilare; quod ad vigilias apti non sint, nisi sobrii. Quã ob causam Paulus coniunxit vtrumque 1. Thess. 5. *γρηγορήσατε καὶ νήφαστε*, *vigilemus & sobrii simus*. Conuenit tamen huic loco *vigilandi* significatum, quia præcessit de sobrietate præceptum: quemadmodum sequenti capite conuenit *sobrietatis* significatio, quia de vigilando præceptum illic sequitur. Sensus est, Sobrietatem colendam esse, vt vigilēs & apti simus ad frequenter orandum, etiam horis nocturnis. Est enim oratio exercitiū homini Christiano maxime necessarium, ideoque frequentandū. Porro significat Apostolus considerationem finis mundi appropinquantis, nō solum valere ad retinendam in aduersis patientiam; sed etiam excitare in nobis debere studium sobrietatis & orationis, vt paratos nos Domini aduentus inueniat.

ANTE OMNIA AVTEM MUTVAM IN VOBISMETIPSIS CHARITATEM CONTINVAM HABENTES. Legendū potius, (ita tamē vt sit reciprocatio diminuta) *mutuam in vobismetipsis*; vt habent codices emēdatiores. Nam Græcè est, *τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγαπῆν*, id est, *quã quã erga vos mutuè est, charitatem*. Cui & Syra versio cõsonat. Augustinus lib. de gratia & lib. arb. cap. 17. legit, *inter vos*, quomodo vertit etiã Erasmus. Quod si noster interpretès scripsit, *in vobismetipsis*; id ita exponendū est, *inter vos ipsos*; non autē *intra vos*, in cordibus vestris, vt quidam minus scitè exposuerunt. *Continuã*, Græcè *ἐκπενή*. Erasmus *vehementem* vertit: atq; ex Syriaco, alius *vehementem*, alius *promptam*. Habetur eadem vox Act. 12. vbi nos legimus, *Oratio fiebat sine intermissione* &c. Quo loco nec Erasmus aliter vertendum putauit: nec aliter interpretès ex Syriaco. Nã vterque ver-

tit *assidua*; estque ea propria Græcæ vocis significatio: quam attendit Oecumenius, dum sic interpretatur, *perseuerantem ac durantem, & in longum protensam*. Ideoque & interpretès eius *extensam* vertit. Nec discrepat quod Augustinus legit *perpetuò*, id est, *continuo*; tãctsi non negamus *ἐκπενή* etiã pro *vehementi* vsurpari. Hortatur ergo Petrus ad charitatis mutuæ continuationem & perseuerantiã; quemadmodum Paulus Heb. 13. *Charitas fraternitatis*, inquit, *maneat in vobis*. Itaque sensus est: Ante omnia, charitatem quam mutuam inter vos habetis, habete continuam; fouete eam & conseruate; cauete ne dissidijs vllis interrumpatur. Dicit, *ante omnia*, quia nec abstinentiæ nec vigiliæ, nec orationes, nec alia quæ putantur pietatis opera sine charitate placent; & vt placeant à charitate habent. Congruit illud Pauli Coloss. 3. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectiõnis*. Et quidem hæc ab Apostolis dicuntur non tantum de charitate Dei, sed & proximorum, quæ tamen in Dei charitate suadata sit. Quæ res planius liquet ex ijs quæ de charitate disserit Paulus 1. Corinth. 13.

QVIA CHARITAS OPERIT MULTITVDINEM PECCATORVM. *Operit*, Græcè *καλύπτει*, *operiet*. quomodo legitur in fine epistolæ Beati Iacobi, iuxta castigatiõnem Romanam. Quanquam hoc loco in aliquot codicibus Græcis à Roberto Stephano annotatis legitur presentis temporis verbum *καλύπτει*, *operit*. Sed ea diuersitas parum aut nihil ad sensum. Sumpta est sententia ex Prouerb. 10. vbi ex Hebræo sic legimus: *Odium suscitatur rixas; & vniuersa delicta operit charitas*. Nam LXX multo aliter habent. Charitatem significari fraternam, id est, eam qua proximus diligitur; ex parte præcedenti constat: Nec minus ex antithesi quam facit Sapiens inter odium & charitatem. Non enim odium, ad homines; charitatem, ad Deum refert: sed ad homines vtrumque. Ostendit eadem Sapientis sententia sermonem esse de delictis proximorum; non autem eius, cuius charitas commendatur. Nam quod Sapiens dicit, tale est: Sicut odium suscitatur rixas & dissidia cum alijs quos odio quis habet: ita charitas è diuerso, non solum rixas & dissidia non ferit aut suscitatur, sed etiam suscitata componit ac sedat; & delicta atque offensiones, quæ rixarum causæ esse solent, tolerando ac dissimulando, atque excusando, operit; denique, quicquid in se peccatum est, condonat, & vt Deus condonet intercedit & impetrat. Hinc illa charitatis epitheta 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est; omnia suffert, omnia sustinet*. Iam verò collige: Si charitas, id est; homo per charitatem operit aliena delicta, ad eum modum quem dixi; quanto magis per eandem charitatem impetrabit ac merebitur apud

Deum,

Deum, vt sua ipsius peccata operiat & condonet? Idque iuxta pactum orationis Dominicæ. Non igitur hac sententia propriè significatur charitatem operire peccata eius in quo est; quomodo passim intelligi solet: sed peccata proximorum; tametsi ex ea consequens est, etiam propria per eandem charitatem remitti. Porro non est diuersum quod Sapiens dicit, *vniuersa delicta*, ab eo quod Petrus, *multitudinem peccatorum*. Nam sensus est, charitatem operire omnia fratris peccata, quantumuis multa sint. Ita namque Dominus interroganti Petro; *quoties dimittam? usque septies?* respondit: *Non dico tibi, usque septies; sed usque septuagies septies*. Matth. 18. Quod totum tamen intellige, salua iusticiæ disciplina; quam charitas non impedit, sed dirigit. Vide etiam quæ diximus ad extrema verba epistolæ B. Iacobi.

HOSPITALES INVICEM SINE MVRVATIONE. Charitatis opus est, inter cætera, peregrinos egentes tecto recipere, reficere, atque fouere: quod est hospitalitatis in Scriptura sacra multum commendatæ, tam præceptis, quam sanctorum exemplis. Vt Genes. 18. & 19. Isaia 58. Matthæi 25. Roman. 12. Heb. 13. & in epistola Ioannis tertia. Dicit inuicem, *eis ἀλλήλους*, id est, *alij erga alios*; diuites erga pauperes. Non enim requirit vicissitudinem beneficij; quam præstare non possunt pauperes, & quæ diuites non egent; quibus tamen ipsis *retribuatur in resurrectione iustorum*. Lucæ 14. Addit, *sine murmuratione*, sicut & Gregorius legit homilia 7. super Ezechielem; Id, inquam, addit; eadem ratione qua Paulus opera misericordiæ vult exerceri *in hilaritate*, vt Roman. 12. & 2. Corinth. 9. Nam qui non libenter, sed inuiti, & vt Paulus loquitur, *ex tristitia aut ex necessitate*, hospitium præbent, aut elemosynam tribuunt; facillè quiritantur vel de sumptu quem faciunt, vel de moribus eorum quibus impendunt: quod hic est murmurare.

VNVSQVISQVE SICVT ACCEPTIT GRATIAM, IN ALTERVTRVM ILLAM ADMINISTRANTES. Nunc generali sententia admonet, vt quisque iuxta donum & facultatem sibi datam à Deo, proximos adiuuet, tanquam vnus corporis membra, conferens id quod habet in vltimam communem: quemadmodum id pluribus verbis docet Paulus Roman. 12. & 1. Corinth. 12. *Gratiam*, Græcè *χάρισμα*, *donum*, vt alibi vertit. Interpretès. Quo Græco nomine, tametsi generalis gratiæ, quas Theologi gratis datas appellant, appropriatè significari solent. Sensus: Prout quisque præditus est aliqua facultate qua utilis esse possit alijs (quam vtiq; non habet nisi donatam à Deo);

ita alius in alium qui opus habeat, illam administret, seu ministrando expendat. Est enim Græcè, *διακονήσας*, *ministrans*. Quo verbo innuitur non solum promptè, sed & cum humilitate ac modestiã, donis huiusmodi quibus alij adiuuentur, vtendum esse. Simul indicat Apostolus duas rationes, cur proximis ea dona debeamus impendere: tum quia Dei dona sunt, ideoque etiam alijs liberaliter communicanda; tum quia non domini illorum sumus, sed ad ea vrenda Dei ministri ac difensorores, quæ proinde ad eius arbitrium sunt eroganda. Posteriorem hanc rationem amplius declarat id quod sequitur.

SICVT BONI DISPENSATORES MULTIFORMIS GRATIÆ DEI. *Multiformis*, significantius Græcè dicitur, *ποικίλος*, id est, *varius*; inquit Hieronymus lib. 1. contra Iouian. cap. 4. Et hoc loco, *gratia*; non *χαρίσματα* Græcè, sicut prius, sed *χάρη*; promiscua tamen significatione. Sicut Apostolus, hac lege Deum sua dona, quæ varia sunt & multiplicia, distribuisse per singulos; vt quisque quod accepit, non sibi vendicet, nec in terram talentum abscondat, nec in sudario repositum seruet, more serui illius inutilis ac pigri, de quo in parabolis euangelicis Matthæi 25. & Lucæ 19. sed, tanquam Dei dispensator, in alios qui non habent & indigent, vtiliter expendat. Eam Dei legem continent dista parabole de talentis in seruos à Domino distributis ad hoc, vt lucrum ex eis Domino referrent. Penam verò legis non obseruare, probat inutilis serui condemnatio & eiectio in tenebras exteriores: *vbi fletus & stridor dentium*. De ea re sic Augustinus tractatu 10. in Ioannem ad illud capitis secundi. *Zelus domus tua comedit me: Si fueris, inquit, frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & quasi sibi sufficiens, & dicens in corde tuo: Quid mihi est curare aliena peccata: Sufficit mihi anima mea. Ipsam integram seruam Deo. Eia, non tibi venit in mentem seruus ille, qui abscondit talentum, & noluit erogare? Nunquid enim accusatus est quia perdidit? & non quia sine lucro seruauit? Hec ille. Notanda quoque Gregorij verba: *Qui scientia & virtute præditus, secessum speculationis appetunt, sat animarum rei sunt, quot animabus in publicum prodeundo prodesse potuerunt*. Recitat hæc inter alia ex Gregorio, Guilielmus Peraldus in Summa viciorum, differens de auaricia scientiæ, de quæ ijs qui talentum abscondunt.*

SI QVIS LOQVITVR; QVASI SERMONES DEI. Ad species donorum descendit, non quidem omnes eas aut multas particularim commemorans, vt à Paulo factum est; sed duo velut genera profert, sub quibus multa dona specialia comprehenduntur. Ea genera sunt: alterum, sermonis; alterum, ministerij sine actionis,

Sermo, Græcè λόγια, quod alij vertunt, *eloquia*. Sic enim etiam vulgaris interpret alibi, & quidem assidue in psalmo 118. Legitur item Roman. 3. *Credita sunt illis eloquia Dei*. Porro *sermo* sine *eloquio Dei* variè exponunt. Vel *Dei*, ut materiæ & obiecti; id est, ut sermones sint de Deo ac rebus diuinis, non de negocijs terrenis. Sic Beda. Vel *Dei*, ut authoris, ac donantis ipsos sermones; iuxta illud psalms 67. *Dominus dabit verbum, euangelizantibus virtute multa*. Sic Prosper intellexit in epistola ad Demetriadem. Et, confirmari videtur hic intellectus ex parte sequenti: *Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus*. Vel *Dei*, ut loquentis; id est, sermones quos Deus loquitur, aut locutus est. Sic *eloquia Dei* passim accipiuntur in Scripturis. ut Rom. 3. & in psalmis. Horum trium sensuum primus supponitur in dono sermonis. Nam illud non aliud hinc intelligitur, quam quod de Deo est, aut rebus diuinis. Secundus sensus ædificat quidem: verum tertius videtur propriè spectatus à Beato Petro; & explicatur ad hunc modum: Si quis accipit à Deo gratiam elocutionis siue sermonis (quod referenda sunt quæ Paulus enumerat Roman. 12. & 1. Corinth. 12. *sermo sapientiæ & scientiæ, donum prophetiæ, doctrinæ, exhortationis, interpretationis*): & ad huiusmodi munus aliquis in ecclesia vocatur; is loquatur (id enim supplendū, quæ admodum supplet Syra paraphrasis) tanquam Dei sermones, cuius in ea functione minister est & vicarius: nihil proferat quod verbo Dei vel scripto vel tradito non sit consentaneum. Non hominum commenta doceat, non falsa miracula referat, non inutiles tractet quæstiones: sed Dei voluntatem ex eloquijs diuinis annunciet. Ita conuenit hoc præceptum Petri cum illo Paulino Roman. 12. *Sive prophetiam; secundum rationem fidei*. Nonnulli sic exponunt: Loquatur tanquam Dei sermones; id est, reuerenter & sanctè tractet eloquia Dei, reputans non suum esse verbum, sed Dei quod dispensat. Vbi nihilominus *sermones Dei* tertio modo supra dicto accipiuntur.

SI QVIS MINISTRAT; TANQVAM EX VIRTUTE QVAM ADMINISTRAT DEVS. *Administrat*, Græcè χορηγεί, *suppeditat, subministrat*. verbum diuersum ab eo quod paulò antè vertit, *ministrans*. Oecumenius hanc partem interpretatur de alimentis; alijsque subsidijs, in fratres pauperes erogandis pro modo facultatum quas Deus dedit. Beda generalem adhibet commentarium, huiusmodi: Tanto humiliter impendat quisque proximo omne bonum quod potest, quanto certissimè nouit quod à semetipso non potest habere quod impendat. Verum quia de peculiaribus donis & officijs agit hoc loco Beatus Petrus; quemadmodum & Paulus locis antè citatis: melius

accipitur hæc pars propriè de ministerijs quæ in ecclesia geruntur, & ad ecclesiasticam pertinent hierarchiam; cuiuscunque ea sint gradus & ordinis: ut episcoporum, presbyterorum; ministrorum, qui vel diaconi vel hypodiacoconi sunt; vel ordinis ac functionis cuiuslibet inferioris. Hunc intellectum exigit locus iste collatus cum alijs duobus apud Paulum: altero Roman. 12. *Sive ministerium in ministrando*; altero 1. Corinth. 12. *Diuisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus*. Itaque sensus est: Si cui ministerium aliquod publicum in ecclesia commissum est; exsequatur illud tanquam ex virtute seu robore (nam id Græca vox χορηγεί significat) quod Deus suppeditat. hoc est, ita sanctè, sincerè & fideliter exerceat opus sibi iniunctum, ut appareat Deum in suo ministerio potenter operari: & fiat quod sequitur,

VT IN OMNIBVS HONORIFICETVR DEVS PER IESVM CHRISTVM. *Honorificetur*, Græcè δοξάζεται, *glorificetur*. In omnibus, intellige, ijs quæ agitis. Est enim generale præceptum 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite*. Nam qui totum quod sumus, possumus, & agimus, à Deo habemus; utique ad eius gloriam eadem omnia referre debemus. *Honorificatur ergo Deus in actibus nostris*, ait Beda. *cum omne quicquid bene est secundum voluntatem eius facimus, non hoc nostris meritis, sed gratia tribuimus: E contra autem, mala que gerimus, nostra solum malicia vel ignorantia deputamus*. Addit Apostolus: *Per Iesum Christum*; quia per Christi meritum non solum habemus ut bona agamus, verum etiam, ut bona, quæ agimus, ad Dei gloriam dirigamus.

CVI EST GLORIA ET IMPERIVM IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN. In huiusmodi clausulis, quæ multæ sunt in epistolis Apostolicis; nusquam alibi additur verbum, *Est*; sed interpretes ferè subaudiunt aut suppleunt verbum *fit*. Intelligunt enim esse optationes. Hic autem peculiari-ter addidit Beatus Petrus verbum *est*; quia præmiserat optationem. Nam optando dixit: *Ut in omnibus honorificetur*. &c. Proinde sensus est: Cui debetur gloria; vel, Qui obtinet *gloriam & imperium* (Græcè, κροῦς, id est, principatum, imperandi potestatem) in omne æuam. Nec refert ad veritatem huius doxologiæ, utrum *Deum an Iesum Christum* repetat articulus *est*. Nam *Christum* asseribuntur hæc eadem, Apoc. 1. *Ipsi*, inquit, *gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen*. Verum huius loci contextus postulat ut ad *Deum* potius referatur: id enim præcessit, *Deum in omnibus esse glorificandum*.

CHARISSIMI, NOLITE PEREGRINARI IN FERVORE QVI AD TENTATIONEM

VOBIS

VOBIS FIT, QVASI NOVI ALIQVOD VOBIS CONTINGAT. Redit ad exhortationem patientiæ, perduciturque eam vsque ad finem capitis; quod sciret eam virtutem fidelibus, præsertim Iudejs, (qui partim gentis, partim religionis nomine multis erant exosi) cum primis esse necessarium. Pro verbo *peregrinari*, quod Græcè est ἐπιζῆσαι, supra versu 4. scripsit. interpret *admirari*. Beda quoque legit hoc loco *mirari*: addens tamen in quibusdam codicibus, *peregrinari*, scriptum esse. Rursus *mirari* legunt Cyprianus libro de exhortatione martyrij, cap. 9. & epistola 56. Et Hieronymus in commentario super Amos 4. Alij legunt *expauescere*; ut Tertullianus in Scorpiaco capit. 12. & Fulgentius ad Trasimundum capit. 30. Porro Syriacam vocem, alius *mirari*, alius *obstupescere* vertit. Quæ omnia explicant verbi Græci significationem; quam supra dedimus: quæ tamen etiam satis exponitur per hoc quod addit Petrus, *quasi noui aliquid vobis contingat*. quanquam & ibi, Græcè est ἐξέρον, *peregrinum*; id est, nouum, insolitum. Pro *feruore* Tertullianus *ustionem*, Cyprianus & Hieronymus *ardorem* legunt. Erasmus hunc locum ita vertit: *Ne miremini dum per ignem exploramini*. At qui Græca sic habent, τῆς ἐπιζῆσεως, id est; *obustionem que in vobis est*. Explorationem autem significat pars sequens: *Qui ad tentationem vobis fit*. Erasmus; *Quæ res ad experimentum vestri fit*. Non igitur *ustio* significat tentationem siue explorationem; sed grauem afflictionem; qualis est *ustio* in carne hominis. Constat enim in Scripturis *ignem*, transferri passim ad significandum grauiore cuiuscunque generis afflictiones, ut psalmo 16. *igne me examinasti*. Et 65. *Transsummus per ignem & aquam*. Ea verò pars, *qui (vel qua) ad tentationem vobis fit*, additur à B Petro, ad mitigandam *ustionis* dolorem consideratione salutiferi fructus inde consequentis. Non enim ad interitum est ea *ustio*; sed ad probationem & purificationem: quomodo per ignem aurum probatur ac purgatur. Sensus igitur est: Ne commoueamini velut ob rem nouam, peregrinam & horridam, quod interdum excitetur aduersus vos incendium persecutionis ab aduersarijs Christianæ religionis: Id enim fit, Deo sic ordinante, tentandi ac probandi vestri causa. Nam ea res illustriorem reddit vestram patientiam, ac Deo vos amplius commendat. Præter hunc sensum istius loci, sunt & alij à diuersis authoribus huc illati; quos sex numero recenferet Lorinus: à quo repetat qui vult. Nobis satis sit verum ac genuinum, etiam Lotini iudicio, sensum attulisse: quem non solum tradiderunt commentatores Beda, Oecumenius, Caietanus, Gaigneus, Hesselius & alij; verum etiam volunt in suis citationibus scriptores ante dicti, Tertullianus, Cy-

prianus, Hieronymus & Fulgentius. Denique vult etiam quod sequitur;

SED COMMVNICANTES CHRISTI PASSIONIBVS, GAUDETE. Græcè: *Sed secundum quod (vel, in quantum, modo) communicatis Christi passionibus, gaudete*. Id est: Quin potius cogitate materiam gaudij vobis oblatam esse, ex eo quod crucem ferendo confortes efficiamini crucis & passionum Christi capitis vestri; cui estis per baptismum incorporati. Hæc enim res non solum consolationem, sed & gaudium parere vobis debet; maxime propter id quod sequitur:

VT ET IN REVELATIONE GLORIÆ EIUS, GAUDEATIS EXSULTANTES. *Reuelationem gloriæ Christi* intelligit illam gloriæ eius manifestationem, quæ futura est in fine sæculi; *quando veniet in gloria Patris sui cum angelis suis, mundum iudicaturus*; ut dicitur Matth. 16. Cuius reuelationis etiam supra meminit Petrus cap. 1. Excitat igitur ad patientiam, proposita spe ingentis præmij, quod est, participem esse gloriæ Christi aliquando manifestandæ, & de ea participatione lætari gaudio ineffabili: quod significare voluit, addendo *exsultantes*. Nam gaudium quo nunc interim afficimur; de quo dixit; *Communicantes Christi passionibus, gaudete*: multum habet doloris & tristitiæ permixtum. Illud verò gaudium quod nobis promittitur in regno Christi, quando animus perfectè conquiescet in vero suo bono; purum erit omnis tristitiæ, ideoque nomine *exsultationis* significatur. Quamuis & in hac vita exultant sancti, sed imperfectè: ut passim in psalmis, & Matth. 5. Similes exhortationes sunt apud Paulum; ut Rom. 8. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. & 2. Tim. 2. *Si commortui sumus; & conuinemus. Si sustinuerimus: & conregnabimus*.

SI EXPROBRAMINI IN NOMINE CHRISTI; BEATI ERITIS. Interpret de suo ascripsit, *eritis*: alij, *estis*. Quoniam probra & conuicia, de quibus supra dixit, *blasphemantes*; plus læpè commouent animos honestos, quam direptio possessionum aut cruciatus corporis: idcirco & huic malo consolationem adhibet. Si, inquit, maledictis & probris afficimini propter nomen Christi, id est, ea causa, quia Christi nomen profitemini, aut quia Christiani estis; ut infra loquitur: pro eiusmodi probris celestem beatitudinem recipietis. Vel potius, *beati estis*, ob spem certissimam mercedis in celo vobis repositæ. Videtur enim respicere ad illud quod ex ore magistri sui audierat; *Beati estis cum maledixerint vobis* (Græcè βλασφημῶσιν, idem verbum quod hoc loco, id est, *exprobrauerint, probra iecerint in vos*) & dixerint *omne malum aduersus vos, mentientes propter me: gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in celo*, Matthæi 5.

QVONIAM QVOD EST HONORIS, GLO-

RIÆ;

RIÆ.

RIA, ET VIRTUTIS DEI, ET QUI EST
EIVS SPIRITVS, SVPER VOS REQUIESCIT.
Hic locus variè legitur. Primùm, quòd in
quibusdam legitur futurum *requiescet*, in
nullis est Græcis; quæ sic habent: *Quoniam*
quod est gloria, & qui est Dei spiritus, super
vos requiescit; vel secundùm quædam exem-
plaria, *requieuit*. tamen quòd etiam qui verti
potest, vt referatur ad *spiritum*. Vnde qui-
dam ita breuiter transtulit: *Quoniam spiritus*
gloria & Dei super vos quiescit. Nonnulli quo-
que Græci codices addunt *καὶ δωρεῶν, &*
virtutis. Græcè lectioni propè accedunt quæ-
dam manuscripta Latina, paucissima tamen;
quorum alia legunt, *Quoniam gloria Dei spi-*
ritus: Alia; *Quoniam gloria & Dei spiritus in*
vobis requiescit. Item Tertullianus in Scor-
piaco: *Quoniam gloria & Dei spiritus quies-*
cet in vobis. Denique Syriaca versio: *Quoniam*
spiritus gloria Dei requiescit super vos. Cypri-
anus verò in epistola 56 sic habet: *Quia maie-*
statis (id est, gloria) *& virtutis Domini nomen*
in vobis requiescit. Sed qui sic vertit, non *πνεύ-*
μα sed *δωρεῶν* legit in Græco. Quòd autem in
nostris est, *honoris*; quoniam alibi non legitur,
adiecticiū videtur. Porro causam reddit A-
postolus his verbis, cur beatos dixerit eos,
qui probris afficiuntur propter nomen Chri-
sti: quoniam, inquit, *gloria Dei, imò & spiritus*
eius super vos qui talia patimini, *requiescit*. Vel
melius: *Quoniam spiritus gloria, qui idem est*
spiritus Dei super vos talia patientes, *requiescit*.
Nam pati pro Christo, certum est lignum Spi-
ritus-sancti requiescentis, id est, habitantis
in homine: Non potest autem non esse bea-
tus, in quo requiescit & inhabitat Spiritus-
sanctus. Qui *spiritus gloria* dicitur, id est, spi-
ritus gloriosus: Hebræo more, quo casus obli-
quus epitheti loco ponitur: quomodo
Christus à Paulo vocatur *Dominus gloria*. 1.
Corinth. 2. Et id voluisse videtur interpres
Syrus, quando sustulit coniunctionem, ac si
diceret, *Spiritus gloriosus Dei*. Vel, *Spiritus*
gloria, quòd sit author gloriae seu glorifica-
tionis nostræ. Iam in eo quòd dicit spiritum
Dei *requiescere super eos*, allusio quædam est
ad locum Isaia 11. vbi de Christo dicitur: *Et*
requiescet super eum spiritus Domini. Per hoc
enim innuere vult, eos qui spiritus Christi
fuerint participes in passionibus, in gloria
quoque per eundem spiritum cum Christo
communicaturos.

In Græco proximè sequuntur hæc verba;
Secundum eos quidem blasphematur: Secundum
vos autem glorificatur. Quæ nec in Syriaco le-
guntur, nec in vllis exstant Latinis exempla-
ribus; nec quidem apud Tertullianum, qui
in Scorpiaco totum hunc locum adducit.
Vnus Cyprianus legit & citat in hunc mo-
dum: *Quod quidem secundum illos blasphematur,*
secundum nos autem honoratur. Vt ad no-
men referatur quòd apud eum præcedit, vt
suprà diximus. Alioqui, rectius Oecumenius
relatiuum supplet, quòd ad spiritum perti-

neat: *Vt sit sensus, inquit: Qui spiritus Dei apud*
impios quidem videtur blasphemari; apud vos
autem glorificatur: quia dum illi falso vos accu-
sant, in illos quidem refunditur confusio, vobis au-
tem gloria. Sic ille.

NEMO AVTEM VESTRVM PATIATUR
VT HOMICIDA, AVT FVR, AVT MALE-
DICVS, AVT ALIENORVM APPETITOR.
Græcè *μη γάρ τις ὑμῶν. Ne quis enim vestrum*
patiatur &c. Pro quo Tertullianus legit: *Dum*
ne quis vestrum patiatur. Et eodem sensu Sy-
rus: *tantummodo ne quis ex vobis &c.* *Maledi-*
cus, Græcè *κακοποιός maleficus*; id est, facino-
rosus, & (vt in Syriaco) *patrator malorum*. Et
sic arbitror interpretem nostrum vertisse,
maleficus. Sicut & apud Tertullianum legi-
tur, nec non apud Cyprianum lib. 3. testimo-
niorum c. 37. Quòd facile per oscitantiam scri-
ptoris in *maledicum* mutari potuit. Vocat au-
tem Apostolus *maleficum*, qui per iniuriam
nocet proximo, præsertim in corporis inte-
gritate & valetudine. Quòd sequitur, *alie-*
norum appetitor, Græcè est *ἀλλοτριεπισίονος*,
id est, *alienorum inspector*; Tertullianus, *alieno*
speculator. Cyprianus vbi suprà, & Augustinus
in expositione epistolæ ad Romanos inchoa-
ta, legit, *aut curas alienas agens*. Erasmus ver-
tit: *alienarum rerum curiosus*. Sed cum sola cu-
riositas alienarum rerum non sit inter crimi-
na quæ publicis legibus castigari soleat (nam
de his loquitur Apostolus): benè, & ad men-
tem Apostoli respiciens, interpres vulgatus
transtulit, *alienorum appetitor*; scilicet cum ef-
fectu, id est, cupidè rebus alienis inhians, &
tollens vbi potest. Nam rapaces homines *li-*
mis oculis, vt ait Horatius, *in res alienas inqui-*
runt: *Contemptor autem pecunia* (vt idem alibi
loquitur) *auri ingentes oculo irretorto spectat a-*
cervos. Differt autè hoc crimen à furto, quòd
secundo loco posuit; quia non simplex est
furtum, sed furtum vel rapacitas cum frau-
dulentia coniuncta. Monet igitur Apostolus
fideles, ne quid committant legibus punien-
dum; ex quo fiat vt non solum gloriam non
reportent, sed etiam ignominiam atque infamiam
sibi ac Christiano nomini comparent. Posset
tamen simpliciter intelligi *curiositas*
rerum alienarum; quæ reddit hominem odio-
sum: vt B. Petrus non tantum ea enumeret
quæ plectuntur legibus; sed etiam quibus iri-
tantur hominum animi ad nocendum.

SI AVTEM VT CHRISTIANVS: NON
ERVBESCAT. Quòd si quis, inquit, *vestrum*
patitur, affligitur, vel à potestate publica, vel
etiam priuatim à quopiam, vt *Christianus*, id
est, quia Christianus est, & Christi discipulū
se profitetur, eaque agat quæ Christiani sunt
hominis: *non erubescat*, non id reputet sibi pu-
dori; nec supplicium eius rei causa irrogatū,
quamuis apud homines ignominiosum,
pro ignominia ducat. Quo tempore & loco
fideles, qui prius *discipuli* vocabantur, cogno-
minari cœperint *Christiani*; refert S. Lucas
Aet. 11. Nec tamen alibi in scriptura sacra le-

gitur

gitur hoc nomen, nisi Aet. 26. verbis Agrippæ
regis; & hoc loco apud Petrum. Siquidem
magis ab externis impositum videtur, quàm
à fidelibus ipsis assumptum; qui sese mutuo
passim *fratres* consalutabant: quanquam ab
his postea amantissimè susceptum. Significat
autem eum qui profiteretur & colit religionem
à Christo traditam. Quo nomine indignos
esse hæreticos, docent antiqui scriptores:
Tertullianus libro de præscriptionibus hære-
ticorum cap. 16. & De carne Christi cap. 1.
Cyprianus libro de vnitæ ecclesiæ, & in epi-
stola 52. Athanasius oratione 2. contra Ari-
anos. Et Augustinus Enchir. cap. 5.

GLORIFICET AVTEM DEVM IN ISTO
NOMINE. Græcè, *In parte hæc*. tamen Syrus
quoque vertit, *in hoc nomine*. Nam sensus idè
est. Non solum, inquit, non erubescat; imò
nec solum gaudeat, sicut suprà dixit; *Com-*
municantes Christi passionibus, gaudete: Verum
in super & gloriosum ducat, & *Deum glorificet*
hac parte, hoc nomine, quòd vt Christianus pa-
tiatur. Id est, agnoscat & laudet Deum huius
patientia suæ authorem, & totam gloriam ei
ascribat, à quo datum sibi sit hoc tantum
bonum: *Vobis enim donatum est*, ait Paulus
Philip. 1. *pro Christo, non solum vt in eum cre-*
datis, sed etiam vt pro illo patiamini.

17

QVONIAM TEMPVS EST VT INCIPIAT
IYDIGIVM A DOMO DEI. Græcè, *Quia*
& tempus est &c. vt insinuetur noua ratio &
à priori diuersa, cur patienter ferre debeant
afflictiones sibi illatas. *A domo Dei*, id est,
ab ecclesia, quam & Paulus domum Dei vo-
cat 1. Tim. 3. Respicit autem Petrus ad scri-
pturam Ezechielis 9. vbi præcipit Dominus
angelis percussoribus, dicens: *A sanctuario*
meo incipite. Nam per *sanctuarium* mysticè si-
gnificabatur ecclesia sanctorum, hoc est, fi-
delium. Porro *iudicij* nomine iustam puni-
tionem & vindictam significare solet scriptu-
ra. Sensus est: Ac ne quis obmuretur &
queratur se iniuste pati, & immeritis lute
pœnas: cogitet iudicium Dei, & sciat Deum
illud exercere, quamuis per malos & iniustos
homines, etiam in bonos ac domesticos &
amicos suos, cuiusmodi vos estis. Et quidem,
tempus nunc esse, vt iudicium hoc à *sanctua-*
rio, à domo Dei, id est, à nobis Christianis &
sanctis, inchoetur; quòd aliquando in malis
& reprobis complebitur. Prædictum fuit hoc
tempus à Christo Luc. 21. vbi cum de futuris
impiorum afflictionibus loqueretur, ita sub-
iecit: *Sed ante hæc omnia, injicient vobis manus*
suas, & persequentur, tradentes in Synagogas &
custodias, trahentes ad reges & præfides, propter
nomen meum. Sentit autem B. Petrus, post-
quam mundo cœptum est prædicari iudiciū
venturum (quæ prædicatio per Apostolos fa-
cta est); Deum voluisse quodammodo iudi-
cium hoc auspiciari à sua ipsius domo & fa-
milia, affligendo sanctos suos & electos; vt
intelligeretur, quàm graue & durum impijs
expectandum esset à Deo iudicium, quando

18

nec suis parceret. Sic enim ipse Petrus expli-
cat in sequentibus. quòd & Paulus in 2. ad
Thess. epistola cap. 1. significauit, cum de
persecutionibus & tribulationibus piorum
agens, subiunxit: *Quas sustinetis in exemplum*
iusti iudicij Dei. Hunc enim Pauli locum cum
isto Petri comparat Augustinus, & vtrum-
que in eum sensum, quem dixi, interpretatur,
in expositione epistolæ ad Romanos inchoa-
ta, & lib. 22. contra Faustum cap. 20. Ex qui-
bus perspicitur, ad iustum Dei iudicium per-
tinere etiam iustorum afflictiones tempora-
les, ipsaque pro Christi nomine passiones.
De his enim agere Petrum, constat ex verbis
proximè præcedentibus; Atque eam rem li-
quidò probant confessiones Sanctorum; vt
Tobia senioris, Tob. 3. Trium puerorum,
Dan. 3. & martyrum Machabæorum, 2. Ma-
chab. 7. Quibus accedit Pauli testimonium,
Heb. 12. his verbis: *Quem diligit Dominus*
castigat: flagellat autem omnem filium quem re-
cipit. Quis enim filius, quem non corripit pater?
Vide quæ in eum locum; & in alterum 2.
Thessalon. 1. commentati sumus; & quæ in
huius loci commentario scribit Ioannes Hes-
selius.

SI AVTEM PRIMVM A NOBIS; QVIS
FINIS EORVM, QUI NON CREDVNT DEI
EVANGELIO? Eorum qui non credunt, Græcè
τῶν ἀπειθῶν, id est, *eorum qui increduli sunt,*
qui credere nolunt. Est enim sermo de ijs qui
euangelium sibi prædicatum respuunt. Quòd
si, inquit, *primum à nobis*, id est, fidelibus, qui
sumus domus Dei, (exponit enim quòd di-
xit, *à domo Dei*) incipere debet iudicium: quis
erit finis eorum, qui Dei euangelio non ac-
quiescunt? ac si dicat: Si Deus primùm filios
& domesticos suos flagellat, vtrique ad emen-
dationem; quid tandem futurum est alienis
incredulis & inimicis, quorum iustam puni-
tionem interim differt, vt in fine totam su-
per eos iram suam effundat? Significatio est
terribilis iudicij Dei in impios & euangelij
contemptores. Quòd quidem Paulus 2. Thes-
salon. 1. describit futurum *in flamma ignis*
dantis vindictam &c. Petrus autem interro-
gando & admirando magis exaggerat. Et
benè *finem* dicit *eorum*: quia filij flagellis eru-
diti & correcti, paternam in fine percipient
hæreditatem; Impiorum verò finis & veluti
hæreditas est in ipsis tormentis nunquam fi-
niendis. Cum isto loco B. Petri consentit
quòd ait Dominus per Ieremiam prophe-
tam cap. 25. *Ecce, in ciuitate in qua inuocatum*
est nomen meum, ego incipiam affligere: & vos
quasi innocentes & immunes eritis? Non eritis
immunes. Et c. 49. *Ecce, quibus non erat iudi-*
cium vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu
quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed
bibens bibes.

ET SI IYSTVS VIX SALVABITVR; IM-
PIVS ET PECCATOR VBI PAREBNT;
Sauabitur, Græcè *σωθήσεται*, *sauatur*; annuen-
te Syro. Quòd etiam in nonnullis est Lati-

S 11 4

nis; &

nis; & apud Salomonem iuxta LXX legitur Prouerb. 11. ex quo desumpsit hæc verba Beatus Petrus. Augustinus in enarratione psalmi 6. legit: *Et si iustus quidem vix saluus fit; alibi, saluus erit. Cæterum parebunt, dixit interpret, pro comparebunt, vel apparebunt, pro quo Græcè est φανερωται, singulare, comparebit: vt intelligas eundem intelligi impium & peccatorem; id est, hominem per sua peccata à Deo auersum. quemadmodum & Paulus eadem vocabula pro synonymis accepit Roman. 5. & alibi. Hac sententia penè idem dicitur quod superiore: nisi quod impius & peccator latius patet quam non credens Dei euangelio. Nam quibus illud non est prædicatum, peccatores quidem sunt & impij; non tamen incredulitatis rei. Sumpta sententia est ex Prouerbis Salomonis, vt dixi, cap. 11. iuxta versionem LXX. Quamquam Hebræa sensu non differunt. Sic enim habent, interprete Hieronymo: *Si iustus in terra recipit: quanto magis impius & peccator?* Nam quod Chaldaus paraphrastes & Rabbinus quidam in priori membro receptionem intelligunt retributionem bonorum, vt pote iusto pro operibus iusticiæ debitam; satis ex eo refellitur, quod argumentatio, quam à minori facit Sapiens, parum efficax foret. Non enim minus videtur equum iusto reddi mercedem iusticiæ, quam impio mercedem iniusticiæ. Qua ratione Iansenius illam Rabbinorum interpretationem rejicit. Certè de malorum receptione LXX Petro comprobante, intellexerunt vtrumque membrum: vt hic sit sensus; Si iustus & electus Dei vix, id est, non nisi per seuerum Dei iudicium castigantis eius peccata, ad salutem peruenit: *impius & peccator ubi comparebit?* id est, quomodo stare ac subsistere poterit in Dei iudicio, vt non condemnetur & æternis addicatur supplicijs? Phrasis accepta ab ijs qui malè sibi conscij verentur in iudicio comparere; & si possunt, subterfugiant: certi se condemnandos.*

Non igitur sensus est, quem tradunt nonnulli, periculum esse iusto propter huius vitæ fragilitatem & tentationes multiplices, ne non saluetur: quamuis id verum sit, quamdiu iustus agit hanc vitam mortalem. Nam de pressuris piorum sermo est, non de tentationum periculis. Minus autem rectè quidam alij, qui difficultatem hanc salutis iustorum, referunt ad diem extremi iudicij, tanquam illic iusti vel omnes vel aliqui periclitaturi sint de salute: contra illud Sapientia quinto: *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, &c.* Et illud Apocal. 2. *Esto fidelis usque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ.* Igitur particula *vix*, expo-

nenda sicut dixi, id est, per multas difficultates, per afflictiones, molestas, persecutiones, & vt Paulus loquitur Actorum 14. *per multas tribulationes*, velut flagella à iusto iudice Deo ad corrigendos & purgandos suos electos immissa. Quare autem *iustus vix saluatur*; nisi quia vix est iustus? id est, quia imperfectam habet iusticiam; cum delinquit in multis, & ipsa iusticiæ opera quæ facit, plerumque sordium aliquid habeant admixtum, vel ex intentione non pura, vel ex alia circumstantia. Quæ tota impuritas igne tribulationis excoquenda est.

Hinc igitur etiam statui potest purgatoria pœna post hanc vitam. Nam si iustus non saluatur nisi per seuerum iudicium Dei punientis & purgantis eius peccata; consequens est, ijs qui minus purgati fuerint in hac vita, iudicium illud restare subeundum post mortem, quo satisfiat iusticiæ diuinæ.

ITAQUE ET HI QUI PATIUNTUR SECUNDUM VOLUNTATEM DEI; FIDELI CREATORI COMMENDENT ANIMAS SVAS IN BENEFECTIS. Epilogo concludit totam superiorem admonitionem, factam ad eos quibus pro nomine CHRISTI ferendæ erant afflictiones. Græca sic habent: *Itaque & qui patiuntur, siue affliguntur secundum voluntatem Dei; tanquam fidelem Creatori, id est, apud fidelem Creatorem, deponant animas suas in beneficentia.* Sensus: Proinde exhortor & moneo vos in dispersione positos, vt non solum bona reddatis pro bonis; sed & ij quibus afflictiones, etiam vsque ad mortem, à malis hominibus Dei voluntate contingit inferri; deponant animas suas apud Deum earum creatorem, tanquam fidelem custodem, id est, earum tutelam & custodiam illi commendent; idque cum beneficentia, qua prosequantur etiam persecutores suos, reddendo eis bona pro malis. Pars illa, *secundum voluntatem Dei*, malè à quibusdam annectitur sequentibus. Refertur enim ad *passiones*, estque sententia similis cum illa capituli superioris: *Melius est beneficientes, si voluntas Dei velit, pati, quam malè facientes.* Simul innuitur, omnes afflictiones, quæcunque nobis obueniunt, à Dei voluntate procedere. Quidam animas interpretantur vitam nostram ac nos ipsos. Alij melius animas à corporibus superstites; iuxta dictum Saluatoris: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matth. 10. Quasi dicat Apostolus: Qui creauit animas, idem erit earum custos, etiam extinctis morte corporibus; & hoc depositum sibi commendatum fideliter seruabit ne pereat. Videtur enim esse in his verbis allusio quædam ad vocem Christi

in cruce

in cruce morientis: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. Vbi similiter est Græcè, *Ἐπιτιθησάμην*, id est, *deponam, commendabo.* Nam & Christus id fecit *cum beneficentia*, patiens pro suis crucifixoribus, & orans pro eis. Quamquam potest per *ἀγαποῦμαι*, in genere intelligi studium bonorum operum; sicut accepisse videtur interpret noster dum vertit, *in benefactis*, id est, *in operibus bonis*, sicut habet editio Syriaca. Nam hoc animarum depositum non à peccatoribus recipit Deus, sed à iustis, qui seipsum prius per bona opera Deo commendauerunt. Neque enim iniustorum, sed *iustorum anima in manu Dei sunt.* Sap. 3.

SVMMARIVM.

P Repositos instituit quomodo pascere debeant gregem sibi commissum. Hoc tacet ad humilitatem. Monet vt vigilent aduersus insidias diaboli. Gratiam Dei illis precatur; adiecit salutationibus.

CAPVT V.

S ENIORES ERGO QUI IN VOBIS SVNT, OBSECO CONSENIOR. Ad ecclesiarum pastores, id est, episcopos siue presbyteros exhortationem conuertit, sui memor officij, & potestatis à Christo acceptæ, quando dictum ei fuit: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Et tibi dabo claves regni calorum, &c. Matth. 16. Et in aliquando conuersus confirma fratres tuos. Luc. 22. Et quando tertio audiuit: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Nam eadem autoritate qua admonet episcopos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, quas regiones in fronte epistolæ nominauit; potuit & reliquos episcopos omnes vbiuis constitutos, admonere. Quare etiam hic locus ad consummandum Petri super vniuersam ecclesiam primatum, comprimis valet. Nec obstat quod se *conseniorem* vocat; vt obijcit Caluinus, dicens: *Si ius primatus habuisset, poterat illud obtinere; idq; ad presentem causam aptius fuisset.* Nam quis non intelligat (quod & Oecumenius admonuit) modestiæ causa Petrum sic locutum? vt qui sciret efficacior fore suam ad episcopos exhortationem, si eos alloqueretur vt fratres & socios; quam, si vt subiectos. Hinc & Romanus episcopus Petri successor & imitator, cæteros episcopos, in suis ad eos epistolis ac rescriptis, fratres salutare consuevit; interdum coepiscopos & confacerdotes; nun-

quam autem filios. Quod si quicquam valeret Caluini obiectio: sequeretur nec Petrum nec Paulum habuisse potestatem vllam regiminis supra vulgus fidelium. Nam in suis epistolis omnes fratres vocant. Meminisse debebat Caluinus ipsum Dominum Saluatorem de suis Apostolis ita esse locutum, Matth. 28. *Ite, nunciate fratribus meis.* Item, Saluatorem dixisse Petro, Lucæ 22. *Confirma fratres tuos.*

Græca particulam illatiuam non habent: Sic autem reddi possunt; *Presbyteros qui inter vos sunt adhortor ipse comes presbyter.* Nam *ἑταροῦμαι* vltimatus adhortari significat quam oblectare. *Presbyterorum* nomine significatur episcopi. Se verò *comes presbyterum* eorum vocat, id est, coepiscopum. Rectè enim annotauit Beda, & ante eum Hieronymus in epistola 85. quæ est ad Euagrium, *presbyterum* hoc loco, quemadmodum & in Actis, & in epistolis Paulinis. non ætatis nomen esse, sed officij ac dignitatis. Nam dicitur eis, *pascite*; & pastores appellantur.

ADDITIVNCVLA B. P.

Quare rectius fecisset Interpret noster, tum hoc loco, tum Actorum 15. & in principijs epistolarum B. Ioannis secundæ ac tertiæ, si Græcum nomen *presbyteri* & *compresbyteri* retinuisset: quod faciendum esse quando eo nomine non senilis ætas, sed ecclesiasticus gradus, vt hic, designatur; ipse etiam Laurentius diligenter monuit, in Annot. ad cap. 15. Act. & ad init. secundæ B. Ioannis, probante ipso quoque Deliderio, annotat. in cap. 20. Act. & in hunc B. Petri locum. Quæ admodum videmus fecisse S. Hieronymum epistola illa 85. *Presbyteri* enim & *compresbyteri* nomen vsurpat.

Vbi tamen queritur, vtrum etiam simplices presbyteri, quos vocamus, eo nomine comprehendantur. Sanè, quamuis nomen presbyteri generale sit etiam vsu Apostolorum, vt omnes qui sunt ordinis sacerdotalis complectatur, quemadmodum alibi docuimus; vt Philip. 1. 1. Timoth. 3. & 5. & Tit. 1. principaliter tamen hoc sermone solos episcopos conuenit Petrus; vt qui soli propriè & plena ratione sint dominici gregis pastores; non in partem operis vocari, velut parochi, sed absolutam & illimitatam (quod ad diuinum ius attinet) exercendi in suo grege pastoralis officij, potestatem habentes: Ad quos proinde spectat non tantum prædicare Dei verbum, & sacramenta ministrare, quod vtrumque parochi faciunt: verum etiam leges ponere, & transgressores punire, & contumaces ab ecclesia per excommunicationem eijcere. Vnde & in canonibus, & apud veteres, ipsi soli vocantur pastores. Sed & Paulus Ephes. 4. *pastores & doctores* nominans, solos episcopos intellexit. Cæteri verò curam animarum habentes olim vocaban-

tur

tur presbyteri; postea curati, plebani, parochi, seu parochiarum rectores.

ET TESTIS CHRISTI PASSIONVM. Testem se nuncupat passionum Christi, non ideo solum quod Christi passiones, id est, afflictiones, crucem & mortem; verbo predicaret; sed quod Christum patientem opere etiam ipso testificaretur, multis pro eo toleratis afflictionibus, persecutionibus & contumelijs. Itaque Christi passiones Hesselius interpretatur non quas Christus passus est, sed quas pro Christo passus fuerat Petrus; ut testis afflictionum Christi dicatur testis afflictus pro Christo: quemadmodum Paulus loquitur Coloss. 1. *Adimpleo ea qua desunt passionum Christi*, id est, afflictionum pro Christo tolerandarum. Veruntamen, ut ipsius Christi passiones intelligantur, quarum se Petrus testem dicat per suas pro Christo passiones; probabilius puto. Nam passionibus Christi statim opponit gloriam Christi, qua nimirum ipse Christus gloriosus existit. De huiusmodi testimonio, quod non tam verbo quam opere perhibebatur Christo, locus est apud Paulum 1. Timoth. 6. *Confessus es*, ait, *bonam confessionem coram multis testibus*. Et mox de Christo Iesu: *Qui*, inquit, *testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem*. Quod & illud pertinet, ubi Dominus, Apostolis suis predicans mala quae passuri essent a persecutoribus, subiungit id futurum in testimonium Iudaeis & gentibus. Matthaei 10. Nempe quoniam ipsae martyrum Christi passiones erant futurae loco testimonij. Quare & *καὶ ἑσονται martyres*, id est, testes vocantur. Hoc autem de se commemorat Petrus, ut suo velut exemplo compresbyteros animet, ne metu persecutionum cessent ab officio; quemadmodum & id quod sequitur adiungit, ut eos in eandem vna secum futurae gloriae spem erigat.

QUI ET EIUS QUAE IN FUTURO REVELANDA EST, GLORIAE COMMUNICATOR. Graeca sic sonant: *Qui & eius qua futura est reuelari* (id est, quae reuelabitur) gloriae consors. Nam communicator proprie non dicitur qui sit consors, sed qui consortes alios facit. Quod utique sibi Petrus ascribere non voluit. Sensus est: *Qui idem etiam gloriae quae reuelabitur in aduentu Domini, particeps ac socius sum futurus*. De qua gloria Paulus quoque Roman. octavo sic ait: *Existimo quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in vobis*. Vbi similiter in Graeco est: *ad eam, qua futura est reuelari, gloriam*. Sic autem & Petrus hanc gloriam opponit passionibus pro CHRISTO toleratis; volens id ipsum significare quod ibidem Paulus, dicens: *Si compatimur,*

ut & conglorificemur. Hoc tamen quod se consortem appellat illius gloriae, utrum dicat ex speciali reuelatione, videlicet ea, cuius meminit in secunda epistola capite primo: an verò bonae ac Christianae spei tantum haec verba sint; non liquet: ac magis fortassis apparet illam reuelationem postea Beato Petro factam fuisse, quando cepit appropinquare martyrio. Porro gloriae communicationem, de qua loquitur Petrus, quidam aliter interpretati sunt, dicentes eam Petro contigisse in transfiguratione Dominica; cui interfuit, & quae typus quidam fuit gloriae in nobis reuelandae; vel (ut alij) in Domini resurrectione & ascensione quas vidit. Secundum hos supplendum est verbum praeteriti temporis, *communicator* seu *consors sui*. Verum quod primo dixi magis probabile est, & eo modo exponunt Oecumenius, Caictanus, Titelmanus & Hesselius.

PASCITE QUI IN VOBIS EST, GREGEM DEI. Quidam Graeci codices habent, *gregem Christi*, sed plures *gregem Dei*, quibus & Syrus astipularunt; cum alioqui grex Christi, tanquam supremi pastoris, qui pro ouibus animam suam posuit, rectissime intelligatur. Illud verò: *Qui in vobis est*; Graece *ὁ ἐν ὑμῖν*, Erasmus & alij verterunt, *quantum in vobis est*: ut similis sermo sit cum illo Paulino Roman. 12. *Quod ex vobis est* (*ὃ ἐξ ὑμῶν*) *cum omnibus hominibus pacem habentes*. Sed eam versionem merito Lorinus improbat. Nec enim Petro dictum fuerat a Domino; *Pasce oues meas quantum in te est*, sed absolute. Nec istiusmodi praecipis & exhortationibus illo modo conueniunt modificationes istae. Si potes; Quantum in te est, &c. Nam illae potius remitterent animum eius qui admonetur. Quapropter retinendum omnino, quod noster vertit, *qui in vobis*, id est, *apud vos est*, & cum quo vnum estis corpus, vna ecclesia. Sic & versu praecedenti: *Seniores qui in vobis sunt*. Nec sensu dissonat quod habet Syriaca paraphrasis: *Traditum vobis gregem Dei*. Similis loquendi forma apud Osee 4. *Eius qui in te est misereberis pupilli*. Notandum sanè quemadmodum grex esse dicitur in pastore, sic è diuerso, secundum Scripturam, pastorem esse in grege. ut Actuum 20. Paulo pastores sic adhortante: *Attendite vobis, sicut uniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei*. Quemadmodum & praecipit Ecclesiasticus capite trigesimo secundo. *Rectorem te posuerunt, esto in illis*. Quo reciproco sermone significatur arctissimam esse debere coniunctionem pastoris & gregis: ut nec oues aberrent à suo pastore; & nec animo, nec corpore pastor à suis ouibus separetur.

Itaque

Itaque ex huiusmodi Scripturis optime statuitur pastorum apud oues suas residentia perpetua, tanquam iure diuino necessaria. Verbum *pascite*, Graece *ποιμαίνει*, non solum significat pabuli curam ac subministrationem, sed vniuersum regimen seu gubernationem quam pastor ouibus ex officio impendit. Vnde vetus interpres *regendi* verbo eam Graecam vocem conuertere solet, ut psalmo 2. *Reges eos in virga ferrea*. Et 22. *Dominus regit me*. Et 79. *Qui regis Israel, intende*: Sic & locum praesentem citat Hieronymus in epistola 85. *Regite gregem Christi*. Quin etiam reges ac principes huius saeculi, tam in sacris quam profanis literis pastores hominum ac populorum vocantur, Ieremia 23. Ezechielis 34. & apud Homerum non semel. Appositè verò sanctus Hilarius enarrans psalmum 2. Graecam vocem interpretatur, *pastoraliter regere*. *Reguntur autem oues Christi pastoraliter* (ut verbis utar Ioannis Hesselij praceptoris mei) *dum eis praebeatur pabulum Christianae doctrinae, non tantum publicis praedicationibus & exhortationibus, sed etiam secretis atque priuatis institutionibus, consolationibus, correptionibus*. Item, *dum eis sedulo administrantur Sacramenta Christi: dum eis optima vitae exempla proponuntur: dum temporalibus eorum necessitatibus hilariter succurritur: dum utiles leges & praecipia praescribuntur: dum admodum solliciti, frequenterque pro eis apud Deum orantur, ingemiscunt, plorant, sacrificantur*. Haec ille. Perabsurdè verò Caluinus offerendi sacrificij munus à pastore remouet, hoc argumento, quia sacrificare non est pascere. quasi Christus ipse non tunc maximè fecerit pastoris officium, quando seipsum in ara crucis offerens, animam suam posuit pro ouibus suis. Certè eodem argumento Caluinus exclusit orationem ab officio pastoris. Nam si sacrificare pro ouibus non est pascere: igitur nec pro eis orare, pascere erit.

PROVIDENTES NON COACTE, SED SPONTANÈ SECUNDUM DEVM. *Providentes*, Graece *ἐπινοούντες*, id est, *intendentes*, siue ut legit Hieronymus, *superintendentes*; ac si diceret, *episcopum agentes*. Nam allusio est ad episcopi nomen; quasi dicat cum Paulo: *Attendite gregi vestro, in quo positi estis episcopi*. Nomini vestro respondete. Hoc agite quod appellamini. Superintendite & curam agite quisque sui gregis: Addit autem, *non coactè sed spontaneè*: tum ut pastores fecernat à mercenarijs; Nam *coactè prouidet*, ait Beda, *qui propter rerum temporalium penuriam, non habens unde viuat, idcirco praedicat euangelium, ut de euangelio viuere possit*. Hoc autem mercenarij est: Tum ne faciant officium velut inuiti, quomodo solent qui fre-

quenter ac facillè de molestijs curae suae pastoralis conqueruntur. Nam & hoc illiberalis est animi: quemadmodum contra liberalis est ingenij. *Non ex tristitia aut ex necessitate facere*. Quod Paulus monet 2. Corinth. 9. *Ceterum utriusque vicio opponitur, Spontaneè, vel ut legit Hieronymus, voluntariè prouidere, idque secundum Deum*. Id autem facit, qui libenter, alacriter & promptè; quiq; ut ait idem Beda, *nullius terrena rei sed tantum supernae mercedis intuitu, verbum Dei praedicat*, ac cetera pastoris officia praestat. Particulam, *secundum Deum*, pluraque Graeca non habent. Atqui Hieronymus in epistola memorata, Gregorius parte 2. curae pastoralis cap. 7. & Beda in commentario, legisse se declarant. ac pro eo Syrus paraphraustes reposuit *spiritualiter*: tametsi sensus est, quem Beda significauit, ut recta intentione, qua solius Dei gloria quaeratur, nec alia quam superna merces expectetur; gregem Domini procurant. nisi malis, *secundum Deum*, id est, secundum Dei voluntatem. Quod eodem recidit.

NEQUE TURPIS LUCRI GRATIA, SED VOLUNTARIE. Pro tribus vocabulis, *turpis lucri gratia*, Graecis vnum aduerbiu est, compositum; *αισχρονεργως*. & *voluntariè*, Graece *εθελως*. Pro quo Syrus, *in toto corde vestro*. Alij itaque sic reddunt: *Non turpiter affectantes, siue sectantes, lucrum; sed prompto animo*. Quamquam non refert, aduerbio, an nomine turpitudine exprimitur. Nam Paulus resoluat, ac nomine expressit, ad Tit. 1. *αισχρος κέρδος χάριν, turpis lucri gratia*. Et hoc loco Syrus, *Non in lucro turpi*. Vocat autem tam Petrus quam Paulus *turpe lucrum*, non quod ex re turpi proueniat, (agit enim de functione episcopali, qua quid honestius ac preclarus?) sed quod turpiter, id est, animo cupido & auaro quaesitum sit aut quaeratur: ita ut facillè qui sic affectus est, etiam ex alia re qualibet paratus sit compendium sectari. Vide quae diximus ad illud epistolae ad Tit. 1. *Non turpis lucri cupidum*. Igitur *αισχρονεργως* prouidet gregi, qui ditari vult ex officio curae pastoralis. Nam turpe est, quaestus gratia tam sanctum exercere ministerium. Quod addit, *sed voluntariè*, videtur idem esse cum eo quod prius dixit, *sed spontaneè*. Est enim obseruandum, Apostolum opponere haec duo, *coactè, &, turpis lucri gratia*, ei quod est *spontaneè, seu voluntariè*. Nam & qui *coactè*, id est, inopia compulsus, ut habeat unde viuat; & qui *turpis lucri gratia*, ut diues euadat, pastorale munus exercet: non ex animo id facit, quo curet ouium salutem; sed priuati commodi causa; quo cessante, nollet inuilem subire laborem.

NEQUE VT DOMINANTES IN CLERIS.

Rectius

Rectius, in clericos, siue aduersus clericos. Id enim Græca volunt. Hieronymus in epistola ad Nepotianum legit, in clericum. Sic & alij quidam posteriores; viciosè tamen, vt arbitror, mutato numero plurali in singularem. Cleros multi Latinorum interpretantur clericos, id est, ecclesiasticis ministerijs deputatos; vt sunt presbyteri, diaconi, ac cæteri post eos. Sic & Græcus Oecumenius, sacrum cœtum cleri nomine intelligens. Et huc citant Hieronymum, in epistola quam dixi ita scribentem: *Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos; honorent clericos, quasi clericos; vt & ipsi à clericis, quasi episcopis, honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: Cur ego te habeam vt principem, cum in me non habeas vt senatorem?* Et interpositis Apostoli Petri ex hoc loco verbis: *Pessima consuetudinis est, inquit, in quibusdam ecclesijs, tacere presbyteros, & presentibus Episcopis non loqui: quasi aut inuideant aut non dignentur audire.* Sic ille, de fastu quorundam Episcoporum supra clericum. Veruntamen longè probabilius est, per clericos intelligi gregis Domini portiones quæ singulis Episcopis pascendæ ac regendæ, velut fortitò, obtigerunt; iuxta id quod Cyprianus dicit, Ecclesiam esse vnam, cuius singulas portiones singuli Episcopi in solidum tenent. Phrasis desumpta à forte, (nam clericus sortem significat) qua veteres, etiam ex Dei præcepto, utebantur in distribuenda terra singulis in possessionem. Hinc enim partes quæ singulis obuenerant, κληρος, id est, sortes vocabantur. Vnde psal. 67. *Si dormiatis inter medios clericos, id est, in medio sortium uestrarum.* Sanè totum gregem nomine cleri hinc intelligi, satis arguit aduersarijua, quam Petrus facit: *Non dominantes in clericis, sed forma facti gregis:* tanquam idem sit clericus & grex. Quapropter & Syrus interpres pro clericis gregem scripsit: *Non tanquam Domini gregis & cæc.* Denique nec consuetum est clericos appellare clericos pluraliter; sed clericum, nomine collectiuo. Proinde non dubitamus, hunc intellectum quo cleri vocabulum extenditur ad totum gregem cuique Episcopo attributum, priori antepone: secuti authores qui sic intellexerunt, Cyrillum libro primo super Isaiam oratione tertia, & huius loci commentatores, Bedam, Caietanum, Gaignæum, Titelmannum, nec non Ianfenium explicantem illud psalmi modò citati, *Inter medios clericos.* Quibus adde Erasmus in annotationibus. Item Vatablum & Emanuelem Sa. Prohibet igitur Apostolus id, quod Dominum suum prohibentem audiuerat, illis verbis: *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non*

ita erit inter vos. Matthæi 20. Non solum enim dominari dicuntur in alios, qui potestatem quam super illos habent; ad suam ipsorum conuertunt ac referunt, utilitatem; cuiusmodi potestas est dominorum in seruos: Verùm etiam qui, more principum huius sæculi, impetant cum ostentatione potestatis, nec nisi cum satellitio & pompa asseclatum prodeunt in publicum: scilicet vt terrorem subditis incutiant. Atqui Christus voluit in pastoribus & rectoribus ecclesiæ magis apparere humilitatem & mansuetudinem quam potestatis ostentationem atque seueritatem; & amorem magis quam terrorem: vt absit non solum animus, sed etiam species dominandi in plebem subiectam; potiusque sese per humilitatem gerant vt ministros eorum, quibus præsent, utilitatem ipsorum spiritualem omni studio procurantes; iuxta quod Dominus ibidem consequenter præcipit: *Sed quicumque uoluerit inter vos maior fieri, sit uester minister.* Quod quidem ministerium consistit non solum in docendo ac præcipiendo, verùm etiam in exhibendis sanctæ conuersationis exemplis. Vnde sequitur;

SED FORMA FACTI GREGIS EX ANIMO. Græca & Syra non habent additum, *ex animo.* Bernardus quoque non addit, citans hunc locum epistola 237. Deinde nec est in Græco forma, sed τύπος, forma plurali numero, quod & legunt multi probatiq̄ue codices Latini, tam vetusti quam recentiores. Sensus autem planus est: Vt seipsum suo gregi velut typos, formas & exemplaria quædam exhibeant vitæ Christianæ ac bonorum operum; quibus inspectis ad similia prouocentur. Admonet hoc Paulus discipulos suos Titum & Timotheum: *In omnibus teipsum præbe exemplum (τύπον) bonorum operum.* Tit. 2. *Exemplum (τύπος) esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* 1. Timoth. 4. Sed & semetipsum Paulus vt τύπον, id est, formam imitandam proponit ijs quos Christo genuerat, vt Philippens. 2. & 2. Thessal. 3.

4 ET CVM APPARVERIT PRINCEPS PASTORVM, PERCIPIETIS IMMARCESCIBILEM GLORIÆ CORONAM. Percipietis, Græcè κομιείθε, reportabitis, quemadmodum uerit capite primo, reportantes finem fidei uestræ salutem animarum. Principem pastorum Christum uocat, Græcè vno uocabulo ἀρχιποιμένα, quasi dicat, archipastorem. Est autem Christus pastorum princeps primarius, cuius oues sunt, etiam pastores ipsi, pariter cum alijs ouibus, sanguine eius redempti. Nam Petrus qui hæc scribit, erat quidem ipse etiam pastorum princeps; sed secundarius

atque

atque vicarius. Cum apparuerit, intellige, ueniens gloriosus ad iudicium, quomodo de eo Ioannes. 1. ep. 3. *Cum apparuerit, similes ei erunt. Gloria coronam, id est, coronam gloriosam, vel, vt uult Hesselius, coronam ualde gloriosam. Non enim simpliciter, inquit, uitam æternam significat; sed altiorem præcæteris gradum.* Vnde Danielis 12. cum dictum esset bonos ituros in uitam æternam: de eminentiori pastorum præmio sequitur; *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti; & qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuis æternitates.* Hanc coronam sunt qui aureolam interpretentur, quæ doctoribus attribuitur; vt Hugo Card. & Thomas Anglicus. Sed probabilius est principale præmium intelligi: quod & alibi corona nomine significari solet; vt Iaco. 1. *Accipiet coronam uitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Immarscescibilem uocat, ad discrimen coronarum quæ apud nos dantur uictoribus. Nectuntur enim ex floribus & folijs, quæ paulo post marcescunt. At illa corona cælestis nec marcescet nec ueterascet unquam; sed uiris ac floris gratiam semper retinebit. Cum autem corona sit præmium ac merces uictoriæ; consequitur argumento à relatis, hominem pugnantem ac uicentem mereri gloriam regni cælestis: ac proinde falli uehementer eos qui merita bonorum operum negant. Merita dico, quæ tamen ipsa etiam Dei dona sunt.

SIMILITER ADOLESCENTES SUBDITI ESTOTE SENIORIBVS. Adolescentes, Græcè νεώτεροι iuniores. Huius præcepti duplex adfertur sensus. Plerique arate iuniores & seniores intelligunt; cum prius de senioribus locutus sit, qui officio tales sunt, id est de presbyteris siue episcopis. Alij uolunt hoc præceptum respondere superiori: vt sicut ubi iubentur seniores, id est, episcopi, pascere ac regere gregem Dei, id est, populum sibi subiectum; ita nunc uicissim iunioribus siue minoribus, id est, plebi subiectæ, præcipiatur eiga suos pastores & præfectos obedientia. Sensus hunc indicat Beda; quem sequuntur Carthusianus, Caietanus, Hesselius & alij nonnulli. Fauet ei imprimis illud, *similiter*, quo significari uidetur, officium reciprocum bene regendi & promptè obediendi. Deinde quod & alibi, *iuniorum* nomine subditi interdum significantur: vt Luc 22. *Qui maior est in uobis, fiat sicut iunior.* Græcè νεώτερος. Sed & contra priorem sensum obijci potest, quamuis arate iuniores senibus debeant reuerentiam, Domino præcipiente, Leuit. 19. *Coram cano capite conuerge, & honora personam senis:* propriè tamen illis non debe-

re obedientiam; nisi alia ratione sint eis subiecti. Itaque uidetur hoc Petri præceptum idem esse cum præcepto Pauli Heb. 13. *Obedite prepositis uestris & subiaccetis eis.*

OMNES AVTEM INVICEM HUMILITATEM INSINATE. Plus est in Græco. Sic enim habet; *Omnes inuicem subiecti, siue subijcentes uos:* (Est enim presentis temporis participium υποτασσόμενοι.) Deinde sequitur, *Humilitatem induite:* Græcè ἐγκρατίζομαι, quod propriè significat, *inmoderate.* Quasi dicat, arctè uobis astringite. Erasmus uertit *infixam habere.* Oecumenius interpretatur: *Vobis circumdate, amplectimini.* Noster interpres quæ in Græco uelut seiuncta leguntur, in unum sensum coniunxit: quod & fecit Syrus Paraphrastes, quia sententiam totam ita uertit; *Et circumamicti estote mansuetudine animi unus erga alium.* Vel vt Tremellius Latine reddit: *Et amicitate uos intrinsecus demissione mentis unus erga alium.* Metaphora sumpta uidetur à genere uelimenti in nodum constricti, quo serui utebantur. ἐγκρατίζομαι Græco uocabant. Præcipit ergo Petrus, priori quidem parte, id ipsum quod Paulus Eph. 5. *Subiecti inuicem in timore Christi:* Non enim sensus est, omnes omnibus subditos esse debere, sed alios alijs, inferiores superioribus, uxores uiris, filios parentibus, seruos dominis: quemadmodum Paulus ibidem consequenter declarat. Posterioris partis sensus est; Humilitatem animi (Græcè ταπεινοφροσύνην) induite, & instar ueluti nodo alitè uobis coniunctam retinete, ne uisiam excutiat. Hoc præceptum omnibus commune est, adeoque necessarium, vt humilitatis uirtutem arctissime & intimè custodiamus. Ad id uerò persuadendum subiungit quod sequitur;

QVIA DEVS SUPERBIS RESISTIT, HUMILIBVS AVTEM DAT GRATIAM. Sententia desumpta ex prouerbij Salomonis cap. 3. iuxta LXX interpretum translationem. Vnde eam sumpsit Iacobus apostolus epistola suæ cap. 4. pro qua in Hebræo legitur, interpretante Hieronymo: *Ipsè deludet illudores; & mansuetis dabit gratiam.* Nec enim in sensu diuersitas est, vt ostendimus in expositione epistolæ Iacobi. Nam illudere proximum & præ se contemnere, proprietatis est superborum. Deludit autem eos Deus, dum humiliat & contemptibiles reddit, eludendo atque frustrando eorum conatus & studia quibus suam quærunt excellentiam: quod est superbis resistere. Humilibus autem, hoc ipso quo iam humiles sunt, à Deo gratia præuentis, gratiam dat ampliorem, augens quod dedit & nouis subinde gratiæ suæ donis priora cumulans; denique eos exal-

Ttt tans

tans per gloriam in saeculo futuro, quæ & ipsa gratia est; Paulo testante: *Gratia Dei vita æterna.* Rom. 6. Quod & Petrus significat versu sequente. Porro cætera ad huius sententiæ declarationem pertinentiã, tequire in commentario B. Iacobi.

6 HUMILIAMINI IGITUR SUB POTENTI MANU DEI, UT VOS EXALLET IN TEMPORIS VISITATIONIS. In Græco non additur *visitationis*. Tantum enim legitur, *ἐν καιρῷ, in tempore.* Et huc adiecta videri potest dictio *visitationis*, ex loco capitis 2. huius epistolæ: *Glorificent Deum in die visitationis.* Erasmus hunc locum vertit, *ut vos extollat quum erit opportunum*; id est, quum ita iudicabit expedire; etiam in hoc saeculo. Nam *καιρὸς* propriè tempus commodum & opportunum significat. Verum multo melius, iuxta scripturæ consuetudinem, intelligitur dies aduentus Domini & vniuersalis iudicij; qui solet antonomastice nunc tempus, nunc dies vocari, vt Matth. 8. *Venisti ante tempus torquere nos?* Marc. 13. *Nescitis quando tempus sit.* 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* 2. Tim. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et Heb. 10. *Quanto videritis appropinquasse diem.*

Per potentem Dei manum omnipotentia Dei significatur. Vt Exo. 14. *Viderunt manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos.* Itaque sensus est: Quandoquidem Deus superbis resistit, & gratiam dat humilibus; humiliter vos Deo subijcite, & hominibus propter Deum; qui potens est deijcere superbos, & extollere humiles: Ita futurum vt vos exaltet magnosque faciat & gloriosos tempore sui aduentus ad iudicium. Rectè *exaltationem* extremo tempore retributionis assignat apostolus; quia presentis temporis exaltatio, præterquam quod meritorum proportioni non respondet, caduca est, & permodica, respectu gloriæ futuræ. Manifestè verò significat exaltationem illam futuri saeculi, gratiæ nomine comprehendi, de qua dixerat: *Humilibus autem dat gratiam.*

7 OMNEM SOLICITUDINEM VESTRAM PROICIENTES IN EVM. Proicientes, Græcè aoristus est *ἐπιπίπτειν*, vt rectè ita vertas: *Omni solitudine vestra proiecta in eum*; vel, vt Erasmus: *Omni cura vestra coniecta in eum.* Refertur hæc pars præcepti ad verbum, *humiliamini*; & addita est ad significandum quid inter alia postulet illa nostri humiliatio sub potenti manu Dei: nimirum perfectam omnium curarum nostrarum in Deum resignationem. Id enim est *omnem solitudinem nostram in Deum proijcere.* Quod sumpsit apostolus ex psalmo 54. in quo canitur: *Iacta super Dominum curam tuam.* Sunt enim eadem in Græco verba *ἐπιπίπτειν ἐπὶ χεῖρὸν τῆν μέγιστον*. Non igitur verat apostolus ne vllius rei

curam aut sollicitudinem habeamus: sed præcipit vt eam totam conijciamus in Deum: id est, vt in omni cura nostra de rebus necessarijs, & curam nostram postulantes, toti pendeamus à prouidentia Dei. Quod fit, dum à Deo tanquam vniuersali prouisoro, per ordinata media quæcunque petimus, expectamus. Constat autem inter media diuinitus ordinata esse operam & industriam; imò & curam ac sollicitudinem humanam: quemadmodum & preces ac supplicationes ad Deum. Et hoc modo conciliandi sunt loci scripturæ in speciem pugnantis; quorum alij prohibere, alij præcipere videntur sollicitudinem humanam de rebus quibuscunque. Prohibetur enim inordinata sollicitudo; præcipitur & laudatur ordinata: qualis est quam dixi & declarauit.

8 QVONIAM IPSI CYRA EST DE VOBIS. Hoc dicit loco eius quod in psalmo sequitur: *Et ipse te enutriet*: videlicet ex specie genus colligens. Non enim solum alimenta Deus homini, curam suam omnem in ipsum proijcitur: verum & alia præstat omnia, quæ benè & ordinatè ab ipso expectantur. Hæc autem fides & cogitatio prouidentia diuinæ, magnam adfert animis Christianis tranquillitatem & pacem; & ab anxietate, curisque superfluis liberat.

9 SOBRII ESTOTE ET VIGILATE. Repetit temperantiæ & vigilantia præceptum superiori capite datum versu 7. vt vehementius illud commendet; subiuncta etiam ratione necessaria. Græcè legitur sine coniunctione, *Νηφθατε, γρηγορατε.* Et quidem *νηφθατε* capite præcedenti venterunt interpretes, *vigilate*. Sed hic ira non potest exponi; propter verbum sequens *γρηγορατε*, quod propriè *vigilate*, significat. Qua de re plura diximus ad locum capitis præcedentis. Quod igitur hic dicit *νηφθατε*, idem est cum præcepto Dominico Luc. 21. *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Nam quod ibi sequitur, *& curis huius vite*; conuenit cum eo quod hic iam præcessit de sollicitudine nostra tota in Deum proijcienda. *Vigilia* significat attentam curam salutis aduersus hostilitatem. Sumpta metaphora à castrensis excubitoribus. Cæterum prius est, *sobrium esse*; deinde *vigilare*. Nam sobrietas aptum reddit hominem ad vigilandum; sicut è contrario saturitas somnum prouocat.

10 QVIA ADVERSARIUS VESTER DIABOLVS, TANQVAM LEO RVGIENS, CIRCVIT QVARENS QVEM DEVORET. Hæc, inquit, causa est, cur sobrios & vigilantes vos esse velim, quia perpetuum nobis bellum est cum aduersario vigilantissimo

& intentissimo ad nocendum, id est, diabolo. Cui resistere non poteritis, si crapula grauat & somno oppressos inueniat. Vocat eum *ἀντίδικον*, id est, *aduersarium*, exponens Hebraicum vocabulum *Satan*, quod *aduersarium* significat, & per antonomasiam principi dæmonum in scripturis attribuitur; vt qui iuratus sit hostis humani generis; in quod & peccatum & mortem, inuidia motus, introduxit. Gen. 3. Sap. 2. Idem antonomastice *diabolus* vocatur; id est, *calumniator, delator*, & vt nominat Ioannes Apo. 12. *fratrum accusator*: cuius omne studium est homines reddere vituperabiles ac Deo iniustos; quod solent criminatores & calumniatores. Cum alioqui non sit nescius calumniæ non esse locum apud Deum omnia scientem. His duobus nominibus, *diaboli & Satana* appellatur Apo. 12. & 20.

Comparat eum Petrus *Leoni*, præ fame rugienti, & prædam quærenti quam comedat; *Leoni* quidem, quia fortissimus & saeuissimus est: *Non enim est super terram potestas qua comparetur ei.* Job. 41. Ac fortasse respicit Petrus ad apertas dynastarum persecutiones, dum leonem nominat, non draconem: vt censet Augustinus enarrans illud psalmi 90. *Conculcabis leonem & draconem.* Et in homilia 35. inter 50. Deinde, *rugientis*, id est, famelici, epitheton huic leoni addit apostolus; quia perniciem nostram inexplebiliter appetit, nec vlla ei præda sufficit. Circuit autem, siue vt in Græco est, *περιπατεῖ, ambulat, obambulat* diabolus quærens quem deuoret (quemadmodum & ipse de se loquitur Job. 1. & 2. *Circuiuit terram, & perambulauit*) dum quaquaersum tendit laqueos tentationum, quibus pertrahat homines in peccata. Nam diabolo pertraxisse quemlibet in peccatum, est cum deuorasse. Facit autem hæc, tum per se, tum per ministros suos dæmones, imò & per homines malos. At quæres quomodo per se id faciat, cum Apo. 20. scribatur ligatus, & missus in abyssum & clausus, *vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.* Responso est, illis verbis figuratè significari quod diaboli potestas per aduentum Christi cohibenda fuerit ac restringenda vsque ad finem saeculi; quo appropinquante rursus soluendus sit, relaxatione potestatis; quando per Antichristum eiusque ministros ecclesiam Christi de integro tanquam instauratis viribus oppugnabit. Non tamen interea temporis cessat ab hominibus tentandis; sed tantum tentat quantum permittitur. Locum hunc adducens Cyprianus in sermone de zelo & liuore, pulchrè explicat multiplices diaboli per diuersa peccatorum genera tentationes.

9 CUI RESISTITE, FORTES IN FIDE. Fortes in fide, Græcè, *solidi fide*. Nam *σεβῶν*, idem est quod *firmi, solidi*. Hinc *σεβῶν* qua firmamentum. Docet B. Petrus diaboli

tentationibus, siue apertis siue occultis, resistendum esse firmitate fidei: qua videlicet non solum indubitanter credamus promissionibus Dei, verum etiam fiduciam in nobis excitemus eas consequendi, proposita nobis ante oculos Dei potentia & veritate, & misericordia per Christum. *Nam gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Io. 1. Et, *hæc est victoria qua vincit mundum, fides nostra* 1. Io. 5. Si mundum: igitur & mundi principem diabolum. Idcirco autem victoria qua diabolum & omnes eius tentationes superamus, ascribitur fidei: quia fides ostendit bona speranda, & ad ea capeffenda nos excitat animatque; & vnde petenda sint auxilia, quibus aduersario resistamus, docet. Hinc Paulus præcipit vt in ea lucta & pugna quæ nobis est cum potestibus nequitia spiritualibus, sumamus in omnibus *scutum fidei*, quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ephes. 6. De qua fidei virtute plenius idem Apostolus disserit Heb. 11. Hæc fides spem & charitatem adeo non excludit, vt eas secum adducat. Est enim fides sperans, diligens, inuocans, obediens, iustificans, operans; & proinde viuens; non ociosa, non mortua, quam informem Theologi vocant.

SCIENTES EANDEM PASSIONEM ET QVÆ IN MVNDO EST VESTRÆ FRATERNITATI FIERI. Eandem passionem, Græcè pluraliter *τὸ αὐτὸ τῶν παθημάτων* eandem passiones, siue afflictiones. Et fieri, Græcè *ἐπιτελεῖσθαι*, id est, *perfici, consummari, impleri*. Dicit *perfici*, siue *impleri*; ad significandum Dei decretum, quo vult electos suos non sine passionibus ad gloriam peruenire, testante Paulo Act. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sensus igitur est: Cum non ignoretis, fratres vestros passim per mundum dispersos, multa similia pati, Deo sic volente, qualia vos patimini. Hinc apparet Apostolum, vt supra dixi, respicere potissimum in hac exhortatione, ad tentationes quas diabolus ingerit apertas aduersus ecclesiam commouendo persecutiones. Quam ecclesiam vocat *fraternitatem*; quia fideles omnes fratres sunt sub vno patre Deo: Christo dicente Matth. 23. *omnes vos fratres estis.* Adijcit verò partem hanc Petrus, vt tentatos consoletur ex communi tentationis & certaminis cum fratribus alijs; quo communem patiter cum illis sperent à Deo victoriam.

10 DEVS AVTEM OMNIS GRATIÆ. Initium hoc est epilogi totius epistolæ, quo fidelibus afflictis precatur à Deo firmitatis & perseuerantiæ donum: ideoque *Deum omnis gratiæ* vocat epithero ad rem præsentem appposito: quo significat, omne bonum salutem (quod *gratia* nomine solet intelligi) à Deo datore & authore expectandum esse.

QUI VOCAVIT NOS IN ÆTERNAM SVAM GLORIAM IN CHRISTO IESU. Qui vocavit nos, utique vocatione gratuita. Nam id consequens est ex eo quod dixit Deum omnis gratia. Vocavit, inquam, in æternam suam gloriam, id est, ad hoc, ut æternæ suæ gloriæ participes nos faceret: sicut de se dixit supra, qui & eius quæ in futuro reuelanda est gloriæ communitator. Quod addit, in Christo Iesu, ad vocationem referendum videtur; ut sensus sit, Deum nos ad æternam gloriam vocasse per meritum Christi filij sui pro nobis passi. Cui tamen merito non sola vocatio, sed & omnis gratia subsequens, & ipsa gloria, sit ascribenda. Valet autem hæc pars ad augendam fiduciam, quia qui cepit opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. Philip. 1.

MODICVM PASSOS IPSE PERFICIET, CONFIRMABIT, SOLIDABITQUE. In Græco quatuor sunt verba, atque ea modi optatiui. Sic enim habet: *Modicā paf- sos ipse perficiat, siue instauret vos; fulciat siue stabiliat, roborat, siue confirmet; fundet, siue solidet.* In nonnullis quidem exemplaribus Græcis, quæ Robertus Stephanus annotavit, verba sunt indicatiui modi, temporisque futuri, quemadmodum in Latinis: verum ea minus probatæ sunt fidei. Tamen & Prosper lib. 1. de vocatione gentium cap. 24. citat hanc partem omnino ut nunc in Latinis legitur. Quæ tamen lectio sensum non facit diuersum. Sicut enim Hebræi futura pro præceptiuis usurpant; sic & interdum pro optatiuis. Iam quod ait: *modicum passos*, non tam indicat leuitatem afflictionum huius vitæ, quam durationis breuitatem: Quamuis enim alia alijs grauiora sint: omnes tamen breui spacio vitæ mortalis concluduntur. Vnde Erasmus & Hentenius verterunt: *parum, et afflictos.* Vide quæ supra diximus ad illud capituli 1. *Modicum nunc, si oportet, contristati.* Ita loquitur Dominus Isaia 54. *Ad punctum in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te.* Quamquam, si *modicum*, hoc loco sumas tam vt oppositum magnitudini, quam vt diurnitati; perinde commodus erit sensus: & congruet cum eo quod Paulus dicit 2. Cor. 4. *Quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ &c.* Porro in quatuor illis verbis pene synonymis, quæ desumpta sunt ab ædificantibus, congeries quedam est, qua metaphorice significatur fidelium in virtutibus instauratio & confirmatio vsque in finem.

II IPSI GLORIA ET IMPERIVM IN SÆCULA SÆCULORVM; AMEN. Precationem seu bonam optationem doxologia claudit; qua maior in Deum fiducia fidelibus afflictis addatur ex mentione summæ potestatis diuinæ, quæ signi-

ficatur imperij nomine. Habetur eadem clausula superiori capite, versu 11. Ex quo etiam apparet indicatiuè potius quam optatiuè exponendam esse. Nam verbum est illud additur. Sensum inde require.

12 PER SILVANVM FIDELVM FRATREM VOBIS, VT ARBITROR, BREVITER SCRIPSI. Græcè, *Per Siluanum vobis fidelem fratrem, vt arbitror, paucis scripsi.* Iuxta quam lectionem pronomen *vobis*, referendum videtur ad nomen *fidelem*, vt sensus sit, Qui vobis fidele præstat ministerium, tamen Syrus interpres; æquè vt Latinus, referat ad verbum *scripsi*. Quomodo refertur Heb. 13. *Etenim per paucis scripsi vobis.* Sic autem habet Syriaca versio: *Hæc pauca vt arbitror, scripsi vobis per Siluanum fratrem fidelem.* Vbi nota quod dicit demonstratiuè, *hæc pauca*: Quod est contra eos qui de alia quapiam epistola prius missa, Beatum Petrum hic loqui suspicantur. Quorum opinionem refellimus initio, cum de huius epistolæ auctore ageremus. *Siluanum* existimat Oecumenius eundem esse qui cum Paulo apostolo scribit vtramque ad Thesalonicensis epistolam. Erat enim Pauli collega in prædicando euangelio, *Silas* Hebræo nomine dictus; de quo multa Actorum cap. 15. & tribus sequentibus. Quod ait Petrus, *per Siluanum scripsi*, quidam sic accipiunt vt Siluano fuerit, vsus amanuensi in hac epistola scribenda. At verisimilius est sensum esse, *Scripsi mittendam per Siluanum.* Sic enim habent omnes hypographæ Græcæ epistolarum Pauli; *Scripta per Phœben, Timotheum, Tychicum, Onesimum &c.* id est, missa per eos. Continet igitur hæc pars commendationem Siluani, tanquam fidelis in euangelio ministri; nec non commendationem ipsius epistolæ, quod eam per talem virum miserit. Addit, paucis se scripsisse; ne molestum sit legere. Quomodo & Paulus Heb. 13. dicens; *Rogo vos fratres vt sufferatis verbum solati.* *Etenim per paucis scripsi vobis.* Illud verò, *vt arbitror*, non ad fidelitatem Siluani, vt quidam volunt (sic enim dubitandi de eius fide potius occasionem daret) sed ad breuitatem epistolæ refertur; additumque est modestiæ causa.

OBSECRANS, ET CONTESTANS HANC ESSE VERAM GRATIAM DEI IN QVA STATIS. *Obsecrans* Græcè *παρακαλῶν*, quod etiam verti potest *adhortans*, vt alij verterunt; huic loco non minus conuenienter. Nam & Syrus ita reddidit: *Et suadeo, ac restor quod hæc est gratia veræ Dei qua statis.* Colligit hic paucis verbis institutum suum Petrus; cur scripserit hæc epistolam, & quid in ea potissimum egerit. Hæc, inquit, scripsi, quo vos adhortarer vt maneat in fide suscepta; testificans vobis

tanquam testis & apostolus Christi, hanc, quam nobis prædicantibus suscepistis fidei gratiam, & in qua hactenus statis & permanetis; veram esse gratiam Dei, per quam nimirum verè Deo grati sitis ad vitam æternam.

13 SALVAT VOS ECCLESIA QVA EST IN BABYLONE COLECTA. Malè quidam codices, *collecta*: Nam Græcè est, *συλλεκτη*, id est, *colecta*, sicque legit Hieronymus, *ecclesia*, sed intelligitur. *Colecta* verò, id est, vna nobiscum à Deo electa; & vt Erasmus vertit, *vestra consortis electionis.* Respicere enim videtur Apostolus ad hoc quod in prima salutatione eos vocauit *electos*: ita scribens: *Electis aduenis &c.*

Quæritur quam *Babylonem* hîc dicat. Certè veteres, vt Papias Hierapolites episcopus & ex eo Eusebius lib. 2. hist. eccl. cap. 15. atque Hieronymus in Marco, & in epistola 17. Item Beda & Oecumenius in commentarijs; denique recetiores omnes orthodoxi, *Babylonem* Romam interpretantur. Quo nomine etiã in Apocalypsi cap. 17. & 18. Roma significata est: utique propter confusionem idololatricæ, quæ tunc in ea vigeat, vt quæ *omnium gentium seruebat erroribus*, sicut ait S. Leo in sermone de natali Petri & Pauli. Quanquam postea, apostolica prædicatione & institutione tandem effectum est, vt ex Babylone in sanctam Ierusalem & nouam Sion conuerteretur; qualis permanet in hodiernum diem, quemadmodum id pulchrè declarat Rupertus lib. 8. de glorificatione Trinitatis cap. 5. Ex hoc commentatio consequens est, Petrum Romæ fuisse atque sedisse: quod impudenter à sectarijs quibusdam negatur. Volunt autem *Babylonem* intelligi vel illam in scripturis nominatissimam Chaldææ metropolim; vel eiusdem nominis urbem in Ægypto, quæ Cairum hodie dicitur: quo videlicet Petrum Roma longissimè faciant


absentem: mirabili studio Catholicis contradicendi. Negant enim Petrum Romæ fuisse; quod tota testatur antiquitas: affirmant autem Babylone fuisse vel in Ægypto vel in Chaldæa; quod nulla prodit historia.

ET MARCVS FILIVS MEVS. Hunc esse *Marcum* qui euangelium conscripsit, omnes ijdem auctores quos modò citavi, confirmant. Vocat autem *filium suum*, quod propter sedulam in euangelio cooperationem singulariter charum haberet; vt de eo dicere posset, quod Paulus de Timotheo Philip. 2. *Quia sicut patri filius, mecum seruauit in euangelio.* De hoc Marco plura apud Hieronymum in catalogo, & apud Bedam in commentatio. An autem idè sit cum Ioanne Mariæ filio; & Barnabæ confobrino qui cognominatus est Marcus; cuius meminerunt Lucas Act. 12. & Paulus Col. 4. & 2. Tim. 4. dubitant nonnulli. Sed diuersum fuisse, probabilius est; ac benè probatur à Cardinale Baronio tom. 1. Annalium. Idem Baronius ad annum Christi 45. ex bonis authoribus docet Marcum fuisse spiritualem B. Petri filium, quem is baptismo genuerit. §. 31.

14 SALVATE INVICEM IN OSCULO SANCTO. Græcè, *in osculo charitatis.* Quod fere idem est cum *osculo sancto*; & opponitur osculo impuri & inhonesti amoris. De osculo sancto & de veterum consuetudine, salutandi cum osculo, vide quæ diximus in commentario Ro. 16.

GRATIA VOBIS OMNIBVS; QUI ESTIS IN CHRISTO IESU; AMEN. In Græco non *χαίρεις*, sed *εὐφραν* legitur, id est, *Pax vobis, &c.* Quæ consueta erat Hebræis salutandi formula; de qua egimus ad illud Ro. 1. *Gratia vobis & pax. Qui estis in Christo Iesu*, id est, Christianis. *Amen* approbantis particula est cum optatione. De qua vide quæ dicta à nobis Ro. 1. versu 25.





DE AVTHORITATE

SECUNDÆ EPISTOLÆ

BEATI PETRI
APOSTOLI

DE huius secundæ epistolæ authoritate dubitatum aliquando fuisse à nonnullis, testantur veteres: primus, Origenes in explicatione primi psalmi Davidici; deinde Eusebius historiæ eccles. lib. 3. cap. 3. & 19. ac rursus lib. 6. ca. 19. ubi Origenis verba commemorat. Et post illos Hieronymus in catalogo: Vbi & rationem addit cur dubitatum fuerit; nempe styli dissonantiam à priore epistola. Verum huius argumenti solutionem ipse Hieronymus suppeditat in epistola ad Hedibiam quæst. 11. his verbis: *Due epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se & caractere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diuersis eum usum interpretibus.* Sic ille, dissonantiam styli reiiciens in diuersitatem interpretis, id est, scribæ, quo pro tempore Petrus usus fuerit. Aliter respondet Caietanus, idcirco negans firmum esse hoc argumentum, quod *unum atque eundem hominem diuerso stylo quandoque scribere experientia testetur.* Et probat ex epistolis S. Gregorij papæ stylo multum dissonantibus ab alijs eiusdem scriptis. Alij tamen hanc characteris dissimilitudinem, cuius inter veteres solus Hieronymus meminit, non agnoscunt: adeo ut etiam Magdeburgenses affirmant stylum huius epistolæ cum priore valde similem sibi videri. Qua in re nos Catholici facile ijs assenimur. Nam opinio dissimilitudinis styli ex materiæ diuersitate nata videtur. Alioqui, etiam Caluino iudice, nihil habet hæc epistola Petro indignum: ita sanè ut vim Spiritus apostolici & gratiam vbique exprimat. Porrò Didymus Hieronymi præceptor, commentariolum suum in hanc epistolam sic concludit: *Non est igitur ignorandum, præsentem epistolam esse falsatam: qua licet publicetur (id est, publicè per ecclesias legatur) non tamen in canone est.* Sed dicendum est Didymum in hoc falli; idque malè colligere ex ijs quæ in fine epistolæ habentur de mundi renouatione; ubi tradi putat reuolutiones Platonicas. Esse autem hanc epistolam sacram & canonicam

nobis

nobis confirmant antiqua concilia Laodicenum & Carthaginense tertium, in quibus catalogo sacrorum librorum ascribitur. Item quicumque alij scripturarum catalogum recensuerunt; ut Athanasius in Synopsi, Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 8. Innocentius 1. in epistola 3. ad Exuperium, & Gelasius 1. in concilio LXX episcoporum. Sed & alij Patres, tam Græci quàm Latini, inter quos Origenes (homilia 7. in Iosue) & Hieronymus, multis locis frequenter ex hac epistola, tanquam scriptura sacra, proferunt testimonia. Quibus omnibus accessit definitio concilij Trid. sess. 4. ut iam de authoritate, epistolæ dubitare, prorsus non liceat. Nec his obstat quod in Syriaco non habetur. Nam ex eo non aliud colligas, quàm dubitatum aliquando fuisse: sicut & de epistola Iudæ, de quæ secunda & tertia Ioannis, & de eius Apocalypsi. Quæ similiter in editione Syriaca non exstant: Et tamen Syri doctores egregij, Ephren & Ioannes Damascenus, Græcam editionem merito plus facientes, ex hac ipsa epistola citant interdum testimonia pro sacris. Imo Damascenus lib. 4. cap. 18. expressè eam catalogo scripturarum intexit. Iam si canonica & sacra est hæc epistola: constat authorem esse Petrum apostolum, cuius nomen gerit in salutatione. Et sanè apostolum fuisse vnum ex tribus qui Dominicæ transfigurationi interfuerunt, apertè declarant illa verba capitis primi: *Et hanc vocem (Hic est filius meus dilectus &c.) nos audiuimus de celo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Quo argumento vitur Gregorius homilia 18. super Ezech. aduersus eos qui hanc epistolam negabant esse Petri apostoli, tribuentes eam alij cuiusdam Cephæ seu Petro, cui se Paulus in faciem restitisse scribit Gal. 2. cum ille reuera non alius fuerit; quemadmodum in eius loci commentario ostendimus.

AD QVOS SCRIPTA; ET QVOD EIVS

ARGVMENTVM.

Scripta est ad eosdem ad quos prior epistola. Quod planè liquet ex illis verbis capitis 3. *Hanc ecce vobis secundam scribo epistolam.* Cum autem prior scripta fuerit ad eos qui ex circumcissione erant fideles, ut in eius commentario satis à nobis demonstratum arbitror: etiam hanc ad eos, id est, Iudæos in Christum credentes, scriptam esse, consequitur. Id verò confirmatur etiam ex eo quod dicit ca. 1. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem.* Nam prophetarum sermo ad Iudæos factus fuerat, non ad gentiles: eratque Iudæis firmior apostolorum sermone; sicut illic explicabitur; eo quod prophetarum authoritas apud Iudæos diuturnitate temporis & consensu maiorum firmata iam erat; non item apostolorum, qui suam apud illos prædicationem astruebant ex dictis prophetis, tanquam oraculis diuinis. Hinc & illud quod ibi sequitur; *Cui benefacitis attendentes &c.* peculiariter ad Iudæos pertinet, qui diligenter ac studiosè ex libris prophetarum scrutabantur veritatem de Christo. Sunt qui scriptam velint vel peculiariter ad gentiles, vel ad

Tit 4

omnes

omnes Christianos promiscuè. Nam alterum horum putant significari ipsa inscriptione epistolæ: *ijs qui coequalem nobiscum sortiti sunt fidem*. Sed ad hoc respondebitur in eius loci expositione.

Argumentum epistolæ ipse B. Petrus indicat vno & altero loco. Primum vbi dicit cap. 1. *Propter quod incipiam &c.* Cum enim sciret breui futuram sui corporis dissolutionem; hac epistola fideles instruere voluit vt in sana doctrina, & studio bonorum operum, etiam se mortuo permanerent. Deinde, ac plenius, ca. 3. vbi declarat se hac epistola voluisse commonefacere fideles, vt firmiter inhæreant doctrinæ à prophetis & apostolis traditæ; nec ab ea se patiantur abduci per falsos magistros diuersa docentes: quorum etiam mores & studia graphicè depingit toto fere capite 2. Quod ipsum & Iudas apostolus facit in sua epistola, quæ cum hac eiusdem est argumenti, & huius velut compendium. Existimat Adamus post Hasselanum, has epistolas Petri & Iudæ dirigi aduersus Gnosticos: sed id refellit Lorinus, quia Gnosticorum hæresis posterior est apostolicis temporibus, vt constat ex Irenæo & Epiphano, & alijs qui de hæresibus scripserunt. Quamuis enim Petrus cap. 2. & 3. de illis seductoribus loquatur, tanquam venturis; venisse tamen eos iam suo tempore Iudas testatur, dicens: *Subintroierunt quidam homines &c.* Vnde intelligimus, alios iam tum viuentibus apostolis exortos fuisse; alios ac plures post eorum decessum, fuisse exorturos. Rectius itaque dixeris, tam Iudæ quam Petri hanc epistolam scriptam esse contra carnalem & spurcam familiam Simonis magi; quæ post eius mortem propagata fuit, & in varias hæreses dispersa: Item contra sectam Nicolaitarum, cuius meminit S. Ioannes in Apocalypsi. Sed confer ea quæ diximus ad 1. Tim. 6. ad finem, ibi, *Et oppositiones falsi nominis scientiæ.*

S V M M A R I V M

Gratiam & pacem precatus, admonet vt bonis operibus vacent; doctrinæ suæ sint memores, quam ipse à Domino, spectator gloriæ eius, acceperit: Item vt scriptis prophetarum attendant, quæ diuinitus illis inspirata fuisse declarat.

CAPVT. I.

SIMON PETRVS. Petrum apostolum antea vocatum fuisse Simonem euangelistæ testantur. Quod nomen ei à parentibus inditum, permansit vsque ad extremum vitæ diem. Non enim sic impostum ei fuit à Christo. Domino nomen Cepha, id est, Petri, Matth. 16. vt priori nomine vocari desineret, sed ex eo tempore binomius esse cepit; vt ex euangelij & Actis apostolicis constat. Quomodo nec Iacob Patriarcha, postquam ei dictum est, *Israel*

appellabitur nomen tuum, Gen. 32. prius nomen amisit; sed vtroque deinceps appellatus fuit. *Simon*, Græcè *συμεων*: quemadmodum & legitur hoc nomen Act. 15. *Symeon* narravit &c. tametsi quidam Græci codices hoc loco habent *σιμων*. Sed priori lectioni consonant veteres concordantiæ. Quod quidem nomen Hebraicè pronunciat Simhon, Gen. 34. 35. & alibi: pro quo LXX reddiderunt trissyllabam *Simeon*, (e) litera melioris faciliorisq; soni causa, interposita. At in euangelij passim dicitur *Simon*; voce ad vsum Græcæ consuetudinis aptata. Nam Simones fuere complures apud Græcos. Quod autem opinatur Oecumenius *Simonem* diminutiue dici à *Simeone*, minus placeat. De vocabulo *Petri*, vide quæ diximus ad initium prioris epistolæ.

SERVVS ET APOSTOLVS IESV CHRISTI. *Servum* Christi se vocat, propter ministerium euangelij docendi & propagandi, in quo seruebat Christo Domino. Id specialius explicat, addito nomine *Apostoli*, quasi dicat: Nō qualiscumque seruus Christi,

sed

sed apostolus. Qui gradus inter euangelij ministros summus erat; sicut & ipsum nomen, præcipuè dignitatis. Nam sui primatus mentionem huc vt inferret, haud opportunum erat.

IIS QUI COEQUALEM NOBISCUM SORTITI SVNT FIDEM. *Iis*, supple scribit. *Coequalem*, Græcè *ισοτιμον*, id est, *æque preciosam*. Non quod fides omnium Christianorum æque magna atque perfecta sit, ac parisi meriti; nā in euangelio alijs dicitur, *Magna est fides tua*; alij, quod modicè fidei sint, increpantur: Et discipuli Dominum rogant, *Adauge nobis fidem*. Luc. 17: Sed æquè preciosam dicit obiecti ratione; quod eadem promissa, ac eadem mysteria, per fidem omnibus sint proposita. Quo sensu scriptum est; *Una fides* Eph. 4. Sic Act. 11. idem Petrus: *Eandem gratiam* (Græcè *ισην δωρεαν*, *æquale donum*) *dedit illis Deus sicut & nobis: Sortiti sunt* Græcè *λαχῶσι*, *qui adepti sunt*, quibus contigit habere fidem &c. *Adepti sunt*, legit Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 23. ac nihilominus ex hoc loco probat fidem esse donum Dei; tanquam scriptum esset. *sortiti sunt*. Quamuis enim Græcum huius loci verbum non dicatur à sorte; tamen indicat, aliquid casu ac sine debito cuiquam obueniens, sicut ea quæ obueniunt sorte. Et aliàs hoc verbum cum sorte cōiungitur, vt Act. 1. vbi nos legitur: *Et sortitus est sortem ministrorum huius*. Vnde, etiam alij interpretes hoc loco verterunt. *sortiti sunt*. Constat autem gratuita Dei beneficia *sortis* nomine significari in scriptura; vt Eph. 1. versu 11. & Col. 1. versu 12.

Queritur quos designet Petrus, dicens: *ijs qui coequalem nobiscum &c.* Quidam gentiles significari volunt, tanquam assumptos ad eandem fidem & spem salutis cum Iudæis. De qua re Paulus multa ad Eph. 2. Alij, Petrum alloqui putant his verbis omnes fideles in genere. Omnes enim eandem cum apostolis fidem sortiti sunt. Sed cum satis appareat ex ijs quæ præfando diximus, epistolam hanc, sicut & priorem, specialiter ad Iudæos scriptam esse: restringenda erit ad Iudæos hæc inscriptio; præsertim cum non dicat, *omnibus*, sed, *indefinitè*, *ijs qui coequalem &c.* vt sensus sit: Fratribus Iudæis in dispersione positis (de qua in priori epistola) qui nobis apostolis ac primis fidelibus Iudææ incolis, fide & vocatione pares sunt. Nam si nihil discreuit Deus inter Iudæos & gentiles, quod ad beneficia salutis attinet; Petro teste Act. 15. minus certè discreuit inter ipsos Iudæos hoc nomine quod alij terrarum patrum suorum incolerent, alij per gentes essent dispersi.

IN IUSTITIA DEI NOSTRI ET SALVATORIS IESV CHRISTI. *In iusticia*, plerique exponunt *per iusticiam*; quemadmodum & legit Prosper, & alij interpretes verunt. Iuxta quam interpretationem dari po-

test hic sensus, Fidem electis contigisse per iusticiam, id est, merita Iesu Christi, qui idem & Deus noster est, & Saluator. Quod enim hunc commentarium nonnulli reijciunt, ea ratione quod fides non sit ex merito Christi, sed ex prædestinatione, vt aiunt; in eo sanè nullo modo sunt audiendi. Nam fidem esse donum Dei per Christum; quemadmodum & cætera salutis nostræ beneficia; ex scripturis clarum est, adeo vt sine magno errore negari non possit. vt ostendimus ex professo in 3. Sent. dist. 23. Et quid (obsecro) boni nobis est ex prædestinatione, quod non sit ex merito Christi: cum dicat Paulus Eph. 1. *Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus, in Christo; sicut elegit nos in ipso &c.* Sensus tamen ille non admodum congruere videtur; quia pars illa, *Dei nostri*, melius ad Deum Patrem refertur, ex more sermonis apostolici: quemadmodum & in versu sequenti. Patris autem non sunt merita, sed filij incarnati. Sunt alij, qui per *iusticiam* intelligant misericordiam, quæ expositio difficultatem non haberet, si *iusticia* nomine misericordia aliquando significaretur in scripturis. Igitur alij phrasim hanc, *in iusticia*, putant idem valere quod, *cum iusticia*: sic enim, aliquando beth Hebraicum vsurpari. Ita sensus erit percommodus, fidem dari cum iusticia, id est, comitante iusticia (quia per fidem iustificamur): quæ iusticia Dei est, tanquam auctoris; & Iesu Christi, tanquam nobis eam promerentis: propter quod & Saluator noster dicitur. Qui sensus est consentaneus euangelicæ & apostolicæ scripturæ: quæ docet nos ex fide iustificari; nimirum tanquam nos ad iusticiam disponente eamq; nobis impetrante: quæq; *iusticiam Dei* vocat eam quæ nobis ex Deo est, & Dei iudicio probatur. Vt Rom. 1. & alibi.

GRATIA VOBIS ET PAX ADIMPLEATUR. Salutis improcatio est; de qua vide quæ in priori epistola dicta sunt, nec non in epistolis Paulinis. Est enim hæc salutandi formula apostolis familiaris. *Adimpleatur* Græcè *πληθυντε*, *multiplicetur*, quomodo vertit interpres in priori. Quare quod Beda distinguit hæc duo, vtriusque epistolæ, *multiplicetur & adimpleatur*; quia nimirum, inquit, *illam incipientibus; hanc perfectioribus scripsit epistolam &c.* ex eo facit quod originalem scripturam non consuluit, vit alioquæ rerum diuinarum peritissimus.

IN COGNITIONE DEI ET CHRISTI IESV DOMINI NOSTRI. Multi codices tam Latini quam Græci non addunt *Christi*. Quod ait, *In cognitione*, fere similiter vt illud, *in iusticia*, potest bifariam exponi. Vno modo, *per cognitionem*, siue quod mavult Erasmus, *agnitionem*; hoc sensu: Gratia & pax vobis multiplicetur per fidem qua agnouistis Deum Patrem, & quem ille misit Iesum redemptorem ac Dominum nostrum.

Nam

Nam, Augustino teste, *fides prima datur, ut per eam cetera impetrentur.* Cetera, inquam, Dei beneficia, quæ nomine *gratia & pacis* comprehenduntur. Aliter, in *cognitione*, hoc est, vñ cum cognitione: vt crescente in dies cognitione, id est, fide vestra, simul cum ea crescant & multiplicentur in vobis cetera Dei dona. Prior sensus plenior est; quia præter concomitantiam etiam causalitatis ordinem declarat.

3 **QUOMODO OMNIA NOBIS DIVINÆ VIRTUTIS SVÆ, QUÆ AD VITAM ET PIETATEM DONATA SVNT.** In Græco non est, *donata sunt*, sed participium præteriti temporis, *δεδωμένως*, construendum cum genitivo *δυνάμεως, virtutis.* Erasmus ita vertit: *Vt eius diuina virtus omnia nobis largita est qua ad vitam ac pietatem pertinent.* Verum pressius ex Græco Hentenius, ad hunc modum: *Sicut omnia nobis diuina ipsius virtute, qua ad vitam ac pietatem faciunt, largiente.* Beda quoque duplicis lectionis meminit, *donata sunt, & donata est.* Et hoc posterius ad *virtutem* refert. Quæ versio Græcum participium accipit passiuè; cum frequentius vsurpetur actiuè. Eadem lectio videtur in alijs codicibus manuscriptis non paucis. Ceterum noster interpres, si vertit, *donata sunt*, verisimiliter in Græco legit verbum *δωρηται*, quod idem paulo post à Petro repetitur. Et illic ab interprete vertitur actiuè *donauit*; quomodo & hîc vertere poterat. Nam & Prosper ita legit in epistola ad Demetriadem & contra Collatorem ca. 29. Est quæ hæc lectio facilior & clarior: ac sensum reddit magis absolutum; scilicet Deum omnia diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem, nobis donasse. Laborant autem commentatores in connexionione huius partis cum præcedente; si tamen illi debeat annecti. Quod multis persuasum est, sed mihi non est probabile. Nam moris apostolici est, salutationem, quæ incipit ab illis verbis: *Gratia vobis & pax*, paucis verbis includere; moxque post eam à nouo principio epistolam ordiri; vt videre est in omnibus epistolis Pauli, quæ salutationem habent: itemque in epistola Iudæ, & ipsius Petri priore. Sic igitur & in hac epistola, Petrus salutationem absoluit superiore versu: hic autem versus initium est epistolæ. Iam nec illis assentior qui particulam *ως, quomodo*, volunt esse vel admirantis vel exclamantis: tanquam hoc sermonis schemate prorumpat Apostolus in commendationem beneficiorum Dei. Quod satis inusitatum est in epistolarum exordijs. Quare magis placet vt sit nota similitudinis, quæ vulgaris est eius acceptio. Sic autem & Paulus orditur epistolam priorem ad Timotheum. *Sicut rogavi te vt remaneres Ephesi.* Vbi quidem est *καθ'ως*, non *ως*, vt hoc loco: Sed hæc idem valent. Pendet autem huius partis sententia, vsque ad initium quinti versus. *Vos autem curam omnem &c.* Quæ est red-

ditio huius particulæ, *quomodo*: sicut ibi declarabitur. Exordium hoc epistolæ ducitur à magnitudine beneficiorum Dei, quæ fidelibus exhibuit; quorum commemoratione vult apostolus eos excitari ad studium bonorum operum. *Omnia diuina virtutis, intellige effecta, seu beneficia.* Sed hæc restringit, addendo, *qua ad vitam & pietatem*, subaudi pertinent. Nam de ijs tantum beneficijs hîc sermo est; quæ per Christum habemus, id est, de pertinentibus ad salutem vitæ æternæ; vt loquuntur Arausiani concilij 2. Patres canone 7. Quocirca, nec *vitam* temporalem hîc intelligimus, vt nonnulli; sed æternam, ad quam perducit pietas: aut certe spiritualem vitam, quæ in Dei cognitione & cultu consistit; vt explicandi causa additum sit vocabulum *pietatis*. Vtitur hac S. Petri sententia B. Prosper locis supra citatis, vt doceat omnia quæ pietatis sunt, etiam ipsa virtutum semina, esse Dei dona.

PER COGNITIONEM EIVS QUI VOCAUIT NOS PROPRIA GLORIA ET VIRTUTE. In Græco non additur *propria*. Sic autem habet, *διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, Per gloriam & virtutem.* Pro quo videtur interpres legisse *ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ, propria gloria & virtute.* Prosper legit *propria gloria virtute.* Sensus est, Deum Patrem nobis omnia quæ ad salutem pertinent donasse, per agnitionem filij sui, id est, per fidem qua in eum credimus, qui vocauit nos (vtique efficaci vocatione) per gloriosam suam virtutem, id est, bonitatem, benignitatem, misericordiam, & vt Paulus appellat Tit 3. *φιλανθρωπίαν: humani generis amorem.* Non enim hoc loco est *δύναμις, virtus, potentia*, vt in parte præcedente, sed *ἀρετή, virtus vitio opposita.* Quam nominauit etiam in prior epistola cap. 2. versu 9. Quod notandum pro conformitate huius epistolæ cum illa: siquidem vocabulum *ἀρετῇ* alibi in scripturis rarissimè occurrit.

4 **PER QUEM MAXIMA ET PRECIOSA NOBIS PROMISSA DONAVIT.** Græcè, *Per qua, preciosa nobis & maxima promissa (seu promissiones) donauit.* Notanda tamen Latinorum codicum varietas in relatio: Nam alij legunt *per quem*; alij *per quam*, Beda consentiente; alij, *per qua*; vt est in Græcis: nisi quod pro *δι' ὧν, per qua*, Robertus Stephanus vnum annotauit codicem in quo scriptum fuerit *δι' ὧν, propter quem.* Et quidem omnes hæc lectiones probabilem recipiunt commentarium. *Per quem, Christum; Per quam, gloriam & virtutem;* Vel vt Beda, *Per quam, cognitionem Christi.* *Per qua*, rursus gloriam & virtutem, *Propter quem, Christum.* Sed harum lectionum præterea, quæ plurium est codicum & editionis Romanæ, sensum præbet maximè euangelicum, & vbique obuium: nempe Deum Patrem per Christum filium suum qui nos bonitate sua vocauit

ad

ad salutem, donasse nobis preciosa, maximaque beneficia; quæ per prophetas olim se daturum promiserat. Ea sunt fides, pœnitentia, iustitia, peccatorum remissio, filiorum adoptio, regnum cælorum, vita æterna. Consonat huic loco Paulus Rom. 8. de Deo Patre loquens: *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Porro sciendum, pro *donauit*, Erasmus, Hentenius & alios ex Græco vertisse *donata sunt*. Vt roque enim modo verti posse verbum *δεδωρηται*, supra diximus: tamen si series sermonis exigere potius videatur, vt actiuè sumatur, referendo ad Deum Patrem; quàm vt passiuè, sine relatione ad personam.

VT PER HÆC EFFICIAMINI DIVINÆ CONSORTES NATURÆ. Mira commendatio beneficiorum Dei quæ per Christum nobis donauit; vt merito B. Petrus ea vocauerit *preciosa & maxima.* Nihil enim preciosius aut maius conferri nobis potuit, quàm per quod diuinæ naturæ consortes efficeremur, & quodammodo in Deos transformaremur. Id autem præstant nobis beneficia Dei per Christum; illud maximè, quod sumus filij Dei, per gratiam quidem, sed tamen quæ Dei-formes nos efficiat. Vnde Dionysius lib. de eccl. hier. cap. 1. *Salus non aliter existere potest, inquit, nisi ij qui salutem consequuntur, Dissint.* *Deificatio autem est Dei, quoad eius fieri potest, imitatio, & cum eo commissio; atque, vt ita dicam, unio.* Sic ille. Cum cuius verbis est conferenda Oratio Ecclesiæ Secreta Domin. 17. post Pentecosten. Ceterum multo perfectius hæc nostra diuinæ naturæ conformitas obtinebitur in futuro: *quando Deum videbimus sicuti est.* Perperam ex hac scriptura, qua dicimur effici diuinæ consortes naturæ; Cœlestius docuit consequens esse, *vt ita possit anima esse sine peccato, quemadmodum Deus.* Quod inter eius dogmata refert Augustinus libro de gestis Pelagij cap. vlt. Non enim diuinæ naturæ nobis proprietas datur aut promittitur; sed similitudo, consortium, societas; Græcè *κοινωνία*, 1. Cor. 1. 1. Io. 1. & alibi. Hæc autem societas & similitudo mutabilitatem naturæ creatæ non adimit. Rectè verò Cyrillus Hierosolymitanus in catechismi mystagogica 4. hanc eandem scripturam accommodat ad venerabile sacramentum Eucharistiæ; dicens nos effici consortes naturæ diuinæ, quando corpus & sanguinem Christi, qui Deus & homo est, intra membra nostra recipimus, eoq; alimur ac vegetamur.

EFFUGIENTES EIVS, QUÆ IN MUNDO EST, CONCVPISCENTIÆ CORRUPTIONEM. Græca sic habent: *Effugientes (seu potius, si effugeritis, aut, ubi effugeritis) eam quæ in mundo est, in concupiscentia*

corruptionem. In *concupiscentia*, vertunt alij, *per concupiscentiam.* Sentit apostolus eos demum effici diuinæ naturæ consortes, qui sese abstraxerint à corruptione carnaliū cupiditatum, quæ passim in mundo, id est, inter homines dominatur. Cum enim diuina natura purissima sit ab omni inquinamento: ad eius consortium (quæ maxima dignitas est) admitti non potest, qui adhuc corruptioni carnis inhæreat. *Corruptionem* vocat turpitudinem qua per illicitas ac fœdas libidines, dehonestatur humana natura. Sic infra cap. 2. *Cum ipsi sint serui concupiscentiarum mundi.* Et paulo post, comparat *volucubro lusi.* Ex quo intelligitur, Apostolum hac parte viam aperire ad doctrinam plenius eo loco tradendam aduersus scholam Simonis. Dicit autem *fugientes*, quia victoria qua superantur *corruptiones carnis*, potissimum in fuga sita est. Vnde & Paulus 1. Cor. 6. *fugite fornicationem.* Alij *corruptionem* de qua hîc Petrus loquitur, extendunt ad vniuersum genus prauæ concupiscentiæ. Sed quod prius dixi, magis arbitror esse consentaneum intentioni scriptoris, & argumento epistolæ.

VOS AUTEM CURAM OMNEM SVBINFERENTES. Græca plus habent: *Et hoc ipsum autem sollicitudinem omnem subinferentes.* Quod explicatè sic reddas: *Et vero ad hoc ipsum omni studio adhibito.* Videtur autem hîc supplendum *ἀνταποδοῦναι* illius vocis *ὧν*, quomodo quæ fuit versu 3. Nam huc vsque sententia pendet: vt sensus & connexio sit ista; *Quomodo Deus in vos maxima contulit beneficia, adeo vt euexerit ad consortium quoddam suæ naturæ: ita vicissim & vos ad hoc ipsum, nempe vt accepta Dei dona per eius gratiam in vobis permancant, multiplicentur & crescant; omni cura adhibita, facere debetis quæ sequuntur.* Locus pro cooperatione liberi arbitrij cum gratia Dei: quæ tamen ipsa cooperatio tota sit attribuenda Dei auxilio operantis in nobis & velle & persicere. Philip. 2. Obserua, hunc versum cum sequentibus continere propositionem generalem huius epistolæ; præsertim si addas quod proximè præcessit de fugienda corruptione concupiscentiæ mundanæ. Nam id agit Petrus in hac epistola, vt fideles facti participes donorum Dei, in iisdem studio bonorum operum quotidie crescant, & falsos doctores corruptionis seruos sedulo deuitent.

MINISTRATE IN FIDE VESTRA VIRTUTEM. *Ministrate*, Græcè *ἐπιχορηγεῖτε*, id est, *subministrate, suppeditate.* Quæ voce rursus cooperatio nostræ voluntatis cum Deo significatur.

Totus hic sermo B. Petri vsque ad versum octauum, climaticus est, siue scalaris, constans septem gradibus; quibus per octo

virtu-

virtutes iucundissime progreditur. Quamuis alij non proprie gradationem esse volunt, sed virtutum quandam congeriem, quas velut in fertum pulcherrimum Petrus concinnauerit: vt de ratione ordinis per singulas non sit valde laborandum: quemadmodum nec in eo loco Pauli Gal. 5. vbi primum opera carnis, deinde fructus spiritus enumerat: licet subriles quorundam speculationes, rationem ordinis assignantiam per singula, non contemnamus. Præpositionem *in*, non eodem modo omnes interpretantur. Si consueto Hebraismo sit idem quod *per*; non parum difficultatis adfert ea acceptio. Non enim facile explicatur, quomodo in tota hac serie virtutum posterior subministranda sit per priorem, tanquam in priore causalitas quadam sit respectu posterioris; Nec illi rectè, qui per datiuos singula membra exponunt; *in fide*, id est, *fidei ministrare virtutem*; & sic deinceps. Nam, præterquam quod obscuritatem habet hic sensus; eiusmodi Hebraismum authores illi non probant exemplis. Quapropter ijs accedere malimus, qui voculam, *in*, Hebræorum more; pro Beth adhesionis accipiunt, & per *cum* exponunt. Cuius acceptio exemplum est psalmo 2. *Seruite Dominum in timore, & exultate ei in tremore*. Sic enim habent Hebræa & Græca: quod exponitur, *cum timore*, & *cum tremore*; sicut exponit Paulus Philip. 2. Item, Gen. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum*, id est, cum baculo meo; quasi dicat, solus sine comite; vt bene Chaldaeus interpretatur. Similiter Osee 4. *Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri & in volucre celi*, id est, cum bestia agri & cæteris. Igitur ministrare in fide virtutem, est simul cum fide subministrare virtutem: hoc est, fidei coniungere virtutum opera, ne fides sit inanis, informis & mortua. Nam hic rursus in Græco est ἀπετη, non δυνάμεις. Hic sensus etiam apud Bedam legitur eumque fere amplectuntur recentiores. *Fidem* primo loco nominat Petrus, quod ea reliquarum virtutum Christianarum sit fundamentum ac basis.

IN VIRTUTE AVTEM SCIENTIAM. Hoc est, virtutum studio coniungite scientiam: vel eam quæ est mysteriorum fidei, vt hæc non tantum nudè credatis, verum etiam aliquatenus intelligentiâ asssequamini; quæ est Oecumenij expositio: vel, secundum alios; eam scientiam, quæ opera virtutum dirigat & ratione moderetur, ne quid in illis sit plus aut minus: vt hac parte virtus prudentiæ significata sit. Quod magis probat. Nam simili sensu Paulus Ro. 10. scribit de Iudæis quod zelum, id est, *am-*

lacionem & studium Dei habent, sed non secundum scientiam.

6 IN SCIENTIA AVTEM ABSTINENTIAM. Græcè τὴν ἐγκράτειαν, quam alij interpretantur *temperantiam*. Significatur autem ea virtus quæ in frangendis ac reprimendis voluptatibus versatur. Hæc enim si non adsit: obnubilatur ratio, quam in dirigendis actionibus prudentia consulere debet. Nonnulli suspicantur hæc parte notari Simonianos & alios inde ortos, turpia quædam exercentes, cum interim scientiam profiterentur. Quæ de re vide quæ dicta sunt ad illa verba Apostoli Pauli, *Oppositiones falsi nominis scientiæ*. 1. Tim. 6. in fine.

IN ABSTINENTIA AVTEM PATIENTIAM. Id est: *Abstinentia patientiam adiungite*. Sunt enim quidam voluptatum abstinentes, ijdem tamen externarum perturbationum, afflictionum, & iniuriarum impatientissimi. Quos tangit hæc Petri admonitio. Laudatur illud Philosophicum præceptum, quod memorat Gellius lib. 17. ca. 19. *Sustine & abstine*.

IN PATIENTIA AVTEM PIETATEM. Græcè τὴν εὐσεβειαν. Quæ voce pietas in Deum significatur. Itaque monet apostolus patientiæ coniungendum studium pietatis. Nam sine Dei & promissionum eius respectu non est vera patientia; quæ Græcis ἐπιμονὴ dicitur, id est, aduersarum rerum sustententia, cum expectatione securitatis liberationis ac felicitatis.

7 IN PIETATE AVTEM AMOREM FRATERNITATIS. Græcè τὴν φιλαδελφίαν, id est, *amorem fraternam*. Hunc præcipit adiungendum pietati; quia sine illo cultus Dei qualicumque non erit pietas, sed pietatis species. *Nā si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit: mendax est*. 1. Io. 4.

IN AMORE AVTEM FRATERNITATIS, CHARITATEM. *Fraternitas*, id est, *fraternitas*; sicut in membro præcedenti. Vult Apostolus fratres diligi, non carnali aut seculari amore, sed spirituali; scilicet propter Deum super omnia dilectum. Quem amorem scriptura passim ἀγάπην vocat; & interpretes, *charitatem*: quam & Paulus 1. Cor. 13. & Ioannes pene tota sua 1. epistola, mirificè commendat & laudat. Concludit hanc virtutum coronam B. Petrus in charitate, quod ea sit omnium virtutum forma, perfectio & complementum.

8 HÆC ENIM SI VOBISCVM ADSINT, ET SUPERENT. Ab hoc loco vsque ad verbum 12. ostendit utilitatem virtutum ac bonorum operum. Multi codices sic habent; *Hæc enim vobis cum adsint & superent*. Quomodo verisimile est interpretem verisimile: sed quia scribentium vicio ex duabus

vocibus vna facta est, *vobiscum*; sicque oratio manca reddita: alij suppleuerunt, addita particula *si*. Quamquam in Græco participia sunt, ὑπαρχόντων καὶ πλεονάζοντων, quæ utroque modo resolui possunt, id est, per *si* & *cum*. Porro *superent* dixit Interpretes pro *exuberent*: nisi & hoc ab Interprete datum fuit, & ab imposito vel oscitante scriba mutatum in *superent*.

NON VACVOS NEC SINE FRVCTV VOS CONSTITVENT IN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI COGNITIONE. *Vacuos*, Græcè ἀργούς, ociosos, ab opere vacantes. *Sine fructu* Græcè ἀκαρπύτους, infructuosos. Pro quo quidam codices ἀπεάντες; quod Erasmus vertit, *in irritum labo anes*. Malim *inutiles*, nihil operis agentes. Est enim penè synonymum cum eo quod dixit ἀργός. *Constituent* Græcè καθίσταναι, *constituunt*, temporis præsentis. Quod respondet illi Latine lectioni: *Hæc enim vobis cum adsint*. Nec Græcè est, *in cognitione*, sed, *eis τὴν ἐπιγνωσιν ἐν cognitione*. Licet eis pro *ἐν* ab Apostolis vsurpetur interdum. Dicamus sensum huius versus: Quod si hæc enumerata, videlicet virtus, scientia, abstinentia &c. adsint vobis; aut, dum adsint & exuberant, id est, dum ijs non solum instructi estis, verum etiam aucti vsque ad exuberantiam: nequaquam ociosos, infructuosos aut inutiles vos constituent, aut constituunt, reddunt, efficiunt, in fide Christi; sed (quod è contrariis intellige) operosos, fructuosos, & vtilis: Ac si dicat; Harum virtutum diligenti exercitio fiet vt facies vestra coram Deo non sit inanis & mortua. *Cognitionem*, Græcè ἐπιγνωσιν pro fide iam tertio posuit: quemadmodum rursus in fine epistolæ his verbis: *Crescite in gratia & cognitione Domini nostri Iesu Christi*. Discrimen tamen est, quod fides obscuritatem importat; ideoque post hanc vitam euacuanda est; cognitio autem quæ nihil includit imperfectionis, perficienda, dicente Paulo: *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Hic nota; contra sectarios, fidem sine operibus esse posse, sed non prodesse. Quod quidem Petrus studiosè agit in hac epistola, propter illos, qui ex epistolis Pauli malè intellectis opera negligebant, sola fide contenti. De quibus infra cap. 3. Sed & hoc nota; à fidelibus præstari posse bonorum operum abundantiam: tantum abesse, vt omne opus hominis sit peccatum.

9 CUI ENIM NON PRÆSTO SVNT HÆC; CÆCVS EST ET MANV TENTANS. Probatio est à contrario. *Manu tentans* Græcè πωπιάζων. Quæ vox deducta est à πωπιάζω, *nictare*, *conminere*, & ὄψ, id est, *oculus*. Dicuntur enim πωπιάτες, qui non vident nisi quæ oculis prope admouentur. Quod vi-

cium multis naturale est; nonnullis aliunde contractum. Hinc quidam vertunt, *Nihil eminus cernens*. Secundum quos sensus hic reddi potest: Cui memoratæ virtutes non adsunt, is mente cæcus est, non sic quidem vt nihil videat; sed ita vt tantum proximis, id est, rebus huius mundi quas diligit, sese applicet; ad cælestia, tanquam procul posita, aciem oculorum mentis intendere non valens. Alij Græcam dictionem deriuant à muribus sub terra degentibus, id est, talpis, quæ extra cauernas nihil vident, sed quicquid obuium est, sequi solent, donec cauum nanciscantur. Atque hoc attendisse putant interpretem, dum vertit, *manu tentans*; quod facere solent cæci, non manibus tantum, sed & pedibus palpitando viam quaerentes. Ita sensus est; Cui hæc non adsunt, is tanquam cæcus in tenebris errat, manu palpans ac viam quaerens. Nescit enim quod iter suum dirigat: Nescit, inquam, practicè; quia fidem suam operando non exercet. Ideoque necesse est eum passim impingere. Huc adducitur locus Deuteron. 28. ad quem putant Petrum alluisse: vbi inter maledictiones legis, hæc ponitur; *Percussiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis: & palpes in meridie sicut palpares solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas*. Verum eo loco diuersæ sunt dictiones in Græco, quibus ista palpatio significetur.

OBLIVIONEM ACCIPIENS PVRCATIONIS VETERVM SVORVM DELICTORVM. Hoc est, *oblitus sese à veteribus suis peccatis fuisse purgatum*: vt vertit Erasmus, sensum potius quam verba reddens. *Purgationem*, intelligit Apostolus quæ fit in baptismo; & *vetera peccata* vocat, quæ commissa fuerunt ante baptismum. Dicit autem *oblitus esse purgationis peccatorum*; quia cum ad hoc à peccatis purgemur in baptismo, vt deinceps in sanctitate & iusticia vitam agamus; hoc qui non præstat, ingrati tudinis arguitur tanquam oblitus beneficii prioris. Arguitur etiam ignorantia, quasi oblitus quorsum factus sit Christianus. Addit igitur hanc partem B. Petrus, ad exaggerandum eorum socordiam, simul & ingrati tudinem, qui cum Christi beneficio purgati fuerint à peccatis, non student bonis operibus acceptam vitæ nouitatem conseruare, sed ad priora relabuntur. Aduersus quos plura sub finem capituli sequentis.

10 QVAPROPTER FRATRES MAGIS SAGITATE VT PER BONA OPERA CERTAM VESTRAM VOCATIONEM ET ELECTIONEM FACIATIS. Illatio est exhortatoria, qua indicatur noua ratio cur incumbere debeant bonis operibus, sumpta nimirum à certitudine vocationis & electionis. *Vt* particula non denotat causam

finale, sed determinat quid faciendum. Sic enim in Græco est: *Idcirco magis, fratres, studete (sive operam date) firmam vestram vocationem & electionem facere.* Non ergo dicit studendum bonis operibus, ut certam aut firmam faciant suam vocationem & electionem; quanquam hoc ex studio bonorum operum sine dubio consequitur; sed hoc ipsum est quod præcipit, studiosè procurare suæ vocationis & electionis certitudinem siue firmitatem. Et si verò Græci codices non habeant additum illud: *Per bona opera*, nisi perpauci, quos citat Robertus Stephanus: Latini tamen omnes vulgaræ versionis, constanter exhibent. Et cum eo addito citat hunc locum Synodus Tridentina sess. 6. capit. 11. Nam etsi fortè Beatus Petrus non addidit, de quo non contendo: tamen ex toto contextu huius loci, & scopo Apostoli, constat intelligendum esse, ut sensus sit: Itaque fratres *magis*, (id est, potius, vel *magis*, id est, amplius, diligentius) operam date, ut vocationem vestram, qua per gratiam Dei in tempore vocati estis; & electionem, qua ab æterno electi & prædestinati estis ad hereditatem regni cælestis; certam firmamque reddatis. Reddatis, inquam, per opera virtutum, quas recensui; & ad quas ego vos nunc ex professo adhortor. Redditur autem certa & firma vocatio & electio cuiusque per bona opera: *certa* quidem, quia studium bonorum operum signum est electionis certum suo modo, id est, in genere signorum bene probabilem. Sic enim usurpari frequenter solet certitudo. *Firma* verò; quia constanti bonorum operum studio firmatur ac stabilitur homo Christianus, ne à sua vocatione & electione, id est, ab eo ad quod vocatus & electus est, excidat. Facit enim quod dicitur Apocal. 3. *Tene quod habes; ut nemo accipiat coronam tuam.* Hoc posterius quod dixi, propius explicare videret mentem Apostoli. Nam Græcè est *βεβαιω*, quod *firmam* propriè significat: quemadmodum & infra vertit interpret, ibi, *Et habemus firmiorem propheticum sermonem.* Deinde, quia huic firmitati lapsus opponitur in parte proximè sequenti. Certitudini autem dubitatio vel incertitudo opponi deberet. Veruntamen, siue certitudinem siue firmitatem hinc intelligas, satis iam patet ex sensu quem dedi, verba Beati Petri nihil adiuuare eos, qui fidem ab vnoquoque specialem exigunt suæ electionis; qua nimirum certissimè statuat se esse electum. Quæ non est fides, sed temeraria præsumptio: & doctrina qua docentur homines, ad fidem istam specialem ipsos teneri; tantum abest ut fidei sit doctrina, ut contrà sit perdita & perditrix heresis, à Patribus Concilij Tridentini condemnata.

Iam nec illud ex verbis B. Petri consequens

est, electionem pendere ab operibus bonis; nisi tantum secundum aliquid: quatenus scilicet æterna felicitas ad quam electi sumus, non datur adultis nisi mandata Dei seruantibus; & quatenus ea pendet à bonis operibus, tanquam merces à merito. Quæ tamen opera bona sub eadem absoluta cadunt electione; dicente Paulo: *Elegit nos ut essemus sancti.* Et iterum: *Creauit in operibus bonis, que preparauit Deus ut in illis ambulemus.* Ephes. 1. & 2.

HÆC ENIM FACIENTES, NON PECCABITIS ALIQUANDO. *Non peccabitis*, Græcè, *ὀχι ἁμαρτήτε, nequaquam labemini.* Pro quo verbo Ambrosius lib. 3. de fide capit. 6. & Idacius contra Varimadum, legunt *errabitis*. Noster interpret alibi vertit *offendere*, ut Rom. 11. *Namquid sic offenderunt ut caderent*: Et Iac. 3. *In multis offendimus omnes.* Ex quibus locis satis intelligitur hoc verbum patere ad maiores & minores lapsus. Nam priori loco grauis lapsus significatur; posteriori, culpæ minores. Vnde non præter usum huius verbi est, si hinc de grauiore lapsu exponatur. Nec enim sensus esse potest, eum ne leuiter quidem peccatum aliquando, qui hæc fecerit: siue pronomen *hæc* referatur ad *bona opera*, secundum codices Latinos; siue ad virtutes ante recensitas, secundum Græcos, quibus illud *per bona opera* non legitur; ut dictum est. Igitur sensus est, Si virtutum operibus exercendis sedulè insistatis: non exciditis, non aberrabitis à via veritatis. Vel, Non exciditis ab eo ad quod vocati estis; quod est certum argumentum electionis. Probat enim quod dixerat, per bona opera confirmari vocationem & electionem. Sic è diuerso dictum est à Paulo, quosdam bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragasse 1. Tim. 1. Hoc enim mentur qui bona opera negligunt, ut fidei donum amittant.

SIC ENIM ABUNDANTER MINISTRABITUR VOBIS INTROITVS IN ÆTERNVM REGNVM DOMINI NOSTRI ET SALVATORIS IESV CHRISTI. *Abundanter* Græcè *ἀφθονως*, id est, *opulenter*; & accipitur pro eo quod est, *abundè & splendè.* *Ministrabitur* dixit Interpret pro *subministrabitur*, ut supra ver. 5. Est enim idem in Græco verbum: & ad illum locum hinc alluditur. Nam sensus est, Si vos subministraveritis in fide virtutè & cætera prius enumerata; sicque per ea confirmaueritis electionem vestram: fiet ut vicissim vobis abundè subministraretur introitus in regnum Christi. Quasi dicat: Si diuites & abundantes fueritis bonorum operum: diuites & abundantes eritis præmiorum, quæ vobis in introitum regni cælestis conferentur ab ipso rege & agonotheta Christo Domino & Salvatore nostro. Huc quadrat illud Pauli 2 Corinth. 9. *Qui seminatur in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Significant huiusmodi sententiæ proportionem meritum & præmiorum

apud

apud Deum. Obseruanda sunt hæc, contra nostri temporis sectarios, qui merita bonorum operum negant. Item contra veterem hæreticum Iovinianum, qui virtutum ac præmiorum disparitatem tollebat.

12 PROPTER QVOD INCIPIAM VOS SEMPER COMMONERE DE HIS. Indicat Apostolus hac parte, & causam scribendæ huius epistolæ, dicens; *propter quod*: & argumentum, subiungens; *de his*. Causa est procuratio salutis eorum ad quos scribit: Argumentum, exhortatio ad firmitatem fidei & ad studium bonorum operum. Pro verbo *incipiam*, Græcè est *ὀχι ἀμελήσω*; non negligam, sicut omnes alij verterunt. Quanquam apud Robertum Stephanum vnius codicis lectio sic habet, *ὀχι μελήσω*, non differam, non procrastinabo. Verisimile admodum est, interpretem nostrum absque negatione legisse *μελήσω*, pro quo verterit *incipiam*. Nam Græcum verbum *μελέω* vsitatissimè significat *futurum esse*: quod vulgaris passim reddit incipiendi verbo. ut Ioan. 4. *Incipiebat enim mori*. Actorum 23. *Incipientem interfici*. Iac. 2. *Incipientes iudicari*. Ita sensus Beati Petri esset: *Propter quod deinceps semper commonebo vos* &c. Verum quia futurum *μελήσω* vix est in vsu apud Græcos; licet alicubi apud Platonem legatur, certè nusquam in sacris literis: idcirco verior arbitror eam lectionem, quam habent omnes aut penè omnes Græci codices. Nam omnes habent negationem; penè omnes, *ἀμελήσω*. Quod verbum optimè conuenit huic loco. Ut, inquit, ampla præmia recipiatis à Deo; non negligam vos ad exercenda bona opera adhortari. id est, assidue atque sollicitè vos commonefaciam & adhortabor. Est enim in negatione litote, frequens in Scripturis, qua minus dicitur & plus intelligitur. ut in psalmo, *Contritum non despicies*.

ET QVIDEM SCIENTES ET CONFIRMATOS VOS IN PRÆSENTI VERITATE. *Et quidem* Græcè *καίπερ*. *Etsi*. Addit enim hoc, ut mitiget molestiam admonitionis ad eos qui videri poterant per se satis instructi & confirmati. ac si dicat: Quamuis satis instructi sitis & virtutum exercitatione confirmati in præsentis veritate, id est, in hoc genere doctrinæ de quo nunc scribo vobis; non tamen omittam de eo vos assidue commonefacere; ita ut quod præsens verbo non possum, absens nunc agam per epistolam. Similis est mitigatio in epistola Iudæ: *Commonere vos volo, scientes semel omnia*. Et apud Ioannem 1. ep. 2. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam*.

13 IUSTVM AVTEM ARBITROR, QVAMDIV SVM IN HOC TABERNACVLO, SVSCITARE VOS IN COMMONITIONE. Pars hæc rationem continet superioris: quia iustum est ut hoc faciat, id est, excitet eos per

commonitionem. *Iustum*, inquam, ratione officij debiti; quoniam Apostolus ipsorum & pastor erat. Quantumuis enim subditi sint benè instituti & firmi in doctrina sana: non tamen pastoribus licet prætermittere suum officium illos admonendi: quemadmodum benè hinc annotat Caietanus; quia nunquam deest in grege quod sanetur, foueatur, consolidetur & custodiatur. Ezech. 34. Appositè verò corpus suum mortale quod gerebat, *tabernaculum* vocat; quia tanquam peregrini & aliò tendentes, tantum ad tempus in corpore mortali isto, moramur, breui illud relicturni, & accepturi habitationem cælestem, id est, *domum non manufactam, æternam, in celis*. 2. Cor. 5. Quo loco similiter corpus hoc corruptibile *tabernaculum* Paulus vocat. *Nam*, inquit, *& qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati*. Cæterum alia ratione carcer vocatur, ut psalm. 141. *Educ de custodia*, id est, de carcere, *animam meam*: scilicet propter miseriam huius mortalitatis & corruptionis; secundum illud: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*. Sap. 9.

14 CERTVS QVOD VELOX EST DEPOSITIO TABERNACVLI MEI. Hæc altera ratio est, priorè confirmans, cur magis etiam necesse habeat eos excitare sua commonitione. *Certus* Græcè *ἐπιδως*, *sciens*. Erasmus ita vertit: *Cum sciam breuis futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum*. Quod & passiuè potest exponi; *Ut deponatur hoc meum tabernaculum*. tamen rectè se habet, *ut deponam*: non quod potestate depositurus esset Petrus corpus suum, sicut Christus animam suam potestate posuit; Ait enim: *Potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Ioan. 10. sed quia voluntariè mortem obiturus erat pro Christo, quantum ad voluntatem deliberatam attinet: et si voluntas, ut natura, reclamaret; secundum quod ei dictum fuerat à Domino, *Cum senueris, alius te cinget, & ducet quò non vis*. Ioa. 21. Porro certum se dicit, ex diuina reuelatione. Nam sequitur,

SECVDVM QVOD ET DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS SIGNIFICAVIT MIHI. *Secundum quod*, Græcè *καθως*, *quemadmodum*. Dixerat quidem illi Dominus, *Cum senueris* &c. vbi subiungit euangelista, Dominum significasse, *qua morte clarificaturus esset Deum*: verum non illuc respicit Petrus hoc loco (quamuis illa Scriptura hinc ad marginem citeretur in plærisque biblijs) sed ad nouam reuelationem. Dicit enim sibi significatum, quod velox, id est, breui futura, sit tabernaculi sui depositio. Ex quo etiam constat, Petrum iam senem, ac mortis vicinum hanc epistolam scripsisse: & quidem verisimiliter post illud tempus, quo, iuxta veterem historiam, testibus Hegesippo lib. 3. de excidio Ierosolymitano capit. 2. & Ambrosio epistola 33. audierat à Christo:

V V V 2

Vado

Vado Romam iterum crucifigi. Quod de se ipso Petrus interpretatus, pro reuelatione vicinæ mortis per crucem inferendæ, accepit. Nam quod refert Metaphrastes apud Suriū 29. Iunij, Petro, cum in Britannia versaretur, ab angelo fuisse dictum: *Petre, tempus instat tua resolutionis; & oportet te ire Romam: ubi cum mortem per crucem sustinueris, recipies mercedem iustitiæ*: suspectæ fidei est, ut & alia nonnulla de Petro, eiusdem authoris. Cerrè Beda rerum Britannicarum gnarus si quis alius; nihil tale meminit, nec in commentario, nec in historia ecclesiastica. Probabilius illud, quod indicare videntur verba Leonis sermone 1. in natali Apostolorum Petri & Pauli, quibus ita Petrum affatur: *Nec ut dubium de prouectu operis, aut de spacio tua ignarus atatis tropheum crucis Christi Romanis arcibus inferbas: quo te diuinis præordinationibus antebant & honor potestatis & gloria passionis*. Quæ utique verba significant, Petro reuelatum fuisse ætatis suæ spacium, priusquam Romam primùm veniret, id est, annis circiter octodecim ante mortem. Quo spacio prope finito, potuit dicere se certum, quod velox esset, id est, immineret, depositio sui tabernaculi. Nobis tamen magis probatur, quod prius dixi; & quæ ferè omnium sententia est, Petrum loqui de reuelatione recenter sibi facta. Nam Apostolis frequentes fiebant reuelationes.

15 DABO AUTEM OPERAM ET FREQUENTER HABERE VOS POST OBITUM MEVM VT HORVM MEMORIAM FACIATIS. *Frequenter*, Græcè ἐκαστῶτε, id est, *unoquoque tempore, identidem, semper*, ut alij vertunt. Erasmus refert hoc aduerbium ad verbum præcedens, *Dabo operam*. Sic enim vertit: *Dabo semper operam*. id est, Non desinam quoad viuam, curare &c. Sed melius refertur ad verbum *habere*, vel *memoriam faciatis*, vel potius ad vtrumque coniunctum, ut ex sensu patebit. Nec enim poterat breui moriturus dicere, *Curabo omni tempore. Habere*, positum pro *posse*, Græca consuetudine. Nec in Græco est *obitum*, sed ἐξόδον *exitum*, *excessum*, *decessum*. Qua in voce seruauit metaphoram; meminerat enim tabernaculi: simul insinuat mortem non aliud esse quàm exitum animæ è tabernaculo corporis. Quod idem est cum tabernaculi depositione. Versio clarior esset hoc modo: *Ceterum dabo operam, etiam identidem posse vos post meum exitum horum mentionem facere*. Hoc est, *Quin & curam atque operam adhibebo, ut, post meum decessum, omni tempore possitis horum de quibus nunc scribo, memoriam vobis renouare*. Id autem fecit, relinquendo illis monumentum suarum epistolarum: quibus sæpè relectis, futurum esset ut præceptorum ac monito-

rum eius nunquam obliuiscerentur.

Porro quidam Catholici scriptores ex his Petri verbis probari posse putant intercessionem sanctorum pro viuis: facientes hunc sensum; *Dabo operam ut post obitum meum vestri sim memor, Deum videlicet oraturus pro vobis, ut horum quæ scribo memoriam habeatis*. Sic accepit Chrysostomus sermone in Petrum & Paulum: si tamen eius est totus. Nam sub finem mirè variat. Nec citat Petri verba ut apud ipsum leguntur, sed hoc modo: *Studebo post meam dimissionem vestri memoriam facere*. Oecumenius etiam huius meminit interpretationis: sed alteram præfert, ut simplicior. Cerrè non congruebat ut diceret, *Dabo operam, curabo, σπουδάζω*: cum illud sancti faciant absque cura & sollicitudine. Iam quid atinet statere vel le doctrinam certissimam argumento incerto; cum alia, certissima; nequaquam desint? Igitur obseruanda hîc & laudanda sollicitudo Beati Petri qua satagit, ut etiam se mortuo recta doctrina maneat apud fideles, & ad posteros transmittatur. Quæ eadem & Pauli sollicitudo fuit, ita scribentis ad Timotheum 2. epist. 2. *Quæ à me audivisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*; scilicet nobis demortuis.

16 NON ENIM DOCTAS FABVLAS SECVTI. In multis codicibus legebatur *indoctas*, pro *doctas*. Non enim apparebat quomodo *fabulis* competeret epithetum quo *doctas* dicerentur. Sed veram lectionem ex codicibus fidelioribus, consentaneam Græco, nobis restituerunt epanorthotæ Romani. Nam in Græco participium est σπουδαιμύνης, quod benè vertit Erasmus, *arte compositas*. & alius quidam, *subtiliter excogitatas*. Sanè Græcum verbum, à sapientia deductum, quodque in bonam partem à LXX vsurpatur aliquoties, ut 1. Regum 3. & 3. Regum 1. & 4. non permittit ut eius participium vertatur *indoctas*: etiamsi ad falsam & commenticiam doctrinam (ut hoc loco) referatur. Vocabulum *doctas*, præter alia, nobis exhibent verus exemplar manuscriptum ecclesiæ S. Amati, & verus Epistolæ sancti Petri Duacensis. Sed *doctas* interpretare *doctè*, id est, *artificiose compositas*; ut dictum est: quomodo gentiles poëtæ suas fabulas de dijs, & antiquorum gestis; commenti sunt; & eos imitati hæretici, præsertim Simoniani, de Deo & angelis & mundi creatione. Quam *eruditam vanitatem* appellabant Græci, teste Hieronymo super cap. 3. epistolæ ad Galatas. Nam veras hîc non intelligi, satis ostendit additum nomen *μύθους*, *fabulas*, quod de commenticijs vanisque narrationibus semper accipitur in Scripturis Apostolicis: ut 1. Timoth. 1. & 4. 2. Timoth. 4. & ad Titum 1. Igitur Petrus suam doctrinam

ab au-

ab autoritate nunc probat, affirmans nō sua aut aliorum figmenta se tradidisse, sed oracula cælitus accepta à Deo.

NOTAM FECIMVS VOBIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VIRTVTEM ET PRÆSENTIAM. Non *præsentiam*, ut viciōsè legitur in multis codicibus; sed *præsentiam*, quod ex melioribus Romana correctio nobis restituit. Nam Græcè est παρσία, id est, *præsentiam*, siue *aduentum*. Quomodo multis alijs locis vertit noster interpres; & hoc loco vertere potius debuit. *Aduentum* autem *Christi* intellige, vel primum, quo per incarnationem venit in hunc mundum; sub quo aduentu tota Christi in carne œconomia comprehenditur: Vel, quod magis placeat, secundum eius aduentum, qui erit in maiestate ac virtute. Idcirco enim coniungit hæc duo; *virtutem* seu *potentiam*, & *aduentum*. Nam primus Christi aduentus fuit in infirmitate & humilitate. Adde, quod secundum typus quidam fuit eius transfiguratio, de qua statim mentio subiicitur: Denique, hic aduentus est quem dubium reddere volebant, qui dicerent; *Vbi est promissio aut aduentus eius?* &c. infra capite 3. Aduersus quos Petrus hac epistola fideles vult esse præmunitus.

SED SPECVLATORES FACTI ILLIVS MAGNITVDINIS. *Speculatores* Græcè ἐπιβουλοί, *inspectores*: quod plus est quàm *speculatores*, quorum est longinqua videre & obseruare. Pronomen *illius* masculinum est, *ἐκείνου*, Christum referens. Vnde Hentenius sermonis ambiguitatem vitans, ita vertit: *Sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem*. Per *magnitudinem* seu *maiestatem* Christi Petrus intelligit illam eius gloriosam speciem quam suis oculis ipse cum Iacobo & Ioanne conspexerat in monte: ut sequentia docent. Huius autem meminit inter tot alia Christi, quæ viderat, miracula; propter eos, ut dictum est, qui suspecta reddebant apud fideles, ea quæ ab apostolis fuerant prædicata de futuro Christi aduentu, eiusque regno & gloria: cuius quoddam specimen ac prælabio fuerat ipsius transfiguratio. Quam proinde qui viderant, idonei testes erant quibus etiam futuram Christi gloriam prædicantibus crederetur: vel ob id quod non solum inspexerat Christi transfigurati gloriam, verum etiam Patris cælestis de eo testimonium audierant. Quod totum Petrus comprehendit in eo quod dicit; *Inspectores facti maiestatis illius*. Id ostendit narratio sequens, qua probat quod dixit.

17 ACCIPIENS ENIM A DEO PATRE HONOREM ET GLORIAM. Participium loco verbi posuit; λαβών, *accipiens*, id est, *accepit*; ut annotat Oecumenius. aut certè, iuxta proprietatem sermonis Hebræi, supplendum verbum substantiuum; *accipiens fuit*. Alioqui imperfecta relinquatur oratio, cum non

sequatur aliud verbum, quod sententiam absoluat. Sensus est, Iesum Christum manifesto Dei Patris testimonio fuisse honoratum & glorificatum. Nam gloriæ corporis eius, quam Pater dederat, accedebat honor & gloria ex eiusdem Patris vocali testimonio; De quo sequitur.

VOCE DELAPSA AD EVM HVIVSCEMODI A MAGNIFICA GLORIA. *Delapsi*, Græcè, ἐκκεχθῆναι, *allati*; ut paulò post interpres reddit. alij, *delata*. Significat Apostolus, vocem patris, utique ministerio angelico in aère formatam, super Christum fuisse delatam è nube lucida; in qua magnificè & gloriōsè apparuit, id est, suam exhibuit præsentiam. Vocula *huiusmodi* Græcè τῆς αὐτῆς, demonstrat sequens testimonium.

HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS. Hoc Patris de Iesu testimonium, tanti momenti est, ut non satis fuerit Spiritui sancto, narratum illud esse à tribus euangelistis, Matthæo, Marco, & Luca; sed voluerit etiam hoc loco à Petro, tanquam quarto euangelista, repeti. His adde (quod obseruat Oecumenius) Patrem non semel, sed tertio testimonium cælesti voce perhibuisse Filio. Primum, quando baptizatus fuit à Ioanne: quod itidem ab iisdem tribus euangelistis, descriptum est. Deinde, in monte: de quo testimonio nunc agitur. Tertio, quando instante eius passione, vox ad eum *de celo venit, Et clarificauit & iterum clarificabo*. Ioann. 12. Notanda est in Græco, inculcatio articuli; ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, quæ emphasim habet ad significandum filium naturalem ac propriè ex ipso genitum: dum dicitur, *Ille filius meus, ille dilectus*. Ac sanè, etiam demptis articulis (nam Hebraicis verbis sonuit vox illa, non Græcis) si Christus non esset naturalis Dei filius, sed tantum adoptiuus, ut vult hæresis Nestoriana: non singulariter de eo diceret Pater, *Hic est filius meus dilectus*. Nam per adoptionem omnes iusti sunt filij Dei; & eorum quidam valde excellenter, ut Ioannes Baptista; quo præsentem, cum Iesum baptizasset, testimonium illud cælitus venit; de quo Ioanne postea Iesus testatus est inter natos mulierum non alium surrexisse maiorem. Nec tamen de Ioanne, sed de Iesu hæc loquutus est Deus Pater, *Hic est filius meus dilectus*. Ioannes autem, vir tantus, de eo testimonium perhibet, dicens: *Non sum dignus ut soluam eius corrigiam calceamenti*. Ioan. 1. Additur autem, *dilectus*, Græcè ἀγαπητός, non restrictionis causa, tanquàm Deus filium naturalem habeat aliquè non sibi dilectum, quod in hominibus sæpè cōtingit, sed ut epithetum necessarium. Neque enim potest filius ex Deo naturaliter genitus, in quo perfecta est similitudo Patris, non esse ei perfectò summoque amore dilectus. Simul insinuat, illum solum esse in quo & per quem à Deo diliguntur

caeteri, quicumque nomen filiorum adoptione participant: ut proinde solus ipse καὶ ἐξοχηθὲν dilectus vocetur: apud euangelistas quidem & hoc loco, ὁ ἀγαπητός; apud Paulum verò ὁ ἀγαπητός, cum ait Ephes. 1. *Qui praeordinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in laudem gloriae gratiae suae, qua gratificavit nos in dilecto.*

IN QVO MIHI COMPLACVI. Vel, *mibi complacitum est.* Graecè εὐδόκησα. Quo verbo frequentissime vsi sunt LXX interpretes, & ex ijs authores Scripturae novi testamenti: quemadmodum & nomine εὐδοκία, ad significandam animi propensionem, & (ut interpret saepe vertit) bonam voluntatem erga rem aut personam. Vide quae diximus ad illud Ephes. 1. *Secundum propositum voluntatis suae.* Sensus: In quo mihi vnicè placeo; in quo oblector & acquiesco. ut sit explicatio eius quod dixit, *dilectus.* Quidam sic exponunt, In quo visum est mihi misereri ac benefacere generi humano. Seu, Per quem mihi placuit hominem lapsum erigere, perditumque saluare. Verum hic sensus exprimi non potest ex modo locutionis, secundum significationem quam is habet passim in sacris literis: tamen verissimum est Iesum Christum esse illum dilectum in quo nos Deus sibi gratificavit; ut dictum est ex Paulo: nec vllum aliū esse dilectum, in quo & propter quem nos diligit.

IPSVM AUDITE. Hæc pars in Graecis non additur: Constat tamen ex tribus euangelistis, à Patre loquente additam fuisse: legiturque in omnibus Latinis vulgatae editionis. Voluit autem Pater adiectione huius præcepti, confirmare & rarum facere testimonium Moysi, qui ibidem cum Elia præfens erat (nam in voce super baptizato Domino facta, non adiecit) quo nimirum testimonio de Christo Domino, sub nomine prophetæ, Moyses prædixerat: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: addito hoc præcepto, Ipsum audies.* Deut. 18. Præcipit ergo Pater, Filium suum, quem mundo dedit redemptorem, etiam audiri, tanquam doctorem, præceptorem & legislatorem: audiri, inquam, obedienter. Nam *audire* pro obedire frequens est in Scripturis. Igitur directè & apertissime facit hic locus aduersus eos qui dixerunt, *Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant; non etiam ut legislatorem, cui obediant.* Quibus anathema dicit Tridentina Synodus sess. 6. can. 21. Qui verò sic colligunt, De solo Christo dictum est, *Ipsum audite;* ergo pontifices non sunt audiendi si quid præcipiant: non animaduertunt, à Domino dictum esse discipulis, *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10.

ET HANC VOCEM NOS AVDIVIMVS DE CAELO ALLATAM. Hic iam seipsum cum alijs duobus coapostolis testes adducit: ac si

diceret, Ne suspicemini nos vobis fabulas aut somnia narrare, aut ea quæ rumore tantum acceperimus: ecce, non solum oculis maiestatem illam Christi conspeximus, verum etiam auribus ipsam Patris vocem calitus super eodellapsam, hausimus. Itaque (quomodo Ioannes alter sociorum Petri, loquitur) *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus; Quod vidimus, inquam, & audivimus, annunciamus vobis.* 1. ep. 1. Rectè Beda colligit ex hoc loco Petrum esse indubitatū huius epistolæ authorem. Neque enim quisquam vel Iacobo, qui iam pridem gladio Herodis occubuerat; vel Ioanni, cuius stylus est diuersissimus, eam ascripte sit.

CVM ESSEMVVS CVM IPSO IN MONTE SANCTO. Montem hunc Matthæus & Marcus scribunt excelsum fuisse. Quæritur autem quis fuerit. Non enim ab euangelistis nomen eius exprimitur. Traditione tamen acceptum est à maioribus, & passim creditum, fuisse montem Thabor; quem LXX interpretes flexo nomine vocant Irabyrium. Qui mons est in Galilææ campestribus, rotundus atque sublimis; ut de eo testatur Hieronymus commentario in Hoseæ 5. Suffragantur huic opinioni veteres; Cyillus Hierosolymitanus catechesi 12. Hieronymus in epitaphio Marcellæ. Damascenus in sermone de transfiguratione Domini, Euthymius in psalm. 88. Beda de locis sanctis cap. 17. A quibus tamen dissentiunt Faber in cap. 9. Marci, & Franciscus Lucas in 17. Matth. quibus verissimile est hunc esse Libanum, montem sacris literis celebratissimum; eundemque, Ptolemæo teste libro 5. geographiæ, altissimum; qui situs est in partibus Cæsariæ Philippi. In quibus factam fuisse Domini transfigurationem, non autem in Galilæa, in qua Thabor; ex Marco doceri putant, qui in fine narrationis, dicit; *Et inde profecti præter egediebantur Galileam.* Huc autem referunt illud Isaïæ 35. *Gloria Libani data est ei; decor Carmeli & Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Porro sanctum Petrus appellat hunc montem, propter ea quæ in illo exhibita sunt, plena numinis ac maiestatis, at Salsboldus. Qua ratione terra sancta dicitur, in qua Moysi Deus apparuit, Exod. 3. Et Hierusalem, civitas sancta, 2. Mach. 3. quia cultrui diuini specialiter deputata; &, ut Dominus loquitur Matth. 5. *quia civitas est magni regis.*

ET HABEMVS FIRMIOREM PROPHE TICVM SERMONEM. Hæc dicuntur in persona fidelium ad quos scribitur hæc epistola; quibus & sese Petrus adiungit modestæ causa. Sed difficultatem habent hæc verba. Cum enim testimonium Dei Patris de Christo dicentis: *Hic est filius meus dilectus &c.* certissimum atque firmissimum sit; deinde non minor Apostolorum quam prophetarum sit fides, ad aliquid testificandum: quæritur quomodo post allegatum Dei Patris & Aposto-

lorum

lorum de Christo testimonium, dicat Petrus, fideles habere firmiorem sermonem propheticum. Ad hunc nodum soluendum, variz huc adferuntur expositiones, tum ab Erasmo in annotationibus, tum ab alijs. Primum dicit Erasmus, morem esse Græcis subinde comparatiuum pro positivo usurpare. Itaque non aliud hic Petrum velle, quam propheticum sermonem satis firmum esse ad persuadendum Christum esse Filium Dei; quamvis apostolica testimonia non accederent. Verum ostendere debuit Erasmus exemplis id quod dicit, præsertim è sacra Scriptura petitis: quod ei sanè difficile foret. Secundò, respondet non simpliciter dici prophetarum sermonem firmiorem, sed iam factum firmiorem ac certiore, attestante dictis illorum voce Patris; firmiorem vti que seipso; non autem Patris aut Apostolorum sermone. Sic & Oecumenius. Sed id si vellet Petrus: diceret hoc aut simili modo; Igitur nunchabemus firmiorem propheticum sermonem quam antè. Tertio, dicit Erasmus: Patrem ipsum illa cælesti voce quodammodo Filij sui prophetam fuisse ac præconem. *Atque hic, inquit, sermo propheticus firmior erat sermone prophetarum, quos illi venerabantur,* ad quos scribit Petrus: Et hunc sensum putat, esse germanum huius loci; quem & sequitur in paraphrasi. Sed hoc quis non videat coactum esse & commenticium? quando & ea quæ sequuntur vsque ad finem capituli, aperte docent, non hic de sermone paterno, sed de Scripturis prophetarum, Petrum apostolum loqui. Alius quidam comparisonem refert ad *doctas fabulas.* Sed ineptè. Est enim valde impropria comparatio sermonis prophetici cum fabulis ingeniosè confictis, quæ prorsus reiiciendæ sunt, ut nihil autoritatis habentes. Sed nec ratio erat, cur prophetarum sermonem fabulis firmiorem esse dicerent. Sunt & aliæ aliorum expositiones, quas videre est apud Lorinum. Ut autem verum sensum assequamur, primò notandum est, comparatiuum *firmiorem*, non referri ad vocem Patris de cælo allatam (nam vox Patris apud Iudæos supremam habebat autoritatem, ut pote vox Dei): sed ad testimonium Apostolicum quod proximè præcessit, *Et hæc vocem nos audivimus &c.* Deinde, distinctione opus est vocabuli *firmiorem*: Aut enim firmū aliquid dicitur in se, quia immobilem habet veritatem; quo modo omne Dei verbum æquè firmum est, siue per vocem in aère formatam, siue per os prophetarum, siue per Apostolorum prædicationem, ad nos perueniat: Aut *firmum* dicitur in mente hominis, id est, certum, certò cognitum. Ita quod vni firmū ac certum est, alteri dubium & incertum, aut minus certum esse potest. Hocigitur modo, sermo propheticus Iudæis ad Christum conuersis erat firmior Apostolica ista attestatio, ex qua didicerant reuelationem illam factam in monte sancto. Erat enim propheta-

rum autoritas in illo populo diuturnitate temporis & consensu maiorum firmata iam & roborata: non item autoritas Apostolorum; quæ recens adhuc erat, ac proinde nondum tanta cum veneratione suscipiebatur. Nam & ipsi Apostoli suam doctrinam confirmabant dictis prophetarum maximè quæ ries cum Iudæis agerent. Igitur Petrus Iudæis fidelibus scribens, ut eos in fide Christiana amplius stabiliat; primum quidem commemorat vocem Patris cælitus super Iesum delapsam. Verum non aliter eam probat delapsam fuisse, quam suo & duorum coapostolorum testimonio. Quare cum Iudæi pluris facerent oracula veterum prophetarum, quæ attestations Apostolorum Christi: necessariò subiungendum putauit de prophetis. Ad quorum proinde testimonia, tanquam receptissima, atque certissima, nunc eos remittit. Huic intellectui consentanea scribit Augustinus serm. 27. de verbis Domini capit. 4. vbi pro *firmiorem* legit *certiorem*. Et virget, *Apostolum dixisse certiorem; non meliorem, non veriorem; tamen si comparisonem illic August. facere videretur sermonis prophetici cum voce cælitus delata. Quod puto non esse textui conforme. Similis est locus apud eundem Augustinum tract. 35. in Ioannem. Sensus hunc dilucidè tradit Caietanus in commentario. Sequuntur & alij: Quin & Erasmus tandem, adhibita suis annotationibus quarta aut quinta recognitione, testatur se nequaquam repugnaturum, si cui magis arideat Augustini super hoc loco sententia.*

CVI BENEFACITIS ATTENDENTES. Cui construendum cum *attendentes*. Pro quo legit *intendentes* Augustinus sermone 74. de diuersis, & alibi. Ordo & sensus est: Cui prophético sermone dum attenditis legèdo prophetarum libros, & ex eis scrutando veritatem; benefacitis & saluti vestræ consulitis. Exhortatio est ad legendas Scripturas propheticas: quod eas pluris facerent, ut dictum est, Iudæi, tamen iam Christiani, quam dicta aut scripta Apostolica. Vnde & laudantur Act. 17. Thessalonicenses quidam, qui & ipsi Iudæi erant, *quotidie scrutantes scripturas,* utique propheticas, si hæc, quæ à Paulo audierant & fide iam susceperant, ita se haberent.

Vtuntur hoc loco sectarij, ut probent exhortandos esse fideles ad lectionem & studium Scripturæ sacræ. Quod nos orthodoxi non negamus, de ijs fidelibus, quibus id expedit, quòd Scripturas legant, sui pastores & prælati iudicauerint. Alioqui constat experientia certissima teste permultos esse quibus id non expedit; varias ob causas.

QVASI LVCERNÆ LVCENTI IN CALIGINOSO LOCO. Comparatur Scriptura prophetica lucernæ accensæ ut luceat in obscuro loco; cuiusmodi est candela, fax, lampas; quibus noctis tenebras vtrūque discutimus.

Huic, inquam, comparatur: vel quia totum huius vitæ tempus non quædam est, errorum & ignorantia tenebris undique circumfusis; in qua proinde Scripturæ sacræ lumen, quo dirigimur, admodum est necessarium; ne contingat errare & labi. Qui commentarius multorum est; iuxta quos id quod de sermone prophetico hinc dicitur, ad vniuersam Scripturam sacram, etiam Apostolicam, æquè patet. Atque eodem referunt illud psalmi 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Vel, secundum alios, quia Scriptura prophetica more lucernæ in tenebris accensæ tenuem & restrictam lucem exhibet; qua tamen interim vtendum sit, donec dies adueniat, clarum lateque diffusum lumen præbitura. Sentum hunc tradunt Haffelanus, Adamus & Arias. Ad quem propensior etiam est Lorinus; quod cum antecedentibus & consequentibus aptius coherere videatur. Quorum & nobis sententia placet. Scribuntur enim hæc ad Iudæos, qui ex scriptis prophetarum ad lumen euangelij clarioris & perfectioris intuendum, erant adducendi. Hoc enim est quod sequitur:

DONEC DIES ELUCESCAT. Vel *illucescat*, vt legit Thomas Anglicus. Cæterum subaudi, *vobis*; vel, per syllepsin, ex parte sequenti, *in cordibus vestris*. Iuxta priorem intellectum partis præcedentis, hinc significatur tempus futuri sæculi, quando facie ad faciem Deum videbimus, tanquam in clara die, vbi iam non sit opus adminiculo Scripturæ vel prophetiæ, vel apostolicæ, ad cognoscendum Deum resque diuinas. Iuxta alterum verò sensum, eumque probabilior, hac parte significatur profectus & incrementum fidei, dum paulatim certior, purior, ac sincerior, magisque explicita, de Christi mysterijs accipitur cognitio; vel ut die illucescente. Quod vtique fit in hoc sæculo: & fiebat in Iudæis qui Christi fidem receperant.

ET LUCIFER ORIATUR IN CORDIBUS VESTRIS. *Lucifer* stella matutina est solem præcurrans, ac suo lumine (quod inter stellas præcipuum habet) vnâ cum radijs solis emicantibus, quoddam diei faciens initium: quam gentiles stellam Veneris vocant. Igitur non minus aliquid dicitur hac parte, quã priore; sed idem repetitur cum quadam amplificatione. Quare nec Christum *Luciferi* nomine significatum hoc loco putamus. Iam enim Christus ortus fuerat illis per fidem, quibus hæc scribuntur. Ad futurum autem sæculum accommodari nullo modo potest comparatio Luciferi: quum illic Christus in gloria sua veniens, omnem etiam solis splendorem sit superaturus: nec tempus illud diei illucescenti aut Luciferi Orienti, sed meridianæ luci & clarissimæ diei potius comparandum sit. Itaque sensus est: Donec depulsis noctis tenebris, clarior lumen, velut exorientis Luciferi, mentibus vestris infulgeat. Id est, donec ita sitis illustrati lumine fidei,

vt nullis dubitationum scrupulis animi vestri amplius inquietentur. Ad hanc enim fidei perfectionem multi Iudæorum qui crediderant, nondum peruenierant; nominatim illi, de quibus Act. 17. *Scrutantes Scripturas, si hac ita se haberent; quamuis verbum cum omni aueritate suscepissent, vt ibidem dicitur.* Facit enim ille locus non parum ad huius intelligentiam.

HOC PRIMVM INTELLIGENTES QVOD OMNIS PROPHECIA SCRIPTURÆ PROPRIA INTERPRETATIONE NON FIT. Pendet participium *intelligentes*, Græcè *γινώσκοντες, cognoscetes*, à verbo, *benefacitis*; ac si dicat: Benefacitis attendentes Scripturis prophetarum; si tamen illud primum noueritis, quod omnis prophetia Scripturæ propria expositionis non est. Sic enim melius vertitur quod in Græco est, *id est, ἡ ἑκείνη ἔχει τὴν ἑαυτῆς ἐπισημειωμένην ἐπισημειωμένην ἐπισημειωμένην*. Prophetiam Scripturæ multi interpretantur prophetiam Scripturam. & ita transtulit Erasmus, vt *propheta* sit eadem cum sermone prophetico prius nominato. Sed sciendum, nomen *propheta* in sacris literis non significare Scripturam prophetiam, aut oraculum quod scribitur aut profertur; sed ipsam prophetiam predictionem, vel etiam Scripturæ prophetiæ, & omnino verbi diuini, sacram expositionem. His modis accipitur prophetia Rom. 12. 1. Cor. 12. 13. 14. 1. Thess. 5. & Apoc. 11. Item Prou. 29. & Iudith. 6. Quia & hoc loco sic accipiendum videtur, præsertim cum *propheta Scripturæ* pro Scriptura prophetica, sermo durus sit & insolitus. Sed & illud notandum, Græco vocabulo *ἐπισημειωμένη*, tacti & alia significantur interdum; melius tamen & in sacris literis frequentius, *interpretationem* siue *expositionem* significari. Exemplum sit Marci 4. v. 34. Act. 19. v. 39. Atque ita iste erit huius loci sensus: Omnis scripturarum expositio quæ prophetia dici mereatur, propria interpretatione non fit. Confer quæ diximus ad illud 1. Corinth. 14. *Magis autem vt prophetetis.*

Qui verò prophetiam Scripturæ intelligunt Scripturam prophetiam; hunc reddunt sensum: Nulla Scriptura prophetica priuata est expositionis, id est, priuato ingenio exponenda. Verum hi duo sensus in vnum ferè confluent. Vtriusque autem modo intellecta Petri sententia, flagellat hereticos & omnes eos qui contempto vel posthabito sensu ecclesiæ, cui spiritum suum Christus promissit; priuatos sensus vel suos, vel suorum magistrorum, ad Scripturas interpretandas adferunt. Nam quod de Scripturis prophetarum hinc dicitur, idem pari ratione & de ceteris vtriusque testamenti Scripturis, accipiendum est. Vtrique sensui benè congruit probatio sequens.

NON ENIM VOLUNTATE HVMANA ALATA EST ALIQVANDO PROPHECIA. *Humana*, Græcè, *ἑσθητική*. Et sensus est: Neque enim voluntate & institutione hominis

alicius olim introducta est Scriptura prophetica, seu potius vsus & functio prophetandi, id est, prædicandi futura, & profertur ad homines arcana Dei. Breuiter: Prophetia non est inuentum humanum. Hinc sequitur id quod probare Petrus instituit, prophetias non esse priuato sensu & arbitrio interpretandas; sed (quod intelligendum relinquit) in earum interpretatione semper respiciendum ad sensum ecclesiæ, quæ spiritum Dei habet. Nam vtique eodem spiritu sunt interpretandæ, quo scriptæ sunt & ad nos allatæ, id est, spiritu diuino: quem Christus suæ ecclesiæ promissit. De quo spiritu sequitur,

SED SPIRITV SANCTO INSPIRATI LOCUTI SVNT SANCTI DEI HOMINES. Græcè, *Sed à Spiritu sancto acti seu impulsu*, *Φερόμενοι, locuti sunt* &c. *Actos & impulsos* dicit à Spiritu sancto, non arreptiois more, quorum linguas ita mouet spiritus nequam, vt nec intelligant quæ loquuntur, nec in potestate habeant non loqui. Cuiusmodi apud ethnicos, erant vates deorum; & apud hereticos Montanistas, prophetissæ Prisca & Maximilla: (nam alienum est à Spiritu Dei vt amentem reddat quem replet, ad aliorum præsertim instructionem & doctrinam): sed supra naturalem facultatem eleuatos, infuso videlicet lumine prophetico, & inspirata mysteriorum cognitione; quæ deinde libero motu voluntatis eloquantur aut scribant. Nam *loquendi* verbum hinc etiam scripturam comprehendit. *Locuti sunt*, intellige diuina mysteria, id est, prophetauerunt; secundum eam acceptionem prophetiæ, quæ superius exposita est. *Homines Dei* vocantur in Scripturis, qui ratione officij peculiarem cum Deo habent coniunctionem; maxime si mores & actiones officio respondeant: vt propheta, sacerdotes, episcopi. Vide quæ diximus ad illud 1. Timoth. 6. *O homo Dei*. Et ad illud 2. Tim. 3. *Vt perfectus sit homo Dei*. Addit autem epitheton dicendo, *Sancti Dei homines*, vt ne dubitemus; eos per quos ministratæ sunt nobis Scripturæ sacræ tam noui quam veteris testamenti, (nam de vtriusque par ratio est) sanctos fuisse quando eas vel dictando vel scribendo tradiderunt. Iam verò si spiritu sancto inspirati, & ab eo impulsu, locuti sunt propheta & ceteri sacrorum librorum scriptores: sanè consequens est, Scripturam totam esse verbum Dei; nec aliter à nobis accipiendam, quam si Deus immediate & absque humano vel angelico ministerio eam edidisset, & vt ita dicam, digito suo scripsisset. Quod & volunt illa Pauli verba 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata*. De quibus item suo loco.

SUMMARIUM.

P Radicit exorturos magistros mendaces, quorum ingenia & mores describit, & quæ illis maneant supplicia. Deinde ostendit quàm sit periculosum, post agnitam veritatem ad pristinam vitam relabi.

CAPVT II.

F VERVNT VERO ET PSEVDOPROPHETÆ IN POPVLO. Transitus est opportunus à mentione prophetarum, ad argumentum principale huius epistolæ, quod est de cauendis pseudopphetis ac falsis magistris: quorum in genere studia moresque describit hoc capite; quemadmodum & Iudas Apostolus, hoc ipsum in sua epistola tractans argumentum. Hortatus sum, inquit, ad lectionem sanctorum prophetarum; & vnde eorum interpretatio petenda sit, indicauit: Nunc moneo vt falsos prophetas falsosque magistros vitetis. Nam sicut olim non defuerunt pseudoppheta, qui pro veris Dei prophetis sese populo venditarent, dicentes; *Hæc dicit Dominus*: ita neque nunc, exorta luce euangelij, tales defuturi sunt inter Christianos. Etsi namque Christus suam gubernet ecclesiam: ad eiusdem tamen utilitatem hereses exortiri permittit. *Nam oportet & hereses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant*. ait Paulus 1. Cor. 11.

SICVT ET IN VOBIS ERVNT MAGISTRI MENDACES. Sicut, id est, *similiter*. *Magistri mendaces*, Græcè *ψευδοδιδασκαλοι*, id est, *falsi magistri*. Quamuis autem heretici reuera pseudoppheta sint, iuxta generalem prophetiæ acceptionem; quia Scripturas sacras falso & peruerso sensu interpretantur; iuxta quam generalem significationem intelliguntur pseudoppheta. Mat. 7 & 24. non dicit tamē Apostolus, *Erunt & in vobis pseudoppheta*; sed, *pseudodidascali*; quia veteris testamenti tempus propriè prophetarum fuit. Vnde Dominus Luc. 16. *Lex & propheta vsque ad Iohannem*. Tempus autem noui testamenti magistrorum est; de quibus multa Iacobus in sua epistola. Siquidem in veteri testamento mysteria prædicebantur, quod est prophetarum stricto nomine sic appellatorum: At in nouo, prædicta explicantur, quod est magistrorum. Illud autem, *erunt in vobis*; non sic intellige, *in vobis*, gentilibus, sicut fuerunt *in populo* Iudaico: sed, *in vobis* Christianis, sicut in veteri populo. Nam in vobis, id est, gentilibus, non quadrat: cum non minus essent futuri inter Iudæos Christianos, ex quibus, post ecclesiæ initia, multi & præcipui prodierunt magistri mendaces. Et quidem viuente Petro iam quidam emerferant; vt Simon magus cum suis discipulis.

discipulis, Cerinthus, Nicolaitæ & alij. Vnde & in sequentibus multa de ijs dicit, vtens verbis præsentis temporis. Sed & Paulus & Iudas de talibus suo iam tempore in ecclesia seu contra ecclesiam, grassantibus, meminerunt. Dicit tamen in futuro, *erunt*; vel quia timore dum viueret Petrus circumcisionis Apostolus, comprimebantur, post eius obitum sese prodituri; vt vult author glossæ interlinealis: Vel potius, quod qui iam exorti erant, pauci admodum essent, eorum comparatione qui adhuc erant exorturi. Ita Paulus 2. Tim. 3. *futuros dicit in nouissimis temporibus homines seipfos amantes &c.* De quibus tamen velut iam exortis, ipsum Timotheum admonet, dicens: *Et hos deuota.*

QVI INTRODUCENT SECTAS PERDITIONIS. *Introducent* Græcè *παροισίζουσαν*, id est, *subintroducent*. A quo verbale nomen *παροισίζω*, quo Paulus vtitur Gal. 2. vbi Latine sic legitur: *propter subintroductos falsos fratres.* Iudas simile verbum habet: *Subintroierunt quidam.* Erasmus hunc locum ita vertit: *Quidam inducent sectas perniciosas.* Est enim Hebraismus; quo genitiuus effectum denotans, vel epitheti loco, vel restrictionis causa, adiungitur suo nomini: *sectas perditionis*, id est, perditionem adferentes. Nam vbi fidei naufragium, ibi certus interitus est. Dixi, *vel restrictionis causa*: Nam *secta*, quod Græcè est *ἀιρέσις*, quamuis vsu totius ecclesiæ iam olim in malam partem accipiatur significatione notissima; tamen apud prophanos authores, atque etiam in Scriptura sacra, vocabulum medium est, significans opinionem quam quis sibi delegerit, seu veram seu falsam. Porro quas sectas introduxerint primi inter Christianos ex Iudeis hæretici, latè docet Epiphanius lib. 1.

ET EVM QVI EMIT EOS, DOMINVM NEGANT. *Negant*; Græcè participium est, *ἀρνησάμενοι*: quanquam id verbi loco positum videri potest; nisi malis hanc partem connectere cum illa, *In vobis erunt magistri mendaces, & Dominum qui eos mercatus est, negantes.* Sensus autem est: Christum redemptorem suum, qui mercatus est eos, & redemit suo sanguine; eoque iure Dominus ipsorum est; abnegaturi sunt: si non verbo, certè factis & prauitate doctrinæ; videlicet *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & per hoc solum dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes*; vt exprimit B. Iudas in sua epistola, qui locus cum Christo est conferendus: & ipse Petrus hinc indicat dicens, quod *multi sequentur eorum luxuriam, per quos via veritatis blasphemabitur.*

Ex hoc loco benè colligitur, Christum redemisse quosdam reprobos, nimirum illos, qui redemptionis eius, secundum aliquos effectus facti sunt participes. cuiusmodi erant hi de quibus Petrus loquitur; vt-pote per fidem in baptismo regenerati, & peccatorum veniam cōsecuti; licet postea in veterem pec-

cati seruitutem relapsi. Quæ eadem doctrina est Concilij Valentini, antè annos penè 800. in Gallijs habiti, cap. 5. affirmantis Christi redemptionem etiam ad eos pertinere, qui etsi non saluentur, quia non perseverant, baptismo tamen regenerati fuerunt, & in sanguine Christi à peccatis suis abluti. Sed ne hinc colligas, ad omnes omnino homines effectū redemptionis extendi: quod in eodem Concilio ca. 4. disertè negatur. Vide quæ dicta sunt ad verba Pauli, Rom. 14. ver. 15. & 1. Corinth. 8. versu 11.

SVPERDVCENTES SIBI CELEREM PERDITIONEM. Allusio est ad id quod dixerat eos *introducuros / ctas perditionis*; ac si dicat: Dum subinducunt sectas perditionis; sibi-ipsis superducent, id est, accersent, celerem perditionem: hoc est, inopinatum interitum. Quod enim inopinatum atque inexpectatum est, id celeriter ac subito videtur accidere; etiam si post multum tempus accidat. Loquitur autem de damnatione æterna, quæ malis ac præcipuè errorum magistris superueniet, inexpectata.

ET MULTI SEQVENTVR EORVM LVXURIAS. In Græcis codicibus duplex est lectio. Multi habent *ἀπολαύσις*. vt vertendum sit, *sequuntur eorum perditiones*, siue *exitia*. In alijs non paucis quos annotauit Robertus Stephanus, legitur *ἀσελγείαις*: quæ vox *luxurias* siue, *lasciuias* significat. Nec dubium quin noster interpretes ita legerit. Estque ea lectio longè probabilior. Non enim propriè nec vsitate quis dicitur sequi alterius perditionem; licet eius mores imitando, perdi cum eo mereatur. Et alioqui, dicendum erat *perditionem*, singulari numero; quomodo iam semel & iterum dixerat. Sed & quod sequitur: *Per quos via veritatis blasphemabitur*; satis arguit *luxurias* legendum, non *perditiones*. Veruntamen possunt hæc duo sensu coniungi; in hunc modum: Multos habebunt suarum lasciuiarum imitatores, & impuræ doctrinæ sectatores; quos secum trahent in simile exitium. Tales fuere Simoniani & Nicolaitæ; in quos ex parte hæc dicta videntur. Ita Paulus 2. Timoth. 3. *Mali homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes.*

PER QVOS VIA VERITATIS BLASPHEMABITVR. *Per quos*, refert multo: *sequentes illorum luxurias*. Et sensus est: Quorum causa Christianismus malè audiet apud infideles. Dum enim multi sub nomine Christiano libertatem carnis sectantes, dederunt se omni lasciuie & immundicie: fiet vt propter eos vera & sana doctrina maledictis & conuicijs infidelium exponatur. Sic ad quosdam Paulus, Rom. 2. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.* *Via* pro genere vitæ; & *via veritatis* pro secta, doctrina seu religione vera; Hebraismi sunt. Qui interpretantur ipsos errorum magistros aut eorum sequaces blasphematuros, id est, maledictis exagitaturos

viam

viam veritatis, quomodo solcat hæretici doctrinam Catholicam: ij mentem Apostoli non sunt affecti; nec verò ad consuetam locutionem Scripturæ satis attenderunt.

ET IN AVARICIA FICTIS VERBIS DE VOBIS NEGOCIABVNTVR. Hic notat falsorum magistrorum auariciam, quam Græco vocabulo *πλεονεξία* appellat, id est, studium semper plus habendi. *Fictis verbis*, Græcè *πλεονεξία λόγους*, id est, *ficticijs & compositis verbis siue sermonibus*. Nec est *de vobis*; sed, *vos negociabuntur*: tamen si benè ac Latine interpret reddidit *de vobis*. Quod & Erasmus & alij secuti sunt. Sensus est: Per auariciam, hoc est, impellente eos auaricia, (vt pote *cor exercitatum auaricia habentes*, sicut infra dicitur versu 14.) quæstum ex vobis facient, ad suum quæstum vobis abutentur, idque artificioso & ad persuadendum composito sermone. Ducta est metaphora ab auaris mercatoribus; qui, quo merces suas quam plurimo vendant, omni arte verborum, etiam per mendacia, commendare eas student.

QVIBVS IVDICIUM IAM OLIM NON CESSAT. Græcè *ὄχι ἀργεί, non tardat*. Quamquam & *cessare* pro *tardare* dicitur Latine; vt apud Virgilium; *Cessat in vota precesq;?* *Iudicium* autem pro damnatione, seu pœna per iudicium inferenda, ponitur, Hebræo more. Sensus: Quibus iam olim & ab æterno destinata, & in Scripturis prædicta ac præmonstrata damnatio, non tardat: sed opinione & expectatione citius eos opprimet. *Nam sicut non tardat Dominus promissionem suam*; infra cap. 3. ita nec tardat comminationem; quantumvis tam istam quam illam in longum differre videatur. Nec enim tardare dicitur, qui quod addidit, præstat tempore constituto. Sunt qui aduerbium *olim* de futuro tempore exponant, hoc sensu: Quibus absque retractione præparatur olim ventura damnatio. Constat enim apud Latinos *olim* interdum ad futurum tempus referri. Sed repugnat huic intellectui Græcum aduerbium *ἐκπλεον*: quod sonat *ex antiquo*, proindeque non dicitur nisi de præterito. Sensus priorum confirmat quod de iisdem B. Iudas ait: *Qui olim præscripti sunt in hoc iudicium.*

ET PERDITIO EORVM NON DORMITAT. Pro eo quod diceret; *Et quorum perditio non dormitat*. Hebraismus, qualem obseruare est in cantico Virginis: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*, id est, *et cuius nomen sanctum est*. Quamuis, inquit, ipsi more dormientium in vtramque aurem, securi sint, dicentes; *Vbi est aduentus eius?* Vbi iudicium: vt infra cap. 3. tamen perditio eis à Deo destinata atque prædicta, non dormit, neque dormitat, sed vigilat, certissime eos comprehensura suo tempore; instar illius virgæ de qua Ieremias cap. 1. *Virgam vigilan-tem ego video.* Cui respondet Dominus: *Benè vidisti: quia vigilabo ego super verbo meo vt faciam illud.* Nonnulli *perditionis* nomine dia-

bolium accipiunt perditissimum, & omnis perditionis authorem: qui nunquam dormit, sed semper vigilat in perniciem hominum. Verum hic sensus proposito non congruit.

SI ENIM DEVS ANGELIS PECCANTIBVS NON PEPERCIT. Deinceps Apostolus adductis ex antiquitate exemplis, ostendit non posse eos effugere Dei iudicium, qui prauorum dogmatum authores sunt ac magistri. Adducit autem tria exempla sanè horrenda: de angelis, de mundo originali, de Sodomis: quorum primum & tertium adferuntur etiam à Iuda apostolo. *Peccantibus*, Græcè *ἀμαρτητοῦτων*, qui *peccauerunt*. Non enim impeccabiles angeli à Deo creati sunt. *Ecce*, ait quidam in libro B. Iob, qui *seruiunt ei non sunt stabiles: & in angelis suis reperit prauitatem*. Iob 4. Peccatum eorum describit B. Iudas: quod non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium. Quorum verborum expositio suo loco seruanda est. Illud satis constat, primum angelorum peccatum fuisse superbiam. *Nam initium omnis peccati est superbia*. Ecclesiastici 10. Er. *In ipsa iniuria sumpsit omnis perditio*. Tob. 4. Estque ea communis & receptissima Theologorum, tam veterum quam recentiorum, de angelorum peccato, sententia. Qua de re late disputatur apud Magistrum in 2. senten. distinct. 6.

Quæri potest, cur Deus angelis peccantibus non pepercerit, qui pepercit homini, prouidens ei redemptorem & Salvatorem. Ad hoc variæ rationes adferri solent: sed, salua iudiciorum Dei inscrutabili profunditate, hæc videtur præcipua; Quia humana natura tota corruerat in primo parente, quippe qui suo peccato obligauit totū genus. Quod proinde ne totum periret; misericordia Dei subuenit. Angelica verò natura non tota cecidit; sed pars eius aliqua, atque ea multo minor quam sit eorum qui in sua rectitudine persistenterunt. Itaque genus ipsum, vt ita dicam, in illis opus non habuit reparatione. Possimus & hoc addere: quadam ratione plus præstitum angelicæ naturæ quam humanæ. Nam plures angeli seruati sunt ne caderent; pauciores cadere permitti sunt: Homines verò plures pereunt, pauciores saluantur. In eo tamen humana natura præ angelis honorata est, quod eam sibi Filius Dei in vnitatem personalem adunauerit. Cæterum indicat Beatus Petrus argumentum à maiore, quod explicat postea versu 11. quasi dicat: Si Deus angelis, qui multo nobilioris sunt naturæ, quique *fortitudine & virtute sunt maiores*, peccantibus non pepercit, spem veniæ ostendendo, &c. Quomodo non pepercerit, declarant verba sequentia.

SED RVDENTIBVS INFERNI, DETRACTOS IN TARTARVM, TRADIDIT, CRUCIANDOS IN IVDICIUM RESERVARI. Participio *cruciandos*, in Græco nihil respondet:

paucis

paucis exceptis codicibus, quorum non tanta fides; in quibus est *καλαζομένους*, puniendos. Quod tamen etiam Augustino legitur, lib. II de ciuitate Dei cap. 33. & De natura boni cap. 33. nec non Fulgentio lib. 2 ad Trasimundū cap. 2. quum alioqui videri possit hoc additum ab interprete, vel alio quopiam, illustrandi sensus gratia: quamuis an eō conducatur non facile dixerim. Græca sic habent: *Sed catenis caliginis in tartarum detractos, tradidit in iudicium seruatos.* nisi quod pro *τηρημένους*, seruatos, alij codices habent *τηρημένους*, seruandos, siue, qui seruantur. Quod sensum non variat. Nam quod Gagnæus putat, interpretis tempore aliam fuisse lectionem in aliquibus codicibus, & pro *τηρημένους* fuisse scriptum *τηρομένους*, id est, *assuetos* & *vexatos*, pro quo interpretes vertit *cruciandos*: fallitur in ea re. Siquidem & apud Iudam legitur idem verbum, à quo participium huius loci. Iam & cæteras voces expendamus. Pro *catenis*, Augustinus & Fulgentius legunt, *carceribus*. Cuius versionis etiam Beda meminit. Sed, vt Viues apud Augustinum annotat, *carceres pro claustris interpretis ille posuit; quibus exire demones prohibentur: quales erant illi in circo, quibus equi antequam currebant, coercerentur.* Inferni, Græcè *ζόφου*, caliginis; quemadmodum & iidem authores legunt, & noster Interpres vertit in epistola B. Iudæ: Mirum autem cur Erasmus vertere maluerit *notis*; quod Græca vox non significat; & ipse quoque in epistola Iudæ, *caliginem* transfulerit. Quod autem noster vertit, *detractos in tartarum*; & Erasmus eumque secutus Hentenius, *in tartarum precipitatos*; Græcis vna dicitio est *περὶ τρωίους*; quam explicatius ita reddes, *cum in tartarum misisset*, seu *detraxisset*. Verbum quidem insolitum est, nec vsquam alibi legitur: cuius tamen significatio satis ex contextu colligitur; nisi quod de tartari significato paulò post agemus. Porro vocabulum *rudentibus*, siue *catenis*, multi faciunt ablatiuum instrumenti, referentes ad participium *detractos*: ac si dicatur angelos transgressores validis funibus (nam *rudens* funis nauticus est) siue catenis detractos fuisse in tartarum. Et hoc modo verba B. Petri intellexisse videtur Interpres, qui vertit *detractos*. Quamuis enim in Græco datiuus sit *οι τρωίους*, *catenis*; notissimum tamen est illum casum apud Græcos, qui ablatiuo carent, etiā seruire instrumento significando. Verum multo conuenientiùs ad sensum Petri & Scripturæ sacræ, datiuus ille sic accipitur vt regatur à verbo *tradidit*; quomodo dicimus aliquem tradi custodiæ, carceri, vinculis; videlicet retinendum ac puniendum. Item ministro, tortoribus. Matth. 5. & 18. Neque verò aliter locus Iudæ, qui huic similis est, & cum quo ea quæ hîc dicuntur, omnino conferenda sunt, accipi potest. Sic enim habet: *Angelos qui non seruauerunt &c. in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Ita legimus Apoc. 20. diabolum catena magna

ligatum teneri in abyſſo, per annos mille, vt non seducat amplius gentes. Nec opus admonere lectorem, *vincula, catenas, carceres* in huiusmodi Scripturis accipi metaphoricè.

Queritur autem quid *tartari* nomine B. Petrus significatum voluerit in illo verbo *περὶ τρωίους*. Plerique S. Augustinum & Bedam secuti, *tartarum* interpretantur aërem hunc caliginosum, in quem veluti in carcerē detracti sunt demones, & in quo detinentur vsque ad extremum iudicium. Addit Adamus, exponens locum Iudæ, hunc aërem à Petro *tartarum* appellari, quod *turbulentissimus* sit; à verbo *τάρτω*, id est, turbo siue confundo. Verum, quod *tartarus* accipiat pro aëre in quo nos versamur, vel qui supra nos est, quantumuis interdum turbulento; non arbitror vllius scriptoris neque sacri neque prophani, qui sic vsurpauerit, autoritate posse probari. Quocirca, magis placet per *tartarum* significari, Infernum damnatorum quem vocamus; *ubi umbra mortis & nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat.* Iob. 10. vt maximè nomen illud à verbo *τάρτω* deriuatum sit. Quem locum alia scripturæ *abyſsum* vocant, vt Lucæ 8. Rom. 10. Apocal. 9. 11. 17. & 20. Qui postremus locus, paulò antè citatus, quia & catenæ & alligationis meminit; hanc quam probamus tartari significationem non parum confirmat. Est & significationis affinitas inter *abyſsum* & *tartarum*. Nam *abyſsus* significat aquarum immensam profunditatem; *tartarus* verò, secundum Platonem, est aquarum thesaurus, quas euomit atque reſorbet. Vnde, sicut in sacris literis, *abyſsus*; ita apud authores profanos *tartarus* accipitur pro locis inferorum profundissimis. Hoc modo tartarum intellexit Oecumenius, & inter Latinos neotericos Caietanus, Catharinus, Titelmannus, Lorinus; à quibus nec Carthusianus dissidet; tamen si prioris quoque sensus meminerit. Neque tamen isti negant, etiam aërem hunc caliginosum esse carcerem & habitaculum demonū. Est enim *hæc*, vt scribit Hieronymus exponens caput sextum epistolæ ad Ephesios, *omnium doctorum opinio quod aër iste, qui celum & terram medius diuidens, inane appellatur, plenus sit contrarij fortitudinibus.* Sed tantum quid *tartari* nomine Petrus intellexerit, exponunt: Nec vlla repugnantia est. Vt enim multi demones in hoc aëre versantur; ita multi quoque detinentur claustris inferni. Ac verisimile est omnes angelos apostatas simul atque peccauerunt, in locum se dignum, hoc est, in profundum infernum deiectos ac precipitatos fuisse: Postea verò, principem eorum, Dei iudicio, permissum tentare primos parètes; ac post horum transgressionem, etiam alijs (Deo quibus velle permittere) concessum fuisse vt in hoc aëre, velut assignato eis carcere temporario, morarentur, humanum genus tentaturi, atque pro meritis multifariam vexaturi. Hinc Oecumenius scribens in

hunc

hunc locum, illud Lucæ 8. *Et rogabant eum ne imperaret illis, vt in abyſsum irent*; sic interpretatur: *ne in abyſsum remitterentur*: Inquam videlicet initio deiecti fuerant. Quamuis enim etiam aër iste carcer eorum sit; hunc tamen malunt quam abyſsum. Hîc enim regnum suum promouere possunt, non illic. Poterit igitur sententia B. Petri sic explicari: Deus angelis præuicatoribus non pepercit: sed mox in barathrum illud tartareum eos præcipitauit; & vinculis caliginosis, (id est, infernalibus, vbi perpetua sunt tenebræ) eos tradidit, *seruandos ad iudicium magni illius diei*; quomodo Iudas loquitur: quando nimirum & angelos & homines iudicaturus est Dominus. Id verò non sic intellige, tanquam interim nullas pœnas sustineant demones, siue in tartaro detenti, siue in hoc aëre vagantes: Semper enim vbicumque sunt, pœnam primæ suæ damnationis circumferunt, vel alligati vel addicti igni gehennæ, sicut eam rem declarat Theologi. Sed in illo die iudicandi dicuntur & condemnandi; tum quia per illud iudicium omnis nocendi potestas in posterum eis auferetur; tum maximè quia imbecillitas eorum & nequitia atque superbia coram toto mundo traducetur. Quæ res erit superbissimis illis spiritibus pœna longè molestissima; præsertim quod in æternum sperare non poterunt vllam vel potestatis vel honoris pristini recuperationem. Confer quæ scriplimus ad 2. sent. d. 6.

ET ORIGINALI MUNDO NON PEPERCIT. Alterum hoc exemplum est ex historia Gen. 6. & 7. quo docet errorum magistris horrendum Dei iudicium non euasuros. Simul hoc & sequenti exemplo pariter ostendit, iustos eripi malis pereuntibus. *Originalem mundum* dixit interpres, pro *prisco, antiquo mundo*; vt alij verterunt. Nam Græcè est *ἀρχαῖος κόσμος*: vox eadem quæ repetitur aliquoties Matth. 5., *Dicitur est, antiquis*. Igitur *originalem*, id est, *antiquum* mundum vocat eum qui fuit olim ab initio hominis creati, vsque ad diluuium. Ac mundi nomine genus humanum intellige. Subauditur autem vocula *si*, repetenda ex verſu superiori; sic, *Et si prisco mundo non pepercit*.

SED OCTAVVM NOE IUSTICIÆ PRÆCONEM CVSTODIUIT. *Octauum* vocat non ab Adam, à quo decimus reperitur: sed quia octo tantum animæ conseruatae fuerunt, vt idem apostolus dicit 1. ep. 3. Quo in numero erat Noë, & quidem tanquam caput: qui proinde *octauus* dicitur; modo loquendi etiam vulgaribus vsitato. *Præconem* seu prædicatorem appellat *iusticiæ*, non ciuiliſ aut humanæ; sed, vt plerique exponunt, eius iusticiæ qua Deo placeatur; & quæ coram Deo iusticia est. Sicut

dicitur Luc. 1. *Erant autem iusti ambo ante Deum. Eius, inquam, iusticia quæ per fidem est*: sicut de Noë dicit Paulus Heb. 11. *Et iusticia quæ per fidem est, hæres est instituta*. Nam ipsius Noë iusticiam ita commendat scriptura, Gen. 6. vt de eo dicat, quod *iustus atque perfectus fuit in generationibus suis*; quodque *cum Deo ambulauit*. Hanc iusticiam prædicabat Noë, non solum exemplo, quatenus lux iusticiæ eius lucebat coram hominibus: sed & factò & verbo. Factò quidem, id est, ipsa per tot annos arcæ fabricatione, in qua mysterium iusticiæ per fidem & aquam adipiscendæ continebatur, vt B. Petrus docuit in prioribus epistola. Verbo autem; quia, vt verisimile est omnino, interim dum parat arcam, hortatus est homines ad Dei cultum & sectandam iusticiam, & ad vitam improbam corrigendum, denunciatis alioqui futurum, vt omnes perirent. Tale quid à Noë factum; & propter hoc exosum fuisse peccatoribus, etiam Iosephus refert. lib. 1. antiq. Iudaic. cap. 3. Quamquam potest hic locus accipi specialiter de Dei iusticia, scelerum & peccatorum vindice; quam Noë prædicabat, exstruens arcam; ac profrens propter exuberantem hominum maliciam instare mundo superabundantiam aquarum, nec ab illis cuiquam extra arcam, quam fabricabat, effugium futurum. Congruit hic sensus cum eo quod de Noë dicitur Heb. 11. *Per quam (arcam) damnauit mundum*. Vide eius loci commentarium. In ea portò custodiuit Deus, id est, à diluuiò seruauit *octauum Noe*, id est, ipsam Noë cum septem alijs: quos si non omnes sua iusticia seruauit (nam incertum est an omnes iusti fuerint); donati tamen sunt ipsi Noë, vt principi familiaræ, propter eius insignem iusticiam; ac seruati in seminario mundi futuri.

DILVVIUM MUNDO IMPIORVM INDVENS. Græcè, *ἐπαχθῆς*, cum induxisset; id est, inducere cœpisset. *Mundus impiorum* erat genus humanum illius temporis, quod totum, paucis exceptis, à vera pietate recesserat.

ET CIVITATES SODOMORVM ET GOMORRHÆORVM IN CINEREM REDIGENS, EVERSIONE DAMNAVIT. Tertium exemplum. Vbi rursus particula *si* repetenda est, oratione adhuc pendente. Nota est historia Gen. 19. Atque huius exempli meminit etiam Iudas in sua epistola. *Gomorrhæorum*, Græcè *Gomorra*; quomodo dixerat *Sodomorum*, non *Sodomorum*: Nam ciuitatum nomina sunt, *Sodoma*, plurale; & *Gomorra*, singulare: quamuis & illud numero singulari, & hoc plurali interdum legatur. *Hæc ciuitates* cum alijs duabus, *Adama* & *Seboim* (nam

Xxx quinta

quinta Segor, Pentapolim complens, data fuit precibus & meritis Loth); incolis earum ac totius regionis sulfure & igne calidus demisso consumptis, *reductus in cinerem* (est enim in Græco participium aoriston *τεφρώσας*) *euerfione* seu subuerfione *condemnavit*, hoc est, funditus evertendo puniuit. Ob quæ peccata sic punitæ fuerint, scriptura non tacuit. Primum, Gen. 17. & 18. & 19. ubi de inhospitalitate, & infanda eorum libidine. Deinde & Ezech. 16. Quo loco Dominus Ierusalem per prophetam sic alloquitur: *Ecce, hæc fuit iniquitas Sodome sororis tue: superbia, saturitas panis, & abundantia, & ocium ipsius & filiarum eius; & manuum egeno & pauperi non porrigebant.* &c.

EXEMPLVM EORVM QVI IMPIE ACTVRI SVNT, PONENS. *Exemplum*; non hic Græcè est *παράδειγμα*, sed *ὑπόδειγμα*. Pro quo apud Iudam legitur *δειγμα*, simplex; *ut intelligas*, ait Erasmus, *non exemplum quod imiteris, sed quod admoneat quid sit vitandum*. Tamen illud Erasmi discrimen inter eas voces non est perpetuum. Sentit autem Petrus, Deum statuisse ciuitates illas non in exemplum vulgare; quomodo qui publicis supplicijs afficiuntur, statuuntur exempla, ne cæteri similia committant: sed in *exemplum typicum*; secundum hoc quod ait Paulus: *Omnia in figura contingebant illis*. 1. Cor. 10. Nam per illam punitionem horribilem, sed temporalem, velut per typicum quoddam exemplum, significata fuit æterna pœna, longè formidabilior, quæ manet homines impios, præsertim impietatis magistròs.

ET IYSTM LOTH OPPRESSVM A NEFANDORVM INIVRIA AC LVXVRIOSA CONVERSATIONE ERIPVIT. Nonnihil variant Latini codices, nam in quibusdam pro *inuria*, scribitur *iniuria*, in alijs *impudica*. Nec defunt in quibus pro (*inuria ac luxuriosa*) tantum legatur, *impudica*. Quæ lectio plus alijs conuenit cum Græcis; quæ sic habent: *Et iustum Loth, oppressum (sive qui opprimebatur) a nefariorum in lasciuia conversatione, eripuit*. Et sensus est, Loth virum iustum, quem illi nefarij ac flagitiosij homines per libidinosam suam conuersationem grauitè affligebant, ac velut labore enectum fatigabant, missi ad eum angelis suis Deus eripuit, ne cum illis inuolueretur incendio. *Iusticiam Loth* satis commendat scriptura, quod cum Abraham egressus fuerit de terra natiuitatis suæ. Gen. 13. quod solus cum parua familia seruatus de incendio Sodomorum; quodq; propter eum etiam Segor seruata. Gen. 19. tum quod ab hospitalitate sic laudatus, ut quem-

admodum Abraham, sic & ipse, etiam angelos meruerit hospitio suscipere. Ibidem & Heb. 11. Quomodo autem iusticia eius non derogeret quod Sodomitarum libidini filias obtulit; ab expositoribus historiae Genesis petendum.

ASPECTV ENIM ET AVDITV IYTVS ERAT. Declaratio est eius quod dixit, *Iustum Loth oppressum fuisse a nefandorum luxuriosa conuersatione*. Quare partis huius sensus non est, Loth externa specie iustum fuisse, ut qui videbant eum & audiebant, nihil haberent quod reprehenderent: sed, iuxta hanc quidem nostram lectionem, laudat eum Apostolus, quod inter pessimos, cum quibus ei conuersandum erat, nec oculis nec auribus hauserit contagium scelerum. Quæ est maxima virtus; inter malos & impios constantiam seruare iusticiae & pietatis. Quis autem secundum Græcam lectionem, germanior sensus videatur, statim dicemus.

HABITANS APVD EOS, QVI DE DIE IN DIEM ANIMAM IYSTM INIQVIS OPERIBVS CRVCIABANT. Totus versus in Græco sic habet; *Aspectu enim & auditu iustus inhabitans inter eos, diem ex die animam iustam iniquis operibus cruciabat*. Nam Græcè est *ἐκασήμερον*, singulare; non *ἐκασήμερον*, plurale. Quod si dicas, vna tantum literula hæc differre; proindeq; facillimam esse alterius in alterum mutationem; primum, obstat consensus Græcorum codicum in verbu singulare. Reclamat deinde etiam grammaticæ ratio; nisi nominatiuas voces (quod Gaignæo placet) pro genitiuis absolutè positis accipias. Sed hoc insolitum est, etiam in sacris literis. Græcam igitur lectionem multi sic interpretantur; Loth, quum esset oculis & auribus iustus, ut cuius omnes sensus à Sodome sceleribus abhorrent; animam suam iustam quotidie, malis eorum operibus, quæ videre & audire cogebatur, excruciasse. Verum articulus vocabulo *δυνατός* appositus, diuersam constructione & sensum postulat; huiusmodi: Iustus enim ille, cum versaretur inter illos nefarios homines; quotidie iustam animam suam (id est, seipsum) prauis eorum actionibus excruciebat, videndo eas & audiendo. Nam multa videbat & audiebat quæ ipsius animum vehementer offenderent: quomodo dictum est à Davide, *Vidi preuaricantes, & rabscebam; quia eloquia tua non custodierunt*. psal. 118. Qui modus loquendi, per tropum etiam ad Deu transfertur; ut Isai. 1. *Solentates vestras, inquit, odit anima mea; facta sunt mihi molesta; laborans sustinens*. Cæterum Hebraismus est, *animam suam cruciare*, pro animo discrucari; qualis, *benedicent se*, pro *benedicentur*. Gen. 12. & alibi. Quæ forma sermonis etiam Galilis visitata est. Il se rompera. Il se pourrira. Istud rumpetur. Istud putrefiet.

NOVIT DOMINVS PIOS DE TENTATIO-

TATIONE ERIPERE. Orationem huc vsque pendentem ab illo loco, *Si enim Deus angelis peccantibus &c.* nunc claudit, alteram partem ei reddens; in hunc modum: *Si Deus angelis & hominibus olim peccantibus non pepercit, sed grauitèr puniuit; si iustos Noë & Loth è malis eripuit: igitur nouit Dominus pios è tentatione eripere, & impios ad cruciatum seruare*. Sic post Beadam Caietanum partem hanc connectit superioribus. Quamquam Græcæ scholia separant; & oratione quæ manserat imperfecta, absoluunt addito huiusmodi supplemento; *Igitur & istos magistros mendaces condigno traderet exitio: Vos autem qui cum illis in mundo commoramini, seruabit & saluos faciet*. ut redditio subaudiatur ex præcedentibus, ubi de magistris mendacibus dixerat; quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Id enim probandum sumperat. Hoc modo supplet etiam Hyginus Papa in epistola secunda: ubi locum hunc allegans, post illa verba, *exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens*; hæc adijcit: *Quid (punitis) iniquis & perseverantibus in nequitia eorum, erit? Secundum hos, id quod nunc addit Petrus, Nouit Dominus &c.* non illatio est, sed confirmatio dictorum: ac si dicat, Ira omnino facturus est Dominus: quia nouit pios è tentatione eripere; id est, opus hoc ei placitum est & familiare, veros sui cultores ex angustijs & persecutionibus, quibus tentantur & probantur, educere & liberare. quemadmodum & id quod sequitur;

INIQVOS VERO IN DIEM IYDICI RESERVARE CRVCIANDOS. Græcè, *In iustos autem in diem iudicij puniendos seruare*. Hoc quoque nouit Dominus, noticia decreti & approbationis; quia licet non gaudeat in pœnis impiorum, vult tamen & probat opus suæ iusticiae, qua punit impios & omnes inuisos, id est peccatores. *Diem iudicij*, intellige extremi: velut passim alibi. Nec tamen hinc consequens est, animas impiorum non puniri ante illum diem: Non enim de animabus separatis loquitur B. Petrus; sed de hominibus, deq; punitione perfecta, quæ simul in anima & corpore puniuntur.

MAGIS AVTEM EOS QVI POST CARNEM IN CONCVPISCENTIA IMMUNDICIÆ AMBVLANT. *Magis*, Græcè *μᾶλλον*, maxime; pro quo Hieronymus, præcipue. lib. 1. contra Iouin. cap. 24. ubi multa citat huius loci. *Qui ambulant, πορευόμενοι, qui incedunt*. Et *μιασμός* non simpliciter immundiciam, sed pollutionem significat; quemadmodum & Hieronymus legit. Doctrinam generalem accommodat apostolus suo instituto, rediens ad id quod initio capitis agere cœperat, id est, ad descriptionem falsorum magistrorum; qui partim iam tum

exorti erant, partim non multo post exorturi. De quibus vide quæ scribit in commentario Oecumenius, & ab eo citatus Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 1. 8. & 9. Sensus est: Omnes quidem impios & peccatores seruari in diem iudicij puniendos; maxime tamen ac præcipue puniendos eos, qui *carnem*, id est, carnalia desideria sequentes, vitam exigunt in omni genere turpium voluptatum. Quod breuiter dixit Iudas apostolus, *Hi carnem quidem maculant*.

DOMINATIONEMQVE CONTEMNVNT. Similiter Iudas, *Dominationem autem spernunt*. Hieronymus plurali numero legit *dominationes*. Sic enim & Græca quædam habent, *κυριότητες*, nominatim Complutensia & regia. Sed verisimilius est B. Petrum scripsisse, *κυριότητος*, genitiuum singularem: Nam verbum *κυριότης*, *contemnere*, non accusatiuum regit sed genitiuum; & singulare est apud Iudam. Porro quam *dominationem* intelligat vterque apostolus, non liquet. Multi de politico magistratu interpretantur, id est, de regibus & principibus, ac cæteris in sublimitate constitutis, ut Paulus loquitur. 1. Tim. 2. Nam hi dominari solent; secundum illud Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum*. Vnde & *Dominationes* saluantur. Verum hæreticos illos de quibus hic agitur, magistratum contempsisse non legitur. Imo Neroni Simon magus assentatus fuit vsque ad adorationem. Nonnulli cum glossa interlineali exponunt de suprema Christi dominatione, quam contempserunt qui pro Christo angelos ad Deum mediatores substituerunt. Quam Paulus vocat *religionem angelorum* Col. 2. Sed hoc si vellent Petrus & Iudas; clarioribus verbis eam reu expressissent: ut Iudas in alia parte suæ epistolæ, dicens: *Et saluum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes*. Oecumenius significari putat vniuersalem dominationem Dei, qua mundum instituit & gubernat: qua mendaces illi magistri, per suas fabulas de mundi creatione & gubernatione confictas, quorum Irenæus meminit, sprete atque repulsa; tanquam oculis à Deo omnium dominatore auersis, conuerterunt se ac demerserunt in omnem carnalem impudiciam. Similia repetit idem author in expositione epistolæ Iudæ. Qui quidem sensus propius quam cæteri, respondere videtur ad dogmata hæreticorum apostolici temporis.

AVDACES, SIBI PLACENTES. Subaudiendum, *di eoi, qui sunt*; ut admonet Oecumenius: aut *ὄντες, cum sint*, ut hæreat hæc pars cum sequentibus. Sunt enim hæc voces non accusandi casus, sed nominandi in Græco; quamuis, præcesserint accusatiui. *Audaces*, ad aggrediendū ea quibus suum institutum promoueant. Item au-

daces, ad maledicendum; ponentes in cælum os suum: ut statim audiamus. Sibi placentes Græcè *αὐδαίεις*, *πρῶρακτι*, ut alij vertunt, id est, homines sui sensus, sui-que capitis, ut dici solet. Hieronymus legit *provoces*. Noster interpres alibi *αὐδαίειν* *superbum* interpretatur; ut Tit. 1. Quædam hæc epitheta in hæreticos omnium ætatum.

SECTAS NON METVNT INTRO-
DUCERE BLASPHEMANTES. Secun-
dum hanc receptam lectionem sensus
promptus est. Exponitur enim effrenata
audacia hæresiarum, qui non verentur
noua dogmata excitare & spargere, &
sectas facere. Sed sciendum, in codici-
bus Græcis arque etiam Latinis quibus-
dam manuscriptis, quorum & Erasmus
meminit, non haberi verbum *introducere*.
Sic autem habent Græca, *δόξας & τρέμματα*
βλασφημίας. Quod ita reddas Latine;
Glorias non verentur blasphemare, seu,
conuicijs incescere. Pro quo Apostolus Iu-
das dixit, *Glorias autem blasphemant*. Ex
quo etiam refelluntur qui diuidunt hanc
partem in duas; *Glorias non metunt*, &
blasphemantes: nec aduertunt participium
loco verbi infinitiui positum esse, iuxta pro-
prietatem Græci sermonis. Cur autem in-
terpres eandem vocem hic *sectas*, apud Iu-
dam *μαϊεστας*, seu *maiestates* transtulerit,
in sententiâ simili, seu potius eadem:
mihi non liquet. Ac sanè quamvis *δόξα*
non solum *gloriam*, sed etiam opinionem
significet: pro *secta* tamen vsurpatum leg-
gisse non memini; licet ex opinionibus fi-
xis & obstinatis sectæ suboriri soleant. Nam
quod supra legimus, *sectas perditionis*, Græ-
cè est *αἰρέσεις*. Porro *glorias* Erasmus in-
terpretatur *gloriâ præcellentes*, id est, vi-
ros gloria ac maiestate præditos, ut sunt
reges, principes ac magistratus. Qui &
aliorum multorum commentarius est. Cæ-
terum Oecumenius duplicem adfert expo-
sitionem, dum *δόξας* esse dicit, *sive diui-
nas virtutes, sive etiam ecclesiasticos principa-
tus: diuinâs virtutes* ut arbitror, intelli-
gens cælestes ac Dei ministros spiritus;
ecclesiasticos autem principatus, eos qui in
ecclesiarum regimine sunt constituti, id
est, episcopos, cæterosque prælatos. Nam
hos maledictis & calumnijs hæreticorum
obnoxios esse, quotidiana docet experientia.
De diuinis virtutibus, id est, ange-
lis etiam alij nonnulli interpretati sunt; ut
Turrianus lib. 2. de hierarchicis ordinatio-
nibus cap. 9. Et Hasselanus, eiusque di-
scipulus Adamus, in commentario. *Con-
stat enim*, inquit Adamus, *ex historia an-
tiquitatis scholam hanc*, id est, Simonis &
Gnosticorum, *mirabilia finxisse de angelis,*
& indigna prorsus excogitasse. De quibus
legendi Irenæus & Epiphanius, scriben-
tes aduersus hæreses, & post hos Theodo-

ritus lib. 3. hæreticarum fabularum. Nec
absimile vero est, Petrum eos hic vocare
glorias, siue *splendores*, siue *dignitates*, si-
ue *maiestates* (his enim vocibus Latinis *δο-
ξας* reddunt interpretes) quos Paulus vo-
cat principatus, potestates, virtutes, do-
minationes, thronos, Eph. 1. & Col. 1. Cer-
tè Gregorius hom. 8. super Ezechielem *ma-
iestatum cælestium* meminit, cum dicit *Chri-
stum etiam maiestatis angelorum esse super-
positum*. At de his sermo redibit in exponen-
da epistola Iudæ. Nam & illud quod in ea
epistola refertur de Michael archangelo,
non auro inferre diabolo iudicium blasphem-
iæ; fauet dictæ expositioni de angelis:
quemadmodum & hoc quod iam sequi-
tur.

II VBI ANGELI FORTITVDINE ET
VIRTUTE CVM SINT MAIORES, NON
PORTANT ADVERSVM SE EXSECRA-
BILE IVDICIVM. Vbi, pro *cum* aduer-
bio posuit. Sic enim tam Græcis quàm
Latinis interdum vsurpatur. Nolu-
it autem *cum* dicere; ne bis diceretur in tam pau-
cis verbis, quia sequitur: *cum sint maiores*.
Portant Græcè *φέρουσι* ferunt. *Exsecrabile iu-
dicium* *βλασφημῶν κρίσιν*, id est, *blasphemum,*
maledictum iudicium. Deinde Græca plus
habent, *πρὸς κυρίω*, pro quo reperitur in
antiquis nonnullis Latinis, *à Domino*. Sed
melius Erasmus & alij vertunt, *apud Domi-
num*. *Non ferunt aduersum sese apud Do-
minum, maledictum iudicium*. Sic enim
passim sumitur in scriptura Græca tam veteris
quàm noui testamenti. Quia Græca non
respexerunt, nec ad locum Iudæ Apostoli,
sic fere partem hanc interpretati sunt. Hære-
ticorum valde grauiâ & intolerabilia fore
tormenta: cum nec angeli præuaricatores,
qui natura præstantiores & fortiores sunt
hominibus, Dei aduersum se iudicium susti-
neant, sed ut importabile exsecratur. Alij
alios huc adferunt sensus, vsque ad octo vel
nouem numero, quos recensent Feu-arden-
tius & Lotinus. Pro sensu, quem nos ve-
riorem putamus, notandum, id quod Græ-
cè est *κατ' αὐτῶν aduersum se*, positum esse
pro *κατ' αὐτῶν*, ut & quædam Græca habent,
id est, *aduersum seipsos*; quod exponitur, ad-
sum se mutuo, alius aduersus alium: quo-
modo reciprocum illud frequenter accipi-
tur, ut alibi docuimus. Eodem redit si
aduersum se, exponas, contra suâ natu-
ræ & excellentiæ socios. Nam & dæmo-
nes angeli sunt ex principatibus & potesta-
tibus & virtutibus. Rom. 8. & 1. Cor. 15.
Iuxta quem sensum, dictio *se* reciprocatio-
nem innuit generis seu naturæ; ut si dicas, Lu-
pi sese non comedunt. Sensus igitur hic
esse videtur: Isti Simonis discipuli non
verentur cælestibus ac gloriosis virtuti-
bus, id est, angelis gloriosis, maledicere:
cum ipsi angeli, robore ac virtute eis ma-
iores, non inferant sibi mutuo, id est,

alij

alij alijs, boni malis, iudicium blasphemum;
non impingant eis notam maledicti, non
ingerant verba maledica, non eos cum ma-
ledictis exsecratur; si quando controuer-
siam seu disceptationem cum eis habent
apud Dominum, vel coram Domino. Nam,
ut alter apostolus refert, *Michael archan-
gelus cum diabolo disputans de Moysi corpo-
re, non est ausus iudicium inferre blasphe-
mia*. Ad hanc enim Michaelis cum diabo-
lo altercationem coram Domino habitam
(ut solet filijs Dei coram Domino assisten-
tibus adesse etiam Satan, Job. 1. & 2.) in
qua à conuicio Michael abstinuit, tantum-
que dixit, *Imperet tibi Dominus*: B. Petrum
respicere plulquam verisimile est; ut ex
angelorum comparatione exaggeret hære-
ticorum audacem maledicentiam, qui homi-
nes cum sint, angelis non parcent; quando
nec angeli, natura inter se æquales, alij alijs
maledicunt. Si tamen per *glorias* intelli-
gere quis maluerit homines gloria præcellen-
tes: nihilominus valebit criminis eorum qui
his maledicunt, exaggeratio, ab angelis sum-
pta.

12

HI VERÒ VELVT IRRATIONA-
BILIA PECORA NATVRALITER IN
CAPTIONEM ET IN PERNICIEM.
Pergit Apostolus describere mores corru-
ptissimos pseudodidascalorum. *Irrationa-
bilia pecora*, Græcè *ἄλογα ζῷα*, *irrationalia*,
seu *ratione carentia animalia*; siue, ut inter-
pres in epistola Iudæ, & Erasmus hoc lo-
co vertunt, *bruta animalia*. Nam bru-
tum dicitur quod sermonis & rationis est
expers. Cæterum pro aduerbio *naturaliter*,
in Græco sunt duo vocabula, no-
men & participium, *φυσικὰ γεννημένα*, *na-
turalia genita*. Quod sic exponunt, *natu-
raliter genita* seu producta; scilicet ad id
quod sequitur, id est, *ad capturam & per-
niciem*. Nam Deus bruta animantia, qua-
drupedia, volatilia, natatilia creauit, ut
ab hominibus capta & occisa; cedant in
eorum vsum. Alij vocabulum *φυσικὰ*,
seorsim accipiunt; exponentes hoc modo:
Quæ naturali impetu feruntur, non ratio-
ne; ut sit declaratio vocabuli præcedentis,
ἄλογα. Qui sensus aptior est: Nam iuxta
priorem sensum potius dicendum erat, *φυσι-
κῶς* seu *φύσει γεννημένα*, naturaliter seu
naturâ genita ad capturam &c. Sentit A-
postolus, eos aduersus quos scribit, more
brutorum animantium, quæ sensu, non ra-
tione ducuntur, & in hoc nata sunt ut capta
ab hominibus occidantur, quem & ipsi sen-
suum voluptatibus totos se dedant, tan-
dem, iudicij die tanquam laqueo captos,
ad interitum trahendos. Quidam actiue
locum hunc interpretantur, de rapacibus
& noxijs animalibus; quibus naturale est a-
lias animantes capere & perdere: cuiusmo-
di sunt lupi, leones, accipitres, aquilæ. qua-
si dicat B. Petrus, ad eundem modum se-

ductores istos capere simplicium animas &
perdere. Verum prior sensus germanus est,
& explicatur sequentibus ver-
bis.

IN HIS QUÆ IGNORANT BLA-
SPHEMANTES, IN CORRUPTIONE SVA
PERIBVNT. Hoc dicit, quod pluribus
B. Iudas: *Hi autem quæcumque quidem
ignorant, blasphemant: quæcumque autem na-
turaliter, tanquam bruta animalia, norunt, in
his corrumpuntur*. Ergo quod Petrus scrip-
psit, *In his quæ ignorant blasphemantes*, idem
est cum eo quod Iudas, *Quæcumque igno-
rant blasphemant*: ut Petri phrasis, alioqui
infolita; sic exponi possit: In ijs quæ igno-
rant suam exercent maledicentiam: vel po-
tius similis sit Hebraismo frequenti in scri-
pturis, quo *invocare in nomine Domini*, idem
est quod *invocare nomen Domini*, quemad-
modum interpretes Hieronymus & alij
phrasim Hebraicam reddiderunt. quæ ta-
men nobis etiam legitur psal. 119. *Nos autem
in nomine Domini Dei nostri invocabimus*.
Simile est illud psalmi 72, *Donec intelligam
in nouissimis eorum*, id est, donec eorum exi-
tum videam & considerem. Porro satis ap-
paret vtrumque Apostolum respicere ad bla-
phemiam, de qua proximè locuti fuerant;
ea scilicet qua perditii isti homines blasphe-
mabant glorias seu maiestates. Per quas,
si intelligantur angelicæ virtutes, quem
intellectum superius ostendimus esse pro-
babilem: facilis erit huius loci commenta-
rius. Nam angelorum natura, res publi-
ca, ordines, officia, sensum & cognitio-
nem humanam longè excedunt, nisi quan-
tum de illis Deus in scripturis reuelauit.
Hos autem isti blasphemabant, quia irre-
uerenter & fabulosè tractabant, ut ante di-
ctum est. Quamquam potest hæc pars vl-
terius extendi ad alia fidei nostræ mysteria,
de quibus illi nugacissimè fabulabantur.
Iam in eo quod sequitur, *In corruptione
sua peribunt*, in Græco allusio est nomi-
nis & verbi *ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν κατὰ φθορίαν*
τῆς. Quod Erasmus sic reddit: *in perdi-
tione sua peribunt*. Hieronymus autem ex-
pressius è Græco, *In corruptione sua cor-
rumpuntur*. Vbi *corruptionem* Apostolus
intelligit eam quam supra cap. 1. versu 4.
& hic infra versu 19. De qua loquitur
& Iudas, dicens, *in his corrumpuntur*.
Ea corruptio est, qua per scædas & innat-
urales libidines dehonestatur ac vicia-
tur humana naturâ, eiusque dignitas læ-
ditur ac violatur. Sensus autem est, In-
star brutorum animantium, ea quæ non in-
telligunt dentibus maledicentiæ laceran-
tes: dum sese totos voluptatibus sen-
suum, etiam contra naturam, tradunt
& immergunt, atque per hoc naturam suam
corrumpunt, tandem in æternam corruptio-
nem, id est, perditionem & interitum præci-
pitandos esse.

PERCIPIENTES MERCEDEM INIUSTITIAE. Percipientes, Græcè κομισ-
μενοι, reperiuntur. Cohæret enim præceden-
tibus: & hic finiendus erat versus. Sic ean-
dem vocem transtulit interpres in priori e-
pistola cap. 1. Reportantes finem fidei vestra
salutem animarum. Cæterum iniustitia mo-
re scripturæ generaliter accipitur, compre-
hendens omne genus peccatorum, etiam
carnalium; de quibus hic agitur; vt ex se-
quentibus amplius patebit. Sensus est: Eam
pœnam, id est, corruptionem æternam re-
cepturos esse pro mercede suarum corrupte-
larum.

VOLUPTATEM EXISTIMANTES
DIEI DELICIAS. Constructio: Hi, in-
quam, qui voluptatem existimant diei de-
licias. Græcè, τὸν ἐν ἡμέρᾳ τρυφῆν, eas quæ
in die delicias. Et sensus est, quem Erasmi
versio paraphrastica significat: Pro voluptate
ducentes, si in diem delicijs fruuntur. ac si
dicat Apostolus, Felicitatem statuunt in
præsentibus delicijs carnis & sensuum, mo-
re epicureorum; securi temporis ac iudicij
post hanc vitam secuturi. Adamus diei de-
licias interpretatur delicias dieculares. Sic
enim vocat; & hunc sensum reddit: Pos-
se uno & altero die deliciari, eam reputant
unicam & summam voluptatem. Sunt qui
diem à nocte distinguunt, facientes hunc
sensem: Exuto proflus omni pudore, et-
iam interdum comessantur & libidinantur;
quam hæc noctu fieri ab improbis soleant.
dicente Paulo; Qui ebrii sunt, nocte ebrii
sunt. 1. Thess. 5. Placet hic sensus Erasmi.
tam in paraphrasi quam in annotationibus.
Atqui sensum primo loco datum, magis ge-
nuinum arbitror. Conuenit enim cum pla-
cito negantium resurrectionem; & Christi
aduentum ad iudicium; qui dicunt apud
Paulum 1. Cor. 15. Manducemus & biba-
mus: cras enim moriemur. Et apud Petrum
infra ca. 3. Vbi est promissio aut aduentus eius?
quos ibidem vocat iuxta proprias concupiscen-
tias ambulantes; id est, tales, cuiusmodi hic
describuntur.

COINQUINATIONES ET MACU-
LÆ. Sic legendum pluraliter casu nomi-
nandi, ex castigatione Romana; Græcis
omnibus exemplaribus & melioribus Lati-
nis consentanea: quum in multis, atque et-
iam apud Bedam malè legeretur in geniti-
uo singulari, Coinquinationis & macula.
Numerum pluralem expressit Hieronymus,
sordes & maculas. In Græco sic legitur,
σπίλοι καὶ μῶμοι, id est, labe, & vitupe-
ria. Prius vocabulum etiam Paulo usur-
paratur Eph. 5. Non habentem maculam. Hi
ipsi de quibus Petrus, à Iuda σπλάγες, de-
riuada voce, id est, labe seu macula vocan-
tur. Ex eodem apostolo discimus cur
eos Petrus appellet his nominibus: eo nempe
quod in epulis suis turpia quædam, &
omni vituperatione digna exercerent; qua-

lia de ijs Epiphanius refert in hæresi Gnosti-
corum. Erant igitur labe & macula seu
vituperia: quia toti & animo & corpore
polluti erant; & sua spurcicie cœtus sub no-
mine Christi congregatos, contaminabant;
ipsamque Christi nomen vituperio atque
infamiae exponebant. Indicat hoc & Petrus
verbis sequentibus;

DELICIAS AFFLVENTES IN CON-
VIVIIS SVIS, LUXURIANTES VOBIS-
CVM. Græca quæ nunc sunt in manibus,
sic habent ad verbum: Deliciantes in deceptio-
nibus suis, coepulantes vobis. Nam pro
conuiujs, Græcè est ἀπάταις, id est, errori-
bus; vt vertit Erasmus, seu potius, deceptio-
nibus. Sed quia noster interpres vertit con-
uiujs: admodum verisimile est eum in Græ-
co legisse ἀπάταις. Quæ vox charitatis qui-
dem significat: sed iam inde à tempore apo-
stolorum usurpata fuit pro conuiujs Chri-
stianorum inter se: quod ad ea paupe-
res aduocando; charitatem in eos exercerent.
Quam huius appellationis rationem,
inter alios adfert Tertullianus in Apologe-
tico, cap. 39. Fumat hanc coniecturam e-
pistola B. Iudæ, in qua sic legitur: Hi
sunt in epulis &c. Græcè ἐν ταῖς ἀπάταις:
quod hoc loco vertit, in conuiujs. Nam
& illic additur συνευχόμενοι, quod hic
quidem, luxuriantes transtulit; sed ibi me-
lius, conuiuantes. Pro quo legit Augusti-
nus, coepulantes, lib. de fide & op. cap. 25. Ita-
que sensus est; Toti delicijs ac luxa dis-
fluunt in agapis illis suis; id est, in conui-
uijs specioso agaparum nomine obuelatis,
quæ vobiscum exercent. Quanquam hæc
conuiuia Augustinus extendit ad epulas, vt
vocat, sacramentorum, & dilectiones, id est, aga-
pas, plebium.

Porrò Græcum participium ἐντροφῶντες,
Erasmus insultantes vertit, idemque iungit
cum pronomine ὑμῶν, vobis; id est, primam
dictionem cum vltima, faciens hyperbaton
minimè necessarium. Quamuis enim Græ-
cum verbum ἐντροφῶν, ambiguum sit ad
insultare & deliciari: tamè hoc posterius præ-
senti loco magis quadrat, & in eum sensum
accepisse videtur Oecumenius; licet inter-
pres eius variet, Erasmi versioni nimium in-
hærens.

OCVLOS HABENTES PLENOS A-
DULTERII ET INCESSABILIS DELI-
CTI. Adulterij Græcè μοιχαλίδος, adulte-
ra. Tanquam dicat apostolus, In ipsis ocu-
lis adulteram gestantes, & nihil aliud quam
adulteras, explendæ libidinis gratia, spe-
ctantes. Sic enim Gagnæus exponit, Græ-
ca scholia secutus. Quod sensu diuersum
non est ab eo quod nos habemus; plenos
adulterij, quodque legitur in libro de singu-
laritate clericorum, sub nomine Cypriani,
plenos mæchationibus. Oculos autem nomi-
nat; quod per oculos maximè, velut fene-
stras, hauriantur vanitates mundi. Propter

quod

quod orat psalmista: Auerte oculos meos ne
videant vanitatem. psal. 118. Et de se com-
memorat S. Iob 31. Peppi fœdus cum ocu-
lis meis. Et iterum: Si secutum est oculos
meos cor meum. Nam & Dominus adulte-
rij ingressum in oculis posuit, dicens: Qui
viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam
mæchatus est eam in corde suo. Matth. 5.
Quod sequitur, Et incessabilis delicti; Græ-
cè est, & ἀνεπίστατος ἀμαρτίας, & incessa-
bilis peccati; vt ad oculos pertineat; qui à
peccando cessare nesciant; vt vertit Erasmus.
Breuiter dixeris, Irrequietos à peccato, vide-
licet aspectus libidinosi mulierum. quasi di-
cat, Oculos habent insatiabiles ad viden-
dum id quod libidinem prouocat. Gai-
gnæus suspicatur interpretem legisse geniti-
uo singulari ἀνεπίστατος: Mihi verisimilius
est eum scripsisse, incessabilis, quod in non-
nullis adhuc exemplaribus legitur. In sensu
tamen haud multum est discriminis. Nam
sensus vulgaræ lectionis est, oculos eorum
intentos esse ad peccandum indefinenter &
continè.

PELLICIENTES ANIMAS INSTA-
BILES. Hoc iam non ad oculos refertur,
vt ex Græco constat; sed ad ipsos homines;
quemadmodum & sequentia. Pellicien-
tes Græcè δολοφόνους, inescantes, nimirum
per voluptates carnis, quas promittit &
tradit eorum doctrina, quasiue affatim
exercent. Nam voluptas esca malorum est;
vt Plato dicebat: quod ea videlicet homines
mali capiuntur, vt hæræo pisces; referente Ci-
cerone in libro de senectute. Animas insta-
biles vocat apostolus eorum qui nondum
firmi sunt in fide, sed adhuc nutant. Quod
significat Græca vox ἀσχυρῆτος. Vnde in li-
bro de singularitate clericorum sic legitur;
cipientes animas infirmas. Tancti Hiero-
nymus de charitatis infirmitate exponit,
dum hanc partem ita reddit paraphrastice:
Decipiunt animas necdum Christi charitate
robustas. Nam & qui in charitate minus
sunt radicati, facilius ab hæreticis seducun-
tur. quamuis infirmitatem fidei ab aposto-
lo significari verisimilius est. Nam his
opponuntur στερεοὶ ἐν πίστει, fortes seu firmi in
fide; apud eundem Apostolum 1. epi.
cap. 5.

COR EXERCITATVM AVARICIÆ
HABENTES. Avaricia, Græcè πλεονε-
ξίας, pluraliter; id est, avaricijs seu cupidi-
tatibus. Erasmus rapinis. Nam πλεονεξία
non simplex habendi cupiditas est, sed dum
quis rem alienam, arte non bona, sibi con-
quirat. Sumitur interdum apud Paulum pro
insaturabili turpium voluptatum auiditate,
vt Eph. 4. In operationem omnis immundicia,
in avaricia: sicut eo loco ostendimus. Ita-
que putat Oecumenius hic intelligi posse
cupiditatem, siue impudicitiam siue possessio-
num: Impudicitiam quidem, propter ea quæ
præcedunt; possessionum verò ac pecunia-

rum, propter exemplum Balaam quod mox
inducitur. Quæ posterior expositio fere om-
nium est interpretum, ac reuera probabilior:
vt quæ etiam cum eo quod proximè præ-
cessit, optimè cohæreat. Nam ad hoc se-
ductores illi inescabant doctrinæ suæ blan-
dicijs, auditores; vt pecunias emungerent,
& rem suam auerent. Hoc igitur est quod
apostolus dicit, eos multo vsu tenere artes
acquirendi per fas & nefas, ab ijs quibus se
magistros ingerunt. Quod & supra dixit,
versu 3. Et in avaritia fœctis verbis de vobis
negociabuntur.

MALEDICTIONIS FILII. Hebrai-
mus est, vel pro eo quod diceret, Homines
maledicti, execrabiles, id est, omnium exse-
cratione digni, vt plerique exponunt: Vel
potius, vt ita dicantur maledictionis filij, sicut
alibi leguntur filij mortis, ira, gehenna, id est,
quibus mors, ira, gehenna debeatur ac præ-
parata sit. Igitur maledictionis filij, quos
manet illa maledictio Iudicis, sic maledicti in
ignem æternum. Matth. 25.

DERELINQUENTES RECTAM VIAM
ERRAVERUNT. Hoc dicere videtur, Eos
semel relicta recta via, id est, vera & sana
Christi doctrina, iam non in vno aliquo dog-
mate consistere; sed vagari per varios errores
doctrinæ; nunc hoc, cras aliud docentes,
prout cōmodum viderint quaesui. Id quod
significat subiunctum de Balaam exem-
plum. His consonat B. Iudas; dum eos ap-
pellat sidera errantia.

SECUTI VIAM BALAAM EX
BOSOR, QUI MERCEDEM INIQUITA-
TIS AMAUIT. Huius quoque meminit
Iudas, dicens: Et errore Balaam mercede ef-
fusi sunt. Historia est Num. 22. 23. & 24. vbi
Balaam describitur vt vates munetum cupi-
dissimus, adeo vt paratus esset, si posset im-
punè, pro mercede maledicere populo
quem sciebat à Deo benedictum. Quam
Petrus vocat mercedem iniquitatis seu iniu-
stitiæ, Græcè ἀδικίας: id est, amatam, desi-
deratam & expectatam pro opere iniusto &
impio. Hanc viam peruerfam (sic enim vo-
cat eam angelus Num. 22.) relictā
dicit apostolus istos secutos; scilicet illius
Simonis discipulos ac sequaces, cui Spiri-
tum sanctum emere & vendere volenti, di-
xit idem Apostolus; Pecunia tua tecum sit
in perditionem, Act. 8. Illud, ex Bosor, qua-
stionem habet: Nam Græcè est τὸ βοσὸρ, ip-
sius Bosor; vt filius Bosor intelligi possit, licet
scriptura Numerorum Partem eius non
Bosor sed Beor nominet; nisi forte binomius
fuit. Nam Augustinus quæst. 48. super Nu-
meros, recitans hunc Petri locum, legit, fi-
lij Beor, tanquam idem sit Beor & Bosor:
Vel ex Græco potest intelligi natus in loco cui
nomen Bosor. Id quod placet Bedæ & alijs
nonnullis. Fit enim illius loci mentio Deut.
4. & alibi, tanquam vbis in Madian sitæ:
Verum priori intellectui, quem tradunt

recentiores Erasmus, Caietanus, Gaigneus, Adamus & alij; fauet articulus 78; qui magis soler parentem designare quam locum natiuitatis. Interim vide, si operæ precium videtur, Lorinum plura huc adferentem.

16 CORREPTIONEM VERO HABVIT SVÆ VESANIÆ. Græcè, *Redargutionem vero habuit propria iniquitatis*. Sensus reddit Erasmi versio: *Sed redarguitus fuit de sua iniquitate*. Tametsi hic in Græco non est *admixtas*, vt in parte præcedenti; sed *παρὰ τοὺς νόμους*: quod magis *transgressionem* significat, dum quis sciens legem violat. Tale enim erat peccatum Balaam: qui cognita Dei voluntate nitebatur in cōtrarium. Quidam suspicantur interpretem non *παρὰ τοὺς νόμους*, sed *παρὰ τὸν νόμον*, legisse, id est, *acmentia*; quæ vox est in parte sequenti.

SVBINGALE MUTVM ANIMAL HOMINIS VOCE LOQVENS PROHIBVIT PROPHETIÆ INSTIPIENTIAM. Modum correptionis seu redargutionis explicat. Non enim per hominem, sed insolito ac stupendo miraculo per subiugale mutum ac stupidum animal, videlicet asinam humana voce loquentem; sicut historia Numerorum testatur, prohibitus fuit Balaam a sua dementia, qua contra Dei voluntatem; auaricia stimulante, proficiscebatur ad maledicendum Israeli. Non quod in verbis asinæ fuerit aperta reprehensio iam dicti criminis; sed quia ex verbis eius ex postulatorijs intelligere debuit propheta, viam suam esse peruersam, Deoq; contrariam; sicut eistatim ab angelo denunciatum fuit. Cuius etiam ministerio vox humanæ similis in ore asinæ fuerat a Deo formata. Porro supplenda est causalis coniunctio; *Nam subiugale &c.* quam interdum subiciunt & intelligendam relinquunt Hebræi & alij. Nec in Græco additur *animal*; vti nec apud Bedam, nec apud Gregorium Cūræ pastoralis parte 3. admonit. 13. vbi hunc locum adducit: denique nec in omnibus antigraphis Latinis. Nec sanè opus vt addatur: Nam *ὑποζύγιον*, id est, *subiugale*, substantiuè sumitur, & *animal* includit; velut si dicas *umentum*. Rursus in eo quod Græca habent, atque etiam Latina quædam, Beda & Gregorio suffragantibus, *in hominis voce loquens*; manifestus Hebraïsmus est.

Illud quæritur; quomodo Petrus eum vocet *prophetam*, quem Moyses *ariolum* nuncupat, id est, diuinatorem ac vatem dæmonum, vt plerique intelligunt. Certè prophetam Dei fuisse, sed auarum & improbum, constat ex ijs quæ de eo refert scriptura Numerorum: Nam a vero Deo expectabat & accipiebat responsa. Quod declarant illa eius verba, cap. 22. *Respondebo quicquid mihi dixerit Dominus*. Hebraicè *אני ישיב*. Et cap. 24. *Non potero praterire sermo-*

nem Domini. Et iterum: *Quicquid Dominus mihi dixerit, hoc loquar*. Vnde & dicitur Dominus posuisse verba benedictionis in ore eius: cap. 23. Nam & oracula quæ protulit, atque illud nominatim; *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*; ab omnibus agnoscuntur diuina. Accedit quod Petrus absolutè prophetam eum appellat, nec reprehendens in eo falsum cultum, sed auariciam. An autem ad vaticinandum, etiam dæmones aliquando aduocauerit; hæud liquet: tametsi multi ita sentiant, eo quod *ariolum* vocetur. Sed sciendum, loco huius vocabuli in Hebræo legi, *Pethorah*; quod & LXX Græcis literis *Παθώρα* expresserunt. Estque loci nomen, *Pacoria* Ptolemæo dicta. Repetitur autem Deut. 23. vbi Hieronymus vertit: *De Mesopotamia Syria*. Vocatur quidem Balaam etiam Iosue 13. *ariolum*, in nostra versione: sed Hebræa dictio *casûs* quæ illic legitur, patet ad diuersas diuinandi species, etiam licitas. Vnde & LXX verterunt *μάντιν*, id est, *vatem*, generali nomine: quamuis id in scripturis non solcat Dei prophetis attribui. Vt hinc non improbabilis sit suspicio, Balaam hominem auarum, quæstus causa apud populos infideles, inter quos morabatur, etiam ad illicitas diuinationes operam suam venalem exposuisse.

17 HI SVNT FONTES SINE AQUA. Fontes propriè nulli sunt sine aqua: sed fontes vocat fontium receptacula; quæ interdum, venis fontium obstructis, aut alia ex causa, aquis destituuntur. Augustinus *fontes si cos* legit lib. de fide & op. cap. 25. Nam in Græco vna vox est *ἀνυδρος*, *siccus*, *aqua carentes*. *Inaquisum* vertere solent vulgatus interpretes. Igitur hac parte significatur hypocrisis & fallacia pseudodidascalorum. Vt enim fons aqua carens procul venientes inuitat ad hauriendum & bibendum; at vbi proprius accesserint, frustrat eos ac fallit: ita & isti veritatem, pietatem, salutem, & salutis securitatem auditoribus promittunt; sed re ipsa nihil horum præstant; vt pote secundum Paulum, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. 2. Tim. 3. Simili tropo Iudas dixit, *Nubes sine aqua*, id est, nubes leues ac steriles; quæ pluuias promittunt, nec fundunt tamen, sed in aere dissipantur.

ET NEVLÆ TVRBINIBVS EXAGITATÆ. Græcè, non addita coniunctione, *Nubes a procella acta, impulsæ*. Sic apud Iudam; *Nubes quæ a ventis circumferuntur*. Notatur instabilitas doctrinæ, dum more nubium quæ a ventis procellosis huc illuc agitantur, inconstantes sunt in placitis suis, mutantes & inuertentes ea, prout commodum visum fuerit. Testatur id de antiquis hæreticis Tertullianus lib. de

præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 42. & Irenæus lib. 1. cap. 5. & 21. De nouis autem ac nostræ ætatis hæreticis, id ipsum abundè quotidiana testatur experientia.

18 QVIBVS CALIGO TENEBRARVM RESERVATVR. Plus est in Græco: *Quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est*. *Quibus*, non nebulis seu nubibus; sed ijs quos demonstrat illud præcedens, *Hi sunt fontes &c.* Id est, falsis magistris. Est enim *ὄσ*, masculinum. Idque etiam patet ex epistola B. Iudæ, vbi nubium mentio longius præcedit; & alijs interpositis tandem dicitur, *Quibus procella tenebrarum seruata est in æternum*. Quanquam nec conuenit hæc descriptio nubibus, præsertim quæ leues & steriles sunt. Porro verisimile est particulam, *in æternum*, quam Græca habent non Latina, ex apostolo Iuda huc inferram esse codicibus Græcis: vt hac parte sinceriosem arbitretur lectionem Latinam. *Caligo tenebrarum* Hebræa phrasi caliginem tenebrosam significat, id est, tenebras densissimas; quas in euangelio Dominus *tenebras exteriores* vocat Matth. 8. 22. & 25. Hoc est, tenebras extimas, profundissimas, a lucis regione remotissimas. Significatur ergo finis & supplicium quod manet errorum magistrorum. Ac ne tolerabilis videatur hæc tenebrarum pœna; additur in euangelio tribus locis prædictis, *Illuc erit sicut stridor dentium*.

SVPERBA ENIM VANITATIS LOQVENTES. Mendose legitur in quibusdam codicibus, *superba*. Nam *superba* legendum liquet ex Græcis & melioribus quibusque Latinis. Vnde & Hieronymus eius loco nunc *verba iumentia* legit; nunc *grandia*. Illud lib. 1. contra Iouin. cap. 24. Hoc lib. 2. cap. 2. Græcè est, *ὑπεροχὰ*, id est, *supra modum iurgiosa*, siue, vt Erasmus vertit, *vehementer fastuosa*. Propriè competunt hæc in scholam Simonis, ex qua orti Gnostici; qui sibi solis scientiam vendicantes, de rebus maximis & abstractis magno cum fastu vanissimè nugabantur. Quod erat *superba vanitatis verba loqui*. Pro quo B. Iudas: *Et os eorum loquuntur superba*, Græcè similiter, *ὑπεροχὰ*.

PELLICIUNT IN DESIDERIIS CARNIS LVXVRIÆ. *Pellicunt*, Græcè *σπαραζόντων*, *inesciant*; vt paulo antè, *inesciantes*. *Luxuriæ*, Græcè *ἀσέλγεια*, id est, *luxurijs* seu potius *lascinijs*. Quanquam verisimile est B. Petrum scripsisse & interpretem nostrum legisse, *ἀσέλγεια* casu genitio numeri singularis, quandoquidem & veteres Latini Hieronymus in 1. contra Iovinianum, & Augustinus de fide & op. cap. 25. legunt, alter, *luxuria*; alter, *impudicitia*. Nechoth desunt Græci codices, quibus idem casus legitur. Estque facillima

huius lectionis in alteram mutatio, solo iota addito. Certè vulgata Græcorum lectio commodum sensum non recipit, nisi coniunctionem addas, & *lascinijs*: Nostra verò sensum habet obuium; Pellicunt per desideria carnis lasciuientis. Vt enim Hebræa phrasi *caro peccati* vocatur a Paulo Rom. 8. caro peccatrix seu peccato obnoxia: sic a Petro *caro lascinia* posita est hoc loco pro carne lasciuia, id est, in libidinem propensa. Nisi magis placeat, illud *luxuria* seu lasciuia; pendere à vocabulo *desiderijs*; sicut ex eodem pendet istud *carnis*: sed diuersa habitudine. Sunt enim hæc desideria carnis, id est partis sensitiuæ non obedientis rationi. Eadem sunt desideria lasciuia, luxuria, quatenus voluptatem libidinofam pro obiecto habent.

EOS QVI PAVLVLVM EFFUGIUNT. In Græcis pene omnibus participium est aoristum, tempus præteritum significans *ἀποφυγόντων*, *eos qui effugerunt*. Nec secus legunt Hieronymus & Augustinus. Estque ea lectio ad sensum aptior: vt statim patebit. Quod autem nos legimus, *paululum*, variè legitur in Græcis. Plerique codices habent *ὄσως*, id est, *vere, reuera*. Quidam *ὀλίγως*, *parumper*. Alij, *ὀλίγον paululum*: vt editiones Complutensis ac regia. Atque alterum horum legisse crediderim veterem interpretem. Nam quod Erasmus & Vatavus, nullis exemplaribus subnixi, suspicantur *εὐτως* scriptum a Petro, quod dicunt usurpari pro *vicinque, paululum*; velut Io. 4. *Iesus sedebat sic supra fontem*, vbi pro *sic*, malunt *paululum* vel *vicinque*: id vt verum sit; tamen non propterea credendum est interpretem hic legisse *εὐτως*. Porro conueniunt in hac parte cum nostro interprete Hieronymus & Augustinus locis allegatis. Quid autem sit, *paululum effugere, vel effugisse*; & quod sit hoc referendum: dissentiant expositores. Atqui verus commentarius pendet ex eo quod continuè sequitur.

QVI IN ERRORE CONVERSANTVR. Hoc quidam referunt ad *superba loquentes qui pellicunt* &c. quos vtique constat in errore versari & conuersari. Verum Græca repugnant, in quibus non est nominandi casus sed accusandi, *τῶν ἀνασπαραζόντων*, *eos qui conuersantur*. Regitur autem quorundam iudicio a verbo *pellicunt*, à quo regebatur *τῶν ἀποφυγόντων*. eāquam dicat apostolus; Pellicunt eos qui paululum effugerunt: eos, inquam, qui in errore conuersantur. Verum sensus iste non congruit. Non enim pellicunt eos qui errant, sed vt in errorem mittant. Deinde; quomodo in errore conuersantur, qui iam effugerunt? Ergo potius & omnino dicendum, quod regatur à participio proximo *ἀποφυγόντων*; vt hæc sit structura: *Pellicunt eos qui paululum effugerunt illos*

(vel

(vel ab illis) qui in errore conuersantur. Ita paulo post loquitur: Si enim refugientes coinquinationes mundi &c. participio eodem. Quoniam autem totus hic locus obscurior est: paraphrastice eum elucidemus: Verbis, inquit, tumentibus, id est, grandibus, superbis, ac fastu plenis, vanissimis tamen, inescant seductores illi per concupiscentias carnis ad lasciuiam prona, cui permittunt quicquid liber (sic enim facilius ipsis creditur) eos qui paululum, id est, imperfecte, nec satis firma fide (vel potius paululum, id est, non multo ante, sed nuper admodum conuersi ad Christum) effugerunt ac recesserunt ab eis qui in errore conuersantur, scilicet infidelitatis & vitæ carnalis; cuiusmodi conuersatio erat in ethnicismo ac Iudaismo. Quas infra vocat coinquinationes mundi. Quæ vita describitur ab eodem apostolo, prioris epistolæ cap. 4. dicente: Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxurijs &c. Porro qui legunt *ὄντως*, reuera, sic exponunt: Eos qui serio penitentiam professi, verè effugerant atque reliquerant errorem pristinae conuersationis, nouo erroris genere decipiunt.

LIBERTATEM ILLIS PROMITTENTIS. Significat qua potissimum arte pelliciant alios ad suam doctrinam: nimirum promissa libertate, qua nihil optabilius ac suauius audiri solet. Vnde solemne est hæreticis, libertatem suis sectatoribus polliceri. Hoc enim habent erroris ac maliciæ suæ velamen; vt idem Apostolus loquitur in priori epistola cap. 2. Erat autem ea carnis libertas; de qua Beatus Iudas in epistola, dicens subintroisse quosdam homines, *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam*. De qua Paulus quoque fideles admonet Gal. 5. his verbis: Vos in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. Quomodo libertatem hanc promiserint apostolicorum temporum hæretici, nempe Simoniani, Nocolaitæ, & horum successores Gnostici, laxantes carni habenas ad omne genus turpium voluptatum; tradit Epiphanius in istarum hæreseon descriptione. Quadrat autem apprimè locus iste etiam in hæreticos nostri temporis, qui ex sola fide promittunt hominibus salutem, eamque certissime consequendam, nullis obstantibus peccatis, quæ quis post fidem semel susceptam patrauerit. Porro quæ vera sit libertas hominis Christiani, tota lex euangelica abundè docet.

CVM IPSI SERUI SINT CORRUPTIONIS. Ostendit fallò eos promittere libertatem, argumento à repugnantibus; quoniam ipsi sunt serui pessima seruitute, serui, inquam, corruptionis: vt

proinde alijs libertatem præstare nequam possint. Corruptionis nomine quidam peccatum in genere significari putant, de cuius regno, dominio, seruitute Paulus disserit Rom. 6. licet eo loco verius sit per peccatum intelligi concupiscentiam, id est, peccati fomitem. Est autem peccatum corruptio, quia priuat eum in quo est magno bono suo, simulque ducit ad corruptionem, id est mortem, æternam. Hoc tamen loco probabilius est vocabulo corruptionis significari corruptelas libidinum, quibus sese velut in seruitutem addixerant hi contra quos agit B. Petrus. Vnde & mox coinquinationes mundi vocantur. Vide quæ diximus supra ad illud capitis r. Fugientes eius qua in mundo est, concupiscentia corruptionem.

A QVO ENIM QVIS SUPERATVS EST, HVIVS ET SERVVS EST. Græcè *τῶν καὶ δεδούλωται*, id est, huic & seruus factus est; siue, huic & seruus additus est. Quo posteriori modo citat Augustinus in libro de fide & operibus, & alibi: nec non alij veteres. Quod dixit apostolus eos esse seruos corruptionis, id probat comparatione ex iure belli; in quo victor victum & captum sibi faciebat mancipium siue seruum. Itaque servus est; Qui in bello superatus est, is victori iure cedit in seruitutem: Sic ergo qui se patitur superari à corruptione, iure quodam seruus efficitur corruptionis. Estque eadem ratio de peccato in genere; dicente Domino Io. 8. *Omnes qui faciunt peccatum, serui sunt peccati*. Faciens enim peccatum subijcit se peccato tanquam domino. *Nescis*, inquit Paulus, *quoniam cui exhibetis vos seruos adobediendum; serui estis eius cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obediuntis ad iusticiam?* Rom. 6. Cur autem ex huiusmodi seruitute non sit consequens eum qui peccat, necessariò & non liberè peccare; tanquam in peccati potestatem redactus, seruum & non liberum habeat arbitrium, vt voluit Lutherus; diximus ad illud eiusdem epistolæ ad Rom. 6. *Finem verò vitam æternam*.

SI ENIM REFUGIENTES COINQUINATIONES MUNDI IN COGNITIONE DOMINI NOSTRI ET SALVATORIS IESV CHRISTI. Referunt hanc partem quidam ad falsos magistros, qui aliquando per baptismum renati, voluptatibus sæculi renunciant. Verum ex superioribus patet de eis dici, quos falsi magistri pelliciant in errorem per desideria carnis: vipote quos hoc pacto non solum in seruitutem corruptionis retrahunt, sed in peiorem statum adducunt, quàm in quo fuerant Christi noticiã nondum perceptã. Sunt enim iidem, quos ante dixit paululum effugisse

eos qui in errore conuersantur, & quos nunc dicit refugisse coinquinationes mundi; vsus eodem participio quo prius, *ἀποφυγόντες*. Vt clarior versio sit: Si enim, postquam effugerunt inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Salvatoris Iesu Christi (nam, nostri, Græca non addunt): id est, postquam semel ab huius sæculi corruptelis & inquinamentis elapsi sunt per fidem Christi, mundantem & purificantem; Io. 15. & Act. 15. Tempus nimirum significat quo primum facti fuerant Christiani.

HIS RVRSVS IMPLICATI SUPERANTVR. Græcè, *τῶν δὲ πάλιν* &c. Vbi particula *δὲ*, autem, vel redundat vel potius exponenda est vt Erasmus vertit; tamen his rursus &c. Id est, à seductoribus istis inescati ac malè persuasi, rursus iidem mundi corruptelis ac sordibus sese inuoluunt; & per hoc iterum in peccati victoris seruitutem rediguntur.

FACTA SVNT ILLIS POSTERIORA DETERIORA PRIORIBVS. Græcè, *ποστῆρα πειορα πρῶταις*. Allusio est ad verba Christi Matth. 12. *Et sunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Vbi similiter habes in Græco, *Ποστῆρα πειορα πρῶταις*. Sequitur huius partis probatio.

MELIVS ENIM ERAT ILLIS NON COGNOSCERE VIAM IUSTICIÆ. Cognoscere, Græcè *ἐπιγινώσκω*, cognauisse. Melius autem id est, minus malum. Comparantur enim duo mala, quorum alterum altero peius est. *Viam iusticiæ* vocat doctrinam quæ tradit modum assequendi veram & salutarem iusticiam, fide & operibus constantem.

QVAM POST AGNITIONEM RETRORSVM CONVERTI AB EO QVOD ILLIS TRADITVM EST SANCTO MANDATO. *Retrorsum*, Græci codices non habent, præter paucos: tamen legunt Hieronymus & Augustinus. In Græco sic habetur *Quam ubi cognouerunt, conuertit &c.* Quidam tamen Græci codices pro *ἐπιστρέψω*, legunt *ἀνακλινάω*, reflecti. Et ita B. Aug. *Sanctum mandatum* appellat, quod prius *viam iusticiæ*, id est, legem Christianam, quæ tradit præcepta iustæ & sanctæ viuendi; ac insuper modum quo ea obseruentur, sic vt ab hominibus Deo seruiantur in sanctitate & iusticia coram ipso. Luc. 1. Addidit autem *mandato* epithetum *sancti*, per antithesim ad *coinquinationes mundi*; vt quæ cum sanctitate ex diametro pugnent. Et hoc argumento ostendit Augustinus, *sanctum mandatum* hic intelligi non illud solum quod continet præcepta credendi; sed quo præceptum est vt ab huius mundi coinquinationibus recedentes, casta conuersatione viuamus. Quamquam, in-

quit, præcepto fidei totum continetur: si eam intelligamus fidem credentium qua per dilectionem operatur.

Porro liquet ex his apostoli verbis, posse viam veritatis cognitam deserit; ac proinde (quod sectarij negant) fidem & charitatem semel habitam amitti. Nam & domus per inhabitantem Spiritum sanctum mandata & ornata, rursus occupari potest à spiritu nequam; vt fiunt illius nouissima peiora prioribus. Matth. 12.

Hinc & illud consequens est, hominem fide & charitate imbutum, non esse certum de sua salute: contra quàm docent iidem omnes sectarij.

Quæritur quæ sit ratio comparationis quam astitit B. Petrus; id est, cur hoc illo sit peius. Respondeo, triplicem esse rationem: Prima est, quam indicat apostolus dicens, *post agnitionem*; quia qui viam veritatis agnitam deserit, iam sciens peccat. Scriptum est autem: *Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit; vapulabit multis*. Luc. 12. Item: *Scienti bonum facere & non facienti; peccatum est illi*. Iac. 4. Secunda ratio, quam indicat dicens; *ab eo quod illis traditum est, sancto mandato*: quia peccat per ingratitude, abiciens dona à Deo accepta, fidem seu veritatis notitiam, iusticiam, sanctitatem ac cætera charismata Spiritus sancti. Quod peccatum vehementer in hoc genere exaggerat apostolus Paulus Heb. 6. & 10. Tertia ratio, quam significat cum dicit; *retrorsum conuertit*, quia peccat grauissimo peccato vel hæresis, vel apostasiæ. Nam etsi non omnes qui post baptismum relabuntur ad huius mundi coinquinationes, in hæresim vel apostasiam incidant: proclue tamen est, vt qui *hanc conscientiam* repellunt, *circa fidem naufragium* faciant 1. Tim. 1. ideoque periculo amittendæ etiam fidei sese exponunt. Grauius hoc peccatum ponderat idem Paulus iidem locis.

CONTIGIT ENIM HIS ILLUD VERI PROVERBII. Græcè, *Contigit autem*. Hieronymus ita legit; *Completemus est in eis verissimum illud prouerbum*. Augustinus ferè nobiscum: *Contigit enim illis res veri prouerbij, id est, id quod vero prouerbio dici solet, vt vertit Erasmus*.

CANIS REVERSVS AD SVVM VOMITVM. Scilicet, *resorbendum*. Quod est abominabilis immundiciæ. Nota est origo prouerbij. Legitur autem apud Salomonem Prou. 26. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*.

ET SVS LOTA IN VOLVABRO LVTI. Et, subaudi, illud alterius veri prouerbij contigit eis. Sunt enim

duo prouerbia siue adagia, licet ad eandem rem vsurpata. Nec Græcè est, in *volutabro*; sed ad *volutabrum*: subintelligitur enim ex priori prouerbio, *reversa est*. Verisimile est autem interpretem vertisse, in *volutabrum*. Iam si legas casualiter, *Contigit enim* &c. erit in his prouerbis probatio quædam partis præcedentis: eo quod hæc dici soleant in homines relapsos in pristina vicia; qui, propter rationes supra dictas, grauius peccant quam antè peccauerant. Alioqui, possunt hæc accipi vt simpliciter dicta in eos qui ita peccant vt sese similes reddant ijs animalibus, quæ, propter insignem immundiciam, dant locum adagijs. Vnde & Christus vtrumque hoc animal suo sermone coniunxit, dicens: *Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Matth. 7. Coniunxit & Poëta hoc versu: *Fixisset canis immundus, vel amica luto suis.* Compertunt autem hæc prouerbia in omnes quidem relapsos; sed potissimum ac ac propitissimè in illos, qui semel ab huius sæculi immundicijs abluti ac mundari, & sanctificati; iisdem sese rursus inuoluunt. Vt olim, qui impurissimæ sectæ Gnosticorum sese adiungebant. Nam pro *luto* siue cæno, Græcè est *βορβορος*, à quo nomen acceperunt Gnostici, vt Borboritæ dicantur. Cæterum pulchrè & appositè Beatus Augustinus, in tractatu de decem chordis sub finem, peccatorum confessionem comparat cum vomitu, respiciens ad hunc Petri locum: monetque ne peccator, post confessionem, tanquam vomitu releuatus à peccatis; canino more ad vomitum, id est, ad peccata quæ vomendo proiecit, redeat. Sicut autem hoc de cane prouerbium, aprè refertur ad sacramentum reconciliationis: ita alterum de sue, referri potest ad sacramentum baptismi, in quo lauamur & purgamur à sordibus ac cæno peccatorum.

SYMMARIUM.

Reuocat eis in memoriam priores suas admonitiones, muniens eos aduersus impostores. Monet vt in aduentum Domini sese preparent, quando celi & terra inuoluntur. Pauli apostoli doctrinam eis commendat, monens ab indoctis male intelligi. Deniq; hortatur vt errorem fugientes proficiant in gratia Dei.

CAPVT. III.

HANC ECCE VOBIS, CARISSIMI, SECUNDAM SCRIBO EPISTOLAM. Græca sic habent: *Hanc iam, dilecti secundam vobis* &c. Interpretes pro *ἡμῶν*, quod hodie in omnibus est Græcis, legit *ἡμῶν*, ecce. Porro B. Petrus secundam hanc nominans epistolam ad eos scriptam, satis vtique significat, se prius ad eodem, nec plures, sed vnam epistolam dedisse.

IN QUIBUS VESTRAM EXCITO, IN COMMUNITIONE, SINCERAM MENTEM. In quibus, Græcè *ἐν αἷς*, scæmineo genere; vt non aliò quam ad epistolas referri possit: quum tamen non epistolas sed epistolam dixerit. Vnde nonnulli suspicati sunt hinc esse solæcismum: ad quem euitandum vertere malunt, *Has secundas vobis scribo literas, in quibus* &c. Sed non est affingendum B. Petro vel eius amanuensi vicium grammaticæ tam apertum, vt scriberet epistolam in quibus, pro in qua. Dicimus ergo Petrum quum ait, in quibus, relationem facere ad rem, non ad vocem; quod sæpe faciunt optimi quique scriptores. Id est, facere relationem ad duas epistolas, verbis præcedentibus significatas. ac si diceret: Hanc secundam epistolam vobis scribo post priorem: in quibus duabus epistolis per commonitionem excito & exstimulo vestram sinceram mentem. Hinc etiam patet, vtramque epistolam monitoriam esse. Quod commonendi studium iam supra declarauit, cap. 1. dicens. *Propter quod, incipiam vos semper commonere, &c.* Et sicut illi animose eorum conciliabat, appellans *scientes & confirmatos in presenti veritate*; ita & hinc; laudem illis ascribens *sincera mentis*, id est, eius quæ simulationis sit expers: maximè, quod mens huiusmodi sit admonitionis capaxior.

VT MEMORES SITIS EORVM QUÆ PRÆDIXI VERBORVM A SANCTIS PROPHEtis. Hic iam sermo commonentis est. In Græco non est verbum *prædixi*, sed participium, *τῶν προειρημένων*, eorum quæ prædicta sunt. Itaque melius & clarius hanc partem ita vertas: *Ut*

memores sitis verborum quæ prædicta sunt a sanctis prophetis. Sic enim idem interpretes vertit admonitionem huic similem, quæ est in epistola Iudæ: *Memores, inquit, estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis* &c. Pleniùs autem hinc loquitur Petrus; prius ad prophetarum, deinde ad Apostolorum verba atque præcepta animo recolenda, fideles excitans: vt qui per fidem in baptismo susceptam essent *superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Ephes. 2. Sed & supra, capite 1. ad utrosque audiendos fuit adhortatus.

ET APOSTOLORVM VESTRORVM, PRÆCEPTORVM DOMINI ET SALVATORIS. Hæc pars intricatior est, etiam in Græco: vbi sic ad verbum habetur; *Et eius quod est Apostolorum nostrorum (seu nostri) mandati, Domini & Saluatoris*. Interpretes legit pronomen secundæ personæ *ὑμῶν*, pro *ἡμῶν*, primæ; quod nunc constanter habent Græca, Complutensibus exceptis. Nam quia videbatur absurdum, vt Petrus diceret, *Apostolorum nostrorum*, qui ipse erat Apostolus, idemque primus: hinc verisimile est quòd personam mutauit quispiam. Porro sensus variè redditur, etiam secundum lectionem Græcam. A quibusdam hoc modo: Præterea memores vos esse volo præceptorum Domini & Saluatoris, vobis traditorum à nobis Apostolis. Alij, auctore Oecumenio, præcepta distinguunt; quasi memores esse velit præceptorum tam eorum quæ ab Apostolis, quam quæ à Domino Salvatore data sunt. Tertium sensum aperit Erasmi versio: *Et mandati nostri, qui sumus Apostoli Domini & Saluatoris*, id est, Vt memores sitis etiam mandati seu mandatorum quæ accepistis à nobis Apostolis Christi. Sensus hunc planè efficiunt ipsa Petri verba, tantum adhibita seu intellecta permodica metathesi, *καὶ τῶν ἐπιταγῶν ἡμῶν τῶν ἀποστόλων τῶν κυρίων καὶ σωτῆρος*. Quare meritò plerique recentiores eum amplectuntur. Nam & priori parti congruenter responderet; atque adeò conuenit cum eo quod in simili commonitione dicit B. Iudas, *ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi*.

ADDITIO B. P.

Sed ad hunc sensum accedet quod est in nostra vulgata; si sic ordinemus & distinguamus: *Ut memores sitis eorum verborum à sanctis prophetis enunciatorum, quæ prædixi in hac ipsa epistola; memores item sitis præceptorum quæ nos Apostoli vestri vobis dedimus, eadem præcepta Domini & Saluatoris.* Matth. 7. & 24. Aut sic; *Dedimus, iisdem Apostoli Domini & Saluatoris.*

Hoc autem Apostolicum præceptum intelligit Petrus, quod iam in superioribus inculcauit, de retinenda mordicus doctrina principio tradita; maximè quod ad Christi

Domini promissiones & gloriosum aduentum attinet: de quæ cauendis pseudodidacticalis qui ab ea doctrina conantur auditores abducere. De his enim disertè Iudas exponit; ad de iisdem subiungit Petrus.

HOC PRIMVM SCIEN TES, QVOD VENIENT IN NOVISSIMIS DIEBV IN DECEPTIONE ILLVSORES. Multa Græca non addunt illud, *in deceptione*, nec legit Oecumenius; tamen probabile est à Petro scriptum esse, excidisse verò propter Græcarum vocum initiales syllabas similes, *ἐμπαιτισμῶν, ἐμπαϊσῶν*, &, quia apud Iudam non additur. Nā cerre Augustinus legit lib. 20. de ciuitate Dei c. 18. *Venient, inquit, in nouissimo dierum illusionem illudentes*. Et Hieronymus lib. 1. aduersus Iovin. cap. 25. *Venient in nouissimis diebus illusores seducetes*. Hic iam ostendit Apostolus necessitatem commonitionis. Vnde dicit, *primum*; tanquam de re præcipua quam scire eos oporteat, ob cautelam futurorum. Nam illud, *scientes* (quod nominatiui casus est, *γινώσκοντες*) refertur ad *ἀγαπητοί, charissimi*: sic tamen vt præcepti dictum intelligatur, id est, *scitote*: quomodo Paulus ad Timotheum loquitur, 2. ep. 3. *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus &c. Nouissimos* siue extremos dies; vel, vt in Græco, *extremum dierum*; pro quo Iudas, *extremum seu nouissimum tempus*; Hebræa consuetudine dixit Petrus pro temporibus futuris, siue in longinquum siue etiam proximè. quemadmodum eam phrasim, quæ frequens est in scripturis, intelligendam docuimus in cōmentario 1. ad Timoth. 4. & 2. ad eundem, 3. Sufficere potest ille vnus locus, Prouer. 23. de vino: *Ingreditur blandè; sed in nouissimo mordebit vt coluber*. Nā & hinc constat Petrum loqui de seductoribus paulò post exorituris; aduersus quorum fallacias, hac epistola monitoria præmunit fideles ad quos scribit: Notantur autem qui ex Simonis presertim schola prodituri erant, vt Gnostici & quotquot eiusdem generis; licet varia nomina sortiti. Illisores autem dicuntur (quo nomine etiam Iudas Apostolus eos appellat) non tam quod pro ludo habeant Christi religionem, eiusque cultores derideant, quum ipsi vel maximè Christiani veliat haberi: quàm quod instructi sint arte fallendi; quos Latine dicimus *impostores*, Hebræi lingue suæ proprietate vocant *illusores*, quod dum fallunt homines, exponant eos aliorum ludibrio. Nam dolo capti, vulgo rideri solent tanquam simplices & incauti. Vel etiam, quia quos decipiunt vel decipiendos sperant, eos in corde suo derident tãquã ignaros doli & simplices. Sæpe etiã inter sese eos cum cachinnis irrident. Legitur hoc vocabulũ psal. 1. ex Hebræo; & in Prouerbis, & alibi passim. Hinc & illud Matth. c. 2. de Herode, *Videns quoniam illusus esset à Magis*, id est, deceptus, Magis non redeuntibus, vt promiserant.

IVXTA PROPRIAS CONCVPISCENTIAS AMBVLANTES. Augustinus legit

vt in Græco est: *Secundum proprias suas concupiscentias euntes*. Eadem propè verba sunt apud B. Iudam: & sensus est; Obsequentes carnalibus suis desiderijs, gula & libidini seruietes. Qui enim eiusmodi sunt, facillè spem abijciunt & impugnant bonorum cælestium ac spiritualium, quæ nobis in futurum promittuntur. Vnde sequitur.

4 DICENTES, VBI EST PROMISSIO, AVT ADVENTVS EIVS? *Aduentus* in Græcis genitiui casus est, *ἡ παρουσία*. Legunt enim sine particula disiungente media, *Vbi est promissio aduentus eius?* Quæ eadem lectio apud Liranum est. Sic & Augustinus: *Vbi est promissum presentie ipsius?* Nam Græca vox & *aduentum* & *presentiam* significat, vt monuimus ad v. 16. c. 1. Sed hoc loco melius accipitur pro *aduentu*: quemadmodum & supra, d. cap. 1. vers. 16. Est autem locutus transitiva pro intransitiua, familiaris Hebræis; quam intransitiuè sic reddas: *Vbi est promissus eius aduentus? Eius*, refert *Dominum & Saluatorem*. Id enim præcessit. *Aduentum*, intellige gloriosum, quo veniet cum maiestate magna, iudicaturus mundum; & iudicio peracto sine fine regnaturus cum suis electis. Hunc enim aduentum suum ipse Christus promisit in euangelio multoties: eundemque prænunderunt propheta. Promissionis autem Christi testes fuerunt Apostoli; sicut dictum est cap. 1.

Porrò quid impostores illi voluerint, dicendo: *Vbi est &c.* dubitari potest. Beda, quem nonnulli sequuntur, hæc ab illis dicta putat ad significandam tarditatem aduentus Domini: quomodo dicebat *malus ille seruus in corde suo, Moram facit Dominus meus venire: percussiens interim conseruos suos, edensq; & bibens cum ebriosis*. Matth. 24. & Lucæ 12. Hos opponit Beda Thesalonicensibus, qui diem Domini viciniorum quam oportuit, suspicabantur, 2. Thesalon. 2. ac monet, sanè quàm salubriter, ab vtraque opinione cohibendum assensum: *Sed solum hoc*, inquit, *sedatis procuremus, vt, sine ocys sine serò veniens Dominus, paratos nos possit inuenire dum venerit*. Alij inrogatione eiusmodi simpliciter negari putant futurum aduentum Christi: vt responsio sit, Vana est promissio: Nunquam veniet Dominus. Quo sensu ad Tobiam dicebant cognati eius: *Vbi est spes tua, pro qua elemosynas & sepulchra faciebas?* Sic enim vxor eius exponit, cum exprobratione dicens ei: *Manifestè vana facta est spes tua &c.* Sensus hunc volunt Liranus ac plerique neoterici: idque rectius. Nam eum planè exigit sequens istorum impiorum probatio: *Ex quo enim Patres dormierunt &c.* & subiuncta refutatio, *Late enim eos hoc valentes &c.*

Rursus quaeritur vtrum hæc ab impostoribus dicta fuerint ad eximendum metum futuri iudicij; an verò ad spem adimendam futuræ remunerationis & gloriae.

Respondeo principaliter dicta fuisse ad spem adimendam. Quod declarat nomen *promissionis*. Nam promissio bonorum est. Quippe studium illorum impostorum erat, hominibus iniicere desperationem eorum bonorum quæ post hanc vitam expectanda per Apostolos Christi nunciabantur; tanquam inania essent promissa: quamuis consequenter hac sua doctrina etiam metum eximerent futuri iudicij ac gehennæ. Itaque fiebat, vt eorum sectatores de futuris & spe vacui & meru liberi, totos sese proiecerent ac demergerent in voluptates vitæ presentis: tanquam dicentes, *Edamus & bibamus: cras enim moriemur*. 1. Corinth. 15. videlicet more gentilium sine Deo viuentium; *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia, in operationibus vanis inmundicia*. Ephes. 4. Fuit hæc doctrina Gnosticorum & quorundam aliorum, qui post Apostolos exorti negarunt futuram mortuorum resurrectionem; & per consequens, aduentum & regnum Christi; id est, duos extremos articulos Symboli fidei nostræ, *Carnis resurrectionis, & vitæ æternæ*. De quibus hæreticis consulendi Epiphanius, Philastrius & Augustinus, de hæresibus scribentes. Quamquam & viuentibus adhuc Apostolis erant qui per ecclesias talia spargerent: *Ex quibus Hymeneus & Philetus, dicentes resurrectionem esse iam factam*. 2. Tim. 2. & qui absolutè dicebant; *quod resurrectio mortuorum non est*. 1. Cor. 15. Aduersum quos eodem loco prolixè Paulus disserit; vtens inter alia hoc argumento, *Si resurrectio mortuorum non est: inanis est ergo predicatio nostra, inanis est & fides vestra*. Nam sublata spe resurrectionis & gloriae futuræ; corrui totum propter quod Christiani sumus. *Si enim*, inquit, *in hac vita tantum in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Vnde merito solliciti fuerunt Apostoli Petrus, Paulus & Iudas, vt hos exitiales errores ab ecclesijs, non verbo solum sed & scripto profligarent.

EX QVO ENIM PATRES DORMIERUNT, OMNIA SIC PERSEVERANT AB INITIO CREATURÆ. Impostorum verba per mimesin profequitur; argumentum erroris fumentium à perpetuo cursu naturæ, quem promissionibus Dominicis opponit. *Ex quo*, Græcè *ἀφ' ἧς*, supple *ἡνέπερ*, ex qua die. Iam pro eo quod noster interpres Græcā vocem *πρωτος*, vertit *creatura*; mauult Erasmus *creationis* seu *conditionis*. In quo Hentæius & alij quidam eum sequuntur: minus attenti ad vsum huius vocabuli in Scripturis. Nam vt ostendimus ad illud Roman. 1. versu 20. *à creatura mundi*; vix est vbi aliter vsurpetur quàm pro creatura, id est, *re creata aut rebus creatis*. Quæ significatio bene etiam quadrat huic loco; & quidem melius quàm si *creationem* vertas. Sic enim dixit Petrus, *ab initio creatura*, tanquam si diceret,

ab initio

ab initio mundi. Nam & euangelistæ hæc duo pro iisdem habent: Matth. cap. 24. versu 21. dicens, *ab initio mundi*, & Marcus cap. 13. vers. 19. *ab initio creaturae*. Quod si creationem vellet intelligi Petrus & Marcus: non dicerent, *ab initio creationis*, sed *ab ipsa creatione seu constitutione mundi*; quomodo loquitur alibi Scriptura. Quapropter Erasmus quoque dicto loco Marci 13. vertit, *à principio rerum conditarum*; velut corrigens id quod prius cap. 10. versu 6. verterat, *ab initio creationis*. Sed sensum huius loci dicamus: Ex quo tempore, inquit, antiqui Patres, id est, patriarchæ & prophetae quos dicitis credidisse & annunciasse secundum, eundemque gloriosum Christi aduentum, obdormierunt, id est, mortui sunt; quamuis tot sæcula iam præterierint, nihil tamen huius mundi mutatum vidimus; sed manet eadem facies cæli & terræ, & aliarum mundi partium, quæ fuit ab initio quo mundus cepit. Hinc colligi volebant, eundem mundi statum semper duraturum: quasi qui author est naturæ, nihil in ea mutare possit; aut quasi diurnitas præscribat mutationi. Quod autem dicunt, *dormierunt*, quo verbo spes insinuat resuscitationis corporum aliquando futuræ; secundum illud psalmi 40. *Nunquid qui dormit, non adiciet vt resurgat?* in eo sibi ipsis contradicebant; vtentes vocabulo trito in Scripturis, ac recepto apud fideles, per quod redargui possent.

5 LATET ENIM EOS HOE VOLENTES. Refutatio est; cum accusatione crassa & affectata ignorantie eorum qui talia dicebant. Nam sensus est: *Volentes*, id est, sponte dataque opera, *nesciunt*; nolentes advertere ad Scripturas, è quibus discere poterant veritatem. Ita Dominus ad Sadducæos: *Erratis*, inquit, *nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Matth. 22. Nam & istos nescisse virtutem Dei Petrus significat, dum in sequentibus *Dei verbo* mundi statum & restitutionem attribuit. Pronomen *hoc* demonstrat sequentia,

QVOD CÆLI ERANT PRIVS, ET TERRA, DE AQUA ET PER AQUAM CONSISTENS DEI VERBO. Scripturam sacram opponit illorum rationi, de sumptæ ex perpetuo rerum cursu: quæ physica quædam ratiuncula erat, eaque fallax; quum Deus sit author ac Dominus naturæ. Sed singula partis huius expendamus. *Prius*, Græcè *ἔμπροσθεν*, iam olim, id est, ab ipso mundi initio. *Cælos* pro cælo posuit: Nam singularem numerum in Hebræa lingua non habet. Et quamuis *cæli* nomine comprehendatur in Scripturis quicquid supra nos ex passum est: verificatio tamen pro diuersis partibus fieri solet; vt interdum pro cælo beatorum, aliàs pro cælo stellato, sæpe pro cælo aëreo sumatur. Hic certè, & maxime in sequentibus, tantum intendit Apostolus loqui de cælo aëreo; nec eo toto, sed qua parte continet infimam & mediam

aëris regionem; à qua volucres cæli, & nubes ac pluuia cæli vocantur. Ad has enim cæli regiones, & non altius, aquæ diluuij perueniunt. Vnde qui de cælo superelementari locum hunc totum contendunt accipi debere, veluti Catharinus & alij nonnulli; violenti sunt interpretes. Porrò, *cælum* æreum hic intelligunt non solum posteriores Theologi ferè omnes, tam Sententiarij quàm huius epistolæ commentatores: verum etiam Augustinus loco supra citato, De ciuitate Dei, & Beda in commentario. *Consistens*, Græcè *συνεστωτα*, pro quo legit Augustinus *constituta*. Potest etiam verti, *compacta, concreta*. Mirum autem quosdam, Græco numero simul ac genere repugnante, verendum putare, *consistentes*, in plurali; vt æquè ad cælos & terram participium hoc referatur: quum historia Genes. 1. non sinat, id quod hic dicitur, *de aqua & per aquam consistens*, cælis ascribi, ne quidem aëreis. Respicit enim Beatus Petrus ad illa Moyli verba: *Dixit ergo Deus; Congregentur aqua quæ sub cælo sunt, in locum unum: & appareat arida. Et factum est ita*. Sed & Hieronymus exponens Isaïæ caput 65. numerum singularem legit, vtens verbo *subsistit*. Ex his patet, etiam illam lectionem cuius Beda meminit hoc loco, & post eum Rupertus super Genesim, *Cæli erant olim de aqua & per aquam constituti*: non esse recipiendam; tum quod mutila sit, *terram* omittens; tum propter numerum participij mutatum, vt cælis affingatur quod de terra Petrus dixit. *Aqua* nomine materiam primam nonnulli significatam volunt; sed sensu à Scripturis alieno. Quidam chaos interpretantur, per aquas (vt aiunt) significatam à Moysè, dicente: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Verū nec illic per aquas aliud quàm aquas propriè dictas, quæ totam terram tunc operiebant, intelligere debemus. Quare & hoc loco propriè sumenda est *aqua*, pro ipsius aquæ elemento. Nam nec aliter accipi potest in eo quod continuo sequitur, *Mundum aqua inundatum perisse*. Sensus igitur apostoli est: Iam olim & ab initio cælum fuit *verbo*, id est, imperio seu voluntate Dei omnipotentis conditum; *terra quoque* eodè Dei verbo ab initio fuit *ex aqua*, existans scilicet, & veluti emergens (nam huiusmodi quiddam subintelligi videtur): tunc scilicet quando dictum est, *Congregentur aqua, &c.* Fuitque *per aquam consistens*, compacta, & solidata; ne diffluat in puluerem, & vt apta sit productioni & conseruationi corporum mixtorum. Vnde statim, altero die, vel secundum alios, eodè, post denudationem terræ ab aquis, ipsa nihilominus retinente penitus infusam humiditatem; scribit Moyses Deū dixisse: *Germinet terra herbam viuentem &c.* Illud, *Dei verbo*, etiam ad *cælos* refero; quoniam & paulò post aperte refertur ad cælos & terram. Et generaliter dictum est in commemoratione creationis cæli, terræ, & aquarum;

Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. psal. 32. & 148.

PER QUAE ILLE TVNC MVNDVS AQVA INVDATVS PERIIT. Ille tunc mundus, Græcè, ὁ τότε κόσμος, id est, mundus qui tunc erat: vt aduerbium tunc non ad verbum perijt, sed ad mundum pertineat, indicās mundū quem superiori capite nominauit ἀρχαίων, id est, priscum, originalem. Nec mundum hīc intelligas cælum & terram, quomodo multi interpretantur; sed genus humanum: vt & capite præcedenti. Quæ mundi acceptio vulgatissima est in Scriptura noui testamenti. Particulam per qua referunt quidam ad omnia tria, cælos, terram & aquam. Nam è cælis, id est, aëre pluit quadraginta continuis diebus, & aquæ inferiores quæ erant in terræ viscibus, euomente eas terra, eruperunt & exundarunt. Sed si hæc tria vellet B. Petrus intelligi; non videtur statim, in iisdem verbis, repetiturus fuisse aquam. Tæcti id argumenti facile solui potest. Sciendū tamen, Græcum δὲ ὄν, etiā verti posse, per quos, nempe calos: vt sensus sit, per imbres, cælitus effulos genus humanum quod tūc erat, aquis submersum perijt. Hoc enim est quod figurato sermone dicitur Gen. 7. Rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataraçta cæli aperta sunt. Estque hic sensus planus & perspicuus.

Restat declarandum quomodo Petrus his verbis, Quod cæli erant prius &c. refellat argumentū illorum illuſorū, quo dicebant: Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerat ab initio creatura. Est igitur refutatio talis: Quū constat ex scripturis cælum iā olim fuisse; nec non terram, ex aquis exstantem, & per aquas consistentem; atque hæc facta esse non vlla vi naturæ creatæ, sed Dei verbo: tamen post tot sæcula, id est, post mille sexcentos annos tāta successit eorundem mutatio, vt priori ordine turbato, cælum terræ misceretur, aquis nimirū cælestibus vniuersam terrā rursus cōtegentibus. Vnde factū, vt genus humanū a quis suffocatum interiret. Non igitur incredibile videri debet, si dicatur, etiā post multa sæcula eius qui nunc est, mundi decurrētis, aliquādo futuram mutationem cæli & terræ tantā, quæ mundi cōsummationem inducat; quando & Christus aduenturus sit & promissa cōpleturus.

CÆLI AVTEM QUI NUNC SVNT, ET TERRA, EODEM VERBO REPOSITI SVNT. Iam consequenter docet quæ mundi mutatio sit expectanda. Calos & terram quæ nunc sunt, dicit, ad discrimen cælorum & terræ, quæ prius siue olim erant: nō quod ab illis tota substantia vel omnibus qualitatibus differat, sed quod diuersa sint bona ex parte, propter interpositam ex aquarū diluuiō mutationē: qua perierant quodāmodo, aquis omnia occupatibus. Eodē verbo, Græcè αὐτὸς λόγος, eius verbo, scilicet Dei. Id enim præcesserat, tamen nōnulli codices habent τὸ αὐτὸς λόγος, eodem verbo, seu potius, eadem verbo. Nam datiuū postulat participiū τὸ θεοῦ εἰρημῶνος, thesaurizati; quod no-

ster vertit, repositi, ac si dicas, in thesauro verbi Dei repositi ac recoditi; & vt Liranus exponit, conseruati. Non enim hīc repositi idē est, quod iterum positi, restituti in statum priorē: quomodo Latini, qui Græca nō viderunt, aut minus attenderunt; hanc vocē exponunt. Id enim si vellet B. Petrus; non diceret, Cæli qui nunc sunt, sed simpliciter, cæli. quia dicēdo, qui nunc sunt, supponit esse iā restitutos. Igitur istud repositi, significationē habet quā dixi: tāquā verbū Dei thesaurus quidam sit, ex quo depromat Deus suo tēpore quæ facere decreuerit. Dicitur ergo isti cæli & ista terra thesaurizati verbo Dei; quia Deus ea seruat verbo, imperio & voluntati suæ, vt aliquādo de ijs faciat quod ipsi placuerit. Hunc sensum declarat quod sequitur.

IGNI RESERVATI IN DIEM IVDICII ET PERDITIONIS IMPIORVM HOMINVM. Reseruari Græcè τηρῆσθαι, præsentis temporis; qui seruantur. Semel, inquit, aqua perijt mundus; secundō perdendus igni: cui cælū & terram quæ nunc sunt, in Dei thesauro reseruat, vsque in illum diem, siue in illud tēpus, quo exercebitur vniuersale iudicium generis humani, & in interitū mittentur homines impij. Tūc enim futurum vt cælum & terra, sicut infra docetur, ignis conflagratione in quādā nouitate demutentur.

Meminit perditionis impiorum hominum; vt vsum illius ignis præcipuum ostendat, qui est iniquos in æternum cruciare: simul vt impios dicentes, Vbi est promissio &c. salubriter perterrefaciat.

Calos autem quos igni reseruari dicit, eosdem oportet intelligi quos supra; scilicet aëreos; quorum respectu dicit, qui nunc sunt: nō autē altriferos, vt quidam volūt. Nusquam enim Scriptura significat orbis cælestes & altra, quæ ipsa sunt ignes quidā, igne cōflagrationis arsurā, ac dissoluendā esse; quod hīc de cælis dicitur: vt nec huiusmodi passionis naturaliter susceptiua sunt. Itaque, eorum opinio qui ad cælos superelemētares referunt aut extendunt hanc conflagrationem: siue Theologiam consulas, auctoritate destituitur; siue philosophiam, ratione.

Poriō de igne conflagrationis quem vocant Theologi, multa ab ijs disputantur in 4. sent. dist. 47. de quo & nos eo loco egimus. Ad quas disputationes, ne iusto prolixiores hīc simus, lectōrē remitto: solum ea dicturus quæ ad intelligentiam decimi versus & trium sequentium necessaria videbuntur.

VNUM VERO HOC NON LATEAT VOS, CHARISSIMI. Hęc dicuntur ad confirmandam fidem, ac reprimendam curiositatem fidelium: ne vel dubitent de aduentu Domini promisso; quem vident in longum extrahi; vel certum tempus quō venturus sit, exquirant; sed audiant illud quod Dominus suis discipulis de eo tempore scilicet antibus respondit, Act. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. Dicuntur etiam istorum,

vt plenius

vt plenius illuſorum cauillo fatiſiat. Quamuis, inquit, lateat quando venturus sit Dominus; illud tamen latere vos non debet, adeoque volo cogiteris, quoties animum subit scrupulus de tarditate aduentus Domini, Illud inquam;

QVIA VNVS DIES APVD DOMINVM SICVT MILLE ANNI; ET MILLE ANNI SICVT VNVS DIES. Sentit, nullum tempus debere longum videri comparatione æternitatis securitæ: cum in oculis atque æstimatione Dei æterni & immutabilis (hoc enim est quod dicit: apud Dominum) vnus dies & mille anni non differant; quod ad proportionem attinet mensuræ, cum tempore infinito. Nam vtrumque, comparatione æternitatis est velut punctum comparatione temporis. Apud Dominum, intellige Christum: Nam de eius aduentu sermo est. Vnde & de eo sequitur, Non tardat Dominus. Igitur & hīc insinuat est diuinitatis Christi: præsertim quum in his Petri verbis allusio sit ad versiculum psalmi 89. quo Deum alloquitur Dauid, dicens: Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies besterna qua præterijt. Cæterum tacitè Beatus Petrus confitetur ignorantiam illius diei; conuenienter Scripturis, quæ testantur eum soli Deo cognitum esse, Marci 13. & Actorum 1. Vanum est autem quod quidam frenti hac formula, qua mille anni apud Dominum censentur tanquam dies vnus, & cōtra; conati sunt incerta quædam pro certis affirmare, & obscura quædam interpretari: dies accipiēdo pro mille annis, aut etiā pro annis singulis. Vt, exempli causa, cum sex dies creationis mundi, pro argūmento sumunt etūdē mundum per sex annorum milia duraturū. Et, cū dies quadraginta quinque post Antichristi mortē futuros ante iudiciū, apud Danielē, cap. 12. totidē annos interpretatur. Quæ coniecturæ sunt hominum superstitiosè curiosorum, proſus incertæ & alienæ à sensu huius loci.

NON TARDAT DOMINVS PROMISSI-
NEM SVAM, SICVT QVIDAM EXISTI-
MANT. Loco duarum dictionum, promissio-
nem suam, quædam manuscripta legunt pro-
missi; quædam alia, promissis: quomodo lo-
cum hunc citat Pelagius in commentario e-
pistolæ ad Romanos 2. quia fortè interpre-
legerat τῆς ἐπαγγελίας pro τῶν ἐπαγγελίας.
Augustinus legit promissum. Atqui Græca sic
habet; Non tardat Dominus promissi (seu
promissionis) sicuti quidam tarditatem existi-
mant. Quod posterius etiam Augustino le-
gitur. Dominus promissi, id est, Dominus
promissor, vel qui promissit; Hebraismus
est. Fortè suspicabitur aliquis in Græco scri-
ptum à Petro fuisse, τῶν pro τῆς, vt ver-
tendum fuerit promissiones. Sed non inue-
nio vbi verbum βεβδύω transitivè sumat-
ur, & accusatiuum post se regat. Anno-
tar Salsboldus subaudiri coniunctionem illa-

tiam; quod Hebræi coniunctiones sæpè dis-
simulent, & intelligendas relinquunt: vt sen-
sus sit; Non ergo Dominus, qui promissit,
tardat, id est, ultra quā oporteat differt
præstare quod promissit. Id enim est tar-
dare, cum in vicio ponitur; ultra præsti-
tutum aut debitum tempus, quod agendum
est differre. Quomodo quidam aduentus
Domini dilationem malè interpretaban-
tur. Sic de eiusdem Domini aduentu scriptū
est Habac. 2. Simorari fecerit; expecta illum:
quia veniens veniet, & non tardabit. Ex qua
Scriptura liquet non continuò tardare eum
qui differt & moram facit.

SED PATIENTER AGIT PROPTER VOS.
Græcè, Sed longanimis est erga nos. Vel, vt
pauci codices habent, erga vos. Patientia seu
longanimitas, vt alia multa, anthropopa-
thice Deo tribuitur in Scripturis. Nam
patiens & longanimis ex eo dicitur, quia
differt vltionem: quod solent homines pa-
tientes atque longanimis. Interpres longi-
nimitatem ex Græco expressit infra, versu
15. Est quidem hīc sermo de Christo; sed
passim ea quæ Dei sunt, Scriptura Chri-
sto ascribit, vt pote vero Deo.

NOLENS ALIQVOS PERIRE, SED OM-
NES AD PŒNITENTIAM REVERTI. Græcè,
καρῆσαι, accedere, venire, peruenire.
Potest item actiue sumi: sed omnes ad pœni-
tentiam recipere; quomodo vertit Erasmus:
tamen si neutralis acceptio probabilior; tam
proprio vsu, quā propter verbum præce-
dens ἀπλεῖσθαι, perire, non perdere.

Cum autem constet non omnes homi-
nes ad pœnitentiam conuerti, sed plurimos
perire: quæritur quo sensu verum sit, Deum
hoc nolle, illud velle, cuius voluntas om-
nipotens & immutabilis est, ideoque sem-
per impletur. Quidam interpretantur hæc
verba de voluntate conditionata, Deum
velle omnes ad pœnitentiam venire, mo-
dò ipsi velint. Alij suppleunt, hoc modo:
Deum id velle, quantum in ipso est: Ita
post Liranum Thomas Anglicus in huius
loci commentario. Nam eos falli, qui o-
pus illud Thomæ Aquinatis esse putant,
ostendemus (Deo propitio) in fine Comm.
ad epistolam B. Iudæ. Verū huiusmodi sen-
sum iam exclusimus, & improbauimus ex
Augustino, Prospero, Fulgentio, & ex ipso
Doctore Angelico, cum exponeremus il-
lud 1. Timoth. 2. Qui vult omnes homines
saluos fieri &c. Alios verò sensus probabiles
eiusdem sententiæ Paulinæ, adduximus eo-
dem loco, Quorum duo postremi facile
præſenti loco possunt aptari: vt dicatur
Dominus nolle quempiam perire, sed om-
nes ad pœnitentiam peruenire; quatenus
humanus generi in vniuersum media
quædam & auxilia generalia prouidit & con-
tulit, per quæ possent homines ad Deum
conuerti; licet ea ad hominum conuersionem
& salutem absque specialibus auxilijs, quæ

non omnibus dantur, minimè sufficient; qui erat vltimus sensus: Vel, quatenus vult & facit pios homines nolle quempiam perire, sed velle seu desiderare vt omnes à Deo auersi ad ipsum per veram pœnitentiam conuertantur, & ad salutem perueniant: Qui erat sensus penultimus. Veruntatem est & alius sensus, huic loco accommodatior, quem dedimus in commentario libri primi sentent. dist. 46. vt Dei voluntas hîc intelligatur absoluta, & propriè dicta; non tamen de omnibus hominibus, sed de solis electis. Dicit enim Petrus: *Sed patienter agit propter* (vel *erga*) vos; vtique electos. Nam hæc epistola vti manifestum est ex huius capituli initio, scribitur ad eosdem ad quos prima scripta fuit; cuius quidem inscriptio sic habebat: *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduentis* &c. Sic ergo, Petrus dicit *Dominum patienter agere*, id est, aduentum promissum & iudicium suum differre, *propter electos*; vt ne pereant, sed ad pœnitentiam conuersi saluentur: quomodo Paulus dicit, *se omnia sustinere propter electos, vt & ipsi salutem consequantur*. 2. Tim. 2. Notandum enim, sicut *propter electos breuiabuntur dies illi*, scilicet tribulationis magna, *qualis non fuit ab initio mundi*, Matth. 24. ne videlicet magnitudine tribulationum oppressi, in desperationem incidant electi, & pereant: ita, patienter agere Dominum, tempusque iudicij differre, propter electos; vt omnes qui adhuc restant colligendi, colligantur, & ad pœnitentiam aggregentur. (Sic enim verbum *χρησιμῶν* quidam vertendum putant, *aggregari, colligi*). Nam si Deus anticiparet iudicij tempus à se decretum; aliqui perirent eorum quos ab æterno elegit ad salutem. Sanè, cum mundus sit propter electos; non differretur mundi consummatio, nisi adhuc electorum aliqui colligendi essent, & ad pœnitentiam adducendi. Simile est huic loco, quod Christus dicit Matth. 18. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in calis est, vt pereat vnus de pusillis istis*. Quod de electis intelligendum, benè docent Iansenius & Hesselius. Hunc verò locum de electis accepit V. Beda, commentarium suum declarans alterius Scripturæ testimonio, scilicet Apoc. 6. Sic enim habet: *Ideo Dominus adhuc differt, vt electorum prius summa, quam cum Patre ante secula decreuit, adimpleatur. Vnde & in Apocalypsi anima martyrum, qui diem iudicij & resurrectionis ocius aduentare sibiabant, audierunt, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleteretur conseruatorum & fratrum eorum numerus*. Hæc ille. Quæ ex eodem compendio repetit glossator. Et his consonat quod dicit Oecumenius, *Consummationis tempus differri, vt compleatur numerus saluandorum*.

ADVENIET AVTEM DIES DOMINI VT FVR. *Dies Domini*, id est, dies quo venturus est ad iudicium Christus Dominus. Is erit hominibus improbitus: quomodo fures venire solent, obseruantes tempus, quo mini-

mè se putant expectari. Qua comparatione etiam alibi ad hanc eandem rem vitur Scriptura, vt 1. Thessal. 5. Apoc. 3. & 16. Porro Græca addunt, *in nocte*. Quod ex dicto loco epistolæ ad Thessal. huc ascriptum verisimile est. Nam ibi legitur, quod *dies Domini sicut fur in nocte ita venies*.

IN QVO CÆLI MAGNO IMPETU TRANSIENT. Pergit describere mutationem mundi in fine sæculi futuram. *Magno impetu*, Græcè aduerbiu est *ποσειδων*, quod Erasmus vertit, *procella in morem*: Hentenius, *vehementi sonitu*. Nam verbum *ποσειδων* significat *sibilare cum stridore*; qualis est sibilus rerum quæ velocissimè mouentur: vt sagittarum, ventorum. Hic sibilus ac stridor *caelorum*, id est, aëris supra nos extensi, præuius ac præcursorius erit ad maiorem mutationem instantem, quæ per ignem fiet. Præuius, in quâ, ad præmonendos homines, vt ad id quod instat, animos aduertant: maximè quia sibilus ille non erit sine motu aëris insolito. Cuiusmodi motum fortasse significat verbum *τρέφουσιν*, quod loco verbi *transibunt*, legitur apud Augustinum: tamen Græcum *παραδεδωκεν*, quod idem in euangelij legitur de cælo & terra, non aliud est quàm *transibunt, præteribunt*. Igitur sensus Apostoli est, Christo Domino ad iudicium venturo, cælos aëreos, cum procellosa ac horribili commotione præuia, transituros esse, seu perituros. quæ admodum supra dixit, mundum aqua inundatum perijisse. hoc est, ingentem mutationem passuros, videlicet per ignem; vti paulò post explicat. Dixi, *Domino ad iudicium venturo*. Quamuis enim opinio quorundam sit, ignem conflagrationis mundi, peracto demum vniuersali iudicio oriturum esse, quo & mundus tunc innouetur, & impij inuoluti rapiantur in tartara, cruciandi: communior tamen est sententia (quæ & Scripturæ sacræ conformior) ignem illum antecessurum esse iudicem; quo genus humanum, quod à plagis præcedentibus reliquum erit, consumptum intereat; simul & mundi purgatio ac renouatio fiat, vt in nouum mundum electi, resuscitati ad immortalitatem suis corporibus, introducantur: qui tamen ignis durante iudicio sit permanens, donec (vt dictum est) impios in tartara secum abripiat. Nec huic sententiæ repugnat quod hîc dicitur, *In quo, scilicet die aduentis Domini, celi transibunt*, tanquam non ante, sed in ipso Domini aduentu conflagratio per ignem exercenda sit: Nam *dies Domini*, more Scripturæ, non præcisè significat illud tempus quo mortuos vitæ redditos Dominus iudicabit; sed vnâ comprehendit totam immutationem mundi, quæ Dominici aduentus atque iudicij proximè instantis erit prænuncia. Cætera quæ de igne conflagrationis, eiusque effectis; atque de horum ordine quo sint euentura, à Theologis disputari solent, è suis locis petantur. Egimus & nos de his in 4. sent. dist. 47. & in

commentario prioris epistolæ ad Cor. cap. 3. vbi de *die Domini & igne* differit Paulus. Iam quod hunc locum epistolæ ad Platonicas mundi reuolutiones pertinere putauit Didymus; ex quo consequenter inferebat aut falsam aut falsatam esse epistolam; ideoque à canone Scripturarum refecandam: id quo loco sit habendum, diximus in prolegomenis.

ELEMENTA VERO CALORE SOLVENTVR. Pro calore Græcè est participium passiuum, *καυομένη*, id est, *astuantia, calore correpta*, pro quo legit Augustinus, *ardentia*. Quod idem participium infra repetitum Interpretis vertit *ignis ardore*.

De sensu huius partis variant scriptores. Beda exponit de quatuor elementis, igne, aëre, aqua & terra, quibus mundus iste consistit. *Qua cuncta*, inquit, *ignis ille maximus absumet. Nec tamen in tantum consumet vt funditus non sint: sed duo in meliorem restituet faciem: de quibus infra Petrus ait, *Nouos calos & nouam terram expectamus*. Hæc Bedæ sententia plures ob causas non placet. Primum, quia conflagratio per ignem futura, de qua loquuntur Scripturæ, tantum erit mundi huius infimi, qui quondam diluuii perijt, vt supra dictum est. Vnde censent Augustinus & alij, inter quos & ipse Beda, non altius ascensurum ignem illum, quàm quod pertrigerunt aque diluuij. Deinde, nec in Scripturis quidem notum est ignis elementum, nec sensibus exploratum; sed ex sola ratione physica positum à philosophis. Nec illud apparet, quomodo ignis ignem absumat; conflagrationis, elementarem; eumque totum: cum præsertim elementum ignis non sit in aliena materia, quæ ab alio igne queat absumi. Sic enim solet ignis maior minorem absumere eius materiam alienam depascendo. Adde, quod eo consumpto spaciū quod nunc occupat (quod quidem amplissimum à Peripateticis illi datur, & rectè) aut vacuum relinqueretur, aut alio corpore implendum esset. Igitur alij, ignis elemento prætermisso, tria reliqua, quæ vulgo notissima sunt, *elementorum* nomine significari putant: aërem, aquam, & terram. Hæc enim aquis diluuij perierunt, sensu superius explicato. Quare & igne conflagrationis eunt, vt hîc dicitur, dissoluenda. Verum, quia *calos*, id est, aërem, Petrus iam nominauit in priori membro, dicens eos transituros; ac rursus in sequentibus *calos* ab elementis separat: idcirco, rectius existimant alij, terram & aquam solas hac parte nomine *elementorum* comprehendendi; præsertim quum *elementum*, Græcè *στοιχείον*, quasi primordiale fundamentum significet: quod maximè crassioribus istis terræ & aque, cōuenit. Nec obstat quod proximè subiungit tanquam diuersum, de terra exurenda: Nam terram repetit, vt aliud quiddam addat, quod ad eā pertineat. Alioqui, terram sub elementis à Petro compre-*

hendi, satis ex eo patet, quod infra, cum iterum dixisset, *elementa ignis ardore tabescent*; nihil tamen de dissolutione vel exustione terræ adijciendum putauit. Porro *dissolutionem elementorum* intellige, non qua resoluatur in materiam primam, quæ sola est eorum materiale principium, (hæc enim dissolutio impossibilis est, aut saltem mundo renouando minimè conueniens) sed per quam ablata ac velut excocta omni impuritate, reddantur omniò pura, tanquam per ignem examinata atque probata. Neque enim substantialiter immutanda sunt; sed in statum & faciem meliorem, quæ nouo mundo congruat, omnia restituenda.

TERRA AVTEM ET QVÆ IN IPSA SVNT OPERA, EXVRENTVR. *Exustionem terræ* tribuit, tanquam elemento præ cæteris crasso & materiali, in quo vis incendij vehementior appareat. Quanquam non hoc accipiendum de toto terræ globo, quasi ignis totum sit penetraturus, sed de partibus exterioribus, quæ seruiunt vsibus humanis, quæque peccatis hominum infectæ quodammodo & contaminatæ, sicut alibi Scriptura loquitur, purgatione quæ per ignem fiat, indigebunt. *Opera quæ in terra sunt*, intelligunt plerique ea quæ naturaliter ortum habent in terra ex primæua Dei institutione; id est, corpora mixta, bestias, arbores, cæterisque plantas, aurum, argentum & quicquid tale. Quæ omnia exurenda sint, non vt purgentur ac renouentur (neque enim illorum vsus erit post resurrectionem) sed vt penitus tollantur, atque intereant, resolutione facta in ipsa elementa. Possent etiam intelligi opera hominum arte facta, vt ædificia, ciuitates, arces omnisque suppellex, & omne genus instrumentorum corporalium. Nam & hæc omnia cum mixtis ex quibus constant, interibunt, vt sola remaneant elementa. Cæterum magis probabile nobis est per *opera quæ in terra sunt*, actus terrenos Petrum significare voluisse, id est, opera peccatorum; quemadmodum contra de bonis operibus dicitur à Paulo, quod *nostra conuersatio in calis est*. Phil. 3. Vnde & eodem loco, *qui secundum carnem ambulant, terrena sapere dicuntur*. Hic commentarius ex verbis proximè sequentibus probabilitatem accipit, quibus hortatur Petrus fideles vt quoniam hæc omnia dissoluenda sunt, sanctis conuersationibus & pietatibus, tanquam operibus cælestibus incumbant, *expectantes & properantes in aduentum illius diei* &c. ne videlicet, si secus egerint; opera eorum velut terrena, simul cum terra exurantur, & ipsi pereant; aut certè detrimentum patiantur. Viderit enim B. Petrus, dicēs opera quæ in terra sunt, exurenda esse, illud insinuate, quod expressius à Paulo dictum est, 1. Cor. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur*. Nam & illic, de eodem igne conflagrationis ac purgationis sermo est, de quo hîc agitur. Est & altera antithesis, in eo quod adhuc se-

quitur: *Novos vero calos & novam terram expectamus, in quibus iusticia habitat.* Hanc enim iusticiam, quæ in nona terra habitat, opponere videtur operibus quæ in hac terra sunt, id est, peccatis. Authorem huius expositionis habeo Occumenium; licet alij nō meminerint. Vide quæ diximus in commentario I. Corinth. 3. ad illud: *Dies enim Domini declarabit &c.*

11 CVM IGITUR HÆC OMNIA DISSOLVENDA SINT; QVALES OPORTET VOS ESSE IN SANCTIS CONVERSATIONIBVS ET PIETATIBVS! Doctrinam superiorem de mundi per ignem transmutatione, apostolicè conuertit ad exhortationem: *Hæc omnia*, intelligit celum & elementa quæ mundum hunc inferiorem constituunt. In Græco sunt genitivi absolutè positi: pro quibus Erasmus Latinè, *His igitur omnibus solutis.* Sed cum *λυμένων*, præsentis sit temporis participium; melius in verbum resolutur: quod fecit Hætenius ad hunc modum, *Quum igitur hæc omnia solvantur.* Quod & Erasmo placet in annotationibus. Optimè verò sensum reddidit noster interpres, per *dissoluenda*: adeò ut id secutus sit Erasmus in paraphrasi. Nam præsens, pro eo quod certissimè est futurum, quodque tanquam præsens semper præ oculis habendum est, posuit Apostolus. Augustinus legit: *His ergo omnibus pereuntibus. Qualis, Græcè ποταμός*, quod non simpliciter qualitate significat rei vel personæ, sed cum emphasi quadam admirationis. vt Matth. 8. *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei!* Marci 13. *Aspice, quales lapides & quales struuntur!* Lucæ 7. *Quæ, & qualis est mulier, qua tangit eum.* Cæterum exhortatio B. Petri ratiocinatione constat huiusmodi: Mundus, qui nostri causa conditus est, incendio soluetur, purgabitur, innouabitur; vt nostrum, id est, electorum atque iustorum fiat receptaculum: quantum igitur nos ipsos, vt in habitaculum illud recipiamur, puros & sanctos esse conuenit? Erimus autem tales; si per omnia sanctè & piè conuersemur, *fugientes eius qui in mundo est, concupiscentia corruptionem*, vt dixit suprâ cap. 1. *Sanctas conuersationes & pietates* vocat sanctas & pias actiones. tamen illud *pietatis* Augustinus non legit. Sensui iam dato respondent quæ sequuntur vsque ad versum 15.

12 EXPECTANTES ET PROPERANTES IN ADVENTUM DIEI DOMINI. *Domini*, Græcè, *θεῶν, Dei.* Quod & in nonnullis est Latinis. Ac fortasse *Domini*, pro *Dei* irrepit, quod alibi passim vocetur dies Domini; quodque *dies Dei*, cacophonū quid habeat. Christum autem intelligi constat; de cuius aduentu & die iudicij, hîc agitur. Est igitur hic locus apertus, iuxta Græcam lectionem, pro Christi diuinitate. Norandum, abesse in Græco præpositionem, in: Itaque vertit Erasmus, *expectantes & accelerantes aduentum &c.* tanquam sensus sit, nos diligenti studio bonarum

actionum id agere debere, vt acceleretur aduentus Domini. Fit enim eo pacto, vt citius compleatur numerus electorum; ac desinat querela dicentium, *Vbi est promissio aduentus eius?* Hunc sensum non renuit verbum Græcum *ἐπιμένειν*. Frequenter enim transitivè sumitur. Verum, quia Scripturæ non nobis tribuunt accelerationem aduentus illius diei, sed potius ipsi Christo venturo; de quo suprâ, *Non tardat Dominus &c.* Idcirco magis placet sensus quem spectauit noster interpres, supplendo præpositionem; vt illud, *aduentum diei*: ad vtrumque participium referatur; hoc modo: *Expectantes aduentum illius diei, & ad eundem properantes.* Ac si dicat Apostolus: *Non solum volo vt diem illum expectetis, semper vigiles & parati suscipere Dominum, quum venerit; quod bonorum seruatorum est, de quibus Lucæ 12. Beati serui illi quos quum venerit Dominus, inuenierit vigilantes: sed insuper exhortor vt in occursum Domini venturi properetis; quo magis, attendens vestrum desiderium aduentus illius testemini.* Quod pertinet euangelica parabola virginum, quæ cum ardentibus lampadibus iuerunt obuiam sponso. Matth. 25. Quidam sic vertit: *Expectantes properando aduentum diei Dei*; quasi tale quid significetur, quale prouerbio vulgato, *festina lente*; vt expectatio moram significet, properatio torpori opponatur. Sed prior sensus melius responderit Scripturis. Fit autem hæc de qua Scripturæ loquuntur expectatio, nec non properatio & occursum; dum quisque sedulo pijs operibus incumbens, ostendit se Domini aduentum ex animo diligere ac desiderare; more seruatorum qui dominos absentes, quos amat, cum desiderio expectant, interim officio diligenter intenti. Huc enim alludere Petrum in his verbis, verisimile est. Porro *dies Domini seu Dei* vocat tempus illud quo Christus Dominus & Deus cum maiestate magna iudicaturus est mundum, & regnum suum omnino gloriosum auspicatorus.

PER QVEM CÆLI ARDENTES SOLVENTVR, ET ELEMENTA IGNIS ARDORE TABESCENT. Pro ignis ardore, rursus in Græco est participium *καυσόμενα, ardentia. Tabescēt*, Græcè *τινεται, liquefcent*, præsentis temporis: quanquam futurum *τινησεται, liquefcent*, in quibusdam exemplaribus legitur, nominatim in Complutensi ac Regio. Quo modo & Augustinus legit in futuro, *decoquentur*. Non aliud autem hac parte vult Apostolus, quam quod suprâ dixit, *calos transitorios, & elementa calore solueda*: nisi quod hîc expressius astruit, illum *calorum* transitum ac *dissolutionem ardore*, id est, incendio, peragendum; vtique *per ignem, cui calos qui nunc sunt, reseruos esse iam antè dixerat.* Similem habet sensum quod de *elementis* subiungit, dicens, quod *ardentia liquefcent*; ducta metaphora à cera, cui si ignem admoueas, statim soluitur ac liquefit. Hæc enim comparatione etiam alibi

Scriptura

Scriptura vtitur, ad significandum facilem accelerem alicuius rei interitum à causa præponente: vt in psalmis aliquoties. Igitur *elementa æstu illius ignis liquefcent*; hoc est, ita subito transmutabuntur, vt solet cera ab igne liquefacta statim ac facile in quamlibet figuram transmutari. Proinde, non hîc significatur celorum & elementorum mutatio secundum substantiam, sed secundum qualitates; quomodo ceræ mutatio fit secundum figuram, liquationem, molliorem. Vnde Hieronymus ait, de mundi transitu loquens, super Isa. 65. *Figura præteritæ, non substantiæ. Celos intelligi non sidereos, sed æthereos, iam antè factis dictum est.* *Elementorum* verò nomine, terram & aquam solas comprehendit, res ipsa docet: aère videlicet prius ac seorsim nominato. Particula *per quem*, Græcè *δι οὗ*, referri non potest ad *Dominum vel Deum*, repugnante genere: sed referenda est vel ad *dium* vel ad *aduentum*; quod vtrumque Græcis est fœminei generis. Aptius autem ad *aduentum*; vt sensus sit, virtute aduentus diei Domini futuram esse totam illam mundi mutationem; quomodo virtute ignis admoti cera liquefit. Quod Hebræa phrasi dicitur *à facie ignis, à facie Dei*: vtrumque psalmo 67. Potest etiã verti, *propter quem*, scilicet *aduentum*: vt significet, illam mutationem mundi fore quandam aduentus Domini præparationem. Nam vt suprâ dixi, præsentiam Christi iudicis illa mundi per ignem purgatio & innouatio præcessura est. Vnde & Augustinus pro *aduentu præsentiam* legit. Vtrumque enim Græca dictio *παρουσία* significat.

13

NOVOS VERO CÆLOS ET NOVAM TERRAM, SECUNDVM PROMISSA IPSIVS, EXPECTAMVS. *Promissa*, Græcè *promissum* seu *promissionem* numero singulari. Quod autem in Latinis quibusdam pro *secundum promissa*, legitur & *promissa*; in manuscriptis probatoribus quæ apud nos sunt, non reperitur, vt nec omnino in Græcis hodie exstantibus: tamen si facile potuit *κατὰ* abbreviatum, à scriba parum attento mutari in *καί*, vel contrã. Nam certè Hieronymus legit hoc posteriore modo. Sic enim recitat hunc locum in commentario Isaie 65. *Novos autem calos & novam terram videbimus, & repromissionem eius.* Vbi & subiungit pro commentario: *Nō dixit, alios calos & aliam terram videbimus; sed veteres in melius commutatos.* Igitur *novos* intelligere debemus repurgatos ac renouatos, & melioribus qualitatibus affectos, remanente substantia. Quo sensu & illud accipiendum quod Ioannes Apoc. 21. post illa verba: *Et vidi celum novum & terram novam*, subiicit: *Primum enim celum & prima terra abiit.* Nam *abiisse* dicit quantum ad faciem & qualitates priores; eodem nimirum sensu, quo prædixerat ipse Dominus, Matth. 24. *Cælum & terra transibunt.* Iam nec aliter hoc loco *calos* accipit Petrus, quam in præcedentibus. Quanquam non negamus eius doctrinam

habere veritatem etiam de cælis superelementaribus, in quibus infixæ sunt lumina cælestia: non quod igne purganda sint illa corpora, quæ purgatione non indigent; sed quoniam & ipsa transmutationem in melius recipient; vt fiat illud quod scribit Isaïas ca. 30. *Erit lux lune sicut lux solis, & lux solis erit septem plisiter, sicut lux septem dierum.* Porro dicens apostolus *novam terram*, simul aquam vult intelligi. Hæc enim duo proximè elementorum nomine comprehenderat, quæ igne velut liquefacta nouas, exuta vetustate, qualitates, seu formas, acceptura sint. Nec his obstat quod Ioannes in Apocalypsi post verba paulò antè citata, consequenter adiungit: *Et mare iam non est.* Quamuis ea Scriptura Bedam & alios quosdam adduxit in eam sententiam, vt putarent elementum aquæ in mundi innouatione prorsus interitum. Nō inquam obstat: quia non dicit Ioannes aquam non amplius futuram; sed mare: id est, vt Augustinus exponit lib. 20. de ciuitate Dei cap. 16. *hoc sæculum vitæ mortalium turbulentum & procellosum, quod maris nomine figurauit.* Vel, vt quidam volunt, mare secundum situm quem nunc habet in vniuerso: vt significetur mare rediturum ad locum vniuersi quem habuit initio, priusquam aquæ congregarentur in sinus quosdam, vt appareret arida; quæ *congregationes aquarum* appellata sunt *maria*. Gen. 1. Vel potius, mare quatenus impurum, crassum, salum, turbidum & inquietum. Nam huiusmodi qualitates importare solet vocabulum maris: ideoque non dicitur mare nouum futurum, sed simpliciter nō futurum amplius. Addit Petrus *secundum promissa* (vel *promissum*) *ipsius*, scilicet Christi Dei ac Domini. Sic enim promisit Isa. 65. *Eccce ego creo calos novos & terram novam.* Et ca. 66. *Celi noui & terra noua quæ ego facio stare coram me.* Eademque promissio repetitur, ostensa Ioanni in visione Apoc. 21.

Si cui placet illa quorundam codicum lectio, *Et promissa ipsius*, exponi poterit de bonis quæ Christus passim, tam in euangelio, quam in Apocalypsi, suis electis promisit: resurrectionis gloriam, immortalitatem, regni sui societatem, Dei visionem. Quibus bonis electorum beatitudo perficitur.

IN QUIBUS IUSTICIA HABITAT. Rursum tempus præsens pro futuro posuit. *Habitat*, id est, habitabit; idque non ad tempus, sed in omnem æternitatem; quæ conuenientissimè per tempus præsens significatur. *Iusticiam*, intelligit perfectam; vel ipsos homines perfectè iustos. *Non enim illuc intrabit aliquid coinquinatum.* Apoc. 21. Nominat autem & *calos & terram* habitaculum iustorum: quia totus mundus erit possessio & palatium & regnum electorum. Vnde & in eorum persona dicitur Apoc. 5. *Et regnabimus super terram.* Ad hunc modum loquitur etiam Iustinus martyr in quæstionibus. Nam quod quidam illud, *in quibus*, referunt ad *promissa*; alij verò

nonnulli

nonnulli ad verbum *expectamus*: minus ob-
tine sunt expositiones, mihi que non admodum
probabiles. Nostra sane consona est ijs que
scribit Itaias cap. 65. vbi post promissionem
celi noui & terre noue, ita subdit: *Gaudebitis
& exultabitis usque in sempiternum in his que
ego creo*. Id est, in celo nouo & terra noua.
Supra quoque dictum est, in hac parte anti-
thetism esse ad opera que in hac terra sunt, id
est, ad peccata.

14

PROPTER QVOD, CARISSIMI, HEC
EXPECTANTES, SATAGITE IMMACVLATI
ET INVIOLATI EI INVENIRI IN PACE.
Satagite, Græcè *σπουδαίετε*, *studete, operam
date*. Idem verbum cap. 1. versu 10. *Inviolati*,
Græcè *ἀνώματοι*, *irreprehensibiles*. Vocat au-
tem Scriptura *immaculatos & irreprehensibiles*
eos qui pie, iuste & sancte viuunt, a grauioribus
peccatis, ac sæculi inquinamentis absti-
nentes. Infert Apostolus ex mundi renoua-
tione, quem futurum dixit habitaculum ius-
torum, ita viuendum esse, vt in eum a Christo
recipi mereamur. Et sensus est: Ne auscul-
tetur ad verba dicentium, *Vbi est promissio ad-
uentus eius?* sed que promissa sunt, id est,
celos novos & terram nouam, Christi que
regnum, spe firma expectantes, toti in hoc
incumbite vt tales a Domino ad iudicandum
uenturo reperiamini, quales oportet esse eos
qui bona ab eo promissa recipiant, hoc est,
irreprehensibiles, puros & immaculatos, spe-
ciatim a turpitudine quam exercent & docet
pseudodidascali isti, de quibus supra, paren-
tes scholæ Gnosticorum. Quod addit, *in pa-
ce*; quidam referunt ad verbum *expectantes*,
quali moneat, vt *in pace*, id est, animo quieto
& pacato expectent aduentum Christi. Sed
plures ad proximum verbum, *inueniri*; hoc
sensu: Studete, vt veniens Christus inueniat
vos pacem cum ipso habentes, id est, amicos
& filios; & per hæc dignos quos in suum re-
gnum admittat. Quam pacem non habent
nisi iusti ex fide: Paulo testante Rom. 5. *Iusti-
ficati ex fide pacem habemus ad Deum*. Nam
qui non est cõsentiens aduersario (per quem
intelligitur lex Dei) dum est in via cum eo;
mittitur in carcerem, nunquam inde exitu-
rus. Matth. 5. Potest etiam *pax* intelligi fide-
lium inter se, id est, animorum consensus in
bono, maxime que in fide sana & integra. In
qua pace si inueniantur; audient a Iudice,
Venite, hereditate regnum vobis paratum, tan-
quam filijs Dei. Matth. 25. Nam *pacifici filij
Dei vocabuntur*. Matth. 5. Hoc modo *pax* ac-
cipitur passim in exhortationibus. Hinc &
cap. 1. hortatus est eos ad *amorem fraterni-
tatis*.

15

ET DOMINI NOSTRI LONGANIMITA-
TEM SALVTEM ARBITREMINI. Græcè, *ar-
bitramini*, *ἀρεσκῶτε*: sicut antè, *satagite*. Monet
vt Christi Domini longanimitatem, qua suum
differt aduentum, arbitrentur ac repentent ad
suam spectare salutem: quia nimirum diffe-
tendo iudicium, expectat eos ad pœnitentiam

salutarem; vt ne cum reprobis damnen-
tur. Hoc est quod supra de eodem Christo
Domino dixit: *Non tardat, sed patienter agit
propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad
pœnitentiam reuerti*. Igitur & hæc pars ad ani-
mandum fideles pertinet; ne tediio frangan-
tur ob diuinam moram aduentus Domini:
sed persuasum habeant in ea dilatione suam
positam esse salutem.

SICVT ET CHARISSIMVS FRATER NO-
STER PAVLVS, SECVNDVM DATAM SIBI
SAPIENTIAM, SCRIPSIT VOBIS. Cũ ve-
lut ex abrupto ad apostoli Pauli mentionem
Petrus diuertat, infra dicemus. *Frater* vocat
eum, vel communi nomine Christianorum;
vel potius fratrem, quia cõapostolum, id est,
apostolici muneris socium atque collegam:
quippe eo nomine dignissimum; vt qui in
euangelio plus omnibus laborasset, 1. Cor. 15.
Dicens autem, *secundum datam sibi sapientiam
scripsit vobis*; tam ipsam quam eius epistolas
laudat a sapientia, qua in eis scribendis sit
usus: ac nihilominus eandem sapientiam refer-
t in Deum datorem. *Sapientiam* intellige
sublimem diuinorum mysteriorum noticiam,
que vtique in Paulo excellit; qui euange-
lium suum acceperat *per reuelationem Iesu
Christi*. Gal. 1. Et *raptus in paradysum audiuit
arcana verba, que non licet homini loqui*. 2. Co-
rinth. 12.

Hoc exemplo Petri, monemur ita laudare
homines laude dignos; vt tamen omne quod
in eis laudabile est, in Deum referamus au-
thorem. Vbi interim obseruare est admira-
bilem candorem ac sinceram modestiam pe-
toris apostolici in Petro; qui reprehensus
aliquando a Paulo, tamen & ipsum *charissi-
mum fratrem* appellat, & epistolas eius com-
mendat, inter quas & illa est in qua ipsius
reprehensio continetur atque defenditur, ea
nempe que scripta est ad Galatas. De qua re
locus est insignis apud Gregorium in homi-
lia 18. super Ezech. Meminit & Beda præclatè
in commentario.

Sed & illud in Petro obseruatu dignum
atque laudabile est, quod cum esset princeps
Apostolorum, qui doctrinam suam hauserat
partim ex ore Christi Saluatoris familiariter
cum Apostolis colloquentis, partim ac ple-
nius ex illapsu Spiritus-sancti in die Pente-
costes; non tamen dedignatus fuerit Pauli
Apostolorum nouissimi legere epistolas, for-
tè & ex ijs aliquid discere.

Quæritur quam Pauli epistolam indicet
Petrus dicens: *scripsit vobis*, id est, Iudæis.
Nam ad Iudæos fideles vtramque Petri epi-
stolam scriptam esse, satis suis locis arbitror
me demonstrasse. Beda refert hoc ad omnes
epistolas Pauli, quas ad ecclesias scripsit: *Quia
est Paulus*, inquit, *ad quasdam specialiter scri-
psit ecclesias; omnibus tamen generaliter que per
orbem sunt, queque vnam catholicam faciunt, scri-
psisse probatur ecclesijs*. Sed obstat huic intelle-
ctui, quod Petrus subiungit; *sicut & in omni-*

bus

bus epistolis: vtique significans ad istos Pau-
lum specialiter scripsisse. Et id Petrum velle,
existimant alij plerique: quorum Oecume-
nius, quem recentiores quidam sequuntur,
epistolam ad Romanos significari putat. Hæc
enim ad Iudæos æque ac gentiles; qui Romæ
erant, & in Christum crediderant, scriptam
fuisse; non est dubium: quæ admodum osten-
dimus in eius epistolæ argumento. Si quæras
vbi in ea epistola habeantur, de quibus ait
Petrus, *Sicut & Paulus scripsit vobis*: proferunt
illud capitis 2. *An diuitias bonitatis eius &
patientia & longanimitatis contemnis? Igno-
ras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te
adducit*: Hoc quippe, vt & cetera eiusdem
capitis ad Iudæos propriè dictum fuit: idque
simile esse voluit cum eo quod Petrus pro-
ximè dixit; *Et Domini nostri longanimitatem
salutem arbitremini*. Vnde & locus ille Pauli
huc ad marginem in codicibus impressis an-
notatus habetur. Illud quoque quod Petrus
dixerat: *Satagite immaculati & inuolati inue-
niri*; referunt ad verba Pauli in eadem epi-
stola cap. 12. *Obsecro vos vt exhibeatis corpora
vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*.
Quamuis & alibi Romanos ad vitæ pu-
ritatem hortatur. Denique in eam epistolam
maximè quadrare dicunt hoc quod Petrus
subiungit; *In quibus sunt quedam difficilia in-
tellectu, que docti & instabiles deprauant*. At
verò aliorum sententia est epistolam ad He-
bræos a Petro significatam esse. Non enim
aliam specialiter ad Iudæos scripsit Paulus.
Nec laborant in designandis locis ad que Pe-
trus respicit, dicens: *Sicut & Paulus scripsit vo-
bis*. Talia namque potissimum haberi cap.
10. & sequentibus vsque ad finem; in quibus
multus est in exhortando suos Hebræos ad
retinendam fidem & spem promissorum cæ-
lestium; propositis etiam longa serie san-
ctorum Patrum exemplis. Quamuis & in
prioribus epistolæ partibus eam rem agat,
per interualla; vt cap. 3. 4. & 6. Siquidem &
secundum Græcos interpretes in ea epistola
illud agitur præcipuè, vt Hebræorum lan-
guentes animi excitentur ad fidei perseue-
rantiam, certamque expectationem bono-
rum que per Christum promissa, atque in
futurum reposita sunt. De his ipsis autem
loqui Petrum, liquido constat ex ijs que præ-
cedunt: *Nouus, inquit, celos & nouam terram
secundum promissa ipsius expectamus*. Et iterum:
*Propter quod charissimi hac expectantes, satagi-
te &c.* Quin & illud a quo cõperat de adue-
tu Domini patienter expectando disserere,
cũ ait, quosdam dicere: *Vbi est promissio ad-
uentus eius?* an non planè conuenit cum eo
quod ad Hebræos in fine capitis 10. dicitur;
*Patientia vobis necessaria est, vt voluntatè Dei
facientes reportetis promissionem? Adhuc enim
modicum aliquantulumque; qui venturus est ve-
niet, & non tardabit*. &c. Sed in re manifesta
non immoror. Certè patet ex his, quanto sit
probabilis, epistolam ad Hebræos a Petro

16

designatam, quam vllam aliam: nec quicquã
momenti habere, que proepistola ad Ro-
manos allata sunt. Nam quod ex capite 2,
proferebatur de patientia & longanimitate
Dei; id Paulus increpando dicit, longanimi-
tatem Dei intelligens, quia differt iustum iu-
diciũ in peccatores. Petrus autem loquitur
exhortando & consolando, longanimitatem
intelligens, qua Christus Dominus aduentum
suum differt, promissa præmia redditurus
electis. Locus autem de vitæ puritate, com-
munis est omnibus Pauli epistolis. Jam nec
verisimile est, Petrum dicentem, *Sicut &
Paulus scripsit vobis*, agere de vna aut altera
sententia Paulina, sed de totius epistolæ aut
magnæ partis eius argumento. Nec verò pro
diuersa sententia facit quod in epistolam ad
Romanos maximè quadrare videatur illud.
In quibus sunt quedam difficilia intellectu &c.
Non enim hoc dicit Petrus de ijs que ad Iu-
dæos scripsit Paulus; vt facillè est attento le-
ctori animaduertere: sed de epistolis Pauli in
genere, de quibus præmiserat, *Sicut & in om-
nibus epistolis*. Sed adhuc obijciunt, & dicunt
Petrum scripsisse suas epistolas ad Iudæos ad-
uenas dispersionis Ponti, Galatiæ &c. que
erant regiones Asiæ minoris, a Iudæa procul
distant; Epistolam verò que dicitur ad He-
bræos, propriè dirigi ad eos qui Hierosoly-
mam & Iudæam incolebant; sicut & ipsi o-
stendimus in prolegomenis illius epistolæ: &
proinde quod Petrus dicit de Paulo, *scripsit
vobis*, de epistola ad Hebræos intelligi non
posse, vt que non ad illos quibus hoc dicitur,
scripta sit; sed ad alios. Verùm huius ar-
gumenti non est difficilis solutio. Non enim
sensus est, *scripsit vobis*, in illa dispersione po-
sitis, de qua in inscriptione prioris epistolæ;
Alioqui nec epistola ad Romanos poterit
intelligi, quod tamen isti volunt qui mouent
hanc obiectionem: sed *vobis*, id est, genti ve-
stræ. Nam quia peculiarem ad Iudæos epi-
stolam scripsit Paulus, & quidem de materia
que ad omnes Iudæos fideles pertineret;
ideo supponit Petrus, illam ab eis ad quos
missa fuerat, communicatam ceteris. Adde,
quod etsi prior epistola Petri scripta fuerit
ad Iudæos dispersionis Ponti, Galatiæ &c.
non tamen necesse est hanc secundam intel-
ligi præcisè scriptam ad eosdem: quum illud,
Hanc ecce vobis secundam scribo epistolam; ita
referri possit ad eandem gentem, vt tamè non
ad eundem locum propterea referatur, sed
ad Iudæos vbilibet morantes. Vt igitur con-
cludam, Ex ijs que dicta sunt, admodum mi-
hi probabile fit Apostolum Petrum hic de-
notare epistolam ad Hebræos scriptam. Ex
quo iam consequens est, id quod controuer-
terunt nonnulli, illius epistolæ Paulum esse
authorem. Id quod alijs etiam rationibus as-
struere conati sumus, in prolegomenis epi-
stolæ ad Hebræos.

SICVT ET IN OMNIBVS EPISTOLIS.
Erasmus vertit, *In omnibus ferè epistolis*;

videlicet

videlicet addita de suo particula *ferè*. Non enim verisimile est, omnes Pauli epistolas sine exceptione, Petrum hinc comprehendere voluisse, sed plerasque, maximè quæ scriptæ sunt ad ecclesias. Quamquam textui non erat addendum *ferè*; sed expositoribus annotandum oportebat relinquere. Porro non est hic supplendum. *scripsit vobis*, quod constat falsum esse: sed absolute, *scripsit*; vel illud totum, *secundum datam sibi sapientiam scripsit*. Quid autem scripserit, indicat hoc quod sequitur,

LOQVENS IN EIS DE HIS. Nempe, de quibus ego vos instruxi & admonui, id est, de Christi aduentu & promissis eius fideliter & patienter expectandis; & de fugiendis errorum magistris, qui à veritate doctrinæ semel traditæ, præsertim eius quæ est de fide & bonis operibus, auocant fideles. Horum enim capitum doctrina sparsa est per omnes aut *ferè* omnes epistolas Paulinas.

Dubitant autem nonnulli an omnes epistolæ Pauli quas habemus, iam tunc scriptæ fuerint, priusquam hæc scriberet Petrus. Sed non magna ratio est dubitandi. Nam Petrus hæc scripsit morti vicinus, vt patet ex capite 1. huius epistolæ: Paulus autem, qui Petro fuit in morte socius, suas epistolas etiam postremas scripsit multo antè; quemadmodum ostendimus ad illud 2. Tim. 4. *Tempus resolutionis meæ instat*; excepta tamen epistola ad Hebræos. Sed & hanc scriptam fuisse priusquam Petrus hæc scriberet; ex supradictis factis intelligitur, & cur dubitetur, rationem non video.

IN QUIBUS SVNT QVÆDAM DIFFICILIA INTELLECTV. In quibus; alij tollendæ ambiguitatis causa, vertunt, *inter quæ*. Nam Græcè est *ἐν αἷς*, quod non potest ad epistolas referri; quarum vt Latinis, ita & Græcis, genus est fœmininum: sed referendum ad ea quæ epistolis continentur. quasi dicat: *In quibus ab eo scriptis sunt quadam difficilia &c.* Subiungit enim, *Sicut & ceteras Scripturas*. Quidam volunt *ἐν αἷς* positum pro *ἐν αἷς*: aut certè scribarum incuria irrepsisse o pro α. Nā & à Roberto tres codices annotantur, in quibus scriptum fuerit *ἐν αἷς*. Quæ si vera est lectio (quod tamen non facile affirmarim): facilius est commentarius.

Porro locus hic evidens est aduersus sectarios, docentes Scripturam sacram ubique facilem esse & omnibus intellecta peruiam. Nam apertissimum est hoc Petri testimoniū, in ijs quæ scripsit Paulus, esse quædam intellectu difficilia. simul indicans & ceteris scripturis id esse commune, quod & eas, sicut Pauli scripta, deprauent homines indocti. Quamquam hoc, tam de Paulinis epistolis, quam de ceteris scripturis, et si Petrus non diceret, res tamen ipsa clamat, eas plerisque locis ad intelligendum difficillimas esse. Quod non solum nostra ab hæreticis dissensio comprobatur; verum maximè ipsorum de scriptu-

rarum sensibus assidue inter se digladiatum pugna mutua.

QVÆ INDOCTI ET INSTABILES DEPRAVANT. *Indocti*, Græcè *ἀνοήτοι*, quod etiam Latine reddi potest, *indociles*, discere nolentes. Tales sunt omnes hæretici; nolunt enim audire ecclesiam, quæ sola *columna est & firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3. Vnde & *instabiles* sunt, id est, sine firmamento. Nam *instabiles* dicit non vagos & inconstantes; sed *infirmos* seu *parum firmos*, vt vertit Erasmus. Id enim sonat Græca vox *ἀσθενεῖς*, qua & vsus Apostolus capite superiore versu 14. Significantur autem, qui fidei firmitatem & (vt ait Dominus Lucæ 8.) *radices non habent*. Ex quo deinde sequitur instabilitas & inconstantia doctrinæ. *Depravant*, Græcè *σπείραζουσιν*, *torquent*, *detorquent*. Non enim sentit eos corrumpere seu fallere scripturas, quod fit addendo, aut demendo aliquid (quamuis & illud ab hæreticis non raro factum fuerit olim, hodieque fiat) sed in prauos sensus vertendo & contorquendo, vim eis inferre, qui mos est omnium hæreticorum: præsertim sicubi intelligendi difficultatem adfert obscuritas. Quod aded verum, vt nulla fuerit hæresis tam absurda, quæ non ex scripturis sibi patrocinium assumeret.

SICVT ET CÆTERAS SCRIPTVRAS. Hac parte (quod bene notandum est) Petrus canonizat, vt ita loquar, id est, in canonem sacrarum scripturarum ascribit atque canonicas facit epistolas Pauli. Dicens enim, *sicut & ceteras scripturas*; vtique significat se etiam illas in scripturarum numero habere. De sacris autem scripturis eum loqui; in confesso est. Nec aliquas; sed omnes eius epistolas comprehendit, etiam illam quæ ad Hebræos scripta est: vt intelligi potest ex supradictis.

AD SVAM IPSORVM PERDITIONEM. *Suam* Græcè *proprium*. Non causa finalis significatur, sed euentus & sequela. Detorquebant enim scripturas ad falsa & peruersa dogmata; quæ tam eos, quam eorum discipulos adducebant in interitum ac mortem æternam.

Iam vt intelligamus quæ fuerint illa dogmata; sciendum est, vt annotant omnes penè interpretes, Petrum verbis illis proximè expositis; *In quibus sunt quadam difficilia intellectu: quæ indocti & instabiles deprauant ad suam ipsorum perditionem*: respicere ad doctrinam Pauli, qua docuit non ex lege neque ex operibus hominem iustificari; sed gratis per fidem Iesu Christi. Hinc enim colligebant, opera bona non esse ad salutem necessaria. Quæ etiam Simonianorum hæresis fuit: vt testatur Epiphanius & Theodoretus. Doctrina verò illa Pauli quam dixi, præcipuè traditur in epistola ad Romanos: tamen & in alijs eiusdem Pauli epistolis continetur; vt in ea quæ ad Galatas scripta est, & sparsim in epistolis ad Ephesios, ad Philippenes, & ad Colossenses. Illuc autem Petrum respicere, primùm ex eo

probat,

probat, quia in epistolis Paulinis vix aliud est, quod æquè possint homines libertatè ac desideria carnis amantes (quales hoc & præcedenti capite Petrus descripsit) ad fomētum suarum cupiditatum ac defensionem sui erroris trahere. Quod & hoc sæculo fecerunt Lutherani. Deinde, quia Iacobus apostolus in sua epistola cap. 2. manifestè significat, ea peruersa opinione quosdā imbutos fuisse, vt fidem ad iusticiam & salutem sufficere putarēt absque bonis operibus. Quam & grauitè oppugnat. Scribit autè & ipse ad eosdē ad quos Petrus; id est, ad duodecim tribus quæ erant in dispersione. Verū Iacobus quidem tacuit occasionem erroris, quam expressit Petrus; videlicet fabricatam ex epistolis Paulinis. Quæ admodum è diuerso Petrus tacuit ipsam doctrinam erroneam; quam expressit Iacobus. Vnde, mutua collatione, quæ ab vtroque scripta sunt illustrantur. Huc pertinet quod Augustinus docet epistolas catholicas quatuor Apostolorum aduersus prædictum errorem, quem ex epistolis Pauli perperam intellectis volentes hauserant quidam, cōscriptas fuisse. Id habet libro de fide & operibus cap. 14. & de gratia & libero arbitrio cap. 7. Vide quæ de ea re diximus in præfatione super epistolas catholicas. Accedebat autem ad erroris occasionem, doctrina de electione & reprobatione: quam similiter, ac præcipuè in epistola ad Romanos, tradidit Paulus. Nam & per illam excludi videbantur opera à negotio nostræ iustificationis. Quamquam & ipse Paulus aduersus huiusmodi deprauatores vigilauit; non solum exhortando fideles ad bona opera, tanquam ad salutem necessaria; quod facit in omnibus epistolis: verum etiam errori malè suam doctrinam intelligentium, obuiando. Cùm enim dixisset ad Roman. 5. *Ubi abundauit delictum, superabundauit gratia*: mox initio capitis sequentis, prauo intellectui occurrit, dicens; *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. &c.* Sed & cap. 3. resistit ijs qui doctrinam ipsius calumniabantur, tanquam diceret, *Faciamus mala vt veniant bona. Quorum*, inquit, *damnatio iusta est.*


17 VOS IGITUR FRATRES, PRÆSCIENTES, CUSTODITE. Conclusio est epistolæ qua admonet, vt ab impostoribus, de quibus multa superius, sibi caueant. In Græco non est, *fratres*, sed *ἀγαπῆται*, *dilecti*. *Præscientes*, id est, iam à nobis satis præmoniti & instructi de

cauendis erroribus & errorum magistris. *Custodite* Græcè *φυλάσσετε*, *custodimini*, *custodite vos ipsos*; *cauete*, vt bene vertit Erasmus. Sic vsurpatur etiam Act. 21. vbi nos legimus: *vt abstineant se ab idolis immolato &c.*

NE INSIPIENTIVM ERRORE TRAVCTI EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE. Græcè: *Ne iniquorum, seu nefariorum, errore simul abducti &c.* Vocat *ἀσεβῶν*, *nefarios*, qui nullo iure, nullisque legibus in ordine retineri possunt, sed omnia velunt sibi licere. Quod aptissimum est epitheton eorum qui sectas faciunt & errores seminant. *Cauete*, inquit, ne vos quoque erroneis istorum doctrinis vnà cum alijs, quos iam peruerterunt, abducti & inuoluti, excidatis à vestra firmitate fidei; quæ Apostolorum edocti magistris hactenus tenuistis. Ostendit hic locus, vt alij multi, fidem Christianam amitti posse. Quod argumentum Caluinus dum soluere conatur hic & alibi, suamque statuerit fidei securitatem, quam vocat; meras nebulas offundit lectori: quas ipsa per se lux veritatis satis discutit.

18 CRESCITE VERO IN GRATIA ET IN COGNITIONE DOMINI NOSTRI ET SALVATORIS IESV CHRISTI. *Crescite*, id est, date operam vt crescatis in gratia &c. quod fit studio bonorum operum. Per hæc enim tam gratiæ, quam fidei comparatur augmentum. *Gratia Christi Domini & Saluatoris* intelligitur ea qua nos Patri, sibi que gratos efficit, constituit & conseruat. Eiusdem *Christi Domini cognitionem* vocat, qua eum & eius mysteria cognoscimus nunc per fidem, in futuro seculo cognituri per speciem. Idcirco nō dixit *in fide*, sed vsus est generali vocabulo *γινώσκω*, id est, *cognitionis*. Et obserua, B. Petrum claudere epistolam iisdem penè verbis quibus vsus fuerat in salutatione, quæ talis erat: *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei & Christi Iesu Domini nostri*: vt sic aptè postrema primis respondeant.

IPSI GLORIA ET NVNC ET IN DIEM ÆTERNITATIS. AMEN. Clausula est doxologica, qua significat Christo Saluatori nostro glorificationem deberi in hoc seculo & in futuro: quod vocat *diem æternitatis*, quia tota æternitas vna dies est. Et hinc ergo significatio est diuinitatis Christi: Nam huiusmodi clausulæ Deo, tanquam ipsi propriæ, passim ascribi solent.



IN EPISTOLAM

BEATI IUDÆ APOSTOLI

PRÆFATIO.

DE AVTHORE ET AVTHORITATE HUIUS EPISTOLÆ.



VLTIMA Catholicarum eademq; breuissima (nam secunda & tertia Ioannis propriè Catholicæ non sunt) est epistola Iudæ Apostoli; qui frater fuit Iacobi, cuius est inter Catholicas prima. Nam & Lucas euangelij sui cap. 6. & Act. 1. *Judam Iacobi* appellat, & ipse se in fronte epistolæ, *fratrem Iacobi* nominat; eius scilicet Iacobi, quem Paulus Galat. 1. fratrem Domini vocat: ut proinde & Iudas *frater Domini* vocari potuerit; quemadmodum & vocatus fuit à Iudæis dicentibus de Christo, *Nonne mater eius dicitur Maria: & fratres eius Iacobus & Ioseph & Simon & Iudas?* Matth. 13. & Marc. 6. *fratres* utique cognatione. Fuit autem Iudas trinomius: quoniam & Thaddæus vocatur, Matth. 10. & Marc. 3. & Lebbeus, ibidem apud Matthæum iuxta textum Græcum & Syriacum. *Lebbeus*, inquit, *qui cognominatus est Thaddæus*. Lebbeus autem Hebræis *corculum* significat.

De hac epistola, num inter scripturas sacras esset recipienda, dubitatum aliquando fuisse; testantur Eusebius libro 2. historiæ ecclesiasticæ cap. 22. & lib. 3. cap. 19. & Hieronymus in catalogo, de Iuda Apostolo. Causam cur dubitatum fuerit, hanc adfert Hieronymus, *quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumitur testimonium*. Addunt alij, de Archangeli Michaelis altercatione cum diabolo. Nam & illud ex apocrypho sumptum videri potest. Verùm hæc ratio quàm parum firma sit ad infirmendam epistolæ authoritatem, ostendemus in tractatione dicti testimonij. Sanè Eusebius ipse, priori loco iam citato, affirmat ista quorundam dubitatione non obstante, hanc epistolam cum reliquis, quæ Catholicè vocantur, in quàm plurimis ecclesijs publicè receptam & approbatam esse. Qui & lib. 6. cap. 11. refert Clementem Alexandrinum in libris hypotyposeon, ut in alias scripturas, ita & in epistolam

Iudæ

Iudæ breues scripsisse explicationes; quæ & hodie exstant. Agnoscunt autem ut canonicam scripturam antiquissimi scriptores: Tertullianus libro de habitu muliebri cap. 3. Et Origenes homilia 7. super Iosue. Citat quoque Hieronymus sub nomine Iudæ Apostoli scribens in Ieremiæ caput 29. & Ezechielis 32. ac sub nomine Iudæ fratris Iacobi, in Ezechiel. 18. Citant & alij passim eiusdem ætatis ac sequentium, tam Græci scriptores quàm Latini, tanquam epistolam sacræ & indubitatæ authoritatis. Et quicumque texuerunt catalogum librorum canonicorum, hanc epistolam intexunt. Ut Innocentius primus, Gelasius primus, Athanasius, Augustinus, Isidorus: & Synodi tam particulares quàm vnuersales; Laodicæna, Carthagenensis 3. Florentina, Tridentina. Denique & hodie recipitur ab omnibus, etiam sectarijs; saltem plerisque: Licet à Lutherò & Anabaptistis, necnon à Centuriatoribus in dubium rursus fuerit vocata. Cur autem in Syriaco textu non habeatur; causam reddimus in prolegomenis 2. epistolæ B. Petri.

ARGUMENTVM EPISTOLÆ.

COnuenit argumentum huius epistolæ cum ijs quæ B. Petrus scribit in secunda epistola, præsertim cap. 2. & initio tertij. Nam quæ hîc scribuntur, ad eò cum illis similia sunt; ut huius author S. Iudas ea non solum legisse videatur, verùm etiam, partim contrahendo, partim extendendo, partim iisdem vocibus & sententijs utendo, imitatus fuisse. Quod igitur de illius epistolæ argumento dictum est, etiam ad hanc referendum. Scripta est enim, perinde ut illa, generaliter quidem propter exhortandos fideles ad fidei perseuerantiam & studium bonorum operum, aduersus eos qui fidem iactabant sine operibus (quod argumentum esse epistolis omnibus catholicis commune, docuimus in earum prolegomenis) specialiter autem, tam contra Nicolaitas, quorum mentio est in Apocalypsi, quàm contra sectam impurissimam Simonis magi, quæ (tametsi magistro iam extincto) canceris in morem latius serpebat, & propagabatur in noua germina. Quò pertinet, quod dicit eos *Dei gratiam transferre in luxuriam*; quodq; vocat *illufores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*. Scripsit autem Iudas, ut rectè censet Oecumenius, post mortem aliorum Apostolorum; Simoniacis iam liberè turpitudinem suam exercentibus. Nam Apostolorum, tanquam præcessorum qui vita iam excesserint, meminit versu 17. potissimum intelligens Petrum, Paulum, Iacobum. Nam Ioannes adhuc viuebat. His consentanea scribit Epiphanius in hæresi Gnosticorum, quorum in Simone exstitit origo. Nam post commemoratas illius sectæ monstrosas & infandas libidines, tandem infert: *Quare de his commotus Spiritus sanctus, in Apostolo Iuda ait: Quæcumque naturaliter tanquam muta ani-*

Z z z

malia

malia norunt, in his corrumpuntur. &c. Porro verisimile est ad eandem scriptam esse, ad quos scripsit B. Petrus, id est, ad eos præcipue qui ex circumcissione crediderant. Innuit hoc, cum dicit: *Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi; qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores.* &c. Hoc enim prædixit Petrus 2. ep. 2. quem ad Iudæos vtramque epistolam scripsisse, suis locis ostendimus. Id ipsum indicant illa verba, versu 5. *Commone-re autem vos volo, scientes semel omnia.* Nam id aptissimè Iudæis dicitur, à prima ætate imbutis cognitione historiæ sacræ.

EPISTOLA B. IVDÆ
APOSTOLI.

IVDAS IESU CHRISTI SERVVS. Ad eundem ferè modū Iacobus exorsus est, *Dei & Domini nostri Iesu Christi seruum* se nominans. Igitur vterque Iesu Christi seruum sese scribit, ratione muneris Apostolici, in quo pro Christo legatione fungentes fideliter ei seruiebant.

FRATER AVTEM IACOBI. Ab alijs qui eodem nomine vocabantur, sese discriminat, Iacobi fratrem sese nuncupans. Erat enim Iudæ nomen apud Iudæos frequens. Verū maximè sic se cognominat, quia Iacobus inter Apostolos Domini permagnæ erat autoritatis, præsertim apud Iudæos; ut liquet ex Actis Apostolorum cap. 12. 15. & 21. necnō ex historia passionis eius ab Hegesippo descripta, referente Eusebio lib. 2. historiæ cap. 22. Nam & Paulus Gal. 1. peculiariter eum appellat fratrem Domini: & cap. 2. numerat eū inter eos qui videbantur columnæ esse. Faciebat igitur nominis eius expressio ad conciliandā auctoritatem huic epistolæ, tāquam scriptæ à fratre tanti inter Apostolos viri. Quia in re etiā modestia cōmendanda est B. Iudæ, qui fratrem ut se maiorem honorauerit, ab eius nomine petita suæ epistolæ commendatione. Ex quo denique probabile fit, licet nonnulli dissentiant, fratrem fuisse Iacobi germanum.

HIS QUI SVNT IN DEO PATRE DILECTIS, ET CHRISTO IESU CONSERVATIS, ET VOCATIS. Græca sic perspicue reddi possunt: *Ijs qui in Deo Patre sanctificati sunt, & Iesu Christo seruati, vocatis.* Ut ordo sit: *Vocatis*, nempe *ijs qui in Deo patre sanctificati sunt, & Iesu Christo seruati*: subaudi, scribit hanc epistolam. Nam *vocatis*, Græcè καλησθεις, nomen est non participium; ac si dicas, *vocati*. Quod cum non aduerteretur; adiecit aliquis copulam &, tanquā deesset: cum ea sensum adeo non explicet, ut magis obscuret. Est enim sensus, scribi hanc epistolam *vocatis*, id est, fidelibus, qui nimirū in Deo patre, tāquā omnis sanctitatis authore & principio, sanctificati sunt; & à Iesu Christo, qui eos redemit ab eodē Deo Patre, seruati & custoditi; ne à deceptoribus seducti

pereant: ipso filio testificante, Ioan. 6. *Hæc est voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Et cap. 10. loquente de ouibus suis: *Nemo rapiet de manu Patris mei.* Vnde & Patri gratias agens, Ioan. 17. dicit: *Quos dedisti mihi custodiri: & nemo ex eis perijt.* Scribit enim hæc Iudas tanquam electis, quæ admodū & Petrus in prima epistola, *Electis aduenis* &c. Quāvis enim inter eos quibus scripserunt Apostoli suas epistolas, essent quidā non electi: tamen non scribebāt nisi propter electos; propter quos omnia se sustinere profiteretur Paulus 2. Tim. 2. Dicit autem, *sanctificatis*; ut huius beneficii mentione reuocet eos ac deterreat ab immundicijs scholæ Simonianæ. Notandū in quibusdā Græcis codicibus pro *ἡγιασμένοις, sanctificatis*, legi *ἡγαπημένοις dilectis*; quo modo legisse videtur noster interpres, atque etiā legit Oecumenius. Verū altera lectio, quam exposui, videtur esse sincerior, utpote scribentis instituto magis accommodata. Quod verò quidā annotat, enallagē esse præpositionis *ἐν* pro *ἐν*, in Deo Patre, id est, *à Deo Patre sanctificatis*; non multū habet momenti: quum potius ad Hebraïsmum referenda sit huiusmodi locutio.

MISERICORDIA VOBIS ET PAX ET CHARITAS ADIMPLEATUR. Sancta & verè apostolica salutatio. *Adimpleatur*, Græcè πληθυνθῆναι, multiplicetur. Quod idem verbū legitur apud Petrū in vtraque epistola: licet in secūda verterit interpres, ut hoc loco, *adimpleatur*. Vnde nonnulli suspicantur eum in Græco legisse πληθυνθῆναι: sed nullis suffragatibus exemplaribus. Ex hac epistola & duabus Petri, discimus quomodo supplēde salutationes Paulinæ, in quibus verbū non exprimitur. *Misericordie* nomen hoc loco videtur idem valere quod apud Paulū & Petrū in salutationibus nomen *gratiæ*: quæ propterea rectè vocatur misericordia, quia miseris & indignis datur, quales omnes sumus ex Adā geniti. De *gratia* & *pax* vide quæ diximus ad similem salutationem 1. Petri 1. & Rom. 1. His duabus tertiā addit *charitatē*, quæ misericordiæ effectus est & causa pacis; siue charitatem intelligas qua Deus à nobis diligitur, siue qua diligit homi-

nes se

nes se mutuo. Nā hæc, pacem inter homines; illa pacem nobis cum Deo conciliat.

Non absurdè quidā in his tribus, misericordia, pacē & charitate, Trinitatis mysteriū intimari existimant: ut *miseri-cordia*, Patri, qui Pater misericordiarū appellatur. 2. Cor. 1. *Pax* Filio; *ipse enim est pax nostra*. Eph. 2. *Charitas* Spiritui sancto, per quem *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* &c. Rom. 5. per quandam appropriationem tribuatur.

3. CHARISSIMI, OMNEM SOLICITVDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS DE COMMUNI VESTRA SALVTE, NECESSE HABVI SCRIBERE VOBIS. *Solicitudinem*, Græcè σπουδήν, studium, diligentiam. Hoc exordio causā exponit, qua ad scribendū fuerit impulsus. Ea est respectus & cura communis salutis. Nam in Græco *vestra* non additur. Significat autem, salutem de qua, vel pro qua conseruanda ac promovēda scripturus est, sibi cū illis, adeoq; omnibus electis, esse cōmunem: quomodo disertè *communem hanc salutem* interpretatur Beda.

Potest hic locus, ut annotat Erasmus, bifariam accipi: Vel hoc sensu, Non solum mihi fuit summum studium scribendi ad vos de communi salute, verū etiam necessitas scribendi fuit; nempe propter ea quæ sequuntur. Vel sic: Cū esset mihi mirum studium scribendi vobis de communi salute; non potui non obsequi huic meo studio & desiderio. Posteriorem hunc sensum amplectitur Erasmus in sua translatione, dum paraphrasticè vertit hoc modo: *Dilecti, tantum mihi studium fuit scribendū ad vos de communi salute, ut non potuerim non scribere vobis.* Verū re propius inspecta, videbitur prior sensus esse potior: quem & Salsboldus antepōnit: ut duo sint membra distincta; per se vehementer esse propensum ad scribendum, ac necessitate etiam ad id compelli. Sic enim & Paulus loquitur, Philip. 3. *Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.*

DEPRECANS SVPERCERTARI SEMEL TRADITÆ SANCTIS FIDEI. *Deprecans*, Græcè ὑποκαλεῖν, quod alij vertunt, *exhortans*. Et *supercertari*, Græcè ἐπιμαρτυρεῖν, quod melius actiue transfertur, *supercertare*: quomodo legitur in quibusdam manuscriptis; nisi forte (quod F. Lucas suspicatur) verbo *supercertari*, vsus est interpres ut deponente, quemadmodum vsurpantur aliquoties *certari* & *decertari*, ab eo qui vertit Sapientiæ & Ecclesiastici libros; ut Sap. 15. & Ecclesiastici 4. 11. & 38. Cū autem his verbis Apostolus finem consilij sui noter, qui idem est status epistolæ: debet oratio resoluti in hunc sensum; Ut vos adhorter ad certandum ac depugnandum pro fide semel sanctis, id est, ecclesiæ, tradita. Nam ecclesiam (quam sanctam in simbolo profiteremur) sanctorum appellatione designat.

Obserua quod ait, *semel tradita*. Nam præter hoc quod dicit *tradita*, non scriptæ; pri-

mum indicat fidem semel ab Apostolis acceptam, nullo postea tempore mutandam esse: quod faciebant Simoniani primi hæretici: sed perpetuò mordicōsq; retinendam, ac pro ea fortiter decertandum. Deinde, subindicat id quod Patres docent, fidei nihil addi posse; quia nimirum tota semel tradita sit: instar depositi, quod ita seruandum datur, ut nec addi quicquam ei nec auferri debeat. Hinc illud Pauli ad dilectum discipulum, *Depositum custodi.* 1. Tim. 6. & 2. Tim. 1. Quare nec vlle reuelationes quæ fidei addat aliquid, expectanda sunt aut recipiendæ: sed tantum tenenda & explicanda quæ semel sunt tradita. quod fit etiā per cōciliorum decreta contra nouas insurgentes hæreses.

4. SVBINTROIERVNT ENIM QVIDAM HOMINES (QUI OLIM PRÆSCRIPTI SVNT IN HOC IVDICIUM) IMPII. Hac narratione iam declarat necessitatem, de qua supra, quæ ipsum ad scribendum impulserit. *Subintroierunt*, Græcè παρεῖσθαι. Qua voce significatur latens & furtius ingressus. Vnde quidam vertunt, *obiter subierunt*. Alij, *subreperunt*. Id autem hæreticorum est, obliquis vijs ac modis insinuare sese ijs quos fallere volunt; ac sub vestimentis ouium tegere lupos rapaces. Matth. 7. Simili vocabulo Petrus vsus est 2. epist. 2. de iisdem loquens de quibus Iudas: *Qui subintroducunt sectas perditionis*; ut in Græco est. Paulus quoque duas eiusmodi voces in eadem oratione coniunxit Galat. 2. *Propter subintroduetos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram.* Porro textus sic ordinandus est: *Subintroierunt enim quidam homines impij.* Nam cætera parenthesi secludenda sunt: *qui olim præscripti &c.* *Præscripti*, Græcè προεγραμμένοι, id est, prius, vel ante, scripti. Quod verbum etiam apud Paulum est Roman. 15. *Quæcumque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt.* Et Galat. 3. *Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est.* Dicuntur ergo *præscripti*, de quibus agit Iudas, quod de ijs aliquid prædictum sit in Scripturis, utique veteris testamenti. Nam quod quidam existimant Iudam significare quod Petrus & Paulus de ijs scripserint, minus probabile est; propter additum aduerbium *olim*, πάλαι, quo significari solet in Scripturis tempus antiquum: præsertim quum & Petrus eadem voce vtatur loco memorato & in sententia simili: *Quibus, inquit, iudicium iam olim non cessat*: Ex quo colligitur, loci præsentis hunc esse sensum: De quibus olim in Scripturis sacris prænunciatum est, quod deuenturi essent in hoc iudicium, id est, damnationem, de qua statim locutus sum. Nam punitiones impiorum quæ leguntur in Scriptura veteris testamenti, quarum exempla mox commemorat, figuræ fuerunt æternæ damnationis, quæ præparata est hæreticis & omnibus euangelij

contemporibus. Potest etiam, quia dicit, *hoc iudicium*, tanquam præfens; intelligi iusta derelictio, qua propter peccata præcedētia permissi fuerunt pati naufragium fidei, & varijs errorum fluctibus abripi, ita ut etiam fierent errorum magistri: tādē iudicium illud grauissimum æternæ damnationis subituri. Nam Deus iudicium suum circa reprobos exercet non tantum in futuro seculo, sed etiam in præsentī: licet in futuro seculo (quod est tempus retributionis) exerceat multo manifestius atque seuerius. Ad iudicium præsentis seculi pertinet illud Pauli, de quibusdam; *quod bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragauerunt*. 1. Tim. 1. Et quod 2. Thessal. 2. dicit de ijs *qui charitatem veritatis non receperunt, ut salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut indicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*. Ceterum istorum de quibus nunc sagitur, impietatem exponit & probat Iudas verbis sequentibus.

DEI NOSTRI GRATIAM TRANSFERENTES IN LUXURIAM. Græcè, ἀσέλγειαν, lasciuiam. Et sensus est: Qui euangelium gratiæ Dei nostri per Christum, quo nimirum annunciata nobis est libertas à lege, peccatis, & diabolo; vertunt in occasionem omnis lasciuix & carnalium voluptatum: tanquam libertas euangelica sit licentia quicquid libitum est, agendi. Quales erant, Apostolorum temporibus exorti, Simoniani & Nicolaitæ; & paulò post exorturi Gnostici. De quorum omnium infrēni lasciuia multa apud Epiphanium. Tales sunt & hodie qui prætextu libertatis Christianæ, legibus ecclesiæ sese quantum in ipsis est, eximunt, easque cōtemnunt, quo licentius carni seruiant. Aduersus quam pestem Petrus & Paulus sollicitè suis præceptis fideles munierunt. Petrus 1. ep. 2. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malicia, libertatem*. Paulus Gal. 5. *Vos in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*. Quod pertinet & illud 2. Petri 2. *Libertatem illis promittentes, cū ipsi sint serui corruptionis*.

ET SOLVM DOMINATOREM, ET DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM NEGANTES. Græca sic habent: *Et solum herum, Deum; & Dominum nostrum* & cetera. Erasmus explicatè vertit hoc modo: *Et Deum, qui solus est herus, ac Dominum nostrum Iesum* & cetera. ut prior pars referenda videatur ad Deum Patrem, qui solus est θεοπάτωρ, id est, herus totius mundi, tanquam magnæ domus seu familie, quam despotico iure gubernat. Nam huiusmodi Dominum significat θεοπάτωρ. Et sic vitur ea voce Paulus 2. Tim. 2. vbi cū dixisset in magna domo diuersi generis esse vasa; subiicit: *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & utile Domino*. εὐχρηστον τῷ θεοπάτωρ. Nec tamen hîc excluditur Filius, cuius est eadem cum Patre natura. Ceterum posterior pars Filio

propria est, ut homini: secundum quam naturam ipse solus (non Pater, non Spiritus sanctus) sanguine suo nos redemit. Sic enim Petrus exponit 2. epist. 2. *Et enim qui emittit eos Dominum negant*. Sunt qui vtrumque membrum intelligunt de Christo: propterea quod Petrus in loco iam dicto de solo Christo loquatur. Verum nihil verat Iudas plus aliquid hîc dixisse quàm Petrum: ut & in alijs quibusdam sententijs.

Quæritur autem quomodo dicat eos Deum & Christum eius negasse. Multi interpretantur negasse, si non verbo, factis tamen: quemadmodum illi de quibus Paulus Tit. 1. *Constitentur se nosse Deum; factis autem negant*. Sed hic commentarius Sasboldo nimis generalis est, ut potè communis omnibus malis Christianis. Hæc autem propriè dicuntur in scholam Simonis, alioque eiusdem generis hæreticos, *qui Dei gratiam transferebant in luxuriam*. Et constat ex Irenæo, Epiphanio & alijs qui de hæresibus scripserunt, Simonianos ac ceteros illius primi temporis, multa fabulosa de Deo confinxisse, plures pro vno Deo mundi gubernatores introducentes: quod erat *vanum dominatorem Deum negare*. Iesum quoque dicebant nec verè natum esse, nec passum, nec resurrexisse: Denique nec ipsum esse Christum, nisi patronymicè, denominatione ducta à supremo Christo inuisibili & incorporeo: quod erat *Dominum nostrum Iesum Christum negare*. Qui commentarius valde probabilis est.

COMMONERE AVTEM VOS VOLO, SCIEN- TES SEMEL OMNIA. Græcè, *scientes vos semel hoc*. Et sensus est: Volo autem vos commonefacere & in memoriam vobis reuocare illud quod sequitur; quamuis hoc ipsum nō ignoretis, sed *semel*, id est, iam dudum legendo Scripturas, satis exactè didiceritis atque noueritis. Non dissimiliter Petrus loquitur 2. ep. 1. *Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes, & confirmatos vos in præsentī veritate*. Vnde nostra versio habeat, *omnia*, non liquet: nisi fortè pro ἀπαντα quidam codices habuerint ἀπαντα: ac deinde in Latinos codices vtrumque vocabulum irrepsit; *semel omnia*. Quo modo si legas; sensus erit: *omnia* de quibus volo vos commonere.

QUONIAM IESVS POPVLVM DE TERRA ÆGYPTI SALVANS, SECVNDO EOS QUI NON CREDIDERVNT, PERDIDIT. Tria commemorat ex antiquitate exempla vindictæ diuinæ in homines incredulos, superbos & lasciuia corruptos: ut ostendat non euasuros seuerum Dei iudicium eiusmodi exemplis præfiguratum (nam *omnia in figura contingebant illis* antiquis 1. Cor. 10.) eos qui falsa, impia, & impura sua doctrina fidelium animos peruertunt. Et in hoc Petrum Iudas imitatur: apud quem etiam tria sunt exempla; duo quidem eadem cum istis, tertium

autem

autem diuersum, quod est de diluio; cuius loco Iudas adfert exemplum hoc primum de perditis ob incredulitatem Israëlitis. In Græco non *Iesus*, sed *Dominus* legitur. Sed non temerè est quod Latini codices omnes habent *Iesus*; quemadmodum & legit Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. cap. 12. Quanquam & *Dominus* est *Iesus*, more Scripturæ noui testamenti. *Saluans*, Græcè σωσας, cū saluasset. Vos, inquit, commonefacio, quod Iesus posteaquam populum Israëliticum ex Ægypto liberauerat & saluum eduxerat, deinde eos qui Deo fuerunt increduli, perdidit. Historia prioris partis est Exod. 12. 13. & 14. posterioris, Num. 14. & 26. vbi Moyses refert omnes quotquot numerati fuerant à viginti annis & supra, exceptis Caleb & Iosue, propter inobedientiam & murmuraciones aduersus Dominum, consumptos fuisse in deserto. Quod respicit & Paulus 1. Corinth. 10. dicens: *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto*. Causam verò punitionis eandem quam Iudas expressit Paulus Heb. 3. Vbi de iisdem quorum *cadavera prostrata sunt in deserto*, differens; ita concludit: *Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius, propter incredulitatem*.

Iam quæritur quomodo Iesus hæc fecisse dicatur, qui nondum natus erat. Hieronymus loco memorato dictum hoc putat de *Iesu filio Naue*, post Moysen ductore populi Israëliti. Sic enim vocatur apud LXX. qui nobis ex Hebræo *Iosue filius Nun* appellatur. Sed hunc intelligi non posse, patet ex ipsis Apostoli verbis. Non enim Iosue populum ex Ægypto liberauit, sed Moyses, seu potius per Moysen Dominus Deus. Neque Iosue perdidit incredulos: sed Moysè adhuc principante Deus incredulitatem populi sic vitus est, ut eorum nemo terram promissionis intraret, sed omnes morerentur in deserto. Multo què minus id quod sequitur, in Iosue competit; nempe quod *angelos apostatas in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit*. Restat igitur ut secundum Latinos interpretes & Didymum Græcum, de Iesu Christo Domino nostro hæc dicta accipiantur; qui quidem hæc omnia fecit, non ut homo, sed ut Deus, Dei filius, representatus autem per angelum, qui populum Israëliticum ex Ægypto per mare rubrum duxit in desertum, ac tandem introduxit in terram promissam. Per quem etiam Deus exercuit punitionem incredulorum. In quibus omnibus, angelus ille Christi Domini sui personam ac typum gessit. Qua de re diximus in commentario 1. Cor. 10. ad illa verba; *Neque tentemus Christum; sicut quidam eorum tentauerunt*. De angelo populum è terra Ægypti ducente & saluante, locus est Exod. 14. vbi sic legitur: *Tollensq; se angelus Domini qui præ-*

cedebat castra Israel, abiit post eos; (& cum eo pariter columna nubis) priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum, & castra Israel. & cetera. Hunc autem gessisse personam Domini, significat id quod postea dicitur: *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, & ferebantur in profundum*. Hæc enim faciebat Dominus per angelum *Saluatorem*. Quæ saluatio non tantum consistebat in eo quod populum educeret ex Ægypto: sed & in eo quod aduersarios perderet. Vnde & ad eundem angelum pertinebat primogenitorum Ægypti interfectio. Nam *Saluatores* vocabantur qui expugnando & occidendo hostes, populum liberabant è captiuitate, seruitute, & periculis: quales Iosue, Othoniel, Gedeon, Iepthæ, Samson, Samuel, & in 4. Regum 13. Ioas rex Israël. Porro de eodem angelo, vindice eorum qui non crediderant, locus apertus est Exod. 23. *Ecce ego mittam, ait Dominus, angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum quem præparauit. Obserua eum, & audi vocem eius; nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris*. Et ut intelligas in eo personam Domini; proximè subiungit, *Et est nomen meum in illo*, id est, nomine meo vocatur. Spectat eodem quod Paulus eum vocat *exterminatorem* 1. Corinth. 10. Quo nomine etiam designatur Iudith 8. & Sap. 18. Vide quæ ad eum Pauli locum à nobis dicta sunt. Per hæc autem destruitur hæresis Ebionitarum & Photinianorum, negantium Christum fuisse ante Mariam: Imò & Arianorum, qui Christo veram deitatem ademerunt. Porro bat enim angelus ille nomen Domini tetragrammaton. Exod. 3. 20. & alibi. Nec minus destruitur vterque error per id quod sequitur.

ANGELOS VERO QUI NON SERVAVERVNT SVVM PRINCIPATVM. Græcè, *Angelosq; qui non seruauerunt* & cetera. Hoc exemplum etiam apud Petrum est ita scribentem: *Si enim angelis peccantibus* & cetera. Iudas autem peccatum ipsorum per effectus describit. Nam *angeli* peccando per superbiam, non seruauerunt suum principatum, id est, amiserunt angelicæ dignitatis honorem, sicut exponit Oecumenius: ut de ijs dici possit quod de homine, in psalmo 48. *Cum in honore essent, non intellexerunt*. Erasmus vertit, *originem*. Nam ἀρχὴ vtrumque significat, *principatum, & originem* seu principium. At sensus eodem redit: *Non seruauerunt suam originem*; id est, exciderunt ac priuarunt se dignitate & facultate in qua fuerant creati; Donum illud gratuitum primæ conditionis non retinuerunt.

SED DERELIQUERUNT SVVM DOMICILIVM. Siue *habitationem*. Id est, peccando celestem habitationem, velut stationem honorabilem in qua collocati fuerant, deseruerunt. Nam erigentes se aduersus Deum per superbiam; neque naturę neque loci primarium honorem conseruare potuerunt.

IN IUDICIUM MAGNI DIEI, VINCVLIS ATERNIS, SVB CALIGINE RESERVAUIT. Gręce *ὑπὸ ζόφου τετήρηται. sub caligine seruauit.* Vtraque vox etiam apud B. Petrum legitur. *Magnum diem* vocat, quem alibi Scriptura *diem Domini*, & emphaticę, *illum diem*; id est, diem seu tempus magni & vniuersalis iudicij. Nam quod in quibusdam codicibus legitur *magni Dei*, mędosum esse constat. *Vincula aterna*, pro quibus Petrus dixit *catenas*; & interpretres, *rudentes*; metaphoricę significant Dei potentiam, qua, tãquam vinculis quibusdam aternis, id est, nunquã soluendis, eos cõstringit ac detinet, ne liberi ferantur quod volunt. Itaque sensus est; Dominus Iesus angelos defectores, simulatque peccarunt, e cęlo precipitatos, in locum caliginosum, id est, in infernum, detrusit; in quo velut quibusdam vinculis, ijsq; perpetuis, traditos & astrictos seruaui, ac seruat detimerque, dum sibi ad iudicium illud vniuersale exhibeantur, corã toto mundo sententiam suę condęnationis accepturi. Quidam nomine *caliginis* aërem caliginosum intelligunt; in quę velut in carcere deiecti sunt demones, & velut recõditi vsque ad illud iudicium. Ita Clemens Alexandrinus in cõmentariolo huius loci, & post eum Beda, glossa interlinealis, Liranus, Caietanus & Adamus. Sed quia B. Petrus *tartarum* vocat eũ locum in quem sunt detrusi; quod non aëris sed inferni nomen est: idcirco probabilius arbitramur infernum significari. Quamquam virumque verum est, & in infernum & in aëre hunc caliginosum, vt in carcere, deiectos esse: quęadmodum ostēdimus in illo ad locũ Petri cõmentario: ad quem pro huius loci pleniori intelligentia lectorem remitto.

SICVT SODOMA ET GOMORRHA, ET FINITIMÆ CIVITATES SIMILI MODO EXFORNICATÆ, ET ABEVNTES POST CARNEM ALTERAM. Tertium est exemplum, idem cũ eo quod apud Petrum tertium erat, de euerfione Sodomę & Gomorrhę, & *ciuitatum ijs finitimarũ*, siue, quod Gręca lectio sonat, *circumvicinarum*. Hę ciuitates erant Adama & Seboim; quas duas etiam Osee propheta nominat cap. 11. Omnium autem quatuor nomina repetũtur à Moysē Deut. 29. Nã quinta Segor, intercedente Loth seruata fuit; alioqui cum cęteris peritura. Genes. 19. Porro *ciuitates* vocat earum habitatores, id est, ciues, incolas; aut certę ciuitates cum habitatoribus. *Simili modo*. Gręce, *Simili cum illis modo*; nempe cum Sodomã & Gomorrhã. Significat enim Apostolus, ciuitates Sodomę & Gomorrhę vicinas similia cum illis flagitia commisisse; ideoque eidem pęnæ fuisse in-

uolutas. Ea flagitia denotat, dicens: *Exfornicata & abeuntis post carnem alteram*. Quidam *exfornicatas* interpretantur fornicatas, stupris inquinatas; compositum accipientes pro simplici. Verũm S. Iudas sine dubio plus aliquid significare voluit ea voce composita, ac parum vsitata: nempe fornicationem, quę fiat extra ac pręter modum naturę. De quo genere libidinis Sodomitas infamat scriptura Genesios. Et hoc est quod Apostolus, velut exponendo, subiungit: *Et abeuntis post carnem alteram*; siue, vt Erasmus alijque vertunt; *Et secuta carnem alienam*. Non enim *carnem alteram*, siue *alienam* dicit carnem quamlibet non suam, id est, non suę vxoris, quomodo nonnulli interpretantur; quasi peccatum adulterij hęc insinuetur: Nam de adulterio nihil expressę meminit Scriptura, ciuitatum illarum peccata recensens. Sed *carnem alteram* intelligit carnem masculam; quę altera vel aliena dicitur, quia quod ad generationem attinet, duo mares vna caro esse non possunt, sed tantũm mas & femina. Proinde caro mascula respectu masculę semper manet caro aliena. Sic exponunt Oecumenius & alij plerique: & eum sensum historia postulat. Nam & Simoniani atque Nicolaitę Gnosticorum parentes, huiusmodi portentosas atque infandas libidines exercuisse leguntur: quos hęc notare voluit Apostolus.

FACTÆ SVNT EXEMPLVM, IGNIS ATERNI POENAM SVSTINENTES. Gręce, *proposita sunt exemplum &c.*

Dubium est quod referendus sit genitiuus, *ignis aterni*; vtrum ad *exemplum*, an ad *pœnam*. Si ad *exemplum*; sensus erit; Ciuitates illę sustinentes pœnam in Genesi descriptam, scilicet ignis & sulfuris, *proposita sunt in exemplum ignis aterni*, id est, punitionis impiorum in igne aeterno. Nam illarum ciuitatum tam horribilis pœna, fuit insignis quędam figura gehennę. Si referatur ad *pœnam*, significabitur illas ciuitates in eo quod *sustinent pœnam ignis aterni*, propositas esse peccatoribus in exemplum. Cui sensui fauere fortasse videatur participium presentis temporis *ὑποχρῶσαι*, *sustinentes*. Sed hic sensus difficultatem habet. Nam quomodo ciuitates illę per hoc quod sustinent pœnam ignis aterni, sunt peccatoribus in exemplum propositę: cũ de pœna ignis aterni, Genesios historia non loquatur; exemplũ autem ab historia petatur? Vt omittam, quod exemplum sumi debeat à re nota: notum autē non erat peccatoribus aduersus quos hęc agitur, Sodomitas igne eterno cruciari. Quocirca Caietanus *ignem aeternum* interpretatur illarum ciuitatum incendium. Quam dicit vocari *pœnam ignis aterni*, quod sit irreparabilis & duratura vsque in finem mundi. Nam ea loca mare mortuum nunc occupat. Alij dicunt, incendium illud vocari *ignem aeternum* metonymicę, eo quod typus

fuerit

fuerit ignis eterni. Veruntamen prior sensus & constructio magis conuenit cum verbis Apostoli Petri, dicentis, quod Deus ciuitates illas *in cinerem redigens euerfione damnauit, exemplum eorum qui impię acturi sunt ponens*. Ex quo loco primũ constat, non pœnam ignis aterni, quam Sodomitę nunc sustinēt apud inferos; sed pœnam incendij & euerfionis temporalis, quã olim in hoc mundo passi sunt, impijs proponi in exemplum. Deinde (quod cõsequens est) *exemplum* intelligi ignis aterni, qui preparatus est impijs: idque non morale tantũm, sed & typicum, quemadmodum apud Petrum exposuimus.

SIMILITER ET HI CARNEM QVIDEM MACVLANT. Cohæret hæc pars cum versu superiore; quasi dicat: Sicut illi exfornicati sunt & post carnem alteram abierunt; *similiter & hi carnem maculant*: ac proinde sicut illi igne cęlitus emisso puniti sunt, similiter hi igne aeterno punientur: quandoquidem ignis ille exemplum & figura fuit ignis aterni. Porro Gręca sic habent: *Similiter sanę & hi somniantes (siue, deiusi in somnijs) carnem quidem polluant*. Gręcam vocem *ἐννομιῶν* *ὑποχρῶσαι*, *somniantes*, legunt etiam & exponunt Clemens Alexandrinus & Oecumenius in cõmentarijs; ac rursus idem Clemens lib. 3. Stromatum, & Epiphanius in hæresi Gnosticorum. *Somniantes* autem intellige non proprię, quod omnibus commune est & naturale; sed metaphoricę. Quam tamen metaphoram alij aliter explicant. Oecumenius interpretatur de coitu quodam incompleto cum mulieribus, eoque non nominando, Borboritarum; quem refert ex Epiphaniõ. Quod impurum facinus propter imperfectionem dicit appellari in somnijs: quemadmodum imperfecta sunt quę in somnijs aguntur. Ipse verõ Epiphanius hæc in somnia refert ad fabulosam Gnosticorũ nugacitatē: vt *somniantes* dicatur, id est, delirantes, errantes, & dicentes quę non sciunt. Pro quo sensu adducit quod hęc paulõ post de seductoribus istis dicitur: *Quęcũque ignorat, blasphemat*. At verõ Clemens *somniantes* interpretatur eos qui *somniant in imaginatione sua libidines & reprobas cupiditates*. tãquam dicat apostolus; Nõ aliud somniant quã spurcas libidines: Toti sunt in illis. Pro quo Petrus; *Voluptatem existimantes diei delicias*. ac rursus, *Oculos habentes plenos adulterij & incesfabilis delicti*. Ex qua collatione, apparet hunc esse verũ sensum quę attulimus ex Clemēte. Quamquã putat Gaignęus apostolũ alludere ad illusiones & pollutiones nocturnas; quia addit, *carnem maculant*. Hoc autem non vno modo faciebāt seductores illi qui gratiã Dei transferebant in luxuriam; sed varię: prout varios excogitabant libidinum modos.

DOMINATIONEM AVTEM SPERNVNT. Hoc non comprehenditur sub aduerbio *similiter*, sed adiungitur vt diuersum: ac si dicat, Nec illud tantũ faciunt quod Sodomitę; sed præterea *dominationem spernunt*; &c. Expo-

sita est hæc pars in epistola B. Petri, vbi dicitur: *Dominationemq; contempserunt*. Quamuis enim alij de magistratu politico exponant, quod voluit Erasmus, dum vertit hoc loco, *Domini*, plurali numero; alij, de dominio Christi redemptoris: eum tamen sensum vtriusque Apostoli scopo magis conuenire diximus, secundum quem intelligitur vniuersalis *dominatio* Dei qua mundum instituit & gubernat. Nam propius respõdet hic sensus ad dogmata hæreticorum apostolici tēporis: vt qui dominationem illam Dei supremam & vniuersalem cõmenticijs suis fabulis in contemptum adducerent, & quantum in ipsis erat, abrogarent.

MAIESTATEM AVTEM BLASPHEMANT. *Maiestatem*, Gręce plurali numero *δοξας*, *glorias, maiestates, dignitates*, vt quidam vertunt. Hęc pars in epistola B. Petri, iuxta Gręcam veritatem ita legitur: *Glorias non vacuũ blasphemare*. Quas vtrõque Scriptura vocet *glorias*, explicare conati sumus in illius loci cõmentario; & ostendimus eos probabiliter sentire qui *glorias* interpretantur cęlestes virtutes, id est angelos Dei ministros: de quibus, ad eorum iniuriã & contumeliã, multa absurda & indigna veteres hæretici confinxerũt: vt inter alios refert Theodoritus lib. 1. fabularum hæreticarum. Et quidē hæc aperta sententia est Clemētis Alexandrini in hęc locũ, per *maiestates* angelos significari. Vocatur autem angeli *maiestates* seu *gloria*; vel propter gloriã supernę beatitudinis qua fruuntur, vel quia sunt à Deo constituti principes regnõũ & ecclesiarum; quod illis honorificum est & gloriosum. Non parũ sanę confirmat hæc expositionem pars sequens de Michael archangelo nolente cõiciari diabolo: necnõ quod deinceps sequitur, *Hi autē quęcũque quidem ignorat, blasphemat*: vt ex cõmentario patebit.

CVM MICHAEL ARCHANGELVS CVM DIABOLO DISPVANS ALTERCARETVR DE MOYSI CORPORE. Enormem audaciam & improbitatē eorũ qui glorias blasphemabāt, arguit ex cõparatione eius quod fecit Michael archangelus. Est enim aduersarius sermo in Gręco *ὁ δὲ Μιχαήλ, Michael autē*; vel, *Atqui Michael archangelus, quũ aduersus diabolum certans siue altercans disputaret*. Sic enim ex Gręco transponenda videntur verba Latina quę interpretes reddidit: vt ostēdimus ad illud Rom. 14. *Non in disceptationibus cogitationum*.

Quæritur vnde B. Iudas istam historię Michaelis cũ diabolo disputantis acceperit. Multi deprõptã putant ex libro quopiã apocrypho: velut illo, cui titulus, *Assumptio Moysi*; vel iuxta alios, *Ascensio Moysi*. Quod si ita est: non idcirco perichitatur auctoritas huius epistolę. Nã vt in hæreticorum libris nõ omnia falsa sũt; ita nec in apocryphis. Apostolus autē spiritu diuino præditus haud dubiẽ discernere potuit inter eiusdẽ libri vera & falsa: quemadmodũ & Paulus discreuit; qui tribus locis adfert ex poëtis ethnicis testimonia; vt Act. 17.

1. Cor.

1. Cor. 15. & ad Tit. 1. Quamquam fortasse probabilius est, ludam hæc habuisse ex traditione maiorum non scripta: sicut & Paulus nomina magorum Pharaonis, 2. Tim. 3. Nisi quis dicat, ea quæ hic commemorantur, scripto tradita fuisse, nec apocrypho nec sacro; sed quod fidem tamen mereretur humanam: ut sunt multa alia ab hominibus scripta, quæ et si non sint autoritatis diuinæ, non tamen ut apocrypha rejiciuntur.

Iterum quaeritur, Quam aut qualis fuerit hæc altercatio seu disputatio Michaelis cum diabolo super Moyſi corpore. Respondeo colligendū id esse ex ijs quæ de morte & sepultura Moyſi scribuntur Deut. vlt. Vbi cū dixisset scriptura mortuum esse Moyſen seruū Domini iubente Domino; subiunxit: *Et sepeluit eum (vtrique Dominus) in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo sepulchrum eius usque in hodie. Quod enim dicitur Dominus Moyſen sepeluisse, factū intellige (quod præſens locus indicat) ministerio Michaelis archægeli; qui ductor erat populi per desertū, & introductor in terram promissam; qui quæ toties Domini personā repræſentans, cum Moyſe collocutus fuerat facie ad faciem, sicut soles loqui homo ad amicum suum, ut dicitur Exod. 33. Ut proinde officium sepulturæ, Moyſi, tanquā amico suo, videri possit exhibuisse. Sicut autē sepeliuit, ut hominibus in cognitum maneret eius sepulchrū. Cuius facti rationem hanc reddunt interpretes, eamque meo iudicio verissimam, ne populus Israëliticus, qui ad idololatriā valde propensus erat, corpori Moyſi, tanti prophetæ, tam clari signis & prodigijs, & per quem tanta beneficia acceperat, diuinos honores impenderet. Hoc quippe diaboli studium erat, obstrepentis occultationi sepulchri, & ex aduerso contēderis (quasi qui pro honore Moyſi sollicitus esset) tāti viri sepulchrū celebre apud homines ac venerabile esse debere. Hac igitur de re inter Archangelum Michaelē & diabolū altercatio fuit. Ex qua, simul & ex utroque loco tam Deuteronomij, quā huius apostoli, planē eueritur opinio quorundā veterū minus eruditorū, qui apocrypha quædā secuti negarūt Moyſen esse mortuū. Quos & Augustinus ex scriptura refellit lib. 26 cōtra Faustum cap. 3. & super Ioannem tract. vltimo.*

Porro Michaelē apostolus archangelum vocat, id est, omnium angelorum principem: nō autem, ut nonnulli putant, vnum ex ordine archangelorum. Nam Michaelē inter omnes angelos esse supremum satis liquet, tum ex ijs quæ de eo scribuntur Apoc. 12. tum ex officio Ecclesiastico, in quo primas cælestis exercitus, atque angelicæ militiæ princeps appellatur. Et nos eam sententiam pluribus argumentis comprobauimus, in 2. sent. dist. 10. Vide etiam quæ diximus ad illud 1. Theſſ. 4. In voce archangeli.

NON EST AVSUS IUDICIUM INFERRE BLASPHEMIÆ. Conferendus est hic locus cū

eo qui est apud Petrum 2. ep. 2. ita scribentē: *Vbi angeli fortitudine ac virtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium.* Inde enim intelligitur eadem esse hæc duo, portare iudicium execrabile, & inferre iudicium blasphemie, siue iudicium blasphemum ac maledicum, id est, ut illo loco exposuimus, execrari, maledictum impingere, verba maledica ingerere. Quæ maledictio iudicium vocatur; quia qui maledicit alteri, hoc ipso iudicat eum & condemnat: siue conuicium dicat, siue mali aliquid imprectur.

Quod ait: *Non est ausus*: sensus est, Michaelē archangelum in illa contēione cum diabolo abstinuisse à maledictis ei inferēdis; id est, noluisse ei maledicere, cū id iure posset. Ac si dicat Apostolus, Illa traditio, siue scripta siue non scripta, ad quam respicio; non inducit Michaelē in illa altercatione maledicentem diabolo. Si quaeras cur id facere noluerit, cū homines exorcistæ diabolo maledicere non vereantur: Respondemus, ideo noluisse, cū posset; ut nobis, ad quorum doctrinam talia scripta vel tradita sunt, exemplum daretur modestiæ; ne faciles essemus ad maledicendum cuiquam. Quarta ratione etiam in Apocalypsi cap. 19. & 22. angelus non se permittit à Ioanne adorari, id est, procubitu corporis honorari; quo tamen honore dignus erat: scilicet ut nos homines, quibus honorari per sepe periculosum est, humilitatem & honorum fugam suo exemplo doceret.

SED DIXIT; IMPERET TIBI DOMINVS. Græcè: *Incepit te Dominus.* Quod & in nonnullis est manuscriptis Latinis. Verisimile est interpretem, Græco casu retento, vertisse: *Incepit tibi Dominus.* Sic enim & Hieronymus citat in apologia aduersus Rufinum. Quod cū solæcum videretur; mutatum ab aliquo fuisse verbum *incepit* in *imperet*. Vtrumvis autem legas: sensus conuenit; estque huiusmodi: Deus te coërceat, & conatum tuum prohibeat. Hoc autem non erat maledicere; sed tantūm imprecari à Deo mali conatus impedimentum. Simile quid habetur Zachar. 3. *Domini*, id est, angelum Domini, dixisse ad Satan: *Incepit Dominus in te Satan: & incepit Dominus in te.* Vbi pro Satan diabolum transferunt interpretes LXX. Porro argumentum huius loci tale est. Si Michael angelorum princeps noluit maledicere diabolo, quamuis pessimo, & æternis supplicijs addicto, ac omnium maledictione dignissimo; sed modestissimè ei restitit, tantūm vtens his verbis, *Incepit te Deus*: quæ igitur audacia & superbia est, homines terrenæ fragilitæque naturæ, conuicij incesse spiritus illos Angelicos qui sunt in cælestibus, & tantū sunt apud Deum, ut gloria seu maiestates appellentur?

HI

10

HI AVTEM QUÆCUNQUE QUIDEM IGNORANT, BLASPHEMANT. *Quæcunque*, Græcè, *ἄλογα*, quod in hac & sequenti parte, simplici relatiuo quæ, reddunt alij interpretes: ut sermo sit indefinitus, non vniuersalis. Neutra enim parte sensum vniuersalē S. Iudas intendit: ut nec B. Petrus; apud quem totus hic versus ita legitur: *Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captiōem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt.* Repetit autem Apostolus hac priori parte, verbis generalibus, id quod dixerat; *maiestatem autem blasphemant.* Estque hæc connexio; Michael archangelus non fuit ausus maledicere diabolo: At isti nequam hominiones, passim ea quæ non nouerunt, maledictis infectantur, etiam maiestates, longè supra ipsos positas. Vide quæ diximus in expositione Petri.

Est ea sanè hæreticorum indoles, ea quæ non nouerunt nec intelligunt, mordere & blasphemare. Quod olim Manichæi fecerūt de veteri testamento; & Ariani de mysterio Trinitatis: & hodie sectarij de sacramentis Christi, & cærimonijs ecclesiæ; quum è diuerso veri Christiani, si quid in sacris libris ac fidei catholice mysterijs non intelligunt, humiliter ut cetera venerentur; intelligentiam expectantes ab eo qui dat homini scientiam; dicentes ei cum Psalmita: *Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.* Cuius modestiæ specimen est in Dionysio Alexandrino, qui referente Eusebio libro 7. hist. eccles. cap. 20. professus Apocalypsim Ioannis se non intelligere, quod in ea res altiores diuinioreſque scriberentur, quæ quas ipse mente comprehendere posset: attamen inquit, *non eas improbo quas non intelligo; sed ideo potius admiror quod mentis acie instrare non queo.*

QUÆCUNQUE AVTEM NATURALITER, TANQUAM MUTA ANIMALIA NORVNT, IN HIS CORRUMPVNTVR. *Muta*, Græcè, *ἄλογα*, irrationalia, ut in epistola Petri. Repetit & explicat quod antè dixerat: *Carnem quidem maculant.* Quæ verò, inquit, naturaliter solis sensibus, ac si essent animalia rationis expertia, cognoscunt, ut ea maximè quæ gustu, tactuque percipiunt; in ijs per comestationes & ebrietates, & varias libidines corrumpuntur, ea nimirum corruptione, qua dignitas humanæ conditionis in corpore deonestatur ac læditur. quod vtrique facere solent peccata carnalia. *Naturaliter*, opponitur rationi & iudicio, quo bestie carent; quibus proinde similes sunt homines, quando brutales sensuum motus freno rationis non cohibent aut moderantur. Exponit hunc locum Epiphanius in hæresi Gnosticorum.

II

VÆ ILLIS QUI IN VIA CAIN ABIERVNT. Rursus interitum illis seductoris denunciat, adductis ex antiquitate exemplis eorum, quorum mores imitantur, Cain & Balaam & Core; qui omnes malè perierūt. Hæc

pars in quibusdā vetustis exemplaribus ita legitur: *Væ illis quia via Cain abierunt.* Græcis conformiter, quæ sic habent: *Væ eis quia via Cain ierunt, seu, ingressi sunt.* Sed & veteres concordantiæ quia legunt: ut & textus apud Clementem Alexandrinum. Est autem Hebraismus multiplex in his verbis; quemadmodum benè declarat Adamus. *Væ illis*, denunciatio est pænæ commeritæ; quasi dicat: Digni sunt qui audiant, *He maledicti in ignem æternum.* Quia *viam Cain ingressi sunt*, id est, vitam, mores & exemplum eius sequuntur. Nam sicut Cain inuidit fratri, & ex inuidia eum interfecit: ita & isti fraternitatem oderunt ac deserunt, & venenosis atque perniciosis suis doctrinis animas fratrum occidūt. Adfert huc & alium sensum Oecumenius, sed minus probabilem.

ET ERRORE BALAAAM MERCEDE EFFVSI SVNT. *Mercede* Græcè *μισθός*, mercedis; quomodo verisimile est interpretem vertisse: cumque non intelligeretur, mutatum fuisse in alium casum. Nam ordo verborum est: *Et effusi sunt errore seu deceptione mercedis Balaam.* Id est, auaricia decepti, exemplo Balaam, qui mercede conductus voluit maledicere populo Dei, sese effundunt in omne facinus. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* 1. Tim. 6. & *Auaro nihil est scelestius.* Ecclesiastici 10. Nota est Simonis, cuius hinc schola taxatur, auaricia, qui Spiritum sanctum emere voluit ut venderet: ideoque audiuit à Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. Error itaque mercedis Balaam, deceptio est ex mercede sperata; quæ & ipsum Balaam decepit, eumque impulit in pessimam voluntatem. Hoc de Balaam exemplum etiam Petrus adduxit.

ET IN CONTRADICTIONE CORE PERIERVNT. Græcè sine præpositione, *Et contradictione Core perierunt.* Estque sensus: Ob imitationem contradictionis, id est, murmurationis ac seditionis aduersus Moyſen & Aaron excitata à Core, volente sacerdotium ad se suosque transferre; destinati sunt ad perditionem, eamque similem illius ac sociorum exitio. Ut enim illos ducentos & quinquaginta, quorum princeps erat Core, consumpsit ignis egressus à Domino; sic & istos murmurantes & querulosos (ut infra nominantur) & ambitionis studio factiosos, atque ut infra rursus dicitur, *segregantes semetipsos*, inuoluet ignis æternus.

Multi putant Core periisse hiatu terræ, quomodo perierunt Dathan & Abiron cum socijs suis ac familijs. Verum Scriptura Numerorum 16. vbi res gesta describitur, & Deut. 11. necnon psalmo 105. magis significat, solos Dathan & Abiron vna cum suis hiatu terræ fuisse absorptos: Core verò, vna cū suis Leuitis, sacerdotium vsarpantem atque incensum offerentem, in cædio periisse. Quod & sentit Iansenius super Ecclesiastici caput 45. Porro tribus exemplis iam adductis; tria

notare

notare voluit Apollolus hereticorum vicia: odium fratrum, auariciam, ambitionem.

12

HI SYNT IN EPVLIS SVIS MACVLÆ. Pergit describere mores corruptissimos illorum qui Dei gratiam transferebant in luxuriam. In epulis suis, Græcè ἐν ταῖς ἀγαπαις ὑμῶν, In charitatibus vestris; siue, vt legit Augustinus libro de fide & operibus cap. 25. In dilectionibus vestris. Quamquam & verti potest, In agapis vestris, Græca voce retenta: de qua diximus ad illum locum Petri huius similem: Delicij affluentes in conuiujs suis luxuriantes vobiscum. nempe significari per agapas ea Christianorum conuiuia ad quæ pauperes à diuitibus aduocabantur, charitatis ac fraternitatis testandæ causa: quorum meminit interdem Tertullianus. Alludit & Cyprianus ad Quirinum, lib. 3. testimonio tertio, dicēs: Agapen & dilectionem fraternam religiose & firmiter exercendam. Patet autem ex hoc loco antiquitas huiusmodi conuiuiorum, & ipsius vocabuli in ea significatione. Dicit ergo, seductores illos agapis fidelium sese miscentes, esse eorum maculas; quoniam conuiuia ad fouendam charitatem instituta, commacularent sua spurcicie, dum in ijs non verebantur turpia quædam dicere & agere. Maculas etiam Petrus nominauit. Ex quo B. Petri loco Sabboldus bene probat hęc per πηλιδες; intelligi maculas; etiam si Occumenius id vocabulum longè aliter interpretetur.

CONVIVANTES SINE TIMORE. Participium in Græco masculinum est, συνεωχῶμενοι. Quare construi non potest cum voce, macula, quod fæmininum est. πηλιδες. Rectius autem legit Augustinus, coëpulantes, nempe vobiscum; vt expressit B. Petrus, vbi nos legimus, Luxuriantes vobiscum. Quod (vobiscum) etiam hęc in nonnullis Græcis codicibus additur. Sensus igitur est: Vnà vobiscum conuiuiantur & epulantur, non more sanctorum; quales illi de quibus Tobie 9. quod cum timore Domini nuptiarum conuiuia exercebant: sed, abiecto Dei timore, licenter atque securè vacantes voluptati ventris & carnis. Dictionem ἀφ' ὅσων, sine timore, nonnulli annectunt membro sequenti: Verùm cohæret multo melius cum vocabulo conuiuantes, vt iam expositum est.

SEMETIPROS PASCENTES. Græca vox ποιμαίνοντες, significat etiam regentes: quomodo vertit interdum vulgatus interpres; vt psalm. 2. Reges eos in virga ferrea. Et 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Quod secutus Erasmus, ita paraphrasticè vertit hunc locum: suapte ductu arbitrio, viuentes: Id enim est, semetipros regentes; videlicet nullius parentes imperio; sed quicquid ipsi collubitum est, agentes. At verò plerisque magis placet sensum habere obuium; ac si dicat Apostolus: Cum profiteantur se doctores, quorum est pascere populum verbo Dei: ipsos quidem auditores suos non pascunt, sed necant ve-

nenoso pabulo; semetipros autem carnaliter ac delicatè pascunt impensis quas à suis auditoribus accipiunt aut extorquent. Quemadmodum faciebant illi pseudapostoli de quibus Paulus 2. Cor. 11. Sustinetis enim si quis denorat, si quis accipit. Ad hunc quippe modum, istud pascere semetipros, sumitur apud Ezechielem cap. 34. vbi in reprehensione pastorum Israël, tertio repetitur, quod pascebant semetipros. Nec obstat quod eo loco LXX non vtantur verbo ποιμαίνειν, sed βόσκειν: Nam vnum idemque significare voluerunt; quum in Hebræo semper idem sit vocabulum apud Ezechielem, & in psalmis.

NUBES SINE AQUA, QUÆ A VENTIS CIRCUMFERUNTUR. Deinceps seductores illos depingit colore similitudinum quarundam. Huiusmodi enim quatuor adducit: quarum hæc prima est, eaque sola etiam à Petro adducta, verbis nonnihil diuersis; vbi ait: Hi sunt fontes sine aqua, & nebula (seu nubes) turbibus exagitata. Pro circumferuntur, Regius codex habet conferuntur; quod consonat Græco ἀναφέρομενοι, quod in eodem codice Regio legitur, & in alijs nonnullis. Quamquàm in plurimis est ἀναφέρομενοι, quæ circumferuntur: quam nec dubitamus veriorē esse lectionem. Nubes sine aqua, quidam interpretantur illos dici, quod se dicant Apostolos, quum nihil habeant spiritus apostolici. Nam Apostoli alicubi in Scriptura per nubes significantur, vt Isaia 5. versu 6. & cap. 6. versu 8. Alij, quod more nubium quæ in pluuiam non resoluuntur, inducant caliginem, videlicet erroris, nec præstent refrigerium consolationis. Nobis sensus ille maximè probatur, quæ indicauimus in ad locum B. Petri commentario, propterea falsos magistros vocari nubes sine aqua, id est, nubes leues ac steriles, quia pluuiam promittunt verè ac salutaris doctrinæ, nec tamen exhibent. Nam doctrinam cum aqua & pluuiam & fonte comparari, satis frequens est in sacris literis: vt Deut. 32. Concreta ut pluuia doctrina mea: sicut ut ros eloquium meum; quasi imber super herbam; & quasi stille super gramina. Item Ioan. 4. Qui hiberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Addit Apostolus, quæ a ventis circumferuntur; quod, more nubium quæ procellis agitantur, inconstantes sint in suis dogmatis; fingentes ea, ac resingentes, prout affectus cupiditatum, veluti venti quidam, ad hanc aut illam nouitatem doctrinæ eos impulerint. Vide quæ in Petro diximus. Exstat hæc metaphorica phrasia etiam apud Paulum Ephes. 4. Ut iam non firmus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum. &c. Ex quo etiam loco, apparet hęc legendum esse, circumferuntur.

ARBORES AUTVMNALES, INFRACTVOSÆ, BIS MORTVÆ, ERADICATÆ. Græcè addita coniunctione, & eradicatæ. Porro autumnales, Græcè φθινοπωμεναι, quod Erasmus

vertit,

vertit, autumnno marcescentes. Sed melius alij interpretantur (quod idem Erasmus in annotationibus non improbat) arbores extremi ac deficientis autumnii. Hoc autem alij ad flores, alij ad fructus referunt. Ad flores quidem: Solent enim, inquit idem author, arbores nouelle extremo autumnno; præter temporis rationem, flores: idq; agricolis indicat eas mox emortuuras. Ad fructus autem; quia arbores quæ sero autumnno fructus proferunt, non eos perducunt ad maturitatem. Vnde quidam vertit, arbores frugiperdæ. Quod autem sequitur, infructuose, Græcè ἀκαρπια, quibusdam videtur esse interpretatio prioris. Nam & arbores extremo autumnno florentes fructum non adferunt, ab hyeme superueniente impeditæ: & quæ tam sero fructum adferunt, ob eandem causam immaturum, & proinde inutilem, relinquunt; vt ob id merito dici possint infructuose. Alij verò additum hoc putant vt nouum ac secundum epithetum arborum malarum; vt tertium epitheton sit bis mortuæ, id est, penitus emortuæ; quartum, eradicatæ & excisæ, ita vt fructus in posterum nullus expectari possit. Igitur his arboribus seductores illos comparat apostolus: quia cum speciem habeant arborum bonarum ac fructiferarum, ac tales sese iactitent; tamen autumnales sunt ac frugiperdæ; quia fructum, si quem ferre videantur, maturum & vtilem reddere non possunt. Imò verius infructuosæ sunt, quia nullum verum ac salutarem fructum ferunt nec in seipsis, nec in suis sectatoribus. Item sunt bis mortuæ; quia per baptismum à morte peccati semel resuscitati, in eadem mortem, per apostasiam, relapsi sunt. De quo relapsu grauitè meminerunt Petrus 2. ep. 2. & Paulus Hebr. 6. & 10. Denique, sunt eradicatæ & excisæ; quod ex eis tanquam ex arboribus radicitus euulsis, fructus non amplius speretur: adeò vt de talibus dicat Paulus Heb. 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, versus renouari ad penitentiam. Ceterum obseruanda est in his epithetis gradatio per incrementa. Nam gradus sunt, fructum inutilem ferre, nullum ferre fructum, bis mortuum esse, ad extremum eradicari, mittendum in ignem.

13

FLVCTVS FERI MARIS, DESPVMAN- TES SVAS CONFVSIONES. Fluctus feri, Græcè κύματα ἀγρια: ex quo patet istud feri referendum ad fluctus; non ad genitium maris. Amphiboliam vitauit Erasmus, dum ita vertit, Vnda efferat maris. Confusiones, Græcè, ἀσχυνοια, id est, pudores, infamias. Rectèque vertit Erasmus, Despvmanes sua ipsorum dedecora. Videtur Apostolus hac similitudine tria notare in falsis illis magistris; inconstantiam, turbas, & turpitudinem. Namque instar vndarum maris, perpetuò fluctuant in suis doctrinis: item turbis ac dissidijs omnia replent: ac tertio, suas produnt ac despvmanes sordes, id est, turpitudines. Hanc comparationem à mari & fluctibus eius sum-

ptam, impijs in genere (quorum tamen præcipui sunt errorum magistri) applicat Isaias capite 57. ita scribens: Impij quasi mare feruens; quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs dicit Dominus Deus.

SIDERA ERRANTIA. Sidera ea intelligit quos planetas, id est, erroneos vocamus. Hoc enim vocabulum ἀναστρατα, hęc est in Græco. Neque tamen naturâ, sed vulgi opinione tales sunt. Non enim reuera vagantur; sed certos & ordinatos habent motus singuli proprios: qui quoniam imperitis ignoti sunt, errare & vagari incertis motibus eos putant. At vera tales, sunt hæretici. Quippe stellæ videri volunt, id est, lumina ecclésiæ: sed stellæ sunt erraticæ; quia in doctrina, per quam alios illuminare debebant, nusquam sibi constant, semper errorem ex errore ferentes.

QVIBVS PROCELLA TENEBRARVM SERVATA EST IN ÆTERNVM. Procella, Græcè ζέφυρος, id est, caligo: vt vertit in epistola 2. Petri. Nam illic eadem prorsus verba sunt; & eo loco à nobis exposita. Sensus enim est: Quoniam pro lumine veritatis fundunt tenebras errorum; ideo manet eos, pro condigno & nunquam finiendo supplicio, caligo tenebrarum; id est, tenebræ densissimæ ac profundissimæ. Nominat tenebras potius quàm ignem æternum; propter allusionem ad tenebras errorum, quibus nunc infelices suos auditores immergunt.

14

PROPHETAVIT AVTEM DE HIS SEPTIMVS AB ADAM ENOCH, DICENS: Et de his, Græcè, sine præpositione, καὶ τῶν, & his; vel, etiam his; vt sensus sit, Ipsum etiam Enoch antiquissimum, vt qui vixerit ante diluuium, & septimus fuerit ab Adam primo parente, spiritu prophetico prædixisse his seductoribus suum iudicium atque exitium, verbis proximè præcedentibus significatum. Hoc autem ex Enoch testimonium adfert Apostolus, inquit Beda, vt confirmet exemplo quod superius ait, quod iam olim præscripti fuerant in tale iudicium impij homines, qui suo tempore subintroierunt ad subuertendam fidem piorum. Quod septimus ab Adam fuerit Enoch; liquet ex Scriptura Genes. 5. & 1. Paralip. 1. videlicet vtroque nomine in hunc numerum incluso.

Sed quaeritur, vnde S. Iudas hoc testimonium depromserit. Multorum sententia est ex apocrypho, qui liber Enoch vocabatur, sumptum esse: vt Hieronymi in Catalogo, & commentatio epistolæ ad Tit. 1. & Augustini libro 15. de ciuitate Dei capit. 23. & lib. 18. capit. 38. Item Beda in huius loci commentario. Quos auctores sequuntur plerique interpretes. Hęc porò causa fuit cur ipsa iam olim epistola reiecta fuerit à quibusdam vt apocrypha, &

falso ascripta Iudæ Apostolo, quod in ea legeretur apocryphum testimonium; quæ admodum in catalogo refert Hieronymus. Verum, ut idem Hieronymus scribens in epistolâ ad Titum, prolixè docet, non ideo liber aliquis aut rejiciendus est aut à canone sacrorum voluminum rescandus, quod ex apocryphis aut gentilium poetarum scriptis testimoniū citet. Id enim Paulum non vno loco fecisse constat. Sed nec ipsum testimonium continuò apocryphum erit (ut existimare videtur Caietanus, satis temerè labefactans auctoritatem epistolæ) si ex apocrypho libro fuerit desumptum. Nam, ut supra dicebamus ad versum 9. in apocryphis non omnia sunt apocrypha: potuitque sanctus Apostolus diuino spiritu, quo præditus erat, discernere inter eiusdem libri vera & falsa, diuina & humana. Dicendum igitur, hoc, quod Apostolus affirmat, Enoch prophetasse, & prophetando dixisse ea verba quæ hic commemorat, absque dubio verum esse: & proinde testimonium ipsum & verum esse & diuinum; ac tale fuisse etiam ante hanc Apostoli citationem; licet in canone sacrorum librorum apud Hebræos non existeret. Quomodo nec in illum canonem relati erant alij quidam libri veteris testamenti; quos in suum postea canonem recepit ecclesia.

Quæret aliquis quomodo non interierit illa propheta Enoch per generale diluuium. Respondeo cum Tertulliano libro de habitu muliebri cap. 3. potuisse eam à Noe, qui fuit pronepos ipsius Enoch, conseruari in arca. Addo, potuisse etiam exstare lapidi insculptam, ut perenne monumentum. Quanquam in eo fallitur Tertullianus, quod putat in illa propheta scriptum fuisse, quod angeli cælo delapsi mulieres quas Scriptura Genes. 6. vocat *filias hominum*, adamauerint, & ex ijs gigantes procreauerint. Hoc enim indubitanter apocryphum est; nec ab Enoch scriptum aut prædictum: sed multo post à quopiam vel hæretico vel fabulatore, qui librum titulo Enoch ediderit, mendaciter confictum. quemadmodum bene docet Augustinus in decimo quinto de ciuitate Dei, quem sequuntur Beda & alij. licet veteres nonnulli, ut Hieronymus, Iustinus, Clemens Alexandrinus, & Athenagoras illius libri inscriptione decepti, in eundem cum Tertulliano de angelis & gigantibus errorem inducti fuerint. Vide annotationem vnam & alteram Pamelij in dictum locum Tertulliani. Hinc postremò disce, literarum inuentum antiquius esse diluuium: contra quam multi sentiunt, qui vel Abrahæ, vel Moysi, vel Phœnicibus populis huius inuenti laudem tribuunt.

ECCE VENIT DOMINUS IN SANCTIS MILLIBUS SVIS. Venit, *ἦλθε*, præteriti temporis, sed loco futuri positum more prophetico. Estque sermo de secundo aduentu Domini. *Millibus*, Græcè *μυριάδων*, *myriadibus*.

Est autem propriè *myrias* numerus decem millium, sed passim vsurpatur pro innumerabili multitudine, finitum pro infinito. In *sanctis*, id est, cum sanctis *millibus*. *Haec sancte myriades*, beatorum angelorum sunt: quibus & alibi Scriptura numerum ascribit valde magnum. ut Iob 25. Daniel. 7. Matth. 26. Heb. 12. Nam & apud Danielem, & in epistola ad Hebræos, in Græco *myriades* leguntur: quemadmodum & Deuter. 33. vbi nos habemus: *Dominus de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia*. Quo etiam loco LXX pro *sanctis*, *angelos* interpretati sunt: quamuis illic non de aduentu Domini ad iudicium, sed de descensu ad legem ferendam sermo sit.

Angelis quidam adiungunt in hoc numero homines sanctos: verum ad illud *iudicium* de quo loquitur Enoch, non homines sancti cum Domino venturi sunt; sed ad eius aduentum è terra resuscitandi, & rapti quodam obuiam Domino ituri. 1. Thessalon. 4. Illud ergo significatur his prophetæ verbis quod in euangelio legitur, Dominum venturum *cum angelis suis, cum virtute multa & maiestate*. Matth. 10. & 24. Marc. 13. & Lucæ 21. Vnde & intelligitur Dominum hoc loco Christum intelligi: De quo & supra dixit Apostolus, *Dominum nostrum Iesum Christum negantes*: ut ab illo iudicandi sint impij, quem Dominum negauerant. Nam *Pater omne iudicium dedit Filio*. Ioan. 5.

15 FACERE IUDICIUM CONTRA OMNES. Id est, ut exerceat iudicium aduersus omnes *peccatores* seu *reprobos*. Tale quid enim subaudiendum; propter præpositionem *κατὰ*, *aduersus*. Nam iudicium illud, in quo reddetur unicuique secundum opera sua, non erit aduersus iustos & electos; sed pro eis.

ET ARGVERE OMNES IMPIOS DE OMNIBVS OPERIBVS IMPIETATIS EORVM QVIBVS IMPIE EGERVNT. Priora verba sic habent in Græco: *Et arguere*, seu *redarguere*, *omnes impios eorum*; hoc est, utque redarguat omnes qui ex ijs (scilicet peccatoribus aut reprobis) sunt impij. Significat ergo iudicium illud non futurum aduersus solos impios, sed aduersus omnes peccatores: cæterum aduersus impios multò grauius exercendum, id est, cum seuera admodum redargutione & punitione, qualis describitur 2. Thessalon. 2. scilicet *in flamma ignis dantis vindictam*. Qui locus cum isto conferendus est, ut intelligatur quos propheta vocet *impios*, nempe eos qui Deo & euangelio eius contumaciter resistunt, & sanctos eius persequuntur. *Redargues autem de omnibus operibus eorum impij*: quod inculcando exponit, quum addit, *quibus impie egerunt*. Sic enim Græcismus *ὀνείδιστον* Latine nobis est redditus. Quod tamen etiam verti posset, *quibus impiarunt* sese: si cui lubet verbum Græcum vno verbo Latino interpretari.

ET

ET DE OMNIBVS DVRS, QVÆ LOCVTI SVNT CONTRA EVM PECCATORES IMPII. Non solum, inquit, de factis impijs, verum etiam de dictis, grauissimè redarguendi atque puniendi sunt impij: nimirum de omnibus quæ durè, contumeliosè, irreuenter aduersus Christum Dominum locuti fuerint. Generaliter hoc à propheta dictum est de ijs qui in Christum verba iactarunt iniuriosa: quales imprimis fuere Iudæi; quorum in eum blasphemias & maledicta, siue conuersantem cum ipsis, siue pendentem in cruce, legere est apud euangelistas. Quales item Sioniani & Gnostici, multa de Christo falsa & indigna comminiscens: ut verè de eis supra dixerit B. Iudas quod Dominum Christum negarint. Vide expositionem illius loci. Cur autem dicat, *peccatores impij*, & non simpliciter, *peccatores*; iam patet ex superioribus: quia non in omnes peccatores hæc dicuntur. Obseruandum denique, etiam in hoc breui testimonio prophetico ex prima antiquitate prolato, veritatem obtinere quod Petrus apostolus de Christo dicit, Act. 10. *Hæc omnes propheta testimonium perhibent*. Nec mirum: quandoquidem omnium prophetarum scopus est Christus.

16 HI SVNT MVRMVRATORES, QVERVLOSÏ. Redit ad depingendos seductores à moribus & studijs. *Murmuratores à querulosis* commate distinguendi sunt: Nam *μυρμιρονιστοί*, *queruli*, seu *querulosi*, substantiue capitur. *Murmuratores* eos vocat, non aduersus Deum, ut quidam exponunt (nam maxime Dei cultores videri volunt) sed aduersus ecclesiarum præpositos, quorum gubernationi passim apud fideles detrahunt: ut & hodie videmus hæreticos facere. *Querulosos* item, id est, morosos ac difficiles, quorum voluntati nunquam satisfiat. Quod etiam intelligi potest de querimonijs aduersum præpositos. Oecumenius *μυρμιρονιστοί* eum interpretatur, *qui semper studet omnes cavillari & distorq̄i incesse*.

SECUNDVM DESIDERIA SVA AMBVLANTES. *Sua*, id est, carnalia. Notatur enim carnalis eorum & voluptuaria vita; quippe *qui gratiam Dei transferebant in luxuriam*. Et, ut Petrus loquitur, *voluptatem existimabant dici delicias*.

ET OS EORVM LOQVITVR SVPERBA. Multi codices legunt *superbiam*; sed meliores, *superba*: suffragante editione Romana. Græcè quoque est *ὑπερηγία*, id est, *tumida, superba*. Vox eadem quæ apud Petrum, vbi nos legimus, *Superba enim vanitatis loquentes*, &c. Cum, inquit, cæno suarum cupiditatum sese turpiter inuoluant: tamen ut habeantur in precio, verba tumètia & magnifica loquuntur. Hoc quomodo competat in Gnosticos è schola Simonis exortos, in commentario Petri declaratum est. *Superba*, mutandi in *superbia*, occasio fuit ex verbis psal. 16. *Et os eorum locutum est superbiam*.

MIRANTES PERSONAS QVÆ SVT CAUSA. *Mirari personas*, est ficta admiratio: ne laudare homines, præsertim diuites & potentes; ijsque assentari coram & in facie. Id autem faciebant *quædam causa*; siue, ut est in Græco *ἀφελείας χάριν*, *utilitatis gratia*; non quidem publicæ; sed suæ atque priuatæ. Id iam supra dixit, errore mercendis Balaam effulos fuisse. Pulchrè ac nimis verè quadrat hæc pars in seductores: Isaiâ de talibus attestante cap. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*. *Persona* quid in Scripturis significet, cum quis accipere, respicere, *mirari personam* dicitur; explicatum est à nobis ad illud Roman. 2. *Non enim est acceptio personarum apud Deum*. Siquidem in huiusmodi locis pro *persona*, tam Hebraicè quam Græcè, vocabulum est quod *vultum* significat. Ita dictum est Leuit. 19. *Non consideres personam pauperis; nec honores vultum potentis*. quum in vtroque membro Hebraicè, *pheni*; Græcè, *προσωπον* legatur.

17 VOS AVTEM CHARISSIMI, MEMORES ESTOTE VERBORVM QVÆ PRÆDICTA SVNT AB APOSTOLIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Nunc fideles horratur, ut memores monitorum apostolorum, sibi caueant ab ijs, quorum mores descripsit. Subiungit autem vetustissimæ prophetia apostolorum monitiones: quod esset harum recens memoria; quæ tamen & ipsæ prophetiæ erant. Ideo dicit, *quæ prædicta sunt ab apostolis*; id est, prophetice de rebus futuris ab eis dicta: non autem, ut interpretatur Erasmus, *antehac dicta*; secus quàm ipsemet verterat idè participium in 2. epistola B. Petri c. 3. Nam *prædictionem de futuris* etiam hoc loco significari, manifestè declarat ea quæ continuò sequuntur. Est autem exhortatio planè similis apud Petrum, initio dicti capituli: nisi quod ille, secundum Græcam lectionem eiusque meliorem intellectum, se coniungit apostolis; Iudas autem loquitur quasi apostolis posterior, & quasi ipse non sit apostolus. Id enim hinc suspicari quispiam possit: quoniam & in fronte epistolæ, non se *apostolum*, sed *seruum* Iesu Christi nominavit. Verum hoc facile diluitur. Nam modestiæ erat se non apostolum, sed *seruum* Iesu Christi scribere: quemadmodum & Iacobus in sua fecit epistola. Alioqui, Iudas hunc apostolum esse, vel ex eo colligas quod se Iacobi fratrem appellat. Cæterum apostolis fuit posterior, non omnibus, sed plerisque iam antè vita defunctis: ut Petro, Paulo, Iacobo. Nam Ioannes adhuc supererat. Vide quæ diximus ad illud Hebr. 2. *Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Respicit autem specialiter ad Petrum apostolum, talia prædicentem in 2. epistola cap. 2. & 3. Fortè etiam ad Paulum; qui similia prædixit Act. 20. 1. Tim. 4. & 2. ad eundem 3. & 4.

18 QVI DICEBANT VOBIS. Græcè *ὅτι*, quod

dicant vobis. Memores, inquit, estote verborum Apostolicorum; nempe quod dixerint vobis, id quod sequitur. Intellige, seu verbo, seu scripto. Non tamen scriptorum meminist: quia nec omnes Apostoli scripserunt; & qui scripserunt, eadem verbo sepius & copiosius inculcarunt.

QUONIAM IN NOVISSIMO TEMPORE VENIENT ILLUSORES. Ita Petrus: Quod veniens in novissimis diebus in deceptione illusores. Qui dicantur illusores ab utroque Apostolo, & quod novissimum tempus, ex eiusdem Petri commentario petatur. Non enim intelligunt tempus valde remotum & extremo iudicio vicinum: sed tempus sequens ac futurum; siue longius abest, siue propius.

SECUNDVM DESIDERIA SVA AMBULANTES IN IMPIETATIBVS. Id ipsum iam supra dixit versu 16. sed hic repetit tanquam verbis Apostolorum qui hoc praxiderant. Sunt enim verba B. Petri proxime post superiora: Iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Quod idem est in Græco. Et in iisdem locis, pro ambulantes legitur περιπατοῦντες, id est, incedentes, euntes; Hebraismo significante quotidianam vitæ consuetudinem. Quod additur hoc loco, in impietatibus, vel ut alij quidam codices habent, in impietate; Græcè est τῶν ἁνομιῶν, id est, impietatum; sicut & in Latinis quibusdam antiquis legitur; ut referatur ad desideria seu cupiditates; sitque sensus, quem reddit Erasimiana versio, quod ambulaturi sint iuxta suas impias cupiditates; id est, cum impietate coniunctas. Quem sensum satis probant mysteria Gnosticorum, apud Epiphanium.

19 HI SVNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS. Rursus alias adiungit notas, quibus dignoscantur impostores illi. In Græco non additur, semetipsos; sed noster interpres subintelligi putavit. Est enim hæreticorum proprium semetipsos segregare à corpore ecclesiæ Catholicæ, ac seorsim conuentus agere. Quod pertinet quod Paulus ad Titum 3. scribit hæreticum esse propria iudicio condemnatum. Etenim dum à societate fidelium se subducit ac separat: ipse quodammodo seipsum excommunicavit. Ita quidam Calvinianæ sectæ magistri & coryphæi, ante paucos annos palam professi sunt & gloriati, quod ab ecclesia Romana sese separassent. Eodem redit sensus, si segregationem intelligas à doctrina ecclesiæ. Nam hoc ipsum est se ab ecclesia separare. Potest autem absolute sumi participium Σοδοιοῦσες, segregantes siue separantes; ut intelligantur qui separationes faciunt tam in cæteris quam in doctrina: ut non sit necesse subaudiri certum quiddam pro casu qui regatur vi illius participij. Clemens Alexandrinus interpretatur segregantes, fideles à fidelibus; id est, alios ab alijs. Urget Oecumenius Græcam vocem; utpote ductam à termino: ut Σοδοιοῦσες sit extra terminos ecclesiæ quempiam educere, elicere, extrudere.

ANIMALES. Græcè ψυχῶν, vocabulum

ab anima, non ab animo deductum. Dicitur autem animalis in Scriptura tribus modis: quemadmodum annotauimus in commentario 1. Cor. 2. ad illud: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Presenti loco congruit ea significatio, qua animales dicuntur qui sectantur eas cupiditates quæ sunt secundum animam sensitivam; id est, qui sensibus ac sensuum voluptatibus obsequuntur. Quod viciu iam aliquoties in illis notauit. Nunc autem notat nouo nomine, in hac significatione. Quo postea abusus fuit Tertullianus, quando in hæresim Montani prolapsus, conuicium huius vocabuli iactare cæpit in Catholicos. Vnde & librum in eos scripsit hoc titulo, *Aduersus psychicos*. Sunt tamen qui generalius interpretantur, animales; scilicet eos, qui tantum ea recipiunt aut sequuntur, ad quæ ducit natura seu ratio humana diuinitus non illuminata. Quo modo omnes philosophi gentiliu animales fuerunt. Vtrique expositioni nõ incommode respondet antithesis sequens.

20 SPIRITVM NON HABENTES. Id est, diuino spiritu destituti; ideoque toti animales atque carnales. Nam vbi spiritus aduersus carnem non concupiscit: reliquum est ut sensus & caro plena libertate dominantur, hominemque impellant tam ad ea peccata quæ propriè carnalia vocantur, quam ad ea quæ spiritualia dici solent.

VOS AVTEM, CHARISSIMI, SUPERADIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDELI. Rursus exhortatio est, qua breuiter modum ac regulam ostendit perueniendi ad salutem. Codices non pauci pro vestra, legunt nostra. Similiter Græca variat, vnius literæ cõmutatione, tamen non multum refert vtrum legatur; quum sit omnium fidelium vna fides. Primum igitur hortatur ut sanctissima fidei quam ab apostolis acceperat, seipfos superadificent: id est, ut fidem apostolicam pro fundamento retinentes, cæteras suas actiones illi superstruant, quo perfectu consurgat vitæ Christianæ ædificium. Quia nec fides prodest absque operibus; nec opera valent absque fide.

Quamquam & ita verti potest ex Græco, Superadificantes vos inuicem. Sic enim illud εὐτὺς, iuxta verbi regentis exigentiam, non raro accipitur. ut Eph. 4. donantes inuicem, pro quo minus rectè vertit interpres Col. 3. Donantes vobismetipsis. Quale & illud ibidem, Commouentes vosmetipsos, id est, vos inuicem. Superadificant autè se inuicem sanctissima fidei, qui monitis & pijs actionibus excitat sese mutuo ad retinendam fidem apostolicam, super qua semel sudati sunt. Sensus hic probabilis est. Nam & alibi legitur huiusmodi phrasia, ut 1. Thes. 5. *Edificate alterutrum*. Porro fidem ab apostolis traditam & acceptam vocat sanctissimam; quod in eius doctrina nihil sit nisi sanctum, purum & immaculatum. Quo epitheto fidem Apostolicam discernit à fide

& do-

& doctrina scholæ Simonianæ, quæ non solum absurda multa de Deo & mundo fingebat, verum etiam impura quædam ac nefanda tradebat turpitudinis ac libidinum mysteria.

IN SPIRITV SANCTO ORANTES. Illud, In Spiritu sancto, quidam præcedentibus annectunt: verum multo aptius adhæret verbo orantes. Orant enim in Spiritu sancto, id est, per Spiritum sanctum, qui orantes perunt quæ petenda sunt, & quomodo petenda. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; ait Paulus Roman. 8. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis, id est, postulare nos facit. Orant autem non in Spiritu sancto, sed secundum carnem; qui petunt à Deo quod in concupiscentijs suis insumant. Iacob. 4. Vnde & hac parte notari videtur schola Simonis.

21 VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. Vosmetipsos, iterum Græcè εὐτὺς, ut verti possit, vos inuicem. Vtraque versio sensum habet accommodum. Nam & nos ipsos, & alij alios, in Dei dilectione seruare debemus; monitis, doctrinis & exemplis.

Dubium tamen vtram intelligat dilectionem Dei: num eam qua nos Deum diligimus, an qua nos diligit Deus. Sanè potest vtralibet intelligi: quippe altera ex altera necessariò consequitur. Verumque sensum includit hæc expositio: Conseruate vos ipsos, siue vos inuicem, in amicitia & gratia Dei. Sic & alibi interdum ambigua est apud interpretes acceptio charitatis Dei: ut Roman. 5. versu 5. & capit. 8. versu 35. & vltimo. Item 2. Thessalon. 3. versu 5.

Ex hac Scriptura & alijs similibus, efficaciter ostendi, aduersus huius æui sectarios, liberum hominis arbitrium; vix opus ut admoneam. Est enim hoc omnibus admonitionibus, exhortationibus, & correptionibus commune. Ne tamen salutare aliquid sibi liberum arbitrium arroget quod diuinitus non acceperit; ideo subiungit Apostolus,

EXSPECTANTES MISERICORDIAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI IN VITAM ÆTERNAM. Spes Christiana commendatur ac præcipitur; qua nimirum vita æterna sic expectatur pro bonis operibus, ut tamen hoc totum, & quod vita æterna bonis operibus retribuatur, & quod opera bona faciamus, gratiæ & misericordiæ Domini nostri Iesu Christi feratur acceptum.

22. 23. ET HOS QUIDEM ARGVITE IVDICATOS: ILLOS VERO SALVATE, DE IGNE RAPIENTES: ALIIS AVTEM MISEREMINI IN TIMORE. Docet fideles hoc præcepto, qualiter erga fratres ab impostoribus in errorem inductos, gerere se debeant. Est autem sententia non parum diuersa ab

eo quod in Græcis legitur: Sic enim habent: Et hos quidem miseremini disceptantes: hos autem in timore saluate, ex igne rapientes. Itaque iuxta Græcos codices sententia bimembris est; iuxta Latinos, trimembris: Nec omnino liquet vtri sinceriores sint. Est autem in Græcis varietas. Nam quod in pluribus habetur ἐλεῖτε, miseremini, in nonnullis est ἐλέγχετε, arguite, vel redarguite: quemadmodum & Occumenium legisse, quamuis textus adiunctus aliter habeat, probat eius commentarius. ut sensus primi membri sit, Alios quidem disputando redarguite. Sunt enim qui non nisi manifesta ratione conuicti, cedant veritati, & ab errore recedant. De quibus & Paulus episcopo præcipit, Tit. 1. eos qui contradicunt, arguere. Non enim hoc omnium est, sed doctorum. De significatione Græci vocabuli διαλεγόμενοι, diximus aliquid supra ad versum 9. & plura Rom. 14. versu 1. & vltimo. Nec arbitror rectè verti posse dijudicantes, ut quidam volunt: nec ut interpres vulgatus, indicatos; nisi forè ille legit διαλεγόμενος, quod in quibusdam Græcis reperit Rob. Secundum membrum Latinæ & Græcæ lectionis eo tantum differt, quod in Græca addatur in timore; id est, per timorem; quam particulam nos Latini habemus in tertio demum membro. Sensus autem est: Alios verò, seueri iudicij diuini incusso timore (de quo iudicio legantur superiora, & quæ Petrus scribit) saluos facite, tanquam ex ignis incendio rapientes. Hoc ad eos pertinet qui voluptatibus immergi non acquiescunt rationi. Tales enim terrore commouendi sunt, idque commemoratione ignis æterni peccatoribus omnibus præparati. Qui cum ab huiusmodi timore spiritum doloris ac poenitentiae concipiunt; seruari dicuntur velut ex incendio rapiti; id est, ex periculo ignis æterni. Tertium membrum Latinæ lectionis videt potest adiectum occasione varietatis, quæ est in Græco; de qua dictum est. Cum enim in alijs legeretur, arguite, in alijs miseremini; sedulus scriptor vtrūque posuit, addita etiam huic membro particula, in timore, quæ forè secundo membro in quibusdam Græcis codicibus deerat, quales notauit Robertus quatuor. Beda locum hunc exponens, illud, in timore referendum putat ad omnia tria membra: quasi moneat Apostolus, ut vnumquodque horum faciant non superbe, sed cum timore; ne forè & ipsi tententur. ut loquitur Paulus Galat. 3. Alij ad solum postremum referunt, hoc sensu: Cæteris graui aliquo delicto præoccupatis misericordiam exhibete in spiritu lenitatis, eos suscipientes cum timore sancto; ne & vobis aliquid tale contingat.

ADDITIVNCVLA B. P.

Videtur ea clausula, in timore, per hypozegma saltem in secundo Latinæ lectionis membro esse subaudienda, ut propius respondeant Latina Græcis.

dicebant vobis. Memores, inquit, estote verborum Apostolicorum; nempe quod dixerint vobis, id quod sequitur. Intellige, seu verbo, seu scripto. Non tamen scriptorum meminit: quia nec omnes Apostoli scripserant; & qui scripserunt, eadem verbo sepius & copiosius inculcarunt.

QUONIAM IN NOVISSIMO TEMPORE VENIENT ILLUSORES. Ita Petrus: *Quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores. Qui dicantur illusores ab utroque Apostolo, & quod novissimum tempus; ex eiusdem Petri commentario petatur. Non enim intelligunt tempus valde remotum & extremo iudicio vicinum: sed tempus sequens ac futurum; siue longius ablit, siue propius.*

SECUNDVM DESIDERIA SVA AMBULANTES IN IMPIETATIBVS. Id ipsum iam supra dixit versu 16. sed hic repetit tanquam verbis Apostolorum qui hoc prädixerant. Sunt enim verba B. Petri proximè post superiora: *Iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Quod idem est in Græco. Et in iisdem locis, pro ambulantes legitur περιπατοῦντες, id est, incedentes, euntes; Hebraismo significante quotidianam vitæ consuetudinem. Quod additur hoc loco, in impietatibus, vel ut alij quidam codices habent, in impietate; Græcè est τῶν ἁνομιῶν, id est, impietatum; sicut & in Latinis quibusdam antiquis legitur; ut referatur ad desideria seu cupiditates; sitque sensus, quem reddit Erasmiانا versio, quod ambulaturi sint iuxta suas impias cupiditates; id est, cum impietate coniunctas. Quem sensum satis probant mysteria Gnosticorum, apud Epiphanium.*

HI SVNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS. Rursus alias adiungit notas, quibus dignoscantur impostores illi. In Græco non additur, *semetipsos*; sed noster interpretis subintelligi putavit. Est enim hæreticorum proprium semetipsos segregare à corpore ecclesiæ Catholicæ, ac seorsum conuentus agere. Quod pertinet quod Paulus ad Titum 3. scribit hæreticum esse proprio iudicio condemnatum. Etenim dum à societate fidelium se subducit ac separat: ipse quodammodo seipsum excommunicavit. Ita quidam Calvinianæ sectæ magistri & coryphæi, ante paucos annos palam professi sunt & gloriati, quod ab ecclesia Romana sese separassent. Eodem redit sensus, si segregationem intelligas à doctrina ecclesiæ. Nam hoc ipsum est se ab ecclesia separare. Potest autem absolute sumi participium ἀποδοξάζοντες, segregantes siue separantes; ut intelligantur qui separationes faciunt tam in cõsibus quam in doctrina: ut non sit necesse subaudiri certum quiddam pro casu qui regatur vi illius participij. Clemens Alexandrinus interpretatur segregantes, fideles à fidelibus; id est, alios ab alijs. Viget Oecumenius Græcam vocem; utpote ductam à τερμῖνο: ut τερμῖνος sit extra terminos ecclesiæ quempiam educere, elicere, extrudere.

ANIMALES. Græcè ψυχῶν, vocabulum

ab anima, non ab animo deductum. Dicitur autem animalis in Scriptura tribus modis: quemadmodum annotauimus in commentario 1. Cor. 2. ad illud: *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Presenti loco congruit ea significatio, qua animales dicuntur qui sectantur eas cupiditates quæ sunt secundum animam sensitivam; id est, qui sensibus ac sensuum voluptatibus obsequuntur. Quod viciu iam aliquoties in illis notauit. Nunc autem notat nouo nomine, in hac significatione. Quo postea abusus fuit Tertullianus, quando in hæresim Montani prolapsus, conuicium huius vocabuli iactare cœpit in Catholicos. Vnde & librum in eos scripsit hoc titulo, *Aduersus psychicos*. Sunt tamen qui generalius interpretantur, animales; scilicet eos, qui tantum ea recipiunt aut sequuntur, ad quæ ducit natura seu ratio humana diuinitus non illuminata. Quo modo omnes philosophi gentiliu animalis fuerunt. Vtrique expositioni nõ incommode responderet antithesis sequens.

SPIRITVM NON HABENTES. Id est, diuino spiritu destituti; ideoque toti animales atque carnales. Nam vbi spiritus aduersus carnem non concupiscit: reliquum est ut sensus & caro plena libertate dominantur, hominemque impellant tam ad ea peccata quæ proprie carnalia vocantur, quam ad ea quæ spiritualia dici solent.

VOS AVTEM, CHARISSIMI, SUPEREDIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDELI. Rursus exhortatio est, qua breuiter modum ac regulam ostendit penitendi ad salutem. Codices non pauci pro vestra, legunt nostra. Similiter Græca variat, vnius literæ cõmutatione, tamen non multum refert vtrum legatur; quum sit omnium fidelium vna fides. Primum igitur hortatur ut sanctissima fidei quam ab apostolis acceperat, seipso superedificent: id est, ut fidem apostolicam pro fundamento retinentes, ceteras suas actiones illi superstruant, quo perfectum consurgat vitæ Christianæ ædificium. Quia nec fides prodest absque operibus; nec opera valent absque fide.

Quamquam & ita verti potest ex Græco, *Superedificantes vos inuicem.* Sic enim illud εὐτὴς, iuxta verbi regentis exigentiam, non raro accipitur. ut Eph. 4. *donantes inuicem*, pro quo minus rectè vertit interpret Col. 3. *Donantes vobismetipsis.* Quale & illud ibidem, *Commouentes vosmetipsos*, id est, *vos inuicem.* Superedificant autè se inuicem sanctissima fidei, qui monitis & pijs actionibus excitat sese mutuo ad retinendam fidem apostolicam, super qua semel fudati sunt. Sensus hic probabilis est. Nam & alibi legitur huiusmodi phrasim, ut 1. Thes. 5. *Edificate alterutrum.* Porro fidem ab apostolis traditam & acceptam vocat sanctissimam; quod in eius doctrina nihil sit nisi sanctum, purum & immaculatum. Quo epitheto fidem Apostolicam discernit à fide

& do-

& doctrina scholæ Simonianæ, quæ non solum absurda multa de Deo & mundo fingebat, verum etiam impura quædam ac nefanda tradebat turpitudinis ac libidinum mysteria.

IN SPIRITV SANCTO ORANTES. Illud, *In Spiritu sancto*, quidam præcedentibus annectunt: verum multo aptius adhæret verbo orantes. Orant enim in Spiritu sancto, id est, per Spiritum sanctum, qui orantes petunt quæ petenda sunt, & quomodo petenda. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; ait Paulus Roman. 8. *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare nos facit. Orant autem non in Spiritu sancto, sed secundum carnem; qui petunt à Deo quod in concupiscentijs suis insumant. Iacob. 4. Vnde & hac parte notari videtur schola Simonis.

VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. *Vosmetipsos*, iterum Græcè εὐτὴς, ut verti possit, *vos inuicem*. Vtraque versio sensum habet accommodum. Nam & nosipso, & alij alios, in Dei dilectione seruare debemus; monitis, doctrinis & exemplis.

Dubium tamen vtram intelligat dilectionem Dei: num eam qua nos Deum diligimus, an qua nos diligit Deus. Sanè potest vtralibet intelligi: quippe altera ex altera necessariò consequitur. Vtrumque sensum includit hæc expositio: *Conseruate vos ipsos, siue vos inuicem, in amicitia & gratia Dei.* Sic & alibi interdum ambigua est apud interpretes acceptio *charitatis Dei*: ut Roman. 5. versu 5. & capit. 8. versu 35. & ultimo. Item 2. Thesalon. 3. versu 5.

Ex hac Scriptura & alijs similibus, efficaciter ostendi, aduersus huius æui sectarios, liberum hominis arbitrium; vix opus ut admoneam. Est enim hoc omnibus admonitionibus, exhortationibus, & correptionibus commune. Ne tamen salutare aliquid sibi liberum arbitrium arroget quod diuinitus non acceperit; ideo subiungit Apostolus,

EXSPECTANTES MISERICORDIAM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI IN VITAM ÆTERNAM. Spes Christiana commendatur ac præcipitur; qua nimirum vita æterna sic expectatur pro bonis operibus, ut tamen hoc totum, & quod vita æterna bonis operibus retribuatur, & quod opera bona faciamus, gratiæ & misericordiæ Domini nostri Iesu Christi feratur acceptum.

ET HOS QUIDEM ARGVITE IVDICATOS: ILLOS VERO SALVATE, DE IGNE RAPIENTES: ALIOS AVTEM MISEREMINI IN TIMORE. Docet fideles hoc præcepto, qualiter erga fratres ab impostoribus in errorem inductos, gerere se debeant. Est autem sententia nos parum diuersa ab

eo quod in Græcis legitur: Sic enim habent: *Et hos quidem miseremini discipantes: hos autem in timore saluate, ex igne rapientes.* Itaque iuxta Græcos codices sententia bimembris est; iuxta Latinos, trimembris: Nec omnino liquet vtri sinceriores sint. Est autem in Græcis varietas. Nam quod in pluribus habetur ἐλεῖτε, *miseremini*, in nonnullis est ἐλέγχετε, *arguite*, vel *redarguite*: quemadmodum & Oecumenium legisse, quamuis textus adiunctus aliter habeat, probat eius commentarius. ut sensus primi membri sit, *Alios quidem dissuadendo redarguite*. Sunt enim qui non nisi manifesta ratione conuicti, cedant veritati, & ab errore recedant. De quibus & Paulus episcopo præcipit, Tit. 1. *eos qui contradicunt, arguere.* Non enim hoc omnium est, sed doctorum. De significatione Græci vocabuli διακρινόμενοι, diximus aliquid supra ad versum 9. & plura Rom. 14. versu 1. & ultimo. Nec arbitror rectè vtri posse diiudicantes, ut quidam volunt: nec ut interpretes vulgatus, *iudicatos*; nisi forte ille legit διακρινόμενος. quod in quibusdam Græcis reperit Rob. Secundum membrum Latinæ & Græcæ lectionis eo tantum differt, quod in Græca addatur *in timore*; id est, per timorem; quam particulam nos Latini habemus in tertio demum membro. Sensus autem est: *Alios verò, seueri iudicij diuini incusso timore (de quo iudicio legantur superiora, & quæ Petrus scribit) saluos facite, tanquam ex ignis incendio rapientes.* Hoc ad eos pertinet qui voluptatibus immersi non acquiescunt rationi. Tales enim terrore commouendi sunt, idque commemoratione ignis æterni peccatoribus omnibus præparati. Qui cum ab huiusmodi timore spiritum doloris ac penitentiae concipiunt; *seruari dicuntur velut ex incendio rapiti*; id est, ex periculo ignis æterni. Tertium membrum Latinæ lectionis videtur potest adiectum occasione varietatis, quæ est in Græco; de qua dictum est. Cum enim in alijs legeretur, *arguite*, in alijs *miseremini*; sedulus scriptor vtrūque posuit, addita etiam huic membro particula, *in timore*, quæ fortè secundo membro in quibusdam Græcis codicibus deerat, quales notauit Robertus quatuor. Beda locum hunc exponens, illud, *in timore* referendum putat ad omnia tria membra: quasi moneat Apostolus, ut vnumquodque horum faciant non superbe, sed *cum timore*; ne forte & ipsi tententur. ut loquitur Paulus Galat. 3. Alij ad solum postremum referunt, hoc sensu: *Cæteris graui aliquo delicto præoccupatis misericordiam exhibete in spiritu lenitatis, eos suscipientes cum timore sancto; ne & vobis aliquid tale contingat.*

ADDITIONCVLA B. P.

Videtur ea clausula, *in timore*, per hypozugma saltem in secundo Latinæ lectionis membro esse subaudienda, ut propius respondeant Latina Græcis.

ODIENTES ET EAM QUÆ CARNA-
LIS EST, MACVLATAM TVNICAM. *Eam
qua carnalis est*, Græcè, τὴν ἐν σαρκὶ, *eam
que ex carne*: Potestque verbi hoc modo:
*Odiemus & eam que à carne maculata est tu-
nicam*. Hanc verò *maculata tunica* meta-
phoram alij aliter exponunt. Quidam ve-
terem hominem interpretantur; quem iu-
beremur exuere *cum vestibus suis*. Coloss. 3.
Quòd pertinet illud Cant. 5. *Exspoliaui me
tunica mea: quomodo induar illa*. Vide Hel-
selium in illud 1. Tim. 6. *Ut serues præce-
ptum sine macula*. Alij specialiter accipiunt
de carnali & impura Gnosticorum conuer-
satione: vt quam imprimis odiendam &
fugiendam moneat Apostolus. Sasboldus
metaphoram explicat in hunc modum: *Tur-
pitudine Gnosticorum*, inquit, *non solum ipsorum
opera inficit, sed & ad vestes transit, easq; ma-
culat*. Quare non solum ipsi fugiendi, sed
& tunica qua sunt induti, exola vobis, &
exsecrabilis esse debet, tanquam ab eorum
carne conspurcata. Ad hunc sensum inuitat
coniunctio &, id est, *etiam, insuper*; vt hoc
sermonis schemate significetur non modò
cauendum esse fidelibus à viciorum conta-
ctu, quibus Gnostici sese commaculabant;
sed & fugiendum quicquid illis esset affine,
ex quo contagium metui posset: quomodo
vitamus non solum peste laborantes, sed &
vestes eorum.

24

EI AVTEM QUÆ POTENS EST VOS
CONSERVARE SINE PECCATO. Conclu-
sio est epistolæ doxologica, qua simul osten-
dit à quo vita sancta & immaculata, ad quam
hactenus hortatus est, eiusdemque perseue-
rantia, sit expectanda; scilicet *ab eo qui po-
tens est* id totum præstare. Quo verbo poten-
tiam & efficaciam gratiæ diuinæ declarat.
Ita Paulus Rom. ultimo: *Ei autem qui po-
tens est vos confirmare &c. Conservare sine pec-
cato*, Græcè ἀσφαλῆσαι, *à peccato immunes*, do-
num perseuerantiæ significat, cum quis ita
conseruatur ad finem vsque in bono, vt
peccando Deum non deserat. Multi Græci
codices non ὑμᾶς, vos, legunt, sed αὐτοὺς, il-
los, vt referatur ad fratres ab errore reuocan-
dos. Verùm illis prius optanda erat conuer-
sio à malo, quam conseruatio in bono. De-
nique, epilogi ratio postulat, vt ijs ipsi ad
quos scribit, huiusmodi bona à Deo com-
precetur. Quare lectionem nostrorum codi-
cum, quæ etiam in quibusdam est Græcis, hinc
præferendam cenfeo.

ET CONSTITVERE ANTE CONSPECTVM
GLORIÆ SVÆ IMMACVLATOS IN EXVL-
TATIONE. Significatur remuneratio iusto-
rum, quando Deus electos suos *statuet in
conspectu gloriæ suæ*, id est, visione & partici-
patione suæ gloriæ donabit, ac beatificabit.
Addit autem *immaculatos*, Græcè ἀμώμους, *ir-
reprehensibiles*: quia nihil conquinatum illuc
intrabit. Apoc. 21. Item addit, *in exultatio-
ne*, id est, *cum exultatione*; quia perpetuum

gaudium & exultatio excipiet eos qui in
hoc mundo tristitia multa passi sunt pro Chri-
sto. *Beati namque qui lugent, quoniam ipsi con-
solabuntur*. Matth. 5.

IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV
CHRISTI. Hanc partem Græca non ha-
bent, nec Beda agnoscit. Abest quoque
in vetustis aliquot Latinis. Adiecit fortè qui-
piam, ad designandum tempus quo futurum
sit id quod præcedit.

SOLI DEO SALVATORI NOSTRO. Græ-
cè, *Soli sapienti Deo &c.* Sed videri potest
huc additum ὁ σοφῶν, *sapienti*, ex epilogo epi-
istolæ ad Rom. Porro *Saluatoris* nomen toti
Trinitati conuenit.

PER IESVM CHRISTVM DOMINVM
NOSTRVM. Hæc desunt in Græcis exem-
plaribus; tamen constanter in Latinis le-
gantur. Indicant autem meritum Christi
hominis. At verò, cum Trinitati ea quæ
sequuntur, non competant per meritum
Christi, satis probabile sit, hanc partem ab
Apostolo non fuisse scriptam. Ac si quis
benè perpendat; inueniet totam hanc do-
xologiam ascribi Christo Domino: vt hinc
habeamus apertum diuinitatis eius testi-
monium.

GLORIA ET MAGNIFICENTIA, IMPE-
RIVM ET POTESTAS ANTE OMNE SÆ-
CVLVM, ET NVNC, ET IN OMNIA SÆ-
CVLA SÆCVLORVM. AMEN. Subauditur
est; non *fit*: vt exprimitur 1. Petri 4.
Rursus Græca minus habent illud, *ante
omne seculum*; & genitiuum *seculo-
rum*. Significat Apostolus hac vocum
congerie, Deo competere supremam ac
sempiternam in omnes & in omnia po-
testatem; ipsumque eo nomine ab om-
nibus honorandum & glorificandum
esse.

Priusquam verò ad ea quæ restant pro-
grediamur, videtur hoc loco fides nostra
liberanda, qui superius alicubi, nos hinc
iudicium nostrum exposituros promissimus,
de Commentarijs illis quæ sub nomine san-
cti Thomæ Aquinatis, in Catholicas Apo-
stolorum epistolas, nuper proflare cæpe-
runt: sintne reuera illius. Quod nobis
non videtur. Glossam interlinealem fre-
quenter citat iste Commentator: in Com-
mentarijs S. Thomæ ad epistolas Paulinas,
vix vsquam id videas. Sublimitas deinde &
sinceritas ac grauitas doctrinæ Sancti Tho-
mæ hinc nusquam apparet. Scribens iste
Commentator in cap. 3. B. Iacobi, enu-
merat octo species malarum linguarum,
parum doctè: congerit tantum; nec om-
nes illæ inter se differunt. In 2. Petri cap.
3. ibi, *Nolens aliquos perire, sed omnes &c.*
exponit illud verificari de Deo, quantum
in ipso est. Ex diuersis locis Beati Thomæ
constat eam expositionem esse à mente
ipsius alienam. In 1. Ioan. 3. dicit quòd
soli habentes perfectam charitatem tenen-


tur animas pro fratribus ponere. Ex quo
sequitur, episcopos & pastores eos qui
perfectam non habent charitatem, ad id
non teneri; ac multo minus episcopos
carnales & sæculi pompis deditos. In se-
cundam Beati Ioannis scribens, *seductores*
interpretatur *seorsim doctores*. In Præfatio-
ne totius Commentarij ait quòd virgo Dei-
para impetrauit dimidium regni Dei; vt
ipsa sit regina misericordiæ; Filius, rex iu-
sticiæ. Grauitas doctrinæ B. Thomæ non
fert tam ineptum & indecorum sermonem.
Lorinus citat hunc Commentarium sub no-
mine Thomæ Anglici.

ADDITIO B. P.

Sanctus Thomas 2. sec. q. 45. art. 6. ad 3.
(quod opus vnum est ex postremis ab eo
elaboratis) viciosam habet & exponit le-
ctionem eius quod in epistola Beati Iacobi
est, capit. 3. in fine. In hoc tamen Com-
mentario id rectè legitur & distinguitur,

hoc modo: *Non iudicant, sine simulatione*:
idque tam in textu, quam in expositio-
ne. S. Thomas verò illic vbi diximus, le-
git & tentat explicare, *Iudicant sine simu-
latione*. Sixtus Senensis Biblioth. sanctæ
lib. 4. in Thoma Anglico, sic loquitur:
Huius authoris esse creduntur Commen-
taria in Genesim, in Isaiam, in Ieremiam,
in epistolas canonicas, in Apocalypsim, &
in Boetium de philosophica consolatione;
ascripta Diuo Thomæ: cui cum hono-
ris causa tributum esset Angelici cogno-
men, & magna esset inter *Anglicum &
Angelicum* vocis similitudo; paulatim ef-
fectum est vt per incuriam & errorem,
Thomæ Anglici scripta Thomæ Angelici
nulo notarentur. Claruit anno Domini
1400. Ita Sixtus. Ex quibus iam liquet,
quid sequatur Lorinus, dum horum Com-
mentariorum authorem vocat Thomam
Anglicum. Non est tamen iste, cuiuscun-
que sit, Commentarius vbi que parui facien-
dus; quum multa bona habeat.





IN EPISTOLAM PRIMAM

B. IOANNIS
APOSTOLI
PRÆFATIO.

DE AVTHORE ET AVTHORITATE
HVIUS EPISTOLÆ, ET AD QVOS SCRIPTA.



IOANNIS Apostoli, qui & Euangelium scripsit, & Apocalypsin, tres exstant epistolę: quarum etſi duę posteriores aliquando apud nonnullos dubię fuerint authoritatis; de prima tamen, quin Ioannis eſſet Apostoli atque Euangelistę, eaq̃ue ratione in canonem ſacrorum librorum recipienda; nunquam à Catholicis ſcriptoribus dubitatum fuit. Teſtes eius rei ſunt Eusebius lib. 3. hiſt. eccl. cap. 25. & Hieronymus in catalogo. Quapropter & Syrus interpres hanc epistolam nobis exhibuit, perinde vt cęteras noui testamenti ſcripturas eas quę nunquam venerunt in queſtionem; alijs, quę controuerſę fuerunt, omiſſis. Quin & ſtylus orationis & character proprius, Item charitatis & veritatis inculcatio ſatis aperte ſuum produnt authorem, diſcipulum illum à Domino dilectum, planeque eundem cum eo qui ſcripſit Euangelium.

Porro quamuis in codicibus tam Gręcis & Syriacis quam Latinis, qui nunc ſunt in manibus, non legatur aſcriptum ad quos miſſa ſit epistoła: veterum tamen traditio eſt, ad Parthos ſcriptam eſſe. Hunc enim titulum ei tribuunt Higynius Papa epistoła 1. Poſſidius in indiculo operum Auguſtini, & ipſe Auguſtinus lib. 2. Quęſtionum Euangelicarum cap. 39. Denique & Ioannes 2. Papa in epistoła ad Valerium Epiſcopum. Scripſit autem ad Parthos Ioannes Apoſtolus (quę gens ſita erat inter flumina Tygrim & Indim, iuxta Medos): quod in ea regione lociſque circumuicinis plurimi eſſent Iudęi, ex antiqua captiuitate & diſperſione decem tribuum. Vnde & Act. 2. vbi de Iudęis qui ex varijs mundi partibus Hieroſolymam venerant, agitur, primo loco referuntur Parthi, Medi, Elamitę. Igitur quemadmodum

Petrus

Petrus epistolam dedit ad Iudęos diſperſionis Ponti, Galatię, Cappadocię, Aſię, Bithynię; quos Lucas illic enumerauit posteriore loco: ſic & Ioannes ſcripſit ad Iudęos in oriente conſtitutos, id eſt, in Parthia cum locis adiacentibus: non ita tamen quin vterque Apoſtolus ſuam epistolam communicatam voluerit etiam gentilibus earundem regionum, qui in Chriſto crediderant; vt pote membris eiſdem eccleſię, & eorundem ſacramentorum conſortibus, & ad eandem ſpem cęleſtis regni vocatis: id quod Petrus non vno loco ſuę epistolę ſignificat.

An verò cauſa ſcribendi ad Parthos ea Ioanni fuerit, quod apud illos euangelium prædicaret, vt nonnulli putant; non liquet: quum & Paulus ad Romanos & Coloffenſes ſcripſerit, quibus ipſe prius non prædicauerat. Scribit autem ad omnem atatem: pueros, adoleſcentes, ſenes; vt ipſe teſtatur cap. 2. quia de communi omnium ſalute ſcribebat.

Ex quo loco ſcripta ſit, haud multum refert vt ſciatur: etſi non deſint qui è Pathmo inſula, in qua exulauit, ſcriptam velint; vbi & vidit Apocalypſim. Alij verò putant ſcriptam poſt reditum ab exilio. Verum vtrique ſolis & incertis nituntur coniecturis.

ADDITIVNCVLA B. P.

Credibile eſt diu ante exilium fuiſſe ſcriptam. Videantur quę ſunt infra ad cap. 5. v. 8. paulò poſt initium annotationis.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

VERSATVR hæc epistoła potiſſimum in aſtruenda Chriſti Domini vera œconomia: ad quam pertinent imprimis hæc fidei noſtrę myſteria; Ieſum eſſe Chriſtum, verum Deum ac Dei filium, eundemque eſſe verum hominem vera carne præditum: in quibus conſiſtit veritas incarnationis Dominicę. Rurſus, eum eſſe noſtrum aduocatum ad Patrem; & propiciatorem pro peccatis noſtris: à quo proinde peccatorum remiſſionem, totamque iuſticiam noſtram exſpectare nos oporteat. Atque hæc ſparſim traduntur per totam ferè epistolam. Qua doctrina retundit Apoſtolus non ſolum hæreſes ipſius tempore exortas; vt Ebionis & Cerinthi, qui Chriſto diuinitatem adimebant, ac filium Dei negabant; necnon Baſilidis atque ſequacium, qui eum negabant in vera carne veniſſe, ideoque nec verè paſſum, crucifixum, mortuum pro nobis, impie docebant; vt memorat de illis Epiphanius in hæreſi 24. verum etiam futuris temporibus exoriturus; vt Arij, Neſtorij, Eutychetis & Pelagij: quos omnes vno nomine vocat antichriſtos, id eſt, Chriſti aduerſarios; eoſque ſoluere Ieſum dicit, hoc eſt, integritatem myſterij diſpenſationis eiſ deſtruere. Eſt autem hoc loco memoria repetendum quod ſcribit Auguſtinus in libro de fide & operibus

cap. 14.

cap. 14. Apostolos qui Catholicas scripserunt epistolas, intentionem direxisse contra peruersam ac perniciosam opinionem eorum qui dicebant fidem sine operibus ad salutem sufficere. Quorum princeps fuit Simon magus. Nam & id haud segniter agit Ioannes in hac epistola: idque per singula capita. Sic enim ait cap. 1. *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus.* Et cap. 2. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit: mendax est, & in hoc veritas non est.* Et capit. 3. *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iusticiam, iustus est: Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Et alia complura eiusdem capit. Item capit. 4. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit: mendax est.* Et cap. 5. *Hac est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.*

EPISTOLA I. B. IOANNIS
APOSTOLI.

SUMMARIUM.

Doces & testificatur Filium Dei aeternum, in tempore apparuisse. Deum lucem esse; & nos societate cum eo coniungi, si in luce ambulemus. Neminem esse sine peccato: per Christum autem peccata remitti.

CAPVT I.

QUOD FUIT AB INITIO. Incipit epistolam absque salutatione: nec suo quidem praefixo nomine. Quod vtrumque commune est huic epistolae cum epistola Pauli ad Hebraeos. Huius rei rationem quod ad praesentem epistolam attinet, alij aliam reddunt: Ea nobis probatur, quod exordium suae Catholicae epistolae voluerit Ioannes conformare cum exordio sui euangelij. Nam vt ibi dixit: *In principio erat Verbum:* ita, de eodem Verbo loquens, hic incipit: *Quod erat a principio.* Sic enim est in Graeco, *ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς.* Vt & hoc addam; haec ipsa verba cum sequentibus, speciem quandam habere salutationis ac boni nancij, vt alia salutatione non sit opus. Mox enim testatur se illis ad quos scribit, annunciare vitam aeternam & societatem cum Deo. Exordium hoc: *Quod erat ab initio,* ad Christi diuinitatem proculdubio referendum est: sicut & illud euangelij: *In principio erat Verbum.* Non enim ab initio Christus homo.

Quidam annotant apostolum consulto non dicere, *Quod fuit;* sed, *Quod erat:* Ne quis putaret Filium per incarnationem id

esse desisse quod erat priusquam nasceretur ex matre: quomodo dictum est a Poeta, *Fuimus Troes.* Vnde & Apoc. 1. & 4. & 11. Deus vocatur *Qui est, qui erat, & qui venturus est;* non autem, qui fuit. Verum haec annotatio parum solida mihi videtur. Nam & de eo quod esse desijt, dicitur, *quod erat,* vt in eadem Apocalypsi cap. 17. semel & iterum de bestia, *qua erat, & non est.* Illud constat, hac locutione *quod fuit ab initio,* aeternitatem significari; qua quid semper fuit: quemadmodum & illic, *In principio erat Verbum.* Nam in principio, & a principio fuisse dicitur; quod ita fuit, vt nihil eo fuerit prius: Quae certissima notio est aeternitatis. ac si dixisset: *Quod fuit ab aeterno.* Quocirca nobis hic statim declaratur Christum Dei Filium esse Patri coaeternum. Nam *Verbum,* id est, Filium, esse suppositum particulae, *quod fuit,* infra docebimus: simul explicaturi syntaxin totius orationis; quae alioqui nonnihil confusa est & intricata.

QUOD AUDIIMVS. Hoc in persona sua & ceterorum apostolorum dicit, quemadmodum & sequentia numero plurali. Sic enim & in euangelio: *Vidimus gloriam eius.* Nec dubium quin haec quae de audito, viso & cōtractato Verbo vitae dicit, ad naturam eius humanam pertineant. Quoniam verò idem est quod fuit ab initio, & quod audisse, vidisse, & cōtractasse se testatur: hinc iam statuitur vnitatis personae in Verbo incarnato id est, vtramque naturam habere, diuinam & humanam. Dicit ergo, *Quod audiimus,* id est, quem Dei Filiū ore suo benedicto loquentē ac docentē auscultauimus; cuius loquentis ac docentis verba auribus nostris haufimus.

QUOD VIDIMVS OCVLIS NOSTRIS, QUOD PERSPEXIMVS. Gradum facit ad sensum certiorē, id est, visum. Addit autem *oculis nostris,* scilicet corporeis; maioris

expressionis

expressionis causa: ac, ne alienis tantum oculis eos credidisse, quis putaret: Vidimus, inquit, hominem in humana carne conuersantem cum hominibus; edentem, bibentem, ac cetera quae humana sunt agentem ac patientē. Vidimus in monte transfiguratum ac splendentē: Vidimus cruci affixum ac morientem: Denique, vidimus a morte rediitū & in caelos ascendentē. Hac contra illos dicuntur, qui negabant Iesum in carne venisse. Simul ostenditur Ioannes ex eorum fuisse numero, quibus dictū est a Domino Matth. 13. *Vestri beati oculi, quia vident; & aures vestrae, quia audiunt.* Addit autem: *quod perspeximus,* Graecè *ὃ ἐθεασίμεθα,* quod inuisti sumus, seu potius, *quod contemplanti sumus:* ad significandam visionem non quamlibet, sed intentam, & vt ita loquar, curiosam; quae fit oculis propius ad motis, etiam adhibita, si opus videatur, cōtractatione manuum. Vnde sequitur,

ET MANVS NOSTRAE CōTRACTAVERUNT. Id est, *palpauerunt.* Est enim idem in Graeco vocabulum, quod apud Lucam cap. 24. dicente Domino: *Palpate & videte.* Palpauerunt autem seu *cōtractauerunt* Verbum carnem factum; siue ante resurrectionem eius, vt ipse Ioannes, recumbens in sinu Iesu, Ioan. 13. Et Petrus, quem Iesus extensa manu apprehendit Matth. 14. & omnes discipuli, quando manibus suis lauit eorum pedes. Ioan. 13. siue post resurrectionem, vt Thomas, cui dictum fuit a Domino: *Infer digitum tuum, huc, & asser manum tuam, & mitte in latus meum.* Ioan. 20. & alij discipuli, quibus dixit: *Palpate & videte.* Nam quin palpauerint, ambigi non potest, praesertim de Thoma: quum ea res tota diuinitus ordinata fuerit ad comprobendam resurrectionis veritatem. *Cōtractarūt* eum etiam manus impiorum, a quibus captus, colaphizatus, flagellatus & crucifixus fuit: sed ab illis testimonium non erat petendum. Quidam in hac parte hyperbolen faciunt, quasi tantum hoc velit Ioannes, dicens, *Et manus nostra cōtractauerunt,* hoc inquam quod dixit in euangelio, *Et habitauit in nobis,* id est, inter nos; vt significetur familiaris Verbi cum hominibus conuersatio. Verum ex dictis satis apparet, proprie fuisse locutum. Ac sanè testem (qualem Ioannes hic se profitetur) hyperbolicè testificantem loqui nō conuenit. Quo etiam argumento refelli potest eorum cōmentarius, qui auditum & visum huius loci, ad mentem seu partem intellectiuam referunt: vt audiuisse dicantur Apostoli praenunciantibus prophetis; vidisse, fide, perspexisse, intelligentia. Non enim animaduertunt haec a Ioanne scribi tāquam teste eorum, quae cum socijs Apostolis audiuit & vidit. Hoc enim mox addit, *Et testamur.* Vnde & aiunt ad principes Iudaeorum Petrus & Ioannes, Actuum 4. *Non enim possumus quae vidimus & audiimus non loqui.*

DE VERBO VITAE. *Verbum vitae,* non-

nulli interpretantur euangelium, siue euangelicam doctrinam viuificam & salutarem. Sed hic sensus non congruit cum praecedentibus. Igitur *verbum vitae* intelligamus, vt alij ferē omnes, Dei filium Verbum Patris; de quo praclare Ioannes initio sui euangelij, & rursus in hac epistola cap. 5. versu 7. Vnde est & illud Apoc. 19. de filio Dei: *Vocatur nomen eius Verbum Dei.*

Vocatur autem Verbum, Graecè *λόγος,* appellatione sumpta a verbo humano, ex cuius cognitione veluti manu ducti sumus ad noticiam Verbi diuini, nobis alioqui per naturam incogniti. Nam sicuti verbum nostrum procedit a mente: ita filio Dei ex ratione Verbi competit a Patre procedere, velut a mēte aeterna. & sicuti verbum nostrum internum, etsi a mente procedens, intimè tamen in ipsa permanet, nec ab ea separari potest: ita filius Dei procedens ex Patre, intimus in ipso permanet, nec ab eo separabilis est. Rursum sicut mentis nostrae verbum quo se ipsam intelligit, est ipsius mentis imago perfecta; sic Dei Filius est perfecta imago Patris. Et, vt alij comparationibus omisiss, vnā adhuc adijciam quae praesenti loco seruiat; quomodo verbum internum apud homines manifestatur per verbum externum: ita aeternum Dei Verbum Patri intimum, innotuit hominibus in tempore, non solum per voces prophetarum, qui venturum in carne praenunciarunt; verum etiam, & maxime, postea per assumptam ab ipso naturam humanam, in qua Verbum Patris olim inuisibile factum est visibile, conuersans & colloquens cum hominibus. Sed de hac re plura & ex professo ad dist. 27. lib. 1. sent. Vbi etiam ostendimus, etsi tam hinc quam in euangelio & alibi, pro Verbo possit etiam verti Sermo; quod Erasmus & alij quidam faciunt; imò & vulgatus interpres nonnunquam: melius tamen conuenire Verbi vocabulum illi simplicissimo & immutabili Dei Verbo: Quamquam fatendum est significationem Graecae vocis *λόγος* prout tribuitur Dei Filio, Latina aliqua dictione nec satis proprie exprimi, nec plenè reddi posse.

Porro *Verbum vitae* vocatur duplici ratione: & quia Verbum viuens est, imò ipsa vita; & quia Verbum viuificum, id est, vitam ac salutem adferens hominibus. Priori modo, vita est essentialiter: posteriori, casualiter. Videtur autem prior modus hic significatus, vt sequentia declarant: cum respectu tamen ad modum posteriorem. Nam & euangelij locus, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum,* eodem modo rectissime intelligitur.

Quod ad constructionem attinet; quidam hanc partem praecedentibus ita annectunt: Quicquid de verbo vitae vobis annunciamus (nam illud annunciamus vobis, paulò post sequitur) ab initio erat, & nobis palam ostensum est. Sed haec constructio sinceritatem

sententiae

sententia corrumpit: quia quod Verbum caro factum est, & ab apostolis auditum, visum & contractatum; non fuit ab initio, sed factum est in tempore. Proinde dicendum, in eo quod ait, *De verbo vita*, locutionem esse transitivam, hoc recto modo exponendam; *Ipsam verbum vita, quod fuit à principio, quodq; carne indutum audimus, & vidimus, & contractatum, annunciamus vobis*. Ita respondet optimè exordium huius epistolæ cum exordio euangelij, *In principio erat Verbum*. Hæc syntaxis est apud Augustinum in expositione huius epistolæ, & apud alios. Eandem Syrus interpres clarè expressit. Annotat autem Lorinus, esse Hebraicum, qualis Act. 2. *Effundam de Spiritu meo*: pro eo quod apud Ioelem cap. 3. legitur: *Effundam Spiritum meum*. Cuius locutionis etiam alia profert exempla.

(ET VITA MANIFESTATA EST. ORATIONEM adhuc pendente intercedit parenthesis: qua hæc solam partem includi quidam putant; vt id quod sequitur, *Et vidimus & testamur* &c. referatur ad illud præcedens, *de verbo vita*. Alij parenthesis longius protrahunt; idque probabilis: vt infra declarabimus. *Vitam* appellat ipsum *Verbum vita*, Iesum Christum Dei Filium: quem & in euangelio *vitam* appellat: vt cap. 1. *Vita erat lux hominum*, & cap. 11. ipse Dominus testatur, *Ego sum resurrectio & vita*. & cap. 14. *Ego sum via, veritas & vita*. Appellatur autem *vita*, quemadmodum dictum est, primùm quidem essentialiter, deinde etiam causaliter: & hoc bifariam: Siquidem, vt Deus, vitæ nostræ primarius author est, vnâ cum Patre & Spiritu sancto; siue vitam nostram intelligas temporalem, siue (quod apostolus spectauit) æternam atque beatam. Cæterùm, vt homo, per suam passionem & mortem, vitam nobis æternam promeruit. *Manifestata est autem vita*, Dei Filius, per incarnationem, & cum hominibus conuersationem, perque doctrinam & miracula. Cohærebit hæc parenthesis cum præcedentibus, si *vita*, per vocalem causalem exponas; *Etenim vita manifestata est*: vt significetur ratio quedam eius quod proximè præcedit, *de verbo vita*.

ET VIDIMVS, ET TESTAMVR, ET ANNUNCIAMVS VOBIS VITAM ÆTERNAM. Planior fiet contextus si suppleatur hoc modo: *Quam & vidimus: de qua proinde & testamur, quamq; vobis annunciamus; vitam, inquam, æternam*. Quomodo vidisse se dicat, explicatur est supra. Et quia tot modis viderat Ioannes ac ceteri apostoli vitam Christum: idcirco testes erant quàm maximè idonei, qui *vitam illam* hominibus *annunciarent*. Quam nunc vitam æternam vocat, respiciens ad effectum quem nobis tribuit. Qui enim per essentiam est vita, immortalis & æterna; idem nobis electis suis æternæ vitæ participationem, & meruit vt homo, & præstat vt Deus. Alioqui, Verbum ipsum significari, id est, Vi-

tam essentialem, declarat quod sequitur,

QVÆ ERAT APVD PATREM, ET APPARUIT NOBIS) *Apparuit*, Græcè ἐφανερώθη; quod modò venterat *manifestata est*. Rursus autem quæ hîc dicuntur conueniunt cum iis quæ habentur in euangelio. Quod enim illic ait, *Et Verbum erat apud Deum*; hoc de Vita nunc dicit, *Quæ erat apud Patrem*. Et quod illic, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*; hîc de Vita dicit, *Et apparuit nobis*. Erat igitur hæc vita æterna, & fons vitæ, apud Patrem; non demum à mundo condito, sed in principio & à tota æternitate: licet actu vitam de se fundere non cœperit, nisi postquam per ipsam ea creata sunt, quæ vitæ perennis essent capacia. Erat, inquam, vita apud Patrem, tanquam persona ab eo distincta; sed vnum cum eo in essentia: quippe particula *apud* & propinquitatem & differentiam denotat. Et quia dicitur, *apud Patrem*; ostenditur hanc vitam ipsum esse Filiû.

Apparuit autem hominibus eadem vita, sicuti dictum est; quando Verbum caro factum habitare cœpit & conuersari cum hominibus. Hoc loco finitur parenthesis.

3 QVOD VIDIMVS ET AUDIMVS, ANNUNCIAMVS VOBIS. Repetit ex superioribus, *Quod vidimus & audimus*; vt orationem quam reliquit imperfectam & suspensam, absoluat; addendo, *annunciamus vobis*. ac si dicat: *Quod*, inquam, *vidimus & audimus; id ipsum vos apostoli*, tanquam certissimi testes, *vobis annunciamus*. Nam probatissimi testes sunt, qui hominem de quo testantur, & viderunt, & loquentem audierunt: quod vtrumque pertinet ad testem oculatum. Nam auritum testem vocamus qui refert ea tantum quæ ex alijs audiuit.

Iam quo magis perspicuus fiat totius orationis contextus, ab initio epistolæ hucusque protensæ: breuiter eum reperimus & explicamus, hac paraphrasi: *Quod fuit à principio, quod audimus, quod vidimus oculis nostris ac perspeximus, quodq; manus nostræ contractauerunt, nempe verbum vita (vita namque manifestata est; quam & vidimus: de qua proinde etiam testamur, & quam annunciamus vobis; vitam dico æternam, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis;) Quod, inquam, vidimus & audimus; annunciamus vobis*. Præter hanc contextus distinctionem, quam vt probabilior adduximus, & sequimur; adfert Erasmus in annotationibus adhuc vnâ & alteram, quas apud ipsum videre est.

VT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBIS CVM. Addit causam finalem seu fructum annunciati per apostolos euangelij de Verbo incarnato. Fructus ille est *societas cum apostolis* huius euangelij nuncijs, quasi dicat: Nos qui vidimus & audiimus id quod vobis annunciamus; societate quadam inter nos coniuncti sumus, participantes ac participaturi bona, ab eo quem prædicamus promissa. Voluimus autè & vos adiungi nobis socios; nõ quæ-

stus aut commodi nostri causa: sed impellente nos charitate & officij nostri ratione; scilicet vt eorundem nobiscum bonorū efficiamini participes: id quod sequentia declarant. Pro *societate* Græcè est κοινωνία, *communio* seu *communisatio*: quomodo noster interpres interdum alibi vertit. Significat autem socialem aliquorum inter se coniunctionem.

ET SOCIETAS NOSTRA SIT CVM PATRE, ET CVM FILIO EIVS IESV CHRISTO. Verbum sit additum est ab interprete: quod & Erasmus supplet. Græca verò sic habent: *Et societas autem nostra cum Patre &c.* vt suppleendum videatur verbum *est*. Nam & Syriaci textus interpretes ita vertunt: *Est autem societas nostra cum Patre &c.* Iuxta versionem vulgatam sensus est. Vtque *societas nostra*, id est, vestra nobiscum adunata, *sit cum Deo Patre & Filio*. Quod si verò, *est* suppleatur, vt postulare videtur particula *est autem* (nam & Erasmus id magis probat in Annotatione): erit assumptio ad id quod præcedit, vt sensus sit: *Nostra autem societas, id est, ea quam nos apostoli inter nos habemus (ne rem non admodum expetendam promittere vobis videar) nobis communis est cum Patre & filio eius Iesu Christo*. Quæ profecto societas est omnibus vobis exoptanda: Quare si nobiscum inieritis societatem, consequenter eritis vnâ nobiscum socij Patris & Filij. Quæ quanta sit, & quam optabilis societas, vt omnes intelligant; exprimitur nomine amicitia: sicut eam alibi scriptura exprimit. Vt Sap. 7. *Amicos Dei Sapientia constituit*. Luc. 12. *Dico vobis amicos meos*. Io. 11. *Lazarus amicus noster dormit*. Et 15. *Vos amici mei estis si feceritis &c.* Et iterum. *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæ audiui &c.* Hoc autem nomen tantum ac tale est, vt pro magno scribat de Abraham Patriarcha Iacobus apostolus, cap. 3. quod *amicus Dei appellatus est*. Vnde & de hoc nomine sibi gratulatur Ioannes baptista, de seipso loquens in hunc modum: *Amicus autem sponsi qui stas & audit eum, gaudio gaudeo propter vocem sponsi*. Porro consistit hæc societas & amicitia in participatione bonorum ad salutem nostram pertinentium, quæ Deus nobis, vt socijs suis & amicis, communicat: quæ cum multa sint, omnium summatio est in intima contemplatione beatissimi Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Nam Patre & Filio nominato, Spiritus sanctus, qui Patris & Filij amor est, statim intelligitur. Præclarè meminit huius nostræ cum Deo societatis apostolus Paulus 1. Cor. 1. dicens: *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri*. Vide quæ ad eum locum de hoc vocabulo & re significata, annotauimus. Ex his præterea collige, contra schif-

maticos, neminem posse cum Deo societatem habere, qui societatem non habeat cum ecclesia catholica & apostolica, sponsa vtrique Christi. Qua de re præclarè Cyprianus: *Non potest habere Deum Patrem qui ecclesiam noluerit habere matrem*. Hoc ille in libro De vnitare eccl. Eadem sententia est apud S. Aug. enarrat. psalmi 88. in fine.

ET HÆC SCRIBIMVS VOBIS VT GAUDEATIS, ET GAVDIVM VESTRVM SIT PLENUM. *Plenum*, Græcè *impletum*. Absunt autem duæ voces, *gaudeatis* &, non solum in Græcis & Syris codicibus; verum etiam in manuscriptis quibusdam Latinis, & in antiquis concordantijs; nec non apud Augustinum & Bedam. Et quidem apud Bedam & Oecumenium, quemadmodum eorum commentarij declarant, prima persona legitur: *Vt gaudium nostrum sit plenum*. Cuius lectionis etiã glossa interlinealis meminit: tametsi pro secunda persona facere videtur loca prima fronte similia; Io. 15. *Hæc locutus sum, vt gaudium vestrum impleatur*. Et ca. 16. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum*. Legitur & in secunda epistola; *Vt gaudium vestrum plenum sit*: sed in Latinis dumtaxat; nam Græca eo loco habent *nostrum*; vt habent hoc loco permulta: Syrus interpres vtrique personam complexus est, dum ita vertit: *Vt gaudium nostrum quod est in vobis sit completum*. Sic enim & Dominus in euagelijs; *Vt gaudium meum in vobis sit*. Io. 15.

Nostre lectionis hunc sensum reddere licet: Hæc quæ dixi de Verbo Dei æterno & incarnato, & per nos vobis annunciat; vt vnâ nobiscum societatem habeatis cum Patre & Filio: scribimus vobis in eum finem, vt gaudeatis gaudio vero ac spirituali nimirum de bonis in illa societate acceptis & accipiendis; vtque gaudium illud vestrum perseueret ac perficiatur. Si primam personam legas: sensus erit; Vt nos de vobis tanquam socijs ac confortibus eiusdem gratie, plenum & perfectum capiamus gaudium. Quo fere modo Beda & Oecumenius hunc locum exponunt. Simili sensu dixit Paulus: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis*. Philip. 2. Dicit autem Ioannes plurali numero *scribimus*, quia quod scribebat, ex communi scribebat apostolorum sententia atque doctrina.

ET HÆC EST ANNUNCIATIO QUAM AUDIVIMVS AB EO, ET ANNUNCIAMVS VOBIS. Hactenus proœmium epistolæ, quod erat salutationis loco. Nunc ingressum facit ad exhortationem, qua doceat in genere fugienda esse peccata, si velint habere cum Deo societatem, de qua supra locutus est. *Annunciatio*, Græcè ἐπαγγελία, quæ vox etiam *promissionem* significat. Vnde vertunt Erasmus & Hentenius: *Et hæc est promissio*. Nam & noster interpres capite sequenti, versu 25. *repro-missionem* transtulit. Verum hoc loco magis quadrat *annunciatio*: quum in verbis sequen-

tribus non indicetur res aliqua promissa; sed doctrina contineatur, ad exhortationem applicanda: quod Deus lux est, &c. Est autem Hebraismus, *annunciatio* pro re annunciata; sicut alibi *spes* pro re sperata; *timor*, pro re timenda; actus nimirum pro obiecto. Hoc, inquit, est quod audiimus ex eo, nempe Christo Dei filio, quodq; ille nos docuit; & quod nos ab eo docti vobis annunciamus: videlicet id quod sequitur,

QUONIAM DEVS LVX EST; ET TENEBRÆ IN EO NON SVNT VLLÆ. Deum lucem vocat, eodem tropo, quo tenebras ab eo remouet; vtroque scilicet vocabulo metaphoricè sumpto: Ne quis hęc lucem & tenebras corporeas imaginetur, more Manichæorum, qui Deum esse dicebant lucem oculis corporeis aspectabilem; & Christum, solem hunc visibilem. Igitur Deus lux ab apostolo vocatur: primum quoad intellectum, quia plenus est intelligentia clarissimè seipsum (qui est prima veritas) & in seipso omnia alia, cognoscens. Deinde quoad voluntatem; quia summa bonitas est, summa iusticia & rectitudo. Deus inquit Moyses, *fidelis est & absque ulla iniquitate; iustus & rectus*, Deut. 32. Tertio (quod Ioannes potissimum spectasse videtur) propter effectum diuinæ lucis in nobis: quia nimirum ita Deus in seipso lux est purissima, nullisque permixta tenebris, vt etiam fons sit omnis lucis, id est, veritatis, bonitatis ac iusticiæ quæ in nobis est; nec solum nos illuminet, docendo quid agere debeamus, quod sit illustratione mentis: verum etiam efficaciter operetur in nobis vt agamus; quod sit excitatione voluntatis. Vnde & consequitur effectus ille, quem alij hęc considerant, vt radijs illius lucis perfusa mens nostra, ab ignorantia tenebris liberetur, & voluntas à prauitate purgetur.

Hoc enim est quod addit apostolus; *Et tenebra in eo non sunt vllæ*. Nam sensus est: Ita tenebras omnis erroris & ignorantia & peccati, ab illa luce aeterna quæ Deus est, alienas esse; vt etiam à nobis errorum & peccatorum tenebras expellat. Et hic sensus satis colligitur ex sequentibus: estque consentaneus ijs quæ scribit idem apostolus ca. 1. sui euangelij, de Verbo Dei: *Vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt*. Vbi tenebras vocat homines erroribus & peccatis obtenebratos. Et cap. 12. *Ego lux in mundum veni: vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*. Vbi tenebras vtique peccata & errores intelligit, quibus dissipandis Christus lux vera venit in mundum. Nota quod dicitur *in eo*, id est, *in Deo*; posse etiam ad lucem referri, iuxta Græcam lectionem; quia *φῶς* neutri generis est, vt *lumen* Latinis. Quem ad modum retulit Hieronymus, ita scribens lib. 2. dialogi contra Pelagianos,

cap. 3. *Quando dicit Ioannes, nullas tenebras in Dei lumine reperiri; ostendit omnia aliorum lumina aliqua sorde maculari*. Quamquam hoc sensum non variat.

6 SI DIXERIMVS QUONIAM SOCIETATEM HABEMVS CVM EO, ET IN TENEBRIS ANSVLAMVS: MENTIMVR, ET VERITATEM NON FACIMVS. Declarat quorsum huc adduxerit mentionem lucis ac tenebrarum. *Si*, inquit, *dixerimus* verbo aut animo, *nos habere societatem cum Deo*, & *in tenebris* peccatorum conuersamur ac viuimus: *mentimur*, id est, falsum dicimus, & *veritatem non facimus*, hoc est, facto non probamus verum esse, quod verbo aut cogitatione loquimur. Aut, *Non facimus*, id est, non loquimur veritatem. quemadmodum sequenti capite; *Mendax est, & in eo veritas non est*. Ratio cur falsum dicere conuincatur; quia *Deus lux est*: scriptum est autem, *Quæ societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. Quare & illatio hęc intelligi potest ex parte præcedenti; Si Deus lux est, nullas admittens tenebras: igitur homo in tenebris ambulans societatem habere cum Deo non potest. Quam proinde si habere se dicat, mentitur.

Dicit aliquis, Si is qui in tenebris, id est, in peccatis ambulat, non habet societatem cum Deo: igitur nec Ioannes ipse, cæterique apostoli societatem cum Deo habebant. Non enim viuebant sine peccatis: id quod Ioannes palam profiteretur paulo post, dicens; *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Vnde & Dauid orabat Dominum, dicens; *Deus meus illumina tenebras meas*. Respondeo non omnem eum in quo aliqua sunt peccatorum tenebræ, secundum Apostolum *in tenebris ambulare*; aut, vt sequenti capite versu 9, loquitur, *in tenebris esse*: sed eos solos, quibus tenebræ dominantur, id est, in quibus peccatum regnat, Rom. 6. versu 12. & 14. quique serui sunt peccati; ibidem versu 17. & 20. Nam tenebras aliquas patiuntur & habent etiam illi qui *in luce ambulant*, imo qui & *lux sunt in Domino*. Qui verò peccatis seruiunt & cupiditatibus suis obsequuntur; *in tenebris ambulare* dicuntur; ipsique tenebræ vocantur. Sic enim Paulus ad Ephesios cap. 5. *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino*.

Iam nec illud ex hoc loco consequens est, Christianos malos & in tenebris ambulantes, non esse in ecclesia, quæ societas est fidelium. Non enim illa societas hęc intelligitur, quæ cum recta fide solum consistat in externa fidei professione & sacramentorum communionem sub vno capite visibili; cuiusmodi societas ecclesiam constituit: sed ea quæ vera est cum Deo amicitia; quam charitas conciliat, in cordibus nostris

diffu-

diffusa per Spiritum sanctum Ri. 5.

7 SI AVTEM IN LVCE AMBVLAMVS, SICVT ET IPSE EST IN LVCE OCIE-TATEM HABEMVS AD INVICEM Dixit eos mentiri, qui cum in tenebris arulent, habere se dicunt societatem cu Deo: Nunc docet quinam veraciter hęc dicere possint; Nempè qui *in luce ambunt sicut Deus in luce est*. Non tamen, eo solito, appetit dicit, Societatem nos habere cum Deo: verum id consequitur ex eo quod dicit; *Societatem habemus ad invicem*. Græcè μετ' ἀλλήλων, *inter nos mutuam*: test, vos nobiscum qui sumus apostoli, & cætra. Sic enim ait supra, versu 3. *Ut & vos societatem habeatis nobiscum: & societas nostri sit cum Patre &c.* Significat ergo Ioanis, inter ipsos quibus scribit, & apostolos Christi societatem constare non posse; proinde nec cum Deo; nisi in luce arulent: ne vanè de societate & amicitia dei sibi plaudant. *In luce ambulare* dicitur, qui exercent opera lucis, id est, veritatis, bonitatis & iusticiæ.

Beda & alij quidam in metaphora ambulandi vtgent profectum quasi moraliter ambulare, secundum scripturas, non dicunt, nisi qui proficit; siu in bono, siue in malo. Et propterea Ioanem de Deo non dicere, sicut ipse ambulat in luce, cum proficere non possit: sed, *sicut est in luce*, nimirum immutabiliter; v-pote, cui dicitur, *Tu autem idem ipse es*. psal. 101. Verum eam annotationem parum solidam esse, probat locus capituli sequentis, vbi ait: *Qui dicit se in ipso (Christo) manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare*. Neque enim Christus profecit in virtutibus exercendo virtutes. Tantum ergo significat eam phrasin progressum, quo quis alia post alia, cum sui mutatione, exercet opera. Quod quidem etiam in Christum competebar: In Deum autem, vt Deus est, nullo modo. Vide quæ diximus ad illud Ro. 6. *In nouitate vitæ ambulamus*.

Porro comparationis aduerbium in hac sententia alijsque similibus, non æqualitatem indicat, vt per se manifestum est; sed similitudinem quandam, seu potius imitationem alienæ perfectionis, in nobis aliquatenus exprimendæ. Nam id volunt præcepta Dominica: *Estote perfecti sicut & Pater vester celestis perfectus est*. Matth. 5. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est*. Luc. 6.

8 ET SANGVIS IESV CHRISTI FILII EIVS EMVNDAT NOS AB OMNI PECCATO. Ostendit non ita nos in luce ambulare vt tenebris omnino careamus; sed opus esse nobis continua tenebrarum discussione, id est, peccatorum purgatione; quæ fiat per sanguinem Iesu Christi filij Dei, hoc est, per meritum passionis & mortis eius, in qua sanguinem suum pro

nobis effudit. Nec improbabile est; Ioanem hoc dicere propter Ebionitas hereticos, qui cum in tenebris ambularent, crebris lotionibus se à peccatis suis emundari credebant; mysterium redemptionis Christi non agnoscentes, quemadmodum & cæteri Iudaizantes. Aduersus quos agit Paulus Col. 2. & alibi.

Quæreret aliquis; Si ab omni peccato nos emundat sanguis Christi: quomodo statim negat idem apostolus, dicere nos posse, *Quia peccatum non habemus*? Ratio est quia non emundat nos sanguis Christi simul & semel ab omni peccato, vt dicere quis possit, Peccatum non habeo; & quod regat Sapiens, *Mundum est cor meum, purus sum à peccato*. Prou. 20. sed mundati sumus, & mundamur in dies, nunc ab his nunc ab illis peccatis: ita tamen vt nunquam dum hic viuimus, simus ab omni peccato prorsus emundati. Igitur ista mundatio ab omni peccato, consistit, vt scholastici loquuntur, in fieri non in factum esse: fitque actu incompleto, non autem completo, nisi in fine. Ex quo etiam intelligitur in electorum persona Ioannem loqui. Nam ij soli perfectam omnium peccatorum emundationem tandem consequuntur.

Dicit autem, *ab omni peccato*; volens vtique comprehendere omne peccatum, originale, mortale, veniale: quemadmodum benè declarant in suis commentarijs Augustinus & Beda: nec non Hieronymus lib. 2. dialogi contra Pelagianos. Originale quidem simul, cum actualibus ante baptismum commissis abluit sanguine Christi in baptismo: actualia verò postea commissa, præsertim mortalia, remittuntur per sacramentum pœnitentiæ: Nam venialia etiam alijs modis, absque sacramento, remitti possunt: ita tamen vt sine virtute sanguinis in cruce pro nobis effusi, nulla fiat peccatorum remissio, nec vlla remissionem præcedens purgatio, siue vt interpres loquitur, *emundatio*. Non enim solum hoc sensu sanguis Christi nos emundat à peccatis, quod reatum tollit præcedentium peccatorum; verum etiam quia voluntatem purgat ab affectu peccandi, præstans veram cordis conuersionem, & amorem iusticiæ, virtutumque operationem. Ad hæc enim omnia patet meritum Christi; quemadmodum id singillarim doctè explicat & ex scripturis probat Ioannes Hesselius in commentario. Denique notandum, his paucissimis verbis; *Sanguis filij Dei*, tres hæreses destrui: Manichæorum; qui veritatem humanæ naturæ Christo ademerunt; Ebionitarum, qui Christum Deum negarunt; & Nestorianorum, qui personam in Christo diuiserunt.

8 SI DIXERIMVS QUONIAM PECCATVM NON HABEMVS: IPSI NOS SEDVCMVS, ET VERITAS IN NOBIS

NON EST. *Seducimus*, Græcè *πλανώμεν*, *fallimus*, *decipimus*. Pendet intellectus huius sententiæ ex vero sensu eius quod est *peccatum habere*. Multis enim modis peccatum habere quis dicitur. Primo, propter affectum peccati. Quo quidem modo veritatem habet hæc apostoli sententia; quatenus in hoc sæculo nemo reperitur qui plenè purgatus sit ab omni inordinato & vicioso affectu. Vnde Augustinus in enarratione psalmi 118. conc. 10. *Intelligere debemus*, inquit, *quantumlibet quisque proficat in iustificationibus Domini; habere eum mortalis carnis affectum circa ista terrena; & in quibus vita humana tentatio est super terram*. Sic & Leo magnus sermone 7. de Epiphania Domini: *Quis inuenietur ita immunis à culpa, ut in eo non habeat iusticiam quod arguat?* Et sermone 6. quadragesimæ: *Talis est conditio etiam eorum qui concupiscentiis remittuntur, ut nunquam possint in cordibus suis non inuenire quod reprobent*. Et generalis est sententia Iob. 14. *Nemo mundus à sordibus*. Secundo modo, propter reatum peccati: ut habere peccatum, sit reum esse propter primum opus commissum. ita definiens B. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 26. Atque hoc etiam modo intellecta, vera est B. Ioannis sententia. Nam durante hac vita nunquam sumus ab omni reatu liberi. Semper enim est vnde dicere Deo debeamus: *Dimittite nobis debita nostra*. Quod etiam ad recens baptizatos extendit Hieronymus lib. 3. dialogi contra Pelagianos sub finem. Et veritatem habet respectu pœnalitatum huius sæculi quibus adhuc sunt obnoxij: Item qui adulti sunt baptizati, ij recens etiam post baptismum peccata aliqua committunt, quæ pœnam merentur. Sequitur enim hic modus ex priori. Nam si nunquam plenè sit expurgatus in hac vita noster affectus: semper igitur remanet aliquis reatus, etiam in homine recens baptizato. Non enim per baptismum tollitur reatus nisi peccatorum quorum depositus est affectus. Hunc sensum passim attendunt Patres: & probant ex dictis verbis orationis Dominicæ: *Per quam*, ut ait Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei cap. 27. *nobis voluit Salmator ostendere, quantumlibet iuste in huius vita caligine atque infirmitate viuamus; non nobis deesse peccata pro quibus dimittendis debemus orare*. Sed & Leo sermone iam citato de Epiphania Domini docet neminem inueniri ita immunem à culpa, ut in eo non habeat Dei misericordia quod remittat. Aperta quoque sententia est Innocentij 3. libro 5. mysteriorum missæ cap. 28. *Hominem dum in hac vita consistit, semper esse in aliquo peccato*. Quod & probat ex hoc loco Ioannis. Tertio modo, propter actum peccati, non quidem præsentem, sed frequentem & quotidianum & quodammodo cõtinuum. Quem

modum attenderunt Hieronymus, Augustinus & ij Patres, qui contra Pelagium scripserunt. Cuius erat doctrina, iustum hominem uere posse sine peccato; ac multos fuisse si sine peccato vixissent. Quarto modo, propter peccatum in quo nati sumus, vel quod itaque deinde actu commisimus: propter quod opus sit nobis Christo propiciatore & auocato. Iuxta quem modum sententia Ioannis refertur ad peccata præterita, quam remissa ac deleta: ut sit sensus, Si quis derit se non peccasse, nec in peccato vnqua fuisse; ideoque Christo patrono opus ne habere: &c. Sensus hic probabilis cuiuspiam videri posset ex loci circumstantijs. Præcessit enim proximè, *Et sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato*. Et sequitur; *Si dixerimus quoniam non peccauimus &c.* Et initio orationis sequentis: *Hæc scribo vobis ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus &c.* At verò sensus iste præsentis loci nimè sufficit. Nam apostolus adhuc exigit confessionem peccatorum, ac proponit spem veniæ, ex promissione Dei, dicens: *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra*. Loquitur ergo de peccatis adhuc remittendis. Et vique scribit ad fideles quibus originale peccatum, & graua actualia baptismo fuerant dimissa. Vult igitur ut adhuc confiteantur offensas suas quotidianas: quemadmodum & Iacobus apostolus; qui cum dixisset cap. 3. *In multis offendimus omnes*. postea ca. 5. al. offensarum confessionem hortatur, dicens. *Confitemini alterutrum peccata vestra*.

Iam verò ex eodem Iacobi testimonio, quo dicit nos omnes in multis offendere, satis apparet quem modum ex tribus prioribus supradictis Ioannes potissimum spectauerit; illum nempe, secundum quem nemo est qui peccatum non habeat, quia non viuunt sine quotidianis ac frequentibus peccatis. Atque hunc sensum explicat, alijque scripturæ testimonijs declarat, Patres Mileuitani cõcilij, tribus canonibus super hac re editis, sexto, septimo & octauo. Pertinet huc sanctorum confessiones, quibus hanc peccandi frequentiam humiliter in seipsis agnoscunt: Vt Hieronymus ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosol. *Quotidie peccamus omnes, & in aliquo labimur*. Ambrosius libro 4. de sacramentis cap. 6. *Qui semper peccat, debeat semper habere medicinam*. Et in apologia Dauid: *Unusquisque nostrum per singulas horas quàm multa delinquit!* Augustinus in enarratione psalmi 128. *Si veraciter sibi tundunt homines pectora; peccatores sunt. Et quis nostrum non sibi tundit pectus?* Gregorius lib. 4. epistola 31. ad Mauritium imperatorem: *Et quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo; incessanter quotidie plagis ferior*. Bernardus epistola 24. in fine: *Orari pro me instanter postulo*

quia.

quia incessanter pecco. Ioannes Gerson in tractatu de statuto Carthusienſium: *Vix facimus aliquid, ubi non possimus rationabiliter formidare de peccato veni. li.* Hæc ex multis pauca. Porro doctrina hæc adeo constans est apud Patres, ut passim affirmant hominem non posse viuere sine peccatis: nimirum ob fragilitatem humanæ naturæ originaliter corruptæ.

Ex his autem vltimis consequens est, apostoli sententiam veram esse etiam de reatu peccati intellectam, iuxta secundum modum superius expositum. Dum enim frequentissimè peccamus; nunquam deest vnde dicamus in oratione, *Dimittite nobis debita nostra*. Quanquam etiam ad primum modum, qui est de affectibus viciosi hærentibus in animo, Patres interdum respiciunt in alleganda hac Ioannis sententia. Ex qua denique manifestè refellitur illud Pelagij cauillum, quo dicebat sanctos humilitatis causa confiteri se peccatores, quamuis reuera peccatum non haberent. Non enim dicit Ioannes, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos extollimus, & humilitas in nobis non est*: sed dicit, *Ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Vnde sensum illum Pelagij Mileuitana Synodus meritò damnauit anathemate, can. 6.

Præterea refellitur opinio quorundam, inter quos est Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, qui putant, apostolos post Domini resurrectionem accepro Spiritu sancto, ita fuisse confirmatos in gratia Dei, ut deinceps nullis essent peccatis ac passionibus obnoxij. Refellitur, inquam; quia apostolus est qui dicit: *Si dixerimus &c.* vti que semetipsum comprehendens; quemadmodum & in præcedentibus ac sequentibus. Sic etiam Iacobus apostolus: *In multis offendimus omnes*. Sic Paulus de Petro apostolorum principe, Gal. 2. *Quia reprehensibilis erat*. Existat hæc de re apud Hieronymum, Augustinum, Prosperum & alios Patres aperta testimonia, quæ breuitatis studio omitto.

Postremò, liquet ex dictis, hæc multum esse diuersa; peccatum habere, & actu præsentis peccare; ideoque; nequaquam esse consequens, si semper habemus peccatum; semper & in omni opere nos peccare: quemadmodum docent hæretici nostri temporis. Quem errorem condemnat Synodus Tridentina sess. 6. can. 25.

SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA; FIDELIS EST ET IUSTUS, UT REMITTAT NOBIS PECCATA NOSTRA, ET EMUNDET NOS AB OMNI INIQUITATE. Postquam docuit neminem carere peccato; nunc monstrat generale remedium obtinendæ remissionis peccatorum, quæcumque commiserimus, seu magna, seu parua. Hoc remedium est *peccatorum confessio*; nimirum ea quæ passim in scripturis veteris & noui testamenti describitur & commen-

datur; id est, quæ ex dolore & erubescencia super peccatis proficitur; & inuocationem diuinæ misericordiæ coniunctam habet, simul & voluntatem ea faciendi quæ Deus à pœnitentibus exigit: siue ea confessio coram solo Deo fiat, siue coram sacerdote Dei vicario; iuxta temporum & peccatorum differentiam. Nominat autem Ioannes solam confessionem, quia primum omnium in spirituali sanatione hominis, est agnitio peccati; teste Augustino in commentario: Vel, quia pœnitentia per confessionem maximè se prouidet; ut proinde nomine confessionis tota pœnitentia subintelligi possit. *Fidelis est & iustus*, supple, vel *Deus*; vel, *Iesus Christus Dei Filius*. Vtrumque enim præcessit. *Fidelis* quidem, id est, itans promissis, & fidem seruans. Promisit enim Deus peccatoribus pœnitentibus & peccata sua confitentibus, veniam peccatorum per Christum. *Iustus* autem, non quod pœnitenti lege iusticiæ debeatur venia peccati; quomodo benè operanti debetur merces vitæ æternæ: sed, vel hac ratione, quia seruare fidem promissorum, pars quædam est iusticiæ, ut hoc vocabulum sit explicatio prioris; vel, quia condecet hoc diuinam bonitatem, humiliter sua peccata confitentibus, ea condonare. Quo sensu, *iustum Deo* dicitur ut misericordibus misereatur, & dimittentibus dimittat; restante Domino Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Et Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis*.

Ceterum dicta promissio non ad primam hominis institutionem pertinet, sicut promissio vitæ æternæ pro bonis operibus; ut quidam opinati sunt: sed ad gratiam Christi Saluatoris. Certum est enim peccata non aliter remitti, quantacumque etiam pœnitentiâ, quam per sanguinem Christi, tamen & illud verum est; posteaquam de statu primæ integritatis homo decidit, ad gratiam Christi referendum esse non solum quod reparatur ad iusticiam, quodque; opera iusticiæ exerceat; verum etiam, quod pro illis mercedem recipiat æternæ vitæ: cessante nimirum & abolito, propter hominis transgressionem, pacto primæ conditionis.

Porro ne quis suspicetur remissionem peccatorum fieri sola imputatione iusticiæ, ut noui hæretici volunt: addidit Apostolus: *Et emundet nos ab omni iniquitate*. Sic igitur remittit nobis peccata Deus, ut ab ijs nos emundet; quod non fit sola peccatorum non-imputatione, sed vera renouatione vitæ. Quanquam quod dicit, *ab omni iniquitate*, si collectiue sumatur, hoc sensu ut nihil restet iniquitatis; non perficitur ea mundatio, nisi in sæculo futuro. Sed potest accipi distributiue: ut sensus sit, nullam esse iniquitatem tantam vel numero vel magnitudine, à qua sanguis Christi nos non emundet, si eam confessi fuerimus. Ita conueniet hæc pars cum illa superiore: *Sanguis Iesu Christi*

si filij eius emundat nos ab omni peccato; secundum expositionem illic datam. Obiter admoneo, peccatum & iniquitatem pro eodem accipi, hoc quidem loco.

SI DIXERIMUS, QUONIAM NON PECCAVIMUS: MENDACEM FACIMUS EVM. Hæc pars dupliciter exponi potest. Vno modo, ut sit inculcatio quædam eius quod dictum est, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus &c.* idque cum auxilio, qua pro eo quod ibi dicebatur, *Ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; hic dicitur, *Mendacem facimus eum.* quod est multo deterius. Iuxta quem sensum idem est Ioanni non peccasse, & peccatum non habere. Nam ex eo peccatum habemus; quia peccavimus. Nec (iuxta hunc quidem sensum) erat dicendum, *Si dixerimus quoniam non peccavimus*; quia multi sunt qui in præsentem non peccant, nec tamen dicere possunt; *peccatum non habemus*. Peccauerunt enim; & ita quidem, ut peccatum habeant, sitque eis necesse in oratione dicere, *Domine nobis debita nostra*. Qui igitur, hoc sensu, dicit se non peccasse; *Christum facit mendacem*, qui nobis omnibus illam orationem præscripsit. Alter sensus, quo nimirum aliquid diuersum à sententiâ superiore dicitur; est huiusmodi: Si quis verò nostrum eodemeritis processerit, ut non modo dicat se peccatum non habere; sed in super audeat dicere, se nunquam peccasse: is non solum mendax est, seducens seipsum; sed & Deum facit mendacem, qui passim in scripturis totum genus humanum condemnat peccati. Quod pulchrè docet apostolus Paulus Ro. 3. collectis è scriptura testimonijs, ex quibus concludit, quod *omnes peccauerunt & egent gloria Dei*. Si quis hæc B. Ioannis verba dicat verificari posse de peccato originali, de quo Ro. 5. *In quo omnes peccauerunt*; etiã quis actuale peccatum nullum commiserit; vti constat de infantibus ante rationis usum extinctis: Respondeo, Ioannem manifestè loqui de adultis ac ratione utentibus: qui si nunquam actu peccauerunt, ergo nec in peccato nati sunt. Nam ex eo fit ut sine peccatis actualibus esse non possimus, quia in peccato nati sumus: quo etiam remisso, concupiscentia seu fomes remanet, assidue nos ad peccatum incitans. Quæ doctrina est Augustini lib. 5. contra Iulianum ca. 15. Hic posterior sensus probabilior nobis est. Videtur enim Ioannes hoc dicere propter Iudaizantes; qui corruptæ naturæ prauitatem non agnoscebant. Quanquam & prior sensus est aduersus istos naturæ iam corruptæ imperitos laudatores.

ET VERBUM EIUS NON EST IN NOBIS. Verbum, Græcè, λόγος, quod etiam sermo vtri potuit. Quidam sic exponunt: Christus qui est Verbum Dei Patris, non est in nobis, scilicet habitans per gratiam. Verum, simplicior hic sensus est; Verbum siue sermo quem nos à Deo missi vobis annun-

ciamus de Christo redemptore, cuius sanguine omnes à peccatis mundandi sumus; non est in vobis, per fidem; Id est, euangelio Dei per nos annuntiati non creditis, quod est Deum facere mendacem.

S V M M A R I V M.

Docet Christum esse propitiationem pro peccatis. Hortatur ad observationem mandati de mutua dilectione. Omnem aetatem consolatur. Monet vitandam mundi dilectionem, & fugiendos Antichristos, ac permanendum in veritate semel accepta.

CAPVT. II.

FILII MEI, HÆC SCRIBO VOBIS UT NON PECCETIS. Filii, vox est blandissimè monentis; qua & Christus ad discipulos suos vsus fuit; Marci 10. & Io. 13. & Paulus ad Galatas cap. 4. Ipse verò Ioannes in hac epistola frequentius vtitur. An autem idcirco filios vocet, quod eos in Christo per euangelium genuisset, non constat. Nam apostolis omnes fideles erant filij & filijoli; quatenus paternam curam salutis omnibus impendebant, aut impendere parati erant. Porro dicens: *Hæc scribo vobis*, aut de tota loquitur epistola, aut potius ad ea propriè respicit quæ iam proximè dixit de peccatis; nempe, nos omnes peccasse, & peccatum habere; & à peccatis emundati in sanguine Christi, si ea confessi fuerimus. Etenim insolita consuetudo peccandi, & sociorum peccantium multitudo, & facilitas veniæ, solent hominibus incitamento esse ad iteranda & frequentanda peccata. Dicit ergo B. Ioannes, hæc se non scribere, seu scripsisse eis, quo liberius peccent; sed contra, ut peccata sollicitè vident, ac, ne in pristinas sordes peccatorum relabantur, à quibus sanguine Christi mundati erant. Hoc enim esset magnæ ingratitudinis. Non dissimiliter apostolus Paulus Rom. 6. *Quid ergo dicemus* inquit. *Permanebimus in peccato ut gratia abundet?* Absit. *Qui enim mortui sumus peccato; quomodo adhuc viuemus in illo?*

Sed quæres cur non sit sibi ipsi contrarius Ioannes, qui paulo ante negauit nos viuere posse sine peccatis: nunc autem ideo se nobis scribere dicit, ut non peccemus. Mouet hanc quæstionem Beda & respondet, Apostolus illic prouidè & salubriter nos admonuisse *nostra fragilitatis*; ne quis sibi quasi innocens placeat, & se de meritis extollendo grauius peccet: hic autem consequenter hortari, ut si omni culpa carere nequimus, demus tamen operam, quantum valemus, ne nos ipsi fragilitatem nostram conditionis negligenter agendo augeamus: sed contra omnia vicia strenuè vigilemus: que dimisimus; maxime contra maiora &

apertio-

apertiora, qua Domino inuante facilius superare vel canere possumus. Hæc Beda; bene locum hunc interpretans de peccatis in genere; quæ in vniuersum cauenda præcipit Apostolus, quantum humana fragilitas permittit; magis tamen ea quæ grauiora sunt; maxime verò quæ mortem adferunt. Vnde & ecclesia quotidie Deum generaliter orat dicens: *Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire*. Et iterum: *Tua nos hodie salua virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum*.

SED ET SI QVIS PECCAVERIT; ADVOCATVM HABEMVS APVD PATREM, IESVM CHRISTVM IUSTVM. Sed, additum ab interprete. Nam Græca & Syriaca non habent. Quemadmodum capite præcedenti dicens, *Si confiteamur peccata nostra* &c. remedium monstrauit obinendæ purgationis peccatorum, nempe confessionem eorum: ita nunc aduocatum seu patronum ostendit cuius intercessione & merito eadem purgatio nobis contingat. Si cui, inquit, de vita humana surrepit aliquod peccatum, siue veniale, quo omni carere non possumus, siue mortale, quod vitari potest: *aduocatum habemus* &c. Cum enim nullum peccatum quantumuis exiguum abluo possit nisi sanguine mediatoris Christi, ipso dicente: *Si non laueris te, non habebis partem mecum* Io. 13. nihil opus est hanc sententiam (quod quidam faciunt) ad mortalia peccata restringere, præsertim quum & in eo quod sequitur: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* &c. peccata generaliter intelligantur. *Aduocatum*, Græcè παρακλητον: quæ vox plura significat; *exhortatorem, consolatorem, aduocatum*. Attribuitur autem Spiritui sancto Io. 14. 15. & 16. quatenus consolatorum significat; iuxta communem ac veriore intellectionem. Qua significatione etiam Filio conuenit, imo toti Trinitati. Nam Filius quidem dicens Io. 14. *Rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis*, nempe post meum discessum; satis significat etiam se esse paraclitum, quomodo Spiritum sanctum, id est, consolatorem. Patrem autem eodem sensu paraclitum esse, Paulus declarat 2. Cor. 1. Deum appellans totius consolationis. Verum hoc loco, quamuis Gregorius Nazianzenus oratione 4. de Theologia, Christum interpretetur paraclitum dici, id est, exhortatorem ac monitorem: omnino tamen aliorum omnium tenenda est sententia, *aduocatum* significat. Nam aduocati seu patroni (nom enim hæc ea vocabula distinguimus) officium expressit B. Ioannes sequentibus verbis; dicens, *Ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris*. Igitur, *aduocatum habemus*, ait Ioannes, *Iesum Christum iustum*, qui apud Patrem iudicem nostrum, pro nobis intercedat, veniamque nobis impetret peccatorum. Patrem solum nominat apud quem intercessio fiat, quia de Filio sermo est, cui maxime congruit apud Pa-

trem intercedere pro supplicibus. Alioqui, tota Trinitas Iudex noster est, apud quem partes aduocati Filius agit secundum humanam naturam.

Iam verò cum ad officium aduocati tria pertineant, Primum, ea apud iudicem allegare quibus, citra rei condemnationem, iustitiæ satisfiat; Alterum, proferre humilitatem ac preces rei, peccatum agnoscentis ac veniam postulantis; Tertium, suis etiam precibus apud iudicem intercedere; ut clementer & misericorditer, non autem ex rigore iustitiæ, cum reo agat: Hæc tria maxime in Christum competunt. Primum namque offert Patri sanguinem suum pro lytro seu precio redemptionis peccatorum nostrorum. Deinde allegat humilem rei confessionem, de qua capite superiori: *Si confiteamur peccata nostra*. Tertio suam addit interpellationem, orans indefinenter pro nobis Patrem, vti testatur Paulus Rom. 8. & Heb. 7. Orat autem nunc in celo constitutus non supplicum more sese prosteruens ante Patrem, aut miserabiles edens voces: sed desiderium salutis electorum suorum eloquens atque expromeus Deo, tum mente, tum verbis cuiusmodi, quæ Filium in humanitate gloriosum, & ad dexteram Dei sedentem, atque cum eo regnantem, non dedeant, quemadmodum ostendimus ad illud Ro. 8. *Qui etiam interpellat pro nobis*, & amplius, ad locum Heb. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Porro de his aduocati nostri officijs vide pluribus agentem Hesselium in commentario. Addit deinde Ioannes, *iustum*, id est, sanctum, innocentem & inculpatum. De quo Paulus Heb. 7. *Talis, inquit, decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Neque enim idoneus est aduocatus, qui ipse sit reus. Conuenit autem hoc epitheton Christo aduocato nostro perfectissime: qui ita iustus est, ut per omnia Deo placeat, ac reconciliatore pro seipso profusus non egeat.

Sed quoniam reuera, licet imperfectiori modo, competit epitheton illud etiam in alios sanctos & iustos, siue iam cum Christo regnantes, siue in hoc sæculo adhuc peregrinantes: idcirco & eos, quatenus Christi merita Deo pro nobis offerunt, nosque suis precibus Deo commendant ac placare student; rectè nostros aduocatos agnoscamus & salutamus: tametsi gradu incomparabiliter inferiore quam Christum. Vnde & orationes, quibus propter illorum intercessionem & merita (scilicet haud aliunde quam ex merito Christi profecta) aliquid à Deo petimus, ecclesia fere terminat hac clausula: *Per Christum Dominum nostrum*.

ET IPSE EST PROPICIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS. Plenius explicat Ioannes excellentiam aduocati nostri, nempe qui talis sit, ut non alienam offerat Patri

satisfactione, sed exhibeat suam ac propria: per quam non solum conatur ac satagit (vt apud hominem iudicem faciunt aduocati) Deum reddere nobis placatum: verum certissime Deum nobis placat ac propitium reddit. *Ipse, inquit, est propiciatio pro peccatis nostris. Vt propiciationem intelligas vel sacrificium quo redditur Deus propicius; quomodo intellexit Augustinus; vel ipsum propiciatorem, id est, eum qui reddit Deum propitium. Nam Christus vtrumque est; & Sacerdos Deum nobis placans, & hostia per quam semel in ara crucis oblatam, Deum nobis placat. vtilare docet apostolus Paulus in epistola ad Hebraeos. Sentit autem Ioannes, Christum reddere Patrem nobis propitium per hostiam crucis, non solum sufficienter, vt loquuntur; sed efficienter. Non enim ait, *Et ipse fuit propiciatio; tunc scilicet, quando offerebatur in cruce: sed, Ipse est propiciatio pro peccatis nostris; in quantum videlicet hostiam illam pro omnium salute sufficientem, continue & vsque ad finem seculi quibus vult, applicat, ad remissionem peccatorum. Pronomen nostris ad quos referendum sit; pendet ex intellectu partis sequentis. Vbi etiam plura contra sensum eorum qui Ioannem de sufficientia exponunt. Est etiam operæ precium videre quæ hic aduersus Catharinum adfert Hefselius.**

NON PRO NOSTRIS AVTEM TANTUM, SED ETIAM PRO TOTIVS MUNDI. Huius loci variæ sunt expositiones. Inter quas vna est, hostiam crucis sufficientem esse ad propiciandum & placandum Deum non modò pro peccatis nostris, id est, eorum qui credimus; verum etiam pro peccatis omnium hominum, quotquot sunt, fuerunt, aut futuri sunt. Sed illum commentarium, quamuis veritatem contineat de vniuersali sufficientia passionis Christi pro omnibus; tamen vt huic loco minus conuenientem iam exclusimus: plura ad eundem improbandum, infra dicturi. Alij porrò, Ioannem intelligentes loqui de efficaci & actuali propiciatione, iuxta datam prius expositionem; sensu tamen adhuc variant. Quidam enim sic exponunt: Non tantum pro peccatis nostris, id est, eorum qui nunc viuunt, sed etiam pro peccatis eorum qui nascituri sunt, quamdiu mundus durabit. Ita Oecumenius. Alij sic: Non tantum pro peccatis nostris, id est, eorum ad quos scribo; verum etiam pro peccatis totius ecclesie. Vt nomine totius mundi intelligatur ecclesia per totum mundum dispersa, completens omnes toto orbe fideles. Quæ est expositio Augustini tract. 1. & 5. in hanc epistolam, & tract. 87. in euangelium Ioannis; nec non Bedæ in commentario. Sic enim & ipsa ecclesia canit in festo Pentecostes: *Quapropter profusus gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat, id est, ecclesia, toto or-*

be diffusa. Rursus alij: Pro peccatis non tantum eorum qui iam credunt, sed & omnium electorum, quos adhuc ex omnibus mundi partibus ad fidem adducturus est. Alij denique reddunt hunc sensum: Non tantum pro peccatis nostris, id est, Iudæorum, sed etiam pro peccatis gentilium cuiuscumque per totum orbem nationis. Qui sensus exstat apud Cyrillum lib. 11. super Ioannem cap. 19. Qui nobis videtur huius loci maximè germanus, ideoq; ceteris anteponendus. Scribitur enim hæc epistola ad Iudæos, vt ostendimus in prolegomenis. Sic & alibi Ioannes loquitur; vt euangelij sui cap. 11. dicens Caipham prophetasse, quod Iesus moriturus erat pro gente, nempe Iudaica; & non tantum pro ea gente, sed vt & filios Dei qui erant dispersi, nempe per totum mundum, congregaret in vnum, id est, in vnum ouile. Quomodo dicit Dominus eiusdem euangelij cap. 10. *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Pastor.* Est & in hac epistola locus similis: vt cap. 4. vbi cum dixisset, Deum misisse filium suum propiciationem pro peccatis nostris; paulò post ad gentiles idem beneficium extendit, dicens *Patrem misisse filium suum Salvatorem mundi.* Cum quo rursus conuenit quod dicit ipse Dominus euangelij cap. 17. *Non pro eis autem rogo tantum; sed & pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Hoc enim protinus exponens, ita subiicit: *Vt credat mundus, id est, dispersio gentium, quia in me misisti.* Nec secus accipiendum arbitror id quod ad consecrationem sanguinis Dominici, recitat sacerdos ad altare, ex apostolica traditione: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Pro vobis, scilicet Iudæis; & pro multis, gentium populis.*

Iam quod sensus apostoli non debeat esse prorsus vniuersalis; vt volunt qui de sufficientia duntaxat precij locum hunc exponunt: doceri potest ex verbis proximè præcedentibus, *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum.* Dum enim statim subiungit, *Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, ac totius mundi:* declarat, Christum propiciationem esse pro peccatis illorum quorum est aduocatus. Atqui tantum electorum aduocatus est, quia tantum pro electis orat: sicut ipse testatur Io. 17. *Non pro mundo rogo; mundum reprobatorum intelligens; sed pro his quos dedisti mihi: qui vtique sunt electi.* Similiter ergo, tantum pro electorum peccatis, tam eorum qui sunt ex gentibus quam qui ex Iudæis, significatur esse propiciatio. Quæ res etiam ostenditur ex verbis memoratis, Io. 11. *Non tantum pro gente: sed vt & filios Dei qui erant dispersi, congregaret.* Vbi licet multitudinem gentium significare voluerit euangelista; tamen sermonem restrinxit ad filios Dei, nimirum prædestinatione, id est, electos. Quare & hoc

loco

loco solos electos intelligi conuenit. Nam etsi quidam non-electi interdum propiciationis participes fiant; quia tamen ab ea excidunt, ac proinde temporales sunt, sine inque non attingunt: meritò reputantur inter alienos & propiciationis exsortes.

ET IN HOC SCIMVS QVONIAM COGNOVIMVS EVM, SI MANDATA EIVS OBSERVEMVS, Scimus, Græcè γινώσκωμεν, cognoscimus. Particula enim refert Patrem seu Deum. Commendat deinceps Apostolus ijs ad quos scribit, obseruationem mandatorum Dei, & præcipue illius de proximis diligendis: idque propter illos qui de fide & noticia veri Dei gloriabantur, opera bona quæ facienda dicat charitas, negligentes; tanquam fides sola ad salutem sufficeret. Simul ostendit quinam sint qui cum Deo societatem habeant, de qua primo capite locutus est. Docet igitur quid sit Deum cognoscere, videlicet ea cognitione qua nobis sit salutaris, ac Deo nos probatos reddat; quamq; passim à nobis exigunt scripturæ. Est autem ea notitia affectiua, quam vocant; complectens actum intellectus pariter & voluntatis, id quod cognoscitur amantis affectu charitatis. De qua noticia Isaias cap. 11. *Repleta est terra scientia Domini.* Et Hieremia cap. 31. *Cognosce Dominum.* Omnes enim cognoscent me. Et Sapientia cap. 15. *Nosse te consummata iusticia est.* Ita & Dominus in euangelio, de ouibus suis: *Ego cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* Io. 10. Et ad reprobos: *Non novi vos.* Matth. 7. & 15. Hæc acceptio noticiæ Dei, frequens est in hac epistola. Vnde Ioanni, consecutiue, eadem sunt, *Nosse Deum, Diligere Deum, Habere Deum, Esse in Deo, & Manere in Deo.* Notandum autem verbo scimus seu cognoscimus, non significari certam & infallibilem noticiam; sed qualis de tali re, de qua sermo est, haberi per experientiam potest. Sensus enim huius partis est: Hoc argumento discere possumus & cognoscere quod Deum nouerimus, & noscendo diligamus; si præcepta eius, ea speciatim quæ de diligendo proximo nobis dedit, obseruemus. Ad hæc enim præcepta Ioannem respicere, parebit ex ijs quæ dicit infra versu 9. 10. 11. Certum quidem est eum qui mandata Dei seruat, nosse Deum noticiæ charitatis: sed quod mandata Dei seruemus, infallibiliter certi non sumus, sed experimento quodam ex ijs quæ agimus, cognoscere possumus. Itaque nihil facit hic locus pro noua ac speciali fide hæreticorum.

QVI DICIT SE NOSSE EVM, ET MANDATA EIVS NON CVSTODIT; MANDATA EST, ET IN HOC VERITAS NON EST. Græcè, *Qui dicit, Non eum, &c.* Estque in Græco idem verbum, τηρειν, quod interpretes variè vertit, *obseruare, seruare, custodire.* Mendax est, id est, falsum dicit. Explicatur enim per hoc quod sequitur, & in

eo, scilicet hoc dicente, *veritas non est.* Id est, Hoc dicens, veritatem non loquitur. Ita capite præcedenti: *Mentimur, & veritatem non facimus.* Quamquam & eatenus propriè mendax est, id est, loquens contra quàm gerit in mente, quia scire tenetur se Deum non nosse, si mandata eius non custodit. Reliquum huius periodi patet ex superioris partis explicatione. Vnde & liquet, ex hoc loco non esse consequens, id quod aduersarij malè colligunt, eum carere fide, qui charitatem non habeat. Dicitur enim & declaratum quid Ioanni sit, *nosse Deum.*

QVI AVTEM SERVAT VERBUM EIUS, VERE IN HOC CHARITAS DEI PERFECTA EST. Perfecta, id est, consummata; participium, non nomen. Nam in Græco verbum est passiuum præteriti temporis περιλειπται, quod Latine resoluitur in participium & verbum substantiuum. Charitatem Dei intelligit, qua nos Deum diligimus.

Sed quæritur, quam dicat charitatem Dei perfectam seu consummatam. Hoc vt intelligatur, conferendus est hic locus cum ijs quæ dicit cap. 4. *Si diligamus, inquit, inimicem; Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Vbi in Græco participium exprimitur, περιλειπται ἐστίν. Et iterum: *In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij.* Vbi Græcè rursus verbum quod hoc loco. Item, *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Vbi in Græco nomen τειλα. Et mox: *Qui autem timet non est perfectus in charitate.* Vbi rursus verbum præteriti temporis. His omnibus locis, charitatem perfectam videtur apostolus eam intelligere, quæ est vera, sincera, Christiana; legi Dei conformata. Probat enim charitatem Dei perfectam, ex obseruatione mandatorum eius; id est, ex dilectione proximorum. De qua Paulus Ro. 13. *Qui diligit proximum, legem implet.* Nam & fiducia in diem iudicij nascitur ex obseruatione præceptorum Dei. Sincera quoque & Christiana charitas cum timore serui non consistit; sed eum expellit. Agnoscitur autem huiusmodi charitas, si se extendat ad proximos; nec amicos tantum; sed etiam inimicos; secundum præcepta Saluatoris Matth. 5. Nam & ibi perfectam charitatem exigit; dum sua præcepta concludens, ait: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester caelisticus perfectus est. Perfecti, inquit, iuxta modum perfectionis quam viatores assequi possumus. Alioqui nullius hominis in hac vita charitatem omnino perfectam esse, remota scilicet omni imperfectione, iam antè docuit Ioannes, quando testatus est neminem hinc viuere sine peccatis. Idque de se etiam profitetur Paulus Philip. 3. dicens: *Non quod iam acceperim aut perfectus sim.* Et iterum, *Frater, ego me non arbitror comprehendisse.* Dicit ergo B.*

Ioannes;

Ioannes, eum verè diligere Deum, perfectam nimirum ac Christiana charitate; qui seruat verbum eius, quo præcipit diligere proximos sine exceptione. Denique probatur hic sensus ex alio loco simili infra ca. 5. *Hæc est, inquit, charitas Dei, ut mandata eius custodiamus.* Vnde manifestum est eandem esse Ioanni *charitatem Dei, & charitatem Dei perfectam.*

IN HOC SCIMVS, QUONIAM IN IPSO SVMVS. *In hoc*, id est, per hoc, Hebraismus, ut sensus est: Si seruamus verbum eius, quo præcipit vt proximos diligamus: eo certissimo signo cognoscimus nos in ipso esse, id est, per charitatem esse ei coniunctos, & societatem habere cum eo. Sententia planè similis cum sententia superiore versu tertio. Nam vt eadem sunt seruare mandata Dei, & verbum Dei; quod vtrouique pro signo suæ argumento ponitur: ita conueniunt, in Deo esse, & Deum cognoscere; sensu illic explicato. Quo etiam loco declaratum est, quàm nihil adiuuent huiusmodi sententiæ sectarios, ex eis stabilire conantes fidem suam specialem de certitudine iustificationis.

QUI DICIT SE IN IPSO MANERE, DEBET SICVT ILLE AMBVLAVIT ET IPSE AMBVLARE. Repetitio est eiusdem doctrinæ. Sunt enim eadè Ioanni, esse in Deo, & manere in Deo; id est, charitate coniunctum esse Deo: vt ex pluribus huius epistolæ locis ostendi potest. Simul declarat; illud quod dixit, *Qui seruat verbum eius*: ac docet, eum id facere, qui in suis actionibus Christi imitator est. Vbi notandum, pronomina *ipso* & *ille*, quæ etiam in Græco diuersa sunt, ad alium & alium esse referenda. Nam sensus est; Qui dicit se esse, seu manere in Deo, vt probet se verum dicere, debet sua conuersatione Christum imitari seruando videlicet verbum Dei, quod idem est verbum Christi. Hinc ipse Christus ad discipulos Io. 15. *Si præcepta mea seraueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.*

In quo autem Christus nobis sit imitandus, vt sicut ille ambulauit & nos ambulemus, docet Ioannes huius epistolæ cap. 3. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quod si in hoc opere excellentissimæ charitatis imitandus nobis est Christus: quanto magis in minoribus & facilioribus! Porro *ambulare*, pro conuersari, scripturæ phrasim est notissima. Nec includit profectum in bono vel malo, vt quidam putant; sed tantum progressum seu motum de actione in actionem. Alioqui Christo non tribueretur, qui proficere non potuit. Diximus hoc etiam supra, ad c. i. v. 7.

CHARISSIMI, NON MANDATVM NOVVM SCRIBO VOBIS; SED MANDATVM

VETVS QVOD HABVISTIS AB INITIO, *Charissimi*, Græcè *fratres*: tametsi nostræ lectioni suffragantur interpretes Syrus, Augustinus, Beda, cæterique Latini: nec non codices aliquot Græci à Roberto Stephano designati. Estque Ioanni hæc allocutio ἀγαπῶντες, id est, *dilecti, charissimi*, magis familiaris. Pergit autem hortari fideles ad observationem præcepti de diligendis proximis: docens se non aliquod nouum ingerere præceptum, ne premi se conquerantur præceptorum multitudine; sed vetus præceptum annunciare, quod habuerant ab initio euangelij ipsi per apostolos prædicati. Nam apostoli, post fidei doctrinam, primum ac præcipuè commendabant omnibus hoc mutæ dilectionis præceptum; memores eius quod à Domino audierant: *In hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Io. 13. Quidam *mandatum hoc vetus, & ab initio datum* interpretantur, eo quod institutum sit cum ipsa hominis natura. Dicitur enim lex naturæ proximos esse diligendos, etiam externos & inimicos. Alij, *verum* exponunt, id est, antiquis patribus in veteri lege datum. Leuit. 19. Hic commentarius est apud Alexandrinos Clementem & Didymum: vterque verò apud Oecumenium. Sed non est verisimile Ioannem, qui ad prædicandum Christi legem missus erat, remittere fideles vel ad legem naturæ, quæ multum obsoleta fuerat peccato, præsertim qua parte diligendos monet inimicos; vel ad legem Mosaicam veteri populo datam, minusque clarè de inimicorum dilectione loquentem. Nam & illud, *Quod habuistis ab initio*, additum explanationis causa, non aliud indicat initium, quàm quod significatur in sequentibus; vbi repetit aliquoties huiusmodi sermonem; *habuistis, audiuistis ab initio.* vt infra versu 24. semel & iterum. Et ca. 3. versu. 11. Et in epistola. 2. versu. 5. & 6. Quibus omnibus locis, *initium* prædicati vel suscepti euangelij significatur.

Iam ex his etiam intelligi potest quomodo Ioannes dicens, *Non mandatum nouum scribo vobis*; non sit contrarius Domino suo, quæ euangelij sui ca. 13. testatur dixisse; *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem.* Erat enim mandatum, illud nouum, quando Christus hoc dixit; quia nondum fuerat palam mundo prædicatum: non nouum autè quando Ioannes hæc scripsit, quia fidelibus ab initio datum. Quanquam & aliæ rationes adferri possunt, cur hoc dilectionis mādātū meritò nouū appelletur: vt quia propriè pertinet ad legem nouā, quæ est lex amoris; nec nisi per gratiam noui testamenti impletur: & quia nouum facit hominem ex veteri.

MANDATVM VETVS, EST VERBVM QVOD AVDISTIS. Hic rursus addunt Græca, *ab initio*. Sunt qui putent *mandatum vetus* hîc aliter accipi quàm prius, vt sit significatio legis æternæ: hoc sensu; Sermo quem nos

vobis

vobis prædicauimus de proximis diligendis, quamuis prædicatione seu publicatione nouus esset: origine tamen perantiquus est, annunciās nimirum id quod semper & vbique mortales obligat; cum sit legis æternæ. Sed probabilius est, *mandatum vetus* vno modo sumi: vt hæc pars sit explicatio prioris; Ac si dicat: *Vetus mandatum de quo loquor, est sermo quem nobis prædicantibus audistis.* Exponit enim illam partem, *quod habuistis ab initio.* Quæ expositione confirmatur sensus quem illic dedimus.

8 ITERVM MANDATVM NOVVM SCRIBO VOBIS. Non sibi contraria scribit Ioannes, nunc *nouum vocans mandatum*, quod antea vetus dixit, & nouū negauit. Aut enim sensus est, *Mandatum vetus quod accepistis ab initio, nobis illud prædicantibus; nunc ego vobis renouo per hanc epistolam, repetens, iterūque monens, ne tradatis illud obliuioni:* Aut, vt alij censent, vtitur Apostolus correctione rhetorica; quasi diceret: *Quāquam & verè nouum est mādātum quod scribo vobis; sed diuersa ratione. Nempe, vel eo sensu quo Christus appellauit nouum, qui primus illud mundo propalauit; vt hoc dicat Ioannes tanquam memor verborum magistri sui: vel ob alias rationes superius allatas.*

9 QVOD VERVM EST ET IN IPSO ET IN VOBIS. Voculam &, priori loco Græca & Syriaca non habent, vt & vetusta quædā Latina. Item pro *vobis* in quibusdam Græcis legitur *quibus*, quemadmodum & legit Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Sed hæc varietates non magni sunt momenti. Notandum est autem dictionem *verum*, ἀληθές neutri generis, ad *mandatum* non posse referri, quod Græcè est ἐντολή, fæminini generis, nisi vel solæcismū hîc agnoscas, vel adiectiuum dicas substantiuari. *Verum*, id est, res vera, quomodo videtur Oecumenius accepisse. Quidā vertit; *Quod veritas est.* Erasmus & Hentenius reddunt, *Quod verum est in ipso, idem verum est & in vobis.* Atque ita supplet orationem Caietanus. Cæterū alijs magis placet, vt referatur ad totum illud cōplexum, *mandatum esse nouum*: & sensus sit; *Verū hoc est, rum; in ipso, nempe Christo, qui nouam legem attulit & promulgauit: tum in vobis siue in nobis, qui sumus nouæ legis primitiæ, in quibus mandatum illud observatione publica cepit impleri. Cui sensui bene congruit quod sequitur.*

10 VIA TENEBRÆ TRANSIERVNT; ET VERVM LVMEN IAM LVCE. *Transierunt*, Græcè παρῆγενται, *transseunt, prætereunt*: idem quod infra versu 17. *Mundus transiit.* Sed aiūt præsens tempus hîc positum loco præteriti. Verū id non est necesse. Quamdiu namque mundus non transiit, nec tenebræ transierunt: sed mundo transeunte simul transeunt & tenebræ; quia mundus tenebris est inuolutus, & tenebræ mundo. *Tenebras* intelligit ignorantia & peccatorum, vt in capi-

te superiore. *Eas dicit transire*, quia paulatim minuuntur, euangelij luce per apostolorum prædicationem latius in dies sese diffundente. Hoc enim est quod addit, *Et verum lumen iam lucet*; nempe in dies magis ac magis, Ac si dicat; *Nunc post aduentum Saluatoris & Spiritum sanctum effusum, lux euangelicæ veritatis à nobis prædicatæ quotidianis profectibus augetur.* Vnde necessariò efficitur tenebras transire & minui; vt coniunctio copulans pro causali posita videatur: *Tenebra transeunt, quia verum lumen lucet.* Alij lumen interpretantur Deum, de quo capite præcedenti; *Quoniam Deus lux est.* Rursus alij, Christum, de quo Io. 1. *erat lux vera.* Et ipse Christus de se; *Ego sum lux mundi.* Ioan. 8. Sed nihil vetat, *lucem* metaphoricè de pluribus dici, varia consideratione, quæ tamen ad eandem lucem, nempe diuinam, omnia referantur. Nam & homines, sicut vocantur tenebræ propter peccata; sic etiam lux appellantur, propter fidem & charitatem ab increata luce sibi infusam. *Eratis, inquit Paulus, aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Eph. 5. Huic certè loco bene conuenit acceptio *lucis* quam dedimus.

9 QUI DICIT SE IN LVCE ESSE, ET FRATREM SVVM ODIT; IN TENEBRIS EST VSQVE ADHVC. Sensus clarus ex superioribus: Qui dicit se versari in luce euangelij, & discipulum esse Christi, si fratrem suū odit, vehementer fallitur: quum in densis adhuc tenebris versetur. Nam odium fraternū magnæ sunt tenebræ. *Fratrem* vocat hominem quemcunque, id est, proximum: *Omnes enim vos*, inquit Dominus, *fratres estis.* Matth. 23. Fratres autem, ratione communis omnium Patris & creatoris. Vnde sequitur ibidem: *Vnus est enim Pater vester, qui in calis est.* Quod & Malachias ca. 2. *Nunquid non, ait, pater vnus omnium nostrum?*

10 QUI DILIGIT FRATREM SVVM, IN LVMINE MANET. Hic iam aperit Apostolus de quo Dei mandato dudum locutus fuerit, nempe de fratre diligendo. Vtitur autem ad inculcandam doctrinam, antithesi, more suo. *Qui odit fratrem, in tenebris est. Qui diligit fratrem, in lumine est.* Nam esse in lumine, & manere in lumine, Ioanni sunt eadem, etiam in euangelio. Sensus igitur est: *Qui diligit, fratrem seu proximum charitate sincera & Christiana (quam supra dixit perfectam); versatur in luce euangelij, seruat euangelicam doctrinam, verus Christi discipulus est.* Obiter admoneo, *lucem & lumen* hîc & alibi, in Latina versione, nihil diuersum significare: vt quibus vna & eadem vox Græca semper respondeat.

ET SCANDALVM IN EO NON EST. *σκάνδαλον* Græcè, Latine *offendiculum*, vt alij vertunt. Estque sensus illatiuus, q. d. Et ideo non offendit, non impingit. Qui enim in tenebris ambulat, offendunt: non item qui in lumine. Significatur offensio spiritualis;

quem-

quemadmodum spirituale lumen, & spirituales tenebrae. In tantum ergo non offendit qui fratrem diligit, in quantum in lumine manet & ambulat. Quatenus autem nondum perfecte ereptus est de tenebris ignorantiae & peccati in ipso habitantis; eatenus adhuc in multis offendit. Alludere videtur Apostolus ad illud psalmi 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Certè respicit ad verba Domini sui, quae scripsit euangelij ca. 11. *Si quis ambulauerit in die, non offendet: quia lucem huius mundi videt.* Lege doctam & piam ad hunc locum annotationem Ioannis Hesselij, qua docet, quomodo qui diligunt fratres, non patiantur scandalum ex aliorum peccatis, etiam si multa & magna committi videant; nec propter illa fraternitatem deserant, oderintque; quod est haereticorum & schismaticorum: sed tolerent, dissimulent, excusent; ex charitate corripiant, & corrigant ubi possunt; & inter haec Deum orant assidue, ut ecclesiam suam tam in maioribus quam in minoribus membris reformet.

11 QVI AUTEM ODIT FRATREM SVVM; IN TENEBRIS EST, ET IN TENEBRIS AMBVLAT. Rursus ad alterum redit antithetum, quo re planius ob oculos ponat. Sensus, Qui laborat odio fraterno; tenebris ignorantiae & peccati inuolutus est, etiam dum quiescit & nihil exterius agit rerum: & dum ambulat, in tenebris ambulat, id est; opera exercet tenebrosa (quae Paulus opera tenebrarum appellat Ro. 13.) passim; impingit. Ita Dominus post verba paulo ante citata: *Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.*

ET NESCIT QVO EAT; QVIA TENEBRA OBSCAVERUNT OCULOS EIVS. Quidam sic exponunt: Nescit se precipitem ire in gehennam: Nescit se diaboli laqueis irretitum, trahi in varias tentationes & offendicula. Mihi simplicior ac germanior sensus esse videtur: Prae tenebris in quibus ambulat, non videt quod eat, quid agat: actiones suas recta ratione non expendit, ac diiudicat: quia tenebrae in quibus est constitutus, mentis eius oculos obscurant.

Ex hoc loco sic intellecto, confirmatur illud apud Philosophos ac Theologos tritum ac receptum, omnem peccantem errare; quo significatur, nullum committi peccatum, nisi ex errore praevio iudici j practici circa actum particularem quem voluntas eligit.

12 SCRIBO VOBIS FILIOLI, QVONIAM REMITTUNTUR VOBIS PECCATA PROPTER NOMEN EIVS. Totus hic locus, quo diversae aetates fidelium apostolico affectu B. Ioannes compellat; variè, quoad ipsas aetates, ab interpretibus exponitur. Ac primo sciendum est in Graeco esse sex appellationes pro quinque nostris. Nam quae Latinis secunda est, *Scribo vobis Patres* &c. eadem in Graecis codicibus quinto loco repetitur. Notandum deinde, *adolescentes* & *iuvenes* in Graeco eisdem esse; videlicet *νεανίσκος*. Itidem

filiolos & *infantes* eisdem videri; quamvis in Graeco nunc *νεβία*, nunc *παιδια* vocentur, sed quae in re praesenti idem valeant. Ex his iam collige, B. Ioannem tres distinguere, fidelium, ad quos scribit aetates: *puerorum, iuvenum, & senum*; & vnamquamque bis ponere; nisi quod in pueris mutat vocabulum, Tribuit autem cuique aetati quod congruit; ut patebit in progressu.

Iam quod ad aetatum significationem attingit; Augustinus eisdem appellari purat trinum aetatum nominibus: quod omnes fideles & *filioli* sint, propter regenerationem in Christo, & *patres*, propter noticiam Christi, quia noticia viget in senioribus, & *iuvenes*, propter pugnam cum diabolo. Sunt qui haec referant ad aetates corporales, *puerorum* ratione iam ventium, *iuvenum* seu virorum, ac *senum*. Qui commentarius non est improbabilis. Nam & his aetatibus, ea quae Ioannes scribit, congruenter aptari possunt. Alijs tamen magis placet, aetates spirituales intelligi: ut *filioli* seu pueri dicantur vel infirmi Christiani, qui tanquam parvuli, iuxta Paulum, adhuc lacte nutriendi sint. 1. Cor. 3. & Heb. 5. Quae est expositio Oecumenij: Vel secundum alios, neophyti in fide ac nuper baptizati, qui & ipsi praerumque etiam sensibus ac mente parvuli sunt, ut loquitur idem apostolus 1. Cor. 14. *Patres* autem, qui Paulo perfecti vocantur. Heb. 5. & spirituales 1. Cor. 2. & proinde idonei, qui alios etiam spiritualiter gignere possint. Vel alio sensu, *Patres*, qui multo tempore fuerunt Christiani, ideoque tales esse debent, qui possint & alios erudire & ad Christum adducere. *Iuvenes* denique, qui tamen nondum illam patrum perfectionem attigerint, eò tamen progressi sunt, ut iam vires habeant, quibus fortiter resistent diaboli tentationibus: aut, qui saltem propter tempus quo Christiani fuerunt, tanquam qui ex ephæbis iam excesserint, vel etiam in viros euaserint, eas vires ac fortitudinem habere deberent. Postremo notandum, particulam, *Quoniam*, Graecè *ὅτι*, quae passim capitur determinatiue pro *quod*, in his quinque sine sex appellationibus accipi causaliter, pro *quia*: ut per singula dicat quare eis scribat Nam quid scribat, postea dicit absolvens totam periodum, ibi: *Nolite diligere mundum* &c.

Primum igitur, *Scribo vobis*, inquit, *filioli*, id est, pueri, & ut Petrus loquitur. 1. ep. 2. *sicut modo geniti infantes*: eo quod acceperitis in baptismo remissionem peccatorum, virtutem ac merito Christi pro vobis passi. Videtur enim praesens tempus positum loco praeteriti, quasi dicat, *Quia abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi*. 1. Cor. 6. ideo scribo vobis, admonens ne ad amorem mundi redeatis.

Non hinc consequens est, ut volunt sectarij, filiolos quos alloquitur apostolus, certò singulos de seipsis, persuasos esse debere quod

quod sint ipsis remissa peccata. Non enim hoc simpliciter affirmat de vnoquoque eorum: sed, quia baptizati erant, supponit; quatenus tamen ex ipsorum parte nihil defuerit. Nam neque in sequentibus, ubi patres & iuvenes alloquitur, de vnoquoque eorum affirmat causam quam adiungit cur ad eas aetates scribat.

SCRIBO VOBIS PATRES, QVONIAM COGNOVISTIS EVM, QVI AB INITIO EST. *Patres*, id est, *seniores*, praesertim in Christianismo proveci. Ad vos, inquit, scribo; propterea quod eum cognoveritis, qui est ab aeterno; de quo dixi in exordio epistolae, *Quod fuit ab initio*; nempe Iesum Christum filium Dei, Verbum Patris. Nam & senibus competit noticia: & congruum est ut antiqui cognoscant antiquum dierum. Verum & hic noticiam accipe quomodo supra, pro cognitione cui respondeat affectus.

SCRIBO VOBIS ADOLESCENTES; QVONIAM VICISTIS MALIGNVM. Significat aetatem aptam ad pugnam contra hostes; qualis est iuventus. Unde apud poetam, *Romana iuventus*, pro cohorte, seu multitudine iuuenum bellatorum ex Romanis: Nec obstat diminutivum vocabulum in Graeco *νεανίσκος*. Nam apud Pollucem *νεανίσκος* dicitur in quarta annorum hebdomade, id est, à vigesimo primo anno usque ad vigesimum octavum: tamen intentio Ioannis est etiam virilem aetatem comprehendere, vel ut prae bello. *Malignum*, Graecè, *πονηρόν*, *illum malum*, id est, diabolus. Hoc enim nomine significante eum qui consulto nequam & improbus est, saepe notatur diabolus in Scriptura sacra: licet interpres non vno nomine reddat Latine. ut Matthaei 6. *Libera nos à malo*. & 13. *Zizania filij sunt illius nequam*. Et Ephes. 6. *Tela nequissimi ignea*. Dicit ergo Beatus Ioannes: Scribo vobis qui iam velut iuvenes aut viri in Christo roborati, estis; quia diabolus variè vos oppugnantem vicistis, & quotidie vincitis fortiter eius tentationibus resistendo. Iam quomodo haec tria etiam ad aetatem corporalem referri possint; vide Hesselium bene explicantem.

14 SCRIBO VOBIS INFANTES; QVONIAM COGNOVISTIS PATREM. Syri codices & quidam Graeci, nonnulli etiam Latini, legunt in praeterito, *scripsi*; quod in duabus sequentibus Graeci codicis & Syriaci pericopis, omnes illorum codices habent. Nam quia Ioannes iterato nunc eisdem compellat: tale est ac si diceret; *Scripsi*, iterumque scribo. *Infantes*, Graecè *παιδια*, *Pueri*; quos ante vocavit *νεβία*, *filiolos*: ne quis hic significari putet eos qui nondum fari possunt. Usurpatur autem vtrumque, praesertim, *νεβία*, cum quis vel minorem vel inferiorem blandè, aut benignè affatur. Sed & de altero exemplum est infra versu 18. *Filioli, novissimi hora est*. Item Christi loquentis ad

discipulos Ioan. 21. *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Et alibi de illis: *Ego & pueri, quos dedit mihi Deus*. Itai. 8. & Hebr. 2. Porro congruenter pueris dicitur, *quia cognovistis Patrem*. Laus enim puerorum est, nosse & amare patrem suum. Sensus igitur est: Quia Christum iam novistis ac diligitis, ut patrem; ut pote per fidem ex eo renati. Nam ut de Christo exponatur; suadent praecedentia; nominatim illud, *propter nomen eius*.

Sequitur hoc loco in Graecis (vna Complutensi editione excepta) & Syris codicibus repetitio secundae compellationis, *Scripsi vobis patres; quoniam cognovistis eum qui ab initio est*. Legitur eadem apud Augustinum, Bedam, Oecumenium & Thomam Anglicum; & in nonnullis etiam Latinis manuscriptis: ut probabile sit à librarijs omissum hunc versiculum, velut superfluum; quod profus idem esset cum priore.

SCRIBO VOBIS IUVENES, QVONIAM FORTES ESTIS, ET VERBUM DEI MANET IN VOBIS, ET VICISTIS MALIGNVM. Iam diximus in Graeco & Syriaco legi praeteritum, *scripsi*. Sic & Latina quaedam; *Scripsi vobis adolescentes*;

Quod ait: *Quoniam fortes estis, & vicistis malignum*; qua ratione dicat, ex supradictis clarum est. Potest autem particula *et* illatiue sumi, *fortes estis, & ideo vicistis malignum*; nepe viribus à Deo suppeditatis. Quod significat illa pars interposita, *Et Verbum Dei manet in vobis*, id est, fide euangelij constanter retinetis. Fides autem monstrat à quo & per què sperandum ac petendum sit in tentationibus auxilium. Itaque locus iste convenit cum illo Petri loquentis de diabolo tentatore, 1. ep. 5. *Cui resistite fortes in fide*.

15 NOLITE DILIGERE MVNDVM, NEQVE EA QVAE IN MVNDO SVNT. Declarat nunc Apostolus quid scribat omni aetati fidelium. Cum enim propositum ei sit hortari omnes ad dilectionem fraternam: id quo faciat efficacius, reuocat eos à dilectione earum rerum, quarum amor & cupiditas fraternae & Christianae charitati aduersatur. Eiusmodi res sunt *mundus* & *qua in mundo sunt*. *Mundum* vocat homines deditos rebus huius mundi, id est, corporalibus ac sensibilibus; ad quas inordinatè diligendas & prosequendas incurtaturus est homo per peccatum primi parentis. *Mundum* autem sic acceptum, id est, homines malos, diligi vetat, quatenus tales sunt. Nam quatenus homines sunt, eiusdem nobiscum beatiudinis capaces; diligendi sunt à nobis ad hoc ut eruti mundo salui fiant. Per ea verò *qua sunt in mundo*, intelligi vult huiusmodi bona, quae corrupta hominum natura consuevit appetere; ut voluptates, diuitias, honores. Sic enim ipse Ioannes in sequentibus explicat. *Haec autè, diligi vetat*, quomodo solent ea ab hominibus diligi & concupisci;

nimirum inordinatè, vt dixi; id est, postposita lege Dei rectæque rationis dictamine. Quam vtique inordinationem importat nomē *concupiscentia*, quo statim vtitur.

SI QVIS DILIGIT MVNDVM; NON EST CHARITAS PATRIS IN EO. Ostendit cur eos retrahat à dilectione mundi. Nam, inquit, fieri non potest, vt quis diligat mundum, & simul diligat Deum Patrem suum; scilicet eo dilectionis modo qui ei debetur, id est, super omnia. *Nemo enim potest duobus seruire*, Matthæi 6. Consequenter ergo nec proximum diligit vt oportet; hoc est, ex charitate Dei tanquam communis patris.

16

QUONIAM OMNE QVOD EST IN MVNDO, CONCVPISCENTIA CARNIS EST, ET CONCVPISCENTIA OCVLORVM, ET SVPERBIA VITÆ: QVÆ NON EST EX PATRE, SED EX MVNDO EST. Græca paulò aliter habet: *Omne quod est in mundo; nempe concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est.* tamen cum Latinis Syra conueniunt. Et sanè vtraque lectio ad eundem sensum collimat. Vtuit Apostolus ne diligatur ea quæ in mundo sunt: nunc quæ ea sint, partitione declarat; ita tamen vt obiectorum, id est, rerum appetibilem, loco nominet cupiditates quæ circa res illas versantur; quemadmodum benè Caietanus annotat. Nam alioqui sermone proprio ac directo dicendum erat, *Omne quod est in mundo, esse voluptates, & opes, & honores:* quæ malè concupiscantur ab hominibus carnalibus, auaris & superbis. Verùm nobis hæc tria quæ Ioanes enumerat, singillatim explicanda sunt. Et quidem de *concupiscentia carnis*, & de *superbia vitæ*, quid per eas significetur, nō magnam difficultatem habet. Cùm enim *concupiscentia carnis* specialiter hinc accipiat, vt pote distincta à *concupiscentia oculorum* & *superbia vitæ*; satis inter expostores cōuenit eam cupiditatem intelligi, qua malè & inordinatè expetuntur ea quæ secundum carnē quatenus ab animo distinguitur, delectabilia sunt; id est, ea quæ sensibus grata sunt & iucunda. Quæ *concupiscentia* generali nomine incontinentiæ & intemperantiæ significari potest; species (inter ceteras) habes gulam & luxuriam.

Superbia vitæ, Græcè, ἀλαζονεία τῆ βίης, verti potest *fastus* seu *iactantia vitæ*. Syra versio habet *fastus*, siue *superbia mundi*. Sed & apud veteres Latinos, *ambitio sæculi* legitur; vt apud Cyprianum libro de mortalitate, & Augustinum in huius loci expositione, & libro de patientia cap. 17. & alibi sæpe. Etenim Græca dictio βίη non simpliciter *vitam* significat; sed *vite genus, rationē, insititiā, sustentationem*, & quod vulgo dicunt, *statum*: quod alij interpretes vocarunt mundum & sæculum. Itaque, *superbia vitæ*, ambitio est, inter capitalia vicia primum habens locum; id est, honorum inordinata cupiditas. vt dum

quis eo loco quem inter suos proximos habet, non contentus, semper altiora petit; quod vocant, *statum augere*, & ad altiorē statum ascendere. Vt facere videmus homines obscuros, eosdemque diuites; qui nobilitatem & toparchias auro sibi comparant. Prohibetur autem hoc vitium à Domino, dicente Luca 12. *Nolite in sublime tolli*.

Cæterum per *concupiscentiam oculorum* non omnes idem vicij genus intelligunt. Alicubi quidem eo nomine lasciuia & impudicitia significatur, vt Ezechiel. 23. vbi de Hierusalem sub nomine Oolibæ meretricis prostituentis se Chaldæis, dicitur: *Insanuit super eos concupiscentia oculorum suorum*. Vnde & Dominus ait Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. Hinc *oculus impudicus*, apud Augustinum in regula. Verùm ea significatio non quadrat huic loco, vbi *concupiscentia oculorum* à *concupiscentia carnis* tanquam à membro vicij diuerso distinguitur. Est igitur opinio satis recepta, hoc nomine significari totum genus curiositatis, id est, inordinatæ cupiditatis videndi, sciendi, & experiendi: quod admodum late patet. Vt in addiscendis vanis & superstitiosis artibus, in contuendis vanis aut lasciuis spectaculis, in explorandis proximorum vicijs, alijsue secretis ad se non pertinentibus; in flagitandis sine necessitate signis & prodigijs. Et huc nonnulli referunt illud Ecclesiastæ 1. *Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu*. De hoc genere S. Bernardus sermone 36. super Cantica: *Sunt*, inquit, *qui scire volunt eo sine tantum, vt sciant; & turpis curiositas est*. Huius expositionis author est Augustinus in tractatu loci præsentis, eamque etiam alibi tradit, vt libro 10. confessionum cap. 35. vbi genus hoc appellat vanam & curiosam cupiditatem, cognitionis & scientiæ nomine palliatam: ac pluribus illud verbis & exemplis declarat. Item libro de vera religione capite 38. vbi refert ad hoc vitium illam tentationem Christi, quando ei dictum est à diabolo; *Mitte te deorsum*. Matthæi 4. *Hoc enim*, inquit, *vt faceret non urgebat, nisi causa tantum aliquid experiendi*. Beati Augustini sententiam Beda sequitur, & hos duos Beatus Thomas 2. 2. quæst. 167. articulo 2. Quibus accedit Hesselius in commentario. Veruntamen alijs magis placeat, per *concupiscentiam oculorum* auariciam intelligi. Cuius etiam expositionis, ab alijs traditæ, meminit sanctus Thomas 1. 2. quæst. 77. articulo 5. Meminit item Hesselius. Estque commentarius iste consentaneus alijs Scripturæ locis; in quibus reprehenditur insatiabilis oculorum cupiditas. Vt Ecclesiastæ 4. de auaro; *Laborare non cessat; nec satiantur oculi eius diuitijs*. Et Ecclesiastici 14. *Insatiabilis oculus cupidi; non satiabitur donec consumat animam suam*. Et Prou. 27.

Infernus

Infernus & perditio nunquam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles. Quem locum etsi de cupiditate videndi seu cognoscendi, quæ nunquam expletur, intellexerit Caietanus: benè tamen Iansenius docet, melius accipi de cupiditate habendi ista terrena; quod ipsum & de hoc loco Ioannis affirmat: Quem quidem etiam Caietanus sic intellexit; dicens sub *concupiscentia oculorum* comprehendendi *inordinata vtilia*: circa quæ nimirum auaritia versatur. Est autem appellationis ratio hæc; quia auaricia cupiditas est earum rerum quæ passim in oculos incurunt, & quarum desiderium per sensum oculorum hauriri solet: vt pecuniarum, agrorum, domorum, vestium, pulchræ & amplæ suppellectilis. Vnde & pueri (in quibus hoc vitium sese exserit) quicquid pulchri vident, concupiscunt: ac de ijs dici solet, quod quicquid vident, volunt habere. Non enim tegunt aut dissimulant cupiditatem suam, quemadmodum viri. Placet igitur commentarius quem superius semel & iterum indicaui; per ea quæ in mundo sunt, ex mente Beati Ioannis intelligi tria huius mundi bona, quæ ab hominibus origine corruptis ac nondum renatis, solent appeti; voluptates, diuitias, honores. Ad quæ tria, quicquid aliud malè concupiscitur, facile potest reduci. Non enim tam peccata, quam peccatorum omnium pessimas radices explicare voluit S. Ioannes: vti loco proximè citato B. Thomas declarat.

Porro typicè figurata nobis sunt hæc tria vicia in vitulo aureo exaltato, & à carnali Israël adorato; Exod. 32. Nam vitulus, vt vitulus, id est, animal petulans; significat *concupiscentiam carnis*: vt aureus, *concupiscentiam oculorum*; vt exaltatus, *superbiam vitæ*. Item, hæc sunt tres lanceæ, de quibus 2. Regum 18. quas infixit Ioab homicida, id est, diabolus, in corde Absalon, id est, hominis diligentis mundum & ea quæ in mundo sunt.

Aduersus hæc tria mundi mala, sunt tria bona, velut antidota, quæ voto assumuntur ab ijs qui relinquunt mundum: continentia, contra *concupiscentiam carnis*; paupertas seu communis vita, contra *concupiscentiam oculorum*; & obedientia humilitatis soboles, contra *superbiam vitæ*. Sed & omnibus fidelibus, aduersus eadem mala, à Christo Domino proposita sunt tria remedia, ieiunium, elemosyna, & oratio. Matth. 6. Et apud Paulum, sobrietas, iusticia & pietas. Tit. 2.

Quod additur à Ioanne, *qua non est ex Patre, sed ex mundo est*; est referendum ad omnia tria; sicut exigit Græca lectio. Sensus autem est, Triplex hoc genus cupiditatis non esse à Deo authore, sed ex mundo originem habere: quatenus scilicet ex peccato primi

hominis in genus humanum transfusum est.

Ostendit hic locus, *concupiscentiam*, quæ alio nomine fomes peccati vocatur; non esse facultatem naturalem appetendi iucunda, & molesta fugiendi (hæc enim facultas à Deo est authore naturæ): sed esse vitium naturæ, inclinans hominem ad ea appetenda quæ Deus prohibet; & ad auersanda quæ præcipit. Hoc enim vitium non est à Deo. Quare nec *concupiscentia* baptizatorum ex Deo est, sed ex mundo; quantumuis ei non consentiant: quemadmodum ex varijs Augustini locis, & ex Bedæ commentario benè docet Hesselius; adhibitis etiam apertis ad eam rem Scripturæ testimonijs. Nec tamen nomine *concupiscentiæ* & *superbiæ* hoc loco volumus significari illum fomitem: sed tria vicia capitalia, Intemperantiam, Auariciam & Ambitionem. Quod si quis contendat *concupiscentiam carnis* & *concupiscentiam oculorum* esse ex Deo; pari ratione fateatur necesse est etiam *superbiam vitæ* esse ex Deo. Ponuntur enim hæc tria ab Apostolo in eodem ordine. Verùm de hac re latius à nobis disputatum est in 2. sent. dist. 30. vbi ostendimus *concupiscentiam*, etiam tenorū, non esse opus Dei: sed vitium legi diuinæ contrarium, ideoque oppugnandum à nobis, & odio habendum.

17

ET MVNDOVS TRANSIT; ET CONCVPISCENTIA EIVS. Pro verbo *transit*, in multis legitur *transibit*; etiam apud Augustinum: sed vera lectio est *transit*. Græcè ἀφίηται, veluti supra, versu 8. Cui & Syra versio consonat. Alia nunc ratione docet Apostolus, mundum & ea quæ in mundo sunt, non esse diligenda. Nam quæ transiunt, diligenda non sunt, sed æterna: *Mundus autem transiit*, id est, mali homines pereunt. *Transit & concupiscentia mundi*: siue hoc nomine intelligantur ipsa vicia supradicta, quantum ad actus delectabiles (etenim *concupiscentia* non manebit in damnatis ad delectationem, sed ad pœnam; teste Augustino libro 6. contra Iulianum cap. 5. alijs 16.) siue intelligantur illorum viciorum obiecta. Non enim post hanc vitam manebunt ea quæ malè concupuerant mali; voluptates, inquam, & opes & honores: nequidem secundum fructum aliquem. Similis est hic locus, maximè iuxta sensum posteriorem, illis verbis B. Petri 1. ep. 1. *Omnis caro vt fœnum; & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum; & flos eius decidit*. Sic & Iacobus de diuite, capite 1. *Quoniam sicut flos fœni transibit, & cæc.* Significant huiusmodi sententiæ, ex gloria & voluptate huius sæculi nullum amatoribus suis fructum prouenire; sed magis interitum. Quod contrà se habet in ijs qui diligunt Deum. Vnde sequitur,

QUI AVTEM FACIT VOLVNTATEM DEI, MANET IN ÆTERNVM. Hoc est,

Cccc 2

Qui

Qui facit ea quæ Deus præcipit (intelligitur enim præceptiva voluntas Dei, quemadmodum in oratione Dominica, cum dicimus: *Fiat voluntas tua*) manet in æternum; id est, vivet in æternum, utique vita beata. Neque enim opera eius ita transeunt, quin maneant, semperque mansura sint; quoad gloriosum fructum & mercedem. Respondet hæc pars ei quæ apud sanctum Petrum, verbis paulò antè citatis, subiungitur: *Verbum autem Domini manet in æternum*. Intelligitur enim verbum euangelij fide receptum cum obedientia.

18 FILIOLI, NOVISSIMA HORA EST. A doctrina morali qua docuit diligendos fratres, & à dilectione mundi reuocauit; transitum nunc facit ad exhortationem, qua fideles munit aduersus hæreses & sectas, quæ non pauca iam tum subortæ erant. *Filiolos* vocat, seu pueros, *παιδια*, blando vocabulo; quo paternum erga eos affectum, ac salutis eorum desiderium ostendat. *Novissima hora est*; id est, extremum tempus iam decurrit. Quod *extremum* vocatur, quia sic in eo complenda sunt omnia, ut post illud vsque ad mundi finem & Domini aduentum, non sit alius rerum status expectandus. quomodo post hominis senectutem non eras alia sed mors expectatur. Vnde & *ultima mundi ætas* hoc tempus appellari solet; & à sancto Paulo, *consummatio sæculorum* vocatur. Hebræ. 9. Quo loco pluribus hanc Scripturæ phrasim exposuimus. Vide etiam quæ de ea re scribit Oecumenius satis exactè: tamen si quod addit *novissimum*, siue *extremum* intelligi posse pessimum; sicut quum dicimus; *ad extremum mali pervenit*: præterquam quod alienum est à phrasi Scripturæ, parum scitè dicitur. Non enim *extremum* significat pessimum, cum dico *ad extremum mali pervenit*: sed ad pessimum determinatur, per adiunctum genitivum *mali*.

Præfatur Ioannes novissimam horam esse; ne murentur fideles tot exurgere novos magistros, diversa & adversa docentes ijs quæ ab initio fuerant ipsis tradita. Tales enim multos novissimis temporibus venturos Christus Dominus, & Apostoli eius Petrus & Paulus antè prædixerant. Christus quidem Matth. 24. & Marci 13. vocans eos *pseudochristos* & *pseudoprophetas*. Petrus autem in 2. epistola cap. 2. & 3. *magistros mendaces* & *illusores* eos appellans. Et Paulus 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 3. *doctrinam eorum* vocans *demoniorum*; & quales futuri sint, describens. Vult ergo Ioannes attentos esse fideles & cautos, ne fallantur ab illis, de quibus exortitur dudum præmoniti fuerant: adeoque tam aduersus errorum novitates quam contra mundi concupiscentias, eo magis sibi vigilandum sciant; quanto propius accedit finis horæ novissimæ, quando ad

iudicium venturus est Dominus. Nam huius aduentus infra meminit, versu penultimo.

ET SICUT AUDISTIS QUIA ANTICHRISTVS VENIT; ET NUNC ANTICHRISTVS MULTI FACTI SVNT. *Venit*, ἐρχεται, verbum præsentis temporis, sed habens significationem cuiusdam futuri, id est, eius quod in procinctu est ut veniat, quodque venire incipit. De quo Latine dicimus, *adveniat*. Sic enim & de Elia dicitur Matth. 17. ἐρχεται, quod interpret ibi vertit, *venit* est. Ita Christus priusquam advenisset, vocabatur ἐρχομαι; interrogantibus eum discipulis Ioannis Matth. 11. *Tu es qui venturus es?* id est, *Tu es ille qui expectaris iam iam adfuturus?* Igitur & hoc loco, rectè vertunt Erasmus & alij, *Venturus est*; pro quo nonnulli solacismo quodam *dei est venire*; quod eodè recidit. Sed tamen, ut dixi, procinctus & præparatio quædam ad præsentiam aduentus, significatur, etsi temporis incerta sit mora. Nã & de die extremi iudicij dicitur ἐρχεται, 1. Thessal. 5. *venies*: ut ibi noster transtulit: quia nimirum ira venturus ille dies prædicitur, ut semper nobis esse debeat in expectatione. Vide nostra in 4. dist. 47.

Porrò quod ait: *Audistis* &c. tale est ac si diceret: Traditum est vobis, ita estis edocti à nobis Christi Apostolis; scilicet Antichristum venturum esse. Vbi nota traditionem esse Apostolicam, imò divinam, Apostolo teste, quod Antichristus venturus sit. Hoc enim Apostoli ut traderent, à Christo acceperunt: qui inter alia dixerat ad Iudæos; *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Ioan. 5.

Quod ad nomen *Antichristi* attinet, quo significatur *adversarius Christi*; solus quidem Ioannes sic eum nominat, hic & capit. 4. ceterum, qualis homo futurus sit, & quid acturus, exponit Paulus 2. Thessal. 2. ac de eodem plura, sed obscure, scribit idem Ioannes in sua Apocalypsi. Textus Apostoli videtur ordinandus, & explicandus, hoc modo. Sicut audistis quod venturus sit Antichristus; ita tenete: Nam omnino venturus est: sed interim *multi iam antichristi facti sunt*, Græcè, *ἤδη πολλοὶ ἐξοῦντι, exorti sunt, venerunt*. Erasmus, *coeperunt esse*. Tanquam dicat Apostolus: Vnus quidem venturus est insignis adversarius Christi; cui proinde, per antonomasiam, nomen Antichristi debeatur: sed ille multos iam incepit habere præcursores, eodèque participatione nominis eius Antichristos; quia quod ille facturus est in uniuersum, ut Christi nomen & gloriam extinguat; hoc isti partibus faciunt; dum alius naturam eius diuinam negat, alius humanam, alius passionis ac mortis eius, qua gloriam promeruit, veritatem: Alij alia de eo falsa comminiscuntur. Hæc enim qui faciunt, *solum Christum*; ut infra loquitur capite quarto, & ea peculiari ratione sunt

Antichristi:

antichristi: cum alioqui generaliter omnis hæreticus sit antichristus; quatenus scilicet doctrinæ à Christo traditæ partem aliquam oppugnat. Antichristi hoc loco à Ioanne notati, fuerunt Simon magus, Basilides, Cerinthus, Ebion, Nicolaus Antiochenus, alijque id genus: quibus adde Hymenæum & Philetum; dicentes resurrectionem esse iam factam. 2. Tim. 2.

VNDE SCIMVS QUIA NOVISSIMA HORA EST. Ac si dicat: Ita prædictum fuit, in nouissimis diebus esse, venturos qui falsas & euangelio Christi contrarias doctrinas, spargerent, id est, hæreticos: qui cum multi iam venerint; certò colligimus extremum tempus nunc agi.

19 EX NOBIS PRODIERVNT. Græcè, ἐξῆλθον, *exierunt*. Significatur enim defectio, non origo. Occurrit Apostolus scandalo, quod nasci poterat ex eo quod homines tam mali & peruersi prodirent ex ecclesia; tanquam illa pestes eiusmodi genuisset, ac sinu suo fouisset. Ad hoc respondet, ostendens quomodo fuerint in ecclesia, è qua dicuntur egressi; & quomodo in ea non fuerint. *Ex nobis*, inquit, *exierunt*, hoc est, ex ecclesia fidelium seu Christianorum per hæresim egressi sunt; nolentes ecclesiam audire, & ab ea semetipsos separantes: cum prius in ea essent, ut pote fidei professione & Sacramentorum communionem Christiani; siue simulati fuerint, externa specie gerentes se pro veris Christianis; siue revera tales fuerint, animo tenentes quod exterius profitebantur. Nam & Simon magus à Philippo baptizatus fuit, Actorum 8. & Nicolaus in diaconum ab Apostolis electus; Actorum 6. & Hymenæus & Philetus in magna domo, quæ est ecclesia, fuerunt, 2. Timoth. 2. & Cerinthus in numero fidelium aliquando fuisse, docet Epiphanius hæresi 28. Vtrum autem omnes isti verè & ex animo prius fideles fuerint; an verò vel omnes vel eorum aliqui fæta fide & duplici corde fuerint ecclesiam ingressi: nouit scrutator cordium Deus. Probabile tamen est, quosdam vera fide præditos fuisse. Sic enim de talibus loquitur Apostolus 1. Timoth. 4. quod *in nouissimis temporibus discedent quidam à fide*. & eiusdem epistolæ cap. 1. quod *bonam conscientiam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt*. & 2. Timoth. 2. quod *Hymenæus & Philetus à veritate exciderunt*. Calvinus, ut nouitium dogma de fide speciali, sustineat; vult neminem illorum veram ac solidam fidem habuisse; sed allata testimonia obstant. Hi tamen omnes, ut de ecclesia manifestè exirent, prius occultè hæretici in ecclesia fuerunt. Hoc enim est quod dicit Ioannes; *Ex nobis exierunt*. Vnde satis liquet, hæreticos occultos secundum quandam modum esse in ecclesia, donec inde val

eijciantur, vel ipsi palam sese separent.

SED NON ERANT EX NOBIS. Hoc duobus modis intelligi potest. Primam, ut dicantur ex nobis non fuisse, quia quamuis inter nos ac nobiscum versarentur, Christiana nobiscum sacramenta participant; non erant tamen de numero verorum Christi fidelium, sed fidem simulabant. Quo ferè sensu tractat hunc locum Augustinus in commentario; quem & Beda sequitur. Aliter, & melius; ut sensus sit: *Non erant ex nobis*, id est, de numero electorum, siue de ecclesia, qua parte continet electos; qui soli sunt ecclesie membra semper mansura. Quem sensum idem Augustinus alibi tradit, ac pluribus explicat: ut libro de correptione & gratia cap. 9. & de dono perseverantiæ cap. 8. Si queras, vnde Ioannes sciuerit eos de quibus loquitur, non fuisse electos: respondetur id eum nouisse, non certa de singulis scientia, sed probabili. Erant enim hæresiarchæ & errorum magistri primarij, & ut Ioannes eos appellat, *antichristi*: quorum aliquem ad ecclesie fidem & unitatem aliquando reuerti, rarissimum est. De multis autem indistinctè & in genere; Ioannes id certò sciebat ex spiritu, quo dictante hæc scribebat. Sensum posteriorem probat hoc quod sequitur:

NAM SI FVISSENT EX NOBIS; PERMANSISSENT VTIQUE NOBISCUM: Hoc est: Si fuissent ex electorum numero; ab ecclesia non recessissent, sed in ea permansissent: aut certè, quod in talibus rarissimum est, ad eam redissent, aut redirent aliquando, permansuri in ea. Ratio manifesta: Nam qui in ecclesia non permanent, sed ab ea recedunt nunquam redituri; per hoc ipsum ostendunt, ad electorum numerum se non pertinere.

Obijciat aliquis, incongruum videri quòd particulam, *ex nobis*, non vno modo interpretemur; sed prius de ecclesia; postea de electis. Respondeo, congruenter, atque ex mente Ioannis sic exponi: Latet enim in eius verbis correctio quædam rhetorica: quasi dicat; Fuerunt aliquando nostri, sed recesserunt à nobis: Imò verò, nunquam fuerunt nostri. Nam si nostri fuissent, nobiscum permansissent. Vbi quod dico *nostri*, non sine gratia sermonis aliter & aliter accipitur; prius pro ijs qui sunt in ecclesia, deinde pro electis. Porrò iam ex his patet Ioannem hoc loco non significare, quod in ecclesia nulli sint reprobi; sed magis docere contrarium.

SED VT MANIFESTI SINT QUONIAM NON SVNT OMNES EX NOBIS. Græcè, *Sed ut manifesti fierent* &c. Sensus autem est, Deum idcirco permittente hoc quod de antichristis dixit, *Ex nobis exierunt*, ut manifesti fiant, & à fidelibus vitari possint: simul ut exitu suo nobis manifestum faciant non omnes qui in ecclesia

sunt, esse electos. Id vero propterea nobis manifestatur, ne, qui stare nobis videmur, al- tum sapiamus, sed ut timeamus, & cum timore salutem nostram operemur. Itaque geminum bonum suorum electorum, ex illo malo, scilicet egressu quorundam ex ecclesia, Deus elicit: nempe ut & facilius illos vitent; & ut ipsi reddantur humiliores atque cautiores. Potest hæc pars etiam intelligi, ut sit Græcismus in verbis istis, *Sed ut manifesti sint non omnes esse ex nobis*: id est, ut patefieret quod non omnes, qui nobiscum sunt in ecclesia, sint ex numero nostro qui sumus electi. Iuxta quem sensum, redditum etiam à Syro interprete, posterior tantum utilitas iam dicta significatur.

20 SED VOS VNCTIONEM HABETIS A SANCTO; ET NOSTIS OMNIA. *Sed vos*, Græcè, *Et vos*. Modeste excusat Apostolus quod tam sollicitè eos admoneat, quasi rudes ac ignaros, cum essent in doctrina Christiana dudum instructi. Non sum nescius, inquit, vos à Christo per eius gratiam ac cæleste magisterium sufficienter edoctos esse, sic ut noveritis omnia quæ ad salutem doctrinam pertinent: Verum hæc scribo vobis, ne sinatis vos ab eo quod tenetis, abduci; sed ut, quemadmodum infra loquitur, *quod audistis ab initio, in vobis permaneat*. ac rursus, ut *vnctio quam accepistis, maneat in vobis*. Sanctum, intelligit Christum, qui per excellentiam Sanctus appellatur à prophetis; & singulariter Sanctum sanctorum, à Daniele, cap. 9. quemadmodum & Iustus simili tropo vocatur, Act. 7. & 22. Vtrumque verò nomen Petrus coniunxit Act. 3. dicens: *Vos autem Sanctum & Iustum negastis*.

Vnctionis seu chrismatis vocabulo gratia Spiritus sancti significatur; vel potius ipse Spiritus sanctus, quo velut oleo spirituali mentes suorum fidelium Christus perfundit & irrigat, multiplicem eis gratiam largiendo, tum doctrinæ & scientiæ, tum sanctitatis & virtutum. Sumpta metaphora ab vnctione corporali, qua consecrabantur olim reges & sacerdotes; vtrique ad officium suum dignè & sanctè exsequendum. Vnde & Christiani, reges & sacerdotes vocantur. 1. Pet. 1. & Apoc. 1. Convenienter autem sic loquitur, *Vnctionem habetis à Sancto*, id est, à Christo; quia vnctio participata, ab eo descendit, qui vnctus est præ omnibus consortibus suis; nec vnctus simpliciter Sanctus, sed Sanctus Sanctorum, ut Daniel testatur: ut qui Spiritus vnctionem acceperit absque mensura: propter quod etiam antonomasticè *Christus*, id est, *vnctus* vocatur.

Præterea, Ioannes huiusmodi sermone fideles alloquens, voluit ex aduerso ostendere hæreticos omnes spiritualis gratiæ expertes esse; nec ad illum pertinere qui Sanctus in Scripturis appellatur, sed ad eum potius qui sanctitatis omnis est inimicus.

Quæri potest, an hoc quod dicit: *Et nostis*

omnia: pertineat ad omnes & singulos fideles. Responsio, Quamvis unusquisque fidelis, quatenus verè fidelis est, fide teneat omnia ad salutem necessaria, saltem implicite (nam alioqui fidelis non esset): non tamen, ad sensum Apostoli, in vnumquemque competere quod omnia norit, & quod infra dicit, *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos*. Nam eiusmodi verbis non simplex fides eorum quæ credenda sunt, significatur; sed scientia quædam, qua & intelligantur aliquousque ea quæ fidei sunt, & idoneis rationibus explicentur. De qua scientia Paulus 1. Cor. 12. & 13. Dicendum proinde, hæc & similia ab Apostolo dici non ad singulos fideles, sed ad ecclesias eorum ad quos scribit, ac si diceret; Habetis episcopos & presbyteros, quorum cura ac studio vestræ ecclesiæ satis instructæ sunt, & instruuntur in ijs quæ pertinent ad doctrinæ Christianæ veritatem.

21 NON SCRIPSI VOBIS QUASI IGNORANTIBVS VERITATEM, SED QUASI SCIENTIBVS EAM. *Quasi &c.* Græcè, *quod non novistis veritatem, sed quod novistis eam*. Verum interpret noster sensum benè reddit, allipulante etiam Erasmo. Cohæret hæc pars præcedenti: quasi dicat; *Nostis omnia*: & proinde non hæc scripsi vobis quasi veritatis istarum rerum ignaris, sed potius tanquam scientibus; velut in memoriam vobis reuocans ea quæ scitis, ut veritati perceptæ firmiter adheretis.

ET QVIA OMNE MENDACIVM EX VERITATE NON EST. Clarius: *Et scientes quod nullum mendacium ex veritate sit*. Pendet enim ex eo quod dixit: *Scientibus eam*. Eadem Ioanni esse videntur, *scire veritatem, & scire quod nullum mendacium sit ex veritate*: quemadmodum & infra repetit idem dicens; *Et verum est, & non est mendacium*. Rectum enim, philosopho teste, & sui index est & obliqui. Proinde cognita veritate, statim produntur errores contrarij. Si tamen aliquid est discriminis inter illa duo: dicemus, *scire veritatem* ad multos pertinere, qui non possint scienter mendacium detegere, & ostendere veritati esse contrarium. Id enim Ioanni est, *ex veritate non esse*, veritati contrarium esse. Minus enim dicit, plus volens intelligi. *Mendacium* autem vocat non quamvis falsitatem, sed antonomasticè eam, quæ sanæ ac salutari doctrinæ aduersatur: ut patet ex eo quod sequitur.

22 QVIS EST MENDAX, NISI IS QUI NEGAT QVONIAM IESVS EST CHRISTVS? In Græco & Syriaco cum negatione legitur, *Quoniam Iesus non est Christus*. Et sic habent multi & probati codices Latini. Sic & Irenæi interpret reddidit lib. 3. cap. 18. & Beda legit in commentario. Sensus tamen vtriusque lectionis idem est; eo quod Græcis & Syris duæ negationes non plus faciunt sæpenumero quam vna; nisi quod interdum negationi ve-

hementiam

hementiam addant. *Mendacem* intelligit, uti diximus, in doctrina religionis: quod in eo genere mendacium maximè periculosum & perniciosum sit. Neque sentit Apostolus solos eos in doctrina religionis esse mendaces, qui negant Iesum esse Christum: (erant enim illo tempore & aliarum hereseon magistri, de quibus Paulus & Petrus & Iudas in suis epistolis) sed, hos cæteris esse peiores ac pestilentiores, significat ista loquendi forma: quomodo solemus dicere: *Quæ est impietas, si hæc non est?* Hoc igitur sensu dicit; *Quis est mendax, si non ille, qui negat Iesum esse Christum; dicendo, Iesus non est Christus?* Et quidem Iesum esse Christum negarunt Iudæi: Verum de his Ioannes non agit, sed de ijs qui sub nomine Christiano (quod omnes hæretici præterdunt) docebant Iesum Mariæ filium non esse Christum. Quales imprimis fuere Cerinthus & Ebion, iam exorti Ioannis tempore; Quales præterea quicumque Iesum soluebant; ut Apostolus loquitur, infra, cap. 4. id est, aliquid ad naturam eius pertinens, ei detrahebant; aut cõtrarium aliquid attribuebant. ut fecerunt alij insuper hæretici, tempore Apostolorum aut postea subsecuti. Qua de re infra, d. cap. 4. versu 3. Et hi omnes admodum convenienter antichristi vocantur: quia Christum ipsum destruere conati sunt. Ideo sequitur,

HIC EST ANTICHRISTVS; QVI NEGAT PATREM ET FILIVM. Quidam suspicantur his verbis prænunciari Mahometum, tanquam insignem illum Antichristum, de quo aliquando venturo Scripturæ loquuntur. Videtur enim hæc pericope cum ea quæ sequitur; *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet*; in Mahometum aptissime quadrare, qui non vno loco sui Alcorani Filium negat, & religionem Christianam ridet, quæ doceat Deum habere filium. Huc accedit quod in Græco dicitur *ὁ ἀντιχριστός*, cum articulo, quasi de illo singulari Antichristo sermo esset: quemadmodum superius articulum addidit, ubi dixit; *Quia Antichristus venit*. Et infra cap. 4. *Et hic est Antichristi*. Verum hæc opinio quæ Mahometum facit Antichristum illum in Scriptura prænunciatum; ut alia nunc omittam, satis refellitur vel ex vno loco Pauli 2. Thessal. 2. Nam quæ ibi de Antichristo dicuntur, in Mahometum minimè competunt; qui nec Deum se venditavit, sed Dei prophetam; nec fuit *adventus eius in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus*. Postremo, nec à Iudæis receptus est. Alij sentiunt Ioannem hic loqui de vero Antichristo, qui adhuc expectatur; & sensum huius partis esse dicunt, hoc vnum fore ex principalibus Antichristianæ doctrinæ capitibus, negare Patrem & Filium; idque fortasse, ut eo facilius tam Iudæos, quam Turcarum gentem ad se pertrahat: quorum isti iam olim à suo Mahometo didicerunt Filium è diuinis tollere; Iudæi verò Filium perpetuò negant, ex

quo Filius Dei pro nostra salute descendit in terram: Negant, inquam, ea maximè causa, quod ille Filium Dei se prædicaverit. Ac videri potest Ioannes ob id potissimum virgere fidem Patris & Filij, quod Iudæi Patrem & Filium in diuinis non agnoscerent. In quo quidem errore postea Mahometus se Iudæorum discipulum præbuit; ut & in circuncisione & alijs quibusdam. Aliorum porro sententia est, Ioannem loqui de antichristis, id est, hæreticis sui temporis; de quibus, nodum indicata eorum doctrina, iam dixerat: *Nunc antichristi multi facti sunt*. Hac enim parte iam eos quasi digito monstrat, dicens; *Hic est antichristus qui negat Patrem & Filium*. ac si dicat: *Quicumque hodie negat Patrem & Filium, antichristus est, id est, ex eorum numero, quos paulò antè dixi antichristos*. Hic commentarius, quem tradit Irenæus lib. 3. cap. 15. & alij post eum, maximè cõuenit tam contextui, quam tempori Apostolico. Dicuntur enim hæc præcipuè cõtra Cerinthum Iudaizantium principem; qui, referente Epiphano, fabulabatur Christum in specie columbæ venisse in Iesum, & revelasse ei quendam ignotum patrem. De quo patre etiam Carpocratiani plurima commenti sunt. Dicit ergo Ioannes, illos sibi frustra blandiri de Patre, qui Iesum negant esse Christum & Filium Dei. Non enim alium Dei Filium agnoscebant aut expectabant Iudæi, quam Christum seu Messiam sibi promissum. Vnde pontifex eorum dicebat ad Iesum: *Adiuvo te per Deum vinum; ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei*. Matth. 26. Quare qui Iesum negabat Christum in lege promissum, ut Cerinthiani; consequenter eum Filium Dei negabat. Hinc est quod Ioannes in hac epistola, potissimè cap. 4. & 5. diligenter inculcat hanc doctrinam, *Iesum esse Christum, Filium Dei*. Et denique clausurus epistolam dicit: *Scimus quoniam Filius Dei venit, scilicet ille ipse Messias expectatus*. Quod pro prioribus opinionibus adferebatur de articulo Græco; nihil efficit. Constat enim articulum frequenter à Græcis authoribus usurpari sine emphasi, perinde atque si additus non esset.

23 OMNIS QVI NEGAT FILIVM, NEC PATREM HABET. Ostendit meritò se dixisse: *negat Patrem & Filium*; quamvis illi contra quos agit, non Patrem disertè negarent, sed Filium. Neque enim Pater à Filio separari potest, ut Filium quis neget, Patrem agnoscens ac fide retinens. Ita Dominus in euangelio: *Neque me scitis neque Patrem meum. Si me sciretis: utique & Patrem meum sciretis*. Ioan. 8. & hoc est quod sequitur,

QVI CONFITETVR FILIVM, ET PATREM HABET. Id est, Qui confitetur se credere Filium; is demum est qui etiam Patrem fide tenet; alioqui Patrem non habiturus. Hæc pars abest in Græcis, ac ne quidem ab Oecumenio lecta est: tamen Latina constanter exhibent. Aliqui putant annotatam à quo-

piam lectore, itrepsisse in contextum: At vero similis est, excidisse è Græcis codicibus officiantia scriptoris, propter homoteleuton huius partis cum præcedenti. Quod & in alijs similibus accidisse non raro, nouimus. Estque huius rei notabile exemplum infra cap. 5. ubi agitur de tribus testimonium dantibus. Certè legitur hæc pars & in Syriaco, & in nonnullis etiam Græcis, & apud Cyrillum lib. 9. in Ioannem cap. 40.

24 VOS QUOD AUDISTIS AB INITIO, IN VOBIS PERMANEAT. Græcè: Vos igitur quod audistis &c. Respicit enim ad id quod dixit: Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam. ac si dicat: Nihil nouum & inauditum aut incognitum vobis, adfero; probè tenetis omnia: Târùm moneo vt doctrinam quam ab initio, nobis Apostolis prædicantibus, audistis & accepistis, & hæcenus tenetis, firmiter retineatis vsque in finem; nec istis nouis magistris nouorum dogmatum fatoribus aurem præbeat. Sic & in 2. epistola de eodem agens argumento: Hoc est mandatum, inquit, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum uenisse in carnem. Hic est seductor & antichristus. Docent huiusmodi admonitiones, ex antiquitate iudicandum de veritate doctrinæ; si videlicet ab initio prædicatæ & fundatæ fidei, tradita sit, & tanquam fidele depositum per episcoporum successiones ad nos transmissa. Quod de suis dogmatibus, in quibus ab ecclesia Catholica dissentiant, sectarij docere non possunt. Vide quæ diximus ad illud Galat. 1. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.

SI IN VOBIS PERMANSERIT QUOD AUDISTIS AB INITIO: ET VOS IN FILIO ET PATRE MANEBITIS. Hoc est: Si doctrinam ab initio vobis traditam retinueritis; permanebitis in societate & amicitia Dei Filij & Patris. Filium ante Patrem nominat; quia contra eos agit, qui Filium negabant: simul vt insinuet, Filium non esse Patre minorem, vt qui interdum etiam ante Patrem nominetur. Tacet autem Spiritum sanctum, quia de eo non erat oborta quæstio. Notandum est, interpretem hîc & alibi indifferenter vti vocabulis manere & permanere: cum in Græco sit vnum & simplex μένειν, manere.

25 ET HÆC EST REPROMISSIO QUAM IPSE POLLICITVS EST NOBIS; VITAM ÆTERNAM. Et pro quia, positum vult Oecumenius. Cum enim dixisset Apostolus; In Filio & Patre manebitis; consequenter ostendit quantum hoc bonum sit. Nam societas illa cum Patre & Filio, quando perfecta erit, vita æterna erit, credentibus promissa. Cuius promissi præmij commemoratione eos excitat ad perseverantiam. Est autem in verbis Apostoli duplex Hebraismus: prior, in eo quod actû posuit pro obiecto, promissionem prore pro-

missa; alter in antiptosi, qua casum obliquum posuit pro recto: vitam æternam, id est, vita æterna. Sensus enim est: Nam quod dixi vos in Filio & Patre mansuros, merces est, nobis, in tradita veritate permanentibus, à Christo Domino promissa, vita scilicet æterna. Dicit autem nobis; vt quemadmodum societate iam coniuncti erant cum sanctis Apostolis, sicuti dixit cap. 1. Vt & vos societatem habeatis nobiscum; ita & sperent cum iisdem præmij communicationem.

26 HÆC SCRIPSI VOBIS DE HIS QUI SEDUCUNT VOS. Pronomen hæc demonstrat ea quæ scripsit ab illo loco; Filiali nouissima hora est. Hæc, inquit, scripsi vobis de falsis magistris qui conantur vos in errorem inducere doctrinæ vobis ab initio traditæ contrarium, eundemque pestiferum & qui sempiternum vobis creet exitium.

27 ET VOS VNCTIONEM QUAM ACCEPSTIS AB EO, MANEAT IN VOBIS. Rursus antiptosis est, Vnctionem pro vnctio; sicut in euangelio, sermonem quæ audistis non est meus. Ioan. 14. tamen Græcum τὸ ἁγίωμα, ambiguum est ad vtrumque casum; vt etiam vnctio verti possit. Est autem hæc syntaxeos ordinatio; Vnctio quam vos accepistis ab eo, maneat in vobis. Vel, vt in Græco, μένει, manet in vobis. Quem modum enunciatiuum etiam Oecumenio lectum fuisse, satis indicat eius expositio. Iuxta Latinam lectionem, exhortatio est vt perseverent in doctrina Spiritus sancti (quam rursus vnctionem vocat, eadem ratione, qua supra versu 20.) quem Spiritum sanctum à Christo Domino (Sancto ibidem nuncupato) acceperant. Quæ sit autem ratio conferuandæ huius vnctionis, bene docet Hesselius in commentario: ad quem mitto lectorem.

Cæterum, iuxta Græcos codices, iterum se excusat Apostolus, dicens se non hæc eis scribere, quasi veritatem ignorent; cum in se domesticam & manentem habeat vnctionem à Domino suppeditatam: sed exhortandi causa. Quam exhortationem paulò post sua forma subiicit; admonés vt in eo maneant quod acceperunt. Igitur secundum Græcam lectionem, Apostolus hoc loco repetit pluribus verbis id quod supra dixit: Vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. Nam illam partem, quæ vnctionem habetis à Sancto, nunc velut exponit, cum ait: Vnctio quam accepistis ab eo, manet in vobis. Alterum verò, Nostis omnia; antecedens est ad hoc quod sequitur,

ET NON NECESSE HABETIS VT ALIQUIS DOCEAT VOS. Eatenus doctore opus non habebant, quatenus omnia nouerant. Quo autem sensu nouerint omnia fideles ij quibus hæc scribit, suo loco declaratum est. Habebant enim episcopos & presbyteros, à quibus instruebantur & continebantur in doctrina Apostolica; nec adhuc ab hæreticis seducti erant, sed tenebant quod acceperant. Proinde non opus habebant doctore; sicut opus

habent

habent vel rudes, vel seducti: rudes, vt dicant quod nunquam sciuerunt; seducti, vt redeant ad id à quo desciuerunt: Sed tamen adhuc opus habebant doctore, cuius opera retinerentur in doctrina prius accepta, atque in ea plenius instruerentur, & aduersus errores ac deceptiones hereticorum, munirentur. Locus similis est apud Paulum 1. Thes. 4. De charitate fraternitatis, inquit, non necesse habemus scribere vobis. Ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres &c. Quos tamè, vt amplius id faciant, hortatur; ita subiungens, Rogamus autem vos, fratres, vt abundetis magis. &c.

Iam igitur patet, ex his & superioribus Ioannis Apostoli verbis non esse consequens (quod hodie sectarij docent) Spiritum sanctum ita cui liber adesse Christiano, vt vel externo ministerio doctoris omninò nõ egeat, vel ipse per se iudicare possit de quibuscunque fidei Christianæ cõtrouersijs. Non enim singulis fidelibus tribuit Ioannes omnia nosse & alio qui doceat opus nõ habere; nisi iuxta sensum iam explicatum.

28 SED SICVT VNCTIO EIUS DOCET VOS DE OMNIBVS. Variam Græci codices. Nam plerique legunt, τὸ ἅγιον ἁγίωμα, ipsa vnctio; pro quo Syriacè, illa vnctio: in paucis autem legitur, τὸ ἅγιον ἁγίωμα, ipsius vnctio, nempe Christi Domini. quod cum vulgata versione cõuenit; atque hoc modo legit etiam Augustinus. Hanc partem, velut imperfectam, libri quidam excusi suppleunt, addendo, ita factis. quod ipsum enarratores ferè suppleunt exponendo. Hesselius sententiam perficit hoc modo: Sed hoc tantum ago, vt sicut vnctio vos docet de omnibus, & sicut imbuti estis, in eo maneatis. Verùm huiusmodi supplementis fortasse non opus est; vt ex sequentibus apparebit.

ET VERVM EST, ET NON EST MENDACIVM. Illud nimirum quod vnctio vos docet. Et sensus est: Id quod docet vos vnctio semel accepta, veritas est, non falsitas; vera doctrina non falsa qualem vobis adferunt & obrudunt noui magistri. Possent etiam ex Græco verri: Et vera est, scilicet vnctio. sed nõ valdè responderet alterum membrum, Et non est mendacium. Quamquam Augustinus vtrumque legit adiectiuè; Et verax est, & non est mendax: vt sensus sit, Vnctionem, id est, Spiritum sanctum, in omnibus quæ docet veracem esse, sine falsitatis admixtione.

ET SICVT DOCVIT VOS, MANETE IN EO. Vel in ea; vt ad vnctionem (Græcè ἁγίωμα) referatur. Nec est in Græcis plerique μένειν, manete; sed μένετε, manebitis. quod tamen idem valeat. Nam Hebræis frequens est vt futuris indicatiui pro imperatiuis: Vt, Non occides. Et mox commutat in verbum imperatiuum, μένειν. Completur autem hac parte (quantum mihi videtur) periodus, ab illo initio; Sed sicut vnctio &c. media tamen parenthesi: vt tota distinctè lega-

tur hoc modo; Sed, sicut vnctio eius docet vos de omnibus (& verum est, & non est mendacium) & sicut docuit vos, manete in eo. Quæ sententia absoluta est: vt iam appareat, in priori parte non fuisse vtendum supplementum.

ADDITIVCVLA B. P.

Fortassis expeditius est, periodum claudere sine vlla parenthesi, proximè ante illa verba, & sicut docuit vos, manete in eo. vt hæc sit noua per se periodus, priori illi velut copulata, sed potius ex ea, secundum sensum, illata: hoc modo. Sicut vnctio eius docet vos de omnibus; ita se habet salutaris veritas, nihilq; in hac ad salutem pertinente doctrina qua vnxi mentes vestras Christus Dominus, est vel minima falsitatis. Itaque sicut docuit vos; manebitis in eo, scilicet quod vos docuit. Quæ exhortatio proximis deinde verbis inculcatur v. 28.

Monet ergo S. Ioannes vt in vnctione, siue in doctrina per vnctionem accepta, tanquam indubitatè vera, permaneant. Vt ut autem verbo tam præsentis quam præteriti temporis; docet & docuit: vt innuat doctrinam ac magisterium Spiritus sancti in ecclesia esse perpetuum; nec ita abire in præteritum; vt aliquando desinat. Datus est enim ecclesie Spiritus veritatis, vt maneat cum ea in æternum. Ioan. 14.

28 ET NUNC, FILIOLI, MANETE IN EO. Repetitio est præcepti cum blanda appellatione, qua paternum erga eos amorem declarat. Nam præter suauissimum nomen filiolorum, etiam illud nunc, obsecrandi particula est, respondens Hebræorum na; quo illi vtuntur in suo hosiah-na. Illo verò nunc, vtuntur & linguæ vulgares tanquam interiectione blandientis aut obsecrantis. Quidam, in eo, exponunt, in Christo; propter illud quod sequitur, Vt cum apparuerit, nempe Christus. Sed hoc non videt vt aliò referatur ea particula, quam quò referebatur in versu proximè præcedente, id est, ad vnctionem, aut potius ad id quod doctum fuerat. Nam ad Christum illic etiam referri, minus probabile est.

VT CVM APPARVERIT, HABEAMVS FIDVCIAM. Fructum ac præmium ostendit perseverantiæ; nempe fiduciam habere vitæ promissæ, cum apparuerit è cælo veniens Christus ad iudicium. Nam Christi nectio præcessit sub nomine Filij, qui pollicitus sit nobis vitam æternam. Potest autem hæc fiducia dupliciter exponi. Nam vel intelligitur fiducia quam nunc habemus in illud tempus, quo Christus apparebit. Spes enim & fiducia, propriè est huius sæculi: nam in altero sæculo spes in rem conuertitur. Vel sensus est; Vt intrepidi, magnaque cum animi constantia stemus coram iudice Christo. Qui sensus cõgruit cum membro sequente; nec nõ cum eo quod paulò post dicitur, Cum apparuerit, similes ei erimus. Item cum eo quod dicit B. Petrus 1. ep. 5. Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloria co-

RONAM.

ronam. Sed mox adferemus & tertium sensum.

ET NON CONFUNDAMUR AB EO IN ADVENTU EIVS. Dicuntur *confundi*, id est, pudefieri à Christo iudice in aduentu eius, quorum in illo iudicio peccata à iudice propalabuntur, qui que pro illis ab eo recepturi sunt ignominiam æternam.

Verum hoc loco scrupulus est: quomodo Ioannes exhortans fideles ad perseverantiã, verbo secundæ personæ, *manete*; statim personam mutet, seipsum comprehendens in eo quod subiungit; *ut habeamus fiduciam, & non confundamur* &c. cum sermonis series postulet dicendum esse, *ut habeatis fiduciam & non confundamini*. aut certe ipso etiam exhortandi verbo, seipsum comprehendere deberet, ac dicere; *Et nunc maneamus in eo*. Respondere posset, personæ in eadem oratione mutationem non esse inusitatam in scripturis apostolicis. Veruntamen nescio an in eorum scriptis vlla talis exstet personæ mutatio, qualis hoc loco. Nam incongruum videtur ita loqui, ut coniungas te alijs in præmio, & disiungas in labore. Præterquam quod verba sic sonant, ac si ipsi etiam apostolis opus esset commotione ad manendum in doctrina apostolica, ut fiduciam habeant, & non confundantur in aduentu Christi iudicis. Igitur ut germaniorem; Apostoli sensum assequamur, videtur mihi locus, iste cõferendus cum altero eiusdem apostoli, qui est in 2. epistola, vbi, secundum Græcam lectionem, ad Electam dominam & natos eius sic loquitur: *Videte vosmetipsos: ne perdamus, quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus*. Quo loco significat Ioannes, euangelij ministros ac prædicatores perdere labores suos nec plenam à Deo recipere mercedem, si illi quibus prædicat, vel credere nolint, vel à fide suscepta recedant. Quod sine dubio ad præmium accidentale referendum est, non ad essentialiale. Nõ enim de illorum salute gauisuri sunt, quos ad salutem non perduxerint: interim tamen de essentiali præmio nihil perdituri. Similis est locus Heb. 13. vbi cum eis præcepisset Apostolus, ut suis præpositis obediant; ita subiungit: *Ipsi enim peruigilant, quasi ratione pro animabus vestris reddantur: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes*. Vide nostrum eius loci commentarium. Erit igitur & huius loci sensus istiusmodi; Manete, perseverate in doctrina à nobis; apostolis accepta; ut cum Christus ad iudicandum venerit, rationem nostræ legationis à nobis exacturus; non afficiamur pudore propter vos discipulos nostros, si in eo quod tradidimus, nõ permanferitis: sed ut cum gaudio & fiducia, id est, intrepida ac securâ libertate (id enim vox Græca *παρρησία* significat) vos Christo iudici sistamus; propter fidem doctrinæ nostræ adhibitam, & in ea perseverantiã, electis aggregandos, simulq; cum eis æternæ vitæ præmio remunerandos. Requirit autem hic sensus sanã diligentiã, quam ad dictum locum episto-

læ ad Hebræos, ostendimus. Non enim periculũ est, ne in Dei iudicio malicia auditorum imputetur doctoribus ac prædicatores officio suo ritè & integrè perfunctis: sed metaphoricus est sermo, quo significatur eos, quorum prædicationem fructus speratus (propter auditorum maliciã) non consequitur; gaudio quodam carituros, quod eis obuenerit, si auditores obediētes & perseverantes habuerint. Quod gaudiũ Theologi vocant accidentale. Metaphora sumpta est ab eo quod accidit in rebus humanis; vbi rubore suffunduntur dispensatores, qui damna dominorum suorum in rationes referte coguntur, etiam si fuerint extra culpam.

SI SCITIS QUONIAM IUSTVS EST: SCITOTE QUONIAM ET OMNIS QUI FACIT IUSTICIAM, EX IPSo NATVS EST. Post admonitionem de antichristis fugiendis; transit apostolus ad describendos veros Dei filios; & in eo immoratur toto sequenti capite. Ut proinde, quemadmodum benè Caietanus obseruat, ab hoc loco sumi deberet initiũ, tertij capituli. Summa autem doctrinæ est, eos esse Dei filios, vti que per adoptionem, qui iustè viuēdo & mandata Dei seruando, reddunt se Deo similes. Si scitis, inquit, hoc est, cum sciatis (est enim res indubitabilis) Deum seu Christum (nam de Christo proximè locutus est) esse iustum, & quidem excellentissimè iustum, qui & factus est nobis iusticia & sanctificatio. 1. Corinth. 1. illud etiam scitote, quod omnis qui operatur iusticiam, id est, quicumque iustè viuunt, sicut eius filius, atque ex ipso natus. Hæc enim est secunda natiuitas hominis, quam Scripturæ regenerationem vocat; qua renascitur in Christo, atque ex Christo tanquam ex secundo Adam, ad iusticiam; qui prima natiuitate fuerat natus ex primo Adam, ad iniquitatem: secundum illud, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum &c.* Significat hac sententia apostolus, omne opus iusticiæ proficisci non ex viribus naturæ; quas ex prima natiuitate accepimus; sed ex Christo, nostræ regenerationis authore.

Quæri hinc posset, quomodo verum sit omnem eum qui facit iusticiam, esse Dei filium; cum multi tam catechumeni quam post lapsum pœnitentes, opera iusticiæ exercent, nondum regenerati aut reconciliati; proindeque nec filij Dei: Sed eam rem differemus vsque ad illum locum sequentis capituli huic similem; *Qui facit iusticiam, iustus est: sicut & ille iustus est*.

SUMMARY.

Docet hos esse Dei per adoptionem filios, qui eius mandata obseruando iustè viuunt: eosq; distinguit à filijs diaboli. Horretur proinde ad diuinorum mandatorum obseruationem, ac specialiter ad dilectionem proximorum.

CAPVT III.

VIDETE QVALEM CHARITATEM DEDIT NOBIS PATER, UT FILII DEI NOMINEMUR ET SIMVS. Hoc postremum, & simus, multi Græci codices non habent: Veruntamen alij non pauci quos annotauit Robertus Stephanus, habent, legentes *ὅτι ἐσμεν, & simus*: nisi quis suspicetur hoc assumptum ex 2. versu, *Nunc filij Dei sumus, ἐσμεν*. Quanquam & Oecumenius hinc se legisse significat, hoc glossemat: *Videte enim quod dedit nobis ut filij sui essemus & vocaremur*. Legit & Augustinus, & exposuit, dicens; *Nam qui vocantur & non sunt, quid prodest illis nomen?* Nec Syrus paraphrastes prætermisit. Sic enim habet: *Et videte quam magna est charitas Patris erga nos; qui filios vocauit nos, etiam fecit nos*. Porro cõmendat Apostolus his verbis magnum illud Dei beneficium, de quo dixerat proximè, *Ex ipso natus est*: ut intelligatur quale & quantum sit. Nam *ex Deo natus esse, est esse filium Dei*. Dico, quale & quantum: Nam Græca dictio *ὅτι ἐσμεν*, utrolibet modo verti potest, *qualem & quantum charitatem*. Estque sensus; Etiam atque etiam cogitate, quantum charitatem nobis exhibuerit, quantoque beneficio nos affecerit Pater celestis, ut filij ipsius, id est, filij Dei, nominemur; non inani titulo, sed cum ipsa re coniuncto, id est, ut filij Dei simus. Igitur Dei charitas significatur qua nos ipse diligit. Cuius, tamen charitatis in nobis effectus est ea charitas, qua nos ipsum diligimus; sine qua certè ipsius filij non essemus. Videtur autem Apostolus respicere ad vaticinium Hosee 1. *Dicetur eis, Filij Dei viuentis*. Hoc est, Erunt filij Dei viuentis, ut eo, tanquam insigni, nomine appellari possint. Sic enim passim in Scripturis prophetarum accipitur *vocari nomine hoc aut illo*, ut Isaiæ 1. *Vocaberis ciuitas iusti, vrbis fidelis*. Et cap. 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*. Similiter angelus ad Virginem Luc. 1. *Et vocabitur altissimi filius*. Qui vti que propriissimè & perfectissimè Dei filius est. Illud ergo, *Et simus*, veritatem ac rationem declarat nominationis. Vnde etiam mox subiungit; *Nunc filij Dei sumus*.

Ut autem huius beneficii magnitudo percipiatur; primò cogitandum, quanta res sit esse naturalem filium Dei. Sed hoc cum nec nobis nec angelis, nec vlli prorsus creaturæ communicari possit: proximum quod præ-

stari potuit, illud fuit, ut per gratiam nos adoptaret, faceretque filios suos adoptiuos, ac regni sui hæredes. Tales autem facit dum nos regenerat, *maxima & preciosa nobis promissa* largiens; per quæ, secundum participationem, *efficiamur diuina cõsortes nature*. 2. Petri 1. Iam, si ita filij Dei nominamur ac reputamur, ut & simus Dei filij; cõsequens etiam est, nos ita nominari & reputari iustos, ut & reuera iusti simus; ac non solum impuriuè, quod volunt sectarij.

PROPTER HOC, MVNDVS NON NOUIT NOS: QVIA NON NOUIT EVM. In Græcis nonnullis legitur secunda persona, *non nouit vos*. At primam personam legunt plerique codices Græci: ut etiam Augustinus & Syrus interpretes; & contextus ipse eam requirit. Continet autem hæc pars tacitam cõsolationem fidelium: ac si diceret; Non mirum si mundo non simus filij Dei, sed contra contemptibiles atque exosi: nam ideo mundus non nouit nos nec diligit, quia Deum, cuius filij sumus, nec nouit, nec diligit. Non debet autem molestum nobis esse, si non diligamur ab ijs qui nec Deum diligunt. Ita Dominus ad discipulos suos, Ioan. 14. *Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Et iterum: *Hæc omnia facient vobis, propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me*. Mundus accipitur ut in præcedentibus, pro multitudine eorum qui à Christo sunt alieni.

CHARISSIMI, NUNC FILII DEI SVMVS. Spectat hoc quoque cum sequentibus ad cõsolationem & exhortationem fidelium, ne succumbant in aduersis. Quamuis, inquit, mundo despecti & viles habitj; tamen etiam nunc, in hoc sæculo, atque inter pressuras & opprobria, reuera filij Dei sumus, vti que per gratiam adoptionis.

ET NONDVM APPARVIT QVID ERIMVS. Græcè fuit, *ὅτι ἐσμεν*, quod erimus, vel vti clarius vertit Erasimus, *id quod futuri sumus*. Cæterum, *quod erimus*, legitur apud Augustinũ in enarratione psalmi 37. Sic etiam vertetur interpres Clementis, & Hieronymus in epistola Epiphaniæ ad Ioannem Hierosolymitanum, à se à Græco translata. Diuersum est autem quod Didymus legit: *Nondum apparuit quod simus*, id est, nos esse filios Dei, quod tamen sensum habet haudquaquam alienum. At verò nostræ lectionis, quæ sola hodie exstat tam in Græcis quam in Latinis codicibus; hic sensus est: *Nunc quidem, inquit, filij Dei sumus: sed quid futuri simus*, id est, quam gloriosi, quamque beati, quam animo & corpore consummati; id *nondum apparuit*, ne nobis quidem, qui nunc per fidem ambulamus, & nõ per speciem. 2. Cor. 5. Apparebit autem tempore futuræ retributionis, non nobis solum, verum & toti mundo: quando de nobis dicturi sunt impij, quod prædictum legitur Sap. 5. *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum*. Nos insensati vitam illorum existima-

hauris insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei. Præfenti loco simile est illud Col. 3. *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Atque hoc est quod sequitur,

SCIMVS, QUONIAM CVM APPARVERIT, SIMILES EI ERIMVS: QUONIAM VIDEBIMVS EVM SICVTI EST. Græcè, *Scimus autem quod si apparuerit.* Et hoc modo vertit interpret Clemens, & legit Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 23. Verum particula *si* non dubitantis est, sed supponentis id quod sine dubitatione verum est; vt alibi sæpe. velut Malach. 1. *Si pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Quocirca Syrus quoque vertit *cum apparuerit.*

Quæritur autem quod referendum sit verbum *apparuerit*, num ad illud proximū, quod *erimus*; vt sermo suppleatur hoc pacto: *Non dum apparuit quod erimus. Scimus autem quod cum apparuerit id quod erimus; similes ei erimus.* An verò ad *Deum*; quia dixerat: *Nunc filij Dei sumus.* An denique ad *Christum*, venturum ad iudiciū. Quod tertium maxime probabile est. Nam & de primo eius aduentu postea dicit, versu 5. *Et scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret.* Et sub finem capituli superioris de secundo eius aduentu dixit: *Vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Magis autem Christo quam Deo, solet in Scripturis attribui aduentus ad iudiciū; & apparitio seu manifestatio in iudicio; propter formam humanam, in qua veniet & apparebit omnibus conspicuus & gloriosus: Itaque sensus est: Quando Christus apparebit in gloria; tunc etiam apparebit id quod nos erimus, qui in eum credidimus. Consonat huic intellectui locus paulo ante citatus, Col. 3. *Cum Christus apparuerit; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Sed & interpretes ad Christum referunt, Syrus, dum ita vertit: *Scimus autem cum ipse reuelatus fuerit.* Hieronymus in epistola Epiphaniij supradicta; *Nonimus autem quia cum ille reuelatus fuerit.* Item Tertullianus loco prius citato; Beda, Carthusianus, & alij, in commentarijs. Adde quod nec satis commodè potest referri ad illud, quod *erimus*. Nam apparere quod erimus, non est causa cur similes Christo simus; sed apparitio & aduentus Christi causa erit nostre glorificationis quæ expectamus. Hinc aptissime dicitur; *Cum Christus apparuerit; similes ei erimus*, id est, conformabimur seu configurabimur illi in gloria: quemadmodum loquitur Paulus Col. 3. & Philipp. 3. Erit autem sermo plenior hoc pacto: *Cum apparuerit Christus; tunc etiam apparebit quod nos erimus, nempe quod ei similes atque conformes erimus.* Sed quomodo similes? Haud dubium quin & corpore & anima. Nā & secundum animam

beati erimus; & secundum corpus, gloriosius iuxta similitudinem Christi capitis nostri. Verum de corpore, videtur sensus esse germanior. Nam Paulus hanc similitudinem declarat vocabulo gloriae attributæ corpori. vt 1. Cor. 15. de corpore loquens: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* & paulo post: *Qualis celestis, tales & caelestes.* & Philip. 3. *Saluatorem, inquit, expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis (seu gloriae) suæ. Quam reformationem,* Roman. 8. *de gloria qua reuelabitur in nobis differens, redemptionem vocat corporis nostri.* Nec diuersus est sensus eius quod adferebatur ex epistola ad Coloss. licet illic corporis expressa mentio non fiat. Quare & hunc locum Ioannis conuenit interpretari de ea similitudine qua secundum corpora similes erimus Christo; vt sicut ille, corpore gloriosus, ab omnibus conspicietur; ita & cum eo omnes electi. Nam animæ gloria consistens in beata Dei visione non poterit ab omnibus conspici. Atque isto modo glossa interlinealis hanc similitudinem exponit; *Similes ei, id est, secundum corpus immortales & impassibiles, sicut ipse filius.* Idem sensus est apud Tertullianum lib. de resurrectione carnis cap. 23.

Iam in eo quod sequitur, *Quoniam videbimus eum sicuti est*; illud *quoniam*, Græcè *ὅτι* dubitari potest, vtrum causale sit, probans id quod proximè præcessit; an verò positum pro quod, vt in priori membro: quasi dicat Apostolus, *Scimus quod cum apparuerit, erimus ei similes, & quod videbimus eum sicuti est.* Vt quomodo prior pars refertur ad gloriā corporis; ita hæc posterior ad beatitudinem animæ. Sed obstat quod nulla sit interposita coniunctio. Quare verisimilius est causaliter accipi; quemadmodum & acceperunt alij interpretes, suā veltione distinguentes inter prius & posterius *in quod, quoniam*. Simile est quod infra dicit versu 14. *Nos scimus quoniam (id est, quod) translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres.* Vbi manifestum est posteriorem partem continere causam prioris. Sic igitur, & hoc loco, significat ideo nos Christo similes futuros, quia videbimus eum sicuti est. Sed hæc causalitas explicanda est. Quidam visionem hanc interpretantur qua Christum oculis corporeis conspici sumus, qualis nunc est in cælo secundum corpus, id est, immortalem & inestimabili gloria decorum: vt hæc pars respondeat priori, *similes ei erimus*, quam de similitudine secundum corpus exposuimus. Sed hoc modo non videtur explicari causalitas hæc indicata. Nam ex eo quod corporaliter eum videbimus in gloria, non sequitur hic effectus esse nos ei similes in gloria corporis. Siquidem in humanitate glorificata videbitur ad tempus etiam à reprobis. Nisi quis dicat intelligi debere visionem lætam, familiarē, & perpetuam;

qua

quæ solis cōtinget electis: vt nō tā causa quàm certissima consequentia significetur: Videbimus eum corporaliter sicuti est; ergo secundum corpora similes ei erimus. Quam expositionem, vt probabilem recipit Lorinus, suos adducens auctores. Alij tamen, & complures, particulam *ei* vel ad Deum vel melius ad Christum referentes; *visionem eius* interpretantur, qua mentis oculis diuinam eius essentiam non in aliqua creata similitudine, sed clarè & immediatè vt in seipsa est contemplabatur. Hoc enim est *Deum videre sicuti est*; & vt Paulus loquitur, *facie ad faciem*. 1. Cor. 13. Constat autem apud Theologos, ex Augustini sententia scribentis ad Dioscorum epistola 56. ex animæ gloria, quæ consistit in visione Dei beatifica, redundare gloriam, id est, immortalitatem reliquasque dotes gloriosas in corpus subiectum: vt proinde, videre Deum (aut Christum) sicuti est in diuina natura, rectè adferatur vt causa cur in gloria corporis similes ei futuri simus. Veruntamen, quia nemo perfectè videt Christum sicuti est, nisi qui videt vtrumque quod est, id est, vtramque eius naturam, (Christus enim vt Christus, & Deus & homo est): idcirco fortasse verior, saltem plenior, huius partis erit intelligentia, de visione Christi secundum vtramque naturam, quæ perfectè est eius visio. Iuxta quem sensum manet consequens ex hoc loco, quod ex eo communiter statuunt doctores, tam veteres quàm recentiores, Deum à beatis videri per essentiam. Quamquam & consequens erit, si suppleas ad hunc modum: *Quia videbimus eum cum Patre, sicuti est.* Nam & Patris mentio præcessit. Estque sensus iste consentaneus cum eo quod scribit Apostolus Apocal. vltimo, *Et videbunt faciem eius*: scilicet Dei & agni; quia coniunctim vtriusque mentio præcesserat. Nam & in eo quod ibi continuò sequitur, *Et nomen eius in frontibus eorum*; vtriusque nomen intelligitur; vt ostendi potest ex initio capituli 14. eiusdem libri, vbi illa *centum quadraginta quatuor millia redemptorum*, dicuntur habere *nomen eius*, scilicet agni, & *nomen patris eius, scriptum in frontibus suis*. Et certè CHRISTVS vtrumque promissit in euangelio: visionem Dei, cum ait, Matthæ 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; & visionem sui, Ioan. 14. *Qui diligit me, manifestabo ei meipsum*.

Potè non sequitur ex hoc loco, vt neque ex eo quem adduximus ex Apocalypsi, sanctorum animas non visuras Deum sicuti est, ante Christi aduentum & apparitionem, id est, ante diem extremi iudicij; quemadmodum malè colligunt ex eiusmodi scripturis sectarij. Loquitur enim vtrique Ioannes non de animabus separatis, quas alibi testatur interim regnare *cum Christo mille annis*, Apoc. 20. sed de nobis, id est, ho-

minibus in aduentu Christi resuscitandis ad vitam. Neque enim Deum videre poterimus prius quàm viuamus.

ET OMNIS QUI HABET HANC SPEM IN EO, SANCTIFICAT SE, SICVT ET ILLE SANCTVS EST. *Sanctificat se &c.* Græcè & Syriacè, *Purificat seipsum, sicut ille purus est.* Et ita legit Tertullianus de monogamia cap. 3. & de pudicitia cap. 19. necnon Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Sed & Augustinus in commentario, legit, *castificat semetipsum sicut & ipse castus est*. Noster interpret pro *ἀγνίζει & ἀγνός*, quod hodie est in omnibus Græcis, legisse videtur *ἀγιάζει & ἀγιός*. Quamquam res eadem ferè significatur. Nam *sanctitas* in Scripturis intelligi plerumque solet *puritas ab inquinamentis* tam corporis quàm animi. Docet Apostolus hac sententia quid agere debeat qui ad illā similitudinē aspirat, de qua dixit, *similes ei erimus*. Et sensus est: Igitur quicumque spem huius rei habet in Christo quod cū apparuerit, similis ei in gloria futurus sit, & visurus eum sicuti est: prius in hac vita purificare se debet atque emundare ab omni forde peccati, ac digna conuersatione reddere se ei similem, id est, sanctum, sicut ille per omnia sanctus est; & vt dicitur Heb. 7. *innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Vt enim in futuro seculo similitudinem assequamur gloriæ eius, debemus ad illam in hac vita nos preparare, puritatem & innocentiam vitæ eius imitando.

Consequens est ex hoc loco, veram esse in nobis sanctitatem, sicut est in Christo: tamen in nobis gradulogè inferiore & imperfectiore. Cōsequens etiam (quod aduertit Augustinus) hominē sanctificare & iustificare seipsū; ac proinde libera sua volūate cooperari gratiæ Dei ipsū sanctificatis & iustificatis: quæ tamen ipsa voluntatis humanæ cooperatio sit effectus gratiæ Dei. Quod vtrumque notandum, aduersus horum temporum hæreticos.

Illud etiam obserua, non dicere Ioannem, sicut ille sanctificat se; tanquam indigens vltiori sanctificatione: sed, *sicut ille sanctus est*. Non enim Christus iustificatur aut sanctificatur adhuc; quod Apoc. vltimo nobis præcipitur: sed semper æquè & perfectissimè sanctus est, ex quo conceptus fuit in vtero virginis; cui dictū est ab angelo, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Lucæ 1. Nec obstat quod ipse dicit Ioan. 17. *Pro eis ego sanctifico meipsum*, id est, pro electis: Nam *sanctificare seipsum*, eo loco est offerre seipsum in sacrificium, vel ad eiusmodi oblationem sese parare & accingere.

OMNIS QUI FACIT PECCATVM, ET INIQUITATEM FACIT: ET PECCATVM EST INIQUITAS. Et, priore loco significat etiam; posteriore, capitur pro quia, more Hebræo; sicut Gen. 14. *Et erat sacerdos Dei excelsi, quod Hieronymus vertit: Erat enim sacerdos Dei altissimi*. Et Isa. 64. *Tu iratus es, & peccauimus*; id est, quia peccauimus. Ita hoc loco:

D d d d

quin

quia peccatum est iniquitas. Hac enim indefinita propositione sensum vniuersalem habente, probat vniuersalem quam sumferat. Estque consequentia euidens: Omne peccatum est iniquitas; ergo quicumque facit peccatum, facit iniquitatem. Dependet autem probationis intellectus ex significatione duarum vocum, *peccatum* & *iniquitas*. Sunt qui *peccatum* & *iniquitatem* ita distinguant, vt *peccatum* pro incredulitate & impietate cordis accipiatur; iniquitas pro fructibus, vt loquuntur, impietatis; cuiusmodi sunt peccata quæ committuntur aduersus proximum, velut inhumanitas, inclementia, cædes, inuadere res alienas. Vt sit sensus: Qui impius & contemptor Dei est, idem & in proximos iniurius erit; eo quod ex impietate qua Deus ignoratur aut contemnitur, omnis in homines iniquitas oriatur. Verum ista expositio longè petita est & parum fundata, nec facit ad contextum præsentis loci. Sanctus Ambrosius in apologia David capit. 13. tractans hunc locum, censet latius patere nomen *iniquitatis* quàm *peccatis*: vt omne peccatum sit iniquitas, non contra. Concupiscentiam enim cum qua nascimur & quæ post baptismum in nobis remanet, estque *radix*, vt ait, *Et seminarium peccatorum; malos fructus ferens*, iniquitatem esse dicit: quæ tamen, vt habet fides Catholica, post baptismum propriè peccatum non est. Id quod rursus apud eundem legitur in libro de Isaac & anima cap. 8. quem eius locum citat & explicat Augustinus lib. 2. contra Iulianum cap. 5. Augustinus quoque eiusdem operis lib. 5. cap. 3. & lib. 6. cap. 8. pronunciare non dubitat, concupiscentiam in renatis esse iniquitatem: quam tamen vbique peccatum esse negat. Hanc Ambrosij & Augustini doctrinam, qua docent concupiscentiam etiam renatorum meritò vocari iniquitatem, latè & bene declarat in eius loci commentario, Io. Hesselius: ad quem lectorem remitto. Sed tamen non viderit illud discrimen *peccati* & *iniquitatis* à Beato Ambrosio traditum, huic Apostoli loco satis quadrare; vbi ad exaggerationem peccati dicitur quod sit iniquitas: præsertim cum eodem Apostolo authore infra cap. 5. etiam è diuerso *omnis iniquitas peccatum sit*; quod Ambrosius negat: licet illo loco diuersum in Græco vocabulum esse, nō ignoremus. Huc accedit quod *iniquitas* in Scripturis non nisi de peccato dici solet; quemadmodum & *iniusticia*; quantum ad ipsas voces attinet. Itaque S. Gregorius lib. 11. Moralium capit. 23. existimat, ex mente Ioannis Apostoli, *inter iniquitatem atque peccatum nihil distare; ipso tamen usu loquendi, inquit, plus iniquitas quàm peccatum sonat: Et omnis homo libere se peccatorem fatetur, iniquum verò dicere nonnunquam erubescit*. Hac ille: Sentit autem nihil distare, quoad rem ipsam, eo quod omne peccatum sit iniquitas, & contra; distare tamen aliquid

quoad significationem. Quod vt intelligatur, sciendum *iniquitatem*. Græcè à Ioanne vocari *ἀνομίαν*, id est, legis transgressionem seu recessum à lege. Dicit ergo Beatus Ioannes, *omne peccatum esse iniquitatem*; vt ostendat nullum peccatum tanquam leue contemnendum esse; propterea quod in omni peccato sit legis diuinæ quædam violatio. Cum enim ad vitæ puritatem & sanctimoniam hortaretur fideles; reuocat nunc eos à peccatis sanctitati contrarijs, vt maximè sunt impudicitia & immundicia peccata; quæ, quod legibus humanis (excepta adulterij iniuria) puniri non solerent, leuiora putabantur, ac liberius committebantur; ab ijs præsertim qui imbuti erant mysterijs Simonianorum ac Nicolaitarum. Etenim hoc genus peccatorum specialiter opponi sanctitati, docet illa Pauli ad Thessalonicenses exhortatio, 1. epist. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificationis vestra, vt abstinere vos à fornicatione*. &c. Sensus igitur perspicuus est huiusmodi: Ac ne quis sibi blandiatur in peccatis quibusdam, quasi leuibus, eo quod non videantur esse contra leges: declaro vobis & affirmo, *omne peccatum esse iniquitatem*, id est, legis diuinæ transgressionem; & omnem eum qui peccatum committit, iniquitatem committere legemque diuinam transgredi; ideoque frustra eum qui in peccatis hæret, sibi promittere similitudinem gloriæ quam capite Christo. Loquitur autem præcipue de peccato mortali; quanquam & venialia sunt iniquitates quædam, & legi diuinæ alicui repugnant, & ab ingressu regni cælestis ac similitudine Christi participanda, remorantur; donec expurgata fuerint.

ET SCITIS QVIA ILLE APPARUIT VT PECCATA NOSTRA TOLLERET. Aliud argumentum quo fideles à peccatis reuocet sumptum à sine incarnationis & œconomie Christi. *Scitis*, inquit, fide instructi, *quod ille, scilicet filius Dei, in assumpta carne visibilis nobis apparuit, vt peccata nostra tolleret, siue vt Augustinus legit, auferret*. Non ergo manendum est nobis in peccatis, aut ad peccata redeundum. Est enim hoc fini propter quem ille ad nos venit, contrarium. Vnde de eo Paulus ad Tit. 1. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate; & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*.

Porrò notandum est Græcum verbum *ἀνέβην* atque etiam Syriacum *nesau* ambiguum esse; quemadmodum & Latinū *tollere*. Nam interdum significat, accipere, ferre, portare: interdum auferre, remouere, delere. tamen vox Græca magis significat portare, siue ad portandum accipere; quomodo quis dicitur onus tollere, quod accipit portandum. Et hoc modo sepe de Christo Scriptura loquitur, dicens eum portasse, vel tulisse, nostra peccata: vt Isaia 53. *Vere languores nostros ipse*

tulit.

tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ac rursum, *Iniquitates eorum ipse portabit*. Item. *Et ipse peccata multorum tulit*. Vnde & ibidem dicitur, quod posuit Dominus in eo *iniquitatem omnium nostrum*. Et notum est illud præcursoris, Christum monstrantis; *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*. Græcè δὲ ἀγνῶν, *tollens*. Ita sensus Apostoli est, Christum apparuisse vt peccata nostra, tanquam graue pondus quo premebamur vsque ad tartara, in se susciperet, eaque pro nobis portaret; id est, pendens in cruce pœnas pro illis debitas exsolueret. Sic enim & Petrus loquitur, 1. epist. 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*. Continet tamen & altera significatio, velut ex priore consequens: Christus enim portando peccata nostra, abstulit ea ac deleuit. Et quidem, priori modo Christus, vt agnus & vt homo, peccata nostra tulit; vt pote secundum eam naturam in qua pati potuit; altero autè modo, ea tulit & vt Deus, per potentiam, & vt homo, per patientiam qua nobis meruit abolitionem peccatorum.

ET PECCATVM IN EO NON EST. Oecumenius & alij quidam causaliter hoc exponunt: *quia peccatum in eo nullum est*, ac si dicat Apostolus, ideo Christum idoneum fuisse qui peccata nostra tolleret, quia nullum ipse peccatum habuit. Poterit tamen simplicius exponi, hoc modo: Christum tulisse peccata nostra, non sua; cum in ipso nullum esset peccatum quod tolleret. Hoc autem ampliè est intelligendum, vt nec sit nec vnquam fuerit, imò necesse posset vllum peccatum in Christo: tum quia de Spiritu sancto conceptus, peccatum contrahere non potuit: tum præcipue propter vnionem hypostaticam in persona filij Dei, in quam impossibile est cadere peccatum; quemadmodum rectè docent Theologi in 3. dist. 12.

6 OMNIS QUI IN EO MANET NON PECCAT. Ex hac Scriptura alijque similibus docuerunt Iouinianus & Pelagius iustos viuere sine peccatis. Quæ doctrina cum suis authoribus ab ecclesia damnata est; & manifestè refellitur ipsius Ioannis autoritate, qui supra cap. 1. dixit, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c*. Videndum igitur quomodo quod hic dicit, *omnem eum qui in Christo manet, non peccare*; debeat intelligi, vt illi doctrinæ Catholicæ non sit contrarium. Augustinus libr. 4. contra duas epist. Pel. cap. 11. refert ex Ambrosij commentario super Isaiam quædam verba, quibus ille locum hunc exponit de futuro saculo; quando perfecta erit electorum mansio in Christo, & coniunctio cum Christo; vt amplius nec peccent nec peccare possint. Verum non hic loquitur Ioannes de futuro saculo, sed de præsentem, docens quid agere debeamus vt non peccemus. Sic enim & initio capituli secundi dixit: *Hæc scribo vobis vt non*

peccetis. Quod vtique ad præsens saculum pertinet. Sed & hic, post pauca, subiungit, *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli*; nempe in eo quod isti peccant, illi non peccant. Quod adfert vt notam discriminis inter hos & illos, etiam in hac vita. Est igitur alius sensus ipsius Augustini, quem tradit lib. 2. de baptismo paruulorum cap. 8. 9. & 10. Lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 7. Libro de perfectione iusticiæ, sub finè, & in epistola 95. iustos & in Christo manentes, non peccare ex ea parte qua sunt in Christo renati ac renouati: licet ea parte qua sunt adhuc vetusti, & filij huius sæculi, sæpenumero peccent. Sic & Bernardus intellexit libro de natura & dignitate diuini amoris capit. 6. Atqui nec iste sensus videtur accommodus huic loco. Distinguit enim Ioannes, vt dictum est, inter filios diaboli & filios Dei, per *peccare* & *non peccare*: quod intelligi non potest de quibuscunque peccatis, sed tantum de grauioribus, quæ mortalia vocamus. Igitur Augustinus in commentario præsentis loci tractatu 5. interpretatur Ioannem loqui de eo peccato quod est non diligere fratrem, id est, quo violatur fraterna charitas. Sic enim ipse Ioannes exponere videtur illud *peccatum*, infra versu 10. dicens, *Et qui non diligit fratrem*. Veruntamen sub illo fraterni odij peccato, vt plenus sit huius loci sensus, etiam cætera mortalia comprehendenda debent: quæ generaliter idem Apostolus vocat *opera diaboli*, versu 8. Nam & è contrario, *opera bona iusticiam* in genere vocat, dicens, *Qui facit iusticiam iustus est*. Et hoc generali sensu locum præsentem accepit Hieronymus libro 2. contra Iouinianum cap. 1. Et libr. 1. contra Pelag. cap. 3. Eundemque sensum inter alios tradit ac bene declarat Hesselius, obseruandum monens; apud Ioannem Apostolum, *peccare siue facere peccatum*, idè esse quod apud Paulum, *ambulare secundum carnem, esse sub peccato, seruum esse peccati*. Id autem est peccare mortaliter, actu vel affectu. Sic ergo, Ioannes omnem eum qui manet in Christo dicit *non peccare*; scilicet dum manet in Christo: quomodo Paulus dicit nos mortuos esse peccato & liberatos à peccato, Roman. 6. Item nullam esse participationem iusticiæ cum iniquitate. 2. Corinth. 6. Nam & Petrus ita loquitur, 2. epist. 1. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Porrò manere in Christo, est ei inherere tanquam membrum suo capiti, sic vt vitales ab eo influxus accipiat. Nec verbum *μένειν*, manere, perseverantiam Ioanni denotat, sed quietem aliquam; quomodo quis dicitur manere in domo, vbi sedem habet. Vnde nec conuenit sensus illorum, qui sic exponunt; *Qui manet in eo, perseveranter vsque in finem; nunquam deinceps mortaliter peccat*. Nam neque per hoc distinguuntur filij Dei & filij diaboli:*

Multi enim sunt filij Dei, id est, iusti, qui in iusticia non perseverant.

ET OMNIS QUI PECCAT, NON VIDIT EVM NEC COGNOVIT EVM. Rem declarat ex opposito: Nec tamen dicit, *non manet in eo, sed non vidit eum*. &c. visionem & noticiam, ut alibi, intelligens affectivam seu dilectivam; quam nemo habet, nisi qui manet in eo. Nam, ut annotat Caietanus, *non sumus in Christo per esse substantiale, sed secundum mentem; qua cognoscitur & videtur*, eo nimirum cognitionis & visionis modo quem dixi. Nec sentit Ioannes, eum qui peccat, nunquam verè credidisse: sed sensus est, eum qui peccat, tunc quando peccat, ab affectiva Dei noticia alienum esse. Ponuntur enim præterita pro præsentibus, vel Hebræo more; vel, ut vult Caietanus, *ad significandum causalitatem noticia & visionis respectu actus peccandi vel non peccandi*.

Sciendum tamen pro verbo, *cognovit*, in Græco esse *γνωκεν*. Quæ vox, annotante Erasmo, significat actum inherens; quasi dicas, *cognitum habere*. Unde potius verèdum putat, *neque novit*, quod præsentis tēporis significationem habet. Visionem & cognitionem interpretes ferè pro synonymis accipiunt: tætesi Caietanus *visionem* interpretatur noticiam evidentem, qua scilicet ea quæ fidei sunt, evidenter cognoscuntur *sub ratione credibilis*, ut loquitur. At verisimilius est, posterius verbum esse expositionem prioris; *non vidit*, id est, *non cognovit*: ne putaretur sermo restrictus ad visionem claram & evidentem.

FILIOLI, NEMO VOS SEDUCAT. Paterna admonitio est ad fideles, ne se sinant in errorem abduci à seductoribus; qui docentes opera ad salutem non esse necessaria, sed fidem solam; carni & omni viciorum generi laxabant habenas, quam Ioannes Apoc. 2. vocat *doctrinam Balaam*, & doctrinam Nicolaitarum, & quam ascribit in mysterio mulieris Iezabel. Nec minus valet eadem hæc admonitio aduersus hereticos hodiernos, simili ratione populum seducentes, cum negant per bona opera quæquam iustum esse coram Deo; sed iustificari nos imputatiuè sola remissione (quam ipsam malè exponunt) peccatorum; utique directè contra id quod sequitur hoc loco;

QUI FACIT IUSTICIAM IUSTVS EST. Cōuenit hoc cum eo quod dixit capite præcedenti, *Qui facit iusticiam, ex ipso natus est*. Vnde intelligitur, Ioanni eundem esse, iustum, & ex Deo (vel ex Christo) natum id est, adoptione Dei filium. Est & similis locus Ezechiel. 18. *Vir si fecerit iudicium & iusticiam* &c. & *in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit; hic iustus est*. Iusticiam ergo Ioannes intelligit non habitualē, sed opera bona; quæ vocantur opera iusticiæ: quemadmodum & Augustinus declarat in enarratione psalmi 118. conc. 16. Ex quo consequens est, in operatione virtutum consistere iusticiam

Christianam, non autem in sola peccatorum remissione: nec solum significari quod opera iusticiæ sint signa quædam exteriora quæ arguant hominem esse iustum coram Deo: sed esse eiusmodi, quæ rationem habeant causæ formalis, qua quis iustus sit. Ut enim formaliter ab ambulatione quis dicitur ambulans; ita ab actibus iusticiæ quos exercet, quis dicitur iustus in actu: & consequenter à iusticia habituali, iustus in habitu. Quemadmodum & è diuerso, mala opera formaliter hominem constituunt peccantem; & macula ex eis contracta, peccatorem.

Sed recurrit dubitatio, quam mouimus ad finem capitis superioris, & solvendam huc vsque distulimus. Quomodo verum sit, *omnem eum qui facit iusticiam, iustum esse*: cum multi, tam Catechumeni, quam post lapsum pœnitentes, opera iusticiæ exerceant, necdum iusti, quia nondum iustificati. Quæ iustificatio non contingit ordinariè, nisi dum actu suscipitur sacramentum ad hoc institutum: adeo ut dicat Augustinus tract. 13. super Ioannem: *quod quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum*. Primum, responderi potest, omnem eiusmodi hominem iustum dici, quantum est ex parte operum iusticiæ quæ facit. Sunt enim ea legi diuinæ conformia; propter quod & à Ioanne *iusticia* vocantur; ut sit argumentum à coniugatis, facit iusticiam, ergo iustus est. Quali ratione etiam Cornelius Centurio, nondum Christo incorporatus, Actor. 10. vocatur *religiosus ac timens Deum*: cuius orationes & elemosina ascenderant in memoriam in conspectu Dei: idemque à domesticis suis ad Petrum missis, non utique falsò, *iustus ac timens Deum* appellatus. Veruntamen qui talis est, absolutè iustus dici non potest; eo quod ipsi desit ad iusticiæ complementum, remissio peccatorum præcedentium: quorum ratione adhuc Dei inimicus est, & iræ eius obnoxius. Non est autem absolutè & simpliciter iustus ac reclus, cui Deus est iratus, sic ut reum adhuc gehennæ teneat. Alia responsio est, si dicamus, eiusmodi hominem iustum esse, sed iusticia actuali, quæ consistit, ut ante dictum est, in bonis operibus; à quibus, hac consideratione, etiam formaliter iustus est. Rursus alia responsio; quod dicatur iustus à iusticia inchoata & aliquovsq; prouecta. Nam initium iustificationis est à fide & proposito nouæ vitæ; progressus, in exercitio bonorum operum: complementum in susceptione gratiæ gratificantis. Multum autem profecit peccator, quando ad secundum in hoc genere gradum pervenit; etiam si à tertio, ob causam, differatur. Sed & hoc dici potest; Ioannis sententiam sic intelligendam: Omnis qui facit iusticiam, à peccato liber,

iustus

iustus est & ex Deo natus. Nondum est autem liber à peccato, qui reatu eius adhuc tenetur. Hesselij responsio est, Ioannem scribere fidelibus iam per baptismum tenatis; quos affirmat esse iustos & filios Dei, si rectè vivant; sin minus, regenerationis gratiam non habere, etiam si perceperint eius sacramentum.

SICUT ET ILLE IUSTVS EST. Ita dictum fuit in fine capitis præcedentis, *Si scitis quoniam iustus est &c.* Vtrumque verò de Christo dici, circumstantiæ docent. Hæc pars addita, confirmat quod diximus, ex hoc loco destrui iusticiam hæreticorum imputatiuam, quam constituunt in sola peccatorum remissione. Christus enim, qui perfectissimè iustus est, quique *factus est nobis à Deo iusticia & sanctificatio & redemptio*, 1. Corinth. 1. sola mentis rectitudine iustus est, non etiam peccatorum remissione, quæ nulla habere potuit. sicut & angeli sancti eo tantum modo iusti sunt. Verum quia nos homines in peccatis nati sumus; & *in multis offendimus omnes*, Iacob. 3. ut semper nobis necesse sit dicere Deo, *Dimitte nobis debita nostra*: idcirco non in sola rectitudine mentis, & virtutum operatione consistit nostra iusticia; sed etiam in remissione peccatorum; ut ijs condonatis iam verè iusti simus (et si gradu longè inferiori) *sicut & ille iustus est*. Nam similitudo, non æqualitas significatur.

QUI FACIT PECCATVM EX DIABOLO EST. Antithesim statuit inter Christum & diabolum; & inter eos qui iusticiam faciunt & qui peccatum: quæ antithesis sic explicatur. Christus hominibus author est exercendæ iusticiæ, diabolum, author peccati: ut proinde alij Christum principem habeant, alij diabolum. Porro Christus iusticiæ nobis author est, tum quia à Deo Patre, iusticiam nobis sua passione promittit; tum quia iusticiæ nobis exempla, simul & præcepta, tradidit: diabolum verò peccati author est hominibus, quoniam & primus peccavit, & primus homini peccatum suggestit ac persuasit, & ad omnia peccatorum genera miseris homines incitare & impellere nunquam desistit. Igitur, *ex diabolo est omnis qui facit peccatum*; tanquam ex eo qui peccati sit author & patens. Vnde Dominus ad Iudæos, Ioan. 8. *Vos, inquit, facitis opera patris vestri*. Et iterum: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere*. Quocirca qui peccatum faciunt, ex diabolo sunt, non solum imitatione (nam paucorum est imitari velle diabolum in eo quod peccant) sed quatenus peccant, & eo ipso quo peccant, suggestionibus illius & tentationibus consentiendo. Id enim significat ratio, dictis Domini verbis indicata; *Et desideria patris vestri vultis perficere*.

Si quis obijciat multos multa committere peccata non ex suggestionem demonum, sed, ut Beatus Iacobus loquitur capite primo, *à propria concupiscentia tentatos, absque altis & illectos*; qui proinde, iuxta sensum datum, dici non possint esse ex diabolo: Respondco, rectè dici diabolum omnem peccati, in humano genere, authorem esse suggerendo atque suadendo; non quidem semper immediatè; sed, quia quicumque peccat, ex ea saltem concupiscentia ad peccandum inducitur, quæ diabolo per suasionem authore inuecta est & diffusa in totum genus humanum.

QUONIAM AB INITIO DIABOLVS PECCAT. Non sentit Apostolus, ab initio suæ creationis diabolum peccasse; quomodo locum hunc quidam malè intellexerunt: quæ sententia merito est ab ecclesiâ reiecta atque damnata, tanquam Scripturis aduersa, quæ docent diabolum per superbiam cecidisse è statu rectitudinis ac felicitatis in quo creatus fuerat; quemadmodum ostendimus in secundum sentent. distinct. 3. Sed sensus Apostoli est, *Ab initio*, id est, sub ipsius mundi initio, statim à mundi creatione, diabolum peccasse; cum prius nullum esset in mundo peccatum. Quo etiam sensu Dominus de eo dicit Ioan. 8. *Ille erat homicida ab initio*. Nam & alibi, illud, *ab initio*, sic accipitur: ut Matth. 19. & Marci 10. *Ab initio creatura, masculinum & feminam fecit eos Deus*.

Iam, ut valeat probatio quam facit Apostolus; intelligendum est ita ab initio diabolum peccasse, ut ab eo, velut principio quodam, peccatum ad alios tranfieret. Nam, ut ille primus peccavit; ita cæteris omnibus quicumque peccauerunt, tam angelis quam hominibus, author peccandi fuit. Hinc ergo sequitur, *omnes eos qui faciunt peccatum, ex diabolo esse*; sensu nimirum prius explicato.

Norandum quoque est, Apostolum non dicere, *peccavit ab initio; sed peccat*: quia, ut ait Beda, *ex quo diabolum peccare cepit, nunquam peccare desinit*. Et quidem semper continuò peccat diabolum, tum vno actu peccati, nempe superbiæ, qua primùm peccavit; tum plurimis atque innumeris alijs peccatis, tentando, nocendoque hominibus. Nam ab huiusmodi nunquam feriat aut cessat: quia, sicut *non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*, psalm. 120. ita nunquam dormiat neque dormit qui impugnat Israël. Sunt autem peccata eius omnia, mortalia; propter circumstantiam finis: quemadmodum docet S. Thomas 1. 2. q. 39. ar. 4. in corpore & ad 3.

IN HOC APPARUIT FILIVS DEI, UT DISSOLVAT OPERA DIABOLI. In hoc, Græcè, *εις τωτε, ad hoc, in eum finem*. Dissolvat, *λυσησολυαι*, seu potius *solueret*. Repetit enim Apostolus alijs verbis id quod supra dixit, v. r. 5.

Illud apparuit ut peccata nostra tollerent. Unde & manifestum est per opera diaboli significari peccata. Quae quidem opera diaboli vocantur, quia diabolus eorum omnium author est; ea ratione quam superius attulimus. Patet etiam; haec duo, tollere peccata &, dissolvere opera diaboli, eadem esse; saltem concomitanter. Itaque sensus est, *Dei filium propterea in nostrae carnis substantia apparuisse*, id est, incarnatum esse; ut per suam passionem solueret ac destrueret peccata quae diabolus in genus humanum iniecit. Itaque soluisse ea dicitur, quia precium dedit redemptionis, quo solueretur & abolerentur peccata, propter quae eramus sub diaboli potestate captivi. Qui legunt soluat, aut dissolvat; referunt hoc verbum ad effectum passionis, quos omni tempore filius Dei in hominibus operatur; videlicet convertendo peccatores & salutem poenitentiam ijs inspirando; deinde peccata seu peccatorum maculas ex animis delendo; poenaeque simul pro ijs debitas, remittendo: Denique, peccatorum reliquias omnes penitus auferendo. Soluit autem opera diaboli filius Dei non in omnibus hominibus, sed in electis. Nam in reprobis, ea peccata cum quibus hinc discedunt, nunquam solvuntur. Hanc solvendi potestatem Christus ex parte quadam communicavit ecclesiae praelatis, quibus dixit: *Quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Matth. 18. Et, *Quorum remissionis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20.

Quaeres, an mors hoc loco dicenda sit opus diaboli. Non apparet. Nam, ut ostendimus, eadem Ioanni sunt, opera diaboli, & peccatum: mors autem peccatum non est, sed poena peccati, Deum habens authorem. Nec enim in Christo locum habere potuit opus diaboli; ipso testante, *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Ioan. 14. & tamen mortuus est Christus. Destruitur autem mors per Christum; non quod ipsa sit opus diaboli, sed quod ex opere diaboli, iusto Dei iudicio, subsecuta. Nam per peccatum mors: Rom. 5.

Paret insuper (ut & hoc obiter addamus) ea signa quibus ad nocendum hominibus utuntur malefici, non esse Ioanni, opera diaboli; tanquam ea Christi exemplo dissolvere ac destruire debeamus; ut argumentantur quidam. Non enim ea signa peccata sunt; sed Dei creaturae, ex pacto diabolico positae vel adhibitae ad nocendum. Et quidem ea solvere licet ac destruire, in nefarii pacti detestationem; sed non eo fine ut illis amoris aut destructis, a nocendo cesset diabolus: Id enim esset miscere se pacto diaboli: quemadmodum latius ostendi in dictatis super 4. sent. dist. 34.

9 OMNIS QUI NATVS EST EX DEO, PECCATVM NON FACIT. Adducit hanc sententiam Apostolus ad discrimen statuendum inter filios Dei & filios diaboli; quemadmodum & illam superiorem huic similem, Om-

nis qui in eo manet, non peccat. id est, quae similiter est exponenda; nimirum hoc sensu. Nemo natus ex Deo, id est, per regenerationem & gratiam adoptionis factus Dei filius, dum talis est, facit seu committit peccatum grande, quod mortale vocamus. Nam de huiusmodi peccato Ioannem agere iam supra dictum ac declaratum est. Reperit eandem sententiam infra cap. 5. versu 18. Quem locum, ut & hunc praesentem, sunt qui intelligant de certo quodam genere peccati quod in Spiritum sanctum committitur; id est, de impugnatione manifestatae veritatis. Idem, natus ex Deo interpretantur praedestinos: quos existimant, ex sententia Ioannis, ita a Deo conservari, ut in eiusmodi peccatum nunquam labantur. Sed haec interpretatio fundamentum non habet; ut nec ipsa opinio: quemadmodum ostendimus ad illud cap. 4. Est peccatum ad mortem. Rectius S. Bernardus lib. de gratia & lib. arb. citans hoc Ioannis testimonium. Hoc, inquit, *dicitur de praedestinis ad vitam: non quod omnino non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur; quia vel puniuntur condigna poenitentia, vel in charitate absconditur.* Item sermone 1. in septuagesima. *Non peccat, inquit, id est, non permanet in peccato; quia conservat eum ut perire non possit, ea qua falli non potest generatio caelestis* (Respicit enim Bernardus ad rationem cap. 5. subiunctam, *Sed generatio Dei conservat eum*) vel, non peccat, id est, tantundem est ac si non peccet; eo quod non imputetur illi peccatum. Haec ille. Quem tamen non esse germanum sensum istius sententiae, a Ioanne toties iteratae; sed eum quem primo dixi; satis liquet ex antedictis versu 6. Quod & confirmatur ex ratione quam hoc loco subiungit.

QUONIAM SEMEN IPSIVS IN EO MANET. Hoc semen Dei variè exponitur. Quidam esse dicunt Spiritum sanctum nos regenerantem; nonnulli Filium Dei: alij gratiam Spiritus-sancti: alij charitatem Dei: si tamen haec a gratia Spiritus-sancti diversa est. Rursus alij, verbum Dei fide non ociosa susceptum. Quae omnia etsi probabiliter dicantur, ac ferè eodem recidant; tamen ex mente B. Ioannis esse videtur, ut per semen Dei intelligatur natiuitas spiritalis, qua ex Deo renati sumus & facti filij Dei. Sic enim Ioannes seipsum exponere videtur cap. 5. ubi cum similiter, ut hoc loco, dixisset, *Omnis qui natus est ex Deo non peccat*; pro ratione subiecit haec verba. *Sed generatio Dei conservat eum*: tanquam illa generatio Dei conservans hominem ex Deo natum, sit hoc semen Dei manens in homine qui ex Deo natus est. Sensus igitur est, eum qui natus est ex Deo, propterea non peccare, quia natiuitatem illam seu filiationem Dei in se habet manentem; cum qua peccatum non consistit. Dicitur autem manere in illo natiuitas illa divina, non quod in eo permaneat usque in finem (non enim hic de perseverantia sermo est) sed, ut expositum est supra, vers. 6.

quia

quia permanenter inest atque inhæret, velut quiescens, residens & inhabitans. Quod non sit sine qualitate aliqua permanente: ut hinc rectè statuat gratia permanentem inhabitans animæ, quam vocamus gratiam habitualementem.

ET NON POTEST PECCARE, QUONIAM EX DEO NATVS EST. Huius quoque partis variè sunt expositiones, prout verbum potest variè solet accipi. Quidam, non potest, exponunt, non debet. ac si dicat Apostolus: Non licet ei peccare, videlicet ob acceptam a Deo tantam gratiam qua filius Dei factus sit. Hic sensus est apud Augustinum lib. de natura & gratia cap. 14. & apud Orosium in Apologia. Alius sensus: Non potest, id est, non vult, habituali scilicet voluntate. Quomodo exponit Oecumenius. Item alius: Non potest peccare, quatenus ex Deo natus est. sed hoc modo nec venialiter potest peccare. Porro Calvinus & alij nostrae ætatis hæretici sic intelligunt; Non potest ita peccare quin semper in eo maneat illud semen quo regeneratus est. quod incorruptibile esse dicunt & extingui non posse, sed perpetuam vim ac vigorem retinere; licet interdum ad tempus supprimitur contingat, ut vim suam non exlerat; instar carbonis viui cineribus vndique contexti. Sed hic sensus olim in Ioviniano damnatus est; & apertissimis scripturis repugnat, quae docent a gratia Dei posse hominem excidere, & in damnabilia peccata incidere. Item, perseverantiam fidei & charitatis, esse specialia Dei dona, non omnibus fidelibus & iustis communia. Quod pertinent innumerabiles exhortationes ad perseverandum in fide & sancta conversatione. Verus autem ac germanior huius loci intellectus est, quem tradit Hieronymus libro 2. contra Iovinianum; Non potest peccare, quamdiu manet filius: sensu videlicet composito, ut aiunt Logici; quem declarat addita ratio, quoniam ex Deo natus est. Nam & eadem ratio præcessit; quoniam semen ipsius in eo manet. Breuius ergo, tale est quod Apostolus dicit: Stare simul haec duo non possunt, peccare & esse filium Dei. Similes sunt locutiones: illa Pauli, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Roman. 8. Illa Christi; *Non potestis Deo servire & mammona.* Matthæi sexto.

10 IN HOC MANIFESTI SVNT FILII DEI ET FILII DIABOLI. Id est; Hoc signo dignoscuntur in hoc sæculo, inter se, filij Dei & filij diaboli: quod isti peccant, illi non peccant. Refertur enim illud, in hoc, ἐν τῷ αἰῶνι, ad præcedentia, ubi dixit, *Qui facit peccatum ex diabolo est; &, Qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Unde patet illas sententias de peccato mortifero debere intelligi. Non enim venialia peccata, sed mortalia, discernunt filios diaboli a filijs Dei. Liqueat etiam, filios Dei intelligi secundum præsentem iu-

sticiam, non secundum æternam praedestinationem. Nam & filij diaboli intelliguntur secundum præsentem iniusticiam.

Porro sicut discrimen inter filios Dei & diaboli hic assignatur per peccare & non peccare, id est, per malum, affirmatum & negatum: ita rectè statuitur per diligere & non diligere, id est, per bonum affirmatum & negatum. Quod discrimen indicat infra versu 14. & capite sequenti versu 7. & 8. Unde est illud præclare dictum ab Augustino, tractante hunc locum: *Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; Respondeant omnes, Amen; Cantent omnes, Alleluia; Baptizentur omnes; intrent ecclesias: non discernuntur filij Dei a filijs diaboli nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent, non sunt nati ex Deo. Quicquid vis habe; Hoc solum non habes: nihil tibi prodest. Alia si non habeas, hoc habe; & implesti legem. Qui enim diligit alterum, legem implet, & Plenitudo legis, charitas.* Haec Augustinus: quae ferè eadem ex illo Beda retulit in suum commentarium.

Ex hac autem Apostoli doctrina non est consequens, in hoc sæculo manifestum nobis esse, qui sunt filij Dei, qui filij diaboli; qui iusti, & qui iniusti. Sentit enim Ioannes ea quae dicta sunt, peccare & non peccare; diligere & non diligere, certissimas esse notas & signa huius discriminis: non tamen semper nobis evidentiæ: sed, quantum signa cognoscere possumus, tantum etiam iudicare nos posse de hominibus per illa discernendis.

OMNIS QUI NON EST IYSTVS, NON EST EX DEO. Græca & Syriaca sic habent: *Omnis non faciens iusticiam &c.* Sed idem est sensus. Iam enim supra dictum est, quod qui facit iusticiam, iustus est. Et nostra lectio omnium est Latinorum, etiam antiquissimorum. Tertulliani libro de pudicitia capit. 19. & Cypriani libro 3. ad Quirinum, testimonio tertio. Spèctat hæc pars ad declarationem supradicti discriminis: *Quisquis, inquit, non est iustus, & iusticiam non facit, id est, opera iusticiæ non exercet; non est ex Deo natus, proinde nec inter filios Dei numerandus.* Ex quo relinquit intelligendum quod sit ex diabolo; id est, filius diaboli. Simul inquit, non eos solos a semine Dei alienos esse, & ad diaboli semen pertinere, qui gravia peccata committunt; verum etiam qui bona quae facere deberent, omittunt (quod est non facere iusticiam); atque hos etiam generali sententia qua dixerat, *Qui facit peccatum, ex diabolo est*, comprehendit. Sunt enim peccata grandia atque mortifera non solum commissionis, sed & omissionis.

ET QUI NON DILIGIT FRATREM SVVM. Supple ex eo quod præcedit, non est ex Deo. Addit autem Apostolus, *& qui non diligit*

fratrem suum, non tanquam aliquid diuersum à priore, illo scilicet, qui non facit iusticiam, sed magis docendi & explicandi causa: ne quis sibi placeat tanquam iusticiam faciens, qui fratrem non diligit. Nam iusticia Christiana principaliter in dilectione consistit; primum Dei, deinde proximi. Cur autem proximum potius nominet quam Deum, ipse causam reddit cap. sequenti, versu penultimo; ibidem à nobis explicandam.

Fraternam quidam interpretantur Christianum: eo quod Christiani initio se mutuo fratres appellarent. Verum illa tam stricta fratris acceptio non conuenit huic loco. Respicit enim Ioannes procul dubio ad Dei præceptum in lege, *Diligens amicum seu proximum tuum sicut te ipsum.* Leuit. 19. tum ad mandatum Christi quod capite præcedenti versu 8. vocauit *nonum mandatum*; quodque exstat in euangelio Matthæi 5. & Ioannis 13. & 15. Constat autem his mandatis, secundum veram intelligentiam, præcipi dilectionem non eorum tantum qui nobiscum eiusdem sunt religionis, sed & aliorum omnium, etiam infidelium & inimicorum, quos omnes proximi nomen comprehendit. Igitur fratrem intellige proximum, id est, quemlibet hominem. Sunt enim omnes homines inter se fratres propter communem patrem Deum; ad quem, etiam ista quæ nobis omnibus præcipitur fratris dilectio, referenda est. Vide supra ad c. 2. v. 9. & infra, ad initium cap. 5.

11 QVONIAM HÆC EST ANNUNCIATIO QVAM AVDISTIS AB INITIO, VT DILIGATIS ALTERUTRUM. *Diligatis*, Græcè ἀγαπᾶτε; diligamus: quemadmodum & Augustinus legit, & nonnulli codices Latini; tamen id sensum non mutat. *Annunciationem* verò dixit pro re annunciata. Hoc vobis, inquit, annunciatum, traditum est, cum primum facti estis Christiani, sic instituti estis ab initio; vt omnes nos inuicem diligamus: aded quidem vt sine eo filij Dei, Christi que discipuli, esse non possimus. Hæc enim est tessera discipulorum eius, ipso testate, Ioa. 13. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Hinc ergo sequitur eum qui fratrem non diligit, ex Deo non esse.

12 NON SICVT CAIN QVI EX MALIGNO ERAT. Græci legunt absque relatiuo: *Non sicut Cain ex malo erat.* Vtrius modo legatur; supplemento opus est ad constructionem. Iuxta Græcam lectionem ita suppleri & construui textus poterit, *Vt diligatis alterutrum, & non oderitis fratres; ne sitis ex diabolo: sicut Cain odio fratrem prosequens, ex malo erat.* Iuxta Latinam breuius & commodius hoc modo: *Vt diligatis alterutrum: non agere sicut Cain, qui ex malo erat.* Nam sic agere, id est, fratrem odisse & occidere, quod ille fecit; non est diligere fratrem, sed dilectioni fraternæ è diametro contrarium. Ad-

fert Apostolus exemplum Cain; qui & primus & insignis fuit osor ac persecutor fratris, & inter homines quodammodo caput atque archetypus malorum: à quo ciuitas diaboli cepit initium. *Malignus* seu *malus*, Græcè ἀνοήτος per antonomasiam diabolus intelligitur velut capite præcedenti versu 13. & 14. & alibi frequenter. Hinc alij, vim articuli volentes exprimere vertunt, *ex illo malo*, id est, ex diabolo qui in malicia tenet principatum. *Fuit autem Cain ex diabolo*, vt patre, sicut declaratum est supra; ac proinde diaboli filius: & filius quidem non qualiscunque, sed primogenitus.

ET OCCIDIT FRATREM SVVM. Et eodem, inquit, maligno, id est, diabolo instigante, vt qui erat homicida ab initio, Ioan. 8. *occidit fratrem suum Abel.* Hic nimirum primus fuit fructus odij fraterni. Historia nota est ex Genes. 4.

ET PROPTER QVID OCCIDIT EVM? Græca sonant: *Et cuius gratia occidit eum?* seu plenius, *Et cuius rei gratia?* Sic enim verterunt Erasmus & alij: quasi quæreretur causa finalis. Verum responsio quam Ioannes suæ reddidit interrogationi, declarat non finalem causam occisionis requisitam fuisse, sed causam inuidiæ & odij quo motus fuit ad occidendum: vt proinde rectius verterit interpret noster & eum secutus Hentenius, *propter quid?* ac si quæreret Apostolus, *Quid mouit, quid impulit eum vt occideret fratrem?* Responsio,

13 QVONIAM OPERA EIVS MALIGNA ERANT; FRATRIS AVTEM EIVS, IUSTA. Occidit eum, inquit, inuidia motus, qua inuidebat ei gloriam quam ex bonis operibus habebat; persequens in eo quod bonus erat. Cum enim ambo sacrificium Deo offerrent; respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ait Scriptura: *Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* En gloria quam ex bonis operibus habuit Abel; Deo videlicet sacrificium eius, & iusticiam, & opera, approbante signo aliquo manifesto. Quod quale fuerit, indicat versio Theodotionis ab Hieronymo relata in traditionibus super Genesim. Ea sic habet: *Et inflammavit Dominus super Abel & super sacrificium eius: super Cain autem, & super sacrificium eius, non inflammavit.* Quæ nimirum inflammatio videtur ea fuisse, qua sacrificium Abel incensum & inflammatum fuit igne cælitus immisso; quemadmodum & aliàs factum legitur in sacrificijs Deo placitis: vt Leuit. 9. 2. Par. 8. & 3. Reg. 18. Cain igitur, cuius sacrificium non inflammavit ignis cælestis, igne succensus est inuidiæ & odij aduersus fratrem: quibus duabus facibus agitatus eum interfecit. Quod exemplum optimè conuenit instituto B. Ioannis, vt qui agat de ea fratris dilectione qua diligitur vt bene viuatur, & Deo inhæreat; itemque de eo odio quod patitur quia bene viuatur & Deo carus est. Quod odium propriè dia-

bolicum

bolicum est; ac propriè diaboli filios facit. Nam ex huiusmodi odio diabolus hominem ab initio persecutus deiecit, ac duplici morte, cum toto genere, occidit. Tale fuit odium Iudæorum aduersus Christum; quorum vox est apud Sapientem cap. 2. *Circumueniamus iustum; quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.* Imò generalis est sententia B. Augustini in enarratione psalmi 128. *Omnis malus ideo persequitur bonum, quia non illi consentit bonus ad malum.*

13 NOLITE MIRARI FRATRES, SI ODIT VOS MVNDVS. Græcè & Syriacè, *fratres mei.* Subijcit hoc Apostolus ad consolationem fidelium; vt ne mirentur tanquam de re noua, quod multis sint exosi: cum res sit valde verus, bonos odium & persecutionem sustinere à malis. quæ admodum exemplo Cain monstratum est. Leuius autem ferendum est malum quod nec nouum est, nec insolitum, & quod habeas cum omnibus bonis commune. *Omnis enim qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. Timoth. 3. *Mundum* vocat multitudinem hominū, quorum plurimi mali sunt.

14 NOS SCIMVS QVONIAM TRANSLATI SVMVS DE MORTE AD VITAM. Pertinet hoc ad consolationis amplificationem: ac si dicat, *Quamuis impij nos odio persequantur, etiam ad mortem vsque; tamen illud in medijs malis consolari nos debet ac recreare, quod sciamus translatos nos esse de morte ad vitam.* Cum autem multiplex sit mors & vita, tam animæ quam corporis, vt diligenter Hesselius in commentario declarat: illa mors hinc intelligitur, qua dicitur anima mortua, vel homo mortuus, *morte peccati*: quomodo dixit Paulus de vidua, 1. Timoth. 5. *Qua in delicijs est, viuens mortua est:* & illa vita, qua viuere dicitur vel anima vel homo *vita iusticie*: vt *mortis* nomine, peccatum: & *vita* nomine iusticiam accipiamus; sitque sensus, *Nos scire quod translati sumus de morte peccati ad vitam iusticie.* Quamquam & sic intelligi potest, quod translati sumus è statu mortis æternæ, ad statum æternæ vitæ; nempe quod ad meritum attinet. Cum enim essemus per peccatum obnoxij gehennæ; facti sumus per iusticiam regni cælestis hæredes. Vt proinde *mors* intelligatur totius hominis æterna perditio: vita autem, æterna felicitas.

Cæterum, non illud sentit Apostolus, vnumquemque fidelem certò scire quod sit translatus de morte ad vitam, & proinde in statu gratiæ constitutus; quomodo locum hunc & similes præuè sectarij interpretantur pro sua fide speciali: sed sermo generalis est, in persona fidelium scriptus; & ita exponendus, *Nos Christiani certa fide nouimus, omnes bonos fideles, quorum è numero nos esse singuli confidimus, translatos esse de morte ad vitam.* Dicit autem *translati sumus*, scilicet à Deo; vt non nostris viribus aut meritis, sed

Dei gratiæ, totum salutis nostræ beneficium nouerimus attribuendum. Sic & Paulus Coloss. 1. *Eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

QVONIAM DILIGIMVS FRATRES. Non hinc significatur meritum, aut omninò causa, dictæ translationis, quasi prius sit diligere fratres, posterius autem, & effectus illius, transferri de morte ad vitam, id est, iustificari. Neque enim *opera bona præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum*; vt concinnè B. August. dicit, lib. de fide & operibus cap. 14. Nam per iustificationem *creamur in bonis operibus, quæ preparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Ephes. 2. Sed causalitas hæc referenda est ad cognitionem. Nam ex dilectione fraternæ vel effectu & signo cognoscimus nos de morte ad vitam translatos esse: & quantum de illa certi sumus, tantum & de isto. *Redeat unusquisque, inquit hoc loco Augustinus, ad cor suum: sibi inuenerit charitatem fraternam, securus sit quia transiit à morte ad vitam.*

Veruntamen, etsi dilectio Dei & proximi iustificationem nostram totam, cuius initium est à fide, nec mereatur nec præcedat, sed sub ea comprehendatur tanquam pars eius: impetrat tamen remissionem gratiam; iuxta verbum Domini, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed & augendæ iustificationis est causa, vt qui iustus est, opera charitatis exercendo, *iustificetur adhuc.* Apoc. vltimo.

QVI NON DILIGIT, MANET IN MORTE. Addit suo morè membrum oppositum. In Græco & Syriacò casus exprimitur verbi transitiuus, *Qui non diligit fratrem, manet in morte.* qui facile ex præcedentibus suppletur. *Mortem* intellige vt supra, vel peccati, vel damnationis æternæ, quantum ad meritum & reatum attinet. Igitur *qui non diligit fratrem*, id est, officia dilectionis, quum opus est, ei non impendit; *manet in morte* iam dicta: quia ab ea ad vitam non transfertur; remanens videlicet in eo aut certè recidens in illud, in quo natus est: id est, in peccatum, & statum damnationis. Estque certissimum huius signum, non diligere fratrem.

Quidam non diligere fratrem, exponunt odisse fratrem; tam hoc loco quam supra versu 10. Sed nulla necessitas est huius expositionis: imò nec vtilitas. Constat enim non solum odiendo & persequendo, sed & non diligendo & charitatis officia non exhibendo, multos peccare mortaliter: quibus vtile est vt sciant, se manere in morte, nisi respiciant. Abundè id docent verba Christi iudicis ad reprobos: *Discedite à me maledicti Esauini enim, & non dedistis mihi manducare.* & cæc. Matthæi 25. Sed & sanctus Ioannes. infra, negat charitatem in eo manere, qui à fratre necessitatem patiente viscera sua clausit. vers. 17.

fratrem suum, non tanquam aliquid diuertim à priore, illo scilicet, qui non facit iusticiam; sed magis docendi & explicandi causa: ne quis sibi placeat tanquam iusticiam faciens, qui fratrem non diligit. Nam iusticia Christiana principaliter in dilectione consistit; primum Dei, deinde proximi. Cur autem proximum potius nominet quam Deum; ipse causam reddit cap. sequenti, versu penultimo; ibidem à nobis explicandam.

Frater quidam interpretatur Christianum: eo quod Christiani initio se mutuo fratres appellarent. Verum illa tam stricta fratris acceptio non conuenit huic loco. Respicit enim Ioannes procul dubio tum ad Dei præceptum in lege, *Diligens amicum seu proximum tuum sicut te ipsum.* Leuit. 19. tum ad mandatum Christi quod capite præcedenti versu 8. vocauit *nouum mandatum*; quodque existat in euangelio Matthæi 5. & Ioannis 13. & 15. Constat autem his mandatis, secundum veram intelligentiam, præcipi dilectionem non eorum tantum qui nobiscum eiusdem sunt religionis, sed & aliorum omnium, etiam infidelium & inimicorum, quos omnes proximi nomen comprehendit. Igitur fratrem intellige proximum, id est, quemlibet hominem. Sunt enim omnes homines inter se fratres propter communem patrem Deum; ad quem, etiam ista quæ nobis omnibus præcipitur fratris dilectio, referenda est. Vide supra ad c. 2. v. 9. & infra, ad initium cap. 5.

11 QVONIAM HÆC EST ANNUNCIATIO QVAM AVDISTIS AB INITIO, VT DILIGATIS ALTERUTRUM. *Diligatis*, Græcè *ἀγαπήθητε*; *diligamus*: quemadmodum & Augustinus legit, & nonnulli codices Latini; tamen id sensum non mutat. *Annunciationem* verò dixit pro re annunciata. Hoc vobis, inquit, annunciatum, traditum est, cum primum facti estis Christiani, sic instituti estis ab initio; vt omnes nos inuicem diligamus: adeo quidem vt sine eo filij Dei, Christi que discipuli, esse non possimus. Hæc enim est tessera discipulorum eius, ipso testate. Ioa. 13. *In hoc cognoscet omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Hinc ergo sequitur eum qui fratrem non diligit, ex Deo non esse.

12 NON SICVT CAIN QVI EX MALIGNO ERAT. Græci legunt absque relativo: *Non sicut Cain ex malo erat.* Vitruis modo legatur; supplemento opus est ad constructionem. Iuxta Græcam lectionem ita suppleri & constitui textus poterit, *Vt diligatis alterutrum, & non oderitis fratres; ne sitis ex diabolo: sicut Cain odio fratrem prosequens, ex malo erat.* Iuxta Latinam breuius & commodius hoc modo: *Vt diligatis alterutrum: non agere, id est, fratrem odisse & occidere, quod ille fecit; non est diligere fratrem, sed dilectioni fraternæ è diametro contrarium. Ad-*

fert Apostolus exemplum Cain; qui & primus & insignis fuit olor at persecutor fratris, & inter homines quodammodo caput atq; archetypus malorum: à quo ciuitas diaboli cepit initium. *Malignus seu malus*, Græcè *ἀνομος*; per antonomasiam diabolus intelligitur velut capite præcedenti versu 13. & 14. & alibi frequenter. Hinc alij, vim articuli volentes exprimere vertunt, *ex illo malo*, id est, ex diabolo qui in malicia tenet principatum. *Fuit autem Cain ex diabolo*, vt patet, sicut declaratum est supra; ac proinde diaboli filius: & filius quidem non qualiscunque, sed primogenitus.

ET OCCIDIT FRATREM SVVM. Et eodem, inquit, maligno, id est, diabolo instigante, vt qui erat homicida ab initio, Ioa. 8. *occidit fratrem suum Abel.* Hic nimirum primus fuit fructus odij fraterni. Historia nota est ex Genes. 4.

ET PROPTER QVID OCCIDIT EVM? Græca sonant: *Et cuius gratia occidit eum?* seu plenius, *Et cuius rei gratia?* Sic enim verterunt Erasmus & alij: quasi quæreretur causa finalis. Verum responsio quam Ioannes suæ reddidit interrogationi, declarat non finale causam occisionis requisitam fuisse, sed causam inuidiæ & odij quo motus fuit ad occidendum: vt proinde rectius verterit interpret noster & cum secutus Hentenius, *propter quid?* ac si quæreret Apostolus, *Quid mouit, quid impulit eum vt occideret fratrem?* Responsio,

13 QVONIAM OPERA EIVS MALIGNA ERANT; FRATRIS AVTEM EIVS, IUSTA. Occidit eum, inquit, inuidia motus, qua inuidebat ei gloriam quam ex bonis operibus habebat; persequens in eo quod bonus erat. Cum enim ambo sacrificium Deo offerrent; respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ait Scriptura: *Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* En gloria quam ex bonis operibus habuit Abel; Deo videlicet sacrificium eius, & iusticiam, & opera, approbante signo aliquo manifesto. Quod quale fuerit, indicat versio Theodorici ab Hieronymo relata in traditionibus super Genesim. Ea sic habet; *Et inflammavit Dominus super Abel & super sacrificium eius: super Cain autem, & super sacrificium eius, non inflammavit.* Quæ nimirum inflammatio videtur ea fuisse, qua sacrificium Abel incensum & inflammatum fuit igne cælitus immisso; quemadmodum & aliàs factum legitur in sacrificijs Deo placitis: vt Leuit. 9. 2. Par. 8. & 3. Reg. 18. Cain igitur, cuius sacrificium non inflammavit ignis cælestis, igne succensus est inuidiæ & odij aduersus fratrem: quibus duabus facibus agitur eum interfecit. Quod exemplum optimè conuenit instituto B. Ioannis, vt qui agat de ea fratris dilectione qua diligitur vt bene viuat, & Deo inhæreat; itemque de eo odio quod patitur quia bene viuit & Deo carus est. Quod odium propriè dia-

bolicum

bolicum est; ac propriè diaboli filios facit. Nam ex huiusmodi odio diabolus hominem ab initio persecutus deiecit, ac duplici morte, cum toto genere, occidit. Tale fuit odium Iudæorum aduersus Christum; quorum vox est apud Sapientem cap. 2. *Circumueniamus iustum; quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.* Imò generalis est sententia B. Augustini in enarratione psalmi 128. *Omnis malus ideo persequitur bonum, quia non illi consensit bonus ad malum.*

13 NOLITE MIRARI FRATRES, SI ODIT VOS MVNDVS. Græcè & Syriacè, *fratres mei.* Subijcit hoc Apostolus ad consolationem fidelium; vt ne mirentur tanquam de renoua, quod multis sint exosi: cum res sit valde vetus, bonos odium & persecutionem sustinere à malis. quæ admodum exemplo Cain monstratum est. Leuius autem ferendum est malum quod nec nouum est, nec insolitum, & quod habeas cum omnibus bonis commune. *Omnis enim qui pie vult vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. Timoth. 3. *Mundum* vocat multitudinem hominū, quorum plurimi mali sunt.

14 NOS SCIMVS QVONIAM TRANSLATI SVMVS DE MORTE AD VITAM. Pertinet hoc ad consolationis amplificationem: ac si dicat, *Quamuis impij nos odio persequantur, etiam ad mortem vsque; tamen illud in medijs malis consolari nos debet ac recreare, quod sciamus translato nos esse de morte ad vitam.* Cum autem multiplex sit mors & vita, tam animæ quam corporis, vt diligenter Hesselius in commentario declarat: illa mors hinc intelligitur, qua dicitur anima mortua, vel homo mortuus, *morte peccati*: quomodo dixit Paulus de vidua, 1. Timoth. 5. *Qua in delicijs est, vivens mortua est.* & illa vita, qua vivere dicitur vel anima vel homo *vita iusticie*: vt mortis nomine, peccatum: & vita nomine iusticiam accipiamus; sitque sensus, *Nos scire quod translato sumus de morte peccati ad vitam iusticie. Quamquam & sic intelligi potest, quod translato sumus è statu mortis æternæ, ad statum æternæ vitæ; nempe quod ad meritum attinet.* Cum enim essemus per peccatū obnoxij gehennæ; facti sumus per iusticiam regni cælestis hæredes. Vt proinde mors intelligatur totius hominis æterna perditio: vita autem, æterna felicitas.

Cæterum, non illud sentit Apostolus, vnumquemque fidelem certò scire quod sit translatus de morte ad vitam, & proinde in statu gratiæ constitutus; quomodo locum hunc & similes prauè sectarij interpretantur pro sua fide speciali: sed sermo generalis est, in persona fidelium scriptus; & ita exponendus, *Nos Christiani certa fide nouimus, omnes bonos fideles, quorum è numero nos esse singuli confidimus, translato esse de morte ad vitam.* Dicit autem translato sumus, scilicet à Deo; vt non nostris viribus aut meritis, sed

Dei gratiæ, totum salutis nostræ beneficium nouerimus attribuendum. Sic & Paulus Coloss. 1. *Eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

QVONIAM DILIGIMVS FRATRES. Non hinc significatur meritum, aut omnino causa, dictæ translationis, quasi prius sit diligere fratres, posterius autem, & effectus illius, transferri de morte ad vitam, id est, iustificari. Neque enim opera bona præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum; vt concinnè B. August. dicit, lib. de fide & operibus cap. 14. *Nam per iustificationem creamur in bonis operibus, que preparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Ephes. 2. Sed causalitas hæc referenda est ad cognitionem. Nam ex dilectione fraterna vel effectu & signo cognoscimus nos de morte ad vitam translato esse: & quantum de illa certi sumus, tantum & de isto. *Redeat unusquisque, inquit hoc loco Augustinus, ad cor suum: sibi inuenere charitatem fraternam, securus sit quia transiit à morte ad vitam.*

Veruntamen, etsi dilectio Dei & proximi iustificationem nostram totam, cuius initium est à fide, nec mereatur nec præcedat, sed sub ea comprehendatur tanquam pars eius: impetrat tamen remissionis gratiam; iuxta verbum Domini, Luca 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed & augendæ iustificationis est causa, vt qui iustus est, opera charitatis exercendo, iustificetur adhuc. Apoc. vltimo.

QVI NON DILIGIT, MANET IN MORTE. Addit suo more membrum oppositum. In Græco & Syriacè casus exprimitur: verbi transitui, *Qui non diligit fratrem, manet in morte.* qui facile ex præcedentibus suppletur. *Mortem* intellige vt supra, vel peccati; vel damnationis æternæ, quantum ad meritum & reatum attinet. Igitur *qui non diligit fratrem*, id est, officia dilectionis, quum opus est, ei non impendit; *manet in morte* iam dicta: quia ab ea ad vitam non transfertur; remanens videlicet in eo aut certe recidens in illud, in quo natus est: id est, in peccatum, & statum damnationis. Estque certissimum huius signum, non diligere fratrem.

Quidam non diligere fratrem, exponunt odisse fratrem; tam hoc loco quam supra versu 10. Sed nulla necessitas est huius expositionis: imò nec vtilitas. Constat enim non solum odiendo & persequendo, sed & non diligendo & charitatis officia non exhibendo, multos peccare mortaliter: quibus vitale est vt sciant, se manere in morte, nisi respiciant. Abundè id docent verba Christi iudicis ad reprobos: *Discedite à me maledicti Esauri enim, & non dedistis mihi manducare.* & cæc. Matthæi 25. Sed & sanctus Ioannes, infra, negat charitatem in eo manere, qui à fratre necessitatem patiente viscera sua clausit. vers. 17.

OMNIS QUI ODIT FRATREM SVVM, HOMICIDA EST. Obiter attexit præcedenti sententiæ aliquid, veluti incremento quodam orationis, quod faciat aduersus odium fratrum. quasi dicat: Si manet in morte, qui non diligit: quo loco credetis esse eum qui fratrem non tantum non diligit, sed etiam odit? Vobis affirmo, illum coram Deo esse homicidam. Sed quomodo vera sit hæc Apostoli sententia tam generaliter enunciata, dubitatur: præsertim cum superiori capite de eo qui odit fratrem, non plus dixerit, semel & iterum, quam quod in tenebris sit, & in tenebris ambulet; quod commune est omni peccanti mortaliter. Nec verò sufficit hunc locum sic exponere, Quisquis fratrem suum odit, homicida est sui ipsius; quia fratrem odiendo, suam ipsius animam occidit; secundum illud Sap. 16. *Homo occidit per malitiam animam suam.* Plus enim Ioannem dicere velle, manifestum est. Nam respicit ad Cain interfectorem fratris, & cum illo comparat omnem eum qui fratrem suum odit. Igitur homicidam intelligit eum qui alterius sit interfector. Vnde nec satis est huic sententiæ, si ideo dicatur homicida fratris, quia dum fratrem ex odio persequitur, prouocat eum ad iram, & discordiam; & sic, quantum in ipso est, occidit eum in anima, vt explicat gloss. ord. Non enim huiusmodi fratris occisioni responderet exemplum Cain, & aliorum qui propter iusticiam fratres oderunt, occiderunt, & martyres fecerunt. Rectius igitur duobus modis intelligi potest, omnem eum qui fratrem odit, homicidam esse. Vel quia omnè fratrum odium saltem dispositio quædam est ad homicidium, alia remotior, alia propinquior: sicut imperfectum dispositio est ad perfectum: qua ratione omnis iniquus motus ad nocendum fratri, in homicidij genere deputatur; quemadmodum & omnis motus libidinosus, ad genus mœchiæ pertinet. Vel, quia completum odium fratris, etiam si lateat in animo, nec in opus erumpat; homicidium animo & voluntate constituit, & homicidij reatum inducit. Quod enim perfectè quis odit, oportet non esse. Etenim antiqua sententia est, ait Hieronymus epistola 62. *quem odit quis, perijisse cupit.* Et ita præsentem locum intellexisse videtur B. Thomas 2. sec. quæst. 34. artic. 4. disputans vtrum odium proximi sit grauissimum peccatorum quæ in proximum committuntur. Cum ergo qui fratrem odit hac odij perfectione, cupiat eum sublatum è medio: profectò occidit eum in corde suo. vt simile sit hoc dictum Apostoli cum eo quod dicit Dominus Matth. 5. *Omnia qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Nam & illud quod in eodem sermone dicit Dominus, *Omnia qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: non improbabiler à quibusdam exponitur de iudicio cõdemnationis, cui obnoxius est qui*

iram completam & in odium quale hic intelligitur, conuersam, gerit in animo. Nam vt illa dicta sunt à Domino contra scribas & Phariseos, qui reum homicidij lege veriti neminem cenfebant nisi qui homicidium ipso opere perpetrasset: ita & hoc à Ioanne dictum aduersus illius temporis hæreticos quosdam, eiusdem pharisaicæ doctrinæ sectatores. Quæ de re consule Augustinum li. 19. contra Faustum cap. 23. Breviter itaque reddi potest hic sensus: Quicumque fratrem suum odit, opras aut volens ei mortem; homicida est. Hac enim ratione etiã diabolus homicida fuit, antequam suasionem suam propelleret hominem in mortem; & Cain homicida, quando iratus fuit, vt habetur Genes. 4. nondum mittens manum in fratrem. Prior expositio propterea minus placet, quia comprehendit etiam motus odij fratrum veniales; vt pote disponentes ad odium mortale. Constat autem ex præcedentibus Ioannem loqui de odio quod mortem adferat. Posterior verò expositio adiunatur etiam illo quod docent Theologi, actum exteriorum peccati nihil malitiæ moralis addere interiori, cæteris paribus.

ET SCITIS QUONIAM OMNIS HOMICIDA NON HABET VITAM ÆTERNAM IN SEMETIPSO MANENTEM. Hoc scire eos dicit, quia sic instituti erant, & sic tenebant. *Vita æterna* potest intelligi vel charitas & iusticia, per quam certissimè tenditur ac pervenitur ad vitam æternam; imò quæ salutis ac vitæ æternæ initium est, consummationem habitura in futuro sæculo; Vel ipsa beata futuri sæculi vita; quam in se manentem habere dicitur omnis iustus, quia constitutus est in statu illius adipiscendæ, ex merito præsentis iusticiæ. Quæ quidem iusticia in ipso manere dicitur eodem sensu, quo superius dixit, semen Dei in eo manere qui ex Deo natus est; quia nimitum in eo residet, ceu permanens aliquid, instar habitus. Continet hæc pars propositionem syllogismi quo probet Apostolus suum institutum: vt præcedens, assumptionem. Nihil, inquit, homicida habet in se vitam æternam: Omnis qui odit fratrem, homicida est; ergo nemo fratrem odians, habet in se vitam, sed manet in morte, maiore etiam ratione quam qui fratrem quum diligere respiciat deberet, non diligit re & effectu.

IN HOC COGNOVIMVS CHARITATEM DEI, QUONIAM ILLE ANIMAM SVAM PRO NOBIS POSUIT. Hortaturus fideles ad charitatis erga fratres officia, Christi Domini proponit exemplum, qui summam erga nos charitatem ostendit, animam suam ponens pro nobis. Quo suo exemplo ipse Dominus discipulos hortatus est, dicens: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexisti vos.* Io. 15. Genitiuus Dei in Græcis codicibus nõ habetur, vno excepto qui sit instar multorum. Complutensi. Syrus quoque interpres nõ expressit. Sed nec Augustinus in textu posuit

quem

quem declarat; licet Beda alijque Latini legant, & ex eo probent Christi diuinitatem. Argumento est à Ioanne scriptum non fuisse, quod loco pronominis *ille* non sit in Græco autòs sed *ἐκεῖνος*, quod ad remotius referri solet; vt videatur Ioannes ad illud respicere quod dixerat versu 8. *In hoc apparuit filius Dei,* &c. Hæc efficiunt quo minus hic locus sit evidens & promptus ad demonstrandam Christi diuinitatem; vt sunt alia multa Scripturæ loca. Neque necesse est incerta aut obscura ad victoriam vigere testimonia; vbi certa & aperta minime desunt.

Potest autem secundum Græcam lectionem intelligi charitas absolutè; hoc sensu: Per hoc nobis declaratur debitum charitatis erga fratres, quod Christus animam suam pro nobis posuit. Hoc enim suum exemplum voluit nos imitari. Vel charitas Christi designatè, potest accipi, vt sensus sit: Hoc argumento nos Christiani cognoscimus Christi charitatè erga nos, quod ipse pro nobis æterna morte liberandis, animam suam posuit. Dicitur autem *animam suam posuisse*, Hebræa phrasi; quia voluntariè mortuus est, animæ sustinens à corpore separationem. Quo etiam sensu martyres dicuntur animas suas posuisse; videlicet id facientes quod hic sequitur. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Tamen Christus animam suam posuit quodam insuper peculiari modo; quem indicare voluit, quando dixit ad Iudæos: *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* & *Potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam.* Ioan. 10. scilicet ijs verbis significans se potestatem habere moriendi, & animam suam deponendi, id est, à corpore separandi, quando & quomodo velleret: quæ admodum & resumendi: quam potestatem alij martyres nulli habuerunt. Cuius rei declarationem ampliore vide apud Augustinum libro 4. de Trinitate capite decimotertio.

ET NOS DEBEMVS PRO FRATRIBVS ANIMAS PONERE. Sic & nos, inquit, exemplo Christi Domini ac magistri nostri, qui dixit, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ioan. 13. *Debemus pro salute fratrum animas ponere;* id est, voluntariè mortem subire. Nam & ordo charitatis id postulat, vt plus animam proximi quam corpus nostrum diligamus, & honorem Dei (qui in animarum salute etiam consistit) alijs omnibus bonis anteponamus. Postulat autem interdum honor & gloria Dei, vt pro temporali vita proximorum conseruanda, nostram ipsorum vitam, exponamus periculo; quoties scilicet ea res vltèrius ordinatur ad eorundem vel aliorum salutem æternam. Ita legimus Alexandria præbyteros, diaconos & alios fideles quam plurimos, cum pestis sequissima grassaretur, morbo laborantibus sponte ministrasse;

mortemque libenter oppetiuisse. *Quos, velut martyres, religiosa piorum fides venerari consuevit:* vt habet Romanum Martyrologium pridie Kal. Martij. Historiam refert Eusebius libro 7. capite 16. & 17. ex Dionysio Alexandrino. Nec dissimile est quod narrat Gregorius libro 3. dialogi cap. 37. quendam presbyterum, Sanctulum nomine, sese obturcandum obtulisse pro diacono qui à Longobardis erat occidendus. quod eius factum magnificè laudat; affirmans eum præstitisse, quod hoc loco præcipit Apostolus; id est, animam pro fratre posuisse.

Porro tenentur ex officio ad ponendum animas pro fratribus, vbi res postulat; omnes animarum pastores. Quibus omnibus in Petro primo pastore dictum est, *Sequere me.* Ioan. 21. id est, animam tuam pone pro ouibus meis, sicut & ego pro eis animam meam posui. Cæteri verò fideles, licet non ex officio ad hoc teneantur, debent tamen eam habere charitatem, qua parati sint ad mortem pro fratribus obeundam, vbi salus illorum & honor Dei ita requireret. Et quia generalis est Apostoli sententia, dictas quid omnes debeamus: idcirco sic intelligenda est, quomodo & alia præcepta affirmatiua; nempe debere nos in animi præparatione, si res exigat, pro fratribus animas ponere. Non igitur ab omnibus Christianis tanta perfectio charitatis exigitur, quanta à pastoribus; qui ex officio ad eximium illum charitatis actum tenentur loco & tempore exercendū: habere tamen omnes eam perfectionem debent in desiderio & studio assequendi. Quocirca non hinc sequitur omnes debere esse perfectos: sequitur tamen omnes ad perfectionem tendere & conari debere. Nec verum est quod scribit Thomas Anglicus, ad hoc præceptum solos perfectos teneri. Quid enim si pastor imperfectus sit, vt multi sunt; an non tenebitur? Melius diceret, ad hanc perfectionem omnes, etiam imperfectos, teneri in casu: sicut dictum est. Vide quæ scribuntur his consentanea B. Augustinus & Ioannes Hesselius, ad hunc locum.

QUI HABVERIT SVBSTANTIAM HVIVS MVNDI, ET VIDERIT FRATREM SVVM NECESSE HABERE, ET CLAVSERIT VISCERA SVA AB EO: QUOMODO CHARITAS DEI MANET IN EO? Particulam *huius mundi*, & viderit fratrem suum opus habentem &c. tamen rectè vertunt interpretes, *substantiam*, quod Græcè est *ὄν* *βλῶν*. Nam ea voce, præter alia, tum victus significari solet, tum generaliter omnia quæ ad victum & vitæ præsentis usum pertinent, vt sunt alimenta, vestes, pecunia, possessiones. Quod torum *substantia* seu facultatum nomine comprehenditur. *Viscera claudere à fratre,* est commiserationis affectum & effectum ei nolle exhibere. Nam *viscera* pro affectu in-

teriore,

teriore, præsertim amoris & misericordiæ, metaphora est in Scripturis vniuersæ testamenti frequens. Itaque sensus est: Qui habet facultates mundanas ex quibus etiam aliorum indigentia queat subuenire, & nouit fratrem suum, seu proximum, egentem; nec tamen opem misericordiæ ei impendat, inopiam eius subleuando; quomodo fieri potest vt charitas Dei communis omnium parentis, propter quem frater diligendus est, in animo eius resideat ac domiciliū habeat? ac si dicat Apostolus, id fieri non posse. Descendit autem ab opere charitatis excellentissimo, de quo dicit Dominus Ioan. 15. *Maiores hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, id est, fratribus: ad opus multo inferius, quod est, de bonis exterioribus aliquid indigenti fratri impertite; vt saltem habeat charitatem inchoatam, qui nondum habet perfectam. Cui dicit Augustinus: *Si nondum es idoneus mori pro fratre; iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri*. Nam vt ait Gregorius hom. 14. super euangelia, *Qui non dat pro omnibus substantiam suam; quando pro his daturus est animam suam?*

Nominat Apostolus charitatem Dei potius quam proximi; ne quis existimet, salutem charitatem & amicitiam Dei negligere se posse charitatem ac beneficentiam in fratres. Hinc ait capite sequenti, *Qui non diligit fratrem suum quem videt; Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc, inquit, mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*.

Porro notanda est in verbis Apostoli duplex ratio adducens obligationem ad tribuendam elemosynam pauperibus: Prior est, *substantia mundi*, ex qua fit facultas tribuendi; Altera, necessitas fratris. Quæ quanto maior est; tanto maior existit ad tribuendum obligatio. Proinde necessitas fratris extrema; omnes obligat habentes quod dare possint, etiam pauperes. Necessitas autem illius extremæ proxima, obligat etiam eos qui tantum mediocriter habent. Arcta ipsius necessitas eos obligat quibus bene prospectum est, etiam si superfluum quoad statum non habeant. Vulgaris seu communis, vt vocant, necessitas obligat omnes superfluum habentes. quorum quanto maiores sunt diuitiæ; tanto maior hac parte est obligatio.

Iam quod queri solet, quando neglectus elemosynæ sit peccatum mortale; non potest in particulari per singula definiti: sed id relinquatur, vt bene scribit Hesselius, spiritali prudentiæ determinandum. Illud constat, Apostoli sententiam præcipuè diuites constringere, id est, superfluum habentes. Friuolum est autem ac sophisticum, quod eam nonnulli interpretantur de extrema fratrum necessitate: quasi Ioannes instruat hoc loco fideles tantum de eo casu qui rarissime eueniat; & non potius agat de

necessitate illa fratrum quæ frequens est ac penè quotidiana. Lege quæ de hoc argumento disputant Theologi in 4. distinct. 15. & quæ S. Thomas eiusque commentatores in 2. sec. quæst. 32. art. 5. & 6. & alibi.

18 FILIOLI MEI, NON DILIGAMVS VERBO NEQVE LINGVA, SED OPERE ET VERITATE. Exhortatio necessaria propter eos qui dilectionem fraternam verbo obtinentes, opere non præstant: quales introducit Beatus Iacobus in epistola sua capite 2. dicentes; *Ita in pace, calefacimini & saturamini*. Non solum (inquit Ioannes) verbo & lingua diligamus fratres, vt faciunt qui blandè & speciosè loquuntur, interim nihil dantes vnde iuuentur egeni: sed dilectionem opere & effectu monstremus. Igitur diligere verbo & lingua; sicut hic accipitur, reuera non est diligere; & proinde Deo non placet. Est autem sermo hic ad eos quibus est facultas opere & veritate diligendi. Quidam distinguunt *diligere verbo*; & *diligere lingua*: ac rursus, *diligere opere*, & *diligere veritate*: dicentes eum verbo diligere, qui dilectionem simulat, nihil tribuens; eum verò diligere lingua, qui tribuit quidem, sed ad proprium commodum respiciens. Magis apparet Ioannem vsum vocabulis eiusdem aut vicinæ significationis; quo rem diligentius inculcasset: quemadmodum & Dominus apud Osee prophetam fecit in sententia non planè dissimili cap. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei plus quam holocausta*.

19 IN HOC COGNOSCIMVS QVONIAM EX VERITATE SVMVS: ET IN CONSPECTV EIVS SVADEBIMVS CORDA NOSTRA. *In conspectu eius*, Græcè ἐμπροσθεν αὐτοῦ, coram eo. Dixit autem noster interpret, *corda nostra*, pro *cordibus nostris*, Græcè eadem sententia: quemadmodum & legitur Iudith 12. *Suaue Hebraeam illam: quum alibi datium reddat, vt Gal. 1. Modi hominibus suadego, an Deo? & 2. Cor. 5. Hominibus suademus*. Porro notandum est; Ioannem vti hac phrasi, *in hoc cognoscere*, per totam ferè epistolam pro eo quod est, hoc illòve argumento siue signo cognoscere. Et ita quidem vt demonstratio referatur interdum ad id quod præcessit, interdum ad id quod sequitur; vti poterit obseruare qui volet. Hic verò non ita liquet, vtrò debeat referri. Ad partem subsequenter refert Augustinus, hoc sensu: *Per hoc quod in conspectu Dei, id est, in conscientia nostra quam solus Deus videt, persuademus cordibus nostris, id est, nobis ipsis, ex sola nos fratris dilectione ei succurrere: cognoscimus nos esse ex veritate*. Congruit huic sensui illud Apostoli Pauli 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hac est, testimonium conscientia nostra quod in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnal: sed in gratia Dei, conuersati sumus in hoc mundo*. Et Gal. 6. *Opus suum probet unusquisque: & sic in semetipso tantum gloriam*

habebit,

20 *habebit, & non in altero*. Verum obstat huic constructioni sermo copulans, *& in conspectu eius &c.* cum dicendum esset, *quia seu quoniam in conspectu eius suadebimus &c.* quemadmodum supra loquitur v. 14. *Nos scimus quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Itaque probabilis est demonstrationem, vt docet Oecumenius, ad præcedentia referendam: & hunc esse sensum; Ex hoc quod non solum verbo & lingua, sed opere & veritate fratres diligimus, sincerè videlicet atque ex animo illis beneficientes; cognoscimus nos esse ex veritate: & proinde, si id faciamus, conscientiam nostram coram Deo tranquillam atque pacatam reddemus quod eum verè diligamus; certa concepta fiducia quod damnationem in iudicio Dei simus euasuri: vt inferius hoc & sequenti capite explicatur.

Esse ex veritate, quidam exponunt esse ex Deo, vel ex Christo, qui est veritas; vt sensus sit, eum qui diligit opere & veritate, cognoscere quod sit ex Deo natus, Deiq; filius, à quo vera felicitas expectanda sit. Ita Christus ad Pilatum Io. 18. *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*. pro eo quod Iudæis dixerat, cap. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Secundum alios, *esse ex veritate* est veritatem amare & sectari; quod sit vbi liber est animus à tenebris prauarum cupiditatum. Id de se cognoscit qui opere & veritate fratrem diligit. Potest etiam per veritatem intelligi veritates Dei in promissis: quomodo dicit Paulus; *Christum ministrum fuisse circumcissionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*. Rom. 15. Iuxta quam interpretationem, *ex veritate sunt* qui; quemadmodum in eadem epistola cap. 9. Paulus loquitur, *filij sunt promissionis*, id est, ipsi Abraham promissi; quando ei dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* Gen. 12. qui quidem, eodem apostolo exponente, sunt electi siue prædestinati ad vitam æternam. De quibus locum Ioannis 18. intellexit Augustinus. Hoc modo sensus est, Eo argumento cognoscere nos quod simus è numero electorum, quia fratres opere & veritate diligimus.

Illud postremò notandum, in eo quod dicit; *cognoscimus*; ac rursus, *in conspectu Dei suademus corda nostra*; non significari cognitionem & persuasionem certam & infallibilem siue electionis nostræ, siue præsentis iusticiæ & amicitia cum Deo: quam ex hoc loco & alijs similibus statuere conatur horum temporum sectarij: sed notitiam probabilem, nec maioris certitudinis, quam quantà scimus nos opere & veritate fratres diligere. Qua responsione pariter excluditur opinio Catharini, qui quamuis fateatur eiusmodi certitudinem non esse fidei, tamen infallibilem esse contendit.

21 QVONIAM SI REPREHENDERIT NOS COR NOSTRVM; MAIOR EST DEVS CORDE NOSTRO, ET NOUIT OMNIA. Declaratio est ex contrario: quæ terret dilectionis fraternæ simulatores, allegato Dei iudicio omnia cognoscentis. Græca sic habent, *Quoniam si condemnet siue reprehendat nos cor: quod maior est Deus &c.* Qui sermo imperfectus est; & suppletur hoc modo; *Nam si reprehendat nos cor nostrum: scimus (aut scire debemus) quod maior est Deus corde nostro, & nouit omnia*. Noster interpres particulam *on*, quod, velut supervacuum omisit. Nam interdum iuxta Hebraicum idioma redundat. Contextum sic explicamus: Vt igitur cognoscamus nos esse in veritate, & tranquillam reddamus coram Deo conscientiam nostram; diligamus fratres opere & veritate. Nam alioqui certè, si cor nostrum seu conscientia nostra nos condemnet, tanquam verbo & lingua, non opere & veritate diligentes; id est, tanquam simulatores dilectores; hypocritis illa non later conscientiam nostram, quamuis pusillam & paucam scientem; sed ab ea redarguitur: quanto magis à Deo, qui incomparabiliter maior est corde nostro, adeoq; omnia nouit! Dicitur Deus maior corde nostro, quoad cognitionem; qua non tantum complectitur quicquid est in corde & angustâ conscientia nostra, verum etiam alia omnia abscondita; cum sit vbique præsens; & omnia penetrans:

22 CARISSIMI, SI COR NOSTRVM NON REPREHENDERIT NOS; FIDVCIAM HABEMVS AD DEVM. Facit hæc pars ad explicationem eius quod dixit, *in conspectu eius suademus corda nostra*. Et sensus est: Si non condemnat nos propria conscientia; sed dicat nobis quod fratres vera & sincera dilectione prosequamur, opere eam exhibentes vbi opus est: *fiduciam habemus erga Deum*, id est, spem magnam merito concipimus quod suo iudicio nos non condemnabit. Hanc enim fiduciam euadendæ damnationis exprimit capite sequenti dicens: *vt fiduciam habeamus in die iudicii*. Quam vti que fiduciam parit bona conscientia. Quamquam alij fiduciam intelligunt accedendi ad Deum & aliquid ab eo petendi, & impetrandi; de quo in verbis sequentibus. Nonnulli generalius exponunt sententiam; hoc modo: Si cor nostrum nulla in re nos reprehendat aut condemnet; fiduciam habemus &c. Sed obseruanda apostoli consuetudo, qua sic vnam aliquam iusticiæ partem solet extollere, subintelligens interim conditionem hanc, si aliunde non sit defectus. Quale est illud capitis 5. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus; ex Deo natus est*. Aut certè, quia sincera & Christiana fratris dilectio, non est sine dilectione Dei: propterea qui videt in corde suo illam fratris dilectionem, videt & dilectionem

Eccc Dei

Dei; & consequenter à corde suo non reprehenditur.

Sed quid de ijs quos cor suum non reprehendit, etiam grauius peccatis inuolutos? quales idololatraz, Saraceni, Iudæi, & alij diuersarum religionum atque sectarum homines; certò persuasum habentes quisque suæ sectæ doctrinam esse veram. Quales item multi sanctorum persecutores; *arbitrantes obsequium se prestare Deo*. Ioan. 16. inter quos Paulus, *prius blasphemus, persecutor & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus, quia ignorans fecerat in incredulitate*. 1. Timoth. 1. Quales & alij non pauci, qui vicij suis & voluptatibus mancipati, tandem eò stuporis deuenerunt, vt non sentiant se peccare. Neque enim tales, etsi à corde suo non reprehensi, veram habent fiduciam ad Deum: Neque de ijs verum est quod hoc loco sequitur; *Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus*. &c. Responderi potest, admodum esse difficile, ac fortasse nunquam contingere, quemquam ita esse peccatis immeritum, vt non rodat ac mordeat interdum eius animum vermis conscientiaz; dictantis ipsum malè agere; vermis, inquam, ille in reprobis nunquam moriturus Marci 9. Certè Paulus ipse, quamuis zelo legis diuinæ persequeretur ecclesiam Dei, Gal. 1. & Philip. 3. & in eo putaret se bene agere: interim tamen in alijs desiderijs atque peccatis morte dignis versabatur, quæ ab ipso enumerantur Ephes. 2. & ad Tit. 3. quorum malè conscius sibi fuisse, vt & alios peruersos legis zelatores; non est dubium. De quo genere erant, quibus adulteram mulierem adducentibus dixit Dominus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Io. 8. Alia responsio est, eaque textui congruentior, Ioannem non vniuersè loqui de quibusuis hominibus, sed de Christianis Christiana doctrina tributis, & Deum quem nouerunt eiusque iudicia, timentibus: quos si cor suum non reprehendit tanquam hypocritas, & dilectionem fraternam simulantes; sed contra, dicat eis sua conscientia quod fratres sincerè & Christianè diligant: *fiduciam habent ad Deum*; prout superius explicatum est. Notandum quippe, Ioannem non dicere, *certi sumus*; sed, *fiduciam habemus*: quoniam etsi cor nostrum non reprehendat nos; potest tamen in eo latere quod Deus reprehendat, qui maior est corde nostro. Quocirca, fiducia hæc tanta debet intelligi, quanta responderet testimonio bonæ conscientiaz. Vt enim hoc conscientiaz testimonium in nobis non est infallibiliter certum; apostolo Paulo dicente, *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*. 1. Cor. 4. ita nec infallibiliter certa est hæc fiducia, quod iudicium Dei simus euasuri. Vnde dicebat idem apo-

stolus, *Castigo corpus meum; ne forte cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar*. 1. Cor. 9.

22 ET QUICQUID PETIERIMVS, ACCIPIEMVS AB EO. Græcè & Syriacè accipimus ab eo; verbo præsentis temporis, scilicet eiusdem cum præcedenti verbo, habemus. ad significandam certitudinem promissionis. Si, inquit, cor nostrum nos non reprehendat: non solum habemus apud Deum fiduciam euadendæ damnationis in die iudicij, verum etiam impetrandi & accipiendi ab eo quicquid ab eo petierimus. Nam particula *ab eo*, vtrolibet, imò pariter ad vtrumque referri potest. Huic loco simile est illud psalmistæ: *Iniquitatem si aspexi in corde meo; non exaudiet Dominus*. Propterea (nempe quia non aspexi in corde meo iniquitatem) exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. psal. 65. Ratio est huius fiduciaz: quia diligentibus fratres & mandata Dei seruantibus, facta est illa promissio, tot locis euangelij conscripta, *Petite & accipietis. Omni petenti dabitur. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Quam tamen promissionem sic intellige: Si petatur quod petendum est, & quomodo petendum, & quantum res tanta peti debet, idque perseueranter. An præterea sit necessaria conditio, Si pro seipso quis petat: videbimus infra ad illud cap. 5. *Quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos*. Rationem fiduciaz quam dixi, declarant verba sequentia;

QUONIAM MANDATA EIVS CUSTODIMVS. Ea mandata sunt hæc duo præcipuè; mandatum dilectionis fraternæ, & consequenter mandatum dilectionis Dei (nam qui fratrem diligit vt oportet, id est, propter Deum; vtique Deum diligit); & mandatum credendi in Christum. His enim præceptis charitatis, quæ colliguntur ex præcedentibus; y. proximo, à capite adiungit mandatum fidei qua creditur in Christum.

Apertissimè verò destruit hic locus hæreticorum dogma, dicentium *Dei præcepta homini iustificatio ad obseruandum esse impossibilia*. Quod quidem totidem verbis à Synodo Tridentina condemnatum est. sess. 6. cap. 11. doctrinæ. & cap. 18.

ET QUÆ SVNT PLACITA CORAM EO, FACIMVS. Nempe diligendo fratres. Quam sit placitum coram Deo & Christo eius, fratres diligere, & salutem eorum procurare; docet illa vox Christi Domini ad Petrum, tertio repetita, *Diligis me? Pasce oves meas*. Ioan. 21. Nam & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Infra cap. 4.

Eueritur hac parte & alterum dogma sectariorum, priori affine, omnia iustorum opera esse peccata: nisi dicant, quod absque blasphemia dici non potest, peccata esse Deo placita.

ET

23

ET HOC EST MANDATVM EIVS, VT CREDAMVS IN NOMINE FILII EIVS IESV CHRISTI. In nomine, Græcè τῷ ὀνόματι, *nomini*; nisi fortè effluxit particula *in*, quæ alibi præponitur, iuxta phrasim Hebraicam. Siquidem & Syrus interpres vertit, *in nomine*. *Credere in nomine Christi*, est credere in Christum. Sic enim, passim loquitur scriptura, *nomen* ponens pro re: vt cum iubemur sanctificare, magnificare, timere *nomen* Dei; id est, Deum ipsum. Porro *credere in Christum* est firma fide recipere ea quæ de Christo diuinitus reuelata sunt; quale est in primis, eum esse filium Dei, verè incarnatum & hominem factum propter nos homines & propter nostram salutem. Exprimit apostolus specialiter hoc fidei mandatum, quia fides in Christum saluatorem fundamentum est nostræ salutis.

ET DILIGAMVS ALTERVTRVM: SICVT DEDIT MANDATVM NOBIS. Repetit mandatum dilectionis fraternæ, de quo agit in superioribus: vt intelligamus, præter fidei præceptum, & charitatis præcepta ad salutem esse nobis obseruata necessaria. Quod rursus notandum aduersus Sectariorum dogma dicentium, *nihil præceptum esse in euangelio præter fidem; cetera esse indifferencia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera*. Quem errorem anathemate damnauit Trid. Synodus sess. 6. can. 19. Addit autem Ioannes, *sicut dedit mandatum nobis*; vel, secundum quosdam, vt explicet modum dilectionis fraternæ, videlicet à Christo nobis præceptum, dicente, *Mandatum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*. Ioan. 13. & 15. Id autem est diligere ad salutem & vitam æternam; vel, quod puto probabilius, per repetitionem hoc addit, quia bene nobis inculcatum vult, Dei præceptum esse vt diligamus inuicem.

24

ET QUI SERVAT MANDATA EIVS; IN ILLO MANET; ET IPSE IN EO. Interpres variavit quod in Græco scriptum est eiusdem vocabuli repetitione, *ἐν αὐτῷ μένει, καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῷ*, in ipso manet, & ipse in ipso. Sensus tamen est; In Deo manet, & Deus in ipso. quod exprimitur capite sequenti, versu 16. Hoc autem sermone mutua inuicem mansionis significatur intima societas & amicitia quæ est inter Deum & homines Deum diligentes: de qua societate supra cap. 1. Nam *mandata eius*, intellige, Dei: quemadmodum & in versu præcedenti, *Et hoc est mandatum eius*, haud dubiè, Dei, Nam sequitur, *vt credamus in nomine filij eius*. Quod annoto, propter nonnullos qui hoc loco *mandata eius*, exponunt Christi: licet eodem res redeat, quia Christus est Deus. Hic verò pluraliter dicit *mandata*; quia proximè duo mandata nominauerat, alterum fidei in Christum, alterum dilectionis fraternæ. Significatur ergo præclara

merces ijs proposita, qui seruant mandata Dei; videlicet intima & coniunctissima cum Deo amicitia.

ET IN HOC SCIMVS QUONIAM MANET IN NOBIS, DE SPIRITU QUEM DEDIT NOBIS. Græcè, *ex spiritu quem nobis dedit*. Quæ præpositio melius hic quadrat. Potest autem bifariam hic locus intelligi: vel vt hæc dicantur ex persona fidelium in genere; vel specialiter vt ex persona apostolorum. Priori modo sensus est: Et quidem Deum manere in nobis & consequenter nos in Deo; cognoscimus hoc signo, nimirum, *ex spiritu quem nobis dedit*, quo donati mandata eius seruamus, ac nominatim mandatum dilectionis. Si enim (inquit Augustinus hunc locum tractans) *inueneris te habere charitatem; habes spiritum Dei, & inhabitaris à tota Trinitate*. Quantum igitur nouit quisque se habere charitatem, & proinde spiritum Dei; tantum nouit, Deum in se manere. Vtrumque verò singuli fideles non norunt certa & infallibili scientia; sed probabili noticia: sicut in superioribus dictum est. Nouit autem infallibiliter vtrumque, cæteris ipse fidelium, id est, ecclesia Christi; certa videlicet de testimonio spiritus intra se. Quo sensu Paulus ait, *quod ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei*. Rom. 8. Alter sensus est: Deum in nobis apostolis manere, tanquam veracibus magistris; scimus & comprobamus *ex spiritu quem dedit nobis*, hoc est, ex varijs Spiritus-sancti charismatis in nos collatis à Deo; vt erant dona prophetiæ, linguarum, sanationum, & aliorum huiusmodi quæ Paulus recenset 1. Cor. 12. & quorum abundantiam acceperant apostoli in die pentecostes. Solent enim illi doctrinam à se traditam confirmare signorum ac miraculorum operatione: vt patet ex Actis apostolorum. Atque eo argumento Paulus tam suam quam aliorum apostolorum doctrinam veram probat Rom. 15. 1. Cor. 2. & Heb. 2. Vtique Christi exemplo, qui passim in euangelio per miracula fidem astruit suæ doctrinæ. Tradunt vtrumque sensum Gagnæus & Hesselius. Et prior quidem sensus connexionem habet cum præcedentibus: sed posterior consentaneus est ijs quæ sequuntur, *de probandis spiritibus si ex Deo sint*: Nam quia venturi erant pseudoprophetæ, qui & ipsi ad confirmandos suos errores signa quædam edituri erant, qualis iam venerat Simon magus, Act. 8. hinc commonet apostolus fideles sequentibus deinceps verbis, docens qua certissima ratione spiritus erroris à spiritu veritatis discerni queat. Potest autem hic posterior sensus extendi ad ecclesiam apostolicam: ac si dicat, *Deum in nobis*, id est, in ecclesia nobis apostolis adhærente, nostramque sequente

Ecce 2 doctri-

doctrinam, manere, ex eo cognoscimus ipsam; cognoscit ecclesia, quod in ea Spiritus sanctus manifeste suam ostendat presentiam per multiplicem charismatum operationem, & gloriam miraculorum. Confer cap. 4. v. 13.

S V M M A R I V M.

Docet quis spiritus sit ex Deo, quis non sit. Deum esse charitatem, & eum qui in charitate manet, in Deo manere. Eum autem qui timet, non esse perfectum in charitate.

CAPVT. IV.

CHARISSIMI, NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE. Munit fideles aduersus seductores, id est, hereticos, qui inter illos, sub nomine Christiano, praua sua dogmata spargebant; iactantes se spiritum Dei habere. De quibus egit etiam supra, cap. 2. Id vero nunc agit, vt tales a fidelibus cognoscantur, & cogniti vitentur. Nomen spiritus variae significationis est in scripturis. Hoc loco sumitur vel pro reuelatione seu doctrina quasi a Spiritu Dei profecta; vel pro ipso homine, eiusmodi reuelationem suae doctrinam profertente: vt sensus sit, Ne fidem adhibeatis cuiuslibet doctrinae quae ad vos adfertur tanquam profecta a spiritu Dei; vel, Ne fidem habeatis cuiuslibet homini doctrinam adferenti tanquam a spiritu Dei reuelatam. Eiusmodi spiritus etiam hodie plurimi sunt, quorum quilibet suam doctrinam pro verbo Dei venditat.

SED PROBATE SPIRITVS SI EX DEO SINT. Id est, doctrinas, reuelationes, aut ipsos homines doctrinam & reuelationem tanquam a Dei spiritu profectam adferentes, probate; discernite ac diiudicate, num vere sint ex Deo ipsi doctores seu eorum doctrinae.

Quaeritur quomodo praecipiat apostolus, omnibus fidelibus (nam ad omnes haec dicuntur) vt probent spiritus num ex Deo sint; cum Paulus 1. Cor. 12. discretionem spirituum numeret inter ea spiritus sancti charismata quae non omnia dantur omnibus, sed alia alijs. Ad hoc quidam respondent, ex mente B. Ioannis omnes fideles probare spiritus num ex Deo sint, dum illis credunt qui spirituum habent discretionem. Sicut enim in corpore solus oculus videt, sed non sibi soli; ita in ecclesia, qui discretionem habent spirituum, dogmata probant atque discernunt non sibi solis, sed & alijs; imo toti ecclesiae; in quibus proinde, & per quos, etiam alij illi probant ac discernunt, qui in semet ipsis donum huiusmodi non habent. Ve-

rum obijci potest, Ioannem non remittere fideles ad eos qui habeant donum discretionis spirituum: sed ipsosmet instruere vel le quo signo spiritus discernant. In hoc, inquit, cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur &c. Quae ratione, nec illorum sufficit responsio qui verba Ioannis ad totam congregationem dicunt pertinere; non ad singulos fideles. Nam & singuli incidunt in eos subinde, qui doctrinam nouam adferant; ideoque singuli in promptu habere debent instructionem qua in illis dignoscendis vtantur. Potius itaque dicendum est, Ioannem non dicere quod omnes fideles de vnaquaque doctrina sibi proposita, probationem & examen instituire debeant ex proprijs Christianae doctrinae principijs; quod est doctorum ecclesiae; de quibus Paulus, vbi supra, Nunquid omnes doctores? sed tradere fidelibus ad quos scribit, duos probandi modos; vnum particularem, alterum generalem: quorum prior continetur illis verbis, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse &c. alter assignatur infra, cum v. 6. dicitur, Qui nouit Deum, audit nos: qui non nouit Deum, non audit nos. Pertinet ad priorem modum illud eiusdem apostoli in secunda epistola: Si quis uenit ad vos, & hanc doctrinam non adfert; nolite recipere eum in domum. Nam & illic contra eos agit, qui non confitebantur Iesum Christum venisse in carnem. Nec vero S. Ioannes hoc suo praeepto potestatem iudicandi de controuersis fidei questionibus attribuit omnibus & singulis Christianis; quod volunt sectarij: sed vnam & alteram regulam praescribit, ad quam possint ac debeant fideles ad quos scribit, etiam singuli, iudicio quodam rationis explorare doctrinas; quae forte nouae ad eos perferrentur. Quae res ex sequentibus manifestior euadet. Interim lector videat orationem nostram tertiam de prohibita lectione librorum haereticorum.

QUONIAM MULTI PSEUDOPROPHETAE EXIERUNT IN MUNDUM. Ratio praecedentis admonitionis; quia multi iam exorti erant ac prodierant in mundum, falsi doctores; iactantes spiritum & reuelationem diuinam. Hos enim vocat pseudoprophetas. Nam vt generali nomine propheta dicebatur apud Iudaeos qui ex inspiratione diuina cognoscebat ac proferebat occulta quaedam doctrinae sacrae; quamuis futura nulla praenunciaret; quomodo de prophetis & prophetia loquitur Paulus 1. Cor. 12. 13. & 14: ita pseudopropheta erat, qui cum verus eiusmodi propheta non esset, pro tali tamen se ingerebat, doctrinam suam falsam & perniciosam venditans hominibus tanquam diuinitus acceptam. Tales fuere iam tum tempore

Ioan-

Ioannis, Simon, Nicolaus, Cerinthus, Ebion & alij non pauci. Nam multos fuisse, restatur etiam supra cap. 2. dicens, nunc antichristi multi facti sunt. & in epistola 2. Multi seductores exierunt in mundum. Mirum vero quid secutus Irenaeus lib. 3. cap. 18. diuersa praepositione legat, exierunt de saeculo: nisi mendum fuit in codice. Nam locum secundae epistolae refert vt nos habemus, exierunt in mundum.

2 IN HOC COGNOSCITUR SPIRITVS DEI. Graece, cognoscite spiritum Dei. Interpres legisse videtur, γνωσθε τὸν πνεῦμα τοῦ θεοῦ. Quamquam & Syrus vertit cognoscetur. Sed id sensum non variat Hoc, inquit, argumento siue signo potestis cognoscere, imo cognoscite & probate spiritum quempiam esse Dei, id est, doctrinam a Dei spiritu profectam: nempe eo quod sequitur;

3 OMNIS SPIRITVS QUI CONFITETUR IESVM CHRISTVM IN CARNE VENISSE, EX DEO EST. Sensus: Omnis doctrina quae tradit Iesum Christum in principio Deum ac Dei filium, postea venisse in carne; id est, inter homines conuersatum in vera humana natura; & omnis doctor qui id confitetur & docet; ex Deo est, doctrina quidem ex Deo, quia a Deo inspirata; doctor autem ex Deo, ratione doctrinae. Carnem posuit pro natura humana, per synecdochen; sicut alibi, pro homine; vt Io. 1. Verbum caro factum est; acceptione videlicet in scripturis vltimatissima.

Dicit aliquis, multos esse qui confiteantur Iesum Christum in carne venisse; vt olim Pelagianos, & hodie Lutheranos & Caluianianos, aliosque permultos, quos tamen ex Deo non esse constet, sed ex diabolo. Quod & de malis catholicis obijci potest: Omnis enim qui non est iustus, non est ex Deo: & qui facit peccatum, ex diabolo est, supra cap. 3. Quidam respondent Ioannem loqui de ijs qui filium Dei incarnatum confitentur non ore tantum & fide, sed etiam opere; seruantes scilicet omnia quae Deus homo factus seruanda praecipit: contra quam illi de quibus ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Ita locum hunc interpretantur Didymus, Augustinus & Beda. Sed rectius alij, qui dicunt Ioannis intentionem hoc loco proprie dirigi aduersus haereses sui temporis, eorum scilicet qui doctrinam de filio Dei incarnato non recipiebant; quorum principes erant Valentinus Cerinthus, & alij. Vt sensus apostoli sit, Omnem doctrinam, adeoque omnem doctorem qui confitetur ac docet Dei filium vere hominem factum, & hunc esse Iesum, Messiam promissum; esse ex Deo; nimirum ea parte qua hoc docet. Sic enim & tempore Arianorum dicere licebat, Omnem eum qui confitetur Dei filium esse patri coeternum & consubstantialem; esse ex Deo. Item hoc nostro saeculo; Omnem eum qui confitetur Christi

corpus & sanguinem esse realiter in Eucharistiae sacramento; esse ex Deo. Quod non est aliud dicere, quam huiusmodi doctrinam esse ex Deo; nec non, eum qui ita confitetur & docet, ea parte doctrinae, ex Deo esse. Na certe, nec haeretici circa veros fidei articulos quos adhuc retinet, ac docent atque defendunt; supernaturali dono fidei, prorsus carent; quamuis integram, & proinde Catholicam, fidem non habeant. Id quod Augustinus haud obscure docet compluribus locis; vt ostendimus in dictatis super Magistrum lib. 3. dist. 23.

ET OMNIS SPIRITVS QUI SOLVIT IESVM, EX DEO NON EST. Loco huius sententiae, in Graeco & Syriaco legitur membrum priori oppositum, Et omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Nisi quod Syrus non addit Christum. Graeca lectioni suffragatur Cyprianus, qui lib. 2. aduersus Iudaeos cap. 8. sic legit: Qui autem negat in carne venisse (supple ex priori membro, Iesum Christum) de Deo non est. At vero Latinam lectionem differtè refert Irenaeus Cypriano antiquior; addito tamen vocabulo Christum. lib. 3. cap. 18. Sic & ceteri Latini legerunt; nominatim Leo pontifex epistola 10. ad Flavianum, cap. 5. Prosper lib. 1. de vocatione gent. cap. 23. Cassianus lib. 5. de incarnatione, cap. 10. & Beda in commentario. Quibus addo Cyrillum Graecum, lib. de recta fide ad reginas. Ceterum Augustinus, hunc locum tractans, vtramque lectionem exponit; vt satis appareat vtrumque ei lectum fuisse. Sane valde verisimile est, maxime ex Irenaeo, Graecos codices olim id habuisse quod est in nostris. Idque perspicue restatur Socrates lib. 7. suae historiae, cap. 32. Dicit enim hoc scriptum fuisse in vetustis huius epistolae exemplaribus; vti que Graecis. Sed, inquit, hanc sententiam omnes qui diuinitate ab humanitate Christi se iungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere tollereque non dubitarunt. Et addit, Quapropter veteres interpretes idem ipsum significarunt, quosdam videlicet esse qui illam epistolam deprauassent; quo in Christo hominem a Deo separarent. Haec ille. Qui cum dicit deletam atque sublatam fuisse e codicibus eam sententiam, non autem pro ea aliam repositam: locum facit suspicioni quod vtrumque scriptum fuerit a Ioanne: & quidem priore loco id quod habent Graeci codices; vt pote membrum praecedenti oppositum. Id enim congruit, vt annotat Erasmus, cum phrasi Ioannis apostoli; cui peculiaris est contrariam sententiam succinere priori; quo magis insigat animis quod dictum est. Atque eam suspicionem auget quod diximus, vtrumque Augustino lectum & expositum fuisse. Nam & apud Terrullianum vtraque lectio reperitur: Graeca quidem lib. de carne Christi cap. 24. & lib. 3. contra Marcionem cap. 8. Latina vero

Ecce 3 lib.

lib. contra Psychicos cap. 1. Imò vtraque cōiuncta, lib. 5. contra Marcionem cap. 16.

Porro Græca lectio sensum habet apertum & indubitatum; siue doctrinam siue doctorem nomine *spiritus* intelligas. Nam vt doctrina qua negatur Iesus Christus incarnatus, non est à Deo: ita nec ille qui tradit eiusmodi doctrinam ex Deo est; maxime quatenus eam doctrinam tradit. Verum in Latina lectione exponendum, quid sit *soluere Iesum*. Neque enim soluere hic opponitur ei quod est ligare, sed huic, construere, componere, ædificare. Itaque *soluere Iesum*, est eum dissoluere siue destruere: quomodo dixit ipse Iudæis, *Soluite templum hoc*, id est: destruite. Ioan. 2. *Soluitur autem Iesus*, id est, dissoluitur ac destruitur per doctrinam de eo falsam, non qualemcunque; sed separantem in eo duas naturas, id est, negantem in vna Iesu persona duas conuenisse naturas, diuinam & humanam. Quod quidem fit tribus potissimum modis. Primò, si dicantur in Christo duæ esse personæ, sicut sunt duæ naturæ. Quomodo soluerunt Iesum; tempore Ioannis apostoli, Cerinthus & Ebion, docentes Iesum non esse Christum nec Dei filium: sed Christum in specie columbæ intrasse in Iesum quando baptizatus est: ac rursus ab eo quando passus est, auolasse. Quam hæresim notauit apostolus supra cap. 2. dicens: *Quis est mendax nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus*. Attribuunt autem Cerintho & Ebioni, Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 25. & lib. 5. cap. 1. Et Epiphanius heresi 28. & 30. Soluit eodem modo Iesum quartò post illos sæculo Nestorius diuidens in Iesu Christo filium Mariæ à filio Dei; atq; illum affirmans passum esse & crucifixum ac mortuum: hunc verò pati non potuisse. Hæc enim dicentem Nestorium, soluisse Iesum; testantur Cyrillus & Socrates & alij supra citati. Secundò soluunt Iesum qui diuinitatē simpliciter ab eo remouet; vt Paulus Samosatenus, qui negabat Iesum ante Mariam fuisse: nec non Arius, substantiam Dei patris à filio alienans. Tertio, soluunt Iesum qui humanam ab eo naturam auferunt: vt olim Cerdon, Basilides, & aliquantò post, Manes; dicentes Christum non veram carnem, sed phantasticam, assumplisse; in qua non solum passionem & mortem, verum & resurrectionem; mentiretur. Hoc etiam modo Iesum soluit Eutyches; qui naturam humanam in Christo, virtute diuinitatis, in ipso conceptu; dicebat esse consumptam. De quo Leo pontifex in epistola supradicta; *Quid est, inquit, soluere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam, & sacramentum fidei, per quod vnum saluati sumus, impudentissimis euacuare signentis?* Ad hunc tertium modum soluendi Iesum, pertinent & illi qui partem aliquam humanæ naturæ Christo subtraxerunt; vt Arius, qui animam humanam ademit: & Apollinaris, qui mentem;

dicens Verbum diuinum illi pro mente fuisse. Nam sine mēte & animā non consistit humana natura.

Quoniam verò corpus Christi mysticum est ecclesia, cuius ipse est caput; verè dixerimus etiam illos soluere Iesum, qui caput hoc à suo corpore diuellunt; dicentes Christum suam ecclesiam propter scandalorum multitudinem deseruisse, & nouam sibi fingere ecclesiam nouumque corpus, videlicet ex ijs qui se Reformatos appellant. Denique Iesum soluunt omnes illi, qui corpus eius; quod est ecclesia, soluunt, id est, lacerant ac diuidunt; sectas & schismata facientes, & per hoc inconstitem Christi tunicam scindentes.

ET HIC EST ANTICHRISTVS. Græcè, *Antichristi* genitiuo casu. Sic autem Græca legunt, cum appositis articulis: *ὁ ἄνθρωπος ὁ ἐστὶν τὸ πνεῦμα ἀντιχριστοῦ*, Et hic, (nempe spiritus) *est ille ipse Antichristi*. Obliquum casum reddunt veteres, vt Irenæus & Cyprianus supra citati; quorum ille legit, *ex Antichristo*, iste, *de Antichristi spiritu*. Item Tertullianus aduersus Marcionem lib. 5. ca. 16. *præcursorem Antichristi spiritum* hunc vocat. Cassianus quoque genitiuum scribit, & exponit lib. 5. de Incarnatione, cap. 11. Consonat & Syra paraphrasis: *Sed hic est ab ipso pseudo-christo*. Sensus autem est, Hic spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, sed soluit Iesum, spiritus est illius Antichristi: id est, hæc doctrina cum suo doctore, præcurrit satellitio Antichristi, cuius omne studium atque conatus in hoc erit, vt soluat ac destruat Iesum Christum & regnum eius.

DE QVO AUDISTIS QUONIAM VENIT: Græcè δὲ ἀκηκόατε, neutro genere, quod ad πνεῦμα refertur, id est, spiritum; vt verendum sit, *quem audistis*, hoc est, *de quo spiritu audistis*; sitque sensus huiusmodi: Spiritus ille soluens Iesum, quodammodo spiritus est ipsius Antichristi, nempe per consensum doctrinæ: de quo spiritu Antichristi traditum accepistis, quod sit venturus. Sciendum tamen ex stare Græca quæ sic habeant: *ὅτι ἀκηκόατε ὅτι ἐρχεται: quoniam (scilicet Antichristus) audistis quod venturus sit*, scilicet Antichristus. Sed & fieri potuit, vt scioli non capientes quomodo verum sit Antichristum venire, & (quod sequitur) nunc iam esse in mundo, parumque memores eius quod supra cap. 2. dixit B. Ioannes, *Sicut audistis quia Antichristus venit*: mutauerint hoc loco ὅν masculinum in ὁ neutrum, vt ad spiritum Antichristi, non ad ipsum Antichristum, fiat relatio. Verum quo sensu de Antichristo dicatur, *venit*, Græcè ἐρχεται, verbo presentis temporis, satis eodem capite 2. à nobis explicatum est, dictumque verbo Græco non tam significari presentiam aduenientis, quam procinctum ac preparationem quandam ad huiusmodi presentiam, etiam tempus ipsum

quo

quo sit adfuturus qui expectatur, in longum procrastinetur. Vnde & Erasmus vtroque loco vertit, *Quod venturus sit*.

ET NUNC IAM IN MUNDO EST. Hoc est, *Iam nunc inter homines versatur*; vel spiritus Antichristi, vel ipse Antichristus; iuxta variam lectionem partis superioris. Nam spiritus Antichristi iam à temporibus apostolorum in hæreticis existit, semina quedam spargens futuri regni Antichristi. Ipse etiam Antichristus iam in mundo est, & olim esse cepit, secundum membra sua & præcursores hæreticos, regnum ipsius promouentes. Quæ duæ expositiones in eundem sensum recidunt: tamen locus ille cap. 2. magis suadet vt ad Antichristum hæc pars referatur. Nam pro eo quod hic dicitur, *& nunc iam in mundo est*; illic dicebatur, *nunc Antichristi multi facti sunt*. Igitur Antichristus ipse nunc in mundo esse dicitur, propter multos quos habet præcursores ac satellites, eisdemque participatione sui nominis Antichristos; qui doctrinis & factis viam sternunt illius aduentui; falsa atque impia de Christo docentes, & Christum in membris suis persequentes. Vide dicti loci commentarium, ad cap. 2.

VOS EX DEO ESTIS FILIOLI. *Ex Deo estis* geniti; id est, filij Dei: Id ipsum exprimit paulo post, *Omnes qui diligunt: ex Deo nati sunt*. quo sensu dixit capite præcedenti, *Omnes qui non est in Iesu, non est ex Deo*. Alloquitur ecclesiam fideliora, cuius præcipua membra sunt filij Dei.

ET VICISTIS EVM, Scilicet Antichristum, in præcursoribus eius, hæreticis. In Græco & Syriaco plurale est, *& Vicistis eos*, id est, *Antichristos*, vel, quod ante præcessit, *pseudo-prophetas*. Quæ pluralis lectio quorundam etiam est codicum Latinorum. Author libri de singularitate clericorum legit præceptiue, *vincite illos*. Porro *vicistis*, intellige per fidem. *Hæc enim est victoria que vincit mundum, fides nostra*. infra cap. 5. Maxime verò per fidem vincuntur hæretici, dum perplexis eorum rationibus & argumentis fidei simplicitas opponitur. Quæ ratio vincendi hæreticos omnibus fidelibus est communis.

QUONIAM MAIOR EST QUI IN VOBIS EST, QUAM QUI IN MUNDO. Victoriam refert ad suum authorem Deum: quæ admodum & Paulus I. Cor. 15. *Deo gratias*, inquit, *qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*. Sensus: Deus qui in vobis habitat, regens vos atque conseruans, potentior est ad confirmandum vos in fide & protegendum aduersus hostiles infidias; quam diabolus, impios inhabitans, ad impugnandum vos atque fallendum. Hæc potissima fidelium in omni tentatione consolatio est, Deum habere rectorem & protectorem. Simul hæc sententia nos docet, veram & Christianam humilitatem; qua vi-

toriam tentationum non nostris viribus ascribendam nouerimus, sed potentia & misericordia Dei. Quod & Christus nos docuit, quando præcepit orare, *Ne nos inducas in tentationem*. Diabolus in mundo esse & habitare dicitur, quia in genere humano, in quo plerumque sunt impij, dominatur & regnat: adeo vt *mundus totus in maligno positus dicatur* sub finem huius epistolæ.

IPSI DE MUNDO SUNT. Vel, *in mundo sunt*; vt habent Græca, Antichristos intelligit, qui *de mundo esse* dicuntur, quia pertinent ad partem generis humani illam multò maximam quæ seruit peccato & concupiscentijs eius. De talibus apostolus Paulus Rom. 16. *Huiusmodi Christo Domino non seruiunt sed suo ventri*.

IDEO DE MUNDO LOQUUNTUR. Græcè rursus, *in mundo*. Non enim sensus est: *Loquuntur de rebus aut concupiscentijs mundanis*, quas diligunt; secundum illud, *Ex abundantia cordis os loquitur*. Luc. 6. Multi enim hodie sunt Antichristi qui assidue in ore habent ea quæ à mundo maxime videantur aliena; vt euangelium, verbum Dei, fidem ac fiduciam in Christum, dilectionem fraternam: summopere verò caueant ne suas prodant concupiscentias. Sed *loqui dicuntur in mundo*, quia falsam doctrinam proferunt quæ non est ex Deo, sed ex mundo, & diabolo principe mundi & patre mendacij; siue ea doctrina prober quæ sensibus sunt iucunda; cuiusmodi ferè dogmata sunt hæreticorum nostri temporis: siue quæ delectationi sensum contraria sint; quales hæreses fuerunt quorundam antiquorum, vt *Prohibitum nubere, abstinendum à cibis quos Deus creauit*. 1. Timoth. 4. & aliorum similium. Nam & huius generis doctrinæ à mundo sunt. Vnde Paulus ibidem vocat eos *doctrinas demoniorum*.

ET MUNDVS EOS AUDIT. Hic repetenda est rationalis particula; & *ideo mundus eos audit*. Nempe quoniam illi ex mundo loquuntur. Est enim duplex illatio: De mundo sunt, ergo de mundo loquuntur. Itè, De mundo loquuntur, ergo mundus eos audit. Ratio posterioris est, quia quisque libenter audit ea quæ suæ sunt sectæ & scholæ. Communicant autem omnes impij in schola diaboli; licet alij alijs cupiditatibus aut sectis additi. Ita Dominus ad discipulos Ioa. 15. *Si de mundo fuissetis; mundus quod suum erat diligeret*. Addit autem Apostolus hoc postremum, *& mundus eos audit*; ne fideles turbentur ob multitudinem eorum qui hæreticis adherent. q. d. Etsi multi sint qui eos audiunt; nullius tamen sunt precij: Quia non sunt nisi mundus, id est, humani generis colluies, videlicet ea pars quæ peccato seruit & diabolo. *Melior est autem vnus timens Deum, quam mille filij impij* Eccles. 16.

NOS EX DEO SUMVS. Hac parte & sequente loquitur Ioannes ex apostolorum

persona; quorum ipse vnus erat. Nam post signum particulare, tempore illi congruens, nunc intendit proponere fidelibus generale quoddam signum, quo vera doctrina discernatur à falsa. Nos apostoli, inquit, non ex mundo sumus, sed ex Deo; cuius sumus apostoli. Vt enim à Deo missi sumus ad prædicandum euangelium Christi; ita doctrinam ab eo acceptam tenemus & alij tradimus.

QVI NOVIT DEVM AVDIT NOS. Hanc partem opponit ei qua dixit de antichristis, & mundus eos audit. ac si dicat: Qui de mundo sunt, audiunt doctores qui sunt de mundo. Qui verò Deum nouerunt & ex Deo sunt, nos Dei apostolos audiunt. Ioanni eòdem recidunt, *Nouisse Deum*, & *Ex Deo esse*; vt patet ex parte sequenti. Dicuntur autem *nosse Deum*, & *esse ex Deo*, qui Deum diligunt & cum eo societatem habent. Sequitur membrum oppositum.

QVI NON EST EX DEO, NON AVDIT NOS. Intellige quatenus ex Deo non est. Potest enim quis absolute non esse ex Deo, quia coniunctionem amicitiae cum Deo non habeat, qui tamen à Deo moueatur ad credendum eius apostolo. Nam fides etiam informis Dei donum est.

IN HOC COGNOSCIMVS SPIRITVM VERITATIS, ET SPIRITVM ERRORIS. Loquitur nunc ex persona fidelium. Hoc, inquit, signo & argumento nos fideles cognoscimus & cognoscere debemus spiritum veritatis & spiritum erroris, id est, discernimus inter doctrinam veram & falsam; & consequenter inter doctores veros & falsos. Signum illud est quod iam dixit, nempe nos apostolos audire vel non audire.

Igitur hoc loco tradit apostolus alteram regulam, eamque generalem, probandi spiritus num ex Deo sint, id est, explorandi doctrinas religionis, an sint veræ & à Deo profectæ. Cum enim prior regula specialis fuerit, nec omni tempore vsu habeat, nec ad omnes hæreses accommodari possit: idcirco generalis hæc regula adijcienda fuit; in qua quidem respicere videtur apostolus ad verba Domini Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Nam id non solum de præceptis apostolorum accipiendum est, verum etiam de doctrina ab illis tradenda. Loquitur autem Ioannes in persona apostolorum, & omnium eorum qui apostolis iam successerant, aut successuriant; & vt semel dicam, in persona prælatorum ecclesie iam per apostolos fundatæ; penes quos doctrinam à Christo acceptam apostoli deposuerunt. Quod enim ad ipsos attinet apostolos; iam illi vita defuncti erant, & solus fortassis supererat Ioannes: sed manebat, & vsque hodie manet, & manebit, quod apostolis à Domino dictum fuerat, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28.

Manet, inquam, in eorum successoribus, ecclesie prælatis. Signum ergo certissimum à Ioanne fidelibus omnibus monstratum, est istud; si quis ecclesiam audit, & eius doctrinam sequitur; hic ex Deo est: Si quis eam non audit, sed ab eius doctrina recedit; hic non est ex Deo.

Hinc porro consequens est, ecclesiam in suis prælatis (quos scriptura pastores & doctores vocat, Ephes. 4.) esse Iudicem quæstionum & controuersiarum omnium quæ circa doctrinam fidei suboriuntur. Quocirca fideles, sicubi dubitant de spiritu quopiam num ex Deo sit, propterea quod nesciant vtrum de doctrina quæ adfertur definitum aliquid ecclesia teneat; ecclesie prælatis consulere debet, atque eorum expectare & audire iudicium: vt pote ad quos, velut ad suos successores, apostoli simul cum doctrina, potestatem de ea iudicandi transmiserunt. Consule orationem nostram tertiam De prohibita librorum hæreticorum lectione.

CHARISSIMI, DILIGAMVS NOS INVICEM. Post interpositam de probandis spiritibus instructionem; redit ad exhortationem dilectionis fraternæ: sine qua nihil prodest, rectum & incorruptum de doctrina fidei tenuisse iudicium.

QVIA CHARITAS EX DEO EST. Hæc ætiologia duplicem continet rationem exhortationis ad charitatem seu dilectionem fraternam. Vna est, ab excellentia huius operis, quod est diligere fratres. Est enim hoc opus à Deo, non vulgariter, sed vt opus quoddam eximium, quod Deus per singularem suam gratiam in nobis operatur: ita vt omnis qui diligit, quemadmodum verbis sequentibus dicitur, sit ex Deo natus ac Dei filius. Altera ratio, à possibilitate & facilitate præcepti; secundum illud quod dicit capite sequenti; de præceptis charitatis loquens: *Et mandata eius grauiora non sunt.* Dicere enim quis poterat, Præceptum dilectionis; quod nobis assidue inculcas, admodum graue sentimus, nec infirmitati nostræ possibile; præsertim erga eos qui nos odio prosequuntur & iniurijs afficiunt. Respondet Ioannes, dilectionem ex Deo esse; & proinde ab eo petendum auxilium, vt dilectionis præceptum à nobis impleatur. Nam eo auxiliante; non solum possibile, sed tandem & facile erit nobis huius præcepti impletio. Hanc secundam rationem tradit & explicat Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Cur, inquit, dictum est, diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est; nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quæret Dei donum? quod quidem sine sui fructu admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis; vt addi sibi quæret, unde quod inebatur impleat.* Hæc ille.

ET OMNIS QVI DILIGIT, EX DEO NATVS EST, ET COGNOSCIT DEVM.

Complet priorē rationē, declarās dilectionē ita ex Deo esse, vt eum qui fratrem diligit, Dei filium constituat. Eadem enim sunt, ex Deo natum esse, & esse Dei filium. Et hoc quidem absolute præstat ea charitas quæ homini dum iustificatur infunditur, hæredem eum faciens vitæ æternæ. Præstat tamen etiam quædam tenus & secundum inchoationem quandam ea charitas siue habitualis siue actualis, qua quis nondum regeneratus aut nondum reconciliatus, fratrem sincere ac Christiane diligit. Vnde & qui sic diligit, tanquam adoptionis iam aliquo modo particeps, dicere potest Deo, *Pater noster qui es in calis.* Addit autem Ioannes, & *cognoscit Deum*, notitiā videlicet affectiuā: vt fructum adoptionis ostendat, qui est, Deum nosse vt amicum; hoc est, amicitiam societatem cum Deo habere.

QVI NON DILIGIT, NON NOVIT DEVM. Hic quoque supplendum, *Qui non diligit fratrem.* Nam de dilectione fraternæ sermo erat institutus. Vnde etiam si nosse Deum idem esset quod diligere Deum, non tamen esset in hac parte nugax eiusdem reperitio, propterea quod verba non ad eundem referantur. Quamquam proprie *nosse Deum* non est *diligere Deum*; cum alterum sit intellectus, alterum voluntatis: tamen si nosse Deum vt hic accipitur, etiam affectum dilectionis Dei in se includat. Facit autem etiam hæc pars ad exhortationem fraternæ dilectionis. Nam si Deum non nouit qui fratrem non diligit; vtrique studendum nobis est dilectioni fraternæ: vt Deum cognoscamus, id est, amicitiam cum eo habeamus.

QVONIAM DEVS CHARITAS EST. Potest hæc propositio referri vel ad probandum quod proxime præcessit: ac si dicat, eum qui fratrem non diligit, ideo non nouisse Deum noticia amicabile; quia non potest inter tam dissimiles amicitia consistere, id est, inter hominem qui fratrem non diligit, & Deum qui est ipsa dilectio. Vel ad caput exhortationis; vt sit vehementior commendatio fraternæ charitatis, ex sua origine: quod nimirum charitas non solum ex Deo sit, sed etiam sit ipse Deus. Nam si *Deus charitas est*; vtrique charitas est Deus.

Potest autem tribus modis intelligi *Deum esse charitatem*; essentialiter, causaliter, & obiectiue. Essentialiter quidem, quomodo Deus dicitur esse sapientia, potentia, bonitas & cætera huiusmodi, per essentialiam. Nam in Deo, qui totus est essentialis simplex ac prorsus incomposita, qualitates à substantia non distinguuntur. Causaliter, quomodo Deus est iusticia & fortitudo nostra; quia facit nos iustos ac fortes. Obiectiue, quomodo dicitur esse spes & desiderium & gaudium nostrum; quia in eum speramus, eum desideramus, & de eo gaudemus. qua ratione etiam ei dicitur, *Tu es patientia mea*, id est,

sustinentia mea. psal. 70. Vide nostra in 1. dist. 10. & 17. Verum quia non dicit Ioannes, Deus est charitas nostra; sicuti dicitur fortitudo, spes nostra & gaudium nostrum; sed absolute, *Deus est charitas*; quod & infra repetit versu 16: idcirco solus primus intelligendi modus conuenit huic apostolico pronuntiato. Quem & tradiderunt Augustinus alijque patres.

Est autem & pater charitas; & filius charitas, & Spiritus sanctus charitas; & omnes tres vna charitas. Hoc autem loco Deo Patri attribuitur: cuius charitas erga nos declarata est in eo quod filium suum misit in mundum, vt per eum viueremus, quemadmodum proxime dicitur. Quamquam solet hoc nomen accommodari Spiritui sancto, qui ex Patre Filioque procedens, quodammodo nexus est Patris & Filij: Vnde & omnia Dei charismata ad humani generis reparationem & salutem ordinata, passim in scripturis attribuitur Spiritui sancto. Sed quia charitas excellentissimum est Dei donum, in cuius commendatione versatur hoc loco Ioannes: ideo peculiariter ab eo dictum est de Patre, *Quoniam Deus charitas est.* Certè & Ecclesia in Antiphona prima tertij Nocturni, Festo SS. Trinitatis, ita recitat: *Charitas Pater est, Gratia Filius, Communicatio Spiritus sanctus.*

IN HOC APPARUIT CHARITAS DEI IN NOBIS, QVONIAM FILIVM SVVM VNIGENITVM MISIT DEVS IN MVNDVM, VT VIVAMVS PER EVM. Exemplo Dei Patris, quem dixerat esse charitatem, vtget fideles ad diligendum se mutuo. Cum autem multifariam Deus suam erga genus humanum ostenderit charitatem (etenim omnia naturæ bona quæcumque habemus, à Dei bonitate & amore gratuito nobis proueniunt; propter quos etiam vniuersam creaturam corpoream condidit); in eo tamen, inquit Ioannes, tanquam effectu singulari & eximio, charitas illius erga eos manifestata est, quod *filium suum unigenitum misit in mundum*, id est, in humana carne visibilem mundo exhibuerit; vt qui mortui eramus, hoc est, æternæ morti addicti propter peccatum, per eum, velut mediatorem qui debitum omne nostrum patiendū & moriendo in se susciperet, à morte liberati, *viueremus* vita æterna atque beata. Sententiam hanc hausit Ioannes à suo magistro, cuius ad Nicodemum ferè eadem sunt verba, dicentis: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Io. 3. Vtroque loco exprimitur nomen *unigeniti*; tum ad exaggerandam Dei charitatem erga nos; qua ratione laudatur obedientia Abrahamæ, quod filium unigenitum immolare iussus, promptè paruerit. Gen. 22. tum vt intelligatur Christus esse filius Dei naturalis, non adoptiuus, quales alij multi.

persona; quorum ipse vnus erat. Nam post signum particulare, tempori illi congruens, nunc intendit proponere fidelibus generale quoddam signum, quo vera doctrina discernatur à falsa. Nos apostoli, inquit, non ex mundo sumus, sed ex Deo; cuius sumus apostoli. Vt enim à Deo missi sumus ad prædicandum euangelium Christi; ita doctrinam ab eo acceptam tenemus & alijs tradimus.

QVI NOVIT DEVM AVDIT NOS. Hanc partem opponit ei qua dixit de antichristis, & mundus eos audit, ac si dicat: Qui de mundo sunt, audiunt doctores qui sunt de mundo. Qui verò Deum nouerunt & ex Deo sunt, nos Dei apostolos audiunt. Ioanni eodem recidunt, *Nouisse Deum, & Ex Deo esse*; ut patet ex parte sequenti. Dicuntur autem *nosse Deum, & esse ex Deo*, qui Deum diligunt & cum eo societatem habent. Sequitur membrum oppositum.

QVI NON EST EX DEO, NON AVDIT NOS. Intellige quatenus ex Deo non est. Potest enim quis absolute non esse ex Deo, quia coniunctionem amicitiae cum Deo non habeat; qui tamen à Deo moueatur ad credendum eius apostolo. Nam fides etiam informis Dei donum est.

IN HOC COGNOSCIMVS SPIRITVM VERITATIS, ET SPIRITVM ERRORIS. Loquitur nunc ex persona fidelium. Hoc, inquit, signo & argumento nos fideles cognoscimus & cognoscere debemus spiritum veritatis & spiritum erroris, id est, discernimus inter doctrinam veram & falsam; & consequenter inter doctores veros & falsos. Signum illud est quod iam dixit, nempe nos apostolos audire vel non audire.

Igitur hoc loco tradit apostolus alteram regulam, eamque generale, probandi spiritus num ex Deo sint, id est, explorandi doctrinas religionis, an sint veræ & à Deo profectæ. Cum enim prior regula specialis fuerit, nec omni tempore vsum habeat, nec ad omnes hæreses accommodari possit: idcirco generalis hæc regula adijcienda fuit; in qua quidem respicere videtur apostolus ad verba Domini Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Nam id non solum de præceptis apostolorum accipiendum est, verum etiam de doctrina ab illis tradenda. Loquitur autem Ioannes in persona apostolorum, & omnium eorum qui apostolis iam successerant, aut successuri erant; & ut semel dicam, in persona prælatorum ecclesiae iam per apostolos fundatæ; penes quos doctrinam à Christo acceptam apostoli deposuerunt. Quod enim ad ipsos attinet apostolos; iam illi vita defuncti erant, & solus fortassis supererat Ioannes: sed manebat, & vsque hodie manet, & manebit, quod apostolis à Domino dictum fuerat, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Matth. 28.

Manet, inquam, in eorum successoribus, ecclesiae prælatis. Signum ergo certissimum à Ioanne fidelibus omnibus monstratum, est istud; si quis ecclesiam audit, & eius doctrinam sequitur; hic ex Deo est: Si quis eam non audit, sed ab eius doctrina recedit; hic non est ex Deo.

Hinc porro consequens est, ecclesiam in suis prælatis (quos scriptura pastores & doctores vocat, Ephes. 4.) esse Iudicem quæstionum & controuersiarum omnium quæ circa doctrinam fidei suboriuntur. Quocirca fideles, sicubi dubitant de spiritu quopiam num ex Deo sit, propterea quod nesciant vtrum de doctrina quæ adfertur definitum aliquid ecclesia teneat; ecclesiae prælatis consulere debet, atque eorum expectare & audire iudicium: utpote ad quos, velut ad suos successores apostoli simul cum doctrina, potestatem de ea iudicandi transfuerunt. Consule orationem nostram tertiam De prohibita librorum hæreticorum lectione.

CHARISSIMI, DILIGAMVS NOS INVICEM. Post interpositam de probandis spiritibus instructionem; redit ad exhortationem dilectionis fraternæ: sine qua nihil prodest, rectum & incorruptum de doctrina fidei tenuisse iudicium.

VIA CHARITAS EX DEO EST. Hæc ætiologia duplicem continet rationem exhortationis ad charitatem seu dilectionem fraternam. Vna est, ab excellentia huius operis, quod est diligere fratres. Est enim hoc opus à Deo, non vulgariter, sed ut opus quoddam eximium, quod Deus per singularem suam gratiam in nobis operatur: ita ut omnis qui diligit, quemadmodum verbis sequentibus dicitur, sit ex Deo natus ac Dei filius. Altera ratio, à possibilitate & facilitate præcepti; secundum illud quod dicit capite sequenti; de præceptis charitatis loquens: *Et mandata eius graua non sunt.* Dicere enim quis poterat, Præceptum dilectionis; quod nobis assidue inculcas, admodum graue sentimus, nec infirmitati nostræ possibile; præsertim erga eos qui nos odio prosequuntur & iniurijs afficiunt. Respondet Ioannes; dilectionem ex Deo esse; & proinde ab eo petendum auxilium, ut dilectionis præceptum à nobis impleatur. Nam eo auxiliante; non solum possibile, sed tandem & facili erit nobis huius præcepti impletio. Hanc secundam rationem tradit & explicat Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Cur, inquit, dictum est, diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est; nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæret Dei donum? quod quidem sine sui fructu admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis; ut addi sibi quæret, unde quod inebatur impletet.* Hæc ille.

ET OMNIS QVI DILIGIT, EX DEO NATVS EST, ET COGNOSCIT DEVM.

Complet priorē rationē, declarās dilectionē ita ex Deo esse, ut eum qui fratrem diligit, Dei filiū cōstituat. Eadem enim sunt, ex Deo natum esse, & esse Dei filium. Et hoc quidem absolute præstat ea charitas quæ homini dū iustificatur infunditur, hæredem eum faciens vitæ æternæ. Præstat tamen etiam quandantenus & secundum inchoationem quandam ea charitas siue habitualis siue actualis, qua quis nondum regeneratus aut nondum reconciliatus, fratrem sincerè ac Christianè diligit. Vnde & qui sic diligit, tanquam adoptionis iam aliquo modo particeps, dicere potest Deo, *Pater noster qui es in caelis.* Addit autem Ioannes, & *cognoscit Deum*, notitiā videlicet affectiua: ut fructum adoptionis ostendat, qui est, Deum nosse ut amicum; hoc est, amicitiae societatem cum Deo habere.

QVI NON DILIGIT, NON NOVIT DEVM. Hic quoque suppleendum, *Qui non diligit fratrem.* Nam de dilectione fraternæ sermo erat institutus. Vnde etiam si nosse Deum idem esset quod diligere Deum, non tamen esset in hac parte nugax eiusdem repetitio, propterea quod verba non ad eundem referantur. Quamquam proprie *nosse Deum* non est *diligere Deum*; cum alterum sit intellectus, alterum voluntatis: tamen si nosse Deum ut hic accipitur, etiam affectum dilectionis Dei in se includat. Facit autem etiam hæc pars ad exhortationem fraternæ dilectionis. Nam si Deum non nouit qui fratrem non diligit; utique studendum nobis est dilectioni fraternæ: ut Deum cognoscamus, id est, amicitiam cum eo habeamus.

QVONIAM DEVS CHARITAS EST. Potest hæc propositio referri vel ad probandum quod proxime præcessit: ac si dicat, eum qui fratrem non diligit, ideo non nouisse Deum noticia amicabile; quia non potest inter tam dissimiles amicitia consistere, id est, inter hominem qui fratrem non diligit, & Deum qui est ipsa dilectio. Vel ad caput exhortationis; ut sit vehementior commendatio fraternæ charitatis, ex sua origine: quod nimirum charitas non solum ex Deo sit, sed etiam sit ipse Deus. Nam si *Deus charitas est*; utique charitas est Deus.

Potest autem tribus modis intelligi *Deum esse charitatem*; essentialiter, causaliter, & obiectiue. Essentialiter quidem, quomodo Deus dicitur esse sapientia, potentia, bonitas & cætera huiusmodi, per essentiam. Nam in Deo, qui totus est essentia simplex ac prorsus incomposita, qualitates à substantia non distinguuntur. Causaliter, quomodo Deus est iusticia & fortitudo nostra; quia facit nos iustos ac fortes. Obiectiue, quomodo dicitur esse spes & desiderium & gaudium nostrum; quia in eum speramus, eum desideramus, & de eo gaudemus. qua ratione etiam ei dicitur, *Tu es patientia mea*, id est,

sustinentia mea. psal. 70. Vide nostra in 1. dist. 10. & 17. Verum quia non dicit Ioannes, Deus est charitas nostra; sicuti dicitur fortitudo, spes nostra & gaudium nostrum; sed absolute, *Deus est charitas*; quod & infra repetit verū 16: idcirco solus primus intelligendi modus conuenit huic apostolico pronuntiato. Quem & tradiderunt Augustinus alijque patres.

Est autem & pater charitas; & filius charitas, & Spiritus-sanctus charitas; & omnes tres vna charitas. Hoc autem loco Deo Patri attribuitur: cuius charitas erga nos declarata est in eo quod filium suum misit in mundum, ut per eum viueremus, quemadmodum proxime dicitur. Quamquam solet hoc nomen accommodari Spiritui-sancto, qui ex Patre Filioque procedens, quodammodo nexus est Patris & Filij: Vnde & omnia Dei charismata ad humani generis reparationem & salutem ordinata, passim in scripturis attribuitur Spiritui-sancto. Sed quia charitas excellentissimum est Dei donum, in cuius commendatione versatur hoc loco Ioannes: ideo peculiariter ab eo dictum est de Patre, *Quoniam Deus charitas est.* Certè & Ecclesia in Antiphona prima tertij Nocturni, Festo SS. Trinitatis, ita recitat: *Charitas Pater est, Gratia Filius, Communicatio Spiritus-sanctus.*

IN HOC APPARUIT CHARITAS DEI IN NOBIS, QVONIAM FILIVM SVVM VNIGENITVM MISIT DEVS IN MVNDVM, VT VIVAMVS PER EVM. Exemplo Dei Patris, quem dixerat esse charitatem, urget fideles ad diligendum se mutuo. Cum autem multifariam Deus suam erga genus humanum ostenderit charitatem (etenim omnia naturæ bona quæcumque habemus, à Dei bonitate & amore gratuito nobis proueniunt; propter quos etiam vniuersam creaturam corpoream condidit); in eo tamen, inquit Ioannes, tanquam effectu singulari & eximio, charitas illius erga eos manifestata est, quod *filiū suū vniūgenitū misit in mundum*, id est, in humana carne visibilem mundo exhibuerit; ut qui mortui eramus, hoc est, æternæ morti addicti propter peccatum, per eum, velut mediator qui debitum omne nostrum pariendo & moriendo in se susciperet, à morte liberati, viueremus vita æterna atque beata. Sententiam hanc hausit Ioannes à suo magistro, cuius ad Nicodemum ferè eadem sunt verba, dicentis: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suū vniūgenitū daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Io. 3. Vtroque loco exprimitur nomen *vniūgeniti*; tum ad exaggerandam Dei charitatem erga nos; qua ratione laudatur obedientia Abrahæ, quod filium vniūgenitum immolare iussus, promptè paruerit. Gen. 22. tum ut intelligatur Christus esse filius Dei naturalis, non adoptiuus, quales alij multi.

jam enim Cerinthus & Ebion docere cœperant Iesum non natura Dei filium esse; sed aliorum more sanctorum, ob insignem profectum virtutum, appellatione filij Dei honoratum.

10 IN HOC EST CHARITAS, NON QUASI NOS DILEXERIMUS DEVM, SED QUONIAM IPSE DILEXIT NOS. Ostendit his verbis Dei charitatem erga nos omnino fuisse gratuitam, vt qui nullo nostre erga se dilectionis obsequio provocatus, vltro nos dilexerit. Pro quasi, Græcè est ὅτι, quia seu potius quod. Nam sensus est: Per hunc modum exercetur & commendatur charitas Dei erga nos, quod nos dilexerit quum essemus ab eo penitus auersi: non autem ideo dilexerit quod nos eum prius diligeremus, quomodo solent homines diligere eos à quibus se diligi animaduertunt.

Probat hic locus, vt & alij similes, quam verum sit illud à Patribus definitum, Gratiã Dei non ex meritis dari: Et, quod inde consequens est, electionem qua nos elegit Deus ad salutem, non nisi præuisione nostrorum operum, sed esse merè gratuitam. Ita Paulus Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et iterum: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Vnde & hic sequitur,

ET MISIT FILIUM SVVM PROPICIATIONEM PRO PECCATIS NOSTRIS. Propiciationem, Græcè ἱλασµὸν dixit, pro sacrificio propiciatorio. Significat Apostollus Deum misisse filium suum qui esset sacrificium, quo in ara crucis immolato, ipse ob peccata nostra nobis iratus, reconciliaretur. Augustinus hunc locum tractans lib. 15. De Trinit. c. 17. loco vocabuli propiciationem, legit litatorem: Cuius lectionis etiam Beda meminit. Est autem Christus litator, id est, sacrificator; quia sacrificauit seipsum vt Patrem redderet nobis propiciam. Græca vox ἱλασµὸς vtroque sensu potest accipi; sed melius priori. Vide quæ supra diximus ad illud capitis secundi, Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris.

11 CHARISSIMI, SI SIC DEVS DILEXIT NOS: ET NOS DEBEMUS ALTERVTRVM DILIGERE. Concludit, ab exemplo proposito & omnibus imitando: iuxta præceptum Saluatoris, *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5. Si, inquit, Deus sic dilexit nos à se auersos & inimicos vt filium suum vnigenitum pro nobis daret in mortem: vti que & nos, tanto exemplo admoniti, debemus alij alios diligere; nec amicos solum & benefactores, sed etiam alienos, & inimicos, & persecutores. Simili modo Paulus Deum & Christum nobis imitandum proponit Ephes. 5. dicens: *Estote imitatores Dei, & ambulare in dilectione; sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam, &c.*

12 DEVM NEMO VIDIT VNQVAM. Habetur hæc eadem sententia apud eundem Ioannem cap. 1. sui euangelij: licet aliorum illuc allata. Quæ quidem intelligi non potest de visione per oculos corporeos; quomodo quidam intellexerunt: Sic enim nec filius Deum vidit; de quo tamen, tanquam qui Deum viderit, subiungitur eo loco; *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Deinde, quid mirum si Deum nemo vidit oculis corporeis; quando nec angelos, nec animas, imò nec hunc aërem corporeum, corporeis oculis videre possumus. Igitur de visione quæ fit oculis mentis accipienda est sententia; nec de ea qualicumque; Nam mentis oculis Deum aspexerunt, id est, cognouerunt, & cognoscunt omnes fideles, alij magis alij minus: Sed de ea visione qua Deus videtur sicuti est; & vt Paulus loquitur, *facie ad faciem.* Sentit enim Ioannes neminem mortalium esse qui Deum viderit aut videat (Nam præteritum vidit; Hebræo more dixit pro præsentem videt absoluto à tempore) qui proinde vel arcana Dei consilia, tanquam apud Deum quem viderit cognita, possit ad nos perferre & nobis enarrare; qua de re loquitur in euangelio: Vel Deum vti decet redamare; sicut amamus ac redamamus amicum quem videmus & cum quo familiariter agimus: Ad hunc enim diligendum, ipso conspectu & familiari cum eo conuersatione excitamur. Quod respicit hoc loco: nimirum insinuans, Deum, qui in seipso à nobis videri non potest, ideoque nec dignè diligi; diligendum esse in fratribus quos videmus. Vnde, & infra sic ratiocinatur: *Qui non diligit fratrem suum quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Per neminem seu nullum, intelligi neminem mortalium, vt interpretati sumus, docetur ex eo quod simili sensu dictum est à Paulo, 1. Timoth. 6. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Vnde non bene hinc colligas, bonos angelos & sanctorum hominum animas Deum non videre. Rectè autem statuitur, nec Moysen nec Paulum in hac vita Deum vidisse. Tameris Caietanus ita scribit in hunc locum; *Ioannes dicit, Deum nemo vidit vnquam. Tu scilicet Doctorum credentium quod Moyses & Paulus viderunt Deum; viere his verbis tanquam regula patiente exceptionem.* Ita ille. Atqui Caietanè, melius est exceptionem non facere; quum ipse quem tu vis excipere, Paulus eam regulam absolutè tradat, atque confirmet, addendo, *sed nec videre potest.*

SI DILIGAMVS INVICEM, DEVS IN NOBIS MANET. Quamuis, inquit, Deum nullus hominum videat; si tamen nos inuicem diligamus; Deum, à quo mandatum habemus vt fratres diligamus (vt dicitur infra, versu vltimo); habebimus in nobis ma-

nentem

nentem per gratiam eius & amicitiam. q. d. erimus Deo cari & amici.

ET CHARITAS EIVS IN NOBIS PERFECTA EST. Græcè, *Et charitas eius perfecta (seu consummata) est in nobis.* Est enim participium, *πετελειωμένη*, & illud, in nobis, ad hoc participium referri debet. Copulam & causaliter quidam exponunt, & charitatem Dei intelligunt, qua Deus nos diligit; vt sensus sit; Si nos inuicem diligamus: Deus in nobis manet per gratiam suam; quia perfecta charitate nos diligit. Sed sciendum est, Ioannem, qui perfectæ charitatis aliquoties meminit, non illam tribuere Deo, tanquam & imperfecta charitas in eo locum inueniat: sed nobis; qui & imperfectè & perfectè Deum diligere possumus. Vocat autem charitatem perfectam, sinceram, Christianam & legi diuinæ conformem charitatem; sicut eam exposuimus supra, ad illud capitis secundi, *Qui seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est.*

Sunt qui charitatem perfectam dici putent ad differentiam charitatis inefficacis, quam vocant: qualis sit in multis peccatoribus; qui scientes Deum super omnia diligendum esse; desiderium quoddam habent ac velleitatem huius dilectionis, nec re ipsa tamen omnia Deo postpenunt, nec à peccatis suis recedunt. Verum, quamuis eadem sit charitas perfecta & efficax; ea nimirum quæ est in voluntate efficace & absoluta diligendi Deum super omnia, & nihil postponendi mandatis eius; cuiusmodi charitas est in omnibus & solis sincere Deum colentibus: non videtur tamen hoc discrimen quod isti ponunt, à Ioanne spectari, quortus charitatem vocat perfectam; sed potius eam vocare perfectam, quatenus opponitur charitati imperfectæ illi qua Deus diligitur non propter se, sed nostri commodi causa: quomodo diligebant eum carnales Iudæi. Vt charitas perfecta sit amor amicitia; charitas autem imperfecta, amor concupiscentiæ præualens amor amicitia; qualis est plurimorum erga Deum & proximos; videlicet eorum qui sic diligunt vt quæ sua sunt querant; cum de charitate vera & sincera scriptum sit, *Non querit quæ sua sunt.* 1. Cor. 13. Sensus igitur apostolice est, Ita demum existimemus nos sincera charitate Deum diligere, & Deum nobis amicum habere; si nos inuicem sincera charitate diligamus.

13 IN HOC COGNOSCIMVS QUONIAM IN EO MANEMVS, ET IPSE IN NOBIS; QUONIAM DE SPIRITV SVO DEDIT NOBIS. Quoniam, Græcè ὅτι, priori loco determinatiuè est; posteriori, causale. Clarius hoc modo veritas, *In hoc cognoscimus nos in eo manere & eum in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis.* Dicit de spiritu suo, non quod Spiritus Dei, id est, Spiritus-sanctus diuidi possit ac

distribui in partes, quarum aliã alius accipiat; sed propter ipsius dona, quæ distribuntur hominibus. *Diuisiones enim gratiarum sunt; idem autem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* 1. Cor. 12.

Quidam exponunt hunc locum de dono charitatis fraternæ, de qua superius disseruit: quasi sensus sit, Eo argumento cognoscimus nos intimè Deo coniunctos esse, quod ab eius spiritu, quem nobis dedit, moueamur ad diligendos fratres. Obstat huic intellectui quod non dicit Ioannes, *Spiritum suum dedit nobis, sed, de spiritu suo.* Quo locutionis modo significatur donorum participio, dum alijs alia dantur: charitas autem vnum donum est, quod omnibus debet esse commune. Deinde, magis etiam obstat hoc quod sequitur, *Et nos vidimus &c.* Quod ad illum sensum non quadrat. Potius ergo dicendum est, Apostolum loqui de varietate charitatum Spiritus-sancti, effusa super fideles. Cum enim dixisset Deum in nobis manere, si diligamus inuicem: nunc alio signo euidentiore docet, non de singulis sed de ecclesia fidelium, quod intimam cum Deo societatem habeat (id enim significatur illis verbis, *in eo manemus, & ipse in nobis*) quia nimirum de spiritu suo dedit nobis, id est, varia Spiritus sui charismata distribuit nobis. cuiusmodi longo ordine recensentur à Paulo 1. Cor. 12. Loquitur autem Ioannes in persona ecclesiæ illius primitiæ; quæ, in apostolis & alijs multis fidelibus, de spiritu Dei, iuxta hunc sensum, copiosè acceperat. Quod erat certissimum argumentum eos in Deo manere & Deum in ipsis. Vnde Paulus 1. Cor. 14. de infideli intrante in ecclesiam, in qua conspiciuntur huiusmodi dona, sic ait: *Cadens in faciem adorabis Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit.* Confer cap. præced. v. vlt.

14 ET NOS VIDIMVS ET TESTIFICAMVR, QUONIAM PATER MISIT FILIUM SVVM SALVATOREM MVNDI. Dicens, *Et nos*; declarat nunc specialius se loqui, scilicet in persona apostolorum; quomodo locutus est initio huius epistolæ. Nam sensus est; Et vt amplius intelligatur Deum in nobis esse & nos in Deo: nos apostoli, quorum magisterio fidem Christianam suscepistis, vidimus oculis nostris & manibus contrectauimus (hæc enim dicuntur primo capite) eum in quem credidistis; Et sicut vidimus, ita testificati sumus, & adhuc testificamur signis cooperantibus, quod Deus Pater misit filium suum, vt esset mundi Saluator, id est, vt homines toto orbe in se credentes à peccatis & morte saluos faceret. Vnde & Iesum, id est, Saluatorem, illum appellari præcepit Matth. 1. & Luc. 1. & præsignari voluit per Ioseph patriarcham, quem mutato nomine rex Pharaon vocari iussit Ægyptiaca lingua, *Saluatorem mundi.* Gen. 41.

QVIS-

15

QUISQUIS CONFESSVS FVERIT, QUONIAM IESVS EST FILIVS DEI, DEVS IN EO MANET, ET IPSE IN DEO. Hæc pars illatiuè accipienda est, & ex præcedenti supplenda, hoc modo: *Quisquis igitur confessus fuerit quod Iesus est filius Dei saluator mundi &c.* quasi dicat apostolus, Quum & testimonio Spiritus-sancti, qui multa & varia charismata effudit in ecclesiam per nos fundatam, & prædicatione nostra, id est, apostolorum, qui sumus oculati testes, certissimè constet Deum Patrem misisse Iesum filium suum, qui omnes in se credentes saluos faceret: ergo quicumque hoc ipsum integra fide cõfessus fuerit, intimam obrinet cum Deo coniunctionem: qua in re salus nostra consistit, imperfectè quidem in hac vita, perfectè autem in futura. Conferendus est hic locus cum eo qui est ad Rom. cap. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis; saluus eris. Corde enim creditur ad iusticiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Nam sicut ille locus, sic & iste confessionem requirit ex fidei corde profectam, & coniunctam cum ea voluntate qua paratus sit homo facere quæ facienda per fidem cognouerit.

16

ET NOS COGNOVIMVS ET CREDIDIMVS CHARITATI, QUAM HABET DEVS IN NOBIS. *Charitatis, Græcè charitatem.* Commendauerat apostolus charitatem fidelibus, proposito Dei Patris exemplo, qui filium suum misit pro mundi salute: nunc, instituti sui nequaquam oblitus, eodem reuertitur, ostensurus quanto studio nobis exercenda sit, mutua ac fraterna charitas, quibus tale & tantum propositum est charitatis exemplum. Videtur autem hic rursus loqui generalius, scilicet in persona populi fidelis: ut sensus sit, Itaque nos per apostolorum prædicationem, perque Spiritus-sancti testimonia, cognouimus ac fide complexi sumus charitatem illam immensam, quam Deus habet erga nos, ut pro quibus viuificandis & saluandis filium suum miserit in mundum.

DEVS CHARITAS EST. Cum, inquit, tantam ostenderit Deus charitatem erga genus humanum, quantum supra pluribus verbis exposui; meritò vobis inculco ac repero, Deum esse ipsam charitatem, nimirum propriè & essentialiter: sicuti propriè & essentialiter est potentia, sapientia, bonitas.

ET QUI MANET IN CHARITATE, IN DEO MANET; ET DEVS IN EO. Copulantes particulam & pro illatiua sumere videtur: ut hoc sit enthymema Apostoli; Deus charitas est, ergo qui manet in charitate manet in Deo, & consequenter, Deus in eo. Cum enim, ut supra declaratum est, hæc immanis sit per societatem & amicitiam, quæ necessariò est mutua: consequens est ut, si homo maneat in Deo,

Deus quoque vicissim maneat in eo.

Sciendum, quosdam theologos; ac nominatim Petrum Lombardum, ex hoc præcipuè loco conatos stabilire suam opinionem, qua docebant eam charitatem qua homo diligit Deum & proximum, non esse qualitatem creatam, sed ipsam essentiam diuinam. Quod enim dicitur, *Et qui manet in charitate*, de charitate increata volunt accipiendum esse, de qua dictum est, *Deus charitas est*; ut constet apostoli argumentatio: quæ alioqui viciosa foret propter homonymiam vocabuli *charitatis*. Quibus primò respondendum, non esse consequens, si totus hic locus accipiatur de charitate increata; propterea excludi ac negari charitatem creatam. Hanc enim aliæ scripturæ frequenter & apertè nobis tradunt atque commendant, tanquam donum quoddam & fructum Spiritus-sancti; connumerantes eam alijs donis & fructibus & virtutibus; ut fidei, spei, patientiæ, modestiæ, castitati: velut 1. Cor. 13. Gal. 5. Ephes. 6. Quemadmodum & illæ scripturæ quæ significant eam augeri posse: ut Ioan. 15. Philip. 1. 2. Theff. 1. &c. quæ minui posse. ut Matth. 24. & Apo. 2. Nam augmentum & diminutionem charitati increatæ competere impossibile est. Deinde responderetur, nihil ob stare quo minus & hoc quod dicit Ioannes, *Et qui manet in charitate*, de charitate creata accipiatur; sicut accipiendum omnino putamus. Non enim Ioannes syllogismum facere intendit, in quo necesse sit eundem terminum eadem accipi significatione: sed, cum Deus essentialiter sit charitas, ideoque fons omnis dilectionis quæ esse potest in creaturis; optimè colligit eum qui manet in dilectione fraterna, manere in Deo; quia per charitatem creatam qua fratrem diligit, Deo, qui per essentiam charitas est, similis efficitur, eidemque societate coniungitur. Quod verò ad dictam opinionem pertinet, ea sanè iam satis damnata videtur in concil. Trid. sess. 6. cap. 7. doctrinæ. Quo loco absolute definitur, in iustificatione impij per Spiritum sanctum diffundi charitatem Dei in cordibus eorum qui iustificantur, eamque ipsis inhærere. Et iterum eiusdem sess. can. 11. quo anathema dicitur ei qui dixerit hominem iustificari absque ea gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat. Vide quæ de hoc argumento plenius à nobis disputata sunt super I. sent. dist. 10. & 17.

IN HOC PERFECTA EST CHARITAS DEI NOBISCVM, VT FIDUCIAM HABEAMVS IN DIE IVDICII. *Dei non legitur in Græcis, ut nec apud Augustinum & Bedam, nec in textu glossæ & Lirani. Multi præterea Latini codices, ipsæ emendatores, tam impressi quam mss. non habent. At Syrus interpres loco Dei, posuit pronome eius. In hoc, Græcè ἐν τῷ, in hac re, quemadmodum*

supra

supra aliquoties. Potest autem bifariam hic locus intelligi. Nam si legamus aut suppleamus *charitatem Dei*, qua scilicet Deus nos diligit, erit iste sensus: Hic effectus est & fructus illius perfectissimæ charitatis, qua nos ut filios suos diligit Deus; quod Dei iudicium non admodum timeamus, sed cum bona fiducia parati simus ei iudicaturò occurrere, & ad eius tribunal nos sistere. Non enim condemnabit quos ut filios diligit, & quibus hereditatem regni præparauit. Quod si nec legamus nec suppleamus *Dei charitatem*, sed fraternam charitatem intelligamus significari; sensus erit huiusmodi: Charitas nostra mutua ac fraterna si sit perfecta, id est, germana, sincera ac Christiana (sic enim *charitatem perfectam* intelligendam esse iam supra docuimus) parit nobis hunc fructum, ut bene cõfidamus, in die iudicij nos aggregandos numero filiorum Dei. Sensus hunc præ altero probabilè facit locus ille cap. præcedentis, quo ad sinceram fratrum dilectionem hortabatur; *Sic cornu stru non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Huc etiã facit verbum Græcum *τελειωται, perfecta* (participialiter) *consummata est*, id est, perfecta euasit. Quod de dilectione Dei, cui nulla perfectio potest accrescere, dici nequit. Quidã sic exponunt; *In hoc*, id est, eo signo & argumento ostenditur esse in nobis perfecta charitas, siue erga Deum siue erga proximos; si fiducia in nobis sentiamus quod in die iudicij non simus condemnandi. Ita Beda & Hesselius. Sed obstitit huic intellectui particula *ut*, quæ finalis aut consecutiua esse solet, non autem conditionalis; sicut eam isti interpretantur.

QUIA SICVT ILLE EST, ET NOS SVMVS IN HOC MVNDO. Probatio est sententiæ præcedentis, qua dixerat charitatem fraternam gignere in nobis fiduciam in die iudicij. Nam charitas, inquit, illa nos Deo similes facit. Qui autem in se Dei similitudinem agnoscit per imitationem charitatis; meritò cõfidit, in eius iudicio se recepturum mercedem promissam. Iraque valet hic locus pro fiducia bonorũ ac per Spiritum Dei factorum operũ, apud Deum, aduersus hæreticos, qui solã fidẽ misericordiæ prædicant. Vbi tamen primò ac certissimè statuendum est, opera nostra bona nobis à Deo esse: cuius tanta est bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sũt ipsius dona. Per quod retunditur hæreticorum calũnia, qui Catholicos ex operibus bonis salutẽ expectantes, criminantur, tanquam nõ totã fiduciã collocent in gratia & misericordia Dei. Neq; enim solummodo fatentur & credunt Catholicis, quicquid boni operatur, diuini esse muneris: verũ etiam Dei misericordiam in eo sibi necessariam esse confitentur, ut quotidiana sibi delicta remittantur; ac ne deseratur à Deo: quum vel maximè perseuerantia sit gratuitum Dei donum.

Quod ad explicatione attinet huius loci; quidã ad Christũ, alij ad Deum referunt par-

ticulam, *sicut ille est*. Qui ad Christum, est per se exponunt, ut sensus sit: Quia sicut ille versatus est in hoc mundo, charitatem per omnia nobis exhibens, & animam suam pro nobis ponens: ita & nos in hoc mundo versamur, proximos diligentes & animas quoque pro eis ponere parati. Responder huic sensui, quod supra dixit cap. 2. *Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Et cap. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se; sicut & ille sanctus est.* Qui ad Deum referunt; interpretantur hoc ferè modo: quia sicut Deus est, id est, qualis Deus est, nimirum charitas per essentiam, qua nos adeò dilexit ut filium suum vnigenitum daret nobis propiciatorem: tales & nos sumus per imitationem, officia charitatis fratribus impendentes; idque in hoc mundo, vbi varietate & frequentes occurrunt necessitates exercendi charitatem erga proximos. Hunc intellectum exigere videntur ea quæ paulo antè dixit apostolus de charitate Dei erga genus humanum: ex quibus illam inferebat conclusionem; *Si sic Deus dilexit nos; & nos debemus alterutrum diligere.* Huc refert Augustinus scripturam Matth. 5. vbi Dominus commendans inimicorum dilectionem, adiecit: *ut sitis filij Patris vestri qui in calis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos.* Et tandem infert: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est.* Nec solus Augustinus sed & alij plerique tradunt hanc expositionem. Illud vix opus ut admoneam, aduerbio *sicut*, tam hinc quam apud Matthæum, non æqualitatem significari, sed similitudinem & imitationem, ut passim alibi.

TIMOR NON EST IN CHARITATE. Quæ toto hoc ver. de timore dicuntur, eò spectant ut probetur quod dictum est, eos qui charitatem exercent, habere fiduciam in die iudicij. Nam ablegato per charitatem timore, iam locus est fiducia, cui timor aduersabatur. Ut hæc sit probatio à remotione contrarij. Cum autem multiplex apud Theologos sit timor; non hinc de filiali timore sermo est, quo filius metuit ne peccando patrem offendar. Nam in hoc sæculo quantum quis amplius profecerit in charitate; tantò magis sollicitus est ne quid committat quod eum à Dei Patris amicitia separet. At neque sermo est de timore mundano; dum quis metuit amittere bonum aliquod temporale, & eo metu legem Dei transgreditur: licet ad eiusmodi timorem extendant hunc locum Ambrosius epistola 74. & Tertullianus in fine libri de fuga in persecutione. Verum non de timore hominum quo quis impellitur ad peccandum, loquitur Ioannes: sed de timore Dei, quo retrahitur à peccato; puniendus, si peccauerit. Igitur Ioanni sermo est de timore Dei, ut iudicis; siue, quod idem est, de timore iudicij

F f f f

diuini

diuini, quo pœna gehennæ peccatoribus infligitur. Hic enim timor oppositus est spei atque fiduciæ (quam dixit) in die iudicij. Comprehendit autem sub se timorem seruilem & initialem. Nam & initialis timor, quâuis sit filiorum charitatem habentium, tamen & ipse pro obiecto pœnam habet, eandem quam seruilis: ideoque charitate crescente minuitur ille timor, vti bene docet Augustinus & alij post eum: & nos ostendimus super 3. sent. dist. 34.

Vtrum verò de timore solo seruilis loquatur Apostolus, an etiam initialem comprehendit velit; pendet præcipue ex acceptione charitatis in hoc eodem versu. Quidam enim totum exponunt de charitate perfecta, qualis est eorum qui in hac vita perfecti dicuntur, vt distincti ab incipientibus & proficientibus. Subiungit enim Ioannes: *Sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Alij verò charitatem & charitatem perfectam pro eadem accipiunt; vt perfecta charitas Ioanni dicatur perfectione essentiali, (quemadmodum explicatum est in versu præcedenti, & cap. 2. ver. 5.) id est, charitas vera, sincera, Christiana: qualis est etiam incipientium & proficientium. Nam certè in perfectorum gradu sunt admodum pauci. Vnde sequeretur, doctrinam Ioannis de charitate foras mittente timorem & præstante fiduciam in die iudicij, in paucis admodum Christianis veritatem habere. Proinde videtur exponendus hic locus de timore seruilis: quem vera charitas, etiam imperfectorum, excludit; præsertim cum ne perfecti quidem timore iudicij diuini prorsus careant, sed cum psalmista dicere debeant: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicij enim tuis timui.* psal. 118. Sensus igitur huius partis est: Timor ille quo quis sibi malè conscius timet condemnari in iudicio diuino; non consistit cum charitate, siue non est in eo qui charitatem habet Dei & proximi, veram scilicet atque sinceram; de qua sequitur,

SED PERFECTA CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. Quam dicar perfectam charitatem, iam exposuimus. Ea foras eijcit timorem profectum ex conscientia peccatorum, propter quæ quis meretur in Dei iudicio condemnari: & consequenter fiduciam parit salutis in die iudicij; tanquam maiorem quanto ipsa perfectior fuerit. Eadem ratio est de eo qui vel solum vel principaliter timore gehennæ abstinet à peccatis. Nam talis cum sit extra charitatem, non potest habere bonam conscientiam. Neque enim verè à peccatis abstinet, qui nondum Deum super omnia diligit. Quare & eum timorem perfecta charitas eijcit foras.

QUONIAM TIMOR POENAM HABET. Poenâ, Græcè κόλασιν, punitionem, cruciatum, tormentum, vt legit Aug. Plerique sensum hunc reddunt: Timor suppliciorum quæ mala gignit conscientia, cruciat animum; quemadmodum è

diuerso spes & fiducia quam bona conscientia parit, animum lætificat. Quamquam & sic intelligi rectè potest: *Timor poenam habet* pro obiecto; quasi dicat: Qui sibi malè conscius timet, is poenam quam commertur, semper animo versat; ideoque fiduciam in die iudicij habere non potest. Nam vt ait Augustinus in præfatione super psalmum 31. *Mala conscientia tota in desperatione est: sicut bona conscientia tota in spe.*

QUI AUTEM TIMET, NON EST PERFECTUS IN CHARITATE. Perfectus participialiter vt supra v. 17. Est enim idem Græcum verbum, τελειωται, consummatus est. Multi sic intelligunt hanc partem: Qui adhuc timet poenam seu cruciatum, & hoc timore facit quæ Deus præcipit; nondum eò profecit in charitate, vt inter perfectos censeretur, sed adhuc hæret in classe vel inchoantium vel proficientium. At si hic esset Apostoli sensus; vel nulli vel admodum pauci essent in charitate perfecti. Quis enim est tam charitate perfectus in hac vita, vt in eo mala concupiscentia timore diuini iudicij, velut fræno, non sit cohibenda? Quocirca putamus Apostolum de eo loqui, qui timet seruiliter, id est, eo timore de quo dixit, *Timor non est in charitate*, quod de timore seruilis, non initiali, docuimus intelligendum. Vt sensus huius loci sit: Qui timet poenam à Deo iudice irrogandam, & eo timore principaliter mouetur ad faciendum bonum & abstinendum à malo; nõdum est assecutus charitatem perfectam, id est, veram atque germanam, qualè lex Christiana requirit: & proinde fiduciam veram habere non potest in die iudicij. Id enim est quod Ioannes probare intendit. Dixerat enim; *In hoc perfecta est charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij.* Vbi si charitas intelligeretur ea tantum quæ perfectorum est, vt ab incipientibus & proficientibus distinguitur; sequeretur solos perfectos habere fiduciam in die iudicij; & ab eiusmodi fiducia iam proficientes quâ incipientes excludi, donec ad ordinem perfectorum promouissent. Quod absurdum est dicere. Denique confirmat expositionem nostram illa sententia cap. superioris: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Quod sine dubio pertinet etiam ad incipientes & proficientes.

Veruntamen, vt rectè dictum est ab Augustino locum hunc exponente, *Timor de quo Ioannes agit, quâuis non sit in charitate, tamen quasi locum præparat charitati. Cui autem ceperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparauit locum.* Quod verò subiungit: *Quantum enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, ille pellitur foras. Maior charitas, minor timor; minor charitas, maior timor:* Hoc, inquam, non iam de timore seruilis dictum intelligi debet; sed de eodem timore poenæ, per ingressum charitatis mutato in timorem initialem. qui iam seruilis dici non potest; quia seruitutem charitas quæ

filiorum

filiorum est, excludit. Initialem hunc vocant Theologi, quæadmodum & Oecumenius in commentario; quia maximè necessarius est incipientibus Deo per veram charitatem seruire: iuxta illud in eum sensum à Patribus vsurpatum, *Initium sapientia timor Domini.* psal. 110. Prouerb. 1. & Ecclesiastici 1.

19 NOS ERGO DILIGAMVS DEVM, QUONIAM DEVS PRIOR DILEXIT NOS. Græca sine particula illatiua sic habent; *Nos diligamus eum; quia ipse primus* (seu prior) *dilexit nos.* Potest etiam verti, *diligimus*, vt fecit Erasmus. Nam Græcum ἀγαπᾶμεν anceps est ad vtrumque modum. Quamquam melius est quod habet vulgata versio. Redit enim Apostolus ad superiorem exhortationem; vbi commemorata tanta Dei charitate erga nos, vt etiam Filium miserit, propitiationem pro peccatis nostris, ita concluderat; *Charissimi, si sic Deus dilexit nos; & nos debemus alterutrum diligere.* Hoc igitur est quod nunc repetit, vtens exhortandi modo: nisi quod illic intulit diligendos esse fratres; hic autem infert Deum vicissim diligendum esse, eo nimirum argumento, quia benefactori rependerit beneficium; eo magis, quo maius præstiterit beneficium: quale nobis vtique summum & inestimabile præstitit Deus, vt proinde summè nobis diligendus sit. Ex hoc autem debito charitatis erga Deum, consequens est vt & fratres diligere debeamus; quia sic ille præcepit. Vnde si quis fratrem non diligit; ostendit se Deum, vt oportet, non diligere. Et hoc est quod sequitur,

20 SI QVIS DIXERIT QUONIAM DILIGO DEVM, ET FRATREM SVVM ODERIT; MENDAX EST. Quoniam, redundat, Hebræo more. Sensus est: Si quis dixerit se diligere Deum, scilicet ea dilectione qua diligendus est; & interim fratrem suum aut oderit, aut omnino nõ diligit; sed ab affectu suæ dilectionis excludat: mendax est, id est, falsum loquitur, evasè persuasum fortè habeat se diligere Deum. Nã quod dicit, factò negat: dictum est autem supra cap. 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Porro mendacem esse probat duabus subiectis rationibus: quarum prior hæc est.

QUI ENIM NON DILIGIT FRATREM SVVM QUVM VIDET; DEVM QUVM NON VIDET, QUOMODO POTEST DILIGERE? In Græcis vtrobique præteriti tēporis est verbū, ἐώρακεν vidit; quod & in vetustis quibusdam Latinis legitur; tamen res eodem redeat. Nã quod ad sensum attinet, præsens comprehendit præteritum. Sumpta est autem hæc ratio à faciliore & promptiori; id est, ab eo, quod prius diligendum occurrit, vt pote sensibus expositum. ac si dicat: Qui non exhibet officia charitatis erga fratrem quem videt, id est, hominem sibi notum, & cuius nouit necessitates, vt ijs conspectis naturaliter moueri debeat ad commiserationem, & subsidium præstandum: is, quomodo Deum, quem nõ

quam vidit sed tantum credit, diligere poterit; eo scilicet dilectionis modo qui ei debetur? Quamuis enim frater à nobis diligendus sit propter Deum: prior tamen est natura quæ gratia; & secundum naturam prius amamus vitam quam non vitam. Nam sicut omnis nostra gloria, sic & omnis amor, à sensu ducit originem. Isto ferè modo S. Thomas explicat hunc locum in 2. sec. q. 26. ar. 2. ad 1. Vbi videatur Bannes.

21 ET HOC MANDATVM HABEMVS A DEO, VT QUI DILIGIT DEVM, DILIGAT ET FRATREM SVVM. A Deo, Græcè & Syriacè ab eo. Sic & Augustinus legit, & nõ pauci codices mss. Quod quidam ad Christum referunt, cuius mandatū habemus in euangelio vt fratres diligamus. Verū quia de Christo nihil præcessit; tarius est vt, iuxta vulgatos codices, ad Deum referamus. Est autè hæc altera ratio. ad probandum enim mendacem qui cum non diligit fratrem, affirmat se diligere Deum; sumpta videlicet ex lege Dei qua fratres diligere iubemur: quam qui violat, verè dicere non potest se Deum diligere. Nam dilectio Dei consistit in obseruatione mandatorum eius. Vnde Christus in euangelio, *Si diligitis me, mandata mea seruare.* Ioan. 14. Est autem huic loco simile quod dixit Petro, *Diligis me? Pasce oues meas.* Ioan. 21. quali nobis omnibus similiter à Deo dicatur, *Si diligitis me, diligitis fratres.* Id enim præcepi vobis; & id faciendo ostendetis vos me diligere. Quod ergo dicit Ioannes; vt qui diligit Deum & car. sic intellige: vt dilectionem Dei prodat ac probet opere dilectionis fraternæ, quam illi Deus præcepit.

SVMMARIVM.

Qui sint ex Deo nati. Tres esse qui Christo testimonium perhibeant in celo: tres item qui in terra. Vitam æternam esse in Filio Dei. Pro peccato fratris ad mortem, non cuiuslibet fidenter orandum. Quid nobis consulerit aduentus Filij Dei.

CAPVT V.

OMNIS QUI CREDIT QUONIAM IESVS EST CHRISTVS, EX DEO NATVS EST. Exhortationem superiorem de diligendis fratribus deinceps continuat, sub nomine filiorum Dei, argumento exhortationis sumpto ex eo nomine: per quod insinuat eosdè esse nostros fratres, & Dei filios. quod & Caietanus obseruauit. Quamquam non per hoc excluditur dilectio eorum qui nondum sunt fratres nostri, aut filij Dei, cuiusmodi sunt infideles aut peccatores. Licet enim non sint diligendi, quia fratres sunt aut filij Dei: ad hoc tamen diligendi sunt, vt Deo renascantur, & fratres nostri fiant. Non enim solum actū, sed

& predestinatione, filij Dei nominantur: quo sensu Ioan. II. dicitur *Iesum moriturus, ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*. Vide supra, ad c. 2. v. 9. de acceptione fratris. Primum igitur describit Ioannes filium Dei, non quidem naturalem, sed adoptiuum. *Omnis*, inquit, *qui credit Iesum esse Christum illum* in lege promissum & a Patribus expectatum (Nam in Græco cum articulo legitur, *ὁ Χριστός*) ex Deo natus est, utique per regenerationem ex spiritu; & proinde Dei filius est. Sed credere intellige fide viua, obediēte, efficace, qua quis ita credit Iesum esse Christum, ut totam eius doctrinam recipiat, legem eius amplectatur ac seruet. Nam si quis hoc tantum credat Iesum esse Christum, cæteris articulis fidei reiectis; aut si credat quidē quicquid credendum est, sed fidem operibus non ostendat: nondum ille ex Deo natus est. Similis est locus Ioan. I. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* &c.

ET OMNIS QUI DILIGIT EVM QUI GENVIT, DILIGIT ET EVM QUI NATVS EST EX EO. Hoc quidam interpretantur de Filio Dei naturali; ut sensus sit: *Quisquis diligit Deum Patrem, is etiam diligit Dei filium*. At consequentia textus magis postulat generalem intellectum; videlicet huiusmodi: Ita natura comparatum est, ut qui patrem diligit, eius causa filium quoque diligat. Ut sit argumentum sumptum a propensione naturali quæ cernitur in hominibus. Rectè tamen vtuntur hac sententia Theologi, ut probent in diuinis nec diligi nec videri posse Patrem sine Filio; adeoque nec Filium sine Patre. Hinc ait Dominus, *Qui me odit, & Patrem meum odit*. Ioan. 15. & ad Philippum, *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Io. 14. Quod enim ordinarium est in humanis, id perpetuum est in diuinis.

IN HOC COGNOSCIMVS QVONIAM DILIGIMVS NATOS DEI, CVM DEVM DILIGAMVS ET MANDATA EIVS FACIAMVS. Argumentatur Apostolus ad hunc modum; Qui diligit eum qui genuit, diligit & natos ex eo: Nos ergo, si Deum diligimus, eo signo cognoscimus nos diligere natos Dei, qui iidem sunt fratres nostri. Vbi notandum est, Apostolum conuerrere quodammodo rationationem quam paulò antè fecit; qua ex negata dilectione fratris inferebat negationem dilectionis qua Deus diligitur. Vtrumque rectissime: tum quia proceditur ab opposito consequentis; hoc modo: Si quis non diligit fratrem, non diligit Deum; ergo si quis diligit Deum, diligit & fratrem: & contrarium quia vtraque dilectio quadam ratione prior & notior est altera: Fratris quidem dilectio, secundum ordinem naturæ; Dei autem dilectio, secundum ordinem gratiæ; sicut supra dictum est. Sed & contingit nunc hæc, nunc illam dilectionem esse notiores nobis: prout animus actu vel circa ea quæ sunt

diuini honoris, vel circa ea quæ sunt humanæ necessitatis, exercenda, magis occupatur. Addit autem, *Et mandata eius faciamus*, Græcè *ἐπιτηδεύωμεν*, *seruemus*; ne quis semetipsum fallat, existimans se Deum diligere, nec tamen faciens ea quæ præcipit. Nam *qui dicit se nosse* (id est, diligere) *Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*. Suprà cap. 2. Tale igitur est quod hic ait Apostolus; Rursum, & ediuerso per hoc iudicium cognosces te diligere Deum, si serues eius mandata. Quod ipsum verbis subiunctis declarat.

HÆC EST ENIM CHARITAS DEI, VT MANDATA EIVS CVSTODIAMVS: Græcè *seruemus*. *Charitatem Dei* intelligit obiectiuè, nempe eam qua Deus à nobis diligitur. Sic alibi legimus *fidem Dei*, qua in Deum creditur, vt Marci 11. *Habete fidem Dei*. sic *orationem Dei*, qua Deus oratur, vt Lucæ 6. *Et erat pernoctans in oratione Dei*. Sensus: Idcirco adieci de mandatis eius seruandis; quia *diligere Deum* per consequentiam rationem est *mandata eius seruare*. *Charitas* siquidem *erga Deum*, ait Caietanus, *ratio est seruandi mandata eius*. Vnde, quamuis præceptum diligendi Deum, ab alijs eius præceptis diuersum sit; quicumque tamen hoc dilectionis seruat præceptum, ex ea dilectione etiam cætera Dei præcepta seruat, vt quorum obseruatio ex dilectione Dei necessariò dependeat ac sequatur, tanquam effectus ex propria causa. Quod etiam significant illa Christi verba, Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea; ille est qui diligit me*. Et iterum: *Si quis diligit me; sermonem meum seruabit*. Et capite 15. *Vos amici mei estis, si feceritis qua ego præcipio vobis*. Simile est huic loco quod supra capite secundo dixit Ioannes: *Qui seruat verbum eius; verè in hoc charitas Dei perfecta est*. Qui locus cum isto conferatur.

ET MANDATA EIVS GRAVIA NON SVNT. Ne quis audiens neminem diligere Deum nisi qui seruat eius mandata; animo deijciatur, tanquam dilectione Dei ad conditionem valdè difficilem reuocata, ad obseruationem ipsam nimirum mandatorum Dei: hac addita particula erigit atque excitat animum ad hanc conditionem præstandam; affirmans mandata quæ Deus à nobis seruari vult, graua non esse. Quo in sermone Litote est, qua minus dicitur & plus intelligitur. Sensus enim est, mandata Dei esse seruatu leuia atque facilia: iuxta sententiam Saluatoris, Marth. 11. *Iugum meum suauis est, & onus meum leue*.

Sed dicit aliquis; Quomodo mandata Dei facilia sunt, & non graua: cum Deus iubeat omnia dura perferre pro ipsius amore; velut inopiam, famem, persecutiones, opprobria, membrorum cruciatus ac tormenta; mortem denique ipsam, quæ est omnium maximè terribilis? Quod nec Ioannes tacuit in hac

epistola

epistola, Suprà c. 3. *Et nos, inquit, debemus pro fratribus animas ponere*. Deinde, *Quid difficilius quam omnibus quæ in hoc sæculo diliguntur, renunciare; etiam sibi ipsi ac propriæ voluntati; suamque animam odisse?* Hæc tamen omnibus nobis in præcepto sunt; Domino protestante Lucæ 9. *Si quis vult post me venire; abneget semetipsum & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*. Et cap. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus*. proinde nec amicus. Et infra; *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Quapropter & viam salutis angustam portam vocat, & arctam viam. Marth. 7. & Luc. 13. addens, *paucos esse qui eam viam inueniant*, & eam portam intrare possint; licet multi sint qui querant intrare. Quæ omnia permagnam significant difficultatem obseruationis mandatorum Dei. Quod & illud pertinet apostoli Pauli Rom. 7. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*. Vnde exclamat, *Inferus ego homo; Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Respondeo nihil istorum aduersari sententiæ Ioannis Apostoli, imò Christi Saluatoris, affirmantium facilia esse Dei mandata. Si quidem aliter atque aliter affectis & facilia sunt & graua. Nam si mandata Dei quæ principalia sunt, & à quibus cætera dependent, considerentur in seipsis: quum sint mandata charitatis qua Deus diligitur propter seipsum, & proximus propter Deum; hac utique ratione, seruatu facilissima sunt. Nihil enim per se facilius est quam diligere id quod est summè diligibile; id est, summum bonum, Deum ipsum; & ex ea dilectione diligere etiã cætera quæ ille præcipit diligi, & facere quæcunque præcipit vt faciamus. Eadem ratio est, si comparatio fiat mandatorum Dei ad nos quales conditi sumus in primo parente, id est, integri & recti, & secundum omnes animæ corporisque vires Deo perfectè subiecti; denique similes angelis; qui sic conditi fuerunt vt perfecta dilectione Deo adhererent. His enim facilia ab initio fuisse Dei mandata, nemo sanæ mentis dubitet. Quod si verò comparentur ad naturam hominis peccato viciatam; sic affectæ procul dubio graua sunt ac difficilia. Semper enim in hac naturæ corruptione, *caro concupiscit aduersus spiritum; vt non quacunque volumus illa faciamus*. Gal. 5. Veruntamen adhuc subdistingendum est. Aliter enim loquendum de homine nondum renato per Christi gratiam, aliter de renato. Nam si respectus fiat ad eum qui nondum in Christo renatus sit, sed adhuc à gratia Dei alienus; huic mandata Dei fatemur graua esse; & quodam sensu, impossibilia. quod non obscure significat Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. agens de possibilitate obseruationis mandatorum Dei. Si verò respectus sit ad ho-

minem iam in Christo renatum, & per eius gratiam renouatum ac iustificatum: patitur quidem ille adhuc difficultatem in via mandatorum Dei, propter rebellionem carnis aduersus spiritum, vt hac ratione cum Paulo dicere debeat; *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato*. Sed quia voluntatem habet absolute conformem voluntati diuinæ, vt cum eodem Apostolo ibidem dicere possit; *Consentio legi Dei, quoniam bona est*; Et iterum, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*. Rom. 7. consequens est, illi tali leuia, facilia & delectabilia esse Dei mandata; quamuis interdum opus quod præcipitur habeat difficultatē ex suo genere. Quale est opus martyrij, quod est *pro fratribus animam ponere*. Versatur enim circa terrorem mortis, qui non superatur sine labore & molestia. Id quod etiã in ipso Christo locū habuit: cui tamen aliquod mandatum Patris graue aut difficile fuisse, nefas est dicere.

Sunt autem omnibus iustis & charitate Dei præditis, facilia Dei mandata, non tamen æqualiter, sed eo magis aut minus, quo plus minusve profecerint in charitate & iusticia. Sensus iam explicato facilia esse Dei mandata, nempe iustis hominibus, idque ratione charitatis qua Deum diligunt; docet Synodus Tridentina loco memorato. Cum enim dixisset, *Cuius mandata graua non sunt; cuius iugum suauis est & onus leue*: pro ratione subiunxit: *Qui enim sunt filij Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius*. utique ex dilectione, quæ præstat facilitatem. Et quidem optimè conuenit hic commentarius loco præsentis, vbi de filijs Dei sermo est: de quibus & continuo subiungitur vice probationis; *Omne quod natum est ex Deo, vincere mundum*. De hoc eodem argumento legatur Augustinus lib. de natura & gratia cap. 43. 68. & 69. & lib. de perfectione iusticiæ circa medium. Item Leo Papa sermone 5 de Quadragesima. Porro si mandata Dei homini iustificato graua non sunt: multo minus ei sunt impossibilia; quod hodie docet sectarij. quorum hanc sententiam anathemate condemnant Patres Trid. tam in decreto supradicto, quam can. 18. eiusdem sess.

QVONIAM OMNE QVOD NATVM EST EX DEO, VINCIIT MVNDVM. Ostendit natis ex Deo mandata Dei non esse graua: sanè ob hoc ipsum quia nati sunt ex Deo, quia filij Dei, quia Deum vt patrem diligunt. Est autem probatio facilitatis duplex: altera, ex vniuersali signo *omne*; altera, ex generalitate significata per *mundum*. Non enim graue est quod omnes præstant: Itaque non est graue vili filiorum Dei, quod præstant omnes eius filij. Deinde, ei qui tam potens ac validus est, vt totum mundum vincat amore Dei (id enim intelligitur); mandata Dei graua esse non possunt. Quid enim graue ei qui toto mundo superior est atque potentior?

Vincere mundum dicitur qui vincit omne quod in mundo est; nempe concupiscentiam carnis & concupiscentiam oculorum & superbiam vita. Suprà cap. 2. Hoc est, qui superat omnes istorum viciorum tentationes, ita vt per eas à Dei charitate non separetur. *Quis enim, inquit Paulus, nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? an angustia? an fames? &c. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Rom. 8. Dicit autem Ioannes neutro genere, *Omne quod natum est ex Deo*; quomodo Christus in euangelio, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Ioan. 6. nimirum, ad comprehendendum ex pressius omne genus hominum: vt virorum, mulierum; senū, puerorum; Iudæorum, gentilium, seruatorum; etiam eorum qui vel abiectionissimi vel infirmissimi sunt, vt ne quidem hominum vocabulo videantur digni. ac si dicat, *Qualiscunque demum sit; si natus est ex Deo, vincit mundum, eoque superior est.* Intellige quamdiu gratiam regenerationis seruat, & semen Dei in ipso manet. Quo sensu docuimus accipiendas esse sententias illas huic similes, suprà cap. 3. *Omnis qui in eo manet, non peccat. &c. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: Quibus simile, quod sub finem huius capituli dicitur, Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum.*

ET HÆC EST VICTORIA QUÆ VINCIT MUNDUM, FIDES NOSTRA. *Qua vincit, Græcè aoristum, vixhōron, que vicit; vt significetur victoria iam parata.* Quod antea tribuit Apostolus natiuitati ex Deo, id est, gratiæ regeneranti; nunc ascribit fidei, fidem intelligens non qualemcunque, sed viam & operosam per dilectionem. Est autem sermo causalis, hunc habens sensum: Et hæc victoria qua mundus vincitur (aut victus & superatus est) à nobis filijs Dei; per fidem nostram, qua in Christum credimus, obtinetur. Fides enim excitata & exercitata nobis proponit auxilium & gratiam Dei per Christum; monstrat etiam promissa futuri sæculi bona, bene certantibus proposita: quibus animantur ad fortiter pugnandum filij Dei. Hæc igitur fides, in filijs Dei vincit mundum; quia mundi victores facit. Hac fide quondam armati martyres, omnia mundi tormenta superauerunt. Per hanc fidem quanta & operati sunt & passi Patres antiqui qui Deo placuerunt, latè disserit Apostolus Paulus, Heb. 11. Quapropter & fideles admonet vt in omnibus sumant scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi, id est, diaboli, ignea extinguere. Ephes. 6. De quo & Petrus 1. ep. 5. *Cui resistite fortes in fide.*

5 QVIS EST QUI VINCIT MUNDUM, NISI QUI CREDIT QUONIAM IESVS EST FILIVS DEI? Declarat quæ sit illa fides qua mundus vincitur; ea nimirum qua quis credit Iesum esse filium Dei. non quasi solus

ille articulus fide receptus sufficere possit ad vincendum mundum: sed hoc sermone mediatorum ostendit (vt declarat versus sequens) per quem solum victoria de mundo reportanda sit. ac si dicat; Ille vincit mundum, & non alius (eam enim vim habet, *Quis, nisi?*) qui credens Iesum esse filium Dei, per eum vt mediatorum ac saluatorem, accedit ad Patrem, impetraturus gratiam & fortitudinem, qua superet omnem mundi tentationem. Hanc autem fidem constat non ociosam esse; sed obedientem, inuocantem, operosam. Ceterum, emphatica est interrogatio, *Quis est qui vincit mundum, nisi &c.* qualis & illa, *Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesum est Christus?* Suprà, cap. 2.

6 HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGVINEM, IESVS CHRISTVS: NON IN AQUA SOLVM, SED IN AQUA ET SANGVINE. *Qui venit, Græcè δ ελθων, participiū præteriti significatiuum. Nec diuersa sunt, per aquam & sanguinem; &c. in aqua & sanguine.* Nam & alibi passim, indifferenter his duabus præpositionibus vtitur Scriptura.

Admodum variè exponitur totus hic locus ab interpretibus; quam varietatem diligenter recensuit Lorinus: Nos eum sensum qui ex aliarum scripturarum collatione maximè germanus esse videtur, adferemus. Igitur notandum in primis est, omnes euangelistas studiosè referre de Ioanne Baptista Domini præcurfore, quod in aqua baptizauerit, & ad hoc venerit à Deo missus; ipso Ioanne de se testificante, *Quoniam, inquit, ego baptizo vos in aqua.* Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. Quod & de eo repetit Dominus, Act. 1. & Petrus Act. 11. & Paulus Act. 19. *Quin & Ioan. 1. sic de se Baptista loquitur, Vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.* Vbi certè monstrat se eum esse qui venit in aqua solùm; ad differentiam eius qui venturus esset, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine; sicut hîc dicitur. Et quamuis expressè non dixerit post se venturum qui baptizaret in sanguine; sed, qui in Spiritu sancto; vt testantur iidem omnes euangelistæ: de sanguine tamen non tacuit. Nam in sanguine venturum, satis apertè significauit, quando de eo dixit, *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* *Agnus Dei tollit,* vtique per sanguinem, quem ad tollendum mundi peccatum erat effusus in cruce. De quo sanguine hic idem Apostolus suprà cap. 1, *Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Pertinet autem huc euidentius historia aquæ & sanguinis manantis è latere Christi in cruce mortui, narrante eodem Ioanne Apostolo cap. 19. sui euangelij. Quâ rem adeò voluit inculcatam lectori, propter mysteriū in ea latens, vt adiecerit asseuerationem huiusmodi: *Et qui vidit testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius.* scilicet ad confirmandum quod ille de cuius latere hæc effluerunt, sit idem ipse qui venit per aquam

& san-

& sanguinè. Ostendit igitur Apostolus hoc loco, Iesum esse verum mundi saluatorem: vt pote qui venerit non in aqua solùm, id est, non solùm exterius homines ablaturus aqua, & eo ritu penitentiam prædicaturus; quomodo Ioannes Baptista sua ipsius professione, venit in aqua solùm: sed qui venerit etiam in sanguine & spiritu; quod vtrūque de eo idem Ioannes prædixerat: vt iam docuimus. Si quidem aqua sola ad Deum placandum inutilis erat. *Venit autem Iesus in aqua,* quia instituit baptismum aque; quem significauit aqua quæ fluxit ex eius latere. *Venit & in sanguine;* quia per suum sanguinem viuificat animas, tum in baptismo aquæ, tum in alijs sacramentis, tum etiam extra sacramenta. Nam sanguis, vitæ significationem habet in scripturis. Vnde illud, *Anima carnis in sanguine est.* Leuit. 16. & 17. Hæc autem animatum per Christi sanguinem viuificatio, significata est per sanguinem ex eius latere manantem. Sanctus quidem Bernardus serm. in octaua Paschæ, putat istud, non in aqua solùm, esse dictum ad discrimen Moyse veteris legis latoris; quem venisse dicit in aqua solùm, quia de aquis assumptus est, vnde & nomen accepit, Exod. 2. Sed cum Moyse etiam sacrificia cruenta, vel maximè, instituerit; non apparet cur propter illam de aquis assumptionem venisse dicatur in aqua solùm, & non etiam in sanguine: præferim cum legatur eodem capite quod interfecerit Ægyptium, priusquam assumeretur in ducem populi. Id quod erat venire in sanguine; si illud, erat venire in aqua. Porro Christus Iesus quomodo & in Spiritu venerit; quod futurum de eo prædixerat Ioannes, iam sequitur.

7 ET SPIRITVS EST QUI TESTIFICATUR QUONIAM CHRISTVS EST VERITAS. Duobus testibus, qui sunt aqua & sanguis, nunc tertium adiungit, Spiritum, quem hîc non alium intelligimus quam Spiritum sanctum; maximè secundum Græcam & Syriacam lectionem, quæ habet: *quoniam Spiritus est veritas.* Quam lectionem habet etiam Leo Papa epist. 10. c. 5. in fine & S. Aug. de dono perseuer. c. 23. Nostræ lectionis hic sensus est: Sed & Spiritus sanctus testificatur Christum esse veritatem; sicut ipse se nominat in euangelio, *Ego sum via, veritas & vita.* Ioan. 14. *Veritatem autem, id est, per omnia veracem in omni verbo & doctrina quam tradidit.* Hoc testificatus est Spiritus sanctus; Primum, in die Pentecostes, quando super Apostolos in specie linguarum ignearum descendit, eosque ira repleuit, vt loquerentur varijs linguis magnalia Dei. Act. 2. Deinde, per multa ac varia charismata quæ deinceps in Christi fidelibus operatus est; qualia Paulus enumerat 1. Cor. 12. Et quidem id facturum Spiritum sanctum Christum ipse de eo prædixerat. *Ille, inquit, testimonium perhibebit de me.* Ioan. 15. Et iterum, *Ille me clarificabit,* Ioan. 16. Vnde & Petrus, *Nos, inquit, testes sumus horum verborum,*

& Spiritus sanctus; quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. Act. 5.

Secundum Græcam lectionem sensus est; Insuper Spiritus sanctus est qui testificatur Iesum esse Christum Dei filium & mundi saluatorem (per ea nimirum testimonia quæ iam dicta sunt): cuius testimonium haudquaquam reijci potest; quoniam Spiritus est veritas, quum sit Deus, ideoque nec falli possit nec fallere. Iuxta hanc lectionem & hunc sensum, particula *quoniam*, causalis est: iuxta priorem verò, determinatiua; vt Latine dicas, *Spiritum testificari quod Christus est veritas.* Vtraque tamen lectio probabilitatem habet: nec facile dixerim, vtra sit alteri præferenda.

BARTHOLOMÆVS PETRVS
LECTORI.

Hucusque GUILIELMVS ESTIVS optimus & doctissimus vir Commentarium suum perduxit. Quæ sequuntur in reliquam huius capituli partem, & in secundam ac tertiam B. Ioannis epistolas; ea nos multis ita desiderantibus, ne imperfectus relinqueretur in Catholicis epistolas Commentarius, adiecimus: omnia sancta Romanae ecclesie iudicio submittent; & quicquid hic boni est, Deo auctori tribuentur.

7 QUONIAM TRES SVNT QUI TESTIMONIUM &c. Dixerat Apostolus v. præcedente, Spiritum testificari de Iesu quod ipse sit Christus; ille humani generis Saluator, quondam à Deo Patre promissus, verus vniciq; Dei filius, idem verus homo. Hoc suum dictum nunc siue confirmat siue amplificat: q. d. Quod Iesum sit Mariæ virginis verus filius, vt est vnigenitus filius Dei, quodque sit Saluator mundi; contra quam nunc hominibus persuadere nituntur Basilides cum suo grege, & alij heretici: eius rei sunt testes irrefragabiles in celo, tres; in terra, iidem tres. In celo quidem, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; tres diuinitatis personæ, sed vnus omnino natura. Vnde consequens est supremam his testibus esse auctoritatem, tam singulis, quam tribus simul iunctis. Pater testimoniū perhibuit Domino Iesu quod ipse sit Saluator mundi; varijs temporibus & modis. Primum, quando per angelum suum iussit sancto Ioseph vt commaneret coniugi suæ, sine humano opere iam grauidæ; filiumque ex ea nasciturum nominaret Iesum, eo quod populum suum à peccatis ipsius esset saluaturus, Matth. 1. Deinde, quum ipso à Ioanne baptizato, vox Patris intonuit (sicut & in ipsius transfiguratione) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ipsum audite.* Matth. 3. & 17. Quale quiddam accidit & Ierosolymis Ioan. 12. quum Iesu dicente, *Pater clarifica nomen tuum:* venit vox de celo, *Et clarificauit, & iterum clarificabo.* De qua voce ipse Dominus dixit astanti turbæ, *Non propter me*

hæc vox venit, sed propter vos, ut intelligamus testimonium de Christo fuisse. Præterea, Deus Pater testificatus est Iesum esse suum Christum, quando per eum tot tantaque edidit miracula; ac tali modo, quali Iesus utebatur, nempe significans se suū ipsius (quam tamen ex Patre unā cum diuina natura habebat) potestate illa facere. Ipse Dominus in euangelio varijs locis declarauit, sua miracula huc valuisse, ut forent Dei Patris de ipso quod esset Messias, testimonia. Ioan. 5. v. 19. & 36. cum seqq. Cap. 8. v. 18. & 54. Cap. 10. v. 25. 37. 38. Cap. 14. v. 11. & seqq. Cap. 15. v. 23. & alibi.

Verbum. Secundam Trinitatis personam designat Apostolus eodem nomine quo in principio euangelij sui; de qua ibi dixit, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* De filio igitur Dei vnigenito nunc ait quod & ipse de seipso incarnato sit testificatus sese esse illum promissum à Deo Patre Messiam. Hoc testatur est & verbis, & miraculis in huius veritatis confirmationem ab ipso factis. Ioan. 5. v. 17. & sequentibus. v. 36. & seqq. Cap. 8. v. 12. & seqq. v. 25. & seqq. Cap. 10. v. 24. & seqq. v. 37. & seqq. Cap. 12. v. 44. & seqq. Cap. 13. v. 17. Cap. 14. v. 29. Denique, ommissis pluribus, hoc testimonium reddidit Dominus iam captiuus, adiuratus à Principe sacerdotum ut diceret num ipse esset filius Dei ac ille promissus Messias. Quo respondente idem quod sæpe dixerat, sese esse; ac venturam iudicem in nubibus cæli: condemnatus est mortis à toto illo confesso, rāquam blasphemus; ut narrat euangelistæ in historia passionis Domini. Et hanc causam repetuerunt Iudæi coram Pilato, Ioan. 19. *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* Atque hæc est causa cur Dominus in originali Scriptura vocetur *marryr*, & *martyrium* ei tribuatur: quæ Latinè sonant *Testis* & *Testimonium*. Apoc. 1. v. 5. & 1. Tim. 6. v. 13. Nam sanguinis sui effusione & huiusque mortis perpeffione testatus est hanc veritatem quod ipse esset verus ille expectatus Messias. Et hac notione propriè dicuntur Martyres Christi. Martyres Dei sunt illi quoque qui ob iustitiæ defensionem moriuntur.

Et Spiritus sanctus. Spiritus sanctus testificatus est de Iesu quod sit vnigenitus Dei filius, & in natura humana assumpta verus ille Saluator mundi; hoc (dico) testificatus est ijs modis qui proximè sunt expositi ad verba præcedentia, illa, *Et Spiritus est qui testificatur* &c. Tum etiam singulariter illo modo quod super Iesum baptizatum descendit in specie columbæ. Nam id factum fuisse ad testandū & publicè declarandum quod ipse sit Saluator mundi; Ioanni Baptista fuerat diuinitus reuelatum: ipso narrante Ioan. 1. *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem super eum; hic est qui baptizat in Spiritu*

sancto. Et ego vidi: & testimonium perhibui quod hic est filius Dei.

ET HI TRES VNVM SVNT. De vnitæ nature, & quidem numerali (quoniam non est nisi vnus Deus) est sermo. Nimirum hoc est illud quod Christus Dominus Ioannis 10 dixit, *Ego & Pater vnū sumus.* Quod non de consensione duntaxat voluntatis, posse accipi, liquet ex ipsa serie sermonis eo loco. Vult enim Christus hinc docere quod nemo possit oues eius rapere de manu ipsius; sicut non potest eas quisquam rapere de manu Patris. Vnam videlicet esse Patris & suam potentiam, ideoque naturam. Spiritum quoque sanctum esse vnū cum Patre & Filio, vnitæ iam dicta; Dominus nobis declarauit, inter cætera, quando iussit apostolis suis gentes conuersas baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: copulans cum Patre & Filio Spiritum sanctum, tanquam non existentem ex numero creaturarum, sed eiusdem cum ipsis naturæ & potentia, per quam sacramento baptismi regeneret homines, & adoptiuos Dei filios efficiat; quod est solius Dei.

Obijciunt noui Ariani nouique Eunomiani ac Macedoniani locum ex Ioan. 17. vbi Dominus alloquens Patrem, ait; *Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint vnū, sicut & nos.* Et infra, *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint vnū, sicut nos vnū sumus.* Atqui pro Apostolis non rogabat Christus ut essent vnū vnitæ nature, sed ut voluntatis vnitæ: ergo neque in proposito est necessarium intelligere vnitatem naturæ. Respondendum est, non valere consequentiam; propter materiæ diuersitatem, et si loquutionis forma sit eadem. Et hoc indicant verba Domini, non illa solum quæ protulimus ex cap. 10. Ioan. sed illa quoque quæ sunt eodem c. 17. *Sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis vnū sint: ut credat mundus quia tu me misisti.* Nam profectò, tum his verbis tum alijs eiusdem cap. sententijs, satis declarat Dominus, longè archiore vnitæ Patrem & Filium in Deitate esse vnū, quàm fideles sint inter se, etiam per gratiā charitatis. Quod ipsum tam multis alijs Scripturæ locis manifestè docetur, quæ contra Arianos & Pneumatomachos protulerunt veteres Ecclesiæ doctores & propugnatores.

Quod verò dicitur, Hos tres testimonium dare in celo, videtur significare (ut supra insinuauimus) eos testari autoritate diuina, ideoque omnium suprema. Sicut quod dicitur versu seq. in terra; significat, testes ibi commemoratos testificari autoritate quæ sit infra diuinam. Atque hæc expositio confirmari potest ex illis verbis Domini, Matth. 21. vbi quæstionem proponebat primoribus Iudæorum, *Baptismus Ioannis è celo erat, an ex hominibus?* Id est, diuina autoritate fuit institutus? Fuisse è celo, ipse Ioannes Baptista illis

verbis

verbis dicit, *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris &c.* Ioan. 1. Nam profectò, nihil sic intelligat Apostolus hos tres testificari in celo: multo plures tribus sunt in celo testes diuinitatis & humanitatis Domini Iesu, tot scilicet myriades beatorum angelorum; quorum nonnulli pro omnibus suis collegis hæc de Christo sunt testati nobis mortalibus, Iudæis & gentibus.

8

ET TRES SVNT QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA. *Testimonium dant*, eiusdem illius rei, Iesum esse vnū cum illum Messiam Domini, non minus verum hominem, quicquid fingat schola Basilidis, quàm verum Deum; & contra. Huius rei tres sunt testes in terra, id est, infra diuinitatem, utpote ex numero creaturarum: qui sunt, *Spiritus, aqua & sanguis.* De aqua & sanguine satis dictum videtur ad v. 6. huius cap. Superest inquirere quid per *Spiritum* hoc loco intelligatur. S. Aug. contra Maximinum lib. 3. cap. 22. accipit humanum Christi Domini spiritum, hoc est, ipsam eius animam. Et hunc intellectum plerique expositores videntur sequenti, tamen venerabilis Beda Spiritum sanctum hic intelligat. Sed videtur sanè B. Augustinus congruè intelligere eundem illum spiritum in his Apostoli verbis, de quo idem in euangelica Christi patientis historia, dixit, *Et inclinatio capite tradidit spiritum.* Ioan. 19. clamans nimirum Christus voce magna illud ex psalmo 30. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* ut est Lucæ 23.

Sed huic expositioni videtur obijci posse quod v. 6. vbi aquæ & sanguini tertio loco additur *spiritus*, illis verbis, *Et spiritus est qui testificatur* &c. intelligitur Spiritus sanctus: ergo & hoc loco versus octauus. Respondendum est, nec antecedens esse certum, nec consequentiam valere. Antecedens non est certum: quia non videtur sine ratione esse quod Apostolus versu 6. & 8. nudè nominat *spiritum*, non adijciens epitheton *sancti*; & adijcit versu 7. quum tres illos nominat testes cælestes. Et haud dubiè S. Aug. qui v. 8. per *spiritum* intelligit animam Christi, ut dictum est: eodem nomine eandem intelligit v. 6. quum præsertim media verba, id est totum versum 7. ipse in suis codicibus non habuerit; qua de re paulò post. Si roges, quis bonus sensus futurus sit versus 6. si illic per *spiritum* intelligatur humana Christi anima; præsertim autem in Græca illius lectione, quæ habet, *Et spiritus est qui testificatur: quoniam spiritus est veritas.* Respondetur, futurum hunc quem insinuat Ven. Beda, Spiritum quæ Christus moriens tradidit in manus Patris, ipsa sui emissionem testificatus est de ipso quod sit verus homo; quippe cum solus homo spiritum seu animam rationalem habeat corpori conferam. Idem sui depositione testatus est de Christo quod sit verus Deus; quoniam potestate sua animam posuit, eadem

potestate resumpturus: sicut ipse prædixerat Ioan. 10. De quo est repetendum memoria quod habet S. Thom. 3. p. q. 47. art. 1. His igitur rationibus separatio spiritus Christi ab ipsius corpore, testata est seu probauit quod *Christus est Veritas*, id est, verus homo, non phantasma, ut mentitur Basilides: item quod in assumpta humanitate sit verus Saluator mundi, ideoque per omnia verax, in omni doctrina, in omni sermone, in omni opere. Iuxta autem Græcam lectionem, sensus fuerit: Spiritus Christi discedens à corpore, hoc ipso eum fuisse verum hominem ostendit: quoniam spiritus humanus non est phantasma, sed vera substantia; quæ proinde facit verè esse hominem cui inuenit: ut non solum impius sed etiam stultus sit Basilides cū suis, qui negat Christum fuisse verum hominem, fingens fuisse duntaxat spectrum, quod illuserit oculis mortalium. Nam ita de Basilide Terul. De præscript. cap. 46. & S. Epiphanius hæresi 24 paulò post inquit. Et vterque paulò post addit, illum & hoc docuisse quod Iesu causa non sit subeundum martyrium. Porro ex varijs huius epistolæ sententijs, sicut etiam ex v. 7. epistolæ 2. satis apparet hæc epistolam directè scribi (inter cætera) contra illud impium figmentum Basilidis, negantis veram Christi humanitatem; quod postea resumpsit Manes parens Manichæorum. Loca huius epistolæ sunt Cap. 1. v. 1. Cap. 2. v. 18. & seqq. Cap. 4. v. 1. 2. 3. Huius cap. v. 1. 6. 8. Idem hic Apostolus euangelium scripsit aduersus Ebionis hæresim, negantis Christi diuinitatem: etiam si multa interspergat quibus vera eius humanitas probetur; sicut in hac epistola interferuntur complura quibus astruatur eius diuinitas, vel quæ ad alias illius temporis hæreses destruendas valeant; in primis autem Simonis Magi, qui Deum faciebat authorem malorum, & solam fidem aiebat sufficere ad consequendam salutem. Aduersus quam detestabilem hæresim Apostolus hanc tam multa dixit de necessitate charitatis & obseruationis diuinorum mandatorum. Sicut contra illud alterum dogma Basilidis, Non esse necessarium subire martyrium, dicuntur quæ sunt huius epistolæ cap. 3. v. 16. Cap. item 4. v. 15. Et quoniam S. Epiphanius Basilidem facit quartum post Christi aduentum hæresiarcham; Ebionem autem decimum: hinc (ut hoc obiter addamus) non malè quis ratiocinetur, hanc epistolam diu ante euangelium fuisse scriptam.

Quod autem consequentia proposita obiectionis non valeat; facile liquet si cogitemus nihil esse incommodi, quod, cum versu 7. commemoretur *Spiritus*, expressè adiuncto epitheto *sancti*: in præcedente v. eodem modo fuerit intellectus; versu autem 8. sine illo epitheto positus, aliter accipiatur, pro humano scilicet spiritu, materiā illius versus ita poscente.

Restat videre quomodo Spiritus, aqua & sanguis

sanguis testata sint seu probauerint Iesum fuisse & esse, sicut verè Dei Filium, ita etiam verum hominem. Et quidem quomodo hoc probauerit spiritus humanus Domini, suiprius à corpore discessu, in eius morte; proximè dictū est: de aqua & sanguine videndū. Itaque Dominum fuisse & esse verum hominem, aqua & sanguis, quæ de latere iam mortui fluxerūt (de his enim plerique omnes expositores accipiunt id quod hic dicitur) hac ratione probant, quod ex illis confert, verum ac non phantasticum eius corpus fuisse; nec solummodo verum, sed etiam humanum corpus; utpote quod animæ rationali eius fuerat eovisque coniunctum, ut homo esset, & ex quo sanguis verus, ut ex carne solet, manauerit. Legendus de hac re Innocentius 3. in rescripto quod extat in Decretalibus, Tit. De celebrat. missarum. cap. In quadam. vbi operosè ostendit, verum sanguinem & veram aquam hic esse intelligenda, non verò nomine aquæ pituitam seu phlegma, vnum ex quatuor humoribus qui ad sustentationem & vegetationem humani corporis concurrunt. Sed legèda est hæc decretalis tota, prout extat suppleta in editione Gregoriana. Vidit hanc Innocentij Decretalem B. Thomas, legendus 3. p. qu. 74. art. 7. ad 2. & 3. Nimirum ad demonstrandum quod corpus Domini fuerat compositum ex quatuor elementis, fluxit vera aqua: ad demonstrandū verò quod ex quatuor illis humoribus, sanguis fluxit: sicut illic Innoc. latius declarat. Præter verò hanc de qua hic agitur testificationem, cuius gratia Dominus è suo iam mortui latere, militari lancea perfoeso, eduxit sanguinem & aquam: etiam mysticè significationis gratia hoc ipsum fecit: quam mysticam significationem expositores euangelij B. Ioannis solent enarrare, vnam alteramque. Id quod breuiter & plenè, inter cæteros fecit Iansenius. Et dictum est aliquid ad vers. 6.

Illud hic addendum, posse alicui videri quod Ioannes Apostolus hoc loco per aquam & sanguinem, non intelligat eū duntaxat sanguinem & eam aquam, quæ ex latere iam defuncti Saluatoris emanarunt; licet plerique enarratores horū duntaxat in sua expositione meminerint: eo quod non ea sola accipienda sunt in verbis paulò antè præcedentibus v. 6. his; *Hic est qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine*: sicut in illorum verborum commentario est declaratum. Et certè, Dominū fuisse verum hominem, monstrauit omnis ille sanguis quem tota passione sua effudit. Verum hominem fuisse, monstrauit etiam aqua illa, qua à Ioanne, ut vnus hominum, baptizatus est. Lacrymæ quoque quas tota vita fudit, verum hominem esse demonstrant: quas hic sub aquæ nomine comprehendit, intelligit Commentator S. Thomæ præferens nomen. Sed responderi potest, quod sanguis ille qui ex latere Domini iam defuncti profluxit, si-

gnificauerit (omnium consensu) vniuersum illum sanguinem quem tota vita pro nobis fudit, eiusque efficaciam: sicut aqua ex latere manans crucifixi, baptisimi sacramentū significabat: etiam si ista hoc v. 8. sub nominibus aquæ & sanguinis non comprehendantur.

Superest soluere obiectionem, quam aduersus huius capituli versum 7. faciunt nostri temporis Ariani & Macedoniani, negantes scilicet veram diuinitatem Filij & Spiritus sancti. Obijciunt ergo, totum v. 7. in Græcis codicibus non legi; ut neque in quibusdā veteribus Latinis; & à veteribus scriptoribus nō agnosci. Itaque veram huius loci lectionem omittere totum v. 7. & ita nullum hinc duci posse argumentum pro trium personarū vna diuina natura. Responsio. Antecedens quædam duntaxat ex parte verum est: ideoque non valet cōsequencia. Nam, ut ad singulas trium antecedentis partium aliquid dicamus: Robertus ex sedecim vetustis exemplaribus Græcis, ab Italia, Hispania, Gallia petitis, solummodo notat septem quibus iste versus defuerit. Ad secundam partem antecedentis dicimus, Louanienfes Theologos ex magno illo numero manuscriptorum codicū, ad quos sacra Biblia semel iterumque, contulerunt, duntaxat quinque reperisse, quibus iste versus deesset. Ad tertiam verò partem respōdemus, paucos quosdam patrum qui mutilatos codices nacti fuerant, hunc versum nō legisse; legisse ceteros tam eos qui ante exortam hæresim Arianam (vix enim dubium est Arianos fuisse huius mutilationis auctores, ut fuerunt aliarum corruptelarum) floruerunt, quàm qui ea vigente, quàm qui post. Quæ ut ordine declaremus, inter paucos illos quorum codicibus hic versus defuerit, est S. August. lib. 3. contra Maximin. cap. illo 22. quod & paulò superius indicauimus. Videtur & sanctus Ambrosius nō habuisse: quum in libro de Spiritu sancto nusquam citet, omnibus alijs de Spiritu sancto scripturis diligenter vndique allegatis. S. Leo epistolæ 10. c. 5. in fine, non legit: ut neque Vener. Beda in Comment. Atque hi pauci Latini. Inter Græcos equè pauci. S. Cyrillus Alexandr. Theauri lib. 14. cap. penult. & Oecumen. in huius loci enarratione. Qui autem veteres hunc v. habuerunt, sunt hi, ex nobis notis. S. Hyginus pontifex epist. 1. c. 1. *Ioannes euangelista ad Parthos, Tres in nobis sunt qui testimonium perhibent in celo: Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres vnum sunt.* Cœpit sedere anno Christi 15. diu ante Arium natum. Ita etiam B. Cyprianus, vetustior ipse quoque Ario, in libro de Vnit. eccl. c. 4. ad finem, his verbis: *De Patre & Filio & Spiritu sancto scriptum est, Et hi tres vnum sunt.* Citauit hunc B. Cypriani locum, ad Vnitatis in Trinitate, & Trinitatis in Vnitate probationem S. Fulgentius, lib. contra decem obiectiones Ariatorum, in responsione ad vltimam. Item habuit hunc versum B. Athanas. in disput. contra Arium, illi attributa. Idem libro priore de

vnita

vnita Deitate Trinitatis, *Dicit Ioannes euangelista in epistola sua, Tres sunt qui testimonium dicunt in celo, Pater, Verbum, &c.* Ex quibus testimonijs notum est (ut hoc addamus) quod tunc temporis Græci codices eum versum constanter habuerint. Nam Athanasius scriptor Græcus vtrique Græco codice vsus est: nec hunc locum Ariani obiecit, si tunc temporis ea pars Græcis codicibus defuisset. Græco item codice & sua propria versione (non hac nostra vulgata) vsi sunt Cyprianus & Hyginus: quare & illorum temporibus hæc fuit Græcorum librorum lectio. Paulò posterior Athanasio, eodem tamen sæculo, videtur Idacius Clarus, in Hispania Episcopus, qui etiam ipse huius versus septimi sententia intrepidè vtitur contra Arianos, resumens ipsissima verba Hyginij Papæ ex epist. 1. superius recitata; libro contra Varimadum Arianae sectæ Diaconum.

Eiusdem temporis est S. Hieronymus: cuius hæc sunt verba, Prologo in septem epistolas catholicas, ad Eustochium virginem Christi; *In prima Ioannis epistola ab infidelibus translatoribus (vult dicere, ab interpretibus Latinis Ariana lue infectis) multum erratum esse à fidei veritate, comperimus; trium tantummodo vocabula, hoc est, aqua, sanguinis & spiritus, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris Verbiq; ac Spiritus testimonium omittentibus; in quo maximè fides catholica roboratur, & Patris, Filij, ac Spiritus sancti vna diuinitatis substantia comprobatur.* Quibus in verbis est considerandum, quod S. Hieronymus tantummodo culpet perfidos interpretes Latinos; tanquam ipsi Græci codices nulla tunc adhuc (Hieronymo iam sene, ut ipse in fine illius epistolæ ait, id est, post annum Domini quadringentesimum) mutilatione hoc in loco fuissent diminuti. Citauit hanc sub nomine diui Hieronymi, præfationem Erasmus in Annotat. ad hunc locum B. Ioannis: ut mirum sit, ab eodem opera B. Hieronymi recognoscere fuisse omissam, tanquam dubij authoris. Mirum & illud, quod Marianus Victorius nouus Hieronymi operum recognitor & scholiastes, eam non restituerit: quum satis Hieronymum sapiat, etsi non habeat illam summè floridam disertitudinem; scripta scilicet à sene, & ad virginem. Extat hæc S. Hieronymi præfatio in vetustioribus Biblijs, etiam impressis, proximè ante B. Iacobi epistolam, idque in nonnullis sub ipsius Hieronymi nomine. Extat & apud Liranum; indigna sanè quæ peat. Quod autem Hieronymus de solis loquatur interpretibus Latinis, non de vlla varietate Græcorum codicum; tum ipsa verba nunc recitata clarè docent, tum verò illa quæ in eadem illa epistola præcedunt, hæc: *Epistolarum septem qua catholica nuncupantur, prima est Vna Iacobi, tum dua Petri, tres Ioannis, & Iu-*

*da vna. Quæ si sic ut ab eis digestæ sunt, ita ab interpretibus fideliter in Latinum vertentur eloquium: nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugneret; illo præcipuè loco vbi de vnitatis Trinitatis in prima Ioannis epistola positum legimus. In qua ab infidelibus translatoribus &c. ut supra recitauimus. Ita ibi S. Hieronymus. Ex quibus omnibus eius verbis liquet, non temerè Ariani hanc mutilationem obijci: tamen non desunt qui in solos scibos, Græcos & Latinos, hanc culpam conijciunt, homoteleuto deceptos mediam sententiam omittentes: illud scilicet (testimonium dant) priore loco positum, per incuriam negligentes, cum annexis; & solum posteriore positum loco legentes. Quale fecerunt sæpe alibi, in omni genere scriptorum. Superioribus testibus addere possumus B. Fulgentium, libro Responsum ad decem obiectiones Ariatorum, responsione vltima, ad fin. *In Patre (ait) & Filio & Spiritu sancto vnitatem substantie accipimus; personas confundere non audemus. Beatus enim Ioannes Apostolus testatur dicens, Tres sunt qui testimonium perhibent in celo, Pater, Verbum & Spiritus; & tres vnum sunt.* Idem in libro de Trinitate (quem cum nonnullis alijs Fulgentij opusculis nuper primū vulgavit Parisijs, vir pius & doctus Iacobus Sirmondus) his verbis vtitur; *Ego & Pater vnum sumus, inquit Dominus: Vnum, ad naturam referre nos docet; Sumus, ad personas. Similiter & illud, Tres sunt, inquit, qui testimonium dicunt in celo, Pater, Verbum & Spiritus: & hi tres vnum sunt.* Audiatur Sabelius, sunt; audiatur, Tres: & credat esse tres personas. &c. Audiatur & Arius, vnum: & non dicat Filium differentis esse naturæ. Ita Fulgentius.*

Atque hæc ad ostendendum imbecillitatem allatæ obiectionis, sufficiant: quibus & illud potest addi, ad demonstrandum vitiosos esse libros qui omittunt versum 7. illud inquam, quod pauci illi, siue libri siue ecclesiastici scriptores qui eum omittunt, non consentiunt inter se in lectione versus octauī, dum alij habent illud, in terra; alij omittunt, fortassis tanquam otiosum, postquam non est quicquam ad cuius distinctionem apponatur, sublata præcedente sententia, versu scilicet 7. Omittebat codex quo vsus est B. Augustinus loco supra citato. Item codex quo utebatur S. Leo, ut itidem liquet ex loco prius citato. Omittunt B. Cyrillus & Oecum. locis allegatis. In textu Vener. Bedæ non omittitur.

Vltimo loco expendenda est finalis clausula versus octauī, *Et hi tres vnum sunt.* De qua illud dicendum est, in multis Latinis libris eam non haberi. Louanienfes correctores quindecim tales sibi coniectos testantur. Innocentius 3. in Decretali superius citata, prout ea legitur suppleta in edi-

tione

tione Gregoriana, ait, in plerisque codicibus (Latinis scilicet, nam de his loquitur) non haberi. Qui omiserunt scribere Latini, videntur existimasse adiectam ab Arianis, ad eleuandam præcedentis sententiæ autoritatem, ubi Pater, Filius & Spiritus sanctus vnum esse dicuntur. Sed magis credibile est, eam clausulam non esse adiectam, verum non nihil corruptam, fortassis per Arianos. Græci enim codices (excepta Complutensi editione, & si quæ ex ea prognata sunt) constanter habent, sed ita; *Et hi tres in (sive ad) vnum sunt. eis non est.* Quo modo & nostrum Interpretem in Latina hac editione scripsisse, aut certe B. Hieronymum correxisse, valde probabile est: sed voculam (in) deinde, siue Ariatorum fraude, siue scribarum oscitantia vel audacia, fuisse omissam. In nostris codicibus si ea vocula non legitur; debet tamen ipsa hæc clausula ita exponi, ac si legeretur: vt respondeat originali, ac sensus sit, *Et hi tres ad vnum* de Christo testimonium ferendum concurrunt; vt exponit Oecumen. seu, *Hi tres ad vnam eandemque rem testandam consentiunt*; scilicet Christum fuisse & esse verum hominem, contra ac fingit Basilides. Videndum, an possit etiam sic exponi: Et hi tres ad vnam Christi humanitatem constituendam conueniunt. Nam spiritus humanus, & illi humores corporales, qui totius corporis sunt quasi prima basis; ad vnum hominis substantiam concurrunt, & ad eam requiruntur.

9 SI TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMVS, &c. Autoritatem diuini testimonij quod commemorauit versu 7. & specialiter quatenus illud est Dei Patris, amplificat comparatione minoris. q. d. Quum in rebus humanis quotidie ita fieri videamus, vt hominum duorum aut trium concorditer de vna aliqua re assensum testimonium recipiatur, ac secundum illud dicatur ius partibus litigantibus: certe longè maiore ratione Deo Patri credere debemus, testificantem de Iesu filio Mariæ quod sit filius suus dilectus, quem ipse velit esse præceptorem ac Saluatorem miseris mortalibus. Quibus temporibus & quibus modis hoc Deus Pater sit testatus, dictum est supra, initio annotationis ad v. 7.

10 QVI CREDIT IN FILIUM DEI, HABET TESTIMONIUM DEI IN SE. &c. Est principalis conclusio quam initio capituli proposuerat; ac simul est tacita cohortatio ad fidem suscipiendam, ac susceptam firmiter retinendam, de Iesu quod sit verus Deus & verus homo, datus hominibus à Deo Christus seu Messias, Saluator ac Mediator. Ait ergo, *Qui credit in filium Dei*, hunc scilicet designat, Iesum. supra v. 1. *Habet testimonium Dei in se.* Græcè legitur paulò significantius, *Habet illud* (scilicet Dei Patris, de quo dictum est) *testimonium in seipso.* Non vna est huius partis explicatio: sed perpendenti antithesin partis sequentis, probabitur expositio quæ inter alias legitur in Comment. qui S. Thomæ ascribitur; hæc nimirum, Qui credit in

Iesum quod sit filius Dei; is Deum Patrem hoc honore afficit quod eius testimonium de Iesu datum, intra animum suum admittit, mente firmoque assensu recipit & retinet: quum contra (quæ est pars huius v. posterior) qui Iesum fingit Patre minorem, aut fingit non verum hominem fuisse, sed phantasma; Deum Patrem hac ignominia afficiat, quantum quidem est in ipso, vt eum dicat mendacem, tanquam qui falsò sit testatus de Iesu: perinde (inquam) faciat ac si disertis verbis diceret Deum Patrem esse fallacem; dum non vult credere eius testimonio. In hac secunda huius versus parte, multi Græci codices ita legunt, *Qui non credit Deo, mendacem facit eum* &c. quum sint nonnulli qui consentiant nostris libris, legentes *Filio*, pro illo, *Deo*: quæ lectio magis probabitur ei qui totius orationis seriem perpenderit. Qui mutarunt; videntur id fecisse propter sequens relatiuum *eum*; quasi alioqui non posset ad *Deum* referri: quod secus est.

11 ET HOC EST TESTIMONIUM; QUONIAM VITAM ÆTERNAM DEDIT NOBIS DEVS, ET HÆC VITA IN FILIO EIVS EST. *Quoniam, &c.* quod; & pertinet ad vtramque sententiam sequentem. Explicat Apostolus illud Dei Patris de Iesu testimonium, cui necessariò credendum sit: nimirum, esse illum verum Deum & hominem, vnicum Redemptorem & Saluatorem humani generis. Hoc alijs verbis hinc dicit beatus Ioannes, inquiens Deum Patrem esse testatū de Iesu quod vitam æternam ipse Pater dat his qui recta atque obediēte fide eum colunt (nam hoc latet in illo, *nobis*) & quod hæc vita in præsentī sæculo inchoata, in altero autem semper duratura, hominibus donetur merito Domini Iesu; tanquam in quo illa vita resideat; vt in authore quidem, secundum diuinam naturam; vt autem in eo qui nobis eam meruerit, secundum naturam assumptam. Itaque hoc v. idem, pene iisdem verbis, dicit Ioannes quod euangelij capite 1. loquens de Verbo increato, *In ipso vita erat.* Et c. 3. ipse Dominus, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &c.* Et postea, *Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est; quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Ac Ioannes Baptista in fine eiusdem c. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Adde ex Ioan. 6. v. 46. 47. & cap 17. in princ. Et ex c. 4. huius epistolæ illam sententiam, *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit in mundum, vt viuamus per eum.* Ex quibus omnibus iam patet quod vita ista æterna ab hominibus sic per Filium Dei habetur, vt sine eo ac fide in ipsum haberi, non possit. Id quod hoc etiam loco Apostolus verbis disertis exprimit, vt sequenti.

12 QVI HABET FILIUM, HABET VITAM:

QVI

QVI NON HABET FILIUM DEI, VITAM NON HABET. Illud *Dei*, additur Græcè, est que in bonis libris Latinis, nec in veteribus Cōcordantijs; & ea de causa hinc apponimus, tamen absit à textu Bibliorū Clemētīnorū.

Est hinc iterata conclusio adhortatoria ad fidem in Iesum Christum, cum argumento ex spirituali vtilitate, imò necessitate; hac videlicet, quod sine hac fide, vera vita neque in hoc sæculo neque in futuro, obtineri possit: cum è contrario quisquis eam habet, non siccam aut sterilem, sed qualè Scripturæ passim intelligunt cum fidem commendant; piè scilicet affectuosam & obediētem; is habeat vitam & salutem, etiam in præsentī sæculo, sed inchoatam & amissibilem.

Quod autem illud, *Qui habet Filium*; intelligendum sit eo modo quo iam dictum est, nempe, *Qui Filium Dei vera, affectuosa & obediēte fide tenet*: ex similibus huius Apostoli sententijs doceri potest; qualis est illa c. 2. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Ita fit, vt hoc v. idem dicatur quod Petrus Apostolus inquebat, loquens de Domino Iesu; *Non est in aliquo alio salus. Nec enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo nos oportet saluos fieri.* Act. 4. Et quod illæ Scripturæ testantur, quas allegabamus ad versum præcedentem. Illa quoque Domini sententia, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ioan. 14.

Magnum igitur hoc loco est testimonium de fide Mediatoris, quod omnibus ad salutem semper fuerit & sit necessaria. Id quod Apostolus sequente etiam versu inculcat: vt vtilitate tanta adeoque necessitate proposita, confirmet fideles in retinenda vera de Domino Iesu fide, aduersus grassantes eo tempore perditionis sectas. Ait ergo, tanquam epilogo (inquit Oecum.) summam repetens prædicta;

13 HÆC SCRIBO VOBIS VT SCIATIS QUONIAM VITAM HABETIS ÆTERNAM QVI CREDITIS IN NOMINE FILII DEI. Græcus codex pro præsentē (*scribo*) habet *scripsi*, *ἔγραψα*, vt habent multi boni Latini libri, etiam impressi; & textus Venerabilis Bedæ. Verum sensus non mutatur. Præterea, illam clausulam, *Qui creditis in nomine Filij Dei*, plerique codices Græci annectunt principio huius versus, sic; *Hæc scripsi vobis qui creditis &c.* sed id quoque non magni momenti est. Illud maioris, quod iisdem plerique Græci codices addunt huic versui vnam clausulam, istam nimirum; *& vt credatis in nomine Filij Dei.* Propter quam additionem, ipse etiam Erasmus veretur ne hoc loco Græci codices sint deprauati. Certè Robertus notat sibi conspectos duos veteres, qui eam partem omittentes cum nostra vulgata consentirent: & nostrum Interpretem in suo exemplari Græco clausulam istam non habuisse, satis apertum videtur. Nec tamen idcirco, sine maiore autoritate, è

Græcis libris est tollenda: quoniam eam retentam, nihilominus totus versus commodum sensum habere potest; quem accipimus ex Oecumenio, hunc: *Hæc ego vobis iam vera, affectuosa atque obediēte fide credentibus in Iesum Dei Filium, eo sine scripsi, vt sciatis quod per eum iam in hoc sæculo habetis vitam æternam, sed inchoatam duntaxat, eoque amissibilem; habetis autem in illa ipsa fide, vt pote charitatem sibi associante: eo item sine, vt fidem hanc constantissimè retinentes, semper sic credatis in Dominum Iesum, quantumcumque vndique vobis obstrepan vel insururent pseudoprophetae falsa sua dogmata, huic salutari fidei contraria.*

Ex qua interpretatione, etiam nostræ lectionis sensus habetur, illa Græcorum clausula omissa. Ex eadem interpretatione, conformi his quæ dixit Apostolus ver. 11. patet non esse laborandum in ea quæstione, an hoc loco verbum (*sciatis*) significet certitudinem absolutam, an solum quandam moralem. Clarum est enim, absolutam significare: quia indubitatum est omnem eum qui fide illa quam intelligit Apostolus, affectuosa nimirum & obediēte, credit in Filium Dei; iam habere illam vitam æternam. Sed non propterea est absolutè certum de hoc vel illo in particulari quod sit in statu huius æternæ vitæ, seu salutis: sicut neque sic est certum de quoquam quod habeat eam fidem de qua hinc sermo est.

Quod autem sermo Apostoli sit de vita seu salute huius vitæ, quæ idcirco amitti potest; liquet, tum ex verbo *habetis*, tum ex paulò post sequentibus, ubi significat fratrem posse peccare ad mortem. Liqueat etiam ex fine huius capituli; ubi monet generaliter omnes fideles quibus scribit, vt caueant se ab idolis. Et, omissis alijs, in secunda epistola ver. 6. 7. 8. monet Christianos vt in fide obediēte perseuerent, caueantque sibi ab hæreticorum doctrina; ne periant quæ eorum bene operati fuerant, sed vt mercedem plenam accipiant.

Quoniam igitur fides in Christum; charitate formata hominem in statu salutis seu veræ vitæ constituit; quæ est maxima spiritualis vtilitas: idcirco, huius tam fructus consideratione Apostolus hoc loco & superioribus versibus vult excitare fideles ad perseuerandum in eiusmodi fide. Sed deinceps alium quoque commemorat permagnum talis fidei fructum, cuius contemplatione illi prouocentur; nempe fiduciam siue certam spem obtinendi à Deo quod ritè ab illo petiuerimus. De hoc fructu est versus sequens,

14 ET HÆC EST FIDUCIA QUAM HABEMVS AD EVM, QVIA QUODCVQVE PETIERIMVS SECVNDVM VOLVNTATEM EIVS, AVDIT NOS. *Quam habemus*) Nos

Gggg

scilicet

scilicet, verè & obedienter fideles. Omnes enim hi possunt confidere quod ipsorum orationes sint exaudiendæ à Deo, modò fuerint factæ (ait Apostolus) *secundum voluntatem eius*. Est autem voluntas Dei nobis consideranda, & circa rem quæ petenda sit, & circa petendi modum. Circa rem quidem petendam: vt ab ipso petamus secundum præcepta vel consilia eius, hoc est, necessaria vel bene vtilia ad salutem; dicente Salvatore, Matth. 6. *Primum querite regnum Dei, & iusticiam eius* (Dei, nimirum): *& hæc omnia* (temporalia huic vitæ transigendæ necessaria) *adiicientur vobis*.

Circa verò petendi modum, est voluntas Dei vt piè petamus & perseueranter. Ea pietas multa includit: Primo loco fidem veram & integram de omnibus quæ Deus nobis reuelauit. Quam fidem hîc præsupponit Apostolus, vt patet. Hæc fides etiam hoc requirit vt vnusquisque de se in particulari credat, se consecuturum quæ salutaria petit eo modo & tantum, quo modo & quantum ea petere oportet. Non autem, se consequuturum quicquid (quamuis salutare) quomodocumque petierit. Horum prius liquet ex diuinis promissionibus, quæ sunt Matth. 7. v. 7. & 8. Marci 11. v. 24. Lucæ 18. v. 7. 8. Ioannis 14. v. 13. 14. Cap. 15. v. 7. 16. Cap. 16. v. 23. 24. Iacobi 1. v. 5. 6. 7. Et hoc Apostoli loco, & v. seq. Posterius autem eorum quæ diximus, manifestum est ex hoc ipso loco: vbi non sine causa apponitur illa limitatio, *quodcumque petierimus secundum voluntatem eius*. Vnde est Psal. 65. *Iniquitatem si affexi in corde meo; non exaudiet Dominus*. Vt neque apud apostolum Iacobum loco allegato, sine causa apponuntur ista, *Postulet autem in fide, nihil habitans*. id est, nihil in corde suo disceptans aduersus fidem catholicam. Secundo loco, petitionis pietas requirit in petente, spem impetrandi. Huc faciunt, per argumentum à minore, Scripturæ iam allegatæ pro fidei necessitate. Huc valent illæ collationes Patris, Amici, Iudicis duri; propositæ à Salvatore Lucæ 11. & 18. Et quod dixit hic Apostolus supra c. 3. v. 21. Item quod dicit hoc loco. Tertio loco pietas requirit vt qui Deum rogat, mandata eius ex dilectione obseruet, saltem eousque vt veram pœnitentiam agat, si nondum est reconciliatus. Quod significabat Apostolus per illa verba cap. 3. *Si cor vestrum non reprobauerit nos: quicquid petierimus accipiemus ab eo*. Porro inter cætera Domini mandata est illud (quod huc adfert Venerabilis Beda) de animi aduersus proximum rancore deponendo, quando nos accingimus ad orandum. Marci 11. *Cum stabitis ad orandum; dimittite siquid habetis aduersus aliquem; vt & Pater vester qui in calis est, dimittat vobis peccata vestra*. De pœnitentium verò oratione quod sit fructuosa, B. Thomas 2. sec. quæst. 83. artic. 16. Quarto loco, pietas requirit attentionem animi in eo qui

Deum aliquid rogat. De qua attentione B. Thom. eiusd. quæst. art. 13. Quinto loco requirit pietas humilitatem in petente: humilitatem verò, non solum respectu Dei; sed etiam respectu aliorum hominum, quibus sese indigniorem debet reputare coram Deo. Qua de re est peculiaris art. Num. 3. q. 161. in 2. sec. Humilitas petentis etiam hoc includit vt absque respectu laudis humanæ fiat oratio: iuxta doctrinam Domini Salvatoris, Matth. 6. Ex qua doctrina, idem in omni bono opere esse obseruandum, manifestum est. Arque hæc de pietate in petitionibus quas Deo facimus, adhibenda, dicta sint paucis.

Sed, vt diximus, Dei voluntas à nobis preter pietatem, in petendi modo exigit etiam perseuerantiam in precando. De qua orationis conditione videndus est S. Thom. d. 2. sec. q. illa 83. art. 14. Porro voluntas Dei de nostra in orando perseuerantia nobis innotescit per ea quæ leguntur Lucæ 11. in parabola amici per petentis perseuerantiam victi; & cap. 18. in parabola illius Iudicis iniqui: & per illa Domini verba, cap. 21. *Vigilate omni tempore orantes*. Cui consonat illud Apostoli, 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate*. Consonat & hoc quod sacerdos Domini magnus Israëlitas monet, Iudith 4. Et exemplum illud memorabile primitiæ ecclesiæ, orantis pro liberatione Apostoli Petri ab Herode capri. Act. 12. vbi dicitur; *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*.

Quæritur meritò hoc loco, An supradictis conditionibus positis, infallibiliter exaudiat oratio petentis pro seipso duntaxat, an etiam pro alio. Ac videri posset quod etiam pro alio petens, supradictis conditionibus positis infallibiliter exaudiat, ex ver. 16. mox sequente; præsertim iuxta distinctionem quæ in Græcis codicibus videtur debere esse versus decimi-quinti & decimi-sexiti (colicilicet, non vt vulgo est, periodi) qua de re paulò post. Respondendum tamen est, non semper exaudiri iustos pro alijs orantes, etiam si conditiones illæ orationi adsint. Et hoc significat ipse Apostolus, dicto vers. 16. quatenus sententiam suam restringit adiectione illius clausulæ, *peccatum non ad mortem*. & quatenus addit, *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis*. Atque hoc est quod docet S. Augustinus Tract. 102. in Ioan. vbi expendit illa verba Domini Ioan. 16. *Amen dico vobis; si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Verba Augustini sunt, Ita sanè est intelligendum quod ait, *Dabit vobis*; vt ea beneficia significata sciatur his verbis, quæ propriè ad eos pertinent qui petunt. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis: non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis suis vel inimicis, vel quibusvis alijs; quia non vtrunque dictum est, *dabit*; sed, *dabit vobis*.

Ita

Ita illic S. Augustinus. Ratio huius est, quia potest esse impedimentum ex parte eius pro quo oratur; quod impedimentum Deus iusto suo iudicio tollere nolit. Conferatur S. Thomas d. q. 83. in 2. sec. art. 7. ad 2. & 3. & art. 15. ad 2. in fine solut. Quando autem pro seipso quispiam rogat secundum voluntatem Dei, id est, rogat illa quæ dicta sunt superius, & eo modo qui dictus est: tunc eo ipso iam est dispositus ad obtinendum quod petit.

15

ET SCIMVS QVIA AVDIT NOS QVICQVID PETIERIMVS; SCIMVS QVONIAM HABEMVS PETITIONES QVAS POSTVLAMVS AB EO. Ita legitur hic versus in codicibus Latinis; nisi quod nonnulli vetusti in secunda parte habent præteritum *postulauimus*, conformiter originali. Et hac lectione posita, iste versus absoluit sententiam: ac (vt ait Vener. Beda) repetitio est & inculcatio proximè dictorum, facta ab apostolo vt nos ad orandum viuacius excitet. Quanquam non simplex repetitio videtur, sed cum augmento quodam. Nam quum versa 14. dixisset nos *habere fiduciam*; hîc ait nos habere *scientiam*, seu absolutè certos esse quod simus exaudiendi in petitionibus quas Deo fecerimus, nimirum *secundum voluntatem eius*: vt expressit v. præcedente. Quod quomodo verum sit, satis videtur declaratum in illius versus expositione.

At in Græcis codicibus, in principio huius versus additur vocula *εάν*; si; hoc modo: *Et, si scimus quod audit nos, &c.* quæ vocula videtur in secunda huius v. parte, illis in codicibus, subaudiri: vt scilicet versus hic 15. à 16. non periodico signo, sed tantum coli distinctione separetur; quamuis expositores Græci quos habemus, hanc de distinguendo difficultatem vel non aduerterint vel dissimularint; nisi quod Oecumen. id quod hîc dicimus, subindicer. Certè, in Græcorum lectione non potest terminari sententia cum hoc versu 15. præsertim quum in secunda ipsius v. parte habeant præteritum *postulauimus*, vt dictum est: sed altera pars huius conditionalis enunciationis esse debet versus decimus-sextus. Neque enim, quod antehac factas petitiones obrinuerimus à Deo, vult probare Apostolus per hoc, tanquam per quiddam notius, quod scimus illū nos exaudire quicquid petierimus; sed contra potius hoc ex illo colligendum erat. Sicut profectò hunc locum intellexit Didymus: qui proinde illud Græcorum *εάν*, non in principio totius versus huius 15. sed initio secundæ partis habuisse videtur; ita nimirum: *Et scimus quod audit nos Deus quicquid petierimus, si* (id est, quia, quandoquidem, vt sæpè aliàs) *scimus quod iam habemus petitiones quas antehac postulauimus ab eo*. Ad quem sensum etiam nostra vulgata lectio facillè reuocatur, si cum vetustis illis libris Latinis legamus *postulauimus*, in secunda parte; vt sensum hunc accipiamus: *Scimus quod audit nos Deus quicquid*

petierimus: scimus enim quod habemus petitiones quas antehac ab eo postulauimus. Quæ quidem sensum pulcrè expressit S. Eucherius Lugdunensis, apud B. August. serm. 176. de tempore, his verbis: Fidelis quisque, cum iam tanta perceperit; per ea quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa; & Dei sui præteritam præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem.

16

QUI SCIT FRATREM SVVM PECCARE PECCATVM NON AD MORTEM; PETAT, ET DABITVR EI VITA, PECCANTI NON AD MORTEM. Hæc sententia est conclusio specialis, deducta ex assertionibus generalibus versus 14. & 15. Id quod maximè apparet in Græcis codicibus, vbi sententia versus 15. reuera suspenditur, nec absoluitur nisi hoc loco, vt paulò antè diximus. Per hanc autem specialem conclusionem delabitur Apostolus (quod Oecumen. annotat) ad certum quoddam fraternæ charitatis (quam passim tota epistola tantopere inculcauit) officium fidelibus commendandum; quod est orare pro Christiano peccante quidem, sed non ad mortem. q. d. Quum habeamus bonam fiduciam, imò cum sciamus nos auditum iri à Deo, siquid secundum voluntatem eius petierimus; cumque sciamus nos iam habere quæ ante hoc tempus ab eo petiuimus; cum (inquam) hæc sciamus: siquis nouerit fratrem quempiam suum, hominem Christianum dico, peccatum aliquod admisisse, seu peccato aliquo teneri (in Græco est *peccantem*, vbi nos habemus *peccare*) quod non sit ad mortem; petat à Deo vt illum ab eo peccato liberet; & Deus dabit illi vitam, peccanti (vt prædixi) non ad mortem. Id quod addo: quia quædam peccata sunt ad mortem; pro quibus non iubeo, non moneo, non hortor vt ipse roget. Hic est sensus verborum Apostoli toto hoc v. decimo-sexto, & eorum cum præcedentibus connexio.

Ex hac declaratione, intelligitur quod, quamuis in originali pro illo *petat*, sit futurū indicatiui *petet, dicitur*, tamen illud pro imperatiui seu hortatiui modi verbo sit accipiendum; vt fit in similibus quotidiano sermone. Ita intellexisse Oecumenium, est apertum ex ipsius explanatione quæ hunc textum immediatè præcedit: & sic esse intelligendum, liquet ex verbis Apostoli sequentibus, illis: *Nō pro illo dico vt roget*. Quare, licet veteres quidam codices Latini hîc habeant, *petet*: non idcirco textus noster est mutandus.

Illi iidem Latini codices verba sequentia, conformiter originali, ita legunt: *& dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem. Dabit*, sine dubio subauditur *Deus*, ex præcedentibus; quare in nostra lectione quum dicitur, *Dabitur ei vita*, similiter est subintelligendum, à *Deo*. Illud autem quod sequitur, *peccantibus non ad mortem*; prima fronte videbitur quibusdam esse solæcum, quod post illud *ei*, sequatur hoc *peccantibus*; sed hæc oratio, vt

alia similes apud optimos quosque auctores, facile defenditur quod sensu congruitatem seruet. Ad ipsum enim genus talium fit sermonis transitus: licet de vno quopiam fratre sermo precesserit, quasi dicat: Deus dabit ei vitam; dico, his qui peccant non ad mortem. Nostra lectio vitat hoc quicquid est incommodi: & vt nostri textus communiter habent, ita legit etiam Venerabilis Beda. Quanquam, qui veteres Latini libri hinc consentiunt Græcis (Louanienfes testantur sex tales sibi conspectos) ij non debent corrigi propter hanc incongruitatis speciem: nisi quis & Græcos codices velit mutare. Similis penè forma locutionis est in Græcis & nostris libris, Ioan. 17. v. 2. Et in 2. B. Ioannis epistola v. 7. contrario modo antecedens est plurale; relatiuum, singulare. Sunt nasutuli & delicatuli quidam, quibus facile aliquid displicet in sermone sacræ Scripturæ, sæpè sine ratione. vt hoc certè loco. Meminisse illi debebant horum & similitum: apud Comicum, Aperite aliquis actutum ostium. Apud Nasonem, Hoc pecus omne meum, multæ stabulantur in antris. Apud Boetium Consol. lib. 2. prosa 6. Quid verò, si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas? quos sæpè muscularum quoque mortuus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus. Si plura talia desiderant: videant ex Tullio, Marone, Liuiio, Comico, apud Ninuitana in magno opere Syntaxeos; ne nos ad Grammaticorum arcana ipsis aperienda excurrere cogamur.

In fine huius v. cum dicitur, *vt roget quis: illud quis non est in Græco codice, sed suppositum verbi roget, subauditur ex præcedentibus. Rectè fecit noster Interpres quod hinc illud quis expressit: nam in fronte totius vers. vbi originalis codex habet si quis, ipse solum posuit istud Qui. Atque hætenus quidem facilem habent explicationem quæ sunt isto vers. Sed illud difficilium est, exponere quid Apostolus intelligat per *peccatum ad mortem*: & consequenter, ex opposito quid accipiendum sit per *peccatum non ad mortem*: & tamen nisi hæc explantur, non potest Apostoli sententia intelligi. Accertè, vt in alijs obscuris locis, sic in isto videmus verissimum esse quod nonnulli dicere solent, Nullam esse diuersarum interpretationum fecundiorum matrem quam obscuritatem. Vnde sanctus Augustinus lib. De corr. & grat. c. 12. quum hunc Apostoli locum attulisset, subiicit; *De quo peccato, quoniam non expressum est, possunt multa & diuersa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem qua per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem*. Videntur ergo expositiones diuersæ adferende, & modeste refutandæ: vt tandem ad vnam deueniatur que nihil patiatur incommodorum.*

Peccatum ad mortem nonnulli accipiunt vt idem sit quod à Theologis dicitur pecca-

tum mortale. Vnde, secundum eos *peccatum non ad mortem* debet intelligi Peccatum veniale, mortali altera ex parte oppositum. Hæc expositio facile refellitur ex verbis Apostoli, vbi dicit, *Petati, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem*. Ergo peccatum non ad mortem Apostolo nuncupatum, abstulerat vitam animæ; & proinde non est Apostolo veniale, sed mortale certi generis. Cuius autem certi generis; inquirimus hac variarum expositionum discussione, vt ad vnam stabilem perueniatur.

Secunda igitur expositio est, qua *peccatum ad mortem* intelligitur esse illud quo post agnitionem Dei, quæ per gratiam Christi cuiusdam data est; ipse fraternitatem oppugnat, & aduersus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitur. His enim verbis à Venerab. Beda hæc expositio proponitur in Commèr. Est autem sumpta ad verbum ex B. Aug. libro priore de serm. Domini in monte, cap. 22. aliàs 43. Vbi ait se ita purare: ideoque credibile est non fuisse sollicitum de confirmanda illa expositione. Sed ad eam infirmam nobis sufficit quod ipse met. Retract. lib. 1. cap. 19. eam suppledam fuisse docet. Verba eius sunt; Hæc ita dixi, nec confirmaui; quia putare me dixi: sed addendum fuit, Si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam. Quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est vtiq; desperandum: nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur.

Tertiam expositionem verbis istis indicat S. Augustinus: quam etiam c. illo 12. De corr. & grat. attulit: vt *peccatum ad mortem* sit peccatum mortale quodcumque, cuius non agitur pœnitentia ante mortem. Dico quodcumque; nam secunda expositio, præterquã quod erat imperfecta, nimis restringebat peccatū ad mortem; quasi B. Ioannes vnicam peccati in Spiritum sanctum speciem hac appellatione intellexisset. Tertia igitur expositio est latior hac ex parte, quàm secunda: sed nihilominus etiam ipsa videtur strictior altera ex parte, quàm par sit, nec verbis Apostoli conuenire. Ait ille, *Si quis scit, (Græcè est, viderit) fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem: & cæt.* Præsupponit igitur posse à bono Christiano, etiam laico, sciri an peccatū quod nouit alium Christianum commisisse, sit ad mortem, an non: & tamen ab eo non potest sciri an is quem post peccatum mortale ipsi notum, mori contingit, agat vel egerit sinceram eius pœnitentiam. Deinde, si constaret aliquem in mortali quopiam peccato sine pœnitentia esse defunctum: non liceret pro eo orare; nec vnquam id Apostolus Christi permitteret: Atqui pro expiatione peccati ad mortem Deum rogare, vt Apostolus non monet, non hortatur: ita neque prohibet; tantummodo declarat se bonos Christianos non audere hortari

vt pro

vt pro eo peccato rogent, sicut hortatur eos rogare pro fratris peccato quod nouerunt non esse ad mortem. Hæc igitur incommoda premunt tertiam expositionem: tamen ea reperitur apud S. etiam Gregorium Moral. lib. 16. c. 28. aliàs 31. Est aliquid auferendum de hac expositione tertia: quo sublato videtur omnia incommoda euitari; & mens Apostoli, in tota hac sermonis serie, aptè declarari.

Quartò igitur, *peccatum ad mortem* intelligitur quoduis peccatum mortale cuius non agitur pœnitentia, quamdiu & quatenus tale est. Ita non quoduis mortale intelligitur: nec tamen illud solum cui est coniuncta finalis impœnitentia; sed omne illud cui coniuncta est impœnitentia etiam temporalis, seu in cuius affectu quispiam hæret. Ad hunc modum Gelasius pontifex in Tomo de anathemate (extat Tomo secundo Conciliorum) sese declarauit intelligere; dum inquit: *Est peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus*. Eodem tendit expositio horum verborum quæ est apud S. Hieronymum in 4. Jeremiæ, ad illud; Dixit Dominus ad me, *Noli orare pro populo isto in bonum*. Et quæ apud Oecumenium in huius loci commentario. Eius verba sunt ista; Hoc solum est peccatum ad mortem quod ad pœnitentiam non respicit. Sed & illi peccant ad mortem qui iniuriarum sunt memores. Nam & hi, seruantes iram contra proximum, sine pœnitentia peccant. Quare, ex aduerso *peccatum non ad mortem*, dicitur Apostolo, quod est mortale quidem, sed agitur eius pœnitentia. Ita describimus: quoniam de solis mortalibus hinc loqui videtur Apostolus dum peccatorum alia vocat *ad mortem*, alia *non ad mortem*; ita (inquam) videtur, propter illud, *dabitur ei vita*.

Videbitur hoc mitum alicui, quod peccatum quoddam mortale dicatur non esse ad mortem. Vnde enim est mortale? Sed meminisse debet quod Saluator Ioann. 11. dicebat, *Infirmus hæc non est ad mortem*: cum tamen Lazarus ex ea infirmitate mortuus fuerit. Sic in proposito, peccatum mortale cuius vera pœnitentia agitur, non est ad mortem; quoniam nec ipsa mors quæ ipsum mortale est, est ad mortem; sed ad gloriam Dei: sicut de corporali morte Lazari dixit B. Augustinus in illius loci commentario. Tract. 49. in Ioan.

EST PECCATVM AD MORTEM: NON PRO ILLO DICO VT ROGET QVIS. Magnam primà fronte difficultatem parit hæc Apostoli sententia: quoniam Dominus nos orare iubet etiam pro persequentibus & calumniantibus nos Matth. 5. Et ipsius Domini exemplum videtur aliud requirere, qui in cruce pendens orauit pro interfectoribus suis. Lucæ 23. Simile fecit protomartyr Ste-

phanus Act. 7. Responso. Apostolus Ioannes hoc loco non prohibet fideles pro fratribus orare quos sciant teneri peccato ad mortem: sed ad id non audeat hortari quemlibet Christianum, vt scilicet protali oret cum ea impetrandi fiducia, de qua loquutus est ver. 14. & huius parte priore; hoc est, qua pro fratre peccante non ad mortem, siue, sui peccati pœnitentiam agente. Responso ista habetur ex S. Ambrosio lib. priore de pœnit. cap. 9. & ex B. Hier. lib. 2. contra Iouin. vltra medium.

Oritur dubium, An igitur vulgares Christiani non teneantur orare pro persequentibus & calumniantibus siue ipsos siue catholicam religionem, & in talium peccatorum affectu hereticis. Et idem de quibusuis alijs quos sciamus teneri aliquo peccato ad mortem, quæri potest. Certè præceptum Domini Matth. 5. videtur generale; *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*: & vel in primis de talibus loqui, in sua contra nos iniuria permanentibus. Et quicumque in mortali aliquo peccato sit hærent, & eius affectu ita sunt irretiti, vt salutem suam quodammodo contempnant; hi profectò in grauiore cæteris peccatoribus versantur periculo, ideoque magis indigent vt pro ipsis oretur. Si dicas, Non volunt iuuari, quia non agunt pœnitentiam, sed placent sibi in peccato suo: replicabitur, Tanto magis indigent vt à pijs Deus rogetur ipsis dare pœnitentiam. Respondendum alicui videretur ex mente Sancti Ambrosij loco nunc proxime citato, quod pro talibus orandum est, sed à magno intercessore & magna cum prece. Tanto autem maior apud Deum peccator ac intercessor est quispiam quanto est maior Dei amicus; est autem eo maior apud Deum amicus quanto est sanctior. Res valde magna est talium peccatorum conuersio: est autem pœnitentia, vel speciem pœnitentia habet si rem valde magnam pro alio quilibet à Deo audeat petere. dicente Heli, 1. Reg. 2. *Si in Dominum peccauerit vir: quis orabit pro eo?* Vnde & S. Bernardus, pro homine sepulto in consuetudine mala, vel excommunicato; dicit ingemiscendum potius quàm orandū. Tract. de duodecim grad. humilit. in fine. Sed ille gemitus oratio est. Itaque ad dubitationem de vulgaribus, id est mediocriter sanctitatis Christianis, propositam, vel etiam de pœnitentibus; An pro alterius peccato ad mortem orare teneantur: respondendum est affirmatiuè, teneri: non tamen fiducia suæ sanctitatis, vel amicitia quæ ipsis cum Deo sit, hoc facere debere; sed intentione satisfaciendi diuino præcepto nunc allegato, & alioqui generali præcepto charitatis quo omnes proximos iubemur diligere. Conformis est hæc responso ijs quæ leguntur apud S. August. De corr. & grat. c. 15. & 16. & apud S. Thom. 2. sec. quæst. 83. art. 7. ad 3.

Verba Didymi sunt; Totus, ait, mundus maligno est subiectus; quod omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Quæ Didymi verba legebantur apud S. Ambrosium in libro aduersus Nouatianos; & inde citat S. Aug. lib. 2. contra Iulian. c. 3. & Beda in huius loci commentario.

Magnum igitur Dei beneficium his verbis Apostolus nobis ob oculos ponit, nempe quod soli boni Christiani sunt extra potestatem diaboli. Quod idem Paulus Apostolus Ephesijs inculcat c. 2. & Colossensibus, c. 1. Eandem hanc assumptionem alijs verbis S. Ioannes repetit, v. seq.

20 ET SCIMVS QVONIAM FILIVS DEI VENIT; ET DEDIT NOBIS SENSVM VT COGNOSCAMVS VERVM DEVM. *Scimus quoniam* (id est, quod, *scilicet*) *Filius Dei venit*; nimirum per assumptam humanitatem, conuersatus inter nos, & operatus salutem nostram passione & morte sua. Hoc sciunt omnes Christiani certitudine fidei. *Et dedit nobis sensum*. In hac secunda parte non est necesse subaudire illud *en*; quod præcessit: sed rectè intelligitur vt sit assertio per se, non pendens ex præcedente. Idem iudicium (vt hoc obiter addamus) de posteriore parte versus 19. relata ad priorem eiusdem. *Sensum*. Græcè est *διδωσαν*, sed rectè noster Interpres; quoniam vtitatissimum est omni generi authorum, verba *videndi* & *sensuendi*; & ijs coniugata vocabula, transferre ad mentem. *Ut cognoscamus verum Deum*. Tametsi multi Græci codices non habeant illud, *Deum*; meliores tamen videntur qui habent: quoniam illud *verum* masculinum est, vt patet ex articulo addito, *τὸν ἀληθινόν*. Congruit itaque hic locus cum verbis Saluatoris Ioan. 17. in princ. *Verus Deus nominatur ad differentiam falsorum deorum, idolorum scilicet & aliorum*. Videtur autem hoc loco esse nomen personale, & significare Deum Patrem; propter illa relatiua verba proximè sequentia,

ET SVMVS IN VERO, FILIO EIVS. *Sumus*, scripsisse interpretem conformiter originali, vix est dubitandum: & qui bene perpenderit commentarium Bedæ & Thomæ, sentiet eos ita legisse. Mutauerint audaces scribæ, non aduertentes quod hac parte sit assertio per se, non verò dependeat ex præcedente coniunctione *vt*.

Secunda igitur & tertia parte huius versus, exprimit Apostolus duos effectus aduentus Christi & redemptionis per eum factæ, quos omnes boni Christiani iam sint adepti. Prior, est vera fides: nam hæc est ille *sensus* quo vnicus ille verus Deus cognoscitur. Posterior, est incorporatio in corpus Christi, adeoque in ipsum Christum; quæ facta est per iustificationem acceptam in baptismo. Ea declaratur verbis illis, *Et sumus in Vero, Filio eius*. Vbi illa duo nomina *Vero* & *Filio* commate se-

paranda sunt in nostris libris: nam Græcè reperitur & interponitur vocula *et*. Ita enim legitur. *Et sumus in illo Vero, in Filio eius Iesu Christo*. Hæc duo namque postrema illic adduntur. Potest esse ambiguum an illud *Vero*, quod est in hac tertia istius vers. parte, significet Patrem an Filium. Et videtur rectius, intelligi Patrem; sicut intelligitur parte secunda: & nihilominus, etiam Filius ab Apostolo verbis expressis nominatur verus Deus, parte huius v. quarta, quæ sequitur;

HIC EST VERVS DEVS ET VITA ÆTERNA. Filius Dei vnigenitus est sua diuina vita æterna, per essentiam: est angelorum & hominum vita æterna, causaliter; idque bifariam. Nam & materia est vitæ æternæ, quoniam eius diuina natura est beatificæ contemplationis obiectum; & ipse in beatis efficit illam ipsam contemplationem, per lumen gloriæ mentem ipsorum veluti eleuando & roborando, & speciali cooperatione eam contemplationem in ijs faciendo. Est verò vitæ æternæ hominum beatorum Christus homo causa etiam alio modo, quatenus passione & morte sua ipsis eam à Deo Patre promeruit.

Et hæc de vita æterna propriè sic dicta, quæ est in patria: est autem etiam vitæ æternæ quæ est in via, Filius Dei & materia & causa effectrix & causa meritoria. Ita fit vt cum hoc ver. 20. consonet id quod Saluator, audientibus Apostolis, ad Patrem dicebat, Ioan. 17. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*.

Hi ergo sunt fructus, prærogatiue & dignitates Christianismi, quos & quas toto capite, imò tota epistola S. Ioannes exposuit; propter quos & quas sit constanter in Christi affectuosa & obediens fide permanendum, inter omnes violentias & fraudulentias diaboli & clientum eius, hominum scilicet ethnicorum, hæreticorum vel alio quouis modo infidelium, aut alioqui malorum. Porro fideles tantis beneficijs à Deo affectos, tanta præmia expectantes, tanto suo malo à fide vel obedientia Christi defecturos, si desciscant: putauit Apostolus eo tempore ijsque in locis, vna insuper de re serio monendos; claudens epistolam hac adhortatione,

21 FILIOLI, CVSTODITE VOS A SIMVLACRIS. AMEN. Græcè sonant ad verbum vt noster Interpres reddidit: Nam pro isto *simulacris*, illic est *τῶν εἰδωλῶν*. vt sensus sit; Charissimi filij, extremo hoc loco illud vobis etiam atque etiam volo impressum in animos, vt caueatis vobis ab idolis. Quæ sit huius clausulæ sententiæ, expendendum

est; &

est; & quorsam eam Parthis fidelibus, ad quos hæc prima epistola scribitur, inculcaram velit Ioannes Apostolus. Sunt variæ interpretationes. Prima, & haud dubiè maximè germana, quam Didymus priore loco ponit, & solam ex eo reperit Oecum. est, vt sensus sit, Cauete vobis ab omni idololatria, omnique idololatriæ parte ac specie. Sed continuo quæstio oritur, cur hoc sine moneat siue præcipiat B. Ioannes fidelibus, iam ab idololatria ad vnus veri Dei & Christi Domini fidem conuersis, præsertim quum in varijs huius epistolæ partibus eos laudauerit tanquam sanctos, tanquam victores diaboli, tanquam filios Dei. Respondet Didymus atque ex eo Oecumenius, & rectè, quod hæc epistola scribitur vniuersæ ecclesiæ Parthorum Christianorum; in qua (vt in quavis alia) erant omnis generis fideles, & inter alios quidam non satis firmi & integri in fide Christiana; sed lubrici, aut retinentes adhuc quosdam veteris idololatriæ reliquias. Idcirco hac finali monitione eorum saluti consulere voluisse Apostolum. Confirmat hanc responsionem Didymus ex Paulo apostolo, qui cum 1. Corinth. 1. laudasset eos tanquam *diuites in Christo*, & *quibus nihil deesset in vlla gratia*: idem tamen in eadem epistola eosdem Corinthios de varijs peccatis reprehendit, vel præmonet, ac nominatim de idololatria; volens nimirum vt nullo modo contaminarentur cultu idolorum, neque directè neque indirectè, neque specie tenus; veluti comedendo idolothyra, aut recumbendo in idolo. Vnde eiusdem prioris ad Corinthios cap. 5. ita scribit; *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis seruans: cum eiusmodi nec cibum sumere*. Ecce, nominat fratrem, qui tamen seruiat idolis; scilicet externa professione aut professionis specie, contaminando nimirum sese manducatione eorum quæ idolis erant immolata: sicut idem Apostolus seipsum exponit cap. 8. toto, & parte cap. 10. Quo posteriore loco, concludens doctrinam & exhortationem suam de idolothytijs, ita loquitur; *Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura*. Quæ est eadem sententia cum hac Apostoli Ioannis. Hac nimirum de causa, in generali Apostolorum concilio erat prohibitum ne fideles vescerentur idolothytijs, Act. 15. Quæ vtiq; prohibitiones non solius scandali vitandi causa factæ sunt his Scripturæ locis; sed etiam periculi. Nec enim mediocre erat periculum Christianis in medio idololatrarum degentibus, præsertim rudioribus vel infirmioribus, ne vel metu, vel pudore, vel placendi studio facerent saltem externum aliquid ad idolorum cultum pertinens. Quomodo nunc (ah dolor) nonnulli catholici habitantes inter hæreticos rerum per diuersas prouincias potientes, interdum quædam faciunt aut dicunt fidei catholice aut

instituti Ecclesiæ dissentanea.

Et ex his liquet quanta vel imperitia vel improbitate Sectarij hunc locum B. Ioannis detorqueant aduersus imagines Christi Domini & Sanctorum; asserentes non posse intelligi de idolis ethnicorum, eo quod (vt aiunt) fidelibus ad quos scribit Apostolus, nullum erat periculum cultus idololatriæ. Dicant igitur de quibus idolis loquuti sint Apostoli in suo decreto Ierosolymis facto, Actorum 15. & de quibus sit loquutus Paulus Apostolus in epistola ad Corinthios, locis citatis. Dicant etiam qua in schola didicerint imagines CHRISTI aut Sanctorum, appellare idola. Nos autem cum Synodo Nicena secunda, Actione quinta & septima (vtrouque sub finem) anathema dicimus omnibus qui eas idola appellant.

Audiant potius Sectarij quæ sit huius apostolicæ sententiæ altera apud Didymum expositio, eademque prima inter eas tres quas ponit Venerabilis Beda; nimirum *idola* hic appellari opiniones & doctrinas hæreticorum. Quæ expositio, si non est planè genuina & ab Apostolo his in verbis intexta: est certè illi proxima. Nam de cauendis pseudopphetis & antichristis multa dixerat Apostolus hac epistola cap. 2. & 4. Porro eorum opiniones & doctrinæ merito dicuntur *idola*; quia ab illis proponuntur tanquam Dei verbum, & tanquam earum susceptione ac veneratione colatur Deus; quum sint impiæ falsitates. *Idola* igitur merito appellantur; quum sint quædam repræsentationes, siue sensibiles siue intelligibiles, cultus diuini exercendi causa formatae ac propositæ, quibus tamen nihil rei subest. Videtur autem Didymus hanc suam posteriorem expositionem priori quodammodo præferre; quando subiungit, quod, si hoc modo ista Apostoli verba intelligantur, congruus finis per ea huic epistolæ imponatur, in qua de pseudopphetis & antichristis cauendis fideles monuerat. Pro eodem huius Scripturæ intellectu adferri possunt B. Hieronymi diuersa loca: In cap. 2. & in 44. Isaia. In c. 3. Danielis. In cap. 2. Abacuc prophetæ, ver. 18. In cap. 13. Zachar. v. 2. Adde S. Augustinum Confess. lib. 7. cap. 14. vbi significat quod *hæretici suam ipsorum animam faciunt templum idolo, in quo collocant figmentum erroris sui*. Adde Vincentium Lirinensem, sui libelli cap. 15. vbi ait quod in veteri testamento *per deos alienos allegoricè intelliguntur hæreses*; quod ita ab hæreticis opiniones suæ, sicut à gentilibus dii sui, obseruentur.

Tertia expositio est apud Commentatorem Sancti Thomæ nomen præferentem, qua per *idola* hic intelligitur simulata hæreticorum pietas, ipsique addo hæretici quatenus pietatem simulant.

Posset

Posset generaliter totum genus hypocrisios nomine idolorum censeret; quia species sanctitatis assumitur à simulatoribus, quum non habeant. Huc adferri queat illud Zachariæ prophetae, cap. 11. *O pastor & idolum, derelinquens gregem.*

Quarta expositio, quæ est secunda apud Bedam, hic per *idola* intelligit auaritiam; quæ Paulus Apostolus dixit esse idolorum seruitutem. Ephes. 5. Coloss. 3.

Quinta expositio est, quæ apud eundem Vener. Bedam his verbis paraphrasticè effertur; *Oservate nequam mandis illecebras conditoris amoris praponatis: nam & hoc inter idola reputabitur.*

Cæterum, satis per se liquet, quartam & quintam expositiones, tametsi verissimam doctrinam contineant, non esse ad mentem Apostoli in verbis istis, *Caute vobis ab idolis.* Secunda & tertia propius accedunt: prima verò indubiè est maximè genuina, ut dictum est.

Sed ex hac postrema clausula, vnum quiddam colligere debemus, quod concernat eos quibus hæc epistola scripta est. Nempe, quum satis constet scriptam esse ad Parthos, ut testantur S. Higinus Papa epist. 1. cap. 1. in fine. D. Augustinus Quæst. Euangelic. lib. 2. q. 39. & Possidius in Indiculo, commemorans Tractatus B. Augustini in epistolam primam Ioannis, his verbis; *De epistola Ioannis Apostoli ad Parthos. Sermones decem. necnon Io-*

nes 2. Papa in epistola ad Valerium; quum (inquam) hi omnes sine dubitatione tradant esse scriptam ad Parthos: ex hac finali clausula debemus ratiocinari nõ esse scriptam solis Iudeis in Parthia ac finitimis prouincijs degentibus ad fidem Christi conuersis; sed etiã ad earum regionũ gentiles, iam factos Christianos. Nam post aduentum Christi Iudæi non coluerunt idola, ut soliti erant facere quondam: ut hoc beneficium ea gens à Christo Iesu acceperit, tametsi ab ea non recepto. Proinde non propter Iudæos Parthos ad Christianismum conuersos, posita est hæc vltimis verbis monitio; sed propter eos qui illis in prouincijs ex ethnicis idololatri fuerat ad fidem Christi adducti.

AMEN. Hac vocula, velut sigillo quodam, obsignat epistolam suam Apostolus. Valet autem ad cõfirmandum ea quæ tota epistola tradiderat fide tenenda: tanquam diceret, Verè hæc ita se habent. Veritatem corã Deo dixi vobis. Valet item ad approbandum præcepta & monitiones quas per totam epistolam fecit; quarum vltima est extremis epistolæ verbis proximè explicatis. Approbat enim qui optat aliquid fieri. Et horum respectu istud Amen, positum est pro eo quod diceretur, Ita fiat. Nam LXX Interpretes ad finem psalmi 40. 71. 88. ac 105. quod Hebraicè est Amen, amen, reddiderunt, Fiat, fiat. Diximus ea de voce satis multa in commentario ad finem psalmi illius 40.



DE AVTHORE
ET AVTHORITATE
SECUNDÆ AC TERTIÆ
EPISTOLARVM
SVB SEQVENTIVM.



NON defuerunt hoc sæculo qui de autoritate & authore harum duarum epistolarũ dubitare velent: quibus argumentis moti, postea dicemus, si prius vna eademque opera eas & Ioannis apostoli esse, & canonicas esse scripturas, ostēderimus. Cui rei sufficere possunt hæc. Concilium Cartagin. tertium can. 47. texens catalogum scripturarum canonicarum, eas alijs scripturis annumerat, & quidem sub nomine Ioannis apostoli. Easdem eodem modo recenset Innocentius primus in Canone vniuersali sacrarum scripturarum, quæ misit ad Exuperium Tholosanum in Gallia episcopum, epist. 3. c. 7. Idem fit in Concilio Laodiceno cap. vlt. Eundem Canonem recitat S. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c. 8. vbi similiter hæc duæ ut apostoli Ioannis numerantur. Accedit quod Ecclesia iã olim eas in Nocturno officio inter canonicas scripturas recitat, sub titulo Ioannis apostoli. Sub quo titulo easdem allegant vetustissimi quicquid scriptores. Tertullianus De præscriptionibus c. 12. coniuncto cum 33. eiusdem operis. Et lib. de carne Christi c. 24. In Synodo Cartaginensi quæ sub Cypriano habebatur, ita legitur sententia 81. inter episcoporum suffragia; *Ioannes apostolus in epistola sua posuit, dicens; Si quis ad vos venit &c. ex secundæ epistolæ v. 10.*

Obijcitur autem quod B. Hieronymus Catal. in Ioãne, dicit; Reliquæ duæ epistolæ, Ioannis presbyteri asseruntur: cuius & hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur. Sed facilis est responsio, S. Hieronymum obiter referre quid alij nonnulli tunc dicerent: non verò approbare neque quod de sepulcro neque quod de epistolis dicebant esse alterius cuiusdam Ioannis. Subdit enim, *Nonnulli duas putant esse memorias eiusdem Ioannis euangeliste.* Hoc de sepulcro Hieronymus. De epistolis autem his quid sentiat ipse, manifestum est ex epistola eius 85. Clangat, ait, tuba euangelica, filius tonitru (respicit ad id quod legitur Marci 3.) quem Iesus amavit plurimum (Ioan. 13. Item 19. & 21.) qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluentia potauit (d. cap. 13): Presbyter Electæ dominæ, & filijs eius, quos ego diligo in veritate.

Et in alia epistola, Presbyter Caius charissimo, quem ego diligo in veritate. Hactenus Hieronymus, recitans initia secundæ & tertiæ epistolarum, cum designatione B. Ioannis Apostoli; idque in epistola serio reprehensoria. Idem epist. 103. quæ est ad Paulinum; Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas Apostoli *septem epistolas ediderunt*, tam mysticas quam succinctas; breues in verbis, longas in sententijs: ut rarus sit qui non in earum cæcutiat lectione.

Obijcitur præterea, quod Papias Apostolicorum penè temporum scriptor, nominat duos Ioannes; alterum, Apostolum; alterum, presbyterum. Verba Papiæ sunt apud Hieron. Catal. in Papiæ, ubi postquam nominauerat Ioannem Apostolum Papias, eodem sermone adiungit Ioannem seniore. Responsio. Papias eodem sermone ait Ioannem seniore & Aristionem fuisse discipulos Domini: quare duæ istæ epistolæ, etiamsi Ioannis illius senioris essent, non carerent autoritate. Sed illius esse; neque dicit Papias, neque ex verbis eius colligere possumus. Prorsus enim nihil de his epistolis Papias dicit. Itaque tota vis huius obiectionis in eo est posita quod author harum duarum epistolarum in fronte sese nominat presbyterum. Sed, quæso, an id non conuenit Ioanni Apostolo; etiamsi tunc temporis fuerit alius quispiam presbyter, & admodum prouectæ ætatis, qui etiam ipse Ioannes vocaretur? Argumententur eadem opera priorem B. Petri epistolam non esse ipsius; quoniam sese presbyterum nominat, initio cap. 5. ait enim: *Presbyteros qui inter vos sunt, obsecro qui & ipse sum presbyter, & testis passionum Christi*. Quam B. Petri sententiam S. Hieronymus epistola 85. ita recitat; *Presbyteros in vobis precor compresbyter & testis passionum Christi &c.*

Est autem omnibus his locis istud *presbyter*, nomen dignitatis potius quam ætatis: ideoque ab Interprete Latino fuerat retinendum; sicut ubique retinetur nomen *Apostoli*, nec in Latinam linguam ab eo transfertur. Nam ut nomina ista *Apostolus* & *Episcopus*, aliaque complura, tametsi Græca sint, tamen ab exordio nascentis ecclesiæ Christianæ facta sunt Latinis Christianis familiaria, domestica & quotidiano vsu trita, ita ut sine interpretatione sint retenta inter Latinos: ita & nomen *presbyteri*, quando gradus vel dignitas significatur; quantumuis istud *πρεσβυτερος* ad verbum idem sonet quod *senior*. Id nos suo exemplo docet Beatus Hieronymus, epistola illa 85. dum harum duarum epistolarum initia, & locum citatum ex priore B. Petri, allegans; non *Senioris*, sed *Presbyteri* nomine utitur: sicut patuit ex his quæ ex illo proximè, & in responsione ad priorem obiectionem recitauimus. Ipsum *senioris* vocabulum in linguis deriuatis ex Latina, nimirum Italica, Hispanica, Gallica, non ætatis nomen est, sed dominij aut nobilitatis. Et Latinum nomen *Senatus*, etsi à senio deriuatum, an idcirco ætatem significat? Sic nomen *presbyteri*, Latinis & semi-latinè loquentibus, nationibus scilicet quas dixi, est vocabulum dignitatis Ecclesiasticæ, non senectutis. Ille Latinis

retinendum

retinendum nomen *presbyteri*, quando gradus ecclesiasticus non senilis ætas, significatur; monuit diligenter Laurætius ad caput 15. Actorum apostol. & ad initium secundæ B. Ioannis; quod idem facit Desiderius ad cap. 20. Act. & ad cap. 5. prioris B. Petri. Quare interpres latinus qui in sua versione retinuit nomen *presbyteri*, cap. illo 15. Act. ver. 2. rectius fecisset si retinuisset etiam versibus 4. 6. 22. 23. & 41. eiusdem capituli; item capituli 16. v. 4. Necnon capituli 20. v. 17. Nam eiusdem c. ver. 28. dicuntur *episcopi*, qui prius illic *presbyteri* fuerant nominati. Idem iudicium de initio capituli 5. prioris B. Petri, & de principijs harum duarum epistolarum. Certè, epistolæ ad Titum cap. 1. in princ. & epistolæ B. Iacobi cap. 5. v. 14. Interpres vidit retinendum esse nomen *presbyterorum*, nec vertit in *seniores*. Sectarij nostræ ætatis saltem Laurentium & Desiderium hac in re deberent audire; neque Græcum *πρεσβυτερος* in suis Latinis & vernaculis interpretationibus ubique vertere in *seniore*; odio scilicet gradus ecclesiastici, & sacramenti Ordinis: cuius significationem habet, non Latinum *Senior*, sed Græcum *presbyter* vsu Christianorum, etiam transformatum in linguas vulgares. Neque facile inuenient sectarij in scripturis noui testamenti, ubi Græcum nomen *πρεσβυτερος* significet ætatem.

Atque hæc ad obiectionem posteriorem (quam & Oecum. dissoluit) ideo pluribus nunc diximus, ne initio secundæ aut tertiæ epistolæ nobis sint repetenda. Quanquam ibi nonnihil addimus.

Poterat, ad probandum has duas epistolas esse Ioannis apostoli, etiam hoc adferri, quod dogmatum, sententiarum & verborum in his non tam similitudo sit quam identitas, cum ijs quæ sunt in prima. Id quod liquebit conferenti 1. Ioan. 2. ver. 7. cum secundæ epistolæ ver. 5. Item 1. Ioan. 2. v. 23. cum secundæ v. 9. Rursus 1. Ioan. 3. v. 6. cum epistolæ tertiæ v. 11. Item 1. epist. 4. v. 1. 2. 3. cum secundæ v. 7. Sic 1. Ioan. 5. v. 3. cum secundæ v. 6. Denique, 1. Ioan. 3. v. 18. cum ijs locis secundæ & tertiæ, quibus inculcat *charitatem & dilectionem* quæ sit in *veritate*. Hoc ex sententijs, sermonum & dogmatum identitate argumentum, etiam Vener. Bedæ & Oecumen. posuerunt; sicut & Baronius, ad annum Christi 99. §. 9. Qui plura desiderat, legere poterit Pamelium annotat. 195. ad librum Tertull. De præscriptionibus aduersus hæreticos.

ARGVMENTVM SECVNDÆ B.

IOANNIS EPISTOLÆ.

Conferenti huius epistolæ versum 7. cum varijs locis primæ epistolæ, per nos indicatis annotatione ad capituli 5. versum 8. & cum his quæ leguntur apud Tertull. De præscript. cap. 46. & apud S. Epiphanium hæresi 24. paulò post init. satis apparebit, hanc breuem epistolam principaliter scribi aduersus impietatem Basilidis & sectatorum eius; tunc temporis docentium, Christum non verum ho-

H h h h mine

minem, sed phantasma tantum fuisse; ideoque nihil eum reuera vel fecisse vel passum esse eorum que visus fuerit facere vel pati. Quod est euertere totum fundamentum redemptionis nostre.

Gratulatur ergo Apostolus Ioannes mulieri nobili Christiane, & filijs eius, quod rectam de Iesu Christo fidem teneant; hortatur ut in ea perseuerent, eamque per charitatem & obedientiam bonis moribus constanter exornent; denique ut hereses & hereseon disseminatores summo studio deuitent: alioqui non permansuri in via salutis.

B. IOANNIS EPISTOLA SECUNDA.

SENIOR ELECTA DOMINAE, ET NATIS EIUS; &c. *Senior electa Domina*, subauditur, *salutem dicit*, vel, *scribit hac*, aut quid simile. *Senior*. Græcè est, *πρεσβυτερος*. *Presbyter*, quod nomen latinizatum (ut sic loquar) hic fuerat retinendum, ut supra diximus; quoniam dignitas ecclesiastica significatur, eaque non infima, sed episcopalis, imò dignitas episcopi primatis. Nam is fuit Apostolus Ioannes per Asiam; cuius totius fundauit rexitque ecclesias; inquit Hier. Catal. in Ioanne. Fuit primis ecclesiarum temporibus in usu, ut episcopi etiam quatenus episcopi sunt, dicerentur presbyteri, quod hic monet Oecumen. & doceri potest ex Act. 20. v. 17. collato cum v. 28. eiusdem, & ex Tit. 1. v. 5. collato cum v. 7. eiusdem. necnon ex superius allegato initio c. 5. prioris B. Petri: ubi pro illo quod noster dixit, *providentes*, Græcè est *ἐπινομήσαντες*, *episcopos*, si liceat sic loqui, quibus primis verbis essent nominati *presbyteri*.

Et quoniam Ioannes apostolus totius Asiæ fuit primas: idcirco credibile est, quod per excellentiam dicebatur seu *episcopus* seu *presbyter*, non addito semper nomine proprio: ut non sit mirandum quod in fronte huius & tertie epistolæ, ad nomen *presbyteri* non sit additum nomen eius proprium, ut neque in prima epistola usquam exprimitur. Quia verò non est credibile tali per excellentiam appellatione fuisse celebratum Ioannem illum seniore, de quo dictum est, diuersum ab apostolo & euangelista Ioanne, quem nemo tradit usquam fuisse episcopum: idcirco videtur ex hac proprii nominis omissione argumentum sumi posse, authorem secundæ & tertie epistolarum non fuisse illum Ioannem cognomento seniore; contra quam ratiocinentur isti dubitatores.

Electa. non liquet an hoc sit nomen proprium mulieris ad quam scribitur epistola, an commune. Id quod potius existimandum videtur: quoniam in fine epistolæ etiam soror eius vocatur *electa*; non solent autem in

eadem familia duæ proles esse cognomines. Posse sumi tanquam commune, Oecumen. sua expositione ostendit; & rectè: eo quod soleant Apostoli in suis epistolis vtriusque sexus fideles vocare electos, honoris secundum Deum causa. Rom. 16. *Salutate Rufum electum*. Coloss. 3. *Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiae*. &c. 1. Petri. 1. *electis aduenis dispersionis* &c. Et c. 5. in fine, *Ecclesia in Babylone coelecta*. Videtur autè Apostoli quando sic loquuntur, non solum intelligere electionem ad fidem & gratiam iustificationis, sed etiam electionem ad gloriam aeternam: verum loqui ex bona fiducia, non ex omnimoda certitudine. Decet enim nos considerare quod Deus quibus dedit fidem, poenitentiam & remissionem peccatorum, cum gratia iustificante; dabit etiam in bono perseverantiam & vitam aeternam: ut declarat Paulus apostolus, scribens Philippensibus (cap. 1.) *sepe confidere quod Deus qui in ipsis inchoauerat bonum opus, esset illud perfecturus usque in diem Christi Iesu; sicut (ait) est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis*.

Domina. *υγια*. Videtur fuisse mulier nobilis siue genere siue opibus; benefica in pauperes & peregrinos; quantum potest colligi ex versibus 8. & 10. Ea de causa videtur illam appellare *Dominam*, honoris gratia: non solum hoc loco, sed & v. 5. Alioqui poterat vocare filiam: sicut Caium cui tertia epistola scribitur, inter filios ponit, illius epistolæ v. 4. Sed moris est apud bene moratas gentes, infirmiore in sexu titulis & alijs decentibus modis honorare. Videmus aliquid tale factum à Paulo apostolo Rom. 16. *Salutate*, inquit, *Rufum electum in Domino, & matrem eius & meam*.

ET NATIS EIUS. *Natos* dixit interpres, poetico apud Latinos vocabulo, pro filijs; quo *filiorum* nomine passim alibi reddit illud Græcorum *τετρα*.

QVOS EGO DILIGO IN VERITATE. Quos refert totum præcedens, scilicet *dominam & filios eius*; ut patet ex articulo postpositiuo *δὲ*.

Quod autem dicit se illos *diligere in veritate*, significat quod sincero, Chri-

stiano

stiano, & qui secundum Deum sit amore eos prosequatur; quodque eum amorem rebus ipsis ostenderit, & porro ostendere sit paratus. Dixit enim prioris epistolæ c. 3. *Filii mei, non diligamur verbo neque lingua, sed opere & veritate*.

ET NON EGO SOLVS, SED ET OMNES QUI COGNOVERUNT VERITATEM. Per *veritatem*, intelligit veram catholicam fidem, seu eius dogmata. Notum est autem quod sicut omnes catholici toto orbe terrarum in doctrina fidei & morum salutarium conueniunt: ita singuli alios omnes, qua quidem parte tales sunt, ament & in Deo diligant. Id quod de hæreticis inter se comparatis dici non potest: ut qui non minus alij ab alijs, quam omnes simul à catholica veritate dissentiant. Quæ data est expositio, legitur apud Vener. Bedam; & confirmari potest per sequentia Apostoli verba,

PROPTER VERITATEM, QUÆ PERMANET IN NOBIS. Illud propter *veritatem*, referendum est ad verbum *diligo* in præcedente sententia positum; & consequenter ad verbum *diligant*, in tertia illius parte subauditum. Exponitur enim causa dilectionis qua singuli catholici amant alios omnes: nimirum ea quam nunc diximus, conformitas fidei per totam ecclesiam catholicam; quæ in ea fuit semper, & erit usque ad nouissimum mundi diem; iuxta diuinas promissiones; Itæ 59. Matth. 28. Ioan. 14. Nam quod hic dicitur, *nobis*, & *nobiscum*; ex persona vniuersorum catholicorum dictum est. Et hæc catholicorum inter se dilectio ac redamatio est illa philadelphia, ille amor fraternitatis, qui in omnibus verè catholicis reperitur: etiam si fortassis charitatem illam stricti nominis quæ amicos Dei constituit, non habeant; veluti si sint extra statum gratiæ. De hac philadelphia non semel nobis loquuntur Apostoli. Rom. 12. ver. 10. Hebr. 13. v. 1. Petri 1. v. 22. cap. 2. v. 17. cap. 3. v. 8.

SIT VOBISCVM GRATIA, MISERICORDIA, PAX &c. His verbis B. Ioannes vna eademque opera & saluationem ponit (non illam vulgarem, sed apostolo dignam, & alijs quoque apostolis in epistolarum exordio usitatam, Paulo scilicet passim, Petro in sua vtraque, & Iudæ in sua) & aduersus hæreses tunc grassati incipientes, Christi Domini tanquam vnigeniti filij diuinitatem & cum Patre æqualitatem, ante omnia declarat, ac tanquam fundamentum ponit; utpote à quo Christo, non minus quam à Deo Patre expectanda sint dona salutaria. Quæ quidem dona Apostolus fidelibus ad quos scribit, hic exoptat ista; *Gratiam, misericordiam & pacem*. De quorum distinctione hoc breuiter dixisse sufficiat, quod *Gratia* est quoduis Dei beneficium gratuitum conducens ad salutem aeternam. *Mi-*

sericordia est hoc ipsum beneficium, quatenus in miseros à Deo confertur, & miseriam subleuandæ destinatur. *Pax*, idiotismo Hebræo generaliter significat salutem, siue animi siue corporis; siue presentis vitæ siue futuræ. Hic tamen, habita ratione eius qui scribit, conuenit intelligere salutem animæ; quæ inchoatur in hac vita, & perseueratibus in iustitia durat in aeternum. Eadem hæc tria commemorauit, & planè eadem saluatione usus est Paulus apostolus initio posterioris ad Timoth.

Quod in fronte huius v. legitur, *Sit vobiscum*, Græcè est per futurum indicatiui, erit, *ἔσται*: sed notum est, illius modi futurum sæpè poni pro modo imperatiuo seu deprecatiuo.

Item Græci codices hic habent, *nobiscum*: quidam tamen nostræ lectioni consentiunt, habentes *ὑμῶν*.

A DEO PATRE, ET A CHRISTO IESU FILIO PATRIS IN VERITATE ET CHARITATE. Illud quod in fine atexitur, *in veritate & charitate*, ambiguum est utro pertineat; an ad illud, *Sit vobiscum*, an verò ad id quod proximè præcedit, *Filio Patris*. Videtur autem rectius adiungi ei quod proximè præcedit; ut quadam amplificatione significetur quod Christus sit Patri consubstantialis. q. d. *à Iesu Christo Filio Dei Patris, verissimo & dilectissimo*; utpote eiusdem cum ipso naturæ. Indicat potius quam exprimat hanc expositionem Liranus priore sua interpretatione. Præter hanc autem sunt duæ aut tres aliæ, minus probabiles; quas omitterimus: Vna apud Oecum. reliquæ apud Liranum & Thomastum.

GAVISVS SVM VALDE QUONTIAM INVENI DE FILIIS TVIS AMBULANTES IN VERITATE, SICVT MANDATVM ACCEPIMVS A PATRE. Aggreditur Apostolus hortari mulierem istam nobilem Christianam & filios eius, ut in recta de Christo fide constanter permaneant, atque in vera erga Deum & proximos charitate: Præmittit autem huic exhortationi laudem eorum, ut qui hæcenus in fide & Christiana charitate perstitissent. Verùm hanc ipsam laudem non laudationis formâ, sed suæ congratulationis, & tacitæ ad Deum gratiarum actionis specie, proponit. Id quod pijs & prudentibus faciendum est dum alios laudant: ut neque tentationem superbiæ ijs creent, neque diuina beneficia hominibus, Deo præterito, adscribant. Dicit ergo, *Gavisus sum valde*, utique gaudio spiritali, gaudio quod sit in Domino, ut Apostoli solent loqui, id est, gaudio de beneficijs Domini, cum animo gratias illi pro eis agendi. Et hæc gaudij istius materia verbis proximis exponitur, *Quoniam (seu, quod) inveni de filiis tuis ambulantes in veritate*. Quod ait, *de filiis tuis*, indicare videtur non omnes eius filios fuisse Christianos:

& nihilominus Apostolus de paucorum illorum conuersione, sibi & Dominae illi gratulatur, Deoque agit gratias: docens suo exemplo, nobis idem esse faciendum. *Ambulantes in veritate.* Is sic ambulat, qui in via recta progreditur; quod fit à mortalibus per profectum fidei & charitatis. Moneat hoc Didymus, Oecumenius & alij. *In veritate.* Veritas hic rectè intelligitur generaliter ut comprehendat veritatem vitæ ac morum, non minus quam veritatem fidei. Vtrotumque enim *veritate*, id est sinceritate ac integritate, opus est, ut quis ad salutem perueniat: & vtraque hæc sinceritas seu integritas passim in scriptura *Veritas* nominatur; ut cui nihil falsi, ficti, simulati, fucati sit admistum. Significat ergo, filios eius non solum fuisse Christianos, sed etiam bonos Christianos. *Sicut mandatum accepimus à Patre.* Ambulare seu manere in veritate de qua nunc dictum est, nobis mandauit Deus Pater, tum per legem naturalem, tum per leges suas positiuas, quas per ipsum Christum nobis promulgauit hominem factum. Eæ leges sunt præcepta fidei, præcepta charitatis omniumque virtutum salutis necessariorum. Quod pertinent hæc & similia Scripturarum loca. *Creditis in Deum: & in me credite.* Ioan. 14. *Qui non credit in Filium Dei, iam iudicatus est; quia non credidit in nomine Unigeniti filij Dei.* Ioan. 3. *Item, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22. resumptum ex veteri scriptura. *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos,* Matth. 5. In summa, *Siquis diligit me; mandata mea seruabit.* Ioan. 14.

Ostendit hic versus quanto spiritali gaudio omnes veri Christiani, in primis ij qui præfunt, exultent de recta fide, de bona vita suorum in Christo filiorum, ac omnino suorum proximorum, deq; eius constantia. Hinc nimirum Paulus apostolus dicebat, 1. Thess. 1. *Vos estis gloria nostra & gaudium.* Et Philip. 4. *Fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic stete in Domino.*

ET NUNC ROGO TE, DOMINA, &c. His verbis est cohortatio ad Christianam charitatem continuandam inter fideles mutuo, quum vndique tot insurgerent aduersarij & persecutores Christianismi. *Rogo.* sic loquitur, ut efficacius permoueat, dum is rogat cuius erat hortari & monere. Simile fecit Paulus Apostolus 2. Corinth. 5. fin. Ad Philem. ver. 9. & alibi. *Domina.* Ad illam quidem hic sermo dirigitur expressè; sed simul omnes illi fideles intelliguntur qui ad eam attinebant; filij eius vel in primis, de quibus ver. 1. & 4. Vnde in sequentibus ad sermonem pluralem reditur, versibus 6. 8. & 10.

NON TANQVAM MANDATVM NOVVM SCRIBENS TIBI. Hoc apponit (ait Oecum.) ut ostendat, id ad quod hortatur, neque peregrinum, neque insolitum ipsis esse, neque difficile. Ab initio enim quo facti fuerant Christiani, Dei dono didicerant & assueuerant amare Christianam fraternitatem, imo omnes homines, etiam inimicos. Quare præceptum dilectionis proximorum his non erat nouum: Imo sensu quodam rectè dicitur planè non esse nouum; ut dictum fuit ad primam epistolam. caput secundum ver. 7. vbi eadem ipsdem pene verbis sententia est. Videtur enim prima fronte esse contrarium quod Dominus ait Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Imò, quod Apostolus ipse subiicit c. illo 2. ver. 8. *Iterum, mandatum nouum scribo vobis.* q. d. Negauimus mandatum esse nouum quod vobis scribo de sincera charitate diligendis proximis: è diuerso tamen rectè dicitur esse nouum. Quo pacto autem hæc concilianda sint; Saluator insinuat verbis illis quæ superioribus suis Ioan. 13. attexit, inquit; *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nimirum, mandatum de dilectione proximorum, etiam inimicorum, est institutione sui antiquissimum, ortum cum ipsa natura hominum & angelorum; utpote pertineus ad legem naturalem; repetitum duntaxat lege positiuâ diuina septem posterioribus præceptis Decalogi, & quibusdam eò pertinentibus: ut videre est Exodi 23. in princ. Prouerb. 25. v. 21. & in euangelio. Est verò idem hoc mandatum, nouum & cum Christianismo ortum, quoad generalem, publicam & manifestam sui obseruationem. Nam nunquam sic eluxit in vilo hominum genere aut cœtu fraterna charitas, ut in Ecclesia Christi Domini; vbi initio vnusquisque Christianus ab alijs omnibus dicebatur *frater*; vnaquæque Christiana, *soror*. Neque amorem inimicorum suorum vlli alij homines tot tantisque exemplis declararunt, quot & quantis Christiani; etiam ethnicis testantibus & mirantibus: ut est videre passim in historijs sanctorum martyrum.

Ut diligamus alterutrum. Quamvis verba huius sententiæ nihil expresse sonent nisi hortationem ad perseverandum in charitate: inuoluunt tamen adhortationem ad permanendum in vera Christi fide; sine qua non est charitas: adhortationem (dico) tunc necessariam hæresibus vndique surgentibus. Quare Vener. Beda hoc loco dat hunc commentarium: Arguit hoc verbo hæreticos, qui relictis his quæ ab Apostolis audierant, noua dogmata inducere tentabant; ac per hoc charitatis fraternæ fœdera dissipabant.

Dicit

Dicit ergo, se nequaquam nouum mandatum scribere, sed hoc solum hortari ut antiqua fides in omnibus & charitas illibata perseveret. Sic Beda. Quamquam hic commentarius non huic duntaxat versui quadrat, sed simul sequenti.

6 ET HÆC EST CHARITAS, VT AMBULEMVS SECVNDVM MANDATA EIVS. Videtur Apostolus forte quodam suam adhortationem eò deducere, ut ad constantiam fidei initio christianismi acceptæ, fideles istos excitet. q. d. Si salui esse cupimus, est omnibus nobis necessaria charitas in Deum & proximos: charitatem in Deum non habet qui non obtemperat mandatis eius: inter cætera autem ipsius mandata est hoc ut permaneamus in illis fidei dogmatibus & morum præceptis quæ per sanctos apostolos Domini accepimus quum facti sumus Christiani. Ergo (sic iungimus vltimum primo) si salui esse vultis, fidem ab initio per apostolos Domini vobis traditam, retinere debetis. Cum verbis recitatis per omnia consentit quod fuit 1. Ioan. 5. v. 3. & quod toties in euangelio nobis Dominus inculcauit; *Siquis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Si diligitis me, mandata mea seruabit.* Ioan. 14. Ex dictis iam intelligitur quid sibi velit posterius hemistichium, huius versus 6. *Hoc est enim mandatum ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.* Illud enim abest Græcis; & fortassis melius cohærerent hæc præcedentibus ea vocula submota. Eadem sententia fuit supra, 1. Ioan. 2. v. 24. Si quis autem roget vbi extet mandatum Dei de permanendo in his quæ ab initio Christianismi sunt nobis tradita: dicendum est, hoc in primis esse legis naturalis. Deinde esse & legis positivæ Christi Domini & apostolorum, omnibus ijs locis quibus declaratur necessitas veræ fidei ad salutem obtinendam. Dicta sunt nonnulla ad v. 4. Hæc possunt addi: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marci 16. *Corde creditur ad iustitiam.* Rom. 10. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11.

7 QVONIAM MULTI SEDVCTORES EXIBVNT IN MVNDVM, QUI NON CONFITENTVR &c. Hic in particulari commemorat Apostolus à quibus hæresibus & hæreticis tunc grassantibus, debeant sibi cauere fideles hi quibus scribit. & eadem est ratio de quibusvis alijs: quoniam *bonum est ex integra causa; malum ex singulis defectibus;* ut ait S. Dionys. de diuin. nom. cap. 4. parte 4. & ex eo sæpe reperit B. Thomas. Ita fit, ut ad amissionem fidei catholicæ, & consequenter salutis æternæ, sufficiat vel vnam hæresim tenuisse: quare omnes omnino vitandæ sunt.

Porro hæresis aduersus quam specialiter istos hoc loco munit Ioannes apostolus, erat

Basilidis & gregalium ipsius, qui docebant Christum non apparuisse in vera humana natura, sed duntaxat in spectro seu phantasmate. Diximus hoc etiam superius, in argumento huius epistolæ, & ad v. 8. cap. 5. epistolæ 1. Diximus autem ex Tertull. De præscript. c. 46. & ex S. Epiphano hæresi 24. paulo post init. Quam stultissimam impietatem postea resorbuit Manes vnde Manichæi. *Multi seductores.* Græcè est *πλάται*, vocabulū latinis etiam tritum, quod significat *impostores, deceptores.* Sed hi non in re vulgari deceptores erant, verum in negotio sempiternæ salutis. *Exierunt in mundum.* Græcè est, *Ingressi sunt;* sed eodem redit, eò quod dicitur *in mundum.* Sensus igitur, Multi perniciosissimi hostes salutis, impij deceptores, grassantur per mundum; circumvolant omnes & omnia. Quam verò impietatem haberent & docerent, exponit dicens; *Qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem.* Codices Græci habent *in carne;* & ita, legitur etiam in nostris libris, 1. Ioan. 4. ver. 2. sed sensus eòdem recidit, hic nimirum; *Qui negant Iesum veram carnem veramq; humanam naturam assumpsisse;* & in ea inter mortales fuisse versatum, passum denique & mortuum. Quæ hæresis tollit funditus redemptionem humani generis. Non enim sumus Deo Patri reconciliati, neque pro peccatis hominum est ei satisfactum, si Iesus non est pro nobis in vera carne passus & mortuus. Dixit inter alios ea de re S. Leo pontifex serm. 4. de nativ. Domini, item 8. ac 10. Et prolixè serm. 4. de Epiph. Iterum serm. 12. ac 15. de pass. Domi. *In carnem.* Filium Dei venisse *in carnem,* est eum humanam naturam assumpsisse. *In carne eundem venisse,* est ipsum in se cum humana natura assumpta fuisse in hoc mundo conuersatum.

Hic est seductor & antichristus. Quod pluraliter dictum fuerat, refert singulariter; significans se de toto genere istius hæreseos loqui, ut magis emphatica sit oratio. Quod facit etiam articulus Græcè vtrique nomini additus; *Hic est ille seductor & ille antichristus.* Sensus; *Qui talis est ut neget Iesum Christum venisse in carne;* is est impostor ille perniciosissimus, fallens homines in negotio sempiternæ salutis: idem est sceleratus ille antichristus, magni Antichristi insignis præcursor, ipse quoque scelere suo antichristus; utpote non vulgaris Christi aduersarius, hæresim spargens quæ directò Christum ipsum oppugnat, dum adimit ei veram humanam naturam. Imo nec diuinam Christo relinquens naturam, quem facit simulatorem & in factò mendacem (quod Deo non potest conuenire) dum ait, simulatam dun-

H h h h ; taxat

taxat humanitatem habuisse; omniaq; quæ visus est facere aut pati, duntaxat simulasse.

Observanda est hoc loco incredibilis hæreticorum impudentia, qui Christum non habuisse veram humanam carnem, sed tantummodo phantasma fuisse audebant docere viuentē adhuc Ioanne apostolo, qui vnus fuerat duodecim domesticorum ipsius, qui super pectus eius in nouissima cœna recubuerat, qui crucifixo & morienti astiterat, qui resuscitatum viderat. Et quid non audebit impudentia aliorum hæreticorum, siue in doctrina, siue in facinoribus? Quante autem suo malo hi fideles forent hæreticorum doctrinam susceperunt, Apostolus eos docet duobus versibus sequentibus.

VIDETE VOSMETIPSOS; NE PERDATIS QUÆ OPERATI ESTIS. Confirmat enim suam adhortationem argumento ducto ab incommodis quæ ijs sint euentura si non acquiescant: perdituros nimirum eos salutem & æternam & præsentem. De æterna hoc dicit isto v. de præsentē, v. 9. Ait ergo, *Videte vosmetipsos*; Id est, Cauete vobis, Vos ipsos circumspicite, Agite circumspecte. Vult autem Apostolus istos fideles monere vt etiã atque etiam sibi caueant ne ab his impostoribus seducantur in illam nefariam hæresim qua dicitur Christus simulacrum duntaxat hominis fuisse, non verus homo. Eadem verò ratio est de qualibet alia hæresi, aut schismate; vt supra dictum est.

Ne perdatis quæ operati estis. Hoc est, Ne quicquid hætenus in vera Christi fide, bonorum operum fecistis; id omne fiat vobis inutile, cassum & inane, si à catholica fide excideritis.

Sed vt mercedem plenam accipiatis. Mercedem, vtique eorum quæ bene operati estis. Quod verò adijcit, *plenam*, non ideo apponitur vt significetur eos si non perseuerauerint in fide & charitate, habituros nihilominus priorum bonorum operum aliquantam mercedem: id enim falsum esse docent Scripturæ Ezech. 18. v. 24. & repetitur c. 33. v. 13. 18. Et Ecclesiastę 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* S. etiam Iacobus c. 2. *Quicumque totam legem serauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quin & hoc ipso loco, parte proximè præcedente, absolute dicitur, *Ne perdatis quæ operati estis.* Istud ergo *plenam*, apponitur tanquam epitheton illius, *mercedis*; vt ex aduerso amplificetur magnitudo detrimenti quod sint accepturi, si non perseuerent. Vt sensus sit; Ne vobis fiant cassa & inania quæ hætenus bene egistis: sed vt à Deo illorum respectu accipiatis caelestem illam mercedem plenam & copiosam, quæ reposita est fideliter Deo vsque in finem adhærentibus. Ad eum modum Saluator inquitabat suis, pro fide aut iustitia persecutionem passuris, *Merces vestra copiosa est in calis.* Est eadem

loquutio in libello Ruth. c. 2. v. 12.

Ex hoc igitur versu toto, tria aut quatuor colligi possunt theologica dogmata. Primum est, Opera bona per spiritum Dei facta mercedem apud Deum mereri. Alterum, Possē amitti charitatem, omniaq; priora bona merita fieri inania. Tertium, Non esse absolute verum quod nonnulli solent dicere, Nihil opus bonum manere irremuneratum à Deo. Refutatur enim per illud quoque Apostoli Galat. 3. *Tanta passi estis frustra? Si tamen frustra.* Confer S. Tho. 3. p. q. 89. art. 4. ad 2. & Suppl. q. 14. art. 4. ad 1. Quartum, Non esse vitiosum si iustus bene operetur intuitu æternæ mercedis. Certè enim operanti licet eam intueri, quam Spiritus sanctus per scripturas suas ei proponit: vt hoc loco.

Illud adijciendum, plerisque Græcos codices ista, *Ne perdatis quæ operati estis*; & illud, *accipiatis*, legere per primam personam: tamen Robertus quatuor vidit antiquos qui consentiã nostro interpreti, reddenti secundam. Verum sensus eodem redibit, si quod per primam personam legitur, credamus Apostolum protulisse figura Communionis; qua in rebus odiosis aut tristibus solemus vtī, & sæpe vtuntur sacri scriptores. Velut ad Galat. 3. *Prisquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi* &c. & cap. 4. *Nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.* Ita & Galat. 5. in fine, & alibi sæpe. Sunt exempla complura in prima b. Ioannis epistola. Hæc expositio videtur expeditissima, & ab Oecumenio indicata, quatenus per secundam personam exponit quæ in textu legit per primam. Similis personæ mutatio est i. Ioan. 2. v. 28. Proximo deinde versu confirmat quod nunc dixit, perdituros omnia nisi in fide Christi perseuerent; inquit,

OMNIS QUI RECEDIT ET NON PERMANET IN DOCTRINA CHRISTI. Recedit; Sensus bene expressit interpret, etiam si vox Græca vel *præterire* vel *transgredi* significet, & *παρὰ βήσω*. Quod autem nonnulli libri Latini habent *præcedit*, vitiosum est. In doctrina Christi. Genetivus Christi actiue an passiuè sit exponendus, quæri potest. Illo modo vocatur *doctrina Christi*, quam Christus tradidit, quam Christus docet: hoc modo, quæ de Christo traditur, seu qua Christus docetur. Apparet autem Didymum, & euidens est Oecumenium, actiue intelligere: id quod toti sententiæ videtur aptius. Quanquam & alter intellectus verissimus est, nec malè cohæret. Sensus ergo est; Quicumque doctrinam à Christo Domino nobiscum in terris versante traditam (cuius vna pars est de veritate vtriusque naturæ in Christo) & quam is per apostolos suos eorumque subsidiarios & successores toto orbe prædicari iussit, semel receptam postea deserit; is Deum non habet: id est, Ei Deus ne-

que

que per gratiam adoptionis sese veluti donat & coniungit in hac vita; neque per gloriam sese illi est daturus in futura. Quibus verbis innuitur, tali homini nihil esse expectandum, nisi sempiternum interitum.

Contrà autem, *Qui permanet in doctrina; Christi*, addunt Græci codices: Noster ex præcedentibus subaudit. *Hic & Patrem & Filium habet.* Nunc quidem per gratiam iustificationis & adoptionis: habiturus autem in altero sæculo, per beatificationem, quæ est gratia consummata. Consonat hæc sententia cum illa Saluatoris, Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diligit eum*, &c. Significatur autem per hæc Apostoli verba, Parris & Filij eadem indiuidua substantia; vt hic admonet Didymus, Beda, Oecumenius: & idem iudicium est de Spiritu sancto, licet is hic non exprimat; exprimitur enim alibi, ad eiusdem rei declarationem.

SI QVIS VENIT AD VOS, ET HANC DOCTRINAM NON ADVERT; &c. Conclusio est ex duobus versibus præcedentibus 8. & 9. deducta, sed explicata. Dixit enim Apostolus, *Videte vosmetipsos*: id nunc aperit explicatur, vt intelligant fideles quanto studio cauere sibi debeant ne seducantur ab hæreticis; tanto scilicet, vt cum illis nihil habeant commercij. Dicit ergo, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non advert.* Hanc doctrinam, Christi nimirum: nam id hic subauditur ex duobus proximè præcedentibus versibus. *Non advert*; figuratus est sermo, quo minus dicitur & plus intelligitur. Sensus est; *Qui hanc quam Apostoli vobis annunciarunt Christi doctrinam auertatur, impugnat.* Nec enim est mens Apostoli vt omnem eum sine exceptione vitent, domoq; excludant, qui veram de Christo doctrinam non tener; veluti ethnicum quempiam qui euangelium Christi nondum audiuit: sed loquitur de hæreticis, quos designauerat sub nomine *seductorum & antichristorum*, v. 7. *Si quis igitur talis venit ad vos*; siue tanquam peregrinus, siue tanquam amicus, siue tanquam vos docturus, siue quocumque alio colore. Nam varios prætextus hæretici assumunt, quibus adeant domos eorum quos cupiunt seducere: habentes in more circumcursare, & penetrare domos, ad perdendas animas. 2. Tim. 3. & 2. Petri 2. itemque in epistola B. Iudæ eorum tales mores & studia describuntur, sicut & in epistola ad Titum c. 1.

NOLITE RECIPERE EVM IN DOMUM. Quantumvis domus vestra soleat patere pauperibus peregrinis, vel Christi seruis. Nam quod idem hic Apostolus commendat in Caio, epistola tertia, id etiam istos facere solitos non est ambigendum. Quid autem, si quispiam talis irrepsisset in domum alicuius eorum, antequam fuisset notus? Manifestum est quid eo casu Apostolus fieri voluisset;

statim scilicet hominem dimittere postquam fuisset detectus. Est enim eadem ratio. Nec hoc satis est, si excludatur vel eiiciatur domo: sed, *Nec Aue ei dixeritis.* *Dicere alicui Aue*, est eum salutare; seu, ei precari salutē. Pro illo enim quod nos habemus, *Aue*, Græcè est *χαίρειν*, *gaudere*. Est autem idē, optare alicui gaudiū; quod optare eum salutem, dicere illi Aue, Vale, Salue. His enim modis Latini salutem alicui precantur, siue in principio siue in fine congressus. Ergo his verbis Apostolus Domini idem iubet de hæretico, quod ipse Dominus de fratre in ecclesiam rebeli, Matth. 18. Si frater tuus abs te ad Ecclesiam delatus, eam non audierit: *si tibi sicut ethnicus & publicanus.* Id est, habeas illum eo loco quo Iudæi habent ethnicos & publicanos; vitando scilicet illum, nec communem inter homines salutationem illi offerendo aut reddendo: sicut Iudæi ethnicos & publicanos adeo vitabant vt ne salutarent quidem. Iuber itaque hic fidelibus Apostolus, vt hæreticum ne salutent quidem: & pro ratione addit;

QUI ENIM DICIT ILLI AVE, COMMUNICAT OPERIBUS EIUS MALIGNIS. Nam (ait) qui illum saluere iubet, qui ei salutem dicit, sit particeps peccatorum eius. Loquitur Apostolus de omnibus quidem eius peccatis: sed potissimum & directe de illis operibus eius malis quibus conatur destruere doctrinam Christi. Nam hanc in eo qualitatem spectat, dum ait, *& hanc doctrinam non advert.*

Et sanè, quæ hoc loco Apostolus verbis præcepit, etiam factis monstrauit. Cum enim quodam tempore, Ephesi, balneis lauandi causa ingrederetur, videretq; ibi lauantes Cerinthum hæresiarcham: continuo exiit, & illotus discessit; exclamans, *Fugiamus hinc: ne & balnea ipsa corrumpant, nos opprimant, in quibus lauatur Cerinthus hostis veritatis.* Retulit hoc tanquam à Polycarpo discipulo B. Ioannis acceptum, Irenæus lib. 3. c. 3. & ex eo Euseb. hist. 3. c. 22. atque Theodoretus lib. 2. De hæreticorum fabulis. Tamen S. Epiphanius, fortassis leui memorie lapsu, pro Cerintho Ebionem nominet. hæres. 30. Fieri potest vt simul essent in balneis Cerinthus & Ebion, locij errorum: vt coniecit Baronius, Tomo 1. Anno Christi 74. §. 9. De ipso Polycarpo idem Irenæus ibidem hæc recitat: Ipse Polycarpus Marcioni, aliquando sibi occurrenti, & dicenti *Cognosce nos: respondit, Cognosco te primogenitum Satanae.* Tum addit Irenæus; *Tantum Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, vt neque verbatenus communicarent alicui eorum qui adulterauerant veritatem.*

Atque hæc ad qualicumque horum Apostoli Ioannis verborum sufficere poterant explicationem: sed expedit paulò distinctius declarare quæ, & quo animo, vel qui-

taxat humanitatem habuisse; omniaq; quæ visus est facere aut pati, duntaxat simulasse.

Observanda est hoc loco incredibilis hæreticorum impudentia, qui Christum non habuisse veram humanam carnem, sed tantummodo phantasma fuisse audebant docere viuentem adhuc Ioanne apostolo, qui vnus fuerat duodecim domesticorum ipsius, qui super pectus eius in nouissima cœna recubuerat, qui crucifixo & morienti astiterat, qui resuscitatum viderat. Et quid non audebit impudentia aliorum hæreticorum, siue in doctrina, siue in facinoribus? Quamto autem suo malo hi fideles forent hæreticorum doctrinam suscipiuri, Apostolus eos docet duobus versibus sequentibus.

VIDETE VOSMETIPSOS; NE PERDATTIS QUÆ OPERATI ESTIS. Confirmat enim suam adhortationem argumento ducto ab incommotis quæ ijs sint euentura si non acquiescant: perdituros nimirum eos salutem & æternam & præsentem. De æterna hoc dicit isto v. de præsentem, v. 9. Ait ergo, *Videte vosmetipsos*; Id est, Cauete vobis, Vos ipsos circumspicite, Agite circumspicite. Vult autem Apostolus istos fideles monere vt etiã atque etiam sibi caueant ne ab his impostoribus seducantur in illam nefariam hæresim quæ dicitur Christus simulacrum duntaxat hominis fuisse, non verus homo. Eadem verò ratio est de qualibet alia hæresi, aut schismate; vt supra dictum est.

Ne perdatiis quæ operati estis. Hoc est, Ne quicquid hætenus in vera Christi fide, bonorum operum fecistis; id omne fiat vobis inutile, cassum & inane, si à catholica fide excideritis.

Sed ut mercedem plenam accipiatis. Mercedem, vtique eorum quæ bene operati estis. Quod verò adijcitur, *plenam*, non ideo apponitur vt significet eos si non perseuerauerint in fide & charitate, habituros nihilominus priorum bonorum operum aliquantam mercedem: id enim falsum esse docent Scripturæ Ezech. 18. v. 24. & repetitur c. 33. v. 13. 18. Et Ecclesiastæ 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* S. etiam Iacobus c. 2. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quin & hoc ipso loco, parte proximè præcedente, absolutè dicitur, *Ne perdatiis quæ operati estis.* Istud ergo *plenam*, apponitur tanquam epitheton illius, *mercedis*; vt ex aduerso amplificetur magnitudo detrimenti quod sint accepturi, si non perseuerent. Vt sensus sit; Ne vobis fiant cassa & inania quæ hætenus bene egistis: sed vt à Deo illorum respectu accipiatis cælestem illam mercedem plenam & copiosam, quæ reposita est fideliter Deo vsque in finem adherentibus. Ad eum modum Saluator inquebat suis, pro fide aut iustitia perseuentionem passuris; *Merces vestra copiosa est in calis.* Est eadem

loquutio in libello Ruth. c. 2. v. 12.

Ex hoc igitur versu toto, tria aut quatuor colligi possunt theologica dogmata. Primum est, Opera bona per spiritum Dei facta mercedem apud Deum mereri. Alterum, Possè amitti charitatem, omniaq; priora bona merita fieri inania. Tertium, Non esse absolutè verum quod nonnulli solent dicere, Nul- lum opus bonum manere irremuneratum à Deo. Refutatur enim per illud quoque Apostoli Galat. 3. *Tanta passi estis frustra? Si tamen frustra.* Confes S. Tho. 3. p. q. 89. art. 4. ad 2. & Suppl. q. 14. art. 4. ad 1. Quartum, Non esse vitiosum si iustus bene operetur intuitu æternæ mercedis. Certè enim operanti licet eam intueri, quam Spiritus sanctus per scripturas suas ei proponit: vt hoc loco.

Illud adijciendum, plerosque Græcos codices ista, *Ne perdatiis quæ operati estis*; & illud, *accipiatis*, legere per primam personam: tamen Robertus quatuor vidit antiquos qui consentiã nostro interpreti, reddenti secundam. Verum sensus eodem redibit, si quod per primam personam legitur, credamus Apostolum protulisse figura Communionis; qua in rebus odiosis aut tristibus solemus vti, & sæpe vtuntur sacri scriptores. Velut ad Galat. 3. *Præquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi* &c. & cap. 4. *Nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.* Ita & Galat. 5. in fine, & alibi sæpe. Sunt exempla complura in prima b. Ioannis epistola. Hæc expositio videtur expeditissima, & ab Oecumenio indicata, quatenus per secundam personam exponit quæ in textu legit per primam. Similis personæ mutatio est 1. Ioan. 2. v. 28. Proximo deinde versu confirmat quod nunc dixit, perdituros omnia nisi in fide Christi perseuerent; inquit,

OMNIS QUI RECEDIT ET NON PERMANET IN DOCTRINA CHRISTI. *Recedit*; Sensem bene expressit interpret, etiam si vox Græca vel *preterire* vel *transgredi* significet, ὀπαρβαίνων. Quod autem nonnulli libri Latini habent *precedit*, vitiosum est. *In doctrina Christi.* Genetivus *Christi* actiue an passiuè sit exponendus, quæri potest. Illo modo vocatur *doctrina Christi*, quam Christus tradidit, quam Christus docet: hoc modo, quæ de Christo traditur, seu qua Christus docetur. Apparet autem Didymum, & euidens est Oecumenium, actiue intelligere: id quod toti sententiæ videtur aptius. Quanquam & alter intellectus verissimus est, nec malè cohæret. Sensus ergo est; Quicumque doctrinam à Christo Domino nobiscum in terris versante traditam (cuius vna pars est de veritate vtriusque naturæ in Christo) & quam is per apostolos suos eorumque subsidiarios & successores toto orbe prædicari iussit, semel receptam postea deserit; is *Deum non habet*: id est, Ei Deus ne-

que

que per gratiam adoptionis sese veluti donat & coniungit in hac vita; neque per gloriam sese illi est daturus in futura. Quibus verbis innuitur, tali homini nihil esse expectandum, nisi sempiternum interitum.

Contrà autem, *Qui permanet in doctrina*; *Christi*, addunt Græci codices: Noster ex præcedentibus subaudit. *Hic & Patrem & Filium habet.* Nunc quidem per gratiam iustificationis & adoptionis: habiturus autem in altero sæculo, per beatificationem, quæ est gratia consummata. Consonat hæc sententia cum illa Saluatoris, Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruat: & Pater meus diligit eum, &c.* Significatur autem per hæc Apostoli verba, Patris & Filij eadem indiuidua substantia; vt hæc admodum Didymus, Beda, Oecumenius: & idem iudicium est de Spiritu sancto, licet is hic non exprimitur; exprimitur enim alibi, ad eiusdem rei declarationem.

SI QVIS VENIT AD VOS, ET HANC DOCTRINAM NON ADVERT; &c. Conclusio est ex duobus versibus præcedentibus 8. & 9. deducta, sed explicata. Dixerat enim Apostolus, *Videte vosmetipsos*: id nunc aperit explicatur, vt intelligant fideles quanto studio cauere sibi debeant ne seducantur ab hæreticis; tanto scilicet, vt cum illis nihil habeant commercij. Dicit ergo, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non advert.* *Hanc doctrinam*, Christi nimirum: nam id hic subauditur ex duobus proximè præcedentibus versibus. *Non advert*; figuratus est sermo, quo minus dicitur & plus intelligitur. Sensus est; *Qui hanc quam Apostoli vobis annunciarunt Christi doctrinam auersatur, impugnat.* Nec enim est mens Apostoli vt omnem eum sine exceptione vitent, domoq; excludant, qui veram de Christo doctrinam non tenent; veluti ethnicum quempiam qui euangelium Christi nondum audiuit: sed loquitur de hæreticis, quos designauerat sub nomine *seductorum & antichristorum*, v. 7. *Si quis igitur talis venit ad vos*; siue tanquam peregrinus, siue tanquam amicus, siue tanquam vos docturus, siue quocumque alio colore. Nam varios prætextus hæretici assumunt, quibus adeant domos eorum quos cupiunt seducere: habentes in more circumcursare, & penetrare domos, ad perdendas animas. 2. Tim. 3. & 2. Petri 2. itemque in epistola B. Iudæ eorum tales mores & studia describuntur; sicut & in epistola ad Titum c. 1.

NOLITE RECIPERE EVM IN DOMUM. Quantumvis domus vestra soleat patere pauperibus peregrinis, vel Christi seruis. Nam quod idem hic Apostolus commendat in Caio, epistola tertia, id etiam istos facere solitos non est ambigendum. Quid autem, si quispiam talis irrepsisset in domum alicuius eorum, antequam fuisset notus? Manifestum est quid eo casu Apostolus fieri voluis-

set; statim scilicet hominem dimittere postquam fuisset detectus. Est enim eadem ratio. Nec hoc satis est, si excludatur vel eiiciatur domo: sed, *Nec Aue ei dixeritis.* *Dicere alicui Aue*, est eum salutare; seu, ei precari salutem. Pro illo enim quod nos habemus, *Aue*, Græcè est χαίρειν, *gaudere*. Est autem idè, optare alicui gaudium; quod optare ei salutem, dicere illi Aue, Vale, Salue. His enim modis Latini salutem alicui precantur, siue in principio siue in fine congressus. Ergo his verbis Apostolus Domini idem iubet de hæretico, quod ipse Dominus de fratre in ecclesiâ rebellis, Matth. 18. Si frater tuus abste ad Ecclesiâ delatus, eam non audierit: *si tibi sicut ethnicus & publicanus.* Id est, habeas illum eo loco quo Iudæi habent ethnicos & publicanos; vitando scilicet illum, nec communionem inter homines salutationem illi offerendo aut reddendo: sicut Iudæi ethnicos & publicanos adeo vitabant vt ne salutarent quidem. Iuber itaque hic fidelibus Apostolus, vt hæreticum ne salutent quidem: & pro ratione addit;

QUI ENIM DICIT ILLE AVE, COMMUNICAT OPERIBUS EIUS MALIGNIS. Nam (ait) qui illum salutare iubet, qui ei salutem dicit, sit particeps peccatorum eius. Loquitur Apostolus de omnibus quidem eius peccatis: sed potissimum & directè de illis operibus eius malis quibus conatur destruere doctrinam Christi. Nam hanc in eo qualitatem spectat, dum ait, *& hanc doctrinam non advert.*

Et sanè, quæ hoc loco Apostolus verbis præcepit, etiam factis monstrauit. Cum enim quodam tempore, Ephesi, balneas lauandi causa ingrederetur, videretq; ibi lauantem Cerinthum hæresiarcham: continuo exiit, & illotus discessit; exclamans, *Fugiamus hinc: ne & balnea ipsa corrumpent, nos opprimant, in quibus lauatur Cerinthus hostis veritatis.* Retulit hoc tanquam à Polycarpo discipulo B. Ioannis acceptum, Irenæus lib. 3. c. 3. & ex eo Euseb. hist. 3. c. 22. atque Theodoretus lib. 2. De hæreticorum fabulis. Tamen S. Epiphanius, fortassis leui memorie lapsu, pro Cerintho Ebionem nominet. hæres. 30. Fieri potest vt simul essent in balneis Cerinthus & Ebion, socij errorum: vt coniectat Baronius, Tomo 1. Anno Christi 74. §. 9. De ipso Polycarpo idem Irenæus ibidem hæc recitat: Ipse Polycarpus Marcioni, aliquando sibi occurrenti, & dicenti *Cognosce nos*: respondit, *Cognosco te primogenitum Satana.* Tum addit Irenæus; *Tantum Apostoli & eorum discipuli habuerunt timorem, vt neque verbatenus communicarent alicui eorum qui adulterauerant veritatem.*

Atque hæc ad qualicumque horum Apostoli Ioannis verborum sufficere poterant explicationem: sed expedit paulò distinctius declarare quæ, & quo animo, vel qui-

bus alijs circumstantijs facta cum hæreticis conuersatio sit prohibita Ecclesiæ filijs; & quò iure quæ uero ratione sit prohibita.

Igitur, hominem hæreticum hospitio recipere, uel etiam salutare duntaxat, fauore hæreseos; est peccatum contra Deum ac Dei cultum, lege naturali prohibitum. Et eo casu est manifestum quod locum habeat ratio ab Apostolo allata, *Qui eum saluat fieri participem peccatorum eius.* Ponitur enim fauere hæresi.

Qui autem non fauore hereseos, sed tamè cum periculo seductionis sui, familiariter uersatur cum hæretico aliquo; is similiter peccat in legem naturalem, qua iubetur unusquisque uitare periculum animæ suæ. Et in hunc quoque quadrat ratio allata ab apostolo; *Qui dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis.* Nam talis in hoc consentit & cooperatur hæretico; quod sicut ille periculum querit animis eorum quibuscum uersatur, sic iste suæ ipsius animæ periculum creat unâ cum illo, dum cum eo conuersatur.

Quod si neutrum eorum quæ dicta sunt, adfuerit (quoniam non facile sibi quisquam debet persuadere nullum ipsi ex contubernio hereticorum imminere periculum; meretur enim à Deo desereri, qui eos non uisitat); tum periculum saltem est scandali infirmorum, ex familiari alicuius catholici cum hæretico quopiam conuersatione. Infirmorum, dico; siue catholicorum; siue ab hæreticis seductorum. Præbetur enim huiusmodi facto infirmis catholicis occasio minus malè de hæresi & hæreticis sentiendi: similiter autem & his qui seducti quidem sunt ab hæreticis, sed nondum in heresi sunt pertinaces, præbetur occasio ut sine scrupulo progrediantur in hæresi, tandemque fiant obstinati. Itaque & hic peccat in legem naturalem, qua scandalum infirmorum prohibetur: & in ipso quoque locum habet ratio Apostoli, *Qui dicit hæretico Aue, communicat operibus eius malignis.* Hæreticus scandalizat infirmos: scandalizat & iste qui cum eo exercet familiaritatem.

Si uero quispiam uel timore uel pudore mundano agit familiariter cum hæreticis; & in mensa communi (exempli causa) licet ipse non sumat ex cibis ecclesiastica lege suo tempore interdicitis, tamen facit quæ professione fidei catholice repugnant; ueluti ministrando hæreticis carnes, ipse tamen eas non comedens sed solum pisces: hic communicat operibus eorum malignis in conculcando Ecclesiæ præceptum, & fidei professionem uiolat, atque scandalizat ipsos etiam hæreticos per istam mollitiem; licet foras Ecclesiæ præceptum in corde suo nullo modo contemnat.

Quod si aliquis familiariter cum hæreticis uersatur ex contemptu uero uel interpretatio legis apostolicæ, quæ hinc extat; uel

ecclesiastica, qua communitio cum excommunicatis prohibetur, certis casibus exceptis (quo de negotio omnes Theologi morales & iuris canonici prudentes suis locis agunt): is delinquit contra legem etiam diuinam & naturalem, qua tenetur obedire Apostolis Christi eiusque Ecclesiæ. Et in illum quoque cadit ratio hic à Ioanne apostolo posita: quia communicat peccato hæretici contemnens Ecclesiam, dum & ipse contemnit.

Ex his omnibus intelligendum relinquitur, quanto studio unusquisque catholicus fugere debeat conuersationem cum hæreticis; & idem iudicium est de lectione librorum ipsorum, uel de hæresi suspectorum: quamuis nulla esset alia causa quam seductionis periculum. Multo igitur magis quando plures ex istis causis concurrunt. Quibus & illa potest addi, salus ipsius hæretici: ut dum se uidet ab hominibus uitari, pudens ad ecclesiam redeat. Hanc enim causam in spectauit Paulus, quando fratres propter minora etiam crimina quam sit hæresis, à prædictis ecclesiæ notatos, ita uitari uoluit, ut neminem quidem communem cum ijs haberent alij fideles. 1. Cor. 5. sub finem. & 2. Theff. 3.

Quæret quispiam, An igitur non liceat catholicis uiuere in ijs regionibus ubi maior pars est hæreticorum; Imo ubi hæretici dominantur, & soli gerunt omnia officia publica. Item, An faciat contra hoc apostolicum præceptum, qui necessitate quadam constringitur & cogitur habitare aut uersari in eadem familia cum aliquo hæretico. Rursum, An nobis non liceat precari homini hæretico meliorem mentem; aut eum in domum recipere ut illum doceamus, & ab errore uia suæ conuertere studeamus. Ad has omnes quæstiones respondendum est, apostolicum aut ecclesiasticum præceptum talibus modis non uiolari: fieri tamen posse ut uioletur legis naturalis præceptum de uitando periculo seductionis, & de uitando scandalo infirmorum. Itaque, si sine horum præceptorum naturalium violatione, ista quæ proposita sunt fieri nequeunt; facienda non esse. Conferatur quod habet S. Tho. 2. sec. q. 10. art. 10. & q. 39. art. 4. ad 2. Videtur etiam quæ sunt in hoc commentario ad illa Apostoli Pauli loca proximè allegata.

Si toget quispiam, An in extrema uel arcta necessitate nobis non liceat hæreticum in domum recipere, uel aliud misericordie opus in illum exercere: facile apparet quid sit respondendum, nempe quod hæreticus non desit esse ex numero proximorum nostrorum; quos omnes iubemur diligere sicut nos ipsos: ac propterea, esse ei præstandum opus misericordie quo ualde indiget; sed interim cauendum ab omni peccato, peccati specie, peccati periculo. Scribitur Philoſophus, cum reprehenderetur quod homini

impro-

improbo eleemosynam dedisset; respondisse, non improbitati se dedisse sed homini misero. Adde, quod ista humanitas catholicorum potest hæretico esse occasio resipiscentiæ, Deo hac uia salutem eius operante.


12. PLURA HABENS VOBIS SCRIBERE, NOLVI PER CHARTAM ET ATRAMENTUM. Plura. Græcè est, multa; ut & nos habemus in fine epistolæ tertiæ: quare comparatiuus quem nos habemus, pro positio est accipiendus, ut sit sæpissimè. *Spero enim &c.* Hæc pars ita sonat Græcè: *Sed spero venire ad uos, & os ad os loqui.* In illo priorè os, *ἑσπῶ*, quidam subaudiunt *ἡ κατὰ*: quod non uidetur necesse; sed per synecdochen loquutionis utrumque istud *ἑσπῶ*, os, potest pro toto homine accipi: q. d. spero me ipsum ad uos, præsentem ad præsentem, loquurum. *Ut gaudium uestrum plenum sit.* Ita habent etiam Græci codices nonnulli quos uidit Robertus, *ἡμῶν*: sed plerique habent *ἡμῶν*: Verum id sensum non uariat. Similia his, uel potius eadem sunt in fine epistolæ tertiæ. Non est autem existimandum illa *multa* quæ Apostolus in utraque epistola se habere scribenda dixit, fuisse parui momenti, aut pertinuisse ad res huius sæculi; uerum pertinuisse ad animarum salutem. Talia enim demum erant digna Apostolo Christi: & de talibus eum hinc loqui, significat illa huius uersus finalis clausula, *ut gaudium uestrum sit plenum*; gaudium utique spirituale, quod boni fideles solent capere quando de fidei dogmatibus accuratius, pro suo captu, instituuntur; & ad bene uiuendum cum Dei gratia, acrius incitantur, singuli appositè ad suam indolem.

Quare, ex hoc loco, præter alios complures ac præter ipsam rei euentiam, manifestum est Apostolos non omnia uoluisse scri-

pto committere, quæ ad salutem pertinentia uellent nota esse fidelibus: sed multa sermone solo tradidisse. Certè & nos quæ maioris sunt momenti aut quæ secretiora, non solemus chartis committere; sed coram dicenda reseruare. Illud nemo negare potest, Apostolos, occasionibus exigentibus, quædam absentibus scripsisse, quæ scripturi non erant, si uel fuissent præsentem uel mox futuros se sperassent; uti hic de se sperat B. Ioannes. Quocirca si apud Corinthios (exempli causa) quæstiones tales non fuissent exortæ; aut si Paulus Apostolus ijs tunc fuisset præsentem, aut paulò post se ijs ad futurum existimasset: nos priorè illam ad Corinthios epistolam tam uaria doctrina refertam non haberemus. Et ita de alijs similibus censendum.

13. SALVTANT TE FILII SORORIS TUE ELECTÆ. Hæc & similes salutationes quæ in literis apostolicis leguntur, non sunt duntaxat ciuiles, quibus nimirum etiam ethnici, corporis & rerum externarum prosperum statum precantur alij alijs: sed sunt salutationes Christianæ; id est, ijs Christiani precantur alijs salutem animæ, præsentem in primis, quæ est per ueram fidem & charitatem, qui est status gratiæ; deinde futuram, quæ est in uita æterna. Cum enim *salutare* sit salutem alicui optare, huiusque bonæ operationis signum aliquod edere: Christiani dum saluant, eam certè salutem intelligunt, quæ ut ipsis solis est nota, ita solis est curæ & cordi; nimirum ueram animæ in Deo salutem, per gratiam in præsentem sæculo, per beatitudinem in futuro. Addunt Græci codices pro coronide, *Amen.* Qua de uocula, quantum necesse uidebatur, dictum est ad finem epistolæ primæ; ubi nostri quoque codices eam constanter legunt.





B. IOANNIS

EPISTOLA

TERTIA.

ARGUMENTVM.



Aium, cui tertia epistola scribitur, Apostolus commendat quod rectam fidem teneat, eamque operibus charitatis & misericordiae exornet: hortatur ut utraque in re constanter perseueret; neque curet aut prohibitionem aut prauum exemplum Diotrephis, qui ecclesiae illi praerat in qua verfabatur Caius; quin potius accendatur exemplo Demetrii viri sincere Christiani, ab omnibus fidelibus secundum Deum collaudati ob rectam fidem & charitatem.

SENIOR CAIO CHARISSIMO, QUEM EGO DILIGO IN VERITATE. Subauditur, salutem dico; vel scribo hac; aut quid simile. De isto Senior, repetenda sunt quae diximus supra, ubi de secundae & tertiae epistolarum autoritate, & antecedentis epistolae v. 1. *Caio*. Hunc Caium fuisse illum de quo Paulus apostolus Rom. 16. *Salutat vos (inquit) Caius hospes meus & vniuersae ecclesiae*; coniectura est Vener. Bedae in comm. huius loci, & eorum qui illum sequuntur: sed nihil habent praeter coniecturam, quam faciunt ex similitudine motum huius Caii cum illo Corinthio Caio, quem Paulus commendat quod ipsum hospitio exciperet & vniuersam ecclesiam, id est, quoslibet Christianos egenos ad ipsum venientes. Eadem beneficentia fuisse hunc Caium cui scribit B. Ioannes, manifestum est ex v. 3. & 5. huius epist. Hoc autem valde credibile est, illum Caium Corinthium fuisse eundem quem Paulus a se Corinthi

baptizatum scribit, 1. Cor. 1. Fuit & alius Caius Pauli apostoli discipulus, de quo Act. 19. & 20. nisi duo diuersi illic significati sunt. Nam ille quidem vocatur Macedo; hic vero, Derbaeus. Derben autem ponunt in Lycaonia, vel Isauria. Neminem istorum fuisse hunc Caium cui tertia epistolam B. Ioannes scribit, nobis credibilis est, ex v. 4. huius; ubi enim Ioannes inter filios suos numerat, quos scilicet Christo genuerat per euangelium, aut per baptismum, aut per vtrumque: illos autem Paulus apostolus Christo genuerat. *Quem ego diligo in veritate*. Haec pars exposita est ad ver. 1. epistolae 2. nam & ibi reperitur; ut quaedam aliae sententiae sunt vtrique epistolae communes.

CHARISSIME; DE OMNIBUS ORATIONE FACIO PROSPERE TE INGREDI. &c. Sensus videtur is quem hunc fere in modum explicat Beda: Deum oro de omnibus rebus, & spiritualibus nimirum &

temporalibus, ut in vtrisque te prospere agere faciat, vtrisque valere; continuando nimirum tibi salutem animae, quam dedit per gratiam, continuando etiam incolumitatem corporis, & rerum temporalium affluentiam, quibus in Dei seruitutem bene vteris; haec, inquam, continuando, *sicut prospere agit anima tua*, id est, sicut haecenus, Dei beneficio, est prosper tuarum rerum status: in primis secundum spiritum; deinde, secundum caetera.

GAVISVS SVM VALDE, VENIENTIBVS FRATRIBVS, &c. Antequam ad perseuerandum in operibus misericordiae Caii exhortetur; hoc v. & duobus sequentibus, prius eum de ijs quae eousque fecerat, collaudat, seu potius Dei gratiam in ipso deprædicat, per quam adeo beneficus in pauperes Christianos soleat esse. Et haec laudatio est tacita ad Deum gratiarum actio. Conferantur quae dicta sunt ad epist. 2. v. 4. quibus illud explicatur quod hic dicitur, *Gavisus sum valde*. Cuius spiritualis gaudij materiam exponit verbis sequentibus, *Venientibus fratribus, &c.* q. d. Hoc tibi gratulor, hoc mihi fuit gaudium, hoc nomine Deo egi & ago gratias, quod in pauperes Christianos soleas esse adeo beneficus sicut illi ipsi nobis retulerunt qui istinc ad nos venerunt, tuam beneficentiam experti. Hanc beneficentiam Apostolus vocat *veritatem*, his verbis, *Est testimonium perhibentibus veritati tuae*: quia verum & nomine suo dignum Christianum non facit sola fides, sed bona opera fidei adiuncta; inter quae eminent officia charitatis. Hinc intelligitur illud huius versus extremum; *sicut tu in veritate ambulas*. Nimirum is ambulat in veritate, qui in recta fide & sincera charitate non solum manet, sed etiam proficit. Confer quae dicebantur ad v. illum 4. epistolae secundae.

MAIOREM HORVM NON HABEO GRATIAM. Veteres Concordantiae bibliorum collectae ab Hugone Carenfi Cardinali ex familia sancti Dominici, constanter legunt, *Maiores his non habeo gaudium*. Tribus enim locis haec lectio in illis Concordantijs reperitur; scilicet, verbo *Maiores*; verb. *habeo*; verb. *gaudium*. & Isidorus Clarius testis est sibi visos veteres Latinos codices, qui sic haberent. Habent ita etiam Biblia Complutensis, & regia inde orta. Quae omnia si considerari potuissent à Correctoribus Romanis: vix dubium est fuisse recepturos; utpote quam satis liqueat esse germanam nostri interpres scripturam, eamque dilucidam, & Graeco codici plane conformem. Diuersitas haec inde nata est quod pauci quidam minus correcti codices Graeci hic legunt *χαριον*, quod sonat *gratiam*; cum plerique omnes habeant *χαρῶν*, *gaudium*. Vnde fluxerunt duae diuersae interpretationes Latinae: quarum ea quae est deterioris lectionis, plerisque codices

nostros qui hodie sunt in manibus, occupat. Quo loco, obiter monendi sunt omnes critici librorum correctores, ut Concordantias bibliorum veteres relinquunt intactas: eo quod nos doceant quid in suis antigraphis legerit Cardinalis Hugo, illic ubi est scriptura seu lectionis diuersitas; eaque de causa vetusti exemplaris loco nobis esse debeant; & quidem insignis, quoniam meliorem multis in locis lectionem exhibent quam vulgo critici codices. Id quod in hisce etiam Commentarijs saepe fuit obseruatum. *Quam ut audiam filios meos in veritate ambulare*. Huius partis sensus manifestus est ex dictis ad versus praecedentem.

CHARISSIME, FIDELITER FACIS QUICQUID OPERARIS IN FRATRES. *Fideliter facis*; Graecus ad verbum sonat, *fidele facis*, id est, rem facis fidelem, facis rem viro fideli dignam, ut exponit Oecum. *facis rem verè Christianam*: *Quicquid operaris in fratres*. hoc est, Quaecumque opera misericordiae exerces in pauperes vel alioqui indigentes Christi discipulos, homines Christianos. Atque ex isto & similibus Scripturae locis illud fluxit quod apud veteres ecclesiae scriptores Eleemosyna vocetur *Operatio*; ut apud Tertull. li. de Idololatria, in fine. & contra Marcionem lib. 4. S. etiam Cyprianus in Tract. de Opere & Eleemosynis, passim quando *bona opera* nominat, intelligit Eleemosynam. Imitatur hoc Prudentius, quando in Psychomachia Auaritiae opponit Operationem, ubi ait, *Cum subit in medium* &c. S. etiam Leo serm. de octo beatitud. in explicatione quintae; *Secura esto operantium fides, &c.*

ET HOC IN PEREGRINOS. Illud hoc non est in Graeco, & non nihil turbat sensum, Videtur enim Apostolus duo quaedam commemorare; scilicet Caii beneficentiam in pauperes Christianos suae ciuitatis suaeque gentis, item in Christianos peregrinos seu extraneos qui illuc adueniebant. De istis autem peregrinis subiicit quod in gratiarum actionem Deo, & in exemplum atque aedificationem fidelium, beneficentiam Caii in publico ecclesiae conuentu narrauerint. Hoc est enim quod sequitur:

QUI TESTIMONIUM REDDIDERUNT CHARITATI TVAE IN CONSPECTU ECCLESIAE. Per illud quod hic dicitur, *Charitati tuae*, nimirum operibus ipsis declaratae, confirmatur expositio quae supra data est v. 3. & 4. de *veritate*; & quae de *fide*, v. 5. Haec est enim veritas, haec fides quae verè faciat Christianum; Charitas in Deum & proximos sanae religioni adiuncta. Tum addit apostolus, loquens de iisdem peregrinis, *Quos benefacis deducens dignè Deo*. Ita legitur in libris Latinis melioribus, conformiter Graecis, & ita est in textu Lirani & Thomastri. Sensus & planus ordo verborum est hic: **Quos si dignè Deo deduxeris; rem bonam feceris**

& tua

& tua pietate dignam. In his ergo verbis, item v. 8. & 11. est adhortatio qua Caium monet Apostolus ut pergat esse sui similis in beneficentia erga eos qui indigerint; ac particulariter erga hospites peregrinos, de quibus verbis præcedentibus. Vnde contem-
tate possumus quod per istos ipsos epistolam Caio miserit.

Cæterum, quod ait, *deducens dignè Deo*, quid sibi velit est paulo accuratius intuen-
dum. Nec enim existimare debemus quod hoc loco, & in actis apostolorum ac in Paulinis epistolis, ubi passim fit mentio *deductionis*, ea non aliud sit quam nos vulgò intelligamus, scilicet quempiam proficiscentem honoris causa aliquò usque comitari: sed est præterea, subministrare sumptus profectio-
necessarios. Sic exponit etiam Liranus; & rectè: nam sic esse intelligendum, innuit nobis id quod hîc additur, *dignè Deo*. id est, sicut decet & dignum est deducere filios Dei, fideles Christi. Sicut Paulus apostolus ad Rom. 16. dum eis commendat Pheben Diaconissam ecclesiæ Cenchreenfis, *ut eam excipiant in Domino*; addit, *dignè sanctis*: id est, sicut decet excipi sanctos, fideles Christi & in eius ecclesiâ ministros. Quòd hanc *deductionem* sic intelligat Apostolus Ioannes, magis etiam manifestum fit ex ratione, quam subdit.

PRO NOMINE ENIM EIVS PROPECTI SVNT, NIHIL ACCIPIENTES A GENTIBVS. Pro nomine eius, Dei scilicet de quo dictum erat, *dignè Deo*. Videtur autem esse nomen personale hoc loco, & verificari de Christo Dei filio. Apud Bedam quidem, & in plerisque Græcis non est istud *eius*, sed idem Beda monet esse subaudiendum hoc, *Domini Iesu Christi*. Hac enim subauditione solere uti veteres Christianos. Id quod potest probabilitatem accipere ex simili quodam quod legitur Levitici 24. v. 11. *Cum blasphemasset nomen*, &c. ubi sicut in Clementinis & melioribus libris nostris nihil additur: ita neque Hebraicè aut Græcè. Sed B. August. in Locut. manifestum est (ait) *nomen Dei* esse intelligendum, cui maledixit.

Quod ait Apostolus, istos *profectos pro nomine Domini Iesu Christi*, potest bifariam exponi, ait Beda: videlicet, aut ut prædicaturi nomen & euangelium eius sponte sint profecti ad gentes conuertendos; aut ut propter fidem & confessionem nominis Christi per suos contribules patria fuerint expulsi. Similiter, quod sequitur, *nil accipientes à gentibus*, ambiguum est an de gentibus ad fidem Christi iam conuersis accipiendum sit, an de nondum conuersis: & uterque intellectus sua nititur probabilitate. Illo modo, sensus est, quod hi quamuis annu-
ciassent & deinceps forent annu-
ciaturi gentibus euangelium seu fidem Christi; essentq; iam complures gentilium eorum prædicatione conuersi: nihil tamen ab ijs exigere vel acci-

pere voluerint necessariæ sustentationis; haec scilicet de causa ne quod offendiculum darent euangelio Christi. Sicut & Paulus, in Asia & Achaia, sine sustentatione quæ à gentilibus conuersis præberetur, Christum annuncianit: quia ethnici non assueuerant suos magistros alere; & quia pseudapostoli sine eorum quos docebant grauamine suas doctrinas disseminabant. Qua de re multa sunt apud Apostolum 1. Cor. 9. 2. Corinth. 11. v. 7. & seqq. cap. 12. v. 13. & seqq.

De gentibus autem nondum conuersis si sermo sit; tunc significatur, quod isti peregrini, quamuis egerent quacumque tandem ex causa, nihil tamen ab eiusmodi gentilibus accipere, nedum petere, voluerint, ne ijs scandalizarentur & longius à Christiana religione auerterentur. Dixissent enim; Ecce nulla est charitas inter Christianos: coguntur peregrini & alij pauperes eorum ad nos confugere, egestate aliò qui cõficiendi. Itaque, male audisset Christiana religio, si isti peregrini quippiam necessariæ sustentationis ab infidelibus gentilibus accepissent. Hic intellectus potest confirmari per id quod Paulus apostolus scripsit Thessal. 1. ep. c. 4. *Rogamus vos fratres &c. Et ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt; & nullius aliquid desideretis*. id est, & ut ab ijs qui foris sunt nihil ad sustentationem pertinens, petatis. videlicet ne illi scandalizentur quod vos non operemini manibus, & sic vitæ necessaria paretis; aut si id nequeatis, scandalizentur quòd alij Christiani non tribuant vobis necessaria. Vtraque expositio bene probabilis est; nec satis liquet vtra sit præferenda.

NOS ERGO DEBEMVS SVSCIPERE HVIVSMODI, VT COOPERATORES SIMVS VERITATIS. Conclusio est huius exhortationis, cum adiecta noua ratione. Ergo, ait, ne isti inopia coacti compellantur necessaria petere à gentilibus, siue conuersis siue nondum conuersis; quorum vtrumvis sit futurum cum scandalo infirmorum: *nos debemus suscipere huiusmodi*, pauperes Christianos, qui pro nomine Iesu proficiscuntur quopiam aliò; siue hac siue illa de causa id faciant, de qua dictum est in expositione ver. præcedentis. *Ut cooperatores simus veritatis*, fidei scilicet, quam tales vadunt annu-
ciatum inter gentes; vel, quam tales sunt professi inter impios, etiam cum bonorum omnium iactura, & cum exilio: iuxta illud ver-
sus præcedentis, *pro nomine eius profecti sunt*, alio atque alio modo intellectum. Qui autem sic cooperatur veritati, accipiet à Deo mercedem tanquam & ipse partem habens in hoc bono opere, dum illud facientem fouet & sustentat. *Qui recipit prophetam in nomine propheta, mercedem propheta accipiet: qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*: ut promittit Dominus, Matth. 10. Pulchrè V. Beda hoc loco; Diuites sese virtu-

tibus

tibus pauperum spiritualia dona habentium, inserunt; dum iisdem sanctis pauperibus de suis diuitijs impertiuntur.

Restat illud exiguum vocabulum *Nos*, in fronte huius versus collocatum, quod duas nobis exhibet quæstiones. Prior est, Quos intelligat apostolus per istud *nos*: an Christianos quoslibet quibus essent facultates, an solos Christianos ex Iudæis. Dicendum verò est, quod hæc particula sit accipienda iuxta interpretationem illius quod præcessit, *à gentibus*: ut conformis sibi sit tota expositio. Igitur si illic de gentibus adhuc infidelibus est sermo: tum istud *Nos* accipietur iuxta priorem modum. Si verò de gentibus iam conuersis: iuxta posteriorem. Constat quidem quod Apostolus sub illo *Nos*, comprehendat Caium, cui ista scribit; sed nõ liquet an is fuerit Christianus, ex gentili, an ex Iudæo.

Posterior quæstio est, Quomodo Ioannes Apostolus sese numeret inter eos qui debeant pauperum Christianorũ necessitatibus subuenire, quum Apostoli iam multo antè dixissent Domino, *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Respondet Vener. Beda his verbis; B. Ioannes, qui omnia propter Christum dimiserat, iungit se personæ fidelium diuitum, ut ita eos reddat alacriores ad miserendum pauperibus & peregrinis. Sed quæritur, quomodo sermo Apostoli veritatem habeat. Poterat responderi, Apostolum in his verbis uti figura Communio-
nis; de qua aliquid dictum est epist. 2. v. 8. sub finem annotat. Sed aptius ad rem respondebitur, quòd Apostoli ex bonis quæ à fidelibus erant oblata in communem fraternitatis usum; sicut alia misericordiæ opera, ita & viatici præstationem, & hospitalitatem exercere potuisse, debuissent atque consueuisse. Nam profectò Apostoli episcoporum primi suis constitutionibus exigebant ab episcopis ut essent hospitales. 1. Tim. 3. Tit. 1. Addit rectè Liranus, quòd etiam illi qui nullam bonorum communium curam habent, verè dicuntur talia in pauperes facere, quando suo hortatu permouent diuites ad faciendum.

SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIAE; SED IS & CÆT. Videtur esse occupatio rati-
cæ obiectionis. Potuisset enim Caius dicere, istos peregrinos fuisse potius commendandos toti ecclesiæ in qua degebat ipse Caius, siue ea fuerit Corinthiaca siue alia: tum ad subsidia cumulatijs ijs conferenda, tum ne ipse solus oneraretur. Preoccupat hanc obiectionem Beatus Ioannes, dicens id fuisse futurum frustaneum; eo quòd præfectus illius ecclesiæ parui faceret Apostolum Ioannem: ideoque nullo fructu futuram eam quæ ecclesiæ fieret scriptio-
nem. Describit autem mores istius præfecti; idque sine peccato detractio-
nis; tum quia erat publicum qualis esset, tum quia Caij intererat id moneri; tum

ne illi pareret, aut sese conformaret (infra, ver. 11.): præsertim quia fidei & veræ pietati noxius erat iste Diotrophes, & fructum prædicationis euangelicæ impedi-
bat eius autoritas. Quæ causæ leguntur apud Bedam, Oecumenium, Liranum, & alios. Tria autem sunt, quæ Beatus Ioannes taxat in isto homine, hoc ver. & seq. Ambitio, Maledicentia in Apostolum, Inhospitalitas in pauperes Christi: sed hæc omnia ex vna radice videntur orta fuisse, nimirum hæresi. Nam fuisse hæreticum, omnino videtur: & hanc opinionem indicat Oecumen. exprimit autem Venerab. Beda, & ex eo alij. Credibile est fuisse quempiam ex illis Iudæis titulo tenus Christianis, qui Christi fidem ita suscipiendam putabant ut simul seruaretur lex ceremonialis Moysi. Neque enim initio Christianæ religionis ea maiores vllos in doctrinâ aduersarios passa est quam istos Iudaizantes: ut ex Epiphano discere possumus, hæresi 28. 29. 30. quæ sunt Cerinthianorum, Nazaræorum & Ebionitarum. Horum Iudaizantium magistros solet Paulus appellare pseudapostolos. Qui utique veris Christi discipulis legatâ negligentibus, & veris Christi Apostolis cessationem, imò noxam, ceremonialis post diuulgatum euangelium obseruationis, strenuè prædicantibus, erant infestissimi, ut ex Actis Apostolorum & ex Paulinis manifestum est. Eaque de causa verisimile est istum Diotrophem sese maleuolum & infestum præbuisse Iohanni Apostolo; fuisseque conatum ut Iudaismum in ecclesiam cui præerat, introduceret. Hoc de hæresi ipsius. Huius hominis ambitionem notat Apostolus illis verbis, *Is qui amat primatum gerere in eis*. q. d. Qui sese in præfecturam illius ecclesiæ insinuauit & ingessit, eaque præfectura delectatur tanquam magno quodam bono; qui gaudet præfesse non ut proficiat, sed quia grande aliquid putat istud præfesse; imò quia ea præfectura abutitur ad gregem Christi inficiendum pernicio-
sa doctrina. Eiusdem ambitionem & insolentissimam superbiam declarant & illa verba proxima, *Nos recipit nos*. Id est, Nihil facit personam nostram, nostrum munus Apostolicum quo fungimur, nostrum ecclesiasticum principatum; quem tota Asia reuerenter suscipit: ideoque nec epistolâ nostrâ quibus eam ecclesiam docerem vel monerem, ipse vllò honore dignaretur, contemnens nimitum nostram autoritatem, nostra mandata, monita, consilia.

Quòd est in principio huius vers. *Scrripsissem forsitan*, id Græcè legitur, *scripsi, & exegit*. Sed vtraque lectio bonum sensum habet; & potest connecti, hoc modo: *Scrissi aliâ ecclesiæ vestræ, sed frustra; quoniam Diotrophes qui iste præest, nobis aduersatur: qua de causâ nunc non scribo, scri-*

pturus alioqui fortassis.

10 PROPTER HOC, SI VENERO, COMMONEBO EIVS OPERA QUAE FACIT. *Com-monebo*, *ὑπομνήσω*: Idem verbum quod est in epistola B. Iudæ, v. 5. vbi satis liquet idem valere quod in memoriam reducere, memoriam alicui reficere, quempiam commonefacere. Quæ propria eius verbi significatio huic loco valde quadrat, vt sensus sit; Si istuc me venire contingat: reficabo fidelibus memoriam eorum quæ prauè agit Diotrophes. Vult tamen Apostolus intelligi quod simul ea redarguet coram ecclesia, vt cuius interit praua eius facta redargui. Inter cætera autem commemorantur duo hoc loco, verbis proximè sequentibus: quorum prius est, istius hominis maledicentia in tantum Christi Apostolum Ioannem. *Verbis*, ait, *malignis garruens in nos*. id est, nobis obrectans, nomini nostro detrahens; eo scilicet sine vt ipse sit in precio, & audiatur à fidelibus quos cupit seductos. Est autem credibile, iuxta ea quæ dicta sunt ad vers. præcedentem, istum eadem dixisse in Ioannem Apostolum, quæ pseudapostoli iudaizantes dixerunt in Petrum & Paulum apostolos, in Stephanum proto-
12

12 Alterum istius hominis prauum facinus quod hic commemoratur, est eius inhospitalitas: de qua fuit illa sequentia, *Et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipi fratres*, &cæt. Id est, Neque hospitio excipit, neque vilo alio beneficentiæ genere afficit veros Christianos: amans nimirum solos illos semichristianos, qui ceremonias legis quasi obseruatu necessarias iungunt fidei Christi. *Et eos qui suscipiant, prohibet, & de ecclesia eijcit. Qui suscipiunt, fratres verè Christianos, prohibet*, ne deinceps id faciant. *Prohibet* verò per constitutionem qua id seuerè interdicit. Ita Oecumenius in argumento huius epistolæ, & hic Liranus. Erat ea prohibitio cum interminatione eiectionis ex ecclesia: & hanc interminationem rigidè exequabatur, si quis recepisset aliquem qui non fateretur legalium ceremoniarum obseruationem esse etiam nunc necessariam saluti. Hoc est illud, *& de ecclesia eijcit*. Exemplum (ait Thomas) excommunicationis iniustæ, continentis errorem intolerabilem; quæ propter opus bonum inferebatur pijs benefactoribus pauperum verè fidelium. Simile fecerant Iudæi aduersus eos qui Iesum confiterentur esse Christum seu verum illum

Messiam. Ioan. 9. Non habebat vllam vim ista manifestissimè nulla, excommunicatio quam ferebat Diotrophes; nèque prohibitioni illi ipsius, quantumuis comminatoriæ erat parendum. Hoc significant verba sequentia;

CHARISSIME, NOLI IMITARI MALVM; SED QVOD BONVM EST. Sensus. Ne opera quidem istius impij te commoueant vt velis imitari: multo minus eius verba & præcepta vt velis parere. q. d. Ne feceris secundum opera eius, neque secundum doctrinam aut prohibitionem eius: quoniam omnia hæc mala sunt, repugnantia verè in Deum fidei & charitati.

Hoc ipsum alijs verbis dicit Apostolus, subiungens pro ratione, *Qui bene facit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum*. Quæ sententia quoniam iisdem penè verbis fuit *1. epist. cap. 3. ver. 6. & 10. Item cap. 4. ver. 7. & 8.* inde si qua amplior explicatio requiritur, petatur. Vt autem Caium Apostolus magis etiam confirmet aduersus prohibitiones & praua exempla Diotrophis: proponit ei exemplum contrarium, quod imitetur, inquitens:

DEMETRIO TESTIMONIVM REDDITVR AB OMNEBVS, ET AB IPSA VERITATE. *Ab omnibus*, qui eum noverunt, *testimonium redditur* Demetrio de ipsius in pauperes Christianos, siue domesticos, siue extraneos, *charitate ac misericordia*, varijs beneficentiæ modis demonstrata. *Et ab ipsa veritate*. Hoc est, à Christo Domino, qui est *Via, Veritas & Vita*. Ioan. 14; Vel, *Ab ipsa veritate*, id est, per ipsam rei euidenti-
12

12 rō hanc

13 rō hanc suam testificationem Ioannes, vt efficacius permoueat Caium ad imitationem Demetrij in constantia beneficentiæ, neglectis minis Diotrophis. Beda & post eum Liranus.


13 MVLTÀ HABVI TIBI SCRIBERE; SED NOLVI PER ATRAMENTVM ET CALAMVM SCRIBERE TIBI.

14 SPERO AVTEM PROTINVS TE VIDERE; ET OS AD OS LOQVEMVR. Expositio horum est præcedentis epistolæ v. 12. sunt enim eadem. Tum addit Apostolus, *Pax tibi*. Quid nomine pacis accipiendum sit, repetatur ex commentario versus 3. illius præcedentis epistolæ. Sequitur, *Salutate te amici, salutem tu amicos nominatim*. Quæ qualisve salutio hic intelligatur, dictum est eiusdem epistolæ v. 13.

Coronidis vice hoc loco aliquid addendum viderur de ordine factorum scriptorum quæ exant B. Ioannis Apostoli. Ac satis constare videntur Apocalypsim & euangelium vltimo loco fuisse scripta: sed vtrum horum priore loco, non omnes eodè modo dicunt. Anno decimo Imp. Domitiani fuit sanctus hic apostolus relegatus in Patmon insulam: anno 14. scripsit illic Apocalypsim, qui fuit annus Domini 97. Interfecto Domitiano redijt Ephesum anno 1. Neruè Imp. Christi verò, 98. Viderur autem euangelium scripsisse non tunc demū quando ab illo exilio Ephesum fuerat reuersus, sed multo antè quā exularet; rogatus ab Asiæ episcopis, maximè propter Ebionitarum dogma tum consurgens; inquit Hier. Catal. in Ioanne, & ante cum

Euseb. hist. lib. 3. c. 18. Atqui Ebion multo ante exilium B. Ioannis, suam impietate sperferat, imò & Romam profectus fuerat hæreseon suarum disseminandarum gratia; vt ex Epiphanio hæresi 30. recitat Baronius anno Christi 74. § 7. Et hanc sententiam, euangelium fuisse scriptum ante Apocalypsim, tanquam probabiliorem defendit Turrianus Defens. canonum Apostol. & epistolarum pontificalium veterum, lib. 1. c. 1. necnon ad Clementem Romanum lib. 2. c. 57. explan. 3. Quoniam verò prima & secunda B. Ioannis epistolæ directè & potissimum videntur scriptæ aduersus Basilidem hæresiarcham, vt ostendimus ad v. 8. cap. 5. primæ epistolæ, & in argumento secunde; ex Epiphanio autè constat Basilidem anteriorem fuisse Ebione; hæresi. 24. & 30. ponit enim Basilidem quartum post aduentum Christi hæresiarcham, Ebionem decimum: idcirco videntur duæ illæ epistolæ fuisse scriptæ diu ante euangelium. Id quod ex eo quoque probabile fit, quod Basilides fuerit Simonis magi ac Menandri discipulus; Epiphani. hæresi 23. quem proinde verisimile est, non diu post mortem Simonis sese pro magistro gessisse. Interijt autè Simōn anno Christi 68. vt est Tomo 1. Annalium Baronij. De tertia Apostoli huius epistola, quando scripta sit non valde liquet: viderur tamen ex similitudine quam habet cum secunda, etiam ipsa fuisse ante euangelium scripta; sed post obitum Apostolorum Petri & Pauli, quando cura Asiaticæ ecclesiæ soli ex Apostolis Ioanni incumberebat.

FINIS.



I N D E X
R E R V M M E M O R A B I L I V M
I N H O C S E C V N D O T O M O
C O N T E N T A R V M,

In quo prior numerus paginam, posterior columnam indicat.

A ron primus sacerdos leuiticus, diuinitus ad eam dignitatem vocatus est. 450.2	Abundare & satiari quid sit, 107.1
Aaron non fuit summus pontifex sed cum Christo conferatur. 446.1	Abyssus quid significet, 792.2
Aaron sine iuramento factus sacerdos, 488.1	Acceptio personarum quid sit, 656.2
Aaronici ministerij circumstantia Christo applicata, 520.1	Acceptio personarum non est apud Deum. 60.1
Abel non fuit sine persecutione, 319.2	718.2
Abel hostiam obtulit maiorem in copia & prestantia quam Cain, 564.1	Accipere & dare idem aliquando valent. 36.1
Abel quo sensu mortuus loquitur, 564.2	Accusator fratrum diabolus, 44.1
Abire in pace, quid sit, 664.1	Accusatio aduersus presbyterum non facile admittenda, 270.2
Abnegatio impietatis & secularium desideriorum, quae sit, 350.1	ACTIONES nostra non ita Deam habent authorē, ut non etiā a nostra voluntate procedat. 459.1
Abraha semen quodnam sit, 427.2	Actus peccati exterior nihil malicia moralis addit interiori, 874.2
Abraha facta promissio ad ceteros quoque Hebraeos attinebat. 466.1. 468.1. Cur eam iuramento Deus confirmauerit, 469.1	Adamum illic fuisse sepultum, ubi Christus postea sepultus est, a multis veteribus traditur, 50.2
Abraha facta promissio terra fuit, in semine suo adimplenda, 574.2	Adam quo sensu non fuit seductus, 231.2. seq.
Abraha semen quomodo comparetur stellis, cum has multitudinem superet, 573.2	Adam prae dixisse mundi vastationem apocryphum est, 568.2
Abraha fide concepit uxor eius Sara, 572.1	Ad dicere quempiam, id est condemnare, 690.1
Abraha fides commendatur, 576.1. & seq.	Adesse & assistere qui differant, 331.1
Abraham decimarum oblatione, minore Melchisedech se esse professus est, 475.1	Adolescentia obnoxia contemptui, 254.2
Abraham an fuerit sacerdos, 477.2. 486.2	Adolescentes de quibus admonendi, 348.1
Abraham totius generis Hebraeorum Patriarcha, 569.2	Adoptio duplex, 5.1
Abraham nesciuit quo eum loco Deus uellet sedem figere, 570.2	Adorabunt Deum in iudicio mali, licet inuiti, 81.1
Abraham ne passum pedis possedit in terra Chanaan, 571.1	Aduerſus non semper in alieno habitabant, 371.1
Abraham & Loth quomodo angelos adorauerint, 619.2	Aduena qui dicantur, 732.2
Abraham Deum uidit oculis corporeis, 620.1	Aduena dispersionis qui sint, 709.2
Abraham ex operibus iustificatus, 666.1	Aduentus Domini quo sensu appropinquare dicitur, 692.1
Abraham Dei amicus appellatus, 667.2	Aduentus Domini formidabilis, 692.2
Absolutio penitentium nusquam in scripturis vocatur manuum impositio, 272.2	Aduentus Christi iustis magnum adferet bonum, 99.2. 350.2
Absinentia Iudaeorum multipliciter uiciosa, 137.1	Aduentus Domini semper pra oculis habendus, 172.1. 284.2
Absinentia in Timotheo laudata presbyteros temperantiam docet, 274.1	Aduentus Christi praedicationem praecursorum eius comprehendit, 16.2
Absinentiam cur fidelibus indicet ecclesia, 344.2	Aduentus Domini quando breui venturus, 559.1
	Aduentus Domini unicuique qualis erit, 284.2
	Aduentum Domini quinam diligant, 327.2.
	350.2
	Aduentus Christi tempus correctionis cur dicitur, 517.2

Aduentus

Aduentus ad iudicium cur Christo tribuatur, 864.1	Ambrosius Neophytus quomodo creatus episcopus, 239.1.2
Adulterij descriptio, 168.1	Ambulare in peccatis quid sit, 14.1
Adulterij nomen unde sumatur, ibid.	Ambulare digne Deo quid sit, 114.2
Aduocati quodnam sit officium, 847.1	Ambulare & uinere quomodo differant, 139.2
Aduocatus noster apud Patrem, Christus, ibid.	Ambulare cum Deo qui dicantur, 566.2
Aduocati nostri an & quatenus ceteri sancti, 847.2	Ambulare an profectum semper significet, 843.1
Aegrotare quid sit, 277.2	Amen quid significet, 910.2
Aer qua ratione spiritus uocetur, 14.2	Amen, amen, non iuramentum, sed uehemens affectio est, 467.1
Aer plenus contrarijs fortitudinibus, 61.1	Amicitia huius saeculi inimica est Dei, 679.1
792.2	Amor noster omnis a sensu ducit originē, 891.2
Erugo testis & carnifex, 688.1	Anabaptista spiritum blasphemant, 197.2
Etas non ita praescribitur virginibus eligendis, sicut uidiuis, eiusque ratio, 263.2	Ananias, Misael, & Azarias uirtutem ignis extinxerunt, 589.2
Eternitas aduersus hodie, denotatur, 401.2	Angeli apostatae statim ut peccauerunt in infernum detrusi sunt, 792.2
Affligi praeter meritum Deo uehementer grauius est, 736.2. & seq.	Angelorum ac caelestium frequenter meminit apostolus in epistola ad Ephesios, & cur, 3.2
Affligi propter iusticiam beatitudo est, 745.1	Angelica natura non existit ante mundi constitutionem, 4.1
Afflicti orare debent, hilares psallere, 696.2	Angelorum ordines quomodo inter se & ab alijs ordinibus uel dignitate natura & gloria, uel officijs differant, non constat inter theologos, 11.1
Afflictio nulla inferitur nisi Deo uolente, 747.1	Angeli quae, quando, & quatenus cognouerint mysteria circa ecclesiam, 29.1 (717.1)
764.2	Angeli mysteria salutis intraspicere desiderant, 118.2. 427.2
Afflictiones Pauli erant gloria eorum, pro quibus patiebatur, 30.2	Angeli quomodo per Christum reconciliati, 118.2. 427.2
Afflictiones sanctorum dicuntur passiones Christi, quia ministrorum eius sunt, 120.2	Angeli non constituantur mediatores, sed bene intercessores, 133.1
Afflictiones omnibus toleranda, 163.2. 319.1	Angeli Deum hominem uiderunt, 246.2
Afflictiones cum gaudio suscipienda, 642.2. 646.2. 761.2	Angelorum dignitas, 271.2
Afflictiones infortiorum exemplum sunt iusti iudicij Dei, 185.1. 763.2	Angeli an in scriptura uocentur filij Dei, 401.1
Afflictiones tribuet Deus ijs qui iustos affligunt, 186.1	Angeli cur uentis & igni comparentur, 406.2
Afflictiones & probra fide promissionum caelestium eos animante tolerauerunt, 590.2	Angeli mittuntur in ministerium, & an omnes, 411.2. seq.
Afflictiones etiam piorum ad merita peccatorum referenda, non tamen peccatorum ultiones dicenda, 599.1	Angeli semper assistunt & ministrant, 413.1
Afflictiones huius temporis breui finiendae, 713.2	Angeli moderatores huius mundi, 417.2
772.1	Angeli Christo sunt subiecti, 420.2
Afflictorum fructus, 713.2. 716.1	Angeli ad ecclesiam Christi nobiscum pertinent, 610.2
Afflicto eripit Deus, 319.1	Angelorum tremor quid sit, & quomodo a demonum tremore differat, 665.2
Afflictorum consolatio in aduentu Domini consumetur, 691.1	Angelorum nomen commune omnibus incorporatis substantijs, 753.2
Agapa pro conuinijs Christianorum inter sese, 798.2. 828.1	Angelorum primum peccatum superbia, 791.2
Agnitio ueritatis fides est, 223.2	Angelis peccantibus cur non pepercerit Deus, sicut hominibus pepercit, 791.2. (826.2)
Alexander ararius a Paulo excommunicatus, & quam multa ei mala exhibuerit, 330.1	Angeli boni malis non maledicunt, 796.2. 797.1.
Allegoria fundata in figura crucis Dominica, 31.2	Angeli a Beato Petro & Iuda Gloria appellati, 796.1.2. 825.2
Alleniare quid sit, 700.2	Angelus Israelitarum ductor, Christi personam gessit, 823.1.2
Altare thymiamatis quod, & quam magnum, 508.2	Idem Aegypti primogenita interfecit, 823.2
Altare thymiamatis unum erat ex praecipuis quae in tabernaculo erant, ibid.	Anima & spiritus qui differant, 76.2. 445.1.
Altare thymiamatis & mensa quo sensu dicantur aurea, 509.1	676.1
Altercando ueritas amittitur, 219.1	Animas sanctorum sine peccato decedentiu statim a morte esse cum Christo, & beatae uisionis frui, notatur contra Anabaptistas, 75.1
Amare seipsum quatenus illicitum, 315.1	327.1. 612.1. 865.1
Amare indulgenter, odisse est, 347.2	Animam Adami in Paulo fuisse quidam impiet dixerunt, 218.1
Amantibus Deum omnia cooperantur in bonum, 744.2	
Amaritudo quid sit, 45.1	
Ambitio Iudeorum uelle dici Rabbi, 212.2	

Anima humana non propagatur ex traduce,
601.2
Anima per fidem castificanda. 712.1
Anime nomine vita & salus intelligitur. 732.2
Anime quaedam penis purgatoris expiantur.
757.2
Animalis in scriptura quis dicatur, 832.2
Animam ponere quid sit. 875.1
Animam pro fratribus ponere qui teneantur.
875.1.2
Annulus aureus quid olim pranotabat. 657.2
Ανομία quid sit. 906.1.2
*Antichristus quo sensu dicatur homo peccati, &
filius perditionis.* 191.2
Antichristus erit homo, non diabolus. *ibid.*
*Antichristi figuram gesserunt Antiochus & Na-
buchodonosor.* 192.2
*Antichristus quomodo sessurus sit in Ecclesia
Christi.* 193.1
Antichristus cur nunc non manifestetur. 193.2
Antichristus iam adest in praecursoribus suis.
195.1
*Antichristus è medio tolletur sola Christi iussio-
ne.* 196.1
*Antichristo interfecto aliquantulum durabunt
eius sequaces.* 196.2
*Antichristi virtus, signa, & prodigia cur menda-
cia vocentur.* 197.1
Antichristus quibus modis reprobos decipiet.
197.2
*Antichristi fraudes nihil valebunt aduersus ele-
ctos.* 197.2
Antichristi aduentus quatenus erit à Deo. 198.1
*Antichristi missio ad bonum iusticia diuina or-
dinatur.* 198.2
*Antichristum venturum, traditio apostolica, imò
diuina.* 856.2
*Antichristus quomodo iam venire dicatur & in
mundo esse.* 856.882.2. & seq.
Annus de quibus admonenda. 346.2
Apostasia praecedet aduentum Antichristi.
194.1
*Apostasia peccatum multi intellexerunt per il-
lud, Voluntarie peccantibus, &c.* 552.2
*Apostasia quid sit, & quam ante Domini ad-
uentum futura, late discutitur.* 190.2. seq.
*Apostasia in fide iam coepta est, sed necdum per-
fecta.* 191.2
Apostolicum munus cur gratia vocetur. 25.1
27.1.641.1
*Apostoli sunt fundamentum, alio tamen sensu
quam Christus.* 23.1
Apostolorum praepphetis dignitas. 23.2
*Apostolis post Christum & eius matrem nulli
comparandi.* *ibid.*
*Apostoli quando uti poterant dono curationum,
& cur non sanarent domesticos.* 87.2
Apostoli cur epistolas scripserint. 200.2
*Apostoli non multum per se baptizabant, sed per
alios.* 269.2
*Apostolorum tempore, quidam docuerunt di-
uersa ab apostolis.* 277.1
Apostolatus commendatio. 337.1
Apostolis frequenter fiebant reuelationes. 784.1

Apostoli in scriptura per nubes significati. 828.2
Apostoli Verbum carnem factum contrectauerunt. 839.1
*Apostoli cur in Concilio generali esum Idolo-
thytorum prohibuerint.* 909.1
*Apostolos post acceptum Spiritum sanctum non
fuisse confirmatos in gratia.* 845.1
Apostoli an tenerentur subuenire pauperibus.
925.1
Apparitiones olim fiebant per angelum. 331.2
Appia Philemonis uxor. 361.2
Aqua vino miscenda in sacrificio missa. 526.2
Aqua in baptismo quomodo auferat peccata.
538.2
Aqua quo sensu Noe seruaerit. 749.1
Aqua diluuii typus fuit baptismi. 751.2
*Aque clementum in mundi inuolutione non est
interiturum.* 813.2
*Aqua & sanguis qua fluxerunt ex latere Christi,
cuius rei significatio.* 894.2. 895.1. 898.2.
*Quomodo probet Christum fuisse verum ho-
minem.* 898.1
*Arca à Salomone in templum illata quousque
perseuerauerit.* 509.1
*Arca testamenti quidam imponebatur, latissime
discutitur.* 509.2. seq.
Arca longitudo, 510.2
Arcana quidam tradunt ut sint admirationi.
133.2
Arca Noe typus baptismi fuisse, late exponitur.
751.1
*Archangelus omnium angelorum princeps Mi-
chael, isq; ecclesia custos.* 172.2
Archypus presbyter ecclesiae Colossensium.
151.1
Arianorum haeresis destruitur, 823.2
*Arianorum fians in deprauandis Scripturae sa-
crae codicibus,* 898.2. 900.1
Ariolus quis dicatur, 800.1.2
Aristarchus quis fuerit, 147.2
Aristarchus gente Iudaus erat, 148.1
Armatura Dei quam sit, 60.2
Armatura militis Christiani partes, 63.1
Arguere quid sit, 49.2
Arrhabo & pignus qui differant, 9.1
Arrhabonis officium, 9.2
*Asiani qui Roma crediderant, Paulum auersa-
ti sunt,* 299.1
Asia regio circa Ephesum, 709.2
*Asperio sanguinis super librum & populum quid
significabat,* 527.1
*Ascendens Christus in altum, quam captiuam
duxerit captiuitatem, varie exponitur,* 35.1
Ascensio Domini pro nobis facta duplici ratione.
469.2
Auaricia nomen generale, 42.1
Auaricia peccatis immundicia anumeratur. 46.2
Auarus quo sensu idololatra. 47.2
Auaricia peccatum mortale; 48.1
Auaricia idolorum seruitus, 139.1
Auaricia radix est omnium malorum. 281.1
Auaricia scelerum mater, 281.2
Auaricia bonam conscientiam repellit. 282.1
Auaricia falsorum magistrorum, 791.1

Andire

Audire verbum Dei non sufficit nisi facias.
654.2
Audire vstitutissime est obedire. 432.2
Aures fodere quid sit in Scriptura. 540.1

B.
Babylonis nomine Romae typicè designatur.
708.1
Balaam propheta auarus. 799.2. 827.2
*Balaam, correptus per asinam humana voce lo-
quentem.* 800.1
Balaam propheta Dei fuit. *ibid.*
An aliquando etià demones consuluerit, 800.2
Baptisma quo sensu unum sit, 34.1
*Baptismo nobis applicatur meritum passionis
Christi,* 119.1
*Baptismus sepulturam Christi, eiusq; resurreccio-
nem representat,* 128.1
*Baptismus lauacrum regenerationis & renoua-
tionis quare dicatur,* 355.2
Baptizandi quam faciebant professionem, 457.2
Baptizatis manus imponi solet ab episcopo. 458.2
*Baptismus est sacramentum illuminationis, &
cur,* 460.1.2. 556.1. 731.2
Baptisma non reiteratur, 462.2
Baptismi sacramentum designatur. 549.2
Baptismus bonam conscientiam facit, 752.1
Baptismus vim habet à fide, non contra, 752.2
*Baptismus quo sensu saluos nos faciat per Christi
resurrectionem,* *ibid.*
*Baptismus Christi, significatus per aquam qua
fluxit ex eius latere,* 895.1. 898.2
*Baptismus Ioannis in aqua solum fuit, ac proin-
de gratiam non conuulit,* 894.2. 895.1
*Basiliidis figmentum, negatis veram Christi hu-
manitatem,* 897.2. 917.2. & seq.
*Eiusdem alterum dogma, Iesu causa non esse
subeundum martyrium.* 897.2
*Beatitudinem sanctarum animarum differri
vsque ad diem iudicij inepte à quibusdam af-
feritur,* 186.2. 865.1
Beatos videre Deum per essentiam, *ibid.*
Belli tempore omnia violantur, 223.2
Benedicere Dei benefacere est, 3.1. 467.2
*Benedicimus Deum cum eum pro beneficijs lau-
damus, ille nos benedicit cum beneficijs afficit.*
3.1
Benedictio quandoque pro maledictione ponitur,
436.1
*Benedictiones patriarcharum simul predicationes
erant & promissiones,* 578.1
Benefacere conuulsiore est obligatio.
465.2
Beneficentia quid sit, 627.1
Benefacta mali criminantur, 84.2
Beneficia Dei nobis donata, 779.1
*Beneficia ecclesiastica accumulantes reprehen-
duntur,* 268.1
*Beneficiorum pluralitas fugienda etiam praetextu
boni,* 281.1
Beniamitam esse non erat parua gloria. 91.1
*Beniamin tribus prima regem habuit, nec unquam
religionem mutauit.* *ibid.*

*Benignitas Philippensium laudatur cum tacite
expostulatione,* 105.2
Benignitas quid sit. 141.2. 354.2
Benignitas Dei erga homines, 724.2
Bilinguem esse quid sit, 241.1
Blasphemia quid, 45.2
Blasphemia maledicentiam significat, 140.1
Bonum aliquando ad tempus prohibetur. 249.2
Boni bonis quandoque molestiam exhibent,
319.2
Bonitas Dei erga nos, 651.2
Borborita idem qui Gnostici, 804.1
Borboritarum infanda libidines, 825.1
*Bosor, an locum natiuitatis Balaam, an vero pa-
trem ipsius significet,* 799.2
Bravium quid proprie significet, 96.1
Brigitte reuelationes ecclesia ignorat, 101.2

C.

*Calibatus episcoporum instituti est apo-
stolici,* 273.2
Calorum nomine quid comprehendatur, 409.1.
807.1
*Cali qua ratione peribunt ac mutabuntur igne
conflagrationis,* 409.2. & seq. 808.2. 810.2.
812.2
Caelstia qua sint, 494.2. 529.2
Celum quandonam Christus mouebit, 615.2
*Cain unde cognouit munera sua non fuisse acce-
pta,* 564.2
Cain ex inuidia fratrem occidit. 817.2
*Caius, cui Ioannes tertiam suam scripsit epistolam,
quis fuerit,* 912.1.2
Caleb & Iosue exploratores terra promissae.
439.2
Caluinus impiè exponit reuerentiam Christi,
453.1
Caluinus immerito culpatur parentes Moysi,
580.2
Caluinus maliciosus scripturae interpres, 684.2
Cancer quid, & cur et haereticus comparatur,
307.2. seq.
Cantandi alternatim modus antiquus, 52.1
Cantandum corde officium diuinum, 52.2
*Canticum canticorum id est pulcherrimum can-
ticum,* 508.1
*Carnalia iure percipi possunt ab eo qui spiritalia
ministrat,* 204.1
Caro & sanguis quid significant in Scripturis,
61.1. 754.2
*Caro infirmitatis & mortalitatis significationem
habet,* 119.1. 452.1
Caro naturam significat humanam, 245.2
Carnales cupiditates fugienda. 779.2
*Carpocratiani discipulos caetero notabant in
auricula,* 248.2
Carpus quis fuerit, 329.2
Castigari à Deo salutare est, 598.1. 602.1
Castitas seruanda. 182.1. 273.2
Castitas mulieres ornat, 219.2
Castitas oculos purificat, 604.1
Casus & fortuna locum non habent apud Deum,
366.1

Catechismus quid sit, 457. 2
 Catechumeni bona opera exercentes an iusti dicendi sint, 868. 2
 Cerimonia legis Moſaica cur elementa mundi vocentur, 134. 1
 Cerimonia & ritus ſacramentales occultandi, 244. 1
 Cerinthi heresis, 859
 Certamen cursorum quodnam ſit, 596. 1
 Certare debet legitime qui coronam ſperat, 302. 2
 Certitudinem de ſua iuſticia aut ſalute neminem habere poſſe in hac vita, 803. 2. 849. 1. 852. 2. 853. 1. 871. 2. 873. 1. 879. 2. 901. 2
 Charan Meſopotamia ciuitas, 570. 1
 Caritas Dei erga nos imenſa, 16. 1. 46. 1. 422. 1
 Caritas Chriſti maior quam ut a nobis intelligi poſſit, 32. 1
 Caritas & bona voluntas, idem eſt, 72. 1
 Caritas concordia mater, 77. 2
 Caritas mutua ſemper habenda, 123. 1. 142. 1
 Charitate membra inter ſe connectuntur, 134. 1. 758. 2
 Caritas vinculum perfectionis, 142. 1. 643. 2. 780. 2
 Caritas ſeſtanda, 179. 2. 736. 1
 Caritas ſinis precepti, 211. 1
 Caritas debet eſſe ex corde puro, 211. 2
 Caritas fraternitatis qua ſit, 618. 2. 722. 2
 Caritas operit multitudinem peccatorum, 705. 1. 758. 2
 Charitati ſiſterna quinque vicia contrariantur, 723. 2
 Caritas perfecta qua dicatur, 849. 2. 887. 1. 890. 1
 Caritas, teſſera diſcipulorum Chriſti, 872. 1
 Caritas vera, etiam imperfectorum, timorem ſeruilem excludit, 890. 1
 Charitatem ſemel habitam amitti poſſe, 803. 2. 871. 1. 918. 2
 Charitatem illam qua homo diligit, non eſſe ipſam eſſentiam diuinam, ſed qualitatem creatam, 888. 2
 Charitati locum preparat timor, 890. 1
 Charitatis ordo, 875. 1
 Charismata non eadem nec aequalia omnibus inſuſa, 41. 1
 Charismatum nomine quid intelligatur, 255. 2
 Cherubim qua figura fuerint, 511. 2
 Cherubim expaſſis alis operientes propiciatorium quid ſignificabant, 717. 1
 Chiliaſta promittentes regnum mille annorum poſt reſurrectionem, falluntur, 174. 2
 Chriſtiani omnes ſancti. Vide, fideles ſancti.
 Chriſtiani fratres in Domino vocantur, 71. 2
 Chriſtiani quidam ſancti ſunt ex domeſticis Neronis & qui fuerint, 109. 2. ſeq.
 Chriſtianorum dignitas, 184. 1. 645. 1. 725. 1. 729. 2
 Chriſtiani quibus ſe nominibus olim vocabantur, 276. 2
 Chriſtianum teneri inſtitutis legis Moſaicae, doctrina eſt peregrina, 624. 1

Chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes, falſo dicunt heretici, 726. 1. Item quo ſenſu dicantur reges & ſacerdotes, 730. 1
 Chriſtiani lapides vini ſuper Chriſto adificati in iudicio honorabuntur, 727. 2
 Chriſtiani quomodo tueri ſe poſſint aduerſus hereticos, 746. 1
 Chriſtiani qui dicantur, 763. 1
 Chriſtianos non omnes & ſingulos omnia ad doctrina Chriſtiana veritatem pertinentia noſſe, 858. 2. 860. 2
 Chriſtianus quilibet quomodo pro alterius peccato ad mortem orare teneatur, 905. 2
 Chriſti ſupra angelos eminentia, 3. 2. vide, Chriſtus angelis maior.
 Chriſtus ſimilitudo Patris ſeu imago Dei, 5. 2. 116. 1. 535. 2
 Chriſtus angelorum & hominum caput, 7. 2. 127. 1. 133. 2
 Chriſtus quo ſenſu a Patre ſuſcitatus, & ad dextram Patris ſedeat, 11. 1. 399. 2. 411. 1. 753. 1.
 Chriſtus cur vulnera reſeruauerit, 494. 1
 Chriſtus ſuper omnia conſtitutus, 11. 2. corporaliter tamen in calo, non ſupra calum eſſe probatur, 37. 1. & 2. 446. 2
 Chriſtus omnium Dominus, 12. 1. 33. 2. 82. 1. 161. 1. 397. 1. 545. 2. 631. 1
 Chriſtus caput eccleſie quo ſenſu, 12. 1. 117. 2
 Chriſtus eſt pax noſtra, 20. 1
 Chriſtus per meritum paſſionis ſuae nos in gratia reſtituit, 21. 2. per eandem paſſionem ſibi meruit, 80. 1. 520. 2. 597. 1. 630. 2
 Chriſtus pacem quatenus euangelizauerit gentibus & Iudeis, 22. 1.
 Chriſtus mediator noſter, 22. 1. 229. 1. 490. 1. ſeq.
 Chriſtus lapis angularis, 23. 2
 Chriſtus Deus 36. 2. 38. 1. 59. 2. 79. 1. 80. 2. 107. 1. 116. 1. 141. 2. 245. 2. 332. 2. 397. 2. 407. 1. 410. 2. 430. 2. 436. 2. 522. 2. 715. 2. 721. 2. 745. 1. 812. 1. 823. 2. 834. 2. 837. 2. 838. 2
 Chriſtus aut euangelium quo praeſertim annuncietur, non reſert, 73. 1
 Chriſtus quo ſenſu formam ſerui acceperit, 79. 1
 Chriſtus quomodo lucrificatus, 93. 2
 Chriſtus primogenitus omnis creaturae, quo ſenſu, 116. 1. inter electos primogenitus, 611. 1
 Chriſtus non meruit gratia plenitudinem, ſed ex patris beneplacito eam accepit, 118. 2
 Chriſtum dicere non ſatis paſſum eſſe ad redemptionem noſtram, hereticum eſt, 120. 1
 Chriſtus radix & fundamentum, 124. 2
 Chriſtus angelis maior contra Simonem oſtenditur, 3. 2. 130. 2. 400. 1. 406. 1. 410. 2. 420. 2. Etiam ut homo, 411. 1
 Chriſtus omnium vindex, 168. 2
 Chriſtus qua ratione paulo minus ab angelis minoratus, 420. 1
 Chriſtus venit in mundum ſecundum humanitatem, 217. 2
 Chriſtus non fuiſſet venturus in carne, ſi homo non peccaſſet, 218. 1
 Chriſtus mouente ipſum Spiritu ſancto ſe ipſum obtulit, 521. 1
 Chriſtus voluntarie paſſus eſt, 226. 2. pro ſolis electis.

Elis, 304. 1
 Chriſtus omnes redemit ſufficienter non efficienter, 226. 2. 351. 1. 422. 2. 534. 1
 Chriſtus redemptor & teſtamentum quo ſenſu, 227. 1
 Chriſtus quo ſenſu viuificatus Spiritu dicatur, 747. 2
 Chriſtus iuſtificatus in Spiritu quo ſenſu, 246. 1
 Chriſtus a Patre ſuſcitatus, 721. 2
 Chriſtus quomodo aſſumptus eſt in calum, 247. 1
 Chriſtus homo praſens eſt omnibus adionibus noſtris, 271. 2
 Chriſtus omnium adionum noſtrarum inſpector & exemplar, 283. 2
 Chriſti coram praſide conſeſſio, ibid.
 Chriſtus ſecundum humanitatem venturus ad iudicium, 285. 1. 326. 2
 Chriſtus ut homo rex regum, & dominus dominantium, 285. 1
 Chriſto commori quid ſit, 305. 1
 Chriſtus impeccabilis, 305. 2. 720. 1. 737. 2. 738. 1
 Chriſtus peccata noſtra pertulit, 738. 2. 867. 1
 Chriſtus aliter ſaluator ut homo, aliter ut Deus, 337. 2. & quo ſenſu dicatur ſaluator, 356. 2
 Chriſtus quo ſenſu factus eſt, 400. 2
 Chriſtus unigenitus & primogenitus, 405. 1
 Chriſtus in Euchariftia adorandus, 405. 2
 Chriſtus ſpirituali vnctione vnctus, 408. 1
 Chriſtus tertio vnctus, & quando, 408. 2
 Chriſtus Moysi anteponitur, 408. 2. 430. 1. 431. 2
 Chriſtus Moysi anteponere cur laboret apoſtolus, 429. 2
 Chriſtus proprie calos fecit, 409. 1
 Chriſtus patribus apparuiſſe, legemq; dediſſe quo ſenſu dicatur, 415. 1
 Chriſtus nobis bona ſalutaria, ſibi autem gloriam & honorem ſua paſſione promeruit, 421. 2
 Chriſtus cur dicitur mortem guſtaſſe, 422. 2
 Chriſtus frater noſter ſecundum humanam naturam, 424. 2
 Chriſti humanitas probatur, 425. 1. ſeq.
 Chriſtus quo ſenſu tentatus, 428. 2. a quibus, 447. 2
 Chriſtus magnus paſtor, 630. 2. 768. 2
 Chriſtus apoſtolus & pontifex, 429. 1
 Chriſtus legiſlator, 431. 2. 496. 1. 786. 1
 Chriſtus pontifex quam multum in nos propenſus, 446. 2. 490. 2
 Chriſtus etiam immortalis adhuc eſt pontifex noſter, 492. 1
 Chriſtus quomodo compati poſſit, 447. 1
 Chriſtus potuit morbis affici, non tamen erat conueniens, ibidem.
 Chriſtus pontifex quomodo a ceteris hominibus differat, 447. 2
 Chriſtus iudex & advocatus, 448. 1. 530. 2. 556. 1
 Chriſti pra pontifice Aaronico excellentia,

450. 1. 493. 1. 514. 2.
 Chriſti ſupra alios pontifices excellentia quoad vocationem, 451. 1
 Chriſtus pro ſeipſo preces obtulit Patri, 451. 2
 Chriſtus quando orauerit cum clamore valido & lachrymis, 452. 2
 Chriſti oratio ſemper fuit exaudita, 453. 2
 Chriſtus a Deo factus pontifex ſecundum ordinem Melchizedech, 455. 1
 Chriſtus pontifex aditu nobis patefecit ad vera ſancta, 548. 1
 Chriſtus praecursor, 469. 2
 Chriſtus rex iuſticiae & pacis per regem Salem ſignificatus, 473. 1
 Chriſti aternitas, 473. 2
 Chriſto quomodo applicantur qua de Melchizedech dicuntur, ſcilicet ſine patre & c. 474. 1.
 Chriſtus quomodo non fuerit decimatus in Abraham, 478. 2
 Chriſtus ex tribu Iuda ortus, 481. 2
 Chriſtum ad tribum regiam ſimul & ſacerdotalem pertinere multorum eſt ſententia, 481. 2
 Chriſtus quo ſenſu ſit ſacerdos in aeternum, & quidem ſecundum ordinem Melchizedech, 483. 2. & 484. 1
 Chriſtus non ceſſat ab adu ſacerdotali, 532. 1
 Chriſtus mediator noui teſtamenti, 488. 2. 522. 2
 Chriſtus quo ſenſu ſegregatus a peccatoribus, 490. 2
 Chriſtus nullo peccato contaminatus, 720. 1
 Chriſtus ſemel tantum ſeipſum obtulit cruentum, 491. 2
 Chriſtus quo ſenſu non ſit ſuper terram, 494. 1
 Chriſti miniſterio in nouo teſtamento applicantur ſex circumſtantiae eorum qua in ſecundo tabernaculo ſiebant, 518. 1
 Chriſtus incarnatione ſua factus eſt pontifex, 518. 2
 Chriſtus quomodo dicatur intrare in calum per corpus ſuum, 519. 2
 Chriſti in nos amor, 520. 1
 Chriſtum oportuiſſe dari ex vocabulo teſtamenti, an bene probet Paulus, 523. 1. ſeq. uſque ad 525. 2
 Chriſtus quo ſenſu paſſus fuerit in conſummatione ſeculorum, 532. 1
 Chriſtus cur non ſtatim a lapſu hominis paſſus fuerit, 533. 1
 Chriſtus oblatuſ eſt ut multorum peccata portaret, 534. 1
 Chriſtus quo ſenſu apparebit ſine peccato, 534. 2
 Chriſtus unica oblatione conſummauit ſanctificatos, 545. 2
 Chriſti caro per velum ſignificata, 548. 2
 Chriſtus nobis aditu patefecit ad calum, 548. 1
 Chriſtus conſumator noſter, 596. 2
 Chriſtus loco gaudij crucem elegit, & quodnam fuerit illud gaudium, 597. 1
 Chriſtus quomodo loquatur de calo, 614. 2
 Chriſto cur quaedam tribuantur antequam eſſet incarnatus, 615. 1
 Chriſtus cur a quo comparatus, & per animum ſerpentem in lege adumbratus, 720. 1

Christus ab aeterno praordinatus ad nostram salutem, 720.2
 Christus principaliter ad Iudaeos venit, 721.1
 Christus lapis unicus & a Deo electus, 725.1
 Item lapis angularis, 727.1
 Christus lapis reiectus, postea tamen assumptus, 728.1
 Christus incredulis factus est lapis offensionis, 728.2
 Christus nusquam recriminatus fuisse legitur, 738.1
 Christus pastor animarum nostrarum, 739.1
 Christus filius Dei naturalis, 785.2
 Christus sacerdos simul & hostia, 848.1
 Christi sanguine quomodo mundati sumus ab omni peccato, 843.2
 Christus propitiatio pro peccatis nostris, 848.1
 Quomodo dicatur propitiatio pro peccatis totius mundi, 848.2
 Christus electorum tantum advocatus, ibid.
 Christus quomodo nunc in caelis pro nobis interpellat, 847.2
 Christus antonomastice Sanctus appellatus, 858.1
 Christus quomodo peccata nostra tulerit, 866.2 & seq.
 Christus auctor iusticiae nostrae, 869.1
 Christus Veritas, 895.1
 Ciborum discrimen reprehendentes nequiter verbo Dei abutuntur, 131.1
 Cibi nulli per se mali, 250.1
 Cibi per verbum Dei sanctificantur, 251.1
 Circumcisio & concisio qui differant, 89.1
 Circumcisio Christiana fit per baptismum, 128.1
 Circumcisio carnalis per Christum commutata in spiritualem, 128.2
 Civitas superna quandoque nomine tabernaculi significatur, 571.2
 Civitatis conditor quis dicatur, 572.1
 Civitas caelestis nobis inquirenda, 626.2
 Clemens Pauli adiutor praefuit Romanae ecclesiae post Petrum, 102.2
 Clerici negotiationem exercere non debent, 302.2
 Clerici qui sint, 768.1
 Cogitationem a temporalibus ad aeterna frequenter transfert apostolus, 109.1
 Cognoscere Deum quid sit, 849.1
 Colossenses Paulum praedicantem nunquam audierunt, III.113.2, 368.1
 Comestiones quae sint, 755.1
 Commentariorum in Catholicas epistolas, quae sub nomine D. Thom. Aquinatis profat, auctor est Thomas Anglicus, 834.2, 835.1.2
 Communicare peccatis alienis quid sit, 273.1
 Commune apud Hebraeos quid sit, 554.2
 Compages quae sint, 445.1
 Concilium generale a Pontifice confirmatum errare non potest, 245.1
 Concilia fidei nihil addunt, 821.2
 Concionatores quomodo & quid loqui debeant, 415.2, 760.1
 Aliud spectare non debent quam gloriam Dei, 679.1
 Concordia animorum habenda & servanda, 77.2, 742.2

Conceptio quando fiat, 572.1
 Concupiscentia nomen nude sumptum male sonat, 139.1
 Concupiscentia rerum alienarum viciosa est, 170.2
 Concupiscentia non est peccatum, sed peccatorum fomes, 648.1
 Concupiscentia pertinet ad solum appetitum sensitivum, ibid.
 Concupiscentia quomodo concipiat, 648.2
 Concupiscentia multorum malorum causa, 677.2
 Concupiscentia carnis quae dicatur, 854.1
 Concupiscentia oculorum, pro lascivia & impudicitia, 854.2
 Pro curiositate, ib. Pro avaritia, ib. & 855.1
 Concupiscentia, etiam renatorum, non est a Deo, 855.2
 Concupiscentia renatorum an dicenda sit iniquitas, 866.1, 906.2
 Concupiscentia huius mundi transit, 855.1.2
 Confessionis peccatorum comparatio cum vomitu, 804.1
 Confessio peccatorum, remedium obtinenda remissionis, 845.1.2
 Considerare in carne quid sit, 90.1. Et confidentiam habere in carne, 90.2
 Confirmationis sacramentum, 458.1
 Conflictationes ex questionibus saepe oriuntur, 278.2
 Congaudere idem est quod congratulari, 85.1
 Coniugali officio orationes impediuntur, 742.1
 Connubium in omnibus honorabile, 620.2
 Conresuscitatio nostra cum Christo, 16.2
 Conscientia mala multis causa est deserendi fidei, 221.1
 Conscientia tranquillitas fiduciam parit eademque damnationis, 877.2. & seq.
 Conservatio est continuata creatio, 117.2
 Consilium quo sensu Deo tribuatur, 8.1
 Consilium Dei quando mutari possit, 468.2
 Consilium duobus modis mutabile, ibid.
 Consummare & consummatio varie accipiuntur, 595.1
 Contentio verborum fugienda, 77.2, 305.2. & seq. 674.2
 Contentione nihil agendum, 84.1
 Contentione occasione profusus carere non possumus in hac vita, 206.1
 Contentio paci adversatur, 229.1, 306.1
 Contentiones verborum hominem peccatis implicent, 278.1
 Contentiones stultarum questionum sunt comites, 357.2, 654.1
 Contentiosi sapientes esse non possunt, 675.1
 Continentia episcopis, presbyteris & diaconis praecipitur, 235.2
 Continentia virginalis ac vidualis hominem reddit Deo carum, 265.2
 Contribules qui sint, 161.1
 Convertere peccatoris est donum Dei, in qua tamen Deus utitur opera hominum, 313.2
 Conversatio bona multum in doctore necessaria, 746

vide

vide, cura bona fama.
 Convertere peccatorem quis dicatur, 704.2
 Cooperatio humanae voluntatis cum Deo efficaciter mouente, 722.1, 779.2
 Cor purum fons est bona conscientiae, 211.2
 Cor durum quid sit, 433.1
 Core contradictio adversus Moysen, 827.2. Quo genere mortis perierit, ibid.
 Cornelius Centurio nondum Christo incorporatus, iustus ac timens Deum appellatus, 868.2
 Corpus peccatorum carnis quodnam sit, 127.2
 Corpus peccati quomodo exuatur in hac vita, ibid.
 Corpori non parcere quid sit, 136.1
 Corruptio Domini grato animo suscipienda, 598.2
 Corripendi modus, 313.2
 Creatura Dei quo sensu dicitur immunda, 345.1
 Creatura nomen saepe ad humanum genus restringitur, 652.2, 734.1
 Credere nostrum est, sed non ex nobis, 17.2
 Credere quid sit, 336.1
 Credere nolle superbi est animi, 560.2
 Credere & fidem profiteri non est idem, 665.1
 Creta insula nomen est, 337.2
 Cretensum vanitas, 342.1
 Cretenfes mendaces & mala bestia cur dicantur, 342.2
 Cretensum intemperantia, 350.2
 Critici quinam dicantur, 445.2
 Crucis a cruce deductum est, 80.1
 Crucis Dominica longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profundum quis comprehendat, 31.2
 Crucis Christi inimici sunt, qui iusticiam ex lege quarendam praedicant, 97.2
 Crux Christi altare est, 615.1
 Cupidarum carnalium repressio, 717.2, 754.2
 Cura bona fama & conversationis habenda, 105.1, 733.1
 Cura habenda domesticorum fidei, 618.2
 Curare gregem Christi gratia questus, turpe est, 767.2
 Curiositas quid sit, & quid pariat, 266.1
 Cursus ministerii apost. certamen vocatur, 282.2

D.

Damones mysteria sapientiae Dei quatenus cognoscant, 28.2
 Damones cur mundi rectores appellentur, & quis sit iste mundus, 61.2
 Damones quomodo credant, 665.2
 Damones an in hoc aere versentur, 792.2
 Damones semper ubicunque sunt, penam primae suae damnationis circumferunt, 793.1
 Damones quomodo iudicandi & condemnandi in die iudicii, ibid.
 Dare simpliciter quid sit, 643.2
 Davidis dictum est, filius meus es tu, quatenus typum Christi gerebat, 402.2
 Davidis & Salomonis regnum quomodo usque in aeternum stabilitum sit, 403.1
 David vir fuit secundum cor Dei, 543.2
 Decimas subtrahere non licet parochiano, 270.1

Decimas solvit Abraham Melchisedech sacerdoti, 472.2
 Decima de melioribus danda, 474.2
 Decimas accipiendi mandatum habent sacerdotes, 475.2
 Decimas quomodo teneantur accipere sacerdotes, ibid.
 Decimati sunt in Abraham, solum ij, qui secundum carnalem concupiscentiam ex eo orti sunt, 479.2
 Decretum Dei cur eius cognitio vocetur, 309.2
 Deducere quempiam quid sit, 923.2
 Defunctorum memoria in celebratione facienda, 74.2
 Defunctum esse secundum fidem quid sit, 574.1
 Deitatem in Christo habitare essentialiter contra Nestorium asseritur, 126.2
 Deliciae & lascivia qui differant, 689.2
 Delicium & peccatum quo differant, 13.1
 Delictis & peccatis mortui qui sint, 13.2
 Demas poenitentia ductus ad Pauli obsequium rediit, 368.2
 Denunciare potestatem significat, 209.2
 Depositi nomine doctrina sacra intelligitur, 289.1
 Deposita varia in scripturis significat, 298.1
 Descensus Christi ad inferos prophetia, Et an descenderit ad inferos damnatorum, 36.2
 Desideria mundana quae sint, 506.2
 Desideria peccandi quando peccata sint, 755.1
 DetraCTORis intentio, 683.1
 Detrahens quomodo legi detrahere dicatur, 683.2
 DetraCTORis absurditas, 684.1
 DetraCTores non possunt proficere ex bona conversatione aliorum, nisi Deus eos visitet, 733.2
 Deo quo sensu consilium tribuatur, 8.1
 Deo in omnibus etiam adversis gratias agendas pulcherrime docuit S. Hieronymus, 53.1
 Dei nutu omnia gubernantur, 686.1
 Deus efficaciter operatur salutem nostram, 8.1
 18.2, 27.1, 69.1, 83.1, 170.1, 722.1
 Deus dives in misericordia, 16.1
 Deus omnium auctor & principium, 202.2, 52.2
 117.1, 180.1, 184.1, 4.3, 1.650.2
 Deus est eorum a quibus colitur, 68.2
 Deus quorundam venter est, quo sensu, 98.1
 Dei Patris & Filii eadem est potentia, 100.1
 Deus cur invisibilis vocetur, 116.1, 286.1
 Deus, pater noster est, 165.2, 651.2
 Deus Pater Salvator noster, 208.1
 Deus rex saeculorum, 219.1
 Deus non est auctor malorum, 651.2
 Deo soli honor & gloria, 219.2
 Deus vult omnes homines salvos fieri, quo sensu, 223.2, 809.2
 Deus totam salutem electorum operatur, 225.1, 712.2
 Deus in humana carne ab hominibus visus, 246.1
 Deus nullos excludit ab usu sua creatura, 250.1
 Deus omnium hominum salvator quo sensu, 253.2
 Deus in hac vita singulari modo fidelium est salvator, 254.1
 Deus beatus, 285.1. Deus unus est, 665.1

Deus

Deus filius princeps, rex, & dominus, 285. 1.
 Deus filius immutabilis, 285. 2.
 Deus ignis consumens est, 618. 1.
 Deus lux est, lucemq; habitat inaccessibilem, 285. 2. 842. 1.
 Deus pater per subiectam materiam quandoque apparuit, 286. 2.
 Deus necessaria prabet, 287. 2.
 Deus Pater quo sensu dicitur per Filium fecisse sacula, 397. 2.
 Deus Pater primogenitum suum secundo introduxit in mundum, 404. 2.
 Deus quo sensu requieuit ab omni opere, 441. 2.
 Deus omnia videt, 445. 2. Deus timendus, 736. 1.
 Deus quo sensu dicat se fore Deum, bifariam exponitur, 502. 1.
 Deus Pater tertio caelesti voce testimonium perhibuit Filio, 785. 2. 895. 2. 896. 1.
 Deus sine fide cognosci non potest, ut ea cognitio sit salutaris, 567. 1.
 Deus cur vocari voluerit Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, 576. 1.
 Deus quomodo aptet homines ad bonum, 631. 1.
 Deus ad dandum paratissimus, 644. 1.
 Deus cur in celo habitare dicatur, 650. 2.
 Deus quosnam exaudituros se promiserit, 680. 2.
 Deus potest saluare & perdere dupliciter, 684. 1.
 Deum à beatis videri per essentiam, 865. 1.
 Deus est caritas, 885. 1. 2.
 Deus quomodo patiens & longanimis dicatur, 809. 2.
 Deus maior corde nostro, 877. 2.
 Dexter a quid in scriptura significet, 406. 1.
 Diabolus princeps tenebrarum, 14. 1.
 Diabolus princeps amatorum huius seculi, 61. 2.
 Diabolus tenebra vocatur, eiusq; ratio, 115. 2.
 Diabolus princeps damonum, 238. 2.
 Diabolo potestas in reliquam creaturam per peccatum hominis permissa est, 251. 1.
 Diabolus quo sensu dicatur habere mortis imperium, 426. 1.
 Diabolus gehenna vocatur & quare, 672. 1.
 Diabolo resistendum, 682. 1.
 Diabolus quomodo à nobis fugere dicatur, 682. 1.
 Diabolus in fine vite maximè nobis insidiatur, 696. 2.
 Diabolus calumniatur, & cur leoni rugienti comparetur, 771. 1.
 Diabolus quomodo circumeat cum ligatus dicatur, ibidem.
 Diabolus sitne omnis peccati anthor hominibus, 869. 1. 2.
 Diabolus quomodo ab initio peccet, 869. 2.
 Diabolus semper continuo peccat, ibidem.
 Et sunt omnia eius peccata mortalia, ibidem.
 Diabolus in scriptura saepe notatur nomine maligni, mali, nequam, &c. 202. 1. 853. 1. 907. 1. 2.
 Diabolus qua ratione princeps huius mundi dicitur, 907. 2.
 Diabolus diuina iusticia tortor & carcera-

rius, ibidem.
 Diaconissa quanam erant, 242. 2.
 Diaconi qui in scriptura intelligantur, 68. 2.
 Diaconorum officium, 240. 2.
 Diaconi sunt quotquot initiati presbytero inferiores, ibidem.
 Diaconus manuum impositione opus habet, 242. 1.
 Diaconi cur unius uxoris debeant esse viri, 243. 1.
 Diaconi habuerunt partem in ministerio verbi, 243. 1.
 Dies nouissimi qui sint, 314. 2.
 Dies solitarie positus diem iudicij significat, 551. 1.
 Dies mortis quo sensu sit unicuique dies vniuersalis iudicij, ibidem.
 Dies Domini more scriptura quid significet, 810. 2.
 Dies quo sensu mali sint, 51. 1.
 Dies malus tempus est tentationis, 62. 2.
 Dies Christi quis sit, 69. 2.
 Dies festus à Neomenia & Sabbatho quomodo distinguendus, 131. 1.
 Dies Domini sicut fur veniet, an autem die, an nocte, incertum est, 175. 2. 176. 1. 810. 1. Non tamen ut fur omnes comprehendet, 176. 1.
 Digamos à sacris ordinibus semper repulit ecclesia, 235. 2. 261. 2.
 Digami cur ab episcopatu repellantur, 235. 2.
 Digamus censetur qui viduam duxerit, 262. 2.
 Dilectio. vide Caritas.
 Dilectio tessera discipulorum Christi, 872. 1.
 Dilectio fratrum sincera, signum electionis, 877. 1.
 Dilectio malorum an & quatenus prohibita, 853. 2.
 Dilectionis preceptum diuersa ratione & nomina & vetus dicitur, 850. 2. 851. 1. 916. 2.
 Dilectionis mandatum, institutione sui est antiquissimum, 916. 2.
 Diotrepes an hereticus fuerit, & qualis, 925. 2.
 Diotrepis ambitio, ibidem.
 Discernendi spiritus an ex Deo sint, regula dua, 880. 1. 2. 884. 1.
 Discretio illa spirituum quibus conueniat, 880. 1. 2.
 Discipuli quomodo loqui debeant de preceptoribus suis, 164. 2.
 Discipulos expressius fratres suos vocauit Christus à resurrectione sua quam antea, 424. 2.
 Disputandi pugnacitas fugienda, 278. 1. 305. 2.
 Ditari velle peccatum est, 280. 2.
 Dininitatis cum carne unio perpetua est, 126. 2.
 Diuina maiestatis proprietates, 285. 2.
 Diuina natura quomodo efficiamur consortes, 779. 1.
 Diuitia Christi inuestigabiles, 27. 2.
 Diuitia quatenus retineri possint, 280. 1. 286. 2.
 Diuitias qui appetunt multis laqueis implicantur, 280. 1.
 Diuitias querere quatenus licitum sit, 280. 2.
 Diuitias querere cum bona voluntate ordina-

rie periculo non caret, 281. 1.
 Diuitem esse & diuitias non amare difficile est, ibidem.
 Diuitie multis casibus obnoxie, 287. 1.
 Diuites abundare debent bonis operibus, 287. 2.
 Diuites largiendi promptitudinem habere debent, 288. 1.
 Diuitibus sua vilitas consideranda, 645. 2.
 Diuitie breues & caduca, 646. 1.
 Diuites pra pauperibus quatenus honorari debeant, 658. 2. & quando honore indigni, 659. 1.
 Diuites increpantur, & ad penitentiam inuitantur, 687. 1.
 Diuites auari indigni qui communem hauriant aerem, 687. 2.
 Diuitie excedent carnes auarorum in iudicio, 688. 2.
 Diuitum duo genera, 689. 1.
 Diuites in diem maculationis sese pascant, 689. 2.
 Diuitum in pauperes violentia, 691. 1.
 Docere aliter quid sit, 210. 1.
 Docens ea qua ignorat non potest excusari à peccato, 212. 2.
 Doctrinam cum aqua, pluuia, fonte comparari, frequens in scripturis, 828. 2.
 Doctrina alicuius veritas ex antiquitate iudicanda, 860. 1.
 Doctrina Christi multis miraculis confirmata, qua signa, portenta & virtutes appellatur, & cur, 416. 2.
 Doctrina baptismatum qua sit, 458. 2.
 Doctrina sanitas, 343. 2.
 Doctrina integritas totius religionis fundamentum, 210. 1. 623. 2.
 Doctrina veritas unde sumenda, 402. 2. 245. 1. 623. 1.
 Doctrina Pauli integritas, 158. 1.
 Doctrina euangelica testimonium vocatur, & quare, 188. 1.
 Doctum esse à Deo bifariam accipi potest, 169. 2.
 Doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parui laboris est, 269. 1. 307. 1.
 Dogma quid significet, 134. 2.
 Dominus ac iudex communis dominorum & seruorum, 60. 1.
 Domini quomodo erga seruos se gerere debeant, 145. 2.
 Dominium super omnia animantia homini contulit Deus in creatione, à quo non excidit per peccatum, 418. 2.
 Dominium competij homini per naturam, ibidem.
 Dominari in alios qui dicantur, 768. 2.
 Domus magna quid apud apostolum significet, 310. 2.
 Domus Israel & domus Iuda quid significant, 497. 2.
 Domus Dei qua sit, 549. 1.
 Dona qua vocentur spiritualia, 3. 2.
 Donorum ecclesie factorum enumeratio, 38. 1.
 Dona & sacrificia quibus differant, 449. 1.
 Donatistarum error, 34. 1.
 Dormire pro mori, frequens in scripturis, 807. 1.
 Dubitare quis dicatur, 644. 2.

E.

Ebion & Photinus negantes Christum esse Mariam fuisse reselluntur, 36. 2. 823. 2.
 Ebionitarum superstitio, 843. 2.
 Ebrietas non restringitur vsque ad deliquium rationis, 51. 2.
 Ebrietas ad luxuriam prouocat, ibidem.
 Ecclesia ciuitas est sanctorum, 23. 1.
 Ecclesia sanctitatem habet ex merito Christi, 24. 1.
 Ecclesie adificium construitur fide, spe, caritate, 24. 1. 41. 1.
 Ecclesia Christo in omnibus subiecta, 54. 1.
 Ecclesia qua ratione sanctificetur, ibidem.
 Ecclesia qua ratione sanctificetur, 55. 1. & 2.
 Ecclesia regnum & corpus Christi est, 115. 2.
 Ecclesia ex gentibus collecta Christi hereditas est, 199. 2.
 Ecclesia prescelti potestatem habent leges condendi, 203. 1. 628. 1. 684. 2. 786. 1.
 Ecclesia per namim significari solet, 221. 1.
 Ecclesie excommunicantis intentio est ut spiritus saluus fiat, 221. 2.
 Ecclesia preces publice probantur, 222. 2.
 Ecclesia cur domus Dei & quidem videntis vocetur, 244. 2. 763. 1.
 Item cur domus spiritualis, 725. 2.
 Ecclesia Christi visibilis, 244. 2. 69.
 Ecclesia stylus & columna veritatis, ibidem. & unde illud habeat, 245. 1.
 Ecclesia amore iusticia & timore poena suos continet in officio, 271. 1.
 Ecclesia doctrinam habet ab apostolis traditam, quod dicere nequeunt heretici, 298. 2.
 Ecclesia in suis electis immobiliter stabit, 309. 1.
 Ecclesia fundamentum Dei quo sensu, ibidem.
 Ecclesia qua est domus magna, vasa aurea, argentea, lignea & fictilia continet, & que sint, 311. 1.
 Ecclesia Christi non potest euerti, 318. 1.
 Ecclesia semper ab impijs assurgenda, 757. 2.
 Ecclesia semper habet aliquid corrigendum, 337. 2.
 Ecclesia nullos agnoscit Christi successores in sacerdotio, sed bene vicarios, 489. 1.
 Ecclesia qua intentione petat à Deo bona temporalia, 518. 1.
 Ecclesia non significatur nisi per sanguinem Christi, 528. 1.
 Ecclesia Christi ecclesia est primogenitorum, 611. 1.
 Ecclesia cur dicantur electa, 709. 1. 773. 1.
 Ecclesia ex lapidibus preciosis construenda, 725. 2.
 Ecclesia unde dicatur sancta, 730. 2.
 Ecclesia fraternitas appellatur, 771. 2.
 Ecclesiam in suis Pralatis esse indicem controuersiarum fidei, 884. 2.
 Ecclesiasticum ministerium cur militia vocetur, 362. 1.
 Ecclesiastici conuentus frequentandi, & cur, 550. 1.
 Egentibus quidquid impenditur, in Deum refertur, 363. 2.

Egestas a quo animo ferenda. 557.1
 Egestas iusto non metuenda, 621.2
 Eleazarus ab Elephante a se occiso oppressus, an reprehendendus. 587.1
 Electa ad quam scribit Ioannes secundam suam epistolam, non videtur esse nomen proprium, sed potius commune. 914.2
 Electi non alij vocantur, quam qui saluantur, 272.1
 Electus perire nunquam potest, 309.2
 Electis omnia cooperantur in bonum. 744.2
 Electis a resurrectione sufficit presentia anima ad vitam immortalem. 748.1
 Electio quatenus pendeat a bonis operibus, 782.2
 & per ea confirmetur, ibid.
 Electio non est ex praesentis meritis. Vide praedestinatio gratuita. 652.2
 Electorum dignitas, 652.2
 Electio diuina cur sortis vocabulo designetur, 7.2
 Electis omnia cedunt in salutem, 52.2
 Electionem Thesalonicensium quomodo sciebat Paulus. 154.2
 Electos ab aeterna damnatione eripit Christus, etiam nunc in presenti. 157.1
 Electionis diuina effectus. 199.1
 Electio ad gloriam prior est electione ad gratiam, 225.2
 Eleemosyna ex proprio labore Deo valde grata, 44.2
 Eleemosynae largitio quos & quando obliget. 876.1
 Eleemosyna a veteribus operatio appellata. 923.2
 Elementorum nomine quid intelligatur in scriptura, 125.2
 Elementa exordij sermonum Dei qua sint. 455.2
 Elementa in aliam faciem transmutanda. 517.1
 811.1.813.1
 Elementa quantum calore soluenda sint, 811.1
 813.1
 Elementum aqua in mundi inuentione non est interitum, 813.2
 Elias obnoxius afflictionibus corporis. 703.2
 Elias oratione caelum clausit & aperuit, 704.1
 Elias unde dicatur homo pilosus, 592.2
 Eloquia Dei qua sint. 760.1
 Encaniare quis dicatur, 548.2
 Enoch. Vide Henoch.
 Epaphras primus apud Colossenses minister. 111.1
 Eius erga eos studium. 149.1.368.2
 Epaphras laudatur, 113.2.148.2
 Epaphroditi laus, & quo sensu sit frater Pauli, 86.2
 Epaphroditus apostolus Philippensium, eiusque erga illos amor, 87.1
 Ephesij hospites testamentorum, 20.1
 Ephesij quo sensu fuerint Athei, 20.1
 Ephesorum unitas septplex. 33.2
 Ephesus Asia minoris metropolis, ciuitas idololatria & magicis artibus dedita. 1
 Episcopatus munus est & dignitas, & onus angelicis humeris formidabile. 234.1
 Episcopatum quatenus liceat appetere, ibid.
 Episcopus debet esse irreprehensibilis. 234.2
 Episcopus debet esse vnius uxoris vir, 235.2

Episcopus nunquam permixtus est ducere uxorem, ibidem.
 Episcopi nomen aliquando commune presbyteris. 68.1
 Episcopi unde dicti, 604.1
 Episcoporum electiones in primitiua Ecclesia saepe fiebant per reuelationem Spiritus sancti, 220.1
 Episcopatus militia comparatus. 220.2
 Episcopi fidem explicitam habere debent de dogmatibus tradendis, ibid.
 Episcopus qualis debeat esse. 236.2. seq.
 Episcopus nimis seuerè suorum conscientiam ferre perhibetur. 237.2
 Episcopatum non debet obtinere qui filios habet impudicos, 238.1
 Episcopatum conditionum quoniam per se requisita, & quanam per accidens. 239.1
 Episcopi & pastores attendere debent lectioni & doctrine, 255.2.329.2
 Episcopalis ordo noua legis sacramentum, 256.1
 295.1
 Episcopus sibi & doctrina attendere debet, 257.2
 Episcopi quomodo peccent manus cito imponendo, 273.2
 Episcopale munus athletico certamini comparatus. 302.2
 Episcopi & pastores peculiariter sunt serui Dei, 313.1
 Eorum virtutes, ibid.
 Episcopi a suis ecclesijs abesse possunt ad tempus. 328.1.359.1
 Episcopus & presbyter quo differant, 338.1
 Episcopum presbyteris maiorem esse agnoscit scriptura, 338.2.341.2
 Episcoporum nota, 336.2. seq.
 Episcoporum virtutes. 340.2. seq.
 Episcopus debet esse doctor, 341.1
 Episcopo aliquando utendum seueritate, 343.1
 Episcopi & pastores verbo & exemplo praesse debent, 398.1
 Episcopi & praepositi, ydem priscis temporibus appellabantur, 622.2
 Episcoporum est leges ponere, 765.2
 Episcopi primis ecclesiae temporibus presbyteri dicti, 914.1
 Epistola qua ad Ephesios inscribitur, ubi scripta, & per quem missa sit. 1. & 2. ad quos. 2.67
 2. scripta est autem de vinculis. 65.1
 Epistola ad Colossenses cur, & unde scripta, 111.1
 151.2
 Epistola ad Eph. & Coloss. eodem tempore scripta & missa, 147.1
 Epistola ex Laodicea scripta qua fuerit, 150.2
 Epistola ad Thess. omnium Paulinarum fuerit prima, 152.183
 Epistola 2. ad Timoth. quando & unde scripta, 292.325.1.329.2.332.1
 Epistola ad Titum cur breuior sit epistolis ad Timotheum, 334. quando & unde scripta sit, 335
 Epistola ad Hebraeos auctoritas. 369. seq. auctor 374. seq. 413.2.556.2. scriptor. 380. eiusdem lingua

F.

lingua natina, 383. seq. 523.1.544.1.561.1.
 unde scripta sit & quando, 392. seq.
 Epistola canonica quot sint, & cur ita dicta.
 Item cur Catholicae, Illarum ordo & argumentum 634 & seq. cur, ad quos, & unde scripta sint, vide in singularum initio.
 Epistola Iude cur aliquando in dubium vocata sit, 818. Contra quos scripta. 819
 Epistola Iude, est ex apocryphis sumat testimonia, non propterea reicienda ut apocrypha, 825.2.830.1
 Epistola prima Ioannis ad quos, & contra quos scripta sit, 836.897.2
 Errare prius est quam in errorem mittere, 320.1
 Esau an fornicator fuerit, 604.2
 Esau qua in re profanus. 605.1
 Esau an fuerit reprobatus ex meritis. 606.2
 Esau penitentia cur non fuerit admissa, ibid.
 Et, pro quia, aliquando in scripturis ponitur, 865.2
 Euangelium Christi, est euangelium pacis, 63.1
 Euangelium predicantes ex contentione, quam pressuram se suscitare existimabant vinculis Pauli, 72.1
 Euangelium fructificat in vniuerso mundo. 113.1
 Euangelium quo sensu sit predicatum omni creatura, 119.2
 Euangelium qui predicant potestatem habent de euangelio viuendi, 158.2
 Euangelium esse in virtute & Spiritu sancto quid sit, 155.1
 Euangelium Pauli quodnam sit, 303.2
 Euangelistae opus quoniam faciat, 324.2
 Euangelizari quid sit, 439.1
 Euangelium eodem spiritu nunciatur per Apostolos, quo a prophetis fuerat predictum, 716.2
 Euangelij dignitas, 717.1
 Euangelicæ predicationis verbo iustificamur, 723.1
 Euangelij predicatoribus an malicia auditorum imputanda sit in Dei iudicio, 862.1.2
 Eucharistia gratiarum actionem significat. 47.1
 Eucharistia figura corporis Christi, & simul ipsum corpus. 398.2
 Eucharistia donum caeleste appellatur & cur, 461.1
 Eucharistia participatione dulcedo bonitatis Dei gustatur, 724.2
 Entrapelia quid, 47.1
 Excommunicatio quadam inter maiorem & minorem media. 203.1
 Excommunicatio notatio quaedam est. 205.2
 Excommunicati cur vitari iubentur, ibid.
 Excommunicatos admonere licitum est, ibid.
 Excommunicari maximum malum. 221.2
 Excommunicati a generali oratione non sunt excludendi, 223.1
 Excommunicati non omnino sunt extra ecclesiam, 239.2
 Exercitatio corporalis qua sit, 252.1
 Extrema unctio sacramentum est, 696.2.699.2
 Extrema unctio materia, 698.1
 Extrema unctio tres effectus. 700.1. & seq.

Fabula Theodosij de Christo, 482.1
 Fabulis intendere quid sit, 210.2
 Fabulae Iudaicae qua sint, 343.2. Et qua doctae. 784.2
 Facies quid sit, 646.1
 Felicitas nostra nunquam habebit finem, 174.2
 Famem quinam sancti maxime passi sint, 592.2
 Familia Christiana ab Apostolo vocatur ecclesia, & cur, 149.2
 Festum expiationum cur institutum, 514.1
 Fideles in Christo, & sancti, ydem, diuersa ratione, 3.1
 Fideles quo sensu sancti, 3.1.22.2.31.2.46.2. 64.2.67.1.109.2.263.1.730.2
 Fidelis omnes membra non solum ecclesiae, sed & Christi. 12.2
 Fideles unum corpus & vnus spiritus esse debet. 33.2
 Fidelium dignitas, 112.1
 Fidelis iustificatus potest a charitate excidere, 164.2
 Fideles non sunt certi de perseuerantia, fiduciam tamen habent, 201.1
 Fidelis quomodo infideli deterior. 261.2
 Fidelis sermo quis sit, 341.1
 Fideles boni primogeniti vocantur, 611.1
 Fidelis quisque quomodo affici debeat erga passionem Christi, 721.1
 Fideles interrogati de fide, quomodo respondere debeant, 746.1
 Fideles quo tempore cognominari ceperint Christiani, 762.2
 Fideles non omnes & singulos omnia ad doctrinam Christianam veritatem pertinentiam nosse. 858.2.866.2.861.1
 Fidelis quilibet quomodo pro Ecclesia persecutoribus & alijs in affectu peccati manentibus, orare teneatur, 905.2
 Fides specialis destruitur. 9.1.82.2.94.2.432.1. 439.1.469.2.550.1.617.2.644.2.711.2.782.1.849.1.852.2.853.1.871.2.873.1.877.1. 879.2
 Fides quid sit, 561.1. & seq.
 Fides haberi non potest nisi per merita Christi, 721.1
 Fides est lumen Dei, 731.2
 Fides saluis initium & fundamentum. 17.1.31.1.212.1.437.2
 Fides Dei donum est, 10.1.7.2.65.2.77.1.112.2. 165.1.201.2.596.2.777.1
 Fides non praenit gratiam, 17.2
 Fides Christiana augeri non potest, nec minui, 23.2.288.2
 Fides Christi parit nobis fiduciam impetrandi, 30.1
 Fidei & fiducia differentia. ibid.
 Fides omnium etiam antiquorum, 34.1
 Fides charitate formatur, 667.2
 Fides pro scuto in omnibus assumenda, 63.2
 Fide nihil efficacius ad superandos hostes, 63.2
 771.2. Item ad ferenda aduersa. 185.1

Fidei & doctrina regula eadem semper tenenda 97.1
 Fidei obiectum est verbum Dei, seu prima veritas, 160.2
 Fides quomodo compleatur, 165.1
 Fides & charitas Christianis sunt pro lorica, 176.2
 Fides locum non habebit in adventu Domini, 187.2
 Fides non edificat nisi per charitatem, 211.1
 Fides sine dilectione ad salutem non sufficit, 217.2.220.2
 Fides sine charitate esse potest, 241.2.261.2.437.2.781.1
 Fidem deserere apostatarum est, 248.1
 Fides que in seruandis promissis consistit, saepe nominatur in scripturis, 265.1
 Fides est oculus, 278.1
 Fides non facta qua sit, 294.1
 Fides pro fidelitate, 316.1
 Fides operibus comprobanda, 363.1
 Fides in sanctos quomodo quis habeat, 362.2
 Fides confessio vocatur, 429.1
 Fide contemperari quid sit, 440.1
 Fides quam praestet salutem, 440.2
 Fidei laus, 562.1. eius necessitas, 566.2. 639.900.2. & seq. excellentia, 714.1. fructus, 715.1
 Fides spem gignit, sed cur non in omnibus, 562.1
 Fide intelligimus mundum esse conditum, 563.1
 Fide testimonium consecuti sunt antiqui, 565.1
 Fidei Abrahae commendatio, 576.1. 577.2
 Fides Moysi commendatur, 581.1. & 583.1
 Fides Rahab, 584.2
 Fides Gedeonis, Barac, Samsonis &c. 585.2
 Fides omnium quo sensu dicatur aequalis, 777.1
 Fides retinenda, 603.1. 821.2
 Fidem antiquorum praepositorum retinendam argumento probat apostolus, 623.2
 Fides per tentationes exploratur, 642.2
 Fides auditu fouetur, 653.1
 Fides ociosa rejicitur, 559.1
 Fides sine operibus nihil prodest, 663.1. idq. quo sensu, 664.1. Itē quo sensu mortua, ib. & 665.2
 Fides non potest ostendi sine operibus, & quomodo ex operibus ostendatur, 664.2
 Fides informis hominum quomodo differat à fide demonum, 665.2
 Fiducia Pauli ac fiducia ratio, 157.2
 Fiducia in Deum, 332.2
 Filiationis adoptivae dignitas, 863.1.2
 Filius Dei magnus Deus, 350.2
 Filius Dei equalis Patri, 351.1
 Filius splendor gloria Patris, ac proinde ab ipso procedit, 398.1
 Filius Dei quo sensu figura Patris, 398.2
 Filius potius quam Patre incarnari deceat, 451.1
 Filium Dei quinam conculerit, 554.2
 Filius Dei, Verbum Patris, 839.2
 Filij dissidentia, 14.2. 48.2
 Filij ira nascimur omnes, 15.2
 Filij quomodo corripiendi, 59.1
 Filij incredulitatis, 139.2
 Filius Dei Patri coequalis, 166.2. & seq.
 Filius Dei non esse factus ostenditur, 116.2

Filij in quibus obedire debeant parentibus, 144.1
 Filij ac nepotes sustentationem matribus suis exhibere debent, 260.1
 Filij Dei adoptivi quidam fuerunt ante Christi aduentum, 423.2
 Filiorum Israel varia peccata, 438.2
 Finis operum Dei manifestatio est gloriae eius, 17.1
 Finis euangelij gloria Dei est, 215.1
 Finem quomodo dixerit B. Petrus appropinquasse, 757.2
 Flagellatio quid sit, 599.1
 Flagellorum Dei praecipuus usus, 602.1
 Flos cito transiens describitur, 646.1
 Fornicatio nomen generale, 46.2. 167.1. 604.2
 Fornicatio fugienda, ibidem.
 Fornicatio peccatum mortale, 48.1. 214.2. 621.1
 Fornicatio immundicia, & libido qui differant, 139.1
 Fornicationis nomine idololatria aliquando significatur, 586.2
 Fratres qui dicantur, 502.2
 Fructus temporaneus & serotinus qui dicantur, 691.2
 Fructus iusticiae quis sit, 602.1. 677.1
 Fructus lucis, 49.1
 Fructus deserti à Paulo iudaismi, 94.1
 Frui quid proprie sit, 287.2. 367.2
 Frustra quisquam instetur, 133.2
 Furari generaliter quid, 44.1
 Furor & ira quo differant, 45.1

G.

Galata à Gallis originem traxerunt, 328.1
 Galatia Asia minoris regio, 328.2
 Galea salutis spem futurorum bonorum significat, 64.1
 Gaudere in Domino quid sit, 88.2
 Gaudere semper quid significet, 103.1
 Gaudere & dolere de eadem re nihil vetat, 602.1
 Gedeon an sit sanctus, 586.2
 Genealogis primatis intendere viciosum est, 210.2
 Generationes in scripturis sacula vel etates solent significare, 26.1. 435.1. 671.2
 Gentiles Iudaeis vocatione posteriores, 8.1
 Gentiles cohæredes Iudaeorum, 26.2
 Gentiles philosophi propter superbiam à Deo derelicti, 41.2
 Gentiles à Iudæis canes appellati, 85.1
 Gentiles verè simulacra coluerunt, 156.2
 Genus flexio humilitatem significat orantis, 30.2. 80.2
 Genus flexio Deo etiam mali, haeretici, scismatici &c. solis Iudæis exceptis, 81.1. & 2
 Germanus non est nomen proprium viri, & quē eo nomine designari Paulus non cōstat, 102.1
 Gloria quid sit, 410.1
 Gloria corporis redundat ex gloria animae, 865.1
 Gloria caelestis gaudium ineffabile, 714.2. (721.1
 Gloria Christi initium, progressus, & augmentum,

Gloria

H.

Gloria Christi mirabiliter aucta post eius ascensionem, 81.2
 Gloriam secundum carnem licet aliquando, cōsidere autem in carne nunquam, 90.2
 Gloriatio spei quae sit, 431.2
 Gnostici unde dicti, 735.2
 Gnostici unde Borborita dicti, 804.1
 Gnostici ex schola Simonis orti, 819
 Gnostici, superbissimi, 801.1
 Gnostici futuram mortuorum resurrectionem negabant, 806.2
 Gnostici stupenda & indigna quadam de angelis excogitarunt, 796.1
 Gnosticorum fœda & innaturaes libidines, 797.2. 798.1. 824.2. 825.1
 Gomorraha & Sodoma cū alijs ciuitatibus propter quid euerse, 794.1
 Gradus quibus à concupiscentia tentante peruenitur usque ad mortem, 648.2. illi autē gradus quinque enumerantur, 649.2
 Gratia & iusticia inhaerens, 6.1
 Gratia Dei commendatio, 19.1. 215.2
 Gratia gratis data, 35.1. 255.2. 416.2. 759.1
 Gratiae nomen quam late pateat, 65.2. 633.2. 681.1. 711.1
 Gratia Dei efficacia contra Pelagianos ostenditur, 83.1. 122.1. 215.2. 631.2
 Gratia praemieniens, 95.2
 Gratia completitur omne genus beneficiorum Dei, 112.1. 604.1
 Gratiarum actio pars orationis praecipua, 146.1. 154.1
 Gratiarum actio petitionem commendat, 362.1
 Gratia & pax quid significant, 153.2
 Gratia Dei necessitas, 202.2. 352.1. 433.2. 682.2
 Gratiarum actio necessaria, 250.1
 Gratia sufficiens non datur omnibus, 254.1. 349.2. 498.2
 Gratia gratum faciens ad exercendum munus episcopale necessaria, 256.1
 Gratia carens scientia Dei nihil scit, 277.2
 Gratiam Dei quomodo homo in se resuscitet, 295.1
 Gratia non datur secundum merita nostra, 296.2. 886.1
 Gratia Christi omnes possunt participes effici, 353.2
 Gratia & iusticia semel habita amitti possunt, 462.1. 555.1. 803.2. 871.1
 Gratia cum restituitur, opera priora meriti rationem recipiunt, 465.1
 Gratia noui testamenti, 500.2
 Gratia noui testamenti ante Christi aduentum non fuit manifestata, 514.2
 Gratia prima, fides est, 569.1
 Gratia Christianismi, 614.1
 Gratia Dei totum quod bonum est, tribuendum, 833.1
 Gratia Dei homo libera sua voluntate cooperatur, 865.2
 Gula vicia, morte digna, 715.1

Habere aliquem in corde quid sit, 70.1
 Habere damnationem quid sit, 264.2
 Habere gratiam est eam tenere, 617.2
 Haereticus ad utilitatem ecclesiae exoriri permissus, 789.2
 Haereticus nulla unquam fuit, quae non ex scripturis sibi patrocinium assumpsit, 816.2
 Haereticus Ebionitarum & Photinianorum, Christi non fuisse ante Mariam, destruitur, 36.2. 813.2
 Haereticus Arianorum, Christo diuinitatem adimentionem, 813.2
 Haereticus Manichaeorum, Deum esse lucem oculis corporeis aspeclabilem; Et Christum, solum hunc visibilem, 842.1
 Haereticus Iouiniani & Pelagij, Iustos vivere sine peccatis, 867.1
 Haereticus breui exorture praedicantur à Spiritu sancto, 247.1
 Haereticus charum ambitio, 212.2
 Haereticus omnes malam habent conscientiam, 221.1
 Haereticus antiquitatem contemunt, 485.1
 Haeretici sunt praecones, 125.1
 Haeretici sunt antichristi praesens, 196.1
 Haeretica doctrina ex diabolo est, 248.1
 Haeretici actiones bonas extenuant, 252.2
 Haeretici commune est sensum proprium apostolica doctrina anteferre, 277.2
 Haereticorum post Christi aduentum exortorum ordo, 290.2
 Haeretici quatenus sint in ecclesia, 311.1. 857.1
 Haeretici sine magistro sua sententia proferunt, 320.1
 Haereticorum nota describuntur, 341.2
 Haeretici ad omne opus bonum reprobi, 345.2
 Haereticus quis sit, 357.2
 Haereticorum pertinacia unde estimanda, 358.1
 Haeret. quoties monedus antequam vitetur, 358.2
 Haereticus à medio tollendus fatetur Calvinus, ibidem.
 Haereticus quo sensu sit proprio iudicio condemnatus, 359.1
 Haeretici priuatos sensus ad scripturas interpretandas adferentes flagellantur.
 Haereticorum instabilitas in doctrina, 305.2
 Haereticus solumne libertatem suis seclatoribus polliceri, 802.1
 Haereticorum mos scripturas corrumpere & falsare, 816.2. 898.2. 900.1
 Haeretici quidam tempore Apostolorum, fidem sine operibus ad salutem sufficere docebant, 817.1. Hunc errorem ex epistolis Paulinis sibi fabricauerunt, ibid.
 Haereticorum in idoles, ea quae non nouerunt nec intelligunt, blasphemare, 827.1
 Haeretici sidera errantia, 829.2
 Haeretici quidam secta Caluiniana palam gloriantur quod ab ecclesia Romana se separassent, 832.1
 Haereticorum dogma, nihil preceptum esse in euangelio praeter fidem, destruitur, 879.1
 Haeretici circa veros fidei articulos quos adhuc retinent, an pro suis carcant dono fidei, 88.2

Hæretici varij qui Iesum soluerunt. 882. 1
 Hæreticorum opiniones & doctrinæ, Idola merito appellata, 909. 2
 Hæretici vitandi, 331. 1. 357. 2. 919. 2
 Quo iure quisque ad id teneatur, 920. 1. 2
 Hæretico in necessitate existenti misericordia operæ præstanda. 920. 2
 Hebræi fratres Pauli duplici ratione. 428. 2
 Hebræi unde dicti. 91. 2. 393
 Hebræi quinam vocabantur. 394
 Henoch quoniam translatus sit. 565. 2
 Henoch superstitem esse negant Hebræi, sed male, 566. 1
 Henoch, septimus ab Adam. 829. 2
 Henoch prophetia, vera & diuina. 830. 1
 Quomodo illa non interierit per generale diluuium, ibid.
 Hereditas antiquitas forte diuidebatur, 7. 2
 Hereditatis aeterna excellentia, 9. 1
 Hereditas nomine sortis in scripturis significari solet, 115. 1
 Hereditare benedictionem quid sit, 606. 1
 Hereditas celestis quo discernatur ab hereditate terrena, 712. 1
 Hermogenes à fide defecit. 299. 2
 Hierarchia conseruanda, 124. 2
 Hierarchia diuina ordinatione instituta in ecclesia, 241. 1. 450. 2
 Hierusalem cur ciuitas sancta vocetur. 786. 2
 Hirci in holocaustum offerri potuerunt. 526. 1
 Hodie quid in scripturis significet, 401. 2. 436. 2. 442. 1
 Homiliarum de patientia Iob, author non est Chrysostomus, 605. 1
 Hominum malorum in ecclesia futurorum mores describuntur, 315. 1
 Hominem multis beneficijs dignatus est Deus, 418. 1
 Homo purus non fuit idoneus ad redimendum genus humanum. 491. 1
 Homo viuere non potest sine peccatis, 669. 1
 Homo dupliciter est imago Dei, 141. 1
 Homo Dei quis sit, 282. 1. 321. 2. 789. 1
 Homo interior quis. 31. 1. Homo caducus. 722. 2
 Homo vetus, & nouus homo qui, 42. 2. & 43. 1
 Homo vetus quando nam exuatur, & nouus induatur, quisue hic sit, 140. 2
 Homo & filius hominis idem est. 419. 1
 Honestè omnia in ecclesia fiant. 180. 2
 Honor est testimonium excellentiæ, 420. 1
 Honor in scripturis quid significet, 136. 2. 258. 2
 Honor ecclesie præfæctis debitus, 178. 1
 Honoris nomine subsidium vita significatur, 268. 2
 Hora breue tempus significat, 365. 2
 Hospitalitatis officium impendendum. 148. 1. 236. 2. 263. 1. 619. 1. 759. 1
 Hostia quam sit qua non relinquatur pro peccato. 553. 1
 Hostia laudis cur fructus labiorum vocetur, 627. 1
 Hostia spirituales non acceptantur à Deo nisi

per Christum. 726. 2
 Humana natura quomodo aduenerit Christo, 79. 2
 Humana natura angelica excellentiam assequi non potest. 419. 2
 Humilitatis Pauli insignis commendatio, 27. 1. 95. 1. 2
 Humilitatis commendatio, & quomodo quisque alium se meliorem debeat arbitrari. 78. 1
 Humiliari in scripturis quid sit. 106. 2
 Humilitas seruanda, 141. 2. eius necessitas, 683. 1. 769. 2
 Humilitas est vas gratiarum, & cur humilis per ualles significetur, 681. 2
 Humilium exaltatio. 683. 1
 Humilitas quid. 743. 1
 Humilibus datur gratia. 769. 2
 Hymni Dei laudes continent, 52. 1
 Hypocrisis remouenda, 549. 1
 Hypocrita sanctitatem mentientes doctrinam suam commendant. 248. 2
 Hyssopus herba humilis, & quid mystice significet, 526. 2

I.

Iacob adorauit summitatem virgæ Ioseph, & cur. 579. 1
 Iacobus Alphaei, frater Domini, unius epistola catholice author. 637
 Iacobus cur non se nomet fratrem Domini. 678
 Iacobus inter Apostolos per magna apud Iudeos fuit authoritatis. 820. 1
 Iactantia uicium notatur, 670. 2
 Idoli varia acceptio, 909. 2. 910. 1
 Idololatriam esse fugiendam. 909. 1. 2
 Idololatria non habuit initium ante diluuium. 750. 2
 Idolothorum esum cur Apostoli in Concilio generali fidelibus prohibuerint. 909. 1
 Iephte an sanctus sit, 587. 1
 Iephte filiam suam quomodo Deo obtulerit. 588. 1
 Ieiunia ecclesiastica male ex Paulo impugnant hæretici. 136. 2
 Ieiunia & afflictiones moderatas exigit ecclesia. 337. 1
 Ieiunia ecclesiastica stabiliuntur, ibid.
 Ierusalem ciuitas sancta Dei dicitur, 610. 1
 Iesus fidei author cur dicatur, 595. 2
 Iesus noui testamenti mediator. 612. 1
 Iesus Christus incredulos Israelitas in deserto perdidit. 823. 1
 Eius diuinitas per hoc statuitur. 823. 2
 Ignis purgatorij est amulatio ignis inferni. 553. 2
 Ignis inferni est corporeus. 554. 1
 Ignis in scriptura graues significat afflictiones. 761. 1
 Ignis conflagrationis antecessarius est Iudicem. 810. 2
 Igne illo impij in tartara rapiuntur, ibid.
 Ignis conflagrationis non alius ascensurus est, quam quo pertigerunt aqua diluuij, 811. 1

Ignorantia

Ignorantia Dei, tenebra. 49. 1
 Ignorantia per quam peccatur, est circumstantia extenuans. 216. 1
 Illuminare etiam conuenit Apostolis. 28. 1
 Imago quid sit. 535. 2
 Imaginum usus ab hæreticorum calumnia vindicatur. 511. 1
 Imagines Christi aut Sanctorum appellare Idolatram, impium. 909. 2
 Immundicia peccatum mortale, 48. 1
 Immundicia fugienda, 603. 2
 Imperfectionem suam quod quis agnoscat, ac rectè sapiat, Dei donum est. 97. 1
 Imperium Dei prorsus absolutum. 286. 2
 Impij & peccatores qui sint. 214. 1
 Impiorum finis & hereditas. 763. 2
 Imprecatorius sermo nõ semper offendit. 330. 2
 Improperium Christi à Moysè electum quodnã fuerit, 582. 1
 Improperium Christi portare quid sit. 626. 1
 Inaniloquia deuotanda. 307. 2
 Incarnatio Christi unde apud veteres oconomia nomen assumpserit, 28. 1
 Incarnatio Christi arcanum est, nostramq; superat intelligentiam. 245. 2
 Incarnationis Christi finis. 866. 2. 867. 1. 870. 1
 Incidere in manus Dei an hominum utrum melius. 556. 1
 Incidere in laqueum diaboli quid sit. 239. 2
 Incolatus quid sit, 719. 1
 Incontineus & intemperans qui differant. 315. 2
 Inducere in tentationem quos dicatur Deus, 647. 2
 Indulgentiarum primitias Christus concessit. 751. 1
 Inferni qui intelligantur in nomine Iesu flectere 80. 2
 Infideles an in omni opere peccent. 143. 2
 Infidelitas fons omnium peccatorum. 718. 1
 Infirmitas communis commiserationem mouere solet. 620. 2
 Infirmitates fratrum dissimulanda. 550. 1
 Infirmitates nostra que sint. 447. 1. 491. 2
 Ingratitudo quantum peccatum. 315. 2
 Ingratitudo hominum arguitur, 781. 2
 Inuariatam condonatio præcipitur. 45. 2
 Iniuria longanimitè ferenda. 691. 2
 Inquieti sunt corripendi. 179. 1
 Interitus impiorum comparatur dolori parturientis. 175. 2
 Introitus Pauli ad Thes. non fuit inanis. 157. 1
 Inuisibilia quamam uocentur, 563. 1
 Inuidus & amulus qui differant. 678. 1
 Inuocatio sanctorum. Vide, Sanctorum inuocatio.
 Inutiles sumus ex uobis, utiles per gratiam Christi 312. 1
 Ioannes Baptista uenit baptizans in aqua solum 89. 1. 2. & seq.
 Ioannes Euangelista totius Asia primas Episcopus, 914
 Ioannes Euangelista primam suam epistolam ad quos scripserit. 836. 910. 1. 2
 Illam epistolam directè scripsit (inter cetera) contra Basilidis hæresim. 897. 2. Euangelium

uerò scripsit contra Ebionis hæresim. ibid.
 Ioannes Euangelista quo anno mortuus sit. 927. 1
 Ioannes Euangelista scripsit Euangelium suum ante Apocalypsim. 927. 2
 De ordine ceterorum ab eodem scriptorum, ibid.
 Iob impatientia à Caluino male reprehenditur, 693. 2. qua de eo narratur historia est, non figmentum, ibidem.
 Iocularitas quid. 47. 1
 Ioseph patriarcha & propheta fuit, 579. 2
 Saluator mundi appellatus est. 887. 2
 Iosue bello subegit omnia regna Chanaan. 589. 1
 Iosue & Ionathas fide uerterunt castra exterorum, 590. 1
 Iouiniani hæresis, Iustos viuere sine peccatis, 867. 1
 Ira reseruata parit odium & uindicta confensum, 44. 1
 Ira prohibitio, 43. 2
 Ira Dei in peccatores, 48. 2
 Ira Dei præuenit malos. 161. 2
 Ira affectus est uiciosus, 653. 1
 Irasci quando dicatur Deus, 435. 2
 Isaac quomodo unigenitus Abrahæ. 576. 2
 Isaac figura Christi immolati & ad vitam reuocati. 578. 1
 Isaac cur benedictionem datam Iacob reuocare noluerit, 606. 1
 Isaias ferra lignea dissectus fuit, 591. 2
 Israeliticus populus è seruitute Egyptiaca liberatus, typus fuit populi Christiani, 352. 1
 Israelitarum egressio ex Egypto ducentis annis post mortem Ioseph secuta est, 580. 1
 Israelita fide sua & Moysi mare transierunt, 584. 1
 Israeliticus populus duodecim tribubus constabat, 641. 2
 Israelita quorsum dicti gens sancta. 730. 1
 Israelita increduli prostrati sunt in deserto, 823. 1
 Iudaorum quidam Christum expectabant, etiã ante eius aduentum. 8. 1
 Iudæi equè ac Græci in delictis & peccatis ambulauerunt. 15. 1
 Iudaorum cum gentibus unio à Christo & prophetis prænunciata, 20. 2
 Iudæi duplici ratione canes ab Apostolo nominantur. 89. 1
 Iudæi operarij mali seu subdoli, 89. 1. 161. 1
 Iudæi Christum uoluntate, non manibus occiderunt, 161. 1
 Iudæi uerè Deum occiderunt, ibid.
 Iudæi cur Christum repulerint, 715. 2
 Iudæi quo sensu prophetas occiderint, 161. 2
 Iudaorum damnatio. 162. 1
 Iudæi antichristum recipient. 198. 1
 Iudæi in Paulo persequendo gentibus uehementiores, 319. 1
 Iudaorum hypocrisis, 345. 1
 Iudæi quare abominabiles. 345. 2
 Iudæi frustra Messiam expectant, 497. 1
 Iudæi quo sensu deprecati ne loqueretur eis Dominus, 608. 1
 Iudæi cum gentilibus & infidelibus miscebant

conubia, 740. I
 Iudai per orbem dispersi in illicitis idolorum
 cultibus ambulauerunt, 755. 2
 Iudai post Christi aduentum non coluerunt
 idola, 910. 2
 Iudaizantium heresis, legem Mosaicam Chri-
 stianis seruandam esse, docentium, 88. 2
 Iudaizantes Apostolis aduersarij omnium inse-
 stissimi, 925. 2
 Iudas Thaddaeus Christi fuit Apostolus, 831. 2
 Iudus Iacobi frater, & quidem germanus, 818.
 820. I
 Unus ex fratribus Domini, 818
 Iude epistola cur aliquando in dubium vocata,
 818
 Contra quos scripta sit, 819
 Iude epistola, etsi ex apocryphis sumens testimo-
 nia, non propterea reijcienda ut apocrypha,
 825. 2, 830. I
 Iudicium statim a morte sequitur, 533. 2
 Iudicabitur quisque talis in vniuersali iudicio,
 qualis in morte reperiens fuerit, 103. 2
 Iudicium extremum etiam p[er] terrorem incu-
 riet, 189. 2, 616. I
 Iudicij Domini instantis opinionem cur eximat
 Apostolus, 190. I
 Iudicium quo discernantur libri sacri ab apo-
 cryphis in ecclesia omnino necessarij, 190. I
 Iudicium pro condemnatione frequens est in scri-
 pturis, 198. 2, 238. 2, 264. 2, 791. I
 Iudices vicarij Dei sunt, ideoq[ue] Deum ante oculo-
 los semper habere debent, 271. I
 Iudicium maturum adhibendum in ordinandis
 ecclesia ministris, 272. 2
 Iudicium humanum duplex, 275. I
 Iudicaturus est Christus viuos & mortuos quo
 sensu, 322. 2
 Iudicium faciet Deus pro populo suo, 555. 2
 Iudicaria auctoritas in diuinis a patre est,
 611. 2
 Iudices malarum cogitationum, 658. 2
 Iudicij recordatio quam sit utilis, 662. I
 Iudicium electorum non distinguendum, 663. I
 Iudicat Deus sine acceptione personarum, 718. 2
 Iudicium, id est iusta punitio, incipit a domo
 Dei in malis complenda, 763. I
 Iudicium imp[er]is graue exspectandum, ibid.
 Iudicium circa reprobos Deus etiam in presenti
 saeculo exercet, 812. I
 Iudicij dies soli Deo cognitus, 809. I
 Iuramentum Pauli, 70. 2, 158. I, 159. 2, 227. 2
 Iuramentum Dei quodnam sit, 435. 2, seq. 467. I
 Iurare proprie loquenda Deus non potest, & cur,
 466. 2
 Iurare cur malum sit, 695. I. Non iurare pra-
 cepti est, 696. 2
 Iuraturi cur caput aperiant, & ieiuni esse de-
 beant, 695. 2
 Iurans per creaturas, per Deum iurasse censetur,
 ibidem.
 Iuramentum per se non est illicitum, 466. 2, imo
 quandoque necessarium, 468. I
 Iuramentum quo sensu a Christo & B. Iacobo
 omnino vetetur, 694. I, & 2

Iuramentum ponitur in malis fugiendis, 665. I
 Iusticia duplex, 94. I
 Iusticia imitativa exploditur, 19. I, 43. I, 49. I
 119. I, 214. 2, 556. I, 521. 2
 Iusti ante legem & sub lege multorum fidem ex-
 plicitam habuerunt, 562. 2
 Iusti antiqui vnde exstimulabantur ad Deum
 colendum, 567. 2
 Iusticia praecpta quibus quisque cum proximo
 ordinetur, 43. 2
 Iusticia qua est ex lege, carnalis est, 90. I, q[ua]e ea
 sit, & quam damosa, 91. I
 Iusticia legalis, detrimentu[m] est & stercola, 93. I
 Iusticia sola vera est, qua ex fide est, 93. 2
 Iusti veteris legis quomodo iustificati, 515. 2
 Iusticia nostra a Deo est & per Christum, 94. I
 Iusticiam inharentem tollentes haeretici prauit
 exponunt scripturas, 94. I
 Iusticia vera haberi potest in hac vita, 166. I
 Iusticia & peccatorum remissio non sunt pro-
 prie merces respectu fidei, 568. I
 Iusticia fidei qua sit, 569. I. Iusticia nostra, diui-
 na electionis effectus, 711. I
 Iusti hac vita defuncti consummantur secundu[m]
 animas, 612. I
 Iusti nunquam a Deo derelicti in necessitatibus
 etiam temporalibus, 622. I
 Iustos quatenus Deus derelinquat, 622. 2
 Iustus non reputatur qui maiorem legis partem
 seruat, 661. 2
 Iustus quo sensu vix saluabitur, 764. I
 Iustificatur homo ex operibus etiam formaliter,
 666. I
 Iustificatio prima quando compleatur, 668. I
 Iustificatus non peccat in omni opere, 669. 2
 878. 2
 Iustificatus gratia augmentum bonis operibus
 meretur, 681. 2
 Iustificationi sua cooperantur homines, 682. 2
 Iustificationis nostrae partes, 738. 2
 Iusticia partes duae, 744. I
 Iusticiam Christianam non consistere in sola
 peccatorum remissione, 868. I, 2, 869. I, 870.
 2, 871. I
 Iusticia nostra auctor Christus, 869. I
 Iustificatio ordinarie non contingit nisi dum a-
 ctu suscipitur sacramentum ad hoc institu-
 tum, 868. 2
 Iustificandum opera bona non praecedunt, sed se-
 quuntur iustificatum, 873. 2
 Iustum de sua iusticia infallibiliter certum esse
 non posse, 849. I, 852. 2, 853. I, 871. 2, 873. I,
 877. I, 879. 2, 901. 2. Vide fides specialis.
 Iusti in afflictione positi iuste pro peccatis suis
 castigantur, 185. 2
 Iustitia qua in ministerio tabernaculi require-
 bantur, carnales erant, 517. I
 Iustificatio gratuita, vide praedestinatio.
 Iustificatio nostra in quo consistat, 356. I
 Iusticia, perfectionis nomen est, 455. 2, & seq.
 Iustificatio cur perfectio dicta, 480. I
 Iustificationes culturae qua sint, 505. 2
 Iustus quo sensu ex fide sua viuat, 560. I
 Iustus in hac vita esse non potest sine peccato, 599. I

Iustorum peccata a Deo puniri, 599. 2
 Iuuenularum allocutio illecebrosa, proinde
 breuissima esse debet, 258. 2
 Iuuentus extenditur ultra triginta annos, 254. 2

 L.
 Labor charitatis quis sit, 154. I
 Lactis nomine doctrina euangelica indica-
 tur, 724. I
 Leuiti non erant sacerdotes, sed ex ijs solum filij
 Aaron, 475. I
 Leuitarum dignitas fuit ex Abraham, 478. 2
 Leuiticum sacerdotium non perficiebat, 481. I
 Laodicensium cur singularem Paulus habeat
 curam, & quinam y fuerint, Item an Paulus
 ad eos scripserit, 150. I, & 2
 Lapis angularis quis dicatur, 24. I, 727. I
 Lateo quid significet, 619. I
 Lauare pedes hospitem moris erat in Iudaea,
 263. I
 Laudandi alios quis modus seruandus, 915. 2
 Laus humana non appetenda, 105. I
 Laus pro premio ponitur, quam sine dubio asse-
 quentur boni, 735. I
 Legalia a Deo instituta cur praecpta homo vo-
 cet, 135. I
 Lex vetus per prius tabernaculum significata,
 514. 2
 Lex vetus non praecipiebat sacerdoti ut corde
 contrito offerret sacrificium, 516. 2
 Lex charitatis lex est legalis, & cur, 660. I
 Leges ecclesiasticae inepte ab haeticis impugna-
 tur, 135. 2
 Leges ab humana legitima potestate profectas
 spernens, Deum spernit, 169. I
 Lex cur Moysi dicatur, 554. 2
 Lex & decreta quid differant, 129. I
 Lex vetus cur ab Apostolo chirographum ap-
 pelletur, ibid.
 Lex vetus per Christum abolita, 129. 2, 623. 2, &
 cur, 487. I, eius inutilitatem, 487. I, 535. I
 Lex ceremonialis tota typica erat, 131. I
 Lex vetus quomodo fuerit mortifera, 134. 2
 Lex vetus bona promittebat temporalia, 253. I
 Lex quid sit, 210. I, 480. 2
 Lex Christi perfecta, 655. I
 Lex bona est, & cur, 212. 2
 Lex a nobis impleri potest, 660. 2
 Legem totam seruans, in vno autem peccans,
 quomodo fiat omnium reus, 661. I
 Legem quisnam utatur legitime, 213. I
 Lex mittit nos ad Christum dupliciter, ibid.
 Leges iusta qua sint, 734. 2
 Lex in se non est porta quo sensu, 213. 2
 Lex primo homini data, lex fuit abstinentia,
 249. 2
 Lex noua precellit veterem, 396. 2, 607. I
 Lex vetus, multorum angelorum ministerio la-
 ta fuit, in eo tamen Michael princeps,
 414. I
 Lex vetus cur dicta sermo firmus, ibid.
 Legis praesentia unde accipienda, 414. 2
 Legem nouam Christus tulit non solum ut mi-

nister, sed ut & auctor, 415. I
 Legis veteris translatio facta in Christi morte,
 481. I
 Lex mandat carnalis qua sit, 483. I
 Lex eadem carnalis & spiritalis quomodo esse
 possit, 483. 2
 Lex data fuit per Michaelem Archangelum
 614. I
 Lex data fuit quinquagesimo die post egressio-
 nem ex Egypto, 498. I
 Legis veteris ac nouae praecipuum discrimen,
 500. I
 Lex quo sensu umbra futurorum bonorum,
 535. I
 Lenare manus ceremonia est orantis, 228. 2
 Liberari de ore leonis quid sit, 332. 2
 Liberati a morte quomodo sumus, cum mortem
 non effugiamus, 426. 2
 Liberum hominis arbitrium, 83. I, 359. 2, 603. I
 833. I
 Liberum peccatoris arbitrium excitatur a gra-
 tia praesentente, 50. 2
 Liberi arbitrij facultas & vis operatrix, 257. 2
 Libertatis pretextu quidam abusi sunt ad pec-
 candum, 735. 2
 Libri veteris instrumenti quomodo olim scri-
 bebantur, 329. 2
 Libri secundi Machabaeorum auctoritas,
 591. 2
 Lingua a noxijs verbis cohibenda, 653. I, 655. 2
 743. I
 Lingua lapsus facillimus, 670. I
 Linguae moderandae magna habenda cura, ibid.
 & seq.
 Lingua viciorum vniuersas, 671. I, & seq.
 Linguam alienam nemo domare potest, 672. 2
 & seq.
 Lingua monstrum, 673. I
 Lingua in proximum maledica Deo placere non
 potest, 673. I
 Lingua absurditatem quatuor exemplis probat
 B. Iacobus, 674. I
 Lingua malorum elangescere debent per inno-
 centiam bonorum, 735. 2
 Linus B. Petro proxime successit, 333. 2
 Limer quid sit, 738. 2
 Logos varia significat, 135. 2
 LOTH quomodo in scriptura commendatur a ius-
 ticia, 794. I
 Lucas Euangelista medicus fuit, 149. I
 Lucifer stella matutina, 788. I
 Lucis ac tenebrarum metaphora pro fide & in-
 fidelitate Christo & apostolis familiaris est,
 175. I
 Lumbos mentis succingere quid sit, 717. 2
 Lutherus Romanum pontificem antichristum
 primus appellauit, 192. I
 Lutherani ieiunia ac vota ecclesiastica contem-
 nunt, 324. I
 Luxuria in vino quo sensu in sit, 51. 2
 Luxuria toti generi intemperantia opponitur,
 340. I
 Luxuria nomine quid comprehendatur, 755. I

M.
M Achibai fratres tympanizati sunt. 591.1
M Acicula & ruga qui differant in ecclesia. 55.2
M Magistri plures fieri prohibentur. 669.1
M Magistri auctoritas necessaria. 320.1
M Magistratus politici scopus. 223.1
M Magistratibus quatenus sit obediendum. 353.1
M Mahometum non esse Antichristum illum in scriptura preannuntiatum. 859.1
M Mahometus filium e Divinis sustulit. *ibid.*
M Maledicentia granitas. 353.1. Maledicus quis sit 762.2
M Mali bonos persequentes eorum consortio se reddunt indignos. 593.1
M Malicia cum versutia coniuncta vicium demonibus vltatissimum. 62.1
M Mali & infidelis Deo reddent rationem operum suorum. 756.1
M Malus per antonomasiam diabolus dicitur. 202.1. 853.1. 907.1.2
M Malos esse in Ecclesia. 842.2
M Manens in Christo quomodo non peccet. 867.1. 2. 870.2. 871.1. 906.2. 907.1
M Manichaeorum haeresis Deum esse lucem oculis corporeis aspeclabilem; & Christum, solum hunc visibilem. 842.1
M Manna seu vna non potuit esse in arca. 510.2. & quo sensu in ea dicantur fuisse. 511.1
M Mansuetudo passionem ira moderatur. 674.2
M Mansuetudo maxime necessaria est Episcopis & praefectis. 179.1
M Manuum impositio quid significet. 256.2
M Manuum impositio ordinationem significat. 272.2
M Manus remissa qua sint. 602.2
M Marchionitarum & Manichaeorum error de corpore Christi phantastico destruitur. 79.2
M Marcus B. Petri filius spiritualis. 773.2
M Marcus consobrinnus Barnaba alius a Marco Evangelista. 147.2
M Marcus aliquando inutilis visus est in ministerium. 328.2
M Mare rubrum quodnam sit, & unde ita dictum. 584.1
M Mare post mundi inonationem quo sensu non futurum. 813.2
M Maria virgo cur virgo virginum appellata. 508.1
M Maria virgo verè spes, & vita nostra salutat. 163.2. 257.2
M Maria virgo & B. Elizabeth consobrinnæ. 482.2
M Martyres Christi statim a morte ad coronas evolant. 300.2
M Martyres Christi qui dicantur. 896.1
M Matrimonium esse unum ex sacramentis nouæ legis. 57.1. & 2
M Matrimonia apud Israelitas non contrahabantur, nisi inter eos qui erant eiusdem tribus, & cur. 482.1
M Media quibus utitur Christus Deus ad fructum efficiendū ijs quibus euang. prædicatur. 157.2

Mediatoris officio Christum priuare, contra Christum est. 126.1
M Mediator Dei & hominum solus Christus. 226.1
M Mediator fidelis quis dicatur. 522.1
M Mediare iuramento quid sit. 468.2
M Melchisedech quis fuerit latè discutitur. 470.1 & seq.
M Melchisedech sacerdos summi Dei. 472.2. 477.2
M Melchisedech suo nomine magna rei figuram præulit. 472.2
M Melchisedech quo sensu dicatur sine patre, sine matre & sine genealogia. 473.2
M Melchisedech in omnibus figuram gessit filij Dei. 474.1
M Melchisedech maior Lauitis & Abrahamo. 476.2
M Melchisedech Abrahamo benedixit. 477.2
M Melchisedech panem & vinum obtulisse magno consensu tradunt ecclesie doctores. 484.2. seq.
M Melita insula, & quid in ea Paulus egerit. 333.1
M Melora quid sit. 592.2
M Membra peccati non mortificantur perfecte, nisi peccatorum desideria extinguamus. 139.1
M Membra noui hominis qua, 141.2. Memorem esse quid sit. 575.2
M Mendacia non omnia mortifera. 214.2
M Mens & spiritus qui differant. 43.1
M Mensam benedicendi consuetudo unde. 251.1
M Mercatura approbatur. 685.1
M Mercedem quisque recipiet secundum laborem, non secundum fructum laborum. 629.1
M Merces bonorum operum. 145.1. 557.2
M Mercedis defraudatio clamat in calum. 688.2
M Merita nostra, Dei dona sunt. 18.2. 327.1. 465.1
M Meritis Christi omnia nobis proueniunt. 144.1
M Meritum humilitatis Christi notandum contra Caluinum. 36.2. 421.2. vide Christum.
M Merito Christi omnia nobis proueniunt. 53.1
M Meritum passionis Christi notatur. 80.1
M Meritis aliorum alius inuari potest. 107.2
M Meriti nulla fuit ratio in Paulo. 217.1
M Merita bonorum operum. 327.1. 355.2. 567.2. 582.2. 646.2. 718.2. 769.1
M Meritorum & premiorum proportio. 782.2
M Mesopotamia quænam sit regio. 570.2
M Metaphora quomodo ad res diuinas applicanda. 398.1
M Michaelis altercatio cum diabolo de Moyse corpore, quam B. Indas narrat, unde desumpta. 825.2. & seq. Altercatio illa qualis fuerit. 826.1
M Michael, populi Israelitici ductor. *ibid.*
M Michael omnium omnino angelorum princeps. *ibidem.*
M Militum lex & conditio. 302.1
M Ministris ecclesia competit officium purgandi. 462.1
M Miracula sunt opera virtutis Dei. 155.1
M Miraculum nullum fieri potest pro confirmatione erroris. 197.1

Mira-

Miraculorum usus potissimum erat ad infidelos conuertendos. 699.1
M Mirari per personas quid sit. 831.2
M Misericordiam & non sacrificium quo sensu velit Deum. 753.2
M Misericordia in pauperes. 759.2
M Misericordia Dei sit. 676.2. 9. 5.2
M Misericordia Dei commendatio. 209.1
M Misericordia materia miseria est. 216.2
M Misericordiam quomodo quidam inuenient in die iudicij. 300.1
M Misericordia quomodo superexaltet iudicio. 663.1
M Missa sacrificium efficax in sanguine Christi. 529.1
M Missa sacrificium illustre habet antiquitatis testimonium. 536.2. 625.1
M Missa inefficaciam ex repetitione sacrificij male colligunt heretici. 537.1
M Missa sacrificium non offertur ut diuersum a sacrificio crucis. 537.2
M Missa sacrificium quomodo frustra non iteretur, cum Christus una oblatione consummanerit. 546.2
M Missa sacrificium non debere explodi asseritur. 547.2
M Modestia nomen quid complectatur. 103.1
M Modus quid significet. 921.2
M Mons Syna tangibilis. 607.2
M Mons Sion quis sit mysticè. 609.2
M Mons Thabor quis sit, & cur sanctus appelletur. 786.2
M Mors cur dicatur resolutio. 325.2
M Mors an dicenda sit opus diaboli. 870.1
M Mortuus quodnam euangelium prædicauerit Christus. 757.1
M Mortui esse delictis & peccatis qui dicantur. 13.2. 78.2
M Mortui dormire dicuntur ob spem resurrectionis. 171.1
M Mortui in Christo qui sint. 172.2
M Mors & perditio temporalis typus est mortis aeternæ. 618.1
M Mors omnibus iustis lucrum est. 74.1
M Morientur omnes sine exceptione. 322.2. 533.2
M Moyses Christo fuit minor. 396.2
M Moyses tabernaculum ac omnia vasa sanguine aspersit. 528.1
M Moysi parentes qua fide eum occultarint. 580.1
M Moysi elegantia quid significauerit. 580.2
M Moyses cur demum quadragenarius fratres uisitauit. 581.1
M Moyses quomodo affliclus fuerit. 581.2
M Moyses quomodo dicatur non timuisse Pharaonem, cum ab eo fugerit. 583.1
M Moyses de aquis assumptus. 895.1
M Moysen in hac vita non uidisse Deum per essentiam. 886.2
M Moysen esse mortuum, contra quorundam opinionem probatur. 826.1
M Eius sepulchrum cur incognitum. *ibid.*
M Mulieres facile ad varia peccata inducuntur. 317.1

Mulieres adolescentula doceri debent per seniores. 347.2
M Mulier virum amare ac timere debet. *ibid.*
M Mulierum præcipua laus. *ibid.*
M Mulieres uiris subditæ esse debent ut Christo. 53.2. 348.1
M Mulieres quo sensu Paulo collaborauerint in euangelio. 102.2
M Mulieres nimio corporis ornatu saepe peccant. 229.1. 740.1
M Mulieres moderato corporis cultu uti debent. 230.1. 740.1
M Mulierum ornamenta mansuetudo & modestia 740.2
M Mulieres non aliter quam per pietatem foris prædicare debent. 230.1
M Mulieri uirum priuatum ducere permittitur, non tamen in eum dominari. 231.1
M Mulieres cur in ecclesia loquebantur apostolorum tempore. *ibid.*
M Mulier quomodo saluabitur per filiorum generationem. 233.1
M Mulierum obedientia exemplo Saræ ostenditur 741.1
M Mulieres uiris pares fecit Deus. 742.1. Vide uxor.
M Mundus ex nihilo conditus. 4.1
M Mundi ante constitutionem non exstabat angelica natura. 4.1. 28.1
M Mundus cur in Christum sibi prædicatum crediderit. 247.1
M Mundus diuinitatis speculum appellatur. 563.2
M Mundi nomine frequenter humanum genus intelligitur. 593.1. 808.1
M Mundus pro hominibus malis. 853.2. 863.2. 907.2
M Mundi consummationem futuram probat Beatus Petrus ex diluuiis. 808.1
M Mundus incendio purgatus, electorum fiet receptaculum. 810.2. 812.1. 813.2
M Munera beneficentia in proximos sacrificia uocantur. 108.2
M Munera & hostia qui differant. 515.2
M Myrias quid sit. 610.1
M Mystera Christianæ religionis non facile prodenda. 480.1
M Mystrium uocationis gentium qua parte non fuerit antiquis cognitum, uarie exponitur. 26.1
M Mysteriorum Christi magnitudo. 31.2
M Mystrium Dei quid sit. 123.1
M Mystrium iniquitatis quodnam sit. 194.1

N.

N Eulon & quis dicatur. 853.1
N Neophytus quis sit, & cur non debeat creari episcopus. 238.2
N Neronis impietas erga sibi inuensas. 28.1
N Nicopolis cimitis unde dicta. 359.2
N Nocte & die assiduitas operandi significatur. 159.2
N Noë, iusticia præco. 793.2
N Nomen Dei quod, & quo sensu Christo donatum

natum

natum sit, 80.1
 Nomini IESV, cur pra caeteris fiat reuerentia, 80.2
 Nomen alicuius super quempiam innocari quid sit, 659.2
 Nomen Domini quando in vanum assumatur, 695.2
 Nomen Dei quomodo sanctificetur a nobis, 745.2
 Noticia Dei quid complectatur, 849.1.868.1
 Novatianis non famet doctrina Pauli, 459.1. sed & reselluntur, 521.2.551.2.606.2
 Nonisse pro approbata frequens est in scripturis, 178.1
 Nouissima hora que & quare sic dicta, 805.2
 856.1
 Novitas virtutis significationem habet, 21.2
 Nox diem precessit in creatione mundi, 139.1
 Noxia corporibus tanquam mala reicienda, 259.2
 Nubere quinam prohibeant, 249.1
 Nubere velle quandoque est damnabile, 264.2
 Nubes in quibus rapiemur abiuam Christo qua sint, 174.1

O.

Obedientia plebis erga suos parochos, 769.1
 Obedientia subditorum, 53.1.627.2.734.1
 Obedire in Domino quid sit, 58.1
 Obedientia Christi in eius morte maxime commendatur, 80.1
 Obediundo hominibus propter Deum, Deo obediunt, 735.2
 Obedientia pro fide saepe ponitur in scripturis, 187.1.454.2
 Obedientiam quomodo Christus didicerit, 454.1
 Obedientia Christi dupliciter exponitur, 710.2
 Oblationis Melchisedech mentionem cur omiserit Paulus, 479.2
 Obscuritas in quo consistat, 47.1
 Obsecrationes, orationes & postulationes qui differant, 222.1
 Obssequium quid sit, 88.1
 Occursum in virum perfectum quando fiet, 39.2
 Ociositas & curiositas fugienda, 170.2
 Ociosus non est dignus qui manducet, 204.1
 Ocium & curiositas vicia coniuncta, 205.1
 Oculi & aures Deo figurate ascribuntur, 744.1
 Oculus fenestra per quam vanitates mundi hauriuntur, 798.2
 Odiosi qui sint, 354.1
 Offendicula infirmorum vitanda, 160.1
 Offensarum condonatio, 46.1.141.2.692.2
 Offensas verborum omnino vitare homini impossibile, 670.1
 Officium peregrini & incolae, 22.1
 Oleum pro unguento sumitur, 408.2
 Oleum exultationis cur dicatur, ibid.
 Olim quam significationem habeat, 791.1
 Omnes pro plerique saepius in scripturis ponitur, 86.1
 Omne bonum ex Deo est, 90.1.363.2

Omnia in nomine Christi facienda praecepti est non consilij, 143.1
 Omne pro magno frequens est in scripturis, 165.1
 Omnia probanda esse, & a quibus, contra hereticos declaratur, 181.1
 Omnia munda mundis quo sensu, 344.1
 Omnia ad Dei gloriam referenda, 760.2
 Omnia nobis proueniunt meritis Christi, 777.2
 Onesymus quid significet, 364.2.367.2
 Onesymus frater Philemonis in carne quo sensu, 366.1
 Onesiphori laus, 299.2.301.1
 Onesiphorus martyr a quibusdam asseritur, 300.2
 Opera bona effectus sunt gratia, 18.2
 Opera bona etsi fiant in nobis a Deo, non tamen subrahuntur libero arbitrio, 18.2.889.1
 Opera bona finctus iusticia & vita aeterna vocantur, 7.1.114.2
 Operatur in nobis Deus velle & perficere, 81.2
 Opera bona vite aeterna meritoria, 82.2.113.1.550.1. Vide merces bonorum operum.
 Opera bona Deo sunt odor suauitatis, 108.2
 Opera bona mortificantur per peccatum, 164.2
 Opera bona fundamentum sunt salutis, 188.1
 Opera bona necessaria ad salutem, 326.1.464.2.654.1.726.2.780.2.781.2
 Operum bonorum perseveranti studio spes nostra certificatur, 466.1
 Operam dare aliqui rei quid sit, 170.1
 Operationis diuinae efficacia, Vide, Deus efficaciter &c.
 Opera legis que sint, 666.2
 Opera legalia non iustificat hominem, 719.2
 Opera tenebrarum, 49.2
 Opera fidelium in nomine Christi saltem habitualiter sunt facienda, 143.2
 Operari manibus quibusnam praeceptum, 170.2
 Opus bonum ab initio vsque ad finem a Deo est, 69.2
 Opus bonum generali ratione sacrificium est, 108.2
 Operari eum silentio & quiete quis dicatur, 205.1
 Operario merces debetur, 270.1
 Opera Dei & nostra eadem esse possunt, 443.1
 Operum nostrorum quando dicatur Deus obliuisci, 464.2
 Operari iusticiam quid sit, 589.1
 Opera bona lumina sunt & quare, 651.1
 Opera bona Christianorum, & qua videntur bona paganorum qui differant, 665.1
 Operibus bonis qui destituntur, ceci sunt, qui instar talparum viam querunt, 781.2
 Operariorum defraudatorum clamor ultionem Dei prouocat, 689.1
 Opera bona non precedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, 873.2
 Opera Iustorum non omnia esse peccata, aduersus hereticos ostenditur, 107.2.109.1.288.1.669.2.878.2
 Opera bona quadam manere irremunerata, 91.2

Operari intuitu mercedis aeterna, non est viciosum, ibid.
 Opportuna importunitas quam sit, 313.2
 Oppositiones falsi nominis fugienda, 290.1
 Opulentia superbia & arrogantia mater, 287.1
 Ora leonum quinam obtinuerint, 589.2
 Oraculum edere non est solius Dei, 64.1
 Orare omni tempore quid sit, 64.2.179.2. & seq.
 Orandum pro omnibus, 223.1.227.1.331.2.629.2. etiam inimicis, 703.1
 Oratio interna in omni loco fieri potest, non item publica, 228.1
 Orationes publica fieri poterant extra synagogas, 228.2
 Orationes panegyricae unde dicta, 610.1
 Orantes manus puras habere debent, 228.2
 Orans omnem iram ex animo, sicut & dubitationem deponere debet, 229.1
 Oratio benedictio est, 251.1
 Oratio fidei qua sit, 699.2
 Orationes pro defunctis confirmantur, 301.1
 Orationi adesse debet fiducia impetrandi, 644.2
 Oratio diligens multum valet, 603.2
 Oratio peccatoris ingrata Deo, 703.2
 Orationis vis & necessitas, 704.2
 Oratio non potest recte fieri nisi tranquillo animo, 742.2
 Oratio ut exaudiatur, qua conditiones sint necessariae, 902.1.2
 Oratio facta pro alio an semper exaudiatur, 902.2
 Orare pro peccato alterius ad mortem an & quomodo, quilibet Christianus teneatur, 905.2
 Orbis terra futurus quis sit, 417.1
 Ordo est commune bonum, 124.1
 Ordinem in omnibus seruandum esse docet pluribus apostolus, 124.1
 Ordinatio cur manuum impositio vocetur, 295.1
 Ordinatio confert dona Deo gratum facientia, 296.1
 Ordinare ministros ecclesiae, ad quem pertineat, 339.1
 Originalis peccati probatio, 15.2.907.1
 Originalis mundus quis dicatur, 792.1
 Os pro acie cultri Hebraeis dicitur, 589.2
 Ostendere in scriptura quid sit, 76.2
 Ozias cur a Deo punitus, 481.2

P.

Panes propositionis unde sic vocati, 507.1
 Papa ex iusta causa potest ab una ecclesia accipere in subsidium aliarum, 108.1
 Parabola varia significatio, 577.2
 Paracliti nomen cui conueniat, 847.1
 Parentes quomodo sint honorandi, 58.1
 Parentum in filios seueritas prohibetur, 144.2
 Parentes pra caeteris honorandi sunt, 260.1

Paries medius maceris quo gentiles a Iudeis diuidebantur, est lex mandatorum Dei, 21.1
 Pascha unde dicatur, 583.2
 Passionum Christi qua defunt quo sensu adimpleantur, 120.1
 Passionis Christi effectus penes solos electos est, 177.2
 Passionem suam cur Paulus immolationem vocet, 325.2
 Passionis Christi meritum ad omnia saecula extenditur, 533.1
 Passio Christi recogitanda, 597.2
 Passionem Christi gloria multiplex est consecuta, 716.1
 Passionis Christi efficacia, 747.1
 Passio Christi etiam apud inferos penetravit, 751.1
 Passio Christi typice nostram significauit affectuum significationem, 754.1
 Pastorum officium, 38.2. pastor debet esse doctor, ibidem, 237.1
 Pastorem animarum maxime dedecet potatio, 237.1.241.1
 Pastorum alimentatio liberalis esse debet, 268.2
 Pastores facile accusantur ab iniquis, 271.1
 Pastores quos virtutes habere debeant, 282.1
 Pastoribus semper est opus studio sacrarum litterarum, 320.2.329.2
 Pastoris & doctoris ecclesiastici quatuor praecipua officia, 321.1
 Pastori instandum est operi opportune, importune, 323.2
 Pastores eligi suffragis plebis perniciosum est, 324.1
 Pastori vigilandum, 325.1
 Pastor auctoritatem praeferre debet, 352.2
 Pastoribus cur obedire debent fideles, 628.2
 Pastoribus magnum imminet periculum in reddenda ratione pro animabus, 628.2
 Pastoribus maerorem adferre non debent subditi, ibid.
 Pastoris & gregis ardentissima debet esse coniunctio, 766.2
 Pastoraliter regere quid sit, 767.1
 Pastores non debent dominari, 768.2
 Pastores gregi seipos ut exempla praebere debent ibidem.
 Pastorum corona immarcescibilis, 769.1
 Pastores semper admonere debent suos subditos, quamuis bene institutos, 783.2
 Pastores ex officio tenentur ad ponendum animas pro fratribus, 875.2
 Pater solus Deus quo sensu, 219.2
 Paternitas quid significet, 39.2
 Pati pro Christo magna gratia est, 70.1
 Patiendum cum Christo ut cum eo regnemus, 305.1.693.1.766.1
 Patientiae necessitas, 558.1.761.1. eius opus perfectum, 643.1
 Patientia Deo quomodo tribuatur, 809.2
 Patientia in afflictionibus habenda spe praemij, 692.1. V. Afflictio.
 Patientia aduersorum, certamen est, &

cur, 77. I
 Patientia & longanimitatis differentia, 115. I
 Pati pro Christo signum est Spiritus sancti in homine habitantis. 762. I. seq.
 Patres carnales quid spectent in castigandis filiis. 601. 2
 Patrem nostrum esse commune est toti Trinitati, 109. 2
 Patrem in Diuinis non posse videri sine Filio, 892. I
 Patriarcha nomen quid sit, 475. I
 Patriarcha in terra promissa habitauerunt non ut in sua, sed ut in aliena. 575. I
 Patriarcharum anima beatifica Dei visione fruuntur, 535. 2
 Paulus triennio mansit Ephesi, I
 Paulus gentium apostolus & magister, 27. 1. 228. 1. 297. 2
 Paulus quo sensu se minimum sanctorum vocet, 27. 2
 Paulus & Timotheus speciali nomine serui Iesu Christi, 67. I 335. I
 Paulus quo sensu ignorauerit an mors, an vita sibi esset eligenda. 74. 2
 Paulo necessarium manere in carne, non tamen desiderabile, 75. 2
 Paulus cur Epaphroditum a morbo non liberauerit per gratiam curatum. 87. 2
 Pauli animus nunquam fuit merore vacuus, ibidem.
 Paulus non erat profelytus. 91. I
 Paulus de tribu Beniamin, ibid.
 Paulus pharisaeus ex pharisaeo patre natus. 91. 2
 Pauli in Christum ardens affectus. 92. 2
 Paulus perfectum se negans, perfectis tamen se se annumerans quomodo non sibi contrarius, 96. 2
 Paulus an habuerit uxorem celebri quaestio est & discutitur. 100. 2
 Paulus seipsum proponit imitandum. 105. 2. 318. 2
 Paulus vixit paucis & necessarijs contentus, 106. I
 Paulus ordines agminum caelestium vidit in suo rapto. 117. I
 Paulus Colossis ac Laodicea non fuit. 122. 2
 Pauli eloquentia. 130. I
 Paulus in epistolis ad Thess. cur se Apostolum non nominet, 153. I
 Pauli humilitas, 155. 2. 218. 2
 Paulo non fuit eadem causa nihil accipiendi a Thesalonicensibus & a Corinthiis. 204. I
 Paulus insignis diuinae gratiae praelector. 206. 2
 Paulus peccatum suum gradibus auget narrandi, 215. I
 Paulus an per ignorantiam peccauerit Christum blasphemans, 217. I
 Paulus quo sensu primum se peccatorem nominet, 218. I
 Paulus cur misericordiam consecutus sit ratio ex parte finis.

Pauli sollicitudo pro Ecclesia, 283. 2. 329. I
 Paulus a primogenitoribus Deum coluit cum sincera conscientia. 293. I
 Paulus non erat omnino certus de sua salute, 327. I
 Pauli Roma prima defensio quando contigerit, 331. I
 Paulus ante conversionem omnibus vicijs seruauit, 354. I
 Paulus quosnam filios suos soleat appellare, 364. 2
 Paulus auctoritatem suam apud Hebraeos dissimulat. 416. I
 Paulus singulari studio ponderat scripturae verba, 504. 2
 Pauli sapientia in scribendis suis epistolis, a Petro laudata, 814. 2
 Pauli epistolam ad Hebraeos scriptam Petrus commendat. 815. 1. 2
 Pauli epistolae omnes Petrus in canonem scripturarum ascribit, 816. 2
 Paulum in hac vita non vidisse Deum per essentiam, 886. 2
 Pauperes cur Deus pra diuitibus elegerit in exordio ecclesiae, 659. I
 Pax quid sit, 915. 2
 Pax duplex, 22. I
 Pax unitatem parit animorum. 33. I. 677. I
 Pax & concordia ab omnibus haberi debet, 33. 2. 142. I. 603. 2. 744. I
 Pax multipliciter dicitur, 104. I. 585. 2
 Pax pars est gratitudinis. 142. 2
 Pax inter plebem & pastorem nisi adsit, fructus sperari non potest, 178. 2
 Pax & tranquillitas opportuna pietati, 223. 2
 Pax cum veris Dei cultoribus habenda, 312. 2
 Peccans quilibet errat, 450. I. 852. I
 Peccans quomodo corripiendus. 277. I
 Peccata carnalia & spiritalia quae sint, 15. I
 Peccatum originale, 15. 2. 907. I
 Peccata alia ab infidelitate reddunt homines obnoxios aeterna damnationis, 139. 2
 Peccans per immunditiam Spiritum sanctum contumelia afficit, 169. I
 Peccata quadam poena sunt precedentium peccatorum. 198. I. 214. I
 Peccatorum mortalium & venialium discrimen. 214. 2
 Peccatum iram prouocat. 215. 2
 Peccatores fuerunt quotquot saluantur, 218. I
 Peccatores exemplo Pauli veniam sperare audent. 219. I
 Peccatorum occasiones vitanda. 251. 2
 Peccatum minus consilium licet ei qui in grauius est prolapsus. 266. 2
 Peccatores a diabolo captiui tenentur, 314. I
 Peccata viam parant seductioni. 317. I
 Peccata purgari quo sensu dicantur. 399. I
 Peccatum quare a Christo non assumptum. 427. I
 Peccatum quo sensu homines seducere dicantur, 427. I
 Peccato primi parentis iusticia & pactio de premio

premio pro iusticia reddendo abolita sunt, 454. 2
 Peccata cur opera mortua vocentur, 457. I. 521. 2
 Peccatores ad penitentiam reuocandi. 463. 2
 Peccatorum non recordari quo sensu Deus dicantur. 504. I
 Peccatorum Deus non est causa, 647. 2
 Peccata passim in scriptura vocantur ignorantia, & cur. 514. I
 Peccata quauis gratiam impediunt, 553. I
 Peccata quanam inexpiabilia. 553. 2
 Peccatum cur temporale dicatur, 581. 2
 Peccatum nos circumstant quodnam sit, 595. 2
 Peccato resistendum duplici bello, 598. I
 Peccati partus quomodo ab eius consummatione distinguatur, 649. I
 Peccatum consummatum generat mortem, & quodnam illud sit, 649. 2
 Peccata tenebra sunt, & cur, 651. I
 Peccata quauis inquinant hominem, 718. 2
 Peccata mortui qui dicantur, 13. 2. 738. 2
 Peccati definitio. 906. I
 Peccator seruus peccati, 354. I. 802. 2. Non ideo tamen necessario peccat. ibid.
 Peccatum habere quot modis quis dicatur, 844. I. 2
 Peccatorum remissionem non fieri sola imputatione iusticia. 845. 2. 868. I. 2. 869. I
 Peccati author diabolus. 869. I. 1
 Peccata an omnia suggerente diabolo fiant, 869. 2
 Peccata cur opera diaboli dicta, 870. I
 Peccatorum solutio & destructio finis incarnationis Christi, 870. I
 Peccata soluendi potestas a Christo communicata Ecclesiae, 871. 2.
 Peccata omissionis, quadam mortifera, 873. 2
 Peccati actus exterior nihil maliciae moralis addit interiori, 874. 2
 Peccatum ad mortem quodnam dicatur, & quodnam peccatum non ad mortem. 904. I. 2. & seqq.
 Peculium quid sit, 351. 2
 Pelagianorum haeresis asserens hominem posse viuere sine peccatis, destruitur. 55. I. 234. 2. 844. 2. 845. I
 Penula Pauli qua fuerit, 329. I
 Perditio malorum non dormitat, 791. I
 Peregrini sumus omnes in hoc mundo. 732. 2
 Perfecti quinam censendi, 96. 2
 Perfectorum vestigijs semper inhaerendum, 97. 2
 Perfecti quorum sit solidus cibus qui sint, 456. I
 Perseuerantia non cadit sub meritum, 188. 2
 Perseuerantia insistendum. 432. I
 Perseuerare quis dicatur, 465. I
 Persona unitas in Verbo incarnato statuitur, 838. 2
 Persona tres in Diuinis, eiusdem natura & potentia, 896. 2

Personam unam in Diuinis non posse videri sine alia, 892. I
 Petenda necessaria & non amplius, 278. 2
 Petere quomodo oporteat, 678. 2
 Petrus binominus. 776. I
 Petrus quomodo testis passionum Christi. 766. I
 Petrus Roma sedet. 773. I
 Petri sedem impugnantes haeretici abutuntur scriptura sacra. 148. 2
 Petrum fuisse Antichristum dicentes blasphemant. 194. I
 Petrus non fuit episcopatu indignus, 234. 2
 Petrus apostolorum princeps, & cur, 709. I
 Petri supra vniuersam ecclesiam primatus confirmatur. 765. I
 Petrus reuelationem accepit de morte sua. 784. I
 Petri duas tantum esse epistolas. 804. 2
 Petri admirabilis candor & siacera modestia, 814. 2
 Pharisei apud Iudaeos laudabiles. 91. 2. 293. 2
 Pharisei speciei religionis corpus affligebant, 136. I
 Philemon quis fuerit, & cur ad eum Paulus scripserit. 360
 Eius uxor Appia. 361. 2
 Philemonis laus describitur. 362. I
 Philemon quomodo seipsum Paulo debebat. 367. I
 Philipenses quo sensu gaudium & corona Pauli, 100. I
 Philipensium laus quoad liberalitatem. 107. 2
 Photinianorum haeresis negantium Christum fuisse ante Mariam, destruitur. 823. 2
 Philosophia quid sit, & quomodo ea quidam abusi fuerint. 125. I
 Pietas fidem puram, vitamque rectam completur. 252. I
 Pietas ad omnia utilis. 253. I
 Pietas filiorum in parentes. 259. 2
 Pietas magnus est quaestus. 279. I
 Pietas sufficientiam postulat. 279. 2
 Πλεονεξία quid significet. 796. I
 Pluuia temporanea & serotina quae sit, 691. 2
 Poena aeterna remissa remanet poena temporalis luenda. 186. I
 Poenarum inferni grauitas, 555. 2
 Poena impiorum erit aeterna. 187. 2
 Poenis ad fidem compelli quis potest. 202. I
 Poenitens nondum reconciliatus quomodo Deum diligat ex corde puro. 212. I
 Poena quam timere debent qui doctrina Christi negligenter attendunt notatur. 413. 2
 Poena satisfactorie statuitur. 600. I
 Poenitentia initium conuersionis. 457. I
 Poenitentia lapsorum stabilitur, 603. I
 Poenitentia Esau quamuis lacrimosa, cur non fuerit admissa, 606. 2
 Pontifex Romanus summus ecclesiae pastor. 39. I
 Pontifex quo sensu seruus seruorum Dei. 121. I
 Pontifex Rom. non est antichristus. 197. I. 198. I
 Pontificis Romani sanctitas. 197. I
 Pontifex ex hominibus assumendus, & pro his constituendus. 449. I

Pontificis affectus erga peccantes qualis esse debeat, 449.2
 Pontifex pro suis offerre debet peccatis, 49.1
 Pontifex Aaronicus Christum typice significauit, 495.1
 Populi duo unus homo, 21.2
 Potentia nulla est tam sublimis qua non debeat se submittere imperio Domini regnantis, 405.2
 Potentia diuina bonitatis, 215.1
 Potentia nostra effectus potentie diuinae, 32.2
 Potestas ecclesiastica, 209.2
 Potestatem iudicandi de controuersijs fidei non esse penes unumquemque, 880.2
 Potestatem illam esse penes Ecclesiam prelatos, 884.2
 Praecepta noui testamenti, 20.2
 Praecepta superiorum subditos obligant in conscientia, 59.2
 Praecepta generalia ad mores pertinentia, 104.2
 Praeceptum irreprehensibile quomodo seruetur, 284.1
 Praecepta Dei homini iustificato non esse impossibilia, 878.2.893.1.2
 Praecepta Dei quomodo graua & quomodo facilia dicantur, 891.2.893.1.2
 Praeceptorum Dei obseruatio, signum dilectionis, 849.1.850.1
 Praeceptum dilectionis qua ratione nouum & uetus dicatur, 850.2.851.1
 Praecepta Pauli, praecepta sunt Christi, 166.2
 Praecepta Dei non possunt a nobis impleri, nisi Deus dederit, 181.2
 Praeceptum & gratia sibi respondent, 303.1
 Praedestinatio nostra ex meritis Christi, 4.1
 297.1
 Praedestinatio gratuita, 4.2 5.1. 8.1. 18.1. 83.2. 115.2. 199.1. 201.1. 271.1. 297.1. 311.2. 354.2. 355.1. 355.2. 652.1. 653.2. 710.2. 711.2. 729.2. 886.1
 Praedestinationis nostra causa efficiens est purus Dei amor, 5.1. Finalis uero, glorificatio diuina bonitatis, 5.2.8.1
 Praedestinatio est preparatio beneficiorum Dei, 18.2
 Pradicatio apostolica uerbum ueritatis, 8.2
 Pradicarunt quidam Christum per inuidiam & contentionem, 71.2
 Pradicatores paruuli fieri debent, 159.1
 Pradicatori euangelico uictus iure debetur, 203.2
 Pradicatores mendicantes non reprehenduntur à Paulo tanquam ociosi, 204.2
 Pradicatio uerbi Dei praecipuum episcoporum, & pastorum munus, 243.2.323.1
 Pradicatoribus uerbi Dei liberaliter uictus est suppeditandus, 269.2
 Pradicatoribus Euangely malicia auditorum an sit imputanda in Dei iudicio, 862.1.2
 Pralato non facienti ea qua sunt officij sui etiam deberi honorem ostenditur, 178.1
 Prepositorum cur Paulus Hebraeos uelit esse memores, 622.2
 Praprium signum erat peccati, 129.1

Praescientia Dei quid sit, 710.1
 Praescientia Dei practica, 720.2
 Praesentia Dei, Christi, & angelorum, unumquemque excitare debet ne oculos tot spectatorum offendat, 271.2
 Precatio non fit pro praeiitis, 69.1
 Precibus Philippensum se commendat Paulus, 73.2
 Precium nostrum, sanguis Christi, 6.1
 Presbyteri olim plures non ordinabantur, quam qui ad eccl. suas essent necessary, 240.1
 Presbyterium collegium est presbyterorum, 256.2
 Presbyteri etiam per impositionem manuum ordinantur, 257.1
 Presbyteri qui bene praesunt duplici honore digni habentur, 268.2
 Presbyterorum nomine quinam intelligantur, 697.1
 Presbyterorum dignitas non facile laededa, 270.2
 Presbyterorum officium est alios docere, 301.2
 Presbyterorum oculum reprehenditur, 341.2
 Presbyteri & Episcopi non sunt idem, 657.2
 Presbyterorum nomine significantur Episcopi, 765.2
 Presbyter nomen est dignitatis non aetatis, 765.2
 912.
 Primogenitus quis proprie dicatur, 116.2. & quis mystice, 610.2
 Primogenitus olim debitam fuisse sacerdotij praerogatiuam uetus traditio est, sed non uera, 451.1. 605.2
 Primogeniturę eius quodnam olim fuerit, 605.1
 Primogenita cur spiritualia uocentur, 606.1
 Principibus debetur obedientia, 353.1. etiam infidelibus, 734.2
 Principis iusti partes, 407.2.735.1
 Principes quando honorari censeantur, 736.1
 Probare spiritus num ex Deo sint, quomodo singulis fidelibus conueniat, 880.2
 Promissio aliquando praedestinationem significat, 336.1
 Promissio aeterna hereditatis ad solos pertinet electos, 522.2
 Propheticus sermo quomodo firmiter apostolico, 787.1
 Prophetarum est futura pradicere, 789.2
 Propheta quis sit, 342.2. Et quid propheta, 788.2
 Prophetarum desiderium de Christi incarnatione, 715.1
 Propheta quis diceretur apud Iudaeos, 880.2
 Prophetę omnes Christo testimonium perhibent, 831.1
 Propiciatio pro peccatis nostris, Christus, 848.1
 Propiciatio pro peccatis totius mundi quomodo dicatur, 848.2
 Propiciatorium erat tabula arcę tegens, 512.1
 Propinquos deserens fidem negauit, 261.2
 Proseliti adulta aetate circumcidebantur, 91.1
 Prouidencia diuina in electos, 712.1
 Proximi nomine omnis homo intelligitur, 43.2
 684.2
 Proximus non iudicandus, 684.2

Psalmus cantionem significat, 52.1
 Pseud-Ambrosius quis fuerit, 269.1
 Pseud-Apostoli non effugient iudicium Dei, 791.2
 Publicani iustificauerunt Deum, 246.2
 Pudens sanctarum Praxedis & Pudencianę pater, apud Romanos clarissimus, 333.2
 Pueri & mulieres quatenus a lectione sacra scriptura non sint arcendi, 320.2
 Pueri nomen uarie apud Hebraeos accipitur, 425.2
 Pugna uerborum fugienda, 353.2. uide contentio. pugna legis qua sint, eaq. uitanda, 357.2
 Purgatorium probatur, 612.1. 764.2
 Pusillanimitas quis sit, 179.1

Q.

Quarere qua sua sunt, quid sit, & quale peccatum, 86.1
 Quarere qua sursum sunt quid sit, 137.2. & querere qua sunt super terram, 138.1
 Quaestiones uariae de raptu in nubibus obuiam Christo in aera, 173.1. & 2. seq.
 Quaestionum inutilium multiplicatio reprehenditur, 211.1
 Quaestiones inutiles fugienda, 278.1. 312.2. 357.1

R.

Rahab an uere meretrix fuerit, 584.2
 Rahab caupona fuit inuupta aut certe uidua, 585.1
 Rahab ex operibus iustificata, 668.1
 Racha in euangelio quid, 45.2
 Radix amaritudinis qua sit, 604.2
 Rapinam honorum suorum cur cum gaudio susceperint Iudaei, 557.2
 Reconciliator noster Christus fuit, non angeli, 118.1
 Redemptio est peccatorum remissio, 6.1
 Redemptionis humanae consilium, cur sacramentum uoluntatis diuina uocetur, 7.1
 Redemptio humana beneficiu explicatur, 349.1
 Redemptio nostra cur aeterna uocetur, & à Christo inuenta, 520.1
 Redemptio nostrę precium, 719.1
 Redemptio Christi ad quosdam reprobos pertinet, 790.2
 Reges huius saeculi pastores aliquando uocantur, 767.1
 Regnum caeleste benedictio & hereditas dicitur, 743.2
 Regulus quomodo exauditus, 645.1
 Relapsos Nonatiani excluderent à spe uenire, sed impię, 448.1. 449.2
 Relapsi difficile ad gratiam redeunt, 462.2
 Relapsi quo sensu filium Dei iterum crucifigat, 463.1
 Relapsus in pristina uicia, graue peccatum, 803.2
 Religio quid sit, 133.1
 Religio munda quam sit, & quomodo sese

Deo prodatur, 656.1
 Remissa culpa grauissime aliquando reseruantur poena, 701.2
 Remissio peccatorum totam redemptionem complectitur, 116.1
 Remissio peccatorum non fit sine sanguine, 528.2
 Remissio peccatorum in ueteri lege qualis erat, 538.2
 Remissio peccatorum est promissio nouo testamento peculiaris, 547.2
 Remissio peccatorum quomodo sit effectus extreme unctionis, 701.1
 Remissio peccatorum cur aspersio sanguinis uocetur, 711.1
 Renouationis omnes sunt capaces, 141.1
 Reprobi à Deo positi sunt in iram, 177.2
 Reprobi cur uocentur pereuntes, 197.2
 Reprobi & mali sunt in ecclesia, 311.1. 857.2
 Reprobatio peccati destructionem secum trahit, 531.2
 Reprobi non infra meritum puniendi, 662.2
 Requies mystica aeterna salutis triplex, 441.1
 Residentia perpetua pastoris apud gregem, 767.1
 Restitutio rei aliena necessaria, 44.1
 Resurgere qui dicantur, 173.2
 Resurrectionis Christi ueritas, 303.2
 Resurrectio mortuorum saepe in bonam partem sumitur, sicut iudicium in malam, 458.2
 Resurrectio omnium in uirum perfectura, 40.1
 Resurrectio Christi causa exemplaris nostrae resurrectionis, 94.2. 171.2. 711.2
 Resurrectio mortuorum, regeneratio est, 117.2
 Resurrectionis fide sublata, tota religio Christiana subuertitur, 308.1
 Resurrectionem iam esse factam quo sensu dixerint Hymeneus & Philetus, 308.2
 Resurrectionem mortuorum non futuram qui haeretici negant, 806.2
 Reuelatio Paulo facta de tribus, 25.2
 Reuelationes quaedam apostolis facta de particularibus circumstantijs uocationis gentium, 26.2
 Reuerentia quid significet, 601.1
 Reuerentia pro qua Christus exauditus fuit, qua fuerit, 453.1
 Romanus Pontifex non est antichristus, 191.2

S.

Sabbatum Mosaicum typus quietis aeterna, 442.2
 Sabbathismus quam specialiter requiem significet, ibid.
 Sacerdotibus temulentia & turpe lucrum prohibetur, 241.1. & 2
 Sacerdotum calibatus, 255.1
 Sacerdotibus ociosis etiam debentur ea qua illis legata sunt, 270.1
 Sacerdotis officium, ibidem, 449.2. 484.1. 486.2
 496.1

Sacerdotium fuisse debitum primogenitis non constat. 470.2
 Sacerdotium Christi Leuitico praestantius. 475.1. 476.2. 488.2. 493.2
 Sacerdotij Christi perpetuitas. 478.1
 Sacerdotium sine lege transferri non potest, 481.1
 Sacerdotij veteris translatio quando facta, ibid.
 Sacerdotium vetus figuratum fuit, 493.2
 Sacerdos quo sensu seruiebat olim in cibis & potibus. 116.1
 Sacerdos legalis stat, Christus autem sedet, cur. 545.1
 Sacerdotes proprie qui dicantur. 726.1. Item qui improprie. ibid.
 Sacramenta conferunt gratiam. 44.2
 Sacramentum Confirmationis est sigillum, 43.1
 Sacramentum & fidei regeneratio ascribitur. 54.2
 Sacramentarij reselluntur. 138.1. 527.1. 536.1
 Sacramenta vere iustificant. 355.2
 Sacramenta veteris legis quatenus gratiam conferrebant. 538.2
 Sacramentum extrema unctionis maxime salutaris. 701.2. Vide, Extrema unctio.
 Sacrificium generali ratione quid sit, 627.2
 Sacrificia quanam offerebantur in primo tabernaculo. 512.2
 Sacrificia legis non poterant iustificare ministrantem. 515.2. 536.1
 Sacrificium crucis quomodo aeternum, 484.1
 Sacrificia Deo olim publico conuiuio mensis apposita consumebantur, 486.1
 Sacrificia antiqua usque ad tempus correctionis imposita fuerunt, & cur instituta cum non possent perficere utentem, 517.2
 Sacrificia pro peccatis iungebantur victimis pacificis, 526.1
 Sacrificium missae: vide, Missae sacrificium.
 Sacrificia antiqua si perfectos fecissent offerentes, cessassent offerri, quo sensu dicat apostolus, 537.1
 Sacrificia veteris legis iterari debebant non habita ratione relapsus in peccata, 538.1. & que usum habuerint, ibid.
 Sacrificia vetera debuisse abrogari. 539.2. 544.2
 Sacrificiorum veteris legis quatuor genera, & quomodo inter se differant. 539.1
 Sacrificia veteris legis quo sensu Deo non placuerint. 539.2
 Sacrificium expiationis pontifici proprium erat. 545.2
 Sacrificium laudis semper offerendum, 626.2
 Sacrificium duplex, proprium & improprium. 626.1
 Saecula increata qua sint, 219.1
 Saeculum saeculi aeternitatem interminabilem significat, 407.2
 Salem urbs fuit, & que. 471.1. & 2
 Sal sapientiam significat. 146.2
 Saluatorum duplex genus male excogitauit Catharinus. 310.1
 Saluatores olim qui dicerentur, 823.2
 Saluatoris vocabulum plarisque literatis non

non placet, 98.2. eo tamen utendum cum de Iesu Christo sermo est. 99.1
 Saluator & seruator qui differant. 99.1
 452.1
 Saluatoris epitheton tam Patri quam Filio ascribitur. 354.2
 Salus nostra tota per Christum. 17.1. 29.2. 113.2
 715.1
 Salus extra ecclesiam frustra expectatur, 53.2
 Saluti omnium studendum, idque exemplo Christi, 78.2
 Salutem operari cum metu & tremore quid sit, 82.2
 Salus peccatoris in hac vita inchoatur, 218.1.
 715.1
 Salus non est ex fide sola, 233.2
 Salus Dei voluntate salis contingit electis. 336.1
 Salus Christiana omne bonum comprehendit, 644
 Samaritani Iudaicam profitebantur religionem. 125.2
 Sampson an sit sanctus, 587.1
 Sancti & irreprehensibiles quatenus simus, 4.2
 Sancti omnes filii Dei expectant de calis. 156.2
 Sancti testes sunt fidei. 595.2
 Sanctimonia semper inquirenda, 168.2. 603.2
 Sanctitas in genere quid sit. 167.1
 Sanctitatis vera periphrasis. 166.1
 Sanctificatio pro sanctitate saepe ponitur. 167.1
 Sanctitas triplex. 718.2
 Sanctitas nostra & iusticia in quo consistant. 718.2. 865.2
 Sanctorum inuocatio nobis necessaria, 30.1
 Sanctorum inuocationem impugnantes haeretici, scriptura abutuntur. 132.1. 226.1. 489.2
 Sanctorum inuocatio probatur, 146.1. 182.2. 223.1. 612.1. 629.2
 Sancti cur dicti spes nostra, 208.2
 Sancti quo sensu mediatores nostri, 226.2
 Sancti an & quatenus nostri aduocati, 847.2
 Sancti quo sensu sine nobis non consummantur, 594.1. 2
 Sancti an plura passi sint, quam merebantur eorum peccata, 599.2
 Sanctitas nota Ecclesia, 84.2. 665.1
 Sanctuarium Mosaycum quo sensu mundanum. 506.2
 Sancti quomodo Spiritu-sancto inspirati locuti sint. 789.1
 Sanctum seculare quodnam fuerit, 505.2. seq.
 Sanctum & Sanctum sanctorum qui differant, 508.1
 Sanctificare seipsum quomodo Christo conueniat, 865.2
 Sancti factum laudabile. 875.2
 Sanguis animalium quo sine olim fundebatur, 520.1
 Sanguis Christi melius loquitur quam sanguis Abel. 565.1. 613.1
 Sanguis Christi cur sanguis asperisionis vocetur. 612.2
 Sanguis Christi sanguis noui & aeterni testamenti, 631.1
 Sanguis Christi preciosus, 720.1

Sanguine Christi quomodo mundati simus ab omni peccato, 843.2
 Sanguis, vita significationem habet in scripturis 895.1
 Sanguis & aqua à latere Christi manantia, cuius rei significatiua, 894.2. 895.1
 Sapientia Spiritus sancti donum. 10.1
 Sapientia Dei quo sensu innotescat angelis per ecclesiam, 29.2. & quo sensu sit multiformis. ibidem.
 Sapientia quid sit, 643.2
 Sapientie & prudentia ut ad Deum referuntur distinctio. 6.2
 Sapientia & intellectus qui differant. 114.1
 Sapientia & scientia distinctio, 123.2. 674.2
 Sapientie thesauri in Christo sunt ut Dei verbo, 123.2
 Sapienter cum infidelibus est conuersandum, 146.2
 Sapientia à Deo petenda, & quatenus à sanctis. 644.1
 Sapientia & scientia Christiano doctore necessaria. 974.2
 Sapientia vera & falsa nomine quid intelligatur 675.2
 Sapientia vera epitheta, 676.2
 Sapientia quanam dicatur non esse à Deo, 675.2
 Sapientia malorum magistrorum qualis. 676.1
 Sara risus quomodo exponendus, 572.2
 Sara cum conceptit, duo facta sunt miracula. 573.1
 Sara obedientia in quo commendetur, 741.1
 Satanus aduersarius noster est, & quomodo bonos impediatur. 162.2
 Scandalum vitandum, 181.2
 Scientia plenitudinem à Christo expectare debent fideles. 126.1
 Scientiarum falsarum fructus, 290.2
 Scientie auari puniuntur, 759.2. ac in sensu sententia pro speculatis notatur, ibid.
 Scientie bonum & non facienti quale peccatum sit, 686.2
 Scire dicitur Deus qua probat, nescire qua reprobatur. 104.1. 710.1
 Scopus signum sagittantibus propositum significat. 96.1
 Scriptura sacra & canonica dictante Spiritu-sancto est conscripta. 321.1
 Scripturae sacrae utilitas. ibidem.
 Scripturae sensus mysticus proprie à Spiritu sancto intentus. 403.2. eo in probatione frequenter usus est Paulus. 404.1
 Scriptura nulla est in quam plures sensus literales concurrant, 403.2. 489.1
 Scriptura sacra lectio quibus permittenda, 787.2
 Scriptura prophetica duplici ratione comparatur lucerna accensa. 788.1
 Scriptura tota est verbum Dei, 789.1
 Scripturam non esse ubique facilem, & omnibus intellectu peruiam. 816.1
 Secta quid significant, 790.1
 Sedere ad dexteram Patris Christo proprium. 17.1
 Sedere ad dexteram Dei regnare est. 411.1

Seducere homines in humilitate angelorum qui dicantur, 132.2
 Semen Dei quid. 870.2
 Senectus uenerationem exigit, 258.1
 Senes quando increpandi. ibid.
 Senes quanam doceri debeant, 346.1
 Sermo Dei est ipse Deus loquens, 444.1
 Sermo Dei quo sensu penetrabilior quoniam gladio accipiti. 444.2
 Sermones Christi qui sint, 277.1
 Serpens virum non decipit immadate, & cur ad eum tentandum non accesserit. 232.1
 Seruitus peccati in duobus consistit, 351.2
 Seruendam Deo in timore, 719.1
 Seruire ad oculum qui dicantur, 59.2
 Serui quomodo dominis ministerium impendere debeant, 145.1
 Seruis instituendis prolixè immoratur apostolus, & cur, 145.2
 Seruitus iugum quoddam est. 276.1
 Serui per omnia officiosi esse debent erga dominos, 276.2. 348.2. etiam morosos. 736.2
 Serui in quibus debent dominis placere, 348.2
 Seruorum officium, cur tam sollicitè scripserit Paulus, 349.1
 Si, particula interdum non dubitantis, sed supponentis, 864.1
 Sicut, similitudinis nota, non aequalitatis, 843.1. 869.1. 889.2
 Signa maleficorum quo sine soluere ac destruere liceat. 870.1
 Signum epistolae Pauli apponi solitum, 206.2
 Silentio in scriptura quandoque mysterium subest, 479.2
 Siluanus idem est cum Sila, 153.1
 Siluanus in euangelio fidelis minister, 772.2
 Similitudo Dei in homine non perit per peccatum. ibidem.
 Simonis magi schola destruitur, 24.2. 28.2. 30.1. 822.2
 Simonianorum luxuria, 52.1
 Simon magus Samaritanus erat. 88.2
 Simulationes qua sint. 723.2
 Sobrietas episcopo maxime competit. 236.2
 Sobrius quis sit. 341.1
 Sobrietas colenda ut simus apti ad orandum, 758.1
 Sobrietatis necessitas, 770.2
 Societas cum Deo quanta sit & quam optabilis. 841.1. In quo illa consistat, 841. & seqq.
 Sodoma cum alijs ciuitatibus propter quid funditus euerfa sit. 794.1. 824.2
 Sodomitarum temporalis punitio, typus aeterna poenae impijs reseruat. 794.1. 824.2. & seqq.
 Sollicitudo B. Petri de doctrina ad posterum transmittenda, 784.2
 Sollicitudo nostra in Deum proyicienda, 770.1
 Sollicitudo quanam prohibeatur, 770.2.
 Soluere Iesum quid sit, 882.2
 Somnus triplex, eiq; triplex vigilia respondens. 177.2
 Speciem pietatis quanam habeant. 316.1
 Spes pro re speranda. 10.2

Spes est rerum promissarum. 20.1
 Spes nobis galea est salutis. 177.1
 Spes nostra Christus est. 469.2
 Spes nostra confirmatur. 469.2
 Spes Christiana a nauali comparata. 469.1
 Spes & fiducia retinenda. 593.2
 Spelunca & caeuerna quomodo distinguuntur. 8.2
 Spiritum sanctum accipere, nota est filiorum Dei. 9.1
 Spiritus sanctus pignus hereditatis aeterna. 9.1
 Spiritus sanctus quo sensu conuictari possit. 44.2
 Spiritus sanctus quatenus sit in nostra potestate. 52.1
 Spiritus sanctus uerbum Dei. 64.1
 Spiritus sanctus Deus. 89.2.511.1
 Spiritus sanctus quomodo dicatur extingui. 180.1
 Spiritus sanctus non est uerbum filij. 399.1
 Spiritum sanctum contumelia afficit qui eius dona contemnit. 555.1
 Spiritus sanctus a Filio procedit. 715.2
 Spiritus sanctus est spiritus gloriosus. 762.1
 Spiritus sancti magisterium in Ecclesia perpetuum. 861.2
 Spiritus sancti testimonia de Christo. 895.2.896.1
 Spiritus Christi humanus quomodo reiectus sit Iesum esse uerè Dei filium, & uerum hominem. 897.1.2
 Spiritu seruire Deo quid sit. 90.1
 Spiritu praesens esse quomodo quis dicatur. 124.1
 Spiritus & anima qui differant. 182.1
 Spiritus erroris qui sint. 248.2
 Spiritus firmitudinis datur ecclesiarum rectoribus in sui ordinatione. 245.2
 Spiritibus apud Inferos quidnam praedicauerit Christus, & qui illi fuerint. 750.1
 Stoicis paritatem peccatorum penitentibus non fauet doctrina B. Iacobi. 661.2
 Stultiloquium quid. 47.1
 Subditi iniquis legibus non prouocandi. 59.1
 Sufficientia rerum necessariorum, plenitudo est. 108.2
 Summa uita Christiana. 350.1
 Summus sacerdos quo sensu semel tantum in anno ingrediebatur in secundum tabernaculum. 513.2
 Superbis quomodo resistat Deus. 681.2.769.2
 Superbia uita que dicatur. 854.1.2
 Superbia omnium malorum origo. 281.2.682.1
 Superbia tum diaboli, tum hominis taxatur. 78.2
 Superflua querere contra naturam est. 280.1
 Superfluum quid sit. 281.1
 Superiori, qualiscumque sit, debetur honor. 176.1
 Supplicium aeternum malis debetur ex re natura. 186.2
 Supplicare quid sit. 349.1
 Sustentationem iure suscipit is qui euangelium praedicat ab ijs quibus praedicat. 107.2.108.2
 Symboli extremos duos articulos qui haeretici negarint. 806.2
 Synagoga Iudaeis conuersis mutata sunt in ecclesias Christi. 657.2

T.

Tabernaculum uerum quodnam sit. 492.2
 Tabernaculi ueteris forma non fuit ab humano ingenio excogitata. 495.2
 Tabernaculum totius mundi figuram gerebat. 506.2
 Tabernaculum Moysis unum solum habebat caedebat. 507.1
 Tabernaculum primum dicebatur sanctum, secundum autem sancta sanctorum. 513.1
 Tabernaculum prius continebat partem atri, ubi erat altare holocausti. 513.1
 Tabernaculum quid mystice significet. 518.2
 Tabernaculo deseruientes edere non possunt de altari crucis. 625.2
 Tardare & moram facere qui differant. 558.2
 Tartari nomine quid significetur. 791.2
 Temperantia quid sit. 780.2
 Templum quodnam sit in quo Christus est sessurus. 192.2
 Tempus redimere quid sit. 5.1
 Tempora nouissima qua sint. 720.2
 Tentatio tria includit. 647.1
 Tentare Deum quid sit. 434.1.644.2
 Tentatio & probatio qui differant. 434.1
 Tentare quid sit, & quomodo in Deum competat. 576.2.647.1
 Tentatoris nomine diabolus designatur. 164.1
 Tentare quo sensu sit officium diaboli. 164.1
 Tentationis initium a muliere. 316.2
 Tentatio aliquando sumitur pro quouis genere afflictionis. 592.1.642.1.713.2
 Tentationum uictoria non nostris uiribus, sed potentia & misericordia diuina ascribenda. 883.2
 Terra quomodo exurenda igne conflagrationis. 811.2
 Terra igne illo mutationem passura est non substantialem, sed accidentalem duntaxat. 813.1
 Terram Chanaan quot non fuerint ingressi. 436.1
 Terra Chanaan patriam caelestem significabat. 439.1
 Terrena sapere Iudaeis erat uisitatissimum. 98.2
 Testamenti utriusque Deus unus auctor. 397.1
 Testamentum nouum ueteri praestantius. 487.2
 Testes de Christo, in caelo, tres; in terra, tres. 895.2. & seq.
 Testamentum cur patrum uocetur. 497.2.501.2
 Testamenti noui promissio. 500
 Testamenti noui & ueteris differentie quoad promissiones. 496.1.527.1
 Testamentum nouum prius est ueteri testamentum, & cur nouum dicatur. 501.1. cur aeternum. 631.1
 Testamentum uetus debuisse finire probatur. 505.1
 Testamenti ueteris instituta quo sensu corrigenda. 517.2
 Testamentum uetus occasionem dedit grauius peccandi.

peccandi. 522.1
 Testamentum morte confirmandum. 522.2
 Testamentum nouum quomodo ualuerit ante mortem Christi. 523.1
 Testamentum uetus quo sensu uocetur promissio hereditatis. 524.1
 Testimonium in primitiua ecclesia quid erat. 284.1
 Testimonium Christi quidnam sit. 296.1.431.1
 Testimonium propheticum referri potest ad id de quo propheta non est locutus. 616.2
 Testimonia Patris de Christo. 895.2.896.1
 Testimonia Spiritus sancti de Christo. 895.1.896.1
 Testimonia Christi de seipso. 896.1
 Theologia non est litigiosa scientia. 305.2
 Theologus aptior est canonista ad episcopatum. 277.1
 Theologus & medicus eadem praecipere possunt diuerso fine. 274.2
 Thessalonicenses cur Paulo non dederint necessaria. 108.1
 Thessalonicenses in quo fuerint imitatores Pauli & Christi. 155.2
 Thessalonicenses facti sunt forma omnibus credentibus. 156.1
 Thomas apostolus quin Christum palpauerit, ambigi non potest. 839.1
 Thomas Anglicus auctor est commentariorum in Catholicas epistolas, qua sub nomine D. Thomae Aquinatis extant. 834.2.835.1.2
 Throni qui sint. 117.1
 Timor Domini quid significet. 503.2
 Timor introducit charitatem. 202.1
 Timor effectus est legis ueteris. 295.2
 Timere timorem alicuius quid sit. 745.1
 Timor non est in charitate. 889.2.890.1
 Timor etiam initialis, poenam habet pro obiecto. 890.1
 Timor charitati locum preparat. 890.2
 Timotheus laudatur ob solitudinem. 85.2
 Timotheus Paulo socius in praedicando. 86.2.208.2
 Timotheus frater Pauli. 163.2.361.1
 Timotheus a Paulo ordinatus Ephesinae ecclesiae Episcopus. 207
 Timotheus quis fuerit. 208
 Timotheus quo sensu germanus filius Pauli. 209.1
 Timotheus a puero bona doctrina sectator. 252.1
 Timothei mater Iudaea erat & Christiana, pater autem infidelis. 294.2
 Titus gradioris fuit etatis quam Timotheus. 352.2
 Tolli e medio, non interitum, sed separationem significat. 195.2
 Traditiones hominum qua sint. 215.2
 Traditiones ecclesiae agnoscenda. 160.1.193.2
 Traditiones que sint, & quod par sit auctoritatis cum scriptura sacra docetur. 200.1
 Traditiones ad doctrinam Christianam pertinent. 288.2
 Traditiones apud Iudaeos receptae. 317.2
 Traditiones hominum qua sint dum in malam

parrem sumuntur. 343.2
 Traditiones ecclesiae potius Dei sunt mandata quam hominum. 344.1
 Traditiones seniorum damnat scriptura. 719.2
 Transfiguratio Christi regni caelestis specimen dedit. 785.1
 Trinitas personarum expressa. 34.2
 Trinitatis aut incarnationis mysterium. 619.2
 710.2
 Trinitatis unitas astruitur. 896.2.898.2. & seq.
 Tristari super mortibus amicorum licet. 171.2
 Tristari & exultare non repugnant. 713.1
 Tristitia & gaudium de eadem re esse possunt. 87.2
 Triumphare dupliciter intelligitur. 130.2
 Triumphus Christi de demonibus. 130.2
 Troas Asia minoris ciuitas. 329.2
 Tuba Dei, eadem qua uox archangeli. 172.2
 Tympanizare quid sit, & ad quid referatur. 590.2

U.

Uagari per domos pudicitia muliebri periculosum. 266.1
 Valentini error. 31.1
 Uasis nomine corpus aut proprium, aut uxoris intelligitur. 167.1.741.2
 Velum templi cur scissum est moriente Christo. 515.1
 Venia spes omnibus proponenda. 687.1
 Ventis utitur Deus tanquam nuncijs. 406.1
 Verbi diuini cum uerbo humano comparatio. 839.2
 Verbum Uita, Filius Dei. 167.1
 Verborum geminatio quid sibi uelit in scriptura. 558.1
 Verba bona que dicantur. 461.1
 Verbum Dei quid significet. 64.1
 Verbum solitarie positum euangelij doctrinam significat. 54.2
 Verbum Dei cum fructu praedicari posse ab eo qui spiritu Christi caret, contra Brentinum asseritur. 73.2
 Verbum Dei mysterium est. 121.1
 Verbum Dei salutare. 277.2
 Verbum Dei quo sensu non sit alligatum. 304.1
 Verbum Dei liberè praedicandum. 306.2
 Verecundia est metus quidam dedecoris. 617.2
 Veritas pro fide ponitur in scripturis. 63.1
 Veritas unde deprehendatur. 316.1
 Veritas semper habuit contradiutores. 317.2
 Veritas tutius auditur quam praedicatur. 653.1
 Ueste candida, quinam olim utebantur. 657.1
 Vestium luxus. 687.2
 Veteres disertè negant Paulum habuisse uxorem. 101.1
 Uetustas uicij significationem habet. 21.2
 Via pro actionibus frequentissimum in scripturis. 646.1
 Victimarum sanguini spargendo in populo miscebatur aqua, eiusque mystica ratio. 526.1

Via Domini qua sint,	435.1
Via ad calum noua, recens ac viuens,	548.2
Via iusticia qua dicatur,	803.1
Videre & credere non omnino repugnat,	421.1
Videri pro caesere,	89.1
Vidua quid representabant eccl. sia,	236.1
Vidua unde dicatur, & quam verè vidua sit,	259.1
Vidua familiam suam bene regere discat.	259.2
Vidua qua verè vidua sit, & quid agere debeat,	260.2
Vidua descriptio ex S. Hier.	ibid.
Vidua delicijs vacans monstru quoddam est,	261.1
Vidua honoris locum in ecclesia habuerit.	ibid.
Vidua cur septuaginta annorum debeat esse ante electionem, & monogama.	262.1
Vidua monogama laudantur,	262.2
Vidua adolescentiores cur non assumende.	263.2
Vidua Christum habet maritum.	264.1
Viduas iniures cur nubere velit apost.	267.2
Vigilandum esse semper precipit apostolus.	176.2
Vigilia nomine sobrietatem commendat Scripura,	64.2
Vincere mundum quis dicatur.	894.1
Vinciri & incarcerari non idem est.	591.2
Vincula cedunt ad profectum euangelij,	71.1
Vindicta diuina quatenus potest expecti.	330.2
Vindicta Deo seruanda,	555.1.738.1
Virga Aaron cur floruerit, & ex quali ligno,	509.2
Virga Aaron non potuit esse in arca testamen- ti,	510.2
Virgines multas ob causas facilius continens quam vidua.	267.1
Virgines adolescentulae verè ad professionem ca- stitatis admittuntur,	267.1
Virorum officium erga uxores.	54.1.741.2
Vir uxores suas diligere debent.	56.1
Vir & uxor una caro.	57.1
Vir iure coniugij potestatem habet corporis uxoris, & contra.	167.2
Vir & uxor quomodo peccet per libidinem, ibid.	
Viri nomine saepe famina comprehenditur,	214.1
Viri auctoritas in mulierem dupliciter proba- tur,	231.1
Vir mulierem antecellit vigore mentis.	231.2
Viro in muliere auctoritas competat.	258.2.741.1
Virtutis Christi efficacia,	100.1
Virtutes & gratiarum ad Deo dona sunt,	115.1
Virtutes in gratiam Dei referenda.	189.1
Virtutes philosophorum quandoque vicia ap- pellantur, & quare.	675.2
Virtutes excellentissimo modo sunt in Deo.	731.1
Viscera metaphorice significant intimam amoris affectionem.	70.2.141.2.363.2.694.1.736.2.876.1
Viscera filium quandoque significant.	365.1
Viso Dei beatifica nulli mortalium fuit conces- sa,	286.1.886.2
Visionum olim varia fuisse genera,	396.1
Vita aeterna ex operum meritis provenit,	18.1.188.2
Vita longa promittitur honorantibus parentes.	58.2
Vita perfectio semper maior inquirenda,	95.1
Vita aeterna donum gratuitum, ac simul merces	
nobis promerenda.	131.2.186.1. & 2.282.2.300.2.326.2.356.2.646.2
Vita iusticia nobis datur in baptismo.	16.1
Vita inculpata multum promouet verbum Dei.	201.2
Vita eterna corona iusticia quo sensu.	326.2
Vitalis aureus in deserto exaltatus, cuius rei si- gnificatio fuerit,	855.1
Vni & mortui quos Deus indicabit qui sunt,	756.1
Vtitionem infliget Deus ijs qui Deum non noue- runt,	187.1
Vnanimitas perfecta amicitia notio est,	85.2
Vnitas spiritus ab omnibus seruanda.	34.1.2
Vocari nomine hoc aut illo in Scripturis quo- modo accipiat.	863.1
Vocatio efficax, 160.1.188.1.199.2.296.2.522.2.718.1.731.1.778.2	
Vocati ad fidem non statim certi sunt de voca- tione ad gloriam.	188.1
Vocatio interna efficax, externa non item.	283.1
Vocatio quomodo reddatur bona & firma per bona opera,	782.1
Volumen libri quid sit,	541.2.569.2
Voluntarie peccare quinam peculiariter dican- tur,	552.2
Voluntatem Dei facere quid sit.	558.1
Voluntas Dei absoluta non est ut omnes saluen- tur,	224.1.2.225.1.2.809.2
Voluntates carnis & mentium ut differant,	15.1
Voluntas signi,	180.1
Voluptas omnem illicitam delectationem com- prehendit,	678.2
Vota tria religionum, antidota aduersus tri- plex genus praua cupiditatis.	855.1
Votis non aduersatur Paulus, necessitatem a bo- no opere excludens,	365.2
Vouendi temeritas vicium quorundam est, sed ab ecclesia semper improbatum,	265.2
Vox in iudicio quemam erit,	172.2
Vox Christi quomodo mortuos suscitabat, ibid.	
Vocum inanitates deuitanda.	289.2
Vocum nouitates ab haereticis excogitata.	ibid.
Vsus & abusus qui differant.	134.2
Vultus Domini quis sit.	744.2
Vxor pars est mariti,	55.2
Vxor maritum timere debet.	57.2
Vxorem suam Paulum allocutum fuisse dum ait, germanè comparatio non permittit,	101.2
Vxores viris subditi esse debent,	144.1
Vxores & serui non aequaliter subditi,	739.2
Vxor unica mysterium fert sacrae significationis, 236.1	
Vxores Episcoporum & diaconorum pudica es- se debent,	242.2
Vxorum sancta conuersatio maritos Christo lu- crificat,	739.2
Vxoribus temperanter utendum, 741.2. Vide Mulier.	

Z.

Zelare Hebraeis quis dicatur,	554.1
Zelus quid sit.	675.1
Zelus amarus inuidia est,	ibid.

TYPOGRAPHVS
LECTORIS.

N CERTIS & aduersarijs rumusculis quotidie & obscure ad me perlatum est, mirari compluris, neque causam satis probabilem percipere, cur hic posterior Ampliss. & pietiss. mem. viri, D. GUILIELMI ESTII Commentariorum in epistolas Paullinas, & aliorum apostolorum Catholicas Tomus, qui tot iam propè annos sub prelo nostro desudasse existimatus, iam pridem in publicum lucemque non exierit. Hinc itaque negligentiae aut cessationis nomine alijs, φιλοθελοῖς & nunquam satis laudatis sacrorum librorum helluonibus, suspectos nos esse, non ita moleste ferimus: Inde verò ab alijs, quos nostri ordinis homines esse haud vanè cõijcimus, famam nostri acerbiusculè traduci, & in odiũ, aut in sinistram rei tanquam malè siue oscitanter gesta suspitionem vocari non immeritò dolemus. Qui cū brevior totidè mensium intervallo, quot nos annis in hisce excudendis elaborauimus, longè plura praestare posse, & in dies praestare, iactitat; tum suo se sanè indicio prodit, & ex promiscua illorum τῶν περὶ τὸν, vt canit Hesiodus, τοῖς τέκτονιν in uidentium faece esse pœnifumè clamitant.

Sacrarum litterarum candidati, aut etiam μεμνημένοι, & ij in primis, quibus tam Eximij Doctoris vel Auditoribus, vel Alumnis domesticis esse contigit; & hæc postuma tam rari & subacti, in suo olim magistro, ingenij monumenta adlubescunt; hoc primum habent. Auctorem, qui cū singulari ceteræ vitæ sanctimonia, tū cõmemorabili etiam animi verè Christiani demissione, quã humilitatem vulgò dicimus, praestitisse est cõpertus; vix importunissimis magnorum, & eiusdem studij consortum, amicorum efflagitationibus, paucis antè fatalem vitæ exitum annis, cessasse; & vt hæc, aliæque eius generis lucubrationes memoriæ posteritati que per chalcotypos propagantur, permisisse. Deinde; quã prior Tomus, quem anno demũ publicauimus, vix dimidiã iam-tum parte adfectus, immò informatus esset; eundem μακαρίτην, vel pristino Christianæ abiectionis spiritui, & vanæ ex postumis scriptorũ monumentis gloriola contētui indulgentem; vel morosiora eruditi & sagacis sæculi iudicia, (quod quibusque in quouis disciplinarũ genere consummatissimis propriũ & solenne) frustra reformidantẽ, captẽ a nobis non infeliciter rei quam nescio remoram iniectisse, vt animum ab hisce, se vivo, euulgandis abhorrentiorem, tantum-non testaretur.

Ardeliones autè illi, qui suas operas tam expromtè, tamque prolixè venditant: meri καρπο-
πῶλαι, (quos quis stipulis, humectisve lignis ulcisci dignetur?) id se, suoque praconio dignum auferunt. Rebus aliorum opimis inacrescant, tantisper, dum sumtuũ, quos hic facere extra ordinem fuit necesse, ratione; & non cuius obvia, ex longinquoire illa, quam dixi, mora, dispendia ad equiorem trutinam expenderint; & quod lividis buccis, ἐκ ἀνευ βασιλευσ, creparint, praefiscinè recantent.

Verũ iam nunc, & è vestigio, vt speramus, cum vtrisque in gratiam redierimus, quã illi, amplius, quã expectarãt, & quidẽ cum corollario, sint habituri. hi, opinione sua citius ad exitũ perducti, huius posterioris Tomi editionẽ, nisi suo se adfectu exuerint, non sint nõ indolenturi. Cuius tamen totius negotij, & positæ in hoc opere celeritatis, siue veriũ maturitatis, & in eadẽ accurationis, gratiam mihi uni adponi si postulem (praeter aliquantam operarũ nostrãtium industriam) graui me arrogantis & ingrati animi nota obstrinxerim. Primarius ille, si nõ operis totius, certè ipsius editionis auctor: cui ipse Archiectus non rã in cursu, quã è curriculum, decedens, ultrò lampada tradiderit: absque quo fuisset, hæc rã præclara sacrae doctrinae subsidia; hæc pretiosa Estiani ingenij cimelia, perpetuis forte-an in tenebris, iacuisent: Exim. Dom. M. N. BARTHOL. PETRVS Lintreosis. qui praeter ea, quæ suã in priorem Tomum praefatione ingenuè praestitisse profitetur, & hoc posteriore accuratius praestitit: praeter quãdam, veluti Oedipi, aut Delij natatoris, in folijs Sibyllæ colligendis, sensisque Commentatoris, ex confusiore Aduersariarum schedarum farragine, ritè eruendis & concinnandis, ἐν σοφίᾳ: praeter lacunas hic, ibi, expletas. nequid praeterea in hoc tam excellenti & exoptato Opere meritò quis desiderare possit. ipse, inter cetera, primam quidem B. Ioannis Theologi Epistolam, quam Auctor, maturã quidem, sed nimis, ah, praeproperã morte sublatus, mancam à scho-
lijs atque inchoatam reliquerat, conuenienter pertexuit: Alteram verò & tertiam, intactas, suis ipsemet commentationibus eruditissimè explicauit.

Illè, inquam est, cui meritam & solidam quidem gratiam, secundum eum, quem dixi, Archiectum, debeatis. qui in tanta quotidianarum occupationum mole, in hoc ingravescentis ætatis fastidio; neque valetudini, neque angusto subsecivi temporis otio pepercerit, quò minus & accuratissimè & quam-maturimè hæc, quæ damus, in manus vestras peruenirent.

Valete, Duaco, prid. Idus Febri. 1616.



